










EPISTOLAE



# EPISTOLAE MEDICINALES DIVERSORVM AVTHORVM,

NEMPE,

IOANNIS MANARDI
MED. FERRARIENSIS.

NICOLAI MASSAE
MED. VENETI.

ALOISII MVNDELLAE
MED. BRIXIENSIS.


IO. BAPTISTAE THEODOSII
MED. BONONIENSIS.


IOAN. LANGII LEMBERGII
MED. PRINCIPVM PALATINOR. RHENI.

*Adiectis* INDICIBVS *duobus, quorum prior Epistolarum argumenta, posterior rerum ac uocum toto opere memorabilium elenchum continet.*



LVGDVNI,
Apud hæredes Iacobi Iuntæ,
M. D. LVI.





# VIRO OMNI TVM DISCIPLINARVM, TVM VIRTVTVM GENERE ORNATISS. FRANCISCO Alexandrino, Florentino, Doct. Medico, Philippus Tingus S. D.

*



*CVM inter omnia artium genera, quas in communem uitæ usum uel superum contulit benignitas, uel humana eruit industria, præcipua semper habita fuerit Medicinæ utilitas: præclarè in primis de mortalium commodis mihi uidentur promeriti, qui in ea augenda, illustranda, conseruanda, omnes ingenij neruos intenderunt. Nam cùm à cæteris ferè artibus externa duntaxat fortunæ subsidia petamus, huic uni non prosperam modò ualetudinem (quæ inter corporis bona primum haud dubiè locum obtinet) uerùm ipsam etiam salutem, atque adeò uitam non rarò debemus. Porrò cùm innumeri propemodum tum nostra, tum patrum nostrorum memoria in hac arena certatim desudarint, piáque quadam æmulatione pro se quisque contenderint, ut rei medicæ studiosis quàm plurimum possent, adiumenti afferrent: uix ulli tamen hactenus operam suam melius utiliúsue uidentur collocasse, quàm qui cõscriptis eximijs aliquot Epistolarum (ut uocant) Medicinalium libris, densissimas quasque artis tenebras mira quadam ingenij dexteritate discusserunt. De hoc itaque Epistolarum genere cùm non semel (uti fit in familiari amicorum colloquio) mentio nobis incidisset, memini te earum utilitatem magnopere commendare, & pro singulari tua facundia miris in cœlum laudibus efferre: eam tamen ipsam longè uberiorem futuram affirmare, si quæ hactenus sparsæ legebantur, & ueluti disiectæ naufragij tabulæ, ex totidem codicibus, quot earum sunt autores, non sine graui Lectoris molestia petendæ erant, in unum quasi corpus contraherentur, ita ut unico uolumine comprehensæ, uniuersæ simul studiosorum oculis subijcerentur. Quod tuum consilium cùm non possemus non magnopere approbare, apud patronos nostros,* IACOBI IVNTAE *hæredes, multis nobis nominibus obseruandos, instare non destitimus, ne tam commodam de rebus mortalium bene merendi occasionem è manibus amitterent. Quibus non ægrè (ut sunt uel sponte sua ad promouendos studiosorum conatus in primis propensi) in sententiam nostram adductis, nihil prius duximus, quàm ut omni sublata mora, opus pulcherrimum quanta fieri posset diligentia excuderetur. Idq́; nunc demum hominum doctissimorum adminiculo ad umbilicum perductum, multis de causis clarissimo tuo nomini consecrandum putauimus. Vehementer enim æquum uidebatur, ut quod tuo potissimum hortatu & susceptum esset, & absolutum, sub tui quoque nominis auspicijs in publicum prodiret. Ad hæc, cùm ea consuetudo iam olim inoleuerit, ut noui quippiam operis in lucem edituri, alicui id uel Principum, uel amicorum nominatim soleant dedicare, ut aut illorum autoritate, aut horum beneuolentia à uitilitigatorum morsibus sese tueantur: nobis uel hoc saltem nomine consultius uisum est, ad tuum potius, quàm procerum cuiusquam patrocinium confugere, quòd pro singulari tua in nos beneuolentia, nostram tibi causam maiori curæ, quàm illorum cuiquam, fore consideremus. Denique cùm in muneribus offerendis illud in primis spectari conueniat, ut apta sint ei, cui offeruntur, ne illud audiamus, quod Menelao equos sibi offerenti Telemachus,* ἵππους δ' εἰς Ἰθάκην οὐκ ἄξομαι*: non uideo, cui doctissimorum Medicorum uigiliæ aptius possint inscribi, quàm tibi, qui ea in arte tanta cum laude uersaris, ut cum priscis illis Medicinæ principibus ex æquo penè contendere, & ad leuanda ægrorũ incommoda, uelut alter quidam Aesculapius, è cœlo delapsus uidearis. Reliquum est itaque Medicorum ornatissime, ut eximij huius operis, quod unà nobiscum in clientelam tuam conferimus, patrocinium suscipias, & à caninis inuidorum dentibus strenuè tuearis. Vale.*

# INDEX ARGVMENTORVM EPISTOLARVM HOC OPERE CONTENTARVM.

## MANARDI.

### PRIMI LIBRI

EPIST. I.



Secundi lib.



Tert.lib.



Quart.lib.



Quint.lib.



Sext.lib.



Sept.lib.



Octaui lib.



Non.lib.



Deci.lib.



Vndec.lib.



Duodec.lib.



Decimitert.lib.



Decimiquar.lib.



De uini

## NICOLAI

### MASSAE.

## ALOISII MVNDELLAE.



## IO. BAPT. THEODOSII.



De uirtu

## IOANNIS LANGII.



An

FINIS.

# IOAN. MANARDI FERRARIENSIS MEDICI, EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER PRIMVS.

* * *

EPIST. I. *ad Florianum Montinum, uirum doctißimum, in qua excusat se de horum librorum editione.*



VLTOS futuros esse arbitror, qui meam hanc Epistolarum medicinalium editionem adeò non probent, ut etiã ualde reprehendant: partim, quia in uniuersum eos damnent quicunq; noui aliquid post tot, támq; celebres autores moliri hoc tẽpore audent. Superfluũ enim esse, ea scribere, quæ sint scripta. Temerariũ, putare se uidere, quæ oculatissimi illi nõ uiderint. partim quòd hanc operã, ut in quibusdã artibus fortè tolerẽt, in medicina tamẽ nullo pacto admittent, ut quæ diuturnitati temporis, & antiquorũ obseruationibus, longissimæq; experiẽtiæ innitatur, & quasi diuina beneficentia selectis quibusdã hominibus sit condonata. Nec deerunt alii, qui me insolentiæ insimulent, quòd nouus homo, & uix intra proprios lares (ut dici solet) cognitus, audeam contra eos insurgere qui authoritatem sibi iam multis annorum seculis præscripserunt. Damnabũt pleriq; stylum: aliqui tanquam minus, aliqui tanquam nimis exquisitum culpabunt. Nonnulli docendi modum per epistolas, ceu in medicina non usitatum. Alii ut cætera ferant, hoc certe uitio dabunt, quòd nominis aucupandi gratia, res tam exigui momẽti inuulgãdas, uel ipsemet curauerim, uel permiserim. Ego (ut multis simul respondeam) rem, si ullo unquam tempore, in primis nostro seculo summè necessariam puto, hac in arte scribere, eáq; ingenuitate & audacia, ut ueritate præ oculis habita, neq; autoritatis, neq; antiquitatis, propter mille etiã annos, ulla ratio habeatur. Ex ignauia enim & nimia in seniores obseruantia factum esse cognosco, cur hactenus nõ solum nihil arti à nostratibus sit adiectũ, sed & priscorum commentaria sine delectu ueluti oracula suscepta sint: licet quandoq; ita fœda & barbara, ut intelligi nõ possint: ita mendosa, ut quiduis aliud potius significent, quàm quòd autores uoluerint. Vnde factum est, ut ea pro arbitrio quisq; ad propriũ dogma trahat, unáq; pro alia regula, uno pro alio remedio, & sæpe pro salubri mortifero, magno cum humanæ uitæ discrimine utatur. Neç tantum à uulgaribus & sequioris generis medicis hoc peccatum est, sed & ab his qui primæ notæ atq; autoritatis apud primates & reges fuerunt. Quis enim extitit superioribus abhinc annis plus minus quadraginta, qui tum uulgata illa Hippocratis opera, cum Galeni expositione, & libello qui Ars medicinalis inscribitur, uno uolumine comprehensa, cui Articulæ nomen indiderũt, instar Mosaicarum tabularum nõ coluerit? In quibus tamẽ innumerabiles esse errores, ex nouis modo interpretationibus & aperte iam patet, & paulò post euidẽtissimè manifestabitur. Quis Auicennã ceu cœleste numen nõ adorauit? in cuius tamen libro præter densam caliginẽ, infinitum esse ambagum chaos, & cõmentaria quædam nuper (ut audio) de Auicennę erroribus edita, & alia nõ multo post edenda, luce clarius (bonis tamen oculis) demonstrabunt. Quis Serapionis aggregationes, in simpliciũ medicamentorum & figuris & uiribus dignoscẽdis, Mathiámq; uerè Syluaticum, in eorũ & aliarum rerũ medicinaliũ nominibus exponendis, non est summopere ueneratus? in quibus tot ferè esse errata quot uerba, & Dioscoridis nouæ castigationes, & nostræ aliquot epistolæ palàm faciunt. Sed ut Galeni, Haliabatis, Razis uolumina prætereã, quorũ non adeò frequens usus, nónne Ioannes cognomẽto Mesue, tantæ & extitit & adhuc extat apud multos existimationis, ut nonnulli magnæ autoritatis medici suum appellare euãgelistam nõ sint ueriti? cuius librum, pręter multa Sibyllæ foliis obscuriora, quædam aperte falsa continere, nostræ in eum marginales annotationes ostendunt. Quod si quis fortè nõ credit, librũ eius aperiat, primáq; statim pagina me nõ falsum dicere, nisi penitus careat iudicio, manifestissime cognoscet: ubi scribit, nõ ideo purgatorium medicamentũ, humorem certum purgare, quia sit ei simile. In quo dicto aperte Galeno contradicit libro tertio de simplicibus medicamentis dicẽti, purgatoria medicamina esse attractis humoribus similia, sed fortiora aliquo modo, & propterea trahere, non trahi. Per quæ uerba argumentatio diluitur, quam subobscure Mesuas innuit: Si similitudo, inquit, causa esset, quare medicamẽtum hmmorẽ traheret, ita humor traheret medicinam, sicuti medicina humorẽ. Huic enim occurrens Galenus, rationem reddit, quare cum duo sint similia, hoc potius trahat, illud trahatur: id scilicet eorum trahere dicẽs, quod sit potentius: illud uero trahi, quod sit imbecillius. Quare si Mesuas à Galeno prudẽs & sciens recessit, debuit utiq; uel sententiã eius refellere, uel nouam cõtrà argumentationem excogitare. Crediderim ego facilius Mesuen locũ eũ nõ uidisse, quando & aliis in locis se Galeni libros uel nõ uidisse, uel conniuenter euoluisse palàm prodit: ut cap. de centaurio, ubi maius cum minore cõfundit, & minus omni in re præfert: cũ tamen multis in rebus, maius à Galeno celebretur, & minoris radix penitus dicatur inutilis, radix autẽ illius in multis cõmendetur. Porrò de manna & sena quædã adscribit Galeno, quę ille ne somniauit quidem. Picram & Calaminthes antidotum nõ bene ex eiusdem sententia describit. Medicamen de acetosis uocatum, & quandam triphերã, quasi Galeni, recitat: quas eius non esse, faufel, sandali, cãphora, ben, ambra, & moschus ostendunt, illius tẽporibus incognita. Multa similia possem afferre, per quæ non bonus Galenicus, sed nonnulla potius notanda, per quæ non bonus medicus conuincitur: quale est illud, Aloẽn aperire uenas, & sanguinem ciere: cum, ut Plinium taceam, Dioscorides, Galenus, ratio & experientia cõtestentur, quòd sanguinem undequaq; fluentem sistat, etiam si per screatum emittatur: quare si aliquando sedis uenas aperire uidetur, ex accidenti hoc fit, quoniam excrementa acriora agentia ad ea loca mouet, quæ uenas recludunt, sicuti ab aliis quoque fieri medicinis scribit Galenus aphorismo 47. lib. 6. Mixtam item melli minus purgare ait: cuius contrarium scribit Galenus, & ratione ac experientia est comprobatum. Verum hæc nõ propria eius errata, sed Auicennæ potius, quem est sequutus. In rheo uero barbarico cauere operæprecium est, ne ipsum sequentes, ad decem usq; drachmas semel demus, quòd nonnulli peccantes ad extremum periculum ægrotantes deduxerunt. Sed Dioscoridi & Auicennæ potius accedentes, non transcendamus duas drachmas:

*Rhei barbari dosis.*

sicuti nec de epithymo plus quinq;, uel ad summũ sex dabis, & hoc paucis: dante interim ipso septem drachmas pulueris, & decocti drachmas uiginti.

*Epithymi.*

Tũc capnii, quam fumariam, uel terræ fumũ dicũt, nisi supra duas, quas idẽ Mesuas iubet, uncias dederimus, nullam purgationem consequemur.

*Capnij.*

Scammonii etiã ultra duodecim grana dare, non est cur ob eius autoritatem uereamur, cum à Dioscoride ad quatuor usq; obolos accedat, & nostro tempore in Italia multi scrupulum integrum sine noxa biberunt. Apud Sarmatas uero & Turcas modus etiã Dioscoridis tutò longe exceditur.

*Scammonij.*

In polypodio quoq; eius sententiæ stãdum non est: siquidem integra uncia per se parum purgat, cum ille quatuor aureos nõ transeat.

*Polypodij.*

Eupatorium, quod ipse pingit, tam est simile uero, quàm centaurii folia cannabinis, & subluteus color albo. Nullus quoq; antiquorum, uim huic adscribit purgandi: imò Dioscorides potam ex uino dysenteriæ dicit opitulari. Iam quid per turbit intellexerit, difficile

est diuinare. Necq; enim cum Serapione conuenit, tripolium intelligente: nec cum Dioscoride, radicem pityusæ sic uocante: folio enim hæc pini, illud isatidis cōstat, non ferulæ. Sed necq; id pingere uidetur quod passim in officinis nunc pro turbit uenditur: siquidem, ut à fide dignis intellexi, ex planta illud accipitur, quæ folio myrti constat. Alia permulta possem addere, sed satis hęc sunto ad eius autoritatem cōuellendam: atq; ut id demum constet, ad extirpādos receptos errores, necessarium esse libros non solū cudere, sed etiam in lucē edere: cum paria sint nihil scribere, uel quæ scripseris domi premere, nulliúsq; nomini quantū ueritati defendū, quando & Galenus Hippocratē, erga quē summopere afficiebatur, nōnunquam perstringit. Modus autem hic scribendi per epistolas, præter id quod uitari uix potest, interpellantibus amicis, non est nouus. Archigenes, Galeno teste, undecim libros Epistolarum medicinalium scripsit: & Themison, Paulo teste, decē. Consilia etiam à recentioribus uocata, non aliud certe sunt quàm epistolæ. Nemo autē legendis fortasse barbaris assuetus, mihi uitio det, si homo in Latio natus, latinius aliquādo loqui uideor: rursus idipsum si ubiq; non planè assequutus sum, uitio temporum excusandus uenio, quæ talia fuerūt, ut non potuerint bonæ artes disci, nisi à barbaris & libris, & professoribus: quāquam sanè non Latinam linguā, sed medicinam discere cupientibus hæc scripta sunt. Quòd uero excudi hæc à typographis tulerim, non famæ aucupādę gratia factū fuit, cū in his plus laboris à bonis cognoscendū, quàm ingenii scirem: ab aliis uituperium & risum, non laudē expectarē. Sed quia iam plerasq; epistolas me inscio, non sine multis erroribus publicatas uideram, ideo uetus meum institutum, quo nihil ad hunc modū euulgare statueram, sicut sæpe tecum communicauerā, mutare coactus sum. Quod nec fecissem, nisi sperarē aliquos bonæ mentis iuuenes, ex harum lectione ad meliorem frugem excitandos. Seniores autem, si quis modo senior hæc legere non dedignabitur, hoc saltē ex harum lectione posse lucri capere, ut sentiāt quod prouerbio dicitur, Nec omnia, nec omnibus, nec passim esse credenda. Quòd autem à primo limine præfixo tuo nomine in publicum illas prodire siuerim, præter antiquam inter nos amicitiam, singularémq; tuam eruditionem optimis moribus, quod hoc seculo rarum est, coniunctam, illud quoq; in causa fuit, ut me cur sententiā mutarim, apud te excusarem, ac rationes quibus impulsus fuerim, tibi significarem. Vale. Ex Iaurino Pannoniæ superioris ciuitate, pridie Idus Sextiles. M. D. XVIII.

## EPIST. II. *Io. Mariæ Pacto. Castigatur aphorismus* XII. *libri tertij.*

Miraris Pacte, quòd aphorismi duodecimi libri tertii Hippocratis, tot legantur interpretationes, quot fuerunt in Latinā linguā interpretes. In uulgata enim editione legebatur: Si austrina hyems, & pluuiosa, ac tranquilla fuerit. Laurentianus, cuius interpretatio à multis etiam Theodoro Gazæ adscribitur, pro uoce tranquilla, tepida scripsit: Leonicenus, *serena: quæ* uerba non *minus significato*, quàm sono ipso uocis euariant. Tranquillus enim aër est, qui uentis: serenus, qui nubibus ac nebulis caret: tepidus, qui non *impēse* aut calet, aut friget. Quid *igitur*, ais, sentiemus? aut cui ex tot traductionibus præ aliis potissimum inhærebimus? Mihi certe Pacte (ueritas amicitiæ *& autoritati præferatur*) nulla earum probatur: tolerabilius tamen uidetur, ut tepida, quàm ut uel trāquilla, uel serena legatur. Nā si australis est hyems, quomodo *tranquilla? si pluuiosa*, quomodo serena? *Nisi forte quispiam* dixerit, fieri posse, ut aliis atq; aliis diebus, imò uno eodémq; die, modo austri & pluuiæ ingruāt, modo *tranquillitas aut serenitas* appareat. Sed uideāt qui sic dicunt, quomodo consentanea Hippocrati & Galeno loquantur. Non enim est illis in hoc aphorismo ser*mo de ea mutatione quæ in una* ex quatuor *anni* parti bus, uel in uno die de una qualitate in aliam fit, ut de quibus superius, primo ac quarto aphorismo eiusdem *libri* differuerint: *sed Galeno etiam ipso teste in* expositione aphorismi, de uarietate quæ in temporibus contingit, hoc est, in una ex quatuor anni partibus inuicē *succedētibus, dum uidelicet propriā nō habent qualita*tem, sed eius loco aliā: alioqui non australis & pluuiosa, sed inconstās ac uaga hyems diceretur, ut quæ minime sibi constaret, sed ex pluuiosa in serenam, ex australi in tranquillā laberetur. Quòd uero nec tepidā legēdū putem, facit Galeni autoritas, qui ab initio commentarii eius aphorismi statim ait: E contrario se habet hęc temperatura, duobus in priori aphorismo dictis tēporibus: qualis enim prius in illo erat hyems, tale nūc est uer: qualéq; uer in illo, talis nūc hyems. Ver autē priore aphorismo nō magis tepidū, quàm serenū aut trāquillum dicebatur, sed australe tantūmodo & pluuiosum: ergo & hyems in hoc aphorismo austrina tantū & pluuiosa intelligēda est. Idē quoq; colligitur in expositione aphorismi decimitertii, ubi loquēs de eisdē cōstitutionibus, quæ scilicet undecimo & duodecimo aphorismo supponuntur, nihil addit huic hyemi ultra pluuialem & australē. Ait enim, Post duas præscriptas constitutiones unā quidē, in qua hyemē borealē & siccam esse uult, uer pluuiosum & australe: aliā in qua contrarium, pluuialē & australē hyemē, uer siccū & boreale. & reliqua quæ sequuntur. Quæ cū sint de Hippocrate dicta, in libro de aëre & locis in scripto, relinquitur, neq; ipsum Hippocratem uocē ἔνδιος addidisse, quod etiā legētibus manifeste apparet. Sed & nostrā hāc sententiā cōfirmat Aristoteles, nono problemate primæ sectionis, ubi causam eorū perquirit quę in hoc aphorismo ab Hippocrate dicta sunt: non enim aliud & ipse huic hyemi epitheton apponit, quàm pluuialis & austrini. Celsus quoq; bonus Hippocratis interpres, li. 2. cap. 2. sic ad uerbū hūc aphorismū interpretatur: Si austri pluuíæq; hyemē occuparint, uer autem frigidū & siccum est, grauidæ quidē fœminę quibus tū adest partus, abortu periclitantur: hæ uero quæ gignunt, imbecillos uíxq; uitales edunt: cæteros lippitudo arida, & si seniores sunt, grauedines atq; destillationes male habēt. Fides demū Græci codicis nō parum me cōfirmat, qui ab exemplari Demetri Chalcondylis uiri doctissimi & integerrimi trāssumptus est, in quo sic scribitur. ἢν δὲ νότιος ὁ χειμὼν καὶ ἔπομβρος γένηται. & reliqua. Vbi patet duo tātū, nec plura epitheta, scilicet australis & pluuiosæ hyemi esse apposita. Verū quid aliunde testimonia mēdicamus? cum Galenus ipse Hippocratis primū Epidemiarum librū enarrās, hūc aphorismū, uti nūc recitauimus, afferat, nulla adiecta uocula, per quam uel tranquillum, uel serenū, uel tepidū, possit intelligi. Sed unde, inquies, moti sunt interpretes, uiri & utraq; lingua eruditissimi, & medicinæ peritissimi, ut uerbū superadderēt, quod Hippocrates nō dixerat? Id ego euenisse reor propterea, quòd in codicē inciderint, in quo additum erat καὶ ἔνδιος: nā & nos in quodā exemplari talē animaduertimus scripturā: uidentur tamē illi non ἔνδιος, sed amoto ι elemento à secūda syllaba, εὔδιος legisse, quæ uox Polluci ponti malaciā, Aristoteli in Problematis modo serenum, modo trāquillum significat. Qua etiā usus est idē Hippocrates secundo Epidemiarum libro sic scribens: ἐς Πέρινθον περὶ ἡλίου τροπὰς ὀλίγον τὰς θερινὰς ἤλθομεν, ἐγεγόνει δὲ ὁ χειμὼν ἔνδιος, νότιος. Neutrā tamē nos (ut suprà patuit) earū lectionū probamus, sed uel abradendū illud uerbū putamus, ueluti suppositititium, uel legendū utrobiq; ἔνυδρος, penultima circūflexa, quæ uox humidum significat: uel ἔνδιος, quæ procellosum. Vtrunq; enim significatū sensui Hippocratico optime quadrat: non ἔνδιος, cuius utrunq; significatū cū altero prius dictorum uerborū (ut ostēdimus) necessariò pugnat. Legitur & ἔνδιος in antiquo quodā exēplari Romanæ bibliothecæ, ut mihi retulit Ioannes Heymus in Vienna superioris Pannoniæ inclyta ciuitate, iuuenis Græcè & Latinè nō mediocriter eruditus. Sed & proximis diebus Cælius noster uir undequaq; doctissimus, in antiquo satis codice eandē sentētiā & lectionē mihi monstrauit. Priorē tamē non propterea relinquo sententiā, ceu Galeno & Hippocrati ipsi magis cōgruā, utpote ut uerbum illud penitus ex hoc aphorismo deleatur. Porrò in alio codice opera Hippocratis continēte, ἐνδιεινός legitur. Quid uero legerit Caluus, nescio, sed tulit tepida, quemadmodū Laurētianus. Meā autē iam tenes Pacte sententiā, quam si minus probaueris, méq; temeritatis accusaueris, culpā in te reiiciam, qui arbitrum me inter tam celebres uiros esse uoluisti. *Vale.*

## EPIST. III. Hippolyto Rufo. *Quid sit Eruilia, & an bonis alimentis connumeranda.*

ORtam esse ais proximis diebus controuersiam inter te, aliúmq; percelebrem medicū, quòd tu

uide

uidelicet, cõmunem sequutus sententiam, cuidã prope genu uulnerato, esum eius leguminis, phibueris, quod eruiliam etiam uulgò uocant: ille contrà ceu rem bonã, atque non modo uulnerato illi, sed & aliis plerisque ægrotantibus cõgruentẽ laudauerit: quæris que propterea in hoc sententiã nostrã. Ego uero, non quia tanti me faciam, ut de uestris discordiis iudicium ferre uel possim, uel debeã, sed ut tibi morem geram, scribam quid sentio, atque hoc ordine ostendam in primis, id quod nos eruiliam uocamus, non esse id legumen, quod Arabes, uel potius libri ex Arabico in Latinam linguã quomodolibet uersi, mes, uel almes, uel meise uocant: neq; id quod almelic, quorum utrunque præclarus ille uir (ut dicis) & primum recentiorum turba existimauit. Deinde, esto quod id esset, uulnerato tamẽ illi inutilem fuisse. Demum, ne id mihi crimen impingatur, quod scio nonnullos ἑλληνομάστιγας solere nobis impingere, quòd scilicet dicamus quid res non sit, nunquam uero quid sit, aperiam, quo nomine hoc legumen uocatum ab antiquis putem: ex quo & illud cõstabit quod principaliter in cõtrouersiã uenit, eruiliam uidelicet ipsam, non esse bonis alimentis connumerandam. Primũ non est difficile uidere legenti Serapionem cap. 116. granum id quod mes appellat, oculum habere dicentem, cum pupillo nigriore, herbámque eius esse phaseli. Euidẽtia enim ipsa rei ostendit, eruiliam oculum nõ habere: uel si quid habet, quod oculus à defendente proprium dogma fortè dici posit, id omnino nigriore pupilla non constare. Quantum uero phaseli herba, ab ea quæ eruilię, distet, ex utriusque aspectu quiuis potest ediscere. Si quis tamen uisui non credit, gustum consulat. Scribunt siquidem Auicenna & Isaac, in cortice mes esse ponticitatem. Ita enim ipsi appellant eum saporem, quem Græci στρυφνὸν, nostri acerbum nuncupant: qui quidẽ est sapor linguam uehementer astringens & ueluti ligans, qualem glandes maxime præ se ferunt. Tam alienus est autem hic sapor ab eruilia, quàm ipsa à glandibus. Rursus mes est idẽ quod pisum (ut infrà probabo) sed pisa nõ sunt eruilia nostra. Scribit enim Plinius lib. duodecimo, pisa habere angulos, ut cicercula, quos in eruilia certe nostra non uidemus. Libro quoque decimooctauo, de eruilia & piso seu rebus diuersis ait, quòd folio constant longiore. Et Theophrastus pisum multifolium esse dicit, terrenum, amplum, adeóque uagum, ut locum totũ impleat, etiamsi amplo interuallo sit positum: quæ nostræ eruiliæ minime quadrant. Liquet ergo, quòd eruilia non sit mes. Quòd uero nõ sit id quod Arabes uocant almelic, non alio quàm Auicennę ipsius testimonio probandum: is enim cap. 353. secundi libri, ex sententia propria asserit, almelic esse erbum, ut ibi legitur. Quòd uero erbum, de quo ibi Auicenna (orobon Græci appellant) nos eruum, tam sit ab eruilia nostra, quàm mes Auicẽnæ diuersum, adeò clarum est, ut probatione non egeat: iumentorum enim potius quàm hominum cibus est eruum, eruilia homines libentissime uescuntur. Hoc igitur ceu notum relinquentes, id potius aggrediamur, quod secũdo loco proposuimus, probantes rem quam mes Auicenna nuncupauit, maxime dum recens est (hæc enim in cõtrouersiam uenit) *non esse cibum uulnerato in neruis congruentẽ*: quod ita colligimus: Ratio uictus siccior & pauca superflua dimittẽs, in omnibus uulneribus, & potissimum neruorum, *instituenda est. Sed Galeno teste, primo alimen*torum libro, capite de faba, omnibus fructibus qui uirides comeduntur, antequam maturentur & exiccentur, *hoc cõmune est, ut alimentũ humidius, & multis* redundans superfluitatibus præstẽt: igitur quicquid sit mes Auicennæ (Legumen enim certe est) nõ potest uul*nerato, recens & immatura, qualis tunc erat, cõuenire.* Præterea constat conferenti quæ dicuntur à Serapione, capite de mes, ex sentẽtia Galeni, cũ uerbis eiusdem Ga*leni in lib. alimentorũ, mes Arabũ, esse pisum Græcorũ.* Quod cũ simile secundũ totam substantiã fabis, rei non bonæ scribat Galenus, nisi quòd minus inflat, & nõ ab*stergit, uidetur tanto minus quàm fabæ in casu nostro* conferre, quanto magis tergendi uirtute priuatũ est. parum enim ex minori illa inflatione fabis præstat. Præ*terea cibi qui nõ cõueniunt sanis, minus cõueniunt æ*grotis, quatenus cibi sunt: sed nulla legumina quatenus cibi rationẽ subeunt, sunt sanis cõducentia, ex Auicen*næ sententia, capite de eo quod comeditur & bibitur:* ergo nec ægrotis. Scripsit etiam Galenus primo libro de uictu morborum acutorum, ab idiotis etiam ipsis frumentacea omnia (nomine frumenti ad legumina extenso) respui in acutis morbis, præter panem, alicam & prisanam. At si mihi opponas Auicennam Serapionémque dicentes, quòd mes sit boni succi, iterum Auicennam quibusdam in locis libri sui, cibum ex mes ægrotantibus exhibentem: dicam, non de uiridi & immaturo, sed de sicco ac plenè maturo fuisse loquutos. Alioqui, ut res boni succi sit, non statim sequitur, quòd sit bonus cibus, cum posit & qualitate, & concoctionis duritie, & obstructione, aliáue ratione multifariam obesse. Bonus enim cibus multa desiderat: quorum unum si desit, bonus esse non potest. Sed & libro quarto de uictu morborum acutorum, legumina uniuersa ceu suam singula malignitatem habẽtia, penitus à consortio bonorum ciborum eliminantur: cui sententiæ Celsus, alioqui Hippocratis æmulator, libro secundo suæ medicinæ apertissime subscribit. Notum quoq; & illud ex Epidemiarum libro, quàm male his successerit, qui in Aeno legumina esitàrunt: quod etiam Galenus repetit in Aphorismis. Quicquid igitur mes Arabum sit, & quicquid de eo scripserint Arabes, usum eius, præsertim recentis, in uulnere neruorum melioribus autoribus innitens non probauerim. Quónam uero nomine hæc res ab antiquis censeatur, quam eruiliam Plinij uoce nonnulli, uel parum ab ea (ut fieri assolet) deflectendo, rouiliam uocant, pisarelos Veneti, rodionos alij, hoc operosius est ualde iudicare. Si enim uix possunt illa agnosci, quæ ab antiquis summa arte effigiata, & ueluti sub oculos posita sunt, quanto laboriosius fuerit legumina agnoscere, quorum illi uel nomina tantum, uel naturam, non quali forma constarent, ostenderunt? præsertim nostro æuo, quo simul cum nominibus multarum rerum cognitio interiit. Adde quòd & Galenus ipse ambigere in his uidetur, anxiè & scrupulose nonnulla eorum peruestigans, & dubitanti demum quàm decernenti similior. Quod non alia ex causa puto accidisse, nisi quòd antiqui in eis describendis fuere negligentiores, quæ in propatulo & assiduo hominum usu esse cognoscebant. quod & Plinius quodam loco animaduertit. Sunt tamen duo triáue, quæ me mouent, ut credam eruiliam hanc nostram esse id, quod Theophrastus & Diocles dolichon uocauerunt, & Galeni tempore phaseolus, uel lobus dicebatur, & à Theodoro siliqua appellatur: quanquam (si à tanto uiro dissentire licet) siliqua existimanda est aliud legumen iuxta Latinos autores. Quod uero præter nomen ipsum, quod nulli alterius leguminis nomini magis quadrat, præcipue me mouet, est id quod de dolichis scripsit Theophrastus 8. de hist. plantarum libro: Quòd si iuxta longum lignum quis eos affigat, ascendunt & frugiferi fiunt: si non, mali & uermiculosi redduntur. His si addideris Galenum dicentem, dolichos in hortis conseri, excrementa alui excutere, & uix ob redundantem humiditatem conseruari posse: uidebis profectò huius dolichi proprietates adeò huic nostræ eruiliæ congruere, ut nulli alteri legumini magis. Adde quoque, si placet, & aliud dolichorum proprium ex eodem Theophrasto, & Galeno, secũdo lib. de alimentis sumptum, quod scilicet ipsorum solorum, dum recen*tes sunt, simul cum seminibus siliquæ quoque man*dentur: ratione cuius proprietatis appellari eos lobos scribit Theophrastus, & post eũ Aëtius. Eruiliæ autem *solius inter legumina edi ab hominibus siliquas simul* cum semine, nemo est qui nesciat: cũ & crudæ aliquando ab ociosis, & coctæ à nobilibus, confectò præser*tim ex eis delicato quodam pulmento, libentissime* mandantur, aliorum leguminum siliquis in cibum iumentorum proiectis. Nolim tamen quenquam mihi de uerbo *calumniam facere, quòd dolichon dixerim* Galeni temporibus fuisse nũcupatum phaseolum, qui sit aliud ab eruilia: dicimus enim, Galenũ sequuti, aliud *esse legumen quod phaselus, aliud quod phaseolus uel* phasiolus dicitur: & phaseolum esse idem dolicho, ut Paulus post Galenum confirmauit: phaselum esse, qui *nunc uulgò phaseolus, quem & Vergilius uilem nuncu*pauit. Quod si animaduertisset Serapio, sub lubię nomine, quod certe à lobo Græca uoce deflexum est, phase*los cum phaseolis, id est, eruilia, minime confudisset.* Quod & hi quoque peccarunt, qui nostro tempore Dioscoridem interpretati sunt. Ex quo uidere licet, *quantum ad res ipsas probè internoscendas cõducat* nominum intelligentia, quam tamen nõnulli hoc tempore penitus aspernantur. *Si* igitur (ut probauimus)

*Ponticitas qui sapor.*

*Victus ratio uulneratis cõueniens.*

*Phaselus, aliud à phaseolo.*

eruiliæ ſunt dolichi,quis ambigat malas eſſe? cum ſcribat Galenus, dolichos multum eſſe fabis deteriores, quæ dubio procul malis cibariis connumerantur. Hoc autem fuit id, cuius gratia uniuerſa hæc ſcripſimus: quod ſimul cum aliis ab initio propoſitis cum abſolue rimus,finem iam epiſtolæ faciamus. Vale,& ſi quid adhuc,uel in hac ipſa quæſtione,uel in alia quauis medica re ambigis,non te pigeat interrogare:nã me non pigebit(ut tibi morem geram)pro uiribus laborare.

## EPIST. IIII. *P.Crinito Florentino, de Manna.*

CVm heri ueſperi poſt ægrotorum uiſitationes ad ſeplaſiarium quendam de more diuertiſſem, accedit repẽte Florianus meus,& bonarum literarum & doctorũ hominum ſtudioſiſsimus,manu gerẽs forma enchiridii libellũ.Ego ſititor alioqui rerũ nouarum,percunctor quid rei,undéq; acceperit. Ait dialogum eſſe de ſculptura,& emiſſe à quodam bibliopola(tabernámq; indicat)qui illum ſimul cũ nonnullis libris Florentiæ formis excuſis uenales haberet, inter quos recenſet Criniti neſcio quid. Audito Criniti mei nomine ſtatim aduolo,magnáq; cũ uoluptate librum tuum de honeſta diſciplina reuoluo,capita percurro, uniuerſa deuoro potius quàm lego.Deus bone,quę copia,quæ uarietas,quàm multiplex lectio,quę obſeruationes,quàm pura caſtáq; narratio. Agnoſco in his Criniti uiuax illud ingenium,profundã memoriã,acre iudiciũ:in mẽtem ſubeunt noſtræ illæ propter Arni ripas deambulationes:creſcit ardor(quoniã aliter non licet) uel in ipſis tuis cõmentationibus te audiẽdi uidendiq;. Librum igitur domũ mecũ porto,occipio legere cũctatius,modo hoc,modo illud caput:tandem,neſcio quo modo,ſeptimũ caput libri ultimi offendo. Accenſus nouitate tituli,magna attentione legere incipio:uideo inſcios,improbos,ignaros uocari medicos,qui mãnam, cuius nũc cõmunis uſus,ante Galeni tẽpora ignotã Italiæ affirmant.Doleo hic ſimul & gaudeo.Doleo quidẽ, me in eorũ numero hactenus extitiſſe,quos uideo proteri à te,& flocci fieri. Gaudeo ignorantiæ nebulã per te mihi abſtergi.Non enim ex his ſum,qui ſibi placendo malunt errare,quàm alterius cedẽdo ingenio reſipiſcere. Pergo legere: audióq; , Tiberio imperante mannæ uſum à medicis probatũ,licet alio nomine eã appellarint.Probari hoc magna animi propẽſione expetẽs,uniuerſum caput perlego:eo tamẽ lecto,nõ minus ac antea probationes deſidero. Siquidẽ quæ abs te ad huius rei probationẽ afferũtur(amico uera loquẽti ignoſce) mihi haudquaquam ſatisfaciunt.Nã Celſus tuæ ſententiæ adſtipulari(ut dicis)minime uidetur. Lectionẽ ego in primis deprauatã,ut alibi plerunq;,ita eo loco puto:ſcribẽdúmq; rhos,uoce quidẽ Græca,ſed quę,ut inquit Plinius,Latinũ nomen nõ habet,ſignificátq; eũ fructum quẽ Arabes & uulgus nũc medicorum ſumac dicunt,olim obſoniis & pellibus,nũc medicinæ ſeruientẽ:de quo & Theophraſtus lib.3.de hiſtoriis plantarũ, & Dioſcorides libro primo,& Galenus octauo,& Plinius lib.24.abunde ſcripſerunt:aítq; Plinius quòd ulceribus medetur manãtibus cũ melle:quæ ferè ſunt uerba Celſi per te recitata. Galenus quoq; ἀντιβαλλόμενα ſcribens,Syriacum eũ nũcupat. Sed ſit uera & genuina illa lectio,certe nullus in diſſerẽdi arte uel mediocriter eruditus,ex ea id affirmabit ſequi, quod tu cõtendis,rorẽ ſcilicet Syriacum eo loco oportere intelligi,quem Hebræorum monumẽta,& recẽtiores medici,mannã uocant. Nihil enim uetat uel aliã quãuis rẽ,uel ipſum rhun intelligi,præſertim cũ in libris recentiorũ medicorum pro rho,legatur aliquando ros Syriacus,ſicut & apud Columellã & Palladium. Nec mãna intelligi apud Celſum poſsit,niſi inſcitia rei medicæ Celſus ipſe notetur. Quæ enim uis mannæ huic noſtræ,ut mala oris ulcera, de quibus inibi ſcribit,per eã ſaneſcãt? aut qđ cũ amaris nucibus conſortiũ? Quãto igitur melius,peccatum unius elemẽti in librariũ reiicere,rhúnq; ipſum , rem à Galeno & cæteris in ſtomaticis pharmacis ſumme collaudatã,uel legere uel intelligere,quàm Celſum ipſum facere,aliis autoribus,rationiq;,ac ſibimet,parũ cõſentanea affirmare? Dioſcorides quoq; in ſuo illo ad Ariũ περὶ ὕλης ἰατρικῆς libro,tam nominat eã qua de quęſtio eſt mannã,quàm meã hãc quam nũc ſcribo,epiſtolam:ſed eo ipſo quẽ tu affers loco,hoc eſt cap.84.de mãna thuris,nõ de manna hac recentiorũ ſcribit:quod profectò adeò eſt clarũ Dioſcoridẽ ipſum legenti , ut mirari ſatis non poſsim,te,quẽ oculatiſsimũ ſemper agnoui,in tanta luce caligaſſe. Scribit enim cap.82. περὶ λιβάνου, altero,id eſt 83. περὶ φλοιοῦ λιβάνου, deinceps uero 84. περὶ μάννης λιβάνου, in hũc modum: μάννα δὲ λιβάνου, δοκιμὸς ἐστὶν ἡ λευκὴ καὶ καθαρὰ, ἔγχονδρος. Et paucis interdictis , μίσγουσι δὲ ἔνιοι δολίζοντες, ῥητίνην πιτυΐνην σεσησμένην, καὶ γύρεως. Quæ ferè ſunt uerbũ ex uerbo quæ per te allata ſunt,ex eius ſententia. E quibus non aliã mãnam quàm thuris eũ intellexiſſe nullus dubitabit,qui ſciat idẽ eſſe apud Græcos λίβανον,ſeu λιβανωτὸν,quod apud nos thus. Videátq; poſt hoc cap.85.in quo de thuris fuligine tractatur,ita ut quatuor capitibus uniuerſa thuris materia abſoluatur. Sed & Galenus qui nullibi hanc uulgarẽ mannã ſub hac uoce nominauit,licet de ea in lib.de alimentis,cap.de melle,aliquid tetigerit,cum alibi pluries,tum decimotertio libro περὶ θεραπευτικῆς μεθόδου, mannæ libani mentionẽ habet , impleri ea docẽs ſuppuratos tumores poſt ſectionẽ,quã & definit ἀπόσεισμα λιβανωτοῦ. Demũ quam Orpheus inter thymiamata(ut ſcribis)refert,quis utrãq; internoſcẽs, non potius credat eſſe excribrationẽ & puluiſculum quendã thuris,ad ſuffimẽta idonei,& quẽ adoleri aris uetuſtiſsimum ſit,quàm hanc uulgarẽ quæ penitus inodora,ſuffiriq; contumax ac inepta,& quæ in uſus potius ægrotorũ quàm ſacrificia deorũ uenire conſueuerit? Neq; igitur Celſus,neque Dioſcorides,uerum neq; Orpheus,quorũ teſtimonio niteris,id probare mihi uidentur quod cõtendis,Tiberio ſcilicet Cæſare imperante,mannã hãc,quam nunc paſsim ad aluũ nobiliũ(precioſa enim res eſt)leniendã exhibemus,in agnitione & uſu fuiſſe medicorũ. Quare ſi quas habes huius rei euidentiores demõſtrationes,eas ſcribere ne pigeat,ſimul Manardo tuo rem gratiſsimã facturus,ſimúlq; ueritati patrocinaturus:niſi enim fortiores rationes uidero,nõ ſum ab Auerroẽ Cordubenſi receſſurus,qui mannã hãc inter ea repoſuit,quæ poſt Galenum in uſum uenerunt medicorum. Niſi fortè quiſpiam antiquitati fauẽs,mel ſylueſtre,ut Sudas,uel mel roris aut aëris, ut Galenus, uocatam ab antiquis cõtendat,cui nec nos magnopere(ut aliàs oſtendimus)repugnabimus. Vale.

## EPIST. V. *Pacto medico Mantuano, de temperatura Populi,& medicaminis ex ea parati.*

QVæris quid ſentiã de myracopi,quod populeũ unguẽtum uocãt,tẽperatura,cuius apud officinas communis eſt uſus,quoniã apud uos diſceptatio orta ſit,aliis calidum,aliis frigidũ affirmantibus. Scribã quid ſentio,iſtud in primis præfatus. Ambiguitatis cauſam me putare,quoniã de Populo ipſa, rationibus infrà dicendis,pariter ambigatur. Nã ſi fructus illi populei quos oculos uocãt,uel frigidi,uel modice calidi ſtatuantur,& pro papauere rubro , hoc eſt, ut multi putant,anemone,calida herba,ut corrupti habent codices,nigrum legatur,nõ erit ita frigidus medicus,qui frigidũ nõ affirmet. At ſi Galeni communẽ traductionem,Petriq; Aponẽſis in ſuo Cõciliatore autoritatem ſequuti,Populũ in tertio ordine calidorũ locauerimus,res profectò digna erit quæ in controuerſiã ueniat,utpote uel ſupputatione calidorũ,frigidorúmq;, & exacto utrorumq; examine,uel experimẽto rationi innixo,decidẽda. Sed miſſo in præſenti ſcrupuloſo hoc ſcrutinio,quod quiſq; Alchindũ,uel Auerroẽn,uel Gẽtilem,& Sauonarollã,uel Maiolũ tuum ſequutus,modo mediocri ſupputãdi peritia nõ careat,cũ ſtylo & abaco experiri poteſt:illud potius quod te deſiderare cognoſco,quæ ſcilicet ſit Populi temperatura,abſoluere enitar. Vulgata igitur Galeni interpretatio , calidum in tertio ordine ſtatuit:Gręca lectio,in primo:utra uerior, non facile eſt iudicare. Siquidẽ nõ uideo,dicit quiſpiã, cur in hac re nõ tam Græcus quàm Latinus uel Arabs librarius potuerit hallucinari(reiicienda enim culpa potius in ſcriptorẽ quàm in interpretẽ)cum nõ poſsit qui interpretãdi munere quomodocũq; fungitur,adeò expers eſſe literarũ,ut γ literã quæ tertiũ,ab α,quæ primũ denotat,non internoſcat:aut ſi nõ per notas,ſed per dictiones ſuas numeri exprimantur,quid πρῶτον, & quid τρίτον Latine ſignificent, non intelligat : alioqui neceſſe fuerat,eum ſimili errore aliis in locis ſemper lapſum eſſe. Augent ſuſpicionẽ erroris Græcorum exemplarium, Oribaſius Græcus & ipſe medicus , tum Serapion &

Celſi locus emendatur. Sumac, ros Syriacus.

& Auicenna, magni uterq; nominis inter Arabas, quorum ille in prima parte ſuæ aggregationis, medicinis in tertio ordine caleſacientibus Haurũ romi (ſic enim ipſe Populũ nigrã uocat) cõnumerauit. Capite quoq; 276. ſecundæ partis, idẽ uerbis Galeni confirmauit. Intelligere autem ipſum per Haurum romi Populum nigram, hoc eſt, eam quæ Græce ἄιγειρ@ dicitur, uerba Galeni & Dioſcoridis quæ recitat palàm oſtendunt. Sed Oribaſius in lib. 2. ad Eunapium, & lib. 15. ad Iulianum Cæſarem, inter calida tertij ordinis computauit. Auicenna autem cap. 344. ſecũdi libri, ſub nomine Hauri romani, & 510. ſub nomine Nucis romanæ, de eadẽ ſcribens, ait, quòd caleſacit uehementer in tertio. Quanquam neſcio ſi ulla in re tam uarius, tàmque parum ſibi conſtans fuit. Nam præter loca ſuperius allata, bis quoque de eiſdem rebus non eadem ſcripſit. Capite enim 311. ſub nomine Hauri, confundit ea quæ de alba & nigra Populo à Galeno & Dioſcoride diuerſis capitibus ſcribuntur, dicitque Haurum æquale, & ad paucam declinare ſiccitatem, nec eſſe uehementis caliditatis. Capite 374. dicit, Carabe (quod quidem ipſemet cap. 351. ſcripſerat eſſe gummi Hauri romani) eſſe calidum parumper: & in libello de Viribus cordis, quod eſt calidum in primo gradu, quod tamẽ gummi cap. 344. dixerat calidiſsimum. Verum diſſonantia hæc, tametſi ei deroget, ceu parum idoneo teſti, in ea tamen parte quæ Oribaſio, Serapioni, & Galeni uulgatæ traductioni conformis eſt, quoniam teſtes tres habet ſecum ſentientes, eius teſtimonium penitus reiiciendum non uidetur. Quid igitur iudicandum? An uni ſcripturæ magis credendum, quia Græca eſt, quàm duobus, & quidem celebratis medicis? Profectò uereor, ne ſi pro Græco in hac lite ſteterimus, ab amicis qui nos de Græcitate inſimulant, iure meritò derideamur. Sed age examinemus, an Græco idoneus aliquis teſtis ſubſcribat. Inuenio quidem multos Arabes à Serapione recitatos in cap. 176. quorum unus temperatæ caliditatis cum pauca frigiditate, alij frigidam, ſicut & Haliabas, affirmant. Verum cum de ſuccino loqui uideantur, quod ipſi crabe, uel carabe uocant, & quod falſo gummi Populi rentur, fabuloſo ſcilicet errore, à Plinio & à reipſa iamdiu exploſo, parum dignos ſe monſtrant quibus credatur. Conſulendus igitur naturæ codex, cui refragari nec poſſumus, nec debemus, hoc eſt, Populus ipſa, quam utique non neceſſe eſt nos, qui propter Eridani ripas degimus, à lõginquo petere. Sed certe naturæ hic liber, modo ſcias legere, oſtendet, ad tantũ caliditatis gradum hanc arborem nõ extolli, ut inter medicinas tertij ordinis debeat collocari. Nã quis rogo ſapor, quis odor, quæ demum qualitas, tam præcellentis eam monſtrat caloris? Neq; enim multũ odorata, neq; eximio aliquo ſapore prædita, ſed dum guſtatur, primo quidẽ modicè aſtringit, poſtea amaritudinem quãdam ſubobſcuram inuehit, olfacienti quid non inſuaue, uerũ exiguum id omnino repræſentat. Si quis uerò uia regia, quam Galenus monſtrauit, incedens, experiri eam in corporibus temperatis, diſtemperatis, ægriſque uoluerit, caleſacientem nõ ualde inueniet. Paulus præterea Aegineta Galeni ſimia, caleſacere eam ſcribit in primo ordine: cui Conſtãtinus quoque monachus conſentit. Volunt leges, eum qui ſemel malus fuerit, ſemper eodẽ in genere eſſe præſumendum malum: ſed Arabica illa Galeni editio, non ſemel tantum, ſed ferè ſingulo quoque capite multifariã labitur: unde fit, ut exigua illi fides ſit tribuenda. Numeraui ego eadẽ pagina, qua de Populo ſcribitur, errores pluſquam quinquaginta: inter quos capite de Lolio, quod Populum proxime præcedit, pro tertio ordine primus ſcribitur, ut minus mirandum ſit in Populo pro primo ſcribi tertiũ: quod certe uidere poterat is medicus, qui ea Galeni uolumina caſtigauit, quæ ſunt ſecundo loco formis excuſa, niſi omnino cæcus fuiſſet, cum Galenus ab initio capitis dicat lolium eſſe calidius iride, & proximum medicinis acutis in calore & ſiccitate. Mitto, quòd in calce libri ſexti deeſt pars capitis, ubi de gingibere agitur, & deinceps capita uigintitria. Vide igitur quàm temere, ne dicam impudenter, bonus ille corruptor potius quàm corrector, manes Galeni ſibi apparuiſſe cõfinxerit, & caſtigatum uolumẽ obtuliſſe. Et ne me etiam putes hæc fingere, ſubſcribam capita quæ deſunt. Ea ſunt huiuſmodi: De zytho, fermento, mentha, hedyſaro, hemerocalo, hemionitide, erigero, eryngio, thalietro, thapſia, lupino domeſtico & ſylueſtri, thlaſpe, lactuca, thymis, idæa radice, uiſco, uiola, cauda equina, equino fœniculo, iſatide, iſopyro, ſalice. Quis igitur Græcæ lectioni non magis accedat, nõ tot errandi diſcriminibus ſubiectæ, quot communis illa, quæ ex Græca ad Arabicam, ab Arabica ad noſtrã linguam peruenit? eóque ſeculo quo Latinæ & Græcæ literę peſſum ierant. Quę etiã Græca lectio Paulũ medicũ grauiſsimũ, & Conſtantinũ nõ uſquequaq; aſpernabilẽ, conſentientes habet. Adde, ſi placet, & Græcũ (quiſquis ille fuerit) qui multorũ capitũ libri de ſimplicibus medicinis Galeni, ſummas collegit. Et Auicennã quoq; ipſum cap. 351. ubi ſerioſius quã aliis locis de hac arbore ſcripſit. Quod uero alibi calidũ in tertio ordine dixerit, ex eadem puto radice natũ, ex qua & Serapionis, & cõmunis traductionis, & Oribaſij litera pullulauit, ex uitioſo uidelicet Græco exemplari. Nam ipſa rei experientia cæteris omnibus anteſtans, Gręcæ lectionis ueritatẽ confirmat. Si ergo populnei fructus primũ ordinẽ in calore nõ tranſcendunt, certe populeum myracopũ frigidum iudicandum eſt, in quo præter Populi fructus & adipẽ, modice calida, reliqua omnia ſint frigida, & bona eorũ pars ad ſupremos uſq; ordines attollitur. Neq; his in hac parte acceſſerim, qui nõ ægeri, hoc eſt, nigræ & cõmunis Populi fructus, recipi in hoc unguento iubẽt, quoniam ſit calida: ſed leuces, hoc eſt, albæ, quã uulgò apud nos uoce parum, ut fit, mutata, albarã uocant, ad frigidũ inclinantis. Ego enim leucẽ quoq; ipſam calidã potius quã frigidam puto, ſcribẽte de ea Galeno libro 6. de ſimplici medicina, quod mixtæ eſt aliquo modo temperaturæ, ex aquea tepida, & terreſtri tenuata ſubſtãtia, & quod abſterſiuæ uirtutis eſt particeps, quam ipſe quinto tractatu eiuſdem libri de ſimplicibus medicamentis, à calido fieri docuerat: & libr. de medicinis ſecundum loca patientia, ſecundo, ei uim diſcutiendi adſcribit. Inuenio etiam apud Galenum & Paulum acopon διαιγείρου, hoc eſt, per Populum, διαλεύκης legiſſe non memini. Hæc ſunt quæ de ueſtra controuerſia mihi alioqui (ut noſti) occupato in præſentia occurrêre, quæ ſi tibi ſatisfecerint, gratias age luci ueræ, quæ noctem meam radio ſuæ uirtutis illuſtrarit: ſi minus, imbecillitati meæ adſcribito, non uoluntati. Vale.

# IOAN. MANARDI

## EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER SECVNDVS.

### EPIST. I. *ad Martinum Melerſtadium, Illuſtriß. ducis Saxonum phyſicum, apologetica.*

POSTRIDIE quàm defenſio tua, Simoniſq; Piſtoris accuſatio ad nos peruenit, fortè contigit, ut cũ Principe meo in ſuburbanã uillã ſecederẽ. Tuli igitur utroſq; libellos mecũ, natura ipſa ſititor alioqui nouitatis, ne in ocio penitus eſſem ſine negotio: hóſq; curſim primo, atq; ferè ſine interſpiratione perlegi. Dehinc occepi legere accuratius, intérque legendũ (quoniã non erat tũc in quo me melius exercerem) notaui quæcunq; in Simonis libro occurrerent, in quibus aliter atq; ille ſentirem: nõ minori ſcilicet uenia reprehenſurus Simonẽ, quàm ille reprehenderit Leonicenũ. Has ego annotatiunculas ad te mitto, nõ quaſi rem egregiã, aut te dignã, ſed ueluti quoddam mei in te amoris monumentũ. Conciliauerant enim te mihi dudum cõmunia ſtudia, & tua in Ioannẽ Franciſcũ Picum Principẽ meũ, uirũ uel doctrina, uel moribus, uel utroque incõparabilem, explorata mihi iampridẽ obſeruãtia: nec aliud putabã deeſſe ad noſtrã amicitiã, niſi ut te amari à me cognoſceres: non enim uerebar ne eſſes me æque redamaturus. Quod ſi mihi præſens præſtiterit lucubratio, cum ex ſe nõ placeat, uel uno hoc officio erit gratiſsima. Vt igitur ab epiſtola ſumamus initiũ, Simõ Galeni, & Petri Aponenſis, uulgò Conciliatorem quem dicunt, autoritati innixus, eos medicos redarguit qui nominum curam habent: in qua certe reprehenſione, ipſe reprehenſione carere non uidetur: ſiquidẽ Ariſtotele teſte, qui nominũ uires ignorant, & ſeipſos ſæpenumero, & alios fallunt, & ut ſcripſit Auicẽna, ad uocum cõſiderationem duxit nos neceſsitas. Quot enim errata in medicina, in philoſophia, in ſacris literis, ob ſolam uocum ignorantiam uidemus accidere? Atque ut ex

multis & ferè innumerabilibus pauca afferantur, unde eſt quod recentiores medici ad diutinum puerperium & ciendos menſes, ſiliquæ Aegyptiæ corticē exhibent, nulla adaperiendi, ſeu prouocandi facultate preditum, niſi quòd cognominatione ipſa decepti, quòd ſcilicet ea ſiliqua uulgò Caſia fiſtula dicatur, aromaticæ uires, quæ ſola & fiſtulæ & caſiæ nomen habet, ſimul cum nomine in illam transfundunt? Quid Auicennæ ſecundum de medicina uolumen, Dioſcoridis antiquam interpretationem, Serapionis librum de ſimplici medicina, ferèqꝫ ad unum omnes & autores & libros, qui in uſu apud medicos uulgò habentur, tot errorum ambagibus inquinauit, niſi quòd autores ipſi, uel eorum interpretes, uocum ſignificātias parū habuerunt exploratas? Vnde errores circa cardamomum, apium maius, centaurium, rheon ponticum, innumeráſqꝫ penè herbas, in quibus nō modo plebeii & uiliores, ſed & qui ætate noſtra principes, atqꝫ ſemidei ſunt habiti, & peccant, & peccauerunt? profectò ex eadem radice pullularunt. Non igitur poſthabenda ſunt nomina, præſertim medico, cum humanæ uitæ præiudicio in his aberranti. Nam quomodo aut libros antiquorum, à quibus ferè accepimus quicquid in hac ſcientia habemus, aut magiſtros ipſos uiuētes, ſpreta ipſarum uocum ſignificatione, ualebimus intelligere? Si poteſt Simon, quicquid hactenus aut humana induſtria ueſtigatum, aut diuina indulgētia reuelatum eſt, proprii ingenii uiribus excogitare, ut nec antiquorum lectione, aut præceptoris adminiculo, ita nec uocum cognitione indigebit. Nos profectò qui ſumus rudiores, malumus de uocum ui eſſe ſoliciti, quàm in rebus ipſis craſsiſsime pererrare. At nónne in ſacris quoqꝫ literis, & in philoſophia multi errores ſunt, qui à ſolis linguarum peregrinarum notitiam habētibus, & cognoſci poſſunt, & caſtigari? Vidit hoc noſtro æuo Beſſarion inter Græcos, inter Latinos Picus, inter ueſtrates Ioannes Phorcenſis, eius libri autor qui De uerbo mirifico intitulatur. Quis enim ſciret legendum in Euangelio, Si eum uolo manere: in Pſalmo, fortem uiuum: in Euangelio rurſus, Thabiti kumi: non autem, ut Latina habent exemplaria, in primo loco, ſic eum uolo manere: in ſecundo, fontem uiuum: in tertio, Thabita cumi. Nemo profectò homo uocum neglector: nec communes hoſce errores caſtigare quiſpiam poterit, qui non ſit in perſcrutandis uerbis accuratus. Neqꝫ illos quiſpiam ut parui momenti contēnendos dicat: quanquam enim unico elemento peccatur, tamen præter id, quòd ne minimus quidem ſcripturæ ſacræ apex abſqꝫ ſpiritus ſancti lumine eſt cō ſcriptus, occaſio etiam data eſt uiris alioqui doctis, ut in diſtortas laberentur expoſitiones, quas non eſt precīū operæ hoc loco recitare. In philoſophia uero quot errores ex una hac radice exorti ſint, longum eſſet in præſentia recenſere, ſed uno tantum appoſito, alios ad librum noſtrum Ariſtotelicarū caſtigationum reſeruabo. Legebam proximis diebus apud Ariſtotelē, quarto Moralium ad Nicomachum libro, ea parte qua de prodigalitate agitur, in antiqua traductione hæc uerba: Velociter relinquit ſubſtantia dantes idiotas (quanquam & idiotis pro idiotas corrupte legebatur) quod cū legerem, ſtatim uenit in mentē, debere eius loci enarratores in ea dictione, idiotas, impingere: ſtatímque cuiuſdam expoſitoris (nomen ob reuerentiā taceo) ſumpto in manus codice, offendi quod præſagiueram, inconcinnam ſcilicet expoſitionē, & ab Ariſtotelis mente penitus alienam: ea eſt huiuſmodi: Prodigos appellare eo loco Ariſtotelem idiotas, quaſi irrationabiles, quoniam ſcilicet indiſcrete ſubſtantiā dilapidēt. Quod ſi aut qui librum conuerterat, aut ipſe expoſitor, per idiotam non aliud eo loco Græce, quàm Latine priuatum hominē ſignificari, & ad aliquid aliud ſemper uocem illam dici, ut nō uno loco docet Galenus, intellexiſſet, ille planiorem feciſſet interpretationem, & hic (qua erat mentis ſublimitate) philoſophi ſententiā plenè percepiſſet. Deſinat igitur tuus Simon, nominū inquiſitionem, quaſi fruſtratoriā, & parum philoſopho dignam, calumniari, è quorū ignoratione, tot in omnibus diſciplinis ſequi uidemus incommoda. Neqꝫ nobis obiiciat Galenum: quāuis enim multis in locis, ſuperfluum circa nomina ſtudium redarguerit, atqꝫ eos medicos qui ocioſam operam in non neceſſariis uerbis conſumunt, ipſe tamen & multos libros de medicinalibus nominibus conſcripſit, & prognoſtica Hippocratis enarrans, atqꝫ aliis in locis plurimis, nō aſpernandum hunc laborē docet. Sed quęrenda eatenus nomina, quatenus in rerum nos perducunt agnitionem. Libróqꝫ primo de differentiis pulſuum ait, Occupatio circa nomina, eſt inuitis nobis neceſſaria. Tāto autem eſt nobis quàm Galeno hoc ſtudium magis neceſſariū, quāto medicinam, quam ipſe partim ſibi peperit, partim à propriæ linguæ autoribus didicit, nos à Græcis barbaríſqꝫ nationibus mutuauimus. Et utinam ſatis fidi fuiſſent internuncii, qui eam ad nos uexere, & uerſores tantum, nō etiam peruerſores extitiſſent. Vtinam non utriuſqꝫ linguæ ignari, eius ſcilicet ex qua accipiebant, & in quam conuertebant: non enim præſtitiſſent nobis medicinam non modo fœdam, incultam, punicámqꝫ potius ac barbaram quàm Latinam, ſed & mancam, in pleriſqꝫ mutilam, & interpollatam. Qui tamen, ut ob pium propoſitum, & temporis uitium excuſandi, (præſtiterunt enim quod potuerunt) ita ſunt ſine omni indulgentia illi accuſandi, qui ſcaturientem iam undiqꝫ ex ipſis fontibus, & per puros canaliculos trāſfluentem medicinā, turbare potius maledictis uolunt, quàm ebibere. Sed dimittendi ſunt hi, non monendi. Idem quippe in literis quod & in moribus accidit. Vt enim qui ſe bonos putāt, cū mali ſint, nunquam ad meliorem frugē cōuertuntur: ita qui ſe putāt doctos, nunquam ab ignorātiæ morbo liberantur. Cōciliatoris uero hac in re autoritatē tam parui facimus, quàm quod nihili: quandoquidē ſi dictionum ipſe uim probè calluiſſet, non tot errorū ambagibus libros ſuos cōpleſſet. Atqꝫ ut ex innumeris unum aut alterū attingam, ſi uocis, σφακελισμὸς, qua Ariſtoteles decimo primæ ſectionis problemate utitur, multiplicē à Galeno ſecundo libro de locis affectis, & ſeptimo Aphoriſmorū, expreſſam uim didiciſſet, non putaſſet dolorem capitis uehementem, & cū pulſu, de pituitæ redundātia fieri, & eo loci ab Ariſtotele intelligi, rē quidē ab Ariſtotelis mēte, & fortaſſe ab ipſa ueritate non parum alienam. Melius quoqꝫ intellexiſſet nonum, trigeſimum, trigeſimúmqꝫ primum eiuſdem partis problemata, aliáqꝫ permulta, quæ non eſt neceſſe hoc loco recitare. Satis enim monſtrauimus, multum in omni ſcientia conducere, rerum uocabula recte intellexiſſe, præſertim in medicina, ubi tanto cum diſcrimine in nominibus erratur, quanto cum diſcrimine & aliud pro alio medicamentum, & inexpertū pro experto, & nocuum pro innocuo propinatur: quanto etiā cum periculo unus pro alio morbus intercuratur. Sed iam reliqua examinemus. In prima concluſione, morbum gallicum, ſub puſtularum, anthematum, aut (ut ipſe dicit) alhumere capite ab antiquis collocatum affirmat. In qua re id mihi in primis peccaſſe uidetur, quòd neglectis his quę in eo ſunt pręcipua, id eſt, articulorum doloribus, duris tumoribus, ulceribúſqꝫ peſsimis, cutis defœdationem tantummodo conſiderauit. Verum hic error illi communis cum multis, quorum opiniones peculiari tractatu late confutauimus. Ille uero Simonis proprius, quòd aut propoſitum non manifeſtat, aut à ueritate ipſa diſcordat. Si enim idem penitus per anthemata & puſtulas intelligit, quod & Conſtantinus, & alius Hippocratis interpres ſenſiſſe uidentur, dum aphoriſmum illum ſextæ particulæ uertentes, τὰ πλατέα ἐξανθήματα οὐ πάνυ τι κνησμώδεα, pro anthematis puſtulas reddidere, non ſatis explicat quod intendit. Non enim ad certā ſpeciem, præfinitúmqꝫ caput (quod propoſitio eius uidetur profiteri) morbum hunc redigit, cum nomen puſtularum late pateat, & uarias ſub ſe ſpecies comprehēdat. Sin autem Celſum ſequutus, peculiarem quandam puſtularum ſpeciem intellexit, à uero longe ſeiungitur: ſiquidem nihil ſimile in hoc morbo his puſtulis uiſitur, quæ ex urtica, uel ſudore naſcuntur, qualia eſſe anthemata quæ dicuntur, Celſus definiuit. Si Paulum Aeginetam, non minus errat: definiuit enim exanthemata ulcerationes ſuperficiales, ſubrubras & aſperas, quales in hoc morbo nō ſemper reperiri, quiuis poteſt agnoſcere. Nec illum à primo errore releuat, quòd non ſimpliciter anthemata, ſed cum adiectione epidemialis dixerit: quandoquidem ipſe ſibi hanc excuſationem ademit, dum multos morbos fieri poſſe epidemiales affirmauit. Non maior fit igitur ad certam ſpeciem limitatio, quando anthemata dicimus epidemialia, quàm ſi animal album diceremus. Taceat igitur Simō, nec pergat Leonicenum accuſare, tanquam non defi-

nien

*Siliqua Aegyptia falſo Caſia fiſtula dicta.*

*Nominū inquiſitio medico neceſſaria.*

*Cōciliatoris errores.*

nientem quid ſit morbus iſte, quem nec ipſe multo plus declarauit, quàm ſi epidemialem ſimplici & abſoluta ratione dixiſſet. Hactenus de concluſione. Ad corollaria accedamns, in quorum primo iniuria te accuſat Simon, quaſi improprie loquutum, quando peſtem hanc κακοήθη nominabas. Ea enim uox, tametſi ſæpe mala quædam ulcera Græcis medicis ſignificare uideatur, ſi tamen ad Latinum transferatur ſermonem, malignum, uel mali moris ſignificat. Qua quidem nomenclatura, nullam huic morbo dari poſſe decentiorem, quotquot illum patiuntur, malo ſuo (plus etiam puto quàm uellent) quotidie experiuntur. Sæpe etiam fit, ut peſsima & maligna, uel male morigera appellata ulcera, illi morbo coniuncta ſint. Sed hæc leuicula ſunt, & in quibus qui uerſatur, ſuſpicione curioſioris nominum indagatoris carere non poſsit. Illud uero inquiſitione dignius, an recte in ſecundo corollario illi redarguantur, qui hunc morbum nominantes epidemialis adiectionem tacuerunt. In qua re, quanquam eos longe puto aberrare, qui elephantiaſim, uel ſaphatum dixere, non uideo tamen cur meritò de taciturnitate epidemialis reprehendi debeant. Alioqui iuſte taxauerit quiſpiam antiquos, qui de multis morbis ſcribentes, qui ſæpenumero uagantes epidemici uerè fiũt, proprio tantum nomine expreſſo, adiicere epidemialis uocem ſuperſederunt. Quanquam ſi epidemiali uoce proprie utamur, non erit epidemialis uocandus, ut alibi demonſtrauimus. Optarem autem definiſſet Simon, recte an perperàm illi ſentirent, qui hunc morbum uel ſaphatum (ſic enim ipſe loquitur, Græci ferè achoras uocant) dixere, uel elephantum: probaſſem enim apertis (ut puto) rationibus, eum tota aberrare uia, ſi eos putaret non errare. Sed obfuſcauit ſeſe, ut arbitror, ex induſtria, more ſepiarum. In eo enim quòd ſe illis connumerat, eandem hæreſim profiteri uidetur: in eo uero, quòd ſimilem illis morbum hunc facit, uidetur facere diuerſum. Siquidem (ut Ariſtoteli placet) ſimilitudo relatio eſt inter diuerſa. Sed ſcio quid ipſum tenuit, quo minus propriã aperte propalaret opinionem. Leoniceni rationes ſuper ea re ſenſit, nec earum eſt auſus aggredi ſolutionem. At ſi hoc in cauſa fuit, utique ſuam debuit deſerere poſitionem, malléq; rationibus cedere, quàm proprium errorem pertinaciter defendere. Non eſt quoque reticendum, errorem multorum ſequutum Simonem, ubi affirmauit, elephantiaſin eſſe lepræ ſpeciem, cum ſunt ægritudines longe diſsimiles: eſt ſiquidem Elephas morbus triſtis quoque nomine dirus: Lepra inter faciles morbos computatur. Imò ſi autori libri de affectionibus credimus, qui Galeno teſte, uel fuit Hippocrates, uel Polybus eius diſcipulus, inter eos affectus numerãda eſt, qui dedecus potius ſunt, quàm morbi: quem autorem, quiſquis tandem ille fuerit, puto ſequutus eſt Auicenna, cum primo canone dixit eſſe affectiones, quæ cum morbi non ſint (ſed ſupple dedecora potius) morbis tamen connumerantur. Neque eſt illius libri de paſsionibus inſcripti, uel affectionibus autoritas, quaſi parum idonei, reſpuẽda: utpote ex quo Galenus tantus in medicina autor, integras ſentẽtias, uerbum è uerbo interim uſurpat. Quod ſi quis dixerit, lepræ nomen in ſacris literis pro graui morbo accipi, obiiciam ei Auguſtinum, coloris uitium, non ualetudinis, aut integritatis ſenſuum atque membrorum, lepram eſſe dicentem. Sed & Galenus uiceſimum tertii libri aphoriſmum enarrans, adeò leuem & abſque periculo morbum putauit, ut licet uerni temporis proprius exiſtat, non tamen tollit quin uer ſaluberrimum dici poſsit. Verum hæc ſuo loco exactius penſabuntur, nunc ſecundam concluſionem aggrediamur. Si uidiſſet Simon, nonnullos hunc morbum patientes, quales nos ſumus intuiti, non puto tam aſſeuerãter negaſſet, poſſe illum à pituita interdum generari. Vidimus ſiquidem hac peſte fœdatos, quibus puſtulæ apparuerunt craſſæ, latæ, ſubalbidæ, quæ quoties uel ſuapte ſpõte, uel medicaminum auxilio areſcebãt, in cruſtas quaſdam ſeu ſquamulas albicantes reſoluebantur, exibátq; interdum ueluti aqua craſsior, manifeſtiſsimum pituitæ indicium. At ſi mihi fortè, tanquam parum idoneo teſti, fidem abrogat, credat quæſo rationibus, ac maiorum autoritatibus, quæ fateri cogunt, non ſolum poſſe hanc peſtem ab pituita fieri, ſed etiam ab ea non infrequentius, quàm à ſucco nigrę bilis contingere. Quãdoquidem eius non contemnenda portio, id eſt, artuum dolores, Raze medico teſte, ab ipſo nigro humore proueniunt quàm rariſsime, ut propterea exiſtiment nonnulli non infimi nominis in medicina uiri, Galenũ in libro de medicamẽtis ſecundũ loca patiẽtia, in catalogo humorũ articularem morbũ facientiũ, atrã bilẽ nõ adſcripſiſſe, utpote à qua dolores articulorũ, nõ niſi inſolẽter & raro fieri poſſe intelligeret: uetante ſcilicet eius craſsitie, & terrea ſubſtãtia, ne intime, ac in penitas oſſium, mẽbranarũ, & cõpaginũ partes adigatur: qui etſi interdũ ab eo fieri poſsint, cõſtat tamẽ hos qui in morbo Gallico accidũt, tales non eſſe, ut inde ſemper credi debeãt prouenire: quoniã Auicenna teſte debiles & occulti ſunt, ſi qui à tali materia fiũt: hos autẽ manifeſtos & uehemẽtes eſſe, quotidiana mõſtrant experimenta. Dicere autẽ aliam eſſe materiã quæ dolorẽ, aliã quæ reliqua mala facit, hominis eſt dogma potius quomodolibet tuẽtis, quàm ueritatẽ & rationẽ ſectantis. Si enim ita eſſet, mala illa, dolor ſcilicet, ulcera, puſtulę, merè ex accidẽti, atq; ut ſequens eſt, rarenter & paucies in hoc morbo iungerẽtur. Contrà autẽ euenit, ut nunquã, uel certe raro, in toto morbo ſeparẽtur, ſed ferè ubi puſtulę deliteſcunt, dolores inſurgũt, quod certe ſignificat materiã illam, uel certe aliã ei ſimilem, quę in cute puſtulas faciebat, ad intima accedentẽ, dolores excitaſſe. Incredibilẽ uero mihi admirationẽ parit hic uir, qui paulò ante epidemiã hanc ſaphato (ſic enim ipſe loquitur) fecit quàm ſimilimã, & eiſdẽ differentiis utrũq; morbũ interſtingui definiuit: nunc illos in tantũ ſeparat, ut impoſsibile iudicet hunc fieri ab humiditate, à qua primã ſaphati (ut uerbo eius utar) ſpeciẽ ſuprà dixerat dependere. Sed iam reliqua examinemus. Ad commune deinde medicorũ confugiũ ſeſe recipit, quaſi ad portum, uel tutelarẽ deum, cũ morbũ hũc occulta fieri aſſerit proprietate, de cœleſtibus corporibus emanãte. At ſi Auicẽnæ ſentẽtiam ſequamur, in eo qui de uiribus cordis inſcribitur commẽtario, quam etiã primo attigit canone, dicere poterimus, haſce uires occultas, quas uocãt proprietates, nõ differre à natura, niſi ſicut minus commune, à magis cõmuni, aut figmẽto eſſe perſimiles, cõmẽtúmq; hominũ ab innumeris quæſtionibus ſeſe illarũ præſidio releuantiũ. Sed ſint aliud à natura (nõ enim id magnopere pernegabo) non certe à cœlo præterquàm ſicut ab uniuerſali cauſa, proueniũt: quẽadmodum Ioãnes Picus æui noſtri ſplẽdor & gloria, in ſuperhumano illo contra aſtrologos libro, quẽ à tenebris ad lucẽ magnis laboribus reuocauimus, multis rationibus comprobauit. Quòd ſi etiam gratis demus huic uiro, & eſſe illas aliquid, & fieri à cœlo, nihil tamẽ comparet in hoc morbo, quod in manifeſtas cauſas referri non poſſit, uel quod ad occultiores illas proprietates, quaſi ad aſylum fugere nos compellat. Videmus enim in eo puſtulas, artuum dolores, oris & pudendorũ, & aliarum quoq; interdũ partiũ ulcerationes, ac præduros quãdoq; tumores: quæ omnia accidere ab humorũ uel copia, uel feruore, uel putredine, nullus puto medicus dubitabit. Sed pręter ea quæ diximus, notaui ego aliàs ſex in hoc morbo mirabilia: uidelicet, quòd longus ſimul ac uehemens: quòd noctu magis quàm interdiu affligens: quòd ferè à pudendis incipit, & non niſi raro, & per longam ualde conſuetudinẽ, per alia membra in alterum trãsfunditur: quòd in puſtulas oris deſinit, quæ etiam applicitis potentioribus remediis concitantur. Hæc autem omnia non eſt difficile mediocriter in medicorũ libris exercitato, ad manifeſtas cauſas reducere. Nihil ergo in hoc morbo eſt, quod nos cogat relictis manifeſtis, ad occultiora illa confugere. In ſecũdo uero corollario, præter id quòd epidemiale genus peſtilentialis tandẽ agnoſcit, quod ſecũ reciprocare ſuprà ſtatuerat, Gallicum quoq; morbum ueneno ait & peſtilẽtia participare. quod dictum (pace ~~ſua~~ dixerim) hominis eſſe uidetur parum in medicina exercitati. Nam unde peſtilentiam, aut uenenum eius deprehendimus? Peſtilentes morbi magna ex parte febrem, & quidem nota dignam ſibi aſſociant, cor lædunt, difficultatem ſpirandi faciunt, & ad ſalutem raro, ad mortem ſæpe, exiguo ſemper temporis ſpatio perueniunt, faciléque & abſque ullo contactu per ſolam communis aëris inſpirationem ab uno in alium euagantur. In hoc uero morbo, cerebri potius uel iecinoris, quàm cordis oblęſiones uiſuntur, difficultas incedendi magis quàm ſpirandi apparet, raro interficit: longus eſt, nec ferè pręterquam diuturna conſuetudine, aut per naturalia inficit.

*Verſus Sereni Sammonici.*

*Lepra dedecus potius, quàm morbus cẽſenda.*

Cauſam igitur cur peſtilentialis dici mereatur, ego non uideo, uideant qui acutius cernunt. Parũ Simoni uidebatur in te ac Leonicenũ iactaſſe conuitia, niſi etiã Picũ laceſſeret: quem tamen puto non alia cauſa damnauit, quàm quòd eius ſcripta nõ intellexit: malo enim illum inſcitiæ, quàm maligni animi arceſſere. Neq; utiq; arbitror fore quenquã (modo diuinũ illud contra mathematicos opus munda aure perlegerit) qui tam puerili ſuperſtitioni poſsit poſthac fidem mancipare. Sed uide quàm ſit ſolers & catus Simon noſter, quũ aſtrologicæ uanitati (ut eius ſcripta præ ſe ferũt) ſit ſupra modũ addictus, intelligerétq; in eã Ioannẽ Picũ duodecim libris quaſi duodecim ueteranorũ legionibus acerrime dimicaſſe, non auſus ſecũ de aſtrologica re contendere, ſatis putauit & ſe, & facultatẽ tutaturũ, ſi illum de medicinę inſcitia inſimularet. Sed unde in Pico hãc ignorãtiã deprehendiſti? Dedebas ſaltẽ locũ monſtraſſe, ne ex temeritate potius, quàm cum ratione iudicaſſe uidereris. An quòd princeps uir fuit, & medicinam nõ eſt profeſſus, ignoraſſe eam illum uis coniicere? Sed nónne ſimili argumento Auicennam (cui fortaſsis plus quàm par eſſet in hac arte attribuimus) quem regem aiunt fuiſſe, & curandis infirmis operam nõ dediſſe, eadem inſcitia damnare oportebit? Fuit Picus, ut omnium bonarũ artiũ, ita & medicinæ ſtudioſus, in eáque arte (quod pace Simonis dixerim) multa & didicit & cognouit, quæ Simoni ipſi unà cũ medicorũ uulgo adhuc ſunt inexplorata. Sed dimiſſo Pico, ad concluſionem reuertamur. Putat Simon ex hoc Auicennã aſtrologiæ fauiſſe, quòd peſtilentiam cauſam dixit habere uniuerſalem. Si quis tamen diligenter examinet, quæcunq; ab eo uariis in locis ſuper aſtronomica re cõſcripta ſunt, cognoſcet utique tantũ abfuiſſe illum à fide aſtrologiæ, quantũ abeſt aſtrologia à ueritate. Libro enim quarto, ſi quis nucleũ, non tantũ uerborũ corticem ſpectet, ſub nomine eorũ qui dixerunt, in peſtilentia aliquid cauſæ eius non proportionatũ (ſic enim ipſe loquitur) aſtrologos taxauit,

*Aſtrologiæ nulla fides.*

peculiarem aliquã uim peſtilẽtiæ effectricem cœlo adſcribentes, cũ ſint cœleſtia cauſæ tantũmodo primæ & longinquæ, hoc eſt, uniuerſales, nõ propinquæ & particulares horũ inferiorũ. Qualis uero eſſet uis iſta, meritò cuius cœlum uniuerſalis cauſa dici mereatur, libro primo monſtrauerat, ubi influxus declarãs qui ex multarum ſtellarũ coitu in nos proueniunt, nõ alterius influentię cõmeminit, quàm caloris, quem uertici noſtro propinquantes, & frigoris, quod ab eodẽ diſcedentes, ex accidenti, atq; non agendo (ut ita dixerim) in noſtra hac agunt regione. Neutróq; loco uides eum, aut multi ponderis planetarũ, aut magnarũ, quas uocãt, coniunctionum, aut maligni aſtri feciſſe mentionem, uenenũ è cœlo in terras iaculantiũ, ut Genethliaci putãt. Sed & quo capite de temperaturis agitur, cum in regionis ſub æquinoctiali circulo ſitæ mentionem incidiſſet, homines, ait, inibi habitantes erunt certæ æqualitati ualde propinqui, niſi aliqua de rebus terrenis obuiando impedierit. Quo loco, ſi quid aſtrologiæ tribuebat, non erat cœleſtis cauſa reticenda, utpote à qua præter communem caloris influxũ (ſi uera ſit hæc ſuperſtitio) multipliciter poſsit tẽperaturæ æqualitas, imò qualiſcunq; habitatio, ſubmoueri. Ex eo igitur, quòd terreſtrem tãtum cauſam commemorat, flocci facere ſe cœleſtẽ demonſtrauit. Deſinat igitur Simon Auicennæ patrocinio aſtrologiam tutari, quam conſtet ab eo ubiq; uel diſsimulatam, uel neglectam. Addit præterea alia quædam circa eandem concluſionem, mihi parum credita. ſed cum uideam lucubrationem hanc iam longius quàm præſtitueram creuiſſe, ea nunc ſilentio præteribo, præſertim cum de his quæ ad aſtrologiam ſpectant, infrà quoque loquendi præſtetur occaſio. Pari quoque ratione quæ in primo corollario dicuntur, conniuentibus oculis pertranſibo, firmatis aliquantiſper ueſtigiis in ſecundo, ubi in occultas rurſus proprietates (propter neſcio quæ Auicẽnę uerba) referre hũc morbũ ſatagit. In qua re illud in primis peccat, quia quæ ab Auicenna de putredine aëris dicuntur, diſsimili nimis ſimilitudine in hunc morbum transfert. Nam ubi, rogo, ſedet iſthæc argumentatio? Corruptionis aërę interdum cauſa eſt res cœleſtis, hominibus incognita: ergo morbus Gallicus ex occulta aduenit cœleſtium proprietate. Sed & non parum nutat aliud quod innuitur, à corruptione ſcilicet aëris pendere hunc morbum. Quanquam enim non eſt prorſus à ratione alienum, potuiſſe illum in ſui exortu ex aëris putredine uel coaleſcere, uel foueri, poſſe & nunc ſi cui abſque contagione innaſcatur: ſuperat tamen omnem dementiam, ut putetur quocunque per contagionem transferatur, eandem aëris putredinem ſecum ducere: cum & ſub quolibet cœlo, & quacunque anni uel aëris conſtitutione, uideamus hanc luem debacchari. Nolim tamen quenquam exiſtimare, ea quæ ex Auicenna hoc loco afferuntur, ad aſtrologiæ iudiciariæ adſtructionem pertinere. Siquidem per rem cœleſtem; ignotam hominibus, nõ aliud intelligere putandus eſt Auicenna, quàm quod aliis eiuſdem libri locis explicauit: hoc eſt, certam & præfinitam qualitatum primarum menſuram, ex cœleſtium acceſſu, uel receſſu in aërem progenitam, animantibus interdum noxiam: quam quidem nominauit occultã: quoniam ſicuti certam, ac (ut ita dixerim) punctualem elementorum in ueris mixtis quantitatem ſcire (quod Auerrois optat) exacte non poſſumus, ita in imperfecta hac mixtione, quam aërem uocamus, exactã qualitatum primarum menſuram, certa & proba ratione metiri non ualemus. Neque enim nouum, aut inuſitatum eſt, pro cœlo, aërem intelligi. Notum enim eſt illud Vergilii in 5.

Hoc ſperem Italiam contingere cœlo.

Atque illud Celſi, peſsimum cœlum quod ægrum facit. Sed & Galenus quædam Hippocratis uerba primo libro Epidemiarum exponẽs, in quibus cœli mentio habetur, aërem intellexit. Ait enim: Cœlũ dixit, iuxta uulgarem conſuetudinem, aërem, ſupra nos ad nubium uſque regionem exiſtentem. Poſſem equidem pariter impertinentem concluſionem in præſentia præterire, tum propter ea quæ ſuperius notata ſunt, tum relegãs Simonem (ut Auguſtinum, Gregorium, Baſiliũ, & alios præteream, religione ſimul & doctrina celeberrimos) ad ea quæ noſtris temporibus Ioannes Picus ex Mirandulæ principibus, & Hieronymus Sauonarola Ferrarienſis, ex Prædicatorum ordine, contra huiuſcemodi deliramenta nuper conſcripſere, quorum uterq; doctrina, autoritate, ſcriptis, totam Italiam, ne dicam orbem uniuerſum illuſtrauit:

*Laus Hieronymi Sauonarolæ.*

& hic præterea concionandi ui, fidei ac ueritatis intrepida ad mortem uſq; defenſione, paupertatis dilectione, ardẽtiſsimo in Chriſtum & eius religionem affectu, animi fortitudine & imperturbatione, primitiis illis Chriſtianorum, & naſcentis eccleſiæ inconcuſsis columnis meritò poteſt comparari: prophetico uero ſpiritu ideo illuminatus creditur, quia quæ nunc nos infeſtant bellorũ turbulentiæ, plures ante annos tota in pace triumphante Italia, prout euenere, eueniúntq; quotidie, ab eo ad unguẽ fuerint prænunciatæ. Poteram igitur (ut dixi) ad utriuſq; præclara uolumina Simonem non iniuria relegare, niſi ueritatis amor, & Chriſtianæ religionis zelus, cui ſcio peſtem hanc aſtrologicam uirus eſſe nocentiſsimum, me impellerent, ut quæ in eius aſſertionẽ adducuntur, hoc loco refellerem. Faſcem igitur illũ in primis mathematicæ, diuinatriciſq; aſtrologiæ, utpote male compactum, & ex rebus tantum inter ſe diſsidentibus, quantum ueritas mendacio, & tenebris meridianum lumẽ aduerſatur, ea facilitate diſſoluimus, qua à Simone extitit coagmentatus: Mathematicam in cõſortium recipientes uerarum diſciplinarum, diuinatoriam cum reliquis ſuperſtitionibus è philoſophia & Chriſtiana republica in totum relegantes. Ptolemæi teſtimonium ceu in hac parte de ueritate ſuſpecti, penitus reſpuimus. Quæ autem ex libro quodam Hippocratis afferuntur, ſuſpicionem nõ paruam mihi faciunt, nõ emanaſſe eum librum ex Hippocratis Coi officina, ſicut nec quicquid aliud ſub eius titulo efferatur, in quo aſtrologiæ iudiciariæ ſit mentio: quandoquidem (ſi Galeno credimus) Hippocrates nuſpiã librorum ſuorũ aërem contẽplando tranſgreſſus eſt.

*Locus mendoſus in Prognoſtico Hippocratis caſtigatur.*

Quòd adeò credidit ipſe Galenus, ut ſi quando diuini, pro quo tamen corrupte in uulgata Prognoſtici editione cœleſte ſcribitur, apud Hippocratẽ, uel etiã cœli (ut ſuprà diximus) nomẽ inuenit, maluerit expoſitione parum coacta, aëris conſtitutionem intelligere, quàm illũ de re non bene explorata facere loquentẽ. Vt uero librũ illum quaſi Hippocraticum admiſerimus, quid prohibebit eo loco, nõ cœleſtem aſtrologiã intelligi, ſed aëream illam tantummodo, de qua late libro tertio Aphoriſmorum, & in Epidemiis diſſeruerat? Multa enim in tribus hiſce libris legũtur ſimilia. Quòd ſi de cœleſti loquutũ Simon omnino

con

contendat,nõ magnopere resistemus,dum & hoc nobis redonet,motricem,ut diximus, nõ diuinatoriã ab eo intelligi. Quemadmodum enim suprà monui, non paruã mihi fidem facit expositio illa Galeni, ut ne uerbum quidem Astrologiæ iudicatoriç apud Hippoc.legi putem. Quod tãto magis credimus,quãto cõstat Galenum ipsum professioni fuisse nõ inimicum,utpote cuius interdum in suis scriptis meminerit,& in quam crisimorũ dierũ rationẽ referre studuerit.In qua tamen re, si nõ parum medicus,uel philosophus,certe parũ astrologus,testimonio etiã Aponẽsis maximi astrologiæ patroni,iudicatus est.Afferrẽ quæ in ea re peccasset,nisi scirẽ à Pico in lib.cõtra astrologos,& inter medicos etiã à Petro Aponensi,aliisq; nonnullis esse abunde demõstrata.Alioqui si uera sint quæ in libro de crisimis diebus scripsit,derogãt potius fidem hodiernç astrologię, quam corrogãt:siquidem alium lunç motum credidit, quàm qui hodie supputatur.Quare si uerum ille motũ agnouit,falsa est quæ nunc in usu astrologia, quæ aliũ sequitur:si minus,corruere suam dierum crisimorũ machinam necesse est,tanquam nulli fundo basiq; innitẽtem.Quæ rursus ex Haliabate,Auicẽna libro primo,& ipsomet etiam Galeno in arte curatiua,ad probandum astrologiæ necessitatem afferuntur,nihil prorsus de iudiciali concludunt,sed de alia duntaxat,cui paulò antè locum inter liberales artes concessimus.Nolim tamen quenquam existimare,hanc ipsam quę motus metitur astrorum medico simpliciter necessariam:cum sit longe aliud artem quampiam esse absolute necessariã medicinæ,& necessariam ad hoc,ut autores medicinę,qui nunc celebres habentur,plenè possint intelligi.In horũ quippe libris multa leguntur,quæ nõ sunt medico,quà medicus est,simpliciter necessaria. Si quis enim recto examine libret,is arbitror iudicabit,præter Dialecticã, & naturalis Philosophiæ quandam partem, ac Arithmeticæ exiguam portionem,quę sunt medico necessaria,prætérq; Grammaticam, quæ ea solum ratione est necessaria,quòd eam ignorantes antiquorum monumenta nequeũt intelligere:omnes alias disciplinas, decori esse potius medico, quàm necessitati. Nec Galeni uerba primo Therapeutices scripta,si bene & legantur & intelligantur,contrarium ostendunt. Sed de hac re in nostro medicinali Isagogico,Deo concedente, ampliter disputabimus. Tecum autẽ sentio mi Martine(quod & superius dixi)nihil esse in toto Auicennæ uolumine, per quod credidisse illum iudiciariæ Astrologiæ,aut putasse medico necessariam, possit deprehendi: esse potius,quibus coniiciatur neglexisse,& inutilem penitus existimasse. Quod uel hoc constet argumento, quòd nusquam nouilunium,uel interlunium obseruari in uẽtris,aut uenarũ solutionibus,aliisue medici operibus, docuit:rem tamen,si quid aliud astronomicum medico obseruandum,(quod certe mea sententia non est) summa obseruatione dignissimã.Nec quæ ex Canticis afferuntur,nostram infirmãt sentẽtiam.Nã de eo tantũ libro loquimur, quo se quinq; uoluminibus uniuersam complexum medicinam gloriatus est.Quanquam si Auerroi credimus,librum Canticorum enarrãti,dogma illud astrologorum potius placitis, quàm ueritati & philosophiæ adstipulatur:qua docemur,omnes cœlestium corporum operationes laudandas esse,nõ maleuolas reputandas.Commentatorẽ uero illum Alexandrinum,si uniuersale tantum regimen cœlo adscripsit, non inuiti recipimus:si particulare, & præcipue malignum,in hoc repudiamus.Didicimus enim ab Augustino,hanc solam diuinis literis præstare autoritatem, ut illis absq; ratione credamus:cæteris in his quæ rationi subsunt tantum credẽtes,quantũ probant,uel quantũ rationi loquuntur consentanea.Et quid mirum?Non enim filii sunt deorum,quibus Platonis sententia,sine ulla ratione credendũ sit.Petrum Apponẽsem aliis quoq; in locis errasse suprà mõstrauimus: sperámusq;(si tantum nobis erit ocii)olim dicato uolumine,infinita penè eius errata detegere,non ut uiro,satis quidem quãtum illa ferebat ætas,docto multæq; lectionis,detrahamus:sed ne ei fidẽs in magnis,ut ipsi putant, & occultioribus artibus à simplicioribus præstetur,quem cõstet in manifestioribus & leuioribus multifariam præuaricasse.Vt ne longè exempla petantur, in problemate ipso à Simone recitato, in quo manifestius certe errauit,quàm ut ulla possit cauillatione defendi. Siquidẽ Græcus codex,ad quem recurrendum est quoties dubitatio in translatione contingit,quod Augustinus etiã in sacris literis testatur,hoc pacto iacet:διότι ἥδιον ὄζει τῶν ῥόδων ὧν ὁ ὀμφαλὸς τραχύς ἐστιν, ἢ ὧν λεῖος.Quod si uerbũ uerbo reddatur, sic sonat Latine: Propter quod suauius olent inter rosas quarũ umbilicus asper est,quàm quibus læuis. Venia autem fortè dignus esset hic error in Aponensi,nisi omnem ipse sibimet ueniam ademisset, dum se ubiq; de Gręcorum librorum iactat interpretatione:quanquam errandi occasio nõ minus de Latinarum inscitia,quàm Græcarum prodiit literarum.Demũ quæ in calce afferuntur,non difficilius est nobis reiicere,quàm fuerit illi adiicere.Quod enim quis uena cubiti secta,luna Geminos peragrante,læsionem incurrerit, potuit imperitia,potuit errore artificis,potuit instrumenti ineptitudine accidere: neq; minus ex accidenti, quàm q me ambulante coruscauerit. Vidimus quoq; nos(si unusquisq; suas referre habet uisiones)luna alteri signo supposita,nobilem quendam uirum Ferrariensem,ex uena secta,uitæ discrimen incurrisse. Quid plura?nónne quotidie cernimus, melius lõge medicis succedere,qui astrologica uel ignorãt, uel negligũt, quàm illis qui illa uel sciunt,uel sequũtur?Franciscus Bencius, Vgonis Senensis filius,pręceptor olim in medicina meus(aliorum pace dixerim)medicorum in Italia,nostra ætate facile princeps, nihil unquam cœleste obseruauit:sed quoties occasio urgebat,in ipsis solis lunæque congressibus,& purgationem,& uenæ sectionem imperabat.Vnde euenit,ut cum præstantis cuiusdam uiri curationi,unà cum Hieronymo Manfredo, astrologo sui temporis famosissimo,Bononiæ præesset,imminerétq; simul & purgandi necessitas,& luminarium coitus,astrologo reclamante,& ægrotanti mortem minitante,potione ad Bencii imperium exhibita,infirmum è graui morbo conualuisse.Quod si magis Ptolomæo docenti,cœlum inspiciendum, quàm Hippocrati præcipienti, pharmaca eodem die in ualde acutis morbis danda,dum turgent,creditum fuisset, fortassis uitam prius ille finisset,quàm cœlum cõiunctionem. Recte igitur & sibi & ægrotis medici consulent,si quoties uacuandum uidetur, lotium magis quàm astrum inspicient,& uenarum pulsationem potius,quàm stellarum obseruabunt configurationem.Sed uide quomodo ab epistolari mensura,non Laconica modo, sed & Asiatica iam recessi.Finem igitur fecero,si monuero,potuisse me & plura,& hæc ipsa locupletius atque comptius in medium afferre:sed quod dixi ab initio,hęc ad te mitto qualiacunque sunt,non ueluti rem tãto lectore,quantum te puto,dignam,sed ceu pignus quoddam sancitæ inter nos amicitiæ: non aliud ex his quærens, quàm ut mutuò me ames:quod ut facias,te etiam atq; etiam rogo. Vale.Ex Mirand.

*Disciplinæ medico necessariæ.*

*Medico lotium magis, quàm astrũ inspiciendũ.*

EPIST. II. *Ioanni Camerti Theologo insigni,& omnium bonarum disciplinarum eruditiß.de sacchàro duplici.*

CVm proximis diebus librariam tuam supellectilem euoluẽtibus,nescio quomodo sacchari mẽtio incidisset,dixissémq; aliud esse antiquorum medicorum saccharum,ab eo quod nunc uoce parum (ut fieri solet)mutata zuccharũ uocãt, paradoxon dogmatis impẽdio admirari uisus es,& in cõtrariã manibus pedibúsq; abire sententiã.Quare domũ reuersus, quia rationes quæ me mouerent præ temporis angustia in medium afferre ad plenum non potueram, operæ precium me facturũ putaui,si eas colligerem, & capita in scriptis darem:quo mentem meam locupletius posses inspicere,& tuam pacatiore animo mihi significare, Ad astruendam igitur nouam hanc opinionem,in primis statuendum,quænam,qualisue res sit,quã nũc passim zuccharum nuncupant.Deinde ostendendum, quæ de saccharo ab antiquis sunt dicta,ei minime conuenire.Res zuccharum dicta,tãtopere nũc mẽsis expetita,ut in prouerbium abierit,non esse escam quæ zuccharo uitietur,nihil aliud est quàm succus à proprii generis planta bene contrita expressus, calore ignis plus minúsue excoctus,coactus & defecatus: in zuccharũ tanto cãdidius & durius euadens,quanto plus coctionis defecationisq; tolerauerit.Ex diuersa autem huiuscemodi defecatione & coctura,cõtingit uarios ei perfectionis numeros adscribi, ut quoddam summum

*Zuccharum quid,et quomodo conficiatur.*

dica

dicatur, & perfectiſsimum, à fine nomen uulgò accipiens, quia uidelicet ad finem bonitatis peruenerit, candore, duritia, ſuauitate præcipuũ. Aliud infimũ huic penitus contrarium, lentum, humidũ, nigricans, inſuaue, & feculentũ, primę decoctionis uocatum. Inter duo hæc extrema, duo quoq; ſunt media: alterum infimo proximum, ſecũdæ: reliquum ſummo, tertiæ decoctionis nominatum. Planta à qua exprimitur, humectis locis proprio ſemine ſurculisue ſeritur, exteriore quidem ſpecie arundini magnæ ſimilis, interiore ſubſtãtia ualde diſsimilis, pulpoſa enim eſt, grauis, mollis, & ſucci plena: quum arundo econtrario ſit leuis, dura, uacua, & propterea milio potius Indico, quod melicã uocãt, quàm arundini ſimilis. Hæc de zuccharo noſtro, à Siculis & Luſitanis cognoui, quæ an antiquis de ſaccharo ſcribentibus concinant, age perſcrutemur. Dioſcorides, Galenus, Plinius, ſpeciem mellis putantes, de eo inter mella loquuntur: mellis materiã eſſe rorem omnes fatentur: à quo tam differre uidetur zucchari materia, quàm planta differt ab aqua. Forma quoq; quam illi adſcribunt, minime huic noſtro congruit: gummium enim modo candidum à Plinio, ac dẽtibus fragile dicitur: & à Dioſcoride ſalibus quo ad conſiſtentiã ſimile, & dentibus inſtar ſalis perfringi. Quibus & Alex. Problematum lib. 2. in hæc uerba ſubſcribit: Quod ſacchar Indi appellant, mellis coagulũ eſt, Sole cogẽte conuertentéq; ad mellis dulcedinem: quod idẽ monte etiam Libano fieri certũ eſt. Fit ſacchar id proximum, ſalis glebulis candidum, fragile. Noſtrũ priuſquàm coquatur, colore potius nigricans, & ſubrufum, quàm cãdidum inuenies, nec dentibus fragile, ſed per ſuctũ, nõ per dentium attritionem deglutiendũ. Efficiens noſtri primũ, eſt forma uiſq; ipſa plantę: ſecundũ, artifex calore ignis concoquens & deſecãs, & demum in hãc quam uidemus metæ formam in ligneis quibuſdã uaſculis deducens. Illud noctis primo frigus agglutinat, dehinc ſuperueniens Solis calor obdurat. Noſtrũ plãtæ pulpa in Siciliæ & Cannariæ inſulis latitat, effigie tantũ (ut diximus) arundini ſimilis. Quam certe plantam ſi Dioſcorides & Plinius cognouiſſent, arũdinémq; putaſſent, nõ erant ſilẽtio prætermiſſuri, ubi multiplices arundinũ ſpecies enumerant: ſed ſicuti aromaticæ & odoratæ arundinis, ita & dulcis huius ſeorſum mentionem habuiſſent. Illud ſupra arundinis ueræ folia in India, felicique Arabia, & monte Libano coagulatum inuenitur. Noſtrum gulæ proceribus ſuauiſsimas dapes miniſtrat: illud ad medicinæ tantũ uſum teſte Plinio, uenit, bonum uentri & ſtomacho exiſtẽs, ut ſcribit Dioſcorides. Noſtrum pectori potius quàm ſtomacho utile experimur, cũ nauſeã teſte etiã Auicenna lib. 2. excitet. Illud nõ ſiticuloſum ſicut mel, ſcribit Paulus: noſtrum ſitim non minorem quàm mel facit. Quæ ſi uera ſunt, quis ambigat eſſe res diuerſas? quum forma, materia, efficiẽte, loco, uiribus, longe euarient. Si quis uero à me petat, ſaccharum illud antiquorũ medicorum an in totũ perierit, & ſi adhuc in uſu eſt, quænam res ſit: Reſpondebo, rationi conſonum uideri, cum res mera naturæ fuerit, nullum cultũ artémq; deſiderãs, quòd extet adhuc, & ad eam rem quam nũc mannã uocãt, referatur. Quòd ſi quis adhuc pergat quærere, quo nomine ea res quæ nunc manna dicitur, ab antiquis fuerit appellata: dicã, ſi ulla eſt eius apud antiquos mentio, eſſe inter mella. Mouet me primũ Galeni autoritas, lib. de alimẽtis, mel roris, uel mel aëris, ſupra plantas dicens coagulari: & Plin. lib. 16. cap. 8. ſic ſcribens: Robora ferunt & uiſcũ, & mella, ut autor eſt Heſiodus: conſtátque rores melleos è cœlo (ut diximus) cadentes, non aliis magis inſiſtere frondibus. Confirmat Sudas, licet in nomine non conueniat, mel ſylueſtre uocans. Mannæ porrò & ſacchari affinitatem, oſtendit eorum concinnitas, quæ de hoc antiqui, de illa Arabes reliquere. Firmat inter cæteros Auicenna, cap. ult. libri ſecundi, zuccharum alhuſar (ſic enim ipſe loquitur) eſſe mannam ſcribens, cadentẽ ſupra rem, quam uocat alhoſor, ſimilem ſali: à qua fortè ſimilitudine interdum ſaccharum, ab eo ſal Indũ nominatur, præcipue lib. 4. ca. de aſperitate linguæ, ubi tenere in ore docet ſalem qui ab India deportatur, colore ſalis, dulcedine mellis. Ex quo capite notari etiam poteſt differentia inter ſaccharum, quod ibi uocat ſalem Indum, & zuccharum: quoniam utriuſq; ueluti diuerſæ rei ſeorſum meminit: licet lib. 2. (ut aliquando in aliis ſolet) utraq; eodẽ capitę confudiſſe uideatur. Serapion de eodem ſcribens ſaccharo alhoſor uocato, ex oculis cognominis plantæ exire id ſcribit, plantámq; depingit. Crediderim igitur ego, antiquum illud ſaccharum, parum à uocata nunc manna differre, & utrunq; inter mellis genera comprehendi, ſolùmq; proprie ſaccharũ dicendum: ex India aliquando, uel felici Arabia portatum, nunc uocatum Candum, quia nimia ſolis excandeſcentia multum obduruerit. non portari hoc tempore, quoniam ex noſtro zuccharo quater uel quinquies excocto, lucelli maioris corradendi gratia, ſeplaſiarii Veneti rem ſimilem facere didicerunt, arundines quoq; ipſi immittentes, ſupra quas uideri poſsit conglobatum, & goſſapio inuoluentes, ut naui ex orientalibus regionibus inuectum putetur. Candum igitur naturale, antiquis ſaccharum nominatum, à nuncupata nunc manna differre non uidetur: niſi quòd hæc ſupra alias plantas, & aliquãdo ſupra petras, uariis in regionibus, etiam in Italia reperitur, illud tantum in felici Arabia & India in arũdinibus, maioribus fruſtis, maioriq; duritia, ob uehementiores ſolis radios, aptioráq; ad id tolerandum arundinum folia, coagulatur. Vnde etiam fit, quòd non æque ut manna aluum leniat, quando & inter uocatas mannas, eæ magis citare aluum uidẽtur, quæ ſunt liquabiliores. Si uero adhuc interrogauerit quiſpiam, noſtrum hoc zuccharum, quo nomine antiqui appellarint: dicam, nullam eſſe eius apud antiquos medicos (quod me legiſſe meminerim) mentionẽ. Medicos dico antiquos, quoniã medicis multis qui poſt Galen. fuerunt, de eo eſt crebra mentio, præſertim Punicis: Varroníſq; uerſus de hiſce cannis fortaſſe loqui uideri poſſunt.

*Zucchari planta.*

*Saccharum mellis species.*

Indica non magna nimis arbore creſcit arundo,
Illius è lentis premitur radicibus humor.
Dulcia cui nequeunt ſucco contendere mella.

Et Solinus in India naſci quaſdam ait cannas, è quarum radicibus ad ſuauitatem mellis ſuccus exprimitur. Quorum ſententiis conſentire uidetur Galenus libro quarto, de ſimplicibus medicamentis, molles radices calamorum, maximè Aegyptiorum, dulces eſſe dicens. Verum non ex radicibus, ſed ex ipſis arundinaceis medullis, quas cannas mellis uocant Siculi, noſtrum hoc ſaccharum exprimitur, ut propterea aliam rem illos intellexiſſe credi poſsit. Ex utriſque tamen, radicibus ſcilicet & cannis, mel fieri Strabo commemorat. Sed & Statius quodam loco noſtrum zuccharum agnouiſſe uidetur, licet nomen tacuerit, quando inquit,

Et quas præcoquit Aebuſita cannas.

Fuit tamen hic Dioſcoride & Plinio iunior. Poſtremò etiam Serapion Arabs, omnibus his poſterior, inter quatuor quinquéue genera capite proprio enumerata, huius noſtri non meminit. Quod itidem argumento eſſe poteſt, medicis iſtis quos ipſe citat, illud fuiſſe incognitum. Si cui autem res incredenda uideatur, de re tam nobili antiquos medicos non ſcripſiſſe, conſideret quàm multa ſint noſtro æuo precioſiſsima, antiquitati penitus ignota, ueluti moſchus, iubetum, ambra, camphora, aliáque non parum multa. Hæc ſunt quæ ad hoſpitium reuerſo, longe tamen à mea bibliotheca, pro dogmatis propoſiti defenſione ſcribenda occurrere. quæ ſi à te probata fuerint, in lucem prodire non formidabunt: ſin minus, in tenebris perpetuò latitabunt. Vale. Viennæ Pannoniæ ex hoſpitio noſtro, quinto Non. Sextiles. anno 1515.

## EPIST. III. *Cælio Calcagnino uiro doctiſsimo, de ſtomacho.*

STomachus non ſolum uulgo, ſed Plinio quoque, & interdum Celſo, necnon pleriſque Græcis, quorum in uariis ſuarum commẽtationum locis meminit Galenus, eam corporis cauitatem ſignificat, in qua cibus recipitur, & prima concoctio celebratur. Galeno autem, & Græcis qui poſt Ariſtotelis ætatem, ad Galeni uſque tempora ſcripſerunt, meatum illum indicauit, qui fauces & os uentriculi interiacet, per quem cibus & potus ad ſuperius memoratam inanitatem, cui committitur, deglutiendo deducitur. quem meatum Ariſtot. & ueteres Græci omnes οἰσοφάγον, Latini gulam, Arabes & noſtrates Arabum imitatores merin nũcupauere. Nec defuere ex antiquioribus qui ipſius uentriculi os, ſtomachum quoque nuncupauerint. Non meritò igitur reprehẽdi debet, quiſquis ci-

bum

bum in ſtomacho cōcoqui aſſeruerit, ſicuti neque qui per ſtomachū uel appetentiā fieri dixerit, uel deglutionem. Qui uero ſtomachū nō cibi, ſed ſpiritus gratia factū putat, is meo iudicio excuſari nullo modo poteſt, quoniā & antiquorū autoritate, & rei ipſius fide cōuincitur. Nā ut medicos prætermittā, qui ad unum in hoc cōueniūt, ut duas eſſe in collo ſemitas ueluti canaliculos dicāt, alterā per quā ſpiritus defertur, quā guttur, ſiue aſperā arteriā: alterā per quā cibus & potus, quē ſtomachū & iſophagū, & gulā nūcupāt. Pridē enim & ab Ariſtotele, & à medicis exploſa eſt illorū ſententia, qui per hanc cibū, per illam potū trāſire crediderunt. Ariſtoteles ipſe primo lib. de animalium hiſtoria, per arteriā, quæ cartilaginea eſt, & priorem partem colli occupat, uocē trāſmitti & halitum docet: per poſteriorē, quæ ſpinæ iniacet, & carnea eſt, cibū. Quā ſententiā libro tertio de partibus animaliū fuſius declarauit: licet nōnulla uerba ibi legātur, quæ ſi ſeorſum conſiderentur, ſuſpicionē aliquā facere poſsint, quòd gulam inſtrumentum ſpiritus putauerit. Ea ſunt huiuſmodi: Cum igitur inſtrumētum ſpirationi accōmodatum, longitudinē habeat neceſſe ſit, gulā inter os & uentrē haberi neceſſe eſt. Quæ tamē uerba, ſi totum caput legatur, eum ſenſum habere nō poſſunt: ſed ita audiēda ſunt, ut docere per ea uoluerit Ariſtoteles, his animalibus gulā inter os & uentriculum eſſe, atque ut ſequēs eſt oblōgā, quibus guttur adeſt: lōgum enim hoc neceſſariò eſt, gula nō neceſſariò, ſed in multis non manifeſta, quibus uidelicet uentriculus ori proxime adhæret: quæ cum pulmonem non habeant, gutture & collo carent, ut genus omne piſcium. Quibus uero pulmo, his & collum & guttur adeſt, gulâque non ſolū lōga, ſed & gutture longior: quoniā uentriculus ad quem tēdit, ceu ignobilior, inferiorē ſedem pulmone & corde poſsidet: à quibus etiā per tranſuerſum uocatū ſeptum, diſpeſcitur, per quod trāſire gulam oportet, ſi portare cibum ad uentriculū debet. Liquet igitur ex Ariſtotelis ſententia, gulā nō ſpiritus, ſed eſcæ uiam exiſtere. Cui & Galenus 8. lib. de uſu particularū, cap. primo, ubi utilitatē colli explicat, apertiſsime conſentit. Quod euidētia quoque ipſius rei apertiſsime demonſtrat, nec tantū in homine, ſed in uniuerſis etiā animalibus, quæ gulā habent. Eam enim eſt uidere, non ad loca ſpiritus, cor uidelicet & pulmones, ſed ultra (ut ſuperius dictū eſt) tranſuerſum ſeptū in uētriculū deſinere. Hæc habui doctiſsime Cæli quæ in hac controuerſia ſcriberē, non quidē ut te docerē, ſus Mineruā, ſed ut ſententiā meā, quod optare uidebaris, aperirem. Vale, & me quaſi ueterno obſitū inter hoſce Scythas, aliquādo ſimilibus quæſtionibus expergefacies. Iterum ac ſemper uale. Budæ, Nonis Ian. M. D. XVIII.

*Gula nō ſpiritus, ſed eſcæ uia.*

# IOAN. MANARDI
## EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER TERTIVS.

### EPIST. I. *Io. Manardus Io. Pacto medico Mantuano, de alui lumbricis.*

POSTVLASTI à me Pacte eruditiſsime, ut quæ ex Paulo Aegineta in meum Auicēnam trāſcripta, de lumbricis alui, & ſigna, & remedia, dum iſtic eſſem perlegeras, ad te tranſmitterem, adderémque, ſi qua eſſent per me longo uſu comperta. Ego uero, qui tantum tibi debeo, ut grandi etiam alieno ære conflato, uix portiūculam rationis poſsim expungere, arrepto calamo, ſtatim amicos, hoc eſt, libros, & opiſtographa cœpi conſulere, in quibus quid inuenerim, pro tempore accipe. Leges enim non ſolum quæ petiuiſti, ſed & nonnulla ueluti auctarium quoddā ſuperaddita. Lumbricorum tria genera tradit Paulus, Galenū, ut aſſolet, ſequutus: rotūdos, latos, & aſcarides. Hippocrates Celſúſque duo: ille enim latos, hic aſcarides ſilētio pertrāſiuit. Galeno reliqui medicinæ autores, tam Græci quàm barbari aperte conſentiunt, uno Auicēna excepto, qui adeò (ut ſolet) confuſe ſcripſit, ut nec quid ſcripſerit, nec quid ſenſerit, liquidò poſsit intelligi. In quibuſdam enim exemplaribus tres, in quibuſdam quatuor ſpecies proponūtur: in omnibus uero ita obuolutæ, ut non ſit facile eas extricare: ſi quis tamē diligenter introſpiciat, tres quoque, non quatuor (ut eius narratores putant) ab eo poſitas animaduertet, licet pluribus uerbis expreſſas.

*Lumbricorū tria genera.*

Per longos enim unam, per latos & rotundos alteram, per aſcarides & paruos tertiam intellexit: ita ut probanda ſint ea exemplaria in quibus tres, non in quibus quatuor in capitis titulo initióque proponūtur. Quod certe conſtare poteſt, conſideranti ea uerba quæ ſtatim ab ipſomet Auicenna ſubnectūtur, in quibus cum uellet eorum differentias tum ex loco, tum ex materia generationis inuenire, non niſi trium meminit differentiarum. Sed & ſequenti capite, in quo de ſignis agitur, non niſi trium generum indicia conſcribuntur. In utroque enim loco per latos & rotundos eos intellexit, quos latos Galenus Paulúſque appellarunt. Nam quæ ſecundo capite de latis & rotundis dicuntur, quòd ueluti panniculo quodam integātur, ex Paulo, ut mihi uidetur, de latis loquente deſumpta ſunt, licet barbarie, ut fieri ſolet obfuſcata. Sic enim ſcribit Paulus: Lati ſunt mutatio (ut ita dixerim) intraneæ inteſtinorum membranulæ ad animalis corpus, quæ quandoque per partes, plerunque tota ſimul excernitur, incredibilem ſpeciem magnitudinis præbens. Aëtius quoque eadem ferè ſcribit ad hūc modum: Latus lumbricus eſt (ut quiſpiam dixerit) tranſmutatio membranulæ tenuia inteſtina introrſum ſubcingētis ad animale quoddam corpus. Videntur autem utrique autorem libri de morbis ſequuti: ſiue ille Hippocrates, ſiue alius fuerit. Hos ego lumbricos bis térue in tota uita, ſed præcipuæ magnitudinis Mirandulæ conſpexi, nec ſine magna ſpectantium admiratione. Indicia quoque latorum & rotundorum, cap. quarto recitata, quæ & ipſa ex Paulo deſumpta ſunt, clare oſtendūt, eoſdem eſſe qui apud Auicennam lati & rotundi, & qui apud Paulum lati abſolute dicuntur. Sed priuſquam indicia ſcribamus, aliud quoque circa Auicennæ ſpecies notandum uidetur: ne fortè nomenclatura ipſa impoſturam faciat, eos uidelicet, quos Auicenna longos uocauit, Hippocratem & Græcos omnes στρογγύλας, & Celſum teretes appellaſſe, paſsim in regionibus noſtris apparentes, non abſimiles uermibus in fœtunticeris naſcentibus, quos Græci ἔντερα γῆς, oniſculos uulgò uocamus. His ueluti in parerga prælibatis, ad ea accedamus quæ deſideras. Rotundos ſignificant, inquit Paulus, uentris & inteſtinorum morſus, exigua & arida tuſsis, ſed moleſta. Nonnullis & ſingultus adſunt, dormientes ſaliūt, & abſque ratione eleuātur. Aliqui clamitando ſurgunt, ac rurſus concidunt. Arteriæ inæqualiter pulſant. Febres abſque ordine cum extremorum frigore, ter quatérue noctu, aut interdiu ſine ratione inuadunt. Pueri ſuperuacue mandunt, & linguam exerunt, dentibus ſtrident, conniuent oculis, taciturnitatem diligunt, excitantibus iraſcuntur, malæ per exigua interualla modo rubent, modo liuent. Si uero ad uentriculum procurrunt, nauſeam, morſus, & inappetentiam faciūt: & ſi cibum capere patientes cogantur, uix deglutiunt, & ſi quid acceperint, euomunt: multas quoq; uenter corruptiones ciborum excernit, & inſtar tympani inflatur: reliquum corpus non ex ratione macreſcit. Hæc ſunt rotundorum indicia, quæ tamen non in omnibus omnia quærenda, ſed quædam & potiora. Accidūt autē hęc tū ab animalibus ipſis in inteſtinis obuolutis, ac morſum inferentibus, cū ex febrili calore malos uapores ad cerebrum eleuante, ac coaceruata in uentre putrida humiditate. Hæc Paulus de rotūdis: quæ ſi his quę ab Auicenna de longis recitātur, fuerint collata, nō erit dubiū eoſdē eſſe, qui ab eo longi, & qui à Paulo rotūdi nominantur. De latis ita ſcribit Paulus: Abundant interdū in nō febrientibus, interdum febriētibus in lōgis morbis ſuperueniūt, morſus ſtomacho inferentes, appetitúſq; ad cibum intemperatos. Eſcam enim ita deuorant, ut alia opus ſit: quæ niſi præſtò adſit, morſus uehementes inferunt: tenuitas corporis cū imbecillitate, quadámq; inæqualitate contingit. Infallaciſsimum uero indicium eſt, quòd cum alui excrementis, corpuſcula quædam cucurbitæ ſeminibus ſimilia excernuntur. Hæc Paulus de latis: à quo Auicenna ea accepit, quæ de latis & rotundis ſcripſit. Poteram his indicijs eſſe contentus, ſed adiicienda nonnulla ex Aëtio duxi, quo locupletius tibi ſatisfacerem: nō quæ ille ſcripſit omnia, ſed quæ Paulus prætermiſit. Pulſus, ait, fit inæqualis, imbecillis, deficiens ac recurrens. Pueris dum dormiunt, os ad ſimilitudinem lactentium figuratur: nonnulli & deſides & abſque pulſu fiunt, frigeſcunt, & tenue quid ac frigidū exudant: deſipiunt aliqui, & aliena per ſomnos loquūtur.

*Teretum lūbricorum notæ.*

*Latorum indicia.*

tur. Aliꝫ figuras decubitus aſsidue trāſmutāt,ac ſeipſos proiicientes,locum ex loco demutant:loquuntur nonnulli,multi inuocales omnino perſiſtūt. Qui in ore uentriculi lumbricos habent,magna ex parte eos euomūt: qui in inteſtinis,per inferiora excernūt. Præcedēs quoque uictus ratio lumbricorum tibi præſentiam demōſtrabit:ſi craſsior,copioſior,difficilis concoctionis fuerit,ſi frumentacea plurima eſitauerint, balneiſque poſt cibum ſint uſi. Omnes enim lumbrici generari ex multis ciborum differentiis conſueuere, præcipue circa pomorum tempus.

*Lūbricorū cauſa & origo.*

De lato eadem ferè quæ Paulus,niſi quòd quos uentriculo infert morſus,dicit eſſe continuos, atque appetitum ad eſcam inexplebilem, & quòd cibaria aſſumpta celeriter in excrementa commutantur. Hæc de indiciis ſatis ſint.

In curatione,ait Paulus,interdum febri & lumbricis æqualiter occurrendum eſt, interdum exiguam febris rationem habentes,ad extrahendos à corpore feſtinabimus. Plerique enim negligētes,ab ipſis comeſti, conuulſi interiere. Nec deſunt, qui exeuntes per inguina ſe uidiſſe atteſtantur. Expelles ubi interfeceris, interficies rebus amaris. Cōmunis enim febris, lumbricorúmque curatio eſt,ut chamæmeli decoctum, & myxariorum quæ uulgò Sebeſtem uocant,præbibatur, uel myxaria ipſa cocta manducentur,& ſuccus ſereos,aut coriādri ſemē cum calida contritū,aut oxycrato,aut myotidos, hoc eſt,herbæ quæ auricula muris dicitur,aut ramenta cornu ceruini,aut miltos nitidiſsima,quā & Auicēna ſub nomine macræ multū cōmendauit. Vbi uero uiſcera intēta ſint,& phlegmonē patiātur,utendū cataplaſmate ex lini ſemine,lupinorū farina,abſinthio,& radice bryoniæ cū hydromelite,aut oleo chamæmeli cum abſinthio & aloë. At ubi febris nō adſit,ſeriphū,quæ eſt ueluti abſinthii ſpecies,ut alio loco inquit Paulus:pteris,id eſt,filix:cardamomū,Auicēna cordumeni uocat: ac ſandonicū,abſinthiū marinū uocat Dioſcorides,Auicenna ſcea:uulgò apud nos nūc ſanctulinā uocatū puto:cuius ſemen ante corallinæ uocatæ uſum,in magna erat celebritate. Vtendū aloë,& per ſeipſam,& cū abrotono,pilulis factis ex melle,& extrorſum cū melino & uino:nā & appetitū excitat, cui rei maxime ſtudendū. Miſcendū aliquādo & abſinthiū. Impleatur umbilicus felle tauri,& aliquo ex his amaris quæ dicta ſunt. Iuuat & melāthiō cū roſaceo,aut ſeriphi decocto,ac medulla ceruí,umbilico,pectini,ac lūbis inūcta. Vngendū & ſępe ex oleo rhododaphnes. Cōfert coagulū ſiccū,& mētha. Cataplaſma fiat per omēlyſin,hoc eſt,ordei farinā, ptereon,abſinthiū,farinā lupinorū,ſandonicū,abrotonum,ſydia, balauſtion, acaciam, & gallam. Cerote ex aloë,abſinthio,farina lupinorum, ſeripho, melanthio, ana γραμμάρια (ſcrupulos noſtri uocant)ſex, cera uncia ſemis,chamæmelino quantum ſat fuerit,his quæ ſicca ſunt,cum felle contritis.

*Febris & lumbricorū cauſa eadē.*

*Aſcarides infantum quibus necentur.*

Aſcarides in infantibus euacuantur balanis ex melle cum modicis ſalibus,uel nitro. In adultioribus, ex acri muria. Ei uero clyſmati ab Auicenna recitato, in quo centaurium recipitur, addit Paulus nitrum ac mel: & reliqua quæ adduntur,non copulatiue, ſed per diſiunctionem à Paulo ſcribuntur.

In medicinis quoque interficientibus, numerat abſinthium,chamæleonta, anchuſam,puleium, calaminatham,lupinum. Ad latos confert comeſtio alliꝫ, decoctio ptereos,aut centaurii pota,uel deuorata: ſimiliter calaminthe,dictamnū,puleiū. Compoſita demum duo deſcribit,quę ſunt penultima ab Auicenna,cap.5.recitata,quæ danda dicit, modo febris non adſit,eiq́ꝫ quod baccas lauri recipit,addi iubet æquale nitrum ſi quæris ut ſit efficacius.

Eodem etiā capite ubi legitur,mediatim, legendū ex Paulo,ana grāmaria 3. Sed quoniam caſtigare Auicennā hoc loco cœpimus,nō ſubticebo & alium locum,qui caſtigatione,uel certe declaratione eget. Capite ſequenti,id eſt,ſexto laudantur pili animalis uocati Alcaſim: legendum autem Ichneumonis. Sic enim ſcribit Paulus: In uniuerſum omnes à lumbricis ęgrotātes Ichneumonos pili iuuāt ſuffiti. De Theriace quoque ita ſcribit Paulus,de latis loquens: Ad perfectam morbi amotionem, da theriacen,niſi fortis uetat febris. Medicamen quoq́ꝫ de Inula,ultimo loco eiuſdem cap.5.deſcriptum, aliter ſcribit Paulus,ad hunc uidelicet modū: Helenii,ammoniaci,piperis,uel(ut in alio)ptereos ana uncias quinque,cum oxymelite calido:& intermittētes bibant euphorbii drachmam unam,uel duas.

Aliud:Ptereos oxibaphō,nitri drachmas duas, da in aquæ cotyla, ei qui fuerit antea uacuatus. Melius autem eſt,ſi & exiguam capiat ſcammoniam.

Aliud:Corticis radicum punici acidi, extima ſemota parte,drachmas quatuor,piperis drachmas quatuor, cardamomi drachmas duas,praſii drachmas duas, da cum melle ei qui antea allia eſitauerit.

Hæc ſunt ferè quæ à Paulo collegi. Non tacebo tamē & miram(ut Paulus appellat)methodum,per quam & aloë pueris,& ſorbitiones interdum per os iniiciūtur. Inſtrumentū quoddā coquinariū,quod ζωμήρυσιν uocant,ſupinis ipſis detentis ori imponitur,& per clyſteridion,fortē habentē auliſcon,inuitis aloë,quāto plus fieri poteſt,intimius ore eorum diſtento impellitur.

De uictus ratione ſic ſcribit Paulus: Eſcæ patientium lumbricos,ſint boni ſucci,quæ facile diducantur, atq́ꝫ ad membra tranſeant,nec cauſam foueāt,nec uires minuant. Quam ob rem uinum cōcedimus aquoſum,cibúmq́ꝫ crebro exhibemus,tum propter id,tum etiā ne lumbrici morſus inferant. Si adſit uentris profluuium, indicio eſt,multos gigni cibo nō diſtributo:miſcēdáq́ꝫ eo caſu ſunt ſorbitionibus uel pira,uel cotonea.

At libet quoq́ꝫ nonnulla remedia ex Aëtio colligere, quo tibi plenius ſubſeruiam. Vbi(inquit ille)ambigua ſit affectio,mitioribus utendū:acrioribus enim remediis febris exacuitur,ſi falſam ceperis ſuſpicionē:ſtabili uero dignotione exiſtēte temporibus morbi attendendū. Circa primos enim dies,multóq́ꝫ magis iā inclinante morbo ſi apparuerint,acrioribus inſiſtendum remediis,circa cōſiſtendi uigorē mitioribus:& tū præcipue cum uiſcerū inflāmatio,tentióue cōcurrit. Vtendum igitur cataplaſmate ex lini ſemine,& lupinorū farina. Biberéq́ꝫ debent ante omnē eſcā pueri quidē cremorem myxorū & mēthæ:perfecti,abſinthii & abrotoni. Perfectis uero infantibúſq́ꝫ etiam ſi trimeſtres fuerint,febrierintq́ꝫ, tutò potui dabis terræ inteſtina, id eſt,uermes terreſtres,de quibus ſuprà etiā mentio facta eſt,cum hepſemate,id eſt,muſto cocto,ſi tolerāt:ſi minus,cum hydromelite, aut ut uoluerint,nihil ueritus,neq́ꝫ uilitatem eorū parui pendēs. dabis autem ſeptē. Datur & chamæmeli decoctū exiguo cū roſaceo, & efficaciter operatur. Iuuat & erigeros,id eſt,ſeneciō. Nec eſt carduus benedicta, ut putauit Genuenſis, ſed herba apud nos paſsim naſcens,uel mulierculis cognita,quam quoniā in petris ferè inueniunt,Petrellā uocāt. Educit abſq́ꝫ moleſtia & tragoponos,hoc eſt,hirci barbula,uulgo & ipſa cognita,olus uidelicet ſylueſtre, barbam petræ dicunt,uel eam,uel aliā multum ſimilē. His qui in declinationibus ſunt febrium,ſorbitionibus multum mellis immittēdū,& ptiſanæ plurimū oleum omphacinum concoquendum.

Hęc ſunt quæ ex Paulo & Aëtio collegi:quibus quoniam uis me ueluti coruū olores interſtrepere, adiiciā duo ſimplicia per me obſeruata, & meam quandam compoſitionem.

Simplicia ſunt duo olea,thuris,& atramenti, quod nunc uitriolū uocāt,per eā uidelicet artem facta,quam chymicen dicunt. Ex horū priore uenter inungatur,ſed in ſecūdo ualde cautè agendum,ne locus exulceretut,ſi intrò ſumatur. Sunt tamen qui auſint eius guttulā potui dare cum melicrato. Porrò noſtra compoſitio capit,corticis rhei uel barbarici,uel pontici,coriandrorū præparatorum,ſeminis ocymi,ſeminis arnogloſsi,ſydiæ,id eſt,corticum mali punici,careos, id eſt, carui, rhu,id eſt,ſumach,ana drachmam unam:ſeminis cardui,quam Benedictam uocant,ramētorum cornu ceruini & eboris ana unciam ſemis,corticum radicū mori,ſeminis braſsicæ,ſeminum citri,corticum ſalicis,ana drachmas tres,ſeminis portulacæ,dictamni, ana ſcrupulos duos:margaritarum, coralliorū rubrorum ana ſcrupulum unū. Fiat puluis,de quo detur drachma una uel duæ,cum uino hyeme,uel nō febrientibus:cum oxicrato æſtate,uel febrientibus. Vale.

## EPIST. II. *Io. Georgio Triſſino,pro curatione Incubi.*

ASſiduæ lucubrationes,indefeſſáq́ꝫ ſtudia,ut animum tuū ſupra modum excoluerunt,ita corpori non exigua intulere diſpendia. Eam enim affectionem incurriſti,quam ἐφιάλτην ferè Græci omnes medici

*Incubi morbi ſymptomata.*

dici uocant. Dioſcorides ὑπὸ ἐφιαλτῶν πνιγμὸν, Themiſon πνιγαλίωνα nominauit: ex noſtris uero Plinius modo ſuppreſsiones, modo noctis ludibria: recentiorum turba incubum uocat. Difficilis motus cum tremore ſtupidus quidam ſenſus, inuocalitas, cum clamandi deſiderio, imaginabunda ſuffocatio, ueluti re quadam graui opprimente, & uiam ſpiritus præcludente, hunc affectum comitantur. Quæ licet grauia, non tamen tã proprio malo moleſta (ferè enim non niſi in ſomni initio infeſtant) quàm quòd grauiores affectus, comitialem uidelicet & attonitum, ſed & maniam quoque minitantur: uel his præſertim uerẽdos, qui literarum ſtudiis incumbunt, ut per quos animi ſapientiæque ſecũdum Platonem & Galenum ſedes, hoc eſt cerebrum ipſum, potiſsimum labefactetur. Enitendum igitur, ut quanto ocyus fieri poteſt, maligna illa affectio elidatur: hoc fiet, ſi cauſam amputauerimus: ea enim ſemota, diſpoſitio quoque ipſa, à qua ea quæ enumerauimus ſymptomata pendent, pariter præcidetur. Cauſa, ut ex colloquio tecum habito collegi, ſunt uapores mali, qui ex ſanguine plus quàm modo conueniat atræ bilis habente, exurgentes, & in ſomni initio cerebri cauernas opplentes, tranſitúmque liberum ſpiritui animali ad propria peragenda munera excurrenti præcludentes, modo omnia, modo quædam eorũ quæ enumerauimus, pariunt detrimenta. Eſt igitur uapor ille cauſa, obſtructio morbus, incubus ſymptoma. Eritque primus curationis uel potius præſeruationis ſcopus, prohibere ne huiuſmodi uapores cerebri meatus occupent. Hoc fiet, ſi eos humores abſtulerimus, à quibus ſuſtollũtur: capútq; roborauerimus ne recipiat: & ſi qui in eo ſint conſiſtentes, diſcutiantur, uel diſtrahantur. Præſentiſsimum igitur auxilium multas intẽtiones ſimul explens, eſſet uenæ præciſio: ſanguine enim miſſo, & materia amputaretur, & uapores diſtraherentur. Sed quoniam Sirij ardor nos abſterret, experiri fortè hoc tempore tutius fuerit cucurbitulas. Admoueantur igitur duæ cucurbitulæ cute præciſa, prima ſupra talum, altera ſub poplite, dextra utraque parte & interiore: & ſi per has malum non leuatur, duas quoque ſublato ſpatularum oſſe, utile erit admouiſſe. Per has enim, ni malum altas nimis fixerit radices, adhibito conuenienti uictu, uel totum eruetur, uel magna ex parte.

*Victus ratio.*

Porrò congruus uictus eſt, ut parcè ſemper, parciſsime in cœna cibus ſumatur, qui & boni ſucci ſit, non inflet, facile concoquatur, modice alat, nec uapores multos in caput mittat. Et ut ad particularia deſcendamus, panis ſit ex bono tritico, bene coctus, modicéque & ſalitus & fermentatus. Vinum album, clarũ, lene, ſubacerbum, dilutum, moderate ſumptũ, ita ne cibus innatet. Caro ſit auium potius quàm quadrupedũ, & ſylueſtrium magis quàm urbanarum, modo aquaticæ non ſint, ceu pulli gallinacei uel columbini, turturis, uituli, hœdi, phaſianorum, perdicum, auicularũ, leporum, & aprorum: hæque potiſsimum partes eligãtur, quæ præ aliis mouentur, & pinguedine carent. Oua gallinarum recentia, ſorbilia uel tremula, non dura, nec aſſa uel frixa. Cappares oxymelite conditi utiliter in cœnæ initio comeduntur. Piſces niſi ſaxatiles, & hi quidem non niſi raro guſtentur. Fructus omnes, præter piſtacia, paſſulas, & pineos nucleos, interdicuntur: ex aſtringentibus tamen ut piris, cotoneis, quid in ſecunda menſa, poſt alium uidelicet quemuis cibum, aut potum ſumi poteſt. Non ſecus & uniuerſa olera, præter fœniculum, anethum, bugloſſum. Ruta uero tantum abeſt ut noceat, ut etiam ſummè conducat: uerum medicamentis potius quàm cibis eſt connumeranda, ſicut & ſaluia, & ſampſychus, hyſſopus, ac ros marinus.

Fugere oportet ſolem, frigus, uentum, ignem, fumũ, Venerem, balnea, laſsitudinem, ſolicitudines, negocia, omnem ingentem, omnémque aſsiduam circa rem quamuis meditationem, & præſertim duabus horis à cibo, uehementes ſtrepitus, præcipitis loci, rei uelociſſimè motæ, magnæque lucis conſpectum, eximios uel bonos uel malos odores, meridianum ſomnum, imò omnem ſomnum longum, longáſque uigilias.

Exercitio ante cibum moderato utendum, ſed quo inferiora potius quàm ſuperiora membra fatigentur. Poſt cibum uerò animi & corporis quieti indulgendũ. Frictione utendũ multa & uehementi, quæ ab humeris & pectore incipiẽs, ſenſim ad crura uſq; deſcendat. Qua finita caput quoq; ipſum & perfricandum erit, & pectendũ. Glycyſidos, id eſt, pæoniæ radix recẽs collo ſuſpenſa geratur: uapores enim ab ea ſurgentes, cerebrúmq; petentes, alienos excludunt, & cerebrũ roborant. Eligenda autẽ in hoc mas, quæ folio nucis regalis conſtat, radice alba, digitali craſsitudine, longitudine palmi, & guſtu adſtringit. Myrobalanus quoque, quam chebulam uocant, ſaccharo condita, quotidie mane comeſta, cerebrum mire corroborabit.

*Pæoniæ radicis efficacia.*

*Myrobalanus.*

Quòd ſi per hæc malum non tollitur, aut magna ex parte leuatur, fortiora aggredi remedia neceſſe erit. Secanda igitur exterior cubiti dextri uena, & auferenda, ſi ater fluxerit, ſanguinis ſemilibra. Hyſſopus deinde herba, & paſſulæ tãdiu in pluuiali aqua coquẽda ſunt, donec dimidiũ excoquas, decoctiq; tres unciæ, cũ ſeſquiuncia oximelitis ſcillitici per octo cõtinuos dies in aurora bibendæ. Poſt quos potus purganda aluus per obolos quatuor Armeni lapidis, toties aqua pluuiali abluti, ut eius nec odor nec ſapor guſtata aqua ſentiatur: quod ferè poſt quinquaginta ablutiones fieri conſueuit: poſt quas iterũ ter roſacea aqua abluatur. eſt autem cũ melicrato bibẽdus. Proderit & per interualla ſemunciã, uel unciã integrã herbæ, quã ſenam uocant, cũ pari bugloſsi mẽſura perpetuam noctẽ aqua calefacta madere ſinere, & mane quod excolatum fuerit, bibere.

Corpore bene purgato, caput quoq; ipſum uacuandum: quod optime cõſequemur gargarizãdo eandem potionem quam ſuprà deſcripſimus, quæ uidelicet ex hyſſopo, paſſulis, & oxymelite cõponitur. Vel ſi paſtilli maſticẽtur qui habent pulei unciã unã, caricas pingues ſeptem, piperis lõgi drachmã integrã, pyrethri mediã. Semina nigra pæonię quindecim, ſi cũ melicrato bibantur, mirè uapores excludunt, & cerebro robur imponunt. Pyrethri etiam radix inſtar zingiberis condita frigoris tempore multum conducet.

At ſi neq; his in totũ malũ ceſſerit, trãſacta bona autumni parte, iterũ ſanguis mittendus, & per oxymel Iuliani purgatio facienda, ac hierã diacolocynthidos, aliquos inter uenæ ſectionem unámq; & alteram purgationẽ intermittentes dies, quibus & uires recreẽtur, & natura per ſeipſam agere permittatur. Per gargariſmata quoq;, maſticationes, ac naritiua caput bene purgãdum. Deinde cucurbitulæ præcordiis & dorſo admouendæ, cum ſcarificatione. Danda Mithridatis antidotus mane & ſero, auellanę magnitudine, & quibuſdam interpoſitis diebus, iterũ per hieram diacolocynthidos purgandũ. Cucurbitulæ collo & capiti admouendæ. Calidis fomentis, demúmq; ſinapiſmo in uertice utendũ, & ſi opus fuerit, tandẽ candẽtibus ferramẽtis, ulcus cõſueto capitis loco ſupra caluariæ ſuturas excitandum. Sperandũ tamen, ut non ſit neceſſe ad hæc ardua uenire, ſed obſeruata uictus ratione, quã ſuprà monſtrauimus, per faciliora auxilia citò optata incolumitas expectanda. Quod ille nobis donare dignetur, qui eſt uera ſalus Chriſtus dominus, cui laus & gloria. Vale. Ferrariæ, ex ædibus noſtris, 20. Iulij. 1512.

## EPIST. III. Io. *Mariæ Pacto med. Mantuano, in defenſionem præcedentis epiſtolæ, de curatione* Incubi.

HEri ueſperi dum uix ſacrũ ſoluiſſem ieiuniũ, redditæ mihi fuerũt literæ illæ tuæ magnæ, & à me magnopere deſideratæ. Quas dũ legendi auidus refero, inuenio in eis aliud longe argumentũ quã expectabam: nõ enim de lũbricis, ut putabã, ſed de noua, & mihi nequaquã cogitata materia agentes uideo. Epiſtolam enim quandã meã, nõ ad te, ſed ad Ioannẽ Georgiũ Triſinum datam, uirum non minus literarum peritia, & morum grauitate, quàm generis nobilitate præcipuum, ſub limam ducis, feréq; totam atteris. Quatuor autem ſunt præcipua quæ non probas: quòd uenæ ſectionem imperem, quod uentrem antè uel pòſt non leniam: quòd nulla alia præeunte, oxymeliten potionem ſcilliticam cum hyſſopo dem: quòd lapidem Armenum, rem aut ignotam, aut certe ambiguam, pro purgatorio exhibeam. Ego mi Pacte, licet non diſputandi gratia ea conſcripſerim, ſed probi uiri, & amici ſaluti conſulturus, ut tamen tibi morem geram, id enim optare per hanc tuam epiſtolam uideris, reddam conſiliorum meorum rationem, & tuas aduerſum ea argumentationes, quantum in me erit, & quàm breuiſsime potero conabor refellere. Magnitudo morbi, & uirtu-

tis robur, uel ſolæ, uel primæ phlebotomiæ ſecundum Galeni doctrinā intentiones,ad ſecandā uenam me trahebāt.Magnus enim erat morbus qui aderat,maiores longe quos formidabamus: adeò,ut ſi non magnam quoq; plenitudinē fuiſſemus adeſſe ſuſpicati,auxilium tamen hoc tam neceſſariū non eramus prætermiſſuri, præſertim quoniā clariſsimus ille uir,aliquando attonito morbo fuerat uexatus,cuius & ueſtigia ſecū aſsidue deportat,ſiniſtro crure claudicans.Subobſcurus tamen rubor & tentio uenarū,anteactaq; uictus ratio, plethoram mihi ſignificabant.Vnde uero coniecerim, atram bilē cum ſanguine eſſe morbi cauſam,multa fuere,ſed inter cætera ſpecies illæ imaginū,quæ & in ipſa nocturna ſuppreſsione,& in reliquis etiā ſomnis,imò & interdum uigilāti occurrebant.Ex his autem quæ te ad aliam trahunt ſententiā,urinam quidem & præincipientem cauſam parui facio: alterius enim inter tot proprio commentario de phlebotomia indicia, nunquam meminit Galenus.Nullā uero cauſarum præincipientium oſtendere curationē,ſcripſit idē autor quinto libro artis curatiuę.Verū nec æger ipſe(quod tu contendere uideris)aſſerebat,ſe nunquàm hac paſsione afflictum,niſi quādo poſt cœnam legiſſet:ſed ſępenumero,ubi nec poſt cœnā,nec antè legerat,offenſum:alioquin neq; ratio conuincit,ut uapores cibi male concocti ſint paſsionis cauſa,ſi nō patiatur niſi poſt cœnā legerit:poteſt enim illa lectio,ueluti præincipiens cauſa, aliam in corpore cauſam mouere præcedentem,à qua, non ab ipſa præincipiente,ſit curationis methodus accipienda.Quod uero adiicis,poſſe & hoc contingere à cerebro,proprium nutrimentū non bene concoquēte, & abſq; ſtomachi uitio:nō tollit,quin ſanguis atræ bilis naturā habens,is eſſe poſsit.Licet enim cerebrū ſanguine proprie pituitoſo nutriatur,ubi tamen hic deſit, alio quouis præſente nutritur. Quem ſi non uis dicere atræ bilis naturæ eſſe,plus quàm par ſit eius ſecum habere concedas.Huic tamen ſententiæ nequaquam ego adhæſerim,ut ex reliquiis uidelicet nutrimēti,male à cerebro concocti,ea fiant nocumēta:illo enim modo ſolent tumores præter naturā in membris fieri,aſsiduéq; oporteret aliquis ex his quæ per interualla malis patitur in cerebro perſentiri,nec in ſomni tantū principio, ſed diſtributo potius iam ſanguine per ſecūdam cōcoctionem genito. Subdis præterea, cōſentire quidem miſsioni ſanguinis temperaturā,ſed morbū negare,ut qui ex crudis humoribus fiat, & fortè extra uenas: quod uel ex hoc dicis oſtendi,quòd pueri tali morbo frequentius infeſtātur,ueluti crudis humoribus abundantes,quibus minime cōpetit phlebotomia. In quibus uerbis uideris negare phlebotomiā aliquando tali affectui,incubo ſcilicet uocato,conuenire,quod certe, præter id quòd à ratione alienum eſt,præcipuis quoq; autoribus aduerſatur.Nam(ut Paulū & alios Græcos omittam)cura eius,inquit Auicenna,eſt phlebotomia. ſic Raſis,ſic quicunq; celebres habentur.Quòd ſi dixeris,non negare te ſemper phlebotomiā,ſed in hoc uiro qui crudis humoribus abundet: iam non erit morbus qui neget,ſed crudi humores.Ego tamē in eo nūquam plumbeum,uel pallidum,uel ſubalbidum colorē aſpexi,qui Galeno teſte,ſunt crudorum humorum colores, à quibus prohibetur phlebotomia,ſed floridū ſemper atq; rubentem.Neq; uenas exiles(ut tu dicis)ſed magnas ſatis,craſſas & extentas.Vt igitur totam hanc diſputationem colligamus, aut morbus ſit à ſanguine (ut ego puto)cui atra bilis miſcetur,aut ab alio quouis humore. Si primū,non tu modo,ſed uix Chryſippus aut Eraſiſtratus detractionem ſanguinis negabit. Si ſecundum, affectus magnitudo, & præſentis, qui nec ſit congruo uictu,& quas iuſsi cucurbitulis ablatus: & futuri,præcipue attoniti quem iam ſit paſſus, formido,ad idem uel inuitos nos trahunt,conſentiente uirtute, & nihilominus ætate.

*Colores phlebotomiam prohibentes.*

Laxato, ſi non ſoluto primo nodo,iam ſecundum aggrediamur.Quòd nullam de uentre leniendo mentionem habui, non propterea fuit,quòd aliter in hoc quàm cæteris ſentirem,ſed breuitati indulgens,ut hoc, ita multa alia ad phlebotomiā prætinentia prætermiſi, ut horā,ſitum,cibum,atq; id genus cætera.Neq; enim phlebotomiæ commentariū,ſed conſultricem epiſtolā ſcribebam:alioquin neq; lenitio illa eſt ſimpliciter neceſſaria,ſed quemadmodum ſcripſit Galenus,determinatione eget Hippocratica. Quod uero tertio quæris loco,maioris momenti eſt,& quod,ut ſcribis,maiorē te in admirationem,& certe meritò trahere debebat, quòd uidelicet nō per gradus,ſed per ſaltum ſtatim ad altiora conſcendo. Poſſum hic reſpondere,me nō ſtatim ad extrema accedere,ſed morbo,etiam quando ad me peruenit,ſatis antiquo, cucurbitulas primo cruribus,deinde ſpatulis admoueo, congruum uictum,uacuantem ſcilicet & attenuantem impero. Quibus auxiliis ni morbus uel tollatur,uel magna ex parte leuetur, phlebotomiam impero:in qua inſpici ſanguinem iubeo,ne fortè cōiectura me fefelliſſet,& niſi ater craſſúſq; fuerit,nō detrahi.Nigrum & craſſum ſanguinem fateamur neceſſe eſt atræ bilis naturam habere,quam uehementi medicamine tenuare,atq; præcidere oportet,ſimul quoq; uias de obſtruendo uel reſerando parare.Hoc enim eſt quod Galeno interprete nos Hippocrates docuit,quando ait,Corpora ubi purgare uolueris,bene fluida facito.An uerebor ego in diuturno morbo,ab atra bile pendente, iam per parcū uictū,cucurbitulas & phlebotomiam uacuato,hyſſopum,quam Galenus in acutis morbis,& cum uehementi febre turgentibus,prima uel ſecunda die,nulla præeunte uacuatione,non formidat?Dicunt recentiores,& quandoq; antiqui à facilioribus eſſe auxiliis inchoandum.Scribit uetuſtiſsimus Hippocrates,Ad ultimos morbos extremæ curationes, exactæ optimæ ſunt.Concilium inter utroſque ſtatuit bonus Hippocraticæ doctrinæ cultor Galenus quinto Therapeutices libro, per hæc uerba, Non quemadmodū nonnulli medicorum,à paruis inchoandum eſt auxiliis:neq;(quod illi dicunt)intelligēdum,ut prius hæc tentanda,deinde(ſi non iuuerint)ad maiora accedendum:in his enim quæ periculo uacant paſsionibus,uera eſt hæc opinio.Poſſum igitur(ut dixi)negare me ſtatim ad ſumma acceſsiſſe:poſſum & ſi quis uel in ipſo purgatorio pharmaco à me hoc actum affirmet,me tum Galeni & Hippocratis autoritate tueri,tum Pauli & Auicēnæ.Paulus in hoc ipſo morbo per hellebori drachmam purgat,cui(niſi in libro ſit mēda) tres obolos addit ſcammonii,& aneſi quid,uel dauci, uel petroſelini.Auicenna uero euphorbii drachmā dat, cum tertia parte ſcammonii,& quarta colocynthidos: ita ut mirari ſubeat recentiorum,qui uerba,paulò antè conſcripta ab Auicenna,ſcilicet ſolutionem uentris faciendam cum eo,quod totum humorem educit,exponunt non una,ſed pluribus euacuationibus.Niſi fortè putent Auicennā uoluiſſe hoc cōpoſitum pluribus ſufficere uacuationibus,quod tamen litera non patitur. Quare enim diceret,ſi uirtus fuerit fortis,ſi ex eo medicamine dari tātummodo quindecim grana uoluiſſet? quemadmodum Iacobus cognomēto de Partibus interpretatur. Sed nónne pilulæ ex cyaneo lapide,quas Lazuli uocant,quarum doſis eſt,ut ipſe Iacobus dicit, drachmæ binæ,& quas uirtute non forte exiſtēte præbet,ſunt illis quindecim granis potentiores?Faceſſat timor,& in his præcipue morbis, qui abſq; febri ſunt, ſed non abſq; periculo,& in quibus adhuc homo ſolita poteſt opera exercere, magna non uereamur auxilia.Ego certe(cum econtrario multi ſoleant)quo magis ſeneſco,eo audentior fio. Exhibui crebrò hellebori nigri integram drachmam, adiectis etiam diagridii duobus granis,nec uel moleſta, uel maior plus debito ſecuta eſt purgatio.Lapide quoq; Armenio,bene iuxta Alexādri doctrinam abluto,& in catapotia quoq; eius modo reformato,plerunque & in pluribus hoc anno uſus ſum, ſempérque iuuamentum ſequutum eſt,nec cum magno impedimento:bis tantum uomitum incitauit, ſed qui poſtmodum iuuerit.Mulierem cancro in mammilla laborantem,ab ingentibus doloribus liberauit.Alium à melancholiæ morbo,cum iam fores eſſet ingreſſus, bis uel ter acceptus, reuocauit. Quomodo inquis,inueniſti,quem alii Venetiis diligēter inquiſitum inuenire nequiuerunt?Dicam quomodo.Dum hic quoq; apud nullum inueniretur ſeplaſiarium,monachæ quędam ſemunciam donauerunt.Quî ſcis, inquis, quòd uerax ſit? Non minus certe, quàm quòd id ſit ſcammoniū,quo paſsim utimur.Res omnino eſt à communi cyaneo, quem lapidem Lazuli uocant,diuerſa, cum multa tamen ſimilitudine, & quæ atram bilem,nō cum magna purgat uiolentia: cuius ſi potero fragmētum ad te mittam.Demum quaſi cū felle in Leonicenū ſtylū uertis,in qua controuerſia nolo me nunc quidē intromittere:hoc dūtaxat dixerim,omni-

*Sanguinem nigrum & craſſū atræ bili participare.*

*Morbo urgente audēdum.*

*Pilularū Lazuli doſis.*

*Cyaneus lapis Lazuli.*

no mi

no mihi uideri, Arabes autores utranque rem, Armenum scilicet & cyaneum lapidem simul eodem capite confudisse. Hæc sunt quæ raptim, ut cernis, tuæ magnæ epistolæ respondenti occurrerunt, quæ ut minore cura & opera exarata sunt, ita maiore uenia digna erunt apud te. Accelerationis causa fuit nuncij occasio, quem nescio, an potuerim etiam celeritate assequi. Vale ex Ferraria.

### EPIST. IIII. *Hippolyto Roscio. Quid intelligendum apud Auicennam per Albezed.*

QVæris quæ res sit, quam Auicenna Albezed tertio suæ medicinæ lib. uocat, & magnopere in articulorum morbis commendat. Cui quidem quæsito, quispiam autoritate ipsiusmet Auicennæ nixus facile respondebit, Albezed esse Keiri, quæ non aliud est, quàm id quod Græci λευκόϊον, nostri albam uiolam uel matronalem uocant, rem uel puellis notam: ut quam in pensilibus hortis, atque etiam interdum in parietibus libenter conserant. Sed huic sententiæ reclamat Simon Genuensis, cui hisce in rebus magna à patribus nostris fides hactenus est adhibita: admiratus Auicennam ignorasse bezed esse corallium, quum de eo sub bezed nomine secundo eiusdem suæ medicinæ libro perscripserit. Ego uero non minus errasse Simonem quàm Auicennam in hac re puto, bezédque seu albezed (eadem enim est utraque dictio, solo articulo differens) nec leucoion, nec corallion esse dico: quorum alterum Simon credidit, alterum Auicenna, sub quadam tamen protulit dubitatione: intelligendúmq; pro bezed, quandam puto anagallidos speciem, quæ rubicundum florem profert. Vnde autem ad hoc mouear affirmandum, hinc disce. Constat Auicennam totum ferè suum de medicina librum, ex aliis medicis, tum Græcis, tum barbaris transcripsisse. Ex quo fit, ut non sit ad intelligẽdum ipsum, sicubi difficilis uidetur, uia melior, quàm ad ipsos recurrere autores, a quibus id, de quo dubitatur, assumpsit. Quisquis autem hoc melius facere norit, is utique melius eum intelligat necesse est. Et qui ab hac uia recesserunt, multipliciter sem per lapsi sunt. Primus, quod sciam, hanc intelligendi Auicennæ uiam nobis monstrauit Nicolaus Leonicenus, uir & Græce & Latine doctissimus, ac medicinæ sicuti bonarum omniũ artium cultor eminentissimus, Hoc idem Hermolaus Barbarus æui nostri splendor & gloria, aliquando mihi Venetiis indicauit, cum de com munibus studiis in eius bibliotheca colloqueremur. Tantorum ego ducum castra sequutus, quoties scrupulus aliquis in Auicenna incidit, ad antiquiores præsertim Græcos me confero. Inter cæteros autem, in his præcipue quæ ad curationes morborum pertinent, Auicenna sequutus Paulum uidetur. Hunc igitur euoluens, inuenio antidoton, cui nomẽ diacorallion, summopere in articularibus morbis commendari: cuius compositionem dum examino, manifeste cognosco, Auicennam suam quam uocat albezed antidotum, inde accepisse: licet (ut crebro in aliis etiam factum est) multipliciter labefactã. Quod ut cognoscas, uerúmque tam laudati medicaminis cõstruendi modum habeas, Pauli ipsius seriem subscribam. ea est huiusmodi: Rhei barbarici, pæoniæ, myrrhæ, spicæ nardi, ana uncias duas, folij unciam unam, gariophyllorum grana quindecim, anagallidos habentis florem rhusion, quam uocant corallium, unciam semis, aristolochiæ longæ & rotũdæ uncias quatuor: dosis grammarium unum, quotidiæ post bonam cibi concoctionem. Hæc est Pauli descriptio: ex qua licet aduertere, non solum quòd Auicenna Simónque errauerint, sed etiam quænam causa eos in errorem duxerit. Auicenna enim putauit anagallidem esse alkeirin, id est, leucoion: quoniam ipsius quoque leucoij quandam speciem rubrum proferre florem, apud Dioscoridem legerat. Simon accipiendum corallium, quoniam albezed uox apud Arabes corallium significat: non aduertens medicamentum id appellari diacorallium, non à uero corallio, sed ab ea anagallidos specie, quæ quòd flore, colore corallio rubro simili constat, corallium nuncupatur. Habes igitur mi Rosci quid pro albezed in eo sit medicamine capiendum, & quæ sit uera medicaminis compositio. Vale.

*Difficiles Auicen. locos explicare uolenti quæ spectanda.*

*Nicolaus Leonicenus.*

*Hermolaus Barbarus.*

# IOAN. MANARDI
## EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER QVARTVS.

### EPIST. I. *ad Pactum, de Lumbricis.*

REVOCAS me iterum Pacte ad lumbricos, atque in primis petis, latus ille, quem me uidisse scripseram, esséme unus obuolutus, an plures, cucurbitæ seminibus similes. In quibus uerbis ostendis, te nondum assequutum quod scripseram, licet Pauli & Aëtij autoritate, & meo demum testimonio cõfirmatum. Addam igitur antiquiorem testem, meámq; attestationem pluribus, & quidem clarioribus uerbis explicabo. Scribitur libro quarto de morbis, qui liber inter sexaginta Hippocratis opera numeratur, ita uerbum ex uerbo: Vermes lati gignuntur in puero adhuc intra uterum existente. & post multa: Est autem species ipsius ueluti abrasio intestini alba. Indicia eius sunt, quòd excernuntur interdum nonnulla cucumeris seminibus similia. Scribuntur & alia multa ibidẽ, quæ consultò prætereo, & ad meã in alia epistola attestationẽ confirmandã me cõuerto. Exeũt aliquãdo, maxime ablutis clysmate intestinis, mẽbranosa quædã corpora, ualde lata, colore exalbida, cõsistentia inæqualia, intraneã intestinorũ superficiẽ repræsentantia: quæ dicere assolent medici, esse mucos intra intestina repertos, uel mucosam pituitam frigiditate intestinorũ addensatã. Mulierculæ lectulos uermiũ uocant. Hæc crediderim ego portiũculas latorum uermiũ, quando (ut inquit Paulus) per partes excernuntur. Nec esse puto medicũ uel mediocriter exercitatum, qui hæc aliquãdo inter alui excremẽta nõ fuerit intuitus, nec cũ magna admiratione. Sed cum toti simul excernuntur, & præsertim adhuc palpitãtes (quod ego bis terue in tota uita conspexi) incredibili illa (ut idem ait Paulus) magnitudine, in magnã nos trahunt admirationem. Quod tamen raro contingit: tum quia (ut inquit Galenus) rarior est lumbrici lati generatio: tum quia (ut ait Paulus) dimissi non consistunt. & hinc fieri puto, ut assidentes plerunque inter excrementa, nescio quid medico ostensuri, frustra perquirant, quod tamen se prius uidisse testantur. Hæc est lati uermis effigies, Latinis medicis hactenus incognita. Neminem enim adhuc legi, qui hunc uermen plenè cognouerit. Arnaldus tantum & Beniuenius ueritatem, conniuentibus tamen oculis, procul aspexerunt. Sed & Plinius per illam tricenûm pedum tineam, hunc ipsum latum uermem intellexit.

*Latorũ uermiũ effigies.*

De teretibus dixeram ab Auicenna longos uocari, esséq; similes in fœtũticetis nascẽtibus, quos oniscúlos uulgò uocant: tu uero ambigere uideris quid sint fœtunticeta, & qui sint apud uulgum onisculi. Onisculos, uoce parum detruncata, niscolos, uulgò apud nos uocãt, quos Græci γῆς ἔντερα, quasi terræ intestina dixeris, nos uermes terræ, Auicenna charatim, qui in fœtunticetis, id est, fœtidis ac cœnosis locis reperiri consueuere. His eos esse similes qui teretes, uel rotundi à probatis autoribus, ab Auicenna longi uocantur, nemo negauerit qui utrosque cognoscat.

*Fœtunticetum quid.*

Circa ascarides deinde tria petis, uel potius quatuor: nomen, rem, antiquorum sententiam, an eos uspiam uiderim. Nominis etymon nullibi (quod meminerim) uel apud Græcos, uel apud Latinos legi: mihi autem uerisimile fit, deduci eam uocẽ à uerbo Græco ἀσκέω, quod Latine significat exerceo: uel potius à uerbo ἀσκαρίζω, quod idem est quod moueo: sedi enim circa quam consistunt, uehementem pruritum inferentes, ut Paulus & Aëtius testantur, assiduéque commoti animal continuò extimulant & exercent. Quicquid uero recentiores sentiant, non est dubium apud antiquos per ascarides paruos uermes intelligi: sunt enim ascarides (inquit Galenus aphor. 26. libri tertij) tenues quidam lumbrici, in parte maxime inferiore crassi intestini geniti. Galenum Aëtius & Paulus sunt secuti: à quibus nec dissentit Auicenna, si modo rectè & legatur & intelligatur. Sic enim ego principium secundi cap. legendum puto: Longi, & lati, & rotundi, & ascarides & parui. & uerbum, lati, secundo loco in quibusdam codicibus etiam Hebræis scriptum, omnino suppostitium puto.

*Ascaridum definitio.*

*Locus Auicennæ restituitur.*

Ita autē intelligendū, ut per ascarides & paruos (quod alia etiam scripsi epistola) unam tantū speciem intelligamus, eos uidelicet quos Galenus ascarides, ipsemet Auicenna in primo libro minutos: in tertio, modo simul ascarides & paruos, modo ascarides tantum, modo paruos tantū uocat: nam quæ de loco generationis paruorum ab eo dicuntur, de ascaridibus à Galeno, sed ab Aëtio ac Paulo aptius dicta sunt: quæ uero de ætate ascarides gignente, ex Hippocrate & Galeno in Aphorismo superius adducto sunt accepta, qui nullo pacto de latis intellexerunt, quando nec eos quidem nominasse eo loco Hippocratē Galenus testatur, tum capite quoq; tertio in quo de signis agitur, quæ de sedis pruritu, & assiduo motu paruorum dicuntur, similia sunt his quæ de ascaridibus Paulus Aëtiusq; cōscripserunt. Quod autem scribitur quarto capite, medicinas interficientes ascarides, & rotundos, interficere etiam longos: fuit sententia Galeni in fine artis curatiuæ, licet ordo sit in Auicenna permutatus. Scribit enim hoc modo ad uerbū Galenus. Rotundos uermes sufficit interficere absinthium: latus fortioribus eget pharmacis, quale est filix, adhuc autem & uocata ascaris. Quemadmodum uero ambigi non potest, hic ab Auicenna dici longos, quos Galenus uocauit rotundos: & quos Galenus latos, Auicennam uocasse rotundos: ita clarum esse debet, ab utroq; eosdem uno nomine uocatos ascarides: qui scilicet sunt ab his quæ bibuntur (ut Auicenna ait) remotiores, utpote in parte maxime inferiore crassi intestini generati, prout ex Galeno superius ostensum est, id est, circa ani extrema, & longanonis initia, sicuti Paulus declarauit. Liquere igitur ex dictis puto non aliud esse ascarides Auicennæ, quàm Galeni: nec paruos, ascaridésq; præterquàm nomine apud Auicennam distare. Nec te moueant sexti, septimiq; capitis inscriptiones: solent enim capitū sectiones inscriptionésq;, tum in aliis, tum in hoc ipso libro plerunq; mentiri, utpote non semper ab autoribus ipsis, sed à quouis potius lectore pro arbitrio conscriptæ. Mendam uero in sexto capitis titulo adesse, uel hoc potest ostendere, quòd statim post primū remedium, latorum auxilia subscribuntur, deinde toto ferè capite ea quæ sunt omnibus speciebus communia. Sed & kitrā, id est, cedria, quæ hic conferre scribitur ad ascarides, sequenti capite in paruis bis repetitur, quam peculiariter ascaridibus, proprio capite, lib. 7. de simplicibus medicinis Galenus commendauit. Et hæc quidem de ascaridibus dicta sint. Vnus autem adhuc superest scrupus circa lumbricorum species, qui me sæpenumero non mediocriter perturbauit. Nam qui Cucurbitini uocantur, ad nullam trium dictarum specierū uidentur pertinere, & propterea quartam per se speciem putari possunt constituere. quod ex recentioribus nonnulli prodiderunt, latos in duas species distinguentes, longos uidelicet & breues: illos ascarides, hos cucurbitinos nominantes. Nec desunt qui cucurbitinos pro genere capiant, quòd in disiunctos ac coniunctos ueluti in speciem diuidunt. At certe negari nō potest in quibusdam libris ex Arabica lingua translatis, cucurbitinos absolute pro latis poni, sicuti in commento Arabico Aphorismi superius allati, ubi etiam peruerso ordine, ascarides pro rotundis, atq; econtrario rotundi pro ascaridibus leguntur. In libro quoq; Serapionis, capite de filice, ubi Dioscorides & Galenus habent latos, in Serapione ex eorum uerbis scribuntur cucurbitini. Sic & apud Moysem nona suorum Aphorismorū particula, ex Galeni autoritate prō latis leguntur cucurbitini. Verū hæc disputatio ad nomē spectat, illud uero potius ad rem, an lumbricus reperiatur qui sit cucurbitæ semini non absimilis. Ego quidem, quod meminerim, nunquam lumbricum uiuum conspexi, qui cucurbitæ semina repræsentaret. Paulus & Aëtius, corpuscula illa cucurbitæ seminibus similia, non in numero uermium, sed inter uermis lati indicia connumerant. quod ex Galeno, lib. de locis passis primo, sumere potuerūt, & ex libro de morbis superius adducto. Antonius Beniuenius Florētinus, nostra memoria medicus grauissimus, in suo de abditis libello, uidisse ait inter sese adeò cohærentes, ut unus uideretur, quatuor cubitorum longitudinem excedens. Arnaldus quosdam refert, dicentes, cucurbitinos hosce, in uentre cuiusdam alterius magni uermis generari, quem Cingulū uocant: quæ sententia à Paulo & Aëtio non abhorret. Ex senioribus adhuc nobiscum degentibus medicis, nonnulli uidisse eos multoties uiuos referunt, alii non uiuos, sed mortuos. Quin proba & fide digna matrona nuper in magno quopiam uerme, quem eius auia ægrotans deiecerat, se uidisse multos uermiculos cucurbitæ seminibus similes asseuerauit. Quicquid autem sit, dicere oportet, antiquos hosce in numero uermium non habuisse: quoniam decidi à lato ueluti segmentum quoddam, & eius portio uiderentur, sed indicium propriū lati uermis esse, sicuti arenam lapidis, scripsit eodem loco Galenus.

*Cucurbitini lumbrici.*

*Vermium præsagia.*

Petis deinde, ut de prognosticis nonnihil scribā, quæ nescio quomodo alia epistola prætermiseram. De his sic scribit Paulus: Circa febrium initia geniti, subsistentiam ex subiecta habent corruptione: circa cōsistendi uigorem, ex morbi malignitate: circa declinationem ad melius omnino proficiunt. Ait enim Hippocrates, bōnum & uermes rotundos exire ad crisim eunte morbo. Aëtius autem ex Herodoti sententia, ad hunc modum: Lumbrici & in febribus & absq; febribus fiunt, multitudine, magnitudine, colore & tempore inuicem differētes. Circa enim morbi principia geniti, subsistentiam subiecta recipiunt corruptione: circa consistendi uigorem, ex morbi malignitate: circa declinationem, ex transmutatione ad melius, qui & celeriter excernuntur, natura eos ad exteriora non secus ac cætera excrementa propellente. Deteriores uero sunt maiores minoribus, multi paucis, rubri albis, & uiuentes mortuis. Postremo tamen Aëtii dicto Rasis atq; Auicenna aperte repugnant, uiuos mortuis simpliciter præferentes. Mitto quæ in hac cōtrouersia scripserūt recentiores, ut quæ & legisse te puto, & cuiuis legere in promptu sit. Mihi quidem uidetur firmius semper esse iudicium quod ex mortuis sumitur, ut quos necesse sit expelli, nec suapte sponte exire. Hæreo tamen Hippocraticæ sententiæ, quòd bonum sit eos excrementis alui commisceri, dum morbus iudicatur: ita ut per hoc intelligamus, si alio tempore emittantur, symptωmatis, id est, casus potius fieri ratione, ut Galenus dixit, quàm naturæ ui: & propterea uel corruptionem, uel malignitatem indicare, ueluti Paulus Aëtiusq; distinxere. Et hæc quidem de prognosticis in præsentia dicta sint.

*Milton non eße miniū.*

De milto quoq; quam Auicēna macram uocat, quæris quid sit, & an sit minium. Certe si Plinii, uel Hermolai, qui locum castigauit, autoritatem sequemur, fateri oportet, milton eandem rem esse cum minio: ait enim Plinius ab Hermolao emendatus, Milton uocant Græci minium. Si uero Theophrasti, Dioscoridis, atq; ut ego quidem puto, ueram Plinii castigationem, res tantum diuersas, quantum distant uenenum & antidotus. Siquidem minium adeò uenenosum, ipsomet etiam Plinio teste, existit, ut qui id in officinis poliunt, faciem laxis uesicis illigent, ne in respirādo pernicialē puluerem trahant. Miltos tantū abest à ueneni natura, ut intra corpus assumpta, & lūbricos enecet, & hepaticos iuuet, & ad alia quoq; quàm plura utilis reperiatur. Sed & idem Plinius lib. 33. ubi de minio agit, paulò post uerba ab Hermolao (ut diximus) emendata, rubricā & sinopidem, quæ sunt ex milti genere, uel eadem cū ea, res diuersas facit à minio. Itē lib. 35. miniū, sinopidem & rubricam inter se disiungit, multa de sinopide scribens, quæ Theophrastus & Dioscorides de milto. Et lib. 33. miltū rubricam uocat, testimoniū Homeri adducēs, naues rubrica cōmēdātis, qui μιλτοπάρῃους eas nominauit, ut Hermolaus quoq; testatur, quem alioqui oculatissimum, mirū est nō uidisse, milton si sit rubrica secundū Plinium, non posse esse miniū: nec sic castigandū Plinium, ut ex ipsa castigatione, quod mali pueri solent, deterior euadat. Deprauatū omnino uerbū erat, militon, quod antiqua habebat lectio, nō mutandū tamē in milton, sed ut mihi uidetur in ammion: quod constare potest, cōparāti ea quæ Plinius scripsit de minio cap. 7. & 8. lib. 33. his quæ de ammio scripsit Diosco. cap. de cinnabari, & cap. de hydrargyro, & præcipue quæ de uesicis circa faciem ponendis superius annotauimus: adscriberē singula, nisi timerem uideri uerbosior. Illud tamē nō tacebo, id quod Plinius Dioscoridésq; scribunt, quosdā miniū uocasse cinnabarim, posse de Theophrasto intelligi: quoniā ferè quęcunq; scripsit Plinius de minio, excerpta uidentur ab his quæ de cinnabari in libro de lapidibus scripsit Theophrastus, licet (quod sępe in Plinio accidit) multis mēdis obfuscata, quarū nonnullæ possint in librarios reiici, aliàs in ipsum Plinium referre necesse

sit,

ſit. Totam igitur hanc diſputationem ſic colligamus: Quod minium uocat Plinius, id Græci ammion uel cinnabarim: quod Plinius ſinopidem uel rubricam, id illi milton: tam igitur diuerſa res eſt miniũ à milto, quàm ammion uel cinnabari à ſinopide uel rubrica. Quęnam uero res ſit, uel quomodo nunc uocetur miltos, haud ſatis mihi compertum eſt. Vidi aliquando trochiſci forma Venetiis pro Lemnia ad nos delatam terram, denſam, grauem, illapidoſam, hepatiten, hanc ego puto eſſe milton, quam ſinopicen uocat Dioſcorides. Tectonicen audio etiam nunc fieri à nõnullis pictoribus ex ochra combuſta, ut Theophraſtus Dioſcoridéſque ſcripſere, non econtrario, ut Plinius, atque in arcanis haberi, quoniam in floridiſsimum rubicundum euadit colorem. Veram Lemniam neſcio an unquam uiderim, à paucis annis citrà cœpit ferri, precioſiúſque cæteris ſub nomine ueræ Lemniæ uendi, aut principibus uiris pro magno munere donari, alba quædam terra exiguo rubore. Hãc (ſi modo eius generis eſt) putarim ego ſecundam ſinopidis ſpeciem, à Theophraſto primo, dehinc à Plinio ſcriptam, non ſine mendis tamen, ut crebro ſolet accidere: ſic enim ſcribit Theophraſtus: ἔστι δ᾽ αὐτῆς γένη τρία, ἡ μὲν ἐρυθρὰ σφόδρα, ἡ δὲ ἔκλευκος, ἡ δὲ μέση. Plinius hoc pacto: Species ſinopidis tres, rubra, & minus rubens, & inter has media. Quam enim Theophraſtus dixit ἔκλευκον (id eſt, ut mihi uidetur, exalbidam, uel potius uehementer albã: ſic enim Galenus ἐν προῤῥητικοῖς & ἐπιδημίοις, ſimiles apud Hippocratem uoces intelligit) & Plinius minus rubentem, hanc ego quandoq; putaui eſſe eam quæ nunc (ut dixi) pro uera Lemnia portatur: cuius & aliquando experimentum fecimus, uenenũ duabus auiculis propinantes, alteriq; tantũ Lemniã illam exhibentes, quæ uixit quidem diutius reliqua, nõ multo tamen poſt & ipſa uitam finiuit. Eiuſdem etiam generis eſt ea quam inſciæ plebeculæ miracopolæ nonnulli uendunt, qui ſe à diuo Paulo originem traxiſſe iactitant. Hæc habui quæ de milti generibus ſcriberem.

*De cardamomo.* Nunc ad cardamomum accedo, quod Arabes cordumeni uocant, de alia re ſub cardamomi nomine pertractantes. Quænam uero res ea ſit, Oedipo eget coniectore, quoniam nullum de eo ſcribentem Græcum autorem affert Serapion. Ex quo fit, ut exiſtimem, uel rem eſſe nouam, hoc eſt, quæ poſt Galeni tempora in uſum uenerit medicorum, uel erraſſe in ea non ſolum interpretes, ſed & ipſos autores. Niſi fortè quiſpiam putet, cum Plinius quatuor cardamomi ſpecies enumeret, de duabus, capite de cordumeni, de reliquis, cap. de cardamomo ab Arabibus ſcribi. Auerrois tamen quinto libro ſui Colliget, quoddam cardamomum inter medicinas poſt Gal. repertas connumerauit, cum ſuperius inter eas quæ à Galeno pertractantur, de alio conſcripſiſſet. Ego tria ſeminum genera uidi, quæ pro cardamomo feruntur, inter quæ neſcio, an unum ſit quod uere cardamomum dici poſsit. Seriphium aliud à ſantonico, non ſolum uoluit Paulus, cuius uerba alia epiſtola recitabamus, ſed & Galenus lib. 6. ſimplicium medicaminum, & Plinius lib. 27. Nec te mouere debet Dioſcorides, abſinthium marinum, à nonnullis ſeriphion, ab aliis ſantonicon uocari ſcribens: ſcis enim quàm inconſtantes ſint huiuſcemodi nomenclaturæ, ut pro libito ab unoquoque confictæ, alioqui ſi ubique has ſequamur, abrotonum idem dicemus, quod abſinthium ponticum, cùm eodem Dioſcoride autore, Romani ſic abrotonum uocent, atque idem quoque cum ſantonico: quoniam ut refert Galenus, abrotonum à Romanis uocari ſantonicũ, ſcripſit Pamphilus. Vocet igitur unuſquiſque prout uult, ut ait Galenus, modo ſciat res eſſe diuerſas. Tutius tamẽ eſt ſequi antiquorum, præſertim Galeni, nomina, ne in rebus quoq; ipſis labi contingat. Verum & Dioſcorides ipſe, ſi emaculatus ſit codex, ſantonicũ rem diuerſam à ſeriphio facit lib. 3. in fine cap. 25. pro uerbo enim ſardonicũ, legendũ ſantonicon: & pro uerbo ſardonium, legẽdum ſantonium. Quod nedum ex Galeni, Plinij, Serapioniſq; concordi ſententia patere poteſt, ſed & ex hoc quòd nulla eſt in Gallia ſardonis regio, ſed ſantonis: éſtque ſardonion alia herba, de qua Dioſcorides libr. 2. inter batrachij ſpecies, & libr. 6. *Sardonius riſus.* inter uenena mentionem facit, à qua ſardonius riſus Græcorum prouerbium non bonæ famæ in uita, ſicut Dioſcorides Paulúſq; teſtantur, & lib. 4. Auicenna ſub nomine Sebardi, licet ignorauerit de qua re ſcriberet, nec intelligi ualeat quid ſcripſerit, niſi ab iis qui ea quæ ille ſcripſit, alibi prius didicerint. Obſcurius quoque idem Auicenna ſcripſit de ſeriphio & ſantonico, lib. 2. ſub Schee nomine, in capitis principio, adeò ut ne diuinãdo quidem poſsis aſſequi quid uoluerit: & ne in noſtra tantum editione putes difficultatem, cõſule etiam Hebræam, atque maiorem, nõ modo æquam inuenies obſcuritatem. Vide quod ſaxum uoluant ij medici, qui Auicennam ſibi in idolum erexere. Sed de his aliàs maiore ocio.

*Grãmarium quid.* Petis ulterius quid ſit grammariũ. Grãmarium, ſiue grãma (utrũq; enim apud Græcos lego) Paulo teſte, eſt pondus duorũ obolorũ. Pendet obolus ceratia tria, ceratium calchos duos, quo fit ut in grammario calchos duodecim intelligamus, in obolo ſex: cum tamen in Plinio lib. 21. in fine obolum continere decem calchos ſcribatur.

Miraris poſtmodũ, quòd Paulus drachmã, uel quod magis mirãdum, drachmas duas euphorbij exhibeat. Potuit fortaſſe te in huiuſcemodi admirationẽ trahere Ioannes cognomento Meſue, qui ex Dioſcoridis ſcribit autoritate, aureũ unum interficere. Ego in hoc uiro, ut multoties, ita hoc in loco fidem requiro, cum nuſpiam hoc apud Dioſcoridẽ legerim, ſed apud Paulum capite proprio inuenerim drachmã pituitã & aquã educere: apúdq; Auicennã tertio lib. cap. de ephialte, id eſt, de incubo, drachmæ tertiã partem ſcammonij, & quartam colocynthidos ſuperaddi. Apúdq; eundem Auicennam & Serapionem, quòd tres drachmæ, non autem unus aureus, interficiunt. Non auderem tamen tantam quantitatem exhibere: præbui enim aliquãdo exiguũ quid, benéq; per aſſationem & nonnullarum rerum commixtionem repreſſum, copioſéque admodũ purgauit. Sed ſumus hoc tẽpore fortè quã eſſet opus timidiores.

*Zomeryſis.* Porrò zomeryſios dicti inſtrumenti illius coquinarij ego quoq; libentiſsime formã perdiſcerem, ſed nondum inueni qui doceret. Meminit eius & Pollux, nõ tamen quale ſit edocet. Vocis etymon notare mihi uidetur iuris fuſorium: res uero ipſa, ut ſuperiore parte pateat, inferiore adeò anguſtetur, ut in canaliculũ quoddam, ceu collum deſinat, inſtar illius per quod uina cantharis immittimus. Per hanc igitur zomeryſin duo præcipue cõſequimur, & quòd uidelicet amaror rei degluttiendæ nõ perſentitur, & quòd procliuis deſcenſus fit. *Clyſteridiũ.* Altero autem inſtrumẽto quod clyſteridion idem Paulus nuncupat, uiolenta impulſio fit. Concurrentibus autem ſimul natura & ui, uelociſsimus motus fit, re graui ſponte inferiora petente, & ad eadem uehementiſsime impulſa. Huius clyſteridij formam uario modo imaginari poſſumus: ſed ea cuius meminiſti, ſi extremum os aliquantiſper pateat, ſatis apta uidebitur.

Erigeronti quadrant quæcunq; ſcribis, præter calendulæ nomen, quod nos alteri rei adſcribimus, hoc eſt, herbæ cuidam coronariæ, quæ à nonnullis ut olus editur, flore aureo quaſi perpetuo, qui ex hoc argumẽto cuiuslibet menſis flos, uulgò dicitur: de qua aliquando dubitaui, an eſſet lyſimachium. Nec ſponte apud nos prouenit, ſicuti uera erigeron, ſed in hortis, præcipue penſilibus, ſeritur.

Poſtremo petis, an tria à me conſcripta remedia, euidenter cõferre cognouerim, ſimq; aliquãdo Pauli & Aëtij remediis uſus. Ego, ut uerũ ingenue fatear, in hoc pecco, quòd raro eiſdem auxiliis pluries utor, ſed modo hoc, modo illo, prout ſeſe mihi offerunt, & intentioni meæ, particularibúſq; rebus deſeruire uidentur. Olim duo illa ab experimentatoribus habui. Noſtra compoſitio precibus cuiuſdã amici medici facta eſt, qui quoad uixit ea uſus eſt, magnificéque iuuare affirmabat. Hæc habui, quæ tuis interrogationibus reſponderem: in quibus ſi quid diſplicuerit, ignorantiam malim accuſes, quàm uoluntatem. Vale amicorum optime. Ex Ferraria, M. D. XIII.

## EPIST. II. *Antonio Fauentino, noua quarti aphoriſmi libri primi, expoſitio.*

DVbitaui ſæpenumero Antoni doctiſsime, quomodo ea quæ ab Hippocrate, Galenóque eius interprete quinto aphoriſmo primæ particulæ dicebantur, & eſſent intelligenda, & his quę ab eiſdem autoribus ſecundo libro de uictu acutorum morborum ſcribũtur, conſentanea. Nam quæ à recentioribus dicuntur, præter hoc quòd parum mihi ſatisfaciebant, plurimis quoq; erroribus ſcatere uidebantur. Tandem

dum diebus præteritis aphoriſmũ illum pro mea profeſsione enarraturus, omnes ingenii neruos, in boni ſenis hauriendis ſenſibus intenderem, ueritatis quidam radius, neſcio quo modo, mẽtis aciem colluſtrauit: cui dum acrius intendo, ipſa demũ ueritas, omni diſcuſſa caligine, ſe (ut mihi uiſum eſt) penitus inſinuauit. Quã licet quo magis magiſq; excutio, & alieno quoq; examini, publica ꝑpoſita de more diſputatione, ſubiicio, eo lucidiorem experior: ueritus tamẽ proprii imbecillitatem iudicii, ſciénſq; propriũ nihil magis eſſe hominis, quàm falli, errare, decipi, in propriis præſertim inuentis & meditatis, iudicẽ cenſorémq; mihi quempiã cõſtituere decreui, cui arbitriũ decernẽdæ huius rei demandarem. Occurriſti autẽ tu, ut qui extra omnem cõtrouerſiam primas inter profeſſores medicinæ iamdiu tenes, apud me uero ſemper ſumma autoritate refulſeris. Accipe igitur hanc qualemcunq; Manardi tui lucubratiunculam, atq; aliquid ocii à magnis tuis illis meditatis, quibus ſcio te aſsidue inſudare, ſuffuratus, per proximas ferias ad hæc noſtra leuicula deſcende, atq; acri illo tuo iudicio ita examina, ut uel uitam, uel ſentẽtiam ſubeant capitalem.

Non ab re autẽ fuerit, priuſquam expoſitionẽ aggrediamur, aphoriſmum ipſum uerbũ ex uerbo ex Græco transferre, quoniã apud uarios interpretes uario modo legi conſueuit. In tenuibus uictus rationibus peccãt ægrotantes, ideo magis læduntur. Omne enim quodcunq; fit, magnũ fit magis, quàm in paulò plenioribus. Propter hoc igitur & ſanis fallaces ſunt, ualde tenues conſtitutæ, & exactæ uictus rationes, quoniã peccata difficilius ferunt. Propter hoc igitur tenues & exactæ uictus rationes, fallaces ut plurimũ ſunt, paulò plenioribus. Hæc eſt aphoriſmi ſeries, fidelius quàm elegãtius in Latinum ſermonẽ cõuerſa. Principiũ uero aphoriſmi iuxta aliã lectionẽ, quam ab initio cõmentationis proponit Galenus, quod neminẽ adhuc interpretẽ uideo aſſecutum, ſic habet: In tenuibus uictus rationibus plerunq; peccantes ægrotantes, ideo magis læduntur. Hic eſt aphoriſmus, qui mea quidẽ ſentẽtia ſic eſt & ordinãdus & exponendus.

*Verba aphoriſmi.*

Præcedẽs aphoriſmus diætas exacte tenues, in diuturnis morbis ſemper, & in acutis nõ ſemper, ſed in his ſolum in quibus nõ cõpetũt, fallaces eſſe demonſtrauit, rurſúsq; eas quæ ad extremũ eſſent tenuiſsimæ, graues atq; difficiles. Præſens, quánã id fiat ratione, & quarũ comparatione fallaces dicãtur, aperte declarat: éſtq;, ut paraphraſi quadam totus aphoriſmus cõpræhendatur, ſentẽtia Hippocratis huiuſcemodi: Dietæ ualde tenues & exactæ magis fallaces tum in ſanis, tum in ægrotis ut plurimũ ſunt, quàm paulò pleniores: quoniã eos qui tali uictu utuntur, errare aliquo modo contingit: quicquid uero fit, maioris momenti eſt tenui diæta utenti, quàm ſi paulò pleniore uteretur. Hæc eſt, ut ego puto, Hippocratis mens, quæ ut locupletius perpẽdatur, aphoriſmi partes diligẽter examinemus, & uerba ipſa ſenis ſigillatim percurramus.

Tenues diætas hoc loco audire oportet eas, quibus aliqua ex parte uis comminuitur, nõ tamen adeò quin perdurare poſsit ad cõſiſtendi uſq; uigorẽ. Hũc etenim terminum tenuibus diætis Galenus in aphoriſmo præcedẽti ſtatuit, uidelicet uirium modicã exolutionẽ. Nec tantummodo eæ uocandæ tenues, quæ ad extremũ tenuitatis accedũt, ſed omnes per quas uiriũ quædã exolutio innaſcitur. Sic enim intellexiſſe uidetur ipſe Galenus, dicens, ex tali uictus ratione, uires reddi inualidas, non morbi cõparatione, ſed earũ uirium quę in tẽpore ſecundæ aderãt ualetudinis. Peccati uero nomine intelligimus omnẽ errorem circa ægrotãtes cõtingẽtẽ, ſiue ratione uictus, ſiue aëris, ſiue ob affectionẽ quapiã animi, ſiue ex adſidẽtium incuria, uel alia quacunq; cauſa: ita ut etiam ægrotum qui primo paruit, mox pleniore quàm medicus imperauit, uictu utitur, in tenui uictu delinquere dicamus. Conſtat id tũ ex ipſo Hippocrate, in tenui uictu delinquere ſimpliciter ægrotantes proponẽte, & paulò pòſt uniuerſaliter & abſolutè dicente, omne quodcunq; fit, magnũ fit magis, quàm in paulò plenioribus: tum ex Galeno, affirmante eum loqui de omni delicto, omnémq; errorẽ accidentem ægrotãtibus, qui tenui uictu reguntur, maximum afferre periculum. Et propterea primam aphoriſmi lectionẽ magis laudante, eò quòd & alterã circũplecteretur, & generaliorẽ faceret ſententiam. Patet igitur quid nomine peccati intelligendũ. Cõiunctio uero illa, ideo, nobis ſignificat, eos qui tenui uictu utantur, eo maiorẽ læſionem incurrere, quòd dum tenuẽ uictum agunt, aliquo pacto aberrãt: tacitéq; & inacceſsibili illa ſua ac fœlici breuitate nobis Hippocrates inſinuat, eos nõ lædi niſi errore aliquo inuoluantur. Similis ènim loquutio eſt ac ſi diceremus, Sub religioſa uiuendi norma cõſtituti interdum peccãt, & propterea maiore pœna plectendi ſunt. Vt enim nemo ſanæ mentis, ex his uerbis intelligit, religioſos uiros maiorem abſolutè pœnam mereri, ſed id duntaxat, dum ſcilicet peccant: ita nec ex Hippocraticis, magis lædi ægrotantes, niſi quãdo tenui uictu aliti, uel propria, uel aſsidentiũ culpa aberrarint. Quorum uero comparatione eos magis lædi dixerit, haud difficile quis percipiet, lectis uerbis quæ ſequuntur, ad hunc modum: Omne enim quod fit, magnũ fit magis, quàm in paulò plenioribus diætis. Palàm enim eſt uoluiſſe Hippocratẽ, tenui uictu utentes, ſi quando peccarint, ex æquali errore magis oblædi, his qui paulò plenius reficiuntur. Cuius dicti Galenus duplicem reddit cauſam, quòd uidelicet ex tali uictu uis imbecillior ſit, & quòd minus eo uti conſueuerunt.

Non ab re autem prudens ſenex, plenioribus diætis dictionem illam, paulũ, adiecit: ne quis uidelicet, ſi ſimpliciter dixiſſet, putare poſſet grauiora fieri quæcunq; occurrunt tenuem uictũ agentibus, quàm ſi quantumuis pleniore fruerentur. Quam adiectiunculam etiã in calce aphoriſmi, eadem ratione nõ reticuit. In ea rurſus parte quæ ad ſanos attinet, ſimili modo loquendi utitur, quo in ægrotantibus uſus fuerat, dicens: Propter hoc & ſanis fallaces. & reliqua. Quod & euidẽtius declarat, ſubdens, Quoniã peccata difficilius ferunt. Quã quidem cõparationem dubium non eſt ad id referendam, ad quod & prior, quæ ad ægrotos attinebat, ferebatur, hoc eſt, ad uictum paulò pleniorem: ſiquidẽ eandem afferre in utriſque rationem uidetur, quam illis uerbis expreſsit: Omne enim quod fit, magnũ fit magis, quàm in paulũ plenioribus. Quæ uerba, ut prioris dicti rationẽ reddunt, ita poſterioris ſunt cauſa. Liquet igitur quòd non abſolutè aſſerit, tenuiorem uictũ fallacem in ſanis fore: ſed ideo fallacem, quia eo utẽtes peccare contingit, eáque peccata minus perferre poſſunt, ob uirium, ut diximus, imbecillitatem, diſſuetudinémq;, quàm ſi paulò plenius reficerentur. Vbi id aduertendum, quòd non ſimpliciter hìc tenues nominauit, ſed ualde tenues, conſtitutas, & exactas: & mea quidem ſententia uerbum, conſtitutas, (ſic enim conuertimus, id quod Græci κατεστηκυίας dicunt) certas & ueluti lege quadam perpetua firmatas, ſignificare uidetur.

Demum in aphoriſmi calce concludit Hippocrates id quod erat propoſitum, & ſumma totius aphoriſmi, qua uidelicet ratione, dię̨tæ exactè tenues ſint magna ex parte paulò plenioribus magis fallaces, dicens propter hoc eas eſſe fallaces, quòd uidelicet, ſi qua errata contingant, ea difficilius feruntur, corpore iam ex tenui uictu facto imbecilliore. Addidit autem, ut plurimùm, quoniam maxima ex parte error eis interuenit. Vt enim reliquis in rebus, ita in ægrotantium regimine, effugere errata uix ualemus. Hæc igitur eſt (ut ego quidem puto) aphoriſmi ſententia: ex qua uidere licet, quàm multifariam recẽtiores aberrarint, quódq; nihil hìc dixerit Hippocrates quòd eius dictis in ſecundo libro de diæta acutorum morborum ſit contrarium. Ordinem enim illi totum in primis peruertentes, ex propoſitione concluſionem, ex concluſione propoſitionem faciunt. Siquidem Hippocrates, quia ægrotantes peccant, ideo eos lædi: ipſi uero ecõtrario, eò quòd læduntur, peccare ægrotos concludunt. Sed & ei particulæ quam putant concluſionem, aduerbium, Magis, apponunt, quaſi Hippocrates dixiſſet, in tenuibus diætis magis peccant ægrotantes: quod Hippocrates non ei parti, ſed alteri tantummodo appoſuerat, dicens, In tenuibus uictus rationibus peccant ægrotantes, ideo magis læduntur. In nomine quoque Peccati, non minus peccant, totas ipſas tenues uictus rationes peccata eſſe putantes; cum Hippocrates non propterea in tenuibus diætis peccare ægrotantes dixerit, quòd ipſæ per ſeſe peccata ſint, ſed quoniam hi qui tali utũtur uictu, aliis erroribus inuoluuntur, ideo poſſe lædi affirmat. Sed fortè peccatum hoc neotericis ignoſceremus, modò ſibi conſtarent, nec eandem uocem in aphoriſmo eodẽ, uariis modis exponerent.

Verum

Verſi ubi de ſanis agitur,peccata,diætas deficientes,ſeu in quantitate diminutas,interpretantur:& ſic eandem peccati uocem,eodem in aphoriſmo,modo pro errore,modo pro uictu tenuiore interpretantur.

Non minus quoq; falluntur,putantes diætas dici ab Hippocrate tenues craſsáſue ad uim ita facta comparatione:ut illæ dicantur tenues,quę tenuiores ſunt,quàm ipſa uis requirat,ut ſcilicet ſeruari ad conſiſtendi uſque uigorem poſsit:atque econtrario craſſæ, quæ ſint plus quàm uis perferre poſsit,,craſsiores. Non enim hìc fit qualis illi putant,ad uires comparatio: alioqui inconſtantiſsima res eſſet ipſa tenuis uictus ratio,nec certum quippiam medium inueniri poſſet,ad cuius collationem craſsior tenuiórq; quæuis alia diceretur.Cuius tamen contrarium & Galenus in præcedentis aphoriſmi expoſitione,& reliqui medici uoluerunt, ptiſanæ ſuccum,uel ptiſanam ipſam paucam,tenuem exacte uictũ ſtatuentes, atq; in meditullio totius ægrotantium uictus collocãtes:cuius comparatione reliqui uictus uel craſsi,uel tenuiſsimi uocarentur.Sed ille uictus uere & exacte tenuis hoc loco intelligitur,qui in genere uictuũ præcedenti aphoriſmo à Galeno definitorum, nomen & definitionem tenuis ſubit,quod ab omnimoda inedia incipiens ad ptiſanam uſq; protenditur.Aiunt præterea,niſi reliqua paria ſint, aphoriſmum uerum non eſſe:non aduertentes paritatem hanc atque æqualitatem ab Hippocrate prorſus tolli,ut qui plenioribus addit modo hanc determinationem ὀλίγον, modo hanc μικρὸν,per quas uoces,paulum,uel parum ſignificatur,tenuibus uero πάνυ,hoc eſt,ualde:ita ut comparaſſe uideatur,ualde tenues,parum craſsioribus:non æquè tenues (quod illi contendunt)æquè craſsis. Sed hæc leuiuſcula.Illud uero grauius,& quod multos in perniciem adegit,quòd uidelicet ex aphoriſmo eliciunt,ſemper inclinandum potius eſſe ad craſsiorem quàm uis requirat uictus rationem,quàm ad tenuiorem: & ſicubi à modo recedendum,craſsius ſemper,nunquam tenuius eſſe uel ægrotos,uel ſanos reficiendos.Vnde natum eſt illud commune medicorum atq; idiotarum adagiũ,longe præſtare morbum quàm imbecillitatẽ curare.Quod dogma ubi ab Hippocrate Galenóque eius interprete, necnon à ratione ipſa alienum eſſe oſtenderimus,mox argumentationes diluemus,quę ad id ſuadendum à recentioribus ſunt excogitatę.

Hippocrates libro ſecũdo de ratione uictus morborum acutorum,poſtquam per lõgam ſatis ſeriem oſtẽdit,quantam in uictus ratione debite metienda uim habeat conſuetudo,ultráq; conſuetudinem,robur quoq; & modum morbi,naturámq; dixerat coniectanda,ita ſcripſit ad uerbũ:Multò autem minus uerſus adiectionem eundum eſt:detractio enim omnino frugalis plerunq; confert,ubi ſuperfuturus eſt ægrotãs,donec morbi ſtatus concoquatur.Quæ Hippocratis uerba expoſiturus Galenus,ſic ſcripſit:Cum cognoſceret certam cuiuſq; remedii quantitatem coniectura quadã egere artificiali,non eſſe autem cuiuſuis artificioſe coniectari,ſed eius tantùm uiri,qui omnia quæ ad artem attinent, & perdidiciſſet,& in memoria teneret,eſſétq; laboris amator,& in operibus artis attritus,quales pauci admodũ reperiuntur:ea quæ in præſenti ſermone dicta ſunt, meritò præſcripſit,quod uidelicet ubi peccandum,& à decente menſura recedendum ſit,omnino laudabilius fore,ad id quod quantitate minus eſt potius,quàm ad id quod plus eſt,inclinare.Id enim quod plus eſt,oblęſiones interdum inemendabiles facit:id uero quod eſt minus,facile corrigitur,ualentibus nobis,ſi uis labi uideatur,parum dare nutrimenti. Eius autem quod antea in uentre concoctum eſt,ſuperfluitatem auferre,& aliàs difficile eſt,& multo magis in acutis morbis.

Quæ certe Galeni uerba ſufficere uel ſola poſſunt ad conuellendam communem de ratione uictus ſententiam.Addo tamen & alio loco Hippocratem,qui eodẽ libro,nec multo poſt præſcriptam ſententiam inquit: Deterius quidem eſt,ſi ei qui ob laborem,morbíq; acutiem imbecillis eſt,potum quis offerat,multámue ſorbitionem,aut cibum,putãs eam imbecillitatem ob uaſorum contingere uacuitatem.Sed & indecens eſt, eũ qui ob uaſorum uacuitatem imbecillis eſt,non agnoſcere,rationéq; uictus opprimere. Affert enim & hoc periculum quoddam atq; peccatum,lõge quidem minus quàm alterum,ſed quod magis ſubiaceat irriſioni:ubi enim alius,uel medicus,uel idiota ſuperueniens, accidentiáq; cognoſcens, ea ad eſitandum potandúmque dederit,quæ prior ille prohibuerat,apertè uidebitur auxilium attuliſſe, cum magno alterius dedecore, putantibus hominibus ſuperuenientem medicum ueluti mortuum ſuſcitaſſe.

Quam ſententiam enarrans Galenus,ait:Plerunq; ægrotantes ob dolores abſq; pulſu fiunt, animóq; deficiunt,ac nullo motu moueri poſſunt.Simile & ob morbi acumen contingit.Nonnulli non ob hæc uiribus laborãt,ſed ob uaſorum,quomodolibet hoc fiat,uacuationem,ſiue ob manifeſtam ſenſibus excretionem, ſiue ob cæcam diſſolutionem,ſiue ob famis agoniam. Exigunt igitur hi quidem,ut cibus quàm celerrime exhibeatur:econtrario uero alii,qui dolore uel morbi acutie premũtur,uacuatione magis interdum egẽt, quàm repletione.Et ſi quis eis nutrimentum dederit, maximum malum operabitur.Illos uero qui ob uaſorũ uacuitatem debiles ſunt,ſi tenui oppreſſerit uictu, nocebit quidem,ſed non æque uehementer & manifeſte.

Hęc ſunt quę ab Hippocrate & Galeno interprete de hac re eo loco ſcribuntur:è quibus facile intelligi poteſt,& quantum neoterici aberrauerint,& quòd nulla ſit inter Hippocratis dicta uel ſuſpicio repugnantiæ. Quæ certe ſi affuiſſet,Galenum alioqui oculatiſsimum non effugiſſet:quem conſtat in nullo iſtorum locorum eius mentionem habuiſſe, ſed tenuem uictum ita in Aphoriſmis approbaſſe,ut ubi etiam uiribus non fidamus,ptiſanæ ſucco,qui eſt uictus exacte tenuis, utendum præceperit. Quem etiam ſequutus eſt Auicenna libro quarto,licet pro ſucco ptiſanæ, aqua hordei eo loco,ſicuti & alibi frequenter in uulgato codice legatur.Sed & ratio ipſa conuincit,falſum eſſe & pernicioſum hoc recentiorum dogma. Vt enim experimento conſtat,per tenuiorem quàm uis requirat cibum, uires ipſas aliquantiſper ſtatim ſubleuari:ita ratio monſtrat,à craſsiore,ut quem nec concoquere ualeant,nec diſtribuere, obrui potius quàm releuari ægrotantes. Vbi enim cibus plus præter naturã ingreditur,hic morbum facit,ait idem Hippocrates.Naturam autem eo loco nonnulli antiqui expoſitores,quos & approbat Galenus,potentiam intelligebant,à qua animalia gubernantur.Plus igitur cibi quàm naturali potentiæ conueniat ingeſtum,cum ſanis morbum facere poſsit, multo magis ægros offendet:morbum enim augebit:& uires,ſi ex morbi uehementia imminutę fuerint,amplius labefactabit:ſi ex uaſorum uacuatione,quoniam à natiuo calore non peruincetur, obtundet potius quàm releuabit. Perperàm igitur aiunt neoterici, craſsiorem quàm uis exigat cibum, periculo magis uacare,quàm tenuiorem.

*Cibo ſe ingurgitare, periculoſum.*

Non quoq; mẽdacio caret id quod abſolute nonnulli pronũciant,prę̨ſtare craſsius quàm tenuius ęgros reficere.Victus enim craſsior,robur auget,tenuis minuit. Raro autem accidit,ut robur maius reddendum in diuturnis,nedum in acutis morbis ſit, quoniam hoc fieri nequit niſi morbus augeatur.ad cuius augmẽtum plerũq; euenit,(quod & ſuprà dicebamus)ut robur quoque minuatur:quo fit ut contrarius effectus ſequatur, & quo magis per pinguiorem eſcam uires auctare cõtendimus,eo magis cõflacceſcãt.Taceãt igitur neoterici,nec pergant Hippocratem(quod & Theſſalus faciebat)in numero eorum reponere, qui ægrotos implebãt:cùm Galeno teſte,Eraſiſtratiorum potius ſit laudãda ſententia,qui illum fame cruciare ægrotantes aſſerebant, Licet enim media inceſſerit uia, uideri tamen magis poteſt tenuiorem quàm oporteret uictum imperans, quàm ægrotantes implens,ſicuti primo libro de uictu morborum acutorũ Galenus teſtatur.Nec difficile fuerit ex his quæ diximus,quas aduerſarii in proprii dogmatis aſſertionẽ afferũt,diluere rationes. Licet enim à tenui uictu depereant ſpiritus,calor diſſoluantur,humiditas ſubtilis cõſumatur,demúmq; totũ corpus exinaniatur,non propterea ſequitur eũ eſſe deteriorem.Siquidẽ maiori ex parte hæc à medico procurãtur,ut cuius propoſitũ ferè ſit,ne morbum foueat, uires minuere uel conſeruare,nõ augere,niſi rariſsime.Et quòd aſſerunt, difficilius corrigi oblæſiones tenuem uictum quàm craſſum ſequentes,falſum eſſe & ratione & Hippocratis Galenique autoritate demonſtrauimus. Non enim adeò uires hebetari ſinet prudens medicus,ut adhibito congruo uictu nequeant reparari,ſicuti neque athletarum more ſupra modum replebit.

*Victus exacte tenuis incommoda.*

Vter uero citius ad mortẽ deueniet, an qui tenuiſsimo uictu, an qui pleniſsimo utetur, licet dubium ſit, uidetur tamen eũ citius interiturum, qui aſsidue atq; indeſinenter replebitur, eo qui nihil omnino aſſumet. Multi enim ultra integrũ quatriduum abſq; omni cibo potúq; ſuperuixerunt: nullus ne dieculam quidẽ, aſsidue cibos ingurgitans, ſuperuixit: quin potius ex crapula multi ſubitò periere, cum tamẽ nihil accipere tenuiſsimus extreme uictus à Galeno dicatur. Nullus uero ſit, qui craſsiſsimus proprie dici queat, etiam ſi integrũ bouem quis deuorauerit. Quid igitur ſibi uoluit, dicet quiſpiam, Hippocrates, tenuem uictũ, eo qui ſit paulò plenior, magis fallacem demonſtrãs, ſi in illum potius quàm in hũc inclinandũ eſſe uolebat? Non aliud certe, quàm nos monere, ne temere, & abſq; diligenti examine, tenuem exacte uictum imperemus: ut quẽ ſciamus corpora, ad tolerandos (ſi qui fortè cõmitterentur) errores, reddere ineptiora. Atq; ubi hunc imperamus, diligẽtius caueremus, ne quis error uel ex nobis, uel ęgroto, uel ex aſsidentibus, uel aliis quomodolibet irreperet, ſcientes huiuſmodi errata magis eos lædere qui tenuiter, quàm qui craſsiuſcule aluntur. Ne uero quiſpiã arbitraretur, quòd deteſtandi atq; abigendi tenuis uictus gratia, præſentem ſcripſiſſet aphoriſmum, ſtatim ſubdidit, Extremis quidem morbis, extremæ curationes ad exactionem optimæ. Quod & Oribaſius notauit. Subiecit quoq; & alios quinq;, qui hos ſequuntur aphoriſmos, in quibus ſingillatim demõſtrauit, quando tenuiſsimus, quando plenior, hoc eſt, minus tenuis uictus eſſet adhibẽdus. Neq; putandũ eum minus nociturum, qui ubi tenuiſsimo uictu utendũ ſit, nonnihil alimenti conceſſerit, quàm illum qui ubi alimẽtum ſit dãdũ, omnimoda excruciat inedia, ſicuti ſuperius Hippocratis & Galeni teſtimonio probatum eſt. Hæc igitur ſunt, mi Antoni, quæ mihi circa huius aphoriſmi expoſitionem occurrêre: quarum, ut dixi ab initio, te iudicem & cenſorem delegi, id probaturus, quod abs te probatum iri cognouiſſem. Vale.

EPIST. III. *Hippolyto Roſcio. Quid intelligendum per Antheram.*

LEgiſſe te in multis medicamentis Antheræ nomen dicis, nec adhuc ſcire quidnã ſignificet: aliis luteum illud quod mediũ florentiũ roſarũ interiacet, aliis rubentẽ ueluti fructũ, quẽ ubi defloruere, in ſua ſpina relinquunt, antherã nominantibus, quæriſq; hac in re meam ſentẽtiã. Poterã certe petitioni huic tuæ breuibus ſatisfacere, ſi dixiſſem, neutrum eſſe antherã, apud idoneos enim autores, non ſimplicis medicamẽti nomẽ eſſe, ſed cõpoſitionum, quas ad oris præcipue ulcera antiqui reliquere: quarũ Plinius uigeſimoquarto, Celſus ſexto, Dioſcorides primo, Galenus quinto de compoſ. medic. ſecundũ genera, Paulus & plerìq; autores in ſuis libris meminere. Sed dixiſſes puto, nò te hoc quęrere, ſed quam rem hi intellexerint, qui ad alia componenda medicamina ea utuntur. Non enim uideri rationi conſentaneum, ut compoſitiones haſce in alias compoſitiones adhiberi uoluerint, pręſertim cum non certi cuiuſpiam medicamenti nomen anthera ſit apud enumeratos autores, ſed multis commune, quæ ulcerato ori ſolent adhiberi. Vt igitur id melius aſſequare quod deſideras, res eſt altius repetenda. Antiqui in roſa ſex partes, non nomine tantum, ſed uiribus quoque & facultatibus differentes, cognouere: quas à recentioribus ferè neglectas, inutile fuerit recenſere. Roſam primo diuidunt in folia, flores, & capita: folia in ungues, & id quod exemptis unguibus remanet. In flore aliud ſemen, aliud capillus: in capite aliud cortex, aliud calyx (ut Plinij uerbis utar) intelligitur. Vnguis, pars illa candida uocatur, quæ capiti de proximo hærens, præcidi à ſeplaſiariis conſueuit, rhodomeli, uel rhodoſaccharum reliquo paraturis: unde roſæ tales exungulatæ ſolent appellari. Florem luteum illud intelligunt, quod foliis circunquaque ambitur, ſeparatum in capillum, id eſt, in tenuia quædam fila, & in ſemen quod ſub his filis lanugine quadam opertum, cortice continetur. Caput autem ſolidũ illud, quod foliis & floribus, ceu baſis ſubſternitur: cuius ſuperior pars, ex qua flos & folia prodeunt, proprie caput, reliquum calyx nuncupatur. Differre autem hæc non nomine tantum, ſed & uiribus, Dioſcoridis primum teſtimonio probatur, florem in gingiuarũ fluxione inſperſum, capita pota in alui profluuiis, & ſanguinis excreationibus, folia ad alios uſus commendantis. Sed & Galenus libro ſeptimo de ſimplicibus medicamentis, florem in adſtrictoria ui, ait foliis præſtare. Quod etiam confirmauit Auicenna libro ſecundo, licet pro flore, ſemen, ſicuti quoque aliis in locis, ſcripſerit. Septimo quoque libro, qui de compoſitis medicinis ſecundum loca patientia inſcribitur, Hiram medicum, ait idem Galenus, in quadam Andromachi compoſitione, roſarum folia in flores mutaſſe. Plinius florem ſcribit ſomnum facere, ſemen urinam ciere, dentium dolori, igni ſacro, & ſtomacho mederi, & naribus ſubductum caput purgare, ungues epiphoris ſalubres. Ex his roſæ partibus, re ipſa & ui, nedum nomine differentibus, flores antheræ nomine recentiores ſignificaſſe, ex hoc maxime uidentur, quòd ea in morbis utuntur, qui adſtrictoriam uim ualde deſiderant, qua præcipue flores pollere, Galeni teſtimonio ſuperius demonſtrauimus. Quod & nomen ipſum manifeſtat, cum ab eo quod eſt ἄνθος ῥόδου, id eſt, flos roſæ, deductum uideatur, uoce tamen (ut fieri uulgò ſolet) pauliſper decurtata. Hæc habui de anthera quæ ſcriberem, magis ut tibi morem gererem, quàm humanæ ſaluti conſulturus, quando non magni periculi res eſt, utrum ex his quæ petieras, pro anthera capiatur. Vale.

*Roſæ partes ſex, uirtute differentes.*

*Roſæ exungulatæ.*

EPIST. IIII. *ad I. F. Beſutium, compendium medicinæ.*

EFflagitaſti à me Beſuti, ut quemadmodum olim Dialecticæ, ita Medicinæ typum quendam, & ueluti ſuffigurationem tibi conſcriberem, uniuerſa eius capita breuiſsime innuentem potius quàm explicantem. Feci quod iuſsiſti, ut potui, non fortè ut uoluiſſes. Accipe, & lege, illud cogitans, Breuis eſſe laboro, obſcurus fio.

Medicina eſt ſciẽtia, corporis humani ſanitatẽ uel reficiens, uel conſeruãs. Corpus humanũ ex uariis partibus inſtrumentalibus cõſtat, quæ ex ſimplicibus cõponuntur. Simplices in alias ſimpliciores reſoluuntur, nec ceſſat reſolutio donec ad elementa uentũ ſit. Hæc ſunt primæ partes corporis, numero quatuor: ignis calidus & ſiccus, aër calidus & humidus, aqua frigida & humida, terra frigida & ſicca. Ex horũ cõmixtione nouẽ reſultant tẽperaturæ: una tẽperata, quę potius intelligitur quã ſit, in qua nulla qualitatũ elemẽtarium aliã uincit. octo diſtẽperatæ. ſimplices quatuor: calida tantũ, frigida tantũ, humida tantũ, & ſicca tantũ. Cõpoſitæ rurſus quatuor, elementorũ qualitatibus reſpondentes. Quæ etiã in quatuor humoribus reperiũtur, ſanguine, pituita, bile rufa, & atra. Qui quidem humores, & ab initio corpus humanum faciũt, & pòſt nutriũt. Cibus enim à uentriculo in ſuccũ mutatus, in hos primo à iecore conuertitur, & demũ in mẽbris tertiã recipit concoctionẽ, qua eis ſimilis fit. Reſpondent elemẽtis hoc pacto: Bilis rufa igni, atra terræ, ſanguis aëri, aquę pituita. Ex his primo ſimplicia & ſimilaria mẽbra componuntur, id eſt, in quibus pars eandẽ cũ toto rationẽ ſubit, ueluti caro, os, neruus. Ex ſimplicibus cõſtituuntur (ut diximus) inſtrumentalia, caput, manus, pes, & id genus cætera. Ex quibus tria principalia ad indiuidui conſeruationem neceſſaria, cerebrũ, iecur, cor: in quorum ſingulo una ex principibus poteſtatibus reſidet. Quartũ ad ſpeciei perpetuitatem, teſtes. Cerebrũ ſedes eſt poteſtatis animalis. Quę duplex eſt, motiua uidelicet & cognoſcens, per neruos in uniuerſum corpus diſſeminatos diffuſe. Iecur per uim naturalem in eo conſiſtentẽ, ſanguinem, & alios humores gignit, quos per uenas uniuerſo corpori ad alimentum præſtãdum (ut diximus) diſtribuit. Cor uitæ fons, per uitalem ſpiritum à ſe genitum, & per arterias tranſmiſſum, ſingulis particulis uitam elargitur. Sũt & quædã mẽbra quę principalia quidẽ nõ ſunt, ſed quia principalibus miniſtrant, etiã ipſa magni momenti ſunt, ueluti uentriculus iecori, pulmones cordi, ſpinalis medulla cerebro. Sanum itaq; corpus erit, cum ſuo quæque munere particula integrè pollebit: ęgrum, dum conſuetas explere functiones non ualebit.

*Cor uitæ fons.*

Læduntur hæ ab ægritudine. Ea quippe nil aliud eſt, quàm diſpoſitio, ex qua operationes oblæduntur. Ipſa enim operationum læſio ſymptoma dicitur, quod ita à morbo, ſicut morbus à cauſa, pendet. Quæ quidem eſt duplex: præincipiens ſcilicet, quæ extrinſecus occurrit:

currit, & corporea, quæ intrinſecus. Morbus triplex in genere eſt, ſcilicet, mala temperatura, quæ primo lædit ſimplicia membra: mala compoſitio, quæ inſtrumentalia: continuitatis ſolutio, quæ eſt utriuſq; cõmunis. Porrò mala temperatura totuplex genere eſt, quotuplicem ſuprà diſtemperantiam eſſe monſtrauimus. quæ præterea & cũ materia, & abſq; ea eſſe poteſt. Inter malas temperaturas præcipua eſt calida & ſicca, ſi in corde accenſa ad totum corpus feratur. hanc febrem uocamus. Quæ ſi in ſpiritibus primo accendatur, ephemera: ſi in humoribus, putrida: ſi in membris, hectica uocatur. Mala cõpoſitio aut in quãtitate, numeróue auctis aut diminutis, aut in poſitu ac ſocietate, aut in formatione, id eſt ſuperficie, uia, concauitate, figuráue cõſiſtit. Symptoma, quod (ut diximus) morbũ ſequitur, ut hic cauſam, eſt triplex: operatio læſa, qualitas mutata, exiens mutatum: per quæ ueluti notiora morbos cognoſcimus. Præter naturam has res, priores naturales uocamus, atq; naturales quidem per ſimilia cõſeruare, præternaturales per diſsimilia curare laboramus. Sunt præter has tertiæ quædã res, quas non naturales dicimus, aer uidelicet, cibus & potus, ſomnus & uigilia, motus & quies, excretio & detentio: & ſextum cum his, animi affectus: per quæ, ſi recte adhibeantur, & ſanitas cõſeruatur, & morbus pellitur, ſi minus, & morbi, & tandẽ mors ſequitur. Morbus ergo cũ ſit res præter naturã, tollẽdus per cõtrariũ eſt. Quod uenari recte nõ ualemus: niſi & morbũ ipſum bene agnouerimus, & ea ipſa quæ afferenda ſunt cõtraria. Morbus ſignis agnoſcitur: hæc ſunt, prognoſtica, quę ꝓpria futurorũ: dignoſtica, quæ præſentium: memoratiua, quę pręteritorum. Cõtrariũ uero, morbi quidẽ intemperatura, ſi ipſa materia uacat: eſt medicina, quæ tantũ debet ad cõtraria qualitatem uergere, quantũ mala ipſa temperatura à naturali habitu receſsit. At ſi temperatura materia fouetur, hanc euacuare oportet. Eſt autem uacuatio, alia ſenſibilis, quæ uel per propria ſuperfluorum excretoria fit, uel per cutem: & aut à natura, aut à medico. alia cæca, ad quam multum confert inedia. Morbus malæ cõpoſitionis per ſuum quoq; contrarium amouetur, figuram uidelicet congruam, ſuperficiémq; debitam inducendo, uias & meatus reſerãdo, ſuperfluam quantitatẽ uel numerum abiiciendo, minuta augendo, & demum ſuum cuiq; contrarium adhibendo: ſicuti & ſoluta cõtinuitas per unionem curatur, ita ut nihil aliud ſit medicina, niſi quod bonus ſenex nobis definiuit, adiectio, & ablatio. Vale.

EPIST. V. *Ad amicum atra bile agitatum.*

NEſcio quę res tantũ mihi afferre moleſtię potuiſſet, quantum attulerũt tuæ literæ. Ex his enim ea intellexi, quæ ut minime uolebã, ita minime putaſſem, & quæ niſi tumet ſcriberes, nulli unquã hominum crederẽ. Ea non repeto, quãdo meminiſſe animus horret, nedũ referre. Vrget me hoc præcipue inter cætera, quòd te, quẽ ueluti ſcopulum ſolidiſsimũ, aduerſus omnes ſæuiẽtis fortunæ ictus ſemper immobilẽ cognoui, ita uideo animo conſternatũ, ut tui penitus oblitus uideare, & quaſi temetipſum deſeruiſſe. Quod niſi obſtares, facile bonã ualetudinẽ te recuperare poſſe confiderẽ. Non enim ſunt tibi medicamina à littoribus Indicis perquirẽda, uel Aeſculapius ab inferis reuocandus, qui te liberet: intra te ipſum habes antidota, & nemo tibi melior, quã tumet tibiipſi, eſſe medicus poteſt. Ab ægritudine cœpit hic morbus, & per hũc creuit ęgritudo, rurſusq; uiciſsim ex hac morbus coaleſcit, quaſiq; reciprocus quidã circuitus fit: qui niſi clauo figatur aut retũdatur, perpetuo agitatu mẽtẽ ſimul & corpus perturbabit. Affigere hunc clauũ, in tua poſitum eſt manu: neq; aliud amplius quã ut uelis, exigitur. Suboluit quidem & hoc tibi prius, rectéq; quid opus eſſet cõieciſti. Sed ubinã figẽdus eſſet clauus, præ ſenſuũ perturbatione, nõ bene iudicaſti. Amor quippe ſolus eſt, qui impetus hoſce remorari, ꝑturbationes frenare, agitatus mẽtis & fluctus ſedare poteſt. Sed nõ erat in re fluxa, uana, tumultuaria, lubrica ponẽdus, & quæ mentẽ æque & corpus laxaret ſimul & emolliret: ſed erigẽda acies ad ſublimes illas ultramũdanas mẽtes, ſemper ſui ſimiles, nulli inuidẽtes, nullius indigas, ſemper felices: in has ueluti propriæ naturæ maxime conformes, mẽs ipſa, modo corporea mole nõ grauetur, ſuapte ſpõte facile conſcẽdit, atq; in ſeipſa mortua, in illis feliciſsime uiuit. Hęc eſt illa deſideratiſsima & feliciſsima mors, cuius meditationem uerã eſſe philoſophiã Plato definit. Per hanc, quaſi per ſcalã Iacob, de uirtute ad uirtutẽ cõſcẽdimus, donec Deus deorum in Sion, id eſt, in altiſsima ſpecula uideatur. Ad quam ubi mẽs ſe ſupra ſe attollẽs, peruenerit, uoluptates, diuitias, honores, ut uiliſsima ſtercora reputabit. Nec arduũ eſſe putes hunc cõſcenſum: mũda à terreſtribus ſordibus pedes, & alas cõtẽplationes coapta, ſtatim erunt pedes tui tanquã ceruorũ, & alarum remigio uolabis potius quàm ambulabis. Quid cũctaris, quid hæres? Si amandũ aliquid eſt, id amandũ certe eſt quod ſimilimũ, quod pulcherrimum, quod liberaliſsimũ, quod optimũ, quod ſapientiſsimũ, quod præuenit & inuitat, quod optima quæque dedit, meliora promittit, nec quẽquã aut fallit, aut uult, aut poteſt fallere, nunquã deſpicit, nunquã faſtidit, quod nullus unquã nobis inuitis auferet: cui ubi unita mens fuerit, nihil formidabit. Irruant homines, ſæuiãt feræ, cœlum minetur, inſultent tenebrarũ poteſtates, ſcuto circundabit te ueritas eius, non timebis à timore nocturno, ſed dices Domino, θεός μου εἶ σὺ, καὶ ἐξομολογήσομαί σοι. θεός μου εἶ σὺ, καὶ ὑψώσω σε. Hæc eſt methodus, hic eſt ſcopus, hæc ſtella & polus: ad quæ ſi intẽderis, imperabit mari & uentis, & mox fiet tranquillitas magna.

*Mortis meditatio uera philoſophia.*

*Aeger animo, ægrotus corpore dicitur.*

Humana tamen remedia, & quæ Deus ipſe de terra creauit, non ſunt negligenda: inter quæ id mihi præcipuum uidetur, ut uena quæ annularem minimúmq; digitum interiacet, ſecetur, ſanguiniſq; ſex unciæ hauriãtur, fiátq; propotiſma ad hunc modum: Accipe ſenæ ac polypodii uncias ſingulas, agarici, rhei barbarici, utrobiq; drachmam mediã, abſinthii, cicoriiq; ſingulos manipulos: bulliant omnia hæc in libra aquæ, donec tertia pars excoquatur, & quod remanet in tres partes diuidatur, quę in tribus diebus, adiecta ſemper mellis roſacei uncia, bibãtur. Quarta die tres drachmæ roſacei ſacchari comedantur, adiecta eius cõpoſitionis drachma, quã lætificantem uocant. Rurſúſq; ſequenti die ad priorem potionem redeundũ, de qua idem modus triduo bibendus, & quarto ſimiliter die eadem mixtura ſumẽda: nec ceſſandum ab hoc ordine, donec quindecies potus ille aſſumptus fuerit. Bonis interim cibis ueſcendũ, præcipue ouis ſorbilibus, & gallinarum, uel caponum iure: uinúmq; album, odoratum, mediocriter dilutum moderatè bibẽdum. Sequenti tempore ſingulo quoq; die parum aloës deglutiendum uſq; ad magnos æſtus, in quibus loco alẽs tantum ſingulo die ſeri bubuli bibẽdum, quãtum ſubducere aluũ poſsit. Vtendúmq; ſecũdo Io. Meſue compoſito, quod Regium electuariũ uocauit, quod tamen ſit ſine ſandalis præparatum. Fouenda præcordia ex cremore abſinthii, rutæ, & anethi. Vtẽdum balneis aquæ dulcis, ſomno, quiete, lætitia, fidelium amicorum conſuetudine. Peregrinationem maxime laudo, quam ſi ad nos feceris, Deo optimo maximo iuuãte ſpero nos lætabundos & ſanos patrios lares ſimul reuiſuros. Vale amice ſuauiſsime, & ſi me uiuere uis, fac te uel uideam, uel conualuiſſe intelligam. Datum Budæ.

# IOAN. MANARDI

## EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER QVINTVS.

EPIST. I. *Ad uirum magnificum Mathiam Phrigepanum, qui ex immodico ſanguinis per ſedis uenas effluxu, ad malum habitum peruenerat.*

SI nobilitas (ut Ariſtoteli placet) eſt maiorum claritas, iſq; generoſus dicendus eſt, qui à maiorum antiqua nobilitate non degenerat, quis dubitet te Mathia magnifice inter nobiles nobiliſsimũ, inter generoſos eſſe generoſiſsimũ? Ex uetuſtiſsima enim Phrigepanorũ familia ortus, quæ poſt Troię excidiũ Phrigios penates in Italiã ſimul cũ Aenea portauit, inter maiores tuos, & Gregoriũ pontificẽ ſanctiſsimum, & Thomam Aquinatem, nõ minus doctrina quàm uitę puritate clariſsimũ, innumeróſq; & toga

& ar

& armis prꝗcipuos,numeras. Quorū ueſtigia ita ab ineunte ætate es imitatus, ut in Vladislai Pānoniarum & Bohemiæ regis optimi curia educatus, adeò omni uirtutum genere ornatus euaſeris, ut uerū te antiquæ nobilitatis hæredem omnes prædicent. Et niſi aduerſa ualetudine iamdiu obrutus, arma intermittere, & domi deliteſcere coactus fuiſſes, cognouiſſent iam portentoſiſsimæ illæ Turcarum belluæ, quæ ſe Troiano è genere deſcendiſſe iactant,te à uera Troianorū propagine ortum duxiſſe.Sed ſubripere quidem corporis uires morbi potuerunt,fortitudinem animi nequaquā, qua concitatus, illarum reparandarum gratia, longum & difficile iter aggredi non es ueritus, ut Budam regiam Pannoniarum ciuitatem peteres, ubi multos præclariſſimos medicos,in hoc præſertim procerum & primatum generali cōuentu adeſſe exiſtimabas, de ſalute tua conſulturus. Quò cum deo iuuante perueniſſes, quatuor ſtatim medicos conuocaſti:qui ſolerti & accurata indagine affectiones,quibus affligebaris diſcutientes, tales eas inuenerunt.Primo enim iuxta Hippoc. decretum,faciem conſiderantes, eam uidimus pallore quodam ad plumbeum inclinante deturbatam, rugoſam pluſquam ætas expoſceret:nondum enim trigeſimum ſeptimum annum attigiſti: exalbidis labiis, palpebris & malis laxo quodam tumore infectis,& (ut uno uer-

*Mali corporis habitus indicia.*

bo dicatur)malum corporis habitum, quem Græci cachexian uocant, demonſtrantem. Corpus uniuerſum excarne,& lene:præcordia, quæ Græci hypochondria uocant,lenta quadam mollitie relaxata:uētriculum & inteſtina flatuoſo ſpiritu plena:pulſum arteriarum mollem,uacuum,paruum,frequentem, & inæqualem : pedes œdemate laxo abſque dolore intumeſcebāt : urina pallida & craſsiuſcula, cum crudo quodam ſedimine uiſebatur. Et hæc quidem noſtris ſenſibus oblata ſunt. Nonnulla uero per interrogationē cognouimus, ægre uidelicet te ambulare,non bene dormire, nec cibū nec potum appetere, adſtrictam aluum habere, ſanguinis per podicis uenas profluuio (Græci hęmorrhoidas nominant)iam quadriēnio uexatum,qui prius ſtatis temporibus,modo quoties alui excrementa emittenda eſſent,affligebat:prominereq́; ſemper, & intus & extrà, uenas,& condylomata, quæ quandoque uehementes dolores in ſede excitabāt:inſpectúmq; ſanguinem qui exierat, fluidum, & ad aqueum & album uergere cognouimus.Vniuerſa autē hæc ſub examen rationis mutuis diſputationibus adducentes,in hanc tandē ſententiā cōſpirauimus. Ex immodico uidelicet & quotidiano ſanguinis fluxu, magnā imbecillitatē iecur contraxiſſe,uimq; propterea naturalem,cuius fons eſt,& origo,non ſolū in eo,ſed & in uentriculo,ac cæteris membris multū defeciſſe:atq; ex his contingere, ut non bonus ſanguis gigneretur, ſed incoctus & ualde pituitoſus,ex ipſáque pituita, ob aliquam uenarum iecinoris obſtructionem putreſcēte,febriculam latentē excitari, neq; bonā concoctionē aut in uentriculo, aut in membris fieri:hincq; & malum habitum,& decolorationē contingere,ac flatuoſum ſpiritum in uentriculo & inteſtinis conſiſtere,diminuta uidelicet caliditate:& pedes intumeſcere,ueluti à principibus membris magis ſemotos,& nocumentum prius,uel magis cæteris ſentientes,& aliorum membrorum ſuperflua recipientes. Reciprocúmq; quēdam uelut circulum fieri,ex immoderata ſanguinis uacuatione nata imbecillitate:ſanguinem fluxibilem,& ex immodico hoc fluxu quotidie iecur imbecillius reddi.Iudicauimúſq;,non aliter poſſe futuræ imminentíq; aquæ intercuti occurri,& præſentia mala expugnari,niſi utriq; rei pariter obuiaremus,naturalem quidem uim roborando,& ſanguinis fluxum intercipiendo.Satius eſſe putantes,morbis qui iam aderant obſiſtere,quàm eos qui ex antiqui ſanguinis per ora uenarum effluxus conſtrictione euenire iuxta Hippocratis aphoriſmum poterāt,formidare:præſertim cum factu facile uideretur,corpore ad priſtinū robur deducto,uel conſuetū fluxum ſi opus eſſet reuocare,uel alio ingenio formidatos ex adſtrictione conſueti ſanguinis fluxus morbos præcauere. Roboratis itaq; per interiora exterioráq; medicamenta naturalibus membris,obſtructionéq; reſerata,& ſedi moderate adſtringentibus applicitis, intra paucos dies & fluxus & febricula leuata eſt,& omnia ferè accidentia, præter dolores quoſdam uentris,uel penitus abolita, uel magnopere mitigata,ſuúſq; redditus membris nitor,adeò,ut non aliud ſupereſſe nobis uideatur,niſi receſſurum ex hoc loco inſtruere,quo uictu,& quibus remediis cauere poſsit ne rurſus eadem diſcrimina incurrat:atq; ita munire,ut periculis quæ ex retentione antiqui fluxus poſſent accidere, ualeat repugnare,doloréſq; illos ſubmouere, qui aliquādo ſolent uentrem infeſtare. Quod ergo ad uictus rationem attinet, eam ita inſtituere conandum,ut trinæ ſimul intentioni ſubſeruiat.

Cibus itaq; ſit boni ſucci,facilis concoctionis,nō inflet,non obſtruat,nec uehementer aut calefaciat,aut frigefaciat,ſed deobſtruendi uim quandam,& tenuandi poſsideat. Sicuti panis ex bono tritico,nō uſquequaq; à furfuris tenuioribus particulis emūdatus,bene à moderato igne in furno coctus,fermenti multum,& ſalis modicum habens,cui uel aneſi,uel ammii,uel cymini aliquot ſemina commiſceantur. Cauendus azymus,teſtaceus,ſubcineritius,qualis circa Illyriū in ueſtris oris præparari ſolet.

Vinum ſit clarum,tenue,odoratum,colore uel flauū, uel ſubrubrum,media ætate & ui:cui & abſinthii quid adieciſſe non erit inutile,ad modum huic patriæ cōſuetum. Vitādum muſtum,antiquum,turbidū,dulce,craſſum,acidum,aqueum,nigrum. Ceruiſia qualiſcunq; ſit, ac melicratum cōmune,cui lupi ſalictarii, quem lupulum uocant,flores adiecti ſunt. Aqua item ſimplex,& potus qui ex acerbis pomis,uel ceraſiis apud uos parantur,eiuſq; generis reliqui potus penitus dimittantur. Quòd ſi uoluptas,uel conſuetudo,aliū potū quàm uinum aliquando cogit accipere,ſimplex melicratū ex electo uidelicet melle, aquáq; uel fontis,uel pluuiali, adiectis uel aneſi,uel fœniculi ſeminibus,paratum non erit inutile. Carnes ſint uituli,hœdi,ueruecis iuuenis,capi,gallinæ,columbi,turturum, perdicum, phaſianorū, attagenarum,gallinarum numidicarū,quas deſerti uocant,merularū,paruarum auicularum,quæ in dumetis uerſari ſolent:ſintq; uniuerſæ iuuenum exercitio utentium,& liberorum animalium. Vitandæ agni nō caſtrati,bouis,capræ uel domeſticæ,uel ſylueſtris,ſuis, apri, cerui,leporis,ſturni,coturnicis,quam qualeam uocāt. Anſeris præter alas,anatis,omniúmq; auium in aquis uiuentium,longúmq; collum habentium. Atq; in uniuerſum omnes antiquæ,in caueis ſaginatæ,duræ,ſupra modum pingues,uel macilentæ, & uel recenter occiſi animalis,uel nimia mora iam corruptioni proximæ. Præter gallinarum ac anſerum iecora,omnia animaliū uiſcera dimittantur,& pariter capita,& ſanguis. Teſticuli tamen iuuenum pullorum gallinaceorum non adhuc coëuntium,& adenes,id eſt,glādoſæ carnes,& linguæ permittuntur. Probantur elixa,uel leniter in ueru aſſata. Damnantur frixa,& in clybanis,uel teſtaceis uaſculis cocta. Oua gallinarum ac phaſianorū noua, ſorbilia,uel tremula,cum teſtis ſuis cocta,uel in aqua perfracta commendamus,reliqua in totum prohibemus. Piſciculos paruos petrinos laudamus, lucios, trottas, auratas,mullos,id eſt,triglas, gobios toleramus : reliquos piſces prohibemus,pręcipue tincas,anguillas,cicos ueſtros,cunctóſq; cetodes,id eſt,magnos, omnes etiam non bonis aquis enutritos,& tenaces:malíq; odoris exiſtentes,atq; omnia oſtrearum & concharum genera. Quicunq; piſces edendi ſunt,eos uel modo huius patriæ cum ſale coqui uolumus,uel more Gallico in albo iure,quod ex anetho,porris,oleo & ſale præparatur,uel ſpeciebus aromaticis inferius deſcribendis cōdiri iubemus. Cammarorum uſum ob difficultatē concoctionis,craſſúmq; nutrimentum,non probamus,& ſimiliter cancrorum. Caſeum ſiccum:qualiſcunq; ſit,interdicimus:recentem ante cibum aliū toleramus. quæcunq; tamen ex utroq; parari pulmenta conſueuere,uituperamus. Iuſcula pulmentáue confici poſſunt ex recētibus ouis,pane cōtrito uel mollito,amygdalarū ſucco, atriplicibus & cōmunibus & ſpinaceis,bugloſſo hortulano, quā boraginē uocāt,& ſylueſtri,anetho,fœniculo, hortulanóq; apio uocato petroſelino, cōmixtis, addita etiā mentha. Itē farre & hordeo optime coctis, anetho adiecto atque uuis acerbis, prunis, & paſſulis. Braſsicarum ius & cicerum, corporibus ipſis abiectis non reprobamus, bullire tamen cum ciceribus mentham uolumus. Poteſt & Galeni modo, ex hordeo quidem pauco, & lente multa, bonum edulium parari,ſatureia addita,& puleio. Cucurbitam cū origano non improbamus,nec porcellorū pedes cū ptiſana.

Oleum

Oleum oliuarum,uel amygdalarum laudamus:reliqua olea ſimul cum butyro prohibemus:id ſemper cauendo,ne res multum pingues edantur.Ex amygdalis contritis ſaccharo,omphacio & aqua roſacea intinctus cõfici poteſt,palato gratus & ſanitati non inutilis. Simile quid poteſt fieri ex petroſelini, fœniculi, ſerpylliq; folíis contuſis,& aceto mellé q; diſſolutis.Ex oleribus petroſelinum,anethum,fœniculum,bugloſſum, menthã, aſparagos,intybum tam domeſticum quàm ſylueſtre, medicinæ potius quàm cibi ratione cõcedimus.Lactucas,maluas,blitum,atriplicem,portulacam,& acidum lapatum,quod acetoſam uocant,toleramus,ita tamen ut frigida ſemper calidis temperentur:reliqua prohibemus.Acetũ quo cibaria condiẽda ſunt,roſaceũ eſſe uolumus,paſſuláſq; ſemper ſecũ habere.Capparorũ uſum commendamus,maxime ſi oxymelite condiantur.

Species aromaticas tales eſſe uolumus:Cinnamomi, cardamomi,maceris,quẽ florem muſcatũ uos,alii macem uocant,ana partes quatuor:piperis,croci,ana partem unam:quibus ſaccharum addatur ad omnium põdus.Inter fructus laudem in hoc caſu merẽtur amygdalæ,pineoli,piſtacea,auellanæ,paſſulæ,caricæ, prꝗſertim cũ amygdalis comeſtę.Ficus recẽtes penè innocuę ſunt: uuæ aliquãdiu in ſole ſuſpẽſæ ferè & ipſæ culpa uacant. Ceraſia acida,pira,mâla roſea & paradiſa aſſa,& melo pepones bene odoratos indulgemus,modo reliqui fructus dimittantur.Perſica ſi qua ſumẽda ſunt,uel mâla armenica,ea uolumus omnem aliũ cibũ prꝗcedere,ordinémq; ſemper hunc ſeruari,ut res peioris ſucci melioribus,& quæ citò deſcendunt his quæ tardius, præponantur.Ex his quę ſaccharo operta,luxus potius quàm neceſsitatis gratia in ſecunda mẽſa ſumuntur, cõueniũt amygdalæ,grana pini,aneſi,piſtacia.Ex conditis cũ melle aut ſaccharo,citri,& citrii,id eſt,narãtii cortices,zingiber(modo omnis acrimonia ab eo ſit ablata)myrobalanus chebula,eryngion,& eius herbæ radix quam ſecacul Arabes,Itali fraxinellam,uel geniculatã uocant, & Dioſcorides,ut ego quidem puto,polygonaton.Cydonia quoq;,& pira modicè poſt alios cibos deguſtata,non uſquequaq; interdicimus.

Sed cum de cibis iam ſatis dictũ ſit,tempus eſt ut ad reliqua tranſeamus.Et primo de aẽre loquemur,qui ut ſemper nos ambit,ita eligi pro arbitrio nõ poteſt:éſtq; Galeno teſte aliquando auxilium,aliquãdo cauſa,morbum uel faciens,uel fouens. Auxilium quidem in caſu noſtro erit,cũ modice calidus & ſiccus fuerit, purúſq; & clarus,ac tranquillus,uel dulcis,Fauonii aura modice exagitatus.Morbum præcipue fouebit,quando ualde frigidus uel humidus,& Auſtro uel Aquilone cõmotus,uel nimio calore uires diſſoluens:quibus temporibus domo cõtineri ſatius erit,& ſi neceſsitas aliqua exire coẽgerit, capite & reliquo corpore bene ueſtibus munito(etiam ſi neceſſarium non uideatur)erit exeundum.Habitatio quoq; eligenda,& his rebus ſternenda ac ſuffienda,quæ inſtanti obuient tempeſtati. Cibóque ac potu,motu & quiete,ac rebus aliis utendũ,quæ nocuæ tempeſtati aduerſentur,ut uidelicet calori,frigidioribus cibis reſiſtamus,frigori calidioribus. Temperato exercitio ante prandiũ utendum, frictionéque & unctione ex chamęmelino oleo,quod cum bono uino albo prius bullierit.Poſt cibum omnis motus uitandus. Equitatio & aurigatio inimica ſunt.Quæ ſi euitare omnino non licebit,ſaltẽ erit uel equus eligendus qui molliter gradiatur,uel currus qui minime concutiat.

Somnus ita moderandus,ut octo horarum ſpatium non excedat,& quãtum fieri poteſt,meridianus fugiẽdus.Concubitus ita intermittẽdus,ut uigorem potius & alacritatem,& meliorem ſpirationem poſt ſe relinquat,quàm ſegnitiem,triſtitiam,uel diſſolutionẽ. Procurandum ut quotidie uenter eat:quod ſi natura per ſe nõ fecerit,balano,uel clyſmate irritetur.Omnes animi immodici affectus,ſed triſtitia potiſsimum & ira fugiẽdi.Quanquam hac uictus ratione iam cœptam bonam ualetudinem & conſeruari & augeri ſperamus,& formidata mala caueri:non ſuperfluam tamen operam facturi uidemur,ſi & auxilia quædam addiderimus,quibus priſtinus uigor melius inſtaurari ualeat, antiquæ paſsiones præcaueri,& nouis,ne adueniãt,cautela adhibeatur.Et quoniam omnia(ut ſuperius diximus)ex ſuperflua ſanguinis uacuatione originẽ traxere, prouidendũ omni ingenio,ne ea de cætero contingat.Quod certe fiet,ſi ſanguis neq; copia,neque mala qualitate à mediocritate recẽdat:omniſq; cauſa uitetur,quæ reſerare illas uenas poteſt,per quas fundi aliquando conſueuerat:ea aſciſcantur,quæ aliò ipſum diſtrahant.Sanguis nõ ſupra modũ creſcet,niſi eſcæ ſupra modũ ingerãtur. Sũme igitur,præter reliqua quæ antea diximus, cauẽda eſt crapula,& cibi ac uini copia:ſed iuxta Auicẽnæ decretũ,à menſa ſemper eſt cum fame recedendum.

*A menſa cũ fame diſcedendum.*

Qualitas præter correctionem præincipientium cauſarum,de qua in prima parte abunde dictum eſt,à uentriculo & iecore pendet:quæ recte ſua abſoluent officia,ſi mala careant temperatura,robuſtáque ſint. Licet autem omnis mala temperatura,Galeno teſte, propriã membri operationem intercipiat,frigida tamen & humida magis nobis timenda eſt,ut à qua pendere uniuerſa mala prꝗterita demonſtrauimus.Hæc igitur quoniam non in totum ablata eſt,funditus auelli debet,& procurãdum ne rurſus inuadat.Eritq; noſtra operatio, partim ad præſeruatiuam,partim ad curatiuam medicinæ partem pertinens,ita tamen ut præſeruatiua maiorem ſibi in hoc negocio portionem uendicet:ſiquidẽ ablatio materiæ frigidæ & humidæ,quę malam temperaturam facit,ad præſeruationem iuxta Galeni doctrinam,pertinet.A cuius materiæ amotione eſt inchoandum,ut ab eo incipiat medici operatio, in quod deſinit reſolutio.Purganda igitur pituita,quæ nõ ſolum in iecore & uentriculo,ſed in toto corpore redundat:talibúsque purganda, quæ ex proportione uiribus reſpondeant,robúrq; potius,quàm imbecillitatem in iecore & uentriculo relinquant: qualia ſunt agaricum, aloẽ,rheon,ſeu quod barbaricum,ſeu quod põticum, & myrobalanus quam chebulam dicũt:ex quibus uel catapotia,uel pulueres,uel mixturę confici poſſunt,additis etiam quibuſdam quæ robur membris indant.Ac ut ad particularia iam deſcẽdamus,cõducere arbitror, ſemel in hebdomada unam,duas,uel tres,ex his pilulis per horam ante cibum ſumere,quas ex tribus cum rheubarbaro nominant, uel ex his quas maſtichinas, uel quas elephanginas,uel quas communes,uel quas è ſimplici aloë elota parant.Si pulueres magis placent, eius quem medicamen de turbit uocant,drachmã hauſiſſe nõ erit inutile:cui uel chebulę myrobalani,uel rhei ſemiſcrupulus addatur.Si mixturæ,catholici ſemuncia, uel diaprunon abſq; diagridio tantũdem,uel διαφοινικῶν tres drachmæ deglutiantur.Si uniuerſa hæc faſtidio eſſent,polypodii ſemuncia cum cinamomi drachma ſemitrita in iure gallinacei pulli ebulliant: híſque proiectis ſacchari ſemuncia iuri addatur, quod in principio menſæ ſorbeatur:Maximo æſtu infeſtante, omnibus aliis prætermiſsis,ſemuncia medullæ illius ſiliquæ, quæ caſsia uulgò dicitur,uel cum iure,uel cum cicorii aqua bibatur, uel per ſeipſam deglutiatur. Cæteris diebus, quando uidelicet nihil horum accipitur,uel zingiberis conditi fruſtum,uel myrobalanus una chebula ſimiliter condita, ieiuno ſtomacho recipiatur: ſed id frigoribus,hæc caloribus,mediis temporibus utraq; commiſceãtur.Exterius tota regio ab ore ſtomachi ad umbilicum,alterutro ſequentium unguentorũ calido,ante ſumptum cibum foueatur:hyeme quidem ex oleorum abſinthitis & maſtichini unciis ſingulis: aceti roſacei & uini Cretenſis drachmis binis.hæc unà tãtiſper bulliant,donec acetum & uinum deficiant,deinde adiecta drachma cinnamomi,gariophyllorúmq;,& exigua cera.Sic unguẽtum molle paretur in hyemis uſum. Aeſtate uero accipe olei roſacei omphacini ſeſcũciam, abſinthitis ſemũciam,aceti & aquæ roſaceæ drachmas binas,quæ ſimul ad aceti & aquæ coquantur conſumptionem,adiecto tandem ſandalorum citri, & maceros,id eſt,macis(flores moſcatos dicunt)drachmæ põdere.Hæc quidem ſatis ſint ad uetandum ne malus ſanguis rurſus aggregetur.Præter ea autem uitanda quæcunq; trahere ad inferiora ſanguinem poſſunt,ſequenda quæ in aliam partem euocant.Exercendæ igitur ſuperiores potius quàm inferiores corporis partes, id quod multis modis fieri poteſt, uel pilam alternatim de manu ad manum pellendo,uel ſi telum ſedendo iaculetur,uel manus inuicem percutiãtur,uel aliquid trahatur,uel alio quocunq; modo,inferioribus membris quieſcẽtibus ſola ſuperiora moueantur. Frictio quoq; ſuperiorum ſatis aſpera facienda,inferiorum uel nulla, uel molliſsima.

*Pituitam cõmode purgantia medicamenta.*

Roborandi etiam loci gratia,utile uidetur,ut uino acerbo tepido in quo roſæ bullierint,ſæpe lauetur,uel cũ ſpong

ſpongia eo madefacta foueatur. Non tamen hoc quotidie faciendum, ne in totum materia inde pellatur. In uotis enim nobis eſſet, ut ſemel ſingulo menſe, uel ad ſummum bis, ſanguis moderate erumperet. Sic enim ſecuri utraque ex parte maneremus, & ab his qui nunc eum uexarunt affectibus, & ab his quos Hippocra. his minatur, quibus antiquæ hæmorrhoides ſanantur. Ad quos tamen auertendos, purgationes, de quibus paulò antè diximus, conducent, ſanguiniſque (ſi augeri uiſus fuerit) per cucurbitulas natibus admotas, uel per nares uacuatio: & ſi priſtinum robur rediret, etiam uenæ iecorariæ ſectio ad hoc conduceret. At ſi fortè nimia ſanguinis copia, ſicuti anteactis temporibus erumperet, cucurbitulæ utrique hypochõdrio abſq; ſectione apponendæ, uinóque ſuperius ſcripto, quo ſedem foueri iuſsimus, roſæ ſemina, caſtaneæ cortices, glandes, folia quercus, gallæ, malorum punicorum cortices, & caduci flores addenda: & magna imminẽte neceſsitate, ferri ærugo, alumen, hyoſcyamus, album papauer, & demum ſi opus fuerit, & nigrum. Ex quibus etiam & pulueres, & unguenta, & balani, & licinia parari poſſunt, ad eundẽ uſum accõmodanda. Speramus tamẽ his quę ſcripta ſunt rite ſeruatis, ad hæc uenire nõ fore neceſſariũ: ſed M. T. incolumem permanſurã, annuente omniũ bonorũ opifice Deo, cui ſit honor, gloria, & imperium. Amen. IX. Maij, M.D.XVI. Budæ.

EPIST. II. *ad reuerendiſsimum* D. Gillinum Comaclenſem Epiſcopum. *De uſu Ptiſanæ, pro regionum uarietate magis aut minus commodo.*

INualuiſſe ais, poſtquam à patria abſum, apud medicos qui celebriores habentur conſuetudinem, ut in omnibus ferè morbis hordeo nutriant ægrotantes, uel ptiſanam, uel aquam ex eo parari iubentes, uel iuſcula eius farina concinnari. Quam rem cum neq; hic neque in patria à me obſeruari uideris, non ab re & admiraris, & cauſam cur non eos ſequar, inquiris, uel Hippocratem potius, tãtum huic hordeo (ut ipſi dicũt) deferentem, ut ptiſanam ex eo factam cæteris cibariis ægrotantium prætulerit. Audi igitur Pater reuerendiſſime, & rationes meas, illóque tuo acri iudicio quo in dirimẽdis litibus uti, nondum ſacris initiatus ſolebas, diligenter utranque ſentẽtiam examina. Habeo & ego, non uno tantum loco, ſed pluribus, Hippocratẽ, quem illis opponam. Primo argumentum capiam ex conſuetudine: cuius magnam eſſe uim in ratione uictus bene inſtituenda, in primo aphoriſmorum libro bis nos monuit, plurimúmque omnibus in rebus poſſe, ſecundo eorundem Aphoriſmorum libro demonſtrauit, tanti eam eſſe dicens, ut quæ longo tempore conſueta ſunt, licet ſint deteriora, minus lædere perhibeantur inſuetis. Quem locum enarrans Galenus, conſuetudinem æquaſſe naturæ uidetur, cibos & potus conſuetos naturam dicens facere aduentitiã. quod etiam peculiari tractatu de aſſuetudinibus inſcripto, uberius demonſtrauit. Cui cõcordat uulgatum illud Ariſtotelis dictũ, Conſuetudo eſt altera natura. Sed & in eodem ipſo libro, in quo ptiſana tãtopere laudatur, hoc eſt, in eo cuius titulus: De ratione uictus morborũ acutorũ: hoc argumento utitur Hippocrates: Si in ſanorũ uictu cõſuetudo ſeruanda eſt, quãto magis in ægrotãtibus? Innuẽs (quemadmodum exponit Galenus) ex cõſuetudinis mutatione, ægros plus lędi quàm ſanos: & eos adhuc plus qui acutas patiuntur ægritudines. Et propterea ſubdit idẽ Hippocrates, malam cibi & potus & uictus rationẽ, modo familiaris ſit & aſſueta, tutiorẽ eſſe, quàm ſi derepente in aliam meliorem fiat tranſmutatio. Huic autem uniuerſali dicto ſi addamus, ptiſanam antiquis hominibus ſecunda ualetudine perfruentibus fuiſſe in cõſuetudine, non eſſe his temporibus, pręſertim in patria noſtra: ſtatim cõſtabit, & ea bene Hippocratem uſum fuiſſe, & non male agere eos qui nunc reſpuunt. Quorum dictorum alterũ per ſe eſt manifeſtum: tantũ enim abeſt ut ea ſani nunc utantur, ut nec etiam inueniatur qui recte parare ſciat, ut inferius oſtendemus. Vſos uero antiquos, ut Galenum & Dioſcoridem taceã, liquet ex Celſo, eam inter cibos ſanorum reponẽte: nec ſecus ex Plinio, alicæ comparãte, & antiquiorẽ, licet non ſine errore (ut alias ſcripſimus) exiſtimante. Conſtat igitur, ptiſanam non ab re tanquam noſtro æuo inſuetam, ab Italis medicis fuiſſe uel penitus prætermiſſam, uel raro

*Ptiſana noſtro æuo inſueta.*

admodum admiſſam. Quod non modo obſeruãdam conſuetudinem, ſed ob eius etiam inſuauitatem feciſſe uideri poſſunt: eſſe enim hoc tempore inſuauem, manifeſtum eſt: ſicuti & contrà, alia quæ in uſu eius loco nũc ſunt, ægris minus diſplicere. Scripſit autem idem Hippocrates in ſecundo libro Aphoriſmorum: Paulò deterior quidem potus & cibus, uerũ ſuauior, melioribus, ſed minus ſuauibus præponẽdus. Et libro ſeptimo Epidemiarum, gratificandum ægrotãtibus monet, in purgationibus, cibis, potibus. In his quoq; quæ uidẽt, aut tangunt, cæteriſq;, modo non multum noceãt. Nec hoc ad gratiam ſolum fieri ægroti docet Galenus, ſed ueluti eius utilitati conſulendo, quia quæ cũ uoluptate ſuſcipiuntur, uentriculus amplexari conſueuerit, & facilius concoquere: atq; ecõtrario quæ diſplicẽt, refugere, ceu nauſeas, inflationes, & fluctuationes inferentia: indéq; fieri magna ex parte ut cibus qui erat paulò deterior, non talis maneat, ſed interdum melior euadat. Ex quibus Hippocratis & Galeni dictis aperte colligitur, non male agere recentiores medicos, nec adulatores eſſe, uel deceptores putãdos, qui non omnes eundem morbum patientes, ptiſana, uel eiſdem ſemper cibariis nutriunt: ſed in his deligendis, calculum quoq; ægroti expoſcunt, ei in quantum ualent, ſine tamen damno complacituri. Nec illi quoq; explodendi, qui uarias interdum eſcas (modo nõ ualde inuicem diſsideant) ſumere eos patiuntur, faſtidii uidelicet uitandi gratia, atque ut quod ex ſingulis non poſſunt, id ex pluribus cõſequantur, uirium uidelicet quantum neceſſe eſt, conſeruationem uſq; ad conſiſtendi uigorem. Nec Galenus, ſi uerba eius recte penſentur, ſimpliciter uarietatem ciborum damnat, ſed eorum præcipue qui contrariarũ inter ſe ſunt uirium. Et quamuis primo libro artis curatiuæ, & primo de ratione uictus morborum acutorũ eos medicos taxare uideatur, qui adulando ægrotantibus uoluptuoſiſsimum uictum indulgent, ipſum tamen aliquando & rigorem remiſiſſe, & remittendum docuiſſe animaduertimus. In expoſitione enim primi libri de uictu morborum acutorum, his qui ptiſanam abhorrent petreos piſces exhibet: & (quod magis recẽtiores mirẽtur) porro, anetho, ſalibus, & oleo conditos. Et in cura tertianæ febris primo libro artis curatiuæ ad Glaucone, his qui delicati ſunt, & oua, & carnes, & fructus cõcedit, quum minus delicatos ſucco ptiſanæ tantummodo nutriat. Cuius facti rationem reddens Paulus bonus Galeni æmulator, mutatum eſſe cibandi modum ait, quoniam antiqui & minus comedebant, & magis exercebãtur. Quæ res ſi uictus rationem immutare Galeni & Pauli tempore potuerunt, quanto magis noſtro tempore, in quo uix unum reperias, qui congruo utatur exercitio, multos qui ſe malis cibis quotidie infarciant. Adde quòd cœli etiam ratio non patitur, uel Celſo autore, ut tanta inedia Europæ incolæ, quanta Aſiatici affligantur. Ex quibus liquet, quando non minus tortoris nomen, quàm adulatoris fugere medicum decet, propterea inſuetis, & quibus diſplicet, ſub cœlo pręſertim noſtro, qui non dant ptiſanam, ipſomet Hippocrate iudice non eſſe dãnandos, qui neq; omnibus in morbis ea utendum præcepit: ſiquidem in libro ubi tot laudes ptiſanæ ſcribuntur, non omnium morborum, ſed acutorum tantum uictus rationem edocuit. Nam ubi ptiſanæ ſermonẽ aggreditur, inquit, Ptiſana potius utẽdũ in acutis morbis, quàm reliquis frumẽtaceis. Quod & ex ipſo libri titu. licet agnoſcere. De uictu enim acutorum morborum inſcribitur. Acutæ autem ægritudines (ut ait Hippocrates) in quatuordecim diebus finiũtur: raro autem temporibus & regionibus noſtris ęgritudines inuenias, quę nõ ultra quartumdecimum protendantur. Sed neq; omnibus acutis congruit: quia nõ morbis ſiccis, utpote maiorem humectationem deſiderãtibus, quemadmodum teſtatur Galenus in libro ſuo quẽ de ptiſana inſcripſit. Qui tamen morbi ſicci & multi ſunt, & frequenter contingunt: ſicuti pleuritis, & peripneumonia, & in totũ thoracis morbi, in quibus nihil expuitur, iecoris, uentriculi, & inteſtinorum inflammatio, in qua uel nihil, uel tantum dura & pauca excernuntur: capitis affectus, in quibus per palatum & nares nihil expurgatur: inflammationes quoq; & ulcera, & id genus reliqua, ſanie puréue non manantia, inter ſiccos morbos computantur: & in uniuerſum omnes morbi, in quibus lingua admodum arida, & exterior cutis retorrida uidetur. In his omnibus, uel nequaquã,

*Ciborũ uarietas non ſimpliciter damnanda.*

ut Gal

ut Galenus in libro ſuo de ptiſana,uel non ſola eſt danda,ut Hippocrates ipſe primo libro de uictu morborum acutorum, teſtatus eſt. Non omnibus etiam acutis, & non ſiccis ægritudinibus adflictis, etiam conſuetis ea cum uoluptate uti, ptiſana eſt exhibenda: quoniam non his in quorum uentriculis aceſcit, uel qui ea guſtata ſtatim nauſeabundi fiunt, ut libro ſeptimo artis curatiuæ docuit Galenus, & iterum primo libro artis curatiuę ad Glauconem,ubi & panem ex aqua commendauit,& accurate eius uerba perſcrutantibus,arbitrandum medico reliquit, quis cibus in continuis & acutis febribus exhibendus.ait enim,Et panis ex aqua, & quæcunque alia eandem & ſimilem uim habent. Vnde cognoſci poteſt,eos non magnopere à Galeni uictu recedere,qui uel pane ex ſeminis peponum ſucco, quem Oribaſius ad Iulianum inter febricitantium cibos connumerat,uel lactucis,uel atriplicibus communibus,aut his quas ſpinaceas uocant, uel pulliculi gallinacei iure, cum omphacio aut lactucis condito, uel etiam ipſius carnis portiuncula eodem iure liquefacta, in acutis morbis utuntur. Magnáque ex parte morbos contingere, in quibus aliud potius cibi genus, quàm ptiſanæ ſit eligendum. Verum & quibus danda maxime eſſet,uix hoc tempore dari poteſt:quandoquidem nec hordeum habemus ad eam conficiendam idoneũ, nec coquos qui parare recte nouerint. De hoc enim & ipſe Galenus conqueritur, cuius tamen temporibus,in nobilium quoque cœnas ueniebat:quanto minus noſtri ſcient,qui & nomen ipſum ignorant, paucóſq; inuenias medicos qui eos docere ſciant.

*Ptiſanam à recẽtioribus non rite parari.*

Ego, ut uerum ingenue fatear, licet non ſemel legerim,cum in his libris qui paſsim habentur, tum in tractatu peculiari à Galeno de ea edito,qui nõdum (quod ſciam) per alium quàm per me ad Latinos uenit, modum quo conficienda eſt: nunquam tamen potui tantum docendo laborare,ut recte paratam uidere potuerim, & in qua hordei diſcreta inuicem grana, contra Hippocratis præſcriptum,maſticationem nõ deſiderarent. Quod non ſolum ignoratione artificum, ſed & malignitate hordei euenire credendum eſt.

Apud nos enim non ad hominum, ſed ad brutorum potius animalium eſcam hordea ſeminantur. Vnde fit ut non ſeligantur magnopere grana ad ſementem, incurioſius uerò ager uel terrenum & eligatur & præparetur,natúmque à malis herbis non emundetur, nec in area ſatis cuſtodiatur,nec in horreo bene conſeruetur, atque ut ſequens eſt, à boni hordei conditionibus longe abſit. Quod etiam antequam coquatur,cognoſci poteſt. Videmus enim eius grana ſordida,rara, leuia, rugoſa,exigua, uel ſi magna quædam reperiantur, laxa eſſe & mollia,& ſuperfluò humida, à multíſque dum franguntur puluiſculus quidam inſtar calcis euolat, & fuſcedo quædam potius quàm albedo intrinſecus apparet,tetri odoris,ſaporéq;,quando cocta fuerit,iniucundo. Quantum uero ptiſanæ deeſt ſuauitatis, tantum & bonitatis. Sed experientia quoque nos bono hordeo carere oſtendit, quando & ſerò, & uix aqua madefactum in tumorem attollitur, neque unquam totum in ſuccum conuertitur. Vnde fit,ut ptiſana ex eo parata laudes Hippocratis amittat:& meritò:quoniam inſuauis,maſticatione egens,nõ lubrica,durior, & propterea concoctu non facilis,inflánſque, ex hordei malignitate & coquorum ignorantia fit. Sed eſto bonus coquus,bonum & hordeum,tanto tamen tempore eget ſi bene coqui debet,ut cibandi hora,quæ præceps præſertim in acutis eſt,antè plerunque tranſeat, quàm parata ſit. Si igitur inſueta, inuoluptuoſáque ptiſana noſtro ſeculo & regione eſt: ſi morbi magna ex parte nunc contingunt:quibus nec iudicio Hippocratis eſſet danda:ſi bonum hordeum non habemus, nec coquos qui parare nouerint: & ſi habemus, tempus eam pro ægrotis parandi plerunque deſit: relinquitur eos potius errare, qui plerunque, quàm qui nunquam eam ægrotis apud nos quidem hodie dant, cum ſuppetant alij cibi facile parabiles, nec adeò inuoluptuoſi, qui plus & minus nutrire ualent quàm ptiſana & eius ſuccus:quales & apud Oribaſium loco ſuperius citato leguntur,& uulgò in uſu ſunt. Siquidem olera, Auicenna teſte,minus nutriunt,panis plus, ſecundum Hippocratem & Galenum. Sunt & nonnulli fructus qui ægrotantibus dari poſſunt & pulliculorum iura, & auicularũ, quæ plus minúſue apta ad nutriendum fieri poſſunt, addita etiam aliquando contuſa carne. Nec uerendum quòd nimis nutriat:quia quod contuſum uocamus,ut aliàs probaui,parari aliquo modo poteſt, ut minus nutriat quàm ptiſana. Nec abhorret hic cibus à Galeni in libro ad Glauconem doctrina, quando & ipſe porcellorum carnes liquefactas tertianariis concedit. Vt uerò ptiſanæ uſus aliquando probari poſsit, & medici qui ea utantur, clypeo ſe Hippocratis & Galeni tueri ualeant,certe qui iuſcula ex farina eius ad eundem uſum parant,nullam excuſationem merentur, quum ſcribat Galenus libro de rebus boni & mali ſucci, & libro de attenuante uictus ratione, farinam hordei ſuperfluicam eſſe & inflatiuam. Libro quoque primo de eſcis, coquos Romanos uituperet, hordeũ in mortario conterentes, ex quo erant ptiſanam paraturi. De aqua demum hordei,uideant qui Auicennam colunt,quo modo ea utantur:ſcribente illo lib.2.capite de hordeo,eam eſſe malam ſtomacho,& inflatiuam:nec putent ſe eiuſdem autoritate tueri,eodem capite,& 4.etiam lib.eam commendantis. Sciant enim in eius libro plerunque pro ſucco aquam legi, ſicuti capite de cibo febricitantium, ubi dicit, Si timueris debilitatem, ſis contentus aqua hordei. Nemo enim neſcit, communem aquam hordei reparare uires debiles plus quàm Iulebum non poſſe. Boni etiam,nec corrupti ob dogmatis amorem, iudicij homo, facile cognoſcere poteſt uerba illa Auicennæ ſumpta eſſe ex Galeno, in expoſitione quarti Aphoriſmi primi libri dicente, In quibus nõ ultra hebdomaden morbus protrahẽdus eſt, ſolum ſufficit melicraton. Quod ſi non ſatis fidimus robori,ptiſanæ utemur ſucco. Vbi & aduertere licet, pro melicrato ab Auicen. Iulebũ ſcribi:alioqui nulla apud Galen. Iulebi mentio,ſicuti neque alterius cuiuſquã ſimilis potionis cum ſaccharo concinnatæ. Aliquando etiam apud Auicen. aqua hordei pro ptiſana legitur,ſicuti ubi cõficere eam docet duplici modo, & ubi non eſſe dandam aquam hordei iubet,quando aluus adſtricta eſt. Quod etiã cognouit Ioã.cognomento Meſue, dicens antiquos conſueuiſſe uocare aquam hordei ptiſanam. Apud uere tamen antiquos,nomen aquæ hordei raro leges. Me legiſſe memini quarto de uictu morborũ acutorũ: ubi ſcribitur, Si ſiticuloſi ualde fuerint, aquæ hordei quid bibant. Quæ uerba enarrans Galenus,ait, Melius erat docere quo pacto eſſet conficienda,per ſolámne uidelicet madefactionem, an ueluti nunc zython facientes. Dicerem ego quoq; Galeno,ſi liceret conſultius eũ egiſſe, ſi modum quo eſſet paranda docuiſſet, quod nullibi (quod ſciam) fecit:ſed de zytho proprium faciens caput lib.6.medicamentorum ſimplicium,quod in uulgatis codicibus deeſt, eum tantummodo uituperat, ſicut & Dioſcorides:non tamen aut ille, aut hic docet quo pacto parandus ſit,ſicuti nec Auicenna cap.de ſoca,ubi de hiſce potibus loqui uidetur. Libro autẽ primo,quod Paulus zython,ipſe aquam hordei uocauit, ubi ſcilicet docet lac prouocare cum terreſtribus uermibus. Neq; hoc dixerim quaſi communem hordei aquam exploſurus,ut qua etiam ego & ſedandæ ſitis gratia frigida, & prouocando uomitu tepida, & extrahendo ſudori calida,uti conſueuerim, ſed ut his qui medicinæ autores pro diis habẽt,locum monſtrarem. Alioqui licet & ratio & antiquorum autoritas, reprobare eos potus uideantur,qui ex granis conſtant, ceu aſpectu, odore, guſtu etiam inſuetis,quod & mihi contigit,horribiles: experientia tamen docet ſeptentrionales homines,qui nihil ferè aliud bibũt quàm ceruiſiam,& pulcherrimos eſſe, & ſaluberrimos, & robuſtiſsimos. Sed de hac re fortè aliàs:ſatis enim nunc ſit oſtendiſſe medicos, qui ptiſana, farina, & aqua hordei in noſtra regione non utuntur,nõ ſine ratione id facere. Vale præſul eminentiſsime. Ex Buda. 27. Iulij. 1518.

*De aqua hordei.*

EPIST. III. *ad magnificum D. Alexium Turzum. Præſeruatio & curatio Peſtilentiæ ex Galeno, libro primo de different. febr. & proœmio libri de euchy. & cacochy. & lib. 2. de natura humana. &c.*

QVanquam multos ſcio fuiſſe,qui de peſtilentię præſeruatione & cura prolixa commentaria conſcripſere, difficiléque eſſe ea inuenire quæ alij nõ ſcripſerint,ſuperfluum repetere quæ ſunt abunde ab aliis pertractata,tamẽ ut morem geram Magnifi-

centiæ tuæ,cui me plurimũ debere ſentio,calamo manum admoui,enitárq;,ſi non rerũ nouitate,facilitate tamen,breuitate & ordine,tuo deſiderio ſatisfacere.Addens nonnulla à me ex antiquorum lectione obſeruata,atq; uſu comprobata,quæ apud ſcriptores recẽtiores,qui de eodem argumẽto meminerũt fortè non inueniuntur.Sed omiſsis uerbis,recta rem ipſam aggrediamur,à præſeruatione ceu nobiliore & magis neceſſaria parte ſumentes exordium.

Præſeruatio ergo in duobus præcipue conſiſtit,in reddendo corpus aptum ad repugnãdum,& agẽs debile ad imprimendum. Horum prius perficietur corporis mundificatione & roboratione.Mundũ & purum corpus redditur,ſi quæ adſunt ſuperflua uacuentur,cautióq; adhibeatur,ne in futurum ſimilia generẽtur.Vacuãtur ſuperflua uariis auxiliis,ut ſanguinis miſſione,medicamentis tam per uentrem quàm per urinã purgantibus: exercitio,ſudore,inedia,necnon ea quæ obtutum effugit difflatione.

Phlebotomia ex media uena dextri cubiti facienda eſt,his quidem qui aſſueti ſunt,toties quoties conſueuere:his qui non aſſueuere,antequàm ad loca infecta deueniant,uel ſi in locis infectis ſuſpectiſue agãt,quàm primum poſsibile fuerit.Nec eſt multus ſanguis auferẽdus,ſed iuxta temperaturam,uires,copiam,& cõſuetudinem,hoc ſemper conſiderãtes,ut ſi neceſsitas ingruerit,poſsit opportune morbo iam incipiente iterũ extrahi.M.T.ſufficere ſex uncias puto.Sunt qui ſingula luna ſcindere uenam iubent,& parum ſanguinis auferre. Quod ego in his qui multi ſanguinis ſunt,& frequenti miſsioni aſſueti,in hiſce præſertim regionibus,non uitupero. Sanguinis miſsione facta,triduo mane uncia una ſemis ozymelitis,cum tribus unciis aquæ in qua betonica herba cocta ſit,bibenda eſt,ſi hyems fuerit:ſi æſtas,pro oxymelite acidus potus,qui acetoſus ſyrupus uocatur:pro betonica,cichorium accipiatur.

Quarto die purgandi illi humores leui medicamento ſunt,qui redundare magis in corpore uidentur.Cõuenire ego haſce pilulas M.T.puto:Aloës lotæ,agarici præparati ana ſcrupulum,rhei barbarici grana tredecim,ſcammonii præparati,quod diagridion uocant,grana tria,cum aqua betonicæ.Fiant pilulæ quinq;.His uero qui ignorant,quinam humores eis abũdent,drachma pilularum quæ aggregatiuæ uocantur,utilis erit.

Sequenti die ſumẽda eſſet bonæ theriacæ drachma,ſed quoniam nec reperitur,nec reperiri hoc tẽpore bona poteſt,loco eius erit ſequentis antidoti duplum,id eſt,duæ drachmæ ſumendæ:ſanguinis ſicci,anatis maris,anatis fœminæ,anſeris,hœdi,rutæ ſylueſtris,ſeminis fœniculi,cymini,anethi,buniados,id eſt,napi ſylueſtris,uel ſi non habetur,loco eius napi uel rapi ana tres drachmas: radicis gentianæ,trifolii,ſchœnoantheos,uulgò ſquinantum uocant,thuris,roſarum ſiccarũ ana drachmas quatuor: piperis albi & longi,coſti,phu,aneſi,cinnamomi ana drachmas duas: myrrhæ,nardi ana drachmas ſex:benzoi,aſſari,ammoniaci ana drachmas tres:mari,agarici ana drachmas duas:carpobalſami grana numero uiginti:ireos,croci,rhei ac pontici,quod nuper repertũ eſt à Polonis,uel eius quod orientale uocant,gingiberis,maſtiches ana drachmam unã: ſtœchados drachmas quinq;.Fit tenuiſsimus puluiſculus ex omnibus,& cum quadruplo mellis electi,benéq; expumati commiſcetur:& uaſe argenti puriſsimi ueluti theſaurus precioſiſsiſmus conſeruetur.Non ſolũ enim in peſtilentia utile eſt,ſed & uenenis uniuerſis,ac ſerpentium morſibus ſumme aduerſatur.

Sequenti die drachmę unius pondus ex puluere noſtro cum bono uino bibatur,qui habet tormentillæ,hoc eſt,ut ego coniicio,radicis ueri quinque folii,ſeminis citri,ſeminis cardui benedicti,partes æquales.Altera die comedantur duæ nuces,totidem caricæ,folia rutæ uiginti,adiecto exiguo ſalis. Sequenti,bolus berbenæ herbæ maſticetur bene,& demum deglutiatur. Altero,pulueris hyperici drachma cum bono uino bibatur.Alio,ex ueris pilulis Ruffi,ſcrupuli quatuor ſumantur,quæ ſic componẽdæ ſunt:Aloës hepatici partes duas,ammoniaci electiſsimi partes duas,myrrhæ electæ partem unam,cũ uino Cretenſi,uel alio odorato.Fiant pilulæ paruæ,& cum eodem uino deglutiantur ſeptem,& ultimo die ſcrupulus boni rhei barbarici maſticetur,& paulatim deglutiatur. Deinde iterum ad antidotum primo deſcriptam recurratur,ſed ſat erit

*Berbena eſt, quæ & uerbena dicitur.*

*Pilularum Ruffi compoſitio.*

unicam drachmam ſumpſiſſe,& conſimili ordine ſeruato,unum ex his quæ ſuperius ſcripta ſunt,quoq; die accipiatur,donec hyems perdurauerit. Caloribus iam ingruẽtibus,cũ roſaceo ſaccharo,roſíſq; ipſis,& aqua earum ac cichorii,cuncta erũt plus minúſue refrigeranda,ſecundũ quod maiores minoréſue æſtus corpúſq; requirent.Si qua uero ex ſuperius notatis rebus fortè deeſſet,aliquod ex his quæ adſunt loco deficientis eſt accipiendum,ita ut non ſit dies qua nihil ſumatur.Proderit quoq; interdum,maxime ſi phlegma in ſuperiore uentriculi parte abundare uidebitur,uomitu id expurgare,cutíſq; meatus apertos reddere.Nõ enim eos laudo,qui cautelæ gratia aceto uniuerſum corpus abluunt,ſed potius iubeo,ut oleo odorato,quod de ſpica uocant,quarta parte boni uini adiecta,uel oleo de coſto ſimplici,bene cuncta membra perſricentur.

Balneum aquæ calidæ non laudo,quod & carnem nimis laxam reddit,& ad patiendũ ab extrinſecis cauſis obnoxiam:ſed frictionibus potius moderatis utendum cẽſeo.Et hæc quidem ſufficere ad corporis emundationem & robur puto.Labores enim,& omnimoda inedia,emundarent quidẽ,ſed imbecille nimis corpus redderent.ſatis erit moderate exerceri,& modico cibo uti,taliq;,ut facile concoquatur,ac bonos humores generet:quam uim habent carnes perdicum,phaſianorum,auicularum,gallinarũ,turturum,hœdi,ueruecis,leporis,cuniculi,uituli.

Piſcibus nõ niſi paruis & bonis utendum:nec ouis,niſi uel tremulis,uel ſorbilibus,& ſemper recenter natis.Cauendus nimius uſus pinguium,& aſsiduitas iurulentorum.Ex herbis congruunt lactuca,cichorium,portulaca,lapathũ(acetoſam uocant)pampinella parua,calendula,betonica,fœniculus,anethum,buglosſon,quam boraginem uocant,& omnes ſercos ſpecies,quas ſcariolas,cicerbitas; endiuias nominant. Allium,quicquid alii dicant,ego in parua quantitate non uitupero:& ſimiliter raphanum,& quam turmam uocatis,aceto uel uino,ut fieri conſueuit,ſolutam. Fercula ex prædictis herbis parari poſſunt,addito etiam bono oleo,paſſulis & aceto:atq; etiam ex hordeo,lentibus,prima abiecta aqua,& demum aceto conditis:& ciceribus.raró tamen leguminibus hiſce utendum. Ex fructibus nuces auellanæ,ficus,piſtacia,amygdalæ,& præcipuæ amaræ,pini grana,uuæ ſiccæ,ſiue noſtrates,ſiue orientales,quas paſſulas,uel ziziuas,uel ſclauas uocant. Mala uel pira acida,mala punica,citra,citria quæ & narantia nuncupantur,limones,cappares,pruna ſicca non multum dulcia,ceraſia acida: ex quibus etiam iuxta morem patriæ fercula parari poſſunt,& carnes piſcéſq; condiri. Vſus aceti,atque omphacii,quod agreſtam dicunt,ſummæ utilitatis exiſtit,atque omnium quæ acidũ habent ſaporem:unde curandum eſt,ut omnes cibi aliquo acido ſemper condiantur:& propterea conditura quam gelatinam nuncupant,addito aceto commendatur.Piperis contriti,& gingiberis uſum,niſi in exigua ualde quantitate,non commendo,ſed commixto cibaria ſunt condienda,quod habet cinnamomi partes quatuor,cardamomi,aneſorũ ana partes duas,roſarum,maceros ana partes tres,croci partem unam:quibus addi poteſt piperis,uel zingiberis p.s.Piperis tamen integra grana,ut fieri ſolet,in iure decocta,non uitupero,maxime ubi acidum quoq; aliquod adiiciatur.Poſſunt ex herbis ſuperius deſcriptis,atque ex petroſelino,ſaluia,ſerpillo,ſatureia,contritis optime,& cũ aceto,uel omphacio liquatis,embammata fieri,quæ intinctus uel ſapores Itali uocant. Ex amygdalis quoq; bene cõtritis,addito omphacio,uel aceto,& aqua roſacea,& pauco ſaccharo,intinctus fit utilis,& palato non inſuauis.Vinum malorum punicorum,quæ granata etiã dicuntur,in ſimili uſu commendatur.Aſſa modo bene cõcoquãtur,utiliora ſunt quàm elixa.Lac non conuenit,niſi acidum.Et hæc quidem ſatis ſit dixiſſe circa cibos:nam ea quæ non cõceſsimus,intelligenda ſunt prohibita.

Quod ad potus uero attinet,eligendũ eſt uinum clarum,album,odoratũ,pauciferum,id eſt,leue,quod ad acerbũ potius uergat quàm ad dulce:quod etiã aqua temperandum plus minúſue eſt,iuxta & eius potentiã,& anni tempus.Vinum abſinthites ſatis laudo.Laudarem tamen magis ceſtrites,id eſt,ex betonica paratum.Ceruiſiam non probo,neq; alium potũ ex granis,uel lupulorum floribus concinnatum,ſed loco ſimiliũ

potuum

potuum uinum factū ex acerbis piris uel malis, uel hydromel cum pane aſſo præparatū, quod ad acidū uergat, exiguo etiam cinnamomo conditū. Summe autem conferret, ſi canthari in quibus uinum conſeruandum, eſſent ex iuniperi, uel lentiſci, uel fraxini ligno fabricati, & calix quo bibitur, ex auro, cui à natura quinta uel ſexta argenti pars eſſet connata. Non paruum quoque robur corpori præbet ad reſiſtendum, ſi facies & os ex bono uino, cui aqua roſacea, hyeme quidem minore, æſtate maiore quantitate ſit cōmixta, mane abluatur. Naribus decoctio foliorum lauri attrahatur. Aures ex oleo de ſpica odorato calido intrinſecus digito inungantur. Semen citri in ore teneatur, atque poſt maſticationem deglutiatur. Somnus diurnus, ira, clamor, triſtitia, concubitus, ut inimica ſunt fugienda.

Et hæc ſatis dicta ſint quantum ad ea quę intrinſecus robur corpori imponunt. Nunc de his dicemus quæ exterius defendunt, & uires inimici, hoc eſt, peſtiferi aëris, imbecilles reddunt. Horum quædam propinqua & corpus contingentia, quædam remota. Ex propinquis ſunt ueſtes, quæ pulchræ, mundæ & odoratæ eſſe debent, aſsiduéque mutari: & propterea utiliſsimum eſt, antequam quis eas induat, ut aliquo ex infrà dicendis thymiamatibus ſuffumigentur. Ad idem attinent ſacculi, cordi, hepati, uentriculo admouēdi. Et pilæ manu portendæ, atq; aſsidue ex manu ad manum uolutandæ, ac naribus olfaciendæ. Ad remota ſpectant, habitatio, quæ munda eſſe debet à latrina, cloacis & fœtidis locis remota, aperta ad ſeptentrionem & occidens, ad meridiem & oriētem clauſa, quæ igne lignorū odoratorum in aperto ardētium, non in fornace clauſorū, etiam ſi ęſtas fuerit, debet calefieri: ſuffitibus, inſperſionibus & odoratis herbis ac fructibus, boni odoris reddi. A qua niſi duabus poſt ſolis ortum horis, non eſt exeundum, nec nubilis uel nebuloſis diebus, niſi urgente neceſsitate: ſempérq; tutius eſt, pranſum quàm ieiunū exire, & bene omnibus prædictis auxiliis munitum.

Vt uero ea quæ diximus exequi poſsis, ſubiiciā pulueres duos, alterum hyemi, alterū æſtati commodum. Hybernus habet, ſtyracis, iridis, maſtiches, ana partes duas, gariophyllorū, maceros, nucis unguentariæ, quā moſchatam uocant, cinnamomi, croci, agallochi ana partem unam, ambræ partis unius quintam, moſchi partis unius decimam. Aeſtiuus cōſtat ex ſuccini electi partibus duabus, foliorum myrti, corticū citri, florum nymphææ, roſarum, uiolarum, croci, maceros, ſandalorum citrinorum partibus ſingulis: camphoræ, ambræ, benzoi p. s. moſchi partis unius decima. Ex his pulueribus poſſunt fieri pilæ, hybernam cum ſtyrace componendo, æſtiuam cum aqua roſacea & tragacantha, addendo utrique ladanum ad libitum. Poſſunt iidem pulueres, ut ſunt, ueſtibus inſpergi: poſſunt & formæ ex eiſdem confici ad ſuffumigandum aptæ, addendo etiam carbones, ut fieri communiter ſolet.

Ego pilam parari iubeo ex cupreſſo, uel aliquo ex lignis quibus cantharos fieri ſuprà docui, interius concauam, quæ aperiri & claudi poſsit, ſitq; tota foraminulenta, intra quam ſpongiæ nouæ fruſtum immitto, hac mixtura prius infuſum: aquæ roſatæ, uini Cretici ana partem unam, aceti p. ſem. & altero ex dictis pulueribus poſt infuſionem aſpergo: quæ pila manu geritur, & crebro naribus admouetur, & dum maius aliquid timetur, manu colliditur, & liquore exeunte nares linuntur. Ex hiſdem quoque pulueribus repleri poteſt ſacculus purpureæ ſindonis, quo ueluti clypeo cor muniatur.

Hepar uero, ſtomachus & teſtes hoc unguento roborari poſſunt: olei roſati omphacij unciæ duæ, olei de ſpica odoriferi uncia ſem. pulueris cinnamomi, gariophyllorum, ana drachma ſem. roſarum, ſandalorum citrin. de unoquoque drachma, cum modico ceræ & aceti roſacei. fiat unguentum molle. His debito modo obſeruatis, Deo optimo adiuuante, ſperandum peſtilentiæ uim reprimi. Quòd ſi fortè, uel ex nimia cum infectis conſuetudine, uel maxima aëris malignitate, contingat nocumentum aliquod perſentiri, ſtatim eſt ad ſequentia auxilia confugiendum.

Primo alui excremēta clyſteri uacuanda ex libra una iuris galli bene ſaliti, quatuor uitellis ouorū, & unciis tribus mellis roſacei compoſito. Dein cordi, hepati, teſtibus panni applicādi, crebróq; renouādi, hac mixtura madefacti: Cape partes quatuor aquæ roſaceæ, uini optimi partem unam, aceti roſati ſi haberi poteſt, uel communis, ſi id non habetur, p. s. pulueris frigidi ſuperius pro æſtate deſcripti partis unius decima. Poſt hoc ſi quà in parte exteriori tumor uel dolor oſtenditur, ei admouenda eſt cucurbitula. Si nullibi quid ſe oſtendit, poſt utraſq; aures, ſub axillis, prope inguina cucurbitulæ apponātur: quibus ſic manentibus uena ſecetur, ſanguiſq; copioſus iuxta uires & alia quæ ſuprà diximus, fluere permittatur. Quæ autem uena ſecanda ſit, his cognoſcendū. Si tumor uel dolor in collo, uel ſuprà apparet, uena cephalica ſecanda eſt, quæ ſupra cubitum in parte exteriori inuenitur. Si à collo uſq; ad pudenda, uena iecoraria, quæ in interiori parte brachij ſita eſt. Si in inguinibus, uel infrà, uena quæ eſt ſupra talum interior, quam ſaphenam uocant. Si ſuprà ſimul & infrà, etiam ipſa ſaphena ſecanda erit. An uero ex dextra uel ex ſiniſtra parte inciſio uenæ facienda ſit, hoc modo iudicandum. Si ex una tantum parte dolor uel tumor apparet, uena ex illa parte accipiatur. Si ex utraq;, dextra potius pars eligenda. Si nullibi uel dolor, uel tumor apparet, inferiores uenæ, id eſt, ſaphenæ, ex utraq; parte dextra & ſiniſtra aperiātur. Facta ſanguinis uacuatione, ueræ ſmaragdi ſubtiliſsimè contritæ pondus granorum octo hordei, cum aqua roſata & gutta boni uini deglutiatur. Vbi ſmaragdus non habeatur, antidotus à nobis ſuperius deſcripta, uel aliud ex ſeptem his quæ ſuprà recitauimus, pari modo recipiatur. Si tumor alicubi ſe oſtenderit, ei rurſus cucurbitula applicetur, ſed cum profundis ſatis inciſionibus. Et hæc quidem primo die agenda.

Secundo die, loca tumoris, ſicubi apparent, decocto chamæmeli cū ſpongia foueantur, poſt quod cucurbitulæ apponantur, ipſiſq; permanentibus hoc medicamentū bibatur: Tamarindorū drachmæ decē, in aqua ferueant, poſtea exprimantur & proiiciantur: & decocto addatur rhei barbarici drachma una, agarici drachma ſemis, & potus ille tepidus hauriatur. Veſperi puluis ex carduo, uocato benedicto, ſemine citri, tormentillæ, margaritis, corallis & roſis æquali quātitate, cum aqua roſacea, gutta boni uini adiecta bibatur.

Tertio die, antidoti de ſanguinibus ſuperius deſcriptæ drachma detur, cū ęquali roſaceo ſaccharo, & ſæpe ſyr. ex acetoſitate citri cochleari deglutiatur, uel ſi is nō adeſt, acida ſimplex potio, uel ſimplex poſca. Veſpere duæ uel tres unciæ ſucci uel calendulæ, uel bernenæ, uel betonicæ bibantur: & ſi herbę uirides non reperientur, decoctio ſiccarum: poſt quem potum patiens bene tegatur, ut ſi fieri poteſt, copioſe ſudet.

Quarto die, tumor ſi adeſt etiam ſi maturus non uideatur, phlebotomo eſt aperiendus: ſequentibus diebus utēdum eiſdem auxiliis quæ ſuprà in præſeruatione deſcripta ſunt, rebus tamen frigidis additis plus minúſue iuxta tempus anni & magnitudinem incendij.

Epithemata cordi & aliis locis, prout ſuprà notauimus, crebrò apponenda: oxyrhodino quoque caput crebrò eſt perfundendum. Domus frigidis fructibus, foliis ſalicis, uitis, cannis ſternenda, aceto & aqua roſacea irroranda, frigidis ſuffitibus odoribúſque quandoque ſuffienda. Cibaria ſint ex carnibus ſuperius deſcriptis contuſis, cum rebus acidis præparata, uel ex iuribus eorum, rebus ſemper acidis cōmixtis. Oua etiam ſorbilia in aqua roſata & aceto antea per horam infuſa, ſuperaddito margaritarum puluere conueniunt, & olera frigida, præſertim acedula, portulaca, cichorium, & endiuia, necnon fructus acidi ſuperius enumerati. Potus ſit uinum tripla aqua dilutum, uinū granatorū, oxyſaccharon. Super tumore, mox ubi apparere cœperit, inter omnia placet, ut uitellus oui bene ſalitus apponatur, & crebro permutetur, uel uerbaſcus herba cū radice cōtuſa bonóq; uino albo aſperſa, & proprio folio inuoluta, intérq; calidos cineres calefacta. Laudāt aliqui ſtœbē herbā, quā ſcabioſam uulgò appellāt. Quidā maius ſymphyton, quæ cōſolida dicitur, alij pāpinellā, alij lilij albi radicē. Expertus ego aliquādo ſum, fermētum cū oleo & ſale, aliquando ficus cum melle. Vbi reliqua deſint, cinis oleo coctus ſuperponatur. Tumore autem inciſo, uulnus cū ſucco apij & melle purgādum eſt, longóq; tempore apertum conſeruandum, ut uirus bene expurgetur: demum communibus auxiliis & implendum & glutinādum, & ad cicatricem ducendum.

Hæc ſunt quæ mihi opportuna uiſa ſunt ad peſsimi huius morbi propulſationem. Prætermiſi autem non-

nulla multum ab antiquis celebrata,partim quia nūc incognita,partim quia parum mihi credita & explorata. Incognita ſunt Lemnium ſigillum,quod terram ſigillatam:terra Armeniaca,quam bolum Armeniū uocant:ſcordiúmꝗ,& thlaſpi herbæ.Quæ ut M. T. poſsit inquirere,uel oblata cognoſcere,deſcribam qualia eſſe debeant.

*Terra ſigillata quo modo examinā da.*

Terra ſigillata ſit rubri coloris,munda,non ualde lenis,guſtu non mordax,ſed modice adſtringens,tenax aliquo modo & lubrica,ita ut in aqua reſoluta ſimilis fiat molli ceræ.Portatur ex Lemno inſula Græciæ,forinulis paruis,quæ antiquitus imagine Dianæ ſigillabātur.

*Bolus Armenius.*

Bolus Armenius in pallore ſimilis auro,facile ſolubilis,nihil arenoſi in ſe habens,modice denſus & grauis,adeò ut his qui non bene conſiderant,uideatur lapis.Portari debet ex Armenia contermina Cappadociæ.

*Thlaſpi.*

Thlaſpi herba eſt anguſtis foliis,digiti magnitudine,ſuper terram iacētibus,in ſummo ſciſsis,ſubpinguibus:uirga tenui duorum palmorū,adnaſcētias quaſdā paucas habēte,& circa totam ipſam fructu parumper lato ab extrema parte,in quo ſemē paruum ſimile naſturcio,ad diſci figuram,ueluti conquaſſatū,florémꝗ ſubalbum habet. Naſcitur in uiis & ſepulchris.Semen eſt acris ſaporis.

*Scordion.*

Scordion naſcitur in locis montanis & paluſtribus,folia habens ſimilia chamedryi,maiora tamen,nec adeò circunquaꝗ inciſa,aliquo modo allii odorem referentia,adſtringentia guſtū,ſubamara,uirgulas quadratas, à quibus flos ſubrubens dependet.

Quatuor haſce res ſi quis habere poſſet,alia medicamenta contra peſtilentiam & uenena fruſtra perquireret:ſed incuria & auaritia fecit,ut hæc cum multis aliis deperderentur.

Quædam demū ſunt quæ geſtata utilia eſſe traduntur,quibus tametſi exiguam fidem attribuam,non tamen damno eorum uſum: quum,ſi non iuuant, non etiam obſint.Hæc ſunt:Hyacinthus collo alligatus,uel digito geſtatus.Adamas ſiniſtro brachio alligatus.Betonica portata,lapis Achates,lapis Chelidonius niger, Carbunculus.

Habes quæcūꝗ in hoc peſsimo morbo,ad hoc uſꝗ æui obſeruata à me tanquam excellentiora ſunt.Nonnulla autem de induſtria prætermiſi,uel ut triuialia,uel à temerariis hominibus cum nece multorum tentata.

Deus miſericors Mag. T. ab hoc peſsimo morbo, omniꝗ malo tueatur,& mei memorem reddat.

Ioannes Manardus Ferrarienſis Medicus. Calen. Ianuar. M. D. XVI. Budæ.

## EPIST. IIII. *Angelo Coſpo,febre & obſtructione laborante.*

MAgna me triſtitia affecerunt literæ tuæ,mi Coſpe,te adhuc ægrotare ſignificantes, quem ex his quæ Nouellus noſter ſcripſerat,iam ſanum putabam. Vnū tamen eſt quod me cōſolatur,quòd ex his quæ ſcribis,plus tibi timoris eſſe uideo quàm periculi,cum nullum adſit ſymptoma,quod uel per ſe uerēdum ſit,uel ſit maioris cuiuſpiam morbi præſentis uel futuri non modo initium,ſed nec indicium.Nā ut interim de regio morbo taceam,qui niſi ante ſeptimū diē euenerit,uel iecoris duritiem comitem habeat,ferè ſolet eſſe ſalubris.

*Aquæ intercutis præſcita.*

Nihil apparet quod formidādam aquā intercutem oſtendat:præcedūt enim eam pedum,manuum,faciei,& palpebrarum tumor,ilia extēta,color ex pallido albus,lotium ægre it,& flatuoſo ſpiritu uenter,& interdum teſtes implentur:deniꝗ malus totius corporis habitus quem Græci καχεξίαν uocāt,his adeſt, quibus ille affectus timendus eſt. Quare bono animo eſto mi Angele,& ſecurus te nec intercuti,nec grauiori cuipiam morbo ſubiacere,tibíꝗ potius ſperādam citam ſanitatem,quàm uel difficilem,uel longā ægritudiniem timendā:tecum enim ſentio,à bile te potius parū torrida,quàm ab alio humore uexari, aliquámꝗ ſolum obſtructionem uenarum,quæ à gibbis hepatis ad renes deſcendūt,obſtare ne lotium coloratius fiat.Cuius etiam obſtructionis indicium non leue eſt ſpuma, claritati illi quaſi perenni aſſociata.At ſedimen id quod ſubſidet,ſi modo uerum eſt ſedimen,breuitatem & ſecuritatē pollicetur.Quæ duo & uictus ratione,& medicamentis iuuari poſſunt. In quibus recte inſtituendis media uia procedendū iudico:ipſa ſiquidē obſtructio,calida:bilis,& ſymptomata quæ ſcripſiſti,frigida deſiderant.Ita moderanda igitur omnia,ut nec nimis calefaciendo bilem excitemus,nec infrigidādo obſtructionem augeamus.Atꝗ ad particularia deſcēdamus, domeſticum & ſylueſtre intybū laudo: hoc cichoriū, illud endiuiam uocant:ſi cocta,uel oxymelite,uel oleo bono & aceto,ſuperadditis ſemper paſſulis,condiantur.Cappares utrouis modo præparati,& cibus erunt, & medicina. Apium hortulanum,quod petroſelinum uocant,ſemper cum carnibus decoquatur,inter quas galli ueneris adhuc expertes ex domeſticis,perdices & phaſiani auiculæꝗ ex ſylueſtribus,cæteris præponuntur. Vinum ſit albū,clarum,odoratū,modicè pro eius potentia dilutum.Singulo die tres unciæ aquæ,in qua par modus abſinthii & cichorii bullierit,adiecta oxymelitis,quod cōpoſitum uocāt,uncia ſemis,calide bibantur.Quinto quoꝗ die mane catapotia triobolorū pondere deglutiantur:quæ quoniam æquali portione aloēn,agaricum & rheon recipiūt,de tribus cum rheu barbarico nominant.Præcordia ex decocto roſarū,cichoriiꝗ & abſinthii, uacuo uentre foueantur:quibus atꝗ communibus regulis obſeruatis,Deo opitulante, ſpero te circa quadrageſimum ab initio morbi diē,ſanitatem recuperaturum,præſertim ſi tute tibi non defueris,ſed bene ſperādo,& affectus animi moderando promiſſam ſanitatem lætus expectaueris.Et hæc quidē de tua ualetudine.Intelligere deſidero,an diſceſſerit Nouellus:& ſi diſceſsit,quo die diſceſsit.Venetiis,ut putabat,Surianū nō inueniet,quum interceptus à Maranenſibus ſit. Diſcipulus enim eius qui nuper huc uenit,ei ſcribere deſiderat. Valetudinem tuam cura mi Coſpe.

## EPIST. V. *Nicolao Leoniceno,uiro undecunque do ̄tiſ. De uera Rheo.*

MEminiſti puto Leonicene uir doctiſsime,dum paulò antea quàm huc uenturus ,Ferraria receſsiſſem,in Opizonum clariſs.familiæ domo, cum Ioāne Georgio Triſino,uiro non ſolū generis nobilitate,ſed omnifaria doctrina præſtantiſsimo,de uariis ſimplicibus medicamentis loqueremur,in grandē nos inter reliqua incidiſſe dubitationem,circa precioſiſsimam illā radicem,quam rheon Græci,Plinius rhecoma,uulgus rheum barbarum uocat: quòd uidelicet Dioſcorides & Plinius eam odore carere dicerēt,re ipſa & experimento ualde odoratā cōprobantibus.Quod cum tu negares,radix in medium allata, thalamum in quo ſedebamus ſtatim odore replens,manifeſtū ueritati præbuit teſtimonium,adeò ut neceſſariò alterum concedendum uideretur,uel falſa illos ſcripſiſſe,uel hāc non eſſe uerā rheon.In qua cōtrouerſia ego uolēs quaſi medius intercedere,dixi illos de uiridi loquutos:eam uero quæ ante nos eſſet,ualde ſiccam eſſe.Aliqua enim eſſe quæ humiditate ſuperflua obtundēte,donec ea reſoluatur,abſꝗ odore perſeuerent: aliqua econtrario, quæ ſicca nullum,uiridia magnū odorē mittant,& experientia,& Theophraſti autoritate conſtare:ſicuti & eſſe nonnulla quę ſiue recētia,ſiue antiqua ſint,propriū odorem ſpirēt.Videbar hoc pacto & antiquos à mendacio tueri,& recentiores in ea radice,quam pro uero rheo habent,approbare.In qua ſentētia uſꝗ ad id temporis perſeueraui,quo tres Caſamiri,reges,Cæſaris aduentum prǣſtolātes Poſonii cōuenerunt. Tūc enim à Sigiſmundi regis Sarmatarum medicis didici,in eo bello quod contra Moſchos fortiſsime idem rex geſſerat,repertum eſſe aliud rheon,cōmuni quidē ſatis ſimile,ſed penitus inodorum:cuius puluerē chirurgus quidā mihi dono dedit,quoniam radicem integrā non haberet. Dedi poſthac operā,ut radicem ipſam haberem:quod tandē tertio adhinc menſe cōſequutus,ipſámꝗ quantum ualui diligēter rimatus,eſſe quam Plinius & Dioſcorides pingunt dubio procul iudicaui. Affertur enim ex his quæ ſupra Pontum,uel Boſphorū ſunt regionibus,prope uidelicet Rha flumen,radix nigra,& coſto nigro exterius , magno centaurio interius ſimilis, minor tamen & rufior,ſine odore,calefaciens guſtum & aſtringens,laxa,leuicula,& dum maſticatur pallida & ad crocum uergens. Quæ ne omnia me finxiſſe putes, fruſtum eius mitto,nō ambigens te mox ubi id uideris,eſſe putaturum antiquos de hac loquutos,non de illa communi,quæ præter id quòd odorata,leuis etiā non eſt:imò quanto grauior,tāto melior, & à Ioanne cognomēto Meſue,& ab omnibus putatur.Nec à Ponto,ſed ab extremis meridionalis Indiæ partibus ad nos uehitur,uimque purgatoriam non minorem agarico

habet

habet: quam certe si in eo de quo scribūt antiqui inuenissent, non silentio præteriissent, ut uel ex hoc obiter aduersus Auerrois calumniā Galenus defendatur. Quānquam nec ratio conuincit, ut si purgandi uim habet, nō possit & adstringendi uim habere, quando & aloë, & agaricus, & alia multa adstringunt simul & purgant. Nec dicit Galenus quòd aluum adstringat, sed quòd stypticen, id est, adstrictoriam uim habet, quod & ipse Auerrois confirmauit: alioqui nec Ponticū hoc ui purgandi caret, licet minorem habeat, & quæ uix unica drachma exhibita deprænhendatur. Duo tamen adhuc supersunt nodi, quos per te, hisce in rebus nouum Herculem, solui desidero. Vnus, utra harum radicum in usu medico præferenda: alter, an communis hæc barbarica uulgò dicta, loco tantum, non etiam specie distet à Pontica. Mihi enim eiusdem esse speciei uidētur, præstaréq; Indicum, non solum ui purgatoria, sed & quoniā profundius se adigit, maiúsq; robur in membris relinquit: semper tamen bonum & recēs Ponticum, malo & antiquo Indico prætulerim. Tuum in omnibus hisce iudicium & expecto & expeto: ut in quo ea omnia cognosco, quæ Galenus in bono inuentore & iudice desiderat, naturale uidelicet ingenium, bonam in primis disciplinis eruditionem, asiduum studium circa antiquorum monumenta, amorem immensum ueritatis, longámq; in huiuscemodi rebus exercitationem. Vale.

# IOAN. MANARDI

## EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER SEXTVS.

### EPIST. I. Ad *Prætorem, uulnera capiti cuiusdam inflicta, non fuisse letalia.*

INFLICTA fuerunt duo uulnera cū duobus cathenæ ferreæ annulis, in caput Aloisij fabri ferrarij, alterū supra supercilium sinistrum, aliud in eodem latere parū infra angulum, ubi sutura, quę sagittalis dicitur, coronariæ coniungitur. Octauo die post uulneratione̅ superuenit erysipelas in facie, quod paulò pòst totum caput complexum cum febre est. Die uero duodecimo resolutio quædam dextræ manus cum diminutione loquelæ: & demum die decimoquarto mors. Quæsitum est, an ea uulnera essent letalia, uel mors alia ex causa prouenerit. Ad quod dubium, præsuppositis quibusdam, respondebimus.

Primum suppositum est, quòd nos occurrentes huic uiro, octauo die mane, inuenimus ipsum absq; febre, dolore capitis, desipientia & quouis malo symptomate, interrogantésque de præteritis diligenter, intelleximus eū nec cecidisse, nec uomuisse, nec uertiginem passum, aut desipientiā: uulnúsq; frontis uidimus non pertransire totam cutē. Aliud uero pertingere usq; ad membranam ambientē caluariam, quam almocatin uocant Arabes: à qua etiam membrana uidimus exiguā quandam caluariæ portionē denudatā, quā albā, omni mala infectione immunē, simul cū membranę parte quæ detecta erat, inspeximus. Quam etiā membranæ ossisq; detectionem, non uulnere ipso cōtigisse, sed manu prudentis medici factam, quo uulnus melius conspici curariq; posset. Facta quoq; per nos sedula totius capitis attrectatione, quam etiam posthac sæpe adhibuimus, non tantum in parte læsa, sed & in quauis alia, nullum unquā indiciū apparuit, per quod subesse oblæsionem aliquam cōiici posset: sed neq; ex re ipsa qua percussio facta est, modóq; ictus, quid tale deprehendi poterat.

Secundo supponimus ex sententia Galeni libro quinto & sexto Aphoris. morbū dici mortalē, uel quia necessariò ac semper, uel quòd ut plurimū mortē affert.

His suppositis dico primum, uulnera supradicta non fuisse ex numero mortalium primo modo, hoc est, eorum quæ necessariò mortem inferunt. quod probo: nam ex sententia Gal. lib. 6. Aphor. aphorismo 18. uulnera cerebri etiam satis magna, non sunt necessariò mortalia: ergo multo minus uulnera huius uiri, quæ ne ad caluariam quidem, nedum ad cerebrum penetrarunt. Idem sensit Auicen. libro tertio, cap. de plaga & incisione cutis capitis: incisionem quæ pertinet ad cerebrum, licet raró, sanari tamen interdum concedens.

*Vulnera cerebri non necessario mortalia.*

Idem quoque Galenus 8. libr. de usu particularum, cap. 10. in Ionia Smyrnæ sanatum ait se uidisse adolescentem, cui alter ex cerebri anterioribus uentribus fuerat uulneratus.

Deinde dico: eadem uulnera non fuisse mortalia secundo modo, hoc est, ex his quæ ut plurimum perniciem inferre apta sunt. Tripliciter enim (ut inquit Galenus 4. lib. Therapeutices) dicitur morbus uehemens, ob principatum patientis particulæ, ob magnitudinem dispositionis, & tertio ob ipsius malignitatem. Nullo autem horum modorum uulnera ista magna dici poterant. Siquidem cutis solum exigua pars præcisa erat, nec uenenata malignáue ulla affectio uulneribus erat impressa. Præterea uidemus consimilia uulnera, & his etiam longe maiora, quotidie cuti capitis illata, sanari perfacile, utpote in quibus nec arteriæ, nec uenæ, nec nerui nota digna oblæsi sint, & propterea ueluti simplicia uulnera, quod Auicenna quoque testatus est, facile coalescunt. Quod considerans prudens senex in aphorismo ubi uulnera letalia enumerat, non capitis, sed cerebri mentionem habuit, inquiens uesicam incisam habere aut cerebrum, & reliqua.

Si quis uero contendat, exigua quidem in superficie apparuisse uulnera, uerum oblæsionem ad cerebrum ipsum uel membranas pertigisse: quod tū ex rei ipsius probet euentu, tum ex febre, erysipelate, paralysi, stupore, quæ superuenerunt, afferátque pro se aphorismum 14. septimi libri: In capitis ictu obstupescentia & desipientia, malum. Idem 19. eiusdem, In ossis exutione erysipelas. Rursus 24. In ossis præcisione desipientia, si in uacuum apprehenderit. Huic respondebit Hippocrates quinquagesimo aphorismo sexti libri, dicens, Quibuscunque præciditur cerebrum, his necesse est febrem & bilis uomitum superuenire. Cui aphorismo consonat illud Auicennæ libro tertio, Cùm incisio peruenit ad cerebrum, apparet febris & uomitus choleræ. Nec solum cerebro uulnerato euomunt homines bilem, sed & dura etiam membrana, sicuti Galen. eum locum enarrans attestatur. Neque sat est dicere, superuenisse huic uiro posterius febrem: siquidem accidentia ipsa, quæ pathognomica Græci uocant, statim ipsam passionem consequuntur. id quod docuit Galen. in expositione aphorismi 12. lib. 1. & in libr. de constitutione artis medicatiuæ, atque aliis in locis. Ipsemet quoque Hippocrates aphorismo 58. septimi libri, addidit uerbum, statim, de his accidentibus loquens quæ cerebri concusionem comitantur. Tum etiam Alexander tria mala ictum membranarum cerebri consequi uoluit, conuulsionem uidelicet, desipientiam, & acerrimum dolorem. Et Celsus bonus Hippocra. interpres, libro quinto, si cerebrum, membranáue eius uulnus accepit, præter bilis uomitum, sanguinem per nares, & quibusdam etiam per aures dixit exire.

Non difficilius quoque reuincentur, si qui aut perfractam caluariam, aut ipsa quidem integra, interiorem aliquam membranæ uenam ruptam fuisse affirmauerint: osse enim fracto, & prædicta eueniunt, & præterea oculi obcæcantur, obmutit homo, & sine somno quasi dormitans iacet. Disrupta uero uena, sanguis exit, qui conglobatus uehementem dolorem excitat. Quo dolore cum hic semper caruerit, non conciderit, non bilem uomuerit, non uertiginem aut obcæcationem passus sit, uerisimile est, non cerebrum, non membranas oblæsas fuisse, sed nec caluariam, aut uenam perfractam. Credendúmque ea accidentia quæ in octauo & duodecimo die euenerunt, & consequenter mortem ipsam, quæ ex illis est sequuta, non magnitudine uulneris, sed malitia potius humorum & capitis debilitate contigisse. Sic sentio ego Ioannes Manardus ordinarius medicinæ professor, in quorum fidem supradicta exaraui, & manu propria subscripsi. M. D. IX.

### EPIST. II. *pro domino Benedicto Porto, Patritio Mantuano. De præseruatione & curatione uariarum affectionum.*

QVanquam uariæ sunt affectiones quibus præstantissimus hic uir infestari consueuit, ferè tamen ab eadem causa proueniunt: siquidem

totius corporis temperatura,ſed præſertim iecoris,uenarúmq; calidiore ſicciorénq; tum natura,tũ ætate(agit enim primum ultra uigeſimum annum)fit,ut rufa bilis,& mole,& feruore ultra modum augeatur,quę per uarias corporis partes delata (utpote ſuapte natura mobilis & uaga)atq; etiam interdum quibuſdam aliis ſuperfluitatibus adiuta,uarias in corpore excitat læſiones.Quando enim intimas lacertorum & cartilaginũ partes ingreditur,& ad oſſa uſque adigitur,ſubiectas ipſas partes ſeparãs,dolores artuum facit.Cum de maioribus uenis ad minores,atque ex his ad minimas, quas capillares uocant,tandémque ad cutẽ,extimáſq; partes diffunditur,ſed neq; putreſcit,neq; admodum uel torrida,uel ſanguini admixta,colorem deturpat & arquatum morbum gignit,qui præſertim in oculis apparet ceu tenerioribus nitidioribúſq;. At ſi retorrida ſit,atq; ſanguini admixta,puſtulas excitat,non his abſimiles quæ ex culicum morſu fieri ſolent,quas Arabes ſeres,Celſus exanthemata uocat. Quòd ſi ipſa per ſeſe,non aduſq; cutim meat,ſed uapores ad eam mittit tenuiores quàm ut puſtulas facere poſsint,pruritum tantummodo mouet: dum uero ad caput coadiuuante etiam eius calore trahitur,ab eóq; aliquid pituitæ ſalſioris recipiens ad os naréſq; deſcendit,ulcuſcula illic,hic cruſtas facit.Si ad oculos palpebráſque, pruritum lippitudinémque excitat,præcipue ſi torridior fuerit.Quòd ſi fortè obſtructione facta computruerit,tertianas febres generabit,uel ueras,exquiſitáſq;,ſi ſyncera ſit:uel nothas & adulterinas,ſi pituitam ob frigidiorem uentriculum cruditatémue genitam,aut ſeroſam humiditatem ſecum habuerit admixtam,uel atram bilem,uel ipſa abſq; alterius rei miſcella ſit tanquam exuſta.Hi autem affectus tametſi maiori ex parte faciles uideantur,& de eorum numero,qui ſint potius dedecora quàm morbi uocitãdi,haudquaquam tamen ſunt negligendi,quum poſsint ad deteriora,ſi neglectui habeãtur,facile prolabi,narium quidem cruſtæ ad ozænam,cui malo uix ſuccurri poteſt: oris ulcera ad ea quæ aphthas ſcilicet Græci dicũt,quæ ſunt lõge periculoſiſsima.In oculis mala lippitudo ſeu inflammatio oriri poſſet,& quæ ad interiores partes bilis,uehementes artuum dolores,quæ ad extimas, mala ulcera,& demum elephantiaſin facere. Accedit quòd materia hæc non ſolum propriam habet malitiam,ſed ex contagione occultum quoddam uirus cõtraxiſſe uidetur.Verum ſi his quæ Deo duce conſcripturi ſumus audiens,obſequénſq; fuerit,ſperamus eodem ſummo Deo & uero medico opitulante,non modo deterrimas illas labes euaſurum,ſed & à leuiculis iſtis, uel nihil,uel certe exiguum quid detrimenti paſſurum. Diuina igitur ope freti propoſitum aggrediamur.

Duplici,quantum propoſito attinet exiſtente medicina,altera quæ imminentem,altera quæ iam factum morbum propulſat,utranq; exequemur,orſi à prima ueluti à primaria & nobiliore.Rurſus,quoniã tam pręſeruatio quàm curatio duplici inſtrumento perficitur, uictu ſcilicet & medicamentis,inter quæ ratio uictus præſtat,ab ea ſumemus exordium.Quandoquidẽ ipſa per ſeſe interdũ ad bonam ualetudinem ſatis eſt,alia ſine ea fruſtra tentantur.

*Victus ratio medicamentis præſtat.*

Quoniam igitur(ut monſtrauimus) noxæ quibus præſtans hic uir affligi conſueuit,ferè à rufa bile proueniunt,ea ratio uictus inſtituenda eſt,quæ hanc ipſam præcedentem cauſam moderari poſsit & retundere.Vitanda igitur quæcunq; eam uel gignunt,uel fouent,aut exacuunt:alciſcenda quæ reprimunt & comminuunt. Ex cibis igitur acria,acuta,ſalſa,amara,dulcia:ceu inter olera ruta,ſaluia,ocymum,eruca,mentha, apium tam hortulanũ,quod uulgò petroſelinũ,quàm id quod etiam apud communem loquendi uſum apii nomẽ retinet:item ſaluia,amaracus,ſerpillum,naſturtium,tarcon,uulgò draconem dicunt,braſsica,cherefolium,anethum,fœniculũ,libanotis(quem rorẽ marinum dicũt)allia,cepæ,porra,atq; id genus cætera ſunt penitus fugiẽda.Item raphanus uterq;,tam ſcilicet qui radix dicitur,quàm qui armoracia,rapa,paſtinaca,ſiliquaſtrũ,ſeu piperitis,inula,ſinapi.Conueniunt aquatilia & acida,qualia inter olera lactuca,intybus tam ſatiua(quam endiuiam)quàm aruenſis utraq;(quarum alteram radiculam,& alterã cicerbitam uulgus nominat:)item portulaca,lapathon(pręſertim acetoſa,quæ dicitur)præterea olus quod Arabes aſpanac,nos nomine paulum mutato ſpinacium dicimus,atriplex pampinella uocata,blitus,bugloſſus,trifolium acidũ. Hæc poſſunt uario modo parari:ſed quoniã debilioris uentriculi eſt,melius eſt coquantur,& ut ex calidis & odoratis quippiam miſceatur.Ex fructibus,nuces iuglandes,ſtrobili,hoc eſt,pinei nuclei,caſtaneæ,penitus dimittenda:ceraſia,mora bene matura,mâla & noſtratia & punica dulcia,ficus,uuæq;,cuncta hæc ſi admodum dulcia ſunt,nõ conueniunt.Poteſt interdum ſumere,maxime frigidiore tempore,auellanas:quæ licet ab Auicen.lib.2.ponantur inter bilioſa,in 3.tamen dicũtur hepati conferre:amygdalas,& cum ſuis acinis paſſulas,caricas,piſtacia,ſuóq; tempore cotonea,ſorba,meſpila.Congrua ſunt pruna,maxime quæ damaſcena,& quæ myrobalana dicuntur,ceraſia,mâla item acida,& ex piris quæcunq; fragilia,non multum dulcia,punica uel acida uel media,medica cortice,ſeminibúſq; abiectis,cucurbita omphacio condita. Ex carnibus laudantur præ cæteris pulli cohortales,præſertim fœminæ,& quę in alborem potius,quàm nigrorẽ declinent, & ex maribus qui nondũ iniere,capi iuniores,hœdi,uitulíq; lactentes,anniculíq; uerueces.Conceduntur perdices,phaſiani,coturnices(uulgò appellari ſolitæ,non autem ueræ coturnices,quæ ſunt illæ quas uocãt qualeas)capreoli iuuenes,alæ anſerum & anatum.Alas autem cum dico,non pulpas intelligi uolo,ſed eam partẽ quæ ad uolatũ deſeruit. Damnantur columbi,anſeres, anates,præter eas partes,quas ſuprà conceſsimus:boues,cerui,& omnis caro durior,uetuſtiórq;.Piſces maritimi,fontium uel fluminũ,inter duros teneróſq; medii cõducunt,præcipue uero ſaxatiles:nocui ſunt quos ſtagna & lacus limoſi educant,& qui teneriores uel duriores.Oua gallinarum recẽtia,mollia,omni tempore,præterquam in uehementi æſtu conceduntur,quo etiam tempore ſi aceto,aut omphacio cõdiantur,ſecure ſumi poſſunt:dura,præſertim frixa,omnino prohibentur,& ſimiliter cæterarum auium quocunque modo parata ſint. Lac,caſeus recens,ſi bene concoquantur,proficua ſunt.Indicium bonæ concoctionis,ſi neq; ructus acidos aut fumidos concitant,neq; præcordia, aut uentriculum grauant.A uetere & ſalito caſeo penitus abſtinendum.

*Lac & caſei bonæ cõcoctionis notæ.*

Potus ſit uinum album,clarũ,debile,odoratũ,& quod ad acidum potius uergat quàm ad dulce,æſtatíſq; tempore moderatè dilutum.Nigrũ, craſſum,dulce,potens,in totum dimittatur. Panificia omnia,item lagana,& id genus cætera uitanda:furnaceus tãtum panis & bene fermentatus ac coctus edendus,cuius nihilominus cruſta extima dimittenda:heſternus admodum idoneus: calidus ueluti hoſtis formidandus. Condita omnia,præſertim cũ melle inutilia. Ex his uero quæ ſaccharo condiuntur,ſumi interdum poſſunt pruna,cucurbitæ,intybi,cotonea,atq; alia quæcunque ſuperius laudauimus,modo ſine calidis aromatibus ſint præparata:hæc enim tum in his, tum in cæteris cibariis ſunt fugienda.Aromata cum dico,ea intelligo,quæ uulgò ſpecies dicuntur,quibus ſi omnino uelit uti,confici in hunc modum faciat,ut accipiantur,Coriandrorum ſecundum communem modum paratorum,ſandalorum citrinorum,florum labruſcæ,cinnamomi electi pares portiones,quæ in tenuiſsimum puluiſculum redigantur. Conceditur etiam uſus illarum placentularum,quas martios panes uocant,præcipue ſi unà cum amygdalis,cucumerum,cucurbitarúmq; ſemina receperint.Item commode adhibẽtur eadem ſemina per ſe ſaccharo operta.Inter omnia uero id genus bellaria,id mihi præſtantius uidetur,quod ex ſaccharo roſarúmq; ſucco in hunc modum conficitur:Saccharum quàm albiſsimum inſtar farinæ tenuiſsimæ teritur,atq; ſuperfuſo tanto roſarum ſucco,quantum ſat ſit,placentulæ aut panes uaria forma conficiuntur,qui in ſole quoad ſicceſcant, operti linteolo,dimittuntur,demum reponuntur,& toto anno conſeruantur. Quod præter id quòd delicatius eſt,hoc etiam cõmuni ſaccharo roſaceo præſtat, quòd uentrem ſicut illud nõ retinet.Iurulentis,elixíſq; potius quàm aſsis & frixis utatur.Et ſi interdum aſsis uti uoluerit,non ſint admodum toſta,ſed alba & mollia,ac prunis ceraſiíſq; acidis oppleta,& omphacia uua,aqua roſacea,acetóue ſimiliter roſaceo,aut mâli medici ſucco,uel punici,aut aliquo generis eiuſdem condita.

ta. Aestu quoq; uehementi ingruente, haud prætermittatur, quin aut portulaca & cucurbitæ frustum, aut lactuca, aut quid simile cum carnibus elixetur. Ex herbis quas suprà laudauimus, additis etiam condimenti & uentriculi gratia ramusculis odoratarum, & intinctus tucetáue cum aceto, omphaciiq; uel punicorum succo, & cum recenti caseo, ouisq; quam tortam uel tortulã uocant, & construi & comedi interdum possunt non illaudabiliter. Circuncidenda omnis negociosa cogitatio, uel actio secundum cibum est. Conclaue eius æstate quidem aquilonem, hyeme solem orientẽ spectet: meridionalem prospectum omni tempore deuitet, morámq; in sole, & quantum fieri potest maxime caueat sub eodem deambulationem: ignem præterea & multo magis fumum: &, ut in summa dicatur, totius corporis, sed maxime capitis calefactionem. Somno & quieti potius quàm labori & uigiliis innitatur: iram, clamorem, contentionem, tristitiam, longam lectionem, immoderatiorem ueneris usum, famem, crapulam, cruditatẽ, uelut hostes fugiat. Cubile & ceruical quibus quiescit, non multum mollia sint, lana potius aut coto uel gossapio quàm pluma oppleta. Caput in lecto sublime habendum, corpus nunquam supinum, nõ semper dextro lateri incũbens, hyeme tamẽ minus nocue, & omni tempore in somni initio: dormire uero super faciem nullo modo debet. Summa ope nitatur, ut ei quotidie uenter eat. Et si in hoc opere natura nimis hebescat, aliquo auxilio ex his quæ infrà scribam, excitetur. Hæc igitur pro uictus ratione hactenus dicta sint, nũc ad pharmaceuticen accedendum.

Peracta ea purgationis serie, quam superioribus diebus scripsi, si initium aliquod non persenserit earum affectionum, quibus oblædi insueuit, ab omni penitus medicamento interquiescat, donec sol Geminos ingressus sit, hoc est, ad [illegible]usque Maii diem, quo tempore si uel pruritum, uel pustulas, uel alium quempiam eorum affectuum, qui eum affligere consueuerunt, emergere cognouerit, statim ex ea uena sanguinem mittat, quæ annularem mediũmq; digitum dextræ manus interiacet, ex eáque circiter sex sanguinis uncias hauriat. Postera die quatuor uncias caprini seri, cum succi rosarum purissimi uncia, in aurora bibat: frigida quidem, si id stomachus tolerat: si minus, calida. Quem potum continuis septem diebus eadem hora cum acceperit, adiiciat drachmam unam cum dimidia rhei barbarici electi & purgati, & sesquiscrupulum nardi Celticæ, cũctáque simul in uitreo uase per totam noctem adseruẽtur, & mane quod excolatum fuerit, tepidum bibatur. Sed quoniam in nobilis huius medicamenti mentionẽ incidimus, de quo nonnihil ambigere hic eruditus iuuenis uidebatur, non alienum erit pauca de eo subiĳcere, ex quibus quęstiones quoque nonnullæ abs te propositæ diluantur.

*Rhei barbari plura nomina.*

Quod uulgus medicorum & officinæ omnes nunc rheum barbarum uocant, & Punici rauedseni, hoc Celsus radicem põticam, Dioscorides rha, & iuxta quosdã rheon, secundum alios rhian, Plinius rhecoma, Galenus quemadmodum Dioscorides interdum rheon, interdũ rhian, aliquando rheon ponticum appellat. Eo antiqui ad uentris purgationem non utebantur, sed antidotis miscebant, & ad plerosq; usus alios adhibebant, quos operæprecium non est hoc loco referre, quando ex Plinio Dioscoride, cæterisq; facile disci possunt. Primus (quòd meminerim) Auerrois Cordubensis Galenum cæterósq; medicos taxans, qui constringere etiam putarunt, tantum abest, ut subducere uẽtrem crediderint, inter cætera purgantia medicamina esse scripsit pręcellentissimum. Quem sequutus Ioannes Damascenus cognomento Mesue, ubi medica pharmaca solutoria, quę benedicta uocat, recenset, seriosam & honorificam illius mentionem facit. Cui hac in re, sicuti & in reliquis, recentiores medici credentes, tanti illud fecerunt, ut aliquando auri precium pari pondere æquarit: neq; ad alios fere usus nostro æuo accommodant, quàm uel ad bilis uacuationem, uel ad intestinorũ difficultates, uel ad eos qui de sublimi aliquo loco ceciderunt. Non prætereundum tamen silentio posse cuipiam uideri, Serapionem iuniorem solutoria ui illud præditum existimasse, quum in de simplicibus medicamentis libro scribat, dari in omnibus in quibus datur agaricum. Verum cum uerba illa non ex propria, sed ex Dioscoridis sententia proferat, nec sit (quòd plerunque peccat) satis fidus interpres, audiamus ipsum Dioscoridem sua uerba personantem, uidebimúsq; id non ex Dioscoridis, aut Serapionis opinione, sed potius de peruersa uerborum Dioscoridis, uel lectione, uel intellectione, uel interpretatione prodiisse. Ait siquidem ipse Dioscorides: Modus seu dosis pariformiter agarico ad unumquenque affectum eodem drachmæ pondere. Quòd si quis contendat Dioscoridem his uerbis sensisse, omnibus uiribus pollere rheon quibus agaricum, is & Galenum incurię, & Auerroin crimine falsi accuset necesse est. Illum quidem, quoniam ex Dioscoride non didicerit rheon sicut agaricon inter cathartica reponendum: hũc, quòd talem ignorantiam perperàm antiquitati impegerit, & se quasi nouum tam nobilis medicamenti inuentorem iactanter & falso pręducet. Magis autem mouet me Paulus, qui lib. primo suæ medicinæ cum dixisset, rhesinã, therebinthinam oliuę magnitudine uentrem ciere: subdit, magis autem subducere uolentes parum quid rhu admiscemus. Est autem rhus (uulgò sumac dicunt) Dioscoride, Galeno, cæteris, experientiáq; ipsa testante, medicamen uehementer uẽtris adstrictiuum: quo fit ut suspicer, librarii culpa deesse e literam illi dictioni, legendúmq; rheu, non rhu. Verũ hæc ambigendo potius quã decernendo dicta sint: nondũ enim Paulũ uidere potui, aut quæ scribuntur ab eo proprio cap. de rheo: quãuis legerim apud medicũ non magnæ autoritatis ex sentẽtia Pauli, quòd mundificat. Quicquid tamen sit, non est ambigendum eam prærogatiuam non habuisse apud antiquos inter cathartica, quam nunc habet. Quæ res non mouere nos debet, ut minoris illud in hac re faciamus. Quandoquidem neque myrobalanus inter solutoria medicamina, nec senam, nec mannam, nec siliquã Indam, quam uulgo casiam uocãt, expurgantibus nũc præstantissima, habuerũt: moschum item, camphorã, sandalos, ambram, nobilissima quidem & efficacissima medicamina penitus ignorarunt, aliáq; permulta nostro æuo explorata, & superme celebrata. Antiquos cum dico, Galenum, & eo uetustiores intelligo, qui nõ propterea tamen accusandi sunt: siquidem nec omnia cognoscere, nec eorum quæ cognoscebant, omnes etiã uires scire potuerũt. Nec enim falso (quod Auerrois innuere uidetur, rheo adstrictoriam uim attribuerunt: ipsum namq;, sicuti pleraq; alia, utraq; ui pollet, adstrictoria uidelicet & purgatoria. Ex Ioãnis Mesue & Auerrois, ac recentiorum omnium autoritate, ipsáq; experientia didicimus igitur rheum barbarum inter medicinas bilem pituitámq; expurgantes, esse pereximiũ, adeóq; ab his nocumentis quæ secum reliqua cathartica afferre consueuerunt, immune, ut pueris, prægnantibus, cæterisq; imbecillioribus tutò exhibeatur. Esse autem iecinori congruentissimum, non solum hi, sed & Plinius & Dioscori. Galenúsq; contestantur. Quòd uerò particulatim bilem à capite educat, non legi penes idoneum autorem. Plinius tantum bibi contra capitis grauitates affirmat: quas tamẽ ut in pluribus, nõ de bili naturali & impermista, sed de aliis potius humoribus pendere apertum est: siquidem bilis ipsa aliorum humorum comparatione suapte natura leuis est. Dioscorid. febrientibus cum melicrato, in febrientibus cũ œnomelite, phtisicis cum passo, stomachicis masticatum exhibet. Plinius pro uarietate morborum modo in uino, modo in aqua, modo in passo. Communis usus medicorum habet, ut uel formetur in catapotia, uel cum aquis arnoglossi in intestinorum difficultate, uel deuolutis, apĳ, aut intybi, in febribus bibatur. Nos pro morborum uarietate, patientis temperatura, consuetudine, ætate, atque id genus cæteris, modo huic, modo illi rei miscemus, prout tamen conducere arbitramur, ut nihil perpetuum habentes, ita à maiorum uestigiis, ratione ac experimento non discedentes. Omnibus autem quantum potui libratis, optimum duxi, si à te quo præscripsi modo sumeretur. In qua re præter rationes & experimenta, Ioannis quoque Damasceni autoritas mihi suffragatur. An uero idem modus sociis conueniat, decernere non est, nisi cum earum quas diximus, rerum consideratione. An cum casia sumendum, anceps quæstio est, & utrinq; rationibus autoribúsque munita: sed præter efficaces satis rationes, huiuscemodi commistio experimentis multifariam quotidie comprobatur. Me-

*Antiquis plura incognita quæ à recentioribus peruestigata.*

*Rhei barbari uires innocuæ.*

diocris autem modus erit, ut ex caſiæ liquore ſex drachmæ, ex rheo barbaro una recipiatur: quibus ſi Meſuæ credimus, ſcrupulū ſpicæ ſuperaddemus. Hæc etſi παρέργως, non tamē intempeſtiue uideor attuliſſe, ut quæſitis ſatisfacerem. Iam redeūdum unde diſceſsimus. Docuimus quid agendū, ſi nulla ſe oſtenderit conſuetarū affectionum, priuſquam Sol Geminos attigerit. nunc docendum, quid agendum ſi quid ante id tempus apparuerit. Quandocunq; igitur imminere quempiā eorum affectuum animaduerterit, ſtatim cubiti interiorem uenam hepatiten uocatā, ſecet, indidémq; ſelibrā ſanguinis hauriat: ſiquidē, ut docet Galenus in libr. de phlebotomia, atq; aliis locis, non ſolum his qui actu ægrotāt, ſed & his qui uel ægrotare conſueuerunt, uel iam ægrotaturi ſunt, ſanguinē mittere debemus. Neque eſt quòd uereatur ſanguinis miſsionem, quaſi oculis inimicam. Quantum enim immoderata ſpiritus uacuando uiſum hebetat, tantum moderata redundantes humores demendo, & uapores qui ſurſum feruntur diſtrahendo, acuit & refocillat. Adde quòd non eſt in præſeruando à defœdationibus huiuſmodi cutis, & artuū doloribus, ullum magis præſentaneū & efficacius remediū. Qua peracta, ſi iam apparuerunt roſæ, purgationem prout ſuprà deſcripſimus perficiat. Si minus loco ſucci roſarū, capnij, hoc eſt, fumariæ, uel, ut uulgò, fumi terræ ſuccū eadem menſura ſumat: qui & depuratus ſumi poteſt, & ut eſt ex herba ipſa extractus. Sed hic quidem minus mollit, & uentrem magis confortat, ille econtrario. In eóque ſumendo non aliis regulis utendum, quàm quibus in reliquis potionibus, quos ſyrupos uocant. Poteſt calidus, poteſt frigidus ſumi, tepidus non debet: cætera autem, prout in purgatione Maij deſcripſimus, exequatur. Nec tamen prætermittat, quo minus anteaquā roſæ deſināt, octo uel decem diebus ſucci unciam cum ſero caprino ſumat, & purgationis loco non amplius rheum, ſed uncias duas ſucci cum tribus quatuórue heminis eiuſdem ſeri. Hoc pacto ergo uere purgādus eſt.

*Venarū ſectio an uiſum hebetet.*

Vnum tamen præteriiſſe uideor haud prætereundum, quid ſcilicet acturus ſit, ſi nec antequam Sol geminos attingat, nec cum attigerit, quicquam moleſtiæ perſenſerit. Dicendum cuncta eſſe pariformiter exequenda, præter phlebotomiam: quam niſi uehementior iam æſtus eſſe cœperit, nolumus prętermitti: eſt enim magna præſeruationis pars, ut ſuprà monſtrauimus. Iunio menſe, ſeptem uel octo diebus aquam in qua maduerint intybi flores, mane bibat. Macerandi autem hoc modo: Flores mane colliguntur, & uſque ad ueſperam in umbra expanſi conſeruantur: dehinc aqua pluuiali uel fontis quanta bene tegantur, infunduntur, igni appoſiti in uitreato uaſe concaleſcunt: dum bullire occipiunt, deponuntur, & tota nocte ſub diuo uas cuſtoditur: mane excolantur, & uncia ſyrupi ex ſucco roſarum addita, ex colatura unciæ tres bibuntur. Vltimo die plus ſyrupi adiicitur, hoc eſt, ad uncias 4. Menſe Iulio aqua hordei ſupremo tantū cortice purgati, cū uiolaceo ſyrupo eodem modo bibatur: aucto pari mēſura ultimo die ſyrupo. Auguſto, aquæ per deſtillationē ex intybo & fumaria in duplici uaſe factæ, eodem modo cum ſaccharo bibātur, ultimóq; cum his uncia medullæ pinguis caſiæ: obſeruata tamē tepidiore die, hoc eſt, qua uel Aquilo perflet, uel imbres ingruant. Autumnali peracto æquinoctio, uehementiore purgatione utendum eſt, hoc modo: Accipiātur ſucci fumariæ, lupi ſalictarii, domeſticę intybi, roſarum, ſingulorū pondo unciæ decem, polypodii, foliculorum ſenæ, epithymi, ſingulorum pondo unciæ tres, florum bugloſsi hortenſis, uiolarum, mei, ſeminis intybi, ſingulorū pondo drach. duæ, omniáq; ſimul coquantur, arte in huiuſcemodi rebus conſueta: ſic, ut flores poſtremo apponantur, expreſsionéq; facta, & addito liquori quantū ſatis ſit ſacchari. Conficiatur medica potio, quæ abſq; alterius liquoris admiſtione bibi poſsit: ex qua ſingulo quoque mane unciæ tres bibantur, donec tota ſit ebibita: ultimo tamen die addātur tres drachmæ eius medicamēti quod ad Hamech Arabem quendā autorem refertur.

Si qua uero uentriculi ex huiuſmodi, uel aliis purgationibus relicta fuerit imbecillitas (ferè enim medicamenta ſtomachū oblædere conſueuerunt) ea facile ſaccharo roſaceo remouebitur, tribus horis ante cibū ſemuncia ter aut quater accepta. Hyeme purgatio non uidetur admodum neceſſaria: nō ab re tamen fuerit ſumere interdum, Auſtro maxime perflante, ſcrupulum, ſemidrachmam uel drachmam catapotiorum, quæ habent pulueris picræ, rhei barbari, agarici, foliculorū ſenæ, roſarum, ſingulorū pares portiones: omnia per ſe teruntur, & cum roſaceo melle in catapotia rediguntur. Proderit etiam interdū ſemunciam diarhodon, tribus ante prandium horis eſitaſſe. Hæc ad generalē præſeruationem ſatis ſunto, deinceps nonnulla ad particularem conferentia ſubiiciam.

Oculi frigida potius inſperſa quàm per manus admota, ſingulo quoque die ieiuno abluantur. Conficiatúrq; pila ex panno lineo mediocriter tenui, quæ ex æqualibus partibus roſarum, pompholygos, id eſt, tutiæ, myrobalanorum citrinarum impleatur, ex eáq; poſtquam imbiberit roſarum, & ſolani aquas, oculi & palpebræ multoties ita contingantur, ut humor in eis aquarum remaneat. Nares ſæpe ex oleo roſaceo & arnogloſsi ſucco illinantur. Os modo ex aqua frigida cum pauco aceti, modo ex lacte, modo ex lactucæ ſucco, modo ex arnogloſsi aqua abluatur. Prodeſt etiā mandere interdum mala acida, oxylapaton, immaturas amygdalas, mora ſimiliter immatura. Præcipuū eſt gargarizare pluuialem aquam frigidam, in qua gallæ immaturæ excoctæ ſint. Facies uniuerſo ex panno lineo madefacto in aqua deſtillationis florum ſalicis, cui tertia pars ſucci limonis ſit adiecta, ſæpenumero foueatur. Corpus uniuerſum, uel ſaltem brachia, crura, genitalia, lauentur aliquando aqua tepida, in qua flores nymphææ, roſarum, uiolarum, & folia fumariæ, lapathi, arnogloſsi, hordeúmq; bullierint.

Exequuti quæcunq; ad præſeruandum uiſa ſunt opportuna, iam tempus eſt ut quæ ad curationē attinent, aggrediamur. Siquidem uix fieri poteſt, ut quæ dicta ſunt omnia ad unguem fiant, quæ tametſi ſeruentur, nihil tamen uetat quo minus iam tanta ſit in humoribus membriſq; facta impreſsio, ut nihilominus naturam aliquo modo à tot malis uinci neceſſe ſit. Summatim igitur & per compendium iſtarum affectionum curationem exequamur.

Lippitudo, rubórq; oculorum, ſi leuis fuerit, per ſolam aquam roſaceam biduo frigidam, non tepidā, tollitur: quòd ſi ultra quatuor dies prorogetur, aloës parū primo aqua roſacea, uel ſi hoc non ſufficiat, uino albo nocte maceretur, mane gutta aquę, uel uini oculis inſtilletur. Si fortior, cucurbitulæ infra latū ſpatularū os admoueantur, è quibus ſi cutis fuſcior efficiatur, incidenda ſcapello eſt, cucurbitulæq; iterum admouendæ. Succus ſolani oculis inijciatur, panniculus ex eodem ſucco expreſſus oculo clauſo ſuperponatur. Stuppa quæ album oui biberit, cui miſtus optime ſit puluis roſarum, acaciæ, corticum aridorum mali punici, frontem comprehēdat, & tēpus cui oculus læſus ſubiacet: aut collyrium albū abſq; papaueris lacryma cum eodem ſolani ſucco primis diebus oculis inſtilletur cū muliebri lacte: poſtea parum ſarcocollæ addatur: & demum imminuto ardore, aqua in qua fœnū Græcum bullierit, reſiduū diſſoluet. Narium uero cruſtis medetur butyrū recens, uiolarum aqua bene ablutū, aut adeps gallinæ recens lota cū aqua nymphææ. Aut hæc mixtura: olei uiolati pondo unciarum trium, medullæ cruris uituli pondo unciarū duarū, tragacāthæ, ceræ albæ, ſingulorū pōdo unius unciæ: ſolutis quæ ſoluenda ſunt, reliqua miſceātur. At ſi per hæc cruſtæ non reſoluantur, ad fortiora ueniendum: quale eſt quod habet, butyri recentis ſucco ſemperuiui abluti, ceruſſæ lotæ, ſingulorum pondo unciæ unius ſemis: olei nymphææ pondo unciæ unius, lithargyri, plumbi uſti eloti, ſandalorum citrinorum, ſingulorum pondo unciarum trium: hellebori albi, camphoræ, & magna urgente neceſsitate, argenti uiui, ſingulorum pondo unius ſcrupuli, ceræ albæ parū. Quicquid autem horum fiat, ſemper antea uapor aquæ calidæ per nares attrahatur.

Puſtulis oris proderit in initio collutio ex aqua cœleſti, in qua ſemen roſæ & gallæ decoctæ ſint. Item ex lacte, in quo ferrum candens multoties ſit extinctum. Sedato autem feruore, butyrum cum melle roſato inter præſtantia remedia connumerari debet: aut extrahito ſuccum ex toto malo punico acido cum cortice ſuo contrito, addito tantundem mellis roſacei: facitóq; omnia tandiu ſimul bulliant, donec mellis craſsitudinem habeant. Quòd ſi efficacius remedium deſideras,

ras,adde tertiam partem pulueris conchularum glandium aduſtarum. Et ſi adhuc efficacius,ſextam aluminis ſciſsilis uſti ſuperaddito.Illud tamen haud prætereũdũ,in omnibus huiuſce capitis affectibus,poſt uniuerſales purgationes cucurbitulas , ut ſuprà in oculis monuimus,ceruici eſſe admouẽdas,hirudinéſq; prope locum patientem.

Ad pruritum genitalium,accipiatur album duorum ouorum recentium,ſucci ſemperuiui,olei roſacei,ſingulorum uncia,farinæ fabarum uncia ſemis,cũcta in mortario plumbeo tandiu agitentur,donec congrue craſſeſcant.Hæmorrhoidum amotionem nõ ſcribo , quoniã prouocari potius debent quàm repelli. Tertiana uero, & regius morbus,pręſentem medicum deſiderant.Hęc ſunt quæ in præſentia mihi occurrêre ad huius præclari uiri præſeruationem,curationémque:quem iſtis, iuuante eo qui eſt uera ſalus omnium,ſperamus priſtinæ integritati decorique reſtituendum. Vale. VI. Aprilis. M. D. IIII.

EPIST. III. *Ioannes Manard. Ferrarienſis medicus,Franciſco Gaballo eiuſdem artis profeßori eminentiß.* S. P. D.
*De Theriaca.*

INter reliquas errorũ cauſas qui proximis ſeculis in medicina acciderũt,hanc fuiſſe nõ minimam puto, quòd medici nihil de ſimplicibus medicamẽtis cognoſcentes,ſeplaſiariorũ & pharmacopolarũ arbitrio cõpoſitiones medicaminũ permiſerũt.Inde enim factũ eſt(ut reliqua nũc taceã)quòd generoſa illa antidotus, ab Andromacho ſeniore Theriace,à iuniore Galene(nõ à Galeno medico eius ſibi nomen uſurpare cupiente,ut credere uiſus eſt Auicenna,ſed à tranquillitate) uocatã, uel omnibus,uel certe pluribus poteſtatibus carere inuenta ſit,quas ei antiqui medici adſcripſerunt. Huic tu rei prudentia tua occurſurus,maximum in eius cõpoſitione errorem,peculiari commentario ſuper hoc edito caſtigaſti,oſtendens feras illas quæ in antidoto erãt ponendæ,quibus uidelicet theriaci paſtilli concinantur, non ex Aegypto petendas,ſed in media ipſa Italia reperiri.Nec ſatis tibi hoc uiſum ad bonam conficiendã theriacẽ,ſed Andromachum eius inuẽtorem ſectatus , Neronis primarium medicũ,aliúmq; Andromachũ prioris filium & Demetrium Antonini Cæſaris ſimiliter primarium medicum,alióſq; complures , Galenúmq; demum ipſum,non manibus quidem propriis,ut illi,ſed tibi obſequẽtium ſe plaſiariorum,tam ſalubre medicamẽtum in ampliſsima Venetiarũ urbe, quæ noua quaſi Roma dici poteſt,præparaſti.ad quam ceu cõmune Europæ emporiũ,licet uериſimile ſit ueluti olim Romã, tum à Creta Venetorum imperio parente,tum à cęteris orientalibus locis,ſimplicia medicamenta tantæ compoſitioni idonea fuiſſe apportata.Ego tamen nimis fortè in hac,ſicut in omni re medica timidus & curioſus, non uereri nõ poſſum,quin aliqua adhuc uel defuerint penitus,uel uitiata appoſita ſint:non quòd de tua fide & diligentia ambigam,ſed quod res quaſdam,uel non afferri,uel non ſine macula,uel in totum ignorari puto. Eæ ſunt,Balſamus,myrrha,rheon,amomum, cinnamomum,caſia, ſcœnoanthos, nardus Indica,malabathrũ, lemnia,cardamomum,dictamnum, petroſelinõ , ſcordion,radix pentaphylli,thlaſpi,atq; in hedychroo magmate,quod alindaracaron Arabes uocant,aſpalathõ, calamus odoratus,xylobalſamum,maron.

*Balſamus & myrrha.*

Verũ enim opobalſamũ,uel ad nos nõ affertur,uel ſi affertur,tãti precij exiſtit ut totius antidoti preciũ præuertat:duodecim enim drachmas , præter id quod in hedychroo apponi debet,tota Andromachi compoſitio recipit,quæ octodecim libras parum excedit.Vix tamen crediderim,ſyncerum & recens afferri.Nam quod hactenus uidere potui,odore,colore, ſubſtantia,longe à qualitatibus ueri diſtat.Sed & Galenus uariis adulterari id modis queritur,inuenirique in optima myrrha opobalſamum,quod intra corpus aſſumptum mortiferum eſſet:niſi fortè extra hoc periculum nos ſumus, qui non optima ſolũ,ſed bona etiam myrrha caremus: nam quæ myrrhæ loco habetur,pro odore ſuaui teterrimum uirus obolet.

*Rheon.*

Rheon ſcribũt Plinius & Dioſcorides radicem abſq; odore coſto nigro ſimilem,cum id quod in uſu eſt,nullam cum coſto nigro ſimilitudinem gerat , magnúmq; longe odorem,nec inſuauem iactet.

*Amomum & cinnamomum.*

Verũ amomum,id eſt βοτρυῶδες,& ueluti uua,neſcio ſi Italia hoc ſeculo uidit,ſicuti,quod multi fortè mirabũtur,nec cinnamomũ.In quo ideo diutius eſt immorandum,quòd neminẽ adhuc audiui ambigẽtem,id quod paſsim ex India,præcipue à Luſitani regis claſſe,in Europam inuehitur,eſſe uerum cinnamomũ. Quod tamen nõ eſſe,ex Galeni uariis dictis in lib.de Antidotis,facile patere poteſt,cinnamomũ dicentis eſſe arbuſtũ ſex uel ſeptẽ plus minus adnaſcentes ramuſculos habens longitudine inæquales,ita tamen ut maior ſemipedem Romanum non excedat,& id quod optimum eſt,indicibilem quendã ſuper omnia alia odorem habere , guſtúq; aliquatenus calefacere,non uſq; adeò tamen,ut cũ triſtitia mordicaret.Colore tale,quale ait Galenus,ὡς ἄν τις μίξειε τὸ τοῦ γάλακτος χρῶμα τῷ φαιῷ μετὰ βραχέος τοῦ κυανοῦ κεκραμένου.id eſt,ut mihi uidetur,colore albo ad fuſcũ & ſubcyaneum tendente.Eſſe eius ſex genera,quatuor uidelicet inter optimum & peſsimũ.quod quidem peſsimũ exiguo interuallo ab optima caſia minime mirandũ diſtare,cũ ea in cinnamomum aliquãdo cõuertatur,quẽadmodum poſt Galenum in libro ſecundo ſuæ medicinæ ſcripſit Auicenna:uidiſſe enim ſe ait Galenus caſiam adeò altã & uberẽ, ut ad arbuſti aſcenderet magnitudinem,ramuſculóſq; quoſdam mitteret,uiſu,corticis tenuitate,odoréq; & guſtu exacte ſimiles cinnamomo.

*Caſia.*

Ex quo dicto intelligere quoq; licet,quantum uulgaris noſtra Caſia diſtet à uera,nihil cum cinnamomo habens commune,tetra cũ ſit,inodora,& penitus aſpernabilis,imò nihil habens quare caſia putari debeat, ut Dioſcoridẽ & Pliniũ legenti,rémq; ipſam in manu habenti,facile cõſtabit.Caſiam cum dico , aromatiten intelligo,quam officinæ Ligneam uocant:aliam enim,cuius nunc communis eſt ad aluum leniendam uſus,ſcio antiquis penitus incognitam.Inter illas,id eſt,aromatites,ea eſſet eligenda,quæ Gizi,non Gizir , ut putauit Hermolaus,barbarico nomine dicitur,quæ adeò ſimilis eſt cinnamomo,ut duplum eius pro cinnamomo, Galeno teſte,poni poſsit,qui Quinto accedendum non putauit,dicenti non ſecus eos facere, qui carentes cinnamomo duplam caſiam accipiunt , his qui dicerent, dum caremus Phalerno,uel uino Cretico,duplum uiliſſimi uini bibẽdum:& eos qui ſimilagineum panem nõ habent,debere duos furfuraceos eſitare. Non enim ait Galenus,ſimile quid his faciunt,qui caſiam cinnamomi loco accipiũt:ſed illis aſsimulantur potius,qui cum fortè careant uiro ad pondus ferendum idoneo , duos ei ſubſtituunt debiliores.Hanc Gizi appellatam,theriacæ imponere deberemus,& carẽtes cinnamomo,pro ſimplo cinnamomo duplam accipere.Fiſtularem autẽ uocatam,omnium uiliſsimam,& propterea theriacæ nõ imponendam ſcripſit Galenus : eſſéq; paſsim cognitã, exteriorem quidem corticem, quem fiſtulam uocant, fortem habentem & odore & guſtu,interiora debiliſſima,adeò ut nullius ſint utilitatis.

*Nardus.*

Carere nos Indica nardo quis dubitet,qui Spicã quidem uocari apud Galenum legerit,eſſe tamen radicem? Sed & in ea theriaces præparatione,quam cæteris ueluti conciſam magis & manifeſtiorem pręfert Galenus, ſic ad uerbum carmine quodam ſcribitur : Ter meritinæq; rheſinam,nardíq; radicem Indicæ.Ad nos uehitur ſpica,atq; utinam nardi eſſet:ſuauitate enim odoris penitus caret, & ſaporis eſt ualde ingrati.

*Schœnoanthos.*

In flore etiam Schœni idem accidit:cum enim ſcribat Democrates,ſchœníq; nõ feſtucarum,ſed floris,ad nos feſtucæ portantur,non flores:ſed in hoc magna uis nõ eſt, ſiquidem Galenus herbam laudat.

*Malabathrum.*

Malabathrum quis noſtro ſeculo cognoſcit?Ego toto uitæ meæ tempore,uix unicum uidere foliũ eius potui,ſicuti & Lemnii uocati ſigilli,glebulam . Nam quæ paſsim ſub nomine terræ ſigillatæ uenditur , nec facie, nec uiribus ueræ ſimilis exiſtit:alioqui Galeni quoque temporibus tam apte adulterabatur,ut dignoſci à legitima non poſſet.

*Lemniũ ſigillum.*

*Cardamomum.*

Cardamomi,quod Arabes cordumeni nominãt,tria habemus genera,odorata illa quidem,& cum cæteris aromatibus in uſum uenientia:longe tamen , ſicut mihi uidetur,à quatuor generibus diſtantia,quorum meminit Plinius.

*Dictamnus.*

Dictamno , niſi eam rurſus Venus ab Ida ſylua deportet,omnino deficimus:flore enim , caule , & ſemine carere debet : quibus hæc noſtra uulgaris maxime

abund

abundat:radicem uero habere tenuē,& inutilem, quæ noſtræ magna & ad uſum ſola ueniens, neglectis foliis quæ imponenda eſſent pharmaco,non radix.

Sed carere nos balſamo & malabathro, quæ & precioſa ualde,& à longinquis regionibus petenda, non eſt mirum.At quis non miretur ſimul & ægre ferat, petroſelinum, & terebinthi rheſinam nos deſiderare?

*Petroſelinū.*

Quod enim uulgò petroſelinum uocamus,uel apium, eſt ab antiquis dictū hortulanū:uel quicquid tandē ſit, conſtat eius ſemen nō id eſſe quod theriacæ miſcendū iuſsit Andromachus: præfertur enim reliquis, Galeno teſte, Macedonicū,& Macedonicis extreaticum, in hoc alia excellens, quod amariſsimū & acerrimum exiſtit. Noſtratis autē ſemen,ut acredinis cuiuſdam particeps fortè uideri poſsit,omni tamen prorſus caret amaritudine.Sed poſtquam Macedonico carendū erat, utinam Epiroticum haberemus, quod Galeni tēpore (tāta erat ueri æmulatio)in Macedoniā per Theſſalonicen apportabatur,ut pro Macedonico uēdi poſſet.Recentiorū autem negligentia effecit,ut Macedonico & Epirotico carentes,apij communis ſemine pro eo utamur:ſicuti & peucina uel laricea rheſina loco termētinę,quæ ex Chio optima, ex Lydia & Pōto etiā bona olim afferebatur.

*Termētina.*

Eadem negligentia factum eſt,ut non ſolum herbam ipſam ſcordium uocatam amitteremus; ſed & uocis ipſius ſignificatum:allium ſylueſtre eius loco, nominis ſimilitudine decepti,accipientes,magis in hoc peccantes,quàm in petroſelino: quod non ideo theriacæ imponitur, quia ſit uenenoſis pharmacis, aut feris repugnans,ſed aquę intercutis gratia,ſimiliúmq; morborū. Scordij autem tantam uim eſſe nonnulli fide digni ſcripſerunt,ut quęcunq; ſupra illud in prælio quondā corpora occiſorū ciciderant,diutius remanerent incorrupta, ſecundum eas potiſsimū partes quæ herbā ipſam attigerāt.Vnde creditur, Galeno teſte, uenenis ferarum & mortiferis pharmacis uehementer repugnare.

*Scordium.*

*Pētaphyllū.*

De pentaphyllo libenter intelligerem, uulgarémne hanc paſsim in uiis etiam ſtratis naſcētem acceperitis. ego non huius radicem accipiendam puto; ſed eius quam tormentillam uocant: quam licet ſeptifoliā maiore ex parte in Italia uideamus, hic, hoc eſt, in Pannonia,ſæpius uidi quinquefoliam.

*Thlaſpi.*

Thlaſpi ignotum noſtro æuo, etiam uoce eſt, mihi apud Ioannē Auguſtū Iauriencem epiſcopū, uirū & doctrina & prudētia,& quod maius eſt,religione celebrādum degenti,cōperta herba eſt,quam uerā Thlaſpi eſſe puto.Cappadocæ tamen ſemen deſiderat Galenus, colore ad nigrū accedente, maiorem Cretica, & ex quadam eius parte ueluti quaſſam, unde & nomē accepit.

*Aſpalathus.*
*Calamus aromatites.*

Aſpalathum niſi ſandali uocati ſpecies ſit, puto hoc tempore penitus ignotam,ſicuti & calamū aromatitē. quod enim uulgus eo nomine uocat,radix eſt, non calamus,nec,ut arbitror,calami illius radix, ſed uel acorus eſt,ut etiam ſuſpicari Hermolaus quodam loco uiſus eſt,uel alia quædam res nobis incognita. Ego quoties acoro opus eſt,non uulgari illa radice,& iniucundi odoris,ſed uocato aromatico calamo uti conſueui.

*Maron.*

Maron ſi non eſt ſampſuchi ſpecies,ingenue fateor me neſcire quid ſit.Veram Acaciam,id eſt,ex Aegyptia ſpina factam,quam lacrymam Cyaneam uocauit primus Andromachus, puto etiam in Italia deeſſe,ſicuti & uerum balſami lignum.

*Xylobalſamum.*
*Theriacæ cōpoſitio difficilis.*

Tot igitur exiſtentibus pharmacis,quæ theriace accipit,uel penitus ignotis,uel ualde dubiis, uel ad nos hiſce temporibus non delatis,neſcio quo modo parari recte uel poſsit uel potuerit,ut illud mittā,quòd uerus etiam parādi modus,longo abuſu eſt abolitus.Nō poſſe autem quēpiam bene parare,niſi alium bene parantem uiderit,putat Galenus,qui tanta diligētia,ut in in cæteris,ita in ea conficienda uſus eſt,ut mortaria omnia,præter quàm Aegyptia repudiarit:ſingula medicamenta non ſolū ſigillatim eligens,ſed ita inuicem cōparans,ut nullum eorum reliqua ſuperaret,experiētia ipſa cognoſcens. Quòd ſi,exēpli gratia,zingiber ualde potēs pharmaco imponatur,reliquis debilioribus, in compoſito & ſapor & uis zingiberis dominabitur: non omnia,ſed quæ id bene ferre poſſent,contereret: reliqua prout cuiq; congruebat uel liquaret,uel ſolueret.Thlaſpii & rapi ſemen quoniam ob innatam quandam tenacitatē ſimul aliis contrita adhærere mortario uiderat,ſola modico uino addito conterebat,thus per ſe abſq; uino.Quantam uero diligentiā & in uino eligendo,& in pharmaco per chalcitin denigrando, demum omnibus in rebus adhibuerit,legenti librū eius de antidotis facile conſtabit.Qua diligētia factum eſt, ut Antonius Cæſar,qui quotidie pharmaco utebatur, mox ut id prægustauit quòd à Galeno paratum fuerat, quod ſibi longe magis cæteris placuiſſet,antiquam cōpoſitionem immutatam putauerit. Sed ut iam finem epiſtolæ faciam,& ad id redeam à quo incepi,cum ex recipiendis in theriacæ medicaminibus, nonnulla incognita,alia factitia,alia mala eſſe putem,in artificibus peritiam & fidē deſiderem,uix credere ualeo bonā hoc tempore theriacen præparari poſſe:tantum tamen tibi tribuo,ut ſi abs te certior factus fuero,ſingula inuenta & probata,rectéq; fuiſſe cōmixta,ea uti,quod hactenus nunquam feci,poſthac non ſim formidaturus. Vale. XXVI. Auguſti. M. D. XVIII. Budæ.

## EPIST. IIII. *Ad Vacienſem epiſcopum,præſeruatio oculorum, & dentium.*

CVpiens id exequi quod heri dignitas tua reuerēda mihi commiſit, curſim adnotaui quæ nunc occurrerunt,ad oculorum dētiúmq; præſeruationem cōducentia.Sed quoniam hæc ſana eſſe nō poſſunt,niſi caput ſanum ſit:neq; hoc,niſi uniuerſum corpus bene habeat:ratio uictus,quam diætā uocāt,bene in primis inſtituenda eſt,ut ſine qua fruſtra in tuenda reparandáue bona ualetudine reliqua tētantur auxilia. Conſiſtit autē hæc non ſolum in quātitate, qualitatéq; cibi & potus,ſed & in omnibus his quæ uelimus nolimus nobis occurrunt: ut ſomno & uigilia, motu & quiete,excretis & detentis,animiq; affectibus, præcipue autē in aëre,qui nō ſolum extrinſecus nobis ſemper adhæret, ſed in intima corporis noſtri penetralia per inſpirationem continuò adigitur.Quæ igitur ad cibos potúſq; attinent,ceu ſatis per ſe nota, nō exequor: nemo enim eſt qui neſciat,maligna cibaria,ac uaria,& malo ordine ſumpta,cruditatémq; & crapulam,maximum & corporibus & animis afferre nocumentū. Reſidua uero quinq; genera,non adeò in propatulo poſita,nec cuiuis manifeſta,breuiter pertractabo.

*Victus ratio in quibus cōſiſtat.*

Somnus inter diē & noctē ſeptem horarū ſpatiū nō excedat, ſitq; potius nocturnus quàm diurnus: duabus horis à cibo, & ſupra dextrum latus,capite bene alto,duriore puluino,æſtatéq; corio tecto,initium capiat.Primo ſomno finito,uoluere corpus,& ſupra ſiniſtrum redormire,non eſt inutile.

Exercitium prandium præcedat,quies ſequatur.Nec quilibet motus exercitium putandus,ſed ille tantū per quē reſpiratio permutatur.Illud autē maxime cōduceret,quo inferiora corporis capite quieto mouerentur.

Enitendum ſummopere,ut excrementa omnia quotidie expurgentur,tā ea quæ manifeſte per certos meatus exeunt,quàm quæ occulte.Naſus igitur mane bene mungendus,& quicquid ſordium nocturno tempore adhæſit,expurgandum. & ſi quando nares obſtructæ uidebuntur,uel digito butyro intincto,uel betæ ſucco, uel ſampſuchi ſurculis aperiantur. Gargarizandum & abluendum os aqua,cui quādoq; aceti quid etiam admiſceatur.Dentes autem ſunt aliquo ex his quę inferius deſcribentur,abſtergendi.Oculi quoq; & aures bene à ſuis ſordibus emundandi.

Danda opera ut quotidie aluus bis eat.Quod ſi ſpontè non fiat,iuuanda uel prunis in aqua mulſa decoctis, uel capi iure cum ſaccharo,uel iuſculis ex atriplice,beta & maluis multo oliuo dulci conditis:uel quod omnibus his efficacius eſt,uini fece contrita, aut ſenæ foliis cum iure decoctis.Vniuerſa autem hæc ſunt ante alium cibum accipienda,longéq; melius eſſet,ſi qua morula inter ea & prandium intercederet.

Cauendum autem,ne quoties deſidendi inceſsit cupiditas,uel meiēdi,ob negocia differatur:ſummè enim hoc capiti nocet,adeò ut quoſdam,uel ob ſolam hanc cauſam peſsimos incurriſſe ac letales morbos cognouerimus.

Sunt & aliæ quædā uacuationes per occultos cutis meatus factæ,quæ & ipſæ adiuuādæ.Caput igitur ſecūdum cōſuetudinē ſemel ut minimū in ſeptimana abluēdum,lixiuio æſtate mitiori,& in quo chamæmelon & roſæ bullierint:hyeme fortiori ex chamæmelo & ſampſucho.Diebus quibus lotio nō fit,caput linteolo aſpero primo perfricandum,dehinc eburneo pectine bene

pecten

pectendũ eſt.Balneo dulcis aquæ uacuo ſtomacho,utẽdum,bis uel ſemel in hebdomade, pro conſuetudine: quotidiéq; uniuerſum corpus ſubaſpero linteo perfricandum,à ſuperioribus ad inferiora deſcendendo.Animi motus quantum fieri poteſt moderandi,præſertim ira,maioréſq; curæ & cogitationes poſt cibũ ſunt abigendæ.Sol,ignis,fumus,lunæ radÿ,uentus ualidus,prę ſertim Auſtrinus,à capite arcendi ſunt.Itaq; interdiu & noctu caput ita tuendũ,ut nec algeat nec ęſtuet.Et propterea in cubiculis impenſe more patriæ calefactis, nõ eſt immorandũ,multóq; minus in hypocauſtis.Et hæc quidem ad uictus rationem breuiter dicta ſint.

Ad alia accedẽdo,congruũ mihi uidetur ut bis in anno uena ſecetur,poſt utrũq; uidelicet æquinoctiũ.Vere quidem,ea quę eſt in cubito media:autumno,exterior. Illam communem ſeu medianam, hanc cephalicã uocant. Extrahendæque uere ſanguinis octo unciæ, autumno ſex.

Laudo etiam,ut ſingulo quoq; mẽſe poſt pleniluniũ quatuor cucurbitulæ intra ſcapulas admoueãtur, & ſi nigreſcere locus uidebitur,tres unciæ ſanguinis per cõſuetũ modum loca pũgendo extrahantur.Eiſdem quoque temporibus ueris & autumni, præmiſsis quibuſdam pręparationibus,poſt uenę ſectionem corpus erit purgandum.Præparatio uere per ſequentẽ potũ ter uel quinquies acceptum facienda:Herbæ uel radicum fœniculi,foliculorũ ſenæ,mediam cuiuſq; unciam, ſampſuchi,roſarum rubearum,utrinq; manipulũ s.polypodii, paſſularum drachmas ternas.Res iſtæ in aqua arte coquantur,decocti tres unciæ mane bibantur,adiecta acidæ potionis,quam compoſitam uocãt,uncia. Sumpta pręſcripta potione,purgatio erit his catapotiis in auro ra ſumendis faciẽda,quæ recipiũt pilularũ ſine quibus, ſcrupulos duos,agarici pręparati ſemiſcrupulum,nucis muſcatæ grana quinq;,diagridÿ duo,cum aqua fœniculi.Fiant ſeptem numero & deaurentur.Duobus uel tribus diebus ſequentibus quolibet mane accipienda mithridati drachma:poſt quam tribus aut amplius horis abſtinendũ. A uere ad autumnum,niſi quando magni erunt æſtus,utile erit ab una ad tres ex infrà ſcriptis catapotiis accepiſſe,poſt leuem quidem cœnam,ſi caput: ante,ſi ſtomachus magis læſus uidebitur: Rhei electi drachmam,agarici electi ſcrupulum,ſenæ dimidiũ drachmæ,roſarum quindecim grana,diagridÿ ſeptem grana,cum ſucco roſarum,fiant 21.Autumno bibendus ſequens potus quotidie ſub auroram per integram hebdomaden.Senæ unciam,radicũ cichorÿ unciam s.ſummitatum boraginis manipulum unũ:in aqua congruo modo hæc coque,& ex decocti ternis unciis,& una ſyrupi de pomis Sabor (quem rectius fortè Saporis ſyrupũ de pomis appellaremus,ſiquidem illius autor Perſarum rex Sapor fuit.)Hinc fiat potus aromaticus cũ roſis.quo ſumpto(ut dictum eſt)per hebdomaden, deinceps his purgetur catapotÿs:Pilularum aurearum ſcrupulos duos,lucis ſcrupulũ s.roſarum grana ſex,diagridii grana duo,cum ſucco roſarũ:fiant ſeptem, & folio auri contegantur. Inde tribus ſequẽtibus diebus,quolibet mane accipiatur medium cochleare ſequentis cõpoſitionis:Sacchari roſacei unciæ duæ,pulueris aromatici roſati drahmę dimidium,cum Iulebo roſato quantum ſatis ſit miſceatur.

Catapotia quibus tempore hyemis utendum: Aloës lotæ,rhei barbari electi ana drach.unã,epithymi cretici,pulueris de ſemine fœniculi ſcrupulum unum, nucis myriſticę,diagridÿ ana grana 10.cum aqua fœniculi:fiãt pilulæ uigintiſeptem,& deaurentur.Ex his ſumendę ab una ad quinq;:mane,ſi totũ corpus:ante cœnam,ſi ſtomachus:poſt cœnam,ſi caput purgationem deſiderare uideatur.Et hæc ſatis ſint,quantum ad purgationem.

Addentur nunc nonnulla oculis & dentibus accommodata.Hyeme mane abluendi oculi uino hoc modo parato:Vini albi acerbi non ualde potentis lib.1.herbæ fœniculi,ſi haberi poteſt,manip.1.ſi non poteſt haberi, ſeminis eius uncia una, xylobalſami boni drachmæ 2. pompholygos,Nil uocant Germani,uncia media. Bulliant omnia unica ebullitione,poſteà per rudem laneũ pannum ſtillent,& liquor in uaſe uitreo bene obturato conſeruetur.

*Aqua pro oculis æſtate.*

Roſarum partes tres,herbæ fœniculi,rutæ,ana partẽ unam:incidantur,& ſimul bene commiſceãtur,& poſt tres dies deſtilletur aqua uel cũ ſolo uapore aquæ bullientis,uel in ſole,uel ad balneum Mariæ uocatum, ita ut in recipiente aquam uaſe pugillus earundem herbarum imponatur,ut ſuper eas ſtillæ cadant,& roſtrũ ſuperioris uaſis cum inferiore illo ſtudioſe committatur, & circumlinatur,ut uapores exire non poſsint.

*Pro dentibus.*

Roſarum albarum & earum ſeminis ana drachmam unam,ſandalorum alborum,ſuccini albi(id eſt,lapillorum qui uulgò Pater noſter de ambra uocantur)margaritarum albarum ana ſcrupulum unum,maſtiches,cinnamomi ana drachmam s.conterantur omnia mediocriter,& addito pauco melle roſaceo bene miſceantur. In hanc miſcellam ueſperi intincto digito,dentes bene perfricentur.Mane ablutio fiat cum uino albo, in quo radix iridis ſicca bullierit. Dentiſcalpia fiant ex ligno lentiſci.

Optima eſt etiam radix unius ſpeciei maluæ, quam in Italia herbam ungaricam appellant,alceã puto Græce & Latine uocari.

Poteram finem facere, ſed libet aſcribere res quaſdam alias etiam oculis & dentibus eximiè uel utiles, uel inutiles.

*Conferentia oculis.*

Myrobalanûm chebulam conditam mane comedere,& nucleũ qui intrinſecus eſt,longo tempore in ore continere.Excellit etiam in hoc nux myriſtica,quã moſchatam uocãt.Semina fœniculi,ſaccharo cooperta. Vinum abſinthites potum,& eo magis rutaceum.

Cœna exigua capiti confert & oculis. Aſpectus rerũ uiridium,præcipue ſmaragdi. Acetum ſcillite gargarizare oculis confert,præſertim poſt purgationem. Gariophylli oculis ſunt amici,& aſparagi comeſti, ac betonica.Iuuat & perdicis cerebrũ,& rapa, præſertimq; folia.Euphragia herba crebro maſticata. Semẽ fœniculi aceto maceratum,dehinc exiccatum,ſi ei tantundem optimi cinnamomi addatur,mediáq; pars optimi ſacchari, puluiſque ex omnibus in uſu ſit,mire acies recreabitur.

*Lædentia oculos.*

Crapula,Venus,muſtum,uinum dulce, turbidũ,craſſum,leguminа,cãnabis,braſsica,pręcipue ſalita,raphanus,allium,porrũ,cepe,& id generis reliqua,magni piſces,aſpicere rem lucidam,uel uelociſsime motam, legere literas minutas,maxime poſt cibum.

*Iuuantia dentes.*

Syluestris mentha uel mentaſtrum, ſaluia,origanũ, lupini,leporis caput uſtum,tamariſcus, cortex fraxini. Aqua in qua ſalitæ ſunt oliuæ.Radix berbenæ,maſticata.Cymæ rubi.Vinum decocti radicis pentaphylli,quã tormentillam uocant. Radix lapathi maſticata. Cornu cerui uſtum,acetum ſcillite,amurca olei, oleaſtri folia, quatuor hæc illita dentibus infricentur.

*Nocentia dentibus.*

Vehementer calida uel frigida,& maxime ſi unũ poſt alterũ dentes attingat. Dulcia,tenacia,acerba,dura,frequens uomitus,lac, piſces magni uel pingues, raphanus,porra,braſsica,limonia.

Multa addi poſſent,ſed Deo Opt.Max.adiuuãte,pauculis his ſpero D.T.R.& dentium,& oculorũ,& totius corporis ſanitatem conſeruaturã,quod ille efficere dignetur qui eſt uera ſalus, cui laus & honor nunc & in perpetuum. Vale, Non.Auguſti 1514. Budæ.

EPIST. V. *Ioanni Paulo Caſtiliono medico. Caſtigantur & exponuntur loca quædam Auicennæ:item aphoriſmus 26. libri ſexti.*

VTinam mi compater,multi hoc tempore medici inuenirentur,qui tecum ſentirent,nec tantum nomini & quorundam autoritati,quantũ ueritati & rationibus crederent:facile enim ſperare poſſemus,ut antiqua & uera medicina,quæ iam caput exerere occœpit,exuta plene barbarie,deterſáq; omni caligine ac labe,læuigata ac ſplendenti facie ſe totam ſpecioſam & caſtam ueris amatoribus oſtẽderet.Sed magna medicorũ pars,& hi maxime qui celebriores uulgò habẽtur,tam male initiati ſunt,ut prædicare per cõpita & fora non uereãtur,ſe malle cũ Auicẽna,Serapione,Meſue ac reliquis,quorum uerba pro oraculis hactenus habuere,non recte ſentire, quàm cum recentioribus,qui medicinam à Græcis fontibus hauriunt,recte.

Tu uero nihil habens ueritate antiquius, non reliquis modo, ſed nec Auicennæ ipſi, iſtorum numini, tantum tribuis, ut eius dicta in rationis æquilibrio non apponas, & ſicubi deuergere putaueris, quæ tua eſt modeſtia, aliorum iudicium requiris. Quod ut recte facis, ita illud neſcio an recte, quòd me in eorũ numero ſtatuis, qui de tam celebratis uiris norunt iudicare. Paucorum eſt hoc priuilegium, & quod non temere quiſpiam ſibi debeat uindicare. Quod ut mihi neque uſurpo, nec arrogo, ita cuiuſque boni uiri eſſe puto, oculo ad ueritatem directo, libere quid ſentiat, his maxime qui id expetunt, aperire. Quòd ſi cui fortè negare poſsim, tibi nec poſſum, nec debeo, per epiſtolam petenti, ut quod uiua, ut aiunt, uoce te audiente multoties feci, & quotidie meis diſcipulis facio, id faciam abſenti per literas, ut ſcilicet de nonnullis Auicennæ dictis quid ſentiam tibi ſignificem. Ne igitur te amplius uerbis morer, rem ipſam aggredior. Scribit, ais, Auicenna capite de tremore, hæc uerba: Et materia quidem frigida, aut eſt pauca in meatibus, in quibus ipſa mouetur, & quãdoq; cum uia penetrationis, & quandoque cum uia prohibitionis, aut non eſt potens omnino. Hæc ſunt Auicennæ in uulgatis exemplaribus uerba, in quibus cum expoſitores errarint, te alioqui ingenioſum mirari non eſt hæſiſſe, quoniam & in codice tuo, ſicuti in pleriſque, mendoſe leguntur, & etiam ſi recte legantur, ſunt difficilia. Caſtigabo igitur ea in primis, dehinc uerum eorum ſenſum aperire conabor. Sic legendum iuxta Hebraicam editionem, quæ tamen præterquàm unico uerbo ab antiqua Latina non euariat: Et materia quidem obſtruens, aut eſt patiens in meatibus, in quibus ipſa mouetur, & quandoque cum uia penetrationis, & quandoque cum uia prohibitionis, aut non eſt patiens omnino. Horum uerborum ſententia eſt: Materia obſtruens prohibénſque uirtutem, ne perfecte poſsit penetrare, ſicuti ſuperius dixerat, aut eſt patiẽs in meatibus in quibus mouetur, ita ut aliquando uincatur à uirtute, nec poſsit prohibere quin penetret: aliquando contrà, ita ſuperat uirtutem, ut ipſam prohibeat penetrare: aut omnino non patitur, quia uidelicet ſemper uirtuti reſiſtit, & nullum ei tranſitum permittit. Pati ſiquidem & patientem eſſe, uel non patientem materiam in hoc loco intelligimus, non actionem in ſe aliquo modo ſuſcipere, uel non ſuſcipere: ſed tunc intelligimus materiam pati, quando ſuccumbit quodammodo & cedit uirtuti: tunc non pati, cum penitus reſiſtit. Accepit autem hæc dubio procul Auicenna à Galeno libro tertio de cauſis ſymptomatum, qui in uulgatis Galeni editionibus liber quintus de accidenti & morbo inſcribitur, capite iuxta eandem barbaram editionem ſecundo. Verba Galeni ſubiiciam, quæ Auicennæ uerbis lucem expoſitionis prębebunt, ut hinc quoque cognoſci poſsit, medicinam à fontibus ipſis, non à turbidis lacunis eſſe hauriendam. καὶ μὴν δὴ καὶ οἱ παχεῖς καὶ γλίσχροι χυμοί, τὰς ὁδοὺς τῆς δυνάμεως ἐμφράττοντες, ὡς ἐπιρρεῖν ἐλάττονα, τρόμων αἴτιοι καθίστανται, καὶ μάλιστα ὅταν ἀκριβῶς ἐμφράξωσι καὶ παραλύσωσι μόρι' ἄττα νεύρων τινῶν. αἱ γὰρ ὑπόλοιποι τῶν ἰνῶν, ἀδυνατοῦσιν ἰσχυρῶς ἐντείνειν τὸν μῦν. ἐπειδὰν μέντοι τὰ φράττοντα τὰς διὰ τῶν νεύρων ὁδοὺς τῆς δυνάμεως ὑγρὰ μηδέπω τελέως ἐμπεπλασμένα τύχῃ. διασείεσθαι δέ τι καὶ διακινεῖσθαι δύνηται κατὰ τὰς βιαιοτέρας ἐμπτώσεις τῆς δυνάμεως, αἱ τοιαῦται γίγνονται κινήσεις, οἵας ἔμπροσθεν ἔφαμεν ἐν παραλύσεσιν ἀρχομέναις ἐνίοτε συμβαίνειν, ἐπαιρομένου μὲν ἐνίοτε τοῦ κώλου, καταπίπτοντος δ' αὐτίκα. κατὰ μὲν γὰρ τὴν ἔμπτωσιν τῆς δυνάμεως, ὅταν ἐπεγείρασά τι καὶ συναθροίσασα σφοδροτέραν ἑαυτὴν, ἀπώσηται τὰ τῶν νεύρων ἐμφράγματα, κινεῖται τὸ κῶλον. αὖθις δὲ τῶν διωθέντων εἰς τὸν ἐξ ἀρχῆς τόπον συρρεόντων, καταπίπτει τε καὶ ἀκίνητον κεῖται, μέχρι περ ἂν πάλιν ἐκ δευτέρου ἡ δύναμις ἀθροωτέρον ἐμπεσοῦσα, διασκεδάσῃ τοὺς χυμοὺς, οἳ κατειλήφεισαν αὐτῆς τὰς ὁδοὺς. Craſsi ac tenaces, ait Galen. humores, quando meatus uirtutis ita obſtruxerint, ut minor eius fiat influxus, tremoris cauſa ſunt, ac tum præcipue, cum integram fecerint obſtructionem, & in neruorum quorundam partibus reſolutionẽ: reliquæ enim fibræ muſculũ uehementer tendere non ualent. Sed quando humores uias uirtutis per neruos eũtis obſtruentes nõdum integre impacti fuerint, ſed adhuc aliquo modo agitari & moueri queunt, conãte uehementer potentia, tales eueniunt motus, quales fieri ſuperius diximus reſolutione incipiente, ſubleuato aliquando membro, mox decidente. Per incurſum enim uirtutis aut potentiæ quãdo (ſeipſam uehementius excitans & colligens) obſtructiones neruorum expellit, mouetur membrum. Rurſus autem his quę expulſa fuerant ad locum in quo in initio erant confluentibus, decidit & immobile iacet, quoad rurſus ſecundò potentia collectis magis uiribus occurrens, humores qui ſibi uires abſtulerant, diſsipauerit. Hæc Galeni uerba ſi quis diligenter ſcrutetur, atq; illis conferat quæ ab Auicenna ſcripta ſunt, eandem in utriſq; agnoſcet ſententiam, in illo clarius ac fuſius, in hoc breuius & obſcurius expreſſam. Nã quod dixit Galenus ita obſtrui aliquãdo meatus, ut minor fiat uirtutis influxus, hoc ſignificat Auicẽna per materiam non eſſe patientem, quia ſcilicet non patitur ut uirtus aliquo modo pertranſeat. Et per contrarium, id eſt, per hoc quod dicit materiã pati, obſtructionem nõ eſſe integram, & aliquem pati uirtutis ingreſſum. Et quod Galenus ait, ſubleuari aliquando mẽbrum, aliquando decidere, exprimit Auicenna his uerbis: Quandoq; cum uia penetrationis, quandoq; cum uia prohibitionis. Quando enim uis obtinet, tunc penetrat & membra ſubleuat: quando materia uincit, tunc prohibẽdo penetrationem prohibet & motum, ſicque membrum decidit. Et hæc ad primam tuam dubitationem dicta ſint.

Quod ad aphoriſmum uero pertinet ab Auicenna eodem capite uerſus finem recitatũ, & 4. lib. cap. de cauſo, neutro horum locorũ Galenum repræhẽdiſſe uidetur, maxime ſi Hebræam ſequamur literã. Libro enim tertio ſententiã eius refert tantũ, non taxat. ſic enim iacet litera ad uerbum: Et Galenus quidem non concedit hunc aphoriſmum, ex eo quòd modũ nõ habet. Quorum uerborum ſenſus eſt, Galenũ non concedere hunc aphoriſmum, non quia uerus non ſit, ſed quia modum loquendi Hippocratis non habet. Liquet autẽ duo hæc de aphoriſmo ſenſiſſe Galenũ, eius expoſitionem legenti. Primo enim ueritatem aphoriſmi oſtẽdit his uerbis: Quæ enim hanc febrem efficiunt cauſæ in uenoſo genere exiſtentes, quãdo ad neruos transferuntur primũ tremores faciunt, compatiente uero principio, etiã deliria. Deinde quibuſdam interiectis, nõ uideri hũc aphoriſmum eſſe Hippocratis oſtendit, dicẽs: Impropriè igitur dictum eſt, febrẽ ardentẽ à tremore ſolui. Hæc enim dicere conſueuit Hippocrates: quibuſdam ſuperueniẽtia, eorum ſoluere conſiſtentiã, quæcunq; omnino hominem liberant, non quæ alterã generant paſsionem, quæ nihilo minus ſit priore periculoſa. Ex quibus patet, probari à Galeno aphoriſmi ueritatem, loquendi modum non probari, ueluti Hippocrati non conſuetũ. Patet & aliud, hoc eſt aphoriſmum à te non bene legi, eſſéq; in eo antiquam ſequendam interpretationem, non nouam: quę quidem noua habet, ut tu ſcribis: Qui in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio ſoluuntur. Non enim uoluit Hippocrates, delirio tremorem ſolui, ſed à tremoribus & delirio ardentem febrem. In quem ſenſum Auicenna quoq; ipſe aphoriſmum adducit, libro tertio, in hunc modum. Et Hippocrates quidẽ iam dixit, Cui accidit in febre cauſode tremor, tunc ſenſus permixtio reſoluit eam ab ipſo. Licet libro quarto nouæ interpretationi ſuffragari uideatur: dum dicit: Et Hippocrates quidem dixit, quòd ſi alicui accidit in febre cauſo tremor, tunc permixtio mentis ſoluit ab eo tremorem. In qua re non uideo, quicquid imaginetur Gẽtilis, quomodo defendi poſsit, quando unum & eũdem aphoriſmum, unico tantum modo ab Hippocrate ſcriptum, aliter uno loco, aliter alio interpretatur. Prima autem, hoc eſt, tertii libri interpretatio, Gręcę literæ accommodatur, quæ uerbum ex uerbo ſic habet. Quibuſcunque in ardentibus febribus tremores fiunt, delirium ſoluit.

Ad id quod tertio loco de Sucuto petis, nemo qui Auicẽnæ caput ſecũdi libri 642. ubi de ſucuto agit, capiti Dioſcoridis de ſymphyto cõparauerit, ambigere poterit, idem eſſe Auicennæ ſucutum, & Dioſcoridis ſymphyton, erroréq; uel interpretis, uel ipſiuſmet Auicennæ contigiſſe, ut ſemperuiuum dicatur. Erraſſe autem Auicennam, uel potius neſciiſſe quid eſſet, ex eo cõſtat, quòd uarias de eo opiniones & ſecũdo & tertio libro affert, nec uni præ aliis adhæret. Secundo enim libro alios exiſtimaſſe, quòd eſſet ſemperuiuum, alios quòd mandagroræ cuiuſdam ſemen, alios aliam rem. Libro etiam tertio, capite de ſputo ſanguinis, duas de eo ſentẽtias affert. Nam poſtquam dixerat, quòd eſt ſemperuiuum, aliam cuiuſdam Aggregatoris ſubdit opinionẽ. Non enim de alia medicina loquitur, ſicut Iacobus co-

gnom

gnomento de Partibus eſt arbitratus,ſed de eodem ſucuto ait,ſcripſiſſe uirum quendam in ſuis Aggregationibus eſſe calamenti,id eſt, origani ſpecie,hoc eſt, ſimilitudine. Origanum autem dici ab Auicenna calamentum,ſecundo libro manifeſtatur,cap.158. ubi ſub calamenti nomine de omnibus origani ſpeciebus pertractat.Deinde ſubdit:eundem uirum dixiſſe,quòd naſcitur inter lapides.Vtrunque autem primæ ſymphyti ſpeciei adſcribit Dioſcorides, naſci uidelicet inter petras, & origani trahere ſimilitudinem,tertiúmque cum his, ſputo ſanguinis prodeſſe. Melius igitur quàm Auicenna conieciſti, & ſucutam eſſe ſymphyton, & utranque eius ſpeciem uulgò dici conſolidam: quarum maior paſsim apud nos naſcitur, & à ſimilitudine radicis lucanicam uocant.Mirandulenſes alam nominant, alum uolentes,uel potius debentes dicere. Ita enim primam eius ſpeciem nominat Plinius libr.26.& 27.in ſaxis naſcentem,ramis origani tenuibus,in cacumine thymi capitibus,ſurculoſam,odoratam,guſtu cum dulcedine ſaliuam cientem, radice longa, rutila, digitum craſſa. Quam ſi, ut ſcribis, conſpicatus es, & apud te habes, rem mihi pergratam facies,ſi uidendam miſeris.

Illud demum quod maioris momenti putas,& uerè exiſtit, ceu in perniciem certam hominis tendens, (ſi, quod plerique peccant, Auicennæ uerba oſcitanter lecta,ueluti oracula ad minimum uſque apicem memoriæ commendentur, ut pro certa regula ſint, per quam medici opera dirigãtur)facilime tollitur,ſi litera, prout debet, caſtigetur. Capite enim de pleuritide in tuo codice,ſicuti in quodam etiam meo,hæc uerba leguntur: Et cum accidit in pleureſi ſolutio uentris,& fuerit pleureſis ſuccedens decollationi reſolutæ ad latus, prohibe iſtud cum cura phlebotomiæ & lenificationis naturæ cum ſufficientia ſauic hordei. Quæ ſunt hoc modo caſtiganda: Cum in pleuritide acciderit uentris ſolutio, fueritque pleuritis ſuccedens anginæ, quæ ad latus reſoluta ſit, prohibet hoc omnem curam phlebotomiæ & lenitionis uentris,ſufficitque ut cum polenta ratio uictus inſtituatur.Eſt enim ſenſus apertus, quòd angina ad latus permutata, ſi uenter laxus fuerit, nec uena ſecanda, nec uenter leniendus, ſed ſat eſt polenta uti. *Polenta.* Polentam Latini uocant id, quod Græci alphiton, & Arabes ſauic.

Habes igitur mi cõpater, quid de tuis petitionibus ſentiam.In quibus ſi quid te offenderit,te potius culpa, quòd talem iudicem elegeris,quàm me, qui publicis (ut noſti)lectionibus, aliiſq; negociis implicitus, hæc ut amico morem gererem,qualiacunque pro tempore occurrerunt,tumultuarie annotaui. Vale.

## EPIST. VI. *in qua diminutæ uiſionis cauſæ inueſtigantur.*

CAſus huius præclariſsimi uiri,quantũ ex his quę ſcripta & relata ſunt,potui conÿcere,ſunt diminutio,& quaſi ablatio uiſus,in ſiniſtro oculo ex cicatrice,in dextro diminutio coniuncta corruptioni. Symptomata hæc quidẽ euidentia.Diſpoſitiones, & diſpoſitionum cauſæ in dextro immanifeſtæ:quod uel ex hoc conſtat,quia alter ex medicis quorũ cõſilio utitur, Nyctilopam,alter Agilopam putat.Et qui Agilopã,non ſatis etiã ſibi conſtat:nam uel à ſubtilitate, uel à debilitate inſtrumentorũ fieri ait, & fuiſſe aliquãdo guttam ſerenã,id eſt, ut ipſe definit, interiorẽ oppilationẽ cum oculi in anteriore parte limpiditate:ita enim ipſe loquitur.In hac igitur cõtrouerſia,filÿ precibus impulſus,ſententiam meã libere aperiam,nõ tamen propterea præiudicium aliquod ueritati,meliúſq; ſentientibus facturus,præſertim excellentiſ. D.Anſelmo tanquã fratri mihi obſeruãtiſsimo.Mihi quidẽ uidẽtur Nyctilopæ ſymptomata huic uiro non adeſſe:ſiquidem qui eo affectu læduntur, interdiu uident, ſole occidente imbecillius, nocte nequaquã.Præſtans autẽ hic uir, male ſemper, ut ſcribitur,& in magno lumine nihil uidet. Agilopæ autẽ nomen non niſi apud barbaros lego:uidentúrq; ea uoce id ſignificaſſe, quod alia barbara uoce ab Auicenna Aliar dicitur, eum uidelicet qui in tenebris uidet, in lumine minus. Videtur autẽ Agilopis uox corrupta à Græca, aliã tamen rem ſignificãte:αἰγίλωπα enim uocãt Græci abſceſſum inter nares,& magnũ oculi angulũ:qui ſi incurioſe,ut inquit Paulus,tractetur, in fiſtulam uertitur. Verum uoces quidẽ,Agilopis & Aegilopis,propinquę, res tamen,uti conſtat,in totum diuerſæ ſunt, Siquidem ægilops extra oculũ fit, & ab ea raro uiſus offenditur, qui in Agilope ualde læſus eſt.Verũ habent Græci aliam uocem huic non adeò ſimilem,ſed cuius ſignificatũ magis conueniat cũ barbarorũ uocato Agilope. ἀμβλυωπίαν enim uocãt uiſus obſcuritatem, ab immanifeſta cauſa. *Amblyopia uiſus obſcurus.* Conuenit autẽ Amblyopia cũ alio affectu, qui ab eiſdẽ Græcis uocatur ἀμαύρωσις, quatenus uterq; fit ab immanifeſta cauſa.Differt uero,quoniã in hoc plenum eſt totius uiſionis impedimentũ: in amblyopia ſola obſcuratio,nõ plenus defectus. *Amauroſis plenum uiſus impedimentum.* Vt igitur ad rem ipſam, cuius cauſa nomina hæc inquiſiuimus, accedamus, ſi uera ſunt quæ mihi narrantur, nullã uidelicet oſtendi in oculo mutationẽ, certe amblyopiam pati clariſsimus hic eſt uir dicẽdus,fatendũq; erit cauſam in uiſuali eſſe neruo. Ait ſiquidem Galenus lib.4.de locis affectis:Cũ nullo in oculo malo apparente cernẽdi ſenſus deperditus eſt, demiſſus à cerebro neruus cauſam in ſe continet. Poſſet hoc præter Galeni autoritatem patere examinanti cauſas, & à Galeno & ab aliis recitatas,à quib. impedimentum uiſionis poteſt contingere. Sed ſatis erit eas percurriſſe,quas huius ſymptomatis eſſe cauſas D. Anſelmus putauit,ſubtilitatem ſcilicet inſtrumentorũ, uel debilitatem. Videtur autem per inſtrumẽta intellexiſſe ſpiritus,ſiquidẽ alio in loco concludit,in oculo adeſſe, uel magnã indigentiã ſpirituũ,uel ſubtilitatẽ. Neutrum uero horũ mihi deintegro uidetur poſſe accidere ſine oculi mutatione. Diminutis enim adeò ſpiritib. qui de natura ſua lucidi ſunt,ut propemodũ nulla uiſio fiat,neceſſe eſt claritatẽ, limpiditatémq; oculi obfuſcari, imò etiam magnitudinẽ eius minui. Nam copia eorũ in tunicas & humores penetrante, omnes oculi partes uel maiorem locũ occupãt:atq; illis deficiẽtibus, corrugari & cõtrahi eas neceſſe eſt,atq;,ut ſequẽs eſt,minorem locũ occupare.Præterea ſanguis qui in oculi uaſis cõtinetur,diſſolutis ſpiritib.minus quoque ſpatÿ occupat, atq; eam ob cauſam etiã oculus minuitur, & uaſa ipſa minus apparent,imò ex illis quæ apparebãt,aliqua tota deliteſcunt,ſicq; mutatio in oculis cõtingit. Abſentia item ſpirituum oculus frigefactus, & à priſtino habitu permutatur,& denſior effectus minorẽ locũ occupat. Vt enim calidi eſt dilatare, rarefacere & extendere, ita frigidi cõſtringere,denſare,& cõtrahere. Præterea ſi diminutio hæc uiſionis ex ſola ſpirituũ paucitate fieret, deberet longinqua quidẽ male, propinqua bene uidere,cũ tamen,ut ſcribitur,nihil uideat à longe,male propè.Concludit etiã hæc ratio, & ſpiritus non eſſe ſubtiles,quia ſpiritus ſubtiles faciunt, ut propinqua bene diſcernãtur.Cum igitur in hoc homine, & propinqua & remota male uideãtur, oportere dicere, ſpiritus factos eſſe non ſolũ paucos,ſed etiã turbidos:& ſic neceſſe eſſet ipſam oculi ſubſtantiã turbidiorẽ apparere. Principale porrò propoſitũ ſimiliter probauimus, excutiẽdo cauſas tenuis ſpiritus ab Auic.aſsignatas,quæ ſunt,ſiccitas magna,rarefactio,denſatio. Nullũ enim horũ abſq; manifeſta oculi mutatione uidetur poſſe contingere. Multa addi poſſent,quæ breuitatis cauſa dimittuntur. ex his enim liquet,uel paucitate & tenuitate ſpirituum hanc læſionem non fieri, uel mutationẽ aliquã in oculi parte exteriore apparere:quæ cum,ut ſcribitur, non appareat,alia diſpoſitio eſt quærenda, à qua hoc impedimentum fiat.Quæ quoniam nec in tunicis, neq; in humoribus eſſe poteſt,niſi ad ſenſum oſtendatur,ut facile probari poſſet,ſequitur ut in neruo ſit. Vt igitur tãdem concludamus, his quæ ſcripta ſunt innitendo, fatendũ in uiſualibus neruis eſſe ægritudinem:quę cum triplex, Galeno teſte,eſſe poſsit, inflãmatio uidelicet, durities, uel obſtructio,inflammationiſq; aut duritiei ſigna non adſint,ſequitur ut ſit morbus in compoſitione,qui oppilatio, uel obſtructio dicitur. Sicque iam inuenimus ſymptomata & morbum: cauſam autem obſtructionis propriam mihi abſenti impoſsibile, præſentibus non facile eſt ueſtigare. Veriſimile tamen eſt, craſſam eſſe materiam,uel pituitam uidelicet, uel atram bilem. Sed dicat fortè excellentiſsi. Dom. Anſelmus, ſi obſtructio(ut ais)uiſualium neruorum adeſt, ſequitur ut ſpiritus tranſire non poſsit: & ſic recidis in opinionem quam reprobaſti. Dicam,ſpiritus ad oculum non ſolum per uiſuales neruos,ſed & per motiuos, & per arterias tranſmitti. Nec ſolum carentiam ſpirituum eſſe cauſam in caſu noſtro talis impedimenti, ſed multo magis uiſionem impediri, quia ſpecies pertranſire non poſſunt. Rurſus dicet ſecundum ſententiam Galeni,

uisio in crystalloide perficitur, ergo non potest per obstructionem neruorũ uisualium, qui sunt post crystalloidem, impediri. Dicam ex Galeni sententia, inter oculi partes crystalloidem principalius ad uisum concurrere, eiq; principaliter uidendi officium attribui: perfectã tamen & completam uisionem, sicuti & aliorum sensuum operationes in cerebro absolui, ut aperte Galenus libro decimo de usu particularum. Nequeuntibus igitur speciebus uisilium ad cerebrum peruenire, uisio compleri non potest. Non negamus tamẽ deficere etiã spiritus in crystalloide, & propterea uisionem ipsam, prout ad eam pertinet, impediri: in anteriore tamẽ oculi parte obstructis illis neruis, adhuc reperiri tot spiritus posse contendimus, ut nulla mutatio facta in crystalloide cognoscatur. Alioqui fieri non posset, ut nullo in oculo malo apparente, obstructio esset in uisualibus neruis, quod tamen Galenus asseruit. Quãdo enim ualde desunt spiritus, tunc uel corrugatio corneæ, uel phthisis oculi contingit, ut idem Galenus ostendit: qui affectus sensu & inspicientis & bene considerantis deprehenduntur. Sed de his fortè plura quàm esset opus: ad agenda enim & operam medici festinandum. Facile autem ex dictis colligi possunt curatiuæ intentiones. Lęsionem enim uisionis diximus fieri ex obstructione, ipsam uero obstructionem à crassa materia. Erit igitur principalis intentio, materiam illam à neruis uisualibus extrahere: quæ res ut facile cognoscitur, ita difficile fieri potest, adeò ut multi impossibile hoc iudicarint. At quoniam morbus hic, id est, obstructio, non in totum est factus, sed adhuc fit: uel si non fit, periculum est ne adhuc crescat, & plena tandem obstructione ex amblyopia ad amaurosin fiat transitus, ideo præseruatiuo etiam genere utendum, imò ab eo incipiẽdum: frustra enim materiam illam obstruentem amouemus, si alia loco eius semper præsto sit. Cauendũ igitur ne materia adsit, quæ ad locum possit defluere. Cõgruo itaq; uictu procurandum, ut neq; de integro generetur: uel, si qua est genita, uel generabitur, uacuanda, & aliò distrahenda est. Et quia ex imbecillitate cerebri congregatur, roborandum cerebrũ, ne eam congreget: roborandi & oculi nerui, ne recipiant: eruntq; quatuor in genere intentiones præseruatiuæ: ratio uictus, uacuatio, diuersio, membrorum roboratio: curatiua unica, uacuatio. Quibus uero instrumentis explendæ sint singulæ, ridendus sim, si præsentem medicum doctrina & experientia percelebrem, docere uelim. Nam quę ad uictum attinent, satis diffuse ab antiquis & recentioribus scripta sunt: iidẽ multa medicamina nobis reliquerunt, quibus peccantes humores purgandi sunt, nósq; docuerunt, non posse caput purgari, uniuerso corpore non prius purgato. Ego tamen ex his quæ ab antiquis scripta sunt aliqua eligerem, quæ non simul multam facerent uacuationem: quibus semper aliquid miscerem quo cerebrum roboraretur: crebrísq; potius quàm magnis uterer purgationibus. Quod & in capite ipso uacuando, siue per caputpurgia uocata, siue per apophlegmatismos obseruarem: quibus etiam fortè curatiua intẽtio perficeretur, uacuato uidelicet humore qui obstructionem facit. Quod ad tertiam uero pertinet intentionem, secunda expleta, quacunq; uia conarer materiam aliò trahere, neq; in hac, ut in secũda, leuioribus uterer, sed ad potentia statim uenirem, incipiendo tamen à partibus magis distantibus.

Primo igitur cum aliquo uim urendi habente, escharam in dextro brachio loco congruo excitarem: factúmq; ulcus cum ciceris grano, uel alia simili re, apertum diutius tenerem.

Secundo in posteriore parte capitis, consueto etiam ad similia loco, factis à perito chirurgo duobus foraminibus, setas equinas insuerem, quibus facta foramina aperta diutius conseruarentur.

Tertio, in confinio anteriorum suturarum caluæ, cũ auro uel ferro ignito urerem: quod non solum ad præseruationem, sed etiã ad curationem, si quid aliud, maxime idoneum puto, ceu potens materiam obstruentem dissoluere & distrahere. Quæ auxilia si fortè præstãtissimus hic uir formidaret, loco ignis in tribus prædictis locis, calce & sapone commistis escharas facerẽ, uel ligno uitis.

Quantum demum ad quartam attinet intẽtionem, pleni sunt medicorum libri, quibus rebus cerebrum, quibus oculi roborandi sint, tam per interius sumpta, quàm per extrorsum applicanda: in quibus etiam aliqua, quæ materiam obstruentem discutere uel dissolue re ualerent, misceri possent. Curatiuam intentionẽ non aliter prosequor, quoniam eisdem auxiliis, quibus tres ultimæ præseruatiuæ, perficitur: ipsámq;, atque etiam quæcunq; superius scripsimus, iudicio & arbitrio præsentis medici fratris mihi obseruatissimi relinquimus, cui me plurimum opto esse commendatum.

IOANNIS MANARDI EPI*stolarum Medicinaliũ libri sexti*
FINIS.

# IOANNES MANARDVS

FERRARIENSIS MEDICVS
Alphonsino Trotto Sigismundi filio, equestris ordinis uiro, atq; urbis nostræ alteri Mecœnati,
S. P. D.



INTER *omnia uirtutum genera à philosophis, præcipueq́; ab Aristotele Peripateticorum principe, celebrata, mea quidẽ sententia, liberalitas plurimum excellit. Nõ solum enim nos hominibus reliquis admirabiles, sed si qua alia, Deo maxime similes reddit. Qui non alia ex causa (si Platoni credimus) mundum creauit, nisi ut bonus cum esset, suam bonitatem alijs impartiretur. Hanc tam eximiam raramq́; hoc seculo uirtutem, uel ex beneficentia, qua in Leonicenum incomparabilem uirum, quoad uixit, usus es, in te eminere cognoscens, Alphonse Trotte uir benignißime, atq; in alijs fortunæ, corporis, atq; animi bonis, quibus locupletißimè ornaris, ueluti præciosißimam in purißimo auro gemmam resplendere, sæpius mecum ipse cogitaui, ut quod Leonicenus ipse, quanquam nonagenarius, immatura tamen, si usum, quanto mortalibus erat, spectemus, morte præuentus, facere plenè non potuit, tuam hanc liberalitatem, quod solum est uirtutis præmium, quantum pusillæ meæ uires possent, immortalem redderẽ. Occurrerat autem mihi uia, qua simul & Leoniceno de me, sicuti de omnibus qui literas colunt, bene merito gratias redderem, simul & meo illi desiderio satisfacerem: si Leoniceni uidelicet interpretationes, quas emendare ipse morti proximus cœperat, consultis Græcis exemplaribus, quæ nunc inuulgata sunt, castigarem, & tuo nomini dedicarem. At dum huic castigationi operam do, tu (licet huius mei propositi penitus inscius) eadem beneficentia, qua in Leonicenum utebaris, me aggrederis, atq; certatim quotidie me meosq́; nouis beneficijs accumulas, & quasi obruis. Quare, ne ingratus planè ex diutina mora uiderer, mutare sentẽtiam coactus sum: atq; non de cudenda aliena moneta, sed ex propria, & iamdiu in scrinijs adseruata, rationem non amplius Leoniceni, sed iam meam aliqua ex parte dispungere. Libros igitur sex medicinalium epistolarum, in opistographis meis inuentos, sex prioribus, iam agitur sextus annus à me editis, superaddere constitui, & sub tuo nomine publicare: ut ex hac quamuis exigua solutione, me non omnino malum nomen esse cognosceres, facultatémq; mihi potius persoluẽdi deesse, quàm uoluntatem. Accipe igitur hæc qualiacunq; hilari illa qua me semper excipis fronte, atq; meliora, si tempus & uires suppetent, patienter expecta. Vale uir magnifice, &, quod facis, literas, & earum amatores foue.*

*Ex ædibus nostris,*
XV. Calẽ. Ia*nuarij.*
M. D. XXVI.

# IOAN. MANARDI

## EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER SEPTIMVS.

### EPIST. I. *Ad Iacobum Ziglerum. Quòd ſub æquinoctiali eſt habitatio.*



CVM anno adhuc quinto primũ Auicennæ medicinalem librũ pro mea profeſsione in Ferrarię patrię meæ literario gymnaſio publicè enarrarẽ, ad idq; caput perueniſſem, in quo de temperaturis agitur: & ad eius capitis locũ, ubi inquirit, quænã orbis regio ueræ mediocritati, exactóque temperamento ſit propinquior: conſiderarémq; diligentius, atque ſub examen experimenti & rationis ducerem, tam eius ſententiam, quàm eorum qui ſecus ac ipſe ſenſerant: non tantũ (quod ferè neoterici peccauerũt) dicẽtiũ autoritati, quantũ dictorum tribuẽs ueritati: inueni nõnulla in quibus ſecũ, nõnulla in quibus ſecus quã ille, ueritas ipſa, qua nihil philoſopho eſſe antiquius debet, me & credere & docere coëgit. Mea autẽ hæc inuẽta, quoniã tũc (ut cõſueuerã) non potui ob bellorũ turbulẽtias examini publicæ diſputationis exponere, nunc tuo ſubiicere decreui iudicio, ut quem intelligam in mathematicis, ad quas quodammodo hæc pertinent, eminentiſsimum, ſicuti & in humana diuináq; philoſophia apprimè eruditum. Vt igitur certo ordine procedam, in primis Auicẽnæ mentem, dehinc eorum qui in contrariam abiere ſententiã, explicabo, utrobiq; meum ſemper interponens iudicium, quod & rationibus enitar roborare, & contrarias argumentationes pro uiribus diluere. Duo inibi rerum capita ſunt quæ in controuerſiam ueniunt. Primum, ſub æquinoctiali circulo, niſi ex accidente aliquo impedimentum adueniat, eſſe temperatiſsimam habitationem. Alterũ, quòd poſt prædictũ locum quartum clima maiore gaudeat temperie. Primam ſentẽtiam, luciditatis maioris gratia, in duas ſeco, iuxta duo quæ in ſe claudit, ſcilicet ſub æquinoctiali eſſe poſſe habitationem, & eſſe temperatiſsimam. Quorũ primũ apertam noſtris temporibus ueritatem habet. Siquidem Luſitanorum in extremo occidente habitantium hominum, per oceanum Atlanticum ad auſtrum primo, deinde ad orientem nauigatio clarè nos docuit, ſub æquatore, diuerſis in locis, in quibus nec mare, nec alia res impedit, uarias gentes habitare. Quod ſi quis credere non uult, plus Ariſtotelis autoritati tribuens, & Auerrois Cordubenſis, quàm apertæ ueritati, plurimorũ fide digniſſimorúmque uirorum teſtimonio, qui ad ea loca nauigarunt, approbatæ, cum eo certe non eſſet alio modo diſputandum, quàm eo quo cum negantibus ignem eſſe calidum diſputat Ariſtoteles, ut ſcilicet cogeretur cum aſtrolabio, ſtylo & abaco, illuc nauigare, rẽ ipſam exploraturus. Nos tamen, ut obiter hoſce tam obſtinatos Auerroicos retundamus, qui quicquid ille dixit axiomatis loco habent, argumentationes ipſius Auerrois ſectatorúmque eius ſigillatim diluemus, ut uel ex hoc bonæ mentis iuuenes moneantur, ne temere aliis in rebus ei credant: qui ubi ſe demonſtrare putauit, contra ueritatem uix dialecticis argumentis pugnauit. Sed miſsis uerbis, rem ipſam aggrediamur. Habitationem ſub æquinoctiali circulo non eſſe, multiplici uia probare conatur Auerroes, primo ſigno ſumpto à ſenſu & ratione. Cuius uim ego ſic colligo: Senſu cõſtat Aethiopes ſub Cancri circulo habitantes, ab humana temperatura eſſe ualde ſummotos, nec poſſe in eo loco ob exuperantem calorem, niſi per accidens, hoc eſt, in ſpeluncis & aquis habitari. Cum igitur ſub æquinoctiali maiores ſint calores, quàm ſub Cancro, ſub eo omnino erit impoſsibilis habitatio. Anterius ſumptum ſenſu (ut diximus) conſtat. Poſterius hac ratione: Sol ſemel in anno accedens ad uerticem habitantium ſub cancri circulo, cauſa eſt ut uix ibi poſsit habitari: Ergo bis accedẽs ſupra loca quæ ſubſunt æquinoctiali, impoſsibilem omnino inibi reddet habitationem. Confirmatur hoc ſignum, quoniam idem uidetur contingere eunti uerſus auſtrum ob calorem, quod eunti uerſus ſepentrionem propter frigus. Sed eunti uerſus ſeptentrionem occurrunt loca uix habitabilia propter frigus, ut quæ Theutones, & uocati (ut ait ipſe) habitant Sclaui, ultra quæ nulla eſt habitatio: igitur idem credendum eſt eſſe uerſus auſtrum, totámque humanæ temperaturæ latitudinem, in Sclauorum uocatorum & Aethiopum temperaturis, tanquam duobus extremis finiri. Hęc eſt prima Auerrois argumentatio. Cui reſpondentes, negamus poſterius ſumptum: cauſam enim maioris caloris ſub Cancri circulo, non ſolum ex directione ſolis ad uerticem habitantium eſſe dicimus, ſed ex mora & uariis cauſis, quas inferius adducemus, nobis quidẽ & aliis multis intellectis, licet Auer. putauerit non intellectas: ex quibus etiam confirmatio adducta infirmabitur, oſtendentibus nobis habitationem uerſus utrunque extremum, ultra ea loca protendi, quæ terminos habitationis Auerroës exiſtimauit. Altera Auer. ratio, quam demõſtrationem eſſe dicit à ſigno, eſt huiuſmodi: Si eſt locus inhabitabilis ob frigus, erit in oppoſita parte locus inhabitabilis ob calorem, alioqui ob frigoris fortitudinem mundi fieret abolitio. Hæc autẽ ratio (quod cum bona Auerrois uenia dixerim) tãtum abeſt ut demonſtratiua ſit, ut uix dialectica dici mereatur. Frigus enim cum ſit res uitæ contraria, locum magis inhabitabilem reddit, quàm æqualis, imò eo etiam maior caloris modus. Econtra uero remiſsior calor à ſole, aſtríſq; reliquis, ac uniuerſo cœlo adiutus, expugnare uehemẽtius frigus, nedum ſe ab eo tueri poteſt, ut qui per ſe à natura intenditur, & ſicuti Ariſtoteli placet, rationem poſitiui habet, quemadmodum frigus priuatiui: atque id potiſsimum frigus, quod in ora aquilonari ueluti relegatum eſt: frigent enim ea loca, potius quia cauſæ ibi deſunt calefacientes, quàm quòd adſint infrigidantes. Quod uel ex ipſo Auerroë colligi poteſt, cauſas illius frigoris in ſolis diſtantiam, debilem radiorum reflectionem, cœleſtis motus tarditatem, dierum cum noctibus improportionem referente: ferè enim hæc omnia calorem potius tollunt, quàm frigus ponant. Patet igitur Auerrois connexionem nõ eſſe neceſſariam, fieriq; poſſe ut mundo non deſtructo, ſit in eo locus inhabitabilis propter frigus, & nullibi ſit locus inhabitabilis propter æſtum. Neque locus à contrariis, quo ad eandem firmandam argumentationem utitur, maius argumento robur addit: ſic enim argumentatur. Si inuenitur unum contrarium, inuenitur & reliquum: ſed eſt locus in quo ob dominium niuis, quæ frigida eſt & humida, habitari non poteſt: igitur erit locus qui ob ignis calidi & ſicci dominium non poterit habitari. Dicam enim in primis, contraria non adeò neceſſariam habere connexionem, ut uno actu poſito, aliud neceſſariò ponatur: eorum enim oppoſitorum potius ea eſt proprietas, quæ relatiue opponuntur, non contrariorum. Et ſi illa aliquando Ariſtoteles utitur, non ut demonſtratiua, ſed ut probabili utitur. Deinde, eſto quòd unũ contrarium eſſe non poſsit niſi aliud ſit, non tamen id ſequitur quod Auerroës uult: ſequetur quidem, ſi frigus ſit, calorem eſſe: non autem tantam uim in ſubmouenda habitatione habere calorem, quantam habet frigus, quod ſcilicet ex natura ſua habet, ut uitæ principiis aduerſetur, cũ è contrario calor & uitam tribuat & conſeruet: ut propterea per locum qui à contrariis dicitur, oppoſitum potius ſequatur, ut uidelicet ſi frigus facit locum inhabitabilem, calor faciat habitabilem. Liquet igitur & hanc quam demonſtrationem ſigni Auerroës uocat, multifariam peccare, nihilque habere ob quod demonſtratio dici mereatur. Sed age eas examinemus argumentationes, quas, quòd ita ſit, & quam ob rem ita ſit, probare dixit Auerroës. Vna eſt huiuſmodi: Diſtantia ſolis maxima, & tarditas motus partium cœli maxima, maximum faciunt frigus: igitur maxima ſolis propinquitas, maximáque partium cœli uelocitas, maximum operatur calorem. Duo autem hæc ſub æquinoctiali contingunt: ad uerticalem enim habitantium ſub æquinoctiali punctum, quæ maxima eius propinquitas eſt, ſol accedit, partéſque ibi cœli in æquali tempore maximum ſpatium deſcribunt, quod eſt ſecundum Ariſtotelem, uelociſsime moueri. Tanto igitur uelocior eſt æquinoctialis motus, motu arctici circuli, quanto illius ambitus eſt huius ambitu maior: tam uehemens igitur eſt ſub ęquinoctiali calor, ut omnem penitus excludat habitationem. Signo quoque tali hanc confirmat rationem; Ad ſenſum, inquit, conſtat, ex locis mediis inter polum arcticum & æquinoctialem, ea magis incaleſcere quæ æquinoctiali, ea magis frigeſcere quæ polo arctico ſunt propinquiora, adeò ut in his frigus

*Luſitanorũ peregrinatio.*

*Lib. 2. de cœlo.*

*Auerroi haud temere credẽdũ.*

*Calor poſitiui, frigus priuatiui ratione habet.*

calorem, in illis calor frigus ſuperet manifeſte, quantóq; maior fit ad æquinoctialem circulum propinquatio, tanto calor magis ſuperat frigiditatē. Ergo ubi maxima propinquitas, ibi & maximus calor. Cum enim inuenitur unum contrarium & mediū, alterum quoq; contrarium inueniri neceſſe eſt: & cū inueniuntur cauſæ unius extremi & medii, cauſas quoq; alterius extremi inueniri neceſſe eſt. Hæc eſt una ex Auerrois demonſtrationibus, quam ei ſimilē eſſe dicit, quam facit Ariſtoteles in libro Cœli: Si corpus maxime diſtans à motu cœli eſt maxime graue, neceſſe eſt corpus quod eſt maxime propinquum cœlo, eſſe maxime leue. Rurſus alio in loco aliam affert demonſtrationem, quam ſic poſſumus colligere: Cauſa quæ facit habitationem ſub Cancri tropico difficilem, & ferè impoſsibilem, ex parte cauſæ agentis, inuenitur ſub æquinoctiali, & præter illam alia ex parte materiæ, quæ maioris eſt potentiæ ad calefaciendum: igitur ſub æquinoctiali erit omnino impoſsibilis habitatio. Patet anterius ſumptum, quoniam cauſa faciēs caloris uehementiā ſub Cancri circulo eſt, ſolis rectus & ad perpendiculū aſpectus, per quē radii ad angulos rectos reflectuntur, qui ſunt omnibus aliis potentiores. Quod cū ſemel tantū in anno fiat in eo loco, ſcilicet ſub Cancri circulo, bis fit ſub æquinoctiali, ſole uidelicet ad primam Arietis & Libræ partem accedēte. Additur & alia (ut diximus) ex parte materiæ uocata ab eo cauſa: quoniam experientia cōſtat, quòd poſt maximam ad quēuis locum habitabilem ſolis propinquationem, calor maior fit, tantóq; maiori tempore perſeuerat, quanto locus magis ad meridiem uergit: unde longiores tanto æſtates fiunt, quanto loca magis ſunt meridionalia. Cum igitur in noſtro climate, quod ab æquinoctiali ferè quinq; ſupra quadraginta partibus recedit, calores poſt ſolſtitium quaſi ad trimeſtre tempus extendantur, & in latitudine triginta partium ad quadrimeſtre, ſequitur ut ſub æquinoctiali propè ad ſex menſes protendantur, quo tempore altera fit propinquatio, atq; ut ſequens eſt, ferè continua inibi erit exæſtuatio, nec quatuor inibi erunt ſibi ſuccedentia anni tempora, ſed uel unum continuū, uel octo: & ſic tolletur animalium & plantarum conſeruatio, quæ per quadruplicem temporum uiciſsitudinem aliis in locis contingit. Hæ ſunt rationes quas uerè demonſtratiuas Auerroës exiſtimauit: quæ licet prioribus efficaciores prima facie uideātur, ſi quis tamen acrius introſpiciat, non maiorē ualde in his, quàm in illis adeſſe uim iudicabit. Nam ut demus illis plus etiam quàm poſſunt, nō plus certe habebunt, quàm loca æquinoctiali ſuppoſita, ratione binæ unico in anno ad uerticalem punctū acceſsionis, directionis radiorū, & ad angulos rectos reflexionis, motúſq; demum cœli partium uelocioris, debere impenſe calere: nō uſque adeò tamen probāt calere, ut inde in totum arceāt habitatores. Nam aliæ adſunt (ut oſtendemus) repugnantes cauſæ, adeóq; potentes, ut non ſolum hebetare caloris acerbitatē ualeant, ſed ad modum quendā & temperiem deducere, qui ſit animaliū uitæ conformis, præſertim quoniam (ut ſuperius dictum eſt) nō ſicuti frigiditas, ita & caliditas uitæ inimicatur, præcipue cœleſtis, quæ mitis benignáq;, quantum ex ſeipſa eſt, & uitam potius affert, quàm aufert. Ex acceſſu enim ſolis generationes, ex receſſu corruptiones, teſte Ariſtotele, proueniunt: qui nec ſub æquinoctiali ob aliā rationem negauit habitari, quàm quòd prius deficeret habitatio, quàm umbræ, quæ ad ſeptentrionem in noſtra regione uergunt, ad auſtrū flecterentur, hoc eſt, ſub Cancri circulo: ibi enim non habitari propter æſtum, nec in parte alia propter frigus: ut obſeruationibus inniti potius uideatur, quàm rationibus, & narranti potius ſimilis quàm probāti: tantum abeſt ut demonſtrationibus in hoc uſus ſit, quemadmodum putauit Auerroës: quem nō modo non demonſtraſſe, ſed nec probabiles ualde rationes attuliſſe, ſatis ex his quæ dicta ſunt poſſet conſtare. Verum ut Auicennæ ſentētia, ueritáſq; ipſa clarius eluceſcat, altius exorſi, cauſas afferemus quibus fit ut ſub æquinoctiali poſsit habitari. Experientia magiſtra ſcimus, regiones quę ſub cœlo ſunt, alias aliis magis minúſue incaleſcere, lōgioréſq; aut breuiores æſtus perpeti. Horum effectuum cauſa, alia è terra tātum, alia è cœlo pendet. Purè terreſtres in pręſentia dimittamus. Cœleſtis uel ex cœlo, uel ex aſtris pendet. Ex aſtris, uel ſole, uel aliquo aliorum. Reliqua, ut parum certa exiguíq; momenti, nunc prætermittamus: cœli tantū motum, ſolémque conſideremus. Cœlum motu calefacere uoluit Ariſtoteles: quod ſi uerum eſt, ſequitur ut qua parte uelocius mouetur, ea & uehementius calefaciat. Verum quicquid id eſt caloris quod cœlum ſuo motu nobis iaculatur, id adeò exile eſt, dum terram attingit, ut quantum ad noſtrum propoſitum attinet, uix efficere ſenſilem uarietatem poſsit. Ipſum enim quod mouetur cœlum, maiorem minorémue intra ſemetipſum calorem ex quocunq; motu haudquaquam ſuſcipit: imò ſi ad uiuum reſecāda res eſt, nec cœlum, ſed nec ſol ipſe, calorem quem in inferiora mittit, in ſe actu habet, ſed poteſtate tantum ac ui: ex quo fit, ut non plus eo media regio incaleſcat ubi uelocius, quàm ubi tardius mouetur, niſi quòd uel uim illam excalefactoriam, quo uelocius mouetur, eo crebrius deorſum mittit, uel quia uelociſsimo motu, contiguum citimæ ſuæ parti ignem ſecum rapit, ipſéq; ignis aëra pariter contactu ſecum circumrotat. Vtrum horum dicatur, nō magnus deorſum pertinget calor: uis enim illa influendi calorē, quæ uniuerſo adeſt cœlo, quū mitis benignáq; ſuapte ſponte ſit, ut ſuperius eſt dictum, nō tam eximia eſt, ut exurentem calorem hic ualeat generare. Et quod ad alium modum attinet, ut concedamus totam ignis ſphæram ad cœli motum circunuolui, primo non uidetur quomodo calorem ex hoc motu conſequi ualeat eo maiorem quem ex ſe poſsidet, quum natura ſua ignis ſit calidiſsimus. Deinde non ſatis rationi cōſonum uidetur. ut ſimili uelocitate tota aëris ſphæra eum conſequatur, quam etiam ſcimus quacūq; agitetur uelocitate, nunquam totam incaleſcere, cum & euidentia ipſa rei, & Ariſtotelis autoritas oſtendat, mediam eius regionem ualde ſemper frigidam, ipſo etiam Auerroë confirmante remanere. Inſuper & à ſenſu & à ratione alienum ſit, aërem hunc noſtrum in quo degimus, circa terrā magna uelocitate circumuolui: alioqui neq; fœtor, neque peſtilens aliqua affectio, ſed neque nebulæ aut nubes diutius eandem ciuitatē obſiderent. Et ſicuti uenti motum perſentimus, ita & aëream illam gyrationem ſentiremus. Quod cum neque hic, neq; alibi fiat, diſci poteſt aërem circa nos non adeò uehementer exagitari, ut nota dignum calorem ex eo motu uel indipiſci poſſit, uel terris elargiri. Quæ ſi uera ſunt, relinquitur unicus Phœbi calor, in quem huiuſcemodi referri caloris uarietas poſsit. Agit igitur in unum magis quàm in alium locum ſol, uel quia terræ proximior, uel quia magis è directo radios in eum iacit, uel quia diutius reſpicit. & hoc dupliciter: uno modo, quia dies ſunt noctibus lōgiores: alio modo, ꝙ pluribus talibus diebus reſpexit. Propinquitas parum in hoc habet efficaciæ: ſiquidem ſole in oppoſito ſuæ abſidis (quam augē nūc uocant) exiſtente, cum maxime nobis propinquet, maximum tamē frigus patimur. Relinquuntur igitur duæ cauſæ, mora ſcilicet & directio, ex quibus opinionum diuerſitas in hoc quæſito nata eſt, dum alius hanc, alius illam efficaciorem putat. Ariſtoteles, Auerroës, & antę omnes Pythagoras, directionem cæteris pręſtare arbitrati, quam bis in anno ſub æquinoctiali habitantibus ſciebant euenire, tantum ibi caloris eſſe iudicarunt, ut in totum habitationem prohiberet. Contrà Auicenna & Ptolæmeus, plus moræ quàm directioni tribuere, duplici ad hoc ſentiendum experimento impulſi. Primum, quoniam una uel altera poſt meridiem hora, calor impenſius nos urget, cum tamen tūc à uerticali puncto magis quàm in meridie, æquè uero ut totidem horis ante meridiem ſol ſit ſemotus. Altera experientia eſt, quoniam apud nos æſtus maiores ſunt, ſole ultimam Cancri partem uel leonē ſubeunte, Quintili uidelicet menſe, quàm dum Geminos uel primas Cancri partes, Maio uidelicèt & Iunio, illuſtrat, licet in eadem ſit uel maiore diſtātia à noſtris capitibus. Quod certe non alia euenit ratione, quàm quòd longiore tempore aërem ad incaleſcendum diſpoſuit. Tametſi igitur ſol eos qui ſub æquinoctiali degunt, bis in anno è directo proſpiciat, tamen quia totidem horis ſub terra latet, quot terram illuminat, & ſtatim ab æquinoctiis longe magis ab illis declinat, quàm à nobis à ſolſtitiis, ut 2. lib. magnæ compoſitionis demonſtrauit Ptolæmeus, & 1. lib. ſuæ medicinæ, parte ſecunda, tetigit Auicenna, cū minus poſsit directio uel eius propinquitas, quàm perduratio: ſequitur longe maiorem eſſe ſub Cancri & Capricorni circulo æſtum, quàm ſub æqui

*Calor cœleſtis uiuificus.*

*Caliditatis per æſtatē cauſæ uariæ.*

*Cœli motus qua ratione calefacere dicatur.*

*Aëris regio media ſemper frigida.*

*Sol qua ratione calefacere dicatur.*

*Solis propinquitas.*

*Solis aſpectus directus.*

*Solis mora.*

æquinoctiali, nec ſub hoc tantũ, ut prohibere habitationem poſsit. Eos enim qui ſub ſolſtitialibus tropicis habitant, uel circa eos, ſol è directo percutit, & eo tempore longiores noctibus dies habẽt, nec citò ab eorum capitibus recedit, adeò ut duplex mora cũ directo aſpectu coniũgatur: & ſi quid uelocitati motus dãdum eſt, ea quoque non deeſt. Sub æquinoctiali uero una tantum eſt caloris efficax cauſa, quoniam ſcilicet ſol bis in anno ad perpendiculum radios in eos mittit, totóque anni reſiduo non multum ab illorũ capitibus ſubmouetur, accedente etiam ſumma partiũ cœli uelocitate. Quæ licet cauſæ poſsint multum, à quibuſdam tamen aliis multũ remittuntur. Quarũ una eſt, quòd cum noctes ſemper ibi ſint æquales diebus, ex abſentia ſolis multum tepeſcit caliditas, quæ ex eius præſentia naſceretur. Ad quod & illud facit, quòd nullibi quantũ ſub æquinoctiali ab horizõte ſol noctu remouetur, præſertim eo tempore quo rectiſsime illuc radios mittit, ſcilicet tempore duarũ æſtatũ: ad nullam enim partem tunc inclinat, ſed per mediam exactiſsime inter utrunq; polum uiam progreditur: quod in nullo climate contingit. Tantum enim horizonti cuilibet intempeſta nocte propinquat æquinoctij tempore, quanta eſt climatis latitudo. Aliis uero temporibus tanto plus quanta eſt latitudo regionis ſimul cum ſolis eo tẽpore declinatione. Alia cauſa eſt quam ſuprà tetigimus, quòd poſt puncta æquinoctialia, quæ illis duas æſtates faciunt, magis declinat ſol, quàm poſt ſolſtitium, quod nobis unicam facit æſtatem, ſed duabus illis longiorem. Addit & Aponenſis aliã cauſam, aperte Auerroi repugnãtem, quam iudicandam tibi & tui ſimilibus relinquo, ſcilicet radios ſub æquatore apicem terræ ferientes, non ita refringi, ſicuti aliis in locis, ubi in conuexam incidunt ſuperficiem. Ad hoc etiam facit, quòd ibi ſunt duæ hyemes, inter quarum utranque & æſtatem tantum tres menſes intercedunt: quo fit ut æſtates multum calidæ eſſe non poſsint, ſicuti neque hyemes multum frigidæ. Non enim in tam exiguo ſpatio, magna poteſt ab uno contrario in aliud fieri permutatio: quia ſuperueniente æſtate, frigiditas in aërem à præcedenti hyeme impreſſa, nondum eſt tota abolita. Videmus enim apud nos hyemes ultra tres menſes perdurare, & frigus per hyemem in aërem impreſſum, bona etiam ueris parte perſeuerare. Huic præterea ſententiæ experientia ipſa ſuffragatur. Refert ſiquidem Nicolaus Florentinus inſignis medicus, conciuem eius quendam cognomento Indianum, quoniam in India longo tempore fuiſſet, affirmare ſolitum, habitaſſe ſe in locis quibuſdam, ubi eſſent duæ hyemes, & duæ æſtates, quarum nulla multum in calore aut frigore excelleret. Affirmant id & Luſitani, qui noſtris temporibus (ut ſuperius diximus) noua & antiquis incognita nauigatione, multa æquinoctiali ſubdita loca perluſtrant. Quæ ſi uera ſunt, imò quia uera ſunt, omnes aduerſariorum corruunt rationes, etiam quas illi demonſtrationes putarunt. Sub Cancri enim circulo & Capricorni, ſi uſpiam, ſunt loca ob calorem inhabitabilia, quæ maxime diſtant à ſeptentrionalibus, non ſitu, ſed qualitate. Dixi, ſi uſpiam, quoniam Luſitanorum nauigationes torridam uocatam zonam refertam habitatoribus teſtantur.

*Zona torrida habitatoribus referta.*

Sub æquatore uero ſunt loca ſatis commode habitabilia, nec habitationem directio, au reflexio impedit radiorum, quia ex 24. horis tãtum per 12. ſolem uident, qui nec eos ultra modum æſtatibus calefacit, quoniam paulò antè hyems præceſsit: nec multo tempore durat caliditas, quia in paucis diebus multum ab eis ſol declinat, & citò ad punctum aliud, hyemem quoq; faciens, peruenit. Nec propter duas hyemes uiuentium generatio tollitur, imò multiplici fœnore reſpondet: quoniam ſingulam hyemem, mox uer, dehinc æſtas citò conſequitur: ita ut quod apud nos ſemel generatur, bis generari apud eos poſsit. Maxima etiam directio maximum calorem ſola facere non poteſt, niſi cum mora plurium dierum coniũgatur: ſicuti nec mora ſine propinquitate, & directione: nam unius diei lõgitudo ſub polo calorem facere non poteſt, cum ſit à propinquitate, directione & reflexione deſtituta: & uti tarditas motus in faciẽdo frigus, exiguum ibi momentum habet, ſic & uelocitas in faciendo calorem ſub æquatore, aut parum, aut nihil operatur. Satis igitur iam, ni fallor, liquet & ueritas & cauſa, quare ſub æquatore ſit poſsibilis habitatio. Nunc aliud caput quæſtionis aggrediamur, an ſcilicet ſit habitatio temperata.

*Sub æquinoctiali an ſit habitatio tẽperata.*

Putant nonnulli Auicennam ſequentes, non ſolum ibi habitari, ſed eſſe æquum omnino, & in neutram partem uergens temperamentum. Ad quod credendum uel ea ratione præcipue mouentur, quòd paribus perpetuò interuallis, ſibi inuicem noctes diéſque tempora partiuntur: ideo fieri, ut quantum ex ſolis præſentia caloris, tantum ex abſentia frigoris generetur. Cui rationi nonnulli Chriſtiani ita manus dederunt, ut eſſe in eo loco Paradiſum putarint, quæ in ſacris libris delitiarum appellatur.

*Paradiſus uoluptatis.*

Petrus Aponenſis in libro quem Conciliatorem appellauit, aliam (quam & ſuprà tetigi) rationem ſuperaddit, quòd ſcilicet minus quàm aliis in locis ſolares radij apicem conuexi terræ ferientes, retroflectuntur. Et ob hoc tantam eſſe inibi putat temperiem, ut humana corpora eo loco generentur, quæ ſecundi modi ab Auicenna poſiti æqualitatem, quæ eſt inter omnes humanas temperaturas exactiſsima, nanciſcuntur. Ego licet rationibus & teſtimoniis idoneis adductus, non maximam ibi eſſe intemperiem putem, ad calorem tamen multò plus inclinare, quàm ad frigus regionem illam puto: ex gemina enim illa ſingulis annis contingente ad uerticem directione, & ad perpendiculum radij iaculatione, feréque angulo carente reflexione, multum omnino incaleſcere ea loca puto. Nam & ſi ab exigua mora, aliiſq; in contrarium facientibus ſuperius recitatis, uigor aliquantiſper imbecillis reddatur, efficaciores tamen uidentur caloris cauſæ, ueluti per ſe agentes, & nõ ex accidenti, quàm cauſæ contrariæ, quæ nõ agẽdo potius, quã agẽdo frigus faciunt, aut calorem remittũt. Et hæc de habitatione ſub æquinoctiali dicta ſint. Quod ad aliud uero quæſitũ attinet, Auic. aperta ſententia eſt: poſt loca ſub æquinoctiali circulo ſita, quartum clima exacto eſſe temperamento proximius, eò quòd ibi habitãtes non urũtur ob directionẽ, ſicuti hi qui in primo morantur climate, neq; impẽſius calefiunt ob propinquitatem, ſicut qui in ſecundo & tertio: ſed neque congelantur, ſicut hi qui in extremo ſunt quinti, uel in maiori latitudine, ſolem nimis remotum habentes.

*Temperatiſſima habitatio.*

Hanc Auicennæ ſententiam ſequutus Aponen. homines in altera tantum contrarietatem temperatos ſub ea cœli inclinatione collocauit. Repugnat Auer. 2. ſui Colliget, dicens non eſſe uerum quod quidam dicunt, quartum clima eſſe melius quinto: licet ſecundo Meteororum, quartum & quintum climata dixerit temperatiora. Et alio eiuſdem libri loco, terras naturales in calore eas eſſe, quæ ſunt mediæ in latitudine, ſicut Græcia. Et alibi præpoſuerit quintum, eius mediocritatem probans ex temperamento habitantium, quod ex colore & capillis præcipue dicit oſtendi. Eandem quarti prærogatiuam confirmat Ebumaſar Alpharabij, ut ſcribit Moſes 25. lib. Aphoriſmorum, dicens homines ibi tam perfectius cæteris loqui, ſicut perfectiores ſenſu, figura ac forma ſunt, & magis temperati. Omnes autem ex Galeno ſumpſiſſe hanc opinionem uidentur, qui tertio Aphoriſmorum dixit, quòd zona exquiſitam habens temperiem ac media orbis terrarum, eſt quæ per Gnidum tranſit & Coum, & quæcunque loca ab his non multum uel ad Aquilonem, uel ad Auſtrum receſſerũt. Et libro ſecundo ſalubriũ: In immoderatis locis nõ fit exactiſsimè temperatum corpus. Et paulò infrà: In noſtra regione fiunt multa corpora ei ſimilia: & in hac regione quæ latitudinem non paruam habet, id temperatiſsimum eſt, quod eſt exacte medium: ut Hippocratis patria, quæ æſtate & hyeme eſt temperata, multóque magis uere & autumno. Ego autem, licet non ignorem quàm temerarium ſit, ſecus quàm tot taléſque uiri & ſentire & ſcribere: ſciens tamen nihil eſſe ſanctius ueritate, ea præ oculis habita, dicam libere quod ſentio. Teneo contra omnium, quos legerim, ſententiam, temperamento magis propinquam eſſe habitationem ſub ſexto, quàm ſub quarto aut quinto climate.

*Clima ſextũ temperatiſſimum eſſe.*

Ad quod probandum pro hypotheſi eſto, ex communi aſtrologorum ſententia, principium quarti climatis, quod per Rhodon uocant, eſſe in latitudine triginta trium partium & duarum tertiarum alterius partis: hoc eſt, tot partibus ab æquinoctiali circulo remoueri. Ex hoc ſequitur, quòd diſtat ab Aquilone partibus quinquaginta ſex, & tertia alterius partis: tota enim noſtra latitudo nonaginta partibus continetur, quarta uidelicet parte CCCLX. in quot partes quemlibet circulum aſtro-

logi diuidunt: ex quo rurſum ſequitur ut plus propinquet æquinoctiali, quàm arctico polo, partibus uigintiduabus, & duabus tertiis alterius partis: &, ut ſequẽs eſt, non ſit medium orbis terrarum, ſed diſtet à medio partibus undecim, & tertia alterius partis. Si igitur id eſt temperatiſsimũ quod eſt exacte mediũ orbis terrarum, ut uoluit Galenus: uel id quod eſt mediũ in longitudine & latitudine, ut Auerrois, euidẽter concluditur, clima hoc quartũ non eſſe tẽperatiſsimum. Sed dixerit fortè quiſpiam, Galenũ per orbem terrarum non abſolute totam hãc terræ quartã portionem intellexiſſe, ſed id tantũ eius quod habitatur, quam in ſeptem climata diuidunt aſtrologi, quorum quartũ eſt mediũ, tria ex utraq; parte climata relinquens: eodémq; modo Auerroëm terram mediã in longitudine latitudinéq; intellexiſſe, non abſolute, ſed habitatæ reſpectu, quam τὴν οἰκουμένην Græci uocant. At profectò quiſquis id dixerit, aliquid dixiſſe fortè uidebitur, reuera autem nihil dixerit. Nam rogo quid in re ipſa facit ſeptiformis iſta diuiſio? aut quid firmi habet & certi? Poſſet enim quis in ſeptẽ, ſed aliter quàm neoterici, ita ſecare, ut quod hac computatione eſt quartum, tertiũ eſſet, ut Plinius ex quorundam placito cõputat. Poſſet in octo, poſſet in plura, poſſet in pauciora pro libito ſegmenta habitatum à nobis orbem diuidere: quibus diuiſionibus factis mediam nõ amplius ſedẽ quartum hoc clima poſsideret. Ipſam potius rei naturam ſequamur, uidebimúſq; clima hoc quartum, nõ propter hoc quòd in medio numeratur, mediam quoq; naturam in calore & frigore ſortiri. Si enim caloris maioris minoríſue potiſsima cauſa eſt (ut ſuperius eſt oſtenſum) maior minórue ſolis ad uerticalem punctum appropinquatio, uel ut uoluit Auerrois, maior anguli, quẽ radius ſolis terrã uerberans facit, ad rectũ propinquitas, quum hominibus quarti climatis, ſol ſatis propinquet, angulúmq; illis faciat quinti, ſexti, ſeptimiq; comparatione non multũ à recto differentẽ, ſequitur calere eos potius quàm frigere. Sed uide quàm ſit iſta quarti climatis mediatio imaginaria potius quàm in re. Spatium quod à ſeptẽ climatibus includitur, eſt partium 37. & trium quartarũ alterius partis: principiũ enim primi eſt in latitudine partium duodecim, & trium quartarũ alterius partis: finis uero ſeptimi quinquaginta partium, & mediæ alterius partis. Cum igitur mediũ quarti ſit in partibus 36. & tertia alterius partis, ſequitur quòd diſtet à principio primi, quod eſt in partibus 12. & tribus quartis alterius partis, per partes 23. & ſeptem duodecimas alterius. A fine uerò ſeptimi, qui eſt (ut ſuperius eſt dictũ) in partibus quinquaginta, & medietate alterius partis, diſtet per partes 14. & ſextam alterius, &, ut ſequens eſt, ſit propinquius ſeptimo quàm primo, per partes nouem & quinq; duodecimas alterius. Et cõſequenter capiat uniuerſi interualli omnium climatum, partes 23. & ſeptem duodecimas alterius, quæ ſunt ferè duæ tertiæ eiuſdem integri interualli, quod 37. partibus & tribus quartis diximus contineri: abſitq; ab eius iam dicti interualli medietate partibus quatuor, & ſeptemdecim uiceſimis quartis alterius, mediũ nequaquam dici meretur. Quomodo enim dici poteſt medium, cum nec ſit medium totius latitudinis, ſed ad æquinoctialem multo magis quàm ad polum appropinquet? nec ſit medium æque diſtans ab extremis totius ſpatii ab climatibus ſeptem introcluſi, ſed ad ſeptimũ magis inclinet, quàm ad primum. Ad horologia forte recurret quiſpiã, dicens, cum climata penes ſenſilem horologiorum uarietatem diſtinguãtur, quæ in dimidio horæ notatu digna conſpicitur, in totóq; diſcrimine differentia trium horarum ſemis comprehendatur, cuius differentiæ dimidium hinc, dimidium illinc quartũ clima relinquat, habere ob hanc cauſam mediocritatis quandã ueram rationem. Sed & hoc quoq; parum habet momenti: ſiquidem ipſa per ſeſe dierum quãtitas, uel exiguam, uel certe nullam habet uim ad maiorem minorémue caliditatem regioni tribuendam. Dictaret enim ratio, quãtum eſt ex hoc, ut ubi dies longiores, ibi calores maiores. Contrariũ uero experientia ipſa teſtatur: quo magis enim ad aquilonem uergimus, ut dies maiores, ita maiora frigora inuenimus. Neq; uero in hac dierũ uarietate quartũ hoc clima mediocritatem poſsidet: medium enim eius maximam diem habet horarum ferè 14. ſemis, in qua quantitate nulla mediocritas uel fingi poteſt. Quòd ſi quis omnino cõtendat, inter totam uarietatem quæ in habitabili parte contingit, hãc eſſe mediam: certe & hoc præſenti tempore falſum eſſe deprehenditur, quãdo iam innotuerit 24. climatũ habitatio, ab æquinoctiali ſumpto principio, ad eam uſq; regionem ubi latitudo eſt ferè 66. ſemis partium, differẽtiáq; maximæ diei à minore in hoc interuallo eſt duodecim horarum, cuius medietas non 14. ſemis horis, ſed 10. & 8. cõtinetur, & in latitudine 58. ſemis partium cõtingit, ubi quæ nunc Dacia dicitur, & ea Britanniæ portio ſita eſt quæ Scotia nuncupatur. Quæ tamen regiones non propterea temperatæ ſunt, ſed potius ingẽtibus frigoribus infeſtantur, ſicuti quartum clima caloribus. Rhodos enim inſula, quæ toti climati nomen dedit, ita uehementer calet, ut niſi aquilonares flatus, quibus ob loci poſitum maxime patet, æſtũ lenirent, uix poſſet æſtatis tempore habitari. Mauritaniam quoq;, Aegyptũ, Siciliam, atq; eam Italiæ oram quę ex aduerſo iacet, ultra modum ſcimus incaleſcere, hominéſq; in his gigni qui ſint à mediocri temperatura longe ſemoti. His ego tum rationibus, tum experimentis motus, recedere à ſummis illis uiris coactus ſum: de quo ſpero me ueniam apud te, & apud eos impetraturum, qui non tantum dicentes, quantum dicta ipſa penſi habent. Quicquid uero alii uel ſentiant uel dicant, ſúſq; déq; fero. Quintum porrò clima quod per Romam uocant, licet minore calore quàm quartum prematur, longe tamen magis & ipſum calet, quàm ut mediocre dici poſsit, ſicut & in auſtrũ magis quàm in aquilonẽ inclinat: principium enim eius latitudini trigintanouẽ partiũ ſubiacet: finis 43. ſemis, mediũ 41. & quarta alterius partis. Ex quo fit, ut ex alia parte 48. & tres quartas relinquat, atq; per tres & tres quartas à uera medietate ſecludatur: quæ diſtantia eo in loco unius climatis differentiam, hoc eſt, uarietatem diei maximæ in horæ medietate conſtituit. Quæ ſi uera ſunt, ſequitur Auerroim amore proprii climatis ſeductum, quandoq; repudiato quarto, prætuliſſe omnibus quintum, ueræ quidem mediocritati propinquum, non exacte tamen mediocre. Quod ſi Auerroi in ſuo licuit, ex colore & capillis habitantium, non alia ex re ſumpto argumento: cur non mihi liceat meum, hoc eſt ſextum, cunctis preferre? in medio exactiſsimè ſeptẽtrionalis huius quam incolimus quartæ orbis partis ſitum, fœcundiſsimis cãpis, amœniſsimis collibus, limpidiſsimis fontibus, piſcoſiſsimis lacubus, ſaluberrimis fluminibus ornatum, præcipuéq; fluuiorum rege Eridano, qui ueluti maris uicarius, totius orbis merces magnis nauigiis ad præclariſsimas urbes, quæ utriq; inſident ripæ, facilime deportat. Inter quas maxime emicat Ferraria, patria & alumna mihi dilectiſsima, ſiue mœnium decorem, ſiue uiarum rectam ad regulam latitudinem, ſiue magnificentiſsimas ædes, ſiue auguſtiſsima templa, ſiue compita, ſiue fora, ſiue pomœria, ſiue pomaria, ſiue agri fertilitatem, ſiue cœli ſalubritatẽ, ſiue ſuburbia, ſiue uillas, ſiue populi frequentiam, ſiue uirorum robur, ſiue mulierum pulchritudinem, ſiue ingenia, ſiue artes uel ſellularias uel liberales, ſiue togam, ſiue arma ſpectes: in quibus quantũ excellat, proximis annis Alphonſo inuictiſsimo Duce, toti orbi, nedũ uniuerſæ Italiæ, re ipſa apertiſsime demonſtrauit, duobus potentiſsimis hoſtibus intra paucos annos ſuperatis. Ingrederer campum laudũ Alphonſi Ducis, niſi rei magnitudo, quæ maiorem tubam quærit, me abſterreret, cognoſcerémq; hanc materiam, ut meis humeris, ita præſenti epiſtolæ non congruere. His ergo omiſsis, ad noſtrum clima reuerſi, dicimus id exacte medium exiſtere in hac noſtra ſeptentrionali habitatione. Incipit enim à latitudine quadraginta trium partium & mediæ, & definit in quadrageſimam ſeptimam & quartã alterius portionem, adeò ut medius eius punctus parum recedat à quadrageſima quinta parte, quæ medietas eſt nonaginta partium, in quas facilioris computationis gratia, quartæ huius noſtræ latitudinem aſtrologi diuiſere. Veram igitur medietatem habet, & à re ipſa natam, non ab hominum imaginatione, metiri dierum ſpatia cupientium: quantum enim diſtat à polo, tantum diſtat ab æquinoctiali: ſed & medium exiſtit in eo ſpatio, quod in tota hac noſtra terræ portione ſatis commodè habitatur, quod uidelicet inter Cancri tropicum & Arctoum circulũ iacet. Diſtat enim Cancri circulus ab æquinoctiali partibus paulò minus uigintiquatuor, totidémq; Arctous circulus à polo: quare

Clima quartum nõ eſſe medium.

Daca Scotia.

Rhodos. διὰ ῥόδου.

Clima quintum, quod διὰ ῥώμης eſt, temperatum nõ eſſe.

Climatis ſexti temperies & commoditas.

Eridanus fluuiorũ rex dictus à Marone.

FERRARIA.

remanent inter utrosque, partes ferè quadragintaduæ, quas si per medium secueris, uidebis sexti climatis spatiũ, utriusq; dimidij partẽ capere. Quod etiam ratio mathematica demonstrat, demptis enim à lineæ extremis partibus, æquis portionibus, punctus qui in tota linea medius erat, in remanente etiam parte medius remanebit. Si enim ad alterum extremorum declinaret, sequeretur maiorem ab eo extremo portionẽ, quàm ab alio fuisse sublatam. Facit autem medius hic situs, ut anni tẽpora suũ quodq; habeat temperamentũ: nec tantũ sit hyeme frigus, ut habitatores gelu torpeant, nec tantus æstate calor, ut exæstuẽt. Hæc sunt mi Zigleri, quæ olim in patria circa temperamenta nostræ habitationis meditatus sum, in quibus tantum à me probabitur improbabitúrq;, quantum abs te probatum, reprobatumúe iri cognouero. Vale. Ex hospitio nostro Budæ. VII. Idus Septembris. M. D. XIIII.

EPIST. II. *Ad Michaëlem Sanctannam Chirurgum, de nominibus morborum in exterioribus corporis partibus euenientium.*

Rem à me petis Michaël, ut sanè nõ facilem, ita his qui cõmunẽ medendi modũ sequũtur, ualde necessariam, ut confusionẽ nominũ, earũ affectionum quæ in extima corporis humani superficie cõtingunt, submoueam, & quo singulæ nomine apud Græcos, Latinos, barbaro ósque medicos uocẽtur, sigillatim exponã. Magni enim & multiplices errores ex huiusce modi nominũ ignoratione cõmunibus medicis quotidie obueniũt, dum idẽ nomen apud diuersos autores eũdem semper affectũ significare arbitrantur: quum tamẽ, ut inferius late patebit, eadem uox aliud Græcis, aliud Arabicis, aliud Latinis medicis plerunq; significet: quę res multũ auget negocij difficultatem. Communes medicos cũ dico, eos intelligo quos & ex cõmentario medicos uocare possumus: quoniã uidelicet totã suam medicinã non in pectore & mẽte, sed in chartis habẽt & mẽbranis repositã, nec manũ adhibere curationi alicuius morbi sciunt, nisi nomine prius habito, remedia proprio eius capite à libris requirant: quũ ueri medici, ut qui methodo artem prosequũtur, exiguã nominum curam habẽtes, morborũ substantias atq; causas per diuisionẽ & resolutionẽ inquirãt, è quibus curatiuas indicationes eliciant, & intentiones acquirãt, quibus instrumenta inueniant morbos ab humanis corporibus propulsantia: & si quãdoq; ad libros recurrũt, non tãquam cœci, ut illi, à nominibus seduci ad eos ueluti ad iudices permittũt, sed ad limam rationis quæ legũt applicantes, scriptis non tanquam dominis parent, sed ipsa potius tanquã mancipia ad suas prosequẽdas intẽtiones trahũt. Et propterea studio eis nõ est, quo quisq; morbus nomine à prioribus medicis uocatus sit, sed sub quo cõtineatur genere, quot quæue eius curatiuæ intẽtiones, & quibus fint auxilijs perficiẽdę. Paucorum autẽ hoc munus est, tantũmq; potest inueterata cõsuetudo, ut qui hanc uiam sequuntur, ludibrio ferè cæteris habeantur, nec possint cũ medicis uulgaribus de rebus medicinalibus agere, nisi & ipsi norint morbos proprijs nominibus appellare, & ad propriũ, ut illi appellant, caput singulos referre. Vnde fit, ut utriq; sectæ sit ista exacta nominũ notitia necessaria: illis quidem, quòd aliter mederi nesciant: his, ut possint cum reliquis inire colloquia, & de curandi uia & ratione disputare. Vt igitur tibi morem geram, operámq; sumam iunioribus medicis non inutilem, ordine locorum humani corporis seruato, orsus, ut multi, à capite seriem nominum eorum affectuũ explicabo, qui exteriores partes uel infestant, uel dedecorant.

*Medici ex cõmẽtario.*

*Notitia nominum quatenus medicis necessaria.*

DE MORBIS IN CApitis cute.

*Porrigo.* *πίτυρα, uel πιτυρίασις.* *Furfur.*

Inter hos primus est porrigo à Latinis uocatus, à Grę cis πίτυρα in plurali, uel πιτυρίασις, ab Auicenna & Haliabate non inepte furfur: siquidem & uox Græca idem significat, quæ est à re ipsa desumpta: quędam enim quasi furfuraceæ squamulæ absque ulceratione à cute eorũ resoluuntur, qui hoc dedecore dehonestantur: ferẽq; in capillo fit. Celso teste rarius in barba, aliquando etiam in supercilio.

*Alopecia.*

Ἀλωπεκία & ὀφίασις areæ genera sunt Celso: uox utraq; Græca est: prima à uulpe nomen habet, quæ frequenter eo morbo, ut scribit Galenus, infestatur. Secũda à serpentis similitudine, cui pars læsa similis exsistit, teste Paulo & Celso, qui addit eã incipere ab occipitio, nec duorum digitorum latitudinem excedere, & ad aures duobus capitibus serpere: commune utriq; esse dicẽs, quòd emortua summa pellicula pili primum extenuẽtur, deinde excidunt. Auicenna & Haliabas, illud uoce parum corrupta, Alopitiam, hoc Tyriã uocant: qua uoce quãdoq; omnes serpentes, quãdoq; uiperas proprie significant. Sunt ambo capillorum defluuia, à uitiosis humoribus contingentia: hócque differunt à caluitio, Latinis & Auicennę uocato, Gręcis dicto φαλάκρωσις, in quo ex indigentia humoris, non ex malignitate capilli decidunt.

*Ophiasis.*

*Tyria.*

*Caluitium.* *Phalacrosis*

Manantia capitis ulcera, una uoce nominat Plinius, quæ Grẹci ἀχῶρας & κηρία, Auicenna saphatum, Haliabas tineam, generali & ipse nomine, sub quo non solum achores, & ceria Græcorum, sed & ficus, & ψυδράκια, & ἐξανθήματα collocauit.

*Saphatum.* *Tinea.*

Sũt autem ἀχῶρες Galeno & Paulo, cutis capitis cũ tumore ulcera foraminulenta, è quibus sanies manat tenax, nõ aquosa, sed nec ut mel crassa. Κηρίον achori simile maioribus foraminibus, in quibus sanies melli similis, instar faui apum continetur. Ficus, ulcerosæ quædam eruptiones, rotundæ, subduræ, rubræ, quas dolor comitatur, & maiori ex parte capiti, sed interdum reliquo corpori contingunt.

*Achores.* *Cerion.* *Ficus.*

Ψυδράκια parum supra summam cutem eminent, & sunt φλυκταίναις, hoc est, bullis quæ ab igne excitantur, similia. ἐξανθήματα, subrubræ & asperæ in suprema cute ulcerationes, de quibus alio loco rursus nobis erit sermo.

*Psydracia.* *Phlyctænæ.* *Exanthemata.*

Congregatur & interdum in capitibus, præsertim puerorũ, aqua in medio aut cutis & pericranij, aut huius & ossis: ὑδροκέφαλον Græci uocant, Auicẽna aquã extra craneum: Haliabas, apostema intercutaneum.

*Hydrocephalon.*

Hi sunt affectus cutis capitis proprij apud antiquos reperti. Recentiores testudines & talpas addiderunt, quæ penes antiquos proprium neque nomen neque tractatum inuenerunt: ideo à nobis etiam hic prætermittuntur, cum alijs recentiorum nominibus inferius declarandæ.

*Testudines.* *Talpæ.*

OCVLORVM MORBI.

In oculi exteriore parte diuersa mala contingunt. Primum quidem in adnata, seu cõiunctiua membrana fit ταραξις à Græcis uocata, apud Auicennam conturbatio, uel uacillatio uocatur, & non uera ophthalmia. Est autem humiditas oculi cum rubore, & præternaturali calore, ab extrinsecus occurrente causa, ut sole, fumo, uel puluere facta: quæ celerrime soluitur, submota quæ eã fecit causa: quæ enim permanentior est, & absque manifesta extrinsecus occurrente causa facta, ὀφθαλμία nominatur à Græcis: χήμωσιν tunc uocantibus, quum fortis adeò est inflammatio, ut utraq; palpebra in tantũ peruertatur, ut uix oculos operiant, & album oculi supra nigrum ita extollitur, ut id in pluribus locis operiat. Auicenna & Haliabas communi uoce tria hæc genera ophthalmiam nuncupant, & Latini lippitudinem: tertiam tamen proprio nomine uocat Auicenna Alguadarnesi, uel alguadarnegi, secundam ueram ophthalmiam.

*Taraxis.* *Conturbatio.* *Vacillatio.* *Ophthalmia.* *Chymosis.* *Lippitudo.*

Fit in eadem membrana parua quædam excrescẽtia, quæ ut nomine, ita & re similis est his pustulis, quas diximus appellari ψυδράκια.

In membrana uero, quæ quoniam similis cornu est, Cornea uocatur, nonnulli etiam affectus proueniunt, φλύκταιναν uel φλυκτίδας uocãt Græci eius extuberantiam, ab humore aliquo membranæ tunicas subexcoriante: Auicenna uesicas, Haliabas pustulam, sicuti & Celsus. In eadem uocata cornea, ulcera diuersa fiunt, de quibus Auicenna scripsit cap. cui titulus, De exituris oculi & corneæ. Paulus unum esse genus dicit, & particulares differẽtias plures: quod enim cauum, arctũ & purum est, βόθριον, quasi fossulam dixeris, Auicenna anulum uocat. Secũdum latius & minus profundũ, Paulus κοίλωμα, Auicenna Lilione. Tertium Paulus ἄργεμον, Auicenna ei nomen non reddit, Serapion Achymon, fit id in iridis circulo, exteriorem etiam locum occupãs, ita ut intra iridem albus color, extra rubor appareat. Quartũ, quod sordidũ, impurum, & crustosum existit, à Paulo ἐπίκαυμα, ab Auic. adustiuum uocatur, à Serapione. ausume. In his autem ulceribus sicubi aliàs, maxime lapsus

*De affectibus corneæ.* *Phlyctæna.* *Vlcera corneæ.* *Bothryon.* *Cœloma.* *Argemon.* *Epicauma.*

est Auic.septem species enumerans,quatuor Galeni autoritate,quæ in superficie dicit contingere:cum tamen prima & secunda,non inter ulcera à Galeno reponantur,sed ex humiditate corneæ fieri scribat libr.2.de causis symptomatum,ut ueluti per nebulam , uel caliginē, uel uaporem,uel fumum fiat uisio : tertia & quarta ad ea quæ profunda uocat , pertineant. Error hic in tertia specie primi ordinis præcipue detegitur , quæ dubio procul nihil aliud est , quàm id quod à Paulo argemon inter profunda est nominatum : sed fuit hoc Auicennæ cum omnibus Arabibus commune, quorum ferè uitium, ut sicubi unus impegerit,reliqui absque iudicio balantum more sequantur:in hac autem re sequuti reliqui uidentur Serapionem.

*Arabū commune uitiū.*

*Proptosis.*

Accidit & eidem corneæ πρόπτωσις. sic enim nominat Paulus , Auicen. rupturam corneæ, Haliabas acumen. Definitur ab eodem Paulo casus uueæ tunicæ , ab exesu uel corrosione uel disruptione corneæ contingens. Si exiguum sit id uuæ quod cadit, μυοκέφαλον, quasi muscæ caput,uocat Paulus:Auicenna & Haliabas formicalem. Si formā habet uuæ id quod egreditur, σταφύλωμα, id est, uuatio, ab omnibus dicitur. Si plurimum , adeò ut super palpebras cadat,μῆλον,id est,mâlum,uocatur à Paulo.Quod si callum obducat,ἧλος,id est,clauus,dicitur.

*Myocephalus.* *Staphyloma.* *Melon.*

Quandoque sub eadem cornea pus congregatur. ὑπόπυον Græci dicunt,Auicen.saniem in siphac, Haliabas saniem post corneam.& si redditur unguis similitudo, ὄνυχα,id est,unguem : quod etiam nomen alteri affectui à Celso & aliis adscribitur, de quo paulò pòst tractabimus.

*Hypopyon.* *Onyx.*

Euenit quoque in cornea καρκίνωμα,id est,cancer : tenduntur, & rubent tunicæ, dolor pungens ad tempora usq; protenditur.Hæc sunt quæ corneæ accidunt mala.

*Carcinoma.*

Superadnatæ autem oculi membranæ,id est,coniunctiuæ uocatæ simul & corneæ,nonnulli quoque communes affectus eueniūt,qualis est,qui ὑπόσφαγμα à Græcis,ab Auicenna tarfati dicitur:ea est uenarum ruptura, ex ictu plurimum contingens , ex qua in oculi extima parte ueluti sanguinis pūcta demōstrantur. Galenus αἱματώδεις ὑποχύσεις,hoc est,sanguineas effusiones,appellat.

*Hyposphagma.*

Fit & in utrisque uocatum πτερύγιον , quasi alam diceres,ungulam Auicenna nominat. Est autē Paulo neruosa quædam adnatæ membranæ excrescentia, à maiore angulo ut plurimum orta , ad oculi coronam ita procedens, ut quādoque pupillam operiat. Celsus unguem uocat. Verba eius sunt libr.7. Vnguis uero, quod πτερύγιον Græci uocant,est membranula neruosa, oriens ab angulo , quæ nonnunquam ad pupillam quoque peruenit,eiq; officit.Sæpius à narium, interdum etiam à temporum parte nascitur. Diuersa eius genera facit Paulus.Ex colore quidem albam,rubram,rufam, fuscā: ex tactu duram,& mollem:ex annexione ad membranam hærentem & unitam : magísq; sanitatem eam recipere ait , quæ sit albior , tenuior , adhæréńsque, non unita : ad quam referri mihi uidetur id quod Arabes sebel uocant.

*Pterygion.* *Vnguis.* *Genera unguis.*

Communis etiam utriq; membranæ est albugo ab Auicenna uocata,cuius duas facit species:tenuē,quam dicit uocari nebulam:crassam,quam albuginem.Quā distinctionem(licet non perfecte)sumpsisse à Paulo uidetur,sic loquente:Cicatricum oculi,alia tenuis,in superficie apparens, quæ generale cicatricis nomen seruat,& à quibusdam dicitur nebula:alia profunda,quæ λεύκωμα nuncupatur. Haliabas albedinem & panū uocat,Latini cicatrices & albuginem,plerunq; tamē Græca ipsa uoce λεύκωμα.

*Albugo.* *Nebula.* *Leucoma.*

Huic non ualde dissimiles sunt nominatæ à Paulo συγχύσεις,ab Auicenna botor.Id tamen quod Auicēna dicit,super corneam albedinem,supra coniunctiuam ruborem apparere,dictum est à Paulo in argemo,& ab ipsomet Auicenna in tertia specie exiturarum.

*Synchysis.*

Lego apud Galenum quoq; inter oculorum affectus ὑμένων ἐπαναστάσεις, quasi diceres membranarum rebelliones,uel insurrectiones:intelligo autem earū præter naturam extuberantiam.

*Hymenon epanastases.*

In tertia quoq; oculorum membrana uuea uocata, nonnulla eueniunt incommoda:aliquando enim eius foramen,quod pupilla uocatur,latius fit,quàm erat naturaliter:& hūc affectum Auicenna alintisar,Græci μυδρίασιν, Latini pupillæ effusionem, aut dilatationē uocant.aliquando constringitur,constrictionem pupillæ uocat Auicenna,Paulus φθίσιν,id est,tabem.

*Affectus uueæ.* *Mydriasis.* *Phthisis.*

Ad hanc quoq; aliquo modo pertinere uidetur affectus,quem ὑπόχυμα Græci,Latini suffusionem , Auicenna aquam,uulgus cataractā uocat.Est autem,teste Paulo,effusio humorum lentorum inter corneam & crystalloidem congelatorum. Huic tam simile est id quod Græci uocāt γλαύκωμα, ut aliqui idem putauerint,quum tamen sint res diuersæ.Fit enim glaucoma ex mutatione crystalloidis ad glaucum.Videtur Auicenna glaucedinem oculi uiriditatem uocasse:quamuis eo capite, quod de uarietate oculi inscribitur,de naturalibus potius quàm de his qui præter naturam sunt oculorū coloribus , locutus sit:capite tamen de destructione uisus,glaucomatis meminit,eius nullum dicens esse medicamen.

*Hypochyma.* *Suffusio.* *Glaucoma.*

Sunt præterea alii affectus qui ad totum oculum uidētur pertinere,ut qui à Græcis ἀτροφία,quasi innutritio dicitur : qui quoties fit,totum oculum minorem,humiliorémq;,hoc est,depressum magis reddit.Auicenna profunditatem oculi uocat,Celsus imminutū oculum. Fit & è contrario, ut nimis promineat, ἐκπιεσμὸν uocat Paulus , Auicēna exitū.Euenit etiam toti oculo,& quādoq; palpebræ maligna ulceratio,quæ interdum perambulat.Paulus ἀνθράκωσιν,Celsus carbunculū uocauit.

*Atrophia.* *Ecpiesmos.* *Anthracosis.* *Carbunculus.*

Est etiam totius oculi affectus strabositas ab Auicen. uocata,Paulus στραβισμὸν uocat,qui modo resolutionem mollitiémq; musculorum bulbum mouētium,modo conuulsionem sequitur.

*Strabismus.*

Accidit etiam ex resolutione,παράλυσιν Græci uocant, ut oculus nequaquam intendi posit,nec omnino cōsistat,sed huc atq; illuc sine deliberatione moueatur.

*Resolutio.*

Habent & oculorum anguli sua mala:horum non leue est,αἰγίλωψ à Græcis uocatum,ab Auicen.garab. Est autem abscessus inter magnū angulum & nares medius, qui si rumpatur, & indiligēter tractetur,in fistulam uertitur,quæ ad os usq; protenditur.Haliabas coruum nominauit.Plinius libr.20. epinyctides uocari dicit ulcus aciem hebetans , & in angulo oculi perpetim humor emanans.

*Aegilops.* *Epinyctides.*

Crescit interdum in ipso magno angulo naturalis caro,adeò ut palpebras parum diduci patiatur : interdū ultra modum minuitur:primum ἐγκανθίδα,secundū ῥυάδα Græci nominant. Auic.additionem alterum,alterum diminutionem carnis lacrymalium uocat.Haliabas primum gada,secundum fluxum.

*Encanthis.* *Rhyas.*

Ad hos quoq; angulos spectare delationes rheumatum uidentur,ἐπιφοράς Græci,pituitæ cursum Celsus,Plin. delacrymationes,licet aliam rem putasse uideatur ab epiphoris:& certe latius patet epiphoræ nomen apud Græcos,comprehendit enim quācunq; humiditatum ad oculos delationem,siue per angulos,siue per totum oculum fiat.

*Epiphoræ.*

Est & ubi Plin.lacrymosos oculos nominet,& lacrymantes.Nostri tantum lacrymas uocant. Videntur aliquando anguli ueluti erosi,περιβεβρωμένους uocant Græci.

*Lacrymæ.*

## PALPEBRARVM affectus.

Non pauciora quoq; palpebris,quàm oculis nocumenta contingunt.Est enim cum extra modum crassescunt cum rubore & calore,pilorúmq; plerunq; casu: πτίλωσιν Græci,silac Auicenna,Haliabas palpebrarum casum uocat. Quandoq; adeò duræ fiunt,ut difficile moueantur,dolentq;,ac sine humore rubent:σκληροφθαλμίαν Græci,Auicenna gesse uocat. Pruriunt interim absque fluxione , & ξηροφθαλμίαν Græci nuncupant,Auicenna oculi siccitatem. Paulus tamen σκληροφθαλμίαν & ξηροφθαλμίαν inter morbos oculorum , non palpebrarum,collocat.

*Ptilosis.* *Sclerophthalmia.* *Xerophthalmia.*

Interdum laxo quodam & indoloroso tumore crescunt:ἐμφύσημα Paulus,Auicēna inflationem nominauit.

*Emphysema*

Accidit etiam aliquo casu ut palpebra superior , aut tarso inferiori,aut oculi albo,aut corneæ tunicæ ita agglutinetur,ut aperiri oculus non posit:συμφυῶντας Paulus,Celsus ἀγκυλοβλέφαρον,inuiscationem Auicēna uocat. Superior etiam palpebra ita quandoq; conuellitur, ut album oculi nō tegat:λαγοφθάλμους,id est,leporinos oculos habentes,qui hoc patiuntur,uocant Græci, Auicen. ascera,& palpebræ inuersationem.Idem inferiori contingit,& ἐκτρόπιον Græcis est.

*Ancyloblepharon.* *Lagophthalmos.* *Ectropion.*

Fit & in eis pruriginosa quædam scabies , ψωροφθαλμίαν uocat Paulus,Galenus ψωριῶντα βλέφαρα καὶ κνησμώδεις κανθούς , Auicen . scabiem & pruritum,Haliabas pruriginem.Exasperantur quandoque intrinsecus , & τράχωμα

*Psorophthalmia.* *Trachoma.*

hæc

hæc passio à Paulo dicitur, à Celso aspritudo. Quod si asperitas intantum crescat ut tendi uideatur, σύκωσις ab eodem dicitur, ficosa palpebra à Latinis: si antiquatur, & callum obducit, τύλωσις. Vniuersa autem hæc Auicenna eodem de scabie cap. comprehēdit. Haliabas species pruriginis facit.

*Sycosis.* *Tylosis.*

Additur etiam quandoque superiori palpebræ pinguis quædam grauisq; materia, quæ uix attollere oculum sinit, leuésque pituitæ cursus, sed assiduos mouet. Paulus ὑδατίδα, Auicēna alsarnac, Celsus uesicam, Haliabas scissuram appellat.

*Hydatis uesica.*

In eadem super pilorum locū tuberculū paruulū nascitur, quod à similitudine ordei à Græcis κριθὴ nominatur, & à nonnullis ποσθία, ab Auicen. ordeolum.

*Crithe.*

Aliud ibidem huic non dissimile nascitur, diuersæ tamen figuræ, mobile: si huc atq; illuc pellatur, χαλάζιον à Græcis, à nostris & ab Auicen. grando dicitur.

*Chalazion.* *Grando in oculo.*

Adduntur ab Arabicis nonnullę palpebrarū affectiones, quas nō facile est apud Græcos reperire: inter quas est quædam carnis pustulosa eminentia, quam ob similitudinem uocat Auicē. morum: nec ad alium effectum quàm ad σύκωσιν referenda uidetur.

*Morus.*

Addunt & susati, quam dicunt esse carnem mollē intra palpebram, à qua fluit sanguis ruber, ater, aut uiridis. hæc autem ipsomet Auicen. teste, est ad scabiem fortem referenda.

*Susati.*

Meminerūt & lapidis qui ad grandinem referendus est, & uocati alintisac, tumoris uidelicet, ab inflatione, uel pituita, uel aqua, uel nigro humore geniti: qui nō uidetur esse proprius morbus, sed sub generali tumorum diuisione reponendus, sicuti & acrochordones, quorū meminit Paulus.

*Lapis.*

Accidunt & pilis palpebrarum sui morbi uel dedecora. Aut enim concidunt, & à Græcis μαδάρωσις, uel μίλφωσις, uel μύδωσις passio uocatur. Auic. casum pilorum nominauit. Aut præter naturalem ordinem augentur: Paulus uocat δυστιχίασιν, Galenus τριχιῶντα βλέφαρα, Auicen. inuersos, uel additos pilos.

*Dedecora pilorum.* *Madarosis.* *Milphosis.* *Mydosis.* *Dystrichiasis.*

Et hæc quidem de oculorum exterioribus malis dicta sint: ad aures accedam.

DE MORBIS AVRIVM.

Exit ex aure modo sanguis, modo pus, modo uermiculi: αἱματώδη ὦτα primum Paulus: secundum πυοῤῥοῦντα, sicut Galenus, Dioscorides autem ἰχωῤῥοῦντα: tertium σκωληκιῶντα uocat. Latini aures uerminosas hoc ultimum uocant.

Crescit in eis caro, & uocant Græci ὑπερσαρκοῦντα. Deest aliqua eius pars, & κολοβώματα idē Paulus, Celsus curta. Tumores post eas nascūtur, & παρωτίδας uocant. Et hæc de auribus.

*Hypersarcōta.* *Colobomata.* *Curta.* *Parotides.*

NARIVM AFFECTIONES.

Nasi exterior pars nullum proprium affectum patitur: interior duobus, & quidem uehemētibus malis uexatur: alterum ὄζαιναν, πολύπουν reliquum, Græci & Latini uocāt: in hoc caro multos ueluti pedes instar animalis polypi uocati habens, intra narium foramina concrescit: illud ulcus est putridum ab effluctione acrium humorum factum, plures crustas, & odorem fœdum habens. Ad alterum autem horum morborum referendi sunt morbi, de quibus agit Auicenna capite inscripto de hæmorrhoidibus alcarnabet, & ad polypum Pauli sarcoma.

*Ozænæ.* *Polypus.*

DE LINGVA.

Linguæ proprium quid euenit, quod Paulus ἀγκυλόγλωσσον uocat: sub hoc breuior fieri lingua uidetur, duratis diminutisq; membranis linguā continētibus, aut duriore cicatrice ex ulcere derelicta. Auicenna abbreuiationem linguæ uocat.

*Ancyloglossos.*

Nascitur & sub ea tumor cum inflammatione, pręcipue in pueris, βάτραχον Græci, Auicenna ranulam, uocāt.

*Batrachos.* *Ranula in lingua.*

Eidem alii quoq; affectus accidunt, resolutio uidelicet, conuulsio, excellēs magnitudo, prominētia, ustio, rhagada, & tumorū omnia genera, de quibus propria capita scripsit Auicenna. Sed quia nihil peculiare, nec propria nomina habent, ideo à Gręcis prætermissa quū sint, à me quoq; non aliter tractabuntur.

GINGIVARVM AFFECTVS.

In gingiuarum morbis παρουλίδες, & ἐπουλίδες à Græcis enumerantur: uoces quidem similes, sed res diuersas significantes. Est enim, ut inquit Paulus, παρουλὶς abscessus circa gingiuas factus, qui nisi solutus fuerit, suppuratur. ἐπουλὶς uero ab eodem definitur, superflua caro ex inflammatione in extremo molari dēte, cui dolor quādoq; & febris iungitur. Celsus parulidas (licet corrupte in uulgatis codicibus parotides legātur) tubercula quędam dicit esse in gingiuis iuxta dentes dolentia. Haliabas auralem illud, hoc abulem uocat. Auicen. beralem & carnem additam.

*Parulis.* *Epulis.* *Celsi locus emendatur.*

Sanguinem quoq; emittūt ulcera, corrosionē, fistulas, rhagadáq; patiūtur, excarnes, laxæúe fiūt. Quæ omnia quū satis per se nota sint, nihil amplius hoc loco de eis dicemus, sicuti nec de labiorum tumoribus & scissuris: sed ad internas oris partes conuertemur.

DE ORIS VITIIS INTERNIS.

In his mala aduenīūt ulcera, pręsertim in pueris, ἄφθας Græci uocant. In antiqua translatione libri de medic. secundum loca, corrupte legitur asce. Quæ aut alba, aut rubra, aut nigra sunt, interdúmque crustas, his quæ ab igne fiunt non dissimiles, emittūt. Interdum quasi depascendo linguam & palatum erodunt. Auic. alcola uocauit, Haliabas calaba. In intima uero oris parte, ubi gulę et asperę arterię principiū, particula est à Gręcis γαργαρεὼν dicta: ueluti plectrum uocis existens: & iuxta eā utrinque uocata παρίσθμια. Gargareō hic, si fluctionem à capite suscipiens, longus & tenuis fiat, κίων uel κιονὶς, id est columna, uel columella dicitur: Inferiore eius parte crassa & orbiculari facta, σταφυλὴ, id est uua: παρίσθμια uero inflammata & superaucta, ἀντιάδες uocantur. Auicenna paristhmia, amygdalas: gargareonem, uuam nuncupat: & propterea caput, ubi de affectionibus utriusq; partis agit, de uua, & duabus amygdalis inscribit. Paristhmia & eorum inflammatio, à Celso tonsillæ nominantur.

*Aphthæ.* *Gargareon.* *Paristhmia.* *Cion.* *Columella oris.* *Staphyle.* *Antiades.* *Tonsillæ.*

AFFECTVS FACIEI.

Ab ore ad faciem trāseundum. In hac fiūt diuersæ uel passiones, uel dedecora. Pessima est, quā oris distentionem Celsus, Græci κυνικὸν σπασμὸν, Auic. torturā faciei uocauit. Sub oculis uero, quod uox ipsa Gręca designat hypopia, quę uox prolatione quidem alteri similis est, per quam affectū significamus, quem inter oculi mala numerauimus, in quo scilicet pus sub cornea uocata tunica continetur: scriptura tamen diuersæ sunt dictiones, sicut & significato: hæc enim per ο in secūda, & per υ in tertia syllaba scribitur, ὑπόπυα, & à pure deducitur: illa per ι in tertia, & in secunda per ω, & ab oculo originem trahit, ὑπώπια, quasi subocularem diceres, & dehonestat potius faciem quàm lædit, quum contrà alius sit inter malos oculi morbos numerandus. Sunt autē ὑπώπια hæc nigrores sub oculis contingentes, à sanguine compressis uenis exeunte, & sub cute permanente, suggillata Latini uocant: nec sub oculis tantum, sed quacūque parte ob ictum caro liuescit. De his egit Auicenna lib. 4. capite cui titulus est de sanguine mortuo, & lentiginibus magnis, & pano.

*Distentio oris.* *Cynicus spasmus.* *Hypopia.* *Suggillata.*

Fit præterea in facie à crasso humore tumor exiguus & durus, uocatus à Gręcis ἴονθος, Celsus & Plinius uaros nūcupant. Fiūt & συκώδεις quædam eminentiæ in loco barbæ, si tenuis & acris quædā ueluti sanies crassis humoribus misceatur, ficus Latini uocant, de quibus inter capitis affectus suprà loquuti sumus.

*Ionthus.* *Varus.* *Ficus.*

Fiūt & lenticulę toto quidē corpore, sed præcipue in facie, & cū maiori mulierū molestia, φακοὺς uocāt Græci.

*Lenticulæ.* *φακοί.*

Est & alia cutis leuior infectio, quæ sæpius ex mora in sole, aliquando ab alia non absimili causa fit, ἐφηλίδας uocant Græci.

*Ephelides.*

Est & uocatū στίγμα, quasi punctū dixeris uel uarietatē: alguasen Auic. nūcupauit: putauerim ego significari ea uoce infectionē quandam, qua uaria & quasi punctis quibusdam interstincta cutis uidetur. Vernicatam uulgò dicūt, uariegatam uolentes opinor dicere. apud Auicen. in 2. duobus locis, cap. uidelicet de kebikengoo, id est batrachio, & de iabrol, id est mandragora, pro stigmatibus legitur albaras. Sunt & alię faciei defœdationes, quę quū sint cæteris quoq; partibus communes, inferius loco suo tractabuntur.

*Stigma.*

COLLI MORBI.

Iam ad collum descendendum. Huic proprius quidam accidit morbus, quem βρογχοκήλην Græci uocāt: nostri herniam gutturis, & gutturosos qui eo morbo dehonestantur: uulgus botium. Est autem tumor inter cutem & asperam arteriam, in quo modo caro, modo humor aliquis melli, adipi, pulti, aquæue similis, includitur: interdū etiā, ut ait Celsus, minutis ossibus pili immixti, adeò ut ad apostematis genus, de quo inferius age

*Hernia gutturis.*

agetur, referri debeat.

Meminit etiam Hippocrates inter puerorum ægritudines alterius huius loci affectus, in quo ceruicis aliqua uertebra in interiora deflectitur.

*Opisthotonos. Emprosthotonos. Tetanus.*

Et grauis quidem hic: sed illi grauiores, quibus quodam rigore neruorũ modo caput scapulis, modo mentum pectori annectitur, modo intenta & immobilis ceruix manet: priorẽ Græci ὀπισθότονον, posteriorẽ τέτανον, medium ἐμπροσθότονον nominant. Nostri communi & una uoce tetanum. Auicen. cuzen, uel alcuzen. Celsus rigorem.

### MAMMARVM MORBI.

*Lactis superfluitas et caseatio. Pilo hausto mammas dolere. Trichiasis.*

Mulierum mammæ propria quædam & ipsæ habẽt mala: nam abundat supra modum in eis quandoque lac, ut propterea & doleãt, & inflammentur: σπαργῶντας eas uocant Græci. quandoque instar casei lac in eis concrescit, & χονδριῶντας appellant. Auicenna illud lactis superfluitatem, hoc caseationem uocauit. Interdum si forte pilum hauserit mulier, uehementissime dolet, magnaque sæpenumero interdum exoritur febris. τριχίασιν uocat Aristoteles hoc malum, Latini pilarem.

### DORSI MORBI.

*Hybi. Cyphi. Cyrti. Lordi. Regibbi. Scoliosi.*

Nec dorso sua quoque desunt mala: modo enim extrorsum spina flectitur, modo introrsum, modo in obliquum: ὑβὸς, uel κυφὸς, uel κυρτὸς primos Græci uocant, gibbos Latini: secundos illi λορδοὺς, Latini regibbos: tertios illi σκολιωμένους, Latini obliquos.

### OBSCOENARVM PARTIVM MORBI.

*Satyriasis. Error exemplarium cõmuniũ Auicennæ.*

Obscœnis partibus hi peculiares morbi adueniunt: σατυρίασις, quæ saltus quidam pudendi est, seminalium uasorum tentionem cum inflammatione sequens: & nisi saltus & palpitatio illa cesset, incurrere resolutionem, aut conuulsionem eorum uasorum patientes solent, celeriterque cum uentris tumore & frigido sudore intermori. Auicenna acrain, & arsacon uocat, mulieribus quoque faciens communem. Error tamen est in communibus exemplaribus, morbum frigidum dicentibus, quum calidus ualde sit. Paulus euenire quidem interdum ait mulieribus, sed raro.

*Priapismus.*

πριαπισμὸς auctio uirilis membri est secundum longitudinem & rotunditatem, apta permanere sine impetu ad uenerem. Auicenna scripsit de eo, capite cui titulus, De multitudine erectionis absque desiderio, & de priapismo. Haliabas priapismum erectionem, satyriasin titillationem nominauit.

*Phimosis. Periphimosis.*

Tegitur interdum penis glans, ita ut nudari non possit: Græci φίμωσιν uocant. Interdum ita est detecta, ut tegi non ualeat, & etiam φίμωσις uel περιφίμωσις à quibusdam nominatur.

*Gonorrhæa. Onirogmos.*

Exit aliquãdo uigilantibus semen nolentibus nobis, γονοῤῥοίαν Græci, nostri corrupto uocabulo gomorrheã uocant. Exit & per somnia, & uocant Græci ὀνειρωγμὸς, imaginariam uenerem Latini.

### MORBI TESTIVM.

*Racosis.*

Nec testibus sua desunt mala: laxata enim aliquando scroti cute, interioribus in sua sede manentibus, fit fœditas, quam Auicenna mollificationem uocat, Paulus ὀσχέου ῥάκωσιν.

*Enterocele. Ruptura. Hernia. Ramex.*

Aliquando fracto uel producto peritonæo, in scrotum corpus aliquod descendit. Et si intestini fuerit portio, ἐντεροκήλην Græci, Latini intestinorum ramicẽ, Auicenna rupturam, herniam, & ramicem.

*Epiplocele.*

Si descendit omentum, ἐπιπλοκήλην Græci, omenti ramicem Latini, Auicenna zirbi ramicem nominat.

*Hydrocele. Sarcocele.*

Si humor lentus, Græci ὑδροκήλην, Latini & Auicen. ramicem aquæ. Descendit etiã aliquando res quædã feci similis, aliquando sanguis, aliquãdo flatuosus spiritus, à rebúsque ipsis locum opplentibus singuli affectus nomen accipiunt. Interdum uero dura concrescit caro, & σαρκοκήλην Græci dicunt, nos carnosam herniam.

*Cyrsocele. Varicosus ramex.*

Interdum uenæ ultra modum repletæ glomerantur, κιρσοκήλην Græci, nos uaricosum ramicem dicimus.

*Epiploenterocele.*

Aliquando plura ex his miscentur, & nomen cõpositum affectio sortitur: apud Græcos tamẽ longe quàm apud nos commodius. Vbi enim omentum simul cum intestinis descenderit, ἐπιπλοεντεροκήλην uocant. Nos intestini simul & omenti ramicem possumus appellare, atque pariformiter reliquas.

*Bubonocele.*

At si corpora hæc non intra scrotum descendant, sed in inguine retenta intumescere locum faciant, βουβωνοκήλην Græci uocant, nos inguinis ramicem.

*Exõphalos. Vmbilicus prominens.*

Si uero in umbilico, ἐξόμφαλον Græci, Auicenna umbilici augmentum, Celsus prominẽtem, Plinius prociduũ umbilicum uocat.

### MVLIEBRIVM LOCORVM MORBI.

*Phimosis. Mysis.*

Sua etiam mala mulierum genitalia patiuntur: clauditur enim aliquando, uel à primo ortu, uel casu aliquo illud ostium, quod sæpius nimis patere uiri querũtur: clausas Auicenna uocat, Græci ἀτρήτους, id est, imperforatas, cum à natura, sed φίμωσιν, cum casu euenerit, appellant. Est & quando μύσιν.

*Proptosis.*

Descendit interdum uterus magis, minúsue: augmentum matricis Auicenna, Paulus προπτῶσιν, id est, casum uocat: Celsus os uuluæ procidisse tũc dicit, Plinius uuluarum procidentias uocat.

*Scirrhus. Scirrhoma.*

Duratur & plerunque uterus: & si hoc absque dolore fit, cum inæquali tumore & magna ad tactum repugnantia, σκίῤῥος simpliciter dicitur: si minus repugnat tactui & cum mediocri dolore est, σκίῤῥωμα. cõsistit hoc autem præcipue in ceruice eius.

*Thymi.*

Fiunt in eodem ostio uteri eminentiæ quædam, modo rubræ, modo albæ: & ferè absque dolore: quæ quoniam corymbis thymi similes existunt, θύμοι id est, thymi uocantur.

*Condylomata.*

Extolluntur interdum per ambitum ueluti tubercula sanguinem fundentia, quæ à similitudine extremorũ in pugno clauso in quatuor digitis nodorum, κονδυλώματα à Græcis uocantur. Hæc omnia eodem capite Auicenna cõprehẽdit, quod de hæmorrhoidibus bothor, & clauo in matrice apparentibus inscripsit.

*Nymphe.*

Crescit quibusdam νύμφη, id est, mẽbranosum id corpus quod in medio pudẽdi est, adeóque crescit, ut instar uirilis membri tendatur, & ad concubitum incitet.

Quibusdam caro adnascitur totum pudẽdũ implẽs, & in exteriora instar caudæ prominẽs, quæ à caudæ similitudine κέρκωσις à Græcis nominatur. De his agit Auicen. cap. cui titulus, de carne addita & longitudine allakie, & apparitione sicut uirga, & rei nominatæ sursus. Et hæc quidem mulieribus propria.

### VTRIQVE SEXVI COMMVNES affectus.

*Hermaphroditæ.*

Illud uero utrique sexui cõmune, quod utrũque utriusque sexus uideri facit: hermaphroditas Græci pariter & Latini appellant, quorũ tres in uiris differentiæ, una in mulieribus: in uiris enim similitudo muliebris pudẽdi, aliquando in scroto, aliquando in perinæo apparet, aliquãdo per mediũ scrotũ urina exit. In mulieribus supra pudendũ per pubẽ uirilis membri cũ duobus testibus forma prominet. Hæ sunt quę in obscœnis membris cõtingunt affectiones: in quibus describendis si obscœnis quoque uerbis usus uideor, ignoscẽdum est, alioqui nulla in uerbis turpitudo, si Stoicis credimus.

*In uerbis turpitudo nulla.*

### MORBI EXTREMORVM membrorum.

*Paronychia. Panariciũ. Reduuia.*

Extrema demũ membra, pedes uidelicet ac manus, proprios quosdam perpetiũtur affectus. Circa unguiũ enim radicem abscessus malus contingit, παρωνυχίαν Græci, Arabes & nostrates corrupta uoce, panaricium, Latini reduuiam uocant.

*Pterygion.*

Fit & eodẽ loco, maxime in pollicibus, manus quidem ferè post paronychiam, pedum uero ob ictum, ut propinqua ungui caro ita crescat, ut partẽ unguis abscondat: πτερύγιον Græci uocant.

*Scabri ungues.*

Nascitur & supra ungues asperitas quædam, λεπρὰς Græci, Plinius scabros, Auicenna baras, & lepram patiẽtes ungues uocat.

*Perniones. Chimetla.*

Fiunt & per hyemem in digitis pedum præcipue & in calcaneis, tumores quidam cũ liuido rubore, qui nisi cito occurratur, in ulcus transeũt, perniones Latine uocati, Græce χίμετλα, uulgò mugas, uel bucantias dicunt. Meminit Celsus inter ulcera, nec ullum eis peculiare nomen adscribit, sed ex hyberno frigore in pedibus manibúsque oriri dicit.

### DE MORBIS QVI CERTAM sibi sedem non determinant.

Et de his quidem exterioribus morbis, quæ peculiarem aliquam sibi sedem decernunt, dictum hactenus sit: si qua enim desunt, ad aliquod eorum quæ dicta sunt uel dicenda (ni fallor) referri ualent. Tẽpus est ut ad eos qui in toto corpore uagãtur, hoc est, qui nullam certam sibi sedem deposcunt, transeamus. Ex his quidam ad tumorum genus, quidam ad ulcera spectãt. Tumores aut ab humoribus fiunt, aut à flatuoso spiritu, qui quandoque sub cute, quandoque sub circumossali

offalibus membranis, quandoq; in uentre, quandoq; in inteftinis, quandoq; in medio horũ & peritonæi colligitur, quod Græci ἐμφύσημα, Auicen. apoftema uẽtofum uocat. Si ab humoribus, aut calidi, aut frigidi funt, aut mixti. Calidi aut fiũt à fanguine bono, & φλεγμονὴν Græci, Latini inflammationẽ uocant. Aut à bile, uel feruenti, & tenui fanguine, uel fanguine & bile calidioribus: ἐρυσίπελας illi, hi ignem facrum. Frigidi uel à tenui pituita, & illi οἴδημα, noftri laxũ tumorem uocare poffunt. Auicen. undimiam. Aut ab humore atræ bilis, uel craffa & tenaci pituita: σκίῤῥον illi, Latini duriciem, Arabes fephiros uocãt. Mifcẽtur aliquãdo fimul hi tumores: & fi alter alteri dominetur, dominantis nomen præponitur, ut phlegmone dominãte eryfipelati, phlegmonẽ dicemus eryfipelatoden. Si pares fint, per copulam coniungimus, phlegmonem dicentes & eryfipelas. Atque ad hoc exempli reliquos etiam, fi trium uel quatuor fit commixtio.

*Emphyfema. Phlegmone. Eryfipelas. Ignis facer. Oedema. Scirrhus. Phlegmone eryfipelatodes. Phlegmone & eryfipelas.*

Et hi quidem funt principales tumores. Sunt uero & nonnulli qui licet fub aliquo dictorum generum comprehẽdantur, uariis tamen ex caufis diuerfa fortiti funt nomina, ficuti phygetlon, phyma, & bubon, laxarum partiũ, quas Grçci uocãt adenas, affectus, φύγεθλον enim Græci uocant inflammationem eryfipelatoden, uel eryfipelas cum inflammatione. Celfus definit tumorẽ non altum, latũ, in quo quiddã puftulæ fimile eft, Panúmq; uocari à noftris dicit, ad fimilitudinẽ figuræ. φῦμα, quod tuberculum à Celfo dicitur, uocant tumorem qui cito augetur, & ad fuppurationem accel rat. Huius fpeciẽ Oribafius ftatuit τέρμινθον, cui fuprà infráq; adiacet bulla nigra, qua fracta excoriatio quædam apparet. hos uidetur Celfus helcodes nominaffe puftulas: bubonẽ, fimplicem eorum locorum inflammationem. Galen. lib. 3. in fextum Epide. Τέρμινθοι funt, inquit, adnafcentiæ quædam nigræ, in cruribus præcipue factæ, colore & magnitudine terebinthi fructui fimiles. Auic. fub cap. de Althohomo, uidetur hæc omnia comprehendiffe, curam tamen magis applicat peftilentiali: fequenti uero capite, cuius uidelicet titulus eft de Apoftematibus accidẽtibus in glandulis, ponit curam huiufcemodi tumorũ non peftilentialium.

*Phygethlon. Panus. Phyma. Tuberculũ. Terminthõ. Helcodes puftulæ. Bubo.*

Duritie fola à phymatibus differunt uocati à Græcis δοθιῆνες, ait Galenus. Celfus acutie etiã differre dicit, phymáq; rotundius & planius effe, & fæpe maius. Paulus δοθιῆνες funt, ait, tumores cum abfceffu à crafsis humoribus geniti, qui in carnofis præcipue locis confiftũt: & funt fatis mites, nifi cum profundi fuerint, quia tunc cõiunctam habent malignitatem. Auicenna de his fcribit capite de Aldemurenul. Celfus furunculos uocat, dicitque effe tuberculum acutum cum inflammatione & dolore.

*Dothienes. Furunculi.*

Sunt etiam prope phlegmonem, ut Galenus inquit, carbũculi & gangrçnæ: imò γάγγραινα, ait idem Galenus, inter maximas phlegmones eft reponẽda: quç ad mortem ducit membrum, & nifi præftò fanetur, prçter hoc quòd moritur facile patiens particula, tranfit quoq; ad proximas partes corruptio, & totius corporis uita aufertur. Retinet gangrçnæ nomen hçc affectio, donec infenfibile penitus factum eft membrũ, tunc enim à Græcis σφάκελος dicitur, à Latinis fyderatio, Auicenna corrupte afcachilon dixit, in eóque duos gradus intellexit. Quàndo enim ad partes continuas tranfit corruptio, efthiomenõ uocauit: quo nomine in alia re utũtur Græci, ficuti paulò inferius demonftrabo.

*Gangræna. Sphacelus. Syderatio.*

Carbunculus uero, quem ἄνθρακα uocant Græci, magna ex parte à bulla quadam exoritur, his fimili quæ ab igne excitantur: quandoq; fine ea, fed ita tamen ut pars læfa incendatur. Sequuntur unica, uel plures inftar miliĳ bullæ: quibus perfractis, ulcus cum crufta apparet cinerulenta, uel nigra, circunftánsq; caro flamminulenta fit & nigrefcit. Gale. lib. 6. de medi. fecundum genera, uidetur fub ulcere reponere. Ita enim definit: ἄνθραξ eft ulcus efcharam celeriter faciens cum forti totius cicunftantis particulæ inflammatione. Auic. de eo fcribit cap. de pruna & igne Perfico.

*Carbunculus. Anthrax.*

A fanguine quoq; fit, uocatum à Græcis ἀνεύρυσμα, noftri corrupta uoce emporifima, & matrem fanguinis dicunt. Fit autem quoties aperta arteria cutis fuperiacens integra eft. Spirituofus enim fanguis ab arteria exiens in altum cutem attollit.

*Aneuryfma.*

Et hi quidem tumores ad genus φλεγμονῶν pertinent. Ad eryfipelata uero uidentur aliquo modo referri, uocati à Græcis ἕρπητες. Fiunt enim & hi à flaua bile, fed alteri humori commixta: ex quibus uocatus ἕρπης ἐσθιόμενος fit à bile craffa & acri, quæ totam cutem ad carnẽ ufq; exulcerat. Herpes autem fimpliciter dictus, qui folam fuperficiem quafi urit à tenuiore: ficuti miliaris à tenui minúsque acri & calida, & propterea pullulas paruas in cute excitat milio fimiles. Aëtius & Oribafius mixtam bili pituitam, hunc facere tradiderunt. Auicenna formicas tria hæc mala uocauit, nominisq; fimilitudine deceptus, quoniam Græci μυρμηκίας, id eft formicas, genus quoddam uerrucarum uocant, eodem capite uerrucas illas cum herpetibus turpifsimo errore cõmifcuit. Quẽ lapfum, ficut alios multos, ante nos agnouit Nicolaus Leonicenus, in extirpandis barbarorũ erratis cenfor acerrimus. Celfus fub ignis facri nomine hæc uidetur fignificaffe.

*Herpetes. Herpes efthiomenus. Herpes miliaris. Formica. Error Auicennæ. Laus Leoniceni.*

A bile etiam ferè proueniunt φλύκταιναι à Grçcis uocatæ, de quibus ait Auicenna capite de ueficis & inflationibus.

*Phlyctænæ.*

Ad tumores pituitç pertinent nonnulli tumores fub apoftematis nomine à Græcis cõprehenfi, ab Haliabate felaa dicti, Auicẽ. nodos uocat. Quorum iuxta diuerfas materias in eis contẽtas diuerfç funt fpecies. Si enim ueluti adeps fit, quod continetur στέατωμα à Græcis, à noftris adipinus nodus nominatur. Si ueluti mel μελικηρίς ab illis, à noftratibus melleus nodus. Si ueluti puls, ἀθήρωμα ab illis dicitur.

*Steatoma. Meliceris. Atheroma.*

Eft & apoftematum huiufcemodi genus in quo res aliæ continentur, ut ueluti cœnum, urina, trombus, mucus, offa, ungues, pili, lapides, arenæ, oftraca, ligna, carbones. huius mentionem fecit Auicenna capite infcripto, de exituris calidis, & dicit fe de eo tractaturum inter dubelet frigida: nullum autem eft caput tali infcriptione, de exituris frigidis, nec ad aliud caput referri poffe uidetur, præterquam ad nodos quos definit dubeleta pituitofa.

*Diuerfæ res in apoftematibus contẽtæ.*

Huc quoq; fpectant uocata à Græcis γάγγλια, ab Auicenna glandulæ. Differũt à uocatis nodis, quia oblique tantum mouentur, non autem uerfus exteriora & interiora, ficuti illi: ftupidúmq; quendam, dum premũtur, fenfum præbent. Eueniunt, inquit Paulus, in pluribus corporis partibus, fed in his præcipue quæ mouentur, ut manibus pedibúsue. Et licet Auicenna, ut diximus, de his fcripferit proprio capite de glandulis infcripto, eorundem tamen (quanquam, ut arbitror, inconfiderate) mentionem fecit in tractatu de nodis, circa finem capitis quarti & quinti, inueniri nodos proprie in iuncturis dicens, & conftrictione cum rebus grauibus curari.

*Ganglia. Glandulæ.*

Scrofulæ quoq; uulgò uocatæ, à pituita fiunt, quæ nihil aliud funt, quàm indurati adenes, in collo, alis, & inguinibus præcipue confiftentes, dicũtur à Græcis χοιράδες, uel à chœradibus petris per marinas aquas tranfparẽtibus, uel à fuibus multiparis animalibus, & eo morbo frequẽter affectis. Latini uocant Strumas. Et hi quidem funt tumores à pituita generati.

*Scrofulæ. Chœrades. Strumæ.*

Ad eos qui atræ bilis funt, pertinent uocati Cancri, de quibus fuperius etiam aliquid tactum eft, à Græcis καρκῖνοι & καρκινώματα, uel quia uenæ circa eos plenæ, & extentæ inftar pedum animalis cancri funt, uel quia adeò pertinaciter hærent loco quem apprehendunt, ut cancer animal. Fiunt ab atra bile efferuefcente: quæ fi acrior fuerit: ulceratos cancros operatur. Celfus Cancrum à carcinomate ita feiungit, ut illum ab his quæ extrinfecus incidunt, oriri dicat & ferpere, hoc corrupta interius aliqua parte innafci. Cancrum in multas fpecies deducit, eryfipelas fcilicet, gangrænam, & ulcus nigrum.

*Cancer. Carcinoma.*

Ab his differt uocata à medicorum uulgò Lepra, uel S. Lazari morbus, & à Græcis ac Latinis Elephãtus, uel ἐλεφαντίασις, quòd eam faciens humor non eft unico loco, ut in Cancro, contentus, fed in totam exteriorem partem expellitur: qui humor, ut ait Galenus, ab initio eft fanguis, atræ bilis naturam habens: procedente uero tempore exacte ad atram bilem conuertitur, quo tempore fœtidi & afpectu horribiles funt huiufcemodi morbum patientes.

*Lepra. Elephantus.*

Cauendum autem ne nomine decepti hunc morbũ cum elephantia Auicen. & multorum Arabum confundamus, qui elephantiam definiunt pedum tumorem. Cauendũ & illud, ne recentiores quofdam fecuti, morbum, qui Gallicus uocatur, elephantiã putemus. Nã, ut

infer

*Error circa morbũ Gallicum.*

inferius, Deo dante, ostendemus, nouus hic morbus Gallicus uocatus, ut nouus est, ita & antiqua caret nuncupatione. Cauendum demum, ne quis eadem uocum similitudine deceptus, uulgarem hanc lepram, quæ, ut dictum est, elephantia à Græcis dicitur, eandem putet cum morbo à Græcis lepra uocato: hæc siquidem adeò similis scabiei est, ut uix ab ea discernatur, ambæque solam cutem occupant: cùm elephãtia carnem quandoque totam depascatur, & ad ossa usque ingrediatur. Vt uero discrimen lepræ à lepra noscatur, non ab re fuerit naturam Græcorum lepræ melius declarare, præsertim cum & ipsa à simili humore, atræ scilicet bilis generetur.

*Lepra Græcorũ alia est à lepra recẽtiorum.*

*Elephantia.*

*Lepra & psora in quibus conueniant, differántue.*

Sciendum igitur λέπραν & ψώραν affines esse affectus, asperedinem uidelicet cutis cum pruritu, & corporis colliquatione, ab eodémque fieri humore, id est, atra bile, differre, quòd λέπρα cum manifestis squammis cutem profundius per circulum depascitur, ψώρα superficiem: tantum uariis figuris lædit, & furfuracea quędam corpora remittit. ψώρα à Latinis scabies uocatur: lepra nomen suum ideo apud Latinos seruauit, quia aliud non inuenit. Licet sint nonnulli qui impetiginem uocari à Celso contendant, quum tamen ab ea manifeste . . ferat, sicuti intellecta impetiginis natura facile dignoscetur. Est enim impetigo, id quod Græci λειχῆνας uocãt.

*Psora & scabies idem.*

*Impetigo.*

*Lichenes.*

Fiunt lichenes, teste Galeno & Paulo, mixtis saniebus, tenuibus & acribus, cum aliis crassis, & celeriter in lepram & scabiem transeunt. Non sunt igitur lichenes lepra, si proprie loqui uolumus, alioqui idem in seipsum mutaretur. Definitiones etiam in libro definitionum positæ, quanquam liber ille nec Galeni sit, nec Galeni dogmatis in multis consentiat, ostendunt res esse diuersas, leprámque addere supra lichenas cutis, in contrarium habitum mutationem, dolorem, & squammarum resolutionem. Est igitur impetigo Latine dicta, λειχὴν Græce, leuis cutis infectio, uulgò dicta uolatica, quæ dum talis manet, cum sola uidelicet cutis aspredine ac pruritu, impetiginis nomen retinet: dum peior fit, nomen, sicuti & formam mutat. Si enim manifestas squãmas facit, satisque profunda est, Lepra dicitur: si per extimam tantum superficiem extenditur, & furfuracea corpuscula emittit, ψώρα Græcis, à nobis scabies uocatur. Sciendum tamen non omnem cutis infectionem uulgò, & à medicis etiam multis uocatam scabiem, esse puram & ueram scabiem: sed quemadmodum diximus impetiginem in scabiem aut lepram transire, ita dicendum scabiem in alios frequẽter mutari morbos, ipsa quoque scabie simul uel in eadem, uel in alia corporis particula permanente, ut furunculos, phlegmonas, erysipelata, rhagadas, profunda & crustacea ulcera, psydracia, exãthemata, herpetas, & id genus multa.

*Galeni non esse librum qui inscribitur, Definitiones medicæ.*

*Impetigo quæ proprie.*

*Lepra.*

*Psora.*

*Scabies.*

*Scabiei nomen late patere.*

Latius igitur patere scabei nomẽ apud nostros liquet, significari tamen proprie per illud, affectum à Græcis ψώραν uocatum, adeò notum est, ut mirari satis non possim, fuisse apud nos magni nominis uiros, qui Albaram nigram Auicennæ, scripserint esse psorã Pauli, & Græcorum, præsertim cum legerẽt apud Auicennã, albaram nigrã emittere squammis piscium similia, esse uehementer asperam, adeóq; malignã, ut præuia sit ad lepram suã, id est, elephantiam, affectio, & quòd nõ sanatur si sit antiqua: quæ nemo nescit scabiei, uel quod idem est, psoræ, non cõuenire, quam in superficie magis consistere scripsit Paulus, nec squammis pisciũ, sed furfuri similia emittere, ut suprà quoq; ostensum est.

*Error quorundam in Albaras.*

Omnia autem hæc melius cognoscentur, si Albaras ab Auic. uocatæ, & Morpheæ eius sociæ natura explicetur: quarum tanta est affinitas, ut eodẽ capite de utraq; scripserint autores, & Celsus uno uitiliginis nomine utranq; comprehenderit.

*Vitiligo.*

Est autem Vitiligo, si genere quodã comprehendatur, fœdus cutis color, ex malo particulæ habitu proueniens, nutrimentum bene assimilare non potentis: eiúsq; alia solã cutẽ inficit, alia altius descendit, adeò ut carnem quoque contingat, ac pilos coloret, & utraq; albo uel nigro præcipue colore commaculet. Primam, id est, eã quæ sublimior quum sit, solã attingit cutem, siue alba, siue nigra sit, Græci eadem uoce ἄλφον uocãt, Auicenna Morpheam. Celsus uim uocis sequutus, albã, leucam alphon: nigram, melã nominauit. Altera, quam profundiorem dixi, à Græcis, & Celso leucæ, ab Auicenna & ferè Arabicis autoribus albaras dicitur. ferè dixi, quoniam Haliabas leprã uocauit. Eam, sicuti & primã, Auic. in albam & nigram diuisit, diuisione utiq; uocis in sua significata, non generis in species: ipso etiam met Auic. teste, nigram genus esse diuersum ab alba dicente, eámq; tali modo describente, ut, quemadmodum superius notauimus, ambigi non possit, quin eũ affectũ intellexerit, quẽ Græci λέπραν uocãt: ut uel ex his intelligi possit, quàm parum nominibus sit fidendũ, nisi res bene fuerit explorata: quando & lepræ nomen leuẽ morbum apud Græcos, à scabie nõ multũ differentẽ, apud Auic. grauissimum, ac perniciosissimum, apud Haliab. fœdum quidem, & difficile curabilem, nõ perniciosum tamen significat. Et hoc nomẽ Albaras apud Auic. modo ἄλφον, modo Græcorum leprã. Et de his quidẽ satis, & fortè plura quàm desiderares. Sed nominum confusio longiorẽ me esse coẽgit, ut scilicet rerum confusio, quæ ex nominibus non bene intellectis sequi solet, effugeretur.

*Alphos.*

*Morphea.*

*Leucæ.*

*Albaras.*

*Tria significata à diuersis per lepræ nomen.*

*Verrucæ.*

Ferè autem & hi affectus ab atra bile procedunt, ad quam etiã referuntur uerrucæ ab Auicenna uocatæ Latina uoce, quæ proprie editiorem montis partem significat. Quoniam igitur tumores isti instar monticulorũ quorundam in cute eminent, ideo uerrucæ dicti sunt: à uulgo porra dicuntur, quia quandoq; intra se fila quædam continent porrorum radicibus nõ dissimilia. Gręci nomen nõ habent quo omnia genera complectantur, sed quanq; proprio nomine speciem nuncupant. ἀκροχορδόνας quidem eas quæ sub cute coëunt infrà tenues, ad cutem latiores, ita ut suspẽdi uideãtur. Auicenna clauos. Quę è econtrario se habent, hoc est, ima parte qua ad cutem uergũt, latiores, suprema angustiores, uocant μυρμήκια, ac si formicales diceres: quoniam dum attrectantur, morsui formicarum similem inferunt dolorem, ἥλους illi, nos clauos. Auicenna almisimar, albas rotundas clauorum capiti similes: quæ aliјs quidem partibus, præcipue uero digitis, plantísq; pedum contingunt, cum dolore & incedendi impedimento.

*Acrochordones.*

*Myrmecia.*

*Elos.*

Est & uerrucula fabæ Græcæ magnitudine super corpus iacens, ima parte & ipsa tenuis, summa latior & aspera, unde & sanguinem quandoq; fundit in manus, & pedis planta, feminibus, præcipue uero circa pudenda contingens: Græci & Celsus thymum, uel thymium uocant, quoniam thymi herbæ capita repræsentat. Auicenna uidetur tusium, uel, ut alia habet litera, tarsecum nominasse, reponíq; inter uerrucas dicit: licet ab eis eo differat, quòd saniem, uel materiam quandam (ut Hebræi legunt) sub se continet: melius tamen legemus sanguinem, quoniam (ut superius dictum est) thymi quãdoq; sanguinem fundunt.

*Thymũ uel thymium.*

Ex uerrucarum quoq; genere sunt uocata ab Auicenna cornua, non alio à cæteris distantia, quàm quòd cũ oblonga sint, instar cornuum recuruantur.

A clauis non magnopere differunt calli, τύλους quos uocãt Græci, nisi quòd per se indolorosi sunt, eodẽ quo cutis colore, neq; sponte, sed ex labore obdurata cute gignuntur.

*Tylli.*

*Calli.*

Ad atrã quoq; bilem spectare uidetur morbus, quẽ Auicenna uenam medeni, Haliabas uenam saniosam, Græci δρακόντιον uocãt, à sanguine atræ bilis naturam habente, uel ab exusta & ualde sicca pituita. Vermi quædam similia corpora sub cute consistunt, quæ & locum instar animalis mutare uidentur, & progressu temporis suppurationem in membro faciunt cum dolore. Aliqui uerum animal esse dicunt. Alii uideri quidem animal, sed non esse. Ab hac animalis forma dracontij nomen accepit. Infrequẽs, uel nullus est hic morbus in occidentali plaga, frequens in India, & Aegypti superioribus. Appellant quidam uenam ciuilem.

*Vena medeni.*

*Draconttium.*

Accidũt præter magnos hosce quos recensuimus tumores, in corporis superficie non infrequentius, paruæ quædam uel eminẽtiæ, uel maculæ: illas pustulas uel bothor, has cutis defœdationes uocant: quæ licet & inter se, & ab his tumoribus quos suprà nominauimus, differant, ab eisdem tamen humoribus fiunt, à quibus & magni, maioris tantum minorísue ratione distãtes. Harum pustularum nonnullas, à sermonis consequentia & uocum similitudine tracti, superius numerauimus, sicuti lepram, scabiem, impetiginem, alphõ, leucen: nũc reliquas percurramus, ab his orsi quæ maiorem habẽt ambiguitatem, & in quib. magnos nostro æuo medicos anhelantes uideo desudasse, identidem inquirẽtes, sub quónam nomine de illis loquuti sint antiqui. Hæc sunt quæ uariolæ & morbilli ab Auicẽna, à Raze exanthem

*Pustulæ.*

*Bothor.*

themata, & eulogium nuncupantur: nisi in hoc quoq; errarit Valla Placentinus, eius libri interpres, qui de pestilentia non rectè ab eo inscribitur, alioqui rarò non errare in suis interpretationibus assuetus. Allaharauius algidra & alhasba nuncupauit. Qua in re (mea sententia) non erat multum laborandum. Si enim uariolæ (ut uoluit Auicen.) sunt pustulæ sanguineæ, & morbilli ex bilis sanguinisque fiunt mixtione, nihil certe addunt supra communem pustularum rationem, nisi quòd per modum crisios, hoc est, cuiusdam ueluti iudicij, in malignis quibusdam febribus contingunt, & epidemialium contagiosarumque ægritudinum more, & pluribus eodem tempore accidunt, & de uno in alium uagando pertranseunt. Nihilque supra earundem pustularum curationem, nisi quòd repellendæ non sunt, sed potius ueluti naturæ opere genitæ, morbi materiam in ignobiliores partes expellentis, iuuandæ omni ingenio & prouocandæ. Quisquis autem hoc nouit, frustra est de nomine sollicitus, quum quocunque nomine uocitentur, eandem curationem desiderent. Si quis tamen pertinax adeò fuerit, ut morbum non posse curari putet, eius proprio ignorato nomine, pergátque adhuc inquirere, sub qua uoce de eis scripserit Galenus, dicam uocari ab eo exanthemata, quòd aperte cognoscitur legenti cap. 11. lib. 5. artis curatiuæ, ubi pustulas in quadam pestilentia in asperarum arteriarum interiore tunica, totáque extima corporis parte contingentes, non alio quàm exanthematum nomine appellauit. Nec mirari quispiam debet, si superius inter morbos capitis & faciei exanthemata numeraui: non enim hoc maiore admiratione dignũ, quã quòd erysipelata, aphthas, ophthalmias, atq; aliorum morborum plurimos qui in ea pestilentia uagabantur, eisdem nominibus appellauerit, quibus dum seorsum & sparsim adueniunt, appellare consueuit. Si quis uero adhuc aliud nomen inquirit, legat Hippocratem tertio libro Epidemiarum, in pestilenti constitutione aduenisse inter alios morbos dicentem, magna ecthymata. Quem locum enarrans Galenus, nuncupari ait ἐκθύματα tumores sponte in cute florentes, à crassis humoribus genitos: additque, quòd tenues humores exulcerationem potius faciunt quàm tumorem: crassi in tumorem cutem extollunt. Ex quibus certe uerbis licet colligere, non solum quo nomine uocati hi morbi ab antiquis sint, sed quo modo etiam inter se differant. Variolæ enim & scopuli à uulgò lingua Italica uocati, à materia fiunt crassiore, morbilli à tenuiore: & illi quidem ecthymata, magna quidem scopuli, minora uariolæ. Hi, hoc est morbilli, herpetes nominantur, de quibus eodem loco ait Hipp. Herpetes multi magni. Magnos, ait Galenus, Hippoc. dixit, uel quia magnũ occupant locum, uel quia cum maligna cõtingunt erosione. Vidimus autem nos morbillos, quandoque altero tantum, quandoque utroq; modo magnos. Et de horum quidem morborum nomine hæc sufficere puto, nisi quis Latinum nomen adhuc desideret: cuius desiderio satisfacturi, dicimus à Plinio uocari papularum, & interdum pituitæ eruptiones. Addunt medici Arabes, Zoar præsertim & Isac peculiare quoddam his morbis, quòd uidelicet ex malignitate sanguinis fiunt, quo in utero matris nutrimur, dum uel ab interna uel ab externa causa ueluti ebulliens efferbuerit: & propterea necessariò cuiuis homini uel semel contingunt. Quæ res ut non temere credenda, ceu sine ratione narrata solum, non probata: ita non obstinatè penitus reiicienda, quando in eam communis uulgi sententia concurrit, Aristotele monente uulgarem famam non omnino inanem esse solere. Verum autem id sit uel non, haud multum referre puto, quum propterea non sit uarianda curatio: licet frustratoria uideri sic putantibus possit præseruatio: frustra etenim cauetur quod uitari nullo modo potest. Nisi dilatio, præseruatio quædã dicenda sit, quam & in morte ipsa omnino ineuitabili, omni ingenio molimur.

*Variolæ. Morbilli.*

*Morbillos Variolásq; uulgò dictas à Galeno uocari exãthemata.*

*Ecthymata.*

*Variolæ. Morbilli. Scopuli à qua materia fiant.*

*Magni herpetes qui.*

*Papularum uel pituitæ eruptiones.*

*Arabũ sententia de uariolis, cui nõ repugnat opinio Manardi, et uulgi.*

Sed de uariolis cum multa dicta sint, reliquas pustulas breuiter, quantum fieri potest, percurramus, à uaris incipientes, quos nolim quenquam uocis similitudine deceptum, idem esse cum uariolis arbitrari. Hos, ut superius annotaui, ἴονθοι Græci, lingua uernacula uulgus apud nos (ni fallor) cossi. Sunt autem tubercula duriuscula: in facie præcipue contingentia, quæ uel resoluuntur, uel exiguo ingenito pure maturantur. Paulus Aegineta, & ante eum Galenus, ἴονθους definit exiguos & duros in uultu tumores. ἐπινυκτίδας definit Paulus ulcuscula instar bullæ exeũtia, subrubra, quibus eruptis effluit sanies subsanguinea: in die quidem non ualde, noctu uero multò magis quàm ulceris ratio exposcat affligentia. Pollux, pustulas subliuidas modice tumescentes & plenas sanguinis in tibiis & pedibus, ferè noctu maxime infestantes: à quo nominat Plin. pustulas liuẽtes, ac noctibus inquietantes. Quas definitiones si quis cõtulerit his quæ de essere ab Auicen. scribuntur, & de saire ab Haliabate, procul dubio iudicabit eundem affectum ab utroque nomine significari.

*Vari. Ionthi.*

*Pustulæ liuentes.*

Si quis uero nomina attendat, Plantam noctis ab Auicen. uocatam esse Græcorũ ἐπινυκτίδα, putabit, à nocte enim uox & ipsa Græca originem trahit. Si remedia utroque capite apposita percurrerit, anceps in initio remanebit. Siquidem cap. de essere, nullum ex his inueniet quæ à Græcis in epinyctide præcipiuntur, sed ea ferè exscripta ab his quæ legũtur apud Serap. cap. uero de planta noctis, cognoscet ipsum Auicennam, Rasim Almansorem sequutum, ubi agit de alhasapho. Quod autem mihi de his pustulis uidetur, est, quod Græci ac Latini epinyctida, id Arabes essere, sere, uel saire uocare, Quod Græcis sunt ἱδρῶα, Latinis quibusdam sudamina, Plin. papulæ sudorum, id Auicen. esse plantam noctis, & Rasi alhasaphum. Sunt autem sudamina hæc, Galeno teste, aphor. 21. libr. 3. ex genere pustularum in summa corporis parte hærentium, quæ instar ulcerum cutem exasperant, fiúntque (ut nomen ipsum indicat) ob multos sudores uel biliosiores, uel mordaciores, cutem mordentes & pruriginosam reddentes, ac per modum ulcerum exasperantes. Hæc Galenus. Ex quibus satis nota sit hæc affectio, puerulis atq; iuuenibus, his præcipue qui biliosi natura sunt, æstus tempore communis, adeóque facilis curationis, ut per se absque ullo præsidio albicantibus quibusdam squammulis dimissis sanescat. Epinyctis tantum abest ut facilis dici debeat, ut eam Celsus pessimam pustulam esse dixerit, colore uel subliuido, uel subnigro, uel albo, nec faba maiorem, in eminentibus partibus orientem, & fere noctu. Plinius, quod & suprà diximus, pustulam liuentem noctibus inquietantem: quæ conditiones malam potius quàm bonam pustulam indicant. Vnus tamen adhuc restat scrupus, quoniam Auic. præter capita illa ubi de sere & de planta noctis agit, aliud quoque scripsit, cui titulum fecit, Desudationes, quæ nomine ipso uidentur respondere his quæ à Græcis ἱδρῶα dicuntur. Quem amouentes scrupum dicimus, non tam nomina ipsa apud barbaros sequenda; quàm rerum descriptiones: quas si in his Auicennæ desudationibus sequamur, eas potius exanthematibus Celsi, quàm sudaminibus Galeni uidebimus respondere.

*Planta noctis.*

*Hidroa.*

*Sudamina.*

*Epinyctis pustula pessima apud Celsum.*

*Desudatio quid apud Auic.*

Legitur apud Auicen. libr. 4. cap. de bothor leuibus, quæ dubio procul sunt quas pustulas albas uel lacteas Rasis & Serapion uocauerunt: apud Græcos uero nullum nomen inueni quod uideatur Arabicæ illi nomenclaturæ respondere: sed quum remedia quæ ad eum affectum ab Auicen. facere scribuntur, à Dioscoride ad ephelidas præcipiantur, uideri potest, quod Græci ἐφηλίδας, id Arabes appellasse pustulas lacteas leues uel albas: descriptio tamen earum ad ionthos potius pertinet, de quibus inter morbos faciei superius meminimus, & post uariolas.

*Ephelides. Pustulæ lacteæ.*

Mentio est quoque apud eundem Auicen. libr. 3. de quibusdam pustulis quas iuncturarum bothores uocat, & libro 4. aluatim: quas quum nigras esse dicat & uiridibus granis similes, proculdubio erunt quę à Græcis authoribus τέρμινθοι uocantur, à nobis suprà inter phymatis species enumeratæ: siquidẽ Arabes, (ut constat ex Auicennæ lib. 2.) terebinthi fructum granum uiride nominant, has uidetur Celsus similes uaris facere, & dici à Græcis ἑλκώδεις, id est, ulcerosas putare.

*Terminthi.*

Sunt & pustulæ apud Auicen. lib. 4. glandosæ dictæ, quæ differre à Gãglio non uidentur, nisi maioris minorisue ratione.

*Glãdosæ pustulæ.*

Latini autores, præter eas quas superius enumerauimus, quarundam pustularum meminerunt, quæ à nobis prætermittendæ non sunt, ne prudentes scientésq; uideamur aliqua præteriisse, quæ huic nostro instituto & tuo desiderio essent necessaria.

Celsus inter pustulas meminit phyzacij, pustulæ parũ durioris, subalbidæ, acutæ, ex qua quod exprimitur humidum est. Ego quum physacij nomen nuspiam le-

gerem, corruptam dictionem putaui, próq; ea legendum psydracium, de quo superius inter capitis morbos loquuti sumus. *Psydraciū.*

*Impetigo et lichen idem sunt contra Plinium.*

Scribit idē Celsus de impetigine, eiúsq; quatuor species facit. Quod magno argumento est, aliam rem eum intellexisse quàm lichenas: siquidem nullum legimus Græcum autorem, tot genera in lichene agnoscentem. At è diuerso Plinius in Principio libri 26. scribens lichenas omni æuo priore non Italiæ modo, uerumetiam uniuersæ prope Europæ incognitos, tanta fœditate, ut quæcunq; mors præferenda esset: tanta contagione, ut osculo solo ueloci trāsitu inficerēt, mentagrámq; Latine appellari: nec nominis impetiginis ullam mentionē faciens, rem omnino aliam ab impetigine uisus est eo loco significasse, longéq; peiorem affectum, quàm quē Græci lichenis nomine intellexerunt. Licet in medicinis quandoq; Græcorum lichenes impetiginem sit interpretatus: & apertissime libro 20. cap. 1. lichenē esse Latinis impetiginem dixerit, sicut psoram scabiem. *Mentagra.*

*Papulæ.*

Est præterea apud eundem Celsum post impetiginis tractatum, capite in quo de duplici scribit papula, una leuiore, altera maiore, quàm ἀγρίαν, id est, feram dicit à Græcis appellari: in utroq; tamen genere minus uitii quàm in impetiginibus agnoscit, adeò ut id quod difficilius sanescit, nisi sublatum sit, in impetiginem transire dicat.

Hæc omnia cum diligentius considerarem, atq; his conferrem quæ à Græcis, Galeno præcipue & Paulo de similibus affectibus scripta sunt, tandem in hanc sententiā ueni. Quæ sub duobus nominibus impetiginis scilicet & papularum, à Celso, & à Plinio sub lichene comprehensa sunt, per plura à Græcis significari: fieri tamen omnia ex tenuibus acribúsq; humoribus, diuersis portionibus cum crassioribus admixtis: quam miscellam Galen. & Paul. in lichenibus ostenderunt. In quibus eā quoq; pro lichene agnouisse Galen. uidetur, quam lib. 26. Plin. in Italiam Tiberii Cæsaris temporibus primum importatam testatur: quinto enim libro de medicamētis secundum loca, fœdissimam quandam impetiginē fieri in barba dicit, cum angustia, & pruritu, & quę serpendo quādoq; ad oculos usq; pro cedit. Meminit præterea ionthosi cuiusdā affectus, quem principium esse dicit elephantiasis, sub quo affectu uidetur tertium & quartum genus impetiginis Celsi comprehēdisse. Auicenna affectum elephantiasin præuenientem, albedsanem nuncupauit: cæteri Arabes alguasen, qua uoce Auicenna aliā rem intellexit, quam nempe suprà diximus Græcos σίγματα uocare. *Stigmata.*

Hæc sunt quæ de minoribus his tumoribus pustulis uocatis mihi occurrêre. Eueniunt præter maiores minoresq; quos recēsuimus tumores, exteriori cuti nonnulla, quæ licet minime lædant, quia tamen dehonestāt, maiori plerunq; tædio præsertim mulieribus sunt, quàm multi, lædentes quidem, sed latentes morbi. Horum quædam consequentia sermonis tracti suprà enumerauimus, deinceps quæ supersunt percurrere conabimur. Inter hæc præcipui sunt qui à Græcis σπίλοι, Plinius modo maculas, modo uitia cutis uocat. Est tamen ubi pro spilis uaros uerterit: &, quod magis quispiam miretur, furunculos recentiores panū appellant. Cauendum autem ne similitudine uocum decepti, quod nonnulli alioqui magni nominis medici peccarunt, cū panos apud Plin. legimus, eandem cutis maculam intelligamus: panus enim Plinio, quod & suprà monuimus, est φύγεθλον Græcis. Apud Serap. non semel pro spilis legitur liuor: apud Auicennam pro ephelide quandoq; panus. Maculas albas uocat aliquādo Serapion ἄλφους Græcorum, sicuti cap. de faba & de rubia tinctorum. μελανίαι Græce, Latine nigrores: cicatrices nigras Græci οὐλὰς μέλαινας. Rugæ Græce ῥυτίδες. Liuores Græci πελιώματα. Auicenna uestigia percussionis. Huiuscemodi tamen uerberum uestigia uibices proprie Latini uocant. Vestigia sanguinis, cap. de aceto, in Auicēna legimus pro hypopiis, de quibus inter faciei uitia suprà loquuti sumus. Et cap. de calamēto, pro eisdem hypopiis habentur uestigia nigra. ἴκτερος, inquit Paulus, est effusio bilis uel flauæ uel nigræ in totum corpus: regium morbum Celsus & arquatum: Plinius fellis suffusionem: sunt qui auriginem, ab auri pallore: medicorum uulgus icteritiam.

*Spili. Maculæ. Cutis uitia. Aliud signi-ficari per Panū apud Plinium, & apud recen-tiores. Maculæ al-bæ. Melaniæ. Cicatrices nigræ. Rugæ. Peliomata. Vibices. Vestigia san-guinis. Vestigia ni-gra. Icteros. Regius mor-bus. Arquatus. Aurigo.*

## DE SOLVTIONE CONTINVI.

Fiunt præterea exterioribus in membris uariæ integritatis continuitatísue solutiones. In carne quidem ἕλκος dicitur, inquit Galenus, id est, ulcus, sicuti & uulnus. Auicenna plagam uocat, ubi nondum est pus, & ulcus ubi iam adest. In osse κάταγμα, uel ἄγμα, id est, fractura. In neruo σπάσμα, id est, conuulsio: & est cōtinuitatis solutio, absq; uulnere contusis neruorum fibris. Huius generis est & ἀπόσπασμα, id est euulsio, quod fit in coniunctionibus, hoc est ligamentis. Et ῥῆγμα, id est, ruptio absq; uulneratione in carne facta. sicuti & θλάσμα, id est, contusio uel collisio. fiunt duo hæc ex uiolento ictu, aut casu, aut uehementi alio motu, aut quia subitò & repente præter modum membra intenduntur. ἐγχύμωσις & ἐγχύμωμα, id est, effusio, magna ex parte fit cū ruptione & contusione: aliquando uero ex reseratione aperturáue uasis. Et ea quæ uocatur à quibusdā διαπήδησις, id est, dissultatio, altero quodam solutæ continuitatis genere: sanguis enim exiliendo ex uenis, sub cute ἐγχύμωσιν facit.

*Vlcus. Agma. Spasma. Apospasma. Rhegma. Thlasma. Enchymosis. Diapedesis.*

Soluitur interdum continuitas ex corrosione, ἀνάβρωσιν uocant Græci: sed hæc ægritudo composita est, quoniam secum habet ægritudinem aliam in quantitate diminuta, deficiente scilicet ea parte quæ est erosa. Fit corrosio uel ab interno, id est, ab humoribus malis ero dentibus: uel ab externo, igne uidelicet, aut similem ei uim habentibus medicamentis. Facta ab interno, si ossa uitientur, ab Auicenna & recentioribus spinæ uentositas uocatur. *Corrosio. Spinæ uentositas.*

Fractura, quam κάταγμα & ἄγμα diximus à Græcis uocari, quum simpliciter profertur, de caluariæ, hoc est cranii fractura, interdum à quibusdam solet intelligi: cuius ut plures sunt modi, ita diuersa sunt apud Gręcos nomina, taliáq;, ut uix possint Latine bene exprimi. *Catagma. Agma.*

Inter hos modos, siue species malis appellare, prius est ῥωγμὴ à Græcis dicta, ac si diceres rima, per longum procedens scissio, uel superficialis sit uel profunda, osse non transmutato: quæ si adeò arcta fuerit ut sensum effugiat, τριχισμὸς, uel τριχίασις, quasi capillaris dicitur: quę, ut inquit Paulus, multis fuit mortis causa. *Rhogme. Trichiasis.*

ἐκκοπὴ, quasi dixeris effractio, est scissio in qua os læsum disruptum est. At si pars oblæsa à reliquis ossibus recesserit, ἀποσκεπαρνισμὸν uocant, à securi facta denominatione, quòd disruptum os uideatur, ac si securi esset percussum. *Eccope. Aposceparnismos.*

ἐκπίεσμα, est ossis in multas partes diuisio, talis, ut rupta ossula ad membranam usque cerebri descenderint. *Ecpiesma.*

ἐγγίσωμα fit ubi os perpessum, ita infra sanū subsidet, ut membranam cerebri contingat. *Engisoma.*

καμάρωσις, est diuisio ob quam ossa in testudinis formam, & quasi camerata uidentur. *Camarosis.*

θλάσις quum fractura non sit, inter fracturas tamen à nonnullis numeratur. Est autem contusio qua os quidē non frangitur, sed in interiora deflectitur. *Thlasis.*

ἀπήχημα, secundum nonnullos est quando non pars caluæ percussa, sed alia opposita perfringitur. Paulus hoc fieri posse negauit. Celsus solere ait euenire, ut altera parte fuerit ictus, & os altera fiderit. Recentiorū turba Celso consentit, atq; inter eos Nicolaus Florentinus eius rei locuples & oculatus est testis. Hi sunt fracturarum caluariæ modi. *Apochema.*

At reliquorum quoq; ossium fracturæ sicuti uariis & ipsæ modis contingunt, ita diuersa apud Gręcos nomina inuenerunt.

καυληδὸν, ῥαφανηδὸν, & συκυηδὸν uocant Græci eam, quæ in ossis crassitie per transuersum fit, à raphanorum uel brassicarum (utrunque enim ea uox apud eos significat) caulium, & cucumerum, quæ sic ferè perfringuntur, similitudine. Auicēna raphanalem, hastalē, & arundinalem. *Cauledon. Rhaphanedon. Sycyedon.*

σχιδακηδὸν, quasi scissionem diceres, quæ in longitudinem fit, nec in totum ossis partes seiungit. Auicenna linealem. *Schidacedō.*

καλαμηδὸν, uel ad unguem, quæ secundum aliquam partem est recta, in extremo lunaris. Auicenna lunarem. *Calamedon.*

ἀλφιτηδὸν, uel καρυηδὸν, quæ in multas, & eas quidē tenues partes fit. Auicenna sanchiam. *Alphitedō.*

ἀπόθραυσιν, & ἀποκοπὴν quando pars ossis ablata est. Celsus tria tantū genera facere uidetur. Verba eius sunt: Omne os modo rectū, ut lignum in longitudinem finditur, modo frangitur transuersum, interdum obliquum: atq; id ipsum nonnunquam retusa habet capita, non *Apothrausis. Apocope.*

ta,nonnunquam acuta,quod genus peſsimum eſt.

*Exarthrema. Exarthroſis. Ecptoſiæ. Ecptomata*

Soluitur & alio modo oſsium continuitas, quando ſcilicet os ab oſſe ſeiungitur, cui à natura fuerat cõnexum: ἐξαρθρήματα & ἐξαρθρώσεις, ἐκπτώσιας & ἐκπτώματα uocant Græci: & ſunt ſecundum Galenum oſsium ex propria regione tranſmutationes abſque fractura euenientes. Paulus excisionem eſſe ait articuli à propria concauitate ad locum inſuetum, à qua uoluntarius motus impeditur: differentiáſque nullas habere, niſi maioris minoríſque ratione. Vbi enim perfecte exierit articulus, communi generis nomine ἐξάρθρημα, quaſi exarticulationem dici; eo autem ſolum moto, nec penitus extra cauitatem recedente, παράρθρημα. Auicenna diſlocationem, ſi integra, id eſt, plena & perfecta ſit. Si non ſit integra, ſeparationem iuncturæ uocat & torſionem: quæ uox ei id ſignificat, quod Græci στρέμματα nominant. nos euerſionem dicere poſſumus. Dioſcoridis tamen noui interpretes, Plinium ſequuti, pro ſtremmatibus ſemper legunt luxata: quæ Celſo nihil aliud ſunt, quàm oſſa à ſedibus ſuis mota, & ut ſequẽs eſt, non aliud quàm Græcorum ἐξαρθρήματα: quæ quum diuerſa ſint à ſtremmatibus, non recte uidentur ſtremmata Latine dici luxata.

*Pararthrema. Stremmata. Noui Dioſcoridis interpretes lapſi. Luxata.*

*Chalaſis.*

Fit præterea ut articuli ipſi ita laxẽtur, ut membrum longius effectum uideatur: χαλασμένους, id eſt, laxatos articulos, uocant Græci, Auicenna prolongationem & algmenon.

*Oſſa dupliciter à ſuis ſedibus mouentur. Radius. Cubitus. Focilia brachij.*

Celſus duobus modis à ſuis ſedibus moueri oſſa dicit. Altero, ſi ea quæ iuncta inter ſe ſunt, dehiſcant, hoc eſt, ita diſſocientur, ut medium quendam locum uacuum relinquant, ut ſi radius ſubmoueatur à cubito in brachio. Radium & cubitum uocant recentiores duo brachij focilia. Vbi igitur unum ab alio ſeiungatur, primus erit luxati oſsis modus apud Celſum. Secundus, quando articuli ſuis ſedibus excidunt.

*Anciloſis.*

Sunt & apud Paulum ἀγκυλώσεις & ἀγκύλαι uocatæ, quæ detentiones quædam ſunt articulorum, ob denſitatem, uel neruorum aliquam tenſionem contingentes. Celſus, recenti cicatrice contractos articulos uocari ait à Græcis ἀγκύλας. De his Auicenna egit lib. 4. cap. de neruorum duritie & torſione: nec abhorret ab ea quam lib. 3. uocauit contractionem & azemenam. Eſt & apud eundem Auicennam caput de duririe iuncturarum in eodem libr. 4. in quo quum nullum peculiare auxilium tradat, non magnam iacturam fecerit qui id præterierit.

*Thlaſis. Thlaſma. Contuſio.*

θλάσις, uel θλάσμα Græcis, eſt nobis cõtuſio, uel colliſio: latius tamen apud recentiores medicos patet contuſionis nomen, quàm apud Gręcos thlaſmatis; ſiquidem ſub eo ſpaſmata & rhegmata Græcorum comprehendunt, imò & apoſpaſmata. Auicenna duobus locis libro quarto de his agit, ſecundo uidelicet tractatu, cap. de contuſione & attritione, & 4. cap. de attritione neruorum & torſione. Poſtremum hoc caput, quo ad ultimam eius partem reſpondet his quæ à Galeno ſcribuntur lib. 6. artis curatiuæ, ubi agitur de cura nerui contuſi, quod in uulgata editione eſt tertium. Prima uero eius pars accepta eſt à Paulo cap. de thlaſmate. Alterũ caput reſpondet rhegmati & ſpaſmati. ῥῆγμα enim ibi uocatur contuſio, σπάσμα contritio, ſicuti & in uulgata editione, libro de differentiis morborum, qui liber inſcribitur perperàm primus de accidenti & morbo. Quæ autem dicuntur ab Auicenna pro cura contuſionis, ferè accepta ſunt à Galeno capite ultimo, lib. 4. artis curatiuæ, ubi docet curare ῥῆγμα & ἐγχύμωμα. Serapion cap. de ariſtolochia, rhegmata & ſpaſmata uocat cõquaſſationes accidentes in capitibus neruorum & muſculorum: cap. de betonica, attritiones & conquaſſationes à caſu.

*Ptoma. Deiecti. Rupta. Conuulſa.*

De caſu & offenſione ſcribit Auicenna: πτῶμα Græci uocant. Plinius deiectos quandoque ſimpliciter, quandoque addens, ex alto. Idem Plinius ῥήγματα rupta, & σπάσματα dicit conuulſa, uel uulſa.

*Pyricauſta. Vſta.*

πυρίκαυστα Græci uocant, Latini uſta, uel ambuſta. Auicenna ſeorſum de ignis & aquæ combuſtione pertractauit.

*Theriodecta. Cynodecta. Lyſſodecta.*

θηριόδηκτα Græci, nos beſtiarum morſus. κυνόδηκτα illi, nos canum morſus: qui ſi rabidi fuerint, λυσσόδηκτα ab illis nominantur.

DE VLCERIBVS.

Vlcera, late ſumpto ulceris nomine, multas differentias ueras habent, multas quoque quæ non ſunt ueræ differentiæ, ſed ex aliis fiunt diſpoſitionibus cum ulceribus complicatis.

*Propriæ ulcerum differentiæ.*

Propriæ differentiæ ſunt, quæ ab ipſa ulceris ſubſtantia accipiuntur, non ab effectu alio, qui poſsit per ſe conſiſtere. Ex figura, rectum, obliquum, circulare, &c. Ex quantitate magnum & paruum. Ex dimenſionibus, longum, breue, latum, anguſtum, ſublime, ſuperficiale, profundum. Ex tempore, recens, ſanguinolentúmue, & multi paucíue temporis. Ab exterioribus aliis, apparens uel non apparens, in toto uel in parte. Ex inciſione, laniationéue, uel utroque. Ex loco, in extremo muſculi, uel medio, &c. Simplex, compoſitum, crudum, calloſum. Auicenna oſtracinum, fiſtuloſum, cuniculoſum, Græce ὑπόνομα, profundum.

*Vlcerũ denominationes.*

Quædam computantur à multis pro differentiis, quæ non ſunt differentiæ, ſed alterius diſpoſitionis complicationes: ſicuti phlegmonodes, eryſipelatodes, canceroſum, gangrænoſum, putrefactum, comedens: Auicenna corroſiuum, doloroſum, concauum, ſuperfluæ carnis: ὑπερσαρκοῦντα Græci: Auicenna carnem additam ſuper uulnera, ſordidum, ῥυπαρὸν uocant Græci rheumaticum à Gal. dicitur, quod fluentes humores uetant ſaneſcere: uerminoſum, σκωληκώδης dicitur à Græcis.

*Rheumatica ulcera.*

Immunda apud Auicen. ſunt, in quibus humor plurimus, ſed non malus.

*Vlcera maligna.*

Vlcera κακοήθη, id eſt, male morigerata, uel mali moris, malignáue dicuntur, quæ cum omnia decenter & recte feceris, non tamen curantur: quia ſcilicet, ut dicit Galen. in loco ulcus patiente malignitas adeſt, ſanari ea prohibens: atque in hoc differunt à rheumaticis, quæ ut diximus, influxum malorum humorum aliunde recipiunt. Celſus primam carcinomatis ſpeciem hoc nomine appellauit.

*Sepedon. Nome. Phagedæna.*

σηπεδών, eſt ulcus putridum.

νομὴ uocatur putredo, quæ ad ſanas partes diſtribuitur, cuius ſpecies eſt φαγέδαινα. Vlcus nomodes, comedens carnem ſubiectam, & circunſtãtem corrumpens, factum à materia quæ eſt media inter materiam quæ facit herpeta, quæ tenuiſsima eſt, & eam quæ facit cancrum, quæ craſsiſsima. Hoc uel ei ualde ſimile uidetur Celſus θηρίωμα nuncupare, quando neque tactus, neque medicamentum ſentit: ſed ſi intenditur, ad ἕρπητα ἐσθιόμενον tranſit, aliud per hoc nomen intelligens, quàm quòd nos ſuprà inter ἕρπητας, id eſt, formicas, definiuimus, id uidelicet quod σφάκελον Græci dicunt, quod & apud Auicennam eodem nomine, ſcilicet ἐσθιομένους, nuncupatur. Videtur autem (ut dixi) Cancrum ulceratum ſignificare, nec omnem, ſed qui exedendo & depaſcendo uicinas partes ad oſſa uſque deuorat.

*Therioma. Herpes eſthiomenos. Sphacelon.*

*Chironia & Telephia ulcera.*

χειρώνια & τηλέφια ſunt ſpecies phagedænæ: illud quidem, quoniam ob eius malignitatem Chirone medico indigere uideatur: hoc, quòd Telephus eo fuerit uexatus, nomen ſortitum eſt. Sunt autem antiqua & difficile ad cicatricem uenientia. Celſus tamen chironium uocat ulcus magnum, non ſerpens, doloris modici, oras duas calloſas tumentes habens, ſine inflammatione quidem & periculo, ſed difficile ſaneſcens.

*Pladara. Dyſoda.*

Sunt & quæ πλαδαρὰ Græci uocãt, id eſt, laxa & mollia: & quæ δυσώδη, id eſt, male olentia, ſeu fœtida.

*Colpos. Rhacodes.*

κόλπος, Latine ſinus, eſt in quo cutis adiacens, à ſubiectis corporibus adeò ſeparata eſt, ut agglutinari eis haud facile poſsit. Quòd ſi in totum eroſa fuerit, ita ut lacernæ ſimilis uideatur, ῥακώδης, hoc eſt, lacernoſum dicitur: ab Auicenna autem abſconſio, & cauerna, ſi flexuoſum ſit. Græci uocant ὑπόνομα, Latini cuniculoſum, ut ſuprà diximus.

*Hyponoma. Syrinx fiſtula.*

σύριγξ uero, id eſt, fiſtula, dicitur ſinus qui obcalluit, per metaphoram, ut inquit Paulus, à fiſtulis quæ ex calamis fiunt. Celſus definit, ulcus altũ, anguſtũ, calloſum.

*Thymium. Cancer ulceratus.*

Eſt etiam apud Celſum thymij mẽtio, ulceris peſsimi ex carcinomate facti, & quod tolli nõ poteſt, ſed curationibus irritatur. Noſtri Cancrũ ulceratum appellant.

*Ignis ſacer.*

Meminit & inter mala ulcera Celſus Ignis ſacri, duas eius faciẽs ſpecies, & utrãq; ſerpentẽ: minimi tamẽ periculi inter ea quæ ſerpũt, ſed quæ propè difficilime tollãtur. Videtur autem duabus hiſce ſpeciebus cõprehendiſſe ἕρπητα comedentem, & φλυκταινώδη Græcorum: formicas corrodentes uocant Arabes. Sed & eryſipelas exulceratum. Mentio eſt huius formicæ & apud Auicennam cap. de pruna & igne Perſico.

*Rhagadia. Sciſſa.*

Inter ulcera quoq; numeranda ſunt quæ Græci ῥαγάδας uel ῥαγάδια, Auicenna fiſſuras, Latini rimas, uel ſciſſa,

uel fiſſa: ſunt autem cutis ſciſſuræ cum calloſis labris.

*Attrita. Intertrigines. Apoſyrmata. Deſquāmata.* Sunt & attrita à Plinio dicta, & intertrigines, Græci παρατρίμματα, Auicēna excoriationem uocauit, miſcuitq; cum alio ulcere quod Græci ἀποσύρματα uocāt, & Plinius deſquamata. Intertriginem proprie uocat Plinius eā quæ ex membrorum ad inuicem, in itinere potiſsimū, conrricatione. Et de ulceribus hæc dixiſſe ſat ſit.

*Morborum noua nomina apud recētiores medicos.* Dum cogitarem iam epiſtolę finem imponere, ſubiit in memoriam multa in recētiorum medicorum libris morborum exterius euenientiū legi nomina, apud antiquos non reperta: de quibus meritò dubitari poſsit, an ut noua ſunt nomina, ita nouos quoq; morbos indicent, antiquioribus medicis incognitos. Ne quid igitur huic noſtræ epiſtolæ, quantū per me fieri poterat, deeſſet, ea percurrere decreui, & quid in eis quoq; ſentirem, aperire. Incipiam igitur rurſus à capite, ut ſimili quo hactenus uſus ſum ordine procedam.

*Teſtudo.* Teſtudinem uocant tumorem mollem uel nō ualde durum, ſatis autem magnum, in quo pinguis materia, tunica quadā obtecta continetur, quæ caluariæ ita hæret ut ipſam plerunq; uitiet. Hanc non eſt dubium de numero eſſe abſceſſuum, ſub meliceride uel atheromate contineri: uidetur tamen ad meliceridem magis inclinare.

*Talpa.* Ad genus abſceſſuum pertinent uocatę ab illis talpę, quæ non magnopere diſtant à nuper dictis, niſi quòd quum albam materiam cōtineant, ad ἀθηρώματα potius quàm ad μελικηρίδα referuntur.

*Caries. Rima.* Pertinent ad idem genus morbi quos cariem & rimam Gilbertus Anglicus appellauit.

*Gutta rubra.* Fit in facie malignus quidam tumor, qui quoniam ferè cum magno rubore fit, Gutta rubra à uulgo & nouis medicis nuncupatur.

Sunt & qui ob eius fortè ingentē moleſtiam, Guttā rabidam appellent. Qui morbus ſub eryſipelate maiori ex parte cōtinetur. Eſt tamen interdū, ut alios humores habeat cum bile commixtos, & tūc cōmixtum nomen habebit: ut ſi ſanguis miſceatur uincente bile, ἐρυσίπελας φλεγμονῶδες: ſi è diuerſo ſanguis ſuperet bilē, φλεγμονὴ ἐρυσιπελατώδης. Atq; pari modo in aliis humoribus dicendum, ſicuti ſuprà quoq; in generali mentione tumorum docuimus. Nihil enim uetat quin omnia tumorum genera, ſicuti aliis in membris, ita & in facie oriantur.

*Lactumen.* In capite quoq; & facie, ferèq; toto corpore, præſertim infantium, ulcuſcula quędam gignuntur, maiori ex parte cruſtoſa, ſtatim uel pauló poſt initium: lactumen uocauerunt, quoniam lactis impuritatem ſequi putabant. Hæc non eſt dubium ad ἀχῶρας, & uel κηρία, uel ψυδράκια, uel ἐξανθήματα antiquorū pertinere: licet enim eodem ſemper nomine lactuminis à mulieribus appellētur, uariant tamen multū iuxta materiæ à qua gignuntur uarietatem.

*Zerma.* Scribunt proprium caput de zerma, quam tamē ab impetigine non differre, nec ipſimet inficiantur: licet zermæ nomen ei tantum quæ ad ulcus peruenerit, falſo tamen adaptent.

*Sāguis mortuus. Sugillata.* Sanguinem mortuum, mortuíq; & diaboli morſum uocant, quæ Latine diximus uocari ſugillata.

*Gutta roſea.* Guttam roſeam appellant, malum faciei, & pręcipue naſi ruborem, qui præire elephantiaſin ſolet, cuius ſuperius meminimus.

*Fornix. Noli me tāgere, morbus.* Peior longe morbus is eſt, quem nonnulli fornicem, alii ob eius ſæuitiam & ueluti feritatem uocāt Noli me tangere. Eſt autē malignum adeò ulcus, ut ex remediis, etiam quæ cōgrua uidentur, irritetur potius quàm mitigetur, & in ſanas partes depaſcēdo uagetur. Sunt qui cancrū putēt, ego ad phagedæna pertinere putauerim.

*Lupus.* Lupum appellant ulcus aliud à priore non ualde diſſimile, niſi quòd non faciem ſicuti illud, ſed inferiores partes, pręcipue autē crura infeſtat, celerrime depaſcēs, & quaſi lupus famelicus proximas ſibi carnes exedēs: quod & dubio procul de genere eſt phagedænæ, à magis exuſta tantum materia factum, & propterea uelocius obambulans.

*Malū mortuum.* Malum mortuum uocāt exulcerationem quandam malam cruſtaceam, aridam, brachia & crura præcipue inficientem: ego non aliter nominauerim quàm ulcus ἰσχαρῶδες.

*Spina. Clauus.* Spinam & clauum uocāt nonnulli tuberculū, quod ſuperius δοθιῆνα diximus à Græcis, à noſtris furunculum appellari.

*Nata, & Napta.* Natam uel naptam appellant tumorē dolore carentem: niſi fortè adeò magnus exiſtat, ut partes membri trahendo, ſoluta cōtinuitate aliquem dolorem circunſtantibus inferat. De numero eſt & hic abſceſſuum, & ad στεατώματα ferè ſpectat.

*Folium.* Folium, carunculas quaſdam ori prope caput arteriæ aſperæ factas, loquelam impedientes, quæ ad ægritudinem numeri pertinent, & per ſolam ablationem curantur.

*Ignis S. Antonij. Sphacelus.* Ignem ſancti Antonii dicūt perfectam membri corruptionem, ſenſum penitus auferētem, quam ſuperius diximus à Græcis σφάκελον uocari.

*Rancula.* Rancuię nomen legitur apud Ioannem Anglicum, ſignificátq; ei tumorem cum dolore & pulſu uulneribus contingentem: qui certe nihil aliud eſſe poteſt, quàm phlegmone inchoans.

*Morbus Gallicus.* Hæc ſunt quæ in recentiorum libris morborum exteriorum nomina ad hunc diem, quod mihi nūc occurrat, inueni. Recentiſsimi aliud nomen addiderunt, per ora uulgi nō minus uolitans, quàm morbus ipſe quem ſignificat, per corpora uagatur: Gallicum morbum uocat Italia, Hiſpanicum Gallia, Hiſpanam ſcabiem Germania. Contrahitur morbus hic peſsimus rarò aliter quàm per contagium, nec quarumcunq; partiū, ſed ferè obſcœnarum: ut non incongrue nonnulli,

*Pudēdagra.* Romanorum nomenclaturam in mentagra ſequuti, Pudendagram uocarint. Puſtulæ primum eas partes inficiunt, longe difficilius ſanitatem recipientes, quàm quæ eodem quidem loco, ſed aliis ex cauſis contingunt. Has reliquarum partium, præcipue uero uultus & capitis, deteriores aliæ puſtulæ excipiunt, diuerſorum quidem generum, ſed maiori ex parte cruſtoſæ, nec ab iis ferè diſsimiles, quæ ab igne excitantur, niſi quòd ſunt quadantenus craſsiores, quæ ubi uel ſuapte ſpōte, uel medici auxilio ſubmotæ fuerint, corpore prius non plenè expurgato, extremorum membrorum dolores uehementes, per noctem potiſsimum, quam inſomnem reddunt, miſerrime affligunt, nullo exterius ab initio tumore apparente, qui tamen quibuſdam citius, quibuſdam tardius, & in his etiam quandoq; locis in quibus nullus præfuit dolor, ſe oſtendit: quem ſi preſſeris, tantum abeſt ut dolorem augeas, ut quandoq; ſe iuuari ex loci cōtrectatione patientes fateantur, & unicum hoc habeant in tantis cruciatibus leuamen. Tumores hi per magna interualla (à ualde enim craſsis humoribus fiunt) ſuppurantur, uel potius ſaniem quandam malam gignunt, ei quæ à Celſo hydrops, aut melicera uocatur, non diſsimilem. Non uniuerſus tamen ſimul tumor ſuppurationem hāc recipit, ſed per partes, portionem ſæpe aliquam omnino ad maturationem contumacem gypſo ſimilē derelinquens. Suppurationem uarii modi ulcera, ſemper tamen maligna, comitantur, quæ plerunq; oſſa etiam ipſa uitiant, & ubi cicatricem contraxiſſe uidentur, alio uel eodem loco erumpentia, medicos multóq; magis patientes ipſos deludunt. Comitantur interim hunc morbum aliæ quædam malæ affectiones, non uſqueadeo crebrò, ut hæ quas numerauimus, ut ophthalmia, tubercula nares cum eroſione dehoneſtantia, articulorum luxatio, oſsium fractura, elephantiaſis, aphthæ, præcipue poſt argenti uiui uel minii, uulgò cinabrii uocati uſum, & poſtremo febricula ad tabem, & pauló pòſt ad mortem perducēs. Ex his autem omnibus non difficile eſt definitionem colligere, hunc morbum comprehēdentem, & ab aliis generibus ſeparantem. Ea erit huiuſmodi.

*Definitio morbi Gallici.* Gallicus morbus eſt ſoluta continuitas, ab exuſtis humoribus per contagium ferè in cōcubitu genita, à malignis quibuſdā puſtulis incipiens, pudenda plerunq;, deinde reliquas corporis exteriores partes, caput præcipue inficiens: dehinc intimas partes ingreſſa, dolores circa articulos & oſſa noctu præcipue facit, atq; abſceſſus duros, in peſsima adeò ulcera, ut oſſa quoq; plerunq; uitient, poſt longum tempus deſinentes.

*Variæ opiniones de morbo Gallico.* Ex his autem cognoſcere licet, quàm inaniter laborauerint ab huius peſtis exordio medici ferè quicunq; celebriores habebantur, conati multicipitem hanc hydram ſub unum caput redigere. Aliqui ſaphatum: alii duos morbos, ſaphatum & articularē: nonnulli lichenas: Veneti medici uariolas: Galli uariolas quidem, ſed craſſas. Fuere & qui carbonem, & qui ignem Perſicum: ſed & qui elephantiaſin, & qui epinyctidas, & qui Celſi phygethlon.

*Leoniceni opinio.* Leonicenus demum noſter, deiectis

ſtrenue

ſtrenue tribus ex nuper recitatis opinionibus, propriã erexit: quam utique, quod in Lactantio optat Hieronymus, uellem ita bene adſtruxiſſet, ſicuti alias deſtruxit. Eius definitio ex pluribus locis commentarij ab eo ſuper hoc morbo editi collecta, hæc eſt: Morbus epidemialis & æſtiuus, puſtulis primum partes obſcœnas, deinde reliquum corpus, cum magno plerunque dolore, atque ipſam præcipue faciem occupantibus, ex uaria humorum corruptione genitis, propter nimiam aëris in calore atque humiditate præſertim intemperiem.

*Leoniceni lapſus in morbi Gallici definitione.*

In qua definitione uir alioqui eminẽtiſsimus, uel in hoc maxime lapſus eſt, quòd hunc morbum ex aëris humiditate, quæ eo anno quo eum in Italiam Caroli exercitus portauerat, magna fuerat, genitum putauit: & propterea cenſuit inter epidemicos numerandum, quum tamen res ipſa oſtenderit, nihil huic morbo cum aëris uel humore, uel qualitate alia eſſe cõmune: quæcunque enim conſtitutio ſit, & quantumcunque ſicca, ſi uir etiam ſicciſsimus cum muliere ea lue infecta commiſceatur, bene ſecum agi putet, ſi non & ipſe polluatur. Idémq; contingere ſanè mulieri uiro infecto congreſſæ, pleræq; cum magno ſuo malo expertæ ſunt. Dici igitur quomodo debet epidemicus, quũ morbi epidemici, ut Galenus docet in procœmio enarrationis in

*Epidemialis morbus.*

lib. Epidemiarum Hippocratis, ſint morbi pluribus ex inſpirato aëre communes: Gallicus autem non ex aëris inſpiratione, ſed ex contagio ut plurimum contingit? Non magis quoq; ęſtiuus dici meretur quàm epidemicus.

*Nihil morbo Gallico cũ aëris humiditate.*

Aeſtiui enim morbi breues ſunt, hic plerunq; cum iuuenibus conſeneſcit, & commoritur cum ſenibus. Quo fit ut genitalium putredines, quas inter æſtatis morbos 3. lib. Aphoriſmorum enumerat Hippoc. morbum hunc ſub ſe comprehendere nequaquam poſsint: alioqui nec putredo dici meretur ea puſtula, quæ ab initio pudendum exulcerat, quũ ad ſiccũ potius quàm ad putridum uergat. Et ſi demus Leoniceno, à genitaliũ putredine hunc morbũ inchoare: non cõtinuò fatebimur, Hippocratem eũ in aphoriſmo ſignificaſſe, quum nocumentũ in pudẽdo, præ his quæ poſtea cõſequuntur, exigui adeò momenti ſit, ut uix ullam moleſtiã afferat: quæ res facit ut procliuior ſit ad propagandã hanc luem uia, ipſis patientibus, cõcubitus, per quẽ, ut diximus, uel ſolum, uel maxime transfunditur, cõcupiſcentibus potius quàm refugientibus. Nihil ergo in aphoriſmo legitur, quod ad hunc morbũ iam radicatũ pertineat: ſed quod ibi legitur, ad eius exile quoddã initiũ pertinere quidem uideri poteſt, uerè tamen (ut oſtendimus) non pertinet: ſicuti nec ad eum pertinẽt quæ ex ſecũda epidemia à Leoniceno recitãtur. Carbones enim in hoc morbo minime uiſuntur: ſed nec humores liquidiores in cute, (ſic enim ἰχῶρας Leonicenus interpretatur) nec ueſicæ quales in igne leniter exuſtis, ſed eſcharę potius quales in plenè exuſtis excitantur. In tertia epidemia, ſi eo modo apud Hippocratem, quo apud Leonicenum legeretur, eſſet omnino aliquid, quo is credi poſſet ſimilem huic morbum deſignaſſe. Hippocratem autem nihil minus eo loco cogitaſſe, quàm hãc malorum catenam, quam morbus Gallicus uocatus ſecum trahit, oſtendam, idque pauca quædam attingens, quæ ad id oſtendendum ſufficere puto. Prius tamen indicabo, conſtitutionem de qua Hippocr. ibi loquitur, non in totum ei, de qua Leonicenus, fuiſſe ſimilem, & hoc per ipſius Hippoc. uerba: ἄπνοια enim, inquit, per totum annum: hoc eſt, uentorum ualidorum carentia. Factis autem ſiccitatibus, ſub primis anni temporibus auſtri, circa arcturum aquæ multæ: autumnus tenebroſus, nubiloſus, aquarum multitudo: hyems auſtralis, humida, mollis. Poſt ſolis autem uerſiones, prope æquinoctium retrocedens hyems, & circa ipſum iam æquinoctium niuoſi aquilones non per multum tempus. Ver rurſus auſtrale, uentorum carentia, aquę multæ per totum, ad ortum uſque caniculæ. Aeſtas ſerena, calida, ſuffocationes magnæ: eteſiæ exiguæ ſparſim ſpirauêre: rurſus circa arcturum in aquilonibus pluuiæ multæ. Hactenus Hippocrates. In hac igitur conſtitutione non pauca leguntur, quæ nec ipſomet Leoniceno teſte, in noſtra uiſa ſunt, ſiccitas uidelicet ab initio, autumnus tenebricoſus, hyems in fine retrocedens, uer aquilonium & niuoſum, æſtas ſerena, calida, & alia quædam.

Inter morbos uero, præter eryſipelata, carbunculos, & uentris perturbationes à Leoniceno quidem memoratos, ſed uix unquam puto in hoc morbo uiſos, alij quoque numerantur morbi ab Hippocrate, nihil cum hoc habẽtes cõmercij, ut κῶνοι, φρενίτιδες, κώματα, id eſt, profundi ſomni, magnæ phlegmonæ, lienteriæ, diarrhœæ, dyſenterię, tineſmi, στρόφοι, id eſt tormina: febres tertianę, quartanæ, nocturnæ, continuæ, longæ, erraticæ. Addit demum, quoſdam citò, quoſdam ſerò interiiſſe: quum Gallicum patientes morbum, mortem potius optent quàm oppetant. Si quis præterea diſcurrat XVI. ægrotos ab Hippocrate ſeriatim ſub hac conſtitutione deſcriptos, mentior ſi quem inueniet, de quo uel ſuſpicio haberi poſsit, quòd Gallico uocato morbo laborauerit: omnes enim febrem, & quidem uehementem ſunt perpeſsi, in Gallico morbo, uel ipſomet Leoniceno teſte, rariſsimam. Sed cur fruſtra laboro, quum Galenus ipſe hanc litem dirimat, ſtatim in primo uerbo enarrationis ſuæ in hanc epidemiam, conſtitutionem, de qua Hippocrates meminit, peſtilentem nominans? Ita enim ad uerbum loquitur: Peſtilentem cõſtitutionem in hoc loco ſcribente Hippocrate, &c. Et alio loco, exponens uerba illa Hippocratis: Et multi interiêre, ait: Peſtilentes fuiſſe morbos qui uagabãtur, oſtẽdit ex eo quod dicit, Et multi interiére. Tam igitur longe abeſt ab ea conſtitutione Gallicus morbus, quàm lõge abeſt à peſtilentia & mortalitate. Scio futuros qui mihi uitio dẽt, quòd in re tã aperta anxiè nimis & ſcrupuloſè depugnauerim.

Præſtet igitur & uincat ueritas propriis uiribus nixa, diuerſos quidem affectus huius morbi eſſe ſigillatim ab antiquis ſcriptos: connexionem uero eorum & ſequelam, à nemine fuiſſe ſcriptis demandatã. Nec pergant homines in aëre uel in cœlo cauſas huius morbi perquirere, ſed in aëris cœliq; moderatorem, hoc morbo flagitia hominum, libidinẽ præcipue & linguæ petulantiã punientẽ, (ferè enim à genitalibus incipit lues, & in os deſinit) & in inficientis infectique corporis natura, cauſas & differentias huius morbi perquirant.

Hugo Senenſis, inter omnes quos hactenus legi, ſaluti cuiuſdam iuuenis per ſcripturam conſuluit, qui prope hunc morbum uidetur acceſsiſſe. Paſſus enim eſt puſtulas, tumores duros, ulcera, capitiſq; & diuerſorum membrorum dolores, noctu etiam magis quàm interdiu affligentes, ita ut caruiſſe tantum puſtulis genitalium & capitis inter capillos uideatur, quæ tamen ſunt uel primæ, uel maxime huius morbi propriæ.

*Vnde accepta uulgaris Gallici morbi curatio.*

Curatio autem quæ ei paſsim ab imperitis, præſertim per argentum uiuum & minium adhibetur, ab eo morbo accepta eſt, quem recentiores Chirurgi malam ſcabiem, & malum mortuum appellant, alium tamen longe ab hoc morbo.

*Morbus Gallicus quo modo nouus dici poßit, ſimul et per contagiũ generatus.*

Sed dixerit fortè quiſpiam: Si hic morbus nõ niſi per concubitus contagium generatur, quo pacto primum nouus cœpit? uidẽtur enim duo hæc inuicem repugnare, quòd ſcilicet nouus ſit, & quòd per ſolum contagiũ innaſcatur. Si enim nouus eſt, cœpit primo, nec prius erat à quo poſſet per contagium deriuari. Si per contagium cœpit, non poteſt nouus eſſe, quia neceſſariò in eo fuit à quo eſt per contagium deriuatus. Dupliciter hìc poſſumus reſpondere, iuxta duplicem hiſtoriam de eius origine. Sunt enim qui dicant nouum non ſimpliciter eſſe, ſed ex inſula quadam antiquis incognita, ubi frequentiſsimus eſt, in hanc quam nos incolimus habitabilis terræ portionem, per Hiſpanos qui illuc nauigarunt importatum, principio apparuiſſe.

*Huttenus lib. de Guaiaco.*

Alij ſunt, & hæc eſt antiquior ſententia, & maioribus fulta teſtimoniis, qui cœpiſſe hunc morbum per id tempus dicunt, quo Carolus Francorum rex, expeditionem Italicam parabat: cœpiſſe autem in Valentia Hiſpaniæ Taraconenſis inſigni ciuitate à nobili quodam ſcorto, cuius noctem elephantioſus quidam ex equeſtri ordine miles, quinquaginta aureis emit: & cum ad mulieris concubitum frequens iuuentus accurreret, intra paucos dies ſupra quadringentos infectos: è quorum numero nonnulli Carolum Italiam petentem ſequuti, præter alia quæ adhuc uigent importata mala, & hoc addiderunt, inter minima non deputandum.

*Gallici morbi ortus.*

Quæ hiſtoria ſi uera ſit, ut ego non inuitus credo, nouus ſimul erit, & per contagium ortus, non alterius hominis eodem affecti, ſed elephantiaſi quæ in hunc quaſi degenerauerit, & de ſuo gradu in proximum deciderit. Minus autem de hoc mirabitur quicunque apud recentiores legerit, eos qui mulieri coierint quæ parũ antea cũ leproſo (ſic enim elephanticum uocãt) rem habuerit, ſemine quidem adhuc in utero manente, elephan-

tiasin quandoq; incurrere, quandoque non, sed alias oblæsiones maiores, minorésue, prout & ipsi affecti sunt, & elephantiosus ille qui mulierem infecit. Hęc igitur sunt quæ de morbo Gallico hactenus potui intelligere. Curam eius in aliud tēpus & locum distulimus, neq; enim nunc morborum curam, sed nomina tãtum inquisiuimus: in quibus enumerandis si fortè defecimus, boni cõsulant quicunq; legerint, & quæ desunt, suppleant, & errores si quos offenderint, qui certe in tam ampla & confusa adeò materia uix euitari poterant, amicè corrigant. Tantũ enim abest ut id moleste laturus sim, ut ingentis beneficii loco sim habiturus.

*Quare non scripserit Gallici morbi curationem.*

Tu uero Michaël hæc diu desiderata lætiore facie suscipe: solent enim quæ longo tempore desiderauimus, esse gratiora: tarditatisq; culpam nõ in uoluntatē alioqui tibi propēsissimam, sed in meam ualetudinem uariásq; occupationes, reiice. Ferrariæ. M. D. XXV.

## EPIST. III. *de morbis interioribus, ad Antonium Mariam Cananum.*

QVum legisses non semel epistolam meam ad Michaëlem Sanctannam, in qua exteriorum morborum nomina tam Latina quàm Græca cum barbaris, nostróq; tēpore per ora medicorum recurrentibus, ad concordiam redigere conatus sum, laudasti tu quidem laborem, ut soles, meum: mutilum tamen & ueluti mancum esse iudicasti, nisi interiorum quoq; morborum nomina pariter elucidarem. Ego uero, licet prioris laboris onere adhuc defatigatus (nescio enim si inuita magis Minerua aliquid unquam tentaui) negare tamen tibi non potui id quod uel tacendo, quæ tua est modestia, postulare uidebaris. Distuli autē hactenus, cum ob diuersam ualetudinem, tum occupatus in recognoscendis aliis medicinalibus epistolis, expositionéq; in Galeni artem. A quo onere aliquantisper subleuatus, ut tibi morem geram, quē ob morum integritatem, bonarúmq; literarum eruditionem, raras hoc tempore dotes, mirifice diligo, rem ipsam, utinam feliciter, aggredior, ut alia quoq; epistola orsus à capite, atq; inter capitis intraneos morbos, à dolore qui interdum non interiores modo partes, sed exteriores quoq; occupat. Hunc itaq; generali nomine Græci cephalalgian, Sodam Serapion, Mesue, Auicenna dicunt. Est autem, Galeno teste, cephalalgiæ nomen sumptum à particula & symptomate, quod certe symptoma, ut inquit Paulus, unum est ex difficilimis, & plures habet causas, quas Galenus, Alexander, Paulus apud Græcos, Auicenna apud Arabes, latius prosequuntur, Sodã definiens dolorem in mēbris capitis, licet in uulgatis codicibus, pro dolore, bis legatur læsio. Præter hoc generale nomen, cephaleæ quoq; & hemicraniæ meminerunt Græci. Cephaleam definit Galenus diuturnam cephalalgiam, quam & hemicraniam in hoc conuenire ait Paulus, Galenum ipsum secutus, quòd utraq; est capitis dolor diuturnus, qui uehementior fit à sonitu, clamore, splendore, meri potu, atq; odoribus caput opplentibus. Nec aliter differunt, nisi quòd his qui cephaleam patiuntur, totum caput, his qui hemicraniã, altera pars tantum percuti uidetur.

*Cephalalgia.*

*Cephalea.*

Auicenna cephaleam ouum, sicuti & Galeni antiqua interpretatio, libro de locis affectis appellauit, & caucatin, id est, galleam: hemicraniam, uoce parũ mutata, emigraneam. Sunt & ex Gręcis qui heterocraniam uocent. Haliabas cephaleæ nomine utitur pro cephalalgia, sicuti & Razes, Cõstantinus & Caripontus. Celsus quum tria genera doloris in capite agnoscat, unum qui acutus & pestifer est: secundũ qui imbecillitas potius est quàm dolor: alium grauiorem, sed breuē, miniméq; mortiferũ, uino, uel cruditate, uel frigore, uel igne, aut sole contractum: primum tantum cephaleam à Græcis uocari dicit, per tertium eum significans quem cõmuni uoce à Græcis diximus uocari cephalalgiam. Et hæc quidem sunt dolorum capitis nomina.

Capiti quoq; omnia tumorum genera accidere possunt, apostemata uocant Arabes, quum tamen apostematis nomen, ut alibi ostendimus, aliquid tumori superaddit, partium uidelicet abscessum, à quo nomen apud Latinos, sicuti & apud Græcos, inuenit. Inter hos tumores acutissimus & periculosissimus, ut inquit Alexander, est phrenitis à Græcis dicta, Arabes carabitum uel sirsen appellant, Latini delirium, licet Celsus inter insaniæ genera eam reposuerit. Est autem, Paulo teste, inflammatio aut membranularum quas meningas uocant, aut cum illis cerebri ipsius substantiæ: fitq; uel à pallida bile, & est minor: uel à flaua, & est uehementior: uel hac superassata, & est ferina ac pessima, ut docet Galen. lib. 3. de locis affectis. Nec negandum quin quandoq; ex solo sanguine gignatur, ut Paulus attestatur, ita ut sub phrenitide omnes calidos tumores comprehendamus. Fit præterea affectio phrenitidi similis, ubi septo transuerso, uel uentriculo cerebrum compatitur, uel in consistendi uigore urentium febrium fumos suscipit. Vocatur autem paraphrenitis. Ingens tamen inflammatio quandoq; adeò ex putrescente sanguine ipsam cerebri substantiam occupat, ut totum tumescat caput & facies, suturæq; caluæ dehiscant & separentur. Hanc multoties uidisse Paulus & Aëtius testantur. Mihi autem hactenus, hoc est, ad annum usq; uitæ 64. quem nunc ago, nunquam est uisa: sed nec medicum uel alium quempiam hominem audiui qui uiderit. De hac scribit Auicenna proprium caput, post id in quo agit de phrenitide, licet in hoc ipso capite, hoc est, carabito seu phrenitide, eius quoq; mentionem habuerit, uocaueritq; sacaculos, sicuti Haliabas maceran. Sunt qui putent esse id quod septimo aphorismorum, aphorismo 50. in barbara editione dicitur spachilon. Quod si uerum est, erit sphacelos. Est autē sphacelos, ut in epistola de nominibus exteriorum morborũ ostendimus, maxima inflammatio, in hoc gangrænam superans, quòd membrum penitus reddit insensibile. Scribit idem Auicenna aliud post prædictum caput, cui titulum facit de erisypelate & impetigine, in cuius parte secunda agit de erisypelate in cerebro puerorum eueniente, cuius etiam meminerat libro primo inter ægritudines quæ infantibus accidũt, & capite de epilepsia. Dicitur à Gręcis siriasis, quoniam, ut inquit Aëtius, in ea bregma capitis concauum fit instar siri, id est, uasis concaui quo semina adseruantur. Addit præterea Auicenna caput de sibare, quod nihil aliud est quàm ferina phrenitis, quæ uidelicet fit, ut superius est dictum, à flaua bile superassata. Hi igitur sunt ferè tumores calidi cerebro contingentes.

*Phrenitis.*

*Paraphrenitis.*

Frigidus, à Gręcis lethargus dictus, si uerum est quod Alexãder ait, locum eundem habet phrenitidi, hoc est, cerebrum: materiam uero cõtrariam: & propterea, inquit Galenus, est quodammodo ei cõtrarius, quod & asserit Celsus: ex abundantia enim pituitæ fit, nomē ab obliuione sortitur, licet cum memoria etiã, Galeno teste, ratio tollatur. Auicenna uoce parum immutata lethargiam appellat. Celsus eadem qua Græci lethargum. Fuerunt ex Latinis qui ueternum dixerint. Plinius res diuersas putauit in raphani medicinis. Celsus torporem uidetur nominare, in eóq; marcorem, & inexpugnabilem penè dormiendi necessitatem esse dicit.

*Lethargus.*

*Veternus.*

*Torpor.*

Exposcere uidetur ratio, ut sicuti ex pituita, bile & sanguine fit in cerebro tumor, pariter fiat ab atra bile. Quod si contingit, mirum est certe quare nomen proprium non inuenerit, & de ipso, sicuti de phrenitide & lethargo, seorsum medici nõ scripserint. Auicēna quosdam ait sub lethargi nomine hunc comprehēdisse. Mihi autem uidètur atra bilis, quę uerè atra bilis est, id est, quæ per adustionem est genita, si quem tumorē facit, eum ad phrenitidem pertinere. Humorē uero uel succum melancholicum uocatum, non posse in corpore diu manere, quin in atram exacte bilem conuertatur, sicuti Galenus 4. Aphorismorum libro testatur, in illius aphorismi expositione: Deiectiones nigræ, qualis est sanguis &c. Quare fit, ut quisquis à quauis atra bile tumor in cerebro gignatur, ad phrenitiden spectet, omnésq; cerebri tumores à simplici & unico humore factos, uel sub phrenitide, uel sub lethargo comprehēdi. A simplici dico humore factos, quoniã tertium quoddam genus est ex utroq; consistens, quē Græci recentiores, ut inquit Galenus, catochon nominauerunt, sequētes agrypnon coma, quasi uigilantem dixeris soporem. Alexander lethargum non uerum, Auicenna subet asaiari, Haliabas modo stupefactionem peruigilē, modo cumin.

*Catochos.*

Et hi quidem sunt cerebri tumores, ab aliquo quatuor humorum facti. Præter hos autem fit alius, non à uero humore, sed ab aquoso, uel à tenui sanguine, qui

uel inter cutem & pericraneũ,uel inter hoc & os caluę, uel inter hoc & duram membranam,uel inter hanc & cerebrum aggregantur,atque ex his tumoribus primi quidem duo ad exteriores morbos,reliqui ad interiores referuntur. Communi uoce omnes hos tumores hydrocephalon Gręci uocant.Nihil quoque uetat quin eisdem in locis possit flatuosus spiritus adeò copiosus aggregari,ut tumorem excitet,nec solum in his qui dicti sunt locis,sed ipsis quoque cerebri uentribus,reliquisque cauitatibus: de quo tamen nullam specialem mentionem medici fecêre,quoniam à generali emphysematis ratione comprehensum,particularem tractationem non exposcebat. Et de cerebri tumoribus hæc dicta sint. Nunc nomina inuestiganda earum oblæsionum sunt,quæ cerebri operationes impediunt,quę necessariò multæ erunt,quum nullum sit corporis membrum à quo tot,quot ab ipso cerebro,prodeunt operationes. Est enim cerebrũ sensus & motus principiũ, & præter hoc uniuersi quoque corporis regimen habet. Triplices igitur habet operationes,sensiles scilicet, motrices, & principales:quorum nocumenta percurrenda à nobis sunt,& unicuiq; sua nomina reddenda. Incipiemus autem à sensilibus.Hàrũ quædã propria habent instrumenta,ut uisus,auditus,gustus, olfactus,tactus,de quibus inferius suis locis uidebimus.Vnica est quam sibi cerebrũ reseruauit,quæ sensus communis appellatur:quoniam quinq; illi sensus exteriores uocati, ad eum seu ad iudicem sua deferunt sensata. Ad hunc cum spectet somnus,spectabunt & somni impedimenta,quæ duo potissimũ sunt, grauis uidelicet somnus, & uigilia:illum caron Græci,Auicenna subetum,Latini soporem:uigiliam Auicenna uocat saharam.Legitur & apud Græcos comatis nomen, quod multi eandem rẽ putant significare,quam caron,soporem uidelicet,quũ tamen apud Hippocratem latius pateat comatis nomen,sicuti probat Galenus in commentariolo de comate inscripto,duplex secundum Hippocra.coma esse dicens,unum cum somno,aliud cũ uigilia:sicuti & duplicem cataphoram: comatis tamen nomen absolutè prolatum,de eo quod cum somno fit intelligi.In tertio quoq; Epidemiæ Hippocrates comatis grauis meminit,per quod Galenus id intelligendũ censet,à quo difficile quis expergiscitur:& in prima Epidemia comatodes symptoma fieri ait,dum deorsum feruntur,non ualentes uigilantium opera exercere.Antiqua Galeni interpretatio lib.4.de interioribus(ita enim nominãt lib. cui Galenus ipse titulũ fecit de locis passis)caron uocat stuporẽ,& secũdo lib.Aphorismorũ,apho.1.& 3.coma eodem stuporis nomine interpretatur,Haliabas obstupefactionem simplicem.Et hæc quidem sunt sensilium operationum læsiones ad cerebrum pertinentes.

*Hydrocephalus.*

*Cerebrum.*

*Coma duplex.*

*Principales operationes trifariã lædi.*

Principalibus quoq; uocatis operationibus multa possunt impedimenta cõtingere,quæ tot generibus cõtinentur,quot & ipsæ principales potentiæ,imaginatiua scilicet,intellectus & memoria. Imaginatiua, sicuti & aliæ uires,trifariam læditur, uel quia scilicet in totũ eius operatio aufertur,uel quia male fit, & hoc dupliciter,quia scilicet aut corrumpitur aut minuitur. Barbara Galeni interpretatio primam læsionem stuporem,secundam alienationem, tertiam uocat congelationem. Moyses uero ex eiusdem Galeni sententia,primam uexationem seu congelationem,secundam scientiæ amissionem,tertiam uocat mentis permixtionem. Galenus uero ipse primam uocat catalepsin,nos occupationem dicere possumus.Secundam hieron,id est,delirium.Tertiæ nomen proprium non ponit,sed in lethargo soporéque dicit contingere.

Ratiocinatiuæ eædem cõtingunt oblæsiones. Aut enim ueluti resolutio est,& anœã,id est,dementiam uocat Galenus:aut aberrat,& paraphrosynen,id est, desipientiam:aut minuitur,& moriam uel morosin,id est, stultitiam, Auicenna stoliditatem,& amẽtiam,siue tota interierit,siue pars tantum, appellat. Nec mirum cuiquam uideri debet,si delirium tam imaginatiuæ quàm rationi commune facimus:siquidem ob utriusq; potestatis uitium delirare contingit,aut quia uidelicet imaginatio fallitur,ut in his qui quæ non adsunt adesse putant:aut quia ea salua,deest iudicium,ut in his qui patrem quidem & cõsanguineos astantes & auxiliari uolentes agnoscunt,& suo quenque nomine proprio uocare sciunt,ueluti tamen inimicos abhorrent atque effugiunt.Fit aliquando ob utriusque errorem delirium, atque cum his quandoq; etiam memoria perit,quę tamen sæpe quidem sola,quandoq; tamen simul cum intellectu labitur.Dum enim affectio à qua memoria oblęditur,ualde intẽditur,inquit Galenus,simul cũ memoria ratio deperditur.Sed & in lethargo soporiferisq; aliis affectibus utræq; depereunt.Nocumenta autẽ quæ memoriæ ipsi per se adueniunt, magna ex parte sunt, quia uel in totum aboletur,ut in pestilentia, cuius meminit Thucydides,uel ualde minuitur.Vt uero corrumpatur,sicuti frequenter accidit,ita de eius corruptione mẽtionem apud medicos uix reperias.Et hæc sunt quidem earum affectionum nomina quæ à uirtutibus oblæsis accepta sunt.Adduntur his quædam quæ ex materia potius à qua gignuntur,quàm ex potentijs quibus obsunt distinguũtur,quæ duobus ferè generibus comprehenduntur,melancholiæ scilicet & maniæ.

*Melancholia.*

Melancholiæ nomen,inquit Galenus,à causa sumptũ est.Est autem,Paulo teste,desipientia absq; febre à melancholico humore facta, cerebrum atque intelligentiam occupante,cuius tria sunt genera. Primum,quando cerebrum per se patitur à melancholico humore in eo contento,malam temperaturam suscipiens. Secundum,quando in toto melancholicus humor redundãs, cerebrum malis uaporibus replet.Tertium hypochondriacam uocant & inflatiuam,Arabes mirachiam. Fit autem ex sanguine melancholico circa hypochõdria, hoc est præcordia,à Celso uocata,uel inflammationem faciente,uel aliàs quomodolibet congregato,uaporésque,& quandoq; etiam humorem ad cerebrum mittẽte.Addunt Gręci affectionibus hisce à melancholia prouenientibus diuinam quandam passionem, à qua detenti maioribus quibusdam efferri potestatibus uidentur,adeò ut futura quoq; prænũcient,& propterea entheastici uocantur,quasi deo pleni.Ab hac uexati poëtæ,furore poëtico se agitari dicunt,illúdque exclamãt, Est deus in nobis,agitante calescimus ipso. Hanc tetigisse uidetur Auicenna cum ait,quibusdam medicis uisum esse quòd melancholia à dæmonio contingat. Addunt & quos erontas uocant,hoc est,à cupidine immodicóq; amore ita agitatos, ut ad insaniam deueniant. Auicenna ilischin uocat,nonnulli heroicam passionem, erontiacam fortè dicere uolentes.

*Entheastici.*

*Erontes.*

Addiderant Arabes quam cutabutum appellant, deriuato nomine à bestiola quæ irrequieto quodam motu super aquas modo huc,modo illuc absq; ordine uagatur,Latini,ut quidam uolũt,tipulam id insectum uocant,in palustribus locis frequẽs.Hactenus putaui hũc morbum ab Arabibus,præcipue autem à Raze,inuentum esse,nec esse eius mentionem apud Græcos.Dũ uero hæc scriberem,docẽte me suprema ueritate,clare cognoui esse quem Græci lycaonem, lycanthropiam, & cynanthropiam uocant, nomine à lupis uel canibus deriuato.De his enim scribit Paulus, nocte exeunt, ad diem usque circa sepulchra plerunq; uagantur, lupos, canésq; per omnia imitantes,pallent, oculis concauis & siccis sunt,crasse imbecilliterque uidẽt, linguam siccissimã habent,ualde sitiunt,os saliua caret,cruráq; habent ob assiduas offensiones insanabiliter ulcerata.Aëtius ferè eadem,unum addens,quòd mense Februario incipit.Quæ si conferantur his quæ de cutabuto scribit Auicenna,nemo ambiget eum morbum ab eo descriptum, quem Græci (ut diximus) lycanthropiam uocant,id est, hominis in lupum conuersionem, præsertim cum & curatio ferè uerbum ex uerbo à Paulo sit assumpta.Hæc igitur sunt melancholiæ proprie dictæ genera,quatenus uidelicet à mania etiam proprie dicta differt. Quandoque enim mania pro melancholia ab autoribus accipitur,ut in illo aphorismo 4.lib. Insanientibus si uarices aut hæmorrhoides superueniant, maniæ solutio fit.Dum uero sub proprio capitur significato,in hoc à melancholia differt,quòd sicuti melancholia ex atra bile fit,ita mania ex tenuium & biliosorum humorum malignitate,ut Galenus testatur 3.aphoris.libro in fine expositionis illius aphorismi,cuius initium,Autumno uero,& plurimi &c.Aëtius ferè in hæc uerba definit:Insaniã absq; febre,à sanguine non putrido in caput irruente,cui quandoque bilis miscetur:ubi uero bilis adest & assatur, fit, inquit,feralis mania,qua quidam proprias carnes mandunt,& domesticos uulnerant. Auicenna primam caninam,secundam lupinã uidetur nominasse, in rebus quidem ipsa Aëtium secutus, in nominibus minime. Siquidem, ut superius

*Canes nõ dicit Paulus, sed Aëtius.*

oſtendimus, caninam lupinámq; deſipiẽtiam Græci ad melancholiam potius, quàm ad maniam referunt. Scribit præterea Auicenna caput, cui titulum facit, de ſenſus permixtione & alienatione, in quo cũ illius aphoriſmi 6. libri ſententiam afferat, Deſipientiæ quæ cũ riſu fiunt &c. uidetur id intelligere quod paraphroſynen uocant Græci. Sed quum & alterius aphoriſmi ſententiam referat, qui libro ſecundo ſcribitur in hunc modũ: Quicunque parte aliqua corporis dolentes magna ex parte dolores non ſentiunt, his gnome, id eſt, mens ægrotat: uidetur intellexiſſe mentis ſeu intellectus morbum. Celſus, ut ſuperius quoque tactum eſt, cum præter phrenitin duo genera inſaniæ faciat, ſub eorum primo melancholiam, ſub altero imaginationis & mentis labem, de quibus antea dictum eſt, intellexit. Et de nominibus morborum, qui principales cerebri uires lędunt, tot ſint dicta: nunc de his qui motus impediunt dicendum.

*Motiuæ uirtutis impedimenta.*

Motiua uis aut in ipſo (ut ita dixerim) fonte radicéq;, hoc eſt, cerebro impeditur, aut in particularibus membris. In cerebro quinq; modis, maioris minoríſque ratione inuicem differre uidentur. Quorum primus & inter omnes leuior eſt, quem Arabes Aluen ſeu palpitationem appellant. Eſt autem motus quidam inuoluntarius palpebrarum & manuũ, cum halycibus & oſcitatione. Sunt qui uertiginem quandam leuem his aſſocient, eã uidelicet cui caſus non coniungitur. Non enim ſemper cadunt qui uertiginem incurrunt, ſicuti ex Galeno colligitur libro tertio de locis affectis. Quæ enim fortis eſt, eodem Galeno teſte, libro tertio Aphor. commento aphoriſmi 17. epilepſiæ apoplexiæq; eſt proxima: ferè tamen eiſdem nominibus in omnibus huiuſmodi affectibus, ſiue leuiores ſiue grauiores ſint, Hippocrates & Galenus utuntur, ilingi ſcilicet, ſcotomatis, ſcotodiniæ & diniæ ferè dixi, quoniam Galenus libro quarto de uictu morborum acutorum inter dinon & ſcotodinon hanc agnoſcit differentiam, quòd dinos eſt quum caput circumferri uidetur, ſcotodinos quando ſimul cum hoc tenebroſa uiſio apparuerit. Quare ridendi recentiores, uel potius ſeculi uitio excuſandi, qui miris quibuſdam interpretationibus inter ſcotomiã, ut ipſi nominant, & uertiginem differentiam ſtatuere conantur, quum ſignificato nullo pacto euarient. Sed quòd Græci ſcotoma à tenebra, Latini uertiginẽ à uorticibus aquarum uocent, utroque his qui hoc affectu uexantur contingente, ut ſcilicet in tenebris uerſari uideantur, & tam proprium caput, quàm ea quæ extrinſecus occurrunt per gyrum circũuerti. Arabes ſtidren, algaharan & ſandain dixere.

*Dinos.*
*Scotodinos.*

Eſt & alius ſequentium comparatione leuis affectus, quem incubum paſsim nunc medici uocant, Græci ephialten, uel à uiro quodam hunc perpeſſo, uel à uerbo ἐφάλλεσθαι, quod inuadere ſignificat, quòd qui eo affliguntur, inuadi ſe putãt, & tollunt clamorem quaſi iugulentur, ut ait Lucretius. Themiſon πνιγαλίωνα, quoniam ſuffocari uidentur. Fit ferè noctu, & à ſomni initio: & quæcunq; epilepſiam patientes interdiu & uigilantes, hæc per noctem & ſomnum ephialtici patiuntur. Plinius modo ſuppreſſiones, modo noctis ludribria, modo Faunorum in quiete ludibria nominauit. Arabes, inquit Auicenna, albedilon, & alcutũ, Auerroës elgabum, Azarauius alcaibum. Noſtri uulgò grauedinẽ uocãt: nec ab re, quoniam qui eo uexantur, plerunq; irruere ſupra ſe uel animal, uel rem quampiam grauem imaginantur, qua loquela motúſq; prohibeatur, & ſtupidi eorum ſenſus redduntur, nõ ſecus ac ſi leui quadam apoplexia, cuius nuncius hic morbus eſt, corriperẽtur.

*Incubus.*

In epilepſia enim cũ totius corporis conuulſione principes cerebri operationes auferuntur, toto uidelicet cerebro, uel duobus eius præcipuis uentribus, patiente, hoc eſt, medio & poſtremo: primi enim, qui & proræ dicuntur, inter nobiles, ut multis locis teſtatur Galenus, non ſunt computandi. Patitur autem hæc cerebrum, uel quia in ſeipſo cauſam habet, uel quia à uentriculi utero, alſáue corporis particula eum recipit. Quia igitur cerebrum in hoc morbo ſemper patitur, ideo nonnulli ex Græcis ἱερὰν νόσον, ſacrum uidelicet morbum uocauêre: quia cerebrum, ut inquit Alexãder, ſacrum & precioſum eſt ueluti ſacellũ, in quo ſacerrima noſtri portio, id eſt, mens reſidet. Eadem ex cauſa maior dicitur à Celſo, uel quia hieron quandoq; magnum ſignificat, & ut quidã uolunt, Herculeus: licet ſint qui nomen ab Hercule natum dicant, qui eum morbum ſit paſſus. Dicitur & comitialis, quoniam ſi quis in comitiis eo corriperetur, diſſoluebantur comitia. Epilepſiæ autem nomẽ à uerbo Græco deductum ἐπιλαμβάνεσθαι, quòd in eo capiantur & uincantur ſenſus, adeò ut à mortuis nihil abſint, inquit idem Alexander. Serapion alſaria & fædion, corrupta tamen uoce à pædion, quòd ſcilicet pueros præcipue infeſtet. Sunt ex uulgaribus qui lunaticum, maior pars caducum uel brutũ. Vniuerſa hæc nomina uehementiam morbi indicant, qui certe magnus eſt, non adeò tamen, quin eodem in membro, hoc eſt, cerebro, maior alius inueniatur, quem apoplexiam uocãt Græci, noſtri morbum attonitum: quæ epilepſiæ ſimilis quum ſit (in eodem enim loco, & ab eodem humore ambæ fiunt, frigido uidelicet & craſſo) eo tamen grauior eſt, quòd præter ſenſus & principales operationes motum quoque penitus aufert, qui in epilepſia, licet uitiatus, remanet.

*Epilepſia.*
*Herculeus morbus.*
*Comitialis.*
*Lunaticus.*
*Caducus.*
*Apoplexia.*

Eſt aliud inter apoplexiam epilepſiámq; diſcrimẽ, quòd illa certis interuallis per acceſſiones quaſdam hominẽ arripit, quæ ubi ceſſauerint, integra, ſicuti antea, redit ualetudo. Apoplexia uel in mortem, uel in paralyſin deſinit.

*Apoplexia et epilepſia in quo differant.*

Eſt autem paralyſis, ut iam ad effectus qui in particularibus membris motũ impediunt cõuertamur, quæ alio nomine hemiplegia, pareſis, & hemiplexia à Græcis dicitur, & Latine reſolutio. Haliabas eneruationem, Zoar cadar, ſi in una tantum particula, ſillegum, ſi medietatem occupat corporis, Razes laxationẽ, Auicenna quandoq; mollificationẽ. Per hãc ſenſus & motus quãdoq; ſimul aufertur, uel alterũ ſine altero, non à toto corpore, ſed uel à dimidia tantum parte, uel ab utraq; ſine capite, uel à particulari quopiã mẽbro, neruis qui motui ſenſuiúe ſeruiunt laxatis & ueluti madefactis remollitiſq;. Si enim craſsior ſit materia quàm ut eã neruus imbibat, non paralyſis, ſed ſpaſmus fiet, de quo paulò poſterius loquemur. Illud enim antea addendum, quòd ſi proprie loquẽdum eſt, nõ eſt paralyſis, niſi motus auferatur, ut 3. libro de locis affectis, Galenus teſtatur. Vt autem melius intelligantur hæc, & uniuerſi neruorum morbi cognoſcantur, ad memoriam reuocãdum, duplicem eſſe neruorũ operationẽ, ſenſum uidelicet & motũ: cúmq; ſenſus quinq; ſint, unũ tantũ, hoc eſt, tactũ, ad præſentẽ diſputationẽ pertinere, reliquis quatuor ſuo quęque loco reſeruatis.

*Neruorũ duplex operatio.*

Tactus uel aufertur, uel male fit. Si aufertur in totũ, nullum affectui propriũ nomen inditũ, ſed, ut ait Galenus, ſenſus reſolutio dici poteſt. Si male fit, aut fit imbecilliter, & ſtupor uel torpor Latine, Græce νάρκη uel νάρκωσις, uulgò cõgelatio uel obdormitatio dicitur, præſertim ſi ſecum difficultas aliqua motus coniungatur: in exacto enim torpore utraq; difficultas, tã ſcilicet ſenſus quàm motus inuenitur, quoniam torpor ipſe uia quędam eſt in paralyſin, imò parua quædam paralyſis. Aut perperàm fit, & triſtis illa ſenſatio dolor dicitur, de quo alio loco dicẽdum. Hi igitur affectus ſunt qui ſenſualem neruorum operationem impediunt.

*Narcoſis.*
*Torpor.*

At alia operatio, ſcilicet motus, biſariã & ipſa impediri poteſt: aut enim tollitur, aut peruertitur. Si primum, uel penitus, & paralyſis, uel uix fit, & torpor dicitur, quantum uidelicet ad motum pertinet. Si motus quidem fit, ſed peruerſe, aut à ſolo morbo, aut ab ipſo non ſolo, ſed cum potentia naturaúe ueluti luctante gignitur. Si primum, ſimilíq; motu membra uiolenter uerſus ſuã originem extenta moueãtur, quò à uoluntate ſolẽt, membrúmq; deflectitur, ſpaſmus Græce, conuulſio Latine dicitur, & à Celſo neruorum diſtentio, Arabice luzezum. Et ſi ad anteriora particulæ tendãtur, emproſthotonos: ſi ad poſteriora, opiſthotonos: ſi in utraq; ęqualiter, tetanus uocatur à Græcis, Latine rigor. Si uero non ad originem ſuã particula deflectitur, ſed præter naturam per uices modo attollitur, modo deprimitur, ſaltus Latine, Græce palmos dicitur, & in barbaris quibuſdam translationibus iectigatio: fitq; quandoq; in ſola cute, quando in ſubiectis ei muſculis aduenit: qui ſi magni fuerint, membrum quoq; uniuerſum ſecum per magna ſatis ſpatia ſaliendo trahũt. Et hi quidem motus à ſolo morbo fiũt.

*Motus biſariam impeditur.*
*Spaſmus.*
*Emproſthotonos.*
*Opiſthotonos.*
*Tetanus.*
*Saltus.*
*Palmos.*

A morbo autem ſimul & potentia tremor fit, potentia quidem mouere membrũ conãte, morbo uero reſiſtente. Ex hoc enim ueluti prælio fit, ut quandoq; membrũ, ueluti potentiæ parens imperio, in eam quam ipſa iuſſerit partem moueri cõtendat: quãdoq; ſuperatum, ceu graue naturali grauium motu deorſum uergat. Accidit autem hoc præcipue in eo motu qui quies uidetur, quẽ

*Tremor.*

Galen

Galenus τονικὸν nuncupat quaſi tenſiuũ diceres, quãdo uidelicet membrum aliquod extremum,ut exẽpli gratia,brachium nulli rei innixi extentum & immobile cupimus conſeruare,tũc enim muſculi uniuerſi,earúmq; chordæ ita fatigantur,ut abſq; ullo etiam morbo ex ſolius potentiæ laxitudine quandoque tremor adueniat, præſertim in ſenibus iam defecta uirtute:ſed & in ualẽtiſsimis iuuenibus,ſi nimio onere preſsi obambulent, uel feræ,uel latronibus occurrant,uel terribilem aliquẽ tyrannum adierint.

Et de neruorũ affectionibus cerebriq; hactenus dictum ſit,iam ad inferiora deſcendamus, ab oculis inchoantes nobiliſsimi ſenſus ſedibus,eóq; præ aliȷs, ut inquit Ariſtoteles,dilecti,quòd plurimum rerum differentias nobis oſtendunt.

*Oculorũ duplex operatio.*

Oculi duplicem habent operationem,ſenſum uidelicet & motũ.Læditur oculorum ſenſus,ſicuti & aliȩ operationes,aut quia non fit,aut quia male fit. Hoc autem accidit,aut primo uiſus inſtrumento,cryſtalloide uidelicet humore patiẽte,aut ui ipſa,ſpiritibus uidelicet deficientibus:uel uiſiuis neruis impeditis,aut aliarum oculi partium quopiam primo inſtrumento ſubminiſtrantium.Omnes autem hæ quas enumerauimus partes,id eſt,quatenus quidem ſimilares,ex quauis octo temperaturarum poſſunt oblædi:quatenus inſtrumẽtales,ab obſtructione,compreſsione,tumore præter naturam, atq; ab eo affectu qui tam ſimilaribus quàm inſtrumẽtariȷs eſt communis,continuitatis ſolutione. Poteſt & ipſe cryſtalloidis humor à propria ſede diuelli.quòd ſi ad maiorem minorémue cãthum accedat,decori quidem multũ,uiſui parũ obeſt:ſi ad ſuperiora inferioráue,cauſa eſt,ut ebriorũ more quicquid inſpicitur,duplicatũ uideatur. Sed & uuea uocata tunica,ſi creſcat,minuatur,diſtrahatur uel diſrumpatur eius foramen, poteſt uiſui obeſſe.augmẽtũ quidem ſemper,ſiue ab ortu ſiue poſt cõtingat,imminutio,nõ niſi poſt ortũ adueniens,quia potius quũ naturalis eſt iuuat:uiſum enim, inquit Galenus,maxime exacuit.Quum uero ex tẽpore minor fit, non paruitatis ratione uiſum impedit, ſed quia eius paruitas malum quempiã affectũ ab humore quem imbibit ſequitur,ipſius uidelicet tunicæ relaxationem,uel tentionem,uel quia humor tenuis,qui eam & cryſtalloidem interiacet,oui albo ſimilis,aliquã ob cauſam exaruit,& minor eſt factus:quare uuea concidens cõtrahitur,& minor apparet,ſpatiúmq; id quod inter eam & cryſtalloidem erat decreſcit. Ad quod etiã facit,quia ipſa cryſtalloides,humore quo madebat deficiente,ſiccior efficitur,& propterea quum per minus ſpatium luci occurrat,non ſecus uiſus læditur, atq; his qui per loca niuoſa diutius detectis oculis ambulant. Altumarem hunc affectum uocat Auicenna.Necnon & his qui non conniuendo ſolem inſpiciunt,quorum nõnullos obcæcatos ſcribit Galenus,egóque hominẽ noui qui ſpectandæ eclipſis ſolis nimio deſiderio uiſum ita hebetem reddidit,ut nullo unquam tempore in priſtinam uim referri potuerit. Non propria igitur ratione uueæ paruitas uiſui obeſt,ſed quia alios morbos ſequitur. Magnitudo autem quum nunquam bona eſſe poſsit,etiam ſi naturalis ſit,plerunque tamen & ipſa alios affectus comitatur.Vbi enim ſubiecti humores prȩter modum augeantur,ipſam quoque extendi & creſcere neceſſe eſt,& inſtar utris ueſicæq; repleri. Sed erit quidem hic affectus uueæ accidentalis,& humoris ipſius proprius,ſicuti & hi affectus,in quibus quantitate ſeruata,uel ſubſtantia uel color eius permutatur. Nam ſi craſsior factus fuerit,& totam pupillã occupauerit, uiſum penitus auferet.Si in centro tantummodo craſſus,res ueluti feneſtratæ uidebuntur. Si diuulſæ craſſæ partes ſint,nec inuicem coëant,ueluti obuolantes muſciones in aëre apparebunt.Si coëant,nec ualde craſſæ ſint,idola quædam non diſsimilia his quæ aliquando à nubibus gignuntur,repræſentantur,ad eos etiam colores uergentia,qui in ipſo humore reperiuntur:nam pro modo coloris ipſius humoris non ſolum idola,ſed etiã res exteriores colorari uidentur. Similes ferè affectus faciunt uiſuales ſpiritus,quos multos eſſe oportet, & inſtar ætheris puros ac ſplendidos, ſi pariter proxima longinquáque diſcernenda ſunt.Vbi enim puri quidem ſint,ſed pauci,proxima exquiſite,longius ſubmota nullo pacto diſcernuntur.At ſi è contrario multi & impuri,longinqua cernit,ſed obtuſe. Si in utroque peccent, neque longinqua, neque propinqua exacte diſcernit.

*Cryſtalloidis humoris à ſede ſua diuulſi, incommoda.*

*Vueæ tunicæ.*

*Corneæ mẽbranæ uitia.*

Sed & cornea uocata membrana,quæ ante pupillã poſita eſt,ſi craſsior denſiórue fuerit,uiſum obtuſum reddit. Si humentior,non ſolum obtuſum, uerum quaſi per nebulam uaporem,caliginem uel fumum uidere facit. Si colore uariat pro illius natura uiſio peruertitur. Longe autem magis uiſus impeditur, ſi uel phlegmonem,aliúmue tumorem,aut ſuppurationem,aut ulcus patiatur. Quòd ſi cuncta hæc effugerit,uix fieri poterit quin ex rugis in extrema ætate contractis, uiſus hebetetur. Superadnata quoque membrana dum inflammationem patitur, per accidens uiſum impedit,communicato uidelicet reliquis partibus nocumento,ſicuti & quãdoque magni palpebrarum tumores.Chemoſis uero & pterygia,non ex accidenti,ſed per ſe, quando uidelicet pupillam operiunt.Et hi quidem ferè affectus ſunt quibus oculi læduntur: ſi quid uero deeſt, ex epiſtola de exterioribus morbis petendum eſt.Scio autem te dicturum,hæc nihil ad rhombum, quando nominum notitiam,non rerum literis epiſtola pollicetur. Scias autem uelim, maiorem horum affectuum partẽ propriȷs carere nominibus: & ſi qui ſunt qui propria ſortiti ſunt nomina, ea ab alia epiſtola ſunt petenda. Hæc autem ueluti parerga epiſtolæ addidimus, ſcientes uix reperiri membrum quod tot morborum genera perpetiatur, & in quorum agnitione plus medici hallucinentur,quum tamen inter inſtrumentalia membra ſit minimum. Vniuerſa tamen hæc morborum congeries,in eam quam ab initio propoſuimus recidit diuiſionem: quia uidelicet ſi magna ſunt,uiſum ex toto auferunt:ſi minora,uel minuunt uel peruertunt. Auffertur autem uiſus uel abſq; manifeſta paſsione, & amauroſin uocant Græci,Auicenna uiſus deſtructionem, recentiores guttam ſerenam: quod ferè aduenit, ipſa ui uiſiua uel in ſe,uel ob inſtrumentum per quod ad cryſtalloidem fertur,uiſualem uidelicet neruum, laborante.Vel à manifeſta,& tunc ad aliquem illorum affectuũ refertur,quos in alia epiſtola nominatos, hic per diuiſionem ueſtigauimus & expoſuimus. At ſi non in totum uiſus deperȷt,ſed non recte fit,aut qualitate peccat,quia ſcilicet quæ uidenda non eſſent cernit, & paroraſin Græci, Auicẽna imaginationem uocat:aut quãtitate,quia ſcilicet minus uident:& ſi manifeſta ſit cauſa,ex ſuperius dictis eſt quærenda, eiúſque nomen ex alia epiſtola petendum:ſi immanifeſta, aut noctu interdiúque perpetua, amblyopiam appellant Græci, & σκνίποντες qui patiuntur:noſtri uiſus obſcurationem,& qui magis Latine loqui uolunt,uiſus hebetudinem, Celſus oculi caligationẽ.Aut interdiu quidẽ recte,occidẽte ſole imbecillius,noctu nequaquã cernunt,& nyctilopas uocãt Græci,Latini luſcioſos,& nuſcitioſos, Celſus oculorũ imbecillitatẽ,nullo ei alio nomine inuẽto. Aut è cõtraria noctu præter cæteros,interdiu hebetius, Auicenna aſiarẽ nominauit.Græci uidẽtur & hos dicere nyctilopas,ſunt tamẽ & qui myopas.Et de morbis oculorũ uiſum impedientibus ſatis ſit dictũ.Motus & ipſe uel in totũ deperit,ſecunda neruorũ cõiugatione oblȩſa,à qua ſex muſculi oculũ mouentes uim motricem accipiunt.Si uero nõ totus neruus in ipſo trunco lædatur, ſed aliquis eius ramus, unum ex ſex muſculis nuper dictis componens,ille tãtũmodo motus impedietur qui à muſculo læſo fieri conſueuit.Conſtat autem oculum introrſum,extrorſum,ſurſum,deorſum,dextrorſum,ſiniſtrorſum,à proprio & ſuo cuiq; motu accommodato muſculo moueri. Sexcuplex igitur nocumentum in oculi motu pro alius & alius muſculi uitio poteſt contingere:aut enim retro actus extrà ferri nõ poterit, aut è cõtrario,aut in uno latere fixus ad alterum nequit deflecti,uel ſurſum deorſumúe manet immobilis.Sũt prȩterea & aliȷ muſculi per quos totus oculus circũuoluitur,& aliȷ per quos mollis neruus,qui & uiſualis dicitur,ſuſtinetur.Illis igitur offenſis,circũuolutio impeditur,his totus oculus procidit atq; à ſede ſua dimouetur. Horũ autem affectuum uel non ſunt propria nomina, uel ſi qua ſunt, ex alia epiſtola petantur. Sed in oculis diu morati,iam ad aures tranſeamus.

*Superadnata.*

*Chemoſis.*

*Pterygia.*

*Amauroſis.*

*Paroraſis.*

*Imaginatio.*

*Amblyopia.*

*Nyctilopes.*

*Motus oculorum unde lædatur.*

*Auditus impedimenta.*

Auditus trifariã,ſicut actiones aliæ,impeditur.Aut enim in totũ aufertur,& κώφωσιν Grȩci,Latini ſurditatem: aut imbecilliter,& δυσηκοΐαν,uel βαρυηκοΐαν illi,hi imperfectum ſiue imminutũ,uel grauem auditum,Auicenna taraxen. Aut corrumpitur,quia ſcilicet interius auditur quod exterius non ſonat,& illi ἦχον uel παρακοΐαν,Auicẽna ſonitũ,tinnitum & ſibilum nominauit. Sequuntur

huiuſce

huiuſcemodi caſus uel auditiuæ potentiæ læſionē, auditorij uidelicet nerui, aut partis cerebri unde oritur, uel inſtrumentorum primi ſcilicet, aut eorum quæ illi deſeruiunt ob læſionem. Hæc autem fit uel ab aliqua una ex diſtemperantiis, uel ex tumore prēter naturam, uel ex obſtructione, uel continui ſolutione. Ex quibus morbis interdum dolor ſequitur, quem ὠταλγίαν Græci uocant. Aliis præterea affectibus affligitur, quos quum alia epiſtola recitauerimus, ad nares tranſibimus.

*Nares.* Nares inſtrumentum quidem ſunt olfactus, alio tamen modo quàm oculi uiſus, & aures auditus: ſiquidem in his duobus id cōtinetur, quod eſt propriū ſenſus inſtrumentum. Nares olfactui quidem & ipſæ miniſterium præbent, proprium tamen inſtrumentū non in ipſis, ſed in anterioribus cerebri uentribus reſidet, ſicuti apertis rationibus à Galeno proprio commentario demonſtratur. In alio quoq; nares à prædictis duobus inſtrumentis differunt, quòd præter olfactum duobus etiam muneribus deſeruiūt, ſpirationi uidelicet & excremētorum cerebri expurgationi: ex quo fit ut plurium modorum morbis pateant. Singula enim trium operationum trifariam lædi poteſt. Et ut à prēcipua incipiamus, aut olfactus penitus tollitur, aut nō recte fit: utrunq; autem horū, uel læſo organo primo, uel aliis ei deſeruientibus, poteſt accidere. Primū affectum priuationem olfactus uocamus. Secundus biſariam ſecatur, ſicuti & reliqui ſimiles. Aut enim minuitur, aut corrumpitur, atq; hoc adhuc dupliciter: aut enim ſentiuntur quæ ſentienda non ſunt, ut cum nullo præſente odorabili, odor monſtratur: aut quæ boni odoris ſunt, mali putantur: uel è contrario olfactum in his corruptum, in illo diminutum dicimus, nec alia propria nomina in his affectibus inueniuntur. Spiratio quoque pariter uel in totum deperit, uel male fit, propriiſq; nominibus & hi carent affectus, à quibus hæc impedimenta contingunt. Excrementa quoq; uel nequaquā exire poſſunt, uel uix exeunt, uel talia exeunt qualia exire non deberent: & quum uel ſanguis effluit, uel corruptę quædam res & fœtentes, κόρυζαν uocant Græci, grauedinem Latini, quum materia per os, quod quia foraminulentū eſt,

*Naſitas.* ἠθμὸν, id eſt, colatorium Græci uocant, defluens naſitatē quandam & uocis læſionem facit, ſeu, ut inquit Celſus, nares claudit, uocem obtundit. Sequuntur uniuerſi hi affectus uel cerebri, uel oſsium, quod colatorium diximus appellari, aliquem morbum, malam uidelicet temperaturam, aut compoſitionem, uel ſolutam continuitatem: nec facile aliquem inuenias, qui in dictorū

*Sternutatio.* quempiā non referatur. Sternutatio enim, quā Græci πταρμὸν uocant, nihil aliud eſt quàm uehemens quædam per nares expiratio: quæ quum à natura fiat, expellere à ſe id conante quod eam infeſtat, non proprie & neceſſariò morbum ſequitur. Et de narium morbis hæc dicta ſint: ſi qua uero deſunt, ex alia epiſtola petantur.

*Linguā infeſtātia mala.* Lingua quoq; quū triplici officio, ſenſus ſcilicet, tactus & guſtus fungatur, trinæ iacturę ſubiacet, quarum ſingula ſecundum ſæpe dictam operationum lęſionem trifariam quoq; multiplicatur. Patitur etiam ob cōmunionem quam cū cerebro habet: motum enim à ſeptima neruorum cōiugatione ſuſcipit, & à tertia ſenſum. Quare hac oblœſa, motus, illa ſenſus impeditur. Maior autem eorum pars uel propriis nominibus caret, uel ſi nomina propria habent, ea ſunt in alia epiſtola enumerata.

*Trauli.* Inuenio tamen τραύλοι à Græcis uocari, qui eas dictiones proferre nequeunt in quibus t r literæ coniunguntur, ſicuti in uoce ipſa traulorum.

*Pſelli.* Sunt & qui ψέλλοι eoſdem uocēt, Latine balbos, Auicēna caras & alchaēl. Alio tamen loco alſete & altete numerat inter huiuſcemodi impedimenta, uocibus, ni fallor, à ſonitu qui in loquendo fit àcceptis. Eos uero qui penitus loquela carent, ἀφώνοι Græci, Latini mutos.

*Labia.* Labia uolūtario motu per proprios muſculos ad omnē poſitum mouētur, nec ſine eorum motu aperiri plenè os poteſt. Soli tamē eorum muſculi ad hoc munus nō ſufficiunt, ſed præter illos hi qui inferiorem maxillā mouent, ſunt neceſſarii. Aliquo igitur horum muſculorum laborante, impediri eius officiū neceſſe eſt: & propterea contingit, ut uel os reſerari non poſsit, uel ſemel apertū nō amplius claudi, uel dextrorſum aut ſiniſtrorſum, ſurſum uel deorſum, diſtractum aut laxatū permaneat. Horū autē affectuū, præter cynicum uocatū ſpaſmum, de quo alia epiſtola tractauimus, nullus, quod meminerim, nomē propriū inuenit. Auicenna caput ſcripſit cui eſt titulus, quando os remanet apertum.

*Fœtida expiratio.* Exit aliquando ex ipſo ore res, quæ uel exire in nullo ſano debet, uel non ea quantitate aut qualitate. Horum unum eſt quod nullo faſtidio patientē, maximo afficit eos qui ſecum uerſantur, fœtida uidelicet expiratio. Aliud, quod eum tantū qui patitur, ſanguis tertium: quod utrunq; ſputum uel ſaliua præter modum effluens, præter hæmoptoicos, hoc eſt, ſanguinem expuentes, nullum proprium nomen obtinuit.

*Dentes.* Licet dentes omni morborum generi & per ſe ſubiaceant, & per communionem cerebri gingiuæ & nerui laborent, de omnibus tamen non tractauerunt medici, nedum quòd ſingulis nomina propria impoſuerint. Videtur enim ſymptomata potius quàm morbos eorum annumerauiſſe, à dolore ferè inchoantes, quem ὀδονταλγίαν Græci uocauerunt. Hunc certū eſt à ſimilibus cauſis fieri, à quibus in aliis fit membris, à ſoluta uidelicet continuitate, uel mala tēperatura, uel ipſius dentis, uel nerui, uel gingiuæ. Alterum addit Auicenna ſymptoma, quod uocat dentis commotionem, quod certe ab ægritudine in ſitu dependet, quoniam uidelicet non bene gingiuæ dens cohæret, σειομένους dentes uocant Græci. Addit & Auicenna caput de perforatione & corroſione, atque poſt id aliud cui titulus de ruptura & corroſione. Græci βεβρωμένους, dicunt eos qui corroſi ſunt, perforatos uero τετρημένους. ſicut perforationes τρήματα, βρῶσιν & βρῶμα, corroſionem uel eroſionem. Fractos uero uocat Galenus, τεθραυσμένους. Quare error ſubeſſe uidetur apud inſcriptionem ſecūdi capitis Auicēnæ, quum de ſola ibi fractura ſcribitur, non de corroſione. Scribit quoq; Auicēna de alteratione coloris dentiū. Gale. πελιδνουμένους quodā loco uocat, quaſi liueſcentes dixeris. Alio loco μεμελασμένους, hoc eſt, denigratos. Sed ad alterā potius epiſtolā hoc pertinebit. Meminerūt quoq; Græci dētiū ῥευματιζομένων: poſſumus fluxionem patiētes appellare. Eſt & apud Auic. caput de facilitate originis dentiū, Galen. ὀδοντοφυοῦντας infantes uocat eos qui dētire incipiunt, ſic enim Latini loquūtur. Tali præterea modo afficiuntur, ut neq; calida neq; frigida tolerent, ſed ab utroq; uel altero doleāt: hebet Auicen. uocat: apud Gręcos uero uel Latinos proprium nomen affectus hic nō inuenit. Stupent interdū adeò, ut uix ma ſticationi ſeruiāt, congelationē Auicenna, αἱμωδίαν Gręci uocant. Strident præcipue in ſomno, ὀδοντοβρυγμὸς à Græcis dicitur. Vermes quoq; ſentiunt. Gingiuæ & labia, pręter ea quę alia epiſtola numerata ſunt, nullum incōmodum patiūtur, quod propriū nomē ſortitum ſit: & propterea his obmiſsis intimius procedentes, fauces primò, & poſt eas guttur inuenimus. Eius partis quæ à Græcis φάρυγξ, à Latinis fauces uocātur, interioribus muſculis inflammatis fit συνάγχη, exterioribus παρασυνάγχη. Gutturis uero, quod λάρυγγα uocāt interioribus muſculis inflāmationem patiētibus κυνάγχη, exterioribus παρακυνάγχη generatur: ita enim, ut refert Galenus, recētiores Græci medici diſtinguebāt, quum Hippocrates omnes horum locorum affectus ſpirationem quoquo modo deteriorem reddentes, una uoce cynanchas nuncupauerit. Ipſe autem Galenus res potius quàm nomina ſequēs, quinq; eius genera numerauit ex Hip. in prognoſtico collecta, primum ubi fauces phlegmonem patiuntur: ſecundum ubi non fauces, non os, nec ulla pars quę uideri poſsit inflammatur, ſuffocationis tamen periculum in gutture ſentitur. Tertium, ubi extrinſecus circa fauces inflammatio apparet. Quartum ubi gutturis tam internæ quàm externæ partes affectæ ſunt. Quintum ab aliјs prætermiſſum, ubi ad interiores partes uertebræ luxantur.

*Angina.* Latini anginam communi nomine omnes huiuſcemodi affectus uidētur nominaſſe: quāquam nec fortè errauerit qui eas inflammationes quę exterioribus muſculis accidunt, iuxta anginas nuncupauerit. Celſus, quod fortè quiſpiam miretur, uoce ex Latina Græcáque compoſita, utiſynanchen uocat, ubi fauces linguáque iam rubore intumeſcunt, uox nihil ſignificat, oculi uertuntur, facies pallet, ſingultúſque eſt. ubi uero tumor & rubor tantummodo eſt, cætera non ſequuntur, paraſynanchen à Græcis dicit appellari. Auicēna ſuffocationis & alabæ nominibus uniuerſa hæc comprehendit. Neque hæc tantum, ſed & ſtomachi, quem ipſe merin uocat, tumorem eodem capite comprehendit. Malum autem quod exerere linguam cogit, & os aſsidue hians & apertum tenere, caninum nuncupat, cynanchen Græcorum uolens ſignificare, quāuis in ipſa re ab illis recedat, ut bene

conſi

consideranti apparebit. Alabæ autem uoce eam suffocationem significare uidetur, quę ab aliqua exteriore causa uiolenter fit, ut aqua uel laqueo, Græci ἀπαγχομένους, id est suffocatos, de quibus Hipp. 2. lib. in aphor. Ex strāgulatis & nondum dissolutis &c. Suscipiunt eadem loca

*Catarrhus.*

destillantes à capite humores, κατάῤῥουν Paulus uocat, si in palatum & fauces materia descendat, Latini destillationem. Sunt tamen qui his nominibus in omni à capite in inferiores partes fluxione, promiscuè utūtur. Vbi uero ad guttur asperámq; arteriam humor descendit, ita ut madente interiore pellicula uox raucescat, βράγχον uel ἀρτηριακὸν Græci, Latini raucedinem nominant: quam passionem ex magna quoque uociferatione uel aëris frigidi inspiratione posse contingere, & Paul. asserit, & experientia ipsa confirmat. Est autem raucedo sympto-

*Raucedo.*

ma, uocis uidelicet corruptio. Trifariam enim & ipsa uox læditur: aut enim in totum deperditur, & ἀφωνίαν Græci, nos inuocalitatem dicere possumus: aut non bene fit. Aduenīūt autem hæc nocumenta non solū ob gutturis morbos, sed ob aliorum quoq; ad uocem cōcurrentium instrumentorum oblæsiones. Ad formandam enim uocem, præter uim à cerebro per recurrētes uocatos neruos transmissam, multa concurrunt, quæ à Gal. commentario peculiari de uoce inscripto, ut alia taceam loca, seriatim enumerantur: inter quę primum est

*Expiratio.*
*Exsufflatio.*

expiratio, quæ fit à contrahentibus thoracem musculis. Secundum, quasi uocis materia, exufflatio: hac enim deperdita, uocem perire est necessarium: exufflationem faciunt musculi qui inter costas sunt. Perforatis igitur musculis illis uel thorace, tota uocis materia deperit, atq; homo penitus obmutescit, strepitum facit exufflatio per faucium musculos, uocem per gutturales, loquelam per linguam, que articulatim uoces distinguit, coadiuuantibus dentibus, labris, narium foraminibus, palato, gurgulione. Iuxta igitur alicuius istorum lęsionem atq; læsionis modum, & uox & loquela uel in totum, uel in parte aufertur, uel non qualis fieri debet aut solet efficitur, sed modo nulla, modo media tantum, modo rauca, modo resonans, modo tenuis, modo aspera aut obscura redditur. Auicenna tenuem appellat breuem, subtilem facit contrariam tenebrosæ, eam tenebrosam uocans quam Galen. obscuram, sicuti crassam quam ille resonantem. Ab aspera arteria ad pulmonem accessuri, primo eorum morborum nomina perscrutabimur, qui maiorem communionem cum mox recitatis habere uidentur, qui uidelicet spirationi nocumētum præbent. Horum tria præcipua sunt genera, δύσπνοια, ὀρθόπνοια, ἆσθμα. Primam spirandi difficultatem: secundam, rectam spirationem: tertiam, anhelationem uel suspiriū Latine possumus nuncupare. Medicorū uulgus hanc asma, illam disniam, mediā uocāt orthomiā. Pulmonibus omnia morborum genera possunt con-

*Pulmonum morbi.*

tingere, inter quæ præcipua est inflammatio, Græci περιπνευμονίαν, Arabes uoce parum mutata peripleumoniā, ex Latinis nonnulli pulmonariam uocant. Bile autem sanguini admixta, ipso tamen superante sanguine, fit phlegmone erysipelatodes, sicuti cōtrà bile exuperante erysipelas phlegmonodes, & utrisq; æqualibus phlegmone & erysipelas. Possunt & in ipsis pulmonibus alij tumores contingere, durus uidelicet, laxus & inflatiuus: qui quòd rarò admodū cōtingunt, propriū nomen non inuenere. Potest & quandoque in ipsa corporis substantia aqua congregari, quæ res etiam nomen aliud non inuenit. Inflammationes uero pulmonis quę dictæ sunt, in maiores minorésue abscessus transire possunt, qui nisi resoluantur, suppurati atque disrupti, pure inter thoracem & pulmonem congregato, affectus fit qui ἐμπύημα dicitur, à quo ἐμπυικοὶ dicuntur qui eo infestātur, nos generali uocabulo suppuratos nuncupamus. Interdum tamen non ex disrupto abscessu, sed ex pituita longo tempore ibidem putrescente idem affectus gignitur. Sed & interdum ex ulcere manat post sputum

*Phthisis.*

sanguinis nō agglutinato: quod quidem ulcus si in pulmone fuerit, statim phthisis sequitur, quam tamen proprie Græci φθόην uocant, definiūntq; totius corporis cū parua febre extenuationem, pulmonis insanabilia ulcera consequentem.

*Hactenus Manardus: reliquam huius epistolæ partem, morte præuentus, uir ille perpetua uita digniss. imperfectam reliquit.*

EPIST. IIII. *Ioannis Manardi, ad Bachiensem Canonicum, dolore capitis & artuum, cum sanguinis mictu, & præuio quodam ad elephantiam affectu laborantem.*

MOrbi longi, longam curationem desiderant: difficiles diligentiam: qui utrumque habent, præsertim cum sunt plures, maximo studio & cautela indigent. Quum igitur patiaris dolorem antiquum capitis & articulorum, cum sanguinis mictu, præuióque quodam ad elephantiasin affectu, quæ in facie iam & unguibus exerit se manifeste, si uitam propriam diligis, non secus ac pro animæ salute diuina, sic nostra pro corporea obseruare præcepta debes: quæ sunt, Victus parcitas, laborum & curarum moderatio, ueneris fuga, uigiliæ & somni æqua distributio, ita ut non minor septem horis somnus sit, nec maior octo: nocturnúsq; potius quàm diurnus: & si necessitas dormire interdiu coëgerit, ante cibū potius, quā post dormiendū. Sempérq; cauēdū, ne statim à cibo somnus occupet, sed duarū horarum interuallo ad minimū discludatur. Durum sit stratum, lana potius quàm pluma oppletum, corióq; potius quàm panno opertū. Idem de ceruicali intelligatur, quod etiam satis esse debet elatū & eminens. Caput leui operimento interdiu, leuissimo noctu tegendum. Summoperéq; uitādum, ne uel mora in sole, uel prope ignem, uel in æstuarijs seu hypocaustis, uel alio quouis modo præter modum calefiat.

*Somnus à cibo perniciosus.*

Renes etiam & hepar à calore, quantum fieri potest, defendenda: ideo conandū ne etiam hyeme pelles corpori proxime hæreant: & propterea uestis pellicea, si quando ea utendū, lata esse debet, nec per zonam arctius corpori adnecti. Cibis his uescendum: Panis sit bene coctus, salitus, fermentatus, & ab exteriore crusta emundatus. Caro sit uituli, hœdi, ueruecis anniculi. Pulli gallinacei, capi, phasiani, perdicis, auicularum, turturum. Pisces uel parui, uel lucij, uel hi qui ab eo quod assari solent, nomen à uobis acceperunt. Oua gallinæ recentia, & uel sorbilia, uel in aqua cum omphacio leuiter cocta. Vniuersa aromata penitus interdicuntur. Ex oleribus maxime conueniunt, intybum tam domesticum, quæ dicitur eudiuia, quàm syluestre, quod cichorium uocant. Item utraq; buglossus, scilicet quàm boraginem, & quam communi nomine buglossam appellant. Lactucas quoq; concedimus, atriplices, & spinacia. Oxylapathon, quod acetosam uocant, commendamus. Ex granis ordeū, auenam, far, oryzam, miliū, panicum, tantū concedimus. Ex fructibus cerasia acida, bona uestratia pruna, bistricia quæ à loco dicitis, & pira, uuas uel suspensas in sole, uel penitus exiccatas, cōcedimus, & amygdalas, & auellanas. Casei usus, nisi recentis, & raro, prorsus abdicetur. Cappares & asparagos non uetamus, si cum melle & aceto condiantur.

Aceti tamen rarus sit usus, & si quando utendū, passulæ in eo antè maduerint. Oleo oliuarum condiri, & panē de more patriæ, & alia iusculēta, potius quàm butyro, uolo: reliqua olea præter amygdalinū prohibeo, immodicámq; qualiscunq; sit pinguedinem. Omnia animalium interanea, præter gallinarum hepata, dimittantur. Cauenda omnia sale condita, uel etiam nimiū salita. Et hæc quidem de cibis dicta sint, illud semper in mente habendo, quòd quæcunq; concessa non sunt, prohibita intelligantur. Potus sit uinum lene, album, uel subrubrum, clarum, nō dulce, sed potius ad acerbum inclinans, cui tantum aquæ misceatur, ut omnis ad caput euaporatio, omnísq; acuitas amoueatur: quod fieri in uestris uinis uix posse uidetur, nisi ut minimum tertia pars aquæ addatur. Neq; uinum, neq; aqua quæ bibitur, est aut glacie, aut niue, aut alio ingenio infrigidāda, sed præsertim hyeme, potius ad tepidū uergat. Ex alijs potibus, aquā cum saccharo, uel cū exiguo melle coctā concedimus, & eos qui cū syluestribus pomis uel piris, parantur. Aquā quoq; olerum, de quibus suprà mentionem fecimus, per modum quem destillationem dicunt, extractam. Non autem loturo balneum puræ aquæ, nisi in ea herbæ, quas infrà scribemus, ebullierint, sed aquarū sponte calidarū laudamus. Moderatis uero etiam frictionibus in partibus non læsis, utendum. Enitendum porrò ut quotidie uētris excremēta exeant: quod si natura per se non fecerit, uel enemate,

uel

uel balano, uel maluarum & braſsicæ iure eſt irritanda. Nonnulla tamen infrà inter medicinas ſcribemus, quæ huic rei poterunt ſubuenire. Vehementes animi affectus fugiendi, ueluti ira, triſtitia, cogitatio. Sed & clamor quoque, riſus effuſus, rixa, & contentio. Odores magni, præſertim rerum calidarum, ſunt euitandi, ut moſchi, ambræ, ſtyracis, binzoi, chamæmeli, eius ſpicæ quam lauandulam uocāt, & ſimilium.

Et de his quidem quæ ad rationem uictus attinent, hæc dixiſſe ſat ſit: ſi qua enim deſunt, ex dictis facile poſſunt intelligi. Nunc ad medicamenta tranſeamus. Non enim ſat eſt bono uictu, ne malus gignatur ſanguis, præcauere, ſed ſimul quoque antiqui corruptio, ita medicamentis purganda eſt, ut ſimul malitia auferatur, & bonus ſanguis paulatim ſubnutriatur.

Membra quoque principalia roboranda ueniunt, in quibus uirium uigor reſidet, & quæ infeſtant accidentia mitiganda.

Ad primum exequendum, præter tres iam factas uenæ ſectiones, uariáſque purgationes, ſummè confert per uices, modo aquam in qua cichorium & borago bullierint, in aurora bibere, modo ſerū caprinum. Quibus ſi aluus adſtricta fuerit, cochleare magnum fecis uini albi tenuiter contritæ adiiciatur. Aeſtate autem ſemel in hebdomade, quinque ex catapotiis eadem hora ſumendæ, quæ habent, Aloēs lotæ, agarici electi, ſenæ ana ʒ. I. s. myrob. citrinorum ʒ. s. roſarum ℈. I. diagridij grana 15. pilularum de lapide lazuli ʒ. I. id eſt, de lapide cyaneo. Cum ſucco roſarum fiant pilulæ numero 35.

Vbi calores remitti cœperint, ineunte autumno, extracta prius ex media ſiniſtri brachij uena ſanguinis ſelibra, ſeri caprini binis calicibus, quatuor ebuli molles ramuſculi, & medius cētauri pugillus, ueſperi immittenda ſunt. Hinc poſtridie mane herbæ excolādæ, & ſerum bibendum, ſinguláque hebdomada quinque ex his pilulis ſumendæ, quæ recipiunt, Aloēs hepaticæ, ſenæ, agarici, corticum hellebori nigri, myrob. Indorum ana ʒ. I. diagridij, nucis unguentariæ, quam moſchatam uocant, roſarum ana ℈. I. Cum decoctione tenuioris centauri fiant pilulæ 35.

Herbæ in aqua ubi balneandum coquendæ. Calamentum, ſerpillum, hyſſopus, lapathium, fumus terræ, hoc eſt capnum, ſaluia, chamæmelon. In quo balneo ſudor eliciendus eſt, uaſe in quo fiet (ut aliàs diximus) cooperto. Vnguento omnia membra, mane tertio quoque die ungenda, quod recipit, Vini albi Sirmici uel Cretici libr. I. florum chamæmeli, fructuum Populi uel abietis ana unciam. Excoquatur dimidium uini, atque uino excolato adde tantundem chamæmelini olei, & tantiſper ambo in duplici uaſe ſimul bulliant, donec totum uinum ſit conſumptum.

Regio uentriculi & hepatis, ſæpe ante cibum uino rubro fouenda, in quo par abſinthij & roſarum portio cocta ſit. Caput ſingula hebdomade bis lixiuio ex ſublimi uaſe cadente abluēdum, in quo hæc bullierint: Roſæ, chamæmelon, ſampſuchus, id eſt maiorana. Sacculus ſiniſtræ mamillæ ſuperponēdus, qui ex roſis, maiorana, meliſſophyllo, id eſt, meliſſa, & gariophyllis plenus ſit. Dolentia loca hoc unguento linenda: Olei uulpini uncias 4. pinguedinis tauri uncias 2. caſtorei drachmam I. rutæ ſiccæ ſemunciam: euphorbii, piperis ana drachmā s. ceræ q; quātum ſufficit: fiat unguentum molle. Singulo quoq; menſe luna plena, duæ cucurbitulæ natibus, duæ dorſo adhibendæ, atq; cum his tres unciæ ſanguinis in totum extrahendæ, bíſq; in anno, ineunte uidelicet uere, & iam cœpto autumno, uena media ſupra ſiniſtrum cubitum aperienda, & ſelibra ſanguinis auferenda.

Regio renum ex unguento quotidie ungenda, quod ex oleo & aqua roſaceis, oui albumine, ſtilla aceti addita, compoſitum ſit.

Sequenti die quo pilulæ ſumptæ fuerint, caputpurgio naribus impoſito cerebrum purgandum, quod uel ex betæ radice, uel ex maioranæ ſucco, uel ex pipere naribus inſufflato, uel ex batrachii radice, quod pedē columbinum uocāt, uel ex chelidonii, uel anagallidis ſucco fiat.

Doloribus per hæc quæ ſcripſimus auxilia nō interquieſcentibus, ulcus aliquo ingenio in ſiniſtri brachii exteriori parte excitandum erit, octo digitis ſupra cubiti iuncturam, longóq; tēpore ciceris grano impoſito ſeruandum, & quotidie expurgādum. Manus ſæpenumero immergantur in aquam, in qua calamentum, lapathum, & ſulphur bullierint. Brachium & crus dolentia, illota lana tegenda ſunt. Vehementer infeſtantibus doloribus, antidoti cuiuſdam quam dabimus, hora ſomni ſumēdum eſt, quantum eſt aurei pondus: nec hoc aſsidue, ſed per magna interualla, & magna urgente neceſsitate faciendum.

*Ad antiquos articulorum dolores efficaciſsima.*

Poteram finem feciſſe, ſed placuit nonnulla adiicere, ad dolores articulorū antiquos efficaciſsima: quę ſunt, ſemen & folia urticæ, cum adipe urſi inuncta.

Oleum in quo uulpis uiua impoſita tantiſper bulliat, donec caro colliquetur. Debet autem integra ſicuti eſt, cum pelle imponi. Stercus caprinum cum farina ordei & aceto, ad formam cataplaſmatis reductum.

Radix althęę cocta, & cū adipe anatis cōmixta, oleū in quo radices enulæ bis uel ter permutatæ ebullierint.

Rapa in iure pingui bene cocta. Sacculus ſale contrito plenus in uino bulliente ſæpe calefactus. Stercus bouinū calidū, ut exit, modo cataplaſmatis applicatū, uel cum irino oleo calefactum. Lotio in aqua, in qua ſales, & medius ſambuci cortex ebullierit. Chamæpityos, quam iuam uocant, pugillus, in uino coctæ, ſi ex uino locus dolens lauetur, & herba ipſa calida ſuperligetur.

His adhibitis remediis, ſpero D.T. quotidie in melius profecturam, ſupremo adiuuante medico, in quo ſolo uera ſalus conſiſtit, domino noſtro Ieſu CHRISTO, cui honor, gloria, & imperium, Amen. Budæ. XXVI. Maij. M. D. XVI.

## EPIST. V. *Ad Cælium Calcagninum, uirum undequaque doctiß. de Taxa lauri ſpecie. Quòd Milos & melia confundantur apud Plinium.*

*Plinii locus caſtigatur.*

TAxam lauri ſpeciem nullibi, quod meminerim, præterquam apud Plinium legi, quo fit, ut errorem omnino ſubeſſe eo loco putem, non librariorum qui Plinium ſcripſere, ſed uel autoris quem ille ſit ſequutus, uel cuiuſpiam ex his quorum opera utebatur in excerpendis quæ de uniuerſæ naturæ hiſtoria in tam uaſtum uolumen congerebat. Deceptum autem illum, quiſquis fuerit, duorum nominum uicinitate, fraxinúmq; in taxum commutaſſe: illam enim μελίαν, hāc μίλον nonnunquam appellant Græci. Eſſe autem quandam fraxini ſpeciem laureis foliis, poſt Theophraſtum Plinius lib. 16. cap. 14. teſtatur: in quo etiam capite ex earūdem Græcarum uocum ſimilitudine duplex error (ni ego potius erro) deprehenditur. Vnus, ubi fraxinū quæ ſit in Ida Troadis, in tantum citro ſimilem dicit, ut emētes fallat cortice ablato: quod nō de fraxino, ſed de taxo ſcribit Theophraſtus. Nec mirum eſt μίλον in μελίαν mutatam, quum & cedrus in citrum tranſierit. Alius error eo loco uiſitur, quo folia fraxini iumētis mortifera ſcribūtur: quod de taxi foliis, non fraxini, tradit Theophraſtus. Sed & ſenſus ipſi præter Theophraſti autoritatem utrāq; rem eſſe ut Theophraſtus uoluit, nō ut in Plinio legitur, demonſtrant, maximam ſcilicet inter taxi & cedri ligna ſimilitudinem, nullam fraxinei ad citrinum uel cedrinum. Iumenta etiam innocue foliis fraxini ueſci, nullus eſt paſtor qui non nouerit. Si igitur pro taxo bis fraxinus legitur libro 16. quis non ſuſpicetur, ſemel libro 15. eadem lapſus cauſa concurrente, pro fraxino legi taxum: pręſertim nulla inter laurum & taxū ſe oſtendente affinitate, nec alio loco uel apud Plinium uel alium autorem huius taxæ lauri inuenta mentione. Nec eſt ut aliquis mihi obijciat, fraxinum aliquam eſſe quidem lauri foliis ſimilem, non magis tamen numerari inter lauri ſpecies ullam quæ fraxinea dicatur, quàm quæ taxa. Dicimus enim eo capi. quod eſt libri 15. ultimum, non ſolas ueras lauri ſpecies, ſed & multas plantas quæ lauro uel nomine uel effigie ſunt ſimiles, numerari, ueluti chamædaphnem, Alexandrinam, & daphnoidem: inter quas nemo miretur & arborem hanc reponi, quæ licet uera fraxinus ſit, foliorum tamen figura laurum repręſentat. Hæc ſunt quæ meæ mihi dominæ, podagra & chiragra, & meditari & ſcribere permiſerunt: quarum tyrannidi condonandum, ſi quid caſtiſsimas tuas aures offenderit. Vale doctorum doctiſsime, & amicorum amiciſs. Ex ædibus noſtris 1524.

# IOAN. MANARDI

## EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER OCTAVVS.

### EPIST. I. *Ioannes Manard. Marcello Vergilio uiro doctiſs. S. D. Examinantur eiuſdem interpretationes libri primi Dioſcoridis.*

ONTIGIT neſcio quo fato,Marcelle doctiſ.ut paulò poſtquàm Dioſcorides tuus ad nos peruenit, dolore pedum uexatus, ſurgere è lecto per dies multos non potuerim. Cui malo non aliud magis præſentaneum remedium inueniens,primum tuæ interpretationis uolumen ſine interſpiratione percurrens, magnopere leuatus ſum.Reconditam lectionem, exactiſsimã diligentiam,grauiſsimum iudicium,&(quod ueluti noſtro ſeculo rarius, impenſius ſum admiratus) ingenuæ mentis candorem in eo apertiſsime cognoſcens. Huic maxime confiſus, ſimili ingenuitate & notare, & tibi ſignificare non ſum ueritus, quæ inter legendum non uſquequaque à me probata ſunt:Non monendi tui gratia,ut quem in eo albo eſſe dudum ſcierim, ut docere, non doceri, à mei præſertim ſimilibus,debeas: ſed duo ex hoc labore, ſi meum hoc ſtudium non penitus fueris aſpernatus, lucraturus, profectũ uidelicet, & tuam amicitiam:ad quam mihi nihil deeſſe putabam, niſi ut qui à me ob eximias & tota Europa notiſsimas animi dotes diligeris,hoc ipſum à me diligi te ſcires:non ambigens,quæ tua prædicabatur humanitas, quin me uiciſsim eſſes amaturus. Hac ergo ſpe animatus à procœmio exordior.

*Ex procœmio.*

In quo non probo quod pro ἀκμὴ Græca dictione,integram ætatem conuertas: licet enim ea interpretatio eo loco fortè poſsit tolerari, frequenter tamen ἀκμὴ in alio ſignificato, & ab ipſomet Dioſcor. & ab aliis medicis uſurpatur, cui non uidetur poſſe integra ætas cõuenire:ſicuti (ut reliqua omittã) in 1. Aphoriſmorum Hippocratis lib.ubi,Galeno teſte, ſummum in morbis oſtendit: cui quemadmodum nec ætas, ita nec perfecta ætas,niſi per impropriam quandam tranſlationem uidetur quadrare. At ſi conſiſtendi uigorem, Celſum ſequuti,prò ea reddiderimus,non ſolum in herbis & morbis,ſed aliis quoque in rebus uim dictionis, meo iudicio, commodè exprimemus. Et hoc quidem in procœmio.

*Ex cap. 1. de Iride.*

*Annot. I. Iris Illyrica.*

IN IPSO uero tractatu, cap.de Iride, ſuſpectum eſt mihi quod dicitur, Illyricam non ſine cauſa commendari,quoniam frigida & aquilonia regio eſt, quo cœli ſtatu & afflatu materia omnis in omnes uſus melioreſcit.Nam præter id,quòd magna ex parte Illyrium ab aquilone rectum auſtrum proſpectat,quicquid ſcribat Plinius,medicinales herbę ex Creta meridionali inſula, ad Galeni uſque tẽpora Romam portabantur : feréque medicinalis materia, ab auſtro potius quàm ab aquilone,& nũc petitur, & à maioribus noſtris petebatur. Ego igitur non Aquilonis gratia præferri Illyricam iridem puto,alioqui Threſſam & Dacam magis cõmendare oporteret:ſed quia in Illyrio melior ea ratione naſcatur,qua hîc ſegetes, illic ueniunt felicius uuæ, quod ſoli cauſa præcipue fit, aëris circunfuſi frigus non admittentis,& internum calorem adſeruantis, ut Theo-

*Creta herbarũ medicarũ ferax.*

II. phraſtus libr.6.de cauſis plantarum teſtatur. Eodem cap.ubi de floribus agitur,res ipſa facit ut Hermolaum magis probem:ſcribentem flores in caule ipſo alternis ſemper coliculis inflexos:uel, ſi uerba malumus ſequi, flores in caule æqualibus inuicem ſpatiis inflexos.In bonis enim codicibus legitur,ἄνθη δὲ ὑπὸ καυλῷ παράλληλα, ἐπικαμπῆ. Nam in uniuerſo quoque caule, non in ſummo tãtum(ut ais)flores uiſuntur:nec ſinguli, ſed in uno
III. caule plures. In eorundem quoque florum colore non placet, quòd duo illa uerba, ποικίλα ὁρῶνται, ideo,ut ſcribis, in participium *uariantes* conuerſa ſint, quod Iris cum luce colores mutet:certi enim ego & ſtati coloris flores in Iride ſemper uidi,nec ex lucis modo, ſed ex natura ipſa plantæ & loco ubi creuit,uariantes:nam præter purpureos,qui paſsim uiſuntur, cãdidos, pallidos, luteos,cæruleóſque aliquando conſpexi, uirides nun-

*Iridis flores non mutare colorẽ.*

IIII. quam:ut probandi etiam mihi uideantur qui ὠχρὰ pallidos intellexerunt,conſuetiore apud medicos illius dictionis ſignificatione,quàm tu qui uirides.Ita conſtantis tamẽ ſingulos coloris ſemper animaduerti, ut quocunque ſitu,& ad quamcunque lucis refractionem,uel parum, uel minime mutarentur, tantum abeſt ut tot coloris diſcrimina poſsit unus atque idem flos recipere.Fidelius igitur & uerius quis uerterit,uarij:aut enim albi,aut pallidi,aut nigri:uel ut Oribaſius legiſſe uidetur,ſubnigri,aut purpurei, aut cærulei uiſuntur: uel, ut

*Cap.lib.1.*

Plinius dixit,floret diuerſi coloris ſpecie. Excuſandus V.
quoque in medicinis Iridis uideri poteſt Ruellius, qui communem lectionem ſequutus, habentem πνεύματι ψυχομένοις ἢ ῥιγοῦσι,uento infrigidatis, aut rigentibus conuerterit:Non enim penitus ratione caret, ut aliud remedium deſiderent,qui uento,aliud qui alia ex cauſa,præſertim intranea refrixerunt: uoluiſſéque Dioſcoridem docere, utroſque ab Iride iuuari, tam eos uidelicet qui uento aliáue extranea cauſa infrigidati eſſent, quam eos qui ex intranea algerent:ſicuti ratione non caret,& ex uento poſſe purum frigus algorémque excitari.

*Ruellius.*

Nec uideo non poſſe eum affectũ rigorem etiam Lati- VI.
ne uocari, eodem ſcilicet nomine quo Græci utuntur, dicente Vergilio, Terram aquilone flante rigere, ut illi rigere quidem dicantur,qui τέτανον Græce uocatum patiuntur:at rhigere cum aſpiratione, uoce à Græcis (ut pleræq; aliæ) mutuata, qui frigent. Nec hæc dixerim, quòd præferendam Ruellij lectionem putem:ſiquidem in melioribus libris ego quoque,ut tu,,περιψυχομένοις,lego, non πνεύματι ψυχομένοις,ſed ut hominis fidei patrocinium aliquod ferrem. Nam fides tanti apud me eſt in hoc interpretandi munere, ut quiduis aliud quod in exacta omnibus numeris interpretatione deſideratur,

*Rigor Latine dici poteſt,ubi Marcellus dixit, perfrictionibus.*

quàm eam deeſſe malim. Nec accedere illis poſsim, VII.
qui ſententiam quam eſſe putant autoris,ſequuti,à uerbis recedunt, preſertim ubi uerba ipſa quæ uertimus, diuerſos tolerãt ſenſus. Quod tu & aliàs quandoq; & hoc loco feciſſe uideris, generale infrigidationis & rigoris uerbum ad febrium frigora, & tremebundos algores contrahens: mihi uideris autoris uocem,imò Iridis latam poteſtatẽ coarctare. Si enim remedio eſt Iris in uniuerſum aduerſus frigora,ei etiam frigori quod in acceſsionibus contingit, aduerſabitur: non tamẽ ratio reciprocat, ut ſi frigori febrium opitulatur, alijs quoq;

*Marcellũ à uerbis Dioſcor. quandoque recedere.*

frigoribus neceſſariò opituletur. Neq; hi ſolum ῥιγοῦσι, VIII.
ut uis, qui à tertiana febre inuaduntur, ſed & qui à quartana, uehementiſsime. Et nonnulli, Galeno teſte, ſine febribus à uitrea uocata pituita,ſicuti pleriq; à cauſis extraneis:ut non magis ſit tertianæ peculiaris hic caſus,quàm,quod tu etiam ſcribis,quartanæ περίψυξις, & ſemitertianæ φρίκη.Adde quod non rectè ῥῖγος definitur, frigus cum tremore,cum ſint res omnino diuerſæ ῥῖγος καὶ τρόμος, ſi Galeno potius quàm Platoni in medicina credendum eſt. Fidelis igitur interpretis officio fungemur,ſi Plin. Hermolaóque adhærentes, abſolute, abſque omni febrium mentione, perfrictionibus irides mederi dixerimus:uel eis qui exteriore corporis ſuperficie frigent,ut exponit Galen.libr.3. προῤῥητικῶν. Melius etiam intelligemur à medicis, ſi pro algoribus rigores ſcripſerimus:alioquin latius patet algoris uox.Celſúmque uidemus, horrorem,non algorem,ubi apud Hippocratem ῥῖγος legit, uertentem.

*Algoris uox.*

*Ex cap.2. de Acoro.*

CAPITE ſecundo ſcribit Dioſcorid. καὶ εἰς ἐγκάθισμα ὡς ἶρις πρὸς τὰ γυναικεῖα ἁρμόζει. Quæ uerba hoc pacto conuertis: Vtilitérque iridis modo inſidentibus, acoro muliebria, id eſt, menſes, fouentur. In qua interpretatione iterum uniuerſale ad muliebria mala iuuamen, ad unum tantum malum, hoc eſt menſes, determinas, ſignificari enim per eam uocem non ſolum menſes, ſed diuerſa mulierum mala, Hippocrates oſtendit, librum in quo de uariis mulierum morbis agitur, περὶ τῶν γυναικείων inſcribens. Latam uero etiam hoc loco eſſe eius uocis ſignificationem ipſemet Dioſcorides demonſtrat, dicens, quòd iuuat ad muliebria ut iris, de qua priore cap. te met interprete ſcripſerat, quod potu menſes duceret,inceſſu uero fouerentur fœminæ, calido eius decocto muliebres locos molliente & aperiente. Ego igitur ſic uerbum ex uerbo conuerterem, *inſeſſu ſicut iris ad muliebria utilis eſt*: nec uererer, ut ais, cum periculo humanæ ſalutis hæc ſcribi. Siquidem non uulgo produntur, ſed medicinæ peritis, qui remedia in libris inuenta norunt & morbis, & ægrotantibus, ſuis quæque temporibus accommodare.

*Cap.lib.1.* Non paruum enim nocumentum his accidit, Galeno teste, qui credunt medicamentis absque determinatione *Herophilus.* scriptis: quonia, ut dixit Herophilus, IPSA PER SE MEDICAMENTA, ET NIHIL SVNT, ET MANVS DEI SVNT. Maius autem discrimen tuã circunstare interpretationẽ uidetur, si quis ex ea intellexerit, utiliter mẽses redundãtes, iride & acoro foueri. Quod certe imperitus quispiam ex tuis uerbis facile poterit existimare, quæ sunt, Vtiliter iridis modo insidentibus acoro muliebria, id est menses, fouentur.

*3.de Meo.* MEDICINIS quæ lambendo sunt, nõ magnopere in inferiorum partium noxis uti medici cõsueuerunt: & propterea uitium subesse puto, ubi linctus Mei qui in fluxionibus thoracis commendãdi uidentur, ad dolores articulorum, uuluas, tormina, aliáque superius descripta remedia retrahuntur: & ad omnẽ quoque à capite in subiectas partes destillationem extenduntur, cum multæ fieri possint à capite destillationes, quas talis linctus irritare potius ualeat quàm sistere.

*4.de Cypero.* SCRIBIT Diosc. inter alias potestates cyperi, quod adiumento est λιθῶσι, id est, calculosis: ubi nescio quare addas uesicæ, quum notum sit apud medicos, difficilius longe per ea quæ bibuntur, uesicæ calculum, quàm renum, & atteri & pelli. Scribátque Galen. saltem de ipso *Cyperi facultas.* cypero, quod incidendi quandã uim habet, qua calculosis prodest. qui loquẽdi modus ostendit, non tãtum et in hoc tribuisse Galenum, ut ad uesicæ conterendum calculũ sufficere existimauerit. Melius igitur fuerat calculo laborantibus simpliciter dixisse, quàm addidisse uesicæ, cuius nulla in Diosc. mentio.

*5.de Cardamomo.* ΝΕΦΡΙΚΟΥΣ uideo à medicis uocari, renum uitio, quodcunque illud sit, laborantes. Sic enim intellexit Galen. lib.6. Aphorismorum, uocem νεφριτικά. Quare miror scribente Dioscoride, Cardamomum nephriticis cõferre, transferri à te, nephritim, renum cũ urinæ malo aliquo dolorem: quum multi renum affectus sine dolore contingant.

*Ex cap.6.de Nardo. Annot.I.* IN NARDO multa à me desiderantur: ut in Gangitide nescio quare prætermiseris, longiorẽ esse: scribente Diosc. quod ἀδιμακρότερα. ratione etiã consentiente, quoniam ferè imbecilliora esse cõsueuerunt quæ longiora, & aquosis locis nata: consentiente etiam huic lectioni II. Oribasio. In montana nõ intelligo qua ratione uerbũ κολοβόσταχυς, torosæ spicæ conuertas, quum κολοβὸν mutilum & mancũ Aristoteli & aliis, & tibi quoque in aliis III. locis significet. Sed hæc exigui momẽti. Illud uero nõ parui, quòd mutata usitatiore lectione, quæ in usu nardi auferre iubet lutum, si quod fortè radicibus hæserit: eam sequeris, quæ auferre radices ipsas, & quasi inuti- *Spicæ nardi radices utiliores.* les abiici præcipit: quum tamẽ, teste Gale. in lib. de antidotis, præferendæ in theriaces præparatione radices sint, spica neglecta. Qui etiam lib.6. de simplicibus medic. uires radicis explicat, tacita spica: quẽ (ut tu quoque notasti) sequutus est Paulus, & Arabes medici. Nec à Diosc. ferè hoc abhorret, plurali uerbo uires nardi explicante, quasi radices intellexerit, quas uoce similiter IIII. plurali, paulò superius nominauerat. Scio tamen ad enumerata nardi genera, pluralem hãc locutionẽ posse referri, quemadmodũ tu fecisti, addens de tuo duo illa uerba, *Nardi omnes*, quum tamen simpliciter scribat Dio. V. scor. δύναμιν ἔχοσι, non addens nec nardi, nec omnes. In quibus ipsis uiribus explicandis, scribente ibi Diosc. ad literam: Appositæ, fluxiones ex utero & sanies sistunt. Tu diuidis hoc pacto: Appositæ muliebrium locorum fluxiones sistunt. Deinde addis: Cõpescunt præterea sanies. quasi uoluerit Dioscorides, quòd saniẽ undecunque manantem cõpescant, quod nequaquam puto, sed ex VI. utero duntaxat, ut uerba sonant. Sed alius maior re- *Cardiogmos. καρδία. Veteres os uẽtriculi cor nominabãt.* stat eodem cap. circa Cardiogmon scrupus, quẽ tu stomachi erosionem uocas: in reddendáque talis interpretationis ratione, altius exorsus καρδίαν ais antiquissimis & Hippocrati, os uentriculi, non cor significasse. Mihi autem Galenũ sequẽti, uidentur ueteres os quidẽ uẽtriculi cor nominasse ab effectibus quæ inferre cordi consueuit: differentiã tamen & ipsos agnouisse inter illud & cor. Et si hoc quoque tibi detur, ut semper antiquioribus os uentriculi significauerit, non sequitur tamen, ut idem quoque Dioscoridi significet, multis seculis Hippocratẽ secuto, nec inter antiquissimos numerando. Vnicuique tamen apertũ est, qui Hippocratis Græca cõmentaria aliquando euoluit, ubicunque cordis mentio incidit, non alia in eo nominando quàm καρδίας, uel κραδίης

uoce illum uti. Et constat, quòd cardiogmi uox, non semper ad uentriculum apud eum sit referenda: quãdo *Cap.lib.1.* aphorismo 66. quarti libri (si Galeno credimus) cordis motum palpitationi similem designat: ut propterea excusari possit Hermolaus, tremores cordis hoc loco *Hermolaus excusatur.* intelligens. Et 41. libri secundi, uehementissimum cordis affectum, quem momẽto sequitur interitus, & qui συγκοπὴ à Græcis dicitur. Nec quæ pro te affers testimo- *Syncope.* nia aliud certe dicunt, quàm antiquos per cor, quandoque os uentriculi intellexisse. Si quis enim uerba Gregorii Nisseni accurate pensitet, ea nobis consentire cognoscet, quæ (ut scribis) hæc sunt: Consueta appellatione ueteres cor, & os uentriculi uocãt. Quid enim aliud notat coniunctiua, &, particula, quàm ultra proprium & commune cordis significatum, os etiam uentriculi ab antiquis aliquando per cor significari? Nemini ergo, mea sententia, ambigendum apud ueteres Græcos καρδίας nomen, primaria significatione, extum illud designasse, quod in medio corporis situm, meteque figura assiduo motu uitam instar fontis cæteris membris elargitur: sic Plato, sic Aristoteles, sic amborum schola loquuta est. Secundario uero ad os quoque uentriculi trãslatum esse, quod consimiles cordi affecto morbos interdum solet excitare: è quorum numero sunt cardiaca & cardiogmos. Qui tamẽ, etsi uitio uentriculi inter- *Cardiaca. Cardiogmos.* dum euenire possint, consentiente tamen corde fiunt, ut lib.5. de locis affectis, Galenus testatur: qui etiã lib.2. de Hippocra. & Plat. dogmatis, ὁμωνυμίαν quandam in καρδίας nomine ait esse, nemini ignotam in antiquorũ scriptis uersanti, & 6. de causis symptomatum: ut uel ex hoc liceat coniectari, libros de Definitionibus & In- *Librum de definitionibus, & Introductoriũ Galeni non esse, ut putauit falso Marcellus.* troductorium uocatos, Galeni non esse: quibus tu aliquando nimis tribuens, cõtra Galenum multa definis. Ego igitur uerbum ex uerbo, pro cardiogmo cordis morsus conuerterem: integrum relinquens lectori, per proprietatémne, an per uentriculi compatientiam, sit cordis ille morsus intelligẽdus. Alioqui non satis consonum rationi uidetur, ut morsus uentriculi ferè ab acribus humoribus facti, potu nardi rei calidæ liberentur. Sed est id uerisimilius, ut cor odore nardi recreatum, repellat à se quæ nocebant.

*Ex cap.9.de Asaro. Annot.I.* ASARVM si in coronas non addebatur, non uideo quare coronaria herba à Dioscoride dicatur: licet enim odor præcipua fuerit causa, quare in coronis herbę nectarentur, non omnes tamen herbæ bonum spirantes *Odorem nõ esse causam ut herba coronaria dicatur.* odorem, coronariæ dicebãtur. Quod ex Plinii lectione licet cognoscere, seorsum de coronariis scribente, prætermissis tamen multis, & in alium locum dilatis, quæ ualde sunt odoratæ. Præterea si solus odor faciebat, ut coronaria herba, Asaron diceretur, quare utrunque apposuit Dioscorides, coronarium simul dicẽs & odoratum? Quare etiam cũ omnia ferè de quibus hactenus egit, boni odoris sint, unicam hanc coronariæ nomine dignatus est? Ego certe causam nõ uideo: sicuti nec qua II. re damnandus Hermolaus uerba hæc Dioscoridis, ἔχον καυλία γωνιοειδῆ, ὑποτραχέα, χλωρά, hoc pacto conuertens: Coliculi angulati leniter asperi ac soluti. Nec enim ignorasse putandus uir tali ingenio, tam multifariaque lectionis, quid sint καυλοδέντες apud Homerũ & Aristotelem: sed potius consulto uoluisse uocem herbariis protritã, eorum magis more, quàm poëtæ aut philosophi interpretari. Nec minus congrua uideri Dioscoridis series III. debet, post seminis historiam, quod ferè in caule oriri solet, de cauliculis loquentis: fecit enim natura ipsa flores in hac herba, non ex caule, ut consueuit, sed inter folia, à radicibus eos producens, ut concinne & cohærenter à foliis ad flores, ab his ad semina procedens Dioscorides, ad cauliculos demum & radices conuersus sit. Eadem quoque ipsa natura ostendit in hac her- IIII. ba cauliculos angulatos, (quomodo enim angulorum figura aliquid esse potest, quod angulos non habeat?) non subasperos quoque simul & molles, sed leniter asperos & raros, uel (ut ipse Hermolaus) solutos. Quãquam nec molle aspero, ut tu putas, sed duro potius aduersatur, sicuti asperum leui, quemadmodum tu quoque capite de phu, apertissime docuisti. Et hæc quidem dicta sint communem Dioscorides literam sequẽtibus. Si quis uero castigatiori inhæreat codici, omnes huiuscemodi perplexitates effugiet: in capitis enim initio, & turba illa nominum obmittitur: & quòd coronaria sit, non dicitur: sicut nec in II. Oribasii legitur, in caulibus, sed in radicibus. nec uerba illa leguntur, ἔχον

*Cap.lib.I.*

κεκυλία γωνιοειδῆ, ὑποτραχεία, χρῶμα, quæ neque Serapion legit: quod argumento eſt, aliunde accreuiſſe illa Dioſcoridi.

*Ex cap. 10. de Phu.*

IN CAP. de Phu, non recte, ut mihi uidetur, pro παραπλήσιος, æqualis redditur, cũ Græca ad qualitatem, Latina ad quantitatem ſpectet.

*Annot.I.*

Non placet & loco ὑπόπορφύρου, color in purpura albicans: quaſi non poſsit color

*II.*

alia uia à purpureo recedere, niſi ad album accedat.

*III.*

Sed hæc leuicula. Illud maioris momenti, quod oluſatri, & (ut ſequens eſt) phu herbæ folia elleboro albo, piro, betæ, & plantagini ſimilia facis, apud me tam diſſimilia, quàm herbæ ipſæ diuerſæ. Similia quidem inter ſe quadantenus hæc omnia: illa, id eſt, oluſatri, apij modo fibriata. Sed & Valeriana uocata, quæ phu eſſe creditur, multiplici apud nos uiſitur ſpecie & magnitudine, ita tamen ut omnium generum folia apium potius referant, quàm aut album elleborum, aut plantaginem. Quibus etiam conſentit Oribaſius, hipoſelino ſimilia ſcribens.

*Phu Valeriana uulgo dicitur.*

*11. de Malobathro.*

OCVLORVM epiphoræ apud idoneos autores, delationes fluxionum ſunt, quæ licet lippientibus accidant, aliud tamen ſunt quàm lippitudo, quàm Græci & noſtrates ophthalmiam: aliud quoq; quàm inflammatio quam phlegmonem uocant: quod (ut alios omittã) ex Paulo aperte monſtratur, ſeorſum de ophthalmia, chemoſi, taraxi, quæ inflammationes oculorum ſunt, maioris minoriſue tantum ratione ac præincipientis cauſæ inuicem differẽtes: atq; de epiphoris. Quo fit, ut cõmunem lectionem mutandam, cap. de malobathro, non putem: ſed legendũ utrũq;, & quod ad lippitudines, & quod ad inflammationes decoctũ uino, & contritum ſi inungatur, opituletur: ut ſit lectori integrum, an oculi tantũ, an abſolute inflammationes intelligendæ. Simpléxq; hæc interpretatio à me magis probatur, quàm uel Hermolai, quæ habet, Oculorũ epiphoras uino inferuefactũ, uel farina inũctum: uel tua, quæ addit, expreſſo uino. Vterq; enim ueſtrũ, zelo Plinij uictus, à uerbis Dioſcoridis receſsit, qui uel πρὸς τὰς ὀφθαλμίας καὶ φλεγμονὰς, uel πρὸς τὰς ὀφθαλμικὰς φλεγμονὰς ἀναζεσθὲν ἐν οἴνῳ, καὶ λεῖον ἐπιχριόμενον facere dixit.

*Epiphoræ. Lippitudo. Inflãmatio. Phlegmone.*

*12. de Caſia. Caſiæ genera tria.*

TRIA Caſiæ genera tradit Galenus. Primã quã reliquis præfert, uocari ait Gizi, duabus uidelicet literis ac totidem ſyllabis (ſic enim ipſe utraq; numerat.) Secundam Noto, & à nõnullis acruo & daphnitim. Tertiam omnium uiliſsimam, fiſtularem, quæ extimo quidem cortice, fiſtula uocato, odore & guſtu eſt uehementi: intima uero parte imbeciliſsima, & ad nullum uſum accommoda.

*Annot.I.*

Quæ Galeni dicta animo reuoluens, atq; his quæ de cinnamomo ſequenti capite dicuntur, rebúsque ipſis comparãs, adducor ut credam uulgarem noſtro tempore caſiam, ligneam uocatam, rem omnino diuerſam eſſe ab omni ea quæ tribus generibus, à Galeno & Dioſc. enumeratis comprehenditur. Id uero quod pro cinnamomo paſsim uenditur, ut mentitum cinnamomum, ita ueram eſſe caſiam. Quæ ſi uera ſunt (ut certe puto) reprobãdi qui caſiam folio iridis deſcribunt: folio enim uulgare hoc cinnamomum cõſtat, ad rotundum uergẽte, nullámq; cum iride ſimilitudinem præ ſe ferente. Nec probandum, ut guſtata erodere dicatur: quoniam uerbũ id, ſi Celſo credimus, plus aliquid notat, quàm exedere. Verba eius ſunt: Illinitur medicamentis quæ ſic exedunt ne erodant, σηπτὰ Græci uocant. Hæc Celſus. At quod hodie Cinnamomũ uocatur, non ſolum exedendi ui caret, & per ſe à nonnullis eſtur, &

*Caſiã ligneã nõ eſſe, quæ uulgò in uſu habetur.*

*Cinnamomum quod paßim uẽditur, eſſe Caſiam.*

*Erodere. Exedere.*

*II.*

delicatiſsimis eſcis miſcetur. Alioqui nec uox Græca δηκτικὴ id ſignificat, ſed quod pungentis cuiuſdam mordacitatis ſit particeps, quam in ficis quoq; lepidus poëta Martialis figurate cõmendauit.

*III.*

Minus etiam congruere uidetur, ut ἀρωματίζειν amareſcere intelligamus, ſaporum enim nomina ad odores transferre docet Ariſtoteles, non è contrario. Amaritudóque ipſa adeò eſt à proprie uocatis aromatibus aliena, ut quibus adeſt, quocunque odore præcellant, nomen aromatis auferat. Cum proprie aromata dico, zingiber, cinnamomũ, atque cætera id genus intelligo, quorum odor tantum abeſt ut uino (quod tu opinaris) repugnet, ut uinum illud maxime probetur, quod aromatis modo ſuauiter ſpirat. Quod cum uina ex propria natura non habent, arte ad maiorem gratiam conciliamus: ut in eximiis illis uinis, quæ, me iudice, à moſcho ſuauiſsimo aromate, moſchatula nuncupantur, quorum odorem in carentibus eo uinis deſiderãtes, muſto odorata quædam miſcemus, quæ illum aliquo pacto repræſentent.

*Amaritudo ab uocatis proprie aromatibus aliena.*

*Vina moſchatula.*

*Cap.lib.I.*

*IIII.*

Non putarim etiam ego meliora illa exemplaria, in quibus pro βλαστοῦ, βάτου ſcribitur. Quid enim huic plantæ commune cum rubo? niſi forte quis dixerit, rubum moſyleticum dici: uel, ut capite de cinnamomo legitur, muſylitin: uel potius ut in Theriaca ad Piſonem, moſyllon: quaſi fortè rubus in ſacris literis quem uiderat Moſes, huius generis fuerit. In codice ultimo formis excuſo βλάκτος legitur.

*Rubus Moſyleticus & Muſylitis.*

*V.*

Sed dum exiliora hæc inſectamur, illud ferè obliti ſumus, quod ad rem ipſam, hoc eſt, curandi rationem pertinet, & in quo poſsit error cum uitæ diſcrimine contingere, in uoce ἀνευρυσμὸς, quam tu ita interpretaris, quaſi uoluerit Dioſc. inſeſſu & ſuffitu decocti huius plantæ, muliebres locos laxari: cum tamen dilatatio quædam per eam ſignificetur, & ea proprie, quæ reſeratis arterijs cõtingit cute conglutinata, ut Gal. definit in lib. de tumoribus præter naturam, & æmulator eius Paulus. Quæ cum te legiſſe oſtendas cap. de quinquefolio, mirum eſt quare ad cõtrariũ ſignificatũ hoc loco, eandẽ aneuryſmi uocem traxeris, ut quod Dioſc. ualere dixit ad dilatationem, tu laxationes facere dixeris, quæ uel dilatationes ſunt, uel eas potius faciũt, quã remoueant. Quin ratione etiam caret, ut res adſtringẽdi ui prędita, laxationes efficiat. Quód uero dilatationi uteri cõducat caſia, præter allatã rationem, teſtimoniũ Arabum Auicennæ & Serapionis confirmat.

*Caſiã dilatationi uteri conducere.*

*Ex cap. 13. de Cinnamomo.*

SI VERVM eſt quod de Caſia diximus, id uidelicet quod cinnamomũ nunc creditur, caſiã eſſe, non cinnamomũ, cũ nulla res alia ſeculo noſtro, ex oriẽtalibus locis feratur, quę uerè cinnamomũ dici uel putari poſsit, relinquitur, nos uero cinnamomo nunc carere: ut propterea minus admiratione dignũ ſit, te, licet ingenio & doctrina plurimũ excellentem, multũ hoc capite laboraſſe, & parũ profeciſſe. Vbi enim in plantarũ hiſtoria diuerſi & mendoſi ſunt codices, non aliunde celerius & tutius ſubſidiũ patet, quàm ab ipſa re, ſub obtutũ & ſenſum ueniente. Non inueniri autẽ nũc uerũ cinnamomum, præter ea quæ dicta ſunt, ex his cõſtat, recõditis quidem adhuc, & paucis cognitis. Scribit Gal. in lib. de antidotis, optimũ cinnamomũ facilimũ eſſe cognitu, his qui multoties cõſpicati ſunt, reliquis difficilimum. Sex enim eius genera uidiſſe, bonitate ita inuicẽ differẽtia, ut peſsimũ cinnamomũ optimæ caſiæ eſſet propinquum. Quod minime admirandũ, ſcientibus utrũq; in eadem etiã planta inueniri: ſicuti præter Galen. 2. lib. ſuæ medicinæ, ex quorundã autoritate, refert Auic. Probatiſſimæ notæ indiciũ eſt, eodẽ Galeno teſte, ut odore quodam inenarrabili omnibus præſtet, guſtu autẽ calorem quendã inuehat, nõ uſqueadeo tamẽ uehementẽ ut cũ triſtitia mordicet: colore, ac ſi lactis color, colori uocato phæo, adiecto etiãnũ exiguo cyaneo, cõmiſceatur. Eſſe autẽ ueluti arbuſtũ quoddã ſex uel ſeptẽ plus minus adnaſcentias habẽs, longitudine quidẽ inæquales, ſed quarũ maxima ſemipedẽ Romanũ nõ excellat, utriuſq; ellebori ſimilitudine, uel potius damaſſonij.

*Cinnamomi ueri notæ.*

*Cinnamomi odor inenarrabilis.*

*Annot.I.*

Ex his Galeni dictis colligitur, ſuppoſititiũ eſſe quod de rutæ & cardami odoris ſimilitudine, in quibuſdã (ut ais) codicibus ſcribitur: ingratus enim utrique odor, qui eſt in cinnamomo gratiſsimus.

*II.*

Quod ad colorẽ attinet, cõmuni lectioni conſentit Galenus, ſi omnia uidelicet ſimul ſine copula legantur, miſcelláq; quædam intelligatur, ex nigro, cinereo & uinoſo, ex qua unicus diſſultet color, qui in cinnamomo maxime commendatur. Nec nouum eſt apud medicos, ut quid colore uini deſcribatur, urinas etiam quaſdam à uini colore οἰνώπας uocantibus.

*Vini color. Vrinæ οἰνώπες.*

*III.*

Illud potius nouum, ut uino ablutum, ex atro in cinereum colorem transmutetur, ſcientibus tam eſſe infectoribus difficile, quàm ſophiſtis facile, nigrum in candida uertere.

*Ex cap. 14. de Amomo.*

*Annot.I.*

In Amomo βότρυον uuam neſcio an recte interpretaris. Ego racemũ dixerim, cõcinnẽte magis hac uoce his quæ à Dioſco. ſubiiciuntur. Quod tu quoq; agnouiſſe pauló inferius uideris, βοτρυώδης racemoſum uertens.

*II.*

Neſcio etiam quare bryoniam tot uerbis exprimas, & labruſcam nomines, aliam certe rem, uel teipſo teſte, qui ſolo cultu differre labruſcã à domeſtica uite libr. 4. ſcribis, & bryoniam uitem albam uocas.

*Bryonia. Labruſca.*

*III.*

Eadẽ dubitatio mihi contingit in eo quód ſcribẽte Dioſcoride in laudem Armenici, eſſe εὐώδης ἱκανῶς, tu odoratiſsimum dicis: apud me enim ſatis uel abunde odoratum, non tamen odoratiſsimum, uoces illæ ſignificant.

*IIII.*

Sicut & ὑπόχλωρον ſubuiride, non pallidum.

*V.*

Et πληκτικὸν non ten-

*Cap.lib.1.* tans,uerum uel percutiens,uel conuulnerans. Et ὑπέ-
VI. ρυθρον subrubrum,nõ modice rufum,adiecta etiã disiun
gendi particula,ne utrunq; requirere uideatur,ut scili-
cet album simul & subrubrum,sed ut singulum probe-
tur,tam id uidelicet quod est album,quàm id quod est
VII. subrubrum. Nec repugnare hæc mihi uidentur(ut tu
dicis)his quæ de armenio dicta sunt,quòd scilicet sub-
rufum,& colore ad aurum uergẽs maxime probatur:
sed armenii hæ notæ,simpliciter etiam in quouis alio,
hoc loco probantur:uno hic(quantum ad colorẽ spe-
ctat)adiecto,quòd album quoq; eligendum sit,si non
præ rufo,præ aliis certe coloribus,& præcipue uario.
VIII. Quod ad medicinas uero attinet,prætereundum nõ
*Meliceris.* est,Melicerida non tam ulceris nomẽ esse,iuxta Gale.&
*Abscessuum* Paul.quàm abscessus:cuius curatio triplici uia cõpleri
*triplex curatio.* potest,putrefactione scilicet,discussione,& sectione.
Nec putandum concoctionem discussionémq; ita
pugnare inuicem,ut idẽ medicamentum utrunq; non
IX. possit efficere:sicuti neq; fatendũ,suppurationem per
res calidas,discussionem per frigidas perfici. Nã cum
*Suppuratio.* utraq; operatio calida desideret;suppuratio æqualiter,
discussio exigit magis calida.Clariora hæc apud medi-
*Discußio in* cos sunt,quàm ut declarari oporteat. Pleni sunt medi-
*abscessibus.* corum libri medicaminum quæ utraq; ui pollent,ferè
etiam contingit,ut quod uni corpori suppuratorium
est,sit alteri discussiuum.Et plerunq; in operibus artis
uidimus,medicum coniectura fallente,ut quod suppu
randi gratia appositum fuit abscessui,ipsum discusserit:
X. atq; è contrario. Melius igitur mea sententia fuerat
utrunq; priuilegium integrũ amomo permittere,mul-
tis iam seculis præscriptum:ut scilicet inflammationes
ac meliceridas,nõ uno eodémq; loco & tempore,sed
uariis uel particulis uel temporibus,& concoquere ua
lere & discutere:uel unius simul abscessus uno atq; eo-
dem tempore,eam partem quę discuti ualeret,discute-
ret:id quod contumax ad discutiendum esset,conco-
queret,& in pus conuerteret:nec mutare Dioscoridis
uerba,dicentis,φλεγμονάς τε καὶ μελικηρίδας διαφορεῖ.quæ ni-
hil aliud significãt,quàm inflammationes & meliceri-
das discutit:uel si magis placet uulgata editio,addens
καὶ πεπαίνει, id est,& maturat:quoniam,ut ostendimus,
eadem simul res maturare,& discutere potest.
*Ex cap. 15. de Costo.* AMBIGVA est mihi capitis de Costo interpretatio,
pro uoce ἁδρὲς,quæ crassum,etiam te alibi interprete
*Annot.I.* significat,speciosum reddẽs. Et pro καταντλήμασι καὶ πυ-
II. ριάσεσι,liquida & sicca fomenta:per πυρίαν enim signifi-
*πυρία.* cari fomenta humida,liquidò patet ex Galen.in expo-
III. sitione aphorismi 21.lib.6. Melius quoq; meo iudicio
fuerat,huic capiti hoc peculiariter indulgere,ut castiga
tionem non pateretur,quàm particulam ἢ in καὶ com-
mutare,Galeno Græco,& Auicenna Arabe disiunctiuè
legentibus,cum aqua aut melle.
*26.de Schœno.* NESCIO quare inter medicinas schœni florũ præ-
termissum fuerit,dolores pulmonum potu eorum ad-
iuuari,consentiente ratione & Auicennæ testimonio.
*Annot.I.* Nec uideo quòd supplendum aliquid sit in eo loco,
II. ubi dari radicem iubet cõtra aquam intercutem,& cõ-
uulsa,cum pari pondere piperis.Satis enim intelligi po
test,æquis portionibus eas radices,& piper esse miscẽ-
da:nec in huiusmodi medicamentis certum necesse est
modum definire,qui semel dandus sit,sicut in medica-
mentis purgatoriis,aliísq; in quibus maior quædam
III. existit potestas. Mitto quòd discrimen inter lethargũ
& caron,aliter hoc loco reddis,quàm & per te alibi,
& per Galenum & alios medicos propriis locis reddi
solet.
*17. de Calamo odorato.* ODORATVM calamum,quem tu adeò notũ esse
ais,ut non sit de eo longius agẽdum,me nunquam ui-
disse ingenue fateor. Res enim quæ uulgò pro eo uen-
*Odorato calamo caremus.* ditur,non calamus,sed radix,albicánsq; potius quàm
rufa:nec ex India aut Arabia petita,sed in Europa uel
proxima illi regione(ut ego puto)nascens. Vidi enim
& aliàs plerunq;,& semel in Pisonio superioris Panno-
*18.de Balsamo.* niæ ciuitate adeò succosas,& plane recentes huiusce-
modi radices,ut non nisi proximo loco natæ iudica-
ri possent.
*Annot.I.* BALSAMI succum esse θερμαντικώτατον, scribit Dio-
*Dioscorides* scor.tu egregie calidũ dicis:quod certe minus est quàm
*à Galeno no-* calidissimum,qualẽ ipsum esse,& uox Dioscoridis si-
*tatus in balsamo.* gnificat,& Galenus intellexisse uidetur,Dioscoridẽ in
hoc(tacito tamen nomine)notans,quòd nimis calidũ
existimauerit,cum in secundo ordine calefaciat:cuius
ordinis egregia quidem satis uis dici potest,non tamẽ *Cap.lib.1.*
extrema,qualis in his quæ ad quartũ usq; ascenderunt.
Scribit idem paulo pòst: ἔστι δὲ καὶ πεπτικὸς καὶ οὐρητικὸς πι- II.
νόμενος. tu,potus urinam ciet, maturat & concoquit. *Balsami suc-*
Ego cõtentus essem uerbo cõcoquit:nihil aliud(ut mi- *cus Galeno*
hi uidetur)uolente Dioscoride,nisi quòd concoctionẽ *calidus in se-*
cibi facit,quæ maturatio, præterquàm improprie,di- *cundo,Dio-*
ci non potest. Magis quoque placuisset,ut semen de *sco.in quar-*
quo scribit Dioscor.quod uteri ἐπισπᾶται ὑγρασίαν, extra- *to ordine.*
here humiditates diceretur,quàm(ut tu uertis)humo-
res proritare:humoris siquidem uox absolute prolata III.
penes medicos,quatuor illas primas substantias ex ci- *Humoris*
bo primitus genitas designat,sanguinẽ uidelicet,utran- *uox apud*
que bilem,ac pituitam.Mens uero Dioscoridis,sicuti & *medicos.*
Auicenna quoque intellexit, fuit,ut ei affectui confer-
ret qui ῥοῦς à medicis uocatur,qui nihil aliud est,quàm *ῥοῦς.*
assidua muliebrium locorum humectatio:quũ ex uer-
bis tuis facile posset quispiam intelligere,quòd humo-
res purgaret.
IN Aspalathi medicinis magis placet,ut contra pu- *Ex cap.19.*
dendorum(ut Hermol.cõuertit)putrilagines laudetur, *de Aspala-*
quàm ut tu,difficiles purgationes:Purgatio enim(cum *tho.*
de pudendis est sermo)menstruam significare solet.Vi-
detur autem Discor.communi utriq; sexui uoce usus,
de maris quoq; pudendo intellexisse.Sed & Galeni au-
toritas huic parti fauet,ad σηπεδόνας utilem dicens,sicci-
tatis ratione.
VITIO dandum nõ est uel Paulo,uel librariis scri- *20.de Mu-*
bentibus,in pino muscum nasci,si id uerum non sit,sed *sco.*
Galeno potius,cui subscribunt. Nec solũ in hac par- *Annot.I.*
te,sed etiam in uiribus adstringendi,simul discutiendi, II.
atq; emolliendi,quas in uno eodémque medicamen-
to conuenire posse,mille exemplis probari potest.
Nõ magis quoq; agnosco uitium in eo loco ubi pri- III.
mæ partes cedrino,secundæ populeo,nullæ quercino
tribuuntur:quãdoquidem ubi tria ordine quodã col-
locãda sunt,primo atq; altero locato,tertii locus absq;
alia mentione statim patefit.
TANTOPERE mihi placet,quemadmodũ dixi,in *21.de Agal-*
interprete fides,ut tacere nequeam, ὑπόποικιλον non co- *locho.*
lore uarium,sed pene uarium in agallocho significare.
Nec παρηγορεῖ πλάδον στομάχου, idem posse,quod tu uer- *Annot.I.*
tis,stomachi aquosos humores siccare. In torminum II.
autem uoce,nescio cur à Celso recedendũ,dysenteriam III.
tormina simpliciter nominante.Et si recedendum,diffi- *Tormina.*
cultas potius intestinorũ uocãda est dysenteria,quàm *Dysenteria.*
tormina intestinorum:quum στρόφοι intestinis acciden-
tes,intestinorum στρόφοι, id est,tormina,etiam Paulo te-
ste dicantur.
NASCAPHTHON similẽ cortici sycamini,id est, *22. de Na-*
mori,facit Dioscorides,tu Aegyptiæ fici.Quod certe sa- *schaphtho.*
tis miror,quando & tuipse hoc eodem uolumine syca
minon morum interpretaris. Videtur etiã mihi huius
rei mentionem fecisse Theophrastus,licet sub alio,hoc
est,nartæ nomine,ut fortè in uulgato Dioscoride pro
narcaphthon,legendum sit nartaphthon,quod melio-
ra habent exemplaria.
IN VLTIMA uel penultima canchami medicina *23.de Cãcha-*
prætermissum esse miror,uinum consentiente præser- *mo.*
tim communi lectioni(ut alios taceã)Paulo Aegineta.
SVPPOSITITIVM in Dioscoride esse de Cyphi *24.de Cy-*
caput,non est cur ex eo suspiceris,quòd Paulus inter *phi.*
simplicia medicamenta eius non meminerit:congrue- *Annot.I.*
re enim magis ei uisum,ut cum compositis locaretur.
Nec inter eclegmata,sed inter thymiamata,ceu me- II.
diæ existens materiæ inter antidota & trochiscos qui
bibuntur, & trifariam in usum ueniens,suffitu,potu,
olfactu. Nec illud augere suspicionem debuit,quòd III.
cum simplici materia miscenda nõ uideretur compo-
sitio:siquidem nõ hoc tantummodo,sed uaria & olea,
& unguenta,& uina composita,huic libro locis suis ui
demus inserta.
PRIMAS Corycio croco non dat Galenus,eius gra *Ex cap. 25.*
tia Corycium antrum ingressus:quoniã repẽtino odo- *de Croco.*
ris robore & diuturnitate à quibusdã aliis inuenit su- *Croci opti-*
perari.Tribus enim notis optimum dignosci ait,ut sit *mi notæ.*
flauum,odoratissimum,& longi temporis spatio pro-
prium uigorem conseruet.Hoc tempore Aquilanũ cæ-
teris,non modo Italicis,sed & orientalibus præfertur.
Vincitur hoc tamẽ tantũ à Pannonico,præsertim Vien- *Annot.I.*
nensi,quantum uincit reliqua. Nescio igitur quare tu
bonitati coloris ruborem addideris,dicente simplici-
ter

Cap.lib.1. ter Dioſcoride εὔχρουν eſſe:& dicente Galeno, illum eſſe II. optimum qui ſit maxime flauus. Rei quoq; ipſius ueritas facit, ut codices magis probẽ, in quibus ἄθραυστος legitur, quàm in quibus εὔθραυστος. Si enim friabile ex ſeipſo eſſet, cur inſolandum diceret Dioſc. ut friabile fieret? Nouerunt hoc & ſpeciarij, in patella illum ſubinde III. leniter aſſantes, ut conteri facilius poſsit. Non placet etiam ut Siculũ ideo uituperetur, quòd ſatiuum ſit: nuſquam enim de croco memini me legiſſe, quod de nonnullis plantis, ut ſatu deterior fiat. Leuius enim degenerare, id quod eſt ſatiuũ, ſcribit Plinius: lætius tamen eſſe, maius & nitidius ſyluestre. quaſi his uerbis declaraturus, quare ſylueſtre optimũ dixerit. Theophraſtus odoratius dixit, non melius. Quicquid tamẽ uel ipſi uel alij ſcripſerint, experientia ipſa noſtro tempore docet cultu non degenerare, ſed excellentius reddi, & quod nũc cæteris præſtat, non eſſe ſylueſtre. Sed nec Dioſcoridis uerba id uolũt, λαχανώδης uocantis: quãdo & inter olera IIII. pleraque ſponte naſcentia connumeretur. Melius itaque erat oleraceos quàm ſatiuos dicere: & quod ſic à Dioſcorid. uocaretur, integrum legentibus relinquere.

*Phlegmonæ eryſipelatodes.* Phlegmonæ eryſipelatodes Galeno ſunt tumores ex phlegmone & ſacro igne compoſiti, uincẽte phlegmone: in his enim ſanguis & bilis inueniuntur, uincente in mixtione ſanguine, & uicta bile. Quæ miſcella non bene exprimi uidetur, per hoc quod dicis, ſacrorum ignium inflammationes: ſed per hæc potius uerba, inflammationes cum ſacri ignis portione. ſic enim nominat Galenus.

*26. de Croco magmate.* IN CROCOMAGMATE deſiderari nonnulla ad fidem ſpectantia poſſunt: quale eſt quod ἀναπλασθέντων *Anno.I.* in paſtillos dicis conformatis, quaſi non aliam quàm paſtillorum ſeu trochiſcorum formam ualeant II. aromata illa ſuſcipere. Et εὐώδης odoratiſsimum.

III. κροκώδης τὴν χρόαν, colore croci rubens. πλεῖστον mul- IIII. tum. Fidelis enim meo iudicio interpres, poſitiuum in ſuperlatiuum, aut è contrario, hoc in poſitiuum, non conuerteret.

*27. de Inula. Annot.I.* IDEO nec in Helenio probo quòd ἐπιμήκη longiſsima dicatur. Magis etiam placeret, ut ſubalba & ſub- II. rufa radix diceretur, quàm intus albicans, foris rubens: III. dicente Dioſcoride, ὑπόλευκον καὶ ὑπόκιρρον eam eſſe. Subeſſe quoque librarij tui errorem puto in ea parte ubi ais, ex radice ad conſitiones oculos aſſumi, nulla adnatorum habita mentione: cum tamen tu ipſe παραφυάδας, qua uoce ibi utitur Dioſcorides, eſſe nobis adnata, non oculos dicas.

*28. de omni oleo. Annot. I.* QVAM parum credendum libris, qui Definitiones, & Introductorium Galeni inſcribuntur, uel ex hoc patere poteſt, quòd tenuioris & craſsioris inteſtini morbos, inflammationes eſſe definiunt, qui tamen & ab aliis cauſis, & à pituita, frigido humore, ut Gal. in ſeipſo expertus teſtatur, non rarius quàm ab inflammatione contingunt.

II. Non placet eodem de oleo capite, δυνάμεις, id eſt, uires exulcerantium medicamentorum, maleficia nuncupentur, ut quæ magno plerunque ſunt nobis beneficio, quoties uel mala caro erodenda, uel bona, uitandi maioris mali gratia, exulceranda. Nec putandum uoluiſſe Dioſco. quòd oleo perunctum ſit, ulcerari quicquam nõ poſſe, quemadmodum tu intelligis: ſed quod oleum mixtum ulcerantibus, uim eorum hebetat, & minus potentem facit: quod & multis locis teſtatur Galenus.

*Ex cap. 29. de Elæomelite.* IN ELAEOMELITE, niſi plus interpreti licet, quàm ſenſum autoris reddere, non eſt addendũ, ſponte, ſcribente Dioſc. ſimpliciter ῥεῖ. Et ſi (ut ego quoque puto) ſponte fluere intellexit Dioſcori. non tamen cogi- *Annot.I.* mur cõmunem lectionem mutare, pro uoce λίπους, λίπος II. ſcribendo. Poſſumus enim duos liquores in eadem arbore intelligere: unum craſsiorem, ſponte ex trunco manantem: alium qui ex pingui in ſurculis latente, ſicuti ex pleriſq; aliis plantis, arte paretur, minus craſſum: & propterea oleum ſimpliciter uocatum, non olæomel ut primum. Duas autem res indicari ordo ipſe demonſtrat: in prima enim parte poſt elæomelitos hiſtoriam, eius apponitur medicina: dehinc ſubdit Dioſcori. σκευάζεται δὲ καὶ ἐκ τοῦ λίπους τῶν θαλλῶν ἔλαιον. id eſt, uerbum ex uerbo, Conficitur autem & ex pinguedine ſurculorum oleum. Sequuntur poſt hæc bonitatis indicia, & demũ III. olei quoq; huius medicinæ. Non difficile quoq; fuerit Plinio hoc capite patrocinari, ſcientibus eſſe affectũ quendam, in quo ſimul cum ſomno uigilia iungitur, & *Cap.lib.1.* propterea compoſito nomine ἀγρυπνὸν κῶμα, ſoporem uigilatiuũ uocari, cõmixtis ſimul bile & pituita, quarũ hæc ſomnũ, illa uigilias conciliat. Mixtũ igitur hunc affectum intellexiſſe Plinius uidetur, dicens eos qui hunc liquorem biberunt, torpeſcere, excitarique crebrò.

INTER laurini olei uires ἀναστομωτικὴν, reponit Dioſ. *40. de oleo Laurino.* id eſt, ut mihi quidem uidetur, apertoriam. Tu laxare ais, rem longe diuerſam, & Gal. χαλαστικὴν uocatam.

IN PAVCVLIS illis de Terebinthino oleo uerbis, *41. de Lentiſcino oleo.* ſubeſſe errorem puto, uel ipſomet Dioſcoride teſte, qui capite de Terebintho, calefacere fructus eius ſcribit: hic uero dicitur, oleum ex ipſiſmet ſolis fructibus paratũ, refrigerare, quare magis probandus inuulgatus Græcus codex alter, in quo nulla uirium mentio, ſed præparatio tantum Terebinthini olei docetur.

CAPITE de oleo Maſtichino non laudo, ut teſti- *42. de Maſtichino oleo.* monio Pauli, Galenum potius imitati quàm Dioſcoridem, Dioſcoridis uerba quæ in uulgata editione hoc pacto iacent, καὶ πρὸς τὰ περὶ τὸν στόμαχον ἐπιρριπτόμενα. uel, ut in ſecũda editione legitur, ἐπιρριπτόμενα σκιρρώματα καὶ κοιλιακὰ καὶ δυσεντερικά, ita mutentur, ut uerbum σκιρρώματα in κηρώματα tranſeat: ex emolliendi enim ui adſtrictoriæ iũcta, habet Maſtiche, ut duritiebus uentriculi conueniat: du- *Maſtiches facultas.* rities ſiquidem quatenus durities eſt, emollientia: quia autem in uentriculo eſt, adſtringẽtia deſiderat. Ductus quoque ipſe uerborum admittere nequaquam uidetur, ut morbi cum medicamentis, ſub eodem loquendi modo contineantur, ut ſcilicet maſtichinum oleum facere ad uteri affectus & ad cerata dicatur. Quanto illud concinnius, ut ſeruata communi lectione, conferre ad uentriculi durities intelligatur, quàm ea mutata ad ceromata.

CVM VARIA SINT mala quæ ſerpunt, tutius *46. de Melino unguẽto.* eſſet, hoc quod peculiari nomine ἑρπητὰ Græci uocant, *Annot.I.* non abſolute nominare malum quod ſerpit, ſed uel addere, *per cutem*, uel potius ipſa Græca uoce uti, quum *Herpetes non ſemper ſerpere.* ſint apud Galenum herpetes quidam qui non ſerpunt.

Placeret eodem de Melino unguento cap. ut quod in uulgatis Græcis codicibus legitur ψωρώδη ἕλκη, ſcabioſa ulcera dicerentur, non diuiſa conſtructione, ulcera & II. ſcabies. Alioqui non uideo quomodo profundiora ulcera poſsint melino hoc unguento ſanari.

IN CALCE Telini unguenti, ſeruanda com- *Ex cap. 48. de unguento ex Fœnugræco.* munis lectio eſt, quæ trium ſenſuum examine electionem eius facit, odore, guſtu, tactu: empturientibus enim probare tribus his uenales res concedunt, qui uendunt, non uirium experimento, atque tali præſertim, quod longum exigat tempus, atque ſi fortè capillis careat emptor, impoſsibili. Appoſita uero unguento manu, eáque naribus primo dehinc palato admota, exiguo temporis ſpatio tribus indiciis unguenti bonitatem glaber quatumuis emptor experietur. Sed etſi huius mentio facienda erat, quòd ſcilicet capillos abſtergeret, inter alias medicinas erat facienda: ſicut & eo quem tu affers loco, cap. de fœnugræco, cæteris poteſtatibus hæc coniungitur, ut capillos, furfures, & achoras abſtergat.

LICET SVPERIVS quoque dixerim, non pla- *53. de Lilino unguento.* cere mihi ut τὰ γυναικεῖα, ad menſes ſolum referantur, *Annot.I.* non poſſum tamen & hic tacere, quod ſcribente Dioſcorid. ſuſinon unguentum reſerare uteri præcluſiones, inflammationibus utile eſſe, & in uniuerſum utiliſsimum omnium eſſe ad muliebria: non eſſe coarctandas eius uires ad menſes tantum, ſed relinquendum integrum legentibus, ut ad reliquos quoque muliebres affectus utilem ualeant intelligere. Simile quoque & II. hic & alibi peccatum (ni fallor) committitur in uoce ἐξανθημάτων & ἐκζεμάτων, generali earum uocum ſignificato, ad capitis tantum puſtulas contracto. Poſſe autem exanthemata in quauis corporis parte fieri ex tuis hoc capite dictis colligi hoc modo poteſt: Vari (ut dicis) ſunt cicatrices puſtularum, quæ in pueris toto corpore, præſertim in uultu, fiunt. Puſtulas uero quas uari ſequuntur, eſſe putas exanthemata. Sequitur igitur, ut ſicuti uari in toto corpore fiunt, ita exanthemata. III.

Non tamen, ſi Galeno credimus, putandum eſt ἴονθοι, quos tu Plinium ſequutus uaros uocas, eſſe callum uel cicatrices ex puſtulis relictas: ſed rem proprij generis, duros uidelicet & paruos tumores, à craſſo humore in cute faciei conſiſtentes, mollientibus ac diſcutientibus medicamentis curandos.

*Cap. lib. 1. 56. de Liguſtrino unguento.*

IN LIGVSTRINI unguenti confectione, non intelligo quo pacto incertæ olei menſuræ, certus adiici poſsit aromatum modus. Sic enim incipis: Sumito eloti acerbi olei quam uolueris portionem. Accipiā poſtquam hanc mihi cōcedis poteſtatem, olei libellā, quomodo capax hæc fuerit librarum pauló minus decem & ſeptem? Quod ſi dixeris, addēdas ad hanc libras olei nouem, & quincuncem, nondum ne ſumma quidē iſta ſufficiet: decem enim libræ olei, 17. aromatū nunquam capient. Adde, quòd paulo pòſt in 28. huius olei libris libræ 46. florum apponuntur, unde enim auctū eſt oleū? Error igitur abſq; dubio eſt in capitis initio. Licet enim quādoq; per portiones indeterminatas à medicis aliquæ cōpoſitiones deſcribantur, ubi tamen ſemel à portione cœptum eſt, oportet reliqua ex proportione, nō ex certo numero metiri. Quare & hoc loco magis probandus nouus codex, quem etiam Hermolaus ſequutus uidetur, partem unam olei accipiens, & aquæ unā & ſemiſſem.

*Ex cap. 57. de irino unguento.*

HAEMORRHOIDES licet res præter naturā eſſe, uel nomine ipſo uideantur, non minus tamen quandoq; utiles ſunt, quàm ſanguis, qui quòd ſingulo menſe exire à muliebribus locis debet, menſtruus uocatur. *Annot. I.* Scribit enim Hippocrates, his qui atra bile uel renum uitio uexantur, hæmorrhoides ſuperuenientes bono eſſe: & conſuetis eas pati, niſi unica ſeruetur, periculum eſſe aut tabis, aut intercutis. Non eſt igitur mirandum, ſi inter irini unguenti remedia, id quoque numeratur quod hęmorrhoides aperit. II. Scribit eodem cap. Dioſcorides dari idem unguentum πρὸς τραχύτητας ἀρτηρίας: tu faucium uertis aſperitates: cum tamen arteriæ nomen non fauces: ſed (ut uerbo tuo alio in loco utar) animæ canale ſignificet. Fauces uero noſtris ſint, id quod Græcis φάρυγξ.

*58. de Gleucino unguēto.*

CAPITE de Gleucino ſcribit Dioſco. κινεῖται δὲ ἡμέρας λ΄. δὶς τῆς ἡμέρας. id eſt, mouetur diebus XXX. bis in die. Ad quem modum etiam loquitur Galenus lib. 8. de compoſ. med. ſecundum loca. Tu uero (neſcio qua de cauſa) ſcribens, triginta diebus omnia miſcentur, nullam, quòd bis in die moueri debeat, mentionem facis.

*59. de Amaracino unguento.*

INTER Amaracini unguenti uires πυρωτικὴν numerat Dioſcor. tu his uerbis Latinam facis, Calore fouet: minorem meo iudicio faciens, quàm ſit ignis uis, à qua uox illa Græca deriuatur: alioqui quis neſciat, ſi calefaciendi uires habet, ut prius dixit, quod calore fouet? *Annot. I.* maiores uero ei uires adeſſe uoluiſſe Dioſcor. ex eo cōſtat, quòd conferre fiſtulis ſcribit. II. οἰδήματα etiam medicis raro omnes, ſed laxi plerunq; & indoloroſi tumores ſunt, à pura pituita geniti. Et propterea aliquid adhuc addendum eſt, ubi diſcutere durities & tumores uteri, Amaracinum dicitur, quod pituitoſos tantum tumores faciat nos intelligere. *οἰδήματα.*

*61. de Hedychroo unguento.*

HEDYCHROVM magma cōponere docuit poſt Andromachum Galen. poſt hunc Paulus & reliqui, ubi Theriacen, quæ dicitur, componunt: mutato tamen in barbaris libris, ut plerūq; fit, hedychroi nomine in alindaracaron. Tanti autē & fuit & eſſe nunc debet, quanti Theriace, quæ abſq; eo parari non poteſt. Galeni autem confectio, ſi olea demas, non multū abeſt ab amaracini unguenti confectione.

*62. De Metopio.*

LIGNVM ex quo fit chalbanum, metopium uocari ait Dioſcorides: tu arborem ex qua ſtillat, diuerſo ſane, uel teipſo teſte, ſignificato, qui ὀπὸν, id eſt, liquorem, *Annot. I.* uocas eum qui nō per ſe deſtillat, ſed ſecta arbore exit. Eſſe autem chalbanum ὀπὸν, cōſtat ex Dioſcoridis lib. 3. II. Et quod ille ait parari ex amygdalis amaris, tu ex III. oleo ex amygdalis amaris expreſſo. Et χαλᾷ, mollit: improprie (ut mihi uidetur) hæc omnia conuertens.

*63. De Cinnamomino unguento.*

IN CINNAMOMO, quod pro ἄγαν πικρῷ, id eſt, ualde amaro, amariſsimum: pro σφόδρα δριμέα, id eſt, uehementer acri, acerrimum: pro μαλακτικῷ, aptiſsimum ad molliendum, pro eo quod eſt apte facit, efficaciſsi- *Annot. I.* mum eſt, reddis, nequaquam probo. ſicuti nec uocem II. πυρὰν, mutari in πιπλικὴν. Nam ſi qua mutatio ex con III. iectura facienda eſt, in πυρωτικὴν potius uidetur facien- IIII. da, hoc modo: Poteſtatem habet uehementer acrem, calefaciendíq;, & urendi: propterea aperit, diſcutit, diffundit, & reliqua. Ducunt me ad hanc coniecturā, quæ ab eo pauló infrà dicuntur, ſcilicet adiectis oleo, cera & medulla, leniri eius acredinem, qua in comburendo, V. durādóq; reliquis craſsis unguentis præſtat. Nec placet ut uerba πρός τε ῥίγη τὰ περιοδικὰ καὶ πρὸς τρόμους, hoc eſt uerbum ex uerbo: Et ad rigores qui per circuitum fiunt, & ad tremores, in hæc cōuertantur: Inunguntur eo in acceſsione circularium febrium contra earum cū tremore algores. *Cap. lib. 1.*

*Ex cap. 66. de Nardino unguento.*

IN PROBATIONE Nardini unguenti, probare nō poſſum probatiſsimum illum tuum codicē, in quo pro πιαλὴ, λιτὴ legitur. Quis enim credat, cum à Nardo nardinum unguentum nomen capiat, eligendam in eius confectione ignauam nardum? præſertim dicente ipſomet Dioſcoride ea magis commendari, quæ rem à qua nomen capiunt, magis redolent. Sed ut probatiſsimo illi tuo codici id uerbum condonemus, quomodo reliquis tua reſpondebunt? legendum enim erit ſic ad uerbum: Eſt autem optima ignaua, non acris, bene olens, ut ſicca nardus aut amomum. Te uero uertente probatur in nardini unguenti confectione nardus, quæ non adeò præcipua, acrimonia careat, & ſiccæ nardi aut amomi odorem referat. Nam ut mittā quòd nulla in Dioſcoride confectionis nardini unguenti hic mentio, quis putet nardum ignauam ſiccæ nardi odore eſſe, cum ſicca ſit lōge quàm humida odoratior? aut quàm ignaua hæc fuerit doctrina, ignauam nardum per ſiccam nardum (quam & ipſam ignauā eſſe oportet, ſi ignauæ eſt ſimilis) faciens cognoſcere? Quāto igitur melius ex fœmina hermaphroditum, hoc eſt, neutrum, facere, quàm ſeruato genere fœminino uigorē ferè omnem, & maſculinum robur unguento auferre, & uerba in Græcis exemplaribus nō inuenta ſuperaddere. Non ab re autem laudare uidetur id quod aridę nardi odorem habet: quoniam, ut diximus, arida, ſicut pleraq; alia, eſt odoratior: legendúmq; & πιαλὴ, non λιτὴ. Ex hoc colligi poteſt, ꝙ pauló poſt hoc unguentū, niſi reſinam habuerit, liquidū eſſe dicit, ut intelligamus id cui addita reſina fuerit, ſicuti minus tenue, ita minus bonum reddi: & hac de cauſa inter bonitatis notas poſitam tenuitatē. In quo loco fœmininis quoq; uocibus Dioſcorides utitur: quas cum in neutras commutaris, non uideo cur citra culpam nō potuerit eadem quoq; mutatio ſuperius fieri. Quare autem fœminino genere toto hoc capite utatur Dioſcorides, aliis cogitandum relinquo.

*68. de Iaſmino unguēto.*

IN CALCE capitis de Iaſmino, ſcribit Dioſcor. βαρυτέραν δὲ ἔχει τὴν εὐωδίαν, id eſt, ad uerbum, Grauiorem habet beneolentiam. Tu alio (ut mihi uidetur) ſenſu trāſfers, Ingrata in eo odoris nimia bonitas. *Annot. I.* Eſſe enim quoſdam odores graues, & Theophraſtus & alii teſtātur. II. Vnum eſt haudquaquam prætereundum, priuſquam unguenta relinquamus, te in pleriſque (ut tu ex Columella uocas) ſpiſſamentis: ubi in uulgatis codicibus σχίνου eſt mentio, σχοίνου cum legas, odoratum rotundum iuncum transferre: quum ratione nō careat, lentiſcum intelligendam, ut in qua maior adſtringēdi uis, quàm in hoc iunco, leniter tantum (ut Dioſcor. ait) adſtringente: & cum odore præſtet, odorandis potius, quàm ſpiſſandis unguentis idoneo.

*69. de myrrha.*

ANDROMACHVS in Theriaces compoſitione myrrham craſſam probat: unde fit ut communem lectionem probem, ſecundæ bonitatis myrrham, λεπτὴν, id eſt, tenuem, nō λευκὴν, id eſt, albam. *Annot. I.* Deſiderare enim uidetur Andromachus eam quæ optima ſit & primæ notæ. II. Inter reprobatas myrrhas enumerat Dioſcorides amineā, tu mineam uocas: ſed hanc cæteris Troglodyticis præfert Galen. ceu odoratiſsimam, & pręcipuū hoc habentem, quod in balſamum non mutatur. Eas enim quæ in balſamum mutantur, ſi intra corpus ſumantur, uenena eſſe. Et propterea mineam præ aliis cōmendat, ceu præter odoris excellentiam periculo carentem. Mutanda ergo non uidetur communis lectio, ne cogamur fateri Galenum à Dioſcoride diſſentire.

III. Inter myrrhę uirtutes ſcribit Dioſcor. πραΰνει δὲ καὶ τοὺς χρονίους καταῤῥοὺς διαχριομένη πτερῷ τῶν μυξωτήρων. hoc eſt, lenit antiquas deſtillationes inuncta alæ narium. Tu uero (neſcio quare) addis, deſtillationibus narium: quod nec dixit Dioſcor. nec eſt rationi conſentaneum: naribus enim inuncta, caliditate ſua & acredine proritare ad eos humores aptior eſt, quàm ſiſtere. Eáq; de cauſa diuturnis fluxionibus ad pectus eſt idonea, ceu aliò materiā ad pectus defluere aſſuetā diſtrahens. IIII. Quod uero de parte naſi quadam inungēda præcipit Dioſcori. tu ad inſtrumentum quo inunctio facienda ſit referens, ais: Inunctis penna naribus: ſenſu (ni fallor) menti

auto

Cap.lib.1. autoris & seriei sermonis minime congruente. Verba
Diosc. διακχριομένη πτερῷ τ̃ μυξωτήρων, id est, uncta parti cuidã
nasi πτερὸν uocatæ, ei uidelicet quæ in ima parte sphærij,
sola utrinq; instar pennarũ mouetur. Vocari autem eã
πτερὸν seu πτερύγιον (ut Pollucem & alios mittam) testa-
V. tur Gale. libro 11. de usu particularum. Quod de Bœo-
tica myrrha in uulgatis codicibus legitur, grauissimum
habet in medicina testem Gal. lib. 8. de simplic. med. eas-
dem illi uires adscribentem, quas Dioscorides. Quo
fit, ut tanquam legitima proles seruanda hæc pars,
non quasi abortiua uel spuria exponenda, aut reijcien-
da sit.

Ex cap. 70. STYRACEN Catabaliten, Pisidiacon & Cilicium
de Styrace. laudat Diosco. Tu quia nullibi scis esse locum qui Cata-
Annot. I. bala dicatur, autoritate Plinij Catabaliten in Gabaliten
mutas. Ego in calamitem, si qua mutatio facienda, li-
bẽtius mutarẽ, Galeni de Antidotis testimonio, cui plus
in hoc tribuo quàm Plinio. Quanquam locus etiam
Plinij corruptus esse potest. Inquit enim Gale. è Pam-
Styrax cala phylia ferri styracen, intra calamos (quam ob rationẽ
mites. quidam etiam nostro tempore pharmacopolæ Calami
tem uocant) tanto reliquis præstantem, quanto Pha-
lernum uilissimo uino à cauponibus uendito. Qui qui-
dem styrax sit colore pallidissimus, odore & gustu ue-
hementissimus. Scimus etiam Pisidiam ac Ciliciam
proximas Pamphyliæ, hácque procul abesse à Syria
II. & Phœnice, ubi est Gabala ciuitas. Inueniri quoque
scribit Dioscorides lacrymam gummi similem, splendi-
dam, σμυρνίζοντα, id est, myrrham referentem: tu myr-
rhę odore conuertis, quasi colore, sapore, substantia, a-
liáue re, quàm odore, non possit myrrhæ simile aliquid
intelligi.

71. de Bdel- SI ALIA non cogit ratio, quàm nullum fuisse
lio. Saracenorum nomen dum hæc sciberet Dioscor. com-
munem ego lectionem non mutarem. Siquidem Sa-
Annot. I. raca urbs, à qua Saraceni, teste Stephano, dicti, in
Saraca urbs Arabia post Nabathæos existit, penes quam credi po-
test arbores gigni, quarum Arabicum Bdellium lacry-
II. ma sit. Inter notas probati bdelli, sic scribit Dioscori.
εὐώδης ἐν τῇ θυμιάσει ἔοικος ὄνυχι. quæ uerba sic Latina reddis:
Cum incenditur odoratum, & humano ungui colore
simile: duo addens uerba, scilicet humano, & colo-
re, quæ ad alium trahunt sensum, quàm quem Dio-
scorid. uerba uel faciunt, uel facere possunt. Duplex
enim sensus ex illis intelligi potest: unus, ut bdellium
quum bene odoratum sit semper, incensum sit un-
gui simile: alter, quem Hermol. est sequutus, quòd
Vnguis odo dum incenditur, odore similatur ungui. Scimus uero,
ratus. uel ipsomet Dioscor. docente, in paludibus Indiæ odo-
ratum unguem inueniri. Vtrunque autem sensum tua
tollit interpretatio, in qua idem tu quoque peccasse ui-
deris, quod in alijs damnas, quod scilicet ex Plinio po-
tius, quàm ex proprijs uerbis, sensum uolueris Diosc.
aucupari, scribente Plinio, Bactriano multi candidi
ungues.

Ex cap. 72. THVS quod artificio rotundatum, atque ei quod
de Thure. natiuam habet rotunditatem redditum simile, ab his
Annot. I. qui eo pacto afformarunt, nomine quoq; sicut figura
fallere cupientibus, ἄτομον potius, quàm ἔντομον nũcupa-
ri uerisimile est. Et propterea antiqua lectio mutãda mi
nime uidetur, quæ ἄτομον uocari dicit. Primum enim ma
sculum uocatũ, est uerè atomum potius quàm dicatur:
factitiũ uero hoc è contrario cũ non sit, falso tamen ato
mum nominatur: sicuti, si tuæ castigationi standum est,
etiã stagiron. Quo pacto uero sit atomi uox Latinis red
denda, haud satis mihi constat: nõ enim uideo quid ei
bonitatis accrescat, si nihil ab eo derasum, defectũ, ab-
latúmue fuerit: aut quid ab eius præstantia tollatur, si
qua particula auferatur: cũ possit aliquid deradi, quod
si adsit, minus illud speciosum & efficax reddat: quod
rheo barbarico, alijsque medicamentis quotidie con-
tingit: sed & gemmis, atq; omnibus ferè, quæ ad usum
hominis ueniunt. Si indiuiduum quoq; dixerimus, ne-
scio an mẽtem Diosc. exprimemus. Ego, si uertendus à
me esset hic locus, non sectum dicerem: sicuti enim quę
ἔντομον. Græci ἔντομα, Latini appellant insecta, ita quæ illi ἄτομα,
ἄτομον. possumus uocare nõ secta: nec hoc à tua interpretatio-
ne multum abest, licet aliam in appendice primi libri
uidearis habere sententiam. Posset fortè nec absq; ra-
tione, insectile, hoc est, quod facile secari non potest, in-
telligi. Id enim quandoq; significari ea uoce, lib. 5. primę
II. philosophiæ scribit Aristo. De eo quod est secũdæ bo
nitatis sic scribit Diosc. δευτερεύει δ' ὁ ἀραβίας, καὶ ὁ ἐν σμίλῳ, ὃν Cap.lib.1.
ἔνιοι κοπίσκον καλοῦσι, μικρότερον καὶ κιῤῥότερον ὄντα. hoc est uer-
bum ex uerbo, Secũdũ locum habet Arabias, & quod
in Smilo, nonnulli Copiscon uocãt, minus & rufius exi
stens. Tu uero proprium magis, quàm autoris sensum,
ut mihi uidetur, sequutus, ita conuertis: Secundæ boni-
tatis est quod orobiam & melioton appellant, quan-
titate minimũ, colore uero maxime rufum. Inter me- III.
dicinas mihi nõ probatur, quod & suprà notatum est, Arteria.
ut arteria fauces dicatur: siquidẽ arteria trachæa, id est, Fauces.
aspera uocata, est canalis animę, aërem ultro citróq; ad IIII.
pulmones ferens: fauces ad os pertinent. Nec quod in
secundo modo cremandi thuris, perforari æneum uas
ad fuliginem colligendam prætermittatur. Sicuti nec
quod uerbum φώγνυται, in uerbum frigitur, cõuertis, ob-
uio existente uerbo, torretur, quod Gręco melius, ni fal
lor, respondet.

ΚΟΙΛΩΜΑΤΑ nescio an recte dicantur concaua ul 73. de Thu-
cera, cum sint (Paulo teste) bothrio quidem latiora, mi- ris cortice.
nus autem profunda.

THVRIS mannam ἔγχονδρον laudat Dioscorid.
tu thuris micis grumosã, quod nescio quomodo pul- 74. de mãna.
ueri, polliniue possit conuenire. Non enim manna,
sed thus ipsum fuerint grumosæ illæ micæ: frustráq;
laborarent interpolatores gyri, uel excribrata resina,
aut contuso thuris cortice, quæ omnia grumis ca-
rent, eam adulterantes. Hæc quoque ratio facit ne
Hermol. probem, cartilagineam intelligentem: &
propterea ad tertium chondri significatum pulsus, ali-
cæ similem intelligerem, nisi uiderem 3. ad hoc præce-
dente, & proximo sequen. cap. per chondrum, thuris
portiunculam significari eam, quæ ueluti callus nu-
cleúsue est.

PICEAE & tedæ folia lenire inflãmationes; abso- Ex cap. 76.
lute scribit Diosco. Tu (nescio qua ex causa) generalem de Picea.
inflammationis uocem ad uulnera contrahis. Scribis Annot. I.
enim, uulnerum inflammationes leniunt, & tuta ab in-
flammationibus ea seruant: Dioscoride dicente, φλεγμο-
νὰς παρηγορεῖ καὶ τραύματα ἀφλέγμαντα διατηρεῖ. De Dadio scri II.
bit Paulus proprium caput, propterea certi generis res
esse uidetur, nec omnis materia harum arborum δαδὸς
uel δαδίον esse secundum Paul. σπάδων eodem cap. non III.
σπάδημα legendum, & series & res ipsa ostẽdit. ait enim:
σπάδων δὲ ἐξ αὐτῶν γίνεται ὡς ἀκόπων σκευασίας. πτίλωσις, si Pau- πτίλωσις.
lo potius quàm libro definitionum credimus, cras- IIII.
sities quædam palpebræ est, callosa, rubra, quam
plerunque pilorum casus consequitur. Auicenna si-
lac uocat.

SIVOX πυρὰ ab igne deducta, significare id con- 77. de Len-
sueuit, quod adeò aridum est, ut igne torrefactum ui- tisco.
deri possit: quod significatum & tu agnoscis: capite se-
quenti expungenda non erit, sed eius loco, arida uel tor
rida Latinis reddendum.

TEREBINTHI fructum ἄριστον, id est, optimũ 78. de Te-
ad Venerem dicit Diosco. Tu uenerem adiuuare sim- rebintho.
pliciter scribis, nihil addens per quod præstantia eius Annot. I.
hac in re ostendatur. Vbi uero disiicere resinam om- II.
nem ait, tu collectiones addis. Verbum quoq; καίε- III.
ται, quod urere significat, coquitur conuertis, alio om-
nino significato: quod magis mirandum, quando pau-
lo pòst, eiusdem uerbi plurale καίονται, tu ipse uruntur,
uertis, addita, &, particula, ut uidelicet intelligatur u-
stionem quoq; hoc loco doceri.

ΘΑΝΑΣΙΜΑ φάρμακα, hoc est, letalia medicamẽta, ea 79. de Pice li
Diosc. esse ais, quæ in medicina usum quidẽ aliquẽ ha- quida.
bent, per se autẽ letalia sunt. Quod ego non probo, cũ Annot. I.
uenena ipsa, quæ totis substantijs uenena sunt, pharma II.
ca quoq; dicãtur, & mortalia pharmaca. Eodẽ etiã mo Phthisis.
do phthisis nomẽ nimis contrahere uideris, dicẽs Græ-
cos ea uoce tantum uti in his in quibus à capite in pul-
mones descendens destillatio, eos exulcerat. Gale. siqui
dem librum Epidemiarum exponens, phthisium duas Phthisis spe
esse scribit maximas differentias: unã quæ ex fluxioni- cies duæ.
bus à capite contingit: alterã, quæ ex proprijs pulmo-
nis affectibus trahit originẽ, maiori quidẽ ex parte ob
sanguinis sputum, præcipue ubi uas fuerit perfractum.
Quandoq; tamen fluxionem aliunde quàm à capite re-
cipiente uiscere. φθόην uero, eodẽ Gale. 7. Aphor. lib. te- φθόη.
ste, Græci, præsertim Athenięses, proprie uocãt, uniuersi III.
corporis cum exigua febre extenuationem, pulmonis
insanabilia ulcera consequentem. ἐμπυήματα Hippo. & IIII.
Gale. sunt, non solum purulentæ (ut ais) excreationes,

*Cap.lib.1.* quæ ſanguinis ſputum ſequuntur, ſed quãdoq; omnes ſuppurationes, ſæpius tamen puris inter thoracem & pulmonem effuſiones.

*80. de oleo Picino.* ALOPECIAM nõ bene definiuit(quiſquis ille fuit) qui librũ definitionũ cõpoſuit: color enim, Galeno teſte, in alopecia, aliquãdo ad albũ, aliquãdo ad nigrũ, aliquãdo ad flauũ, iuxta uidelicet dominãtis humoris naturam inclinat: ille uero uergere ſemper dixit ad aurũ.

*86. in fine ex poſitiõis de Naphtha.* SANGVINIS thrombos, non in ueſica tantum, ſed in utero, uentriculo, aliiſque humani corporis cauitatibus poſſe coagmentari, & medici teſtantur, & experientia comprobat. Sed in aneuryſmate quoque gigni poſſe, Galenus in lib. de tumoribus præter naturam, ſcriptum reliquit.

*Ex cap. 87. de Cupreſſo. Adſtringentia aluũ urinas mouent.* NON erat ut magnopere dubitares, & ſubeſſe mendam ſuſpicareris, ſi cupreſsi folia adſtringendi uim habentia, urinæ anguſtiis opem ferre dicantur. Non nouum eſt hoc, atque huic tantum rei peculiare: ſed ferè euenit, ut quæ adſtringendæ aluo ſunt, urinas moueãt, dicente Hippoc. urina multa noctu facta, exiguum ſeceſſum indicari, & è contrario. Vtraſque etiam uires pauló infrà paliuro adſcribit Dioſcorides, & alij pleriſque aliis medicamentis: alioqui cupreſſus acredine quadam participat & calore.

*88. de Iunipero.* IVNIPERVM neſcio quare ſcribas cupreſſo ſimilem, tacente hoc Dioſco. nec re ipſa multam ſimilitudinem oſtendente: ſicut nec fructus in eo apud nos quidem, *Annot. I.* quos ego meminerim uidiſſe me, apparet, qui nu*II.*ci maiori uel minori, aut fabæ uel magnitudine uel forma reſpondeat, ſed magna ex parte ciceri potius, qui eſt odoratus, & dum manditur dulcis, & poſtea ſubamarus: *III.* ut mirari etiam ſubeat, quare ſcribente Dioſco. γλυκὺς ἐν τῷ διαμασᾶσθαι, dulcedine tacita, in commanducando odoratum dicas ratione ipſa & experientia conteſtante, odorem ei adeſſe antequam manducetur, & dulcedinem primo oſtendi dum manditur, deinde lenem quandam amaritudinem ſuffitúque potius oſtendere odorem, quàm dum eſtur.

*89. de herba Sabina.* INTER uires Sabinæ ſic ſcribit Dioſc. ἀποκαθαίρει τε μελανίας σὺν μέλιτι καταπλασσομένη, καὶ τὰς ῥυπαρίας καὶ ἄνθρακας περιῤῥήσσει. σὺν οἴνῳ ποθέντα, καὶ αἷμα διὰ οὔρων ἄγει. quæ ſic ad uerbum mihi ſonant: Expurgant etiam cum melle illitæ nigrities, atque ſordities, & carbones auferunt. cum uino potæ, ſanguinem per urinas agunt. Tu uero ita uertis: Ex melle itidem illita nigredines abſtergunt, ſordéſque alias cutis, carbunculorum cruſtas ex uino impoſita exterunt, & cum urina ſanguinem pota ducunt. In qua interpretatione illud in primis non placet, ut quod ſordes ille dixit, tu alias cutis ſodres dicas: ex hoc enim loquendi modo intelligitur etiam nigrities ſordes eſſe, & cutis tantum dehoneſtationes, non morbos ab eo intelligi, cum tamen Galenus denigrata potius, & ualde ſordida ulcera intellexiſſe uideatur, carbunculos etiam cum eis coniungens, amoueri eos ex ipſa cum melle appoſita dicens, nulla de cruſtis mentione habita, uel de uini commiſtione. Alioqui ſeries ipſa Dioſco. apertè oſtendit uinum ad ſequentia referendum, per quod bibitæ ſanguinem per urinas pellũt. licet mala per commata diſtinctio aliud præ ſe ferat ſignificatum.

*90. de Cedro.* IN CEDRO unicus tantũ locus eſt quo offendor, in quo aduerbium ἀνδρικῶς, his uerbis, ut in homine fit, circunloqueris: cũ eſſet longe facilius per aduerbiũ uiriliter, exprimere. Senſus enim Dioſc. eſt, oleo cedrino uiriliter, hoc eſt, uehementer perfricando inuncto, ſcabies quadrupedum ſanari. Quem, iudicio meo, tua uerba minime aſſequuntur.

*91. de Lauro & Lauri baccis.* CAPITE de Lauro neſcio quare quod coniunctim ipſe Dioſc. dixit, cum pane & polenta, à te diſiunctim dictum ſit, cum pane polentáue. Et participium ποθέντα, id eſt, pota, in participium deuoranda commutaris. *Annot. I.* Odorati adiectionem in ultimo remedio tacueris, *II.* quam præter Dioſc. Galen. Paul. cæteri uino cõiungunt. *III.* Non ab re autem ambigis in uerbo πραΰνει, quod lenire *IIII.* ſeu mitigare cum ſignificet, aduerſari uidetur his quæ ſequuntur: quæ enim ſtomachum leniunt, uomitiones potius ſedant quàm mouent, niſi fortè quiſpiam dixerit, leniri ſtomachum nauſeantem atq; anguſtias inferentem, uacuata per uomitum materia, quæ moleſtiã faciebat. Auicenna molire dixit.

*Ex cap. 92. de Platano.* PLATANVM compeſcere oculorũ fluxiones ſcribit Dioſcorides. Poſtea addit: Leuat autem & laxos tumores, & inflammationes. Tu uero generale de tumoribus dictum, ad oculos tantum coarctas. *Cap. lib. 1.*

*93. de Fraxino.* DE FRAXINO ita ad uerbum ſcribit Dioſcorides: Fraxinus arbor eſt nota, cuius foliorum ſuccus & ipſa folia cum uino pota & illita, morſis à uipera opitulantur. Tu hoc pacto interpretaris: Folia autẽ, foliorúmq; ſuccus, illa illita, hic potus, uiperarum morſibus ſubueniunt.

*94. de Populo alba.* SIC SCRIBIT capite de alba Populo Dioſcorides: τὰ δὲ κατὰ τὴν ἐμβλάστησιν τῶν φύλλων σφαιρία. hoc eſt, ut mihi uidetur, Pilulæ quæ in germinatione foliorum gignuntur. Tu alio ſenſu uertis: Conuoluta in orbẽ pilulæ modo in prima germinatione Populi albæ folia.

*96. de Vlmo.* CRASSIOREM ulmi corticẽ cum uino aut aqua frigida potum, educere pituitã ſcribit Dioſcorides. Tu addis ambobus, hoc eſt, uino & aqua frigidis. quod nec ille dixerat, nec Serapion aut Auicẽna intellexerũt. Sed nec in melioribus codicibus aliqua eſt frigiditatis mentio.

*98. de nigra Populo.* DESIDERO (quod aliàs ſæpe dixi) in interprete præcipue fidem, & propterea exigui aliquãdo momenti res proſequor: qualis hæc eſt, quod quum dicat Dioſcorides, Populi nigræ folia ex aceto impoſita, podagricos dolores iuuare: tu utiliter imponi podagricis dicis: quod certe aliud eſt: utiliter enim podagricis adhibentur non ſolum quæ dolores leniunt, ſed & quæ uel repellunt, uel diſcutiunt, uel emolliunt eorum tumores.

*101. de Tamarice.* FRVCTVM fert, ais, Tamarix, quemadmodum & florem, concretione ſua muſcoſum: ſenſu, ut mihi uidetur, à Dioſcoride, & re ipſa diuerſo. Inquit enim, καρπὸν ὥσπερ ἄνθος φέρουσα βρυώδη. *Annot. I.* id eſt, fructum ueluti florem ferens muſcoſum. ut uoluerit Dioſcorid. non florem deſcribere, ſed fructum qui ſimilis flori ſit, id eſt, qui flos potius quàm fructus uideri poſsit. *II.* Nec placet quod eodem capite eandem uocem καρπὸν, primo fructum, poſtea ſemen cõuertis: licet enim utrunq; ſignificet, credi tamen facile poſsit à minus perito lectore, fructus aliud quàm ſemen. Videtur autem ſecundo loco fructus nomen magis conuenire quàm ſeminis, quum gallæ ſimilis dicatur, quæ fructum potius quàm ſemen repræſentat. *III. Tumor. Oedema.* Nec placet etiam, quod & ſuprà tetigi, ut οἰδήματα ſimpliciter tumores dicantur: tumoris enim nomẽ per ſe ſemper generale eſt phlegmonæ, eryſipelati, œdemati & ſcirrho. Oedema uero Galeno (præter cæteros) teſte, ut plurimum laxus tãtum, & abſq; dolore tumor eſt, ex ſimplici pituita factus.

*IIII.* Foliorum ex uino decoctum ſi bibatur, lienem liquare ait Dioſcorides: tu minuere dicis, alio certe, ni fallor, ſignificato.

*106. de Paliuro. Bubones. Phymata. Phygethla.* BVBONES, phymata, & phygethla, adenũ eſſe affectiones, ſcribit Galenus, eo inter ſe differentes, quòd bubo phlegmone abſolute eſt: Phyma ſtatim ab initio augeſcens, ad ſuppurationes tẽdit: Phygethlon uerò eſt uel phlegmone eryſipelatodes, uel eryſipelas phlegmonodes. Quæ definitiones non in totum congruunt his quæ cap. de Paliuro per te ſcripta ſunt.

*Ex cap. 107. de Oxyacantha.* OXYACANTHA fructũ ferè myrto ἐμφερῆ, id eſt, ſimilem, ait Dioſcorides: tu æqualem reddis, cum tamen ſimilitudo & æqualitas inter ſe differant, ſintque multa æqualia, quæ non ſunt ſimilia, multa ſimilia, quæ non ſunt æqualia, ſicut alio quoque loco ſuprà oſtenſum eſt.

*108. de Cynosbato.* OPTAREM ut ſpinas Cynosbati, quas ἰσχυρὰς dicit Dioſc. fortes, robuſtas, uel duras abſolute dixiſſes, non duriſsimas.

*109. de Liguſtro.* FRIGIDVS certe ſenſus Dioſcor. erit, ſi more tuo legamus, liguſtrinum unguentum calefacere, admixtis quæ calefaciendo ſunt. Si uero legamus uerbum ex uerbo, unguẽtum ex eo paratum calefacit, neruóſq; emollit, ſi quod ei ſmigma adijciatur, quod feruidã igneámque uim habeat.

*110. de Tilia.* NON prætereundum profectò erat caput de Tilia, quo pacto folia, quæ adſtringendi ui pollent, non ſolũ urinas, quod tu in iunipero admirabaris, ſed & menſes mouere dicantur.

*111. de Ciſto.* CAPITE de Ciſto, uel nihil, uel unicum uerbum deeſſe mihi uidetur, ſi uerba ex fide reddantur, hoc modo: Flores ut punica, fœminæ albi. Intelligemus enim in mare flores colore punicæ, in fœmina albos: addemúsq; ſi ſubintelligi nõ poterit, quod Hermol. fecit, primæ parti, *mari*, figuram tacẽtes, quam nec nominat, nec

innu

*Cap.lib.1.* innuit Dioſcorid.

*111.de Ladano.* FOLIA Ladi adſtringendi uim habere, omniáq; poſſe quæ Ciſtus, ſcribit Dioſco. Tu uero ad pinguitudinē hæc refers, de qua paulò infrà agit Dioſco. *Annot.I. Anodyna.* Anodyna, quæ uerè anodyna ſunt, non ſomno, ſed temperato calore tenuiq; ſubſtantia dolorem leuant, teſte Galen.5. *II.* lib. de ſimplicibus medicamentis. Et propterea melius erat ſimpliciter dicere, Ladanum utiliter miſceri his quę dolorē leuant, & his quæ tuſsim, ac malagmatis: quàm ut tu, Miſcetur utiliter his quæ ſomno dolorem leuant malagmatis, & contra tuſsim medicamentis: dicente Dioſcoride, καὶ ταῖς ἀνωδύνοις καὶ βηχικαῖς καὶ μαλάγμασι χρησίμως μίγνυται.

*114.de Ebeno.* ΞΗΡΟΦΘΑΛΜΙΑ, hoc eſt, arida lippitudo, eſt, ait Paulus, pruriginoſus oculi affectus abſq; fluxione. ψωροφθαλμίαν uero, id eſt, ſcabioſam lippitudinē, definit pruriginoſam palpebræ ſcabiem, à ſalſo ac nitroſo humore factam, cuius ſententiā ſi ſequamur, non erit xeropthalmię ſcabies, quemadmodū tu feciſti, aſſociāda, ſed pſoropthalmiæ, quod & Græcæ ipſæ indicant dictiones.

*115.de Roſis. Annot.I.* ROSAS ſiccas magis adſtringere quàm recentes, & ratio, & experientia, & Dioſcoridis, ac reliquorū medicorum autoritas teſtatur. Perdere autem eas refrigerandi poteſtatē, omnibus prædictis repugnat. Et propterea melius eſt antiquam ſeruare lectionem, quæ habet, Refrigerant, & adſtringunt roſæ, ſiccę autem magis adſtringunt: atq; ex his uerbis non aliud intelligere, quàm præferri in aſtringendi ui ſiccas, nec ab eis frigus tolli.

*II.* Vinum in quo roſæ decoctæ ſint, doloribus capitis, oculorum, aurium, gingiuarum, ſedis, uuluæ, recti inteſtini prodeſſe, ait Dioſcorid. ἐγχριόμενον καὶ προσκλυζόμενον: tu inunctum, aut clyſtere infuſum intelligis. Quod cum non poſsit capiti, oculis, & gingiuis congruere, melius (ut mihi uidetur) fuerat collutum intelligere. *Antheræ. III.* Antheras uocant medici compoſitiones quaſdam, ægritudinibus oris accommodatas, quibus roſæ miſcētur. Quo fit, ut non floridas antidotos pro antheris reddendum putem, ſed uoce eadem utēdum, qua & Latini uſi ſunt, præſertim Celſus, diuerſas antherę ſcribēs compoſitiones. *IIII.* Apud Galenum tamen latius patere uidetur antheræ nomen, libro quinto de compoſ.med.ſecundum genera, Roſarum florem facere inſperſum, ait Dioſcori. πρὸς οὔλων ῥευματισμοὺς, id eſt aperto ſenſu, ad gingiuarum deſtillationes. Quem ſenſum tu ambiguum reddis, per hæc uerba, Inſperſi in gingiuas deſtillationes compeſcunt: quaſi ſic inſperſi omnes compeſcere deſtillationes poſsint.

*Ex cap.119. de Amurca. Annot.I.* ΕΚ ΠΕΡΙΣΣΟΥ non priuatim & egregie, ut tu uertiſti, ſed ex ſuperabundanti, ultra ea uidelicet quæ poteſt lyciū, mihi de cap.amurca ſignificat. Emplaſticā uim (ni fallor) non bene exprimis per ea uerba, Quæ *II.* opplendo & obſtruendo ſunt: ut infrà clarius monſtrabitur.

*120.de Vitice. Annot.I.* CAPITE de Vitice, unico uerbo δυσθραύστης, omnibus his reſpondes, uitilium modo lentore ſuo infragiles: aptius dicturus, ad frangendum difficiles. Purpureum etiam dicis florem quem Dioſcorid. ſubpurpu- *II.* rizantem.

*122.de agreſti olea. Annot.I. ex commen.* CAPITE de agreſti olea, de ęgritudinibus cutis nō nulla tradis, quæ ſunt mihi ualde ambigua. Primo, exāthemata apud Gręcos proprie fieri denſatis in cute craſſioribus humoribus, magisque ubi denſior ſumma cutis ſuperficies fuerit: quæ uerbum ferè ex uerbo à Paulo accepta ſunt. *Exanthemata.* Addis præterea, quòd non aliud ſignificare uidentur, quàm exiguas puſtulas, quales ex urtica uel ſudore fiunt. Quæ dicta mihi inuicem uidentur pugnare, cum craſsi humores qui uel pituitæ, uel atræ bilis naturæ exiſtunt, exiguas adeò puſtulas poſſe facere non uideantur: & ſi quas fecerint, albæ erunt uel nigrę, non rubrę, quales ſunt quę ab urtica, uel ſudore gignuntur: latæq;, nō exiguę: frigidi enim humores lata exanthemata faciunt, Galeno teſte, exponente illud Hippocra. latæ puſtulæ non admodum pruriunt. Paulus tamē alio loco, ubi de capitis puſtulis agit exanthemata definiens, in ſuperficie factas ulcerationes ſubrubras & aſperas, aliam rem intellexiſſe uidetur: ſicuti & Galen. aphoriſ.21. tertij libri, genus quoddam exanthematum ἱδρῶα uocatum fieri dicens in ſumma corporis parte, quod inſtar ulcerum cutem exaſperat. Ex quibus colligitur, exanthematis nomen latius patere: Celſique exanthemata, à quo ea quæ ſecundo loco attuliſti ſunt accepta, alia eſſe ab utroque Pauli genere, quorum altera capitis propria, altera toto corpore proueniunt: nec recte à te Pauli & Celſi dicta fuiſſe coniuncta. *Cap.lib.1. II. Puſtulæ.* Dubium & illud mihi eſt, quòd puſtulas eſſe ais, quæ concepto intra ſe pure, graui dolore cruciant, latius enim patet etiam puſtularum nomen. Et quanquam à pure ortum uideatur, non tamen putandum, eſſe non poſſe puſtulam, niſi intra ſe & pus habeat, & graues dolores moueat. *III.* Antiquæ deſtillationes oculorum, non ſolum ex augmento magni anguli contingunt, ſed alijs quoque de cauſis, ex libris medicorum cognoſcēdis. Quare non bene ab eo, quiſquis ille fuit, definitę ſunt, eo qui à te recitatur modo.

*123.de Oliuis conditis.* SCRIBENTI Dioſcoridi cap.de Colymbadib.oliuis, ὁ δ' ἐκ τῶν ἁλμάδων χυλὸς αὐτῶν διακλυζόμενος οὖλα στέλλει, neſcio quomodo reſpondeant uerba hæc tua. Reprimendisque gingiuis earum muria utiliter colluuntur: cum nulla in eis ſit uox quæ χυλῷ, id eſt, ſucco reſpondeat.

*Ex cap.124. de oleo oleaſtri.* ΔΙΑΚΛΥΣΜΑ οὔλοις μυδῶσι, eſſe oleum oleaſtri, legitur in melioribus codicibus. Tu πλαδῶσι legis, atque πλαδαρὸν ais Græcis ſignificare, nō humēs ſimpliciter, ſed quod cum humore flacceſcit: oportereq; in eo intelligere humorem, & ex humore infirmitatem. Ego autem ſcio inter ptiſanæ laudes τῷ πλαδαρῷ eam ab Hippocr. commendari alio certe eius uocis ſignificato. Scio etiam à Gale. in 1.lib. expoſitionis in ſecundum Epidemiarum, pladon definiri ſuperfluam humiditatem. Et propterea aliam lectionem magis probo, & putreſcentes gingiuas intelligo.

*126.de Quercu.* NON uideris Dioſc. ſententiam in glande bene expreſsiſſe, ubi ipſe ſcribit, καὶ τὸ περὶ τῇ βαλάνῳ ὑπὸ τὸ κέλυφος, uertens in hęc uerba: Quod inter corium glandis & carnem interpoſitum eſt: quum ille id quod ſub calyce circa glandem eſt, intellexerit.

*127.de Galla.* OMPHACITIM gallam, paruam & condyloden, ait Dioſcorides: tu exiguam, & articulorum in digitis magnitudine iudicio meo addens quod non oportebat, nec bene exprimens quod ille intellexit: magnitudinem enim ſatis oſtenderat, exiguam dicens. *Condylus.* Figuram igitur dehinc demonſtraturus, inſtar condyli: id eſt, extremæ partis articulorum in digitis cum flectuntur, ſimilem eſſe dixit.

*128.de Rhu.* PLANTAE quæ coriaria rhus dicitur, neſcio quare cubitum abſtuleris, conſentientibus reliquis medicis Dioſcorid. bicubitam facienti: niſi forte quia minor apud uos gignitur, ideo cubitalem ferè dixiſti.

*129.de Palma. Annot.I.* CVRANTIBVS non quomodo Plinius, ſed quomodo Dioſcorides loquatur, μεσοπωροῦσα ἀκμὴν, non paulò ante maturitatem, ſed mediam maturitatem ſignificabit: maturitas enim cùm tempore, non momento abſoluatur, principium habet, medium, & finem, qui ἀκμὴ, id eſt, conſiſtendi uigor dicitur. Quocunque autem modo maturitas intelligatur, mediocritas hæc non poteſt paulò ante eam intelligi. Paulò enim ante incipientem maturitatem, nulla adeſt maturitas: paulò ante mediam, nondum eſt media: paulò ante ſummam, eſt plus quàm media. Intellexiſſe igitur uidetur Dioſcorid. mediocrem maturitatem, quæ ſcilicet inter ſummam & incipientem ſit media, quam & tu intellexiſſe uideris in commentario, alijs tamen uerbis eam circumſcribens, ante totam ſcilicet maturitatem, quæ uerba mentem Dioſcoridis melius explicant, quàm ea quæ in interpretatione ſunt ſcripta. Verius autem forte quis τὴν ὀπώραν, non ad palmulas tantum, ſed ad eam anni partem retulerit, qua matureſcere ficus & uuæ ſolent, atque hoc pacto conuerterit: Colliguntur in eius temporis medio quo ad ſummum uigorem maturitas uuæ uenit. *Stomachici. II.* Sthomachicos uocant medici non ſolum eos qui cibum non continent, ſed quibus etiam aliàs laceſsitus & imbecillis eſt ſtomachus, nec in aperto eſt quænam cauſa ſit imbecillitatis. *III. Cauſus.* Vocant & cauſona, ardentem febrem, non ſitim eam conſequentem. Quare ſcribente Dioſcoride, παύει καύσονα, fidelius uertiſſes, ardentem febrem ſedat, quàm ſitim.

*130.de Elate Annot.I.* CAPITE de Elate, ingenuitatem tuam laudo, qua plus ueritati quàm cuicunq; tribuens nomini, Plinij autoritatem euidentiſsimè conuellis. Vnum tamen adiicio, id quod ueluti ἀμφίκομα, fructus uocat Paulus, uideri aliam rem quàm Elate. Galenus enim, à quo omnia accepit Paulus, ſic ad uerbum ſcribit lib.8. de ſimplicibus medicamentis: Germen molle palmæ, quod Elate uocant, eandem poteſtatem habet uocato Cerebro.

Id uero

Cap.lib.1. Id uero quod ueluti aphiesma ipsius est, adstringendi quoque uim habet, omnibus tamen prædictis est siccius. & reliq. Vbi notandum, aphiesma, nõ amphiesma apud eum legi, nisi in libro sit menda. Libro uero qui de attenuante inscribitur uictu, à lateribus pullulare hanc Elatem dicit, sicuti Cerebrum uocatum à summo cacumine. Mirum tamen est, si de hoc tantum cortice hoc loco scribit Dioscorides, quare fructus intra eum clausi mentionem fecerit, qum de fructibus omnium palmarum, tam acerbis quàm maturis, superiori capite abunde tractauerit.

II. Nec silendum, ubi tu legis, adhuc florentium, in uulgatis codicibus legi ἀκμὴν ἀνθούντων, hoc est, perfecto uigore flores habentium.

III. Addique inter notas probatissimi adstringens, & IIII. his quæ pascendo serpunt, adiici ulceribus. Atque demum, ubi tu legis, Candido & ipsum colore: legi in Dioscoride, Cor autem trunci album, & ipsum recens in cibo sumptum.

Ex cap. 131. de Punicis siue granatis mâlis. NON abre dubitas, an per πυρῆνας, cap. de Punicis mâlis, sint nuclei, uel toti acini intelligẽdi, docente Dioscoride, ex ipsis expressis fieri cum melle medicamentum ad multa ualde utile: quod male uidetur nucleis ipsis posse conuenire, aridis & absque succo. Non erat Annot.I. tamen, meo iudicio, tam facile ferenda sententia, ut alteri parti omnino præiudicaretur, Galeno præsertim & Paulo, quem te legisse ostendis, maiorem siccandi uim πυρῆνι tribuentibus quàm succo: quod uix intelligi potest, nisi seorsum à succo accipiatur. Sed & Dioscorides ipse aliter non uidetur posse intelligi. Nam si de acinis ibi loqui incipit Dioscorides, ubi ait, τῶν δ' ὀξείας ὁ πυρὴν, de quánam re prius dixit, quòd esset boni succi, sed exilis stomacho nutrimenti, quòd ardoribus stomachi prodesset, urinámque cieret? Certe non possunt illa nisi de succo intelligi, uel de totis acinis. Mihi igitur diligẽtius rem consideranti uidetur Dioscorides usque ad eam partem, τῶν δ' ὀξείας ὁ πυρὴν, de acinis ipsis egisse, qui soli è toto mâlo granato cibi rationem subeunt: post acinos agere de nucleis, tertio de floribus, quarto de cortice, sicq; in uniuersum de omnibus pomi huius partibus. Nec probandus etiam in hoc probatissimus ille tuus codex. Vix enim poterit succus in tantum exiccari, ut in puluerem conuertatur, nisi planè exustus omnem uim prius amiserit. Nuclei uero recenter exempti, tantum adhuc humoris seruant, ut extrahi ex eis succus ualeat: & nisi in sole uel aliter siccentur, puluis fieri uix possint.

II. Sed de hoc plusquam satis, Illud uero non prætereundum, non uideri rationi consonum, ut penitus nutrimento carere punica dicantur: & propterea uox ἄτροφος, exigui potius quàm *nullius nutrimenti rem* hoc loco putanda est significare: sic enim & corpora ἄτροφα dicimus, non quòd penitus non nutriantur (quomodo enim uiuerent?) sed quia uix, & non plene ac recte nutriuntur.

133. de Myrto. CAPITE de Myrto, ubi ualere inflammationibus dicit, in meo codice additur, cum tenui polenta. Vbi Annot.I. etiam tu legis, Et denigrando capillo inspergitur, uerbũ II. Inspergitur, superadditum uidetur.

134. de Cerasijs. DISCRIMEN illud inter λύειν, μαλάττειν, ὑπάγειν, non uidentur Græci medici, presertim Gale. agnoscere. Nec εὐκοίλια ea dicere quæ medio habitu aluum relinquunt, Anno.I. sed quæ leniter, plus tamen quàm natura per se faceret, II. subducunt. Quod cerasia quidem ipsa & brassicas facere euidentius est, quàm ut probari à nobis debeat.

Ex cap. 136. de mâlis omnibus. DECOCTVM Cotoneorum πρόκλυσμα esse idoneũ procidenti sedi & utero, scribit Dioscorides: tu aspergi interpretaris, cum prolui potius ea uox significare uideatur.

Quicquid Nicandri interpres dixerit, notum est ex Persica arbor, aliud est à Persea. Gale. lib. de alimentis, aliud esse Persicam arborẽ à Persea: hancq;, nõ Persicam, ex Perside translatã interficiendi uires in Aegypto amisisse. Et lib. 7. de simplici medicina, de Persico inter mâla recenset. Lib. uero 8. de Persea, uires ei alias quàm Persico attribuit. Notũ etiam ex Diosc. Quare nõ in dubiũ à medicis reuocandũ, sed inquirendum potius quænam ea nunc sit arbor, quæ ab antiquis Persea dicebatur: Persicum enim omnes norũt pomum mẽsis expetitum, & ori ualde commẽdatum. Persea à nobis ignoratur. Perseã uero nemo mirabitur à nobis ignorari, qui apud Galenum lib. 2. de medicinis secundum loca patiẽtia, legerit, nullibi sub Romanorum imperio eam arborem, præterquàm in Alexandria, à se uisam.

Cap.lib.1. 137. de Piris. CAPITE de Piris, duo sunt quæ me offendunt. Primum, quod etiã maioris momenti est, quòd Dioscoridem dicere facis, Cataplasmatis quæ discutiẽdo sunt, ea misceri: quod rationi & uerbis minime consentaneum Annot.I. est. Calida enim esse oportet quæ discutiendi uim habent, qualia pira non sunt: & ἀποκρουστικὰ ea dixit Dioscorides, hoc est, repellentia, non discutientia: diuerso utriusq; uocis significato, ut quisq; penè nouit, qui duas uel tres paginas in libris medicorum euoluit. Alterũ, II. quod non adeò tamẽ clarũ existit, quod capite de Acradibus Dioscorides ait, cinere ipsorum aperte eos iuuari qui fungis suffocantur: tu de omnibus piris intelligis, quod nec dixit Dioscorides, nec Auicenna intellexit.

138. de Mespilo. MESPILVM mâlo simile scribit Diosc. tu figura addis & magnitudine: quod faciẽdum meo iudicio nõ est ab eo qui fidelis interpres uideri uult, presertim cũ constet uix adeò exiguum mâlum inueniri, quod maximũ mespilum non uincat magnitudine.

139. de Loto. LOTON fluentem capillum detinere, preter Pliniũ scribit Galenus, nulla quòd eum coloret facta mentione. Idem & Paulus. Quo fit, ut ingenium & diligentiam tuam summè laudem, ita in hoc sicuti in toto hoc libro, & subesse omnino uitium in uoce ξανθίζει, tecum putẽ.

140. de Corno. CORNVS fortis quidẽ, speciosa uero arbor mihi minime uidetur: & propterea satis erat pro uoce ἀδρὸν, reddere Latinis fortem, nec addere speciosa.

143. & 144. de amygdalis. GVMMI, pruni & amygdalæ calculo prodesse, absolute scribit Dioscorides: tu uesicæ addis, cum longe tamen difficilius fit (quod & superius monui) hũc quàm renalem perfringere: nec sit interpretis officiũ, etiã si ue- Annot.I. rum sit quod additur, adiicere quidpiã autori: alioqui Interpretis officium. aperte ei imponit, qui falsum aliquid superaddit.

II. Communẽ lectionẽ eodẽ de Amygdalis cap. magis probo, quæ copulat rosaceum aceto, non disiungit, & suadente ratione, & Arabum autoritate confirmante.

III. Σηπεδόνας Galeno aliquando sunt putredines, nõ semper ulcera exedẽtia. Paulus etiam ἀπὸ τῶν φαγεδαίνης, id est, comedentibus, distinguit. Melius igitur erat eodem de Amygdalis cap. ad putredines, herpetas, & canis morsus eas commendare, quàm contra exedentia ulcera.

IIII. ἀνώδυνα sunt medicis (quod & superius monui) non solum quæ somno, sed & quæ æqualitate substãtiæ dolores leuãt. Alioqui bis dixisset Dioscor. somnum ab eis fieri, ἀνώδυνα dicens & ὑπνωτικά.

Ex cap. 145. de Pistacijs. PISTACIA iecur laxare ais ex Pauli sententia: melius dicturus si reserare dixisses, & obstructiones aperire.

148. de Sycomoro. INTER notas sycomori πολύχυλον scribit Dioscorides: tu multo lactis liquore abundans, quasi πολύγαλον legeris, conuertisti.

149. de Ficis. VBI tu duobus locis strumas, ego δοθιῆνας lego, aliũ certe morbum, uel temet alibi teste. Annot.I. Vbi etiã de olynthis sermo, quos tu caprificorum, uel ficorum grossos II. uocas, qua parte uerrucas & thymos tolli per eos scribit Dioscorides, addendum uidetur, crudi. III. Non uideo etiã cur non potuerit humidũ sinapi intellexisse Diosc.

Hæc sunt mi Marcelle, quæ percurrenti mihi primũ tui Dioscoridis librum, morã attulere: quorum teipsum censorem & arbitrum constituo, id probaturus reprobaturúsue, quod abs te probatum reprobatúmue iri cognouero. Ea igitur ut ęqui boniq; cõsulas rogo, méq; in eorum numero esse scias, qui te suspiciũt, atq; in hoc nemini cedere. Vale. Ex Ferraria. M. D. XIX.

## EPIST. II. *cuidam uiro doctiß. pariter & amiciß. qui Marcelli defensionem rogatus acceperat.*

LEgi uir doctissime, quæ pro Marcello aduersus me acutissime simul & eruditissime disputasti, Quibus primo cõgressu adeò deterritus prostratúsq; sum, ut deditionẽ uel fugam potius, quàm defensionẽ cogitarẽ. Verũ quum post primũ illũ impetũ, epistolam tuam humanitatis & modestię, qua semper tua scripta scatẽt, undiq; refertã relegerem, præsertimq; eã partem in qua ais, obsequẽdi mihi gratia, magis, quàm ueri delectu te contendisse: resumptis aliquantisper uiribus, quoniã amant quiq; sua, cœpi respirare, simúlq; cogitare, an meos illos quanquã abortiuos partus, tueri quoquo pacto à morte ualerem: arreptóq; calamo, tumultuatim, ut occurrebant, quæcunque mihi fauere uidebantur, in unum aceruum collegi, digesturus, si tibi

digna

Cap.lib.I. digna uiderentur, ut prodire in conspectum hominum possent. Ea ad te hactenus nõ misi, pudore quodã prohibitus, quod te alioqui maioribus rebus occupatum, tam crebrò in hæc adeò exilia dimitterem. Nunc uero postquam, ni fallor, supra biẽniũ apud me delituissent, aliud quærenti, quum se mihi obtulissent, deuorato pudore, accedere ad te iussi, reuerentérq; ueluti mancipia salutare, sententiámq; tuam, etiam si capitalis esset, demissa fronte expectare.

IN PROOEMIO.

Annot.I. Celsus morbi tempora enumerans, eam morbi partem quam Græci ἀκμὴν uocant, consistendi uigorem interpretatur: quã interpretationem dixi me magis probare, quàm Marcelli, qui integram ætatem. II. Aquilonio cœli statu & afflatu, materia omnis in omnes usus meliorescit, ait Marcellus. Aduersus quod uniuersale dictũ ego ostendo, materiam medicinalem diligere potius australia, quàm aquilonaria loca.

Ex cap.I. de iride. Annot.I. DE FLORIBVS iridis, ad ipsosmet prouoco, & ad Diosco. uerba, ὡσὶ κ[ai] καυλῷ παράλληλα, ὡσὶ καμπῇ, ποικίλα, nihil in his de summis caulibus, imò nec de pluribus caulibus, nihil quòd in altum surgant, quòd in singulis singuli, quòd rectà, nihil demum de arcu. II. Modus etiã loquendi alternatiuus in coloribus, ipsis floribus quãdo apparent concordans, cogit me credere, non omnes illos colores simul in uno flore ostendi, sed in diuersis diuersos. Postquã enim flores dixit uarios, statim addit, Aut enim albi, aut pallidi, aut purpurei, &c. Quare non probaui, ut adiectiuum, uarij, in participium, uariãtes, mutatũ sit. III. Quid rigoris uox apud Latinos possit, nõ est meum uobiscũ contendere. IIII. Illud autem in Marcello probare non possum, quod πνεύματι ψυχομένοις, uel, ut ipse mauult, nec ego abnuo, περιψυχομένοις eos solum dicat, qui in accessionibus febrium frigẽt: cadere enim in hoc mihi uidetur à boni, nedum fidi interpretis officio. V. VI. Nec illud quòd ῥῖγος sit tertianis peculiaris: φρίκη, semi- VII. tertianæ: περίψυξις, quartanæ.

2. de Acoro. TA ΓΥΝΑΙΚΕΙ'A posse menses intelligi, non abnuo: sed in acori medicinis intelligi, uel ex hoc maxime, quòd iridis modo conferre insessu ad muliebria à Dioscoride dicitur, quam iridem potu quidem menses ciere, insessu uero mollire & aperire muliebres locos, superius dixerat.

3. de Meo. SI SINE uitio sermonis trahi uis Mei linctiad superiora potest, sine uitio tamen rationis, & artis præiudicio, non potest ad pedes usq; pertingere: pectore enim licet purgatissimi, pedes plerunq; misere affliguntur.

4. de Cypero. MVLTA sunt quæ renum calculos frangunt, uesicæ nequaquam: inter quæ cyperus reponitur. Propterea non sequitur, si calculũ potest cõminuere, ut uesicæ possit, quod est longe difficilius. nec cõmeat ratio, ut quod potest leuiori malo succurrere, possit & grauiori, sicut è contrario, quod grauiori, id & leuiori. quãquam nec hoc perpetuum: non enim quod potest phrenitin sanare, potest & reduuiam.

5. de Cardamomo. INIVRIA possessori fit, quoties possessionis fines arctiores fiũt. Quod certe de Marcello uox νεφρικὸς queri potest, cuius ambitus in omnes renum affectus expansus, ad eos tãtum limitatur, qui urinæ malo aliquo cum dolore affliguntur. Nec illustrare hoc est, sed in angustum ambitum uocis & autoris mentem redigere.

6. de Nardo. Annot.I. IN GANGITIDE miror prætermissam proceritatem: cui defectui nihil quod à Marcello addatur, satisfacit, quum ad interpretanda alia Dioscorid. uerba omnia sint apposita. Vitio ego potius uel exemplaris, uel librarij puto defectum huiuscemodi contigisse, quàm Marcelli. Nulla enim ratio suadere mihi potest, ut dimittendum sit uerbum in Græco exemplari, II. cui nihil respondeat in Latino: sicuti nec quod uerbum sit ad contrarium sensum trahendum, ut in κολοβόσταχυς uerbo, quod Marcello ipso teste paulò infrà, decurtatæ spicæ significat, & torosæ spicæ hoc loco III. conuertitur. Hanc autem interpretationem exigui momẽti dixi, non in ipso interpretandi munere, sed sequentis comparatione, quæ meliorem partem abiici iubet, deteriore in compositionem medicaminum admissa. Sic enim intelligendum Marcellus ipse ostendit, dicens lectionem quam sequitur & probat, omnem radicum usum dãnare, præcipieréque tanquã inutiles à reliqua nardi materia separandas abijciendásq; esse. Seruata autem antiqua lectione quæ purgari radices docet, non adeò frigida uidetur constructio, si uires radicum, non spicarũ intellexerimus. Fideliórq; habendus interpres, qui sententiam & uerba Dioscorid. sequutus, simpliciter conuerterit ad hunc modum: Vires habẽt &c. Cap.lib.I. IIII. Sicuti & ille fidelior qui paulo pòst sic conuerterit: Fluxiones uteri appositę & sanies sistũt, quàm Marcellus, trãsferens: Appositæ muliebrium locorum fluxiones sistunt, compescunt præterea sanies. dicente Dioscoride uno contextu, τὰς ἐκ μήτρας ῥύσεις ἰχῶρας στέλλουσι. V. Atque ille rursus qui cardiogmon cordis morsum uel erosionem, quàm qui stomachi erosiones καρδίας nomine, ita antiquis sicuti & recentioribus cor significante, non autem solum uentriculum, ut Marcellus affirmat. VI. Quod autem de acribus humoribus dixi, de his intellexi qui à Græcis δριμεῖς dicuntur, quos calidos esse potius quàm frigidos constat, sicut & alia quæ uere acria sentiuntur.

Ex cap.9. de Asaro. Annot.I. ET ODORATVM Asarum est, & flecti aptum, & ut sequens est, re ipsa & Dioscorid. sententia, nisi error in communibus exemplaribus sit, coronarium. Quod uero Asarum dicatur, alia quærenda ratio, quoniam nec caput infestare uidetur. Sed & rosæ, & alia pleraque caput infestantia, ad coronarum usum ueniunt, imò & quædam odore carentia, ueluti gramen. II. Non contenderim ego, modo loquendi Dioscoridis magis congruere, ut caulia seminis potius, quàm totius plantæ intelligantur: scribenti tamen herbæ historiam, ea uox potius significare ipsius herbæ caulem, quàm cuspidi simile semen uidetur, ut scilicet redeat sermo ad herbam, nec amplius seminis sermo habeatur. Postrema tamen Dioscor. Græca editio hanc litem dirimit, in qua nulla mentio περὶ τ̃ καυλῶν, sicut nec apud Oribasium. III. Quicquid de uoce, γωνιοειδῆ statuatur, constat nullum aut caulem aut semen, angularem speciem habere, nisi uerè angulatum sit. Possunt quidẽ sensus deludi, nihil tamẽ est quod similitudinẽ anguli uerè præ se ferat, quod uel orbiculare, uel ad lineam sit rectũ, uel omnino angulis priuetur.

10. de Phu. Annot.I. SI παραπλήσιον similem proprie significat, cur mutandum in æquale? ex qua uoce debeat potius quantitatis, quàm qualitatis conformitas intelligi. Pauci enim (ni fallor) erunt, legentes Phu ęquali folio esse olusatro, qui quantitatem non intelligant. Secus esset, si æquali uiriditate diceretur. Interpretis officium. Aliud est interpretis, aliud exponentis officium. Potest hic quam putat autoris mẽtem, proprijs uerbis explicare: illes ensum ita autori II. dimittere debet, ut si uerba aliam quam ipse putat sententiam tolerant, idem etiam ferant translata. Quod in uerbo ὑπόπορφυρος non custoditum à Marcello queror, *albicantem* addente, nec integrum relinquente lectori, ut in alium colorem uergere possit putare. III. Tam dissident inter se betæ & olusatri folia, ut si quis folium ignotæ herbæ per alterum uoluerit notum facere, ridẽdus sit, si reliquo etiam simile dicat. Et propterea repudiandi omnino uidentur, qui pro elaphobosco elleborum legunt.

11. de Malobathro. EPIPHORIS oculorum non semper accedere maximas inflammationes, præter Pauli autoritatem, remedia quoq; ipsa attestãtur, quorum multa sunt ualde calida. In postrema tamen editione legitur ὀφθαλμικὰς φλεγμονάς.

12. de Casia. Annot.I. QVOD uulgò Casia nasci traditur, & aliquando in Italia frequens fuerit, non meam infringit sententiam: siquidem de casia herba nostrates, Græci de frutice loquuti sunt. II. Si cinnamomi uocati folium nullam cum iride similitudinem gerit, eadémque in planta casia cum cinnamomo crescit, non in tenebris pugnare dicendus, qui casiæ folium, quod idem & cinnamomi est, rem hoc tempore notam, nullam cum iride habere similitudinem dicit. III. Non lacessendi gratia, sed pro ueritate & uerbo Dioscor. dixi, non placere ut δηκτικὴ uox, erosionem significet, quæ à cinnamomo, non solum ubi primo gustui occurrit, sed semper aliena est.

De quibus aromatibus aliena sit amaritudo. A proprie uocatis aromatibus alienam esse amaritudinem dixi, ea intelligens quibus ad condienda obsonia præcipue septentrio utitur, inter quæ nullus puto rheon barbaricum numerauerit (quanquam odore præcellentem) ob insignem scilicet amaritudinem. IIII. Non igitur dicens, ad conciliandam uino gratiam V. addi aromata, mecũ pugnaui, sed potius firmaui quod uolebã: aromatũ odorem ita uino congruere, ut si qua eo careãt, ut communia uina, arte odorata à nobis redduntur, ad ęmulationem moschatulorum uocatorum, quæ

*Cap. lib. I. Plinij locus.* quæ natiuum habent moschi odorem: ut Plinium mittam, laudatissima fuisse apud priscos dicentem uina miro odore, uel (ut legendum potius mihi uidetur) myrrha condita.

VI. Modus loquendi Dioscoridis, & aliis in locis, & hoc capite, aneurismum pro morbo censeri ostendit: eodē enim loquendi modo utitur, quo pauló antè in inflammationibus usus fuerat: ac si dixisset, ualere ad intraneas omnes inflammationes, ad renes, ad uteri aneurismum. Et propterea probare non possum Marcellum, ad laxandos muliebres locos casiam ibi commendantem, ubi aneurismum legebat.

*Ex cap. 13. de Cinnamomo.* MEO iudicio in cinnamomi bonitate nō dissident Galen. & Diosco. Propinquum dixit Gale. pessimum cinnamomū optimæ casiæ perfectione. Dioscorides optimum cinnamomū optimæ casiæ effigie ac specie comparauit.

*Annot. I.* Odorem Cardami, multóque minus rutæ, non esse miscendum cinnamomo, puto quisque existimabit, qui Galen. audiat dicentem ipsum εὐωδέστατον, ἄῤῥητόν, τινὰ εὐωδίαν ὑπὲρ ἅπαντα τὰ ἄλλα. Et Diosco. σφόδρα εὐώδης. Neque enim eorum iudicio standum (si qui tamen hi sunt) quibus rutæ aut cardami odor suauis est. Alioqui, si paucis credendum, omnis sensus iudicium in controuersiam ueniet. Consentit tamen lectioni Marcelli in ruta, ultima Diosco. editio, ubi legitur, πηγανίζουσα ἢ καρδαμώμῳ ἐμφερής. De colore sic scribit Gale. τῇ χρόᾳ δὲ τοιοῦτον, ὡς

II. εἴ τις μίξειε τὸ τοῦ γάλακτος χρῶμα τῷ φαιῷ καλουμένῳ, μετὰ βραχέως τοῦ κυανοῦ καλουμένου. quæ uerba nemo negauerit magis congruere communi Diosc. literæ, μέλαν, τεφρίζον ἐν τῷ οἰνώδει, quàm ei quam magis probat Marcellus nigrum simpliciter, & ex natura sua statuente, & ablutum uino cinereum reddi. In Galeni autem illis uerbis (ut ingenue ueritatem fatear) nullam agnosco corruptelam: è Græca uero in Latinam linguam ea melius uertant, qui utranque me melius callent: ego neutram mihi arrogo.

*14. de Amomo.* ΟΙΟΝΕΙ βότρυς. Expeditius & lucidius uerterit quispiam instar racemi, quàm, uuæ modo: quæ enim sequuntur, aliis Dioscoridis uerbis respondent.

*Annot. I.* Nec curandum hoc loco magis quomodo Plin. sed quomodo

II. Diosco. loquatur. Nec bryonia in labrusca mutanda.

III. Si modus loquendi Marcelli, facit ut disiunctio intelligenda sit, erit etiam in prima qualitate intelligenda: eritque sensus, eligendum quod uel recens, uel candi-

IIII. dum, uel modice rufum. Non omnis abscessus in ulcus transit, multa enim sunt ulcera sine abscessu, sicuti & multi abscessus sine ulcere. Concoqui autem & discuti

V. abscessibus potius quàm ulceribus conuenit. Maturare & discutere, dissidere ut contraria dicit Marcellus: illúdque calidis, hoc plerunque frigidis fieri. Nos uno medicamento utrunque fieri diximus: & si à diuersis fiat, à calidis tamen semper fieri: reprimunt enim frigi-

VI. da, non discutiunt. Coagulum fatetur Marcellus contraria facere, non tamen maturare & discutere. In hoc autem sibi tantum placuit Marcellus, ut uerbum διαφορεῖ abraserit.

*15. de Costo.* IN Indico Costo magis placet crassities, quàm spe-

*Annot. I.* cies, quæ nec qualis esse debeat explicatur. Humida

II. actu esse multa, potestate siccātia, nullus medicus am-

III. bigit. Idem autem medicamenti genus, esse forma humida & sicca, nemo dixerit.

*Plus potest Galeni autoritas apud Manardū, quàm codicum antiquitas.* Plus potest apud me in legendo & intelligendo Dioscoride, Galeni autoritas, quàm mille antiqui codices: nec cogit ratio, ut si mel exterendi uim habet, misceri semper debeat: quādo & Costo ipsi per se ea uis adest, quæ cuti alicui comparata, quandoque potest adeò uehemens existere, ut retundi aquæ admixtione desideret.

*16. de Schœno.* PVLMONEM esse prætermissum oscitatione librarii, non negauerim: nunquam tamē probauerim industria Marcelli dimissum, ex reliquis uolentis intelligi: alia enim membra sæpenumero alia exigunt remedia.

*Annot. I.* Suspicatus est Marcellus, mēdam eodem cap. de iunco odorato subesse, ubi par piperis pondus dandū di-

II. citur, quia referri ad aliud oportet quod par dicitur. Ego nihil deesse dixi, & par utriusque pondus intelligi, nec definiri quantum semel sit dandum. Sunt tamē exēplaria in quibus addatur, drachmæ unius pondere.

*17. de Calamo odorato.* ODORATVM calamum (quod ego minime puto) esse Canellam si putauit Marcellus, plus longe errauit quàm prius putauerā. In Canella enim uocata, nulli geniculi, non glutinosus lentor, non amaror, non demum aliud quicquam, quod calamis adnumerari eā faciat. Fistularis enim dici forte potest, nō tamē calamus.

*Cap. lib. I. 18. de Balsamo.* HAVD utique eum probauerim patronum, qui nisi per inficias nequeat patrocinari: per testes enim re probata, reus cliens conuincitur. Locupletissimi autem testes, in balsami calore omnes libri Diosco. sunt θερμαντικώτατον

*Annot. I.* habētes: quare male patrocinatus uidetur Marcellus, calidissimum, in egregie calidum commutans.

II. Si maturare aliud est quàm concoquere, ut ipsemet fateris, quare πεπτικὸς, quæ unica uox est, per duas illas Latina redditur? Nec per ebibita, sed per apposita, maturatio abscessuum, quibus proprie, non ulceribus, maturitas cōuenit, procurari solet.

*III. Epispastica.* Quum epispastica, teste Celso, dicantur, quæ extrahunt, ἐπισπᾶται commodius uerteretur, ni fallor, extrahit, quàm proritat. Aliud autem quandoque esse extrahere, quàm euocare uel retrahere, nemo est qui nesciat.

*19. de Aspalato.* ἈΚΑΘΑΡΣΙΑΣ, ni fallor, feliciter, & ad Galeni mentem uertit Hermolaus, putrilagines: immūditias enim ea uox proprie designat, quas eleganter (ut solet) maluit Hermolaus dicere putrilagines. Purgationes autē, ut uiris etiā fieri concedamus, non tamen dicimus eos facile uel difficile per genitalia expurgari.

*20. de Bryo.* VITIVM in Paulo subesse suspicatur cap. de musco, Marcellus: quia Dioscoridi non cōsentit, pro Cedris Pinos dicēs. Nos non Dioscoridi subscribere Paulum, sed Galeno dicimus.

*Ex cap. 21. de Agallocho.* LATINVM hominē debere potius Celsum sequi, quàm sibi uoces fabricare, æquum mihi uidetur. Celsi uerba sunt: Pessima his inter intestinorum mala tormina esse consueuerunt, dysenteria Græce uocatur.

*22. de Nascaphtho.* TAM diuersa est mihi in Nascaphtho à Marcello mēs, quàm diuersa morus ab Aegyptia fico. Nescio igitur quare eandem mentem esse utrique dicas, uerba uaria.

*25. de Croco.* NON ut accusarem Marcellum, dixi, primas Corycio Croco non dare Galenum, sed ut monstrarem non ita stata hæc esse, ut ueluti perpetua decreta essent accipienda.

*Annot. I.* Non debuit Marcellus interpretis officio fungens, si doctis tantum Dioscorides loquebatur, uelle indoctis loqui, illúdque addere, quod non apposuerat Dioscorid. & suspicionem relinquere medicis putandi Galenum Dioscoridi aduersari, altero flauum, altero rubrum crocum laudante.

II. Vt facile friabilis fiat crocus, insolandus est: igitur natura sua facile friabilis non est: ergo inter notas probati croci magis probandus codex, non facile friabilem dicens, quàm qui facile: quem enim eligere docuit Dioscorid. docet & insolare, non ut melior uideatur, sed ut ad conterendum aptior reddatur, qui natura sua ἄθραυστος erat, id est, ad conterendum non aptus.

III. Oleracei nomē idem nobis significat, quod Græcis λαχανώδεις. Quid ergo interrogas me quid significet? Dioscori. potius interroga. Nec Marcellū laudes non solū crocos hosce, sed pariter omnia olera satiua faciente.

IIII. Si nemo Pauló humanior ignorat erysipelas, ignes sacros à Latinis dici: nemo homo medicus nescit, erysipelatodes phlegmones dici, in quibus superat phlegmone, superatur erysipelas, non ut Marcellus transfert, sacrorum ignium inflammationes.

*27. de Inula.* Ὑπο præpositio (ni fallor) nunquam inuenietur intus uel foris, multóque minus utrunque significare: quod Marcellus facit, ὑπόλευκον καὶ ὑπόπυῤῥον, intus albescētem & foris rubentem interpretatus. Sunt tamen codices in quibus ὑπόπυῤῥον tantum dicitur.

*28. de omni oleo.* SI definitio debet reciproca esse definito, definitio illa non potest recta esse, quæ tenuioris intestini morbū

*Annot. I.* per inflammationem definit, quando (quod & tuipse fateris) potest ille morbus sine inflammatione contin-

II. gere. Sed præter hoc multa sunt, quæ librum illū ex Galeni officina non exisse ostendunt. Non ut arguerē inscitiæ Marcellum, dixi, δύναμιν cap. de oleo, uim, non maleficium, esse intelligendam: sed ad rē ipsam respiciens, quoniam exulcerantia medicamēta magno interdum nobis essent beneficio.

*29. de Elæomelite.* NON putasse Marcellum duas res indicari cap. de elæomelite, uerba eius demonstrāt, ubi de secundo (ut ego quidem puto) fit mētio: sic enim ipse Dioscoridem loqui facit: Conficitur præterea ex surculorum corticibus eiusdem arboris idem oleum. In quibus uerbis tria superadduntur uerba, scilicet, eiusdem, & arboris, & idem. & unū mutatur leui argumento, quia scilicet uerbum, confici, ad eam rem spectat quæ prius non erat. Vnguen autem per se ad olei naturam accedit: scimus

enim

*Cap.lib.1.* enim unguen, quando à ligno separatũ est, speciem olei habere: in ligno uero quandiu latet, oleum nec est, nec uidetur, sed dum elicitur, confici tunc demum dicitur.

*40. de oleo Laurino.* QVVM alia sit ἀναστομωτικὴ, & alia χαλαστικὴ uis apud Græcos, diuersis quoq; uerbis sunt Latinis reddendæ. Igitur quoniam χαλαστικὴν communi usu laxatiuam consueuimus interpretari, ἀναστομωτικὴ aliter est interpretanda: ego reserandi uel aperiendi dixerim.

*Ex cap. 41. de Lentiscino oleo.* LICET plerunq; alia cortici, alia medullæ uis sit: cũ tamen oleum terebinthi ex toto fructu exprimatur, simili ui esse fructui, rationi est consonum. Et propterea magis probanda ultimo impressa exemplaria, in quibus uerba illa tacentur, scilicet infrigidat, & adstringit:

*42. de Mastichino oleo.* SI durũ est, durities cap. de Mastiche intelligere: durissimum certe mihi uidetur, ut cum eodem uerbo, ποιεῖ uidelicet, medicamentum cum morbo construatur: ac si dixisset, Facit ad omnes uteri affectus, & ad ceromata & cœliaca. Alioqui nuspiam alibi uel Diosc. uel alius medicus, simplicia medicamenta, ad hæc uel illa composita facere dicit, sed misceri potius, uel addi.

*46. de Melino unguẽto.* *Annot. I.* EADEM fides quam in interprete exigo, facit, ut non probem herpetas dici malum quod serpit: quoniam ea uoce medici, non absolute malum quod serpit, sed certum morbi genus significant, qui uulgò formica dicitur, cuius etiam quædam species non serpit. Sicuti nec eum probarem, qui πύρινον ignitum morbum interpretaretur.

*II.* Defenderetur certe satis belle Marcellus in scabiosis ulceribus, nisi ipsemet sibi tuam defensionem ademisset, eadem serie cum scabie & ulceribus, furfures, perniones, & quæ serpunt, sine copula pronuncians: quanquam nescio quàm rite ψωρώδη, scabies dicatur.

*53. de Lilino unguento.* *Annot. I.* SI ἐξανθήματα possunt toto corpore contingere, quare sic interpretanda ea uox est quasi ad solum spectet caput? Si hoc ideo fit (ut ais) quia in uultu maiorem præbeãt deformitatem: sequitur, ut quæcunque uoces deformitatem aliquam denotant, ut lepra, psora, lichen, & id genus cætera, cum eadem uultus adiectione debeãt transferri. *II.* ἴονθοι Galeno sunt exigui tumores cum duritie, Marcello cicatrices ἐξανθημάτων. Tãtum ergo dissidet Marcellus à Galeno, quantum cicatrices à tumoribus.

*56. de Ligustrino unguento.* QVICQVID dicatur, omnino suspicãdum in compositione Ligustrini unguenti mendam subesse, quoniam nusquam tali modo componere docet Dioscori. ut incertæ olei mensuræ, certam adiiciat aromatum quantitatem.

*57. de Irino unguento.* *Annot. I.* QVARE ad noxam magis pertinere putandum sit, hæmorrhoides Irino unguento aperiri quàm Ciclamine, ego certe non uideo: nec possum non zelotipũ putare, qui nulla occurrente suspicionis causa, adulteram uxorem credat. *II.* Si faucium nuncupatio late patet, in homine tamen nõ asperam arteriam, sed quod Græci φάρυγγα, solet significare: nec testimonium Lucretij mihi probat aliud, quàm canale animæ per arteriam significari.

*59. de Amaracino unguento.* *Annot. I.* IN Amaracino πυρωτικὸν maius quid esse quàm calore souere, ita probaui, ut tu etiam fatearis, petẽs à me quo pacto transferenda ea uox sit. Ego certe à te & à Marcello hoc potius expectauerim: igni tamen similem, uel, si dici posset, ignitoriam, uel inflammatoriam uim dicerem. Hermolaus corpus adurere dixit. *II.* *Tumor.* Interpreti explicandus proprius uocis significatus, qui in œdemate est, non tumor absolute: communis est enim tumoris uox apud medicos, quatuor speciebus, phlegmonæ scilicet, erysipelati, scirrho, œdemati. Sicuti igitur bonus interpres non redderet pro τοῦ ἀνθρώπου, animal, ita nec pro œdemate, tumorem.

*Ex ca. 61. de Hedychroo.* RARVM aut nullum in medicina hedychroi usum scribit Marcellus, à Galenóque neglectum. Necessariò igitur, & non ostendendi studio, eius usum docui.

*66. de Nardino unguẽto.* ARIDAM Nardum non esse odoratiorem, uerba Dioscorid. minime probant: nisi fortè ex eo quòd πρόσφατος melior dicitur, humidam odoratiorem esse uelis argumentari: cum sit tamen cogitatu facile, Indicam herbam non posse humore madẽtem ad Græciam ferri: omnésque sciant, aliud esse recens quàm humidum, quod contrarium est sicco. Quod uero additur pro fortissimo argumento, quòd scilicet in alia præparatione annectitur καὶ ζ̇, certe satis est frigidum. Nulla enim ibi mentio apud Marcellum de ignauia, sed de simpliciore unguenti præparatione, sicut superius de Nardo, non de parandi modo. Nihil ergo ad rem, imò facilius posit contrarium intelligi, eam uidelicet compositionem quæ prius scripta est, melius unguentum facere, hanc postremam ignauum. Doctè autem (ut soles) causam reddis, quare toto hoc capite fœminino genere utatur Dioscorides. Ariolabar quidẽ & ego quid simile, sed nesciebam ostendere. Mirum uero, quàm hæc arrideant nostræ sententiæ. *Cap.lib.1.*

*68. de Iasmino unguẽto.* *Annot. I.* ALIQVA esse ingrati, quæ non sint grauis odoris, unusquisque puto cognoscit. multa etiam esse grauis odoris, quæ multis sunt grata, multi sciunt. In noua tamen editione caput hoc non legitur.

*II.* Sententiam meam de unguentis, per lentiscum potius, quàm per odoratum iuncum, qui odorandis aptior quàm spissandis, multis testimoniis firmare possem: sed satis erit Dioscoridis cap. de unguento nardino, quod odorandum dicit inter reliqua costo, qui iunco ipso odorato minus est odoratus.

*69. de Myrrha.* DESTILLATIONES intelligo ad pectus fluentes, quas Græci nonnulli κατάῤῥους uocant. Leniuntur hæ materia ad nares deriuata, factísque per eas destillationibus, uel auctis per myrrham, non delinitis. Nonnullos dixi, quoniam sunt & qui catarrhum dicant fluxionem ad fauces ad palatum. Quàm uerò ductus ille uerborum uiolenter ad Marcelli interpretationem trahatur, non alium quàm te iudicem elegerim.

*70. de Styrace.* STYRACEN aliam rem esse à uocata Ambra, ita notum apud nostrates & Arabes medicos, ut probationem non desideret.

*71. de Bdellio.* ONYX nota adeò res & antiquis & nobis est, ut non mirãdum, Bdellij odorem eius similitudine ostendi. Nec series ipsa orationis huic repugnat: possumus enim hoc modo dispungere: Odoratum, in suffitu simile ungui: hoc est, per se odoratum esse, in suffitu uero simile reddi ungui, qua etiam in suffitu utimur. Vel hoc pacto: Odoratum in suffitu, simile ungui: ut prius in genere dicatur, deinde odoris species declaretur.

*72. de Thure.* PRIMAE bonitatis thus uocatum Stagonias & masculum, ἄτομον quidem est, sed non uocatur: sicuti album etiam est, non tamen album uocatur. Ast Indicum ἄτομον, cum non sit, uocatur.

*Ex cap. 122. de agresti olea.* *Annot. I.* FRIGIDI humores, Galen. teste, lata exanthemata faciunt. Igitur non bene definiuntur exanthemata, quòd sint exiguæ pustulæ, quales ex urtica fiunt uel sudore. Pituita enim albas, atra bilis nigras, nunquam rubras pustulas faciunt. Quas uerò Paulus subrubras & asperas exulcerationes, exanthematum nomine nuncupauit, non à crassioribus humoribus, sed à tenuioribus fieri putandum. Cum igitur late pateat (ut ais) exanthematum nomen, non bene Marcellus dixit, nihil aliud significare quàm exiguas pustulas, quales ex urtica uel sudore fiunt. *II.* Non rectius etiam ab eo definitas pustulas, uel teipso teste patet, *III.* & oculorum destillationes. Non qualem putas saltum ego feci, sed librarij oscitatio, qui medium ternionem cæcutiendo prætermisit, ut est uidere legentibus hæc in epistola antecedente, ubi resarta sunt omnia.

*127. de Galla.* QVICQVID significet κονδυλώδης, nullus mihi persuadebit, modo loquendi Dioscorid. conuenire, ut magnitudine similem condylo uoluerit significare. Quare enim diceret paruam, & condylo magnitudine parem? Et si non satis erat paruam dicere, quia paruum relatiue dicitur, satis erat dixisse, condyli magnitudine esse. At nónne condyli digitorum, ita magnitudine differunt, sicut & digiti? soléntque uoces huiusce modi desinentiam habentes, similitudinem potius quàm æqualitatem designare, sicuti γονατώδης uel Marcelli ipsius testimonio.

*129. de Palma.* MATVRITAS (si philosophandum est) quum propriè, loquendo ut philosophi, alteratio sit, tempore absoluitur, sicuti & calefactio. Sicuti igitur mediam calefactionem aquæ dicimus, non quando propè est ut sit calidissima, sed cum medium obtinet caliditatis gradum, ita & de maturitate censendum.

*130. de Elate.* STOMACHICOS & in causone sitientes, relinquamus: ad Elaten conuersi, in qua ex propugnatore oppugnator effectus, in Marcellum ita irruis, ut malim cum eo fugam capere, quàm tecum cominus decertare. Vnam tamen fugiendo, Parthorum more, sagittam emittam: Pollucem non dicere ramum uocari Elaten, sed palmam: nimisque coactum uideri, ut ramus arboris περικάλυμμα dicatur fructus.

*Cap.lib.1. 131.de Punicis & Granatis.*

CAPITE de Punica, πυρῆνας ais duritiem cum carne significare: acinos ad utranq; speciem referri, quæ durum habeat & quæ nō habeat. Nucleos speciem eam tantum esse quæ duritiem habet. Sicq; uideris acinos ueluti genus quoddā statuere supra nucleum, ut sit omnis nucleus acinus, non omnis acinus nucleus. Quæ si uera sunt, idē erit Latinis nucleus, quod Græcis πυρὴν.

*Annot. I.*

Quare reprehensione non carebit Marcellus, pro speciе genus reddens, cum æque cōmode speciem reddidisset. Videtur tamen Marcellus nucleum intelligere, duram & arentem, & sine succo, rem: & propterea acinū uertisse, non nucleum. Sed nō meum hasce inter uos lites componere. Illud potius mihi considerandū, quam rem πυρῆνα Dioscor. uocauerit, ut ea si quando opus fuerit, uti sciam. Multa autē sunt quæ me cogant credere, purum sine carne os intelligere. Primo, quòd nisi ea ossa intelligamus, mancus ea in parte fuerit Dioscor. nihil de ipsis à succo & pulpa seclusis determinans. Secūdo, male à Galeno & Paulo compararetur πυρὴν succo, si & ipse secum succum haberet. Tertio, ossa illa cū carne, non possent (quod Dioscorides iubet) in puluerem uerti. Quarto, quòd alii sic uidentur intellexisse, Auicenna uidelicet & Serapio.

*II.* Legendum εὔτροφος, non ἄτροφος, non sine ratione licet dicas, nō tamen accedo: non enim ea uoce uti consueuerunt medici, nisi in his quæ abunde nutriunt. Minimi autē potius nutrimēti, quàm uel nullius uel multi, teste etiam Galeno, est Punicū intelligendum.

PRAETERMISSIS his quæ ad medicamēta uentrem mouentia, & Persica attinent, in Piris aliquātisper immoremur.

*Ex cap.137. de Piris.*

HIC nonnulla dicuntur quasi medica, medicis minime consentanea. Medici ulcera nō discutiunt, sed agglutinant. Nihil enim aliud sunt ulcera, quàm discissa unitas, quæ per coalitum & cohærentiam disseparatarum partium ad integrum reducenda est, non per discussionem. Tumores uero præter naturam, inflammationes uidelicet, ignes sacros, & reliqua id genus, discutiunt, nō quidem quando incipiunt, sed quando consistunt: incipientes repellunt: quod longe aliud est quàm discutere. Sicuti alia sunt ἀποκρουστικὰ, quàm διαφορητικὰ: hæc enim calida, illa frigida esse oportet. Inter quæ, pira bene à Dioscor. numerātur, male autem à Marcello discutiendo esse dicuntur. An uero emitti dicantur ulcera uel abscessus, quādo ad maturitatem excoquuntur, mihi (ingenue fateor) est incognitum, sicuti illud ualde perspectum, medicamenta quæ id faciunt, concoquere & mouere pus à Celso dici. Differentiam hanc inter repellentia & discutientia, etsi alibi sæpe clare, tamē libro tertio de medicamentis secundum loca patiētia, declarat Galenus, dicens: Repellunt austera & acerba, quæ communi uoce styptica dicuntur: discutiunt calida & sicca.

*Apocrustica. Diaphoretica.*

*144. de Amygdalis.*

PER ID quod difficilius est, ais, id quod factu facile est ostendi. Vt hoc tibi & Marcello donemus, quomodo probabitis, si ab aliqua ui potest id quod facilius effici, posse & ab eadē id quod difficilius? Potest enim imbecillis senex libellam plumbi ferre, qui non poterit myriadem. Possunt gummi in hac ui imbecilles calculum renum confringere, nō tamen uesicæ. Peccat igitur quicunq; apud Dioscorid. legens, Gummi calculum perfringi, adiicit id quod difficilimum, scilicet uesicæ: quod adeò difficile est, ut multi sint qui negent inueniri usqueadeo efficax medicamen, ut id efficiat bibitum. Boni itaq; interpretis officio melius functus erat Marcellus, si quoties nulla est apud Dioscoridem, medicamini cuipiam calculi frangendi uim ascribentem, renū uesicæue mentio, nihil ipse plus addidisset, quàm quod apud Dioscoridem legebat: sed integrum reliquisset legentibus medicis, num tanta uis medicamini adesset, qua uesicæ calculus posset perfringi. Sed hac de re nimis multa, ut de qua superius fuerit sermo. Receptui iam canendum, ut si quæ supersunt copiæ, ad feliciorē pugnam integræ adseruentur. Vale uir doctissime pariter & amicissime. Ferrariæ.

*Calculos uesicæ frangere nullū medicamen potest.*

EPIST. III. *Ioannes Manardus Barth. Tingo Pistoriensi medico S. D. Interpretatio Marcelli in reliquos Dioscor. libros examinatur.*

SVadebant olim nonnulli amici, quorum cōsilio in re literaria uti soleo, ut eam cū aliis in publicū epistolam darē, in qua primum Dioscoridis librū per Marcellum latinitate donatū, consultis Græcis exemplaribus, sub examē rationis adduxeram. Quibus ego morem gerere prius nolui, quàm tuā in hoc sententiā explorassem, qui ad auspicandā inter nos amicitiā ueluti proxeneta extiteras & mediator. Consultus igitur tu à me per literas, eam minime publicandā duxisti: parum decere putans, ut quæ amicè inter nos fuerāt agitata, in omniū notitiam peruenirent. Tuis itaq; monitis acquiescens, non solum ab editione epistolæ abstinui, sed & examinare reliquum operis destiti: uni tibi plus in hoc tribuens, quàm plerisq; contrariū suadentibus: inter quos erant qui affirmarent, Marcellum apologiam & conscripsisse, & Leoni pontifici nominatim dicasse, ut uel ex hoc me quoq; ad editionem animarent: nullam iniuriā amicis fieri dicentes, si seposito omni liuore, quisq; quod sibi uidetur, ueritatis studio & legentium usui, quieto & pacato animo, & scribit, & publicat. Nullis tamen rationibus adduci ad hoc potui, ne importunus uideri possem, si seni amico & ualetudinario negocium facesserem, & molestiā adferrem, amico præcipue alio, te uidelicet, dissuadente. Postquam uero mœstissimum de illius morte nunciū accepimus, negare itidem efflagitātibus amicis nō amplius potui, quin residuo libri perlecto, quæ secus ac ille uel legebam, uel intelligebam, annotarem. Ea qualiacunq; sunt, ad te mitto, ut uel, si tibi uidebitur, unà cum ipso Marcelli Dioscoride, quem & nūc (ut audio) sub prælo affines tui Giontæ habent, in lucem ueniāt, uel cum bona tua uenia alibi publicētur. Quanquam enim in his, ut in prima etiam epistola, nonnulla sunt quæ leuiuscula mihi ipsi etiam uidētur, nonnulla in quibus facile defendi Marcellus posit, uidebis tamen (ni fallor) multa ad rem, id est medendi artem spectantia, in quibus ille ueluti homo, atq; homo qui in libris poëtarum & oratorum magis quàm medicorū uersabatur, aperte est lapsus: quæ si incastigata remāserint, possint & multis medicis imponere, & hominum uitæ non parum obesse. Nec est ut quispiam uereatur, manibus Marcelli iniuriam hac editione fieri. Si quis enim harum rerū illi sensus est, putandum est gauisurum potius, boniq; consulturum, quicquid bono animo, ueritatis inuestigandæ gratia, cuius inter nos agens studiosissimus semper fuit, scriptis mandatum est. Non secus etiam te facturū confido: atq; quoscunq; Marcelli studiosos, ut faciant, moneo, rogóq;. Nec me aliam ob causam hæc & scripsisse & publicasse putēt, quàm ob ueritatis amorem, & amicorum id petentium obsequium. Sed iam rem ipsam aggrediamur, orsi ab his quæ in fine primi libri aduersus Hermolai editionem disputauit.

*Cap.lib.1.*

*Marcell. medicæ artis imperitus.*

*Cap.1.*

PROBARI inquit Dioscorides, Iridem quæ sit τὴν ὀσμὴν εἰλικρινῆς καὶ μὴ νοτίζουσα. Hermol. olfactu syncero nō madido. Marcellus sermonis seriem & uerborū ductū ostendere ait ad Iridem, non ad odorem eius referendum participiū νοτίζουσα, & propterea, humore non lentescens, Iris scilicet, non odor eius cōuertit. Ego ad odorem pertinere non dubito, sicq; propemodum ad uerbum transferrē: Olfactu syncera, nec situm obolens. Situs enim corruptionem quandā significat ex diuturna mora rei in humido loco, quæ tetrum quendam odorem spirat, qui etiam sicus uocatur. Vnde Plin. crocum damnat quòd situm redolet, aliisq; locis odorē quendam terræ nominat.

*Situs.*

*Cap.2.*

DAMNAT cap.2. quòd τὰ γυναικεῖα desideria mulierum appellauerit, multisq; testimoniis probat ea uoce menses significari. In qua re certe laborandū non erat. Sciunt enim hoc quicunq; aphorismum Hippoc. legerunt libri quinti 28. sed ostendere debuit, nō aliud posse quandoq;, præcipuéq; eo loco significare: cuius contrariū nos cap. de Acoro, prima epistola probauimus. Quanquam si à nobis locus ille uertendus esset, nec Marcelli, nec Hermolai exemplo uerteretur, sed in hūc modum: Facit & insidentibus ad muliebria, iridis modo. Hermolai tamen traductionē magis quàm Marcelli probamus: satis intelligi huiuscemodi desideria putantes, per ea quæ in iride dicta fuerant: præter enim menses, quos potam iridē ciere dixerat, mollire quoq; eius decoctum uteros fotu asseruit & reserare.

Nec pariter probauerim Marcellum, id quod Diosc. dixit, misceri panacem κεφαλικαῖς δυνάμεσι, de his tantum quæ contra cephalæam componuntur intelligentem: scimus enim κεφαλικὰ à Græcis uocari, non ea tantum quæ uehementi illi capitis dolori conferunt, cephalæa

*Cephalica.*

uoca

*Cap.lib.1.* uocato: sed quæcunque aliis etiam capitis affectibus sunt utilia: ad quem modum Celsus cephalicam emplastron quandam Philotæ nuncupauit, capitibus fractis accommodam. Et Galen. in libr. de medic. compos. secundum genera, multas tales componere nos docuit. Nihil igitur aliud uoluit Dioscor. nisi his compositionibus panacem misceri, quæ ἄκοπα, & his quæ κεφαλικὰ à Græcis appellantur, à qua sententia non multum remota est Hermolai interpretatio, misceri dicens acopis, & his quæ ad desideria capitis componuntur.

In θηριοδήκτοις non est ut laborem Hermolaum defendendo, Plinij in re literaria, præsertim in his quæ ad Latinæ linguæ eruditionem spectant, imperatoris inuicti clypeo satis tuti. Sed illud potius notandum, quod ad rem, hoc est, ad curatiuam artem pertinet, non bene dici à Marcello, quæ à morsu bestiarum fiunt uulnera, communi aliorum curatione esse curanda: propriam enim hæc curam desiderant, & ideo seorsum de illis scribunt medici: quoniam uenenositatis cuiusdam & ipsa participant: ut propterea melius fuerit, ubi θηριόδηκτα legimus, communi serpentibus & quadrupedibus uoce, ferarum uel bestiarum morsus reddere.

*Morsus bestiarũ propriã curationem desiderare.*

*θηριόδηκτα.*

*Cap.4. Hermolao patrocinatur.*

SI calumniandus est Hermolaus, Cyperi folia porraceis dicens longiora & exiliora, quæ Dioscorides porro similia dixerat, longiora autem & graciliora: certe nec calumnia multis in locis carebit Marcellus, longe magis à uerbis Dioscoridis recedens, quàm hoc loco Hermolaus: alioqui uerba ipsa quibus ipse usus est, similem porri uidentur ostendere.

Defendit quoque Hermolaum eodem cap. uulgatus nuper codex, in quo sic legitur: ῥίζαι δὲ ὑπεισιν ὧν καὶ ἡ χρῆσις, ὥσπερ ἐπιμήκεις ὡς ἐλαίαι συναφεῖς ἐχούσαις. hoc est, ad uerbum: Subsunt radices quorum & usus est, ueluti oblongæ oliuæ similes.

*Cap.5.* IN CARDAMOMO non ausim tueri Hermolaũ, pro calore feruorem reddentem. Velim autem Marcellum, quod in alio reprehendit, in sua interpretatione cauisse, nec simili errore lapsum, unã pro alia (quod sæpe, ut prima epistola notauimus, fecit) uocẽ reddidisse.

*Cap.6.* DE nardo in eadem epistola ad Marcellum satis ostendimus, posse cardiogmi uoce, cordis morsum intelligi. Nũc addimus, non absolute uerum esse quod hoc loco scribit Marcellus, cor κατὰ πρωτοπάθειαν, hoc est, primarium affectũ offensum, nullam medicæ artis opem admittere. Scimus enim quamplures cordi primarios morbos cõtingere, qui & per se, & medici auxilio, nec difficilem curationem accipiunt. Scimus etiam Galeno docente lib.4. Aphoris. 66. aliquos medicos cordis παλμοὺς, cardiogmos uocasse, cuius contrarium asserit eodem loco Marcellus.

*Cor affectũ curari posse cõtra Marcellum.*

*Cap.7.* REPREHENDIT præterea Hermolaũ, quòd contra Dioscoridis præcepta nardi Gallicæ purgationes docuerit. nos uerbum ex uerbo Dioscoridis seriem uertemus, ut integrum sit unicuique Græcas literas non callenti, uter melius autoris mentem expresserit, iudicare. Caulium, inquit Dioscorides, tantum & radicum usus est & odor. Quare oportet ante unam diem conspersos aqua fasciculos, & à terreno emundatos, super humido sternere pauimento, supposita prius charta, posteriore autem die expurgare. Non enim simul cum paleari & alieno, id quod utile est expurgabitur.

*Cap.19.* CAPITE de Aspalatho, pecus pro embryo transfert Hermolaus, Apuleij herbarium sequutus, quod arguit Marcellus. Ego aliis hãc litẽ dirimendã relinquo, cõtentus signasse autorẽ, quẽ forte Hermolaus est imitatus.

*Cap.28.* IN OLEO, cap.28. pro uoce μαλακτικὸν, non bene dictum ab Hermolao putat, lenit, referendum ad aluum iudicans. Ego cum superius μαλακτικὸν γαστρὸς oleum dixerit, libentius hoc loco intellexerim, uim molliendi quæ obduruerint. Non agnosco etiam in uerbo καθαίρειν, mitiorem illam, quam Marcellus, purgationem, cũ uideam Hippoc. in uehementibus purgationibus, ualdéque laboriosis ea uti, & cathartica à medicis dici etiã quę cũ magna ui purgant, sicuti elleborus & scammonium. Ad fœminas Hermol. retulit, quod de ileosis eodẽ ca. scribit, quia (ut ego quoq; in meo) & ipse in suo codice πρὸς τὰς εἰλεώδεις legebat.

*Cathartica.*

*Cap.50.* CAPITE de Ocimino unguento, in uulgatis nuper codicibus nulla Ligustri mentio: ut mirum uideri non debeat, si aliter Hermolaus quàm Marcellus legerat, non consentientibus sibi inuicem exemplaribus, neq; ulla suppetente euidenti ratione, quare una præ aliis lectio probanda sit. Ego tamen potius eam laudauerim, in qua non nominatur Ligustrinum unguentum, ceu adhuc incognitum, nec cuius antea docuerit Dioscorides confectionem.

*Cap.lib.2.*

Multa & alia in Hermolai interpretatione taxat Marcellus, quæ ad secundum librum festinans, consultò prætereo, uel quia leuioris notæ, uel quia in prima epistola defensa, uel quòd in eis ego quoque peccatum cognosco, aut Hermolai, aut, quod libentius crediderim, librarij. Placuit autem breuitatis gratia alium modum in sequentibus libris sequi, uerba uidelicet Marcelli quæ castigationem desiderare uisa fuerint, signando: dehinc, prima litera mei cognominis præsignata, addere quę mihi uidentur: & hoc absque ulla præfatione, locum duntaxat libere notans, integrúmque lecturis relinquens, utram sententiam maluerint approbare: non enim tantũ mihi arrogo, ut mea uelim quasi extẽporanea, Marcelli meditatis, absq; magna indagine præferri.

## LIBRO SECVNDO.

*Cap.2. de terrestri erinaceo.*

Renum cum urinæ malo aliquo doloribus.) MAN. nephriticis ait Diosco. Nos autem in epistola superiore ad Marcellum ostendimus, non bene eam uocem sic uerti, ut Marcellus semper facit.

*Solidæ partes in aquã resolui non possunt.*

Toto corpore resoluentibus se in aquæ naturam solidis partibus.) M. multi hic errores: neque enim solidæ partes, uel in hoc, uel in alio morbo, in aquam resolui possunt, nec tumor qui in membris hyposarcidio laborantibus ostenditur, ab aqua, sed pituita fit.

Et his, quorũ corpus macie conficitur.) M. legendũ elephãtiosis, & his qui mali sunt habitus. Verba enim Diosco. sunt, ἐλεφαντιῶσι, καὶ καχέκταις.

Maiore ui tamen urendo exulcerat.) M. ad uerbum, 4
caustici magis sunt.

Vtilissimum & utilissime.) M. lege utilem & utiliter. 9

Difficillime eadem corrumpitur.) M. difficile.

Facillime.) M. facile.

Fluuiatiles uirus habent.) M. βρωμώδεις à Dioscoride dicitur.

Syluestribus.) M. syluestres, ut uidelicet cochleas ipsas syluestres intelligas.

Possunt crematæ omnes.) M. crematę earum testæ.

Viuentibus cochleis exẽpta caro.) M. lege, uiua caro.

Præsenti remedio.) M. ἐναργῶς, id est, aperte. 10

Spica folióue nardi.) MAN. lege, spica nardi, aut fo- 16
lio, aut malobathro.

Venenatorum morsibus.) M. θηριοδήκτοις, quæ uox mi- 24
hi ferarum morsus significat, ut primo libro dictum.

*Tenontes. Copulæ.*

Τένοντας uideo appellari omnes chordas, tendones à 25
nonnullis uocatas, non tantum ceruicis, ut Marcellus putauit, esséque rem à neruis diuersam, sicut & copulæ sunt quibus ossa inuicem copulantur.

Fauces.) M. ἀρτηρίας, id est, asperas uocatas arterias, 26
quæ aliud sunt à faucibus, ut primo libro dictum est.

Salsamentoso liquore fouentur.) M. εἰς ἐγκάθισμα, id est, si in eo sedeant.

*Cap.30.*

Rabidorum canum.) M. simpliciter canum scripsit Dioscorides: sicuti aliàs sæpe, ubi Marcellus rabiem addidit. Morsus uero canum absolute per uocem κυνοδήκτων esse intelligendos, Galeni testimonio patet, in hoc Dioscoridem non probantis: quia nihil proprium habere morsus canis non rabidi uidetur, quin idem adsit aliis quoque morsibus.

Sistat & emendet.) M. communis lectio, ut ipse quo- 31
que Marcellus testatur, habet ἐπικαίει, id est, inurat: & satis quadrat, siquidem à Galeno, & aliis, pleraque urendi uim habentia, dysentericis iniiciuntur.

Eius canali.) M. οὐρητικῷ πόρῳ, id est, meatui per quem lo- 33
tium egreditur.

In aquosis & humidis.) M. legendum ὑπὸ τὰς ὑδρίας, id 34
est, sub hydriis: intelligendásq; situlas aperte docet Galen. dicens plurimos ruri sub his hydriis nasci, quibus à fontibus aquas rustici ferunt, & prope focum reponũt.

Arcentur excitandæ in pedibus.) M. clarius Dioscori- 37
dis mentem Hermolaus est assequutus, attritus calciamentorum conseruari dicens absque inflammatione, ut scilicet intelligamus locum à calciamentis læsum, his pulmonibus ab inflammatione defendi.

Nyctalopas uocat Galenus, sicuti & Paulus, eos qui 38
interdiu uident, uesperi parũ, noctu nihil: ut uel ex hoc intelligi possit, libros definitionũ, & Isagogen (quorũ autoritati Marcellus nimis credens sæpe lapsus est) nõ esse inter Galeni commentaria numerandos.

*Cap.lib.2.* Aliquot diebus.) M. ἱκανὰς ἡμέρας. multis diebus,ego libentius conuerterim.Galenus continuè.

40 Lichenis ſeu impetiginis naturam,non bene deſcripſit Marcellus:fœditas enim quædam eſt ſcabie leuior, niſi ex earum numero ſit quæ feræ dicuntur.

41 Soleæ.) M. δέρματα, id eſt,pelles,ſcripſit Dioſcorides.

42 Cibum in ſtomacho non continentibus.) M. ςομαχικοῖς, ſcribit Dioſcorides.Ego uel eadem uoce ſcriberem ſtomachicis,uel uentriculi imbecillitate laborantibus, ſicuti etiam libro primo latius monui.

Gallorum uero.) M. in ſecũda Dioſc.editione ea uerba ſunt addita,quę à Marcello afferũtur.Ego uero apud Galenum lego, ἐφεκτικὴν δύναμιν, id eſt retẽtricẽ uim ius ſimplex gallinæ habere. Et propterea ſuſpicor in uerbo ἐπικράσεως,apud Dioſcoridem mendã eſſe,fuiſſéq; eandem utriuſq; ſententiã,gallinæ quidem iunioris ius uentrem adſtringere, antiquorum gallorum purgare: iudicandum tamen hoc peritioribus relinquo.

Eorundem in ſenectute gallorum.) M. accreuiſſe hoc remedium Dioſco.cum Marcello ſentio.

44 Glutinat.)M A N. Græcè ἐμπλάττει, quod uerbũ aliam procul dubio habet ſignificationem,ut Gal.docet lib.5. de ſimplic.medic.Emplaſtica enim ea eſſe dicit quæ ita hærent corpori,ut auelli difficulter poſsint,meatúſq; obſtruant. *Emplaſtica.*

46 Craſsioribus cruribus.)M.μεγαλόκωλος,inquit Dioſco. & propterea magis placet,ut magnis,quàm ut craſsioribus dicatur:& extremis mẽbris,nõ tãtum cruribus.

49 Lapillos inuenies duos.) M. legit, lapillos inuenies, ex quibus duos accipies.ſic enim loquitur Dioſcor.& experientia ipſa plures inueniri teſtatur.

Buculæ.)Dioſcor. δαμάλεως.

52 Cum ſpinæ quam tragacantham appellant.) M. non addit tragacantham Dioſcor.niſi poſt ueſicæ dolorem. & Galen.qui ad reliquos hic enumeratos affectus,pręter ueſicam,laudari hoc cornu dixit,tragacanthæ non meminit:quo fit ut Barbarum in hoc magis probẽ,doloribus tantum ueſicæ tragacantham addentem.

54 In ſummum corpus calorẽ trahere.) M. Quum ſimpliciter dicat Dioſcor.quòd calefaciunt, neſcio quare Marcellus tot uerba addiderit.

Antidotis ad ciendam urinam factis.)M.non ſic Dioſcor.ſed quòd antidotis miſcentur ueluti urinam mouentes.

56 Plagellæ confricatus.) M. Dioſcor.ſententiam nõ bene expreſsit Marcellus:iubet enim Dioſco.emolliri hoc animal cum aliquo ex uocatis Spleniis,mox fronti aut temporibus apponi.

57 Pellit.)M.ſcribe uel intellige,amouet uel aufert:quod etiam ipſemet Marcellus teſtatur.

62 In confeſſo apud omnes.)M. ὁμολογεῖται ſimpliciter dixit Dioſc.hoc eſt,creditur,uel in confeſſo eſt.

63 Saporis & ſucci.) M. alterum intelligi oportet,non utrunq;, εὔχυμον dixit Dioſco.quæ uox mihi eo loco boni ſucci ſignificat:ferè enim eo ſolo ſignificato in uſu medicorum ea uox eſt.

Aliud tamẽ mollit.) M.neſcio quare additũ ſit,tamẽ.

Pingue.)M.adde,ualde.

Ideóq; nõ tantopere utile.)M. lege,non adeò autem ſtomacho utile.

Magis aluum ſoluunt & turbant.) M. εὐκοιλιώτερα, id eſt,uentri meliora:nec ulla hic de turbatione mentio.

Et uomitiones.) M. lego,nauſeam.

Papularum eruptiones.)M.exanthemata Dioſcor.

Heminis per interualla temporis uſq; ad quinas.)M. clarius meo iudicio Hermolaus:heminis per interualla ſingulis uſq; ad quinas.

64 Corpus auget.)M.carnem facit.

Ab elixatione ſtatim ſepoſitus.)M.lege,expreſſus,ſcilicet ἐκθλιβείς.

Facilime digerit.) M. clarius Hermol.& fidelius:facilis reddi,id eſt,facilis diſtribui in membra:hoc enim ſignificat εὐανάδοτος uox,qua hoc loco Dioſc.uſus eſt.

65 Pingue niténſq;.) εὔτροφον.

Puſtulis ſimiles.) M. cum puſtulæ ueræ ſint pſydracia,miror quare ſimiles puſtulis dicat.

Viroſum.) δυσώδης, id eſt,mali odoris.

Deradito.)M.penna,addit Dioſcorides.

66 Ex aceto,oleo.)M.lege,ex aceto & oleo,uel uino.

67 Concretum ſanguinẽ.)M.lac lego in ultimo impreſſo Dioſcoride:ad utrumq; tamẽ ualere teſtis eſt Galen.

Fœminarum menſibus accõmodus.) M. πρὸς τὰ γυναικεῖα, id eſt,ad muliebria.& latius patet,ut primo libro demonſtrauimus. *Cap.lib.2.*

Albuginibus.)M.ἀργέματα aliud ſunt quàm λευκώματα, quæ ſignificant albugines. 70

Et puerorum ulceribus.)M.adde,oris.

Præſenti utilitate.)M.hoc in Dioſcoride non legitur.

Matricum equarum quæ admiſſuræ inſeruiunt.) M. magis probo ut legatur,admiſſariorum equorũ,quos matricibus equabus præferendos exiſtimo,Galeni & Arabum teſtimonio,cui & res ipſa ſuffragatur,cũ mares fœmellis ſint calidiores. 71

Si prægnantes eo linantur.)M.neſcio quomodo additum ſit,prægnantes,quod uerbum in Dioſcoride nõ legitur.Alioqui prægnans periclitatur,potius ut aborſum faciat,quàm ut ſterilis ſit.

Et ulcera quæ à ſerpendo herpetas dicunt.) M. non ulceris nomen herpes eſt,ſed tumoris,ut primo libro à nobis oſtenſum eſt. 72

Et ulceribus quæ thymos uocant.)M.nec thymi ulcera ſunt,ſed ad uerrucas pertinent. *Herpetes.* *Thymi.*

Caprinum tritum.)M.lege,aprinum.

Inter duos neruos.) M. hoc nõ legitur in Dioſcoride.

Exterit urina.) M. hic additum eſt,urina:quæ uox facit,ut de humana loqui uideatur,non de canina. 73

Quæ paſcendo ſerpunt genitalium uitia.)M.lege,& genitalium:ita ut quæcunq; ſerpunt,atq; etiam quæ in genitalibus ſerpunt,intelligatur.

Colore rutilo.) ὑπόξανθος, id eſt,ſubflauo.

Thynnorúmq; ſalſæ carnis cibi.M.ſcribente ſimpliciter Dioſc. περὶ τάριχος, neſcio quare Marcellus ad Thynnorum tantum ſalſuram contraxerit. 74

Exulceratæ ueſicæ.) κύστιν κεκακωμένην. quæ uox non ulcera tantum,ſed mala omnia ſignificat.

In calefaciendo & extrahẽdo maxima.)M.ualide calefacere & trahere dixit Dioſcorides,non maxime.Galenus in ſecundo ordine ad tertium uſq; calefacere ac uehementer attrahere. 76

Luteo colore.)M. fidelius,& ad rẽ accommodatius Hermolaus,in luteum uergens. μηλίζουσι ſcripſit Dioſcor. 77

Rabidi canis.) M. tacendum erat rabidi,ut ſuprà.

Plantarum uitia callos,ſcilicet in pedibus.) M. Dioſc. callos non nominat.

Maxima molliendi refrigerandíq; ui.)M.uerborum ductus monſtrat panem eſſe frigidiſsimum,quod & falſum eſt,& à Dioſcoridis mente alienum.

Præſertimq; admixtis ſuccis herbis.) M. lege,mixtus herbis ſuccíſq; quibuſdam.& eſt ſenſus,panem crudũ quibuſdam herbis aut ſuccis mixtum,uim habere refrigerandi.

Quæ tamẽ ex farina eius ptiſana facta eſt,ob expreſſum in coctura ſuccũ.) M. duo uerba addit Marcellus, quę ptiſanam Dioſc.turbant,farinã uidelicet & expreſſionem.Nunquam enim miſcenda farina,nec exprimẽdum hordeum,niſi quãdo ſuccum ptiſanæ,non ptiſanam uolumus parare.Et propterea laudãda in hac parte Barbari interpretatio, quæ hoc pacto iacet:Ptiſana magis alit quàm polenta,quoniam hordeum coquendo ſucculentum ſit. 78

Tumores collectionéſq; omnes.)M.clariorem fideliorémq; feciſſet interpretationẽ,dicens, œdemata & phlegmonas.

Durities mollit.)M. συμπέσσει, id eſt,concoquit.

Expreſſus cum aqua.) χυλωθέν. Hermol. fidelius, inſuccata.

Poſtremo quæ in finem capitis huius ſeptuageſimioctaui adnotantur à Marcello de polẽta,ptiſana,& ea quæ à Græcis uocatur ὠμήλυσις, Galeno & bonis medicis non conſentiunt,& propterea repudianda ſunt,& ex legitimis Galeni ſcriptis modus colligendus, quo tria illa ſunt paranda: Polenta quidem ex uiridi adhuc hordeo:Ptiſana ex ſicco,integro,plenè cocto: Omelyſis ex eodem ſicco,mola in puluerem,hoc eſt,farinam, redacto. *Polenta.* *Ptiſana.* *Omelyſis.*

Quæ mirifice nutrit.)Dioſcor. ἱκανῶς id eſt,ſatis. 81

Cremor.)lego apud Dioſcoridem χυλός, quæ uox mihi ſuccum,& ſæpe etiam Marcello ſignificauit. 85

Stellionum & Ceraſtarum morſibus.)M.ut legendũ putem Colicis,loco Stellionum,præter communem lectionem,facit cõformitas Arabum,& Serapionis præcipuè,qui uerbis Dioſc.hoc dicit.Facit & res ipſa,modice enim calet Seſamus,& pinguedine tenacitatéque ſua mollire aluum poteſt. 90

Cum

Cap.lib.2. Cum bitumine.) M. communi lectioni concordat
91 idem Serapion:nec uideo cur suffiri non posſint lolium & polenta.

93 Facit ad collectiones.) M. phlegmonas ait Dioſcorides.

94 Omnes intus foriſq; inflammationes.)M.labitur hic Marcellus,idque peccat quod in aliis reprehendit, ſcilicet quòd uocem φλεγμονὰς,quam priore capite collectiones,hoc iam loco inflammationes uertit.

Aut deſpumato melle).Dioſco.ἑφθῷ, id eſt,cocto:nulla enim res eſt quæ cogat,ut hoc loco deſpumetur.

Ex ficulneo cinere.)M.κονία Dioſc.quæ ex quolibet cinere fieri poteſt,ſi Galeno credimus,id quod ueluti ab-
Conia. lutio cineris eſt,Coniam uocanti.

95 Renes tamen & exulceratam ueſicam lædunt.) M. Modus iſte loquendi oſtendit Cicera ſimpliciter renes lædere,quod ueritati repugnat:& propterea ſic ad uerbum fidelius quis transferret: Lædunt autem & ueſicam exulceratam & renes.

96 Inſomnioſa eſt.) M. δυσόνειρος, id eſt, mala faciens ſomnia.

In ultimæ impreſsionis Græco codice additur, media in calefaciendo & infrigidando.

Strumas.) M. Nulla hic de ſtrumis mentio: nec tanta uis fabæ eſt,ut hoc præſtare poſsit,niſi fortioribus medicinis adiuta.

Diſcutiunt iidem ſtrumas.) M. facit hoc ut credamus ſtrumas ſuperius legi non debere:éſtque rationi magis conſentaneũ, alumini & antiquo oleo aſſociatos cortices hoc facere poſſe.

97 Aſia Ciliciáque.) M. non hoc Dioſcorides,ſed quòd plurima quidem naſcitur in Aegypto: tamen in Aſia quoque & Cilicia paluſtribus locis inuenitur. Exigui momenti ſcio eſſe hunc errorem, ſed à ſuſcepto mihi munere non alienum uiſum eſt, etiam ad hæc minora aliquando deſcendere.

98 Grauia & tumultuoſa ſomnia.) M. eadem hic quæ cap.nonageſimoſexto de faba uox, hoc eſt, δυσόνειρος, aliter tamen à Marcello uerſa: quod Marcellus crebrò in aliis reprehendit.

Aut ſiccis roſis.) adde,& ſynceris gallis.

Quæ omnia poſt cocturam abiicienda erunt.) M.non omnia abiicienda dicit Dioſc. ſed gallas tantum, ueluti rem cibo minime idoneam:poſt gallarũ enim mentionem ſtatim addit, αἵ τινες μετὰ τὴν ἕψησιν ῥίπτονται, hoc eſt, quæ uidelicet gallæ, poſt cocturam abiiciuntur. Eſſe autem hanc meliorem lectionem, ex hoc oſtenditur, quòd poſt illa uerba Rhum cum aliis enumerat. Alioqui quare pira, & cotonea (ut alia mittam) à pultario ſunt abiicienda? taceo Serap. autoritatem aperte huic lectioni ſuffragantem.

Cruſtas erũpit.)M.intellige,ab uſtione factas: ἐσχάρας enim dicit.

Verum oportet diligentiſsime Rhum cum aceto illo decoquere.)M.Fidelius quis,ſi non adeò eleganter,hoc pacto conuerterit:Oportet autem acetum accurate illi concoquere: niſi enim hoc feceris, uentrem turbat. ſic enim integrum erit legenti, uel de lente, uel de Rho ſeu Rhu intelligere.

99 MAN.Phaſiolum aliud eſſe à phaſelo, ex Galeni ſententia in quadam noſtra epiſtola oſtendimus,uocariq; à Theophraſto dolichum,Latine eruiliam.

102 Et his quæ contra uenenata ad leuandos ſomno dolores conficiuntur.)M.Tot uerbis duo nobis Dioſcoridis uerba reddidit Marcellus, nec ſcio an recte: anodynis enim Theriacis miſceri rapi ſemen dixit Dioſcori-
Anodyna des. Sunt autem anodyna medicis, non ſolum quæ ſommo, ſed multo uerius quæ caloris moderamine dolores mitigant:quod etiam non ſemel dictum eſt in alia epiſtola.

104 Cutem ſubeuntibus aquis, lienoſiſque utiliter raphanus emplaſtri modo imponitur.)M.fidelius hoc pacto uerbum uerbo reddideris: Cortex cum oxymelite ſumptus uomitum magis mouet,aqua intercute laborantes adiuuat. Emplaſtri uero modo applicitus, etiam lienoſis conducit.

111 Marinam braſsicam folia habere longiſsima & tenuiſsima; ſcribit Dioſcorides Marcello interprete.Ego in uno exemplari lego, longa & tenuia: in alio, longa tantum.

Adſtringunt ambo.)M. omnes legendum, tres enim numeratæ ſunt, & πᾶσαι ſcribit Dioſcorides.

Annotat Marcellus ſub finem huius cap. de braſsicis, quòd ſolis uenenis & uenenatis antidota reſpondent.Ego autem aperte contrarium uideo Galenum dicere in principio libri de Antidotis, & Paulum Galeni uerbis lib.7.ſuæ medicinæ. Cap.lib.2.

115 De Plantagine maiori Marcellus ait, Latiore folio & oleris figura.)M.πλατύφυλλον καὶ λαχανώδης.ad uerbum,latifolia & oleracea.Nec ſcio diuinare, quænam ſit oleris figura,cum non minor ſit in oleribus figuræ uarietas, quàm in reliquis herbis: niſi forte braſsicam per olus intellexerimus,ut fieri poſſe alibi docuimus.

Et canum morſibus ſubuenit.) M. mirum quare non addidit rabidorum,non quia id uerbum addat Dioſcorides,ſed quia ita conſueuit κυνόδηκτα interpretari.Dimiſit quidem combuſta,quæ Dioſco.cæteris coniunxit.

Plantaginis olus.)M.Ecce quòd plantago inter olera numeratur, & ut olus eſtur. Pro beta autem dicit dari cum lenticula, quoniam conſueuerant antiqui betam miſcere lenticulæ,ut teſtis eſt Galenus. Plantaginē oleraceam eſſe.

116 Veſicæ calculi.)M.λίθους ſimpliciter ſcribit Dioſcorides: neſcio autem quæ cauſa impulerit hunc uirum ut ſemper adderet ueſicę,quum longe difficilius ſit hos quàm eos qui in renibus ſunt & frãgere & educere,ut in Epiſt. ad ipſum Marcellum dictum eſt.

117 Sunt qui ſerpillum.)M.in noua Dioſco. editione additur ἀγρίαν,id eſt,ſylueſtre.

Vtrunque genus.) M.hæc uerba in nullo exemplari lego, eáque accreuiſſe omnino credo,cum ſint primi Siſymbrij medicinæ,proprio cap.plenè recitatæ.

118 Cubitali altitudine.) Dioſco.non cubitalem, ſed ferme cubitalem dixit.

In duos ſtatim folioſos.) M.magis placet, ceu rei ipſi magis accommodatum, ut undique foliis plena Batis iſta dicatur:non enim uideo quòd in duos ſtatim ramos ſcindatur.

119 MAN. Quum hæc herba nõ ſolum in cenſu olerum reponatur,ſed & ipſa & radix in cibum uenire à Dioſcoride dicatur, magis credendum his qui eam uulgò dici herbam ſtellæ, qua in acetariis paſsim utimur, quàm his qui capreolam, uel aculeatum gramen dicunt, iumentorum potius quàm hominum cibum:quanquã nec illi ſine ratione ſunt locuti, ob Pſyllij ſimilitudinem.

120 Anguloſus.)M. γωνιοειδὴς: quam uocem aliter (ſi recte memini)primo lib. cap. de Aſaro, interpretatus eſt,ſcilicet angulorum forma:ubi nos diximus, nihil angulorum forma eſſe poſſe,niſi angulos habeat.

121 Aliter legitur capitis huius initium in recens edito Græco codice, in hunc modum: Seris ſylueſtris eſt & domeſtica.Sylueſtris,Picris, aut Cichorion uocata, latioribus foliis conſtat, meliórque ſtomacho eſt quàm domeſtica. Domeſticæ rurſus duplex genus eſt &c. Non facile autem concordauerint ea quæ Dioſcor. uerbis à Marcello dicuntur, cum his quæ ab eodem dicta ſunt in commentario.

122 Liquore lactis.) M. in meo Dioſcoride nulla lactis mentio.

Inanem.) κοῦφον,id eſt,pondere leuem.

123 In ardore febris, ſumma corporis ſuperficies.) M. πρὸς καυσουμένων,id eſt,cauſum patientem. Eſt autem cauſus,febris ab incendio ſic nominata. Cauſus.

125 In ſomnioſis potum ſemen eius opitulatur.) M. lege, uel ipſomet Marcello docente, Venerem aſsidue ſomniantibus opitulatur,& concubitum arcet.

130 Pulmonum inflammationibus.) M. neſcio unde accreuerit Marcello uox pulmonum,quæ huic loco abſq; dubio minime congruit.

Quibus atra bilis nocet.)M. fidelius,quibus atra bilis gignitur.

131 Et ſine foliis.) M. ſuppinguibus foliis, lego in nouo Dioſcoride.

Albeſcente & in luteum inclinante.) M.ego inuenio, ſubalbo,uel ad luteum uergente.

Creditur.)δοκεῖ,id eſt uidetur.

Inter legumina.)M.adde,quædam.

138 Folia ipſa.)M.lego,ipſũ porrũ, ſine foliorũ mẽtione.

Carbunculos.) M.ἐσχάρας, id eſt, cruſtas ex aduſtione relictas:ita enim & ipſe Marcellus alibi conuertit.

140 Erodẽdi.)M.δηκτικὰ:quæ uox,ut pri.libr. monuimus, mordendi potius quàm erodendi ſignificationẽ habet.

Extenuãt ſtomachi ueluti ex repletione faſtidia.). M. λεπτυντικὰ,δυψώδη,ἀσώδη.Legendũ ergo,ſi error fugiẽdus,

Cap.lib.2. attenuant,sitim faciunt,& stomachi ueluti ex repletione fastidia.

Laxant.)M.clarius & securius uerteris,si referant diaxeris:laxandi enim uis alia est medicis quàm aperiendi.Addēdum etiam,à cortice purgata.Sic potes ad uerbum fideliter conuertere:Excrementis,hisq; præcipue quæ per hemorrhoidas exeunt,aditus aperiūt:pro balanis etiā subiiciuntur,exsquamatæ & oleo immissæ.

Rabidorum canum.) hic etiam absq; causa additū est,rabidorum.

Σκύβαλα non bene interpretatur Marcellus aridiora stercora,uulgus potius medicorū,quàm Galenum & alios bonos sequutus,quibus ea uox omne stercus significat,non id tantū quod plus nimio aruerit.

141 Concreto capite.)lego, μονοκέφαλον, id est,uniceps,uel unius capitis.

Porri modo,& reliq.)M.omnia hæc uerba desunt in nouo Græco codice,usq; ad eum locū,Vocántq; in eo: quæ neq; à Serap.afferuntur.

Erodit.)M.nihil lego in meo Diosco.quod illi uerbo respondeat.

143 Nec rubeat.) μὴ κατάξηρον καὶ κατάπυῤῥον,ἀλλ' ὀρόν. Hermolaus negationem ad primam tantū dictionem ferens, quod non obaruerit dixit,quod rubens adultúmq; sit, crediderim ego ruborem in bono desiderari.

Eáq; ratione.) M. Marcellus Hermol.taxat, purgare per sternutamenta sinapi dicentem,cū nulla sit eo loco in Diosc.purgationis mentio.Nec(iuxta Euangelium) qui in alieno festucam,in proprio oculo trabem uidet, addens & ipse uerba hæc,Eáq; ratione:dicente simpliciter Diosco.comitialésq; iuuat.Et paulo pòst scribente Dioscoride,mixtum ficis,& ad ruborem usq; impositum,coxēdicum dolores iuuat,nec plus:ipse uertit,Fico mixtum subactúmq; sinapi mox impositū usquedum cutis cum cruento rubore exulceretur, coxendicum dolores lenit.ubi multa uerba superaddita,quiuis facile agnoscit: sed quod peius est,sensum quoq; mutatum:non enim quæcunq; ruborē cuti inducunt,uim exulcerandi habent:experientiáq; quotidiana cognoscimus miscellam hanc,ex ficis & sinapi ruborem tantum,non ulcus inducere:quod etiam si faceret,non est tamen hoc loco à Dioscoride dictum.

Aut cera.)M.aut cerato.

Farinæ modo.) ὡς ἄλφιτα, id est,ut polenta.

Ad extrahendum.) ἐπισπαστικοῖς. sic autem uocāt medici ea quæ ad alium locum trahunt.

ἰχῶρες, Galeno sunt tenues corporis superfluitates.

Aequale nasturtii semen est.)M. ἔοικε, id est,simile est.

144 Strumas præterea absumit ex muria illitum.) Λοθιῶνας πεπαίνει σὺν ἅλμῃ καταπλασθέν. Hermolaus,furunculos concoquit cum fermento.Ego scribendum puto,furunculos ad suppurationem ducit,cum muria cataplasmatis forma applicitum.Hermolaus Plinium secutus est.Marcellus,ut existimo,codicis sui fidem. Ego mei,& præterea Arabum consensum.

145 Et circa caulem.)additur in meo codice,totum.

Flos illi albus.)M.subalbus,id est,modice uel parum albus.

Et circa domos.) ἐν ὁδοῖς καὶ τοίχων καὶ ἐπὶ θριγκῶν. hoc est,semitis,parietibus & uallis.

Acerrimum.)M.acre.

146 Candidi flores.)ego lego tenues, facili in Græca dictione lapsu, λευκὰ, pro λεπτά.

147 Purulentis excreationibus.) ἐμπύοις. uulgus medicorū empyicos uocant,Latine suppurati dicuntur.

Occulti cancri ab Hippocrate & Græcis medicis dicuntur,qui in penitioribus partibus & latentibus constituti sunt.Hos enim non esse curandos docet Hippocrates libro 6.Aphorismorum.Eos uero qui in extimis membris nondum ulcerati sunt,qui & ipsi occulti dici possunt,incertum reliquit ex aphorismi uerbis Hippocrates,Galeno teste,an curari deberent.Nihil igitur uetat quin κρυπτὰ, & hic Carcinomata intelligamus, ea quæ in intraneis partibus sunt:imò non absq; magno periculo,potest Irionis semē exterioribus Cancris adhiberi.

148 Nigrum maiore acrimonia est quàm candidum.)M. additur in meo codice, ἥδιον, id est,suauius.

Tabidum.)M. ἄτροφον, id est,quod nutrimentum nō sentit.

Cū Taminia uua.)M. σὺν σταφίδι:nec additur Taminia.

Somno idem dolores leuat.)M. ἀνώδυνον. Quid uero sint anodyna, suprà non semel ostensum est. additur etiam salubre. Cap.lib.2.

Somnum & appetentiam cibi cōciliat.)M.nulla hic etiam somni mētio.nec uideo quare salubritas in somnum mutari debuerit,præsertim cum ea quæ somnum faciunt,frigere potius quàm calere oporteat.

In cremanda lente.)M.in meo codice non φακὸς, sed ὡς φασιν, quod Latine sonat,ut dicunt.

Potionibúsq;.)M. εἰς προποτισμοὺς,id est,his quæ præbi- 149
buntur.Hermolaus propinamenta uocat.

Hepaticos seu iocinorosos eos intellige,quibus im- 150
becille iecur est,absq; dolore tumoréq;.atq; ex hoc cognosce,parum libro credendum de Definitionibus,falsò Galeno inscripto. Hepatici.

Sapore acri.)M.adde leniter, ἠρέμα.

Lienes minuit.)lege,liquat. 153

In nouo Dioscoride totum hoc quinquagesimum 154
quartum supra centesimum de altera Cyclamino caput deest.

Capillamentorū Croci rutilo colore.)M.non tot uer- 156
bis utitur Diosc.sed tantum κροκίζων, id est,ad crocū uergens,uel crocum referens.

Radix est illi rotunda.)M.addit Dioscor. ποσῶς, id est, quadantenus raphano similis. Ego lego ἄρῳ, & in meo Dioscor.& apud Galenum.

Est semini succóq;.) M. non sic lego,sed seminis succo:nec aliter legendum:siquidē primo de semine,quod fortius,est Galeno teste,secundo de radicibus,tertio de foliis agit.

Inunguntur eo etiam utiliter carcinomata.) M. belle hoc quidem,sed non plenè Dioscor.exprimens: στέλλειν enim dicit,hoc est,ut mihi uidetur,sisti,ne ad deterius labantur.

Phagedæna ulceris semper nomē est apud Galenum nunquam inexhaustæ cibi appetentiæ. Phagedæna.

Sordida ulcera,quæ pascendo serpunt.)Clarius sic le- 159
geris,Sordida ulcera,& quæ pascendo serpunt.

Floret per messem.)M. Quæ sequuntur usq; ad capitis finem,in meo Diosco.non leguntur,& accreuisse ea credendum est,ut Marcellus quoq; notauit.

Ex melle & aceto)ego lego,uel aceto. 161

Vltima medicina,de bulbo uidelicet elixo,non legitur in meo Dioscoride,sed nec apud Serapionem.

Plurimos habet cremata usus.) ὀπτηθεῖσα, id est,tosta 162
uel assa.

Medicamentis quæ rarefaciendo sunt.)Legitur in noua etiam Dioscoridis editione ἀρωματικάς. Possunt autē aromaticæ potestatis intelligi medicamina, ex uariis aromatis composita,ceu Theriace.Serap.idem uerbis Dioscor.scribit. Medicamina aromaticæ potestatis.

Ciborum in stomacho incontinentiam.)lege,stomachicos.

In cibis omniū inutilissima.)fidelius uertit Hermo- 164
laus,cibo inepta.

Tenuissimis incisuris.)Diosco. λεπτοσχιδέστερα. & pro- 167
pterea melius Hermolaus,tenuius scissa,quàm folia uidelicet coriandri.

Minus profunde splendet puniceus color.) ἧττον βαθὺ, id est,minus profundus:nec aliqua hic splēdoris mētio.

Papauer rhœas candidius & acre est.) M. superfluit uerbum,est,ut non papaueris,sed succi color intelligatur. Legendum igitur,papauer rhœas,candidiorem & acrem.

Quæ diluti aqua croci colore liquorem ex se remit- 168
tit. ὀπὸν ἢ ἀνίησι κροκίζοντα. hoc est ad uerbum:Succum autem remittit croci colore.& de tota planta,non solum de radice potest intelligi.

De Argemone hac.) M. desunt omnia hæc ad capitis usq; calcem Dioscoridi meo:deest & totū de altera argemone caput 169.

Leniendi uis utriq; est.)lego πραΰντικὰ, ueréorq; ne 170
subsit menda.Galenus tergere eas dicit.

Oculorum albugines.) ἀργέματα.

Species,differentias.)M.puto legendum, secundum 171
species,differentias.

Genere uero præcipuas.) γενικωτάτας,id est,si quis uerbo uti Boëtii non uereatur,generalissimas.

Crocatum.)lego, κροκίζοντα.Mirum est quod nūc crocatum dixerit,qui quarto ante hoc capite,diluti aqua croci colorem uocauerit,& alibi sæpe.

Tenuibus uiticulis.)M.albis legendum,nisi errore librarii, λεπτὰ transierit in λευκά.

Bre

*Cap.lib.3.* Breuibus.)M.legitur hic in meo codice,tenuibus.

Melle & nitro.)lege,aut melle,aut nitro.

172 Violæ similem.)adde,matronali,hoc est,λευκοίῳ.

Acer.)adde,mordax.

175 Nullum est in meo Dioscoride huius capitis uerbū.

177 Verbum in hoc cap.de satiua Isatide ultimum, Excedentia.)melius ut Hermolaus putrescentia.Græci σηπεδόνας uocant,ut latius in Epistola ad Marcellum.

178 Graciliores.)id est,tenuiores.

179 Locis cultis inter uites.) lege, locis cultis, & inter uites.

Hydræleo macerata.) M. hoc non legitur in nostro codice.

Vitiligines.)ἀλφούς.

LIBRO TERTIO.

*Cap.1.* Nascitur syluestribus,& incultis Sarmatiæ locis.)γεννᾶται δὲ ἐν τῇ ἀγρίᾳ τῆς σαρματικῆς,hoc est,in Agria Sarmatiæ,Est enim in Sarmatia regio adhuc Agria uocata,& eiusdē nominis ciuitas,cui multos annos præfuit,qui nunquā è memoria hominum excidet Hippol.Card.Esten.

*Agria regio & ciuitas. Hippol.Cardi.Esten.*

In arboribus.)in Cedris,ait Diosc.meus.

Rupta cōuulsa.)lego,ex alto deuolutis.πτώματα enim ait Diosc.

Sine manifesta causa decoloratis & pallidis.)Diosco. κακοχροίαις simpliciter dixit,id est,male coloratis.

Cibum non continentibus in stomacho. ) leges & hic fidelius stomachicis, quæ uox latius patet,ut aliās ostendimus.

Contra muliebrium locorum inflammationes.)lege, inflationes.

2 Fungosa nec ponderosa.)χαύνη,ὑπόκουφος,id est parum leuis.

*Commune Rha barbarum à Rha barbaro Diosco. differt.*

Rheon barbarum à nostris uocatum,ex meridionalibus regionibus ad nos fertur,non aquilonaribus,ubi Bosphorus,Rha fluuius,& stagna Mæotica: odore etiā quem uehementem habet, si non alia re,ab eo de quo loquitur Diosc.discerni posset.

Caulis grandis.)Nihil est in meo Diosc. quod illi uoci,grandis respondeat.

Cuniculosis.)ὑπονόμων,quasi subpascentibus.

3 De stomachicis etiam hoc loco mentio, & testimonio Pauli probatum,eos proprie stomachicos ab antiquis dictos,qui cibum non continebant.Quæ licet uera sint,fidelius tamē quis interpretis officio fungetur,si uocem illam intactam dimiserit,ut superius quoq; non semel monuimus.

*Stomachici.*

4 Grauissime odoratum.) δυσώδης, id est, mali odoris. quare igitur ad superlatiuum trahitur?

Ibidem statim subdit, Qui cum dehiscere cœperit.) ἀπανθήσαν,id est,defloruerit.

Et menses.)M.adde,fœtus.

Verba quę de aristolochia in quarti capitis fine accreuisse Diosc.putat Marcellus,licet in meo codice legātur, ego quoq; superaddita puto: nihil enim eis respondet apud Galenum,sed nec apud Serapionem.

5 Oculorū pterygijs.)M.pterygijs absolute scripsit Dioscorides,& ex eius sententia Galen.Serap.digitorū pterygia intellexit,propterea melius erat nihil addidisse.

7 Lychnidis colore purpurascētes.) M, adde parua & oblonga rutæ similitudine folia.

Radicem paruam.)M.additur & hic λείαν,id est,leuis.

Exprimitur ex herba etiam succus.) M. nescio quare additum,etiam,quasi de alio succo sit superius loquutus.Fidelius quispiam sic uerterit:In succum autem uertitur herba,semine prægnans collecta.

8 Asperiora.)M.In postremo uulgato Græco codice lego,nigri chamæleontis folijs crassiora,acutiora,fortiora.Ego tamen locum non muto, cum Serapion habeat consonantem.

Cū grauitate odoratā.) ὑπαρωματίζουσαν,βαρύοσμον,id est, subaromatizantē (si dici latine posit) & graueolentē.

Latos uentris lumbricos.)In singulari latum lumbricum ibidem dixit Dioscorides,nec ab re,ferè enim unicus reperitur.

9 Carduo folijs.)M.lege,uel intellige,Scolymo.

Colore uario,candido scilicet,hyacinthinóq;.) Meus Dioscorides sic ad uerbum:Tenues hyacinthum referētes,uarios.λεπτά,ὑακινθίζοντα,ποικίλα.Meminisse autē oportebat Marcellum,quomodo hāc uocem ultimam cap. de Iride conuertisset.

Fuluo colore.)M.fidelius Hermolaus,subfuluo.

Et calens imposita.)M.hoc cum sequenti membro legendum,scilicet quòd radix calida denti admoueatur. *Cap.lib.3.*

In fomento uero,nulla de calore mentio.

Herbaceo colore.)λίαν χλωρά.& propterea melius Hermol.admodum uiridia.

Radice longa.)adde,leui.ἐλαφρὰν enim Dioscorides. 10

Qui neurada.)Iones neurada,ait meus Dioscor.Gale. 15
eodem etiam modo nominat.

Flores lōgos.)Meus Dioscorides μικρὰ,id est, paruos.

Et pallidi coloris.) λευκὰ,hoc est,albos.

Nucamentis aculeatis.) ὑακινθώδεσιν,non ἀκανθώδεσιν,id 17
est,hyacinthinis,ut etiam legit Hermolaus.

Pellit urinam , frangitque calculos.) M. commodius 19
quispiam in huncmodum uerterit: Cortex radicis in uino potus urinam ducit, & calculos frangit, crustas quas Græci ἐσχάρας uocant,abstergit. Non recte enim escharæ carbunculi dicuntur.

Vltimum etiam ad hæmorrhoidas remediū, in meo non legitur codice,nec apud Galenum,qui ononidem, non anonidem uocauit,ut Marcellus.

Ad uulnus infesti.)lege,recti. 21

Opplet enim.) M.uim habet ἐμπλαστικὴν, ait Diosc. emplasticen Gale.Hermolaus conglutinantem. Neuter plenè uim uocis assequutus,ut suprà monstrauimus.

Non recte etiam Marcellus connectit quod sequitur, quasi Diosc.dixerit,uim opplendi habere solum in oculorum medicinis. Emplasticen enim uim habere dixit Diosc.postea subdit usum eius esse in ocularibus medicinis,& ad tusses &c.Culpa tamen hæc in librariū,non in Marcellum referenda.

Grauissime olet.)lege,graui odore est. 23

Nascitur plurima in India.) additur in meo codice, pinguis.

Inutilis.)οὐκ εὔχρηστος,id est,non ualde utilis.

Egregie purgat.)τελείως,id est,perfecte.

Imponitur eodē modo.) M.nō recte additū est, eodē 24
modo:nā præter hoc quòd nihil ei respondet in Gręco codice,antea passo,hic cyprino uel rosaceo miscetur.

ἰχωρρροοῦντα ὦτα,neq; ego secus uerterem quàm sanie manantes aures:nec damnarim eos qui bilem fel uocent.

Seriphij pastu maxime pecora pinguescere.)M.addi- 25
tur uiribus eius,in meo Dioscoride.

Quod arborescit.) θάμνος δενδροειδὴς,quasi diceres ar- 26
bustum,arborē referens:quod non est proceritate metiendum,sed alia similitudine.

Incisuris minimis,Seriphij modo circa ramulos diuisis:floribus plenum,comantibus in summo fulgore auri ueluti corymbis quibusdam.Nascitur æstate.) Ego in hunc modum lego:φύλλοις λεπτοσχιδέσιν ὥσπερ σερίφου.περὶ τὰ κλωνία πλήρης ἄνθους,ἐπ' ἄκρου ἔχον κορυμβώδης χρυσοειδῆς,θερείας γεννώμενον.quæ quis satis(ut mihi uidetur)fideliter & aperte potest in hunc modum latina facere:Folijs instar Seriphi minutim scissis,floribus circa ramulos plenus, aureum ueluti corymbū in summo habens,æstate natū.

Plurimum nascitur abrotonum.) M. Abrotoni uox, quę in codice Græco non legitur,credere cogit de utroque genere loqui Dioscori.cum fortè de secundo tantum intellexerit.

Fruticosa herba est.) λεπτόκαρπος Marcellus λεπτόκαρπος legisse uidetur: meliúsque uertisset, tenuibus ramulis. 28

Et aspero.) M.nihil lego quod illi concordet uerbo, sed,quod ille omisit,gustu acrem.Gale.amaram,& moderate subadstringentem dicit.Et propterea deobstruere,tenuare,tergere,uisceráq; omnia,& uniuersum corporis habitum confirmare. Quæ uerba quasi Diosc.adijcit Marcellus,improprie tamen laxandi uoce usus,cū aliud sit obstructiones amouere,quod Gręci ἐμφράττειν dicunt,quàm laxare,quod illi χαλᾶν.

Non densum durúmq; est.)M.nulla est in meo codi- 29
ce de origano duri uox.

Efficaci ad glutinandū potestate.)M.κολλητικὴς ἱκανῶς. 30

Vsque ad ruborem incensa cute.) M.satis erat dixisse, 31
adducta,non incensa.

Eodem modo.)M.& duo hæc gratis adiecta.

Sanè intelligenda sunt quæ à Marcello in fine huius capitis 31.adnotantur de acrato & eucrato:cōstat enim ei qui artem medicinalem Galeni gustauit,aliquid dici eucraton,cui non sit aqua commixta.

Oblōgiora tātū,angustiora,paulūq; crassiora.)M.ex 35
meo codice,lōgiora & asperiora & crassiora. Serapio tamen cum Marcello legisse uidetur angustiora.

Contra canū morsus. ) M.nescio quomodo uel Mar- 36

Cap. lib. 3. cellus uel librarius salem hic non apposuerit.

38 Feruido sapore & acri gustu.) M. lege feruida uehementer & acria.

Necat itidem elixa crudáq; trita.) M. totum simul legendum hoc modo: Vermes ascaridésq; necat cum sale & melle pota, cocta crudáue contrita.

39 Vlcera sui nominis.) M. præstabat Græcam uocem, θυμὸς uidelicet, relinquere.

41 In capitis 41. fine, pro pondere drachmarũ duarum, ego ubique quatuor lego.

42 Contra oculorum inflammationes, eorúmq; tumores.) M. nec in meo Dioscoride, nec in Serapione leguntur tumores.

43 Additis aliquando oui uitello.) M. adde asso.

44 Meminit Mari Galen. in lib. de antidotis, similémque facit amaraco, sed odoratiorem, ut credi posit sub Mari huius nomine, Galeni amaracum contineri.

45 Adnata multa habens.) M. in meo Dioscori. non legitur multa.

Nec humida.) M. negatio in meo quoque codice non est adiecta de bacchare.

Mammas ex parte tumentes.) M. φλεγμαίνοντας, hoc est, inflammationem patientes.

47 Quæ fico arbori adnata.) M. non uideo quare ex uerbis Theophrasti sint Dioscoridis uerba mutãda: & præterea legendũ puto hoc pacto: inter hortulanas esculentior est quæ iuxta ficum est nata.

Feruentis naturæ utraque.) lege, caustica.

Quæ in definitione hyposarcidũ ex Paulo recitat in calce annotationum in hoc caput de Ruta, non bene uertit Marcellus: per uocem φλεγματώδης enim non colore pituitæ, sed natura fieri pituitosum totum corpus uoluit, ut suprà etiam monuimus, ubi longe hac peiorem eius morbi descriptionem à Marcello allatam damnauimus.

48 M. Inchoat hoc caput in nouo Dioscoride eodẽ quo Marcello uisum est loco, ab his uerbis: Vocant & aliqui agrestem Rutam.

49 Flores uiolæ similes.) M. leucoio, id est, ei uiolę quam matronalem uocant.

50 Ad ficulneorum figuram & quantitatẽ accedentia.) Diosc. πρὸς τὰ τῶν συκῶν, nulla uel figuræ uel quãtitatis mentione: ut propterea uideri posit fidelior Hermolai interpretatio, quæ habet, ut ficulnea possint uideri.

Prædictis illis.) M. & hęc duo uerba sunt superaddita.

Anethi modo.) M. in meo Dioscoride adiectum est, longam.

Friabilem.) M. additur & hic ὕδατι. uertit tenerum Hermolaus.

Quique celerrime diluitur.) M. ταχέως δὲ διαλύεται, id est celeriter.

51 Cubitalémq;.) M. adde, geniculis distinctum.

Breuis & candida.) M. cãdidã nõ lego in meo codice.

53 Stomacho utilissimum.) M. ἱκανῶς εὐστόμον, id est, ori satis accommodatum.

54 In qua flores sunt.) M. adde, candidi.

Vrinæ angustiis.) M. adiiciendum & his, potum.

M. daucum aliã rẽ ab utraq; pastinaca cognouit Galenus, libro sexto de illo, de his octauo differens.

55 Acrius & odoratius.) M. adde, suaue ualde.

58 Somno dolorem leuat.) M. Tutius fideliúsq; hoc etiã loco egisset Marcellus, si Græcam uocem, ut erat, Latinis literis exscripsisset, anodynũ dicẽs: uel tacita somni uoce, leuare dolorem dixisset.

Hærentia disiicit.) M. διαχυτικὴν habere uim dicit Dioscorides, quam diffundẽtem, fortè fidelius, Hermolaus uocat, nulla adhærentium habita mentione.

60 Discrimen inter genituram & semen habes ab Aristot. 7. hist. & à Galeno libro de semine.

61 Calefaciendi siccandiq; uires.) M. adde, & astringẽdi.

Fabæ lomento.) M. lege, lolii farina.

62 Gingidii modo serratis.) M. non hoc modo lego, sed ueluti serratis, gingidii scissura, fruticẽ syluestris cymini.

64 Antiqui corianum.) M. recentiores medici corion uocant, ait Galenus.

Refrigerandi uires habet.) M. In hoc reprehendit Galenus Dioscoridem, mixtámq; habere uim dicit.

Semen auget.) M. Auicenna, aliiq; quidam Arabes, & uulgus, contrarium sentiunt.

65 Betæ similia.) M. In meo etiam codice pro beta, sonchus legitur: & hãc ego lectionẽ meliorẽ puto. Additur etiam περιφέρειαν, ut similis soncho in extrema eius parte, quam circunferentiam uocamus, intelligatur.

Cap. lib. 3.

67 His quæ somno dolorem leuant.) M. anodynis.

ἄλφιτον hic non rectè definit Marcellus, è tosto enim hordeo fit, ut superius quoq; diximus.

70 Miscetur antidotis.) lego, miscetur antidotis & remediis, quæ calefacere & urinam mouere possunt.

Galenus alia ratione quàm natalium, differre putauit ab hortulano.

71 Aliud ab eo quod smyrnium.) lege, aliud ab eo quod proprie smyrnium.

Antequam floreat.) lege antea quàm defloreat: alioqui quomodo antequam floreat, flore esse plena potest? πρὶν ἀπανθῆσαι.

Intus candida, foris nigra.) Ego lego, alba, cum nulla nigredinis neq; intus neq; foris mentione.

72 Et humentibus incultis locis.) Additur in meo & Hermolai codice, καὶ γωνίαις χερσώδεσιν. Hermolaus angulos terrenos interpretatur.

Contra coxendicis dolores utiliter bibitur.) M. cum uino, legitur in nostro Dioscoride.

73 Inter salgama sale seruatur.) M. λαχανεύεται, inquit Dioscorides, id est, ad oleris modũ in cibum uenit.

74 Rabidorum canũ morsus.) M. alio loco ostendimus, non esse addẽdum, rabidorum, Galeni autoritate: atq; illud etiam, morsus canis etiam nõ rabidi, non eodem modo aliis uulneribus curandos.

75 Vesicæ calculos.) M. abrade uesicæ.

77 Violæ similem.) M. intellige matronali.

Vocatã nũc Senã esse delphiniõ, ipse nũquã putarim.

78 Vmbellam anetho similem & rotundam.) Ego τριχοειδῆ, id est, capillo similẽ, & lego, & laudo magis, quã τροχοειδῆ. Satis enim ex eo quòd anetho similis dicta est, constabat rotundam esse.

Abũdat cõmãducata in ore saliua.) M. legitur in meo Diosc. φλεγματικὸν δηλ ἐπισπαστική. hoc est, pituitam trahit.

Vngũtur ea ex oleo ad ciẽdos sudores. Facit ad lõgos &c.) M. totũ hoc pacto commodius leges: Ex oleo inũcta sudores mouet, faciens aduersus antiquos rigores.

Et torpent.) M. παρειμένα, id est, resoluta.

81 Glutinosius.) lege glumosius.

Pallescentes candidósue.) M. in meo codice non legitur, pallescentes.

82 Pituitã.) M. φλεγματώδης, id est, pituitosa, non pituitam. In meo quoq; codice leguntur ea quæ superaddita Marcel. putat, nec ego nego.

83 Inutilis exucto igne humore.) M. accreuisse puto, ignem. inutilis enim est radix quocunq; modo succus extractus sit.

Sed minus efficax liquore succus est.) M. ἧττον δὲ ἐνεργὰ χυλοῦ ὁ ὀπός. quod quispiam sic uerterit, Minus succo operatur lacryma.

Gustu feruens.) M. nihil plus hic lego: quæ igitur sequuntur adiecta à Marcello, abradenda puto, ea uidelicet, & linguam exurens.

84 Compinsitur id pani gratissimo cibo.) M. duo ultima uerba non leguntur in meo Græco codice.

ὑποχύσεις, incipientes.) M. non aliter quàm incipientẽ suffusionem uerterem.

Cõtra latos lumbricos.) M. rotũdos, non latos lego.

85 Et quasi foliaceum.) M. Theophrasti sunt hæc uerba, non Dioscoridis.

Qui porraceo colore uiret.) M. μὴ πρασίζων, id est, non porraceus: quod ad odorẽ potius, quã ad colorẽ uidetur referendũ, sicuti & Serapion refert. Vtrius uero nota sit, fidelis interpretis erat colorem non addere.

Et qui cũ diluitur facile albescit.) M. Damnandum hũc ostẽdit Marcelli interpretatio, laudandum Hermolaus, Dioscoridis mentem (ni fallor) hoc loco assequutus, scribentis: διαφέρει δὲ αὐτῆς ὁ ὑπέρυθρος καὶ διαυγὴς, σμυρνίζων, καὶ τῇ ὀσμῇ ὑγρὸς, μὴ πρασίζων, μηδὲ ἀπολευκαινόμενος ἐν τῷ χρῷ, εὐχερῶς τε διαλυόμενος ἐπὶ τὸ λεῖον χρῶμα.

Cyrenaicus si tãtillũ &c.) M. ἐπ' ὀλίγον. qđ' ad tẽpus uidetur referẽdũ, si exiguo uidelicet tempore degustetur.

Et cũ humore aliquo.) M. καὶ τῇ λύσει. i. & solutione, q scilicet non adulteratus, facile aliquo humore diluitur.

Sed oportet quæ illic excreuerunt forcipe auferre.) M. Non rectè plenéq; Diosc. sententiã aperuit, quæ fuit, ut quæ in naribus excreuerunt carnes per aliquot dies miscella illa inunctæ, chirurgico ferramento quod Græci σαρκολαβίδα appellant, facilius auferantur.

Vocémq; exasperatam.) M. ἄφωνος, id est, derepente: cui uoci nihil in Marcello respondet.

*Cap.lib.3.* Vtentibus eo.)M.ἐν διαίτῃ,id eſt,in uictus ratione,addi
dit Dioſcorides.
Rigentibus,& in ſcapulas rigentibus.)M.aptius meo
*Tetanus.* iudicio quiſpiam hoc pacto uerterit,his qui uel immo-
*Opiſthotonus.* ta ceruice,uel in poſteriora conuerſa rigent.τέτανον illud,
ὀπισθότονον hoc Græci uocant.
Purgat quæ in pulmonibus craſſa hærent.)M.uerbũ,
86 hærent,ab interprete adiectum eſt:quod proprium eſt
tenacium,non craſſorum omnium.
Et circularium febrium perfrictionibus.) κατεψυγμέ-
νοις περιοδικοῖς πυρετοῖς. ut & duo intelligenda uideantur,
facere ſcilicet ad eos qui perfrixerunt,& ad febres quæ
cum circuitu fiunt.
Contra anguium morſus præſenti remedio.)M.ἀρμό-
ζει καὶ θηριοδήκτοις .quos conſueuit transferre uenenato-
rum morſus, neſcio quare hic anguium morſus con-
uerterit.
Neſcio etiam quare,præſenti remedio,addiderit,ſim
pliciter loquente Dioſcoride.
87 Ea eſt perſicæ arboris lacryma,thuri ſimilis.) M. Hæc
addita ſunt à Marcello,declarare uolẽte quid ſit Sarco-
colla.præcidenda autem ſunt per parentheſim, ut in-
telligatur adulterari Euphorbiũ Sarcocolla,& glutine.
*Iuba rex Euphorbij inuentor.* Inuentum Euphorbium in Lybia regnante Iuba.)M.
Iubæ ipſi acceptam referendam hanc inuentionem, &
uerba Dioſcoridis inſinuant,& Plin.teſtatur.
In odorata potione.)M.in aromatica,ait Dioſcorid.
Dilutum Euphorbij liquorem.)M.λεῖον,id eſt, tritum,
non dilutum.
89 Aut arenam.)M.lege,lapides.
Ptiſanæ cremore.)M.χυλῷ,id eſt,ſucco,quæ alia res eſt
*Cremor aliud quã ſuccus.* à cremore.
Non adeò calentibus.)M.ἡμιψυχέσιν,id eſt,ſemifrigidis.
Barbarus,egelidis.
Vſq; dum calore inareſcant.)M.ſi inaruerint quomo-
91 do ſuccum emittent:ἄχρι μαρασμοῦ,hoc eſt,ad maraſmum
uſq;.Donec marceſcãt,uertit Hermolaus. tabeſcant for
tè melius dixiſſet,ut ſcilicet intelligamus,aqueũ humo-
rem,non plantæ ipſius natiuum reſolutum.
94 Probatur in quo lęuor eſt.)M.legendum nouus,ex fi-
de mei Dioſco.& Serapionis conſenſu.fruſtra etiam ad-
deretur,in quo nihil aſperum,ſi læuem prius dixiſſet.
Fit æſtate.)M.eiuſdem codicis & Serapionis concor-
dia legẽdum:Fit ex quodam fructu rotundo,nulla ęſta-
tis,uel acinorum mentione.
96 MAN. Principium capitis de Alyſſo, aliter legitur in
meo codice,ad hũc ſenſum:Frutex paruus,ſubaſper,fo-
lijs rotundis,iuxta quæ fructus ſicuti dupli clypeoli, in
quibus ſemen parum latum.Auicẽ.lilio ſimilem.Plinius
rubiæ.Aëtius non differre à ſiderite.Phocion folio ſub-
purpureo. Aliqui crucialem uulgò dici, alij martego-
nium putant.
97 In quibus hederę folia.)lege,in quibus folia longa he
derę ſimilia.
Vitijs.) MAN. κακοηθείας,id eſt male morigeris,uel ma
lignis.
98 Minoribus folijs.)M.longioribus,ego & Hermolaus
legimus.
Nudo & ſine folijs reliquo caule.)M.Non ſic Dioſco-
rides meus,ſed,Maiore ſui parte nudo & aſpero.
99 Pulegij ſemine.)M.καυλὸν πολυγόνατον ὥσπερ γλήχωνος,hoc
eſt,caulem cum multis geniculis ut pulegium.
Ita tamen ut quotidie ſoluatur.)M.lege,quinta die.
100 Per interualla marrubij modo diſpoſitis.) M. ἐμφερῆ
πρασίῳ,id eſt,ſimiles praſio uel marrubio.
MAN. In fine capitis ſic lego:Aluúmq; ſiſtit,ſi ad ter-
tias decoctum bibatur.Febrientibus ex aqua,his qui fe
brem non habent ex uino.Nullam tamen adſtringendi
uim ei adſcribit Galenus.
101 Duo triáue ſemina.)M.adde,ſi meo credis lib.parua.
102 Virgata herba.)M.uirgas multas habens.Hermol.te-
nues ſpargẽs iuncos.Plin.Non peccauerit fortè,qui uir-
gæ ſimilem dixerit.ῥαβδοειδὴς ſcribit Dioſco.
Ciſſaden.)M.ego inueni Cepiden.
103 MANAR. in meo Dioſcoride lego Chamædropa,
non Chamęropa.
Breuis frutex.)M.θαμνίσκος.
105 Violæ.)M.adde,uel intellige,matronali.
Semen & flores.) M.ſeminis tantũ meminerunt Dio
ſcorides,& Galenus.
106 Potum ſemen eius.) M.drachmarum binarum pon-
dere,lego in meo codice.

Additis aceto & melle.) M. Quincuplum eſſe mel ad *Cap.lib.3.*
utrunque uult Galenus.
Cremata radix.)M.aſſa. 108
Additis Apollinaris.) M.ex meo Dioſcoride loco uo
cis additis,lege,aut.
Ex aceto conciſa.)M.ex uino,in eodem meo codice
legitur,& apud Serapionem.
Inareſcant.) M.lege,flacceſcant. 107
Tenerioráq;.) M.lego,tenuiora. 109
Serpentium.)lege,ſcorpionum,ex libri mei & Sera-
pio.concordia.
Humano pollici ſimilibus.)M.lege,æqualibus. 110
Specioſiora.)M.εὐθαλέστερα.Hermolaus adultiora. 112
Interiore.)M.lege,anteriore.
Foris.) M.lege poſteriore.
Pendentes.) M.ἀπηρτημένους,hærentes.
Naſcitur hortorum umbroſis locis.) M.lege,umbro-
ſis locis & hortis.
Breuem.) M.lege,tenuem. 113
Ex altero cacumine longiorem ueluti apicem ſuſpen 114
dens.) ἐκ τοῦ ἑτέρου πέρατος ὥσπερ κεραίαν ἔχων.Hermolaus, ab
altero latere cornutum,antennæ modo.
Tenáxq;.) M.ἰσχυρὰ,id eſt,fortis,uel robuſta.
Calefacit.) M.adde,urinam mouet. 116
Bibitur.) M.adde,recens trita,& areſcens.ξηρὰ,id eſt,
ſicca,in eclegmata parata.
Supernè à terra candicantia,inferiore autem ſui par- 117
te uirẽtia.) M.ἐκ μὲν τῶν πρὸς τὰ ἄνω χλωρὰ,ἐκ δὲ τῶν πρὸς τὰ κάτω
λευκά.hoc eſt,ſuperiore parte uiridia, inferiore candida.
Anguloſa.) M. expreſsius reddiderit quis,plures an-
gulos habentia,γωνίας πλείους ἔχοντα.
Radix gracilis & inutilis.) M. Quomodo inutilis, ſi
thoracis abſceſſus rumpit,ut inferius dicis?ſubeſſe igi-
tur errorem putandum eſt.
Siccas tuſſes.) Plinius non ſiccas, ſed antiquas dicit.
Galenus ſermone abſoluto,tuſſes.
Singulari ramulo.) M.lege,ſimplici caule. 118
Nunquam florentibus.) M. βοτρυδίοις μηδέποτε ἀνθοῦσι. ut 120
ad uuam quæ nondum floruerit,referendum uideatur.
Lutei coloris herba.) M. adde,tota. 121
Et apricis.) M.adde καὶ εὐπνοίαις.i.ubi perflant uenti. 125
Florem habet infirmum.) M.ψαφαρὸν,minus ſplendet, 127
Hermol.fragilem ego libentius conuerterim.
Culmi.)βλαστοί. 130
Poſtquam defloruit flos,incipienti oliuæ ſimile. ὅμοιον 131
ἄνθει ἀπηνθηκυίας ἐλαίας βοτρυῶδες, Clarius (ni fallor) hoc pa-
cto quiſpiam uerterit:Semine differt,quod racemoſum
habet,oliuæ,quæ defloruit,ſimile.
Radicem bulboſam &c.)M.adde,anguſtam. 132
Elixa aut toſta.)M.ἑψηθέντα,id eſt,cocta.
Et in ore exedentibus.)M.non ſic lego,ſed, & putre- 133
ſcentia atq; maligna oris ulcera ſanat.
Quoniam tribus plerunq; folijs fractis uiret.) M. le- 134
ge,quoniam tria fert folia ad terram uerſa.
Etiam ſub Hedyſari nomine de hac planta lib.6. ſcri- 137
pſit Galenus.
Anchuſæ modo per terram ſtrata.)M.fidelius uertiſ- 138
ſet in hunc modum:Super terram ſtrata,anchuſæ folijs
ſimilima.ἐπὶ γῆς κατεστρωμένα,ἐμφερέστατα τοῖς τῆς ἀγχούσης.
Radice innititur breui,oblonga.)M.Quomodo oblõ
ga & breuis,ego non intelligo.ſic autẽ loquitur meus
Dioſcorides:Subeſt radicula ad aliquem modum lon-
ga,imbecillis,tenuis.
Naſcitur & alia Nymphæa.) M.adde (ſi meo credis 140
Dioſcoridi)cuius flos blephara dicitur.
Antedictæ ſimilis.)M.adde, folijs. ferè enim reliquis
partibus differt.
Naſcitur in Theſſalia.)M.maritimis locis,lego in meo
Dioſcoride.
Candida.)M.lego,λεπτὴ,id eſt,tenuis:non λευκή. 141
In ſummis cirris.)M.lege,in capite.
Venenato inſecto.)M.θηρίῳ,beſtiolæ. 142
Aſpera.)M.δασεῖα.
Hoc capite 142.uulgarẽ errorem ſequutus Marcellus,
agi à Dioſcoride de herba putauit, quã imperiti herba-
*Scolopendria.* rij Scolopendriã uocant,quæ lõgis ſatis,ac latis cõſtat
folijs,& ab ima parte ueluti lituratis:qua ratione à nõ-
nullis eſt etiam herba ſcripta uocata. Non eſſe autem
hanc ueram Aſplenon, uel ex hoc conſtat, quòd nulla
eſt eius folijs,utpote longis & latis, cum Scolopendra
exiguo uerme & tenui ſimilitudo,cũ uera Aſplenon,ea
uidelicet quæ uulgò Citrachia dicitur,tãtũ habeat cum
eo in-

*Cap.lib.3.* eo insecto in quantitate, forma, & colore similitudinē, ut qui alterum nouit, utrunque norit.

Ex hoc errore natus & alius, quòd inuenire rationē Marcellus non potuit quare Pterix diceretur: quod promptissimum est in uera Aspleno, filicis parui figuram referente. Porrò magnæ hæc litis cum Phyllitide: utrique enim aliqua adscribuntur, per quæ uocata à uulgo Scolopēdria uideri possit, támque cōgruit utriusque historia, ut nomine potius inter se differre, quàm reipsa credi debeant. *Dracunculus.* Hæc folio Dracunculi, illa Rumicis constare dicitur: quod ferè idem est. Nam & Dracunculus Rumicis folio à Diosco. superius dictus est. *Rumex.* Caret utraque caule, flore, & semine, & gustu adstringit: Differre uidentur, quod hæc lunaris figuræ, illa in auersa folij parte, ueluti uermes hærentes habet. Ambo tamen hæc uulgari congruunt Scolopendrio. Fecit harum consideratio, ut mecum semper dubitauerim, ad utrum horum duorum caput, Scolopēdria illa uulgò uocata, esset referenda: magis tamen inclinat animus in Hemionitida, quæ ideo Aspleno coniuncta est, quia parem ei in liene liquando uim habet: quā Scolopendrio uulgari adesse præter cōmunem consensum quotidiana etiā demonstrant experimenta. *Phyllitis.* Phyllitim uero esse suspicor herbā aliam, Rumici non foliorum tantū figura, sed & colore adeò similem, ut inter eius genera cōnumeretur. Ex his uero liquet, quàm frustra hic Marcellus laborauerit, quámue grauiter lapsus sit, Hemionitem hanc Aspleno uel eandem, uel ualde similem putans, cum alterius foliū Scolopendræ exiguo uermi, qui & Cētipes dicitur, alterius Dracunculi, magno & lato folio, assimiletur.

*Cap.144.* Dodrātali altitudine ipsa est.) M. fidelius certe quispiā hoc pacto uerterit: Lenti similia folia habet, & ramos dodrantali altitudine, rectos autem.

Nascitur sabulosis locis.) M. communem lectionem ego magis probo, ὑφαλμύροις, id est, subsalsis habentem, ceu ab Auicenna, & quod pluris est, à re ipsa approbatam. Scribit siquidem de his herbis Auicenna ipse, capite prope libri secundi finem, quarto.

Grauissimi odoris.) M. lege, uehementer grauis: qui (ni fallor) minor est quàm grauissimi.

145 Idque proprie quidam.) M. in meo codice non legitur, quidam.

146 Bilem & pituitam.) M. lege, atram bilem & pituitā, ex Paulo, Serapione & Auic.

Sine foliis.) lege sine flore.

Non agnouisse Marcellum hanc herbam, satis clarū est: nec ualde mirandum, cum paucæ admodum sint, quas se cognouisse ostendat, præ illis quas ignorauit. Illud uero me in admirationem trahit, quòd quam Coriandri folio constare asserit Dioscorides, capillata, & fœniculo similia habere folia dixerit, cum nulla sit Coriandro cum fœniculo in foliis conformitas. Agnoscenti hanc Parthenium, quæ (ut aliàs quoque docui) notissima uel mulierculis est, Matricariam uocantibus, facile est Marcelli deceptionem agnoscere.

147 Coliculos profert teneros.) M. lege, caulem profert tenerum.

Nascitur in planitie circa oppida & urbes.) M. lege, in campis & circa urbes.

148 Pæoniam, sunt qui glycysidem.) M. Ego lego, Glycysidem, sunt qui pentoboron, sunt qui idæos dactylos, radicem Pœoniam uocant.

149 Ad summam radicē eius iacentia.) M. Modus hic loquendi, omnia folia iacere ostendit. Nō hoc autem uoluit Dioscorides, sed quæ in ima parte sunt, super terrā iacere.

Vesicæ calculos frangere.) M. absolute, calculos: nulla enim hic uesicæ mentio.

151 Radix tingēdo apta.) M. lege, radix rubra tingendo apta.

In Galliæ Thebanæ.) M. legebatur in meo codice, Galileæ: sed Marcelli lectionem meliorem puto.

Nec aliter in aruis prouenit.) M. lego, sicuti in aruis utiliter seritur.

Mox rubentem.) M. hoc non legitur in meo libro.

Viperarum morsibus.) θηριοδήκτοις.

154 Omnes oculorum tumoribus similes excrescētias.) M. ἐμφυσήματα. nec aliqua oculorum mentio. Inflationibus tamen oculorum ea uox quandoque accomodatur, sed de hoc infrà uberius.

Calculos, cruditates.) M. legitur in nostro codice, calculosorum cruditates.

Aliorúmque uenenatorum.) M. lego, tenuium omniū ferarum. *Cap.lib.4.*

Enimuero circa morbum quem Græci ἐμφύσημα uocant, eisdem ducibus quibus & aliàs plerunque, lapsus est Marcellus, libro uidelicet isagogico, qui Galeno falso adscribitur. Mirum autem est in Pauli lectione uersatum non legisse, uel (si legerat) non meminisse, emphysema ab eo dici, non tantum in oculo, sed in omni spiritu flatuoso, uel sub cute, uel sub membranis, quæ ossa aut lacertos ambiunt contento. *Emphysema.*

Crassioresque.) M. lege asperiores. 156

157 MAN. Præter id quòd ordinem peruertit, de syluestri prius agens quàm de domestica, si quādo aliàs hic maxime hallucinatus est Marcellus, pro μελία, hoc est fraxino, mâlum scribens: monente eū præter alios interpretes re ipsa omnibus exposita, & quā, ut ipse ait, omnes gentes norunt, & nullum esse eius folii cum foliis mâli cognationem uident. *Insignis Marcelli error.*

158 Dantur bibenda.) M. adde, drachmæ pondere.

Pendétque ex collo.) M. hæc uerba addidit Marcellus.

Radicis cortex.) M. lege, succus.

160 Muliebrium locorum præfocationibus.) M. lege, ad uteri affectus. ὑστερικὰ πάθη.

162 Flore albo.) M. manifestus hic error: nouerunt enim omnes, flore albo nō constare Hypericon. sed præterea nonnulla desunt uerba. lege ergo hoc modo: Florem habet luteum, qui digitis attritus, sanguineum emittit succum: qua ratione & Androsæmon, quasi humanū dixeris sanguinem, uocatur. *Androsæmon.*

163 Folijs paruis.) M. non legitur hoc in meo codice.

164 Gracilibus ramulis.) M. λεπτόκαρφος, id est, tenuibus festucis.

Sanguinis colore liquorem emittit.) M. οἰνώδη, id est, uineum, uel uinosum.

In calyculis.) M. in calice.

Veluti pūctis distinctum.) M. οἱονεὶ κατάγραφος, hoc est, ueluti pictus.

Biliosa & alui excrementa.) M. lege, alui excrementa biliosa.

Incuruæ similis.) ὑπόκυρτος, quasi subcuruæ similem dixeris.

166 Multo tamē tenuiora hirsutáque.) M. ego lego, tenuiora multo & pinguiora & hirsuta.

Colore luteo.) M. adde, aut albo.

Fruticosa.) M. λεπτόκαρφος, quam uocem paulò antè tenuibus ramis est interpretatus.

LIBRO QVARTO.

*Cap.1.* In dulci aqua aut simplici aqua.) M. nulla simplicis aquæ hoc loco mentio.

Datur & sanguinem expuentibus trium obolorum pondere in dilutæ uini potionis cyatho uno.) M. additur γαλακτώδης.

Aluum purgat drachmarum duarum pondere.) M. ego inuenio quatuor, & sic quoque legit Serapion.

Cyathis quatuor.) M. & hic lego decem.

3 Bibitur & inungitur.) M. ἔγκλυσμα. cur non igitur potius infunditur quàm inungitur?

4 Vrinam efficacissime trahit.) M. ἐναργῶς.

5 Galenus & Auicenna marem fortiorem esse scribūt, quare errorem subesse in Paulo Marcelli putandum.

7 Nascitur in Aegypto.) M. nascitur super terram pingui solo.

Pinguibus quidem, sed incultis locis.) ἐν χέρσοις lego.

8 MAN. Non legitur caput hoc de altera Clematide, in recentioribus Dioscoridis libris, sed inferius inter purgantia.

Radix cubitalis alba.) M. lege, subalba.

9 Lanariæ herbæ.) M. scilicet uocato Struthio, ut habet Dioscorid. græcus.

10 Ramulos habet origano similes gracilésque.) M. non graciles rami, sed folia gracilia in meo Diosco. leguntur.

Subrufam.) M. lege, subpurpuream.

Purguat pulmonum uitia.) M. τὰ ἐν πνεύμονι, id est, quæ pulmoni hæserunt.

ῥοῦν γυναικεῖον ἐρυθρὸν, id est rubras muliebres fluxiones, arcte nimis quisquis ille fuit definiuit, nuper iugulatæ uictimæ similes esse dicēs intercurrētibus grumis cum dolore, febre, & dentium crepitu. Exit enim quandoque purus sanguis, quandoque & sæpius ueluti sanguinis ichor, nec semper casus ab eo numerati comitantur.

11 Cauli adiacētium foliorum.) M. φύλλον λεπτὸν προσώπων, id est, folium tenue.

Rutæ

Cap.lib.4. Rutæ ſimiles.)M.rei ipſius aſpectus,& liber meus ac-
creuiſſe hæc uerba oſtendunt.
12 MAN. Oleſtion lego,non oloſteon.Sic etiam Gale-
nus lib.8.
Quibus adſtringendi uis eſt.) M.nulla adhuc uirium
mentio,στυπτικὰ dixit Dioſcorides,de ſapore uidelicet lo-
quens,non de uiribus.
Miror dubitaſſe Marcellum,an hæc herba eſſet tranſ-
uerſis quatuor digitis uel porrectis metienda:quando
quoties quid per digitos metiũtur autores idonei,trãſ-
uerſos ſemper intelligant,ut apud Poëtam.
Digitis à morte remotus Quatuor.
13 Nota ubiq; herba eſt.)M.non leguntur hæc uerba in
meo codice.
15 Fabarum floribus æquales.)M.ἐμφερής.& propterea ſi
delius,ſi non adeò eleganter uerteris,ſimiles.
Finit & eiuſdem exti dolores.)M.καὶ κόπον λύει,nulla lie
nis mentione.Melius ergo Hermolaus, laſsitudinem di
κόπος. ſcutit.κόπος enim Galeno teſte,laſsitudinem ſponte ue-
nientem proprie ſignificat.
Sterilitatem in uiris.)M.nõ recte additum,in uiris:nõ
enim ſemen tantum in uiris,medicorum ſententia, ſed
nec etiam Theophraſtus,licet maſculino genere uſus,
excluſit fœminas.
16 Folia latiora.)M.lege,lata,ne putetur comparaſſe ter
reſtri.
Ex uiridibus.)M.adde fructus.
17 M.Caput hoc una litura,ſi noſtro ſtamus Dioſc.emen
dandum eſt.
18 Neurodes.)M.ſcribitur in meo Dioſcor.Neuroides.
Graciliorâq;.)M.lego,longiora.
20 Folia Seridis.)M.in meo Dioſcoride,Iridis.
In quem uſum ſiccata.)M.non hoc pacto codex no-
ſter,ſed in hunc ſenſum:Sicca & contrita,ſi cũ melle co-
cta per multos dies lingatur,nec os nominatur.
Semen etiam.) M.lege,autem,non etiam, quaſi di-
xerit, herbam quidem ſiſtere, ſemen uero menſes
prouocare.
Cap.21. Faciunt ſterilitatem trita folia.)M.adde & radix.
Drachmæ pondere.) M. drachmarum quinq; ſcribit
meus Dioſco.
22 Venoſúmque.) M. ἰνῶδες, inis, hoc eſt, filamentis
plenum.
Deinceps diſpoſiti.) M.στιχηδὸν.per uerſus uertit Her-
molaus.
Ducunt ambæ menſes.) M.de ſuperiore tantum lo-
quitur Dioſcor.
24 In mulſo trita.)M.adde radix.
Ad minuendos lienes.)M. addẽdum & hic cũ aceto.
25 Grandia).M.ego inuenio in meo libro,μέλανα, πολλὰ,
id eſt,nigra,multa.
M.Mirum eſt Marcellum hanc neſciuiſſe herbam,quę
ſit tempore quoq; noſtro notiſsima.Paſsim ex ea nunc
quoq; in Pannonia ceras tingunt.
26 Radices oblongas,graciles.)M.non legi in meo Dio-
ſcoride uerbum quod gracilibus reſpondeat.
Commanducatam.)M.lege ea commanducata.Eodẽ
modo in tertia ſpecie legendum, cõmãducato ſemine.
27 Craſsiora.)M.lege craſſa.
Flores purpuraſcentes.)M.adde parui.
28 Albicantes.)M.non ὑπόλευκα,ſed ὑπόλεπτα,id eſt,aliquẽ
modum tenuia,lego.
Ad anchuſæ ruborem aliquem accedentia.) πρὸς τὰ τῆς
ἀγχούσης,id eſt,ad anchuſę ſimilitudinem accedentia.Quę
lectio longe mihi magis placet,quàm ea,quam & Mar
cellus & Hermolaus ſequuti ſunt:nullum enim in an-
chuſæ folijs poſuit ruborem. Sequacia etiam magis
ſunt, quæ ſequuntur:quaſi dixiſſet, ad anchuſæ ſimili-
tudinem accedere folia,minora tamen eſſe & pinguia.
29 Ex tot ocimaſtri appellationibus,Philæterion tãtum
lego in meo codice.
Nigellæ uaſculis ſimiles.) M.ὁμοίας μελανθίῳ,ſemini ni-
gellæ uel melanthij,non uaſculis.
Vnicum & hic Erini nomen.
30 Nigrum ſemen.)M.adde paruum.
Lacteo liquore.)M.non lego lacteo, ſed ſimpliciter,
liquore.
31 Nullum gramini,præter agroſtis,nomen.
Quod uero in Parnaſo naſcitur.) M. alterius capitis
32 eſt hic initium in meo exemplari.
Ramoſius.)M.lege uel intellige,plures habere ramos.
Dulcéſq;.)M.adde,robuſtas.

Numeroſa in ſummo utrinq; inciſuris diuiſa.)M.ἀκρο- Cap.lib.4.
σχιδῆ,πολλὰ ἑκατέρωθεν,hoc eſt uerbum ex uerbo, In ſum- 33
mo diuiſa,numeroſa utrinq;.
Ramulos alios.)M.ἀποφύσεις,hoc eſt adnaſcentias.
Et glutinoſo.) M. legendum glutinoſos, ut uidelicet
flores intelligas:nullus enim ſapor,quod norim, gluti-
noſus dicitur.
Subamaras.)M.non ὑπόπικρα,ſed ὑπόπυρρα,id eſt, ſubru- Cap.34.
fas:cui lectioni conſentit Serapion. Hermolaus ſubſal-
ſas legit.
Glutinoſo lentore molles.)M.lege glutinoſa, uel len-
ta: omniáq; neutro genere,ut ad foliola referantur, in
hunc modum: Et circa eas foliola tenuia, ex obliquo
inciſuras crebas habentia, coriandro ſimilia, ſubruſa,
tenacia.
Flores uario,inter purpureum, candidum & aureũ,
colore.)M.albi,& ad aureum colorem inclinantes. λευ-
κὰ καὶ χρυσίζοντα.Conſentit Serap.ab initio albos dicẽs,&
deinde ad aureum inclinare.
Decocto eius muliebres fluxiones utiliter fouentur.)
M.fidelius uerteris,utiliter in decocto eius ſedent, quæ
muliebres fluxiones patiuntur.
Quoniam multas in Ida monte.) M. non eſt in meo 36
Dioſcoride ulla montis mentio.
MAN. Caput hoc non legitur hoc loco in recens edi 37
to Gręco Dioſcoride,ſed loco eius ſcribitur de alia Hel-
xine, quæ folio conſtat hederaceo, & alio nomine di-
citur Ciſſampelos.Galenus & Paulus ſcribũt de utraq;.
In codice meo agitur de ea ante cap.L X X X.
Sapore acerbo foliorum plenos, quæ adſtringente 38
ſapore ſint.)M.ego lego,folijs plenos guſtu acerbis.
M.Si helxine, cui Elatine ſimilis dicitur,eſt(ut ait Mar
cellus)ea quæ ciſſampelos dicitur,atq; eam ob cauſam
poſt helxinem tractata: ſequitur neceſſariò, ut de ea
quoque quæ ciſſampelos dicitur, ſcripſerit Dioſcori-
des.Et propterea non erat caput illud breue, tanquam
ſuppoſititium prætermittendum.Nec propterea diuer
ſa res putanda helxine Dioſcoridis, ab helxine Gale-
ni & Pauli,quod hi diſcutere,Dioſco.dixit uentrem ſol-
uere:poteſt enim utraq; uis eidem adeſſe,ſicuti & alijs
multis medicamentis.Poteſt & in alterutro menda, li-
brariorum culpa contigiſſe.
Cannabisue.)M.lego,uel cannabis potius. 39
Singulari illi uirgæ.)M.lego,à medio caule. nec legi-
tur deinceps.
Aſperum & hirſutum.)M.hæc duo uerba non legun-
tur in meo codice,ſed hoc modo:In terram ita annuẽs,
ut ueſtibus &c.
Tricena quotidie pota.)M.X X X.diebus,ſed non tri- 40
cena folia.
Ad luſtrationes & purificationes.)M.καθαρμοὺς καὶ αἱμορ
ῥαγίας καὶ ἁγνείας.puto autem inepte accreuiſſe hæmor-
rhagias.
Cum nardo.)M.codex meus ambiguitatem Marcelli 43
tollit:pro nardo enim roſaceum exiguum legitur.
Inſpergitur.)M.ἐμβρεχόμενον.
Et foſsis.)M.καὶ τάφροις. 44
Rectus caulis,æqualis,cubito maior, concauus.) M. 45
omnia hæc deſunt in nouis Dioſcoridis uoluminibus.
Naſcitur & in roboribus.)M.accommodatius Dioſc. 46
uerba hoc pacto conuerteris: Naſcitur autem Cilicius
in roboribus.
Ore legi à mulieribus in Cilicia coccum ex Dioſc.uer-
bis refert Serapion, ut propterea credi poſsit locum in
Dioſcoride integrum eſſe, non uitiatum, ut putauit
Marcellus.
M.Nullum hic,ſicut & præcedente proximo capite, Cap.48.
præter Tragij nomen in meo Dioſcoride legitur.
Naſcitur montanis.)M.Nec uerba hæc leguntur,nul-
la enim de natalibus mentio.
Qui uero Euripicus dicitur.)M.non ſic lego,ſed hoc 50
pacto,Aethiopicus autem iuncus.
Ne ſoporem faciat.)M.καροῖ γὰρ λίαν,id eſt, ualde enim
ſoporiferum eſt.
Sunt qui muſcum.) M. Dioſcorides meus, ſunt qui 51
bryon.nec dicit uocari muſcum.
Durities.)M.non durities,ſed κηρία,lego in meo Dioſc. 52
id eſt,fauos:& ſic quoq; legit Galenus.
Frutex exiguus.)M.ῥαβδίον,id eſt,uirga. 53
Radicem hirſutam.)M.adde,tenuẽ & ellebori nigri.
In mulſo.)M.lege,in aqua mulſa.ὑδρομέλιτι.
Intus rubens.)M.adde,uehementer. 54

Conciſa

Cap.lib.4. Concisa hæc & ex aceto imposita.)M.ego lego, attrita cum aceto & imposita.

55 Heliochryson.) M.Elichryson lego, in titulo & capitis initio.

Virga est breuis,recta.)M.ῥαβδίον λεῖον.

Arescentes.)M.lege,aridos.

56 Folia incisuris diuisa.)M.adde,multis.

57 Ad tempus.)M. προσηκόντως.

Per terram spargitur.)M.hæc adiecit interpres.

Origano similis.)M.adde,maxime.

Bibitur herba hæc etiam.)M. legendum ex meo Dioscoride:Et herba ipsa suffitu urinam mouet. nec de potu ulla mentio.

58 Ex uetere suillo adipe.) M, Totum contrarium ego lego,ex recenti uidelicet,& additum,uel ex rosaceo.

59 Inscribitur caput hoc de Hierabotane, hoc est, de sacra herba,& in hũc modum inchoat : Sacra herba,sunt qui Peristereona uocent.

Aduersantur serpentibus folia.)M.adde, & radix.

Bibenda dantur.)M.adde, cum uino. Præterea non erat ut dubitaret Marcellus, non bene legi tonsillarum crustas:ita enim in paristhmiis , sicuti in aliis locis , ab acribus atque acredine nimia ueluti urentibus humoribus,excitari crustæ possunt.

60 Nigris adnatis multis.)M.nõ multis lego, sed solidis.

Ventosis & niualibus.)M.adde,& umbrosis.

In Arcadię Phæneo.)M.ego lego,in Mẽphide Arcadię.

61 Romani uaccinium.) M.uerba interpretis , non Dioscoridis. Vnicum enim ei Hyacinthi nomẽ, minimo hominis digito graciliorem.

Additum.)M.inuenio,uiridem,in noua editione.

62 M.In capitis initio multa adduntur : sic enim ego lego uerbum ex uerbo:Mecon rhoeas, id est, fluidum papauer.Nomen hoc ex eo habet , quòd celeriter florem abiicit.

Et in hordeacea segete.)M.desunt nostris exemplaribus hæc uerba.

Caulem lanuginosum.)σχοινώδη lego,hoc est, iũceum: non censeo tamen, nam fortè melius legit Marcellus, χνοώδη.

Asperum.)M.inuenio,præter hæc,& rectum.

Vsquedum duæ tantum partes,aut altera supersint.) M.ego lego,donec ad duas reducantur.

Quinetiam inspersum.) M.καὶ τὸ ἄντλημα δὲ αὐτῶν ἀντλη-θῆν. à uerbo Græco ἀντλάω,quod significat haurio.fouere ora dixit Hermolaus.

Cap. 63. Destillationes in fauces.) M. ῥευματισμοὺς ἀρτηρίας, id est, fluxiones asperæ arteriæ.

Hypocistidis, & acaciæ succo. ) M. lege hypocistidis succo , & acacia.

Contra destillationes in aluum.) M. lege & hîc, alui.

Et ubi sopire opus fuerit.)M.adiecit hæc uerba interpretis audacia.

Crassescendi.) M. παχύνων, id est, crassum potius reddens reliqua,quàm crassescens.

Inexpugnabilem somni necessitatem , quam lethargum dicunt,usque ad mortem faciens.)M.ποιῶν ληθαργικοὺς καὶ ἀναιρεῖ,id est,lethargicos faciens & interficit.

Male autem definit Marcellus lethargum : inexpu-

Caros. gnabilis enim somnus,caros potius dicitur , quàm le-

Lethargus. thargus.

In mortario uetere.)M. lego absolute ἰγδυίᾳ. nec scio quare additum,uetere:eam tamen uocem Hermolaus quoque adiecit.

64 Aphri Simaca.)M.non leguntur hæc quæ sequuntur in nostro codice,ad ea usq; uerba,folia habet.

Et asperas remittẽtibus urinas.)M.non lego asperas, nec memini alibi legisse ullam urinam dici asperam:sed neque Serapion eam uocem legit.

Si quis autem corniculare hoc papauer.) M , uerba hæc & quæ sequuntur ad capitis usque finem , accreuisse Dioscoridi puto , non tam quòd in meo codice non leguntur,quàm quòd parũ sequacia,& eius phrasi dissimilia.

M.Ex tot huius herbæ nominibus,unum tãtum,hoc est,hyoscyamum,quasi porcinam dixeris fabã,in meo lego Dioscoride.

Clypeolis in medio obstrusos.) M. πεφραγμένοι ἀσπιδίσκοις,hoc est(ut mihi uidetur)clypeolis septi,nulla medij uel alterius partis mentione.

Ceu Irionis.)M.Erysimon intellige.

Infelicis in usu euentus.)δύσχρηστοι,id est,difficilis usus, uel inutiles.

Est autem sic expressus succus priore illo innocentior.)M.ἐστι δὲ βέλτιων τ᾽ ὀποῦ τὸ χύλισμα.hoc est,est succus opo melior.In quibus uerbis non huius succi ad priorem fit comparatio,sed utriusq; succi ad opon, quem Marcellus liquorem appellare consueuit.Esse autem hanc Dioscoridis sententiam,præter eius uerba,hoc in loco etiã quæ paulò infrà de utriusque succi uiribus pariter scribuntur , aperte manifestant . Valere enim utrunque ait ad acres oculorum destillationes , & dolores , ad aures dolentes , muliebrium locorum uitia,podagras, oculorúmque & cæterorum membrorum inflammationes. Cap.Lib.4.

Ipsa etiam ter quatérue pota.)M.non ter aut quater, sed tria aut quatuor ego lego folia.

M.ὄρχεις πεφυσωμένους , id est,inflatos , ut Marcello placet, testes. Nec putauerim uentosum significari ramicem:seorsum enim scribunt medici de ramicum generibus,& de testium tumoribus . Sed nec ulla uis adest hyoscyamo,qua uentosi ramices curari possint,calida & sicca medicamenta desiderantes.

M.Vnicum quoq; Psyllij nomen huic herbę à Diosco. adscribitur. Cap.68.

Sed longiora.)M.hoc non legitur in meo codice,nec in Serapione.

Fœni modo foliosa surculosáque est.)M. pro omnibus his nihil plus lego quàm χορτῶδες,quasi fœnaceum dixeris.

Semen pulicibus simile.( M.lege in quibus semen pulicibus simile.

Mollire,adstringere.) M.amouẽda omnino duo hæc uerba,ceu in bonis exemplaribus nõ inuenta,nec aliis medicis de Psyllio scribentibus , imò nec ipsi rei conformia.

Conuulsis.) M. στρέμματα lego in meo codice,id est,luxata. Consentit huic lectioni magis quàm alteri Serapion.

Heminis duabus.) M. δακτύλοις lego,id est,digitis.Sed quia nullus idoneus subiacet sensus,corruptam lectionem omnino puto,& legendum ut legit Marcellus. Volui tamen locum monstrare.

Strychnon nigrum hortensem.) M. capitis initium aliter,ad hunc uidelicet modum lego:Strychnos hortulanus.Statimq;,caterua illa nominum prætermissa,sequitur,esibilis frutex est. 69

Per terram sternuntur.) M. χαμαικλινεῖς, id est,ad terrã inclinant,non sternuntur. 70

Surculosos.)M. στελεχώδεις. 71

Lentore suo.) M. hæc adiecit interpres.

Miscentur.) M. miscetur.

Cortex eius & succus.) M. tacetur cortex in meo codice.

Perisson.) M. lego Persion. 72

Thrioron.) M. lego, Thryon:nec plura,usque ad ea uerba,Erucæ folio.

Altitudine quantum protensa,& reliq.) M. Omnia hęc unico Dioscoridis uerbo respondent,ὀργυιάς.

Nascitur montanis locis.) M. additur in meo libro καὶ πλατανώδεσι , id est , ubi Platani nascuntur. Nec adest uerbum quod littoralibus respondeat.Concordat nostræ lectioni Serapion.

Crateas halicacabum uocat.) M. adde,aut calcam. 73

Angustiora & asperrima.) M. στερρότερα καὶ τραχέα ἰσχυρῶς,hoc est,solidiora,& ualde aspera.

M. Sic scribit meus Dioscor.Mandragoras,sunt qui Antimelum,qui Dirchæam,qui Circæam ideo uocent, quòd radix eius creditur philtron esse,hoc est,ad amores cõferre.Reliqua uero tacentur nomina,quæ in Marcelli editione leguntur. 74

Pomis ouorum uitellis æqualibus.) M. οὔοις lego,id est,sorbis,nõ ouis:Serapion mespilis.Similibus quoq; melius scribes,quàm æqualibus,ne magnitudo intelligatur.

Morion.) M. norion:sed melior fortè Marcelli lectio.

In his.) M. lege,& in his.

Quinq; aut sex diebus leniter cõfricata.) M. stigmata citra ulcerationẽ delent. Melius,ni fallor,hæc à prioribus disiuncta inuicem connectes,hoc modo:Leniter confricata,quinq; aut sex diebus stigmata,absq; hoc quòd ulcerent,delent.

Circunsecta,&c.) M. adde multiformiter.

Cammaron.) M. Inuenio , Cammoron.& pro The- Cap.75.

rio

Cap.lib.4. riophono, Terophonum.

Miſcetur oculorum remediis, & his quæ ſomno dolorem leuant.) M. non ſeorſim hæc lego, ſed cõiunctim, hoc modo: Miſcetur ocularibus medicamentis, quę dolores tollunt.

76 Huius tria genera.) M. non leguntur hæc in noſtris codicibus, ſed poſt duo prima nomina, lycoctoni ſcilicet & cynoctoni, ſubditur, Plurimum in Italia &c.

Breuiora.) M. lego, longiora, ſicuti & Hermolaus.

Caulem filicis glabro pediculo ſimilem.) M. leges clarius, Caulem ut filix, glabrum pediculum.

77 M. Vnicum conij nomen huic herbæ adſcribit meus Dioſcorides, in reliquis cum Marcello ſatis cõcordans.

78 Thymion.) M. lego, thymalon.

In Carbonia Hiſpaniæ.) M. lego, ſicuti & Hermolaus, Narbonia.

79 Poſt Cynocrambis nomen, quæ ſequuntur nomina, in meo Dioſcoride non uiſuntur.

Pani commixta.) M. ἀρτοποιηθέντα, in eſt, in panem formata.

Aſperioribúsque.) M. lege craſsioribus.

Lanis plenum.) M. non lanis, ſed lanoſa lego natura.

Acanthi ſpinæ.) M. lege, hyacinthinis pappis.

Naſcitur maritimis locis.) M. adde & in hortis.

Iumenta, quadrupedéſque omnes.) M. ego lego, canes, aſinos, mulos, & plurima quadrupeda animalia.

Eadem homini.) M. ego lego, hominum ſeruatricem cum uino pota aduerſus ferarum morſus.

81 Aut copioſum in eclegmate.) M. lege, aut linctum cũ multo melle: ut de gallinaceo uidelicet intelligas fimo.

82 Romani bulbum agreſtem.) M. ex fide codicis mei melius legeres, ſunt qui bulbon agrion ſcilicet, qui bulbum agreſtem: prætermiſſo Romanorum nomine.

Ruſo, ἐγκιῤῥον.) M. de ſemine legitur πυῤῥὸν, uidendum an utraque uox rufum ſignificet.

83 Nondum intra ſe collecto pure.) M. non pure, ſed humore lego.

M. Poſt hoc caput, in meo Dioſcoride legitur caput de Helxine, id eſt, muralio, lege, parietaria, & poſt id, de Alſine.

84 Vnicum huic plantæ nomen adſcribitur, phaci uidelicet paluſtris.

Muſcus.) M. βρύον Græce dicitur.

85 Initium huius capitis aptius, ni fallor, & fidelius leges, reiectis quæ creuerunt nominibus, in hunc modum: Aizoon, hoc eſt, ſemper uiuum magnum, nomen habuit à ſempiterna foliorum uiriditate.

In uallari lactaria.) M. ὥσπερ τὸ χαρακίας τιθυμάλλ, id eſt, ſicuti genus tithymali, quod characias uocatur.

Addito roſaceo.) M. polenta hic quoque additur in noſtro codice.

ὀφθαλμιῶντας.) M. non utiq; uerterim, lucis oculorum perturbationes: ſed ophthalmiam, quæ Latine lippitudo dicitur, patientes.

86 Ab hoc quoque capite, præter ἀειζώου minoris, reliqua nomina abiicienda.

Colore pallido.) M. χλωρά. Solet autem hanc uocem Marcellus uiridia interpretari.

Aliquando autem in hortis.) M. hæc non leguntur in meo codice, nec quæ ſequuntur, uſque ad locum ubi uires narrantur. Male autem eſſe adiecta, ita apertum eſt, ſicuti diſcrimen inter portulacæ & oliuæ folia.

87 Nec Veneris hortum, nec aliquo alio nomine ex his quæ ſequuntur, inuenio uocari hanc herbam.

Senſim, leni, & ut ſenſum fallat, in cõcauitatẽ deſcenſu.) M. Duobus tantum Dioſc. uerbis uniuerſa hæc ſeries reſpondet, ſcilicet λεληθότως κοῖλον. Hermolaus ſatis (ut mihi uidetur) feliciter imperſpicue concauum dixit.

Præcluſa genitalia.) M. φύμους τοὺς ἐν αἰδοίοις χαλᾷ, id eſt, pudendorum phymos laxat.

89 Rabidorum canum.) M. abſolute hic, ſicuti & alibi ſæpe, lego canum.

In gangrænam tranſeuntibus.) M. καὶ γαγγραινικὰ, hoc eſt, & ad gangrænica. nec magis intelligendum de morſibus canis, quàm de aliis ulceribus.

Cum cera.) M. cum cerote lego, idem tamen ſenſus.

90 Carcinomata.) M. adde ſtrumas ex meo exemplari, à quibus curandi nomen uulgò adepta eſt, ut ſcroffularia dicatur, nunc enim ſtrumas ſcroffulas dicunt.

91 Rectos ramulos &c.) M. lege, ramulum & folium habet Aparinæ ſimilimum.

92 Nullum hic nomen, præter primum lego.

Dehiſcentibus.) M. σχιζόμενα, id eſt ſciſſa. Cap.lib.4.

Circa urbes & oppida, in aggeribus murorum, & ſeptis.) M. ἐπὶ θριγκοῖς καὶ περὶ τὰς πόλεις: id eſt, in ſepibus, & circa urbes.

Vtraque ſimili.) M. lego, folia tantummodo.

In uino dulci.) M. lege, exiguo, pro dulci.

Apud Galenum lego non Thalientron, ſed Thalietrum quoque. 93

Adiectæ ſunt huic Bryo, barbaræ omnes illæ uoces, 94
Balliris, Iranis, Gnomeuſili.

Piſcium teſtis.) M. oſtracis.

Capillata herba.) M. mirum cum herbam, ut dicit, non putauerit Marcellus, quare capillata addiderit, herbæ nomen: cum Dioſcorid. ſimpliciter τριχώδης dixerit.

Præterea candidum, quod in Creta ad terram naſci- 95
tur.) M. ego lego: Aliud album: id uero quod in Creta naſcitur prope terram, floridum ualde, & imputridũ.

Venenatis prodeſſe.) M. Theriacum eſſe ait Dioſcor.

Idque crediderunt, & reliqua uſque in finem.) M. ego ſic lego ad literam, Quod nonnulli putarunt eſſe, quo mulieres utuntur, cum radicula illa ſit, æquiuoce uero uocetur phycus.

Non erat ut laboraret Marcellus, fontalem, in fonti- 96
nalem mutando uocem, ſi meam Dioſcoridis editionem ſequutus fuiſſet, in qua unicum tantum, potamogiti nomen.

Habet.) M. lege, eſt folium.

Habet hæc folia auicularum pennis ſimilia.) M. νεοττῶ 98
πτερῶ, nouellæ uidelicet auis maximè ſimilium. Adde & adhuc breuiora.

Aſperioribus agris.) M. ὑποτραχίοι. parum igitur potius aſperis, quam aſperioribus.

Denigrat capillum.) M. tingit. & pro luteo colore, le- 99
ge, aureum.

Sideratis.) σφακελίζοντα.

Vlceribus medentur.) M. lege, uulneribus.

Sumitur & cum melle.) M. ego pro copula, &, lego 100
autẽ, ut uidelicet ad ſuperiora referatur, quod dicitur.

Paruúmque.) M. ego lego, paruo Cymino. 101

M. Aparines nomen huic herbæ accreuit, cum ſit alte- 102
rius proprium.

Minora.) M. lege, maiora, codicis mei, Galeni, & rei ipſius teſtimonio.

Caulem albicantem.) M. caule carere hanc herbam lego in meo Dioſcoride.

Cubitalis & aliquando.) M. lege abſolute, cubitali 103
maior.

Duo tantum nomina huius herbæ leguntur in meo 104
Dioſcoride, Epipactis ſcilicet & Elleborine.

Vnicum & hic lego Capni nomen. 105

Et numeroſum undiq; purpureũ florẽ.) M. ego lego, undique numeroſa: ut ſcilicet de foliis, non de floribus intelligatur, deinde ſubiicio, purpureum florem.

Euulſos palpebrarum pilos.) M. legitur in meo codice διπλᾶς, non τιλθείσας, id eſt, duplas, non autem euulſas.

Qui Libycam.) M. lege, Libyon: nec aliud pręterea no- 107
men, niſi Loti & Trifolij.

Vnum & hic Cytiſi nomen. 108

Lotóue aut trifolio.) M. ego lego, aut loto trifolio.

Et in medijs extante dorſo.) M. lego pro his uerbis, καὶ ῥάχιν ἔχοντα.

Aegyptiacæ fabæ.) M. non inuenio Aegyptiacæ, ſed 109
abſolutè fabæ: intelligendũ tamen de Aegyptiaca puto.

Milij quantitate.) M. ut milium.

Vnicum hic Myriophilli nomen inuenio. 110

Per totum denſus.) M. διαπόικιλος, id eſt uarius.

Non lego hic Conilæ nomen. 111

Semen fœnogræco ſimile.) M. lego, τραχήλω, & ſic quo- 112
que Hermolaus: colli uertens figura.

Nec bugloſsi, nec ſpinæ hic nomen lego, eſſéq; hanc 114
uulgarem bugloſſum puto.

Purpureum & luteum.) M. lege, aut, non &. 115

Chamæmali capitulũ, undiq; per orbẽ &c.) M. Nullũ ſcio Chamæmali capitulũ, & propterea lego, aut luteũ inſtar chamæmali, capitulũ circunquaq; ſciſſum. Multę huic accreuere medicinæ, ut in uiola oſtendemus.

In Phaſiolorũ clauiculas torquetur.) M. fidelius hoc 116
modo conuerteris, Phaſiolum uocant nonnulli, ex eo quòd phaſiolo in hoc ſimilis eſt, quòd folium quod in ſummo eſt, ἕλικα, hoc eſt clauiculam, capreolum uulgò apud nos uocant, fert.

M A N. Accreuerunt tot nomina uiolæ. 117

Cap.lib.4.

Medij inter folia coliculi.)M.lege in singulari numero coliculus. Galenus ferè eisdem cũ Diosc. uerbis facere hanc uiolam per se, & cũ polenta, ad calidas phlegmones, ad uentriculi ustiones & oculos dicit: de angina, comitialibus & sedis procidentiis mentionẽ nõ faciẽs. In astere Attico, tacet hæc omnia. Sequitur utroq; capite Galenum Auicenna. Quare omnia illa adiecta esse asteri puto, quæ his uerbis expressit Marcellus: Prodest æstuanti stomacho, emplastri modo imposita, prodest & oculorum inflãmationibus, & solis uiolis cõuenire.

119 Bunii tantum nomen in meo Dioscoride lego, propterea turbam reliquam nominum adiectam puto.

Et ex eo ramulos plures foliolis tenuibus & floribus plenos.) M. nihil legitur in meo Dioscoride, quod alicui ex his uerbis respondeat.

Longitudine digitali.) M. lege, crassitudine digitali: & adde, oblongum, ut de caule intelligatur, non de ramulis, quorum nulla est mentio.

Ad radicem.)M. nec hoc inuenio in meo libro.

120 Et ramulos.)M. Ramulorum nomen iterum nõ lego in meo Dioscor.

121 Vnicum & hic Chamæcissi nomen.

Ramulos.)M. adde, multos, si meo credis Diosco. cui ego certe in hoc loco parũ credo: quare enim infrà diceret quatuor aut quinq;?

Radix est illi gracilis.)M. adde, & alba.

122 MAN. In meo codice legitur Chamæleuce: & de ea quoq; scribunt Galenus & Paulus, nõ de Chamępeuce.

Sunt qui herbam.)M. desunt hæc omnia ad finẽ usq; in meo codice.

123 Breuissimum est hoc de buglosso caput in meo Dioscor. ut cui omnia desint ad ea usq; uerba, Verbasco similia folia habet.

124 Rabidorum canum morsibus.)M. κυνόδηκτα & hic legitur, id est simpliciter, canum morsibus.

125 Radicem longam.)M. lege breuem.

Virentẽ.)M. Additum hoc participium ab interprete.

126 Caterua hæc nominum huic accreuit Leontopodio.

Digitalis herba.)M. lego διδακτυλιαίων; hoc est duorum digitorum.

Angusta.)M. adde, robusta.

Lanosa.)M. lego εὐωδέστερα, non ἐριωδέστερα. id est, odoratiora, non lanosiora.

Quasi incisuris diuisa.)M. τετρημένα, id est, perforata.

Corpori adalligatã.)M. hoc non lego in meo codice.

127 Nomina & hic tria superaddita.

Radix & succus.)M. tacet hæc duo uerba meus Dioscorides, cogimurq; de coma, non de succo & radice, si ei credimus, id intelligere quod dicitur.

128 Ligustrino, uel oleo.)M. Lilino tantum lego: non etiã Ligustrino.

129 Vndecim & hic nomina paulo minus sunt meo Dioscor. superaddita.

Quod cum siccatur.) M. lege, ad terram flectitur, & unguibus mortui milui similis redditur.

Semini.)M. additur in meo codice, puniceus color.

130 Vnicum & huic nomen.

Crassáq;, uerum latiora.) M. lego, uerum crassiora: nec aliquid plus.

Ad amuleta.)M. lego ad alexipharmaca: & nihil de amuletis, aut ueneficiis.

131 Præter Adianti, solum hic lego Polytrichi nomen.

Et calculos uesicæ frangit.)M. male additur uesicæ, legendum calculos.

132 Duo tantũ nomina adscribuntur huic herbæ in meo Diosco. Trichomanis uidelicet & Adianti.

Multo breuius.)M. lege, paruum ualde.

133 Romani Lappã appellant.)M. hæc addidit interpres.

Aestate.)M. Et hoc additum.

Aequâlia.)M. uel lege uel intellige, similia.

Incisuris diuisa.)M. lege, incisuras habentia.

Figura pilularum.)M. lege, ut Platani pilas.

134 Tenaci.)M. & hoc addidit Marcellus.

Aegylopis hic tantum nomen lego.

136 Cytiso.)M. in meo codice legitur Citto.

ἀπὸ γῆς in meo quoq; legitur libro.

138 Singularis surculus.)M. φρυγάνιον μέλαν, id est, niger: nec singularis mentio.

Foliola.)M. adde, tria, quatuórue, quinq; aut sex.

139 Creuit & hic Smilacis nomen in tot, ut legenti uel numerum recensere sit difficile.

Qualis est quẽ Græci epiphyllida uocãt.)M. nihil q́d his respõdeat inuenio in meo codice, sed tãtũ βοτρυώδη. Cap.lib.4.

Leniter in gustu adstringentem.) M. ὑποδάκνοντα lego, id est, leniter mordentem, uel submordacem.

In fine capitis additur in meo codice, inciditur etiam ad alexipharmaca, id est, ad ea medicamina quibus arcentur uenena. Alexipharmaca.

Supra quem.)M. adde, semper. 140

Ex ĩnumeris tot nominib⁹ unũ syluestris myrti lego. 141

Minus tamen.)M. lege, latius.

Infragiles.)M. lege, difficiles frangi.

MAN. Inter radices nõ ultima est Rusci radix, quibus ad obstructiones & ciẽdã urinã medici utũtur, & propterea in aliquo honore est, quod negauit Marcellus. Rusci radix.

Nomina quæ stephanen sequuntur, in meo Dioscor. non scribuntur. 142

Pondere drachmarum quinq;.)M. lego sex.

Validioráq;.)M. ἰσχνότερα, hoc est, graciliora. 143

Sexdecim.)M. lege, quindecim.

Addita & hic omnia nomina, præter Alexandrinam & Chamædaphnen. 144

Singulares, nullísq; ramulis.)M. nõ leguntur hæc uerba in meo Dioscoride.

Graciles.)M. nec hoc.

Vnico elleborus hic nomine contentus est. 145

Aliqua parte rubro.) M. simpliciter rubro lego in meo Dioscor.

Quod mediocriter riget.)M. μετρίως τεταμένος, hoc est, mediocriter extentus.

Ab Ethna.)M. lege, ab Enna.

Faciendæ medicinæ rationem docere.) M. θεραπευτικὴν lego, id est, curatiuam.

In sorbitione pultis, aut alicæ.)M. lege, cũ multa sorbitione aut succi copia.

Qui Ectonion.)M. lege, Ecstomon. 146

Qui prœtion.)M. Tacetur hoc cum reliquis nominibus quæ sequuntur.

Prœti filias.)M. Prœti sorores legitur in meo codice, sed Marcelli lectio poëtis magis consentanea.

Semen Cnico simile.)M. additur, & in ipso.

Prætermissis reliquis, sic legitur in meo Diosco. Sesamoides magnum elleborũ uocãt in Anticyra, eo quòd in purgationibus elleboro albo misceatur. 147

Purgat id superiorem uentriculũ.)M. aliter ego legerem ad uerbum, purgat per superiora pituitam & bilẽ. Galenus primum magnum, secundum album uocauit.

Purgat.)M. adde per inferiora: quia Diosc. addit κάτω. 148

Præter Sycios agrion, id est, syluestris cucumeris nomen, nullum ex tot quæ à Marcello scribuntur, lego in meo codice. 149

Stibii quantum satis sit.)M. additur χρῶσαι, hoc est, ad colorandum.

Cum oleo.)M. adde, uetere.

Ex taurino felle.)M. lege, aut, non ex.

Adduntur quædam de domestici cucumeris radice, quæ superaddita à quopiam propriæ cõmoditatis gratia putanda sunt.

Et hic unicum lego Staphidos agrias nomen. Galen. astaphida uocat. 150

Decem aut quindecim.)M. legitur in aliis, decem aut quinq;, sed Marcelli lectionem meliorem puto.

Malagmatis quæ fouendo sint.)M. πυρωτικοῖς urentibus uertit Hermolaus, & rectius quidem mea sentẽtia: caustica enim quadam ui participare scribit Galenus.

Vnicum & Thapsia nomẽ habet in meo Dioscoride. 151

Gracilior tamen caulis eius est.)M. lego semen: sed uera est Marcelli (ut puto) lectio.

Spartion, nõ Sparton, legitur in meo Dioscoride: nec præterea nomen aliud. 152

Breues.)M. lege, longas.

Duras.)M. lege, solidas.

Natiuo lentore infragiles.) M. una pro his omnibus uox δυσθραύστους, id est, ut suprà etiã uertebamus, ad frangendum difficiles.

Eruptiones.)M. lege, exanthemata. 154

Quod extusa expressáq; superest.)M. lego ἐκπίεσμα, id est, quod exprimitur.

Ad exterandas scabies.)M. asperitates lego.

Capitis huius initium sic ad uerbum lego: Narcissos, nonnulli hunc quoq; sicuti lilium, lirium uocant. 155

Multo tamen tenuiora minoráq; & angustiora.)M. lege, tenuia, minoráq; multo & angustiora.

In medio croceus.)M. ἔσωθεν, id est, intus.

Porra

Cap. lib. 4.

Porraceum.) M. πρασίζον.

156 Vnicum & hic nomen.

Vellicando poliunt.) M. γνάφοι.

Frondosus.) M. ἀμφιλαφής.

MAN. De Gnaphalio scribit Galenus, uocari dicens eo nomine, quòd foliis eius mollibus existentibus ad fulloniam uterentur. Aliam tamen rem intellexit, de qua sub eodem nomine, lib. 3. scripsit Diosco. adstringere eius folia, & propterea dysentericis dari scribēs, cùm omnibus huius plantæ partibus purgandi uim adscripserit. Vbi de Gnapho scripserit Galenus, uel de Hippophaē, non inuenio.

157 Serpit per terram.) M. χαμαιπετής.

Capituláque spinosa.) M. lege, foliola parua, spinosa, capituláque pondere leuia.

158 Qui crotona.) M. nullum ex his quæ sequuntur nominibus lego in meo Dioscoride.

Mollia.) M. hoc non lego.

Colligitur.) M. lege, exprimitur.

In nullo sanitatis.) M. De sanitate nulla hic mentio.

Fœminarum præterea mām as.) M. hoc membrum superiori coniungendum uidetur, ut sit sensus, cum polenta mixtum mammis conducere.

159 Romani herbā lactariā.) M. Interpretis sunt omnia hæc, nō Diosc. qui à numero Tithymalorū exorditur.

Ob comæ quā &c.) M. & hæc sunt interpretis uerba.

Vel à foliorum figura.) M. & hæc.

Vel à longitudine.) M. & hæc.

Secundus fœmina &c.) M. Sequitur, aut Myrtites, quem & Caryiten uocant, aut Myrsiniten. reliqua sunt addita.

Tertius paralius.) M. Sequitur, quem Tithymalida uocant. cætera adiecit interpres. Reliquorum quoque generum nomina tantum scribit Dioscorides.

Eius quæ uallaris.) M. Characias.

Lacteo liquore.) M. lege, albo.

Deglutienda sunt.) M. deest, catapotia.

Condylomata.) M. non lego hæc in hoc loco, legit tamen Serapion.

Gustu similis est, colore albicante.) M. lego, nam similis. & nihil de gustu aut colore. & sic quoque legisse uidentur Serapion & Hermolaus.

Annuum fructum inuicem alternātes.) M. aliter ego lego uerbum ex uerbo: Fructum autem fert annuum nuci similem. Serapion, fructum fert ter in anno. Hermolaus, alternis annis.

Rubentes.) M. lege, subrubentes.

Deinceps.) M. στοιχηδόν. Hermolaus, in ordinem uersúsque.

Semen ceu foliis.) M. capitulis lego, non foliis.

Colligitur ex hac etiam aliorum tithymalorum modo lac.) M. adde, & semen.

*Error in uerbis Pauli per Marcel. translatis.*

MAN. Nec illud prætermiserim, in uerbis quæ ex Paulo transtulit Marcellus, insignem esse errorem. Secundi ordinis in calefaciendo esse tithymalos, qui ordo causticus est. legendum enim, quarti: quæ enim secundi ordinis sunt, non lædunt, nedum quòd urant.

MAN. Multa mutauit Marcellus ex Theophrasto, & fortè bene: sed notare nobis placuit, quæ secus in nostro Dioscoride legebantur, ut omnibus bene pensatis, integrum sit lectori, eam quæ magis placuerit scripturam sequi.

160 ὀπὸν hoc capite, contra legem quam sibi libro primo statuerat, semper lac Marcellus transfert.

161 Et hic quoque pro opo reddidit lac, quod licet exigui momenti esse sciam, placuit tamen locum signare.

Deuorata.) M. lege, in catapotia.

Conformatus.) χυλωθείς.

162 Candido lacte.) M. Quis nescit lac candidum? fugisset hanc nugationem, si fideliter uertendo dixisset, candido liquore.

Feruenti aqua aspersum.) M. ἀποβραχθείς.

163 Lactis liquore plenus.) M. lege, liquore albo.

154 MAN. Vocari hanc herbam spumeum papauer, non inuenio in meo Dioscoride.

Lacte plenos.) M. Mirum est quàm Marcello placuerit lac reddere pro liquore: lego enim & hic ὀπόν.

165 MAN. Adiecta esse huic capiti tot nomina, primum & secundū ostendunt, à radice deducta, cuius uel nullus usus, teste Theophrasto, uel rarior quàm liquoris.

Aliquando quatuor.) M. hoc non lego.

Quadantenus pilosos.) M. lege, crassitiem quandam ostendentes.

Grauissimi odoris.) M. grauis, nō grauissimi. βαρύοσμος.

Eodem modo.) M. lege uel intellige, tholi modo.

Fungosus.) M. lege rarus, ἀραιός.

Qui tenues habet discurrentes uenas.) M. pro tot uerbis lego, σύριγγας ἔχων λεπτὰς, id est, tenues habens fistulas.

Heracliæ, bdeliræ, citocatij, oleaginis, uel oleastelli nomina, non leguntur in meo Dioscoride. 166

Amaris.) M. lege, densis & amaris.

Fauces scarificantibus.) M. lege, arteriam.

Cnestron.) M. lege, cestron. 167

Id Syri apolinon uocant). M. lege, quod Eubœes ætolion uocant.

Satiuo lino.) M. lege sparto lino.

Speciosas.) M. adde & multas.

In pane pultéue.) M. lege farina aut polenta.

MAN. Nullum hic nomen præter actes. 168

Rotundas quadantenus, inanes.) M. lege, rotundas, subcauas.

Tria, aut quatuor, aut quinq;, aut sex, aut septē.) M. lego solum, tria aut quatuor.

Ex uirgis.) M. lege, circa uirgas.

Maioribus incisuris diuisa.) M. lege, τμητικώτερα, hoc est magis incisa.

Chamæactis quoque tot nomina non leguntur in meo Dioscoride.

Refrigerántque.) M. abradendum omnino hoc uerbum, calent enim ambæ.

Radix in uino decocta.) M. adde in uictu, παρὰ τὴν δίαιταν.

Oculorum inflammationes.) M. lego absolute inflammationes.

Cauernosa.) M. ὑποφορὰς, & podagricis opitulantur.

Porri semen.) M. lege, prasij, id est, marrubij: non prasi, hoc est, porri. 169

Lutei coloris.) M. ὠχρὰν, hoc est, pallidi.

Exiguo malo æqualem.) M. lege, ut exiguum malum.

Tumores omnes. M. non lego omnes.

MAN. Pro eodem habet Marcell. colorem luteum & pallidum, quod ego non probarim.

Neque Aphrorum, neque Romanorum nomē lego huius herbæ in meo Dioscoride.

Spondilio.) M. asphodelo legunt alij. 170

In nulla raphano foris color niger inspicitur, ait Marcellus: quod falsum esse nemo apud nos hortulanus non nouit.

Qui amaram cucurbitam.) M. σικύαν, id est, cucumerem, lego. Tacentur autem reliqua sequentia nomina in meo Dioscoride. 171

Colocynthidis farctum.) M. intellige interiorem eius partem.

Stomacho inimica.) M, adde, ualde.

Nescio unde natum Cedis nomen, & Inuolucri, huic herbæ. 172

Inania.) M. κοῦφα lego, id est, leuis ponderis.

Caudas.) M. ὀραγύς.

A similitudine lentis quam refert.) M. hæc sunt interpretis, non Dioscoridis. 174

Romani syluestrem &c.) M. & hęc addidit interpres. 175

Rimosi corticis.) φλοιορραγοῦντα.

Additur tot nominibus & Cedrostes in meo codice. 176

In gangrænam phagedænámque transeuntibus.) M. non transeuntibus, sed secum eos affectus habentibus dixerim. γαγγραινικῶν enim & φαγεδαινικῶν lego.

Quæ de apoplexia quasi Galeni ex definitionum libro recitantur, nec Galeni sunt, nec suis dogmatis consentiunt. Ea potius sequenda, quæ ex Introductorio sunt accepta, quanquam nec illud Galeni est.

Quæ post Bucranium recitantur nomina, in meo codice non leguntur. 177

Blechnon & Polyrrhizon uocat meus Dioscorides, reliqua tacens nomina. 178

Indicátque id.) M, lege, probatio talis.

Vbi multa arundo & multa filix.) M. additur in meo Dioscoride, corones, disparet filix. Putóque talem aliquando fuisse eius loci sententiam: Radix pota, & cum axungia pro cataplasmate apposita, facit ad eos qui ex arundine uulnerati sunt; cuius probatio talis est: Vbi multa arundo, si ibi coronæ modo per ambitum multam filicem conseras, disparebit arundo: atque è contrario, si ubi multa filix, multam arundinem conserueris, disparebit filix.

*Cap.lib.5.*

Obliquæ.)M.latæ,hoc eſt, πλατεῖαι, non πλαγῖαι.

179 Legitur in meo libro,ſicuti & in reliquis,Si ſupergrediatur prægnans, eam abortiri. Placet tamen Marcelli lectio,cui præter Theophraſtum & Plinium,conſentit etiam Serapion.

180 Vnicum hic Polypodii nomen.

Prætertimq; quercuum.)M.lege,in agreſtibus quercus truncis.

Dodrantali altitudine.)M.adde,filici ſimile.

181 Et hic quoq; unicum dryopteris nomen.

In dulci.)M.lege ad dulce uergentes.

182 Magnitudine.)M.ego quoq; lego magnitudine. θαλλίας.

Quo in obſoniis utuntur.)M.ego lego,huius flore εἰς τὰ προσοψήματα.

Offulæ.) M. κοπτάρια.

Deſpumato melli.)M.lege,cocto.

183 Tria tantum nomina habuit herba hæc in meo codice,Linozoſtis,Parthenii & Mercurii.

Duplex eius genus eſt,ſexu diſcernuntur.)M.nec iſta quoq; in meo leguntur.

Geminatis geniculis.)M. διαγόνατα.

Alarum cauis multis.)M.adde,& denſis.

184 Dodrantalem.)M.lege,duorum dodrantum.

Per interualla diſpoſita,& albeſcentia.)M.ego lego, per interualla albeſcentia.

Eſt cauli foliiſq; uis &c.)M.ſic ego uerterim ferè ad uerbum:Caulis & folia olerum modo pota,uim habent ad ciendam aluum. Coctorum uero aqua bilem educit & aquoſa.

185 Sunt qui Scorpiuron.)M.adde,à floris figura:& reliqua nomina mitte.

Candidioraq;.)M.lege,nigriora.

Purpuraſcentem.)M.lego ὑπόπυῤῥον,quaſi ſubfuluam.

Ante acceſsiones.)M.adde,hora una.

186 Sunt & qui hanc Scorpiuron.)M.hoc non lego.

187 Scorpionum ictibus ſubuenit.)M.adde, ἄκρως,id eſt, ſummè & excellenter.

EX LIBRO QVINTO.

*Cap.1.*

Cibum in ſtomacho non cõtinentibus.)M.lege,ſtomachicis,ob cauſam à me non ſemel redditam.

Defectis.)M.intellige antea ablatis, ἀφαιρεθέντα.

Et in uerrucarum genere thymis.) M. Thymos ſedis intellige antea ablatos.

2 Vſq; ad pubertatem.)M.ἄχρι ἀνθήσεως,id eſt,uſquedum floreat.

Minimis acinis.)M.paruis lego,non minimis.

3 Innocentior.)M.lego ad uerbum,minus horum eſt particeps.

Ollares & in uinaceis ſeruatæ.) M. ἐκ τῶν σταφύλων καὶ ἐκ τῶν βικῶν.

Exiguo uino ut uinoſæ fiant.)M.ego legerem,fiunt autem tales paulò pòſt uinoſæ.

Emplaſtri modo.)adde cum ſale.

Adſtringendi maiore ui.)M.ego lego,attenuandi.Serapion conſentit Marcello.

Aut cymini farina.)M.lege,&,non aut.

In uerrucarum genere quas epinyctidas uocant.)M. lege abſolute epinyctidas.Nullæ enim ſunt in uerrucarum genere epinyctides.

4 Legenda cum floret.)M.ſi flos œnanthe eſt,fruſtra dicitur legẽda cum floret.Melius igitur leges hoc modo:

Oenanthe uocatur ſylueſtris uitis fructus,dum floret reponi debet in fictili,&c.

Gingiuas ſanat.)M.adde,cum melle.

5 Vehementiſsime enim urit.)M. ἱκανῶς, id eſt,ſatis.

*ὡραῖοι fructus.*

Non acceſſerim in hac parte Marcello,quòd ſcilicet antiqui medici horæos fructus ſolum uocent cucurbitas,cucumeres,pepones.Nec in eo,quòd diuidi cibum ab oris particula columella dicit,ne ſi uniuerſus deſcẽderit,præfocet:ſcio enim alios quoq; fructus ab antiquis medicis dictos horæos:& uſus columellæ eſſe,ad aërem & ſputum,non ad cibum.

*Columellæ uſus.*

6 Vrinam magis expellit.)M.non lego magis.

Vtroq; uitio caret.)M.lego utrũq; exceſſum effugit.

Corpus auget.)M.lege,carnes.

Vermiculum.)M.κιῤῥός.

Aegerrime reſoluitur.)M. δυσδιάπνευστος,id eſt,difficile tranſpirat,uel difflatur.

Aluum,& in alias partes deſtillationes.)M.ego lego, aluum abſtinet,& alias deſtillationes.

Molle.)ἁπαλός.

Et ab infirmitate corporis.) M. ego lego,& his qui ab imbecillitate affliguntur,eſt utile. *Cap.lib.5.*

Languentes uenarum pulſus excitat.)M. σφυγμῶν ἀνακλητικός. uerterem ego ſimpliciter,pulſus excitat.

Venarum pulſus.) M. & hoc loco pulſus ſimpliciter leguntur.

Concoctionem tamen impedit.) M. lege, concoqui ineptum.

Hadrianum Mamertinumq;.) M. adde in Sicilia genita.

Eapropter fallit bibentem.) MAN. ego lego,neq; latet copioſe potum.

Meatus laxat,laxatiſq; his ſenſuum cæca excrementa purgat.)M.τάς τε αἰσθητὰς ἀνακαθαίρειν ἐκκρίσεις, καὶ ἀδήλως πορoποιεῖν. quæ uerba in alium ſenſum ego hoc pacto cõuerterim:Et ea quæ ad ſenſum patent purgans excrementa,& occulte meatus adaperiens.ut ſit ſenſus,excrementa ab huius uini potu & aperte,& ea etiã quæ ſenſum effugit difflatione uacuari.

Bibitur eodem anno.)M.poſt annum.eadem lectio in uino adynamo,ſcilicet μετ' ἐνιαυτὸν, & eodem modo utrobiq; legit Hermolaus.

Priuatim mulieribus.)M.non lego priuatim. 7

Sextariis duobus mellis.)M.lege,ſextariis ſex. 8

Inſignis error eſt,in Græcis etiam exemplaribus,hoc 9 cap.à nemine interprete animaduerſus:bis enim repetitur,decocta nos uti:primo in his quorũ aluum mollire uoluerimus,aut uomitum ciere:ſecundo in pulſibus puſillis &c. Multa enim ſunt quæ ſubeſſe errorem in altero eorum locorum oſtendunt. Primum, quoniam ſi non eſt alterius quàm decoctæ mulſæ aquæ uſus,fruſtra non ſolum bis,ſed etiã ſemel fuiſſet adiectũ decocta.Deinde,quæ neceſsitas fuit ei qui iam uſum decoctæ dicere incœpiſſet,nullo alio intercedente ſermone, ſed alios eiuſdem uſus narrãti,iterum repetere,nos uti etiam decocta in his qui puſillis ſunt pulſibus? Clarius uero detegitur hic error in Græcis exemplaribus, ſic enim primo loco legimus: χρώμεθα δὲ τῷ ἀφηψημένῳ ἐφ' ὧν &c.ſecundo loco τῷ δὲ ἀφηψημένῳ, hoc eſt ſiquis uerbum uerbo reddat:Vtimur autẽ cocta in his quibus aluum mollire cupimus &c. cocta autem in his qui paruis ſunt pulſibus &c. Quis enim non uideat altero horum locorum errorem eueniſſe? & pro non decocta legi decoctã? Vt uerò primo loco legendũ ſit nõ decocta,facit Galeni autoritas,qui lib.3.de uictu morborum acutorum,mulſam aquam nõ decoctam,aluum magis ſubducere,decoctam magis dicit nutrire.Facilis autẽ fuit lapſus in Græca lingua,à uoce ἀναφηψημένῳ, quæ non decoctum,ad ἀφηψημένῳ, quæ decoctum ſignificat.

*Error inſignis etiã in Græcis exẽplaribus.*

Copioſius.) M. ἀκρατέστερον. meracius uertit Hermolaus.

Hypochondria uocant medici,utrinque à lateribus 10 uentriculi os attingentia loca,dextrum ſub quo iecur, ſiniſtrum ſub quo lien iacet,nominantes.Celſus præcordia uocauit.Nonnulli temporis huius,ex Græca lingua, multa ad Latinam interpretati,ilia uocauerunt,non recte,ut puto,quum teſte eodem Celſo,ilia inferius circa pubem iaceant.

*Hypochondria.*
*Præcordia.*
*Ilia.*

Bilem & pituitam trahit.)M.lego pituitam tantum, 11 non autem bilem.& eodem modo ſcribit Paulus.

Miſcetur apte malagmatis &c.) M. ego aliter lego, in hunc modum:Apte farinæ hordeaceæ miſcetur,emplaſtriſq; ac malagmatis quæ diſcutiendi uim habent.

Facit ad exinanitiones,in quem uſum tepida infunditur.) MAN. Accuſat hoc loco Barbarum Marcellus, quòd clyſteres addiderit,cum poſsit hæc aqua & pota exinanire,& per urinam reddi:nimis certe hic uel dormitans,uel ad Hermolaum taxandum intentus.Si enim bibatur,quomodo infunditur? alioqui de potu eius ab initio capitis dixerat,quòd pituitam educeret: hic uero infundi tepidam ad aluum exinaniendã,calidam ad tormina:quod certe non aliter quàm per clyſterem intelligi poteſt.

*Male Marcellus Hermolaum accuſat.*

In quem uſum feruente ea,fouentur.) M. Marcellus, qui nihil addendum uocibus Dioſcor.dixerat,participium *feruente* ſtatim addit.Quod ſi dixerit,in uoce πυριώμενον, feruorem includi:dicet ſimiliter Hermol.in uerbo Infunditur,clyſterẽ intelligi. Quid autẽ per uerbũ πυρίαν intelligatur à medicis,lib.1.à nobis eſt monſtratum.Hic addemus, non meritò à Marcello reprehendi Hermolaũ,ꝙ ſaccis aquam claudere uoluerit:hac ratione,quòd ſi rariores ſint ſacci,effluet,ſin dẽſior materia,

*Patrocinatur Hermolao.*

calor

Cap.lib.5.

calorem non tranſmittent. Videmus enim ueſicis aquã optime contineri, & nedum per eas, ſed & per ſtannea uaſa calorem liquoris incluſi transfundi. quod cognoſcentes Pannones, uaſculis ad hoc paratis, decocto herbarum plenis, ad leuandos dolores utuntur.

*Ruellius defenditur.*

Ruellium quoque non maiore ratione taxat, quòd ſcilicet ſuffitu dixit, qui abſque fumo quo aqua caret, intelligi non poteſt: poterat enim diſcere uel à Plinio Marcellus, aquam fumo non carere, ſi nũquam fumum aquæ uiderat, qui libr. 31. ſuffiri aquam marinam calidam cum aceto in dolore capitis, docet.

13 Adſtringit & refrigerat acetum.) M. adde ex fide noſtri codicis, & cibi appetentiam facit.

Fluentem ex uulneribus ſanguinem.) M. ἔναιμον. Sic autem Græci uocãt ea quæ cruentis protinus uulneribus imponuntur.

Inſpergitur.) M. hoc non lego.

15 Rabidorúmque canum.) M. lege, canum, ut aliàs ſæpe.

Exulceratis inteſtinorum torminibus.) M. μετὰ νομῆς, cum depaſcentia.

16 In confectione Thymoxhalmæ, non lego rutã neq; polentam.

Operculatum.) M. adde, linteolo.

Non rectè à Marcello definitur arthritis, quæ & Latine ab eodem articulorum dolor dicitur, quòd ſit inflãmatio permanens, male affectis neruis ualidiſsimos afferens dolores: fit enim & abſq; inflãmatione, neq; permanens, hoc eſt diuturna, ſemper eſt, nec in neruis fit ſemper, nec ualidiſsimos affert dolores. Melius igitur feciſſet, ſi definitionem ex his quæ affert in fine Pauli uerbis elicuiſſet, quàm ex libro de Definitionibus, perperã Galeno adſcripto, à quo ſæpenumero magnã errandi occaſionem accepit.

17 Putreſcentes humore gingiuæ.) M. μυδῶντα ὄλα. labantes Hermol.

Reprimit.) M. στέλλον. Hermolaus, adſtringit.

Quæ in ore exeduntur.) M. σηπεδόνας. putreſcentia Hermolaus.

Solideſcit potu eius guttur, callũ faucibus obducit.) M. pro gutture & faucibus, unam tantum uocem lego, βρόγχον. ideo ad uerbum ſic uerterem, fauces firmat, & calloſas facit.

Datur idem utiliter cibum in ſtomacho non continentibus cruditatibus.) M. ego lego, ſtomachicis, & difficile concoquentibus.

Concreſcentibus in ueſica calculis.) M. & hic quoque inutiliter additum, in ueſica.

Vegetum.) M. ὑγιεινὸν, id eſt, ſalubre.

18 Et inueterare.) M. ἄγαν, addendum ergo, ualde.

Neruos non lædit.) MANARD. lege, minime neruos lædit.

19 Vuis mare miſcent.) M. ego lego, ſtatim poſt uuæ uindemiam mare miſcent.

Alij paſsis prius factis uuis mare miſcent.) M. ego lego, paſſas uuas in uaſis mari proſundunt.

20 Demiſſa.) M. lego, laxa facito, id eſt, χάλασον.

Sextariis decem.) M. lego, duodecim.

Spiſſandi uim.) MAN. ἔχει δὲ στυπτικὸς, hoc eſt, adſtringendi habet uim.

23 Non exceſſura tamen ſunt pira maturitatis ſuæ modum.) MAN. aliter loqui uidetur Dioſcorides: & hoc pacto ad uerbum: Non admodum autem matura ſint pira.

Acerbo ſapore ſunt.) στρυφνοί.

25 Simpliciter aut ad tertias.) M. non lego ſimpliciter.

26 Concoctiones à cibo potũ.) M. aliter meus Dioſcorides, & ſic ad uerbum: Vtile non febrientibus ad uentriculi concoctiones doloréſque ſuperbibitum, ad humidas quoque aluos & inteſtinorum difficultates.

27 Nigræ myrti.) MANARD. Tanti eſt apud me fides in hoc interpretandi munere, ut etiam ſi crederem Dioſcoridem nigras myrti baccas intellexiſſe, non recedendum tamen à uerbis eius iudicarem, quæ ſunt, Myrta, hoc eſt, myrti baccas nigras, quæ maturitatem exceſſerint, accipito. Quod tamen putem non de nigra tantum, ſed ſimpliciter de quauis loquutum: faciunt uerba quibus capite ſequenti utitur, ubi de nigra intelligens, aperte eam demonſtrauit, dicens, Nigræ myrti ramulos &c.

Tuſarum modio.) M. χοίνικι.

In ſtomachum & aluum deſtillationes.) M. ῥευματιζομένῳ τε στομάχῳ καὶ κοιλίᾳ, id eſt, uẽtriculo & uentri rheumatiſmum patientibus. Cap.lib.5.

Fœminarum fluxionibus.) M. ῥοῦν ſimpliciter ſcribit Dioſcorides, id eſt, fluxionibus.

Siſtunt in eum deſtillationes.) MANARD. fidelius, 29
tametſi non adeo eleganter, quiſpiam, hæc omnia hoc pacto (ni fallor) conuerterit: Stomachi fluxionem iuuant, inteſtinorum, ueſicę, ſanguinis eruptiones, in uniuerſum autem & rheumatica uniuerſa ulcera fota, ad cicatricem ducunt.

Incorruptum.) M. lege, difficilem mutari. 31

Ex Aegyptia fico.) M. ſycomorum intellige.

Acerrimum.) M. acre.

Paſsim.) M. aduerbium hoc addidit interpres.

Narium deſtillationibus.) M. καταῤῥιζομένοις, id eſt, flu- 32
xione laborantibus naribus.

Nigra.) M. lege, nigreſcentia.

Conficiuntur uina.) M. adde picea. 34

Nuper cæſam.) MAN. adde ſciſſam, σχίζοντας. aſſulatim transfert Hermolaus.

Exudati humoris.) M. hoc non legitur in meo Dioſcoride, ſed ex ductu ſermonis, non humorem apponendum, ſed lignum iudico.

Adſtringunt.) M. adde, parum.

Cutem ſubeuntibus aquis.) M. hoc non inuenio.

Aceti ſextarios ſex.) M. pro aceto, lego muſtum: ſed 36
fortè uerior fuit Marcelli lectio.

In muſti ſextarios uiginti.) M. lege, ſex.

Et ex gelu contractam corporis noxam.) M. fideliter, 38
& uno uerbo poterat reddere, perfrictionibus. καταψύξεις enim tantum ait Dioſcorides.

Cum pyrethro herba.) M. cum pyrethro ſimpliciter dixit Dioſcorides.

MAN. Vbi de uino ex hircina origano concinnata legitur, In linteolo: adde, laxo.

Torminibus, inflationibus.) M. hoc loco non lego, inflationibus.

Aniſi uero tres. M. pro aniſo, lege, anethi. 40

Idem hoc uinum.) MAN. non reperi hæc uerba in meo Dioſcoride.

Lienem minuit.) MANARD. lege, lienis craſsitiem 41
attenuat.

Apij ſeminis.) M. adde, montani.

Soluendis inflationibus accommodatum.) MAN. εὔπνους. halitum oris commẽdans, Hermolaus. Ego, facile ſpirantes, conuerterim.

MAN. In Elleborite ubi legit, In marinæ aquæ duodecim quindecimue congios, ego lego quindecim aut quatuordecim.

Odorati iunci drachmas triginta.) M. lego hic & in calamo uncias.

In Scammonite ubi legit Marcellus drachmas 5. ego lego 15.

Intus candido.) M. lege, albiore. 42

Maculis alabaſtritæ lapidi ſimilibus.) MAN. διαφύσεις ἔχουσα ἐμφερεῖς ὀνυχίτῃ λίθῳ. id eſt, lineas habens onychiti lapidi ſimiles.

Maculas lineis ſimiles.) M. lege, uenas zonis ſimiles.

Fauilla.) M. λιγνύος. ut fortè magis proprie fuliginẽ Hermolaus reddiderit.

Et cameris.) M. τῇ κορυφῇ, hoc eſt, ſummitati.

Coquitur Cadmia.) M. lege, uritur.

Alterum candidiſsimum.) M. λεῖον lego, id eſt, leue. 43
Marcellus λευκὸν legit, debuitque propterea album uel candidum, non candidiſsimum, dicere.

Opplendi.) MAN. προσπλαστικὸν, quæ uox aliud ſignificat, quàm opplere, quod neſcio etiam quare differat ab eo quod eſt explere. quam uim & ſuperius huic pompholygi attribuerat Hermolaus conglutinandi, nos eandem uim cum emplaſtice credimus, de qua ſuprà abunde diximus.

Eſt præter hæc in genere leniter cruſtas obducentium.) M. hæc nec lego, nec legenda aliquo pacto puto: nulla enim res frigida cruſtas facere in cute poteſt.

Lentis carbonibus.) M. lege, tenuibus & leuibus.

Aut lentiſcum.) M. lege, aut herbam ſchœnõ. Puto tamen in Græco quoque βοτάνην non recte additam, id eſt, herbam.

Exiguis granis quibus conſtat &c.) M. lege milij for- 45
ma exiguus, & grauis.

Et adſtringit.) M. hoc non lego in meo codice.

Egregie erodens.) M. δάκνον, mordens ſcilicet: quod

Cap.lib.5. certe minus est,ut primo etiam libro monui.

Trium obolorum.)M.lege,quatuor.

Papularum eruptiones.)M.lege,exanthemata.

46 Vulgari ære.)M.hoc non lego.

Adstringendi reprimendiq;.)M.lego σταλτικὴν solum.

47 Colore fauillę.)M.lege,cineris.

48 Contra intestinorum tormina.)M.adde,cœliacos.

50 Donec nulla supersit nigredo.)M. ἐφίσηται. clarius supernatet dixeris,ut Hermolaus.

Sub manibus paulatim in loco uacuo.)M.lego, ἐπιχέοντες, hoc est infundentes.

Opplere.)M.hic quoq; pro uerbo παρεμπλάττειν, redditur opplere, quum tamen subdat Dioscorides, πληρῶν, quod ipse Marcellus uertit explere,sicq; uideatur idem bis dixisse.

Sine exulceratione.)M. ἐσχαρῶν, id est,absq; eo quod escharas,id est,crustas ignis modo excitet.

51 Validissimo igni.)M.lego, ὄξει,id est,aceto,ut Hermolaus:non ὀξεῖ, id est,ualidissimo.

52 Vitri modo pellucidum.)M. ὑαλίζοντα, id est,uitrum referens,nulla lucis mentione.

53 Sunt etiam qui quod oculos dilatet,platyophthalmon.) M. lego pro his omnibus ferè hæc uerba, Hoc nonnulli Stibi,alii Platyophthalmō:sunt etiam qui Larbason uocent.Vim habet &c.

Est illi uis opplere.)M. ἐμπλαστικὴν hic quoq; uim lego:quam qualis sit,suprà Galeni testimonio ostendi.

54 Quæ ad Coryci Sebastiā foditur.)M.lege, quæ apud Corycum & Sebastiam inuenitur.

55 Helcysma.)M.lege,enclysma,uel encauma.

56 Cocta.)M. χωνευομένης.

Puteolis & Bais.)M.non leguntur hæc in meo Dioscoride.

Spissare,adstringere.)M.lege uel intellige, στυπτικὴν.

Fossitis salis drachmas quinq;.)M.lege,uncias.

Sedis itidem cicatricibus.)M.lege,fœdis.

57 Tum diuidenda.)M.lege,formanda. ἀναπλάττειν.

Per opplendi uim.)M.hic quoq; emplasticam opus est intelligere.

58 Virente.)M. πρασίζοντα.

Vlcera extergit.)M.lege,cicatrices. οὐλῶν.

Leniterq; cum erosione aliqua exest.)M.leges meo iudicio, & uerbis Dioscoridis,& rei ipsi accōmodatius,hoc modo:Leniter exest cum quadam mordacitate.

59 Et cœruleus color aliquis est,qui æqualiter communicato sibi eo colore splēdet.)M.nescio quo pacto uerbis Dioscoridis hæc respondere possint:ea sunt huiuscemodi: τὸ χρῶμα κυάνεον ὁμαλῶς ἄγαν. quæ in hunc sensum quispiam uerterit:Cœruleus color,æqualisq; ualde.

In genere eorum est quæ in medicina alendis tātum palpebrarum pilis usum habent.)M.hic quoq; exclusionis nota addita:sic enim ad uerbum loquitur Dioscorides:Est ex eorum numero quæ palpebrarum augent pilos.

60 Eligenda arena illa est quæ crassissima.)M.ad cœruleum ipsum,non ad arenam refert Hermolaus.& pro crassissima,saturatum uehementer colore nominis sui reddidit.cui & ego in hac parte consenserim.

61 Spumæ modo.)M.Dioscor.ueluti ἐκβρασμα est.Indicarum harundinum pullulum uocat Hermolaus, quod & mihi magis probatur. ἐκβράζω enim uerbum emittere significat.

62 Vndiq; lutea.)M.addit Dioscorides, κατακορῶς. saturatum uertit Hermolaus.

Adstringere.)hoc non lego,hoc est, στυπτικὴν, sed σηπτικήν.

Deiicere.)M. σκεδαστικήν.

Collectiones.)M.lego,phlegmonas,id est,inflammationes.

63 Minio.)M.Amineo scribit Dioscorides.An uero Græcis sit ammion, quod Latinis minium, alibi declarauimus.

Floridum.)M.lege,floridissimum.

Pustulas.)M.exanthemata scribit Dioscorides,quam uocem cōsueuit Marcellus uertere,eruptiones pituitæ.

64 Liniue decocto.)M.lego selini,hoc est,apii.

Quinetiam minutissima auri ramenta.)M.hæc uerba non lego in meo Dioscoride,& propterea supposititia puto.

66 Carthaginensis.)M.Carchedonice.

67 Quinetiam.)M.hic desunt uerba sequentia,Antidotis quoque miscetur.

Cap.lib.5.

Quidam etiam mutata tātum.)M.aliter lego totam hanc partem:Quidā stalacticon,pecton,hephton,aracton,lonchoton. 68

Quod ab Hispanis etiā lonchoton.)M.lege,ab aliis lonchoton dictum.

Repurgare.)M.hoc non lego in meo codice. 69

Exulcerare.)M.lego escharas,id est,crustas excitare.

Sanguineo colore.)M.milti,hoc est,rubricæ,nō sanguinis lego. 70

In suo genere.)M.hæc adiecit interpres. 71

Leuorem habet.)M.adde,pura est. 72

Grauans enim sory,olfactu uirus mittit,eóq; nauseā cit.) M. multa de suo addidit Marcellus. βρωμωδέστερον tantum,hoc est,uirosius,& nauseam facere dicit Dioscorides. 73

Pinguéq; est.)M.lege,subpingue.

Potuq; aut olfactu.)M.lege,dum deglutitur.

Quod autem fractum non minus quàm Misy splendet.)M.aliter lego,hoc uidelicet modo:Quod autē non splendet dum frangitur consimiliter Misy.Marcelli tamen lectionem puto meliorem.

Coctis quæ cocta nō sunt.)M.lege uel intellige,ustis quæ usta non sunt.

Quæcunq; cruda humore aliquo resolui possunt.) M.multa & hic sensum mutantia. Verba Dioscor.sunt: ὅσα ὠμὰ ὄντα λύεται. id est,quæcunq; cruda dum sunt,dissoluuntur.

In fornacibus quę aureæ dicuntur.)M.lege,quæ areę. 74

In fornaces foueas dictas.(M.lege,in foueas, tacitis fornacibus.

Expers alterius naturæ auripigmentum est.)M.Coniungenda hæc pars præcedentibus est,ut scilicet & hęc sit nota boni auripigmenti,alteram rem non habere secum commixtam.Lege igitur,Et expers alterius naturæ existit. 75

Glandium modo concretum,pallidum,Sandarachæ colore glebosum.)M.ego lego, βωλώδης, hoc est,glebosum,atq; colore Sandarachæ,nulla palloris aut glandis mentione.

Habet exedendi uim.) σηπτικὴν. de ui septica alibi diximus.

Ad satietatem flammeo colore rufescit.) M. κατακορῶς πυῤῥάν, hoc est,ad satietatem rufo. 76

Fragilem.)M.adde,conteri facilem.

Sulphuris uirus.)M.lege,sulphuream spiratione habentem.

Quod ualidissime adstringit.)M.adde, βαρύοσμον, hoc est,graue olens. 77

Bullosumq; est.)Id est, πομφολυγώδης.quod fortè quis pompholygi,id est,tuthiæ uocatæ similis,conuerterit.

Natione præfertur aliis.)M A N.fidelius quispiam & hoc alio modo uerterit dicens,Et genere ex Melo uel Aegypto.

Quódq; sine asperitate &c.)M.Ego inuenio,æquale,& omni ex parte succosum.

Cum quodam igniculo caloris.) M. lego, καὶ τυρῶδες ἀποπνέουσαν. hoc est,quòd caseum spirat,id est,redolet.

Brassicæ succo.)M.lege,foliis.

Ex aqua illita.)M. καταιονώμεναι, hoc est,perfusæ.

Inunguntur.)M.adde,œdemata,id est,laxi & indolorosi tumores.

Ad narium mucum,& in subiectas partes destillationes.)M.lege,ad coryzam & catarrhum.grauedinē & destillationem uocat Celsus. 78

Podagræ eo ex aqua.)M.adde,cum nitro.

Veternosis.)M.lege,lethargicis.

Leuissimus.)M.ualde leuis.

Fistulosus.)M. πολύκενον lego,multiforus. 79

Nec in attritu arenosus.)M. ἄλιθον, id est,illapidosus.

Candidissimus.)M.lege,albus.

Tateon.)M.lego,Tapeon,aut Tritęon,aut Gantęon. 80

Subeuntium cutem aquarū tumores.)M.uerba Dioscor.sunt:Et ad hydropicorum œdemata.Quorū alius sensus est,ut norunt medici,quàm qui à Marcello exprimitur.

Calentes iidem &c.) M. πυρία, id est, fomentum per ipsos ait Dioscor.

Cū polenta.)M.adde uel intellige,usti. λελευκωμένοι enim ait Dioscorides.

Crabrones.)M A N.ego quoq; lego τενθρηδόνας,ut Hermolaus.

Et ca

Cap.lib.5. Et capitis ulcera quæ psydracia,& quæ thymos appellant.) M.tutius & fidelius legeris hoc pacto:& ad capitis psydracia,thymósq; & phymata. Non enim sunt capitis ulcera thymi,sicuti neq; psydracia sunt ulcera.

Tubercula quos dothienas uocant,& testiũ tumores discutiunt.) M. sic lego ad uerbum:Cum uua passa, aut suillo adipe,aut melle,dothienas discutiunt. Et testium œdemata cum origano & fermento citius maturant.

Sugillata.)M.adde faciei.

Podagris.)M.adde,similiter.

82 Contra exulcerata intestinorum tormina.) M.adde, depascentia.

83 Defertur Nilo.)M.καταῤῥεῖ,defluit.

Innatat & paludibus.)M.Innatat uero paludibus.

Maiore in gustu &c.) M.lege,& maiore. Videbuntur hæc leuiuscula,sed si quis diligenter aduerterit, uidebit non sine causa notata.

Defluente colore.) M.hoc non lego, sed ἐκ μέρους, id est, ut mihi uidetur,per partes aqua etiam diluitur.

Ex his quæ exterendo sunt.) M. σμήγμασι. Sunt autem σμήγματα,quæcunq; purgant & emaculant faciem. σμήγματα.

84 Fistulosum.)M.lego,perforatum,quod mihi aliud est quàm fistulosum.

Ex alto in summũ euocandi.) M. κατασυγκριτικήν. Quæ uero hæc sint,Galenus docet lib.4.Methodi curatiuæ.

Quale quod ex bunis.) M. Si eisdem locis nitrum & nitri spuma nascitur,ut Marcellus ipse testatur,quũ nulla sit inter tot natales spumæ bunorum mentio,melius erat hoc loco colles intellexisse.

85 Spumosa.)M.lego,aut spumosa.

Amplius tamen id nitrum nitriq; spuma possunt).M. Non lego hoc loco,nitriq; spuma.

Aut cum decocto.) M. inuenio in meo codice, aut cum hepsemate,id est,sapa.

Aut anisi.)M.hoc non lego.

Exterendo & extenuando.)M.lege,ad lepras.

Cum resina excepta sanant.) M. non lego sanant,sed aperiunt.

86 Validissime adurere.) M. lego ualde. Adde, septicen uim,de qua sæpe.

Panos.)M.adde,& tubercula.

Lauatur cremata fex.) M.Adiecit hæc Marcellus.quare enim dixerit hic lauari,quũ docuerit superius ablui, ut pompholyga?lege igitur,Lota uero miscetur.

Albugines.)M.lego,ἀχλῦς,id est,obtusam aciem.

87 Candorem.)M.lege,summam albedinem.

Vulgari albo lapide.) M. χυδαίας μαρμάρου,id est, uilis & communis marmoris.

88 Glutinat.)M.Emplasticen uim habere dicit Diosc.quã opplendi alibi uocat Marcellus, & nos aliam esse non semel ostendimus.

89 M.πτώματα lego,& casus intelligo in eo spatio quod uacuum Marcel.reliquit.

90 Sine pondere.)M.lege,leue.

Fistulosum.) lego, πολύχνουν, id est, multis uacuitatibus,uel foraminulentum.

Bembico.)M.lege,Besbico.

Ad exterendum & inducẽdum leuorem.)M.ad smegmata dixit Diosc.cui uoci tot reddit Marcellus.

91 In Cappadocia.)M.lege,in Galatia.

Et cremijs.)M.lege,χορταρίοις.

Inani.)M.πολυκένῳ,id est,multiforo,fistulosum proximo capite Marcellus intellexit.

92 Recentes.)M.lege,nouæ,alio sensu:possunt enim aliquæ spongiæ nouæ esse,quæ longo tamen antea tempore euulsæ sint.

Omnes tamen præclusa ulcera callósq; aperiunt.)M. totam hanc partem fidelius quispiam hoc pacto conuerterit:Pręclusa ulcera & callos dirimũt,siccę lino colligatæ, linamentíq; modo impositæ.Rheumatica uero ueluti depascentia,& antiqua ulcera exsiccant, si nouę, siccæ & uacuæ apponantur,sanguinisq; cõpescunt eruptiones.Ex aceto autem crematę ad siccas lippitudines faciunt.

Crematarum cinis.) M.hoc addidit Marcellus Dioscoridi.ustas simpliciter dixit.non quicquid tamen uritur, usq; adeò uritur ut cinis fiat.Refert Galenus chirurgum quendam ea utentem ita calida post ustionẽ,ut & crustam,ignis modo excitaret, & pro operimento esset, quod non bene potest de cinere intelligi.

93 Veluti candens ferrum.)M A N A R.nulla in Dioscoride ferri mentio. Cap.lib.5.

Sandarachæq;.)M.lege,antherico.

Aut Sandyci.)M.adde,saturæ.

Et ad cicatricem perducit.) M.lege,& cicatrices,scilicet implet.

Inæquali coloris concretione.)M.ὀκνῶτον τῇ συγκρίσει 94
τοῦ σώματος.Hermol.nec corporis portione ponderosus. Ego,non robusta corporis concretione.

Candidas siquidem.) M.nõ lego siquidem,sed δὲ,hoc est,autem:diuerso,ut clarum est,sensu.

Rufescat.)M.adde,magis.

Crustas inducit.)M.πως,id est,aliquantisper.

Et ambustis cum cera medetur.) M A N. cum urendi uim habeat,mirum est quòd,ut Achillis lãcea,ambustis medeatur. Lego in meo Dioscoride, καταπλασμάτων. Nullo sensu Marcellus legisse uidetur καταλειμμάτων. Galenus uehementer exsiccare, adstringeréq; aliquatenus, & mordere.

Purgat cum melle malefica.) M.lego,θηριώδη, fera uer- 95
tit Hermolaus.

Rubens.)M.κατακορῶς,colore nominis sui egregie infe- 97
ctus,uertit Hermolaus,hoc est,sanguinis.

Pondus amiserit.)M.lege,mediocriter leuis.

M.πρόπτωσις definitur à Paulo Aegineta casus uueæ tunicæ,fracta aut exesa cornea. Procidentiam autem totius oculi,uocat ἐκπιεσμόν.

Nascitur in Lycia.)M.lege,in Cilicia. non damno ta- 99
men Marcelli lectionem.

De Morochtho. In teneris corporis partibus.)M.ego 100
lego,tenera ulcera.

Ibidem in Thyite. Qui,quòd eo medicinalia mortaria fiũt,nomen inuenit.) Hęc addidit Marcellus. Alioqui mollior uidetur,quàm ut idoneus mortarijs sit.

Erodit ualidissime.)M.lego ἀναδάκνων σφόδρα,id est,uehementer mordicans.

Præcipua.) M A N A R D. hoc adiectiuum adiecit interpres.

In Iaspide. Alius glaciem repræsentat saliuæ similis.) M.lege,alius crystallinus,pituitæ similis.

Calai gemmæ similis.)M.adde,colore.

M A N. Inter Iaspidis uires detegere eum furta scribit meus Dioscorides,sicuti & Hermolai exemplaria:quod ut superstitiosum reliquit(puto)Marcellus.

In Ophite. Graui enim odore.) M.grauẽ dicit meus Dioscor.non habita odoris mentione, ut de pondere opus sit intelligere.

In Ostracite. In leuiganda cute.) M. pilis uidelicet amouendis.

Drachmarum duarum pondere.) M A N A R D. lege, unius.

Quinetiã si quis quatuor diebus &c.)hic lego,duarum drachmarum pondere.

In Smyride. Exterẽdo & exedendo.)M.septas & causticas lego.

In Geode. Quem quoniam terram intra se amplexus est,Græci.) M.hæc omnia sunt interpretis,non Dioscoridis uerba.

Præcipuam & supremam.) M A N A R D. ἀνωτά- 101
τω. intelligo communissimam atque (ut ita dixerim) generalissimam, & omni terræ communiter conuenientem.

In Eretriæ uiribus,lego etiam molliendi.

In Pignite. Crassiores habet glebas.) M A N A R D. lege crassas.

Marinarum testarum cinis.)M.lege,ostraca ex fornacibus ualde assa.

In Melia. Viridibus emplastris.) M. lego δυνάμεσι, id est,potestatibus.

In Ampelite. Reprobanda è diuerso cinerulenta.)M. adde, alba.

Melan.)M.lege melan quo scribimus. 103

Gummi pondo.)M.lege,uncia una.

Et atramenti sutorij tantundem.)M. ego lego, Taurini glutinis unciam unam semis, chalcanthi unciam unam semis.

EX LIBRO SEXTO.

Aut oblata occasione &c.)M.Aliter meo iudicio fidelius & plenius quispiam hoc pacto uerterit:Aut ea materia quæ iuuamẽti gratia infirmis præcipue offerri uidetur,ut absinthio &c.Et est sensus,malũ ueneni odorem auferri non solum aromatibus, sed his etiam medicamentis quæ odorata cũ sint,iuuamenti gratia dari Ex præfatione.

Cap.lib.6. consueuerunt,hócque præcipue falli eos, qui cum imbecillitate aliqua molestentur,eius pellendæ causa hæc medicamenta accipiunt. Vides enim quæcunque hic enumerantur, esse uehementer odorata, ut præter dictum uerborum ex ipsis rebus possis intelligere, ad id quod prius de malo uenenorum odore dictum fuerat, hæc referri.

Asperiore uino.) MAN. σκληροῖς, id est, duris uel potentibus.

Aut aliis quæ passim in cibo dantur uenena illa compinsentes.) M.ego lego,aut pharmacis,aut aliis quæ offeruntur,compinsentes.

Difficilime corripiuntur à stomacho postea cæteræ qualitates.) M.ego lego, ἀπεπτότατοι, & intelligo, difficilime concoqui cæteras qualitates. Si uero Paulũ Aeginetam sequuti legamus, ἀκατάληπτοι, intelligemus non apprehendi cæteras qualitates.

Et honeste.) M. καλῶς.magis mihi quadrat aduerbiũ, bene,uel recte:ut sit sensus,bene se habere,ut imbecillibus ea caueamus,quæ uenefici, quasi auxilij gratia bibenda offerunt.

Aut Nepetæ foliorum.) M. lego hic, aut milti, quæ Lemnium sigillum,idem pondus cum uino.

Grauitate halitus.)M.βρώμας,id est, uiru & ueluti saniẽ. halitus autem nullo pacto potest huic loco conuenire.

Vertigines.)M.lege,obtenebrationes,σκοτῶδαι.

Elanguescere.)M.παρίεσθαι,id est,ut mihi uidetur, resolutionem pati.

Et toto corpore erodi.) MAN. ὀδαξᾶσθαι, pruritum pati, libentius uerterim. Quî enim potest à re tam uehementis frigoris uniuersum erodi corpus?

Eóque magis quòd aliis quę uenenis superueniunt.) MAN.Aliter,& (ni fallor) fidelius quispiam sic transtulerit:Et præcipue quoniam aliis quoque superuenientibus affectionibus hæc sunt communia.

Oportet sane).M.lege,Licet aliquo modo cognoscere,si ad ea quis respexerit,quæ sumus edocturi.

Rubeta rana.)M.adde, leuis.

Lacti mixtum coagulum.)M.lege, coagulatum lac.

Auri pigmentum,sandaracha.)MANARD.lego,sandarachæ duæ.

Pota à balneo, cursu, laboriosisque exercitiis &c.) MAN. ego lego, uinum copiosum simul à balneo potum,aut dulce,aut frigidum. Legendum tamen puto in fine,passum,aut frigida scilicet aqua.

Cap.1. Asperrime omnium.)M.hoc adiecit interpres. difficilimas tantum dixit Dioscorides.

Ciborum ueluti ex repletione fastidiis.)MAN.omnibus his uerbis unicum Dioscoridis uerbum ἄσαις reddidit Marcellus.

Erodendáque.)M.ἀνίψαι.lege igitur,& eluenda.

Fouere.) MAN. καταπλάσσοντας. uerte, cataplasmata facere.

Fomenta.) MANARD. hic quoque lege, cataplasmata.

Vitalioribus partibus inhærens.) MANARD. lege, principibus.

Post aliquod tempus.) M.χρονισθέντων.amoue ergo,aliquod.Paulus,postremo.

Dolores earum inflammationũ.)M.lege difficilimas inflammationes.

Vtile interim est præter hæc.)M.lege,in hoc tempore utile est.Paulus hic addit,postea.

Carnes hœdorum.) MAN.adde, agnorum. Paulus, ouium.

In passi drachma.)M.manifestarius hic error. Quomodo enim octo terrestriũ rerum drachmæ, unica liquoris drachma dissolui poterunt?

3 Graue olenti nitro.)M.lego,βρωμώδει.

4 Linguæ inflammatio.) M.adde,& mentis impedimẽtum.sic legit Auicenna. Paulus, ut Marcellus: aliqui utrunque.

5 Aut urtica ureretur.) M.ἐρεθιζομένοις,id est,irritatis.

Erodentur interanea.)M.lege,mordentur.

Inualescat malum.)M.lege,uenenum.

Intestinorum inundationes.) MAN. hæc adiecit interpres.

6 Vniuersa & sine interspiratione.) M. lego ἀθρόα pro tot uerbis.

Passum.)M.lege,dulce uinum.

Carabi astacíq;.)M.Mirum est Marcellũ,alioqui Græcas uoces fugientem,duas hasce dimisisse, locustas & gammaros intellige. Cap. lib.6.

Cum frequentiore pedituum ratione.)M.lego πνεύματα,id est,spiritus.alioqui ex præcordijs uel pectore peditus non redduntur,sed ex aluo. 7

Addito castorij &c.)M.Addidit Marcellus participiũ, addito,quod delendum est,& pro eo scribendum,Aut aliud enim remedium est.

Confert & cum uino lixiuia.) M. in meo codice lego claris & apertis uerbis,lixiuia cum uino & gallinaceo decocta,aut bubularum carnium pinguium ius cũ aceto sumptum.

Ea in Heraclia ponti &c.)M.usq; in finem non leguntur hæc in meo codice.

Ad Heracliam ponti.) M. adduntur alia multa uerba in meo libro,scilicet,In qua & Aconitum gignitur:Atticè Ionia uocatur,in Eubœa Sideritis.An uero hæc fini præcedentis capitis iungenda essent,meũ non est hoc loco cẽsere:satis me fecisse putaui,si ea referrem quæ in meo exemplari secus quàm Marcel.legebã.Sed nec tacebo mirari me dicere Marcellum,Diosc.hoc loco testari mel illud fieri ex Aconito,quod ego nec in Græco lego codice,nec in ipsa Marc.ipsius interpretatione. 8

Cum absinthio meracum uinum.)MAN.lege,oleum cum absinthio potum:melior tamen uidetur Marcelli lectio. 9

Nec minus itidem.)M.hoc etiam de oleo legitur in meo codice.

Ouorum putamina.)M.Cum nulla sit hic putaminũ mentio,sed tantum ouorum,eáq; uoce utatur Dioscorides,qua medici in ouis ipsis semper utuntur,scilicet ῥοφήματα,Auicennáq; & reliqua Arabum turba de ouis intelligant,consentiente & rerum ipsarum natura,quæ oua quidem ad hanc rem idonea ostendit, putamina minime:sic uerbum ex uerbo legẽdum duco:Ouáque uacuata in ipso & tepefacta ac cum muria sorpta.Si tamen Paulum, qui non χλιανθέντα,id est, tepefacta,sed ἀνιέντα legit,sequamur, pro tepefactis, detrita scribemus.

In arterijs.)M.lego singulari numero,in arteria:& asperam intelligo. 11

Cum pipere.)M.additur in meo codice,& uino.

Aut amomi liquorem.)M.hoc non inuenio.

Passum per se potũ.)M.lego dulce uinum,& sic etiã legit Paulus.

Miserabili dicterio.) M. οὐκ εὐφήμως, id est, non bonæ famæ. 14

Vt potum uinum somno concoquant.)M.legitur in impresso hoc ultimo codice,sicuti & apud Paulum,in hunc modum:Ita cogendi sunt quiescere,quemadmodum qui uinum biberunt.Nec erat ut laboraret Marcellus quærendo,an soporifera uis falsò quarto libro esset huic herbæ adscripta,an hic omissa:ostendente experientia,eos qui præ nimio uini potu desipiunt, ferè soporari. 15

Languor.)M. lego ἔκλυσις,id est,exolutio. Marcorem uertit Hermolaus. 16

Vomitiones, & à uomitionibus &c.) M. ego lego, uomitus & mulsa aqua,& post hoc,& nitrum & absinthium.

Inspergendum.)M. ἐμβροχῇ.

Nitrum,itidem cũ aqua aut lixiuio passóue &c.)M. ego lego aliter:Nitrúmq; cum aqua,& origanum cum lixiuio,agrestísq; rutæ semen. 17

Nardo similem.) M. In meo quoq; codice additur, agresti. 19

Cilissa nardo.)M.& hic lego,Gallica.

Quam quidam.)M.lego in illo loco uacuo,serinim.

Et croci florem.)M.ego lego,Irim cum croco,florem tamen scio esse rosæ partem.

Nota etiam hoc tempore res toxicum est sub Napelli nomine. 20

Passum cum rosaceo.)M.lego,dulce uinum,& simili modo legit Paulus.

Attoniti.)M.Si attoniti sunt Latinis,qui apoplectici Græcis, ut tu superius testimonio Celsi comprobasti, uel citissimè moriuntur,uel in resolutionem transeunt attoniti.quare nullo pacto intelligi potest,eos qui toxicum hauserint,si surrexerint,reliquo tempore uitam attonitos agere.Ego igitur lego, ἐπτοημένους,id est,tabefacti.Auicenna hectici,aut phthisici Attoniti. Apoplectici.

Aut lacte.)M.hoc non legitur in meo codice,sed ex Paulo acceptum est.Sicuti & quod sequitur:Aut resina tere- 21

Cap.lib.6. terebinthina.in Diosc.enim abretina legitur.

Aut Thapsiæ cum mulsa aqua.) M.aliter legitur finis huius capitis in meo codice,in hunc ferè modũ:Aut succi absinthij drachmæ duæ cũ mulsa aqua,& aceto multo potæ.Paulus scripsit ut Marcellus.

*Error periculosißimus.*

Oleastelli herbæ aut Thapsiæ drachmæ duæ.)M.manifestissimus hic error & periculosissimus. Siquidem oleastelli,id est chamæleæ à Græcis uocatæ unica drachma interimit,Serap.teste. Thapsiæ tres obolos tantum præbet Diosc.Fortè pro drachmis uel uncijs,quod & aliqua habent exemplaria,oboli sunt legendi.

22 Persicorum ossa cum hordei decocto.)M.simpliciter lego,Persicorum ossa.Paulus ut Marcellus.

A singulorum tamen potu euocandus uomitus est.) M.hoc non lego.

23 Succurrendum his quàm primum communiter est, oleóq; ad uomitum.) M.sic fidelius uerterit quispiam: His statim auxilium commune adhibendum per uomitum,cogendo eos uomere.

Prodest cum uino potum etiam absinthium, & mel in cibo,& cum aqua potum.)MAN.ego lego, Aut absinthium cum uino & melle commixtũ, & cum aqua potum.

24 Cum lixiuia aut aceto.)M.adde,aut passo.

Passum & maluæ decoctũ.)M.hic non lego passum. Paulum tamen sequutus est Marcellus.

25 Cum grauissima conuulsione.) MANAR. lege, cum forti strangulatione. Conuulsionem ipse quoque Paulus legit.

Densante se magis in stomacho &c.)M.fidelius(ni fallor)uertit Hermol.hic enim ferè est uerborum Dioscoridis sensus:Grumis,quoniam in sublimia trahuntur,magis in stomacho addensatis.

Ficorum caprificorúmue grossi.)ὀλύνϑοι.

Conyzæ folia.)M.lege,semina.

26 MAN. Titulus capitis huius est,περὶ γάλακτ☉ ἐμπυτιαϑέντ☉,hoc est,coagulato.

Admixto coagulo lac.)M.ἐμπυτιαϑὲν.

Thymus cum uino.)M.lege,cum aceto.

27 Agrestis orminij.)M.lege terebinthi.

Myrrhæ itidem drachmas octo, absinthium, hyssopum, apij semen.) MAN. nullum horum lego in meo codice.

28 Potũ, tum uomitionibus redditũ copiosum lac.)M. non hæc fuisse Dioscoridis sententia uidetur, sed quòd prius,quàm lac bibãt,euomuerint.Verba eius sunt,ἐμέσωσαν δὲ πρὶν ἤτοι.

29 MAN.Etiam in meo codice legitur ἐνωϑεὶς,uoluisséq; Dioscor.mihi uidetur ea danda esse,quæ cum eo quòd temperant mitigare quoq;,& lubricam aluum reddere possunt:dolores enim cum morsu mitigari debẽt,& quod aluum molestat,deijci.

Multæ lubricitatis succus est.)MAN. ὑπάρχων,hoc est, existens.

Aut frumentacei tragi.) M.ego lego, & tragi uocatæ herbæ semen.Nec interpretis esse puto,pro sua cõiectura,uerba autoris mutare uel inuertere.

30 Corruptis piscibus &c.) M. ego lego,uirosis piscibus similis gustus:nec ex Nicandro interpretandum Dioscoridem puto.

Pisces alios.) M. adiecit alios, interpres. Dioscorides simpliciter dixit,pisces.

Aliquando cruentus.)M.lege,sanguini mixtus.

Quam rapum terræ dicunt.) M. interpretis hæc sunt uerba,non Dioscoridis.

Aut ueratri.)M.uel lege uel intellige,radix.

Scammoniæue herbæ liquor.)M.lege scammonij liquor cum mulsa aqua.

Cum mulsa aqua drachma.)M.lege,cum uino, nulla ponderis mentione.

Concoquúntq; eos præsenti remedio.)M.hæc non lego in meo libro.

31 Haustæ rubeta uel muta palustris rana.) M.ego lego φρύν☉,id est,rubeta,palustris rana.

32 Aut nix cum posca pota.)MANAR.non lego hoc remedium.

33 Et recentes pappi,qui flores sunt spinæ, quæ in carduorũ genere κάκτος uocatur.) M.Pro his omnibus duo tantum uerba lego,scilicet καρποὶ πάγιτοί. Sequitur caput aliud,cuius titulus περὶ ἄξυς.Ego tamen locum esse bene à Marcello castigatum puto,nósq; tum hoc nomine,tũ ob alia multa,eius manibus plurimum debere.

EX LIBRO SEPTIMO. Cap.lib.7.

MAN. Principiũ est hic in meo codice libri septimi, 35
nec alioqui uideo quo pacto inscriptio hęc posita huic capiti posit cõgruere,in quo nihil agitur de rabido cane,sed sequentibus capitibus.

Venenúmq; ictu aut morsu relinquentibus.) MAN. Omnia hæc uerba, uni tantum Græco respondent, ἰοβόλων.

Vt curationis remediorúmq; totus in medicina modus.)M.duo & hic tantum uerba leguntur, περιοδευτικοῦ τόπου.laudo tamen Marcelli castigationem.

A communi serpentum appellatione.) M.uerba hæc interpretis sunt,non Diosc.

Quod pharmacis repugnat & aduersatur.)M.& hæc addidit interpres.

Habitus.)καταστάσεις.

Neque enim omnino id uerum.)M.ἐν τῷ καϑόπαξ.

Sed difficilimum semper habet.) M.sic leges clarius. Sed semper id quod protrahitur,& nullum usum in aliquod opus præbet,difficile ad coniectandum est.

Et si causarũ ratiocinatione priuatim, & in proprijs omnino non careat.) M.& hoc aliter lego,ad hunc modum,Si perfecte etiam causarum propria ratiocinatione priuatum est.

Nec remedij occasiones præbet.)M.lege,& quod ad curandum occasiones præbet.

Quin ex eo magis.)MAN. lege,sed magis ab eo quis orsus.

Incerta.)M.lege,de apprehensione eorum quę immanifesta sunt.

Sensu enim ob exiguitatem suam &c.) M.lege, differunt enim sensibus à proprijs ob exiguitatem.

Quod autem &c.) MAN. ego sic lego: Quod uero & exacte deprehensum est,eo quòd uim quandam habent corrumpendi, quæ mixta corporibus causa est malorum quæ accidunt, concessum est hoc & creditum.

Quod ea faceret &c.) MANAR. lege opus hoc facientem ostendere, communem causam, ne quid nos læderet in omnibus si particulares proprietates nõ apprehenderimus.

Et ante.) M. in spatio uacuo scribe obseruationes.

Sed rationales quos methodicos.) MAN. lege, sed methodici. alia enim fuit rationalium,alia methodicorum secta.

Adeò inepte uocibus & nominibus immorantur.) M.lege,adeò absq; mente nomini hærent.

Ab eis siquidem manifeste φϑοροποιὸς.) M.lego, φϑοροποιὲς enim & ab ipsis.

Docéntque in causis præcedentes esse.) MAN. προκατάρξαντας,id est,præ incipientes.Initiales Hermolaus uocat,quæ aliæ sunt à præcedentibus,quas προηγουμένας dicunt, quam differentiam non intellexit Marcellus, & propterea utrasque in unum in suo commentario confudit.

Súntque illis præcipue hæ causarum differentiæ.)M. ego lego,& hæc quidem probatissimæ causarum differentiæ.

Quod affectionem facit.) M.lege, Quod passio ipsa permanet.

Quoniam aliunde adest quod nocet.) M. plurimum enim hoc adest.

Nec corruptionem facere &c.)M.Nec facere uerbum in hac dictione,corruptionem faciens,cõtentum,simile nominibus alijs assumptis est.

Maxime præualentem.) M. lege,maxime proprium.

Idq; in letalibus uenenis.) M.lege,& in letalibus uenenis,& his quæ corporibus infunduntur.

A caluæ fractura.)M.lego fractura absolute, sine caluæ mentione.

Efficaciter nocentem.) M.lege,manifestissimam.

Maximúsq; ueluti scopulus.)M.lege,& præcedẽs scopus hic faciendus.

Quæ uitalis non sit.)M.lege,quæ princeps non sit.

Et uitalia.)M.lege,uiscera.

Aut è diuerso acerrimis cibis.)M.ego lego, aut ex cibarijs acribus contrarijs.

Alia profundius aut leuius exulcerant.) M. ego lego, putredinem gignunt.

Quàm maxime aduersantibus.) M.lege,repugnantibus,uel,prælíantibus.

De arte sermonẽ.)M.ego, ex artis mediocri ratione.

In

Cap. lib. 8.

36 In inſcriptione, ubi Marcellus dicit, Eiúſq; in homine morſus: ego non ſic lego, ſed, & eorum quos ille momorderit.

Exiguum è uulnere dolorem.) M. ego lego, niſi pro uulneris ratione dolorem.

Sudore, ſuiq; & domeſticorum ignorantia.) M. ego lego, & præcipue poſt ſudorem. καὶ ἀπυρίας.

Præterquàm ex hiſtoria.) M. additur ex hiſtoria ſuperuixiſſe neminem accepimus.

37 MAN. Galenus addit thus, cancris & gentianæ, ad hunc modum, Thuris partē 1. gentianæ partes 5. cancrorum partes 10. et dat ſingulis diebus ſingula cochlearia.

38 Curanda in primis cruſta illa eſt ne decidat.) M. ego lego totum contrarium, præcipue curandum ut cruſta cadat, ne ſub ea ulcus coaleſcat.

Cum cætera deſint.) M. non ſic lego, ſed, opportune tum eis utendum. εὐκαίρως.

39 Meraci ſcilicet dulcioris uini.) M. lego, ζωροτέρου, id eſt, purioris. Hermolaus, uetuſti.

Videntúrque hæc paſsim.) M. ego lego, hæc mihi uiſa ſunt.

Dropaciſque & ſinapis.) M. lege, dropaciſmus & ſinapiſmus.

Quæ ueratro purgatio eſt.) M. lege, elleboriſmus, id eſt, prouocatio uomitus per elleborum.

Ex diligentia curationem.) M. lege, per eum quem prius diximus epilogiſmum.

EX LIBRO OCTAVO.

40 MAN. Principium eſt hic octaui libri in meo codice.

Mediocriter.) M. non lego hoc aduerbium hoc loco.

Ex aduerſo autē.) M. ego lego, mediocriter humeſcit.

Rigores.) M. lege, tentiones. ἐντάσεις.

Adſtrictiones.) M. σύλληψις. contractiones uertit Hermolaus.

Et multa ex aduerſo in pellendo difficultas.) MAN. ego lego, Et multa in ſuperfluitatis excretione difficultas.

M. Taxat hoc loco Marcellus Hermolaum ex Paulo Diſcoridē corrigentem, quod tamen & ipſe non ſemel fecit, & hocmet capite facit.

41 Et exulceratur locus.) M. lege, & putreſcit.

Et incurabili.) M. lego, δυσφόρου, id eſt, quæ difficulter fertur. Marcellus hic quoque ſequutus eſt Paulum.

42 Horrores.) M. lege, horridus ſenſus.

43 Labor.) M. πόνος. laſsitudinem ego dixerim.

Vigilia, lāguor). M. pro his duobus lego, ἀτονία, id eſt, imbecillitas uel languor.

Poſt hæc.) M. lege, poſt hoc.

Aquoſus humor.) M. lego, ichor, id eſt, ſanies.

44 Puſtula.) M. φλυκτίς. libentius ueſicam legerim.

Aquoſo humore.) M. lege, aquoſa ſanie.

Diſruptáque puſtula.) M. & hic legerem ueſica.

His quæ ſerpunt ſimilis.) M. Ego lego, ſimilis ei quæ fit ab his quæ ſerpunt.

Inteſtinorum dolores.) M. στρόφος. tormina hic conſueuit interpretari.

45 Aquoſus humor.) M. ichor.

Et oleoſus.) M. hoc non lego, ſed tantum ſubpinguis.

Puſtulæ.) M. lege, ueſicæ.

M. Lapſus eſt hic pudendo errore Marcellus, non agnoſcens differētiam inter echin & echidnam, marem ſcilicet & fœminam uiperam.

47 Inſurgentes puſtulæ.) M. lege & hic, ueſicæ.

Aquoſus humor.) M. ego lego, aquoſæ ſaniei effuſio.

Eroſiones.) M. lege, morſus.

48 Sanguinis eruptio.) M. ego lego, & multa ex morſu excretio.

Et ſi cicatrix inducta fuerit &c.) M. ego lego, Et ſi cicatrix in alia corporis parte fuerit, ſanguinem & ipſa præbet.

Et pro urina &c.) M. ego lego hic ut Hermolaus. Et qui effluit ſanguis concretus eſt. & in hunc ſenſum ſcripſit etiam Paulus.

49 Intolerabilis ardor.) M. ego lego, ἄστεγνος ὄγκος, id eſt, non conſtrictus tumor. & ſic Hermolaus quoq; legiſſe uidetur, uertens, ſolutus tumor. Paulus inter ſigna ſcribit καῦσος ἄστεκτος, & hunc ſequutus eſt Marcellus.

Ab urendo & ab ardendo.) M. uerba ſunt interpretis, non Dioſcor.

51 Accedit exulceratio.) M. lego σηπεδὼν, id eſt, putrilago, uel putrida exulceratio. eroſionem uertit Hermolaus.

Decidunt carnes.) M. περιῤῥέουσι. effluunt per orbem, uertit Hermolaus. Cap. lib. 9.

Veſica.) M. lego νῆστιν, non κύστιν, hoc eſt, ieiunum uocatum inteſtinum, non ueſicā. Paulus tamen lædi iecur dixit, ueſicam & laxius inteſtinum.

Corrumpi.) M. lege, paſſa eſſe. & in eundem ſenſum ſcribit Paulus.

Corruptas.) M. adde, aliquo modo.

Puſtulas.) M. hic quoq; lege, ueſicas. & pro aquoſo humore ichor. 52

Fluit à morſu.) M. lego, ῥήγματος, id eſt, ruptura: ut intelligi poſsit, ruptis ueſicis.

Porraceo colore.) M. lego κιῤῥοειδὴς. rufeſcit, ait Hermolaus. Marcellus legit κιρσοειδὴς, & propterea addit, uaricum modo: ſequutus & in hoc Paulum potius quàm Dioſcoridem.

M. Additur in meo codice, oculorum obſcuratio. Hermolaus caligant oculi. Hebetatur quamprimum oculorum acies. ἀμαύρωσις ὀμμάτων. Hermol. oculi obſcurātur.

Stomachi non adeò grauis eroſio.) M. lege, exiguus cardiogmos. 53

Frons continue contrahitur.) M. ἀνασπᾶται, id eſt, conuellitur.

Subflauo & quaſi aureo.) M. ὑπόχρυσος, id eſt, ſubaureo, ſubflauo. 54

Venenum illinc pellitur.) M. lego, αἴρεται ὁ ἰὸς ἐκ τοῦ τόπου. id eſt, uenenum ex loco aufertur, uel eximitur, ut Hermolaus. 55

Vniuerſóq;.) M. ἀθρόῳ. quod uerbū ipſe Marcellus melius ſuprà expreſsit. Eſt autē ſenſus Dioſcoridis, id quod intus adiectum fuerit, cum ſanguine, qui multus ſimul exit, excerni.

In ſerpentibus.) M. lego θηρίων.

Imponatur itaq; lixiuia &c.) M. unicum hoc loco remedium lego, ad hunc modum: Imponatur cinis ficulneus, aut ex uitis ſarmentis factus, cum lixiuia, temperatus garo acri inueterato, eò quòd uenenis aduerſantur, ὡς ἀντιπαθοῦσιν.

Cedrinus liquor.) M. lege, Cedrus.

Acerrime calidiſsiméq;.) M. non lego calidiſsime.

Piperis unciæ duæ.) M. lege, drachmæ duæ.

Erucæ albæ.) M. non lego albæ.

Caſtorij unciæ duæ.) M. manifeſtus hic error. Paulus drachmam tantum exhibet.

EX LIBRO NONO.

MAN. Hoc loco eſt alterius, hoc eſt, noni libri principium in meo codice. 56

Ficulneum cinerem.) M. Adde cum uino permixtum. 58

Trifolij ſemen.) M. adde, herbæ. προποτισμοῖς χρηστέον, id eſt, præpotionibus utendum. 60

Ex repugnantia quadam naturæ.) M. κατά τινα ἀντιπάθειαν. Hermolaus transfert, rerum diſsidentiam.

Hordacea polenta.) M. lege, farina hordacea.

Emplaſtri modo.) σπληνίου τύπῳ, ſplenij more.

Diu antea.) M. clarius ſcribes, multum. ἐπιπολύ. Hermolaus etiam diu.

Cyperis.) M. lego κυπάρισσος, id eſt, cupreſſus. Paulus tamen Marcello conſentit.

Prodeſt ſimiliter & ruta.) M. lego, aut ruta, nec aliquid plus.

Parthico liquore.) M, lege, Peucedani utēdum ſucco. 61

Sunt in maritimis &c.) Non leguntur in meo libro hæc uſque ad uerbum, bibitur. 62

Per ſe uel.) M. non lego hæc uerba in meo Dioſcoride.

Malicorium.) M. κοκκίς.

MAN. In quo loco crux à Marc. eſt poſita, ego lego, eum qui morſus eſt. 63

Probatiſsima uero.) M. Deſunt in meo codice que ſequuntur, ab hoc loco uſq; ad capitis finem. 64

Superiore commentario.) M. Mirum eſt nō meminiſſe Marcellū, uno eodémq; commētario, hoc eſt, ſexto, ſi quis adhęreat ipſius diuiſioni, & hęc & illa fuiſſe à Dioſcoride conſcripta.

MAN. Non utiq; Marcello acceſſerim, δριμυφαγίας acremento ciborum quæſitas uomitiones interpretanti, ſicuti ſecundo quoq; libro notatum eſt. 66

Et cū aſphodeli.) M. ego lego, & ſerpyllum cū aſphodeli drachmis duabus, & uini cyathis tribus. 68

Naſturtium.) lege, cardamomum, non καρδάμον. 71

Finis huius capitis & totius libri in meo codice ſic clauditur: & hic quidē eſt theriacus modus. XV. Ianuarij, M. D. XXIII.

# IOAN. MANARDI

## EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER NONVS.

### EPIST. I. *Ioannes Manardus Iacobo Galeno, uiro literis & dignitate clariß. S. D.*

*Defendit epiſtolam ſuam ſecundam libri primi.*

ETSI ego (ita ſunt uaria hominum & ingenia, & iudicia) à Leoniceni uiri extra omnē aleam clariſsimi placitis, in multis diſceſſerim, quòd eũ tamen prçceptoris loco ſemper habui, nihil unquam, nec publice, nec priuatim quidem, niſi coactus uel ſcribere, uel docere uolui, quod eſſet ipſius dogmatis, uel interpretationibus aduerſum: coëgit autem, & inuitum ac repugnantem ad hoc me traxit, aliquando docēdi munus quod profiteor, aliquando amici rogātes, & tales quidē amici, quibus nec debebam, nec poteram quicquā negare quod poſcerent, nec aliud uel ſcribere, uel proferre, quā quod ſentirem. Feci autem hoc quanta ſemper potui cum modeſtia, nomini etiam uel in totum parcens, uel cum honeſta præfatione eius mentionem faciens. Inter reliqua autem quæ ſic è meis manibus excidêre, fuit quædam ad Pactum Mantuanum medicum epiſtola, in qua dubitationem diluere conatus ſum circa aphoriſmi Hippocrat. in libro tertio duodecimi intellectum: cuius tot legebantur interpretationes, quot interpretes: nec ſine magna bonarum mentium, atq; eius præſertim, ad quem epiſtola data eſt, animi ſuſpenſione, ſimul & admiratione. Quàm uero pacato animo, & ab omni prorſus maligno affectu ſemotus hoc fecerim, & tu, ut ipſemet Leonicenus affirmat, facile cognouiſti, & poteſt quicunq; legerit, non difficilius agnoſcere. Verum quia non poteram id quod ſentiebam aſſerere, niſi uerbum expungerem, quod ueræ & genuinæ lectioni accreuiſſe putabam, quibúsnam rationibus hoc facerem, oſtendere compulſus ſum. Quas rationes cum heri uidiſſem libello quodam apologetico, tibi ab ipſo Leoniceno dicato acerrime refelli, licet mecum ipſe ſtatuiſſem, quicquid ille in ea materia ſcriberet, me æqui boníque conſulturum, (ſciebam enim illum iandiu hoc meditari) ſtatim mutaui ſententiam, non tam tuendæ epiſtolæ, quàm meiipſius gratia. Non ſolum enim ſuā defendit interpretationem, ſed in me quoque multiplicia tela contorquet. Placuit autem mihi in hac noſtra, ut ego quidem omnino uolo, bona lite, non alium quàm te arbitrum eligere, ut cuius probitatem & doctrinam ab ineunte ætate ad hanc uſque utriuſque ſenectam, longa conſuetudine habeam exploratam. Sed iam rem ipſam aggredior. Ex multis quæ in me iactat, decem hæc ſunt quæ præcipue uidentur refellenda.

*Decem capita refellēda.*

1 Quòd epiſtola falſo ſit Pacto inſcripta.
2 Quòd putarim ſerenum à tranquillo differre.
3 Quòd male præpoſuerim Theodori interpretationem, quæ tepidam legit, ſuæ, quæ ſerenam.
4 Quòd non recte putarim tranquillũ repugnare auſtrino, & ſerenum pluuioſo.
5 Quòd non fideliter attulerim Galeni uerba in expoſitione duodecimi & decimitertij aphoriſmi.
6 Quòd Celſum appellarim bonum Hippocratis interpretem, qui plerunque male interpretetur.
7 Quòd ſuarum translationum errores notare ſim ſolitus.
8 Quòd uerba Galeni in epidemijs falſo allegauerim.
9 Quòd non intellexerim quomodo conueniant, diferántque, primus & duodecimus aphoriſmus libri tertij.
10 Quòd male appellauerim inconſtantem & uagam mutationem, quam Hippocrates & Galenus magnam.

*Ad primam obiectionē.*

Hæc ferè ſunt quæ obijcit Leonicenus: quibus ſigillatim reſpondentes dicimus, mirari non debere Leonicenum, ſi Pactus, ipſius olim in medicina diſcipulus, de aphoriſmo dubitauerit, cum & de compoſitarum medicinarum temperatura, aliiſque medicinalibus quæſtionibus longa ediderit commentaria. Modeſto quidē erat ingenio, & quieto, non uſqueadeò tamen, quin & contra ipſum Leonicenum, & me, non ſemel acriter in ſcriptis diſputauerit. Extat inter cæteras meas, ad eũ epiſtola, in qua multa quę aduerſus me ſcripſerat, diluũtur: ſed nullius momēti res eſt, ſiue ille petierit, ſiue ego non rogatus ſcripſerim, modo id mihi non impingatur quod à meis moribus & inſtituto ſemper longe fuit alienum, me uidelicet gloriolæ, aut popularis auræ cupiditate, uel hanc de qua eſt diſputatio, uel aliam ſcripſiſſe epiſtolam. Norunt qui mecum aſsidue uerſati ſunt, nouit ſcrutator cordis Deus, me ad ſcribendum non aliunde impulſum, quàm uel ut amicis & bonis animis obſequerer, uel ut ueritati patrocinarer. Sed de hoc plura fortè, quàm eſſet opus. Ad ſecundum uenio.

*Ad ſecundā. Serenum & tranquillum nequeidē ſignificāt, neque ſynonyma ſunt.*

Serenum & tranquillum non ſignificare eandem rē, neq; exiſtimandas eſſe ſynonymas uoces, ut Leonicenus dicit, ego & putaui, & puto: & ſi ætatem meam & profeſsionem noſtram deceret de Cornucopiæ uerbis uiciſsim diſputare, dicerē uerba quæ ex eo accepit, contrarium potius aſſerere, quàm quod uult Leonicenus: nec eſſe ſynonyma, ſed plus habere latiúsq; patêre trāquilli, quàm ſereni uocem: ſiquidem ſerenum ille definit trāquillum ſine nubibus, ſine imbre: addit igitur ſerenitas ſupra tranquillitatem nubium & imbris carentiam. Neſcio autem an uolens & lubens, uel quod legētem effugerit, ſaltum fecit Leonicenus, duóſque uerſus præterijt, in quorum fine dicitur, ſerenitatem ſiccā eſſe. Quod ſi uerum eſt, uideat ipſe quomodo concordet ſerenitas cum pluuia, diuidente præſertim Celſo, cui maior adhibenda hac in re fides eſt quàm Sipontino, ſerenos dies contra pluuios, nebuloſos, ac nubilos. Celſi uerba ſunt cap. 1. libro ſecundo. Saluberrimi ſunt, inquit, ſereni dies meliores pluuij, quàm tantum nebuloſi aut nubili.

*Serenum quid.*

*Ad tertiam.*

Sed ſinamus hæc Grammaticis, ad tertiúmq; accedamus, in quo proprijs iam armis nō mutuatis, decertat Leonicenus, ut cui eſſet non ſolum contra me bellum, hominē uix intra proprios parietes agnitum, ſed cōtra Theodorum, unum inter recētiores, cui primus honor in hoc interpretandi munere omnium conſenſu debeatur. Quam tamen prouinciam non libenter ſe accepiſſe demonſtrat, nec alia ratione ſubijſſe, niſi ut autoris epiſtolæ (ſic enim me nominat) iudicium improbet, qui Theodori translationem ſua dixerit eſſe tolerabiliorē. Ego uero Theodori libens capio patrocinium, ceu hominis de literis bene meriti, & qui ſe tutari nunc mortuus non ualet. Ad me enim parum ſpectat hæc defenſio, qui ſuppoſititium eſſe id uerbum affirmo, neq; uel tepidam, uel humidam, uel tranquillam, aut ſerenam eam hyemem ab Hippocrate dictam. Sed rem ipſam aggrediamur. Duabus rationibus Leonicenus Theodorum impetit: prior eſt, quoniam difficile eſt apud idoneum autorem reperire per uocem εὔδιον, tepidum, ſignificari: cuius rationis peculiarem ijs ſolutionē relinquo, quorum uel profeſsionis eſt uocabulorum propria ſignificata rimari: uel ſi aliud profitentur, plus quàm mihi ſuppetit ocij: ſatis dilutam eam quantum ad medicũ ſpectat, cum altera putans, ubi oſtendam Hippocratico & Galenico ſenſui, in omnibus quæ adducit ipſe locis, teporē cōgrue poſſe per illam uocem intelligi, atq; ut ſequens eſt, non æquiuoce ea uſum uel Hippocratē uel Gale. Poſt multa uerba Leonicenus hac utitur argumentatione: Vox εὔδιον paulò antè in octaui aphoriſmi commentatione non poteſt ſignificare tepidum, ergo nec in hoc duodecimo, niſi uitium æquiuocationis eodem fere loco Hippocrati & Galeno attribuamus. Sumptum hoc pacto probat, quod uidelicet octaua illa cōment. nō poſsit tepidum ſignificare: docere eo loco ex ſententia Hippocr. uult Galenum, qualis ſit temperata & mediocritatem ſibi propriam ſeruās hyems, uultq; eam eſſe neq; ualde εὔδιον, neq; ualde frigore excedētem. Eſſet igitur Hippocr. ſenſus, ſi tepidum ibi per εὔδιον intelligeremus, naturam ſuam ſeruantem hyemē non eſſe ualde tepidam, neq; ualde frigore excedētem. Quod falſum eſſe ideo probat, quia ex eo ſequatur, talem hyemem eſſe tepidam: quoniam id quod non eſt ualde tepidum, eſt tamen tepidum: ſicq; hyems cum uere aliquam haberet cōmunionem, cũ uer tepidum ab Hippocrate & Galeno ſtatuatur, & hyems frigida & humida. Hæc eſt ſecunda Leoniceni hoc loco argumentatio, cui tot occurrunt reſponſiones, ut uix eligere ſciam cui potius innitar, eam tamen eligā, quæ ut magis medica, ita

*Theodorus Gaza.*

*Theodoro patrocinatur.*

*Rōnes Leoniceni cōtra Theodorũ. Prima.*

*Secunda. εὔδιον.*

*Reſpōſio ad ſecundā Leoniceni rationem.*

ita magis ad rem nostram facere uidetur. Duóque præcipue agam: primo ostendam tepiditatis significatum eo loco optime congruere: secundo, serenitatem non posse ullo modo ibi legi. Dico igitur ex Galeni sententia hoc eodem lib. 3. in expositione aphorismi uigesimi, & eorum qui deinceps sequuntur, extremas cuiusque temporis anni partes magnam habere cum propinquis sibi cõmunionem. Nam sicuti prima hyemis pars est autumno communicans, ita postrema ueri: crescit enim autumni frigus hyeme, donec ad summum peruenerit, quod regioni tamen conueniat: deinde ita minuitur, ut ad teporem ueri proximum accedat. Succedit post hyemem uer, tepidum quidem ab initio, non exacte tamen, utpote hyemis naturam adhuc aliquo modo reseruans. Non potuit igitur aptius hyemis natura describi, quàm per medias inter utrunque ipsius extremum qualitates, frigus inquam & teporem: quarum alterum, hoc est frigus, ceu ipsi hyemi proprium, ualde crescere oportet: teporem, ceu non nisi ex eius ad uer inclinatione contingentem, non ualde. Roget uero quispiam, cur utrique qualitati similem adiecerit determinationem, *non nimium*, scilicet tepori, frigori, *non supra modum*. Si (quod & ego dixi, & per se constat) frigida ualde debet esse hyems, tepida autẽ non ualde, respondebo, dissimiles quidem ab Hippoc. appositas uoces, sed eam quæ addita est frigori (ni ego fallor) nullum adhuc interpretem esse plenè assequutum: dixit enim, μήτε ὑπερβάλλοντα τὸ καιρὸν τῷ ψύχειν. id est, uerbum ex uerbo: Neque frigore id quod oportunum est excedentẽ. Per quæ uerba significatur, excellentis quidem frigoris esse oportere temperatam hyemem, non usque adeò tamen ut modum conuenientem transcendat, qui scilicet quarto climati debetur, in quo Hippocrates commentabatur. Vel si hoc uolumus ad alia quoque climata transferre, quod suo cuiq; climati conueniat, loquutum tamen Hippoc. de temperata regione uoluit Galenus in commento 13. Aphorismi, sic Leoniceno interprete dicens: Par est seruare ipsum, puta Hippocratem, hyemem similem ei quæ est naturalis, hoc est, frigidã atque humidam, quantum hæ duæ qualitates conueniunt temperatæ regionis habitationibus. Vtrouis autem modo intelligamus, liquet non ita impense frigere oportere naturalem hyemem, ut aliqua saltem sui parte teporem quendam eo qui ueris est minorem, non admittat: sicuti & autumnus licet siccus sit ualde natura sua, eodem Hippocrate in eo loco teste, aquarum tamen descẽsus requirit, nedum patitur. Nulla igitur eius uocis in Hippocrate aut Galeno, æquiuocatio, sed tolerari potest, sicuti in aphoris. 8. ita in 12. tepiditas, longéq; commodius, quàm uel tranquillitas, uel serenitas: nec solum in aphorismo, sed etiam in lib. de aëre & aqua, per Galen. & Leonicenum adducto. Serenitatem enim non uideo inibi intelligi posse: siquidem exacta serenitas, ut Galen. scribit lib. 3. Epidem. sicca est, quæ qualitas ab hyemis natura longe est aliena: experientiáque ipsa, simul cum ratione docet, serenos hyemis dies turbidis esse frigidiores: quod & Aristot. in Problematis affirmat, & Galen. absolutam serenitatem habere plus frigoris testatur. Aequalia igitur ferè sunt, non ualde serenam esse hyemẽ, & nõ ualde frigere: quare frustra alterum additum ab Hippocra. uideretur. Possum preterea Leoniceni argumentum in ipsummet hoc pacto retorquere. Qui dicit hyemem (ait ipse) esse non ualde calidã uel tepidam, non idcirco frigidã esse asserit, sed calidam quidem, ac tepidam, parumper tamẽ: & ita secundum Theodori translationẽ hyems cum uere aliquam habebit in tepore communionem: quod est maxime absurdum. Sic Leonicenus. Ego simili argumento probabo, ex eius interpretatione sequi, hyemem habere cum æstate cõmunionem: quod reuera absurdũ est, cum sint tempora in totũ contraria, atq; sic argumentabor: Qui dicit hyemem nõ esse ualde serenam, non propterea dicit ipsam esse nubilam, sed serenã quidẽ, parumper tamen, & ita cum æstate habere communionẽ. Patet igitur quibus rationibus tueri se possit, qui tepidam, non serenam hyemem in aphorismo 12. intelligendam dixerit, sicuti Theodorus & Laurentianus.

*Hyemis tẽperatura.*

*Locus Hip. de aqua, aëre, & locis. à Galeno citatur in cõmẽto octaui Apho. lib. 3.*

*Serenitas exacta sicca est.*

*Leoniceni argumẽtum in ipsum retorquetur.*

*Obiectio quarta.*

Boni tamen Imperatoris more Leonicenus fortioribus semper copiis pugnam redintegrat, ostẽdens hyemem uel austro flante, aliquando esse tranquillã, modo leniter flet: imò uero & boream licet procellis crebrum, nõ semper priuare aërem nos ambientem tranquillitate, sed solum cum sæuius incubuerit. Ad hoc approbandum præmittit Hippocratẽ 3. lib. Epidem. dicẽtem: Annus erat austrinus, & uentorum carentia, siue tranquillitas, usq; in finẽ. Additq; Galeni longã seriem Hippocratis uerba declarantem. Sed quæ ex tot dictis ad propositum spectãt, ea sunt, Hippocratem dixisse, austrinum simul atq; tranquillum totũ fuisse annum: tanquam possibile sit etiam tranquillum simul ac borealem esse, ac dici totum annũ. Ex his colligit, idem anni tempus & totũ annum dici posse australem, uel etiã borealem, nihilominus tamẽ tranquillũ: ut ex hoc tollat argumẽti mei partẽ, qua dicebam, Si austrina, quomodo tranquilla? Quasi posse quandoq; fieri nesciuerim, austrinum simul & trãquillum tempus. Acute quidem hæc & apparenter, ad tuendã antiquam translationem, à qua mirũ est ipsum recessisse, si quãdo aphorismum transtulit, hæc cogitauit. Sed in his tamen latet æquiuocatio, quam detegere non possum, nisi uerba ipsa Græca adduxero, in quibus hęc abscondita est. Conatus sum in epistola uocem εὔδιον ostendere non positam in Aphorismo ab Hippocrate, sed suppositititiã esse, & ab alio, quisquis ille fuerit, primò fortè expositionis gratia, quod plerunq; fit, & sæpe queritur Galenus, appositam: deinde à primo librario Aphorismo cõiunctam, & in multos postea codices succedentibus temporibus deriuatã. In his autem quæ ex Galeno & Hippocrate Leonicenus huc transfert, non ea uox legitur, sed aliæ prorsus uoces, quas tamen ille eodẽ modo cõuertens, uideri facit Græcas literas nescientibus, male me ex eo loco abradendam eam uocem iudicasse, ceu austrinæ hyemi repugnantem, quam tamen annectant & Hippocrates & Galenus. Scire igitur licet, non legi in his locis εὔδιον, sed ἄπνοια & νηνεμία, quibus uocibus priuatio quædam flatus uel uenti designatur, non tranquillitas. Scimus autem, uel Aristotele hoc docente, priuatiuas has uoces quandoque non totam formam tollere, sed uix haberi eam formam ostendere. Non prorsus igitur dictiones illæ uentos adimunt, sed adeò paruos eos esse ostendunt, ut Galenus ait, ut propter paruitatem lateant. Tam exiguos uero austros non intellexit aphorismus, quoniã, ut uoluit Aristoteles 22. Probl. 26. sect. auster paruus nullas nubes obducit. Is autem, de quo loquitur aphorismus, non solum nubes, sed & pluuias facit, siquidem Hippocrates australem & pluuiosam hyemem supponit. Cum præsentis igitur aphorismi austris, non solum uera tranquillitas stare non potest (quæ, ut Aristot. 25. sect. 4. Probl. definit, est statio & quies aëris) sed nec ἄπνοια Hippocratis & Galeni in Epidemijs, quæ magnos austros excludit, quales aphorismos uult intelligi. Per hæc igitur, ni fallor, Leoniceni excluditur argumentatio.

*Priuatiuæ uoces nõ totã formã tollunt.*

Vertit se postea idem ad aliam meam (ut ego quidẽ puto) euidentem argumentationem, ut ipse uero, non solum non bene concludentem, sed duplici errore scatentem: altero, superfluæ huius pronominis *hoc*, adiectionis: altero, plurium uerborum omissionis, & breuitatis, quibus sensus autoris perturbatur. Vter nostrum super ea argumentatione melius iudicauerit, tuum erit censere: nullam enim adhuc uideo in tot Leoniceni dictis, doctis illis quidẽ, & ex bonis autoribus sumptis, meæ rationis solutionem. Ad errores uero quos mihi impingit, dico me idcirco adiecisse demonstrandi pronomen hoc, quia id in Græco codice adiectum inueni. Sicuti & Laurentianus in hũc modum principium cõmentationis faciens: E contrario hoc temperamentum se habet, atque id quod est relata sententia de duobus temporibus memoratum, &c. Neque arbitror me errasse, si non omnia Gal. uerba, eóque modo quo à Leoniceno uersa sunt, recitaui. Amo enim breuitatem, sed cui sit coniuncta claritas. Et si hoc est errare, utique fateor me errare. Quàm uero & breuiter & clare mẽtem meam aperuerim, ex ipsa uerborum meorum serie cõstat, quæ talis est: Econtrario se habet hæc temperatura duobus in priori apho. dictis temporibus: qualis enim in illo erat hyems, tale nũc est uer: qualéque in illo uer, talis nunc hyems. Hæc sunt Gale. uerba. Ex quibus hoc pacto argumentor: Quale uer in præcedenti aphor. talis nunc hyems, secundum Gal. sed nec in illo præcedente dicebatur tranquillum, serenum, uel tepidum, sed solum austrinum & pluuiosum: ergo secundum Gale. nec hyems, de qua sermo est in hoc aphor. est dicenda serena, trãquilla, uel tepida, sed solum austrina & pluuiosa.

*Obiectio quinta.*

*In commento aphoris. 12. lib. 3.*

*Breuitas cũ claritate.*

Hæc

Hæc fuit mea eo loco prima argumentatio: cui aliam ſubnexui, ex uerbis Galeni ſumptã, exponentis 13. aphoriſmũ, ubi de conſtitutionibus huius aphoriſ. & alterius qui hunc præcedit, Hippocratem in libro de aëre, aqua, & regionibus intelligens, ait: Poſt duas præſcriptas conſtitutiones, unam quidem, in qua hyemem borealem & ſiccam eſſe uult, uer pluuioſum & auſtrale: aliam in qua contrarium, pluuialẽ & auſtralem hyemẽ, uer ſiccum & auſtrale &c. Neſcio quomodo potuerim apertius oſtendere Gal. duobus locis conſtitutionem huius apho. afferentem nullam habere uel ſereni, uel tranquilli uel tepidi mentionem: hoc eſt, uocem εὔδιον, huic hyemi non adieciſſe, ſed pluuialem & auſtralem tantum dixiſſe. Huic rationi quid in tam longa uerborum ſerie reſpondeat Leonice. uidere ego non poſſum: uidebunt fortè, qui acrius uident. Calorem quidem & humorem huius hyemis, cauſam ait eſſe morborum, qui in aphor. nominantur, iuuante tranquillitate, non nomina temperaturarum. Raritatem potius quàm humiditatem facere, ut mulieres lædantur. Maiorem auſtrum non magis calefacere. Non omnem auſtrum calidum, ſed ſolum illum qui lenis eſt. Hæc quidem & alia nonnulla dicit his ſimilia: ex quibus tamen non infertur, ſed nec innuitur huius meæ argumentationis ſolutio, ſed potius alterius, etiam prius ſolutæ, qua probabam trãquillitatem auſtro repugnare. Addit & unum, quod prius multis uerbis oſtendere laborauerat, teporem ſcilicet eſſe ab hyemis natura penitus alienum. Sed quid faciunt hæc ad Gal. uerba per me adducta, in quibus hyemis huius aphor. fit mentio, nulla appoſita uoce, quæ tranquillum, uel ſerenum, uel tepidum poſsit ſignificare? At fortè quiſpiam putauerit huc pertinere Galeni ſeriem ab eo Græce allatam, in qua cauſam reddit, quare ex aphoriſmi conſtitutionibus ſequatur, ut grauidæ mulieres abortiant, quoniam in ea εὔδιον hyemi illi adſcribitur. Verum nec illa uox ibi ponitur quaſi in aphoriſ. legatur: nec ipſemet Leonice. ea uerba ad aliud probandum adducit, quàm caliditatem & humiditatem eſſe aborſus cauſam. Sed nec poteſt, meo iudicio, ea uoce in eo loco ſerenitas ſignificari, cum quia nõ ea conſueuit Gale. ſerenitatem ſignificare, ſed per uocem αἴθριος, tum uero quoniam ſerenitas hyemis corpora reddit dura, ſicca & denſa, non mollia, humida & rara, qualia per hyemem, quam εὔδιον dicit Gal. efficiuntur. Intelligenda igitur & hic per eam uocem, uel tepida, uel humida: non ſerena, aut tranquilla hyems. Occurrunt etiam multa in Leoniceni dictis dubitanda, quæ nunc breuitati conſulentes prætermittimus: plura nos dixiſſe cognoſcentes, quàm eſſet neceſſarium, uolenti non epiſtolam tueri, quæ ſatis adhuc in robore conſiſtit, ſed ea reiicere, quæ mihi in apologia obiiciuntur. Vnum tamen eſt quod præterire bonus meus dæmon non patitur: nõ recte dici, auſtrum qui uehementius flat, non eſſe calidum, ſed eum qui remiſsius ſpirat: experientia enim contrarium oſtendit: norúntque hi maxime qui Aemiliam, proximáſque regiones incolunt, à uehementi auſtro cum magno corporum & annonæ detrimento, ſæpenumero calefacti. Sed etiam ex Galeno idem aperte colligitur. In primo enim Epidem. dicit Aphoriſmum quintum, tertij libri, cuius principium, Auſtri auditum hebetantes, quem totum recitat, loqui de uehementibus auſtrinis & aquiloniis conſtitutionibus, & longo tempore perdurantibus: oſtendique hoc per uerbum δυναστεύειν, hoc eſt præualere, uel dominari, quod de eo non dicitur, qui uere uel exiguo perflat tempore, ſed nec de eo qui pluribus quidem diebus, ſed exiliter flat. Eſſe autem auſtrũ illum de quo Aphor. loquitur, calidum & humidum, ipſemet Gal. in eius expoſitione teſtatur his uerbis, ſecundum Leoniceni interpretationem: Cauſam uero, ob quam auſtri reddant auditum grauiorem, & uiſum caliginoſum, non eſt difficile ex eius temperatura cognoſcere, quæ calida & humida natura eſt. Ex his igitur duobus Galeni dictis ſic licet argumentari: Auſter de quo Hippo. in aphoriſ. loquitur, eſt calidus & humidus, ſecundum Gal. in commen. ſed idem eſt magnus & diuturnus, ex eodem Gal. in Epidemiis: ergo magnus Auſter & diuturnus eſt calidus & humidus, cuius oppoſitum aſſerit Leonicenus, & probare nititur. Ait enim, Illud inſuper adiungimus, nõ omnem auſtrum eſſe calidum; ſed qui remiſsius ſpirat: nam qui flat uehementius, boreæ naturam induit, hoc ipſum Galen. teſtante in comment. libri 3. Epidemiarum: Nonnulli, inquit, opinantur auſtrum ſemper eſſe humidum: res autem non ita ſe habet, apparet enim quandoque ſiccus, quem & uulgus Leuconotum. Hæc ille ad uerbum. Neſcio autem quomodo uolens probare non omnem auſtrum eſſe calidum, probat aliquãdo eſſe ſiccum. Addit tamen & alia uerba Galeni in eodem 3. ſed de conſtitutione quadam primi libri loquentis, quæ uideri poſſunt aſſerere, auſtrum aliquando eſſe frigidum: ea ſunt, Leuconotus autem quandoque frigidus apparet. Quæ tamen uerba non id probant quòd Leonicenus uellet, auſtrum qui uehementius flat, ſemper frigidum eſſe. Non enim hæc dicere Gal. poteſt, qui contrarium dixit, ut ſuperius declarauimus: ſed Leuconotum, qui non uerus auſter eſt, dicit quandoque non quidem eſſe frigidum, ſed apparere. Scimus tamen Galenum non negare aliquando, licet raro, auſtrum frigidum exiguo tempore ſpirare: primo enim Epidemia. In noſtra, inquit, habitatione boreas quidem frigidus, auſter calidus, niſi ſi quando, raro, ualde, in ueris initio frigidus, aut alia hora exiguo tempore ſimilis ſpirauerit.

*Hippo. locus in aphoriſmis emendatus.*

*Non recte dici, auſtrum uehemẽtius flantem nõ eſſe calidũ.*

*Ad ſextam obiectionẽ.*

Damnat præterea me Leonicenus, quòd Celſum bonum Hippocratis interpretem uocauerim, quaſi dicatur ideo etiam Galeno medicorum principe melior. Ego autem Celſum & uocaui, & uocare poſthac non uerebor bonum Hippocratis interpretem: Galeno tamen propterea non antepoſui. Non enim tam turpi æquiuocatione peccarim, & quam omnes ceu uulgatiſsimam agnoſcunt. Interpretem aio Celſum Hippocratis in Latinam linguam bonum, quia uideo ipſum & omnes ferè aphoriſmos, & pleraque ex prognoſtico & aliis commentationibus Hippocratis fideliter interpretatum. Quod non fecit Gal. nec ſi feciſſet, ita bene ut Celſus feciſſet, quia Latinas literas uel non æque, uel nequaquam norat. Interpres autem & ipſe Hippocratis dicitur, & nemini in hoc ſecundus, quia eius commentationes & obſcura uerba, luculentiſsime declarauit. Licet autem in aliquo uerbo lapſus quandoque Celſus uideatur, non propterea negandum eſt ipſum bonum interpretem fuiſſe. Nam & Leonicenum ego aſſero, & omnibus prædico, bonum eſſe interpretem: in cuius tamen interpretationibus, & ego ſcio, & ipſemet non diffitetur, multa poſſe caſtigari. Theodorum Gazam laudant omnes, laudat & ipſe Leonicenus, errores tamen nonnullos eſſe in eius traductionibus, & aliàs ſæpe, & in hac ſua affirmat apologia. Si bonus ille tantum dicendus interpres eſt, qui nũquam errauerit, neſcio an quiſquam poterit bonus dici. Demus nunc Leoniceno, aliàs fortè Celſum defenſuri, uerbum Hippocratis ἀπὸ ταὐτομάτου, aliter uerſum eſſe à Celſo, quàm expoſuerit Galenus: & περὶ τὴν κύστιν, in alio & etiam in hoc aphoriſmo, de quo eſt diſputatio: ὀ. συντόμως ἀποθνήσκοντες, non plenè exprimi per duo hæc uerba, *male habet*: an propterea conuincitur adeò in lingua Græca cæcutiens, ut ſi in Hippocratis aphoriſmo legebat εὔδιον, non ei uoci ſciuerit Latinam aliquam coaptare? Volunt leges, ut illius teſtimonium nõ reiiciatur, qui licet non plene probet, multos tamen conteſtes habet ſecũ ſentientes. Ego autẽ in epiſtola multis teſtibus pro me ſtãtibus, hoc pacto Celſum cõiunxi: Vox εὔδιον, inquiens, ſiue tranquillitatẽ ſiue ſerenitatem ſignificet, aliis aphoriſmi uerbis non concordat: ſed nec in probatæ mihi fidei codice legitur, nec in Ariſtotele, huius aphoriſmi in Problematis rationem reddente: nec à Celſo lecta fuit aphoriſmum conuertente, neque à Galeno apponitur quoties ab eo aphoriſmus hic recitatur. Ergo ſi in aliquo exemplari habetur, ceu adulterina & ſuppoſititia eſt abradenda. Nunc quia tot teſtibus Leonicenus non mouetur, addo Auicennam in 1. & in 3. lib. ſui Canonis: addo demum cui refragari nemo poſſit, ipſummet Hippoc. in lib. de aëre & aqua, quem cum & ante me, & dum apologiam meditaretur, legerit Leonicenus, mirum eſt, quòd uadimonium non deſeruerit, atq; ut ultro alios eſſe fatetur in ſuis translationibus errores, ita & hunc in cæterorum turbam non collocauerit, culpámque reiecerit in mendoſum codicem, ob quem ipſemet fatetur in ſuis traductionibus multos eſſe errores.

*Celſus et Galenus boni Hippocratis interpretes, alio tamen & alio ſenſu.*

*Ad ſeptimã obiectionẽ.*

Quos ſi ego in codice meis pecuniis empto caſtigaui, nõ eſt quod moleſte ferre debeat, & pro beneficio iniuriam reponere. Præpoſui ſemper & præpono aliis omnibus traductiones Leoniceni, & in priuatis colloquiis, & in publicis lectionibus. Cur autem quiſpiam mihi uitio det, ſi quos cognoſco erro-

res undecunque euenerint,(culpam tamen ego uel in librarios,uel in malos codices libentius quàm in illum reiicio)è meo libro summoueo,quem quotidie in manibus habeo,mecũ fero quocunque pergo, maxime cũ scholas ad docendũ peto? Melius igitur(ni fallor)existimationi suæ consuluisset,cuius tuendæ gratia hanc prouinciam aggressus est,uel dissimulãdo,uel errorem agnoscendo,uel silẽdo,uel culpam deprecando,quàm iniustam causam cũ mea iniuria defendendo.Hactenus tamen satis modeste mecũ se gessit,iam uero à sua modestia paululum recedens,me falsa ait allegatione uoluisse omnes epistolæ meæ lectores ludificare,quia uidebam omnes quas attuleram rationes facile pessundatum iri.Nescio autẽ quo pacto hallucinatus uir alioqui oculatissimus,in mea epistola uiderit,quæ absunt: in Galeno nõ uiderit,quę adsunt.Non enim possum credere id in suo codice,& alio quem affert,nõ legi,quod in meo legitur,cũ ab eodẽ & unico exemplari omnes emanarint.Vt uero omnes uera esse cognoscant quæ dico,adducam epistolæ meæ uerba, non recte ab eo animaduersa:dehinc subiiciã Galeni uerba à me in epistola prętermissa.Verba mea in epistola sunt:Verũ quid aliunde testimonia mendicamus?quum Galenus ipse Hippocratis primum Epidem.librum enarrans, hunc aphorismum uti nunc recitauimus, afferat. Hactenus ego,nec plura de hoc.

*Obiectio octaua.*

Addit Leonicenus:Ita autẽ uerba Galeni Græca autor Epistolæ attulerat: ἢν δὲ νότιος ὁ χειμὼν καὶ ἐπόμβριος γένηται. id est,si uolumus Latine interpretari,Si hyems austrina & pluuiosa fuerit.& reliqua.sic autor Epistolæ Galenũ citat.Hæc ubi dixit Leonicenus,ad calumnias se uertit, quibus respondere nescio, nec si sciam,uelim:sed hoc tantum respõdeo,uerba me nulla Galeni hoc loco recitasse,sed dixisse,Galenũ in Epidemiis hunc aphorismũ, uti ego ex exemplari Chalcondylis recitaueram,afferre.Et quia hinc,hoc est,ex Galeni in libro Epidemiarũ uerbis tota hæc calumnia pendet,ut ostendã falso mihi falsarii nomen adscribi,à quo semper abhorrui,& longe absum,uerba ipsa Galeni hic fidelissime subnotabo,ut cognoscere quilibet possit, uter nostrũm uel deceptus sit,uel uoluerit alios decipere.Galenus igitur iam exponere incipiens primam ab Hippocrate recitatam constitutionem contra Quintum disputans,sola experientia,non rationali aliqua methodo, inuenta esse dicit ea quæ de constitutionibus ab Hippocrate scripta sunt,& pro exẽplo duos adducit aphorismos, undecimũ scilicet,& hunc duodecimũ de quo disceptamus,dicens: ὅταν μὲν ὁ χειμὼν αὐχμηρὸς καὶ βόρειος γένηται, τὸ δὲ ἔαρ ἐπόμβρον καὶ νότιον, κατὰ τὸ θέρος ἔσονται πυρετοὶ ὀξέες καὶ ὀφθαλμίαι, καὶ δυσεντερίαι. καὶ πάλιν, εἰ μὲν ὁ χειμὼν ἐπόμβριος καὶ νότιος γένηται, τὸ δὲ ἔαρ αὐχμηρὸν καὶ βόρειον, αἱ μὲν γυναῖκες, ᾗσιν οἱ τόκοι πρὸς τὸ ἔαρ, ἐκ πάσης προφάσιος ἐκτιτρώσκουσι, καὶ τ' ἄλλα ὅσα τούτων ἐφεξῆς κατέλεξε, τέσσαρας μόνας διαφορὰς καταστάσεων γράψας. hoc est,Quando hyems sicca fuerit & aquilonia, uer pluuiale & austrinum, æstate erunt febres acutæ, & ophthalmiæ,& dysenteriæ.Et rursus,si hyems pluuiosa & austrina,uer siccũ & aquilonium,mulieres,quibus ad uer partus,ex quauis occasione abortiunt,& reliqua quæcunque deinceps his dixit,quatuor solum constitutionum differentias scribẽs.Hæc sunt Galeni de his duobus aphorismis uerba.in quibus qui uel legere Gręce nouit,εὔδιον uocem non adiectam hyemi nostræ cognoscet,neque aliam, quæ possit tranquillum uel serenum denotare.

*Falsarij nomen, falsò Manardo adscribi à Leoniceno.*

*Obiectio nona.*

Pergit tamen ulterius me accusare Leonicenus, ceu non agnoscentem conuenientiã inter aphorismũ primum & duodecimum,& differentiã utriusque à quarto.Vtrobique enim,in primo scilicet & duodecimo,intendere Hippocratẽ de uariis alterationibus quatuor anni partium inuicem succedentium,siue sint duæ,siue tres aut quatuor,sed in primo generaliter:in duodecimo ad particulares descendere eum mutationes,particularésque morbos,qui ab eis cõtingunt.quartum differre à duodecimo,quia generatim etiam docet,quòd quãdocunque eadẽ die modo calor,modo frigus uiget, autumnales morbi expectandi sunt.duodecimo non unius diei mutationem,sed uicissitudinẽ quandã quorundam dierũ ad serenum & pluuiosum:quæ tamẽ uicissitudo totam hyemis temperaturã non uariat,quæ semper ad calidum & humidum uergit.Hæc sententia Leoniceni.Vt uero ostendam quid putem in tribus illis aphorismis sensisse Hippocratẽ,ratio altius est repetenda.

*Quid sentiat Hippocrates in tribus aphorismis tertij libri, primo scilicet, quarto, & duodecimo.*

Mutationes tẽporum,de quibus prima pars aphorismi loquitur,ego intelligo mutationẽ propriarũ temperaturarũ partium anni deinceps succedentiũ.In secũda parte intelligo mutationem unius solius partis in sua temperatura propria.Primæ mutationes generant potissimum morbos,quãdo multæ sunt:una deinceps post aliam.secundæ generãt quidẽ semper aliquos,sed non potissimũ,nisi cum magnæ sunt.Intelligo utrasque mutationes,tam scilicet primæ,quàm secundæ partis aphorismi,non solũ ad proprię tẽperaturæ contrarias qualitates,sed etiã in propria temperatura:ut,exempli gratia,hyemis,si uel ultra,uel citra modum algeat,& humescat:& æstatis,si calida & sicca plus minúsue sit, quàm regioni conueniat.Mutationem,de qua quartus aphorismus,intelligo non eã,quæ tantũ in uno die fit: ut enim unica dies non facit uer,sicut est in prouerbio, ita nec unica diei uariatio de calido ad frigus,aut autumnum,aut autumnales morbos:sed tũc expectandi sunt autumnales morbi,quando multis unius tẽporis, uel plurium diebus tales mutationes fiunt.Tres igitur mutationes in 1.& 4.aphor.tetigit Hippoc.scilicet plurium temporũ,unius temporis,& dierũ unius uel plurium temporũ.Tertia autem nõ adeò differt à duabus primis,ut sub utranque non possit cadere.Nam si in una tantũ anni parte mutatio hæc dierum de calore ad frigus contingat,ad secundã:si in pluribus,ad primam in aphorismo primo tactam mutationem pertinebit.

*Vna dies nõ facit uer.*

De 12.aphorismo dico ex sententia Galeni,quod in 11. aphorismo loqui incipit Hippocrates de alterationibus,quæ in pluribus tẽporibus fiunt:quæ licet multipliciter uariari possint,modo quẽ Galenus in principio cõmentationis undecimi aphorismi,quod deest in Leoniceni editione,& fusius in cõmentatione decimi quarti notauit,quatuor tamẽ tantũ ab Hippocrate cõplicationes recitãtur,ab aphorismo scilicet 11.ad 14.In nulla autẽ harum constitutionum inueniuntur plures, quàm duæ qualitates uni tẽpori attributæ:una per flatum uẽti designata,alia per pluuiosum & siccũ:ex quo argumentũ etiam capi potest ad propositũ in epistola mea ostendẽdũ.Quatuor autẽ hi utique aphorismi generali quadã ratione sub prima aphorismi primi parte cõtinentur:nec solũ hi quatuor,sed quotquot uel aphorismi,uel sentẽtiæ in libro de aëre,aqua,& regionibus, & in Epidemiis leguntur,in quibus cõstitutionũ duorum uel pluriũ tẽporum mẽtio habetur,à proprio temperamẽto recedentiũ:siquidẽ sub generali mutationis temporum uoce,singulæ duorũ,uel pluriũ mutationes comprehenduntur.Agnosco igitur & ego pariter cum Leoniceno,aphorismi huius duodecimi cũ prima parte primi,eã cõuenientiã quam habẽt cũ suis uniuersalibus minus uniuersalia:nec hanc in epistola negaui,sed cõmunionem huius cũ secũda parte eiusdẽ primi aphorismi,in qua mentio habetur mutationis unius solius partis,de qua nec in hoc aphorismo,nec in aliis tribus, scilicet 11.13.& 14.ulla est recordatio.Et propterea dixi, non posse in aphorismo 12.intelligi mutationem hyemis de australi & pluuiosa,ad tranquillã uel serenam, quia de hac erat aphor.1.in secunda scilicet,non prima parte ipsius aphorismi determinatum:esset enim mutatio huiuscemodi ab australi & pluuioso ad serenũ uel tranquillũ,mutatio unius partis anni,nõ solum à propria natura,sed ab una aliena ad aliã etiam alienã:adiecique,hanc hyemẽ,scilicet quæ de extranea qualitate ad aliam etiã extraneã mutatur,esse potius dicendã inconstantem & uagã,quàm australẽ & pluuiosam:cõformiter loquens Galeno in 1.lib.Epid.annum quendã inæqualem & uagũ uocãti,in quo mutatio facta est de frigido & humido ad frigidum & siccũ,& in quo aliquãdo auster, aliquando aquilo præualuit. Quod multo magis erit dicendũ,si Leoniceni modo uicissitudinem pluuiæ & serenitatis intelligamus.Nõ recte igitur impingit mihi Leonicenus,quòd appellauerim inconstantẽ & uagã,quam Hippoc.magnã.Non enim dixi mutationẽ unius partis anni esse dicendã uagã,& inconstantem,si sibi cõstet:sed eã hyemẽ quæ minime sibi cõstaret,quia ex pluuiosa in serenã,ex australi in tranquillã laberetur,nõ posse dici pluuialẽ & australẽ,sed potius inconstantẽ & uagã esse uocitandã:alioqui si tria illa æqualiter,ut transfert Leonicenus,hyemi adscribãtur, ut scilicet legamus,Si hyems australis & pluuiosa & serena fuerit:quid in his uerbis nos cogit,ut uincere in ea credamus uel australe,uel pluuiosum,cũ pariter & absolute

*Leonicenus contrarium magis probat quā intentum.*

ſolute tria illa ſint ei attributa? Quod uero à Leoniceno dicitur, ſerenā nō exquiſite & ſimpliciter eā dici, ſed ſerenā ut hyemē: contrariū magis probat, quàm id quod uult. Si enim ſerena eſt ut hyems, igitur à natura ſua recedit per ſerenitatem, & plus ſerena eſt, quā hyemē deceat, naturam ſuam ſeruantem: atq; ut ſequens eſt, minus erit pluuioſa, quàm natura hyemis requirat. Non enim poteſt ſerenitas creſcere, niſi pluuia minuatur: & ſi ſerenitas (ut uult Leonicenus) claudit in ſe tranquillitatem, minui etiā auſtros oportet, pręſertim magnos: nam erit etiam eadem, ut hyems, tranquilla. Quomodo igitur auſtrina dici poterit & pluuialis, ſi à proprio temperamento per ſerenitatem recedet, & tranquillitatem, imò & per ſiccitatem? ſiquidem ſerenitas ipſa ſecum, ut ſuprà probatum eſt, coniunctam habet ſiccitatem. Superabit igitur in hac hyeme trāquillitas, ſerenitas, & ſiccitas, & tamen auſtrina & pluuioſa ſimpliciter nominabitur, quod certe & rationi, & Hippocratis ac Galeni placitis, imo & ipſimet Leoniceno aperte repugnat. Nam Galeni uerba, ex primo Epidemiarum ſumpta, quæ ſuo propoſito credidit commodare Leonicenus (ni ego fallor) ei ſunt parū commoda. Hyems enim de qua ibi loquūtur & Hippocrates & Galenus, non ſimpliciter auſtralis fuit, ſed in ea aquilonares uēti, licet exigui, nec longo tempore perflauere. Quare non eſt cur quiſpiam miretur, ſi ſicca eſt ab Hippocr. uocata hyems, quæ aquilonares flatus natura ſua ſiccos perpeſſa eſt. Aphoriſmi uero hyemem, quæ ſimpliciter & auſtralis & pluuioſa dicitur, quis non miretur tranquillam, ſerenam, & ſiccam dici? Si igitur Galenus uocem αὐχμὸν non ſatis proprie attribui illi hyemi dixit, in qua tamen aquilones ſpiraſſe dixerat Hippocrates: non erat (uir ſemper uerborum Hippocratis diligētiſsimus annotator) conniuentibus oculis pertranſiturus, ſi uocem aliquam hoc loco legiſſet, quæ tranquillitatem, ſerenitatem, & ſiccitatem ſignificaret. Non igitur negamus poſſe in eadem hyeme modo pluuias, & auſtrū, modo per interualla ſerenitatem & trāquillitatem inueniri, ut in ea quam μυξάυδριαν uocauit Hippoc. ſed talem non eſſe eam quam aphoriſmus ſupponit, conſtanter defendimus: illa enim in qua μυξάυδρια plurima facta Hippocrates dicit, non ἐπόμβρος, hoc eſt, pluuioſa, ab eo dicitur: ſed aquas multas, λάβρα, hoc eſt, ut Galenus exponit, repentinas, uehementes, & breuis temporis, niuésque etiam magnas habuiſſe. Sed & morbi, qui in noſtra euenire ab Hipp. dicuntur, nō eius quæ μυξάυδρια effectus ſunt, hoc eſt, hyemis, in qua quandoq; pluuiæ, quandoque ſerenitas appareat, ſed auſtralis & pluuioſæ. Aborſus enim & imbecillitatis infantium cauſa, non in aliud à Galeno refertur, quàm in humiditatem, laxitatem, mollitiémque corporum maternorum, & aſſuetudinem infantiū in calore. At ſi uiciſsitudo, quam Leonicenus imaginatur, ſerenitatis & pluuiarū in hyeme ſit, non adeò & materna corpora humida, & infantilia calido aëri erunt aſſueta: quoniam quantum calefaciēt & madefacient auſtri & pluuiæ, tantum trāquillitas & ſerenitas frigefaciet, & denſabit: nec uſque adeò replebuntur capita mulierum & marium pituitoſorum, & calefient, ut ſalſam pituitam gignant, quæ per uer frigidum ad inteſtina deſcendens, difficultatem in eis faciat inteſtinorum. Idem intelligendum de ſiccis ophthalmiis, ac deſtillationibus, quæ caloris & humoris hyemalis aſsiduitatem conſequuntur, quæ per ſerenitatem impedirentur. Hæc igitur ſunt quæ prohibēt hyemem noſtram mixtā habere pluuiam ſerenitati. Tanto autē ſerenitas auſtris & pluuiæ, atq; naſcēti ex eis caliditati & humiditati magis repugnat, quā trāquillitas, quāto magis apta eſt frigus facere in hyeme & ſiccitatē; tantúmq; de hyemis humiditate ab ea minuitur, quantū à pluuia humiditatis augetur. Nō minor enim eſt ſiccitati quæ ſerenitati iuncta ſit, uis ad exiccandū, quā pluuię humiditati, uis ad humectandū: imò ſi res ad uiuum eſt reſecāda, potentior eſt ſiccus aër ad exiccandum, quàm humidus ad humectandū. Nam (ut uoluit Auicē.) aër in omni diſpoſitione corpora noſtra reſoluit & exiccat: longéq; difficilius ſicciora humeſcūt quàm humidiora exiccentur, Galeno autore in lib. 7. artis curatiuæ. Non igitur bene dictum eſt, à ſerenitate parum de hyemis humiditate comminui, quoniam ab aquarum multitudine, & auſtrinis flatibus fouetur: ſerenitate enim exiſtente tolluntur abſque dubio pluuię: & ſi ſerenitas, ut Leonicenus uult, eſt trāquillitati uel eadem, uel coniuncta, etiam auſtri magni ſummouentur. Ex hīs ergo iam conſtare poteſt duodecimum aphoriſmum eſſe à me intellectum: nec me latuiſſe, ita eum à primo dependere, quatenus minus uniuerſalia à magis uniuerſalibus dependent: quantum uidelicet ad primam partem primi attinet, à ſecunda eſſe omnino diuerſum, quoniā non unius tātum temporis mutationem, ſed duorum ſibi ſuccedentium continet: quæ tamen tempora in ſua mutatione conſtantiam habent, nec uel in pluribus uel in uno die euariant, quarum uarietatum prima ad ſecūdam primi aphoriſmi partem, alia ad quartum pertineret. Vnum adhuc addo, quod ad diluenda multa argumenta, quæ ex longis Galeni in Epidemiis ſermonibus Leonice. colligit, non parum proderit, aliam eſſe conſiderationem conſiſtentiarū anni in lib. Epidemiarum, & in lib. Aphoriſmorum. In hoc enim à rei natura, ut ait Gale. perſuaſus, & non ex aliqua obſeruatione, finxit potius conſtitutiones, quàm ueras recitauerit: morbóſque enumerauit, non quos uidiſſet ex illis ſequi, ſed quos ratio dictauit ex illis debere generari. In Epidemiis uero per hiſtoriæ modum & factæ conſtitutiones, & morbi qui poſt illas euenere, ex ordine recitantur: & propterea ex his quæ ibi prout acciderunt, recitata ſunt, non ſunt ea quæ in Aphoriſmis ſupponuntur interpretanda: ut ſi ibi dicit Hippoc. fuiſſe quādam hyemem εὔδιον νότιον, poſſe etiam idem in Aphor. legi credamus: & ſi annū dicit auſtralem, pluuioſum, & ἄπνοια διὰ τέλως, ex hoc putemus hyemem, de qua eſt controuerſia, eſſe auſtralem & tranquillam. Illic enim quæ facta ſunt, rememorantur. In Aphoriſmis quatuor tantū conſtitutiones adducūtur, quæ frequētius cæteris poſſunt euenire, ut ſint nobis pro exemplo ad alias inueſtigandas, ſicuti Gale. docet in expoſitione primæ conſtitutionis libri Epidemiarum. Fiunt autem hæ conſtitutiones, ſicuti & quæuis aliæ per primarum qualitatum complicationem, caliditatem ſcilicet & frigiditatem, humiditatémq; & ſiccitatē: quarum actiuas quidem per facientes eas uentos, auſtrū uidelicet & aquilonem, paſsiuas per pluuias & ſiccitatem ſignificauit. Nulla igitur cauſa eſt, cur ſemel tantum addere debuerit, uel tranquillitatem, uel ſerenitatem. Quare enim potius huic hyemi addiderit, quàm uel ueri in 11. Aphoriſmo, uel autumno in 13. Certe ſi unico tantum loco addenda, 11. addenda erat, ut in cæteris ſequentibus ſubintelligeretur. Amoueatur igitur uox illa εὔδιον, nec nobis pluris ſit Philotheus, atque alter ille quiſquis fuerit expoſitor, à malo librario deceptus, quàm Celſi, Ariſtotelis, Galeni, ipſiúſque met Hippocratis autoritas.

*Alia eſt conſideratio cō ſiſtētiarum anni in libr. Epide. & in lib. Aphoriſ.*

*Primæ qualitates actiuæ & paſsiuæ.*

Hæc ſunt uir optime, quæ non tam epiſtolæ prioris meæ, aut exiſtimationis, quàm ueritatis tuendę gratia, mihi occurrere. In quibus licet cauerim quātum ualui, ne uerbum eſſet, quo Leoniceni, uiri de literis optime meriti, & quem ut præceptorem ac patrem obſeruaui ſemper & colui, honor uel tantillum læderetur: ſi quid tamen fortè offenderis, quod aculeum aliquem habere uideatur, rem mihi gratiſsimam feceris, ſi illud ceu male natam prolem ſuſtuleris, & penitus cōfoderis. Quòd ſi totum etiam ipſum partū indignū eſſe uita iudicaueris, eſto tibi ceu honorario arbitro, uitæ, & necis arbitrium. Vale, & Manardum tuū, quem olim iuuenem ad bonarum literarum ſtudia excitaſti, tua autoritate, quę apud principē maxima eſt, foue iam ſenem. Ex ædibus noſtris, pridie Calen. Feb. M. D. XXIII.

## EPIST. II. *Pro Reuerendo Præſule à Vulpe uocato, Melancholia laborante.*

SIcuti ambigi non poteſt reuerendum hunc uirum eo morbo affici, quem melancholiam, ſiue atram bilem uocant medici, atque ut ſequens eſt, eius cerebrum, in quo omnes principales poteſtates ſedem habent, neceſſariò affligi: ita ualde dubium eſt, an primaria affectione cerebrū ipſum patiatur, uel per communicationem quandam, & uel cuiuſpiā alterius partis, uel totius corporis conſenſum. Quodcunq; horum putetur, ulterius dubitare contingit, quum diuerſæ ſint atræ bilis, id eſt, materiæ quæ hunc affectum facere poteſt, ſecundum medicos ſpecies, à quánam id fiat. Alterutro enim horum ignorato, præterquam ex accidenti, curatio ſequi recta non poteſt. Quod ad primam igitur dubitationem attinet, apud me clarum eſt, cerebrum per ſe & primario affectu, aliqua ſaltem ex parte, in hoc uiro oblædi. Perpetua enim, ut mihi relatum,

adeſt læſio,nulláqꝫ hora interquieſcens,neqꝫ uel totius corporis,uel cuiuſuis particulæ præcedentē oblæſionē ſequens:nullo enim in reliquis corporis partibus præſenſo nocumēto,triſtitia & puſillanimitas perſeuerat. Diuturnitas quoqꝫ affectionis,indicat cerebrum in ſeipſo cauſam habere nocumenti.Fieri enim non poteſt, ut membrum quod longo tempore per conſenſum & per nocumentū ab alio acceptum paſſum eſt,propriā ex antiqua patiendi cōſuetudine noxam nō contraxerit.Siue igitur ab initio cerebrum proprio & primario affectu perpeſſum ſit,ſiue aliunde detrimētum acceperit,credendum mihi omnino uidetur,hoc tempore per ſe,& primo perpeti,ac ægritudinem malæ temperaturæ pati,ab humore atræ bilis,ſeu ab ipſa proprie uocata atra bile pendentē.An uero ſemper primario affectu cerebrum paſſum ſit,uel ab initio cœperit per communicationem pati,nō poſſum certò nunc definire.Veriſimilius tamen uidetur, quòd ab initio quoqꝫ affectio hæc in cerebro extiterit,quantum quidem poſſumus per ſyllogiſmum diuiſiuum hoc pacto colligere: Affectio melancholia uocata,ut ex Galeno cōſtat libro de locis affectis,& à Paulo eū ſequuto cap.proprio,tribus fit modis:primo,quando cerebrum eſt primū patiens:ſecundo,quādo toti corpori compatitur:tertio, quando naturalibus membris,ut in ea quæ inflatiua, & hypochondriaca paſsio uocatur.Sed hęc de qua loquimur,non fuit ſecundi aut tertii modi,igitur neceſſariò ſub primo continebatur,ueluti & nūc continetur. Macilenti enim ſunt,nigri,hirſuti, quibus atra bilis in toto corpore apta eſt generari.Et ſi in aliis quibuſdam congregatur,uigiliæ,labores,ſolicitudines,tenuiſqꝫ uictus,aut cibi qui nigrum ualent humorē gignere,præceſſerunt.Albus autem eſt hic uir,ſatiſqꝫ(ut mihi relatum eſt)corpulentus,nec eo uictu uſus,qui peſsimum hunc humorem in tanta ualuerit copia congregare,ut uniuerſum corpus oppleret.A toto igitur corpore non uidetur hæc affectio dependiſſe.Quòd uero nec hypochondriaca fuerit,facile ex hoc probari poſſet,quòd ei defuerunt indicia,quæ uerbis Dioclis à Galeno tertio libro de locis affectis recitantur.Sed illis breuitatis cauſa prætermiſsis,propriis Galeni uerbis propoſitum demonſtrabo.Ait enim eo loco:Cum circa uentriculū prima cœperint ſymptomata,ipſiſqꝫ auctis melancholica ſequatur affectio, deinde alui deiectione, uomitu, proba concoctione,ructibúſqꝫ leuetur is qui laborat, hypochondriacum flatuoſúmqꝫ morbū ipſius nominabimus.Huius uero morbi ſymptomata dicemus,& mœſtitiam,& metum.Et ſubdit:Quum autem propria melancholiæ accidentia auctiora uidentur,circa uētriculum uero aut nulla,aut parua ſunt,haud ab re exiſtimaueris primitiuam in cerebro affectionem conſiſtere,ob atram bilem in ipſo congeſtam. Hæc Galenus.

*Syllogiſmus diuiſiuus.*

*Affectio melāncholiæ tribus fit modis.*

*Melācholia hypochondriaca ab Arabib. uocatur mirachialis.*

Ex quibus uerbis,additis his quæ mihi narrata ſunt, apertum eſt,non hypochondriacam,ſed cerebralē potius in hoc uiro & nunc adeſſe,& ab initio affuiſſe melancholiam,nullis in eo indiciis,aut melancholiæ uniuerſalis aut hypochondriacæ. Concludendum ergo,ut uerbis utar Aëtii,in ſolo capite eſſe melācholiam,id uidelicet quod huius affectionis iam factum eſt,uel adhuc fit:nā non eſt negandum,ſtatis & certis temporibus,quippiam eius adhuc fieri,uaporibus uidelicet,& interdum humoribus,quos neceſſe eſt ad atram bilem uergere,ad caput aſcendentibus.Hæc igitur ſunt quæ dicenda occurrerunt circa primā dubitationem.Ad ſecundæ ſolutionē accedentes,coniecturis potius quàm certis indiciis uſi,ut qui nec hominem nouerimus,nec excrementa eius inſpicere,aut accidētia poſsimus contemplari,communibus quibuſdā ſolis innitentes dicamus,materiam,quæ hunc morbum in quocunqꝫ homine facit,eſſe uel melancholicum ſuccum,uel melancholiam proprie dictam.Nā ut prætermittamus quòd hic morbus,Galeno 2.artis curatiuæ lib.atteſtante,melancholiæ nomen à cauſa ipſum faciente accepit:ab omnibus enim melancholia uocatur,indicāte nomine, ut idem Galenus inquit libro tertio de locis affectis, humorem qui ipſius cauſa eſt:hoc ex ſymptomatibus quoqꝫ colligitur,ab Hippocrate, ut notauit Galenus, in duo hæc collectis,metum ſcilicet & mœſtitiam:quæ nō alia ratione fiunt,ut Galenus 3.lib.de cauſis ſymptomatū,& iam dicto lib.de locis affectis oſtendit,(quicquid oblatret Auerroës)quàm quòd qui morbum facit humor,atro ſuo colore principalium uirium ſedem obſcurat,& tenebris ſimilem reddit,quæ terrorem inducunt,Aſclepiade ante Galenum teſte:quod certe nulli alteri adeſt,præterquàm atræ bili,uel eius ſucco. Alia enim bilis flaua eſt,ruber ſanguis,& ſi quis niger reperitur,ut is,de quo libro quarto Aphoriſmorum mētionem facit Hippocrates,craſsior & magis cōcretus eſt, quàm ut in uenis cerebri ualeat comprehēdi. Candida adeò eſt pituita,ut dixerit Galenus lib.3.de locis affectis,epilepſiam à pituita factam,non tranſire in melancholiam.A nullo igitur humore naturali, præter melancholicum,fieri hic morbus poteſt.Sed neqꝫ ab aliquo eorum qui præter naturam in corpore reperiuntur,niſi ab eo qui proprie melancholia à Græcis,à nobis atra bilis uocatur, eadem ratione,quòd uidelicet nullus eorum nigro uiſitur colore:non naturalis enim bilis,hæc pallida,quam citrinā uulgò uocant,illa crocea,quam uitellinam,tertia porracea,quarta æruginoſa.Pituitæ uero omnes albæ ſunt,teſte Galeno,cap.ſecundi libri de melancholia.Sic igitur colligentes dicamus:ſi hic morbus neqꝫ à ſanguine, neqꝫ à bile,neqꝫ à pituita fieri poteſt,ſiue naturam ſuam ſeruantibus,ſiue præter naturam affectis:ſequitur neceſſario,ut ſi ab aliquo humore fit,uel à ſucco fiat melancholico,uel ab ea quæ proprio nomine uocatur melancholia. Verum quum hæc quadruplex ſit iuxta communem medicorum noſtri temporis ſententiam,inquirendum adhuc eſt,an ab aliqua harū quatuor,uel ab ipſo naturali humore melancholico,in hoc reuerendo uiro contingat. In quo quæſito facile cognitu eſt,quòd non fiat à melancholia,quæ exuſta flaua bile generatur.Nam,ut ait Paulus,ſi aliquādo ea ſuperaſſata in nigram permutatur,uocatam uidebis maniam,in qua feraliter adeò inſaniunt,ut accedētes qui non aduertunt,aggrediantur. Auertat autē Deus Optimus Maximus,ut eò inſanię uir hic deueniat.Non difficilius quoqꝫ eſt cognoſcere,his maxime qui Auicennam ſequuntur, quod neqꝫ ab ea fit,quę ex ſucco melācholico aduſto gignitur:nō enim, ait ille,dicitur melancholia,niſi ea cuius euentus eſt à cholera nigra,non exuſta.Sed nec à ſanguinea,quoniā riſus abeſt,qui iuxta aphoriſmum eam comitatur.Supereſt igitur ut uideamus an fiat à pituita,in quo diutius immorandum,quum eius ſentētiæ ſit unus ex conſultoribus uir clariſsimus,& dudum mihi maxima familiaritate cōiunctus:cui & alius conſentit,inter celeberrimæ Bononienſis academiæ primos profeſſores reputatus.Mihi autem,ſaluo utriuſqꝫ honore,non ſolum nō in hoc uiro,ſed nec in alio quopiam fieri hūc morbum poſſe à pituita uidetur.Tantū enim eam aſſari in corpore humano non credo,ut nigra in totū euadat. Et quemadmodū ex Galeni autoritate,in expoſitione libri de ſpiritibus,ſcripſit in ſuis Aphoriſmis Moſes,in atram bilem trāſire nullo modo poteſt,etiam ſi calor adeò fortis adſit,ut urat:cui quidem Moſi licet nō ſit in omnibus credendū,nec uidere mihi illam Galeni commentationem hactenus licuerit,adducor tamen ut putem eam fuiſſe Galeni ſententiā,ex eiuſdē uerbis ſecundi libri prognoſtici,pituita exaſſata in pectore,in quo longe maior calor eſt,quàm in cerebro, fieri ſputum album,tenax & rotundum,nō nigrum,aſſerentis,nec aliquo loco pituitoſæ huius atræ bilis mentionem facientis.Quam certe ſi aliis in locis,in peculiari cōmentario de atra bile inſcripto,nō erat prætermiſſurus.Adde,quòd ſi,ut communis nūc tenet opinio,ex Auicenna orta,quilibet humor per exuſtionem in atram bilē uertitur,quinqꝫ numero erunt atræ bilis ſpecies:quare non poterunt omnes humores tam naturales quàm præternaturales, ſanguine excepto, denario numero contineri:quod tamen uoluiſſe uidetur Galenus in fine ſecundi libri de uirtutibus naturalibus, Praxagoram laudans,ad eum numerum humores omnes reducentem.Quinqꝫ enim ad minus ſunt biles,& tres pituitæ. Adde etiam,quòd neqꝫ Ioannitius,neqꝫ Serapion,neqꝫ Haliabas inter atras biles alicuius meminerunt,quæ ex pituita generetur. Nullam præterea eſſe ultra ea quæ attulimus,ex hoc probari poteſt,quòd fieri nequit,ut ex albo in nigrum mutatio fiat,niſi per medios colores,imò & per medias ſubſtantias. Norunt hoc Chymici,per multitudinem colorum ad deſideratum illud, quod caput Corui uocant,peruenientes,quum tamen in rem ſimpliciter albam nō operentur,ſed cui ſit croceum aliquod admixtum.Varios ergo naſci colores in pituita,erit neceſſe, priuſquam in atrum colorem per

*Materia faciens melancholiam duplex tantū.*

*Metum & mœſtitiā ab atra bile pꝫficiſci.*

*Melācholia, atra bilis.*

*Bilis pallida.*

*Crocea.*

*Porracea.*

*Aeruginoſa.*

*Mania à flaua bile exuſta.*

*Non poteſt melancholia à pituita fieri.*

*Non poteſt pituita in homine tantum aſſari, ut nigra in totum euadat.*

*Chymici.*

*Corui caput apud alkimiſtas.*

exu

exuſtionem permutetur, imò & uarias ſubſtantias, quarum aliquæ ad pituitæ naturã, aliquæ ad nigrã bilẽ proximius accedant, iuxta minorem maioremúe aduſtionem: ſicuti & in ipſa flaua & pallida bile contingit, quæ primo in uitellinam, ſecundo in porraceam, tertio in æruginoſam trãſit, priuſquam in exactã atram bilem transmutetur. Sed in pituita tanto plures fieri medias ſubſtantias, mediósq; colores quàm in bile oporteret, quanto maior eſt diſtantia albi quàm flaui coloris, à nigro. Hanc autem pituitarũ aut nigrarũ bilium uarietatem, nec ad ſenſum percipimus, neq; apud medicos legimus de humoribus ſcribentes.

*Bilis trãſmutationes.*

Quod uero præclari hi conſultores Auicennam ſequuti imaginãtur, pituitã per congelationem in cerebro ad atram bilem conuerti, mihi in captum mentis haudquaquam uenit.

*Pituita in cerebro cõgelari non poteſt.*

Ad tantam enim frigiditatem uiuentis hominis cerebrũ uenire non poteſt, ut congelandi uim habeat. Siquidem ut Gal. docet 8. lib. de uſu partium, calidius aẽre eſt, etiam æſtiuo.

*Cerebrũ aẽre æſtiuo calidius.*

Alioqui neq; ſtatim neceſſe eſt pituitam congelatam ita exiccari, ut in melancholiam conuertatur. Videmus enim aquam in gelu cõuerſam, uirtutem adhuc humectandi retinere. At ſi maiorem in humano corpore fieri congelationem imaginentur, certe nõ maiorem faciet ſiccitatem ea quæ in gipſea uocata pituita reperitur, quæ tamen & nomen & colorẽ pituitæ non amittit.

*Pituitã congelatã in melancholiam non uerti.*

Quæcunque igitur humiditatis remiſsio in pituita intelligatur, ſicuti media inter aquoſam & gipſeã erit, ita neceſſariò intra pituitæ limites continebitur.

*Pituita gipſea.*

Sed nónne uidemus in omnibus pituitæ ſpeciebus ad extremam uſq; duritiem, qualis in ſcirrho ſentitur, peruenientibus, manifeſtam albedinem ac luciditatem tetro melancholiæ colori, & ut ſequẽs eſt, his quæ eam conſequuntur accidentibus aduerſantem? Quod aduertẽs Galenus in cõmentario de tumoribus præter naturam, ſcirrhũ à craſſa & tenaci pituita factũ, ab eo ſeparauit qui à ſucco fit melancholico. Si igitur pituita ad ſummã ſiccitatem euecta, inter pituitas, non inter atras biles numeratur, quo pacto res quæ minorẽ habet ſiccitatẽ, debet atra bilis exiſtimari? His itaq; & rationibus motus, & Galeni clypeo munitus, nõ uerebor ab Auicẽnæ & cõmuni recentiorũ ſentẽtia abſcedere, nullámq; atrã bilem ex albiſsimo inter humores phlegmate, neq; per exuſtionem, neq; per congelationem factam agnoſcere: ſed morbum qui melancholia uocatur, ita in hoc uiro, ſicuti in cæteris, ab eiuſdem nominis humore fieri affirmare.

*Ab Auicenna deſciſcit.*

Quod tamen nõ ita obſtinate defendo, ſi mihi contrarium oſtendatur, quin ſim manus daturus. Nullam autẽ in his quæ ab excellentiſsimis tribus medicis conſultoribus ſcripta mihi oſtenſa ſunt, rationem uideo, quæ me ad illarum ſententiam cogat accedere. Nam argumentum, quod unum ex alterius ſententia mihi obſtare uidetur, à iuuamento ex uacuatione pituitæ ſequuto acceptum, Auicenna ipſe ſoluit, dicens: Non ergo te ſeducat iuuamentum quorundam propter phlegma quod ipſi euacuant uomendo uel egerendo: nam illud non eſt propter euacuationem phlegmatis iuuantem ipſos: imò quoniam multitudo & compreſſio humorum adinuicem remouetur ab eis. Verum iuuamentum eſſentialiter eſt euacuatio choleræ nigræ. Interim autem, donec aliud mihi oſtendatur, quæ hactenus confecimus colligentes, ex eis breuiter curationem eliciamus.

Reuerẽdus hic uir ægritudine propria cerebri laborat, melancholia uocata, quæ eſt mala cerebri temperatura, frigida & ſicca, ab humore atrę bilis partim facta, partim fiẽs, partim futura fieri: qui quidem humor uel nequaquam exuſtus eſt, uel modicè Symptomata morbum comitantia ſunt, timor, triſtitia, puſillanimitas, cum corruptis quibuſdam imaginationibus.

Facta igitur ægritudo calidis & humidis indiget: fruſtra autem hæc adhiberentur, faciente cauſa in cerebro permanente. Eſt igitur hæc antea per euacuationẽ amouẽda. Verum quia & hæc fruſtra tolleretur, ſi præſtò eſſet in corpore alia ſimilis materia apta ad cerebrũ ferri, ideo & hãc uacuare oportet, & ne de cætero rurſus abundet præcauere, cerebrúmque ipſum demũ roborare, ut ſi qua fortè regeneretur, eam à ſe pellat.

*Intẽtiões curatiuæ melãcholiæ per proprietatẽ in cerebro.*

Erit igitur una & prima intentio, ad quã ultimo reſoluendo deuenimus, humoris melancholici in corpore abundantis euacuatio. In omnibus enim in quibus cauſa faciens adhuc adeſt, ab ipſa curatio inchoãda eſt, autore Galeno quarto Therapeutices. Secũda, euacuatio eius qui in capite eſt. Quæ duę intentiones, ſi exacte loqui uoluerimus, præſeruatiuæ potius ſunt quàm curatiuæ: ſicuti & ea quæ præcauet ne humor hic abundet, & quæ cerebrum roborat, ut uel non recipiat uel repellat, ſi quid eò feratur. Tertia uero in ordine ſola & uerè curatiua eſt ea quæ prima occurrit, & ad iam factam uertitur ægritudinem, contraria uidelicet ad calidum & humidum alteratio.

*Atræ bilis euacuatio.*

Euacuatio melancholici humoris in toto corpore inuenti, à uenæ ſectione, ſi Galeno credimus, eſt inchoanda.

*Venæ ſectio.*

Verũ quia nõ certis indiciis cognoſcimus, ſanguinem melancholicũ in uniuerſo corpore dominari, ſed contrariũ potius ſuperius collegimus, Galeni cautione utemur, qua tum aliàs, tũ in hac ipſa, de qua loquimur, affectione utitur, ut ſcilicet fluentem ſecta uena ſanguinem inſpiciamus, & ſi ater fuerit, tantũ fluere ſinamus, quantũ ſatis eſſe coniecerimus: ſin ſecus, cohibeamus.

*Galeni cautio in ſecãda uena.*

Vena autẽ huic ſectioni magis idonea erit, quæ in cubito media.

*Venamedia.*

Ab hac autẽ uenæ ſectione inchoandũ putamus, tametſi non in toto corpore, ſed in cerebro cauſam morbi eſſe putemus, tũ quia in tam diuturno, quo uexatus eſt tempore, uix fieri poſſe exiſtimamus, quin ob longos mœrores uniuerſus ſanguis ad melancholicum ſit mutatus, tum quia Galenus, ubi ſolum cerebrũ ſanguinem continet melancholicũ, non in totũ reiicit uenę ſectionem, ſed quantũ ad ipſam diſpoſitionẽ attinet, dicit non eſſe neceſſariã, innuens, ratione alia poſſe eſſe opportunã. Quã rationẽ explicãs Aëtius, addit, Niſi multi ſanguinis fuerit ægrotus. Eſſe autẽ hũc uirũ multi ſanguinis, & medicus ille qui mecum hac de re loquutus, & monachus qui me conſuluit, atteſtati ſunt.

*Sanguinis per hæmorrhoidas prouocatio.*

Ad eandem intentionẽ pertinet ſanguinẽ per hæmorrhoidas prouocare. Notũ enim illud Hipp. Maniacis, uaricibus aut hæmorrhoidibus ſuperuenientibus, maniæ ſolutio fit. Quo loco melancholicos proprie uocatos intelligere debemus, ſi Galeno credimus. Hanc autẽ hæmorrhoidum prouocationem, licet multifariam efficere poſsimus, cõmodius tamen per purgatoria medicamina, & per clyſmata faciemus: quæ & propria ratione adeò congruũt, ut eorum aſsiduus uſus ualde ſit in hac uacuationis intentione neceſſarius. Quãdo enim (ait Paulus, de his loquens quibus cerebrũ primo afficitur) ob tẽporis diuturnitatẽ humor eſt factus difficile mobilis, uarias & fortiores curationes adhibere oportet. Purgãdi ergo ſunt ſtatim ab initio per epithymum aut aloën: quorũ ſi modicũ quotidie aſſumpſerint, maxime iuuabũtur, & quietẽ cõſequẽtur.

*Purgatio per initia facienda.*

Laudauit quoq; Aëtius, ut uẽter quotidie leuiter ſubduceretur, per amaracũ & ſerũ non ex caſeo factũ, ſed ex lacte uel equino uel bubulo. Quo pacto uero à lacte ſeparandũ ſit ſerũ, docet Dioſcor. cap. de lacte, ſimúlq; etiã bibendi modũ, quippe ut per interualla, heminæ, id eſt, libræ ſ. bibantur, minus tamen pondus bibenti quotidie fortè ſufficiet. Amaracum uero intelligo herbam apud nos corrupto uocabulo Marellam uocatam: medicorum uulgus & officinæ Matricariam uocant, Auicenna uehuen, de qua Dioſcorides ſcribit ſub nomine Partheniij.

*Amaracus.*

Ego pro omnibus his utor Sena, quæ licet non multo antea in uſum uenerit medicorum, illaborioſe tamẽ melancholiam & exuſtos humores purgat, & ſecurè quotidie bibitur, additis diuerſis rebus, iuxta laborantis temperaturam, ætatẽ, horam, & reliqua id genus, quæ in omni ſua operatione medicus ante oculos ſemper habet. In hoc autem uiro, præterquam æſtatis tempore, flores uel ſemina roriſmarini maxime puto congruere, & roſas, uel earum potionem æſtate. Primo tamen, ut dixit Rufus, habenda eſt cura bonæ concoctionis.

*Roriſmarini ſemen.*

De Clyſmatibus inquit Aëtius: Poſt uenæ ſectionẽ & purgationem, interpoſitis aliquot diebus, clyſteribus euacua. His auxiliis ſi ſanguis per ora uenarũ ani exierit, non erit ęger alia moleſtia propter hoc afficiendus: ſin minus, ſanguiſugis, aliiſue aptis ad id notis medicamentis promouẽdus.

*Clyſmata.*

Ad hanc quoq; intentionẽ pertinet uomitus, de quo idem Aëtius: Vomitus per maiora interualla prouocandus, non à cibis, ſed ieiuno: nec cũ fortibus, quoniã ſunt nocua. Auicenna uero dixit, accerſendum uomitũ, ſi in ſtomacho ſit aliquid quod in ęgritudine faciat augmentũ, & ſi non eſt ęgritudo uehemẽtis debilitatis. Verba autem hæc ultima torſerunt expoſitores, quoniam non bene leguntur in communibus exemplaribus: legendum enim, Et non eſt ſtomachus uehementis debilitatis. Quibus uerbis conſonant alia

*Vomitus.*

*Auicēnæ locus emendatus.*

Auicennæ uerba, ubi loqui incipit de melancholia in cerebro cōfirmata. Ait enim: Euacua per clysterem & uomitū, nisi in illo cuius stomachus est debilis. Huc quoq; spectāt, id est, ad euacuationem materiæ in toto repertæ, urinæ & sudoris prouocatio. De his enim inquit Paulus: Bonæ autem & diureticæ uirtutes, & sudorum purgationes. Vtrunq; igitur procurandum, adhibita tamen cautione, ne calidioribus utentes, eam quæ adest atram bilem exuramus, aut nouam in corpore crescere faciamus. Hæc quidem sufficere puto ad primam intentionem exequendam.

*Vrina. Sudor.*

*Euacuatio humoris in capite contenti.*

Secunda intentio, hoc est, humoris in capite contenti euacuatio, iisdem ferè auxiliis, quibus & præcedens, absoluitur. Erit igitur & hanc ob causam uena secanda, si multi (ut relatum mihi est) sanguinis hic existit: primum quidē humeralis eius partis, ut bene hoc loco dixit Auicenna, in qua caput est grauius, facta prius sectione basilicæ, si in toto corpore abundare sanguis uideatur: dehinc ea quæ in fronte est media. Erit enim hic ordo eo casu seruandus, ut primo media, iecoraria secundo, tertio humeralis, quarto uena frontis incidatur. Hoc enim uoluit Auicenna, si eius uerba bene legantur & intelligantur. Sic enim scribendū est: Et quādoq; necessarium erit tibi ut phlebotomes basilicam, cū inuenis signa cōmunia, scilicet multi sanguinis in toto corpore, & ante phlebotomiā uenarum frontis, quia tunc mouebit plus. Sanguis ex naribus prouocandus, hirudines post aures admouendæ, cucurbitulæ inter spatulas: tum quoq; per nares & palatum materia euacuanda, atq; etiam per capitis cutem occulta & sensum fugiente difflatione. Pleni autem sunt medicorū libri medicamentis, quibus hæc tria postrema peragētur. Vtilia autem in distrahendo & uacuādo sunt, frequentia balnea, sed dulcium, non medicatarum aquarum. Siquidē humectandus est hic uir, nō exiccandus. Calida autem sunt & sicca, inquit Paulus, omnia spōtanea balnea, Galenum sequutus, tum alibi, tum 1. lib. Salubrium. Ego utrorūq; uestigiis hærens, monacho consilium super his aquis pro hoc uiro petēti, absolute eorum usum in balneis interdixi: potum tamē aquarum earundē eatenus concessi, quatenus purgationem facit dominantis humoris: in qua tamen & illud cauendum, ne propria ui, aut longo usu, nimis calefaciant uel exiccent.

*Balnea.*

*Balnea spōtanea calida & sicca omnia.*

His peractis, satis arbitror occursum esse & futuræ ægritudini, & ei quæ adhuc fit: superest ut ei quæ facta est, id est, malæ temperaturæ, frigidæ & siccæ, nos opponamus. Illud fiet, si tantū calefecerimus humectauerimúsq; caput, quantū frigefactum & exiccatum esse ultra naturalem habitū cognouerimus. Ad hoc autem maxime confert uictus ratio, quę tanti momenti est, ut absq; alio præsidio, ea sola se multos Galen. curasse testetur. Cibus igitur, inquit Paulus, esse boni succi debet, & modice humectans. Aliæ quoq; res quas non naturales medici uocant, ad easdem qualitates uel actu uel potestate uergant. Ineptus autem sim, si ad particularia descēdam, omnibus nota, præsente præsertim tam docto medico, cui nō solum hæc quæ in propatulo sunt, sed etiā quæ plerosq; medicorum latent, sunt apertissima. Illud potius non prætermiserim, ultra uictus qualem diximus rationē, caput quoq; ipsum esse humidis calidisq; & fomentis & lotionibus, præsertim ex altioribus locis guttatim cadentibus, abluendum: hoc adhibito moderamine, ut uel utraq; simul misceantur, uel per uices modo hoc, modo altero utamur, cauentes ne tenuioribus partibus per calida exolutis, terrestriores ineptæ omnino resolutioni dimittantur: uel per sola humentia tota materia ita incrassetur, ut ex melancholia comitialis morbus sequatur. Bene igitur monuit Auicenna, utraq; cōmiscenda, ubi curam eius melācholiæ exequitur, quæ est in cerebro confirmata: licet eius uerba non bene in communibus codicibus apponantur. Sic enim legendum erat: Et secunda est, ut administres cum euacuatione humectationem assiduè, cum embrochis & oleis calidis, & ponas in eis ex medicinis, sicut chamæmelon, & anethum, & melilotū, & radicem lilii, ut nō incrassetur humor propter resolutionem puram in qua nō est lenitas, necq; incrassetur cum his quæ humectant, & non est in eis resolutio. Clarius autem hoc exequutus est Ioannes cognomēto Mesue, capite de cura doloris capitis à melācholia, & proprio capite de melancholia, in utroq; loco citans Galenum: quanquam ego cum perlegerim totum Galeni librum de medicamentis secundū loca patientia, ad quem maxime hæc pertinebant, nullibi hanc sententiā inueni: sicuti nec Senam in musto misceri, quod tam alienū est à Galeno, ut iureiurando affirmare possim, nullā esse in Galeni libris Senæ mentionem. Nullibi etiā apud eum legi, iure hœdi aut ueruecis caput abluendum: quæ tamen omnia affert Mesue ex Galeni autoritate. Nec hoc dixerim, quòd ea prẹsidia uelim respui, sed ut cognoscatur, tantum huic Mesue nō esse attribuendum, ut quicquid scripsit, absq; alia indagine (qđ multi faciunt) pro oraculo habeatur, quū multi in eo nō aspernandi inueniantur errores: quale est illud, quod ex eiusdem Galeni sententia, uitanda esse docet urinam prouocātia, cuius nos contrarium autoritate Pauli superius docuimus. Sed & ipsemet Galenus in cura quartanæ commendat res urinam mouentes, utiturq; diospolitico, & diatriōpipereon uocato medicamine, imò & ipso pipere. Non igitur Galenus fuit, qui urinam prouocantia prohibuerit, sed Auicenna: nec cap. de melancholia, sed de mania: nec tamen prohibuit omnia, sed ea quæ plurimum prouocāt. Nam Paulū sequutus, radicē & semen equini fœniculi quotidie præbet, ac bryoniæ, id est, uitis albæ radicem.

*Auicēnæ locus emendatus.*

*Apud Gale. non est Senæ mentio, cōtrà quàm dixit Mesuas.*

*Error Mesue.*

*Hipposelinum.*

*Bryonia.*

Hæc igitur sunt quæ mihi relatis inhærenti, de affectione & curatione huius uenerabilis uiri occurrere, quibus ipsum spero, eo iuuante qui solus languores sanat, sanitati pristinæ restituendum. Quòd si omnibus peractis statim non successerit, non ilico spes abiicienda est. Quemadmodū enim scripsit Aëtius, & nos quādoq; experti sumus, multi tempore curationis nihil adiuti post eam roborata natura cōualuerunt. Cuncta autem quæ scripsimus, arbitrio ac iudicio prẹsentis medici subiicimus, uiri solertissimi & studiosissimi. Ex Ferraria, pridie Calend. Iunias. M. D. XXIIII.

EPIST. III. *In qua multa simplicia Medicamina dilucidantur. Ioannes Manardus Hieronymo Carezono S. P. D.*

SEro quidem respondi literis tuis, si tempus spectetur quo sunt datæ: citò, si id tempus spectes quo sunt redditæ: citissime, si nodi considerentur, quos petis dissolui, qui tot sunt, atq; ita constricti, ut uix ab ipso Hercule enodari possint. Tuum igitur erit ignoscere, si non omnibus manum admouero, & si hos etiam quos aggrediar, non penitus dissoluero: malui enim tibi minus sapere putari, quàm minus diligere, præsertim quum Hieronymus Augustonus communis amicus te desiderare responsum per plures antè dies significasset, quàm tua mihi fuisset reddita epistola. Eodem igitur quo tu uteris ordine, ne te diutius protraham, iam rem aggredior.

Nascaphthon Paulus Aegineta Naocaphthon uocat, & à quibusdā dici ait Nacaphthon: nec plus de eo docet capite proprio, quàm esse Indicum aroma. In descriptione autem Cyphi Niliaci, Lacaphthon dicit esse corticem piceæ, uel alterius arboris, ubi eandem rē intellexisse mihi uidetur cū Nascaphtho, ut etiam Hermolaus putauit. Theophrastus inter aromata quæ unguētis miscentur, Nartam reponit, libro nono de historia plantarum: quam esse eandērem cum Nascaphtho, suspicor potius, quàm certus decernā. quod si uerum est, fortè pro Narcaphtho apud Dioscoridē legendū Narcaphthon. Hæc sunt quæ hactenus cognoscere ualui de Nascaphtho: nec temerè arbitror inuenias, qui docere certū aliquid de eo possit, peregrina semper re, & quæ iamdiu apportari ad nos desierit. Nuper tamē ex Thoma Lucensi, arte quidē seplasiario, sed eruditione multos medicos excellente, didici, corticem qui uulgò Tegnamen dicitur, esse Nascaphthon.

*De Nascaphtho.*

Halimon (ni fallor) uidi aliquando iuuenis in maritimis Vmbrię, mōstrante Vlysse Lanziareno, uiro omniū bonarum artium studioso, & in herbaria (quantū illa ferebat ætas) erudito: quo uero nomine ab eo diceretur, non satis possum meminisse. Scio ab Auicenna in secundo libro de ea scribi, sub Melliæ nomine, & à Serapione sub nomine Molochiæ, & alio nomine Atriplicē marinam ab eodem uocari. Scio etiam tum in historia, tum in uiribus aberrasse hunc barbarum. In historia quidem, quòd plures spinas habere dicit, quàm Hausegi, id est, Ramnus, habeat: & id quidem ex Dioscor. sententia, qui apertis uerbis carere spinis scribit. Saporem etiam ex Galeni sentētia ei dicit esse amarū, salsum cum

*De Halimo.*

*Error Serapionis.*

pauca

pauca ſtypſi, quum Galenus nullam ei attribuat amaritudinem, ſed ſalſum & ſubſtyphonta tantum ſaporem. Habere etiam inflammationem paucam, uitio tamen (ut puto) librarij, legendum enim inflationem. Radicis drachmas duas cum melicrato potas conquaſſationi conferre neruorũ, ſedare dolores, & prouocare lac ſcribit autore Dioſcoride: qui tamen non duas, ſed unicam drachmam, lenire tormina rupta & conuulſa dixit, & facere lactis ubertatem.

*De Ramno.*

Ramnũ, Hauſegi uocat Auicen. licet falsò dicatur rubus. Eſto enim quòd Ramnus inter rubos à Theophraſto alicubi numeretur, neq; ipſe tamẽ, neq; alius bonus autor, ſimpliciter affirmauerit ramnum eſſe rubum: minúsq; quàm cæteri hoc dicere poteſt Auicẽna, qui aliud caput ſcripſit de rubo, ubi dicit quoſdam dixiſſe rubũ eſſe Alhauſegi: qui loquendi modus oſtendit, eum ſic dicentium opinionem non ſequutum. Quicquid autem de hoc ſit, conſtat rem, quæ nunc dicitur rubus, diuerſam eſſe ab ea, quæ capite de Ramno à Dioſcoride deſcribitur. Spinam uocatam ceruinam, ego ſemper arbitratus ſum genus eſſe Ramni. Marcellus contrà ſentit, leuibus (ni fallor) argumentis: quòd uidelicet Ramnus frutex, non arbor eſt, nec eius materia rubro colore uiſitur, quum ſpina uocata ceruina iuſta arbor ſit, & tota rubeat. Quod enim ad magnitudinem attinet, memini me olim puerum uidiſſe ceruinum ſpinum, uix duas ulnas à terra elatum, fruticémque potius quàm arborem præ ſe ferentem. Quòd ſi ſpecie arboris quandoq; uiſitur, nõ facit hoc, quin natura ſit fruticoſa. Vidi enim quandoq; Florentiæ braſsicam, quæ proceritate multas æquabat arbores, & quaſdam etiam ſuperabat: nullus tamen propter unam alterámue talem, braſsicã inter arbores numerauerit. Sed & ipſemet Marcellus paliurum, quem affinem Ramno facit, quandoq; arboreſcere, quandoq; fruticis naturam ait non excedere. Ex colore etiam non ſatis ualidum colligitur argumẽtum: non enim in totum rubet ceruini ſpini materia, ſed extrorſum candida quum ſit, introrſum rubet. Sint igitur uel non ſint idem Rãnus & ceruinus ſpinus, neq; enim hoc nunc decerno, argumenta certe Marcelli nõ ea oſtẽdunt diuerſa. Tantiſper igitur ceruinus ſpinus mihi pro Ramno ſtet, donec alia ſpina compareat, quę eum loco dimoueat: non utar tamen ea, quum nota ſint multa, longéq; magis expoſita, quibus poſsim in eryſipelatibus & herpetibus uti. Vim eius in herpetib. tacuit Auic. ſicuti & quod pro amuleto ſit, in foribus & feneſtris ſuſpenſus, ad mala arcenda medicamina: qui tamẽ in hoc minus peccauit, quàm Serapion pro malis medicamentis propriam ſcribens arboris operationem.

*Braßica ingens.*

*De Paliuro.*

Paliurum ſi dixero me uidiſſe, dicam quòd certũ mihi non eſt: ſi non uidiſſe, id quod eſt ambiguum. Videor enim uidiſſe inter ſepes uaria fruticũ genera ſpinis obſita, atque in his fortè Paliurum. An uero aliquo in loco arboreſcat, incertum mihi eſt. Vergilius carduis eum iungens, arborem putaſſe non uidetur: nec in carminibus ſuis Columella, rubis, herbísq; potius, quàm arboribus connumerans. Aliquo tamen in loco arborem fieri, Agathoclis & Theophraſti teſtimonio, credendum: quibus conſentire Plinius quoq; uidetur, loto eum coniungẽs, quam pyri eſſe ſcribit magnitudine, Theophraſtum ſequutus.

*De loto.*

Fuit autem & ipſa lotos quandoq; Italiæ familiaris, nunc adeò rara, ut ferè pro miraculo ab aduenis ſpectaretur ea, quæ prope templum diuo Antonio dicatũ Patauij Hermolao uiuẽte uidebatur. Scribit de fructu eius Auicenna, ſub nomine grani Aneſcen, non abſque tamẽ errore, ut ferè ſolet: magnitudine enim piperis eſſe dicit: dicẽte Dioſcoride, & eum ſequuto Serapione, quod maius eſt, & Theophraſto fabæ æquante. Tacet dulcedinem, odoris boni dicit, quum Dioſcorides dicat grauis. Addit coloris ſimilitudinem, quem tacet Dioſcorides. Plinius croci eſſe dum eſt maturum, ante maturitatem alium atque alium. Addit & quòd facilius frangatur, & neſcio quid de medulla: quæ unde acceperit, diuinare non potui. Sed quod peius omnibus his eſt, ponit calidum & ſiccum in ſecundo ordine, quum Razes & Serapion reponant inter frigida: Galenus & Paulus ſiccitatis mentionem faciant, ſed actiuas (ut philoſophi uocant) qualitates reticeant. Serapion arborem uocat Sadar, fructum Nabac, quem ſequutus uidetur Auicenna. Nam præter ea quæ ſuprà ex eius diximus ſententia, de Sadar quoque ſcripſit capite 631. nihil tamen aliud de ea tradens, niſi quòd ad caput de Nabac, lectorem remittit, nulla habita mentione eorum quę de grano Aneſcen ſuperius ſcripſerat. Ex quo colligi facile poteſt, id quod ego ſæpe ſoleo dicere, Auicennam ſuo de medicina libro ultimam manum non appoſuiſſe: ſed quæ occurrebant, à uarijs autoribus ſumpta, in unum uolumen congeſsiſſe, digeſturus per ocium, ſi licuiſſet. Celtis hæc arbor Latine dicitur, & faba Græca uel Syriaca, quia autore (ut diximus) Theophraſto, fructum fert magnitudine fabæ.

*Auicẽnæ error in Aneſcen.*

*Auicẽnã ſuo de medicina libro ſupremam manũ non appoſuiſſe.*

*De Hiberide.*

Hiberidis nomẽ duabus herbis adſcriptum inuenio: uni, quam Naſturtij folia habere, in fine primi libri ſcribit Dioſcorides, & libro uigeſimoquinto Plinius: alteri, quæ fruticoſa & lauri folio, niſi maius longe eſſet, cuius inter coxendicis remedia meminit Aegineta, alióq; nomine uocari dicit Lepidion: de quo Lepidio ſcribit Dioſcori. libro ſecundo, nulla eius ceu notæ herbæ parte depicta. Plinius libro decimonono, laurinis folijs eſſe, ſicuti Paulus, ſcribit: ſed mollioribus, non maioribus, ut Paulus: niſi & in ipſo Plinio deprauatus locus ſit, & pro mollioribus, legendum ſit maioribus. Arabes ſub uoce Sceitaragi, de Lepidio loquuntur: licet Auicenna ſub eodem nomine de ligno quodam Indico, & de fructu alio pertractauerit, atque ultra hæc nonnulla adiecerit, quæ de Hiberide à Dioſcoride uidentur accepta: quod tamen caput ego poſt Marcellum fini primi libri ſimul cum capite de halicacabo, Dioſcoridi accreuiſſe puto. Non enim in eum locum ubi de arboribus tractatur, congruum erat duas illas herbas non uocatas irrepere: & quum de Halicacabo libro quarto inter Strychni genera abunde diſſeruerit, ſuperuacaneum omnino fuerat de ipſo ſeorſum, & importuno adeò loco pertractaſſe. Quare probandi uidentur codices, in quibus caput illud ultimum non inuenitur: quo ſummoto, non uideo quo pacto Hiberis herba, ſola poſsit inter tot arbores comparere, præſertim quum nec Galenus nec Paulus proprium de Hiberide caput ſcripſẽrint, contenti de Lepidio ſcripſiſſe, quod uocari à nonnullis dicunt Hiberida. Huic ſi acceſſerimus ſententiæ, Hermolaóq; conſenſerimus, Lepidion eſſe herbã, quæ nunc uulgò apud nos Raphanus dicitur, affirmãti, quæ à Pannonibus, apud quos in continuo uſu ad carnium & piſcium condituram eſt, Turma dicitur, apud alios, ut audio, Myroraphanus appellatur: cui in guſtu & uiribus tanta eſt cum Naſturtio affinitas, ut Cardami nomen tertium apud antiquos meruiſſe putanda ſit: quod & apud ſciolos quoſdam, & grãmaticos, & medicos adhuc reſeruat, Naſturtiũ ſcilicet nuncupantibus. Si his utiq; cõſenſerimus, Hiberis erit notiſsima ſub Raphani nomine. Si uero de prima Hiberide loquamur, de qua Dioſcorides libro primo, & Plinius uigeſimoquinto, utiq; fatebor hanc mihi incognitam, niſi inter Naſturtij genera deputetur.

*Capita duo Dioſcor. accreuiſſe.*

*Raphanus.*

*De Siluro.*

*Paulus Iouius.*

Silurum piſcem eſſe quem nũc uulgò Sturionem uocamus, in nuperrime uulgato de piſcibus Romanis libello, multis rationibus probare contendit Paulus Iouius, inter eos qui hoc ſeculo medicinam bonis literis coniunxere, eminentiſsimus. Cui ſententiæ cur nõ accedam, multa me, licet inuitum, cogunt: non enim libenter à tanti uiri, atq; etiam amici ſententia recedo. Primũ eſt, quòd Silurus dẽtes adeò duros habet, Ariſtotele teſte, ut morſu hamos frangat. Nullos autem eſſe Sturioni dentes, & omnes ſciunt, & ipſemet Iouius atteſtatur. Silurus eodem autore dãnatur, quum fert oua, Nos autem fœminas Sturiones ouis plenas plus quàm enixas probamus, nõ uſq; adeò tamen, ut maribus, quod idem in Siluris facit, præferamus. Silurus Canis exortu, quia ſublimis innatat, ſideratur: Sturiones eo tempore maxime commendamus, imò (ut ipſemet Iouius ait) in medijs tantum ſolſtitij feruoribus laudantur. Adde, ſi placet, quòd Silurus, Plinio teſte, omne animal graſſando appetit, ut & innatantes equos quandoq; demergat: quod facere nullus unquam Sturiones uidit, ceu ſegnitiem potius, quàm tantam agilitatem præ ſe ferentes: alioqui quo pacto magna animalia uel læderent, uel tenerent, quum dentibus careant? cur etiã in tam uaſta animalia inſiliant, quum non niſi minutiſſimis & ſugendo ueſci poſsint? Mitto longam illam, & quaſi ſingularem ouorum cuſtodiam, de qua Ariſtoteles, & eum ſequutus Plinius: & quòd fluuiatilis ſemper ab Ariſtotele dicitur, neque inter eos piſces connumeratur, qui ex mari ad flumina aſcendunt: è quorum

*Silurum nõ eſſe Sturionem, manifeſtis rationibus probatur.*

numero Sturionem esse, nec ipse Iouius diffitetur: & quòd præcipuæ magnitudinis est Silurus, nec minus quindecim talentis aliquando pendet, teste Plinio, ad quam molem nullus Sturio protenditur.

Vnum est quod plurimum apud me potest, quòd scilicet Plinius prope Padū natus, & qui propter Tyberis ripas uixit, Silurum, si esset Sturio, peculiarem Nilo non fecisset: sed Attilo potius Padano, sicuti magnitudine, ita natalibus associasset. Hæc sunt quæ me à Iouij sententia uel inuitū retrahunt, rationibus præsertim, quibus utitur, me non retinere ualentibus. Maxime enim adductus ad id opinandum est, quia mirum ei uidebatur, quòd Silurum apud antiquos celebratū, hac ętate ignoremus: & Sturionem ex aduerso nunc celeberrimum, quo nomine ab antiquis dictus sit, plurimum dubitemus. Minimam autem hoc argumentum apud me uim habet, qui (iam supra tertium dicimus agitur annus, dum Vladislai Pannoniarum regis saluti inseruirem) non semel uidi piscem, quem indubie Silurum esse, præter reliqua, hoc argumento putaui, quòd in animalia quantumuis magna, in Tybisco præsertim flumine, quod Istrum influit, audacissime adeò insurgit, ut nec hominibus parcat. Publica enim apud Pannones fama est, aliquando captum, in cuius uisceribus humana manus ornata anulis inuenta sit.

*Silurū apud Pānones haberi.*

Vocant incolæ hūc piscem (si recte memini) Acchiam, uastissimo ore, & durissimis dentibus armatum, figura gobio similem, eáq; aspectus atrocitate, ut terrorem etiam mortuus uideatur spectātibus afferre. De nomine uero Sturionis apud antiquos, ut ab illis in totum dissentio, qui Lupum uel Attilum notissimos nunc pisces arbitrati sunt: ita alteri illorum accedo, qui uel Torsionem, uel Hyccam putauere. Vter autem uerior, non opus est esse me hoc loco arbitrum: satis enim fuerit id quod petis declarasse, quem scilicet piscem esse nunc Silurum existimem. Sturione igitur & Siluro nunc sepositis, ad minutiores pisces, hoc est, Smarides, me conuertam.

*Sturio, uel Torsio, uel Hycca est.*

*De Smaridibus. Mænulæ.*

Smarides maritimi pisces adeo Mænis similes sunt, ut ab eodem nomine utraque Mænulæ nunc uulgò dicantur: plebeij certe & uiles adeò pisciculi, ut non numero aut pondere, ut ferè reliqui, sed aceruatim inuitato etiam emptore, Venetiis uendantur.

*De eruo. Orobū ignorauit Auicen. ut multi etiā nostro æuo.*

Eruum, Græci Orobum, Auicēna cap. 331. herbam Iudaicam: capite uero 353. Herbum uocauit: ignorare tamen uisus, quę res esset, sicuti & à multis nunc quoque seplasiariis & medicis ignoratur, granum quoddam nigrum, Vitiam potius quàm Orobum referens, pro ea capientibus, quum sit in Tuscia notissimum, Vidi ego Florentiæ album & rufum.

*De Sisere.*

Sisere, siue Sisarum, in Italia non uidi: in Pannonia uidisse me puto & Germania eius radicem, napi figura & magnitudine, luteo colore, iucundo satis odore, & sapore adeò grato, ut ad nobilium quoque mensas ueniat cum bubulis carnibus elixa: ut minus mirandū sit eam Tiberium è Germania flagitasse, ut scribit Plinius.

*De Atriplice.*

Atriplex notissimum semper fuit olus, Atreplexū antiqui uocabant: unde uulgò apud nos nomine parū decurtato, Trepexum adhuc nominatur. Dicitur & alio nomine à Græcis Chrysolachanum, quasi aureum olus dixeris: cuius quoddam genus dicit Plinius in pineto nasci, lactucæ simile: hoc ego plerunq; suspicatus sum esse olus nunc apud nos commune, Spinacia nominatum. Quod si uerum est, non bene ab Hermolao hi reprehenduntur, quibus uidetur Atriplex idem esse cum Spinaciis: erit enim idem eo modo, quo genus est idem cum specie, ut Atriplicem, seu, quod idem est, Chrysolachanum duas sub se species continere intelligamus, Spinacia uidelicet, & Trepexum.

*Spinacia, Atriplicis forte genus.*

*Plinij locus emendatus.*

Quare uero Plinius dixerit in pineto illud nasci, non satis est mihi compertum, subesse tamen mendā puto, & pro pineto legendum nomen aliquod, quod à spina deriuetur. Nec unica hæc in ea mentione dubitatio, sed aliis etiam sociata pluribus: ut, quod secundū genus foliis esse oleris dicitur: incertum enim est inter tot olerum gēnera, & diuersa folia, cuinam simile statuatur. Ibi quoq; oriri ambiguitas potest, ubi dicitur, edi ut olus molle. Verū si oleris nomine dum simpliciter profertur, brassicam intelligamus, utræque hæ dubitationes tolluntur. Intelligēdum autem ita esse, ex Plinio licet colligere, libro 19. capite octauo scribente: Olus caulésq; quibus nunc principatus &c. Et libro 35. capite 15. de Alumine, quòd lepras curet cum succo olerum: scribente Dioscoride, capite de Alumine, Cramben, ubi Plinius olus dicit. Similiter cum idem, inter brassicam & uitem esse inimicitias: Varro libro primo cap. 16. Vitis, inquit, adsita iuxta olus &c. Sed de Atriplice hactenus nimis multa.

*De Chōdrilla.*

Chondrillam Serapion cap. 143. Cādarel nominat. Est autē herba adeò Cichorio similis, ut Cichoriū etiā nūc dicatur. Primum eius genus, in cuius ramusculis gummi Mastichæ simile inuenitur, nescio me unquam uidisse. Secundum creberrimum apud nos est, foliis cōmuni Cichorio ita similibus, ut non dignoscerentur, nisi magis & incisa essent, & terræ hærerent.

*De Tragopogone.*

Tragopogō id olus syluestre esse diu arbitratus sum, quod uulgo barbam preti dicunt, petræ fortè uolentes dicere, uel presbyteri, quem prete uocant: folio enim Croci oblongo constat, radice dulci & longa, caule exiguo, super quem barbula cana, à qua nomen accepit. Me tamen ab antiqua sententia deterret Hermolai autoritas, magni alioqui momenti, falsò opinari id quod nos, nonnullos dicens: sed quia nullam rationē reddit, quare falsi sint qui ita opinantur, nondū antiquam penitus desero opinionem.

*De Ornithogale.*

De Ornithogale nihil habeo quod scribam, nisi uelim ea exscribere, quæ Plin. & Dioscor. de ea tradidere: nec magni referre uidetur eam cognoscere, quum Gale. & Paulus, ut nullius usus in medicina, eam prætermiserint.

*De Phaseolo.*

Hermolaus à recentioribus Aëtium sequutis, Phaseolum pro Smilace intelligi scribit, non candidum, sed rubentem, qui & lobos, & dolichos dicatur: quam sentētiam licet nec approbet, nec reprobet, sed tantum referat Hermolaus, eā tamen ac si ab illo probaretur, & recitat Marcellus, & explodit non alio argumento, quàm quod uerisimile non uidetur ad eam altitudinem & frōdiū copiā posse legumē aliquod augeri, ut scenas & tabernacula uestiens inumbret: in quo argumento tantus Marcello fuit taxandi Hermolai ardor, ut semetipsum proprio (ut aiūt) gladio iuguletː siquidem superius hoc eodē capite Smilacē, quicquid ea sit, in leguminum genere & censu numerandam dicit: quam tamen ipsomet interprete tanto incremento esse dicit Dioscorid. ut scenas & tentoria inumbret. Fateri igitur oportet, aut uerbum Dioscoridis σκιωποιεῖσθαι, non bene à Marcello conuerti, aut Smilacem, quæ ipsomet teste, legumen est, adeò posse crescere, ut tabernaculi instar soles arceat, atque, ut sequens est, Marcelli argumento eos non reuinci, qui Phaseolum pro Smilace intellexerunt: quum tamen esset ad manus aliud argumentum, quo posset eorū sentētia euidētius cōuelli. Si enim Smilax sit Phaseolus, sequitur Dioscoridem de eodem legumine bis scripsisse, primo scilicet sub Phaseoli nomine, secundo sub nomine Smilacis. quod tamen argumentum licet probabilius uideatur, quàm id quo usus est Marcellus, facile tamen diluitur ex his quæ lib. 1. Episto. medicinalium, epist. 3. à nobis tradita sunt: ostendimus enim Phaselum aliud legumen esse à Phasiolo, sicut ab utroq; Pisum. Iuxta quam sententiam dicere quispiam poterit, de Phasiolo, id est, de legumine, quod Latine dicitur eruilia, sub Phasioli nomine scripsisse Diosc. de Phaselo autē, sub nomine Smilacis: quorum dictorū primū certum apud me est: secundum etsi non adeò mihi cōpertum sit, uideo tamē Serapioni & Auicennæ placuisse, quum de Phasiolo nūc uulgò uocato ea prodiderint, quæ Diosc. de hortensi Smilace. Nuper tamen etiam cognoui ueram Smilacem in summā proceritatem ascendētem, grana quoq; in siliquis producentē, Phaselo cōmuni, præterquàm colore (rubra enim uel crocea sunt, & ueluti à lateribus pressa uidentur) similia. Multo tamen duriora uidentur, quàm cōmunes Phaseli. In summa igitur tria iam cognosco in hoc genere uel sub hoc nomine legumina, specie inter se diuersa, Phaselum scilicet communem, Phasiolum, qui & lobos & eruilia dicitur, & Smilacem.

*Eruilia Phasiolus est.*

*Phasiolus apud Auic. & Serapionem Smilax est.*

*De Medica.*

Medica quanto olim notior Italię, tanto nostro seculo ignotior, quū sit in Hispania uulgaris, & notissima, Alfalfa ab ea gente uocata: quæ uox fortè deducta est à uoce Alfalasat, quā Auicenna simul cū nomine Cot, & Alistiscat, eidem in 2. lib. adscribit: licet lib. 3. cap. de tremore, ubi oleum de Andacoca multū laudat, uideatur eandem per Andacocam intellexisse.

*De Aphace.*

Aphacen Vitiæ proximam esse, ex Galeno lib. alimentorū primo colligi potest, de utraq; eodē cap. scribēte, similitudinémque quandam inter eas agnoscēte. Nonnulla

nulla tamen à Theophrasto Aphaci adſcribuntur, quæ longè diſtare eam à Vitia manifeſte oſtẽdunt: quale eſt, folia ſimilia agreſti cichorio habere, primã uere florere, citiſsimum ſeneſcere, florem in lanuginoſos pappos reſolui, aculeatam eſſe, & alia. Quod autem mihi de ea uideatur, hoc eſt: Duplicem Aphaſen eſſe: alterã, de qua Dioſc. & Galen. ſcripſerunt, inter legumina reponendã, Vitiæ adeò ſimilem, ut eius nomen etiam hodie adhuc apud rura retineat, & ſylueſtris Vitia dicatur, quam in agris ſæpiſsime ſponte natam uidemus: de hac procul dubio ſcripſit Plinius capite quinti libri ſeptimo & uiceſimo: & Auicẽ. lib. 2. uidetur ſcripſiſſe ſub nomine Bachechẽ, cap. 103. Aliã, de qua Theophraſtus lib. 7. & Plinius lib. 21. inter ſylueſtria olera reponendã, & quæ (ni fallor) cichorij nunc ſpecies habeatur, flore luteo.

*Duplex Aphace.* *Vitia ſylueſtris.*

*De Thlaſpi.* Thalſpi. Serapion de eo ſcribit capite de Naſturtio, ſub nomine Naſturtij tectorum. In theriacæ autem deſcriptione, Naſturtium album uocauit, ſicuti & in eadẽ Auic. Quo nomine autem nunc uulgò dicatur, haud ſatis mihi compertum eſt, nec præterea aliquid, niſi quæ lib. 6. Epiſt. medicinalium à me ſunt ſcripta.

*De Eryſimo.* Eryſimon ſunt qui eſſe putent olus, quo in acetarijs libenter ſimul cum lactucis uefcimur, Eruca gentilis uocatum, à quorum ſententia nõ admodum ſum alienus. Alij herbam eſſe dicunt, cuius ſemen uulgò Rhugetam appellant: Serapion Burugi nuncupauit. Auic. capite de Tuderi, Orminum quidem pingit: plures uero medicinas Eriſimi, quàm Ormini ſibi adſcribit.

*De Ptarmice.* De Ptarmice nihil habeo quod ſcribã, ceu frutice inter montana ac petroſa loca nato, nec qui unquam ad campeſtria hæc noſtra loca, quod norim, deſcenderit.

*De Struthio.* Struthion, quam Condes Arabes uocant, diu deſideraui. Vidi toto eo tempore, quo in Pannonia fui, ſingulis annis, quo die oleæ ramos apud nos ſacerdotes, certa cum religione benedictos populo donant, flores ſine odore, quos ſimul cum ſubuirentibus ſalicis ramuſculis, pro olea, qua carent, Pannones tribuunt: quos, quòd paſſerum ſpecies præ ſe ferebãt, Struthi flores exiſtimaui: ſed quia ineunte uere uiſebantur, quum ſcribat Plinius Struthion æſtate florere, licet reliqua ſatis quadrarẽt, non ſum auſus eam herbam Struthion credere. Marcel. uulgarem herbam dicit, & ubiq; locis incultis naſcentem. Sunt & qui in agro Bononienſi naſci dicũt, & Gualdam uulgo dici.

*De Ariſaro.* Ariſaron mihi penitus ignota, & fortè Italiæ: nam (ſi Plinio credimus, qui Arim eam uocauit) Aegyptia herba eſt.

*De Iſatide.* Iſatim nunc uulgò Guadum uocant: uulgaris & notiſsima herba eſt, ut quam nigro colori infectores ſubſternũt. A Serapione uel eius interprete uocatur Indicũ, quum ſit alia res quæ Indicum uocatur. Auicen. ſcripſit de eo ſub nomine Nil. Germani tamen uocãt nunc Nil, album quendam puluiſculum in ærarijs fornacibus inuentum, oculis ualde utilẽm: de quo per iocum dicunt, Nil prodeſt oculis: quem ego puluiſculum puto eſſe uerum Spodium, magno medicorum errore, qui imponi ſibi à mercatoribus permittunt, uiliſsimas quaſdã res exuſtas pro Spodio multa pecunia uendentibus. Quãquam me non latet quoſdam eſſe, qui Nil illud exiſtiment Pompholyga ſiue Tutiam eſſe, ex quorum ſententia ipſe quoq; quodam loco ſuprà loquutus ſum.

*Nil.* *Spodium apud Germanos ſub nomine Nil haberi.*

*De Crocodilio.* Crocodilion ſimilis eſt Chamæleontæ nigræ, ei uidelicet herbæ quæ nunc Calina dicitur. Diſtinguitur, præter natales, radice, quam longam, & mediocriter latam habet, odore ut naſturtium acri. Carlina craſſam, extrinſecus nigram, interius ſubflauam.

Acantha Arabica, Poterion, Acanthion, mihi ſunt penitus ignota.

*De Acãtha.* Acantha uel Acanthus per multos annos à me quæſita, anno ante hunc 13. aliud tunc agenti, ſeſe mihi obtulit, gratiſsimo ſpectaculo: uulgò apud nos Brãchã urſinam maiorẽ uocant. Eſt enim alia minor, re & nomine, cuius frequens apud iuniores chirurgos mentio, ex qua Vladislao Pannoniarum & Bohemiæ regi, mihi olim benigniſsimo domino, pergratum edulium parari à ſuis cocis ſolebat. Eſt autem frequẽtior hic, quàm pri ma: neutram tamen in Italia alibi, quàm in hortis uidi.

*De Tragorigano.* Tragoriganũ Leonicenus, in ueſtigandis ſimplicibus medicamentis, ſicuti & redintegranda uniuerſa medicina diligentiſsimus, à ſimilitudine uocum motus, herbã eſſe putauit, gratam in acetarijs, quę uulgò Tracon nũcupatur, & ab Auicenna (ni fallor) una trãſpoſita litera, Tarcon. A qua ſentẽtia ego ſemper abhorrui, quoniam Tragoriganũ folio & ramulis origano communi, agreſtiue ſerpyllo ſimilibus ſcribatur à Dioſcoride, à quibus Traconis folia multum ſunt diuerſa, ramulóſq; uel nõ habet, uel alios omnino, quàm origanum, uel ſerpillũ. Nunc uero in mentem mihi uenit, fortè genus primum intellexiſſe Leonicenum, quod loci gratia lætius inueni tur & latifolium magis: ſubiitq; in memoriam, in inferiori Pannonia, prope eam regionem in qua fuit Sirmiũ nobilis olim ciuitas, nunc uinorum gratia celebratiſsima, uidiſſe me aliquando hanc plantam, adeò præ ſoli bonitate luxuriantem, ut ad bicubitalem ferè altitudinem attolleretur, & folio eſſet pollicari latitudine. Si tamen uerum eſt id, quod præter uulgatam opinionem Hermolaus confirmat, ex ſemine uidelicet lini in cepis macerato naſci hanc herbam, artificialis potius herba erit, quàm Tragoriganum.

*Sirmiũ Pannoniæ.*

*De Maro.* De Maro non ſemel ſcripſimus ex Galeno libro de Antidotis, adeò ſimilem eſſe Amaraco, hoc eſt, Maioranæ nunc uocatæ, ut eodem nomine, utraq; Maiorana apud nos dicatur. Nobilior tamẽ habetur Maron, quoniam odoratior, nec uilloſa, ut uulgaris Maiorana, folijsq; albicantibus. Eſt in ſecundo Auicennę libro caput de Maro, in quo, ſicubi maxime detegitur, quàm ignarus fuerit ſimplicium medicamentorum.

*De Acino. Ocimum.* Acinos, clara adeò redditur ex Ocimi notiſsimæ herbæ ſimilitudine, ut uel ex hoc ſolo debeat agnoſci. Ocimum autem id intelligendum eſt, quod maioribus folijs conſtat, minúſq; hodie in precio eſt: tale enim intellexiſſe uidetur Dioſc. quum Mercurialis folia, quæ ſatis magna ſunt, Ocimo faciat ſimilia. Vidi ego iuuenis dũ ad perdiſcendas herbas cum earũ peritis euagarer, herbam quãdam odoratam, quæ niſi hirſutior fuiſſet, Ocimum credi poterat, hãc mihi pro ſylueſtri Ocimo præceptor meus monſtrabat, & Acinos mihi nunc eſt.

*De Bacchare.* Baccharem neſcio an unquam uerã uiderim, omnibus herbarijs Aſaron pro ea monſtrantibus. Marcellus notiſsimam omnibus eſſe ait, ruráq; omnia uolẽtibus eam monſtrare. Volui ſæpe è Florentia petere, ſed alijs occupatus negocijs minime feci: dabo operam ut ineũte uere ad nos deferatur.

*De Panace.* Ex tribus Panacis generibus, Herculeum tantũ, quod meminerim, uidi: & id quidem uno tantum loco, Ferrarię in horto monachorum, quos uulgò Ieſuatos uocãt. Ex hoc manat Opopanax: licet Meſue alterius uideatur fuiſſe ſententiæ, ſicuti in noſtris in eum annotationibus demonſtratum eſt: poterat tamen ueritatem, ſi non ex Græcis, ſaltem ex ſuo Serap. ediſcere & Auic. qui, tametſi non abſq; multis erroribus, quos quiſquis cum Dioſcoride eorum dicta contulerit, facile animaduertit, Heraclium tamen Panacem, è quo fit Opopanax, melius quàm Meſue uidentur agnouiſſe.

*Opopanax. Meſue lapſus in opopanace.*

*De Liguſtico in alia epiſt. ad eundem Çarezonum.* De Liguſtico quid ſentirem, tertio ante hunc anno, tibi meis literis ſignificaui: quare cum in eadẽ adhuc ſententia perſeuerem, ne (ut aiunt) actum agam, nihil aliud nunc ſcribam.

*De Siſo.* Siſon in Syria naſci ſcribit Dioſcorides, ſeménq; eſſe, nulla plantæ in qua gignitur habita mẽtione, niſi quòd in cacuminibus multa habet ueluti granula. Galen. addit, ſubamaro eſſe ſapore: nec ipſe tamẽ, nec alius (quod ſciam) quicquam tradit, per quod poſsit eius planta cognoſci: quare à Syris quærenda eius hiſtoria.

*De Smyrnio.* Smyrniũ, quicquid alij ſentiant, mihi eſt id, quod nũc Alexãdrũ uocant, uoce ab Oluſatro deflexa. Florẽtię Macerones, corrupta & ipſa à Macedone nominatione.

*De Elaphoboſco.* Elaphoboſcum nondum uidere mihi datum eſt. Vulgares quidam herbarij herbam pro ea oſtendunt, cui præter folia ſatis quadrant reliqua: quanquam nec uerum foliũm ſatis nobis certum eſt: ſiquidem Dioſcorides Terebintho, Plinius Oluſatro ſimile facit, niſi ſit in Plinianis codicibus menda, à tot, tãmq; oculatis caſtigatoribus nondũ caſtigata: quod ego certe tam uehementer ſuſpicor, ut non poſsim aliud cogitare. Nec ſolum uerbũ Oluſatrum mihi ſuſpectum eſt eo loco, ſed tota illa periodus: Semine corymbis dependentibus ſimilis effigie, ſed non amaris folijs oluſatri. Quem locũ, ſi mihi quoq; liceat ferulam errantibus Plinij codicibus adhibere, partim coniectura, partim lectione quorundam hæc Plinij uerba recitantium, ſic emendauerim: Semine corniculis dependentibus Siliciæ, id eſt, fœ nigræci effigie, ſed non amaris, folijs oleaſtri. Oleaſtri enim ad Terebinthi folium, quod eſt laurino ſimile, magna

*Plinij locus caſtigatus.*

magna affinitas eſt,quæ nulla eſt oluſatri. Nulla tamen aut corymborũ,aut cornicularũ in Dioſcoride eſt mentio, niſi in Elaphoboſci coma corymbos intellexerimus, quales & in Hipposelini coma intellexit Dioſcor.

Hæc ſunt mi Hieronyme quæ hactenus de his cognoſcere ualui plantis, de quibus me interrogaſti. Vereor autem hæc mea non omnia fortaſſe probatum iri: ſed malui inſcitiæ apud te reus fieri, quàm quicquã, quod poſceres, negare. Vale,& ſi quid melius in his indagaueris, mihi quoq; te non pigeat impartiri. Ex Ferraria, VI.Calend.Martias, M. D. XXV.

## EPIST. IIII. *Ioannes Manard.Vicentio Caprili medico egregio S. D. De Lilio Conuallium.*

LEgiſſe te Epiſtolas meas medicinales, & laudaſſe (ut uerũ ingenue fatear) nõ parum gauiſus ſum: (quis enim à laudato uiro laudatus nõ lætetur?) Longe tamen maiorẽ ex eo uoluptatẽ accepi,quòd me rurſus ad ſcribendũ prouocas,& quaſi quodam preludio,prælusoriáue pugna in amœniſsimũ florum campum inuitas. Nihil enim libentius facio, quàm cũ pulcherrima illa Heſiodia lite,à Galeno etiam probata, decerto,in qua longe melior eſt uicti,quàm uincẽtis conditio:uictor enim gloriam,fluxã certe rem,ac fragilem, & quã boni ferè ſemper,uel nihili,uel minimi fecerunt: uictus ueritatis agnitionem, qua nulla precioſior, magisq; optanda poſſeſsio,poſt pugnam reportat. Occurrit autem tibi primo in ipſo patẽtiſsimo florũ campo, candidiſsimus ille floſculus, mole quidem exiguus,ui adeò eximius, ut ſuauiſsimum odorem tam longe latéq; iactet,ut nulli quantumuis magno flori in hoc cedat;ab qua candoris,odoríſq; præſtantia, Liliĩ nomen à Pannonibus aquilonaribúsq; aliis hominibus, apud quos eſt frequentiſsimus, meritò adeptus eſt, adiecta Conuallium cognominatione,quoniã & in humilibus potius quàm in ſublimibus locis naſci eum uidebant, & ſponſum ſeipſum in Canticis canticorum nuncupare conuallium Liliũ legebant. Hunc tu primo cõgreſſu, eum qui Conuoluolum putauit proterens, Hemerocallem uocari à Dioſcoride & Plinio audacter contendis. Ego uero nimis fortè mihi ſumens, & tibi & illi occurro,quiſquis fuerit, aliam rem & ab Hemerocalle, & à Conuoluoli flore Liliolũ hoc conuallium eſſe affirmãs: quod non alia ratione melius probare poſſum, quàm re ipſa uel ante oculos poſita,uel ita calamo depicta,ut qualis ſit,etiam ab his qui non uiderunt, poſsit intelligi:ita enim diſcerni certo iudicio poterit,an ea huic flori congruant,quæ de Hemerocalle & Conuoluolo à bonis autoribus traduntur.

*Certamẽ in re literaria.*

Planta ex qua flos iſte prodit,folio ferme conſtat Arnogloſsi,minus tamẽ ſtriato, & plures quidem fibras, ſed non adeò manifeſtas oſtendente, cauliculis tenuibus,eidem etiam Arnogloſſo ſimilibus: floſculis plurimis,ueſtitis calathi figura, ſummo candore fulgẽtibus, & ſuauiſsimum odorem late fundentibus: radicibus laxis,longis,nodoſis. Quę quantũ notis Hemerocalles diſsideant,nemo eſt Dioſcoridem & Plinium legẽs, qui non facile agnoſcat:folio enim & caule Lilii conſtare Hemerocallem dicũt,radice bulboſa,& magna,flore uehementer pallido. Similitudinem inter folia,licet non multa ſit,poteſt tamen quiſpiam defendendi proprii dogmatis gratia,affirmare:caules uero tantum diſtant,quantum baculi craſsities à feſtuca.

*Lilij cõuall iũ depictio.*

*Hemerocallẽ nõ eſse Lilium cõuallium.*

Quid uero dicã de radice,quæ in Hemerocalle craſſa & bulboſa,in hac planta tenuis & lacinioſa? Quid de flore,quẽ Hemerocallis ualde pallentẽ,planta hæc candidiſsimum oſtendit? Ex his probatũ mihi manifeſte uidetur,Liliolum hoc à magno Hemerocallis Lilio longiſsime diſtare. Non eſſe autẽ Cõuoluoli florẽ ita euidens per ſe eſt,ut ſtultus putandus omnino ſit, ut tu etiam ſcribis,qui id non modo credat,ſed ſuſpicetur. Si igitur flos hic conualliũ Lilium uocatus,nec Hemerocallis eſt,nec Conuoluolũ,quo,inquies,nomine ab antiquis dicitur? Dicam quid ſuſpicer,ut uobis quoq; inſurgendi contra me materiam præbeam,mutuóq; hoc congreſſu tandem ueritas eruatur.

*Lilium conuallium non eſse Conuoluolum.*

Obſeruaui ego multoties,dum Vladiſlao & Ludouico Pãnoniarum & Bohemiæ regibus inſeruirẽ,tantã eſſe affinitatem inter huius floſculi plantã,& eã quam uulgò Fraxinellã nunc uocant,ut non facile eſſet unam abſq; reliqua reperire:tantámq; ſimilitudinẽ,maxime quum defloruerũt,ut uix una ab alia poſsit internoſci: nec certe,præterquam ex radicibus,quæ craſsiores,& certioribus internodiis in Fraxinella diuiſæ ſunt,diſcerni. Quo fit,ut differre tantũ ſexu(eo uidelicet ſexu qui in plantis eſſe poteſt)mihi uideãtur. Fraxinellámq; uocatam eſſe marẽ,& Lilioli plantã fœminã nuncupandã. Quæ ſi uera ſunt,ſimúlq; etiam uerũ ſit id quod longo à me tempore creditum eſt,Fraxinellam hãc eſſe,quam Græci & Latini Poligonaton,Arabes Secacul uocãt,ad idem quoq; genus liliũ cõuallium pertinebit. An uero coniectura me mea fefellerit,accepto in manus Dioſcoride,plantáq; ipſa,quæ,quoniam decorem mulieribus conciliat,in hortis ſatis frequens eſſe cœpit,tu qui oculatiſsimus eſſe in his rebus ſoles,ſemotis his affectibus qui uerum perturbare iudiciũ ſolent,iudicabis. Vale,& quibus cœpiſti armis me in pugnam uocare,perge. Ex ædibus noſtris Ferrariæ,Calend.Quintilibus, M. D. XXII. ante plenam ex podagra poſt nephritidẽ conualeſcentiam.

*Lilium conuallium eiuſdem generis eſse cum fraxinella,ſexu tantum differre.*

## EPIST. V. *ad eundem, de Aloẽ, Saccharo,& Rheo.*

BOni imperatoris munere fungeris,ueréq; Vincẽtius mecum eſſe cupis Vincenti,qui uix præluſoria inter nos de cõuallium Lilio incepta pugna, hoc minime cauentẽ triplici acie diuerſis ex partibus adoriris,in aloẽ uidelicet,in ſaccharo,in rheo barbarico. In aloẽ quidem non probas,quòd ſolus auſus ſim egregium magiſtrũ(ſic enim tu eũ nominas)Meſuen negare, aloẽn ora uenarum aperire affirmantem: cui ut maior ſit autoritas,Galenum cõiungis dicentem, Aloẽn omnem materiam iam fluxam diſſoluere:ex hoc enim uniuerſali dicto ſequi putas, ut collectum in ani uenis ſanguinem diſſoluat,ſicq; ora illarum uenarum(ut Meſue dixit)adaperiat. Ego,quantum ad Meſues conuellẽdam autoritatẽ,ſatis me oſtẽdiſſe arbitror,& in proœmiali mea in haſce Epiſtolas medicinales epiſtola,& in his annotationibus quas in ipſum olim editas propediem inuulgaturus ſum,tanti eum non eſſe,ut maioris præiudiciĩ,nedũ certi iudiciĩ loco eius dicta à nobis habẽda ſint. Quod ad maiorem uero machinam, hoc eſt, Galenũ attinet,quę tu affers bene & lecta,& intellecta, nihil ad propoſitũ noſtrũ ſpectant:nõ enim plus uoluit eo loco Galenus,quàm præter adſtringentẽ & reprimẽtem,ui quoq;, quã Græci διαφορητικὴν,hoc eſt,diſcuſſoriã uocant,aloẽn conſtare: ita enim uerbum ex uerbo loquitur,lib.de ſimplic.medic.6. Omnino repellit,& diſcutit. Sic Paulus,qui ubiq;,ſed præcipue in hac medicinali materia,nõ ſolum ſenſum.ſed uerba eius æmulatur. Sic Serapion ex eius refert ſententia. Eſſe autem diſcutiendi uim ab ea quæ aperiendi eſt, diuerſam, ita clarũ eſt, ut ſuperuacaneum ſit probare. Diſcutere ualent etiam, quæ moderate ſunt calida. Aperire nequeunt,niſi quæ adeò uehementer calent,ut acria ſint,& ferè urant,ſicuti Galen. 5. ſimplicium medicamentorum lib. teſtatur: ueluti allium,cepe,fel,quæ pro exemplis apertorię medicinæ ibidem à Galeno numerantur:quæ ad quartum uſq; calefaciendi ordinem aſſurgunt,quum aloẽ uix ſecundum attingat. Diſcutit igitur,&(ut communiter loquuntur medici)reſoluit aloẽ,non tamen tantã uim habet ut uenas aperire poſsit,iuxta Galeni ſententiã. Quũ igitur, ut antea fuit in ſua hæreſi Meſue ſolus maneat, non cogor loco cedere,aut in hoc tam laudato ab omnibus medicamine, quale ipſe putauit, maleficium admittere.

*Aloẽn non aperire ora uenarum.*

In ſaccharo adeò putabam mentem meam me oſtendiſſe,ut ſi inueniri poſſet qui ſecus ſentiret,neminem tamen futurum,qui nouam hanc de eo opinionẽ,& quibus ad eam fundandam rationibus mouerer,non intelligeret:ſed (ut uideo) tu inuentus es, qui nec quid uelim,nec quibus rationibus id uelim,aſſequutus es. Inſurgis enim in primis in me quaſi dixerim,nos non ſolum antiquorum ſaccharo carere, ſed & arundine,ex qua in India,& felici Arabia olim colligebatur: quum tamen ſcripſerim aperte contrarium,rationi uidelicet conſentaneum eſſe,quum res mera naturæ fuerit,nullũ cultum artémque deſiderans, adhuc extare:eadémque epiſtola rationem reddiderim,quare olim ex India uel felici Arabia portatum, nunc non afferatur. Affirmaui igitur,non negaui,antiquorum ſaccharum, licet ad nos nõ deferatur,adhuc tamẽ reperiri:ſed quod tota ea epiſtola uolui,hoc fuit,de uulgari hoc noſtro antiquos medicos non ſcripſiſſe, eſſéque hoc rem omnino ab

*Saccharum antiquorũ.*

anti

antiquorum ſaccharo diuerſam,utpote differente materia:quæ in nouo eſt ſuccus certæ plantæ, in antiquo ros:Forma,quam antiquum ſalis, nouum inſpiſſati liquoris habet:efficiente,quod in nouo eſt ignis,in antiquo ſol:Fine & uiribus,quæ diuerſa in utroque & ſcribentium autoritate, & rei ipſius experientia comprobantur. Ad quas,aliáſq; rationes nihil reſpondes, niſi quòd de materia aliquid tangens,narras potius quàm probes,ex eadem materia,hoc eſt arundine conciſa utrunq; conſtare:& licet inter mella à Dioſcoride, Plinio & alijs antiquum ſaccharum enumeretur,nō ideo hoc factum,quòd eiuſdem materię putauerint,ſed quia cōſueuerunt cognata congeneribus adiungere. Sed uide quęſo,quomodo omnibus antiquis medicis in hoc repugnes,quámq; potens ſit ueritas, quæ te paulò poſt etiam tibimet pugnare coëgerit.Conſueuit quidē Dioſcor.diuerſarum rerum capita ob quandam uel naturæ uel figuræ,uel alterius rei ſimilitudinem,inuicem copulare,ut toto eius libri progreſſu uideri poteſt: ſed uno eodémq; capite de diuerſis toto genere rebus nunquā eum uidebis tractantem.Quum igitur uno cap.libri uidelicet ſecundi 74. cui titulus unicus eſt de melle, cum tribus mellis generibus de ſaccharo ſcribat, clarum eſt quòd mellis ſpeciem putauit,quod ipſe etiam modus loquendi,uerbáq; aperte monſtrant: poſtquam enim egit de melle Heraclio,ſubdit,Vocatur & quoddam ſaccharum,quod mellis genus eſt,in India felicíq; Arabia concreti.Galenus etiam mellis ſpeciem dicit noſtro minus dulce,& quatenus quidem abſtergit,ſiccat & diſcutit,ſimile:quatenus uero non malum ſtomacho,nec ſiticuloſum,à ſubſtantia noſtri recedere. Paulus mel eſſe portatum è felici Arabia.Plinius(ut tutemet affers)mel in arundinibus collectum. Quæ ſi uera ſunt, & à te lecta,quo pacto potes dicere inter mella Pliniū, Dioſcoridem & alios meminiſſe ſacchari, non quòd mellis materia conſtare exiſtimarent,ſed ut morem ſeruarent cognata congeneribus adiungere? Meum igitur argumentum in ſuo conſiſtit robore,materiam utriuſq; ſacchari probans diuerſam, quum antiqui ſit quæ mellis, noui plantæ ſuccus. Si enim uerum eſſet id quod tu uerſimile dicis,ſub ea zona dulcem humorem eius plātæ ui ſolis extrahi,& denſari,ac in antiquorum ſaccharum conuerti:non recte ab allegatis autoribus mel diceretur,& inter mella locaretur. Et quod tu ais, eadem (ex qua ſine arte in India & Arabia fit antiquorum ſaccharum) planta conciſa, nunc hominum artificio noſtrum parari,præter id quod ex libito abſq; ulla probatione à te dicitur,etiam ſi uerū eſſet(quod ego nequaquam puto)meam potius roboraret,quàm infirmaret opinionem:omnino enim diuerſum eſſe oporteret id, quod ex ipſa planta uiuente adhuc & integra, ui ſolis tractum & agglutinatum obduruiſſet,ab eo quod tota conciſa planta ignis miniſterio arte condenſatur, & quum autores de illo tantum ſcripſerint,non eſſe temere eius uires in alterum transfundendas.Et hæc quidem ſatis eſſe puto quātum ad Latinos & Græcos autores. Ad Auicennam uero accedens,quem etiam in ſubſidiū uocas,facile dicere poſſem, ſi uellem, nihil ad me eius dicta in hac re pertinere, ut hominis inter antiquos nō numerandi,ſed nec inter autores, hoc eſt, qui arti aliquid addiderunt,quum ex alijs ferè uerbum ex uerbo acceperit,quicquid in ſuum librum congeſsit,atq; cum multis uel ſui, uel interpretum culpa mendis, ut aliàs maiore ſubſellio fortè demonſtrabitur.Verum ut amico,hoc eſt,tibi,aliquid condonem,eum inter idoneos hoc in negocio (proteſtatione tamen præmiſſa, dono hoc me facere,non ex debito) libens & uolens admittam,oſtendámque quæ ex eo abs te afferuntur,tantum abeſſe ut meæ opinioni aduerſentur,ut mirum in modum mihi faueant.Mel enim & Mannam eſſe rorem dicit,nec differre inuicem, niſi quòd id quod eſt occultū apes colligunt,& in mel formant id quod manifeſtum, homines, quod certe(ut tu dicis) Manna dicitur: quibus uerbis ſi addideris id quod ab eodem ſcribitur ultimo capite libri ſecundi de zuccharo,quod ipſe uocat Alhuſar,quod uidelicet eſt Manna cadens ſuper Alhuſar,ſimilis fruſtis ſalis,clarum tibi fiet eandem eſſe materiam mellis apum, mannæ & ſacchari antiquorum etiam ſecundum Auicennam. Nam quòd per zuccharum Alhuſar,antiquorum ſaccharum intellexerit,ex eo cognoſci poteſt,quòd eas uires illi adſcribit,quas Dioſcorides ſuo,ſcilicet quòd confert renibus & ueſicæ,ac

*Saccharum mellis ſpeciē eſſe apud antiquos.*

*Auicenna nec inter antiquos, nec inter autores numerādus.*

uiſus obtenebrationi,& eſt ſtomacho accommodatū. Sed & quas Galen.& Paulus,exiguam uidelicet dulcedinem,abſtergere,& eſſe ἄδιψον,id eſt,abſq; ſiti,uel inſiticuloſum. Eandem igitur materiam & ipſe Auicenna eſſe putauit mellis,& ſacchari. Quod uero ſaccharum hoc rem diuerſam à communi zuccharo exiſtimauerit,præter id quod proprio cap. de eo differit, ex hoc etiam patet,quòd reliquis ſpeciebus comparat,dicens, quòd non facit ſitim,ſicuti reliquæ ſpecies.Sed & apertius libro quarto, capite, de linguæ aſperitate, ubi de zuccharo Tarberzet,& ſale Indo,ceu de diuerſis rebus mentionem facit,qui Indus ſal(etiam te teſte)eſt ſaccharum:ut poſsimus ſic ad hominem argumentari:Sal Indus (ut tu ais) eſt ſaccharum,& eſt res alia à zuccharo apud Auicennam: igitur ſaccharum eſt aliud à zuccharo apud eundem: quod ferè eſt id quod tota de ſaccharo epiſtola probare conati ſumus. Sed in ſaccharo diutius fortè quàm eſſet opus immorati, ad Rheon tranſeamus.

*Salem Indū eſſe ſaccharum.*

In hoc me accuſas,quòd dixerim,antiquos uim purgatoriam eius non agnouiſſe:ſcribente Dioſcoride,ante acceſsiones febrium eo modo dari, quo agaricum. Nulla autem alia cauſa utrunq; dari putas ante febris acceſsionem,niſi ut humorem febrem facientē purget. Sed caue quæſo mi Vincenti,ne dum hæc dicis, magnæ medicinalium regularum inſcitiæ Dioſcoridem inſimules:norunt enim qui uix prima medicinæ rudimenta didicere,non ſolum ante acceſsionem,ſed nec eo die,quo futura timetur acceſsio, humores,qui febrem faciunt, eſſe purgandos. Reſpondeo igitur petenti tibi, nec à proprij honoris uento(ut ais)inflatus,ſed ueritatis ui, non alia re impulſus,medicos agaricum & rheon ante acceſsionem præbentes non ad purgandum,ſed ad rigorem prohibendum dare,ſicuti & coſtum, & piper, & laſer,atq; id genus mille:quod & ipſius Dioſcoridis uerba aperte oſtendunt,de agarico ſcribentis: Ante acceſsionem datum rigorem ſoluit:præſertim quum nōdum de purgatoria eius uirtute mentionem feciſſet,de qua poſtea uerba agens ſubdit:Purgat & uentrē,unius uel duarum drachmarum pondere cum melicrato potum.Qui loquendi modus declarat eas,quas hactenus dixerat in diuerſis morbis utilitates,non à purgatoria ui,cuius nondum meminerat, ſed uel ab adſtringente, uel à calefaciente fieri. Poſt hiſtoriam enim de uiribus loqui hoc modo cœperat: Vi quidem adſtringens eſt, ac calefaciens: facit aduerſus tormina, cruditates, & reliqua quæ ſequuntur. Clarius etiam hoc Galenus demonſtrat eodem de Agarico capite, in hæc ferè uerba: Diſcutit, craſsitiem incidit, uiſcerum obſtructiones remouet, & propterea arquatos ex iecoris obſtructione ſanat, comitiales adiuuat, circulares rigores à craſsis & tenacibus humoribus factos tollit.Et quum omnes recenſuiſſet uires, in fine addit: Etiam purgat, aperte oſtendens, ea quæ prius enumerauerat, non à purgatione fieri, ſed à uiribus quas primo loco recenſuerat. Sed ut ad Dioſcorid. reuertamur, cuius tantum teſtimonio niteris, quum ad purgandum minimum drachmæ pondus requirat, ad rigores trium obolorum pondere ſit contentus, nónne euidenter oſtendit ſe in rigoribus ſubmouendis purgationem ab eo non expetere? Ex his conſtare ſatis arbitror, non ad purgandum, quod omnes boni refugiunt medici, agaricum ante acceſsiones dari, ſed calefaciendi, diſcutiendi, & incidendi gratia. Quæ ſi uera ſunt, quis credat rheon, cui nulla purgandi uis, uel à Dioſcoride, uel à Galeno adſcripta eſt, ea cauſa ante acceſsionem exhiberi? nihil plus de eo hac in re ſcribente Dioſcoride, niſi quòd ad periodos facit: licet tu, neſcio quo modo hallucinatus, dicere Dioſcoridem affirmes, ante febrium acceſsiones eo prorſus modo dari, quo agaricum, quod certe Dioſcorides non dicit:nec ubi de acceſsionibus loquitur,ullam de agarico mentionem facit,ſed alio interpoſito remedio,in hæc uerba comparat:Doſis ad ſingulos affectus ſimiliter agarico eodem pōdere, & ijſdem liquoribus. Addis pręterea Pauli teſtimonium,ſed nec uerba,nec locum ſignas. Ego quum totum Paulum non ſemel perlegerim,uim purgatoriam rheo adſcribentem nunquā inueni. Tu ſi locum mihi monſtraueris,plus tibi hoc nomine debebo, quàm ijs laudibus, quibus me non merentem accumulas. Vale. Ex ædibus noſtris, VII, Idus Quintiles, M. D. XXII.

*Rheo barbarico non ineſſe uim purgatoriam.*

*Rheon non dari ante febris acceſsiones cauſa purgatiōis.*

*Agaricum quare ante acceßiones detur.*

IOAN.

# IOAN. MANARDI

## EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER DECIMVS.

### EPIST. I. *Ad Illustriß. Mirandulanos Principes, D. Ioannem Franciscum literis, & D. Ioannam pudicitia & uenustate nemini secundis, de fructu Azarolo uocato.*



QVAE misistis poma, grata mihi admodum multis nominibus fuere: & quòd peregrina, nec in nostro hoc climate hactenus (quod sciamus) inuenta, & quòd à uobis missa, quos ita obseruo & colo, ut mortalium neminem. Accessit his & ueluti nata est, tertia quędam gratia, quòd uidelicet occasionem præstitere uestigandi, atque (ni fallor) inueniendi, quo nomine ab antiquis uocata, & quas eis uires illi adscribant, qui medicinalem materiam nobis reliquere: obiterque (quod alioqui libens semper facio) aliquot explodendi errores in his Arabum libris repertos, quos nostri seculi medici instar oraculi habent. Veritus autem ne (quod plerunque accidit) dum alienam insector inscitia meam prodam: mea hæc meditata examini uestro submitto, ut qui arborem ipsam, à me nunquam uisam, optime nostis, & acri uestro ingenio non exilia hæc modo, sed his longe abstrusiora iudicare estis idonei.

*Azarolum pomum.*

Pomum ad me missum, uulgò Azarolum uocatum, antiquos uocasse Mespilum, ex his colligo quæ de primo Mespili genere scribit Dioscorides. Ea enim (quantum ad fructũ ipsum attinet) ita Azarolo nostro quadrant, ut habuisse eum in manu uideatur, quum scriberet: Pomum, inquit, paruo malo simile, gustu iucũdum, ternis intus ossiculis, unde nomen apud aliquos Tricocco: sera ei maturitas. Ex quibus uerbis ęquè colligitur, & Azarolum esse hoc primum Mespili genus, & pomum id quod nunc Mespilum uulgò uocamus, sub eodem genere non utique contineri, quod Anthedon nominant Theophrastus & Plinius, Dioscorides Aronion, (nisi fortè codicum uitio uel in Dioscoride Anthedon, uel in illis Aronion legendum) sed sub secundo, Setanion & Epimelis uocato.

*Anthedon. Aronion.*

De eo siquidẽ scribit idem Dioscor. quòd in Italia nascitur, & latioris est umbilici: qui usqueadeò latus nostro Mespilo est, ut nulli pomo magis. Et quamuis uel ex hoc solo ualeat unum ab alio genus internosci, addam tamen & nonnulla ex Theophrasto accepta, quibus euidentiora quę diximus reddentur. Fert, ait Theophrastus, Setania fructum grandiorem, candidiorem, solutiorem, lignúmque intus mollius habentem: reliquæ minorem, sed odore præstantiorem, magisque gustu adstringentem, ita ut seruari diutius possit. Mespilum enim nostrum magnitudine ita superat Azarolum, ut ad iusti mâli crassitudinẽ aliquando accedat: coloréq; est, si non plene candido, ad candorem tamen plus quàm Azarolum, quod uerè rubens est, deuergente. Tanto uero præ illo dũ utrunq; maturum est, facilius soluitur, ut suctu deglutiri etiã ab edentulis succus eius possit: quum Azarolũ bene dentibus attritum, uix succum emittat. Lignum quod intus, mollius esse nostro Mespilo quàm Azarolo, clarius est ei qui utrunq; gustarit, quàm ut probari à nobis debeat. Illud potius in dubium uenire possit, Marcelli cõmentaria in Dioscoridem legenti, an rectè damnetur à Marcello Hermolaus, qui πυρῆνας μαλακωτέρους acinos molliore ligno conuerterit, quum πυρὴν nucleũ, nõ acinum significet.

*Patrocinatur Hermolao.*

Mihi certe uidetur, Marcellum tam hic, quàm alibi frequenter, occasionẽ potius quæsisse quàm inuenisse, Hermolaum calumniandi. Nã ut omittam, quòd Hermolaus taxari in hoc non potest, nisi pariter & Plinius accusetur, qui lib. 15. cap. iuxta uulgatam capitum Plinii sectionem, 20. eisdem omnino uerbis locum illũ Theophrasti in suam trãscripsit historiam: Nónne ipsemet Marcellus, capite de mâlo punico, cõtra communẽ (ut ait) æstimationem, πυρὴν acinum maluit, quàm nucleum cõuertere, quibusdam coniecturis motus, quas nihil habere momenti, in quadã ad ipsum epistola demonstrauimus? Sed quocunq; nomine intraneũ illud lignum nuncupetur, cõstat id mollius esse nostro Mespilo, quàm Azarolo: nec tria tantum, sed quinq; ueluti ossula in nostro contineri. Constat & illud, Azarolum diutius seruari: quando & adhuc apud me unus eius fructus hoc tempore superest incolumis, per tot milia ria ad nos aduectus, per quot à nobis distat Neapolis, quum uix ex mea uilla, minus quàm unius diei itinere hinc distante, circa Calendas Nouembris nostratia Mespila ferri possint incolumia: & pro miraculo haberi possit, si nunc unum reperiatur. Græcorum igitur testimonio, quibus subscribit & Plinius, aperte satis, ut arbitror, ostensum est, Azarolum esse fructum primi Mespilorum generis à Dioscor. descripti. Vt tamen hoc etiam reddatur credibile his qui solum barbaris credunt, aliqua ex Arabum libris sunt subiicienda, ex quibus & id cognoscatur quod uolumus, & præterea intelligatur, unde sit Azaroli nomen deriuatũ.

*Mespilum quo nomine appellauerit Serapiõ.*

Serapion capite centesimo nono, cuius titulus est, de Sorbo, sub Zarer nomine agit de Mespilo: quod si quis non credit, conferat quæ ibi ex uerbis Diosc. leguntur, his quæ ab ipso Dioscor. scribuntur, statimq; cognoscet fallere inscriptionẽ, nec de Sorbo ibi agi, sed de Mespilo: simúlq; quàm parum his fidẽdum libris, qui ex Punica lingua ad nos uenere. Auicenna etiam libro secũdo, capi. 15?. nomine parum mutato, Zarur enim & Alzarur appellat, de eadẽ re agit.

*Arabum libri deprauati.*

Mutatio autem ea uel uitio librariorum contigit, uel ob consuetudinem hominum illius linguæ, qui Hebræorum more plerunq; sine uocalibus scribũt, unde facilis lapsus interpreti ex una in aliam uocalẽ. Sed quicquid de hoc statuatur, nullius momenti res est, sicuti & quod primum genus appellat Triangulum Latinorum, quum ad secundum potius genus pertineat, ut Latinum dicatur, ceu in Italia nascens, ut dicit Dioscori. nec Triãgulum dici aliquo pacto, sed Trigranium possit.

*Auic. Zarur.*

*Error Auic.*

Eiusdem census errores sunt, quòd secundum genus uocari à Græcis dicit Teselimon & Sentalium, pro Setanio & Epimelide. Illa uero maioris ponderis, quod secundum genus facere capitis dolorem ait, & esse malũ stomacho: quæ ratione carent, bonis autoribus aduersantur, nec experimento comprobantur. Ea enim quæ adstringunt, quum uapores deprimant, caput potius iuuant quàm lædant, & ui illa adstringente uentriculũ roborant.

*Adstringentia capiti & uẽtriculo utilia.*

Sed & primum genus, quod non ualde à secundo uiribus differt, bonũ esse stomacho scribit Dioscor. & eum sequutus Serapion. Galenus etiam in lib. de rebus boni maliue succi, Mespila uentriculum & uentrem dicit roborare. Causa uero erroris huius Auicennæ fuit, quòd Comari uel Arbuti, quod idem est, fructũ, rem quidem à Mespili utroq; genere diuersam, nomine uero & effigie similem, (nam & ipsa Epimelis à Galeno & Paulo dicta est) cum Mespilo confundit, cuius fructus ita capiti & uentriculo nocet, ut Vnedoni ei sit nomen: ex argumento, ut ait Plinius, unum tantum edendi.

*Comaris. Arbutum.*

*Vnedo.*

Sed Auicennæ errata, seorsum à nobis dicato ad id opere, si operęprecium uidebitur, aperienda, missa nũc facientes, id potius prosequamur, quod suprà sumus polliciti, unde scilicet Azaroli nomen deriuatum: quod certe facile est scientibus hanc arborem Neapolim ex Hispania transportatam, in qua longo tempore Punico idiomate Philosophiæ & Medicinæ uiguerunt studia, extaréq; adhuc ibidem multarum rerum, præcipue earum quæ ad medicinam spectant, Punica uocabula.

*Azaroli nomẽ unde deriuatum sit.*

Tulisse igitur uerisimile est hanc arborem secum Punicum in Italiam nomen, addito, ut lingua illa cõsueuit, articulo. Dicta igitur primo Alzaror, deinde mutato r ultimo elemẽto in l, ob affinitatem quæ in utroq; est, additáq; Italica pronũtiatione, quæ in uocalem desinit, Lazarola uel Azarola fuisse denominata. Hæc sunt quæ me mouet ad putãdũ, Azarola esse uera primi generis Mespila: quibus si arbor ipsa consentit, pedibus manibúsq; in hanc abibo sententiam: si uidelicet est inter amplissimas & longæuas, aculeata, folio Pyxacanthę, antequam decidat rubescente, floribus amygdalæ, non tamen rubẽtibus, lignóque denso & solido. Cupio autem hæc à uobis discere, simúlque an meam hanc opinionem approbetis, intelligere. Valete principes optimi, Manardi uestri memores. Ex Ferraria, Idibus Decemb. M. D. XXIIII.

### EPIST. II. *Pro sacerdote uertiginoso.*

CAsus tuus, ut ex narratis abs te coniicio, est uertigo, à crassa bile ad uentriculum ex iocinore transmissa. Pro cuius curatione ac pręseruatione, præ

præter ea quæ iam facta ſunt, hæc obſeruãda uidentur: Vtatur ſemel in hebdomada duabus uel tribus ex pilulis quæ habent, hierę ſimplicis, rheubarbari electi, agarici trochiſcati ana drachmam ſemis, maſtiches, ſpicæ, ſandalorum citrinorum, roſarum rubearum ana grana ſeptem, cum ſyrupo roſato fiant pilulæ nouem, & ſumantur per horam ante cibum. Diebus quibus non ſumis pilulas, ſumas duas placentulas confectionis ſequentis: Specierum aromatici roſati, ſpecierum triaſandali ana drachmam ſemis, zucchari diſſoluti cum aqua roſata quantum ſufficit, fiat confectio in placentulas.

Vtatur interdum clyſtere tali: Mellis roſati unciam unam, zucchari rubri ℥. ſemis, diaphiniconis drachmas duas, olei uiolati uncias duas, olei anethini unciam unam. Ex his cum iure carnis, uel decocto ex malua, beta, & uiolæ communis foliis facta, ſale, & uitello oui fiat clyſter.

Fugito aërem nebuloſum, uentos, maxime auſtrum, aërem nocturnum, radios ſolis & lunæ, breues deambulationes, aſpectum rerum uelociter motarũ, ut aquę currentis: rotæ, & ſimilium, magnos ſtrepitus & ſonos, fumum, multam intentionem in unam rem, & maxime luminoſam, artem ſcribendi, aſcenſum loci eminentis, aſpectum rerum profundarum, ſubitam reuolutionem de latere ad latus, inclinationem capitis ad inferiora.

Cibus & potus ſit modicus, ita ut fames uitetur ac ſatietas. Panis ſit ex farina non in totum à furfuraceis partibus mundata. Vinum debile, album, uel cæſiolũ, ita dilutum, ut omnis fumus reprimatur. Vitentur euaporantia, qualia cepe, allium, porra, atq; id genus alia. Item fabæ, phaſeoli, & ſimilia. Lactucis non continuè uescatur. Magis enim conueniunt endiuia uocata, cichorium, portulaca. Braſsica nullo modo comedatur, ius uero eius eſt non inutile.

Fercula conueniunt ex milio, panico, oryza, farre, ciceribus fractis. Bonum tamen eſt, ut ueſpere à cibariis liquidis abſtineat. Carnes ſint pullorum, gallinarum, perdicum, phaſianorum, hedorum caſtratorum, uitulorum. Vitetur uaccina, porcina &c.

Condimenta fiant ex agreſta, uino granatorũ, ſucco limonum, uel arantiorum. Vitetur ſynapiſmus, qui moſtarda dicitur.

Fructus humidi uitentur. Item ex ſiccis, caſtaneæ & nuces. Conceduntur amygdalæ, piſtacia, paſſulæ. Pira ſeu cotonea in fine omnis cibi ac potus ſunt laudabilia. Eo uero tempore quibus non reperiuntur, utatur uel citoniato, uel coriandris præparatis in fine cibi.

Somnus ſit capite bene eleuato per duas horas poſt cœnam, non ſupino corpore, ſed ſuper latus primo dextrum, pòſt ſiniſtrum, & aduſque horarum octo ſpatium protendatur. Vitet ſomnum diurnum, neque caput multum calidum teneat in ſomno.

Summopere nitaris ut ſingulo quoque die uentris onus deponas, in quo ſi naturam auaram uideris, uel clyſtere, uel balano eam incites.

Frictionibus mane crebrò priuſquam ſurgas, utaris, quæ à ſupernis partibus, collo uidelicet incipientes, in infimas deſinant. Veſperi uero cum te in lectum collocas, pedum plantas donec te ſomnus occupet, fricari facias. Operam des ut capitis ſuperflua per nares & os expurgentur: quod ſi per ſe non reſpondent, maſticatione maſtiches, & adhibitione in nares unius guttæ ſucci radicum betæ, recrementum prouocetur. Quę tamen remedia non niſi rarò admodum, & poſt pilularum ſumptionem facienda ſunt. Frictiones magnæ capitis uitentur, leues tamen pectinationes cõueniunt. Caput bene à ſorbibus mundũ teneatur. Effuſio aquæ calidæ ſuper manus & pedes multum laudanda eſt. Venereorum uſus, non minus in hoc caſu, à medicorum canonibus interdicitur, quàm à ſacris canonibus eſt ſemper ſacerdotibus occidentalibus interdictus. Piſces omnes, præter paruos fluuiatiles, dimittantur. Caſeus, & quæ ex eo cibaria conficiuntur, ſimiliter dimittendus: pauco tamen interdum pro ſigillo (ut ita dicam) ſtomachi, in fine menſæ uti potes. Oua recentia, ſorbilia, uel in aqua poſt fractionem decocta, & cum modico omphacij condita conueniunt, dura uel frixa & non recentia relinquantur. Exercitio utatur temperato, & in quo quantum poſsibile eſt caput quieſcat; ideo uitanda equitatio equi tortoris, uel multum caput commouentis. Quies tam corporis quàm animi ſummè proficua eſt, ideo ira, clamor, contentio, cantus, cum ſimilibus fugienda.

Hæc ſunt uenerande Sacerdos, quæ mihi in præſentia multum occupato, ſcribenda ſe obtulerunt, cum quibus ſpero te priſtinam ualetudinem recuperaturum, annuente eo à quo eſt uera ſalus, & omnis medela, cui ſit honor & gloria.

## EPIST. III. *Conſilium pro infante coxendicis laxatione laborante.*

VExatur nobilis hic infans, ut ex his quæ non minus eleganter quàm erudite ſcripſit Excellentia tua, cognoſcere potui, morbo in compoſitione, atque illo eiuſdem morbi genere, qui morbus in poſitu dicitur. Superius enim feminis rotundum caput, à ſinu coxæ, quem cotylam Galenus uocat, in quo naturaliter conicitur, diductum eſt, ita ut laxatus articulus ſit, non luxatus. Si enim luxatio adeſſet, neceſſario femoris caput, ut Hippocr. primo, & poſt eum reliqui medici tradidere, uel in interiorem partem, quod maiori ex parte contingit, uel in exteriorem promotum eſſet: quod minus quidem frequenter fit, frequentius tamen quàm uel in priorem aut poſteriorem, quod rarò admodum contingit. Nullum autem horum in hoc caſu dici poteſt: nam ſi in exteriorem uergeret, crus breuius fieret, & in interiori parte femen magis concauum, & nates gibboſa, & extremitas femoris quæ iuxta genu eſt, crúſque pariter & pes introrſum uergerent: ſi in priorem, ad calcem par alteri eſſet: ſi in poſteriorem, ut in ſecundo, breuius. Reſtat igitur ſolum primus modus, de quo ambigi poſsit, quoniam in eo crus longius ſuo compari eſt: quod in hoc infante, ut ſcribis, factum eſt. At ſi hoc eſſet, femoris caput manifeſte in interiori parte uerſus perineon ſentiretur, péſque in exteriorem partem ſpectaret, genu prominentius eſſet, nec flectere crus ad inguen ualeret: quorum nullum Excellẽtia tua, quæ infantem diligentius attrectauit, inueniſſe ſignificat. Erit igitur morbus hic, ſi Pauli Aeginetæ modo loquendum eſt, non exarthrema, ſed pararthrema proprie uocandus: quanquam ſi Paulo ipſi credendum eſt, coxendix ſoli exarthremati, non pararthremati ſubiacet. Sed quomodocunque uocetur, morbus in poſitu eſt, quem ueluti ſymptoma ſequitur impedimentum ambulandi: præcedit ut cauſa, materia pituitoſa, ligamenta, copuláſue relaxans, ac molliens. Quare intentio curatiua quæ à morbo ſumitur, ſiue exarthrema ſiue pararthrema ſit, erit capitis oſsis femoris in ſuum locum repoſitio. Quæ intentio ut facilis eſt cognitu, atq; factu non difficilis, ita annexã habet difficilimam cautelam, qua uidelicet caueatur, ne idem caſus iterum & crebrò contingat. Quæ res adeò difficilis eſt, ut multi, atque hi quidem inſignes medici, eam omnino impoſſibilem iudicarint. Contrarium tamen & dixit & ſenſit Hippocr. cuius nos ſententiam ſequentes, primo quid pro cura agendum uideatur annotabimus, ſecundo quid pro cautione.

Ante omnia igitur enitendum, ut quanto magis fieri poteſt, corpuſculum infantis ſuperfluis humoribus, & præcipue pituita, quæ morbi cauſa eſt, uacuum ſit. Si enim pleno exiſtente corpore repoſitio tentetur, periculum erit ne maior copia materiæ ad locum trahatur, quæ reſilire os plus quàm nunc cogat. Hæc euacuatio commode fiet ex crebra aſſumptione uel medicaminis de Turbeto, uel pilulæ de agarico, uel ex rotula eleſcophi uocati. Conducent etiam ad hoc clyſmata ex decocto unius partis Iuæ & centaurij minoris, & duarum partium maluæ, in aqua uel uino. Vbi mundum ſatis corpus uidebitur, aggredienda principalis intentio, ut loco ſcilicet ſuo os reponatur, malúſque poſitus remoueatur. Fiet hoc apte, ſi unus uir plantæ pedis pueruli palmam manus leniter premendo admoueat, alius circundato utraque manu femore, uerſus coxẽdicem tandiu impellat, donec crus oblæſum, & ob laxationem longius factum, alteri æquale fiat. Quam chirurgiam ſi tenſio aliqua ex mora in copula acquiſita impedire uideatur, præmolliendus locus erit cum althææ radicibus, oleis, adipibus, atque aliis id genus. Dehinc, ut dictum eſt, loco ſuo femur reducendum. Ita enim curatio finem habebit, ſola remanente in medici conſilio præſeruatione, quæ ut difficilior, ita maiore ingenio & ſtudio procuranda.

Reducto igitur femore, & utroque crure ęquali red-

dito, ne rurſus recidat, ſtatim aſsicula utriq; plantæ ex æquo adnectenda, quæ ita crus firmet, ut prolongari plus ſuo compari non ualeat, puérq; erit diutius lectulo continendus: omníq; ingenio procurandũ, ut muci illi qui articulum laxarunt, reſoluantur, & ne alii ad locum denuò fluant, cauendum. Secundũ congruo uictu, & ad ſiccum uergente, euacuationibúsq; ſuperius dictis procurandum. Vomitus tamẽ cæteris præſtaret, utpote ſimul diſtrahens & euacuans: ſed dubito, ne ob ætatẽ imperari poſsit. Primũ medicamẽtis loco admotis aggrediendum, quę ſatis exiccent & adſtringãt, nec niſi modice calefaciant, quale eſt fomentũ ex aqua in qua bullierint granatorum cortices, rubi cymæ, myrti folia, & cortices radicũ ulmi. Fiat autẽ cũ ſpõgia noua.

Fomento ter ad minus facto, madefaciendum linteũ in oleo myrtino, cui quarta pars foliorum myrti adiecta ſit, & ſuprà ſatis arcte alligandũ. Quod ubi per tres dies factum fuerit, fomentũ quod ex aqua paratũ fuerat, ex uino nigro adſtringente faciendum erit, additis gallis & alumine, ad reliquorum pondus: oleo uero pro myrti foliis: addendi caſtanearũ interiores cortices. Quibus per alios tres dies peractis, per totidẽ alios hoc cataplaſmate utendum: Roſarum albarum, farinæ lentium & ororborum ana partẽ I. dactylorum acerborum, foliorum ſalicis ana partem I. s. cũ oleo myrtino fiat cataplaſma. His peractis ſummouenda aſsicula à pedibus eſt, diligentiúsq; conſiderandũ, an crura in debita æqualitate perſeuerent. Quod ſi inuentum fuerit, poterunt illigata dimitti: ſi non, rurſus colligari, puero tamen in utroq; caſu adhuc in lectulo detento. Mutandáq; auxiliorum forma, à cataplaſmate ad uocata nũc cerota. uocata nunc dico, quoniam antiquis cerota ex ſola cera oleo adiecta componebantur. Quæ uero nũc cerota dicuntur, reſinacea eſſe oportet & glutinoſa. *Cerota.* Aptum autẽ mihi uidetur in caſu noſtro hoc futurum, Maſtiches partem unam, myrtillorum, ſeminum roſæ, maceris, corticum thuris, uerorum balauſtiorum, hoc eſt, florũ ſylueſtris mâli punicæ ana partis unius quartam partem, reſinæ laricεæ purioris, quam lacrymam uocant, parum: fiat cerotum, quod ſuper corio extenſum loco applicetur, & per decem dies abſq; alia permutatione teneatur. Quibus tranſactis, concedendum puero ut ſurgat, non tamen ambulare permittendus, ſed ſedere cogendus, pedibus æqualiter ſupra ſolium firmatis. Atq; hoc agendũ, donec in totum quadraginta dies tranſierint, poſt quos permittendũ ut ambulet. Quod ſi facere nequiuerit, ad fortiora ueniendum erit, habita tamen ætatis ratione, quæ nec exuſtionẽ, quam Hippoc. & alii in hoc caſu faciunt, ſed nec medicamina tolerat uehementer urentia. Ego in hac ætate nõ tranſcenderem folia uel radices Lepidii, cũ ſuillo adipe antiquo. Licet autem multæ ſint herbæ Lepidion uocatæ, Paulum Aeginetam ſequutus, eam acciperẽ quæ uulgò nunc Raphanus dicitur, foliis lauro quidem ſimilibus, ſed longe maioribus.

Hæc mihi uiſa ſunt in cura huius difficilimi morbi opportuna: quibus ſi non penitus ſanus fiet, Deo tamen optimo, & omnis boni largitore iuuante, ſpero aliquantiſper conualiturum, coadiuuante etiam excellentia tua, cuius iudicio quæcunq; ſcripta ſunt, permitto. Ex Ferraria. XVIII. Febr. M. D. XXXI.

### EPIST. IIII. *pro uenerabili quodam Monacho.*

QVo magis magiſq; circa caſus P. T. cogito, eo magis ab eorum opinione recedo, qui te eo morbo laborare arbitrati ſunt, quem recentiores Melancholiam mirachiã, uetuſtiores hypochondriacam & inflatiuam uocarunt. Quanquam enim & temperatura, & corporis habitudo, & præcedens uictus, & profeſsio, & literarum ſtudium, ab atra bile nõ abhorreant: ea tamen abeſſe uideo, quæ adeſſe neceſſe eſt ei qui hoc morbo uexatur, & quæ in eius definitione, ueluti eſſentiam ipſius demonſtratiuam apponunt. Sic enim eã affectionem Paulus Aegineta definit: Melancholia eſt deſipientia abſq; febre: à melancholico humore facta, cerebrũ atq; intelligentiã occupante. Nullam autem ego in P. T. deſipientiã, nullam in aliqua uirium cerebri, quas animales uocant, oblæſionem animaduerto: ſed totũ potius contrariũ, prudentiſsimum concinunt, tenacẽ memoria, atq; abſq; omni labe imaginationem. Tria præterea genera huius morbi, Galenus, atq; alii qui eum ſequuti ſunt, enumerarunt. Primum, ubi cerebrũ ab atra bilẽ in ſeipſo contenta, malã recipit temperaturã. Alterum, dum atra bilis in uniuerſo corpore redundans cerebrum malis uaporibus replet. Tertium, ſanguine melancholico circa hypochondria, præcordia à Celſo uocata, cõgregato, uapores ad cerebrum mittente. Primum & ſecundũ neq; hi qui te melancholia laborare medici dicunt, tibi adſcribunt. Tertium uero pręterea, quę ſuperius dicta ſunt indicia, à bonis autoribus tradita, procul à te abeſſe demonſtrant. Ea ſunt à Diocle ſcripta, & à Galeno non reprobata, ſumpto cibo, ſputum humidum multum, ructus acidus, æſtus & inundatio in pręcordiis, uẽtriculi quãdoq; uehementes dolores, qui ad dorſum uſq; nonnullis extenduntur: uomitus uel cibi crudi, uel pituitæ, uel humoris amari, uel adeò adſtringentis, ut dentes ex cõtactu obſtupeſcant. Addit his Galenus ex Hippocrate, metum & mœſtitiam longo tẽpore tenentes: ſub híſq; duobus contineri dixit quæcunq; melãcholicis cõtingunt: mœſtitiámq; ad id eos ducere, ut odio omnes perſequantur: timorem uero, ut more puerorum in tenebris paueant.

Addit his Paulus inconcoctiones: præcordiorũ adeò uehemens pondus, ut conuelli uideãtur. Auicenna nauſeam inſeparabilem, & plurimum in quibuſdam horis circa præcordia tremorem.

Hæc ſunt melãcholiæ hypochondriacæ indicia, quorum ſi qua fortè in te inueniuntur, ea uel leuia ſunt, uel non cõuertibilia, ſed in aliis quoq; morbis euenire ualẽtia, potiſsimúmq; ex uẽtriculi imbecillitate, renúmq; ac lienis aliquali obſtructione: facit enim uẽtriculi imbecillitas, ut cibus, præcipue ubi concoctu difficilis ſit, in eo diutius morã trahens, grauitatẽ & tenſionẽ in illis regionibus pariat, & ut aptior ad id pars in flatuoſum ſpiritum cõuertat: qui huc atq; illuc abſq; ordine excurrens, & dolores & tenſiones in inferiori uentre euſq; gignat, quoad exitũ inueniat. Ad quod etiã iuuat & renũ obſtructio, quæ alioqui ſola ea ſymptomata ſolet efficere. Sed & lienis obſtructio, uetans ne ſanguis bene à ſucco melãcholico emundetur. Ex quo etiã mœſtitia aliqua & ſolitudinis amor, atq; alia id genus nonnulla uel fiunt uel augentur. Augẽtur dico, quoniã profeſsio ipſa monachica ad hæc ſua ſpõte inclinat, prę ſertim ubi ei adnectitur literarũ amor. Notum enim eſt illud Ariſtotelis problema, cur homines qui ingenio claruerunt, uel in ſtudiis philoſophiæ, melancholici omnes fuiſſe uideantur.

Tribus igitur, ut ad rem iam ueniã, nuper dictis morbis P. tuam affici iudico: mala uentriculi temperatura: lieníſq; ac renũ obſtructione: ex quibus omnia ea ſymptomata ſequi puto, de quibus conqueritur. Primíq; cauſam eſſe, frigidorum humorũ copiã, pituitæ ſcilicet ob ocium & cibaria monachis cõſueta genitæ, & atræ bilis à monachali uita auctæ, & à lienis obſtructione adauctæ. Secunda, eiuſdem ſucci melancholici craſsitiẽ. Tertia, arenulas, quarum partẽ in lotio reſidentẽ aſpeximus, à calore iocinoris ipſorúmq; renum genitas, ut alia indicia breuitatis cauſa omittam, quæ in hanc ſententiam me impulere. Ad curationẽ enim feſtinandum, cuius gratia hæc omnia inueſtigata ſunt, ut curatiui ſcopi facile dici poſsint. Mala enim uentriculi temperatura cum frigida ſit, rebus calidis eſt amouẽda: ſed quia cauſam habet ſuccorum frigidorũ abundãtiam, continuò fit. Ideo hi prius uacuandi, uictúſq; talis inſtituendus, ex quo non amplius gignantur, & uentriculus roborandus, ut munere ſuo melius fungatur. Lienis uero & renum obſtructio, ſuis quæq; deobſtruentibus curanda, & demũ hæc quoq; ſimul cum iecore roboranda.

Quod ad uictũ ergo attinet, uitanda quęcunq; craſsi maliq; ſucci ſunt, & concoctu difficilia. Aſciſcẽda cõtraria, & quæ aperiẽdi quandã uim habẽt, & deobſtruendi. Bonis ergo quantũ fieri poteſt, ueſcendũ carnibus, quales ſunt inter uolatilia gallinacei pulli, perdices, phaſiani, atq; auiculæ, in ſpinetis, non in aquoſis locis uictitantes. Inter quadrupedes, uituli, hœdi, uerueces. Oua gallinarũ recẽtia, ſorbilia, uel mollia ac tremula, omphacio & ſaccharo cõdita, adiecto cinnamomi puluere.

Si quando uero ad piſces accedendum, ſint quos petreos uocant, exigui & littorales, pinguedine, lentore, & malo odore carẽtes. Omnia autẽ, tam carnes, quàm piſces, ſint potius elixa quàm aſſa, & cũ petroſelini radicibus, odoratáq; mentha condita, adiectis aromati-

cis

cis ſpeciebus huiuſcemodi: Cinnamomi electi partes duas, ſeminis aniſi partem unam, piperis longi & albi, zingiberis ana p. s. croci partis unius quartam partẽ: ſacchari puriſsimi ad omnium aromatum pondus. Nullum olus cibi ratione accipiendum. Condimenti autem & medicamenti cauſa his herbis utendum: mentha, betonica, petroſelino, fœniculo, anetho, bugloſſo, tam domeſtico quàm ſylueſtri. Ex his, adiectis quibuſdam betæ, atriplicis, & ſpinacij foliis, omnibúſque in bono iure decoctis, uel in aqua & optimo oleo, poſſunt fercula cõmuni modo parata miniſtrari. Ad quem modum hordeo optime cocto, ſolo anetho adiecto, ueſci poterit: necnon & farre ſimiliter, cum anetho condito. Poteſt & non inutiliter iuſculum ex oui unico uitello parari, addito omnibus puluere aromatico ſuperius deſcripto. Ex fructibus hæc tantum conceduntur: piſtacia, auellanæ, amygdalæ, paſſulæ. Et hæc de cibis dicta ſint: quæ enim non ſunt conceſſa, ea interdicta putanda ſunt.

Potus ſit uinum clarum, tenue, odoratum, fuluúmq; potius quàm rubrum, uel nigrum: & nec dulce nec acidum, ſed adſtringentis potius cuiuſdam nõ inſuauiter ſaporis particeps. Quod etiam ſi eſſet abſinthio, ſena, & boragine, uindemiarum tempore conditum, non potus ſolum, ſed magni medicamenti uim haberet. Modus condiendi talis eſt: Vindemiarum tempore impleatur uas ex muſto, quod per unicam tantum diem bullierit, ſacculúſque raræ texturæ herbis oppletus taliter funiculo exterius pendente alligatus, ut extrahi cum libuerit, ualeat, intra uas mittatur, atque in eo per decẽ dies maneat, deinde extrahatur, & abiectis prioribus herbis, nouæ ſacculo adiiciantur, pérque alios decem dies intra uas ſimul cum uino ebulliant, rurſúsque nouis appoſitis, ueteres abiiciantur, quæ tamdiu in uaſe dimittantur, donec muſtum deferbuerit, túncque in uas aliud mundum, uinum abiectis herbis mittatur. Quod ſi moleſtum eſſet tali uino ſemper uti, primus ſaltem calix qui bibetur, ſit uini eo pacto conditi: reliqui, uini eas conditiones habentis, quas ſuprà monſtrauimus. Donec ergo uinum ſic conditum non erit paratum, in primo calice bibendo per unicam horam antè madeant eædem herbæ. Et hæc quidem de potu dicta ſint, nunc ad reliqua accedendum.

Aër eligendus quantum poſsibile eſt temperatus: ſi ad alterum tamen extremum uergit, ad tenuem potius quàm ad craſſum inclinet. Conclaue orientem æſtiuum ſpectet, inter uernalem uidelicet & aquilonem. Turbulentus & nebuloſus atque obſcurus fugiatur. Solitudo, quantum religio permittit, tenebræ, ſolicitudo, & aſsidua nimis circa aliquam rem cogitatio, dimittantur, & paradiſi potius delitiæ, quàm inferni cruciatus mente uoluantur. Aſpectus ſit rerum uiridium, & florentium herbarum, réſque odoratæ per cubile & ſternantur & ſuſpendantur. Sed iam ad alias intentiones accedendum.

Euacuatio redundantium in uentriculo & toto corpore humorum, per hunc modum procuranda. Vbi per tres dies P. T. quieuerit, hanc potionem in aurora bibat: Paſſularum, foliorum ſenæ, polipodij, ana ℥. s. in aqua fontis uel pluuiali tamdiu bulliant, donec tertia pars conſumpta ſit: reſiduo abiectis herbis addantur catholici ʒ. 6. ſyrup. de pomis ℥. 1. Dehinc per ſeptẽ dies alia potio bibatur, in hunc modũ parata: Agrimoniũ, abſinthij & boraginis coma paribus portionibus in aqua coquãtur, herbisq; abiectis aquæ ℥. 3. ſyrup. biſanthini ℥. 1. s. adiiciatur. Sumpto ſepties hoc potu, ſequẽti mane hęc catapotia deglutiãtur: Aloës, agarici, rhei barbarici ana ℈. s. pilularum aggreg. ʒ. s. cum ſaccharo ſ. conficiantur. His peractis, uentriculi regio hoc decocto ex alto cadente perfundenda: Abſinthij manip. 2. roſarum manip. 1. ſchœnianthos ʒ. 2. maſtiches, gariophyllorum, ſeminis aneſi, careos, & cumini ana ʒ. 1. in tribus aquæ partibus, unica uini, & media aceti, ad tertiam bulliant, & lana in decocto madente, ex alto ſupra ea loca adſtricta, fiat ut liquor cadat.

Quo peracto, uentriculus ad umblicum uſque hac mixtura illinendus: Olei de abſinthio, roſacei, rutacei ana ℥. 1. pulueris gariophyllorum, maſtiches, piperis longi, macis ana ℈. 1. ceræ albæ, & aceti parum, fiat unguentum. Præcordium uero dextrum ſub quo eſt iecur, ſequenti ungendum: Succi cichorij ℥. 2. olei de abſinthio ℥. 1. pulueris ſandalorum citrinorum, roſarum rubearum ana ʒ. 1. ceræ & aceti roſati parum. fiat linimentum. Siniſtrum, lienis regio, hoc: Olei rutacei ℥. 1. s. pulueris radicum capparorum ʒ. 1. ceræ & aceti ſcilliti ci parum. fiat unguentum. Prouidendum præterea ut bona ſit aluus, uel iniecto clyſmate tali: Succi betæ, mercurialis, maluæ ana ℥. ſ. olei rutacei ℥. 3. ſalis ʒ. 6. Vel balano huiuſcemodi pulueris: Hieræ, diacolocynthidos ʒ. 2. ſalis nitri ʒ. 1. mellis cocti quantum ſufficit: conficiatur balanus. Vel ſi hæc fortè moleſta fuerit, uices eorum ſupplebit ʒ. pulueris ſenæ, quæ cõmuniter paratur, adiecta ſacchari parte. Vel iuſculum ex uitello oui, additis fecis uini ſubtiliſsime contritis drachmis duabus.

Supra omnia conducet Galeni picra, pondere ʒ. 2. uel ℈. 4. obuoluta pane tenui, quo in myſteriis utuntur, in aqua abſinthij madefacto. Verum quia hiera uel picra, non bene apud communes ſeplaſiarios paratur, ideo non ab re fore putaui uerum Galeni præparationis modum adſcribere, qui habet, cinnamomi partes 2. maſtiches, xylobalſami, aſari, ſpicæ, croci ana partem 1. Aloës lotæ partes C. *Picra Galeni.*

Nemo autem miretur ſi cinnamomum duplicaui, quia quod uulgò cinnamomum dicunt, non uerum cinnamomum eſt, ſed caſia. Tradiderunt autem nobis antiqui, etiam qui Galenum præceſſerunt, cum uero caremus cinnamomo, eius loco dupla caſia eſſe utendũ. Vocaui igitur caſiam cinnamomum, quia ita uulgò uocatur. Duplicaui eam, antiquorum obſequens præceptis, qui imbecilliorem ſcientes, pro ſimplo cinnamomo dupliciter eius accipi iuſſerunt. Hanc picram ſi P. T. ſæpe per horam ante exiguam cœnam acceperit, mirum in modum ex ea iuuabitur, & eam non immeritò dici ſacram agnoſcet. Verum in magnis æſtibus erit ab ea abſtinendum, atque eius loco, mixtura ex electuario Indo uocato, & diaprunon ſumenda, ut ſint utriuſque drachmæ duæ.

Et hæc quidem ſufficere uidentur ad omnes ſcopos ſuperius dictos complendos. Vnus tamẽ adhuc ſupereſt, quem ſuprà omiſeram, quoniam directè ad curationem pertinere non uidebatur, ſanguinis uidelicet per ora uenarum ſedis prouocatio: ex hoc enim ſanguis ater, qui ad ſuperiora uel repit uel repere poteſt, & diſtrahitur & uacuatur: experientiáque ipſa docuit, ex eius fluxu ferè in totum cũcta ceſſare ſymptomata. Propterea hanc prouocationem uelim & nũc, hoc eſt, antequam deſinet uer, fieri: atque aliis annis citius, hoc ipſo ſcilicet uere inſtante, necnon autũno. Quibus uero ingeniis, licet eorum ſint pleni medicorum libri, ego tamen ueluti expeditius & minus moleſtũ laudo, ut per hirundines uenis illis admotas fiat. Quorum opus duplici modo augere poſſumus, abſcindẽdo uidelicet earum caudas: neque enim ob hoc ſugere deſinunt: uel ſi poſtquam oppletæ ceciderunt, uapor aquæ in ſede recipiatur: hoc enim modo tantũ uacuatur ſanguinis, quantum optamus.

Poteram hoc loco finem facere, quoniã expleta iam ſunt, quæ ab initio iudicaui neceſſaria. Addere tamen adhuc uolui nõnulla, ut locupletius & P. T. quam ſummopere diligere cœpi, necnon peritiſsimo & eloquentiſsimo Iuriſconſulto Franciſco Bellenzino, qui te mihi per literas commendauit, ſatisfaciam. Vſus diacalaminthes, modo Galeni in libro de tuenda ualetudine paratæ, mirè conducet: uerum uerenda eſt eius nimia caliditas, & propterea erit cum roſaceo ſaccharo minuenda. Proderit & mane betonicam herbam mandere, & bene attritam deglutire. Non leue quoq; auxilium erit ex rheobarbarico eodem modo mãſo & deglutito, & ex rheo pontico uocato, ſi illius ſemidrachma, huius integra ſit: uocato dico rheo pontico: quia radix eo nomine nunc dicta, centaurij maioris radix eſt, nõ rhei. Proderit & maſtiches granũ, & nux myriſtica, quam moſchatam dicunt, & ore detenta & deglutita. Item zingiberis conditi fruſtulum: cui æſtatis tempore myrobalanus chebula etiam condita adiiciatur. Citro quoque condito, hyeme quidem ſolo cortice, æſtate ſimul cum cortice pulpa, cõcoctio mire roborabitur. Mirè quoq; iuuabunt flores roriſmarini ſaccharo conditi.

Hæc ſunt quæ in hoc biduo, publicis lectionibus & aliis negotiis impedito, mihi pro P. tuæ ſanitate occurrerunt. Quibus ſpero, Deo optimo fauente, à quo eſt & ſalus & omne bonũ, te optatã ſanitatẽ conſequuturũ. Valeat P. T. meiq; in ſuis ad Deũ precationibus ſit memor. Ex Ferraria. VII. Idus Maij, M. XXXII.

## EPIST. V. *pro illustriß. domina Alphonsa, tumore uteri cum multis symptomatibus laborante.*

CAsus huius præclarissimæ D. adeò difficilis cognitu mihi uidetur, ut non modo absenti, sed etiam præsentibus, quotidiéq; cuncta indicia examinantibus, magnã ingerere debeat perplexionẽ. Quantũ tamẽ ex schedula ostensa possum conijcere, satis uereor, ne tumor præter naturam uteri ceruicẽ infestet. Moueor ad hoc suspicandũ, ex doloris quasi continua molestia, imò ut in fine scribitur, Nunc continua, ex mingendi difficultate, capitis grauitate, pulsus frequentia, renũ dolore, appetitus prostratione. Locũ autem huius tumoris puto esse partẽ anteriorẽ, quæ uersus uesicam est: hincq; stranguriã & dysuriã fieri, dolorémq; in pectine, præcipue dũ mingit. Quòd uero aliquando, præsertim noctu, magnã urinæ copiam emittat, euenire puto, quoniã iacendo (maxime supino corpore) tumor à uesica elongatus exire libere urinã permittit. Ex simili etiã causa fieri, id est, tumore, quòd sanguis aliquãdo exeat conglobatus: ex quo enim libere exire non ualet, aliquo tẽpore in uteri concauitate manens coagulatur: ad quod facit sanguinis aquosi segregatio, qui nõ ita impedire potest ab exitu, sed uiã exeũdi inuenit. Quòd modo in sinistra, modo in dextera parte doleat, accidere puto ex ipsa tumescente parte, modo in unam, modo in aliã partẽ uergente: ad quod etiam addit sanguis ille conglobatus, qui & ipse reuoluitur. Flatus quoq; & inflatio in intestinis coarctata, & urina retenta, uterũ utrinq; obsidentes, dolorem augẽt, & ad totũ quãdoq; imum uentrẽ extẽdunt. Quòd à sexta hora usq; ad duodecimam plus sentit molestiæ, fortè euenit, quia iã peracta secunda cõcoctione, id est, genito & distributo sanguine, facto ex cibo accepto in prandio, descendẽtibus etiã excrementis alui & uesicę, locus ubi est tumor & comprimitur & trahitur. Quòd non bene cubet supra dextrũ latus, est argumento, tumorem cõsistere uersus sinistrã. Causam huius tumoris arbitror esse materiam commixtã ex sanguine satis pituitoso, cum exigua bilis portione. Quòd enim dolor aliquando uel mitigetur, uel quasi totus auferatur, prę ter causas superius tactas, accidere puto ex eo, quòd biliosa pars in tumore collecta, quandoq; ut tenuior saltem aliqua ex parte exhalat, remanet tamẽ semper obtusus quidam dolor, à sanguine illo pituitoso factus, in una uentris parte, id est, uteri ceruice congregato: quẽ qui scripserunt, obtenebratũ & obscurum sensum uocant. His cõiecturis, quas quàm breuissime potui, recitaui, mihi uidetur, ęgritudinem huius excellẽtiss. D. esse tumorẽ præter naturã ceruicis seu colli, ut uocant, uteri: & sequi ex eo dolorem, uelut symptoma: foueri tamen à sanguine ad ipsum uterũ longo ex morbo debilem fluente: & inflatione, id est, uento, ex imbecillitate tum ipsius uteri, tum naturaliũ membrorũ genito, & urina retenta: quam retentionẽ etiã existimo esse symptoma tumoris facti ab eo, obstructione in collo uesicæ per uiciniam coarctato. Cõiungi etiã aliã malã affectionem, hoc est, malã temperaturã humidam uteri, laxantem ipsum & imbecillã reddentẽ ad concoquendũ proprium nutrimentũ, & retinendũ.

*Intentiones curatiuæ.*

Ex quibus elicio intentiones curatiuas: quarum prima & dignitate & proposito, mihi uidetur esse euacuatio humoris in tumore collecti: & quia eũ in augmento esse credo, iudico euacuationem fieri debere ex admixtione aliquorũ repellẽtium cũ discussiuis, hoc est, resolutiuis. Sed quia fortassis totum corpus repletũ est, ideo prædominantium in toto corpore humorũ, prius est facienda purgatio: uel si admixti cum sanguine uiderentur, robúrq; adesset, secanda uideretur uena interior cubiti, quam hepaticam uocãt: simul enim distractio fieret & plenitudinis amotio: deinde ad localia posset accedi. Ipsa quoq; mala temperatura uteri, cũ (ut uidetur) sanguinẽ pituitosum pro causa habeat, purgationem desiderat, quæ tamẽ non nouã suggerit intentionẽ. Siquidẽ ablata pituitæ copia, tam tumori quàm isti malæ temperaturæ prouidebitur. Verum quia hic morbus non est in totum factus, sed quotidie fit: non solũ curationi subditur, sed etiã præseruationi: quæ fiet roboratis naturalibus membris, & ad gignendũ bonũ sanguinem factis idoneis: simúlq; ipso utero ut nutrimentũ ualeat bene concoquere, bonúmq; sanguinem retinere, & in propriam substantiã cõuertere, ac deteriorẽ usq; ad tẽpus euacuationi debitum seruare. Erunt igitur intentiones curatiuæ, phlebotomia, prudẽtiæ præsentiũ medicorũ relicta: purgatio superabundantium humorum: distractio: uacuatio humorum tam in tumore quàm in utero contentorũ. Roboratio uteri & naturalium membrorum, hoc est, iecoris & uentriculi: ita enim ea nunc uocant.

Purgatio, si abundare uidentur crassi & tenaces humores, non antea facienda est, quàm attenuati fuerint & incisi: sin minus, saltem uiæ aperiendæ sunt: ad quæ conferre uidentur sequentes potiones. Decoctionis radicum asari factæ secundum artem uncias 4. syrup. de duabus ra. unc. 1. s. fac potionem depuratam & clarã. Odoratam redde cum modico maceris. Sumpta ter hac potione, dentur catapotia, quæ recipiunt rhei barbarici electi, sed non à cortice mundati, ʒ.s. agarici electi ℈.s. maceris gra. 6. cum uino odorifero fiant pilulæ 5.

Catapotia hæc leuia descripsi, quoniam, ut audio, lubrici satis uẽtris est. Si tamen nõ plenè purgasse uiderẽtur, possent pluries repeti, aucto etiam, si opus uideretur, rheobarbarico & agarico.

*Diuersio.*

Facta congrua euacuatione per uentrẽ, ad distractionem ueniendũ, quæ uariis ingeniis facienda est, adeò ut non solũ distrahantur humores, sed etiam uacuentur.

*Vomitus.*

Vomitus utrunq; expleret: & ideo si non difficulter uomit, laudarem ut excitaretur cum facilibus, addẽdo tamen aliquid quod phlegma euacuaret, ut agarici decoctionem: quod tamẽ fieri nolo, nisi post aliquot dies à uentris purgatione.

*Diuretica.*

Vrinæ quoq; prouocatio, aliquo modo deriuat, & aquositatem uacuat: nec uerenda est, quum à Galeno & Paulo maximè in hoc casu commẽdetur, & ab Auicenna ipso, qui nec Erythrodanum quidẽ, id est, rubiã quam uocant tinctorũ, est ueritus. Ego autem, Dei ope, nonnullas mulieres per huiuscemodi urinas mouentia curaui, quæ ex usu adstringenti quotidie ad peius labebantur.

*Frictio.*

Distrahit quoq; frictio, maxime superiorũ partium, quæ primo molli linteo, deinde aspero facienda. Commendãt etiã Galenus & Paulus post frictionẽ, unctionem ex melle cocto, qua & ego usus sum, addẽdo oleum, modo chamæmelinũ, modo liliaceum. Proderit etiam diuersionis gratia cucurbitulas apponere utriq; hypochondrio uel sub mammis, digitósq;, qui minimo proximi sunt, adeò alutis adstringere, ut rubor cum dolore moueatur. Proderit & exercitiũ, quo superioribus partibus corporis motis, cęteræ quiescãt. Sanguinem quoq; ex naribus prouocare, ualde utile foret.

Vacuationibus his, & diuersionibus factis, ad loca ipsa ueniendum est uariis ingeniis, balneo uidelicet uel sessionibus, fomẽtis, unctionibus, tam extrinsecus adhibitis quàm iniectis: suffumigiis, pessis, cataplasmatibus, emplastris, sacculis.

*Balneum.*

Balneũ ex decoctione harum herbarũ faciendũ: Rosarum albarũ, seminũ earum, rubi summitatũ uel florũ, si inueniri possunt, absinthii florũ & foliorum, chamæmeli, althææ, alceæ, quam alii cãdelariã, alii herbã ungaricam uocãt: matricariæ, plantaginis cũ radicibus ana manip. 1. Coquãtur hæc omnia in tribus partibus aquæ pluuialis, & quarta parte uini nigri styptici, & herbis in solio manentibus fiat uel balneũ uel sessio bis in die.

*Vnguẽtum pro uentre.*

Vnctio uẽtris post balneum hoc modo paratur: Rosarum, matricariæ, seminis lini ana unciam unam. Bulliant in libra una uini nigri styptici, ad cõsumptionem mediæ partis, & abiectis herbis addatur uino olei rosati ℥.1. olei liliorum alborum ℥.2. bulliántq; simul in uase duplici, ad uini consumptionẽ, & ipso oleo uẽter ab umbilico infrà inungatur, lanáq; illota superponatur, sed aliquid etiam ipsius olei molli lana exceptũ naturalibus sub pessi forma indatur. Ex eisdem rebus emplastra fieri possunt, & sacculi pleni, in uino & aqua calidis calefacti superponi.

Suffumigia possunt fieri ex puluere rosarũ, macere & mastiche eliquato, ad congruã figuram composita.

*Hepar & stomachũ cõfortantia.*

Ad robur epatis & stomachi multum conferre scio, si parum rhei barbarici masticetur & deglutiatur.

Valebit & hæc confectio: Pistaciorum electorum ℥.3. pulueris maceris, rosarum rubearum, cinnamomi ana ʒ.1. zucchari albissimi dissoluti in aqua rosacea per balneum Mariæ uocatum, uel ad solem destillata, quãtum sufficit: fiat confectio iuxta modum consuetum.

Prode

*Nux myristica.*

Proderit etiam aliquando myrobolanûm chebulam conditam, puluere cinnamomi insparsam, mane comedere. Item nucem myristicam, quam uocant moschatam, conditam.

*Absinthite uinum.*

Tum hoc aromatico puluere potest in suis escis uti: Rosarum rub. electarũ, sandalorũ citrinorũ ana ℥. 1. cinnamomi ℥. s. piperis albi, maceris ana ʒ. 1. zucchari optimi ad pondus omnium. Vti uino absinthite ualde utile puto. Quod si in parato forsan non inueniretur, ex tempore in hunc modum parabitur: Accipiantur molliores cauliculi absinthij recentis, si inueniri possunt: si non, sicci: digitisque aliqualiter intorqueantur, si recentes sunt, ut uidelicet aptiores sint ad uim tribuendam, & per horam ante cibum infundantur uino aromatite stomachico, stypseósq; alicuius participe: post horam, quando uidelicet bibendum erit, cum linteolo uinum coletur, & si nimis amarum uidebitur, cum alio simili, sed non absinthite, temperetur.

Regio quoque naturalium membrorum (medium illud spatium, quod est inter umbilicum & os stomachi) sæpe foueatur uino & oleo, ita ut sint uini odorati styptici partes tres, olei omphacij, id est, facti ex oliuis immaturis pars 1. in quibus bullierint rosæ, absinthiũ, & menta odorata.

*Stomachicũ unguentum Galeni.*

Vngi quoque potest unguento stomachico Galeni bene composito: quod tamen uix puto bene componi posse, quia uera Spica caremus. Et hæc quidem de membrorum naturalium roboratione dicta sint.

Vterus ex dictis rebus, quas ad tumorem laudauimus, satis meo iudicio roborabitur. Si tamen amplior roboratio uideretur necessaria, foueri poterit spongiis uino madefactis, in quo folia myrti, menta, & rosæ bullierint, addita quinta parte aceti. Earundémq; rerum fumus per os uteri recipiendus est. Et hæc quidem satis explere uidentur intentiones necessarias.

*Syrup. electus.*

Verum libet præterea amplius nonnulla subtexere (quoniam ægritudo ipsa multis ex causis quas silentio prætereo, difficilis est) prædictis intentionibus deseruientia: inter quæ præcipuus uidetur hic syrupus: Rhei pōtici ueri, si haberi potest, hoc est, ex Pōto portati, ʒ. 1. uel si haberi non potest, loco eius rhei cōmunis ʒ. s. turbit electi & mundi ʒ. s. myrob. cheb. ʒ. 1. rosarum, mentę siccæ ana manip. 1. Fiat decoctio secũdũ artem, & ex ea syrupus lōgus cũ melle rosaceo, in quo dum coquetur, bulliant in linteolo raro cinnamomi ʒ. s. sandalorum & maceris ℈. 2. Hinc bibãtur duæ, tres, uel ad summũ quatuor unciæ: leuiter enim purgabit, concoquet, roborabit. Interdum quoq; utendum his pilulis: Rhei barbarici electi cum cortice suo ℈. 1. turbit electi & mundi ℈. 2. maceris, rosarum ana ℈. s. cum electuario de succo rosarum fiant pilulæ 15. sumãtur 5. uel 7. hora ante cibum.

*Narcotica.*

Quoniam festinat nuncius, finem faciã, si unum addidero, quod uidelicet urgente dolore, & immoderato fluxu, adeò ut periculum uideatur, ne uires plus nimio prosternantur, non est uerendus usus Narcoticorũ. Ego enim illorum beneficio quandã mulierem, simili morbo, sed longe grauius uexatam, multos annos præseruaui. Inter reliqua autem eam cōpositionem ualde utilem inueni, quæ Sazenea à Ioanne Mesue nuncupatur.

*Sazenea apud Mesuẽ.*

Hæc sunt quæ mihi in hoc breui tēpore, alioqui & publicis lectionibus, & aliis negociis occupato, occurrere: in quibus benignũ lectorem desidero: quoniam nec mihi reuidendi, nedum amanuensi rescribendi tempus datum est. Si quid tamen offenderit excellentissimos doctores, qui hæc uisuri sunt, non dedignentur id mihi significare, ut ego uel recãtem, uel rationem ostendam quæ me mouerit, quam breuitati studens, prætermisi.

At cum mihi sit amplius nonnihil temporis condonatum, addam nonnulla. Vsum anisorum, albo sacharo coopertorũ (ut fieri solet) cōmendo, addito ipsi saccharo modico maceris. Ad dolorem sedandũ & resoluendum, mediocritérq; roborandum, summè ualebit cataplasma aluo appositum, ex radicibus liliorum alborum, uitellis ouorum, & oleo rosaceo omphacio. Ad idem, aliis non iuuantibus: Adeps coturnicis, si haberi potest, misceatur cum oleo chamæmelino, & ℈. s. croci & opij addatur. Si haberi adeps ille non potest, loco eius sumatur anserinus. Oua nuperrime nata adhuc calida, si sorbeantur, mire conferunt, nec despiciatur remedium quia uulgatum. Et si quando fluxus urgebit, puluis pulchrorum corallorum rubrorũ supponatur.

*Oua recentia.*

Ad dolorem sedandum & resoluendum: Oua, adeps anseris, medulla cruris cerui, cum rosaceo soluãtur, addatúrq; parũ croci, & cum lana illota bene molli iniciantur. Hinc eadem lana infusa in uino & oleo, uel rosaceo, uel cotoneorum, uel myrtino, iuxta maiorẽ minorémue adstringendi necessitatem, inferiora omnia umbilico membra, & anteriora, posterioráq; tegãtur. In oleo ex glandibus expresso, magnã habeo fiduciam ad restringendum. Meliloton uerum, quod est sertula campana, in bona sapa coctum, additis quinq; uitellis ouorum, in aceto usq; ad duritiem coctis, rosaceo oleo dissolutum confortat, dolorem sedat, & resoluit.

*Meliloton.*

# IOAN. MANARDI

## EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER VNDECIMVS.

EPIST. I. *Ioannes Manardus* Ferrariensis *medicus, Ioan. B. Montano, eiusdem artis professori eminentiß. S. D. Exponitur caput 21. libri primi Galeni de differentijs pulsuum, iuxta antiquam translationem.*



VANQVAM ea in me minime agnosco, quæ tu nimio fortassis amore ductus (malo enim hoc, quàm adulandi studium in te suspicari) mihi per tuas literas adscribis: eam tamen mentem Dei opt. max. munere in me comperio, ut omnes iuuare, & amicis quidpiam in re præcipue literaria petētibus, semper cupiam satisfacere, atque iis præsertim, qui medicinalis scientiæ studiosi, nō Barbarorũ uerbis ueluti mancipia seruiũt, sed rationi & experimēto nixi, medicinæ decreta ex ipsis potius fontibus, quàm ex turbidis lacunis haurire desiderant. In quorũ numero cũ te iampridem esse cognoscã, quod petis, quantum per imbecillitatem meam licuerit, conabor absoluere. Petis autem, ut iis quæ à Galeno, uel à Barbaro potius interprete, libro primo de differentiis pulsuum, cap. in uulgata editione 21. obscure scribuntur, lucem expositionis adiiciam. Quod ut cōmodius exequi ualeam, primo de quibus pulsibus loquatur, ostendã. Secũdo, primã quam subiicit figurã, describam. Tertio ad expositionẽ uerborũ me uertã, simúlq; secundam figurã depingã. Vt igitur ad rem ipsam accedam, dico Galenũ cap. 17. agere incepisse de pulsibus in eo genere inæqualibus, quod à motu sumitur: iuxta cuius motus cōsiderationem dicimus aliquos pulsus ueloces, aliquos tardos, aliquos inter hos mediocres. Duásq; in eo statuisse differentias, unam quæ in unica arteriæ parte generationem habet, alteram quæ in pluribus. Primámq; in tres præterea alias secuisse: quoniã aliquando quiete media motus interciditur, aliquãdo nulla quidem quies interuenit, sed motus ipse non semper sibi parem habet celeritatem, aliquãdo motus qui finem accepisse uidebatur, iterum redit. De primo genere, hoc est, in quo motus continuitas media quiete intercipitur, cap. egit 18. nouem in eo inueniens differentias. Secundum, in quo nulla quies interuenit, sed diuersitas sola celeritatis & tarditatis, ulterius bifariã diuisit, quoniam aliqui regulam quandam seu uniformitatem in hac seruant mutatione, alij irregulariter ac diuersimode motum uel intendunt, uel remittunt. De primis 19. cap. decernens, sex eorũ inuenit differentias. De secundis agere cœpit cap. 20. sub nomine pulsuum anomalam uersionem facientium, uersionem dicens, celeritatis mutationem, quę à celeritate ad tarditatem, uel è contrario, uel à mediocritate ad utrũuis fit extremum: quam uersionẽ illi pulsus irregularẽ facere dicuntur, qui nō certo ordine uel intendũtur, uel remittũtur: sed cũ, exēpli gratia, primã partem æqualiter celerẽ habuerint, aliam tardã habebũt. Possunt autẽ facilioris doctrinæ gratia præcedentes, hoc est, qui regularem uersionem faciunt, hac triangulari figura ostẽdi, ubi quantum secunda pars à prima properando uel morando recedit, tantundem tertia uariat à secunda.





*Figura pulsuũ regularẽ facientiũ mutationem, id est, uniformitatem.*

*Prima figura.*

Secundi,hoc eſt,ĳ quos nunc declarare intendimus, qui uidelicet irregulariter uertuntur, per hanc oſtenduntur.

Secunda.

*Celeritas.* *Tarditas.*

*Prima pars.* 2

*Figura pulſuum duas ſenſiles mutationes habentium.*

In hoc ſecundo genere quãdoq; duas,quandoq; tres oſtendi motus differẽtias dicit Galenus:quandoq; etiã ſe quartæ imaginem deprehendiſſe:poſséq; fortaſsis à quopiam,qui in hiſce ſe diligẽter exercuerit, quartam illam manifeſte cognoſci:ea tamẽ in totum prætermiſſa,de ĳs ſe acturũ dicit,qui multoties & ſibi,& ĳs qui optime artem pulſuum aggreſsi ſunt,manifeſte apparuerunt: in quibus uidelicet arteriæ motus,aut duas, aut tres ſenſiles differentias facit.Et addit ſi duæ fuerint, ſex fore complicationũ modos:ſi tres,quatuor & uiginti.Et hæc quidem eſt primæ particulæ huius uigeſimiprimi capitis ſententia,quod male à præcedenti capite diſiunctum cũ fuerit,obſcuriorem Galeni mentem reddidit.Quam ut locupletius aſſequamur,ſciendũ per ſecundã figurã ſuperius deſcriptam cognoſci eos pulſus,qui duas ſenſiles differentias habẽt,diuiſo uidelicet in duas partes toto arteriæ motu.Si quis uero cognoſcere eos pulſus uoluerit,qui tres differentes ad ſenſum motiones habent,ad ſequentem figuram reſpiciat.

Tertia.

*Prima pars.* 2 3

*Velox.* *Media.* *Tarda.*

*Figura pulſuum tres ſenſiles mutationes in eodẽ motu facientium.*

In ea quippe intelliguntur tres in eadẽ motione differentiæ in uelocitate,ſicuti per aliam figuram pulſus cognoſcitur,qui duas tantummodo differentes habet motionis partes.Reſtat declarare,cur in primo genere ſex tantũ cõplicationes enumerentur,& in hoc ſecũdo quatuor & uiginti,quum in primo nouem,in ſecũdo ſeptem & uiginti diuerſitates cõtingant,ſicuti ſequentibus figuris oſtenditur.

*Prima figura continens omnes cõplicationes uelocis, tardi,ac cõmoderati pulſus,quotquot excogitari poßunt in duabus partibus diaſtoles,uel in duabus partibus ſyſtoles,in uno eodémq; pulſu:*

| | *Prima pars.* | *Secunda.* | | | *Prima pars.* | *Secunda.* |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 | Velox | Tarda | (*poſito.* | 6 | Tarda | Cõmoderata |
| 2 | Velox | Velox | *inutilis pro* | 7 | Cõmoderata | Tarda |
| 3 | Velox | Commoderata | | 8 | Cõmoderata | Velox |
| 4 | Tarda | Tarda | *inutilis pro* | 9 | Cõmoderata | Cõmoderata |
| 5 | Tarda | Velox | (*poſito.* | | | (*inutilis propoſito.* |

Nouem igitur ſunt,nec plures,complicationum differentiæ, quas imaginari in hoc genere eſt poſsibile: quarum tamẽ ſex ſunt,quę ad hoc genus uerè pertinẽt, quia ueram inæqualitatem habent,tribus ceu æqualibus reiectis,ſecunda uidelicet,quarta & nona.Illa enim tota uelox,hæc cõmoderata:ſicuti quarta penitus tarda exiſtit:atq; ut ſequens eſt,æqualibus pulſibus,non inæqualibus connumerandæ. Si enim eundẽ pulſum, ut ipſe Galenus ait,nulla interueniẽte quiete bis poſueris fieri,unum & æqualem efficies pulſum.Ex his autẽ patet primæ partis huius uigeſimiprimi capitis expoſitio,quæ ad eũ uſq; locum pertingit,ubi hæc uerba in antiqua editione leguntur, *Homalus igitur in his tribus*,quæ quidem pars lucidioris expoſitionis gratia in tres particulas ſecari poteſt.Primo enim enumerantur differentiæ quæ in his duobus generibus inueniri poſſunt,debétq; hæc pars cum præcedentibus hoc pacto cõiungi:Verum nunc de ĳs agendum,qui aperte & nobis,& ĳs qui optime artẽ pulſuum tractarunt,multoties apparuerunt: quando uidelicet motus arteriæ aut duas ſenſiles differentias,aut tres facit. Duabus igitur differentiis exiſtentibus,ſex erunt cõplicationes,quæ inter reliquas proxima iam figura recenſitæ ſunt:prima uidelicet,tertia,quinta,ſexta,ſeptima & octaua.In tribus uero quatuor & uiginti, quas ſicuti commemoratas priores per figuram aliã oſtẽdemus,ubi Galeni omnia circa hanc primam dicta expoſuerimus:qui ſecundo loco, in ea particula, cuius initium, *Cur utiq;*. cauſam reddit,quare cum ſint tres motus differentiæ,uelocitatis ſcilicet & tarditatis,& commoderationis,quæ per binas motus partes multiplicatæ nouem conſtituunt diuerſas inuicem cõplicationes,ſex tantum in hoc genere differentias eſſe dixerit: claráque eſt, ex his quæ ſæpius dicta ſunt,huius particulæ ſententia.Si qua uero remanet in ea dubitatio,caſtigata iſtius editionis litera,remouebitur.Vbi enim legitur, *Cur utiq; unquam aut tribus*.lege, *Cur uero tribus*.Et ubi, *Alterutro diuerſorũ motuum*, lege,*utroq; differentium*.Illis autem uerbis , *ſi cognoueris eundẽ pulſum*,addẽdum *quòd*,& legẽdum,*Si cognoueris quòd eundẽ pulſum*.Et ubi ſcribitur,*unum homalum*,lege,*unum totũ homalum*.Et ubi habetur,*tres aſcendunt*.lege,*abſcedunt* : ut textus integer à fine capitis uigeſimi, cum principio capitis uigeſimiprimi connexus ita legatur, *Emendatus Galeni locus ueteris traductionis.*

*Sed nunc de ĳs agendum qui aperte & nobis & ĳs qui optime artem pulſuum tractarunt,multoties apparuerunt,quando uidelicet motus arteriæ aut duas differentias,aut tres facit. Duabus igitur exiſtentibus,ſex erũt complicationes,in tribus uero uigintiquatuor.Cur uero tribus exiſtentibus pulſibus,utroq; differentium motuum,ueloci & tardo & commoderato,differentias dicimus ex dicta complicatione eorum nõ nouem,ſed ſex fieri,ita utiq; diſces.Si cognoueris quòd eundem pulſum deinceps bis ſupponens fieri,nulla quiete media exiſtente unum totum homalum operabere.Et ſecundum hoc ex nouem complicationibus tres abſcedunt &c.*

In fine demũ huius partis,eo loco, *Si uero & aliqua*,excludit dubitationem circa ſuperius dicta contingentẽ. Dictum eſt enim eos pulſus eſſe æquales,qui utraſque partes uel tardas, uel ueloces, uel commoderatas habent:uidetur enim inæqualitas quædã in his quoq; intelligi poſſe,ut,ſi ambæ quidem partes celeres ſint,ſed una ſit altera celerior.Prætermittendam autẽ eſſe nunc dicit hanc differentiam,ceu multam in ſe obſcuritatem continentem:partéſq; huiuſcemodi uarietatem habẽtes ueluti pariformes inuicem eſſe accipiendas,& pulſus ex his cõpoſitos tanquam uerè æquales,ab hoc genere ſegregandos.Et hæc quidẽ eſt Galeni mens,quam nonnullis locis caſtigatis,eruere non eſt difficile:nã ubi habetur,*amplior eſt*,lege,*ampliorem*,ubi *tribui*,*tribuet*:ubi *ut his eiſdem & fortaſsis ſibi paribus* , lege,*ut einſdem & inuicem æqualibus*. Sic clara erunt quæcunq; à Galeno de primo hoc inæqualium pulſuum genere dicta ſunt,in quo ſcilicet duas tantum diuerſas partes conſideramus. Alterũ uero genus ex tribus differentibus partibus conſtans bene intelligere nequimus, niſi ante oculos figuram, quam Galenus ſubiicit,poſuerimus,quæ non ſolum in iſtis noſtratibus exemplaribus,ſed in pleriſq; etiã Græcis deeſt:ſimúlq; nonnulla ante eam uerba,totũ intellectum interturbantia,in uno tantum codice,hactenus apud ædes S. Ioannis & Pauli Venetiis inuenta,ſubiiciam.hæc ſunt:Similiter ſi tres ſupponens inuicem differentes motiones,in earum ſingula tres pulſus permutando complicueris,ſeptem quidem & uiginti erunt omnes figuræ,quarum tamen tres æqualitatem incidere neceſſe eſt,ueluti ſequenti figura manifeſtatur.

*Figuræ pulſuum tres differentes partes in celeritate in eodem pulſu habentium.*

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| | 1 | Velox | Velox | Tardus |
| *Inutilis.* | 2 | Velox | Velox | Velox |
| | 3 | Velox | Velox | Commoderatus |
| | 4 | Velox | Tardus | Tardus |
| | 5 | Velox | Tardus | Velox |
| | 6 | Velox | Tardus | Commoderatus |
| | 7 | Velox | Commoderatus | Tardus |
| | 8 | Velox | Commoderatus | Velox |
| | 9 | Velox | Commoderatus | Commoderatus |
| | 10 | Tardus | Velox | Tardus |
| | 11 | Tardus | Velox | Velox |
| | 12 | Tardus | Velox | Commoderatus |
| *Inutilis.* | 13 | Tardus | Tardus | Tardus |
| | 14 | Tardus | Tardus | Velox |
| | 15 | Tardus | Tardus | Commoderatus |
| | 16 | Tardus | Commoderatus | Tardus |
| | 17 | Tardus | Commoderatus | Velox |
| | 18 | Tardus | Commoderatus | Commoderatus |
| | 19 | Commoderatus | Velox | Tardus |
| | 20 | Commoderatus | Velox | Velox |
| | 21 | Commoderatus | Velox | Commoderatus |
| | 22 | Commoderatus | Tardus | Tardus |
| | 23 | Commoderatus | Tardus | Velox |
| | 24 | Commoderatus | Tardus | Commoderatus |
| | 25 | Commoderatus | Commoderatus | Tardus |
| | 26 | Commoderatus | Commoderatus | Velox |
| *Inutilis.* | 27 | Cõmoderatus | Cõmoderatus | Cõmoderatus. |

Hac figura ante oculos poſita,facilia redduntur quęcunq; de ſecundo hoc inæqualium pulſuum genere à

Galeno

Galeno ſunt dicta. Cōſtat enim tres ex uigintiſeptē hiſce pulſibus, uerè eſſe æquales: ſecundū uidelicet, quoniam tres partes ueloces habent: decimūtertium, qui tardas: ac uigeſimūſeptimum, qui cōmoderatas. Et propterea uerè à Galeno ſtatim ab initio huius capitis dictū eſſe, uigintiquatuor tantū eſſe huius inæqualis pulſus complicationes. Tres enim hi, non quia ad hoc genus pertineāt, ſed ad explendas quaſcunq; imaginari in eo genere cōplicationes poſſumus, in hac figura ſunt repoſiti. Liquet & illud, quod ſecundo à Galeno in hac parte dictum eſt, duodecim ex huius ſecūdæ figuræ pulſibus in primā figurā recidere, primum uidelicet, tertiū, quartū, nonum, undecimū, decimumquartū, quintumdecimū, decimumoctauū, uigeſimum, uigeſimūſecundum, uigeſimumquintū, uigeſimumſextū. Primus enim & quartus primā partem ueločē, aliam tardā habent, ſicuti primus primæ figuræ: in hoc inuicē differentes, quòd primus uelocitatis, quartus tarditatis plus habet. Tertius & nonus huius figurę, in tertium recidunt primæ, à uelocitate incipientes, & in cōmoderationē deſinentes. In hoc & ipſi inter ſe differentes, quòd tertius plus uelocitatis quàm cōmoderationis habet. Nonus è cōtrario plus cōmoderationis quàm uelocitatis. Vndecimus & decimuſquartus, ad quintū primæ reducuntur: principiū tardū, finem uelocē habentes: licet in undecimo uelocitas, in decimoquarto uincat tarditas. Ad ſextū primæ, decimuſquintus, & decimuſoctauus referuntur, à tarditate initiū capientes, & in cōmoderationē deſinentes: ita tamen, ut in decimoquinto tarditas, in decimooctauo cōmoderatio dominetur. Cū ſeptimo cōcordāt uigeſimuſſecundus & uigeſimuſquintus, ex cōmoderatione ad tarditatem trāſeuntes, ſed is quidem cōmoderationis, ille plus habet tarditatis. Demū uigeſimus & uigeſimuſſextus huius configurationis, octauo primæ concordāt, ex commoderata ad tardā motionem procedentes, uincente tamen in uigeſimo uelocitate, in uigeſimoſexto cōmoderatione. Hæc quidē eſt Gal. ſententia ad eā uſq; partē, cuius initiū, Et fiet utiq; & hæreſis hic, uel ut habet alia litera, diæreſis: in qua Gale. diuerſas ait ac diſsidētes opiniones in hoc loco naſci poſſe, quibuſdam omnes in prima figura ſtatuēdos pulſus putātibus, qui duos tantum motus in una diaſtole habent: alijs magnitudines attēdendas dicentibus: & ſi æquales fiunt, in prima figura, ſi altera alteri duplex, in ſecunda collocantibus. Hāc opinionem ſi ſequuti fuerimus, duodecim nuper enumerati pulſus ad ſecundam figuram pertinebunt, utpote alterā motionis ſpeciem ſemper geminā habentes. Nā primus (exempli cauſa) uelocitatem tarditati duplicē habet, ſicuti tertius cōmoderationi. Decem quoq; reliquos ſi cōſideraueris, unā alteri motionem duplicem habere cognoſces: & propterea iuxta hāc ſecundā opinionem, ad ſecundā ſpectant figuram, qui aliā ſequendo opinionem, ad priorē pertinerent, cum duas tantum habeant diuerſas motiones. Subdit deinde Galenus, ſe conaturum fuiſſe ut hanc litē dirimeret, ſi magnum inde lucrum ſe cōſequuturum in arte putaret: ſed ſatis eſſe hoc tātum ſtatuere, quòd modo altera motionum per maiorem fit quàm reliqua dimenſionem, modo utræq; æqualiter ſe habent. Hoc enim ſi quis tādiu memoria tenuerit, donec diſcat quid earum ſingula apta ſit demonſtrare, in utram maluerit figuram duodecim connumeratos pulſus reponat.

Demum in ultima huius partis portiuncula, manifeſtū eſſe dicit, reliqua duodecim, huius ſecūdæ figurę genera, quæ in totū ſunt inæqualia, nullā cū primæ figurę pulſibus habere cōmunicationem: hiſq; hāc ipſam inæqualitatē, quæ in tribus uidelicet attēditur unius motionis partibus, manifeſte adſcribi: illis uero qui primæ figuræ cōmunicāt, non uerè: & ſunt à primo ſecundū ordinem numerādo, quintus, ſextus, ſeptimus, octauus, decimus, duodecimus, decimuſſextus, decimuſſeptimus, decimuſnonus, uigeſimuſprimus, uigeſimuſtertius, uigeſimuſquartus. Dicūtur autē duodecim hi pulſus ſecundum tres differentias habere inæqualitatē, nō quidem quòd tres illas motiones ſpecie diuerſas, habeant, hoc enim tātum ſex eorum conuenit: ſexto, qui primam uelocem, ſecundam tardam, tertiā habet commoderatam. Septimo, qui primā uelocem, ſecundam commoderatam, & tertiam tardam. Duodecimo, qui primam tardam, ſecundam uelocem, tertiam commoderatam. Et decimoſeptimo, qui primam tardā, ſecundam commoderatam, tertiam uelocem. Et decimonono, qui primam commoderatam, ſecundam uelocem, tertiam tardam. Ac uigeſimotertio, qui primam cōmoderatam, ſecundam uelocem, & tertiam tardam habet. Sed uel quia omnes diuerſas habent, ſicuti ſex nunc enumerata genera: uel ſi duæ extremæ motiones ſunt ſimiles, per intermediam ab eis diuerſam dirimuntur, ita ut in una diaſtole tres animaduertere peculiares diuerſas motiones liceat: quod ſex reliqua genera percurrenti facile cōſtabit, ſcilicet quintum, octauum, decimum, decimumſextum, uigeſimumprimum, uigeſimumquartum. Quintus enim licet primam & tertiam partem ueloces habeat, prima tamen à tertia per ſecundam, quæ tarda eſt, dirimitur: & octaui, prima & tertia ueloces, per mediam commoderatam diſtinguūtur: & decimi, extrema tarda, media uelocitate ſegregantur: ſicuti decimiſexti tarditates, cōmoderatione: & uigeſimiprimi commoderationes, uelocitate: & uigeſimiquarti, tarditate. Quoduis igitur horum generum conſideranti liquidò patet, quòd ſi à prima motione incipias, tres ſemper differentes motiones annotabis. Et hæc quidem eſt earum capitis huius partium expoſitio, quę aliquam obſcuritatem ob barbaram interpretationē habent. Nam quæ ſequuntur, ubi de pulſibus agitur, qui dicroti, non diſcreti, ut habet communis lectio, ab Archigene uocati ſunt, ſatis clara uidentur. In quibus tamen ſi quid fortè te dubitare contigerit, idq; mihi ſignificaueris, conabor quantū tenues uires meæ poterunt, omnem tibi ſcrupulū eximere. Vale, &, quod facis, medicinam à fontibus, non à turbidis riuis haurias. Epiſtolæ meæ medicinales quas ſub prælo, & annotationes in Meſuen, quas ſub incude habeo, me in reſpondēdo fecerunt tardiorem. Ferrariæ. IX. Februarij, M. D. XXII.

*EPIST. II. pro D. N. Regien. inflatione lubricitatéque uentris, appetitus deiectione, & concumbendi impotentia laborante.*

QVatuor ſunt de quibus conqueritur præſtantiſsimus hic uir: quòd cibum nō appetit, quòd inflationem uenti inſtar in uentriculo & inteſtinis ſentit, quòd uētrem nimis lubricum habet, quòd ad uenerea impotens ferè eſt. Quæ licet tam uehementia non ſint, ut debitas ciuiléſq;, ac conſuetas auferant actiones, atq; (ut ſequens eſt) neq; morbi proprie dici, neq; ſymptomata morborum poſsint: quia tamē nonnihil impedimento nunc ſunt, & uerendum ne procedente ætate (agit enim annum 44.) in peius ruant, deterioréмq; aliquam inferant moleſtiam, ideo conſilium petit ad cauenda futura, & amouenda præſentia. Cuius uoto ſatisfacturi, aliqua neceſſaria præfabimur, qubus nō animaduerſis, nec præſeruatio, nec curatio recte fieri poſſet. Affectus hi, licet uarij ſint, unā tamen habuerunt, ſicuti ipſe narrat, præincipientē cauſam, immodicum uidelicet & intempeſtiuum uenereorū uſum: quo ferè per quinquenniū perſeuerante, non ſolum genitalia, ſed & naturalia membra magnā imbecillitatē contraxere: euacuatis enim multis per frequentiores concubitus ſpiritibus, genitalia membra laſſa, & ueluti flaccida, laxatáq; adeò remanſere, ut nō ſolum ad ſuperflua opera, ſed & ad ea quæ huic ætati congruerent, ſint inualida. Ex eadē cauſa, concurrente etiam temporis importunitate (ferè enim pleno ſtomacho cōcumbebat) ipſa naturalia mēbra, uentriculus & hepar, reddita ſunt debilia, & propterea deminuto in eis calore inflatio gignitur: appetitus cibi proſtratus eſt, & retētoria facultas nō perfecte ſuo fungēs officio, excremēta uentris liquidiora exire permittit. Naturalium autem horū mēbrorum impedimenta impotentiā illam coeūdi fouēt: ſiquidem prima ac ſecūda cōcoctione non debite perfecta, tertia non ita perfici poteſt, ut poſtquam reliqua corporis membra, quæ ut ipſe narrat, fortia ſunt, ſuam alimēti portionem acceperunt, tantum ſuperſit alimenti, quod ad multiplicandum ſemē ſufficiat: atq; hoc pacto ad impotentiam concumbendi, præter genitalium imbecillitatem, ſeminis quoq; defectus concurrit, qui ex naturalium membrorū debilitate quodā modo dependet. Vt igitur quæ agenda ſunt, recte inueſtigemus, conſiderandum eſt hanc concumbendi impotentiam ſymptoma quoddam exiſtere, actionem uidelicet deminutam, à mala temperatura, frigida & ſicca, genitalium pēdentem. Ex defectu enim ſpirituū, & ultimi ali-

*Intēpeſtiuæ Veneris incommoda.*

mēti, quod in semē uertendū esset, mēbra illa diu exinanita frigiditatē & siccitatē cōtraxerūt ultra eā quā naturaliter habebant. Alterū autē horū, id est, defectus seminis, à naturalibus membris pendet, sicuti superius demonstratum est. A quibus alij quoq; affectus in principio recitati originem trahunt, uentris enim lubricitas, quæ & ipsa symptoma est, malam uentriculi temperaturam & intestinorū sequitur frigidam & humidā, quę nunc fouetur à materia pituitosa, ex mala concoctione facta. In quam etiam alia affectio, id est, inflatio illa referēda est: quæ si læderet manifeste operationes, morbus esset in receptaculo, uel in numero. In uacuitatibus enim uentriculi & intestinorū adest res, quæ adesse nō deberet. Pendent ergo quoquomodo uniuersa hæc à mala naturaliū membrorū temperatura impensius frigida, & minus (plus tamen quàm deceret) humida. Nō negarim tamē & atrā bilem in liene, & circa hypochōdria, imò in uniuerso sanguine abundantē, tum natura, tum ex accidenti (restricto sanguinis atri per ani uenas fluxu, qui euenire olim consueuerat) sua frigiditate malam tēperaturā frigidā, & inflationis generationē adiuuare, sicuti siccādo humiditatē quadātenus remittit.

*Intentiones curatiuæ.*

Erit igitur prima intentio, & à qua inchoandū, euacuatio pituitæ, & atræ bilis in toto corpore, & præcipue circa naturalia mēbra repertæ. Secunda, malæ temperaturæ, factæ per sua contraria, calida scilicet & modice sicca, remotio. Tertia inflationis in naturalibus mēbris abundātis dissolutio. Quarta, naturaliū membrorum ut suo melius deinceps fungantur officio, roboratio. Sed hæc ad præseruationem potius, quàm ad curationem spectat: sicuti & uictus ratio, quam statuere quintam possumus intentionē. Sexta, factam in membris genitalibus coërcebit intemperiem, & ex ea pendentem imbecillitatem.

Quæuis autem harum intētionum ita explenda est, ut ad alias interim quoque oculus habeatur. Nam (ut à prima exordiamur) per ea medicamenta abundās materia uacuabitur, quæ non solum purgent, sed & malæ temperaturæ aduersentur, naturalia membra roborēt, & inflationē dissoluāt: quę tametsi diuersa esse possint, & ex his quæ parata apud officiās semp sunt, & ex his quæ de integro cōponi possunt, nōnulla tamē à me describētur, quę nostro ꝓposito melius cōducere uidētur.

*Catharticů atræ bilis.*

Prima sunt catapotia, quæ habent agarici præparati ℥.2. rhei barbari ℥.1. lapidis Armenici toties loti ut nec odorem, nec saporem amplius in aqua dimittat, & demum ter quoque abluti cum aqua ros. gr. 16. cinnamomi electi, piperis longi, mastiches, spicæ nardi electæ ana ℈.1. Aloës bene ex uino Cretico lotæ quantum omnium reliquorum pondus, reformentur cum eodem uino, deglutiantúrque drachmæ pondere, uel mane, uel per horam unam ante leuem cœnam.

Conducent & hæc: ℈.2. pulueris hieræ picræ Galeni, quam simplicem uocant, cum elota aloë, Galeni, non Mesue modo compositæ: & ℈.1. agarici præparati cum uino Cretensi cōmixta, additis granis duobus lapidis Armenici, ut superius docuimus, loti. Aut ex eiusdē hieræ ℈.2. & ℈.1. pilularum aggregatiuarū Ioannis Mesue. Quòd si amaritudinem nō abhorreret, prodesset summopere puluis, qui haberet hierę, ut superius diximus, paratæ ℈.2. senæ, turbiti ana ℈.s. zingiberis ℈.s. sacchari ℥.2. qui cum uino, uel iure pulli gallinacei bibi posset.

Tempore autem medio inter unam & aliā purgationem, mane ubi surrexit, & penè se concoxisse cœnā sentit, sorbeat absq; aliquo liquore syrupi de corticibus citri unciam, cum dimidio tanto oximelitis simplicis. Mixtura enim hæc cōcoctionē adiuuabit, crassitiémq; ac tenacitatem humorum auferēs, eos uacuationi reddet aptiores.

Expleta prima hac intētione, quo pacto secunda explenda sit, breuiter docet Galenus, & eundem sequutus Paulus: optima frigidæ, & humidæ temperaturæ aiens auxilia, acria omnia, id est, quæ acuta uulgò dicuntur: quibus miscenda ea quæ adstringunt absq; manifesta infrigidatione. Ex proportione illis respondere oportere, quęcunq; extrorsum adhibentur. Scire autem uelim medicos, si qui fortè hæc nostra legerint, caput 25. Auicennæ, male in uulgatis codicibus inscribi, de cura malitiæ complexionis frigidæ & humidæ in stomacho: si quidem nō antè aggeret de cōpositis, quàm de simplicibus distemperātiis. Inscribendum autem esse illud caput, de cura imbecillitatis uentris secundū Empiricos, & secundū Quintū. Respondēt enim quæ ab initio capitis scribuntur, capiti quarto, iuxta Gręcā diuisionem, libri septimi Therapeutices Galeni. Ea autem, quorum principium, illa uero &c. respondēt curationi qua utebatur Quintus, ex eodem capite à Galeno accepta.

*Auicēnæ caput male inscriptum.*

Innitentes igitur Galeno, nō Auicennæ, dicimus, ad remouendam distemperantiā frigidā & humidam, post binam uel ternam purgationē, utēdum puluere facto ex duabus partibus piperis longi, & parte una maceris (uulgò Macem uocant) & æquali cinnamomi. Optimúmq; præsidiū esse, paucissimum potū uini antiqui uehemēter calidi, in quo si absinthii coma per aliquod tempus maduerit, longe erit præstantius. Et mulsum confectum ex duobus sextariis uini antiqui potentis, cui adsit austeritas in gustu, unóq; electi mellis: quę tandiu simul bulliant, quoad ferme dimidium uini sit consumptum, térq; per sacculum excoletur, in quo 20. pars pro uini portione sit pulueris ex piperis lōgi partibus duabus, cinnamomi parte 1. gariophyllorum parte media. Extrorsum autem ab ore uentriculi usq; ad umbilicum inungendū cerato, quod habet olei de Spica odoriferi, olei de mastiche ana unc. pulueris gariophyllorū, maceris, sandalorū citrinorum ana ℥.s. ceræ albæ, & aceti rosati parum. Et hæc dicta sint de secunda intentione.

Tertia, hoc est, inflationis dissolutio, si ex his quæ suprà docuimus, nō plenè absoluta fuerit (euacuata enim materia, & mala amota temperatura, auctóq; calore, uerisimile est inflationem cessare) sed reliquiæ adhuc supersint, utendum medicamento, quod Diatrionpipereon dicitur, non uulgari illo quidem, quod Mesuen sequuti communiter præparant, sed eo, quod quarto Salubrium libro Galenus docet. Habet autem id trium piperum singulorum partes 25. anisiq;, thymi, & gingiberis partes 4. quæ optimo melli, & exactissime despumato commiscentur. Datur autem sæpius in die, ante & post cibum. Proderit & oleo antiquo uentrē ungere, cui octaua castorei pars sit adiecta.

*Gale. Diatrionpipereon.*

His peractis, si non tantum roboris naturalibus membris acquisitum fuerit, ut cibum appetere, tandiúque retinere ualeant, donec concoctus planè sit, nec uentris lubricitas remiserit, indendum maius robur eis est, quod quarta pollicebatur intentio. Vtendum igitur rheo barbarico scrupuli pondere, ipsum sicut est masticatum uacuo stomacho deglutiendo, addendáq; cerato paulò superius descripto, media uncia olei cotoneorum.

Cuncta autem quę diximus irrita erunt, nisi congrua uictus ratio coniungatur. Vitanda igitur mali succi alimenta, & ad concoquendum difficilia. Longior uero fuerim, si singula hæc enumerauero, alioqui non solum medicis, sed cuiuis etiam ciuiliter educato ferè cognita. At si nonnulla selegero ex omnibus, nostro proposito magis congruentia, breuitati simul & utilitati melius consulam.

*Alimenta probatissima.*

Ex carnibus igitur præcipuè sunt, turdi, perdices, turtures, phasiani, auiculę, lepores, capreoli: post has gallinæ, & columborum uel syluestrium, uel in turribus nutritorum pulli, uituli, uerueces, hœdi. Ex granis, oryzæ, & lentes, prima abiecta aqua: chondros, id est, far, hordeum. Ex fructibus, pira, & cotonea, auellanæ, pistacia, uuæ passæ. Passas uuas cum dico, non eas solum intelligo, quæ ex Corintho feruntur exiguis acinis, quas Romanias uulgò nominant, quia & eodem nomine Peloponnesi partem appellant, ubi Corinthus est, sed ubicunq; paratas, si pingues, si cum austeritate quadā dulces, si tenuis corticis sint: tales enim & per se laudantur, & proposito nostro plus quàm reliquæ conducūt. Mâla, quæcunq; ad hyemem reseruata, adstringentia aliquo modo in gustu sentiuntur: oliuæ, & cappares.

*Vuæ passæ. Corinthiæ uuæ.*

Ex oleribus, mentha, origanū, intybum, præcipuè syluestre, asparagi. Ex piscibus, parui, fontini, petrini, nō tenaces, non multum pingues. Ex uinis, flaua, odorata cum quadā austeritate, uel amaritudine. Omitto multa non solum ad cibos, potúsq; spectantia, sed ad aërē, somnum, exercitium, ac reliqua quæ non naturalia uocant, ueluti omnibus nota: & ad ultimum, hoc est, genitalium membrorum roborationem accedo.

Quanquā enim his actis, quę superius dicta sunt, sperandum est malam temperaturā genitalium deperituram, atq; ipsa debitū robur cōsequutura: nōnulla tamē subijcientur huic rei idonea, non omnibus cognita: frustra enim ea scribuntur, quæ cuiuis sunt manifesta.

Horum

Horũ aliqua per os sumẽda, aliqua extrorsum admouẽda. Ex primis aliqua simplicia, aliqua cõposita. Inter simplicia hæc maxime cõueniunt. Radix, quæ ab Arabibus secacul, uulgò geniculã, uel genichellã, alij sigillũ sanctæ Mariæ, alij, quòd folia eius similia fraxino sint, fraxinellã uocant: ego polygonatõ à Dioscoride uocatã puto. Lingua auis: hanc reponit Auic. lib. 3. inter medullas, lib. autẽ 2. plãtã arbitratur: foliorũ enim eius, & corticis medicinas scribit. Serapiõ arborẽ esse dicit similem arbori Dirdar, id est, Vlmo, quã & arborẽ Cimicũ uocãt, corrupto tamẽ & hic nomine: culicibus enim, non cimicibus similia sunt, quæ in Vlmi uesicis inueniũtur animalia. In fraxino tamen, non in ulmo, inuenitur res, quæ Lingua auis nũc dicitur: de qua nulla mẽtio apud antiquos, nedum ut facere ad Venerẽ scribatur. Linguã quidem anseris laudat in hac re Plinius lib. 30. unde fortè deriuari potuit, quod de auis lingua Arabes scripserunt.

*Venerẽ excitantia.*

*Vlmus.*

*Linguæ auis nulla apud antiquos mẽtio.*

*Scolymus.* Scolymi radix, Cardũ Auic. uocat lib. 3. Harsusum lib. 2. Articoccum uulgò, uolentes (ut arbitror) dicere Alcoccalon, uoci coccalon, quæ pineam significat, articulum Arabum more addentes. *Xiphion.* *Gladiolus.* Xiphij superior radix in uino. Est autem Xiphion Græcis, nobis Gladiolus, in aruis nascens, folio ad gladij speciem acuto, à quo & nomen accepit, binas radices habens: superiorem, quę & crassior: inferiorem, quæ tenuior & ueluti arida est. Et hæc de simplicibus.

Compositionum apud recentiores & antiquos magna est copia: inter quas ego hanc elegi, ceu non solum ad cõcubitum, sed ad robur membrorum omnium, inflationisq; in prima concoctione genitæ dissolutionẽ, optime facientẽ. Recipit autẽ radicum eius satyrij, quod triplici tãtum folio constat, lilio simili, nisi minus esset: granorum pini, radicum pastinacæ ana partes 20. zingiberis, seminis anisi, & erucæ ana partes 10. caudarũ scinci, cinnamomi, seminis bulbi ana partes 4. moschi quintam partẽ unius partis, mellis electi & despumati quãtum satis sit: radices in melle coquantur, caudæ, bulbi, & semina bene cum melle contrita addantur, & ubi ab igne hæc submoueris, reliqua in puluerem redacta superadde, cunctáq; exactissime commisce, & in uitreo uase reconde, uteréq; mane & uesperi.

Multa quoq; à medicis scribũtur extrorsum ad hunc usum admouenda, in quibus cauẽdũ, ne nimis exiccẽt: id autẽ consequemur, si aliqua humectãtia commiscuerimus, ueluti sesaminũ, aut amygdalinum oleũ, uel etiã commune ex bene maturis oliuis paratum.

Misceatur igitur amygdalinum oleum, & quod ex Saliunca præparatum de Spica uocãt, ęquis portionibus, & pudenda, & quæ circunstant partes inungantur.

Aut amygdalino oleo styracis quarta pars, & bẽzoi decima adijciatur. Vel ex oleo seminum cucurbitæ, cui pyrethri octaua pars, & uigesima moschi sit adiecta.

Laudat Paulus Aegineta oleũ cui parũ radicis narcissi, uel pyrethri, uel cocci gnidij, aut staphidos agriæ, aut seminis urticæ sit adiũctũ. Hæc igitur sunt præsidia, quibus spero iusto uigori præstãtissimũ hunc uirum restituendum, Deo optimo adiuuante, cui decus & honor. Ferrariæ, VIII. Calend. Septemb. M. D. XXIX.

EPIST. III. *Ioannes Manardus* P. *Nicolao Castellanio, Philosopho & medico insigni, de Citri semine.*

ALiud ex alio negocium in causa fuit, ut hactenus literis tuis non responderim, gratissimis mihi quidẽ & desideratissimis, ut ab amico proficiscẽtibus, de quo iãdiu nihil intellexerã. Sed quarũ auxerit gratiã, quòd ex his cognoui, te non in eorũ medicorũ numero esse, qui tantũ barbaris fauẽt autoribus, ut nihil illis sapiat, nisi quod barbariẽ oboleat, & putidas illas literas, in quibus ab adolescentia nutriti sunt, & in quibus consenuerunt. Tantum autem uideo te ab his abhorrere, & in contrariã abijsse sententiã, ut meæ tibi placuerint epistolæ, alioqui parũ dignæ, ut à tam emunctæ naris uiro, qualẽ te semper cognoui, legãtur, nedũ probẽtur. Vel ex hoc uno igitur puto eas tibi placuisse, quòd posthabita multorum autoritate, libere ueritatẽ sequũtur, etsi semper fortassis nõ assequãtur. Tantũ autem uideo eas tibi placuisse, ut ad augendũ earũ numerũ, petas ut discordiã submoueã Auicẽnæ in Citri semine, quod lib. 2. suæ medicinæ, calidũ, in cõmẽtario de uiribus cordis, frigidum, & in tertio quidẽ ordine, facit. Quod quidẽ onus his libenter dimitterẽ, qui illũ sibi in idolũ erexere. Apud enim me nõ tãti est, ut in eo multas, hac etiã apertiores, nõ cognoscã repugnãtias: nec in diuersis modo libris, quales sunt quos tu adducis, sed in uno eodẽq; libro, eadémq; libri parte, sicuti quadã ad Pactũ Mantuanũ medicũ epistola, in populo arbore olim demõstrauimus: de qua quater eodẽ libro, hoc est, lib. suæ medic. 2. scripsit, & semper diuersa. Vt tamẽ tibi morem geram, dabo operam, ut ipsum, si fieri potest, à cõtradictione in hoc uindicem. Theophrastus, ut quãtum possum alte exordiar, lib. 4. de historia plãtarum, sub nomine mâli Persicæ & Medicæ, arborem describit, Adrachnes folio, aculeatam, poma ferentem odorata quæ non mandantur. Citra autem ferentem intellexerit, an uocata Arantia, sciri certe non potest: quia proceritatis arboris non meminit, quæ his magna, illis ita deest, ut arbusta potius uideri possint quàm iustę arbores. Sed nec figuram pomo dedit, quæ in Arantio orbicularis, in Citro oblonga est. Vergilius in Georgicis sub Medicæ arboris nomine, ferentem Arantia descripsisse absq; dubio uidetur, cum libro secundo canit:

Media fert tristes succos, tardúmq; saporem,
Felicis mâli, quo non præsentius ullum,
Pocula si quando sæuæ infecere nouercæ,
Miscuerúntq; herbas & non innoxia uerba,
Auxilium uenit, ac membris agit atra uenena.
Ipsa ingens arbos, faciémq; simillima lauro,
Et si non alium latè iactaret odorem,
Laurus erat, folijs haud ullis labentia uentis,
Flos apprime tenax, animas & olentia Medi
Ora fouent illo, & senibus medicantur anhelis.

Hæc ille. At Dioscorides eodem nomine usus, non eandem rem cum Vergilio, hoc est, Arantium, sed Citrũ intellexit, mâlum eius oblongum esse dicens, rugosum, colore auri, & cum grauitate odoratum. Galenus quũ arborem mâlum Medicam appellet, fructum, non mâlum Medicum, sed Citrion uocari ab omnibus scribit: id dubio procul intelligens, quod Dioscorides: carnem quippe edi dicit sicuti corticem: quod de Arantio intelligi nequaquam potest, carnem uel non habente, uel si habet, non talem ut mandi per se possit. Serapion, Dioscoridis & Galeni uerba afferens, non de alia re se loquutum ostendit, quàm de qua illi. Quod & pariter dicendum de Auicẽ. in 2. suæ medic. libro de Citro eadem scribente quæ Dioscorid. Galen. & Serapion. Vnus igitur hic erit tuendi Auicennam modus, ut de Citro Dioscorid. & Galen. in 2. suæ medic. lib. eum loquutum dicamus: in commentario de uiribus cordis de Arantio. Sed quia Arantiũ in lib. 1. in tractatu de urinis, & lib. 5. uocauit Citrangulum, & semen quoq; ipsius Arantij ęque amarum sentimus sicuti Citri, quod est caloris argumẽtũ, ideo hæc tibi fortè non satisfaciet responsio. Et propterea alia uia inueniẽda est, qua hãc submoueamus repugnantiã. Dicamus igitur, Galenũ sequẽtes: quòd quũ duplicem in hoc, sicuti ferè in cuiusuis alterius fructus semine, inueniamus partẽ, unam quidem extrinsecus, quæ ueluti cortex est & tegmen, aliam interiorem ueluti nucleum: de hac in commentario de uiribus cordis, de alia in 2. medic. lib. loquutum Auicennam. Hanc, ne fortè ficta à nobis credatur, in Citri semine diuersarum partium considerationem, facit Galen. lib. 7. de simplicibus medicamentis: ab initio enim capitis in quo agit de mâlo Medica, in semine (per semẽ totũ id, ut arbitror, intelligens, quod carnẽ & nucleũ interiacet) dominari dicit acidã qualitatem ac siccãdi uim, adeò ut in tertio sit ordine siccantiũ & infrigidantiũ. Prope finem autem capitis, nucleum, qui est uerum semen, amarum dicit, siccaréq; & discutere in secundo ordine. His igitur duobus modis uel altero eorum tueri quis Auicennianus suũ magistrum poterit, ne sibi repugnare in Citri semine uideatur. Quomodo autem ueritati eodẽ capite non repugnauerit, defendant alij. Ego loca monstrabo, ubi à ueritate uideri potest deuiasse. Corticem Citri calidum esse ait in primo ordine, siccum in fine secũdi: quum Galenus siccum absolute in secundo, nec calidũ, sed uel commoderatum dicat, uel parum infra temperamentum. In alia contrarietate, carnem calidam dicit, quam Galenus & Paulus frigidam. Sed neq; in semine Galeno penitus concordat: facit enim calidum in primo, & siccum in secundo, dicente Galeno, quòd discutit & siccat in secundo. Decoctũ eius suauem oris odorem, & corpus pingue reddere: quorũ postremũ nec à Græcis, nec à Serapione scribitur, & omnem excedit rationẽ. Acidam eius partem esse bonum nutrimentum

*Prima contradictionis solutio.*

*Altera solutio.*

*Auicẽnæ lapsus in toto Citro.*

*Auicẽnã secum pugnare in Citri semine.*

gutturi,

gutturi & pulmoni: quorū utrunq; rationi, alterū contrarium est etiam Serapioni, nocere pulmoni affirmanti. Eandem sedare mulierū infirmitatem, obscuro sanè sensu, & si de mensibus intelligatur, ut locus ille requirit, à Dioscoridis sententia alieno, qui edi à mulieribus dicit, πρὸς τὴν κίσσαν, id est, fastidia quæ ipsis prægnātibus superueniunt: quarum Aristoteles quoq; meminit, libro de animaliū historia septimo. Cogitent qui Auicennam colunt, quomodo his respondeant, sciántq; non temere in toto secūdo libro inueniri caput, in quo non similia his, & longe etiā maiora errata diligens lector ualeat inuenire. Tu uero perge ut cœpisti, & pluris sit tibi ueritas, quàm multorū quantūuis magni nominis, multis seculis præscripta autoritas. Vale. Ex Ferraria XV. Calend. Martias, M. D. XXIII.

## EPIST. IIII. *Ioan. Manard. Hieronymo Caranzono medico insigni, de libystico, cordumeno, cardamomo, coralina.*

*Ligusticum. Libysticum.*

EX tribus quatuórue quæ à me petis doctis. paritérq; amicissime Hieronyme, uix unū est in quo tibi, nescio etiam an plenè, possim satisfacere. Verum enim Ligusticū, seu (ut Galenus uocat) Libysticum, uix semel cōspexi, neq; tunc quidem satis certe. Semen enim solum mihi mōstratum est, cui quidem ea omnia quadrabant, quæ à Dioscoride scribuntur: erat quippe nigrum, oblongū, odoratum, acre, & fœniculi figura. Sed quia neq; folia, neq; radicē uidi, affirmare certò nō ausim Ligusticum fuisse. Vulgarem uero hanc herbam, quam pro Ligustico passim herbarij ostendunt, apij semper speciem putaui. Sed cum ad certum eam caput referre laboro, mutare sententiam cogor, atque ad secundam potius Dauci speciem redigere: uerum & hoc non absq; formidine, donec partes eius omnes exacte fuerim contēplatus, quod tēpestas anni nūc nō patitur.

*Vulgare Ligusticū uel ad Apiū uel ad Daucum redigendū.*

*Cordumeni. Cardamomum.*

Cordumeni seu Carui agreste à Serapione uocatum, nō est ambiguū id esse quod Gręci & Latini Cardamomum uocant. Respondent enim quæ eo capite à Serapione dicuntur ex Diosc. sententia, his quæ Dioscorides ipse de Cardamomo scripsit, nō absq; tamen multis erroribus, quorū nonnullos afferre nō ab re putaui, non tui causa, quē norim ex eorū numero non esse, qui hisce Arabibus medicis adeò afficiuntur, ut nō aliude medicinā haurire uelint, quàm ex illorū turbidis lacubus: sed propter hos ipsos, si qui fortè tales in Academia uestra reperirentur. Atq; ut multa mittā quæ in electione peccauit, atq; alia nonnulla leuiora, in medicinis pro lato uerme Ascarides scripsit, quum sint hi minimi uermes, & infimo intestino hærentes: Latus adeò magnus, ut tota ferè interior intestinorū membrana, in eū uersa uideatur, ut quadā ad Pactum epistola olim aperuimus. Vbi etiam Dioscorides misceri dicit ad unguenta spissanda. Serapion oculorū uertit collyria. A primo errore nec Auicen. immunis fuit, sub eadē Cordumeni uoce de Cardamomo scribens, pro Lato uidelicet uerme, Ascaridem ponēs. Quid uero uterq; per Cardamomū intellexerit, bonus erit uates qui diuinauerit. Nullū siquidē in eo cap. Græcū autorē affert Serapion: quod magno indicio est, esse medicinā nouam, antiquis medicis incognitam. Duplex uero quum faciāt, maius scilicet & minus, in maiore describendo parū inter se sunt cōcordes: habere enim cortices & capita sicuti rosa dicit Serapion, & esse grana maiora Nabacho, & alia in se granula claudere puluerulenta, odorata, pinguia, & angulosa, sapore acria & adstringentia. Auicēna, maius Cardamomum nigrū, ciceris magnitudine, album intra se granum habēs. Verū in uiribus quoq; discrepāt. Calidū enim & siccum in tertio ordine scribit Auicenna, Serapion in primo, atq; in aliis nonnullis differūt, ut uel ex hoc disci possit, quàm parum tutò multi se ægrotantes barbaris autoribus cōmittant. Auget hūc errorē, quòd tria semina passim norunt officinæ, non figura tātum, sed & uiribus differentia, quæ pro Cardamomo uēditant: quorū nullum, uel ad Græcorū Cardamomum, uel ad barbarorum Cordumenon referri potest, sed nec ad horum Cardamomū. Omnia autē quæ Cardamomi nomen uulgò nunc habēt, & ea omnia quæ à Serapione & Auicenna sub eodē Cardamomi nomine traduntur, esse ab antiquorū Cardamomo diuersa, uel ex hoc constare potest, quòd nullū eorum uel scribitur, uel ad gustum sentitur, amaritudinis particeps, quam Dioscorides suo adscripsit. Hæc sunt quæ de Cardamomis peregrinis omnino, & propterea parū notis rebus, discere hactenus potui. Ad Coralinam iam accedo.

*Errores aliquot Serapionis.*

*Cardamomum Arabum antiquis medicis incognitum.*

*Arabū dissensio in maiore Cardamomo.*

*Barbaris medicinæ autoribus se committere periculosū.*

*Semina quæ pro Cardamomo circūferuntur, id non esse.*

*Coralina, Bryō Thalaßion est.*

Coralina, à Coralli similitudine, dum utrūq; in aqua est, nomen accipiēs, & quæ à trigintaquinque ferè annis hactenus ad eiciendos è uētre uermes magni usus esse cœpit, à Dioscoride, ni fallor, Bryon Thalassiō, hoc est, Muscus marinus, dicta est. His enim uerbis Bryon describit libro quarto, capite nonagesimo: Bryon Thalassion nascitur in lapidibus & testis in mari, capillosa, tenuis, absq; caule, quæ omnia Coralinæ uocatæ, natalibus & effigie ita quadrant, ut nulli rei alteri magis. Bryi autem, seu Musci nomen, si quis iam siccā intuetur, cōgruentissime attributū ei cognoscet. Effigie enim & colore Musci, supra arbores quasdā nascentis, conspicitur. Duo tamen sunt quæ huic sentētiæ aduersari uidentur: unū, quòd in Hermolai uiri doctissimi interpretatione lactucæ foliis maritimū hoc Bryon pingitur: alterum quòd nulla interficiēdi uel educēdi uermes uis ab autore ullo uel Græco uel barbaro ei attribuitur. Verū ad primum dicimus, Hermolaū nimis hoc loco, sicut in aliis plerisq; Plinio credentem, nō quod in Dioscoride, sed quod in Plinio legerat Bryo adscripsisse. Sic enim ille scripsit libro uigesimosexto Naturalis hist. cap. octauo: Bryon marina herba, sine dubitatione lactucæ foliis similis, rugosa, ueluti contracta, sine caule, ab ima radice exeuntibus foliis: nascitur in scopulis maxime, testisq; terra comprehēsis. Discordia autē hæc inde nata uidetur, quod Plinius uel in Dioscoride (si eum sequutus est, ut multi credunt) uel in alio autore Græco, non trichodes, quod capilli similitudinē ostendit, sed thridacodes, quod lactucæ, legebat. Nec ego in hac parte Marcello consenserim putanti aliud esse Bryon de quo Plinius, ab eo de quo Dioscorides agit: ita enim concordant medicinæ, & præter folia ferè reliqua, quæ uterq; scripsit, ut credi nō debeat, diuersas ab eis res eodem nomine cōprehensas. At si Plinius & Dioscorides Bryo suo peculiarem aduersus uermes uim, qualem in Coralina cognoscimus, non attribuerunt, non propterea putandū, aliud esse eorum Bryon ab hac nostra Coralina. Siquidem nec medicinarum singulas uires agnouerunt antiqui, nec quascunq; nouerunt, scriptis mandauere. Adde quòd nec Bryon ubicunque natum, æqualem habet in hoc efficaciam, sed certis quibusdam Italię locis hoc expiscantur pharmacopolæ, quod sub Coralinæ nomine plebi uenditant.

Hæc sunt quæ ad tua quæsita nunc occurrerunt: quæ licet putarem acri tuo ingenio non plenè satisfactura, malui tamen ea, quàm me, abs te culpari. Vale. Ex Ferraria. VI. Februarij, M. D. XXIII.

## EPIST. V. *Ad Andræam Turrinum medicum responsio ad nonnulla quæsita.*

REdditæ mihi hodie fuerunt literæ tuæ: quibus quantum per aduersam ualetudinem licuit, exigente celeritatem nuncio, breuissime respōdeo.

Paulus duo capita scribit: alterum cui titulus, de superflua mulierum purgatione: secundum de muliebri fluxu: in quo sic scribit ad literam: Fluxus est rheumatismus uteri, quo totum corpus expurgatur. Tale autem est id quod uacuatur, quale est id quod abundat: rubrū quidem ut ἰχώρ, id est, sanies quædam sanguinis, album uero à phlegmate factū: aliud pallidum à bile factum amara, aliud aquosum. Si sanguis purus ceu secta uena feratur, attendēdum diligenter ne corrosio adsit in utero. Cognoscitur fluxus, quoniam continue loca ex uersicoloribus humiditatibus madescunt: quæ autem laborat mulier decolorata est, non appetit, non bene nutritur, & in ambulando difficulter spirat, tumescentes habet oculos, atq; quandoq; dolet, quandoq; nō, modoq; cum ulcere, modo sine eo, & aliquando cū phlegmone, uel cum sorde, uel pure. De curatione uero sic scribit: Quoniam hæc passio humida est, subueniendum est uniuerso corpori cum his quæ absque manifesto calore exiccant. Vtendum igitur frictione totius corporis, atque unctione ex melle cocto, dandáque diuretica pharmaca, sicuti aqua in qua est coctum asarum & apium, totúmq; corpus per uentrem uacuandum. Et hæc quidem sunt quæ scribit Paulus, additq; multa ad adstringendum idonea, & ad dolorē sedandum, necnon quibus in interpolationibus utendum:

*Fluxus muliebris.*

*Fluxum muliebrem curantia.*

*An diuretica omnia mẽstrua prouocent.*

dum:quæ ideo nõ scripsi,quòd ea tibi cognita esse iudicaui. Aliud igitur potius aggredior, quod & maiori eget perscrutatione:an uidelicet omne qđ urinã prouocat,mẽstrua quoq; prouocet:& si ita est,quomodo asarum & apium in casu nostro conuenient,quum mẽstrua prouocent.Manifestum certe mihi uidetur ex Galeni sententia,licet non omnia quæ urinas mouent,mẽstruas quoq; purgationes moueant, multa tamen esse quæ utrunq; faciant,inter quæ asarum & apium connumerari à Galeno euidentissimum est: siquidem loco per te allato,inter medicinas quæ menstruas purgationes in totum detentas prouocant, Asarum reposuit cũ Sauina uidelicet,Meo,Iride,Calaminthe,Pulegio, Dictamno,Costo,Casia,Amomo,Cinnamomo . Apium uero idem posse,scripsit idem Galenus lib.8.de simplici medicina,in hũc modum:Apium adeò calidum est,ut urinas & menstrua moueat.Nec obstat,mea quidem sententia,id quod dicis ex Galeni sentẽtia,esse aliquas medicinas quæ singulares sunt,ex hoc nomine, quòd uidelicet ita prouocant urinam ut non menstrua , & lac: & quòd sunt calidæ & siccæ,quum ea quæ prouocant menstrua,sint calida & humida.Non enim ita dixisse uidetur Galenus,sed hoc modo:Quæcunq; calefaciunt & exiccant moderatè,ad lactis generationem sunt utilia: quæ uero plus calefaciunt,non tamen uehementer exiccant,mensium lationibus sunt idonea:urinas autem & ambo hæc prouocant:& præter hæc nihil minus quæcunq; calefaciunt & exiccant, quæ propterea eximie uretica uocantur,non quia sola urinam moueant, sed quòd solam absq; mensibus & lacte. Non igitur negat Galenus medicinas menstrua prouocãtes,esse uel actu uel potentia siccas,sed non adeò siccas esse ut illas,quæ per excessum quendam ureticæ nominantur : alioquin sibi ipse manifeste repugnaret,quum & Costum, & Casiam,& Cinnamomum prouocare menstrua dixerit,quæ potentia &ui sicca sunt,& arida,& non nisi actu quoq; sicca ex orientalibus locis ad nos afferuntur. Neq; hoc Galeni dictum de ureticis ita ad uiuum resecandũ est,ut credamus nõ posse inueniri medicinã, quæ simul & uehementer exiccet,& menses prouocet: quum ipsemet lib. 6. Sauinam inter fortiter exiccantia connumeret,quam tamen in educendis mensibus nulli medicinæ postponit,adeóq; ureticam facit,ut sanguinem per urinã educat:nã ad menstrua prouocãda non tantum uehemẽtia siccitatis obest,quantũ tenuitas partiũ prodest:quæ etiã facit ut Casia in tertio ordine sicca, & Cinnamomũ(cui parẽ nihil æque,hoc est,in tertio salte calidum, exiccandi uim habet) menstrua uehementer educant.Si quid igitur est quod urinã solum mouere posit,& non menstrua,calidum id esse oportet, & uehementer siccum,nec tenuium partium. Asarum autem & Apiũ non esse inter hæc enumeranda,uerba ipsa Galeni apertissime monstrant,utrunq;(ut suprà ostensum est)inter prouocantia menses reponentis.Vnde cogimur dicere,non propterea hæc in casu nostro esse uerenda,quòd menstrua prouocent : siquidem maius ex his iuuamentum consequemur in eo quòd urinas mouent,quàm sit nocumentum quod ex prouocatione illa cõsequi possumus,quod certe uel nullum est,uel ualde exiguum:quoniam malæ illæ humiditates in utero & toto corpore retentæ(ut præter rationem experientia quoq; ipsa docet)magna ferunt nocumenta.Doctrinam igitur Galeni sequentes,primo materias peccãtes proprio medicamine purgabimus,quòd aquosos humores per uentrẽ educat: deinde Asari & Apij decoctũ dabimus,quod humiditates ipsas ad uterum fluentes ad ureticas uenas traducẽs per urinã purgabit:& si quę erunt in utero congregatæ,uel adhuc ad eum fluxerint, leniter per os ipsum uteri emundabit:deinde rursus per inferiorem uentrem purgantes simul & uacuabimus, & diuertemus:postea frictionibus & unctione eadem perficiemus:demúmq; ad adstringentia,nisi per hæc finem optatum fuerimus cõsequuti,pergemus:ita enim procedit Paulus,& enumeratis multis adstringere ualentibus,subdit,& quæ in utero sanguinem manãte dicta sunt,quæ non sunt multum fortia. Huic autẽ procedendi modo Auicenna quoq; consentire uidetur cap. 23.cui titulum facit,De cursu matricis:quod quidem caput,capiti Pauli superius adducto correspondet, adiectis tantummodo pauculis,quę ad fluxum feminis spectant.In hoc tamen à Paulo differt,quòd per iniecta uterum emundat & adstringit,nõ per epota,quod alio capite,hoc est,quarto, effecerat, cuius titulus esse debet huiusmodi,De cura fluxus sanguinis:& in fine eius , de cura patientis fluxum ex aquositate sanguinis. Incipit autẽ hanc curam his uerbis:Et reiteremus distinctionẽ curę fluxus sanguinis facti propter tenuitatem & aquositatem eius. Dixit autem, reiteremus , quoniam suprà eodẽ capite dixerat de eo his uerbis.Et si causa eius fuerit aquositas,& prouocatio eius,scilicet per urinam,& retractio eius,ad cutem supple erit eius curatio,& detur in potu de gummi Arabico , & Tragacantho , facta uidelicet diuersione & uacuatione per urinam & sudorem.Quam curam ueluti concisius positam , rursus repetit in ea parte,Dico ergo:interpositóq; uno remedio ad ulcera , ponit curam aliquorum una & eadem uia procedẽtium in cuiusq; fluxus muliebris curatione,siue ab aquositate,siue ab alia proueniret causa:quæ cura cõstabat ex prouocatione,adstrictione , cõfortatione per uices facta:cuius ipse iudicium faciens in fine capitis eam in plerisq; laudat:fieri tamen ait quandoque fluxum sanguinis ex alijs causis,non ex tenuitate & aquositate,quæ cogunt uti à pure stipticis puris. Distinctiorem autem doctrinam nobis reliquisset Auicenna, si,quemadmodum Paulus facit,seruasset penitus distincta capita de superflua menstruorum purgatione,& de cursu seu fluxu uteri,quæ ita differunt secundum Paulũ, ut in illo de superfluente mẽstruo,hoc est, singulo quoque mẽse facta sanguinis uacuatione:in hoc de assiduo uel sanguinis,uel alterius huiusmodi humiditatis fluxu agatur. Hæc sunt quæ mihi,alioqui podagra afflicto, & nuncij celeritate,ne dicam importunitate penè oppresso,ex tempore occurrerunt:ut uenia dignum uideri debeat,si quid peccatum est.

*Menstrua prouocãtia.* *Apium.* *Lac generantia.* *Sauina.*

# IOAN. MANARDI

## EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER DVODECIMVS.

EPIST. I. *Ioãnes Manardus* Ferrariẽsis *medicus, Vincẽtio Caprili medico,de cochleari & cetabulo.*



QVVM apud Cæliũ,uirũ sicuti doctrina, ita liberalitate atq; omni uirtutũ genere nemini secũdũ,fortè epularemur, intérq; alia mensæ instrumẽta,argẽtea cochlearia apponerẽtur:tu ne asymbolus penitus in conuiuio uidereris , in quo, preter epulas quas Cælius ipse semper lautissimas cõuiuis præbet , solet quisq; conuiuarũ selectum aliquid in literis proponere,quæstionem nobis in cochlearis mensura mouisti,parẽ oxibapho eius faciẽs capacitatẽ.Quod cũ Cælius minime probaret,atq; ego minimo minus,tu expletis epulis,& plerisq; alijs disputationibus inter conuiuas agitatis , demúmq; allato Pierij Valeriani, cuius honorandi gratia conueneramus , de mysterijs antiquis libro , magnáque cum uoluptate & laude multis eius capitibus à nobis auscultatis , quasi concoquere eruilíam quam cum cochleari hauseras , non posses, domum reuersus tumultuariam epistolam ad Cælium adornasti , in qua tuam de cochleari sententiam conaris adstruere : melius certe horas illas collocaturus , si quæ ultro citróque in utiliore argumento dicta fuerant , annotasses. Sed fit nescio quomodo , ut errare quisque malit, nouúmque errorem antiquo addere , quàm deprehensus monitúsque resipiscere , & alijs rectius sentientibus cedere. In hac epistola post procemium , primò ex Plinij autoritate acetabuli mensuram , quod idem oxibapho est , heminæ quartam partem capere ais, hoc est , drachmas quindecim.Addis præterea,acetabulum idem esse Latinis,quod Græcis est cotyledõ,multásq; ac diuersas significationes habere.Cotylam quoque in Græcorum conuiuijs mensuram fuisse , cuius apud religiosos quosdam adhuc extent uestigia: Romanos uero ea usos ad intinctus , & ab aceto uocasse acetabulum : cuius forma esset parua,rotunda,sensim in concauitatem desinens,ut in cochlearis figura cernitur.Ab hac figura herbam quãdam uocatam, quia folia habet acetabuli figura : & acetabula in pisce polypo,& apud Galen. uteri cotyledones , partes esse concauas,in quibus fœtus hæret , & ossium cauitates.Addis præterea, id quod potissimũ urgere ais,modo medicinarũ, quod

*Pierij Valeriani liber de mysterijs antiquis.* *Cotyledones.*

Thyme

Thymelæa datur pondere acetabuli, ſimiliter & Thlaſpi,item Epithymum & Tithymallus,quod non fieret, ſi magna menſura eſſet acetabulum.Hæc ſunt(ni fallor) tuæ diſputationis capita. In quibus quantum à ſcopo cadas,nemo non uidet, qui uel primum pedem in primis diſciplinis promouerit. Problema diſputandum erat, an cochlear & acetabulum eſſent idem. Cuius problematis partem affirmatiuam adſerere nemo poteſt,niſi oſtendat utroque nomine eandem rem ſignificari.

*Idem tribus modis dici.*

Quum enim, Ariſtotele teſte, Idem tribus præcipue modis dicatur, genere ſcilicet, ſpecie & numero, nec de primis duobus modis eſſet diſputatio: nullus enim negabat & utraque eſſe uaſcula,& in uſum menſarum uenire:ſed de tertio tantum, an ſcilicet idem numero,erat controuerſia.

*Eadem numero.*

Eadem autem numero ſunt (ait idem Ariſtoteles) quorum nomina quidem plura, res uero ſignificata eadem. Tuum igitur erat probare, per acetabuli & cochlearis nomina eandem mēſuram ſignificari:quod non facis,ſed cochleari in totum depoſito,acetabulum tantum amplecteris,atque ita pro arbitrio uerſas,ut inter acetabula cotylam quoque reponas. Quod certe apte nunquam fiet,niſi pluribus acetabulis obruatur: quadruplo enim maius uas eſt quàm acetabulum cotyla,iuxta bonos autores, quum ſit eadem cum hemina.

*Cotyla. Hemina.*

Oportuit autem te, ſepoſita aliquando cotyla & acetabulo, cochleari manum admouere, nobiſque oſtendere eius capacitatem eſſe cum acetabulo parem:quod cum tota epiſtola non facias,fruſtra te in acetabulo & cotyla laboraſſe aperte oſtendis: Hermolai enim autoritas, licet uiri noſtro ſeculo doctiſsimi,non tanti momenti eſt, ut Galeno, Paulo, Plinio,Africano,Priſciano,uel Remnio ,aliiſque antiquioribus,qui diuerſa ea uaſcula putauerunt, anteponenda ſit. Alioqui neque corollarium,imò neque ipſe ſub eius nomine uulgatus Dioſcorides, doctrinámque & grauitatem Hermolai mihi ubique redolent. Nam ut alia nunc mittam,quis tantam hallucinationem in Hermolao alioqui oculatiſsimo admittat,ut cochleare ab acetabulo diſcernere non ualuerit? præſertim quum aliquando Plinium ſequutus,cochleare ligulam interpretatus ſit,ſicuti capite de Pytiuſa. Sed Hermolai autoritate in præſentia omiſſa, ad ea quæ tu urgere potiſsimum dicis, conuertamur: quæ tamen tantum abſunt ut urgeant,ut nec rem quidem,uel de longinquo attingant, ſed maximo ab ea abſint interuallo. Nihil enim aliud probant, etiam ſi quicquid petunt, concedatur, quàm acetabuli menſuram non eſſe magnā.

*Magnū & paruum dici ad aliquid.*

Sed quæſo mi Vincenti, nónne in Ariſtotele puer legiſti, magnum & paruum de numero eorum eſſe quæ ad aliquid referuntur? miliique granum,quanquam reliquorum cerealium comparatione paruum dicatur, alteri tamen ſui generis grano collatum,magnum dici poſſe? Atque è contrario,montem paruum dici,qui ſit myriade modiorum maximi milij longe maior? Dicimus igitur,acetabulū,modio,ſextario,medimno,cado, & ipſi quoq; cotylæ,aliiſq; maioribus menſuris cōparatum,paruū & eſſe & dici. Cochleari uero quantumuis magno,maius longe,ſexcupla ſcilicet & decima proportione.

*Acetabulū.*

Eſt enim acetabulum,etiam temet ex Plinii autoritate teſte,quarta pars heminæ,quæ ſecundū omnes autores idem eſt cum cotyla:quare fit ut cotyla una quatuor ſupra ſexaginta contineat magna cochlearia. Vide igitur in quem labyrinthum te Marcellus cōiecerit,à quo ferè ad uerbum bonam tuæ epiſtolę partem exſcripſiſti. A quo errore nec ipſe immunis eſt,ſi id quod tu,de acetabulo ſenſit & cotyla. Quod ego tamen credere non auſim,de homine tantæ lectionis & eruditionis: nec eius uerba hoc aperte monſtrant,quæ ſunt:Cotyledon facta eſt à cotyla,Græcorum in poculis & conuiuio uini menſura & uaſculo. Et pauló infrà:Quoties autē ſeruata eiuſdem uaſculi forma in aliū trāſferebatur uſum, oxybaphum uocabatur. Quæ Marcelli uerba ad formam figurámue potius ſpectare,quàm ad capedinem uidentur:ſicuti prima uerba ad uocis potius deriuationem,quàm eiuſdem rei ſignificatum pertinere. Quemadmodum & id quod de poculis fictilibus,quibus in paupertate & cœnobiis(ut ipſe ait)utuntur. Si enim uaſcula fictilia quibus in cœnobiis utuntur, antiquis cotylis eſſent ambitu & continentia æqualia,ſicut iuuenibus & robuſtis fortè commoda,ita ſenibus & tremulis ualde eſſent incommoda,ut quę utraq; etiā manu,ut mos eſt iſti hominū generi pocula amplecti,uix poſſent labris admouere. Sed ſiue magna ſit,ſiue exigua acetabuli mēſura,nō poteſt certe minor eſſe quàm drachmarum quindecim,ſi Plinio ſtādū eſt,quem tuis copiis ueluti ducem præmiſiſti. Si igitur Thymelæa(ut dicis)eſt de maxime ſoluentibus uentrem,quis audeat ex ea,quocunq; nomine,acetabuli uel cochlearis uocecetur, quindecim drachmas ſemel dare? Dicere igitur oportet,uel locum illum in Dioſcoride deprauatū eſſe, uel folia Thymelææ,quæ Cneorum uſq; ad Theophraſti tempora uocabantur,non eſſe inter fortiſsima purgatoria numeranda. Ego primæ parti potius acceſſerim,ut qui norim Mezereon nūc uocatū,corrupta ſcilicet uoce à Cneoro,adeo uehementer purgare,ut nedum acetabulum,quod iuxta omnes bonos autores cyathum unū ſemis capit,hoc eſt,heminæ quartā partem,ſed uix cochleare paruum,id eſt,triobolum,quod minimum eſt omnium menſurarū,forti uiro audeā exhibere.

*Mezereon.*

Locum igitur deprauatū omnino puto, quod etiam ductus ipſe uerborum oſtendit,orationiſq; interruptus ordo:primo enim plurali numero,folia nominat,ubi docet, ἀφαιρεῖν ἐν αὐτοῖς ἶνας. deinde ſingulari, καθαίρει δὲ. & pauló pòſt,ἄγον, & ποιεῖ, & μιχθὲν.deinde redit ad plurale, λεῖα,ἀναληφθέντα. Auget autem cauſam huius ſuſpicionis,monſtrátq; quodam pacto uiam intelligendi hunc locum,ultimo editus Dioſcoridis codex, in quo legitur, ὡς ἐπιπλασσόμενον ὅσον ὀξυβάφου πλῆθος.quaſi uelit Dioſcor.non bibi acetabuli menſura,ſed emplaſtri modo apponi:in quem modū nec maior etiam acetabulo quantitas uerenda.

*Dioſcor. locus deprauatus.*

Et hæc quidem de Thymelæa, licet præter rem,non tamen ab re dicta ſint, Thlaſpi & Epithymum nihil moror:in illo enim Galenum, cui refragari nemo audet,in hoc Meſuen , cui multi credunt, habeo ſuffragantes. Horum poſterior uiginti drachmas eius præbet:alioqui experientia ipſa docet,Epithymum non eſſe inter uehementia medicamina cēſendū.

*Epithymū.*

Argumētum uerò quo probas acetabulum uideri quatuor drachmis minus,optime refellit Cælius, in literaria palæſtra athleta inuictus. Maior difficultas eſt in Tithymallo,ſi tamen ea uera ſunt,quæ tu de eo ex Dioſcoridis ſententia ſcripſiſti. Equidem quum omnia quæ ille de ſeptem Tithymalli generibus ſcripſit, diligenter perlegerim,de nullo legi,quod folia eius acetabuli integri mēſura præberet:ſed de primo tantū uocato Characia,quod dimidiati. Excerpta autem,ut puto,à te ea uerba ſunt ex capite de Peplo,de quo minime mirū dari acetabulum,quum & obſoniis ad aluum molliendā, teſte Plinio,inſpergatur,quod certo indicio eſt non eſſe ualde medicatum. Videmus etiam ruſticos, oleris modo ſupra duo acetabula folia Anabuli,& utriuſq; Sambuci eſitare,atque ὀρθοστάδην,ut Hippocratis & Galeni uerbo utar,nec propter hoc à conſuetis negociis laboribúſque ceſſare. Ecce igitur , ut quæ tu maxime urgere putabas,nullo ferè negocio cecidere. Supereſt,ſi cauillatoris notam,quam nobis uelle inurere in calce tuæ epiſtolæ uideris,delere uoluero,ut ſcilicet melioribus quā tui fuerint,teſtibus probem,oxybaphum acetabulúmue maius eſſe cochleari:quæ certe res adeò in propatulo eſt,ut pudeat in ea tempus conterere. Vtar autem, quia cum medico ago,medicorum tātum teſtimonio. Verum quia intelligi non poteſt,an oxybaphum apud antiquos medicos idem ſit cochleari,niſi utriuſq; menſura recte à nobis inueſtigetur:ideo utrunque medicorum teſtimonio metiri conabor. Oxybaphū tuipſe definiſti eſſe drachmarum quindecim. Si ergo probauero tantæ capacitatis non eſſe cochleare,teipſo opinor iudice uictoria à nobis ſtabit,etiam me non monſtrante certam cochlearis menſuram. Incipiens igitur à Dioſcoride ceu antiquiore,oſtēdam ex eius dictis,cochleare non poſſe drachmas quindecim capere. Primus locus ſit cap.de Aloë,ubi dicit cochlearia duo ſoluere uentrem,& ſtomachum purgare. Inſanior autem ſit Oreſte,qui triginta drachmas aloës,uel elephanto ad ciendam aluum dederit. Hoc argumento aperte monſtratur,cochleare non eſſe oxybaphi capacitate. Sed audi aliud,quo eius minimam menſuram agnoſcas. Pauló poſt ea uerba addit idem Dioſcorides, drachmas tres aloës perfecte purgare. Ex his manifeſte colligitur, drachmas tres plus eſſe quàm duo cochlearia:duo ſiquidē cochlearia ſoluunt uentrem,& ſtomachum tantū purgant:drachmæ tres perfecte purgant. Sequitur igitur ut cochleare minus capiat apud Dioſcoridē quàm ſeſquidrachmam. Sed audi & Pliniū de eadem aloē loquētem

*Aloës doſis.*

libro

libro 27. cap. 4. Datur,inquit,ad ſtomachi diſſolutionẽ in duobus cyathis aquæ tepidæ uel frigidæ, cochlearis menſura,bis térue in die ex interuallis,ut res exigit. Purgationis etiam cauſa plurimũ tribus drachmis. Ex his Plinij uerbis ſequitur,quòd cochlearis capacitas minor ſit quàm integræ drachmæ: quãdo tria cochlearia non tantũ poſſunt apud eũ,quantũ tres drachmę.Idem alio teſtimonio Dioſcoridis probatur capite de Pityuſa,purgationis gratia dantis foliorum tres drachmas, radicis duas,ſeminis unam, ſucci uero cochleariũ. Succũ enim eſſe in hiſce plãtis potẽtiorẽ ſemine,docet in lib.de ſimplicibus medicamẽtis Galenus. Notum quoq; & illud eſt,quòd quãto res potẽtior,tanto eius exhibẽda portio minor. Quòd ſi datur ſeminis drachma, & ſucci cochleare, ſequitur plus eſſe drachmã quã cochleare. Scillæ quoq; aſſæ,octuplo ſalis cõmixtæ,dat idem Dioſcorides duo cochlearia ad aluũ emolliendã. Sed per Deũ rogo,quiſnã fuerit,uel Dacus uel Geta, qui eius miſcellæ triginta drachmas poſsit eſitare? aut eius quæ ſalis ſex cyathos,& ſcãmonij drachmas uiginti recipit, deuorare drachmas quinq; ſupra quadraginta? quũ tamen perfectã deſideranti purgationẽ,tria eius cochlearia dari Dioſco. præcipiat. Sed præterea quis adeò temerarius ſit medicus qui ſtruthij,id eſt, radiculæ, in quarto ordine calidæ,drachmas quindecim audeat exhibere,cuius tamen idem Dioſcorides præbet cochleare? Liquet igitur apud Dioſco. exiguam eſſe cochlearis capacitatem,uixq; cõferendam, nedum æquandam acetabulo. Idem oſtẽdamus Galeni teſtimonio. Is libro 11. de ſimplicibus medicamẽtis, dari iubet caſtorei cochleare: quod neutiquam faceret, niſi exiguam & ipſe putaſſet eius capacitatem. Libro uero 7. curatiuæ methodi, ubi mediocriter cupimus euacuare, hieræ duo parua exhibet cochlearia: quando ad ſummũ & plurimum,duo magna: minimam doſin eſſe dicens paruum cochleare. Quæ palàm oſtendunt, & duplicem eſſe cochlearis menſuram, & utranq; acetabuli comparatione exiguam, præſertim quum acetabulum maius putauerit quàm Plinius. Siquidem lib. 6. de medicinis compoſitis ſecundum genera, quum tres cotylas diſtinguat,unam ſcilicet nouẽ, aliam 16. & tertiam 12. unciarum(quam heminam Italicam uocat lib. 4. de tuenda ualetudine) nullum acetabulum minus facere poteſt quàm uiginti drachmarum, ſi (ut omnes affirmant) acetabula quatuor heminam uel cotylam complent. Sed age aliorum quoq; teſtimonio medicorũ, certam utriuſque inueſtigemus capacitatem. Eſt apud me antiquus codex Lazari,re & cognomine Bonamici,& utraque lingua eruditiſsimi,in quo multa habentur ad medicinam pertinentia, atque inter reliqua medicinalis Dioſcoridis materia, cui adnectitur commentariolum ſub eiuſdem Dioſcoridis nomine, de menſuris & ponderibus inſcriptum. In hoc ita de oxybapho ſcribitur: Oxybaphum,quod eſt quarta pars cotylę,capit uncias binas ſemis. De cochleario uero hoc modo: Cochleariũ grammata habet tria. Gramma autem, ipſomet teſte, ualet obolos duos: obolique ſex apud omnes autores drachmam faciunt. Quare iuxta hunc ſcriptorem cochlearium continebit drachmam unam, quæ erit uigeſima pars oxybaphi, & octuageſima cotylæ, quod de magno cochleari intelligere oportet. Apud Paulum uero Aeginetam ita legimus: Oxybaphum habet cyathũ unum ſemis: cyathus chemas paruas, ſeu myſtra parua duo. Myſtrum autem hoc paruum,licet Paulus non definiat,eſt unius unciæ. Quare ſecundum Paulum oxybaphum continebit uncias tres: & hæc quidem eſt communis ſentẽtia: ſicuti & quòd cotyla capiat libram integram,& paruum cochleare tres obolos, magnũ ſex. Vides igitur mi Vincenti,quàm malo fundo innixa fuerit tua de cochleari & acetabulo præpropera ſententia,quámue noſtra ſolida & bene fulta. Nolim tamen te quaſi abſterritum,terga omnino uel manus dare,ſed à prælio quidem te optarim, non tamen à bello ſemel nobiſcum inito, ceſſare, quin potius redintegrata acie nos in alio campo minus paratos aggredi. Ex mutuo enim hoc congreſſu ueritas plerunque eruitur. Vale. Ex ædibus noſtris, XV. Calend. Quintiles.

*Cochlearis capacitas.*

*Cotylæ ſpecies tres.*

*Oxybaphũ.*

*Cyathus.*

*Myſtrum.*

EIPST. II. *ad Hieronymum Auegnam Vitilianen. medicum inſignem, ſtranguria & dyſuria uexatum.*

Qvum inter ſeniorum affectus, ab Hippocrate ultimo aphoriſmo libri tertij recitatos, urinæ ſtillicidia, difficultatésque numerantur, quas ſtrangurias & dyſurias Græci, & ferè noſtri ſeculi medici uocant: nemo miretur,ſi tu quoque (qui, ni fallor, iam ſexageſimũ annũ exegiſti,poſt uigilias, labores,& curas,quas neceſſe eſt eum perpeti qui medicinã exercet,præſertim in eo loco, ubi non adeſt alius qui feſſo tot laboribus manũ ſubdat) in hos caſus incidiſti. Sed illud potius admiratione dignũ, quòd ſtatis determinatisq; circuitibus,hoc eſt,15. quoque die hiſce affectibus tribus quinquéue ad ſummũ diebus ſequentibus affligaris,reliquo tẽpore tali moleſtia careas. Huius typi circuitúsq; cauſam quũ à me coràm peteres, ad Galenum ſtatim confugi,qui 2. lib. de differ. febriũ,cauſas huiuſcemodi circuituũ, tum in membrũ mittens, tũ in id quod recipit,transfundit. Ita enim natura inſitũ eſſe, ut quæcunq; particula robuſtior eſt propria quadã ui, id à quo læditur ad debiliorem tranſmittat, nec ceſſet iſta tranſmiſsio,donec ad imbecilliſsimã uentũ ſit. Fit enim in corporis particulis idem quod in ea mala republica, quam Ariſtoteles uocat ὀλιγοκρατίαν,in qua qui plus poſſunt minus potentes opprimunt,& hi rurſus alios,donec ad infimã plebeculam peruentũ ſit,quæ adeò omni poteſtate deſtituta eſt, ut eam neceſſe ſit opprimi tantum,& neminem opprimere. Ad eundem modũ membra quę principem locũ in corpore tenent,quicquid in eis redundat,ad ea tranſmittunt, quæ minoris dignitatis ſunt, & hæc rurſus ad alia, donec uel extra corpus pellatur, uel in aliquã ignobiliſsimã partẽ decumbat. Fit autem hoc præſertim, quando præter id quod particula minus nobilitatis habet,eſt etiam ad ſuſcipienda excrementa deputata: ex quorũ numero una eſt ueſica, ad ſeroſum humorẽ ſuſcipiendũ, atq; ad exteriora demittendũ fabricata: cui ſeroſæ humiditati, ſi quid uel totius corporis, uel iecoris, uel renum uitio maligni miſcetur,id ſimul cum urina recipi ab ea neceſſe eſt. Quod ubi paulatim congeſtũ ad molem uenit,quæ operationem ueſicæ in excernenda urina impedire poſsit, tunc ſtranguria dyſuriáue fit, & pro qualitate eius morſus ardórue quiſpiã in urinæ exitu excitatur: quæ ſymptomata tantiſper durant, donec materia illa tota exierit. Facit etiã ad huiuſcemodi malæ rei in ueſica aggregationem, ueſicæ ipſius præternaturalis quædam imbecillitas,paulatim ex talium rerum receptione acquiſita. Facit & dolor calórq; loci,ita ut hæc ſeſe mutuò augeant,materia quidem calorem mordentémq; dolorẽ, atque hi rurſus materiam: fitq; demũ ex his omnibus, ut ipſa quoque ueſica ob imbecillitatem, proprium alimentum non probè tranſmutet, atque hoc pacto ipſa quoque ſibimet perniciem afferat, concurrente etiamnum quadam diſpoſitione in ea permanente, non abſimili qualitati quæ in his uaſculis remanet in quibus opſonia elixantur. Hæc igitur ſunt, ni fallor, cauſæ, quamobrem per uices circuitúsque affligaris.

*Strãguria.*

*Dyſuria.*

*Veſicæ munus.*

Quænam uero ſit nocua illa res,quæ ita per uices aggregatur,incertum eſſe uidetur: poſſunt enim arenulæ,poſſunt lapilli,poteſt humor aliquis,& hic quidem uel bilioſus uel ſalſuginoſus,ardorem excitare, atq; uel per ſe & abſq; medio,uel ulcuſculo mediante. Nullius autem horum adſunt indicia præterquam arenularum & pituitoſi cuiuſdam humoris, quæ ambo remittente ſe ardore exire conſueuerunt: quare procul dubio ab his facta ea ſymptomata uidentur, quibus exeuntibus quieſcunt. Sed quoniam excellens quidam medicus quo cum nobis fuit circa caſus hoſce tuos diſputatio,ſuſpicabatur uehementer à calculo hæc fieri, nec tu ab eius ſententia multũ abhorrere uiſus es,ideo operęprecium me facturũ putaui, ſi hanc ſentẽtiam pro uiribus eliminarem, præſertim quum non exigui ſit momenti ad curatiuas intentiones inueſtigãdas. Sed quoniam argumentũ, quo ex tempore uſus ſum,maturius etiam rem conſideranti uiſum eſt efficaciſsimum,ab eo exordium etiam nũc faciam. Dicebam enim,ſi ſymptomata hæc per uices à calculo fiunt,uel calculus in ueſica ſemper adeſt,uel à renibus ad eam tranſmittitur. Si primum, nulla ratio aſsignari poterit, quare per certa & ſignata interualla affligat. Fieri quidem fortè poſſet, ut non ſemper eodem modo infeſtaret, ſed magis minúsue, ſecundum quod uel in caua parte, uel prope ceruicem inueniretur. Verum ſi hoc eſſet, non uideo quomodo certum tempus ſeruari ualeret, per quod

*Periodica afflictio.*

symptomata illa reuerterentur. Facile præterea esset quoties in ceruice inueniretur, uel excussione, quam Galenus præcepit, uel aliquo alio ingenio à ceruice ad concauitatem eum repellere, quo expulso symptomata uel in totum, uel magna ex parte cessarent: cũ tamen tu utrunq; expertus, neq; ob excussionem cruribus leuatis factam, neq; ex catheteris in meatum uirgæ impositi repulsione, ullam te inuenisse requiem testatus sis. Nequaquam igitur putandũ uicissitudinariã hanc certo tempore dysuriæ stranguriæúe reuersionẽ ex calculo in uesica semper residente fieri posse. Sed nec à calculo à renibus ad uesicam transmisso hæc fieri, euentus ipse testatur: si enim ita esset, oporteret semper ante cessationẽ pausámue symptomatũ, lapillũ exire: alioqui reuerteremur ad id quod iam destruximus, hoc est, ad calculum in uesica permanentẽ, qui, ut ostendimus, tametsi ualeat modo plus, modo minus offendere, statis tamen & certis tẽporibus id facere non potest. Ex his euidenter cõcluditur, uel nõ esse in uesica calculum, uel etiam si adsit, inueniri aliã causam oportere, quæ uel sola, uel simul cum eo circularis illius molestiæ sit causa.

*Catheter καθετὴρ instrumentum chirurgicũ, quo urina elicitur.*

Verum ut ingenue fatear quod sentio, quo tempore apud nos fuisti, calculi in uesica indicia certa non apparuerunt. Neq; enim urina fuit aquæ similis, cũ sabuloso sedimento, incoctáue aut subalbida, nec sanguinis mictus, nec pudendi assiduus adfuit uel pruritus uel dolor, neq; ipsum ultra modũ uel laxum, uel intentũ, nec perpetua mingendi uoluntas, aut strãguria, nisi quãdiu durauit accessio: qua deniq; per exitum crassiorũ quorundam humorũ & sabuli finita, nullũ præterea indicium calculi remansit, sed matellam lotio unica mictione absq; molestia implebas, & quocunq; placebat uel eques uel pedes absq; ulla læsione accedebas. Rebus igitur in futurum eodem modo cedẽtibus, preseruationis potius quàm curationis gratia (nullus enim morbus remãsit, qui curationem desideraret, seruato semper congruo uictu, ante tempus alterius accessionis) utẽdum hac potione: Rhei barbarici tenuissimus puluis, in decocto polypodii, glycyrrhizæ, & adianti bibendus: sit autem, rhei integra drachma, polypodii uncia, utriusq; reliquorũ drachmæ duæ. Bibita semel tertio aut quarto ante accessionẽ die hac potione, dempto rheo, singulo quoq; die eadem iteretur potio, ex qua si fortè aluus nõ leniretur, adiuuanda erit per mollis clysmatis iniectionem, quæ nec accessione superueniente dimittetur. Sed si immodicus fortè adesset in mingendo morsus & ueluti ardor, addendus potioni succus seminum cucumeris & albi papaueris: & si his mitigatus non fuerit, ad cremorẽ corticum ueniẽdum. Roborandum præterea semper iecur cũ intybi succo, cui absinthii pars quarta, & aceti rosacei octaua sit adiecta: renumq; regio ad pudendũ usq;, solani succo cũ rosacea aqua fouenda. Adderem alia multa, nisi me moraretur uetus adagium, Noctuas Athenas. His igitur contentus esto: quæ nec addidissem, nisi me identidem & ipse rogasses ut hoc agerem, & post tuum à nobis discessum adolescẽs ille ciuis tuus, qui hic studii gratia moram trahit, me frequẽter tuo nomine solicitasset.

*Calculi in uesicam incũbentis notæ.*

*Ad humores crassos in uesica resides.*

EPIST. III. *Ioan. Manard. Petro Carnicer uiro eminentissimo, Bononiensisq; Academiæ, ac Hispani Collegij rectori digniss. De Aloë, quòd non aperiat uenarum oscula.*

FVisse in symposio illo uestro, qui pro Mesue aduersus me starent, minime miror. Non facile enim quisq; dogma deserit in quo consenuit. Sed illud potius admiratione dignum uisum est, quòd tales & tot uiri, primas in Academia uestra tenentes, non euidentiores pro suo & Mesues dogmate, quàm quas scribis, attulerint probationes. Quum enim medicina, sicuti & quælibet alia ars, duobus ueluti cruribus innitatur, experimento uidelicet & rationi, uel altero uel utroq;, decens erat, id quod dicebant euidẽter adstruere. At nec certo experimento, nec probabili satis ratione suam opinionẽ, ni ego fallor, roborarunt. Quod ad experimẽtum enim attinet, ut nõ negamus epota aloë quibusdam uenarum ani ora reserari, ita Galeni clypeo muniti, non aloës maleficio, propriáue ui, id fieri defendimus, sed eorum quæ excernuntur acritudine. In hanc enim, nõ in pharmaci uim, id ipse refert 6. lib. aphoris. 47. de homine loquẽs atra bile uexato, cui ex acriũ humorũ purgatione bis in anno ipsius iussu data, ani uenæ aperiebantur. Alioqui nec uerisimile est eum aloë usum in expurgãda hominis illius atra bile, sed uel epithymo, uel elleboro nigro, uel alio medicamine nigri humoris purgatorio: inter quæ nec Mesuas ipse aloën numerauit. Quare non est ut in aloën Galeni experimẽtum referatur. Noui etiam ego uirum qui ex potu rhei barbarici, quo frequenter utitur, idem se pati affirmat, quod alii dicũt ex aloë: quum tamẽ nemo adhuc, quod norim, tale rheo barbarico adscripserit maleficiũ. Nec desunt qui scripserint, à polypodio sanguinem per urinam elici: simili & ipsi, ut arbitror, argumento decepti, quòd scilicet epoto polypodio symptoma illud nonnullis acciderit. Non in aloën igitur magis hoc referendum, quàm in alia purgantia. Sed dicet forte, uel senex ille, uel alius eiusdẽ sectæ: Si ea uis non magis aloë adest quàm aliis medicamentis acres humores purgãtibus, unde factũ est, ut communis sentẽtia, non solũ medicorum, sed & aliorũ hominum aloë utentiũ sit, quòd ipsa potius, quàm alia medicamenta, sedis uenas aperiat? Dicam, nõ alia ex causa in hominũ mentes hoc dogma irrepsisse, nisi quòd crebrius aloë utuntur, quàm alio quouis purgatorio medicamento. Ferè enim quicunq; sani uel leniendæ alui, uel uentriculi expurgandi gratia aliquo medicamento utuntur, ad aloën, uel ad catapotia ex ea confecta, confugiunt. Quare factũ est, ut quod ab excrementis ab aloë motis fit, id proprio uitio & per se ab ea fieri putetur. Confirmauit eorũ credulitatẽ medicorum opinio, qui Arabas medicos instar oraculi uenerantes, quicquid apud eos legebãt, absq; alio examine, & ipsi suscipiebant, & aliis persuadebãt. Primus autem inter Arabes qui hoc scripserit (quod quidẽ me legisse meminerim) fuit Serapion: cui quantũ fidei tribuendum sit, uel legẽti eius aggregationes, & cum his quos affert autoribus conferenti, facile patere potest: uix enim caput inuenias, quod sit ab erroribus immune. In hac uero ipsa re quantũ ei credendũ sit, uel ex hoc cognosci potest, quòd Pauli sententia id scribit, qui nec per somniũ quidem quãdoq; talẽ rem cogitauit. Nihil igitur experientia cõtra nos facit, nec Arabum, qui Serapionem unus post aliũ sequuntur, autoritas. Iam rationes examinemus. Nullã certe uideo eos pro suo dogmate rationem attulisse, nisi quòd cit mẽses: hãc argumentationẽ innuẽtes, Aloë prouocat mẽses, ergo aperit ora uenarum. Quæ certe ratio, instar rationis Melissi, in materia peccat & forma: falsum assumens, eóq; etiam dato, propositum non concludens. Nullus enim idoneus autor talem ei uim, menstrua scilicet mouendi, adscripsit. Quod si etiã hic ad experientiam prouocent, ego ad rationẽ prouocabo, quæ docet uterũ menses non trahere: & propterea si sint multũ impediti, aut omnino retẽti, non nisi à ualde calidis & incidentibus medicamentis reuocari, qualia sunt sauina, nepeta, pulegium, casia, cinnamomum, atq; id genus similia, quæ scilicet in tertio calefacientium ordine reponuntur. Ad quem ordinem quoniã, Mesue etiam ipso teste, aloë non ascendit, ideo nõ est inter ea quæ proprie menses mouent numeranda: sed si quãdo in hoc cõducere fortè uisa est, id non propterea factum, quòd uenas aperiret, sed quia aliquid amouit quod eorum fluxum prohibebat. Ex quo fit, ut sequela, cui tacite bonus ille senex innitebatur, non id cõcludat quod uolebat, ut uidelicet si quoquo modo in ciendis mẽsibus aloë ualet, idcirco ora uenarum aperiat. Hæc enim à nulla medicina aperiri possunt, Galeno teste, quæ non sit acris & terrestris, atq; ignea quãdam prædita caliditate. Carere autem aloën omni acrimonia, & gustus ipse indicat, & Galeni autoritas, & uires quas quotidie experimur, & boni autores ei adscripsere, demõstrant. Nec est ut quispiam Iacobo de Partibus innixus, adstringendi potestatem ei duntaxat adesse dicat, dum extrorsum admouetur, dum uero intus accipitur, aperire. Nam præter hoc quòd nulla res id per se actu agit, siue intus, siue extrà adhibeatur, cuius agendi potestatem nõ habet: statim etiam redarguitur à Dioscoride dicente, quòd pota sanguinis excreationes compescit. Quam sententiã à suo etiam Serapione poterant ediscere: sed & ab Auicenna (quicquid nugentur expositores) cap. de sputo sanguinis, inter medicinas quæ apertis uenis bibuntur, aloën numerante. Taceo Plinium, testem apud eos fortè minus idoneum, qui 27. libro ait, Aloën sanguinis excreationes, si modicæ sint, drachmæ pondere ex aqua: si minus, ex aceto potam sanare. Cuius tamen

*Mesue lapsus in Aloë.*

*Rheo barbarico epoto quibusdam ani uenas reserari.*

*Polypodij potione quibusdam sanguinem per urinã elici.*

*Aloë nõ ciere menses.*

*Menstrua quibus medicamentis moueantur.*

*Iacobi de Partibus lapsus.*

*Aloën sistẽdo sanguini salubriter sumi.*

men testimoniũ quum consentiat Galeno libro quinto methodi, si uas fractum paruum fuerit, aloën laudanti, nõ uidetur posse à medico respui. Adstringit igitur aloë secundum bonos autores, nõ solum foris admota, sed & intrò assumpta: quod Iacobus negabat. Quare aliũ patronum inueniant necesse est Mesues isti sectatores: quem si fortè ob inopiam inuenire nequiuerint, fungar ego eius uice, absq; ulla spe præmij: docebóq; modum, quo si non uictoriam, saltem concordiam cum bonis autoribus, imò cum ipsa ueritate, possint inire. Erit hic modus (ne amplius suspensos eos teneam) si dicant, Mesuen non de quauis aloë, sed de maligna tantum intellexisse. Vel si omnino cõtendant, eum etiam de bona loquutum, dicant, ab ea duntaxat sanguinem elici dum exorbitat, hoc est, plus purgat quàm deceat. Quibus dictis si reclamauerint, moneas eos rogo, ut patienter expectent, donec utrunque ex propriis Mesues dictis ostendam. Et ne diutius morer, grauérq; ad seriẽ ipsius hic transcribendam, legant ipsi caput secundum primi tractatus canonũ uniuersalium, & nisi utrunq; eorum quæ dixi ibi reperierint, nihil posthac mihi credant de erroribus Arabũ loquẽti. Quem locũ si diligẽter quoq; illi legerint, qui ipsum Mesuen reprehensioni meæ capite de Centaurio, satis fecisse asseruerunt, nihil se dixisse cognoscẽt, præsertim si addiderint Mesue dictis, ea quæ à Galeno de paruo Centaurio scribuntur libro septimo de simplicibus medicamentis, quæ sunt: Decoctũ herbę iniiciunt nonnulli ischiadicis, hoc est, coxendice laborantibus, ceu educens biliosa & crassa, hæc enim expurgat: uerum quando adeò uehementer operatũ fuerit, ut sanguinolenta euacuet, magis iuuabit. Educunt igitur tam aloë quàm centauriũ sanguinolenta, non quia ex propria natura uenas aperiant, sed ut quodlibet aliud facit, dum uiolentius operatur: utrũq; enim eorũ acredine & morsu penitus caret, quæ adesse his oportet quæ uenas aperiunt. Et quãuis Mesue indiscrete de maiore & minore Centaurio scribens, acredinem maioris in minus quoq; uideatur transferre, non usqueadeò tamen in hoc, sicuti in aloë cæcutiens fuit, ut scilicet educere sanguinem, aut uenas aperire dicat, nisi dum superflue purgat. Quem etiã locũ nisi conniuentibus oculis senex ille, de quo prius loquuti sumus, uidisset, cognouisset utiq; distinctionẽ suã uel Iacobi de Partibus, cum Mesue nõ cõuenire, duplicẽ operationẽ Centaurio intra corpus assumpto, ordine quodã adscribente: primã adstringendi, quæ ab amaritudine & stypsi fiat, qualitatibus in eo insignioribus: alteram à calore & acrimonia, quam post longã eius in corpore agitationẽ fieri dixit, nec semper, sed proprie cũ eius purgatio supra modũ exuperat. Si igitur neq; responsio Io. M. cap. de Centaurio, nostræ reprehensioni satisfacit, quòd de exorbitante tatũ loquatur: facit enim immodica illa operatio, ut non solũ aloë & centauriũ, sed omnia etiã purgatoria, sanguinem euacuẽt: neq; Iacobi de Partibus distinctio, ponens aloën intra corpus assumptam semper aperire, quod nos falsum esse ex bonis autoribus demõstrauimus, perstat nostra opinio in suo robore, aloën per se maleficio illo uenas aperiendi carere, quod ei Arabes impinxere: & siue foris admoueatur, siue intrò adigatur, adstringẽdi semper uim & roborandi habeat, quã à natura est consequuta. Hæc habui quæ pro aloë iam quarto scriberem, non ut inuenta mea tuerer, quæ nec ipse multi facio, sed ut tibi morẽ gererem, cui tantũ me debere sentio, quantum nunquam potero persoluere. Vale uir magnifice, &, quod facis, eos quibus præes, à turbidis paludibus ad purissimos fontes euoca.

*Centauriũ qua ratione sanguinolenta educat.*

*Arabũ error.*

*Alica. Zea.*

. De Alica & Zea nihil scripsi, quoniam nihilo plus compertum habeo, quàm quod Hermolaus & Marcellus tradidere: nam & Galeni quoque tempore res obscura erat, & possumus nos hoc tempore absque humanæ uitæ damno utranque ignorare. Ex Ferraria, III. Calend. Sextiles, M. D. XXX.

EPIST. IIII. *Ad Vincentium Caprilem, quo nomine olus à uulgo Petroselinon dictum, à bonis autoribus uocetur.*

DVm medicinalem materiã, id est, simpliciũ medicamentorũ notitiã, longo tempore obfuscatã illustrare conaris, Vincenti charissime, inter reliqua non ab re inquiris, quo nomine apud bonos autores id olus uocari putem, quod nunc passim Europa dapibus iuribúsq;, necnon embammatibus miscet, & à uulgo Petroselinon dicitur. Esse enim aliam rem à uero antiquorũ Petroselino, adeò in propatulo est, ut probatione non indigeat. Veri siquidem petroselini semen tam impense amarescit, ut quoddã eius genus Theriacæ additũ, eam reddere amariorem, quàm myrrha, prasium, chamædrys, & tenue centauriũ, ualeat, ut ex Galeno in libro de Antidotis colligi potest. Hoc igitur tibi sciscitanti respondi statim, ingenuéque aperui id quod etiam alicubi scriptis mandauerã, eam scilicet herbam quæ uulgò Petroselinon dicitur, Selinon, id est, apium hortense, ab antiquis uocari. Ad quod probandũ, Plinij testimonio usus sum libro uigesimo scribentis, Ramos apij largis portionibus per iura innatare, & in condimentis peculiarem gratiã habere. Quæ certe ita petroselino uocato conueniunt, ut nulli olerũ magis. Quam sententiam quum minime probares, aduersus eam nõ alio usus es argumento, quàm quòd nullius apij inter olera, hoc est, libro secundo, meminerit Dioscorides. Nullam enim herbã esse apud Dioscoridem olus putandam, de qua in aliis libris tractauerit, quum ipse apertis uerbis in proœmio secundi libri promittat se de oleribus in eo scripturũ. Quod cum à me non approbari uideres, petiisti, ut nominatim aliquod olus ostenderẽ, de quo aliis in libris pertractasset. Visum igitur mihi est, uel horulam non male locare, in qua pro hac ueritate ostẽdenda laborarem. Sed quoniam, Aristotele teste, oportet disputantes in nominibus cõuenire, prius statuendũ est quid oleris nomine significetur: hoc enim ignorato, cognosci nõ potest, an hæc uel illa res sit olus nuncupanda. Siue igitur ab alo uerbo, ut nonnulli, siue ab olla, ut Varro putat, oleris nomen deducatur, cõstat omnes herbas quæ uescendo sunt, esse inter olera reponẽdas. Olera enim, lib. 7. de hist. plãt. ait Theophrastus, quæ nobis usui cibóue sunt. Percurrendus igitur Dioscoridis codex, uidendúmq; an in aliis libris de aliqua herba scribat, quæ ad mensas cruda uel cocta feratur. Occurrit autem primo Scolymus, de quo ipse scripsit lib. 3. quòd in cibos recipitur: & post ipsum Eryngion, ciendæ ueneri à multis in cibum expetita: sed & Origanum, Pulegium, Saluia, Mẽtha, Calamintha, Thymus, Serpyllum, Sampsuchus, Acinos, Ligusticum, Pastinaca, Caros, Anethum, quæ nullo pacto uidentur ab olerum censu submouenda. At si hæc olerũ nomine dignamur, cur Apiũ tam hortense, quàm Hipposelinon uocatum reiiciamus? scribente de hoc Dioscoride, λαχανεύεται ὥσπερ τὸ σέλινον, quo uerbo etiam in Smyrnio & Elaphobosco utitur, nec aliud notat quàm quod Plinius dicere solet, estur ut olus: addit, quòd radix uescendo est cocta & cruda, folia & caules cocti tantum manduntur. Sed nõ solum duo hæc Apij genera inter olera recipit Galenus libro secundo de escis, & Paulus Aegineta libro de escis, uerum & cum his Smyrnium: quod à Romanis Olusatrum uocari quum dicat idem Galenus, quis neget inter olera habitum? Possem addere his Strychnon id est, Solanum hortense: Mirrhin, Cirsion, hoc Buglossum, illam Cerfolium uocant, uerámq; Buglossum, quam Boraginem: Coriandrum, Rutam, Satureiam, aliáque permulta quæ simul cum Apio à Theophrasto inter olera reponuntur: de quibus tamen in aliis libris, non autem in secundo scripsit Dioscorides. Sed ueritus sum ne illud in me dicatur, λιθοῤῥίψεις. Vale.

*Petroselinõ, Apium hortense.*

*Olus unde sit deductũ.*

*Scolymus. Eryngion.*

*Smyrnium, Olusatrum.*

*Strychnon, Solanũ hortense.*

*Myrrhis, Cerfoliũ uulgò.*

*Cirsion, Buglossus uulgò.*

*Buglossus, Borago.*

EPIST. V. *Ad Iacobum Pharusium Regiensem medicum, de uenæ sectione in Pleuritide & Spodio.*

NOn erat ut accusari uel impudentiæ uel arrogantiæ uerereris, Iacobe dilectissime, si me, cum quo nullum antea fuerat commercium, in re medica interpellares: ita enim & natura ipsa, & animi propensione affectus sum, ut quoscunque agnosco literis deditos, ipsámque ueritatem in illis quærentes, eos summopere & diligam & amplecter: è quorum numero cum te esse, & multorum antea testimonio, & demum tuis literis cognouerim, nullus est in literaria palęstra labor, quẽ tui causa nõ sim libẽter subiturus, tantũ abest, ut duabus à te propositis dubitationibus grauer respõdere, uel tu timere debueris ne mihi molestus esses. Accipe igitur tuorũ quæsitorum, si non qualem uelles, at qualẽ senex, mediocris eruditionis, ualetudinarius, uariisq; curis implicitus, præstare potest responsionem.

Secandam in pleuritide, iuxta Hippocratis & Galeni sententiam, interiorẽ cubiti uenam, atq; ex eodem po-

*In Pleuritide sanguinẽ mittendũ ex latere affecto.*

tius,quàm è diuerſo phlegmonem patientis particulæ latere,clarius eſt,quàm ut multis uerbis oſtendi oporteat. Nam ut alia loca omittam,libro quarto de uictu acutorum morborũ ſcribuntur hæc uerba:Si dolor ſuprà ad clauem attigerit,uel circa mãmam,aut brachiũ, interiorem brachii uenam ſcindere oportet,ab ea parte,quæcunqꝫ illa fuerit,ubi eſt dolor.Quæ uerba enarrans Galenus inquit:In hoc quoqꝫ loco rurſus pertractat legitimæ partis ſententiã,unum addens,quod in illa fuerat prætermiſſum,quòd ſcilicet uenę ſectio ex directo patientis lateris facienda eſt.Et lib.1.de morbis, de pleuritide & peripneumonia quæ ſine ſputo ſunt, tractans Hippoc.ſecandam ait uenam in manu iecorariam uel lienicam,in ea parte,quæcunqꝫ illa ſit, καθ' ὁποτέρην ἂν ἔῃ τὸ νόσημα, id eſt,in qua morbus fiat.Habenda igitur hæc pro indubitata Hippoc.& Galeni ſententia. Nec eſt,ut tu,uel alius quiſpiã abſterreatur,& pugnare cum Hippoc.ſentẽtia Galenum putet in quodam loco libri curatiui de uenæ ſectione docẽtem,quamlibet inflammationem inchoãtem eſſe reuulſione curandã, atqꝫ ut ſequi uidetur,ex altero non ab eodem latere faciendam uenæ ſectionẽ.Nos etenim dicimus ſectionẽ uenæ interioris cubiti eiuſdem lateris in pleuritide à reuulſionis ratione nequaquam cadere,quum ab interioribus ad exteriora ſanguinem euocet:quẽ reuulſionis modum Galenus ipſe in proprio de reuulſione commentario,apertiſsime docuit.Et libro quinto curatiuæ methodi,eam etiã quæ ab interioribus fit ad exteriora uacuationem,cum his numerãs,quæ ex ſuperioribus ad inferiora,à dextris ad ſiniſtra,uel è contrario fiant, atqꝫ æque cum illis ſtatuens reuulſiuam.Quamuis igitur in expoſitione illius aphoriſmi quinti libri,Dolentem partem capitis poſteriorẽ,recta uena in fronte inciſa iuuat,eam cum cæteris non expreſſerit,non tamen propterea concludendũ eſt,quòd non habuerit in numero reuulſionum,quum nihil ſermoni ſuo adiecerit, quòd illam excluderet,ſed potius ſub generali reuulſionis deſcriptione eam uideatur cõprehendiſſe,reuulſionem eſſe dicens,uacuationẽ quæ ad contraria fit.Didicimus enim ab Ariſtotele in Moralibus,non ſolũ unum extremum alteri,ſed etiã medium utriqꝫ extremo eſſe contrarium.Si quis tamẽ contendat,omnem reuulſionem à Galeno ſub triplici illa diuiſione fuiſſe comprehẽſam:dicam,hanc de qua loquimur,uel à dextro ad ſiniſtrum,ſi in ſiniſtra parte fuerit inflammatio(coſtę enim ſiniſtri lateris,brachio eiuſdem lateris cõparatæ ad dextram partẽ uergunt)uel è contrario ſi in dextra,facere reuulſionem:atqꝫ ita ad ſecundũ genus ibi recitatũ,hoc eſt,ad eam quæ ſecundũ latitudinem fit,eſſe reducendam,& inter reuulſiuas omnino computandã.Nec ab illarum ratione excidere,etiam ſi Hippocratis & Galeni modo ſanguinem euacuet in inflammatione contentum:non enim inuicem pugnant reuulſio & uacuatio, ut tu ſentire uideris,quum ſecundũ Galenum lib.13.methodi curatiuæ,ſectio interioris uenæ dextri cubiti,ſanguinem qui ad iecur fertur,ſimul uacuet & auertat,& ſit ſemper eo inflammationem pati incipiente faciẽda. Nec alibi(quod meminerim)apud eũ reperi,euacuantem uenæ ſectionẽ reuulſiuæ aduerſari,ſed potius euacuantem locum generis obtinere,adeóqꝫ cum ſectione uenæ cõuenire,ut nulla ex cauſa uena ſecetur,niſi ut ſequatur uel multa, uel exigua ſanguinis euacuatio. Et propterea à Celſo & aliis qui Latine loqui uolunt,ſanguinis miſsio quælibet uenæ ſectio uocitatur.Vacuatiua igitur eſt quælibet uenæ ſectio,non ſemper tamẽ eſt reuulſiua:ſed tũc à reuulſionis ratione cadit,cum uel ex ipſa patiẽte particula fit,uel ex ea quæ illi eſt ualde proxima,tunc enim non ἀντίσπασις,hoc eſt,reuulſio dicitur, ſed παροχέτευσις, id eſt,ad propinqua deriuatio:utraqꝫ tamen auerſio dicitur à Galeno libro quinto methodi, quia ſcilicet ad alia loca conuertit ſanguinem.Primam, hoc eſt,reuulſionem,conuenire ait Galenus in libro de uenæ ſectione,incipientibus inflammationibus:ſecundam antiquis.Quæ tamen non ſemper uenæ ſectione fieri poteſt,quum multa membra inflammationem pati poſsint,in quibus nec uena eſt ſectioni idonea,nec alia ei uel communis uel proxima,quæ cõmode præcidi poſsit:in quo caſu pro uenæ ſectione,uel cucurbitulis,uel hirudinibus utemur,quod agere in pleuritide medici præcipiunt,& nos fieri uidimus,cum magna ægrotantis utilitate,præcedente tamen uenæ ſectione ex cubito.At ſi fortè uenæ ſectio non fuerit ab initio facta,ſitqꝫ,ut tu in epiſtola ponis,neceſſariò facienda,fiet utiqꝫ,iuxta Galeni doctrinam,ex iecoraria,& eiuſdẽ lateris uena:ſequetúrqꝫ ex ea,ſi obſequendo Hippocrati ad mutationem uſqꝫ coloris ſanguinem fluere ſiuerimus,reuulſio,& ſanguinis in inflammatione contenti uacuatio:reuulſio quidẽ primo,deinceps uero ſanguinis inflammationem facientis euacuatio:qui effectus non adeò inuicem diſsident,ut ab una uenæ ſectione non ualeant ambo prouenire.Nec obſtat philoſophorum dictum,cui tu inniteris,quòd ſcilicet ab uno,quatenus unum, non poſſunt uarii effectus prodire:non tantum enim duo illi,ſed & doloris,tuſsis,difficilis ſpirationis ablatio,aliíqꝫ multi effectus ex una poterunt uenæ ſectione prouenire. Quomodo autem philoſophorum illud uerbum,ſi uerum eſſe debet,intelligendum ſit,non eſt noſtrum hoc loco declarare:ſatis enim ſit nobis noſſe,quòd ex uno præſidio multi poſſunt in medicina boni effectus ſequi, ut ex cauſæ ablatione, morbi,& omnium quæ ex eo ſequebantur ſymptomatum ablatio.Quando uero ſubdis,ſi eadem uenę ſectio ſimul uacuet & auertat,ſequi,ut idem eiuſdem reſpectu ſit propinquius & diſtantius.Ego certe hãc ſequelam non aſpicio:nõ enim procedit niſi poſito,quod ſuprà à nobis negatũ eſt,ſcilicet quòd euacuatio & auerſio in eo differãt,quòd hæc à longinquo fit,illa ex propinquo:& hæc euaçuat,illa diſtrahit.Suprà enim oſtendi,quamlibet uenę ſectionem eſſe euacuationem:auerſionémqꝫ ueluti genus eſſe ad antiſpaſin & parocheteuſin. Quod ſi fortè dixeris,te per uacuationem intellexiſſe parocheteuſin,hoc eſt, eam quæ ad propinqua deriuat:dicam,uenæ ſectionem à cubito in pleuritide factam quocunqꝫ tempore fiat,ſemper eſſe reuulſionẽ, quia ſemper trahit ad longinqua:& propterea non ſequi,quòd idẽ ſit propinquius & remotius:quod utiqꝫ ſequeretur,ſi eandem uenæ in pleuritide ſectionem,fateremur ſimul eſſe antiſpaſin & parocheteuſin.Quòd uero obiicis de Anaxione,cui uena cubiti ſecta eſt in octaua die,in qua morbus(ut ais)nequaquã inchoans erat:& quòd non eſt ex loco patiente ab Hippocrate euacuatus,faciliter tollitur ab ipſomet Galeno in eius aphoriſmi commentatione dicẽte,quòd ſigna coctionis terminãt illud principiũ,quod eſt pars totius morbi.& alio loco eiuſdem commẽtationis,quòd crudiſſimus morbus eſt,in quo nihil omnino expuitur.Quũ igitur Anaxion ad undecimam uſqꝫ diem nihil expuerit,ſequitur,crudiſsimum uſqꝫ ad eam diem fuiſſe morbum,& ut ſequens eſt,uenæ ſectionem octaua die,in principio,quod eſt pars totius morbi,factã fuiſſe.Nec admiratione dignum eſt,principium pleuritidis ad tot dies poſſe produci,legenti apud eundem Galenũ libro primo de Criſibus, perdurare principium pleuritidis, quouſqꝫ pauca & cocta ægrotans cœperit expuere: quod quum Anaxioni non in undecima, ſed tantum in decimaſeptima contigerit,ſequitur ad eam uſqꝫ diẽ principium fuiſſe dilatum.Meminit autẽ huius ſectionis uenæ Hippocrates,alioqui aſſuetus in eo libro tacere præſidia quibus utebatur:quoniam medici,ut ſcribit Galenus,eum locum enarrans,ueluti lege quadam ſancitum obſeruabant,ne poſt quartam diem uenam ſecarent. Putandum uero,ait idem Galenus,quòd alios ſectione uenæ egentes,ſecũda,tertia,quartáue die tali remedio curauerit.Cur uero tantum in hoc Anaxione diſtulerit,licet Galenus non dicat,fortè fuit,quia antequam deliraret,anceps erat Hippocrates,an ſecãda uena eſſet, uel purgatorium pharmacum exhibendum. Viſo autem delirio in octaua,& quòd grauius ſe habuerat in ſeptima,cum uehementiore febris ſpirandi difficultate,tuſsis moleſtia,atqꝫ præterea quòd ad calefactiones nulla ſequebatur doloris remiſsio : octaua die uenam ſecuit,reuulſionis gratia,nõ deriuationis ad loca proxima:quoniam adhuc erat morbi principiũ,nec aliqua præceſſerat uel naturæ uel artis euacuatio:quo caſu non ſolum in principio,ſed etiã in aliis temporibus eadem uena ſecari cõgrue poterit,ubi magnus ſit morbus cum uirtutis robore.Siquidem Galenus in libro de uenæ ſectione,duo hæc aduertenda docuit,nõ dierum numerum : idqꝫ opere exercuit in iuuene qui uiginti ferè dies inflammatione oculi laborauerat, quemadmodum ipſemet teſtatur in eodem libro.Nec, quod tu uereris,auerſionem ipſe formidauit,quæ neceſſariò per illam ſanguinis miſsionem ſequebatur, non ſolum ab internis ad externa , ſed etiã à ſuperioribus

*Reuulſionẽ à uacuatione non differre.*

*Sanguinis miſsio, uenæ ſectio.*

*Auerſio.*

*Reuulſionẽ ſimul cum euacuatione fieri.*

*Ab uno præſidio effectus uarij.*

*Phlebotomiã in pleuritide ſemper eſſe reuulſiuam.*

*Anaxionis pleuriticicuratio per Hippocratis Aphoriſ.part. prima.*

*Crudiſsimus morbus.*

*Principium morbi unde ſumendum.*

*Canones in uenæ ſectione.*

bus ad inſeriora. Tantum enim abeſt, ut auerſio repugnet(ut tu ſcribis)uacuationi, ut quãdoq; ſola ſufficiat ad uacuãdum.Euacuatio quippe non ſolum per affinia (ut tuis uerbis utar) & propinqua perficitur, ſed per ſeiuncta, etiam ſi abſque extractione ſanguis ex loco patiente ad alium locum transferatur, ſicuti docet Galenus in arte medicinali, & in libro curatiuæ methodi 13.Non igitur ab initio repudianda ſectio uenæ eiuſdẽ lateris(ut tu contendis) quia ſimul cum auerſione euacuet,imò propter hoc, præ ea quæ ex aduerſa parte fit ex Galeni doctrina eligenda. Ex Galeni dico doctrina, quoniam,quemadmodum ego puto, à quibuſdam ab eo præſcriptis non eſt uſqueadeò grande nephas in noſtra regione quandoque recedere.Magnus quippe Galenus fuit, homo tamen, & ideo non ubique, ni fallor, ab errore immunis.

*Galenum in criſimorum dierũ ratione lapſum. uide Picum Mirand.aduerſus aſtrolog.lib.*

Eum enim in reddenda criſimorum dierum ratione, & alij ante me, & ego alio loco deuiaſſe demonſtraui.Ignoſcant igitur mihi Galeni manes, quòd pro ueritatis amore facturos certe credo, ſi interdum aliter ſentire me cognouerint: cum in maioris momenti re, hoc eſt, in negligendo CHRISTO & Moſe,grauius ſe erraſſe iampridem agnoſcant. Alioqui quo pacto non ignoſcat nobis ab eo recedentibus,qui uolens ac libens multis in locis ab Hippocrate, quem ueluti numen quoddam colebat,ſæpenumero receſsit? Atque ne ſingula loca percurramus in quibus ab Hippocrate diſcedit, in hac ipſa de qua nunc agimus pleuritidis cura,aliter quàm Hippoc.& egit,& nobis agendum cõſuluit.Scribit enim Hippo.lib.2.de uictu morb. acut.Si ſub tranſuerſo ſepto fuerit dolor, nec ad clauem peruenerit,mollire aluum oportet, uel nigro elleboro, uel peplio. Galen. uero ab eius ſanctione recedens, inquit:Cognoſcere quidem hæc oportet, & meminiſſe, non ſemper autem uti in pleuriticis. Tantum autem ualuerunt hæc Galeni uerba,ut neoterici (ait Paulus) omnibus pleuriticis uenam ſecent,ueriti, ut idem Paulus putauit, eam quæ ex purgatione fit perturbationem. Quis igitur nos meritò culpauerit, ſi ſimultaneam ſanguinis uacuationem cauẽtes,nec tantum ſanguinis auferre ſemel uolentes, quãtum neceſſe eſt fluere, ſi is qui in phlegmone continetur, extrà duci debet, cõtrariam patienti lateri uenam, reuulſionis potius gratia, quàm euacuationis ſanguinis in tumore contenti, nonnunquam,ſi uideatur ita conſultum,primo ſecuerimus? deinde uel eodem uel altero die per eiuſdem lateris uenam reliquum abſtulerimus:præſertim ſi peſtilentialis fuerit,hoc eſt,uagans & pernicioſa pleuritis, in qua ſanguis quantum fieri poteſt, eſt longiſsime à principalibus membris diſtrahendus:quod per malleoli uel tali, magis quàm per alterius uenæ ſectionem fieri, nemo ignorat.

*Pleuritis peſtilentialis.*

*In pleuritide ſanguinẽ aliquãdo mittendũ aliũde, quàm à cubiti uena.*

Quòd ſi ſit etiam mulier cui menſtrua defecerit purgatio, uel uir cui conſueta ſanguinis per ani uenas ceſſet uacuatio, quis uitio mihi dederit, ſi his per inferiores uenas ſanguinẽ detraxero? præſertim quum neque hoc à Galeni dogmate multum abhorreat. In libro ſiquidem de uenæ ſectione curatiuo, cautelæ gratia in utroque caſu uerè crurum uenas ſecat, & quod quiſpiam magis miretur, in comitiali uertiginoſóque morbo laborantibus, in quibus tamen minus timendum ex humoribus ſurſum latis eſt, quàm in peſtilentiali pleuritide. Adde quòd nec eam quæ ex contrario latere in pleuritide uenæ ſectionem uſquequaque uituperat Galenus,ſed ei quæ per rectum fit comparans,uel parum iuuare dicit,uel poſt tempus:quæ certe non faciunt, quin quandoque bona ex cauſa commode fieri poſsit.Nec ea quæ per cruris uenas ab eodem latere fit, ab Hippocratis dogmate recedit, iubentis per rectum ſemper fieri oportere euacuationes, ſi & ipſa per rectum fiat. Nec à Galeno, qui manu patiente ex altera manu ſanguinem trahit,uel ex eiuſdem lateris pede:& pede inflammato, uel ex altero pede,uel ex manu eiuſdem lateris. Nulla igitur alia ex cauſa Hippoc. & Galen. uidentur in pleuritide eiuſdem lateris ſectionem præferre, niſi quòd per unicam ſectionem uolunt ſanguinem in inflãmatione exiſtentem citò è corpore extrahere. Hac igitur intentione ceſſante, quæ hoc æuo ferè ceſſat in hac noſtra regione, in qua non adeò copioſis propterea utimur uacuationibus, quòd corpora noſtra imbecilliora, quàm ut eas ferant, nunc inueniuntur, non magnopere aberrare uidetur, qui aliam uenam maioris reuulſionis gratia ſecuerit. Præterea magis congruit cum uena interiore unius brachij uena interior alterius, quàm cum humerali, ſeu, ut alio nomine dicimus, cephalica: ſed hanc ſecari Galen. concedit, interiore uel media non ſe bene oſtendentibus.

*Humeralis uena.*

Quoniam (ut ipſe ait) euacuationes undecunque fiant, in uniuerſum animalium corpus diſtribuuntur, licet non æque celeriter, neque ſimiliter ex omni uena. Igitur uena alterius brachij ſecta, licet non æque cita, neque ſimilis, utilitas tamen non negligenda ſequetur. Quæ ſi non tanta fuerit, quanta deſideratur, hoc eſt, non quanta ex ſectione ab eodem latere ad mutationem uſque coloris ſanguinis facta, erit tamen ſecurior. Magis enim (ut ipſe Galenus ait) cauere debemus ne uires reſoluantur, quàm ſtudere ut ſanguis abundans euacuetur.Maiorem autem affinitatem eſſe dextræ & ſiniſtræ interiorum uenarum, quàm humeralis cum alterutra, ex diſſectione cognoſcitur:

*Axillarium uenarũ origo.*

*Humeraliũ uenarum origo.*

oriuntur ſiquidem ambæ axillares ex uena concaua, prius quàm in iugulares diuidatur: humerales uero, poſtquam in iugulares eſt diuiſa. Quare neceſſarium eſt, ſanguinem, qui à ſubcingente membrana in qua pleuritis fit, euacuari debet, antequam per humeralem tranſeat, ſupra axillaris utriuſque, quas & baſilicas uocamus, exortum, ad iugulares uſque, quæ ſupra collum extra thoracem ſunt, aſcendere. Breuior igitur omnino, & expeditior uia eſt, ab una axillari ad aliam, quàm ab humerali ad eiuſdem lateris axillarem. Ad quod etiam facit axillarium amplitudo, quæ non parum humerales uincit: per maiores enim canales & ductus, æqua humoris moles citius & promptius educitur. Adde quòd per humerales prius deſcendit ſanguis qui in iugularibus propinquiſque eis locis cõtinetur, quàm is aſcendat, qui eſt in inferioribus. Sed dixerit fortè quiſpiam: Si tua hæc argumenta concludunt, ſequitur erraſſe Galenum, qui non apparente interiore mediáque cubiti uena, ſecari humeralem iubet, non autem alterius lateris iecorariam.

*Galeni locus enarratus.*

Dicendum, Galenum nullam in eo loco, hoc eſt libro ſecũdo de uictu morborum acutorum, feciſſe inter uenas duorum laterum comparationem, ſed inter uenas eiuſdem brachij diuerſas: alioqui ueriſimile eſt, ſi una ex interioribus latet, ſimilem quoque alterius lateris pariter deliteſcere. Vel fortè dicendum, quòd directum aſpectum plus facere putauit, quàm propinquitatem: quod certe & ipſe in multis ſuarum comment. locis præ ſe tulit. Et Auicen. cap. de uenæ ſectione, libr. 1. in coxendicis dolore, exteriorem tali uenam non ob aliud interiori prætulit, niſi quòd licet utraque ab eadem uena oriatur, ab ea ſcilicet quæ ſub poplite eſt, illa tamen magis è directo reſpicit coxendicem. Habes igitur meam quàm breuiſsime potui, de uenæ ſectione in pleuritide ſententiam, de qua audio ferè omnes, qui alicuius in Europa nominis ſunt, medicos, proximis annis ſcripſiſſe: quamuis nullius commentaria in ea materia mihi uidere hactenus contigerit: quæ ſi legiſſem, fortè argumentorum ui, aliter me & ſentire & ſcribere coëgiſſent. Non enim ego is ſum, qui (quod aiunt) mordicus adeò mea dogmata tuear, ut melius ſentientibus libenter non acquieſcam.

*Spodium.*

Quæris ſecundo, quid ſit Spodium, quum Dioſcori. & Galenus inter mineralia computauerint: Auicen. radicem cannæ dixerit, ui uentorum exuſtæ: alij pro eo rem quandam uenditent, quam, ut uendibiliorem fortè reddant, ex elephanti gutture conſtare dicunt. Ego, ut paucis rem abſoluam, dico Spodium proculdubio inter metallica numerandum, magnæq; affinitatis eſſe cum Pompholyge: utrunque enim fit liqueſcentibus in fornace ære uel Cadmia, in hócque ſolum differunt, quòd Pompholyx tecto parietibúſque fornacis hæret: Spodium ceu ponderoſius ad terram cadit. Adeò autem præſtat Pompholyx Spodio, ut Galen. nunquam ſe uſum Spodio dicat, quia Pompholygis copiam multam habuerit.

*Põpholyx.*

Ex quo licet aduertere proximi ſeculi ad noſtra uſque tempora inſcitiam, quando plerique noſtri pharmacopolæ non modo pro Spodio uiliſsimum Antiſpodium, exuſtarum uidelicet cannarum cinerem magno precio emunt, ac præferunt. Sed nec Antiſpodium: nam adulteratam Pompholyga uocat iſtas cannas eius libri autor, qui ad Paternianum de Simplicib. ſub Galeni nomine inſcribitur. Hunc igitur iſti, utroque, hoc eſt, uero Spodio & Pompholyge reiecto, accipiunt, & in nobiliſsima medicamenta, ad cordis uidelicet & iecoris robur compoſita, admiſcent: quum tamen ſi Antiſpodio utendum erat, parata ferè ubiq;

locorum eſſent ficus, caprificus, myrtus, oleaſter, cydonia, lentiſcus, atq; alia permulta, ex quibus uſtis Antiſpodium, Dioſcoride & Plinio teſtibus, facile parari poteſt. Et ſi fortè iſta deerant, non poterant deeſſe craſſa lintea, quæ cum aliis ab eiſdem autoribus ad cõfectionem Antiſpodii ſcribuntur idonea. Alioqui quæ neceſſitas cogit nos, ut relicto Spodio, Antiſpodio utamur? quum tanta copia ueri Spodii ſuppetat, quãta & æris. Vbicunq; enim ſunt ærariæ fodinæ, & fornaces, ibi Spodium colligi ualet. Neq; ſolum ubi fornaces ſunt æs excoquentes, ſed etiam in argenteis Spodion reperitur, Dioſcoride teſte, & Plinio quoq;, qui Lauritim appellari dicit: atq; ſimiliter in aurariis. Fit etiam eiſdẽ autoribus ex plumbo. Quin ipſum quoq; plumbũ quodam certo modo paratum, quem Plinius indicat, præfertur Spodio. Quòd ſi Spodium, atq; etiã ea quæ numerauimus Antiſpodia deſuerint, habemus apud ſeplaſiariũ quenq; Pompholygen, uulgò Tutiam uocatã, qua præſente, non eſt ut quiſpiã (ſi Galeno credimus) uel Antiſpodium uel etiã Spodium quærat: niſi fortè amore nimio Auicennæ deceptus, Spodium ſuum credat cor & uentriculum roborare. Quod ego nõ magis illi credo, quàm Serapioni, à quo ferè ad uerbum, quæcunq; de Spodio ſcribit, exſcripſiſſe uidetur. Huic uero quàm parum hac in re credendum ſit, uel ex hoc colligi poteſt, quod Dioſcoridem & Galenũ affert de uiribus eius ſcribentes, apud quos nulla eſt illarum mentio, ſicuti nec ullius uel Spodii uel Antiſpodii per cannarum exuſtionem facti. Quanquam incertũ eſt Serapionẽ de hoc loquutum: uidetur enim potius de alia re eo capite ſermonem habuiſſe, quam Satuuſcir uel Reſcius uocat, quum Auic. ſuum Spodium, ut noua habet editio, Thabaiſir uocauerit. Quicquid tamen id ſit de quo ſcribere ibi uoluit, certum eſt quòd nõ eſt Spodium Dioſcor. & Galeni: de hoc enim egit ipſe Serapion cap. 422. ſub Tutiæ nomine, modúmq; docuit faciendi Antiſpodia, ex Dioſcoridis uerbis: licet non Antiſpodia ipſe uocet, ſed uicem Tutiæ ſupplentia. Quem etiã Auic. imitatus eſt cap. 5. ſupra ſeptingenteſimũ, non abſq; tamen (ut ferè ſolet) errore: qui occaſionem quoq; errandi Simoni Genuenſi & aliis dedit. Ait enim, id quod deorſum cadit dum fit pompholyx, eſſe Climiã, quæ nominatur Succudus: oblitus eorum quæ ſcripſerat de Succudo, cap. 669. ubi uidetur putaſſe Succudũ eſſe plantam, non rem metallicam: calidúmq;, nõ frigidum. Quod ſi quiſpiam errorem eſſe librarii dixerit, non Auicẽnæ, legendúmq; non Succudum, ſed Deſcudiũ, negare tamen non poterit Climiam, quæ Græce Cadmia dicitur, eſſe rem diuerſam à Pompholyge & Spodio, uel ipſomet Auicenna teſte, qui in litera C, de duplici ſcripſit Climia, & in hoc cap. ex ipſa fieri Pompholygen teſtatus eſt. Quare fateri oportet, uel Climiam eſſe rem diuerſam à Pompholyge, uel idem fieri ex ſeipſo. Sinamus igitur Auicennam cum ſuis cannis ludere, & Pompholyge quando opus fuerit utamur, atq; ea præcipue, quam Germani adeò publice Nil uocant, ut in iocum apud eos abierit, Nil oculis prodeſſe. Eſt enim hæc candida, atq;, ut Dioſcor. placuit, adeò leuis, ut efflari poſsit. Hæc ſunt quæ mihi occurrunt ad tua quæſita reſpondenda, in quibus ſi quid fortè te offenderit, ætati & ualetudini ueniã dato. Vale. Ex Ferraria, Idibus Iuniis, M. D. XXIX.

*Lauritis. Tutia. Auicẽnæ lapſus in Spodio. Serap. error. Genuẽſis lapſus. Succudus. Climia. Cadmia.*

## EPIST. VI. *ad Dominicum Fonteium medicum Brixienſem, de nonnullis ſimplicibus.*

SErus reſpondeo, uariis preſſus negociis, ſed duabus præſertim epiſtolis, conſilia quæ uocantur: in quarum altera mihi negociũ fuit cum tribus non infimi nominis medicis, ſecus quàm ego de ægroto quodam ſentientibus; mox tamen ut reſpirare occepi; epiſtolas tuas quæſiui, diligentiúsq; perlectis reſponſionem aggreſſus ſum. Vt igitur à poſtremis exordiar, ualde mihi moleſtum fuit intelligere, tantam in hominibus illis regnare ingratitudinem, ut nec uerbis quidẽ ſe gratos oſtendant: quod certe nõ tam tua quàm mea cauſa doleo: uidere enim mihi uideor, te nouas ſedes quærere, atq; eas fortè tam à nobis ſemotas, ut mutua hac literarum uiciſsitudine nos priuari oporteat. Quãdiu igitur licet, demus operam, ut per literas inuicem alter altero perfruamur, & mutuo attritu, uel ſcintillam aliquam ueritatis eliciamus.

Meſuen ſæpe erraſſe, & prima noſtra epiſtola, & in eum annotationibus oſtendi. Neſcio tamen ſicubi minus errauit, quàm in Fumaria: de temperatura ſiquidẽ eius melius longe ſentit quàm Auicenna, frigidam dicens: acris enim & amara qualitas in ea uincens, caliditatem præ ſe fert, quæ ab exigua acerbitate remittitur quidem, uerum nõ tota obtũditur. Modice igitur adeò caleſcit, ut, teſte Aëtio, in febribus tutò dari poſsit. Tum etiam obſtructiones hepatis ſanare, & multas urinas bilioſas prouocare, haud leuia indicia ſunt caloris. Multo magis quàm Auicenna errauit Serapion: ea quæ de hac herba ex Dioſcoridis & Galeni ſententia refert, nõ ex eo capite accipiens, ubi de ea ſcribunt: ſed à capite in quo de Gingidio agunt. quæ tamen ab Arabibus ſumpſit, de ipſa fumaria uidẽtur dicta. Auicenna uero quæcunq; ſcribit capite de Fumo terræ, ex his accepiſſe uidetur, quæ de fumaria ipſa ab autoribus ſunt ſcripta. Aliis tamen in locis ſuæ medicinæ, quæ de Gingidio ab illis ſunt tradita, Fumo terræ adſcribit. Mirum autem, quòd omnes quaſi de cõpoſito præcipuas uires, quas ad oculos habet, à quibus & nomen καπνὸς accepit, intactas dimiſerint. Quod uero uim haberet uentrẽ molliendi, & uentriculum roborandi, à quodam idiota inuentum eſt tempore Galeni.

De Eupatorio ego quoq; ſemper dubitaui, an eſſet uulgare hoc Agrimonium: eo tamen libẽtius uſus ſum, quàm uulgari illa Eupatorio, paſsim apud nos naſcente, cui præter folia quæ aliquo pacto cannabim referunt, nihil eſt cum Dioſcoridis pictura cõmune: quam tamen ut certò ſcio non eſſe Eupatorium, ita certe neſcio quid ſit: ſicuti nec Agrimonium, ſi non eſt Eupatorium. Adde his, quæ nunc ignoramus, etiam ueram Argemonem herbam, ſi qua eſt alia, ita ad amuſsim à Dioſcoride effigiatam, ut ferè ſub oculos poſita uideatur: quæ tamen ad hanc uſq; ætatem ſemper mihi fuit incognita, nec hactenus inueni qui doceret, tanta fuit noſtris magiſtris cæcitas: inter quos putabantur excellentiores, non qui hæc aut alia ad curandi rationem neceſſaria melius callerent, ſed qui in publica corona, dialectica problemata maiore linguæ uolubilitate, audaciúsque (ne dicam impudentius) clamitando diſputabant.

Vnde factum eſt, ut ſimplicia medicamenta, etiã quæ notiſsima erant, uel penitus ignorẽtur, uel dubia & incerta ſint: ſicuti Pulegium, quod adeò notum antiquis fuit, ut ſuperuacuum putarint ſcribere quale eſſet: nunc uero dubiũ ideo apud te eſt, quia in Mirandulenſi agro nulla lanugine ueſtitur herba, quam pulegium uocant: alibi uero in aggeribus & mõtibus uilloſum, tam mas quàm fœmina conſpicitur, altitudine etiam maiore, quàm Mirandulanũ, odoratiúsq; & colore diuerſum. Nec ſolus es, ſed & Hermolaus in Corollario ambiguus in eo fuit, haud planè ſciri dicens, an Pulegium modo officinis & ruribus uocatum, Calaminthæ genus ſit, an uerum pulegiũ: magnámq; eſſe affinitatẽ Nepetæ, Menthæ, & Pulegii. Addit alio loco his etiam Menthaſtrum, addo ego Siſymbrium, cuius tanta eſt cũ mentha affinitas, ut in eam quandoq; mutetur, teſte Theophraſto. Inter has autem affines herbas, neſcio ſi ulla difficilius internoſcitur, quàm pulegium: quoniã (ut paulò antè dixi) nullus autor eam pingit. Vna tantum nota eſt per quam agnoſci certe ualet, quod ſcilicet (ut Theophraſtus & Plin. ſcribũt) brumali ſolſtitio ſurculi eius ſeiuncti, & in carnario ſuſpenſi florent. Illud quoq; indicium eius eſt non exiguum, ſi nigram bilem purgat, ut dicit Dioſcor. Bibitur autem huius rei gratia cum melicrato oxybaphi, hoc eſt, acetabuli menſura, ut tradit Paulus. Continet autem acetabulum cyathum unum ſemis, eodem autore, hoc eſt, drach. 15. Sunt tamen qui 4. & 20. drachmarum acetabulum eſſe contẽdant, alii 22. Potes igitur, ſi certior fieri cupis, utrunq; experimentũ facere. Ego pro cõperto habeo, uulgare noſtrum pulegiũ, à uero non differre, eóq; quoties occaſio ſe offert, ſecurus utor: proſperéq; cedit in his facultatibus, quas ei autores medicinæ adſcripſere. Tenui & hoc noſtrũ lanugine obducitur, nec ualde creſcit, floſculóſq; purpureos, albóſue circa caulem per interualla ad ſerpylli ſimilitudinem emittit. Neq; putarim Dioſcoridẽ, quod tamen tu cõtendis, cap. de Dictamno, innuiſſe pulegiũ depile eſſe, quum dixit dictamnum habere læuorẽ, & eſſe pulegio ſimilem: ſimilitudo enim in foliorum potius figura intelligenda mihi uidetur, quàm in læuore:

*Fumariã nõ eſſe frigidã. Auicẽnæ error in fumaria. Serapiõis lapſus. Fumus terræ. Eupatoriũ. Agrimoniũ. Argemone. Sophiſtarũ mos. Pulegium. Calamintha. Nepeta. Mentha. Mẽthaſtrũ. Siſymbriũ. Oxybaphũ. Acetabulũ.*

sic enim uerbũ ex uerbo scribit Dioscordes: Herba est Cretica,acris,læuis,pulegio similis,maiora uero & tomẽtosa folia habet.alioqui etiã *λεῖον* λεῖον nõ semper id significat quod pilis caret,sed interdum,& fortè magis propríe,id quod nõ est asperũ,& prominulum. Tomẽtosa autẽ folia dictamni dixi,sicut Hermolaus & Marcellus, *γναφαλιῶδη.* nõ ut tu uelles,gnaphalio similia:γναφαλιῶδη enim legendum esset,nõ γναφαλώδη,ut omnes habẽt codices. Sed & uerba quæ sequũtur(ni fallor)aperte ostendũt,nõ gnaphalio herbæ Dioscoridẽ fecisse similia,sed tomẽtosa ea dixisse,sicuti & lanosa. Vt autẽ in præmissis abs te aliquantũ dissentio,ita in cõclusione tecũ prorsus cõsentio, *Dictamnũ.* nõ esse scilicet eã quæ circunfertur,uerã dictãnum, quod uel hoc argumẽto apertissime constat, quòd dictãnum & caule, & flore caret, & semine, teste Plinio & Dioscoride:uulgaris autem,si qua alia plãta,floribus est refertissima. Adde quòd uera radicẽ,Plinio autore, habebat tenuẽ & inutilem,folijs solũ utebãtur,tanti ea facientes,ut qui legebãt,in ferula,uel arũdine conderẽt, ne eorũ uis euanesceret.Radix uulgaris huius nostri,satis crassa est,& sola in usu habetur,neglectis folijs,quæ *Dictãni folia usui eße, non radicẽ.* tamen(ut diximus)sunt in uera utiliora.Quod non Plinij modo testimonio cõstat,sed etiam Galeni,inter herbas Theriacen ingrediẽtes,non inter radices eã connumerantis.Sed & Democrates cõponere Theriacen carminibus suis docens,ait,κόστου τι λευκοῦ, καὶ ἔτι δικτάμνου πόας. hoc est uerbũ ex uerbo,Costiq; albi, & dictãni herbæ. Vide igitur quãtis in tenebris uersati sint patres nostri, uiri alioqui summo ingenio prẹditi,erroréq; potius seculi,quàm uel incuria,uel inscitia impediti:cæcos enim duces habebant,cum quibus eos quoque cẹcutire erat necessarium.Vt enim à proposito non recedamus,si ad *Auicẽnæ lapsus.* Auicen.accedebant,uidebãt eum cap.472.secundi libri, dictamnum cum pulegio cõfundere:& præterea,quod balatũ facere in ouibus scribit Dioscori. sanguinem ab eis emungi interpretari:statimque ad dictamni species conuerti,deincepsque ad pulegij medicinas, quas etiã imperfecte scribit,prætermissis in totum dictamni peculiaribus uiribus.Et cap.158.eiusdem, pari confusione miscere origanum & calamentum , hoc fluuiale,illud *Mesue lapsus.* montanum nominando.Sin Ioan.Mesuen consulebant in Diacalaminthes præparatione,pro pulegio mõtanũ calamentum legebant, & pro ipso calamento , quod mõtanum esse debet,fluuiale:quem errorem etiam sequutus uidetur Auicen.in 5.in eiusdem Diacalaminthes confectione,ubi calamẽtum uocat fluuiale,& pulegiũ, campestre calamentum.Sed uide quomodo ad enarrãdos Arabum errores imprudẽs me cõuerterim:quibus ita scatent,ut non epistolis ostendendi sint,sed magnis uoluminibus explicãdi.Ad epistolas igitur tuas redeo. *Typha.* Typham me quoq; pluries uidisse arbitror.Vtinam Typha quoq; mihi esset pariter agnita: in hisce enim frumentaceis discernendis,multũ ambigo:quod certe nemo mirabitur, qui Galenum legerit tam scrupulose in his incedentem.Proxime autem accedo ut credam Typham ita similem tritico,ut triticum putem. Eos enim non improbandos dicit Galenus,qui eam paruum triticum uocant,adeò est illi colore,densitudine,uirtuteq; similis.Sed & Theophrastus per quàm simile dicit tritico,& mutari in id,si pista feratur.In eo autem differre à tritico,quòd lẽmate,id est,folliculis tegitur,sicuti *Hordeum. Olyra. Siligo.* Hordeum & Olyra,quam Siliginem uocat Plinius:unicum etiam tenuem culmum habet,& magis flaua est. Sed in hac epistola diutius fortè quàm opus esset immorati, ad aliam accedamus.

*Lysimachia.* Lysimachia Caranzono medico missa , ad manus meas peruenit,sed in agro etiam nostro frequens uisitur.Flos dubitare adhuc nos facit,atque Leoniceni au- *Corneola.* toritas,qui herbam,quam infectores Corneolam uocant,ueram Lysimachion esse,ad aras usque,in secunda editione de Plinij & aliorum medicorum erroribus cõtendit.Autoritas dico,nam quas affert rationes,non satis mihi persuadent:siquidem nostra Lysimachion, & in aquosis locis nascitur, & folia tenuia salici similia ẹmittit,sicuti Corneola uocata. Horum igitur indiciorũ gratia non minus dici Lysimachion debet, quàm illa. Quod uero Corneola aureo flore ornatur,non purpureo,nec Plinio repugnat(ut credidit Leonicenus)nec esse ueram Lysimachion probat. Aduersum quidem Plinium esset,si constaret Corneolam uocatam, quã uisus ipse testatur aureum, non purpureum florem habere, esse ueram Lysimachion:sed quum hoc probatum nõdum sit,non est ante manifestam probationem crimine falsi Plinius condemnandus. Dioscoridis enim testimonium nihil facit aduersus Plinium: nam præter id quod Iurisconsulti singularem testem non admittunt, testimonium eius non est Plinio contrarium. Antiqua enim ac noua Dioscoridis exemplaria,florem Lysimachij esse purpureum,uel aureum dicunt.Plinius purpureum,non habita aurei mentione. Sciunt autem dialectici,tam recentes quàm ueteres,disiunctiuam enunciationem neutri ex suis partibus aduersari. Noui præterea ex utrauis parte totam asserunt inferri disiunctiuam. Et hæc quidem dicta sint pro Plinio. *Plinio patrocinatur aduersus Leonicenum.* Quod uero ex argumento floris aurei non probetur Corneolam esse ueram Lysimachion , notius est quàm ut à me probari debeat. Sunt siquidem aliæ multæ herbæ flore aureo.Eodémque argumento utar in nostra,imò tãto fortiori,quanto manifestius tam Dioscoridis quàm Plinij innitetur autoritati.Dioscorides enim Lysimachij florem purpureum uel aureum dicit:Plinius purpureũ. Neutrius igitur sententia nostro flore purpureo constanti, aduersatur: quum suo, id est, Corneolæ, Plinius manifestissime contradicat. Stat igitur nostra Lysimachion fortior duorum sustentata testimonio,quàm sua unius.Nec uideo etiam quare cogatur Plinius (ut Leonicenus ait)aureum fateri Lysimachij florem , nisi uelit cognominem illi lapidem , aureis insignem uenis , temere idem nomen fuisse sortitum . Nam ut mittamus cognomines non esse, quum herba Lysimachum, uel Lysimachion dicatur , lapis Lysimachus: potest lapis *Lysimachus lapis.* idem nomen meruisse,uel quia ab eodem Lysimacho inuentus sit,à quo & herba,uel quòd similibus uirtutibus polleat,uel ex alia quauis potius causa , quàm ex floris cum uenis illius lapidis similitudine. Alioqui neque flos est qui Lysimachion dicatur , sed herba ipsa quæ Salici similis est, non uenis lapidis . Non uidetur præterea notandus Plinius , si fumum, quem Lysimachion mittit,non acerrimum,sicut Dioscorides , sed grauem uocat. Nec ustionis meminit:non enim Dioscoridis,uerum naturæ interpres fuit , naturalem uidelicet historiam , & ab ipsa natura, & à diuersis autoribus acceptam describens. Rationes igitur quibus suam Leonicenus Lysimachiam asserit , non tantarum uirium sunt,ut nostram omnino reijciant:sed (ut dixi) hominis potius autoritas est,quæ me ambiguũ reddit: quæ licet magni momenti sit,non tãti tamen quin plus ponderet sensus. Sed nescio quo pacto à tuis epistolis ad Plinij patrocinium nostra deflexit oratio, quãobrem ad illas , defensione Plinij alijs dimissa , esset reuertendum . Sed ne diutius iam itineri accinctum tabellarium remorer , huic epistolæ finem faciam:quod reliquum est , in aliud differens tempus. Vale. Ex Ferraria, VII. Idus Quintiles. M. D. XXIIII.

# IOAN. MANARDI EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER XIII.

## EPIST. I. *Ad Bartholomæum Charandinum medicum Mutinensem: quòd plerunque purganda materia non turgens ante concoctionem.*



CVM me plerunq; & in priuatis colloquijs, & in publicis lectionibus audiuisses Hippocrati & Galeno,quorum alter medicinã seruit,alter diligentissime excoluit,inhẹrẽtem: recentiores Arabes , nostratésq; eos sequutos,nulla habita uel ẹtatis uel autoritatis ratione, audacissime taxantem,necnon ab eorũ decretis,si quãdo aliter uidebatur,in operibus artis recedentẽ,summa admiratione affectus es,quòd his quos in minoris momenti rebus depugnabã,in una quẹ maximum habere põdus uidebatur adhærerẽ,purgatorijs uidelicet pharmacis utẽs materia minime turgẽte,nulla præuia cõcoctione:scribẽte Hippocrate in illo famigerato aphorismo:Concocta medicamentis purganda & mouenda, non cruda,neq; in principijs nisi turgeat, multa autem

non turgent. Licet autē mei huius dogmatis rationē te præsente, & legendo, & familiariter colloquendo multoties reddiderim, petiisti tamen, & quasi cũ conuitio efflagitasti, ut quod uoce tenus docuerā, scriptis quoq; mandarē, ut & ea melius posses memorię cōmendare, & his fierent cōmunia, qui uiua (ut aiunt) uoce nō poterant à me doceri: præsertim cum excellentissimi aliquot medici, & antiquitati non minus quàm ego addicti, secus & agerent & docerent. Vt igitur tibi morem geram, quem bonarum artium, & præcipue medicinę, meique studiosissimum cognoui, manum calamo admoueo, & iamiam quod petis aggredior.

Problema quod disputandũ proponitur, tale est: Liceátne, nulla præcedente per syrupos uocatos concoctione, purgantibus medicamentis uti. Quod problema disputaturi, Aristotelis doctrinam sequentes, ante omnia, ut in nominibus cum aduersariis cōueniamus, intelligántque quid sit id de quo disputatur, uidēdum, quid digestionis, quid syruporum, demum quid purgantis medicamenti uocibus significetur.

*Concoctio quid, iuxta Aristo.*

Primum aggredientes dicimus, id quod Græci πέψιν, nostri digestionē, & qui Latiniores uideri uolunt, concoctionem uocāt, in quarto Meteorologicorum libro definiri ab Aristotele perfectionem à proprio & naturali calore ex oppositis passiuis. Quæ uero sint huiuscemodi opposita passiua, ipsemet declarat, dicens: Hæc autem sunt, propria cuiusque materia: ubi enim cocta fuerit, perfecta iam est & facta: principiúmque perfectionis à propria prouenit caliditate, etiam si ab exteriore quopiam auxilio simul perficiatur. Sicuti esca per balnea, aut quippiā aliud tale concoquitur. Sed principium quidem est caliditas, quę in ipsa existit: finis autē, his quidem natura, id est, species & substantia: his uero in subiectam quādam formā, finis est coctionis, quando tale tantúmq; factum fuerit humidum. Nihil igitur aliud uidetur apud Aristotelem esse digestio, quàm operatio quædam caloris naturalis in qualitates passiuas, cuius finis est uel species, uel qualitas quædam, & quantitas humiditatis.

Ex his autem sequitur, errasse recentiores nonnullos, qui Auerroim sequentes dicunt digestionem apud Aristotelem in eo loco non alterationē, sed alterationis terminũ significare. Quomodo enim digestionis finem doceret, si ipsam digestionem finem & terminũ esse putaret? Sed númne uidebant Aristotelem in fine præcedentis tractatus, se dicturum pollicentem, operationes actiuarum qualitatum, generationi & corruptioni affines? atque in ipso statim huius tractatus initio, pepsin, coctionémue calori adscribentem, atq; in maturationem, elixationem, & assationem, ueluti in species diuidentem? quas & ex ipsis nominibus, & ex propria cuiuslibet earum definitione, actiones esse, non actionis terminos cognoscimus. Est enim maturatio, coctio quædam seminis in pericarpio, hoc est, in eo tegmine, quod ad fructus tutelam natura fabricauit. Operationem uero per hanc, non opus terminúmue significari, ostendit Aristoteles, dicens: Quoniam concoctio perfectio quædam est, tunc maturatio perfecta est, quando ea semina quę in pericarpio sunt, tale aliquid facere possunt, quale ipsum pericarpion est. Constat igitur maturationem de qua Aristoteles loquitur, longo tempore seminis maturitatem, quæ finis & terminus eius est, anteire. Quod cum pariter de elixatione & assatione dicere oporteat, quę & ipsæ concoctionis species sunt, necessarium est earum genus, hoc est, concoctionem, operationem esse, nō operationis terminum. Nec perfectionis nomine, quo ueluti sub genere continetur, rem perfectam, sed mutationem quę in eam tendit, designari. Sed postquam de philosophorum digestione, plura fortassis quàm opus esset disputauimus, ad nostram, hoc est, medicorum digestionem accedamus.

*Pepsis duplex secundũ medicos.*

Pepsis, hoc est, concoctionis uel digestionis nomine, in duplici etiam transmutatione utuntur medici: naturali uidelicet, quæ circa escam uersatur, & nihil aliud est, quàm alteratio nutrimenti ad propriā nutriti qualitatem: & altera, quæ circa putridam uersatur substantiam, & est alteratio cessare faciens putredinem, manēte substantia. Conueniunt autem ambę inuicem. Primo quidem in genere, quia utraq; est alteratio. Secundo in agēte, quia ab eodem calore fiunt, hoc est, naturali, qui nihil aliud est quàm potestas per solida corpora extensa: qui tamen in prima solus, in altera coagētem secum habet calorem præternaturalem. Et propterea si id quod in prima concoctione concoquitur, similem naturam habet concoquenti, aut totum aut certe nota digna eius pars in substantiā aliti mutatur, exigua eius portione semicocta remanente. E contrario autem fit in secunda, quoniam uel nulla pars rei concoctę transit in substantiam concoquentis, uel exigua eius portio. Si enim humor qui concoquitur, talis naturę sit ut mutari in substantiam aliti possit, nec putrefactio magna sit pro modo putrefactionis, plus minúsue eius transit in substantiam nutriti. At si uel putrefactio magna sit, uel humor natura sua talis, ut assimilari corpori humano, & conuerti in eius substantiā nequeat, similis quidem ad quendā modum fit membris solidioribus, sed non adeò, ut in eorum substantiam cōuertatur. Quare nec in utraq; bile, nec in salsa pituita expectanda est uera & perfecta concoctio, quoniā ultra modum assi hi humores sunt, & ueluti exusti, à moderatóq; sanguine per superfluentem coctionem recesserunt. Sola autem pituita dulcis & acida, quoniam citra temperamētum sanguinis, præ cruditate remanserunt, ita concoqui ualent, ut in bonum sanguinem, & demum in substantiā membrorũ conuertantur. Vtraq; uero bilis, & salsum phlegma, & ichores, quum ita concoqui non possint, ut in substantiam mēbrorum uertantur: satis pro modo suo concocti erũt, quādo solidis mēbris quadantenus similes effecti, & à natura superati, apti redditi fuerint, ut uel ab eadē natura per se, uel cũ artis adminiculo expellātur. Et hoc est generalius concoctionis significatũ, iuxta quod & pus, & lotium, & reliqua excremēta, concocta medici nũcupat. Et hæc quidem de concoctionis nomine dicta sint: quod licet apud medicos quandoq; opus significare possit, in hac tamen nostra disputatione, solam nobis significat operationem.

*De syrupis.*

De syrupis uero, primo circa nomē aduertendum, uideri hanc uocem, si Græca est, ab ὀποῖς, hoc est, succis, & σύρω uerbo, quod Latinis est traho, deductā. Nō inuenio tamen medicos Græcos ea usos: quare fortè ab Arabicis ad nos uenisse putāda est, qui ea uoce utũtur in succis uel decocto cũ aliqua re dulci inspissatis. Scio tamen & Latinos autores eadem uoce, sed in alio significato usos. Quātum uero ad rem ipsam attinet, medici, annis plus minus trecētis, ad concoquendos humores syrupis usi sunt, ab eáq; ui, quam inesse illis putabāt, digestiuos uocarunt: apud eos enim cōcoctio, digestio, & cōcoquere, digerere dicebatur: qua uoce noui ex Græca in Latinā linguā medicinæ interpretes, periculosa æquiuocatione, alij quidem in discussione, seu resolutione, alij in diductione & transitu nutrimenti ad membra utuntur. Sed dimissa uocum lite, illud potius discutiamus, an syrupi quibus nunc passim utimur, uim habeant digerendi, seu quod idem est, concoquendi.

*An syrupis insit uis cōcoquendi.*

Ad quā dubitationem breuiter ex his quæ de concoctione declarata à nobis sunt respondentes, dicimus, si propriè & uerè loquamur, nullũ ex uocatis syrupis, qui uulgò confecti inueniuntur, uim habere concoquendi: hoc siquidem munus & priuilegiũ, soli calori naturali debetur: ipse enim est, qui quocũq; triũ modorũ, quos prius recitauimus, loquamur, concoctionē facere potest, & ei soli referri debet accepta. Post ipsum uero naturalem calorē sunt nonnulla, quæ quatenus calorem ipsum uel fouēt, uel augent, eatenus ad cōcoctionē cōducunt, & eā aliquo pacto adiuuant: qualia sunt quies, somnus, modica excalefactio, ciborũ boni succi modicus esus, uini parum calefacientis potus. Modicè uero calefaciunt moderata frictio, usus aquarum calidarum commoderatus, pharmaca atq; edulia etiam temperatè calefacientia: adde, si placet, & cataplasmata. Ex syrupis igitur tantũmodo ij ad cōcoctionē cōferunt, qui ad quodpiā eorũ quæ numerauimus, cooperantur, calorémq; naturalem aliquātisper roborāt: quod in paucis admodũ agnosces, si eorũ uires methodo quadā uestigaueris. Quosdā enim inuenies alterantes, quosdā uacuantes, quosdam utrunq; pollicentes, & ex alterantibus alios calidos, alios frigidos, alios humidos, alios siccos. Atq; in uniuersum, quicunq; corpus uel corporis humores de una qualitate in aliam transmutāt, siue illa qualitas inter primas, siue inter secundas & tertias sit, alterantes dici debent. Et ex uacuantibus, alios per uentrem, alios per urinā, alios per cutis occultos meatus materiam educentes. Ex his autem omnibus, soli hi concoctioni seruiunt, qui calore, odore, adstringendi

ui, uel

ui,uel ſomnum augendo,calori naturali adminiculum ferunt. Quæ cum paucis inſint, ſequens eſt,ut pauci ſint,qui uel ex accidenti mereãtur dici concoctioni deſeruientes.Non enim accedendum Druſiano,à ſolis frigidis & ſiccis ſeu putredini contrarijs,iuuari hanc naturæ operationem aſſerenti:prohibent enim eam potius ne fiat,quàm factam concoquant. Et hæc quidem de ſyruporum & nomine & ui dicta ſint.

*De medicamentis purgantibus.*

*Elaterium.*

De purgatorijs uero medicamentis illud in primis aduertendum, antiquiores calidis & uehementibus, atq; corpora ualde agitantibus purgatorijs uſos:quod uel ex Elaterij nomine licet agnoſcere,quod Latine agitatorium dici poteſt:quo nomine nõ ſolum in cucumeris agreſtis ſucco,ſed in omni purgãte medicamine utebantur. Videmus etiã Hippocratẽ in morbis acutis,elleboro,& peplio uſum:quorum alterum adeò uehemẽs noſtratibus uiſum eſt,ut eius uſum præ formidine ferè penitus abdicarint.Alterum uel ex ſocio licet agnoſcere.quanquam & ex lacte,quo abundat,uis quoq; eius poteſt intelligi. Eſſe uero hæc calida,ſicuti & alia omnia quibus antiquitas ad purgãdum uſa eſt,ex Galeno uarijs in locis licet ediſcere.In commento enim illius aphoriſmi primi libri,cuius principium, In acutis paſſionibus &c.ait: Omnia id genus ,purgatoria ſcilicet, ſunt potentia calida.Et in aphoriſmo,Sub cane &c.Exuſta tunc natura,eam quæ à purgantibus medicamentis non fert acritudinem.Et lib.4.de uictu morborum acutorum,Quia uehementer mouent & lacerãt,ideo prohibentur.Quoties igitur(ut iam ad diluendam propoſitam quæſtionem accedamus)Hippocra.de purgatorio medicamento mentionem habet,de his intelligendus eſt, quæ ipſe in uſu habebat, quæ & ualde calida erant,& ſua ualida ui corpora uehementius exagitantia,quodammodo lacerabant.At quum noſtris temporibus inuenta ſint multa,quæ uel frigida ſunt,uel modicè calida,qualia ſunt ſiliquæ Aegyptiæ interiora,uel ipſa ſiliqua urens adhuc & tenera cõdita, mel aërium, quod Mannam uocamus,dactyli Indi,quos Tamarindos Arabica lingua appellant,roſarum & uiolarum uel ſuccus,uel aqua in qua maduerint, myrobalanorúmq; nonnulla genera,& pleraq; alia,quis ea dixerit ab Hippocrate ſimul cũ calidis illis ſuis & acribus uetita,quũ ab eo fuerint uel penitus ignorata,uel inter purgatoria minime computata?præſertim quum uideamus ipſum aſinino lacte & ſero uſum.Sed nec de his quoq; uidetur Hippocrates loquutus, quæ ex fructibus quibuſdam contecta,mellé q; uel apum,uel eo quod Sacchar antiqui uocabant,uel zuccharo uulgari condita,nonnihil, exiguum tamen id,recipiunt ſcammonij, & antea per aſſationem in cotoneo mâlo repreſsi ac caſtigati,uel alterius cuiuſpiam antiquorum purgatorij: & cum magno modo liquoris alicuius frigidi diſſoluta,purgationis leuis gratia à recentioribus medicis in morbi initio propinantur. Quæ quum qualitatibus his penitus careant,ob quas ſua ipſa purgatoria antiqui prohibebant,careãt etiam neceſſe eſt his ſymptomatibus,quæ illa materia non concocta exhibita ægrotantibus inferebant.Quod præter rationem,quotidiana quoq; demonſtrant experimenta. Deum ego immortalem teſtor,me,qui iam octo ſupra quadrageſimũ annos medicinam uarijs in locis profeſſus, in febrium putridarum principio,niſi aliquid aliud prohiberet,ſiliquæ Aegyptiæ liquore uſum,adiecta tertia parte medicamenti,quod per dactylos uel pruna ſeplaſiarijs ubique patet,nullum ex tali potione unquam cognouiſſe ſequi ægrotantibus incommodum; quin potius modicam,& abſque ulla notatu digna noxa,purgationem. Alioqui neque modus hic euacuationis ab Hippocratis dogmatibus multum abhorret. Scribit enim ſecundo libro aphoriſmorum:Inchoantibus morbis ſi quid uidetur mouendum,moue. Quem locum enarrans Galenus,docet interdum ab initio morborum ſalubrium purgationẽ eſſe faciendam,ut minorem iam factã materiã natura ualeat facilius concoquere.Ex quibus uerbis & nomẽ & rem ipſam ſumpſiſſe uidentur recentiores,purgationis quam ab initio febrium putridarũ faciunt.Id autem quod interdum Galenus faciendũ dicit, temporibus noſtris crebrius,imò ferè ſemper faciendũ eſt: ſiquidem noſtro hoc ſeculo corpora humana longe magis quàm Hippocratis temporibus repleta morbos incurrunt.Antiqui enim,uel parum,uel nihil mane comedebãt,quotidianiſq; exercitationibus, frictionibus,balneis,ciborũ ſuperflua diſcutiebant,nec tot eſcarum uarietatibus,támq; peruerſo earum ordine utebãtur.Quis enim eſt uel ex infima plebecula,modo miſera paupertie non laboret,qui olera,earúmue radices,legumina,fructus,iuſcula,panem,caſeum,carnes, piſces, lagana,orbiculos,placentáſque uarijs ex rebus confectas,ut ſors fert,abſq; ullo uidelicet ordine, in eodem uel prandio uel cœna non ingurgitet?quũ legamus antiquos,& quidem Athletas,mane ſolo pane,ueſpere ſolis carnibus uictitaſſe.Si igitur Hippocrates ſobrio illo ſeculo purgandum quandoq; iuſsit in morborum initio,quanto nos id audacius agemus in his qui quotidianis ferè crapulis æſtuãtes,oppletis præ cruditate primis nutrimenti uaſculis, morbos ex immodica repletione incurrerunt?Nec eſt ut quiſpiam dicat, Hippocratem in aphoriſmo de morbis his loquutũ,quorum materia inſtar furibundi & maniaci hominis,uel animalis ſtimulis ueneris agitati,ſtare loco nequit,ſed hucatq; illuc irrequieto motu fluit & refluit. Quandoquidem id in laterali morbo Hippocrates iuſsit,in quo materia nõ de loco ad locum uagatur,ſed ad unicam mouetur, ad certam uidelicet ac determinatam ſedem,ubi facere cœpit inflammationem.Et Galenus ad eum morbum trahens aphoriſmum,interim prima,interim ſecunda, interim quarta,& quandoq; quinta die pharmacum purgatorium,libro quarto de uictu in morbis acutis,ſe dicit exhibuiſſe.In quibus uerbis & illud aduertendum, multos fruſtra,imò cum ægrotãtium non leui damno, uereri,ne pharmacum præbeãt uel uenam ſecent in die uel iudicatorio uel iudiciali.Vt enim fugiendum, ne eo die fiat euacuatio per artem,quo iudicium facit natura, ita ſecurè & purgatio & uenæ ſectio fieri poteſt,quocunq; die,etiamſi de numero criſimorum ſit,modo iudicium in ea nõ expectetur:quarta enim die purgationem ſe feciſſe loco adducto Galenus teſtatur.Et in libro curatiuo de uenæ ſectione,ad animæ uſq; defectum ſanguinem miſiſſe. Sed hoc obiter dictum ſit,fortè alio tẽpore fuſius cum alijs medicorũ circa criſes erroribus explicandum:ad idque reuertamur, quod nobis nunc eſt principale propoſitum. Diximus enim Galenũ nos opere docuiſſe,non ſemper,materia etiam non turgente,ante purgationem expectandam eſſe cõcoctionem, ſed in principio pleuritidis,dolore ad præcordia deſcẽdente,materiam inflammationem facientem,plerunq; iuxta Hippocratis decretum per purgationem euacuaſſe.Dicimus quoq; nos ab eodem Galeno didiciſſe,quoties uenæ ſectione egẽs eam detrectat,uicariam ei ſubijciendam copioſiorem purgationem. Quod cum ita in principio,ſicuti materia iam concocta poſsit contingere,ſequitur,eo caſu recte in principio poſſe fieri purgationem.Ipſe præterea primo libro de cõpoſitione medicamentorum ſecundum loca,nulla præcedente cõcoctione,aliáue præparatione,utranq; bilem & pituitam purgat in alopecia. Atq; paulo pòſt idem facit in manantibus capitis ulceribus,quæ Græci uocant ἀχῶρας. Et libro ſecundo in capitis dolore, & decimotertio libro methodi,uidiſſe ait multos,quibus inflãmatio in oculis cœperat, ſola per inferiorem uentrem purgatione una die curatos. Hippocra.etiam in uulneribus & fracturis,& in epidemijs plerũq; purgatione utitur,abſq; ulla concoctionis mentione.Atq; ut uno uerbo me expediam,uix inuenies Galen.in alijs à febre morbis, uel molientem eam,uel expectantem:neq; unquam inuenies,aut eum,aut Hippocratem,ueram concoctionem per ſyrupos nunc uocatos facientem.Veram dico,quoniam præparationem & corporis,& humorum quãdoq; fieri iuſſerunt:cui per quandam abuſionem recentiores Auicennam ſequuti nomẽ cõcoctionis attribuere:quum tamen à concoctione uera longo diſtet interuallo.Quod enim uerè concoquitur,ideo cõcoquitur, ut quãtũ fieri poteſt,ſimile euadat concoquenti.Quod uero expulſioni paratur,quanto magis id patitur,tanto redditur animali diſsimilius,atq; ab eius natura magis alienum.

*Veterum in uictu moderatio.*

Præterea concoctio fit à natura, non ab arte: illa è contrario, ab arte potius quàm à natura. Concoctio humorum conſeruat ſubſtantiam: illa eos diſſecat, attenuat, & quodammodo conſumit. Concoctio eſt tantummodo putridorum:illa non putreſcentibus etiam adhibetur,& animalis particulis. Concoctio eſt omniũ humorũ putridorũ:illa ſolũ tenaciũ aut craſſorum.Quare ſi demus illis,ut quocunq; libet modo loquantur,

quantur,& quācunq; materiæ euacuandæ & corporis præparationem,cōcoctionē uel digeſtionē uocēt,certè nunquam nobis oſtendent,Hippo.aut Galen. in tenuibus humoribus,ſiue eos imbibant uaſculorum parietes,ſiue in uaſculis ueluti fluctuent, aliqua uti præparatione:ſed in his tantum,qui præ craſsitie uel tenacitate, diuelli à ſuis ſedibus nō poſſunt. Corpora enim, inquit Hippoc.ubi quis purgare uoluerit,oportet bene fluida facere. Quis autem non uideat eos humores melius fluere qui ſint tenuiores,& lentore omni prorſus carentes? Tunc enim, inquit Galenus, purgatio bene procedit,cum humores craſsi,tenues facti fuerint,& tenaces præciſi,& meatus aperti, per quos tranſmittuntur. Et in fine commentationis ait: Corpus bene fluidum eſt, meatibus quidem omnibus reſeratis,humoribus uero inciſis atq; tenuatis, ſi alicubi in corpore fuerit humor craſſus & tenax. Et in expoſitione aphoriſmi penultimi libri primi,tunc humores eſſe ait ad fluendum facilimos,cum fuerint tenues,& nullo lentore participantes, apertiq; meatus per quos fieri debet purgatio, & nullam obſtructionem habentes. Idem ſcripſit libro 5. in ſextam epidemiam. Libro demum methodi ſeptimo, ne uidear ambitioſe multa loca quærere, clarè adeò hanc rem opere mōſtrauit, ut inueniri nō putem idiotam ita rudem, qui intelligere non poſsit, eum id uoluiſſe. Vitioſos enim humores in tunicis uentriculi receptos,nullo præuio apparatu,docet purgare per picram,aut per aquam mulſam, in qua ſit coctum abſinthium. Tenacem uero pituitam uentriculo annexam, incidi iubet ante purgationem. Si igitur de hac humorum præparatione loqutus eſt Rhazes,quæ improprie concoctio uel digeſtio dicitur, immeritò ab Auicenna reprehenditur, Galeniq; clypeo munitus, facile defenditur. Intētio quippe huiuſcemodi humorum digeſtionis nihil aliud eſt, quàm inciſio & attenuatio: non, ut dixit Auicenna, ſubſtantiæ adæquatio ad euacuationē facilem parans. Quāto enim materia tenuior eſt,& lentore magis carēs, tanto minus reſiſtit medicamini eam trahenti, & per meatus atque emiſſacula facilius pertranſit. Quis enim neſciat aquam puram & limpidam, facilius & fluere & trahi,quàm terroſam & lutulentā? feſtucáſque tenuiores à ſuccino, & acus à magnete, quàm ab illo magnas paleas, & ab hac clauos melius trahi? At ſi de propria uel de utraque loquutus eſt concoctione,longe à uero receſsit. Per ueram enim concoctionem non tenuatur neceſſariò humor, uerum plerunque potius craſſeſcit:imò ſi proprie loquēdum eſt, nec craſsior neceſſariò redditur,nec tenuior,ſed à calore naturali(ut ſuperius diximus) uincitur & ſuperatur: in qua tamē uictoria frequētius accidit ut fiat craſsior, quàm ut tenuior, ueluti ſolidis membris, quæ craſſa ſunt, adſimilatus. Non perdit etiam neceſſario craſsitiem atque lentorem,quem prius habuit, ut ex Galeno colligitur circa finem expoſitionis in ſecundum librum Prognoſtici Hippocr. dicente, ſputum concoctum interdum ob craſsitiem & tenacitatem non expui. Quare contrario modo etiam in hoc ſe habet uera concoctio præparationi:hæc enim id quod craſſum eſt,reddit tenuius:illa quod tenue eſt,interdum facit craſſum. At ſi quis fortè nobis obiiciat Galenum,in libello de cōſtitutione medicinæ dicentem,quod craſſum & tenax eſt,eſſe attenuandum,& quod tenue,craſsius reddendum:dicam(ut uerba ipſa demonſtrant)eū loquutū de his ſuperfluis quæ redire ad naturalē habitum poſſunt, non de his quæ penitus inutilia quum ſint,parāda ſunt expulſioni. Quam præparationem ſi digeſtionis cōcoctioníſue nomine dignamur,triplicem neceſſe eſt redundantium humorū intelligere coctionem. Vnā quidem,& perfectiorem,in his quę ita eā recipiunt,ut conuerti in ſubſtantiā partium corporis reddantur idonei. Alteram in his quæ uitioſiora ſunt, quàm ut mutari in ſubſtātiam aliti poſsint. Tertiam ualde improprie hoc nomen recipientem,qua corpora bene fluida,modo quem ſuperius ex Galeno oſtendimus,redduntur. Primæ finis eſt nutricio:Secundæ,naturæ uictoria:Tertiæ,commoda expulſio. Prima & ſecūda agunt pariter in materiam tenuem & craſſam,tertia tantum in craſſam & tenacem. Quare culpādus Auicēna,qui indiſcriminatim de tribus hiſce generibus loquutus eſt. In eo enim loco ubi docet nō euacuandam materiam indigeſtam,loquitur de digeſtione ſecundo modo dicta. Vbi uero Rhazen taxans,digeſtionem ait eſſe adæquationem ſubſtātiæ materiæ ad facilem expulſionem,de tertia abſq; dubio intellexit. Atq; eodem modo in narratione,ſubtilis,craſsi & tenacis præparatione indigentium,quam prædictæ ſubdit deſcriptioni.

In prima uero aduerſus Rhazen argumentatione, quæ ſi recte legatur,(mendum enim eſt in uulgatis codicibus)ſuper digeſtione ſputi fundatur, digeſtionem accipit ſecundo modo. Secunda uero ratio ſuper ſedimen urinæ fundata, primæ & ſecundæ concoctioni poteſt eſſe communis, licet eam per æquiuocationem trahat ad tertiam. Sed melius fortè fuerit,ut lucidioris doctrinæ gratia rationibus Auicennæ reſpondeamus.

Ad primam dicimus,aliquod ſputū tenue(per ſputum intelligendo materiam ei quæ expuitur ſimilem) poſſe concoqui primo modo concoctionis,id uidelicet quod acidum eſt uel dulce:& hoc quidem neceſſariò craſſeſcere,quia non aliter in membrorum ſubſtantiam,quæ craſsiora eo ſunt,tranſiret. Aliquod ſecunda tātum:& hoc quidem ubi perfecte à natura uictū fuerit,aliquo pacto craſsius fiet:non quòd in hoc ratio cōcoctionis conſiſtat,ſed quòd ex actione uictoriáq; naturalis caloris hoc ſequitur. Tertiam uero nullum tenue deſiderat:quanto enim craſsius fieret,tanto difficilius & à purgante pharmaco traheretur,& per ductus & meatus pertranſiret,quemadmodū ſuperius & Galeni autoritate & ratione monſtrauimus.

Ad ſecundam dicimus, ſedimen in acutis morbis,in principio non deſcendere: quia materia quæ ſecundo concoctionis modo coqui debet,nondum debitā formam adepta eſt. Dicimus etiam tenuitatem ſecundæ concoctionis finem non eſſe,ſed naturę uictoriam:quę cum in conſiſtendi ſtatu, nec antea completa ſit,in eo, non in principio, ſedimen laudabile gignitur & deſcendit.

Ad tertiā dicendum,quòd ars naturam imitans,purgationem materiæ, niſi uel qualitas uel quantitas uel locus cogant,non facit ante concoctionē ſecundo modo dictam:abſq; præparatione tamen alia tenuis materiæ arte facta,ipſam expurgare poteſt. Dico,niſi quantitas cogat:quoniam ubi in corpore tanta redūdet materia,ut ab ea natura uel opprimatur, uel periclitetur ut opprimatur, tunc ab initio, & non expectata ſecūda concoctione, hoc eſt naturæ uictoria, quæ in tanta copia uix ſperari poteſt, aliqua eius portio per artem demenda eſt:ut natura à tanto pondere leuata reſiduum aggredi poſsit & uincere. Si enim bonus Athletarum habitus, Hippocrate teſte, ſtatim ſoluendus eſt: multomagis euacuationem deſiderabit malus ægrotātium habitus,non mole tantum, ſed & malignitate uires obruens. Rurſus,ſit Socrates, qui cum ſumma uitioſorum ſuccorum repletione febrem incurrat,ſequitur,ſi dum ſanus eſſet euacuatione egebat,quod multo magis ea indigeat febriens,aucta uidelicet ex febre ſpirandi neceſsitate,& uiribus oppreſsis. Item quantitas ſupra modum aucta ad idem ducere poteſt,ad quod uitioſa qualitas,hoc eſt,ad mortem. Ergo ſi in hac quandoq; euacuandam ante concoctionem,etiam in illa pariter erit facienda euacuatio. Mala etiam alia quæ humores turgentes efficere poſſunt,& ab immodica copia contigerunt. Ergo eadem ratione quæ cogit euacuare humores turgentes,cogemur etiam demere immenſam multitudinem. Veritas ſumpti apparet diſcurrendo incommoda, quæ turgentes humores poſſunt efficere:ea ſecundum Galenum in expoſitione illius aphoriſmi quarti libri, Pharmacum exhibendum in ualde acutis, ſi materia turget, eadem die: morari enim in his malum: ſunt roboris diſſolutio, caliditatis febrilis augmentum, & periculum ne humores qui per corpus uagantur, in aliquod membrum principale decumbant.

Imminere autem hæc diſcrimina in materia plus nimio aucta, clarius eſt, quàm ut probatione egeat:uires quippe ex immenſo pondere labefiunt: calor febrilis cæteris paribus eſt in maiore materia maior,faciliméque humores totum corpus opplentes principalia membra attingent. Si igitur hæc pericula cogunt nos, materia turgente eadem die euacuare, cogent nihilominus ea ſupra modum aucta. Quin ſi quis diligenter conſideret,facile agnoſcet copiā immodicā magis indicare euacuationem, quàm turgentiam. Huic enim poſſumus alia uia occurrere,reprimēdo uidelicet motum,

motum,alterando calorem & membra principalia roborãdo. Immodica uero repletio nullum habet magis præsentaneum remedium,quàm euacuationẽ.Pręterea si humores qui agitãtur,& de loco ad locum mouẽtur ac transfluunt,uacuari debent,ut dicit Galenus in commento illius aphorismi,Cõcocta &c.quanto magis hi erunt aliqua ex parte uacuandi,qui adeò aucti sunt,ut ferè omnia loca absq; alio motu occupent? His rationibus & similibus persuasus,dico solam exuperantem quantitatem cogere quandoq; medicum ad euacuationem per pharmacum,& præcipue ubi secari uena non possit,in morbi initio faciendam. Quòd uero qualitas idem faciat,omnes fateri oportet,qui turgentem materiam euacuandam esse à morbi initio concedunt, hoc enim ipsum,turgere scilicet,qualitatẽ quandam consequitur in humoribus repertã,adeò membra lædentem atq; extimulantẽ,ut à nullo recipiatur,& propterea irrequieto motu hucatq; illuc pulsa, fluctuet & refluat. Quænam uero sit huiuscemodi qualitas in humoribus reperta,quæ turgere eos facit,à nemine bene determinatũ inuenio. Sunt qui hoc in materię tenuitatẽ referãt, quod certe dici non potest: alioqui fateri oporteret,aqueam pituitã necessariò turgere:quod falsum esse nemo est qui nesciat. Mihi autem uidetur inter qualitates primas,hoc solo calori esse attribuendum, qui adeò acris & uehemẽs sit,ut mẽbra ueluti exurat,atq; ob hoc à quouis membro reijciatur: quem certe feruorem in alio humore,præterquàm in bile,uel bilioso ualde sanguine,inueniri nõ puto. Quare sola bilis hoc modo turgere dicenda est,& ratione eius sanguis. An uero quæuis exacta bilis putrescens turgeat,& euacuari à principio debeat,nõ inutiliter quæri potest. Ad quod dubiũ, quantum mihi uidetur,respondendum est,bilem certa sede intra uenas putrescentem,posse tam remisse calere,ut concoctio in ea sit expectanda.Eam uero quæ extra uenas putrescens intermittentem febrem facit,non sine ratione dixerit quispiam ante concoctionem posse euacuari. Scribit enim Galen. in commento aphorismi superius adducti,cuius initium, Concocta &c.cõuenire,ut illi humores euacuentur,qui agitantur,& de loco ad locum mouentur & trãsfluunt.Et lib.8.de compositione medicamentorum secũdum loca,turgere intelligit ad excretionem moueri, & nondũ ad certã sedem impetum habere aut cõsistentiam. In libro uero de iudicijs secundo,dicit,in tertianis bilem uehementer moueri,& per singulas corporis partes disseminari,atque delationis impetu per seipsam expurgari, atq; ob hanc causam ex sudoribus & uomitibus finiri.Et in cõmentario cui titulus,Quos purgare oporteat, & quibus purgatorijs,& quando,ait,in principio serosos & tenues humores euacuabis,cõcoctionẽ expectãs in crassis & tenacibus,quales natura sunt bilis atra & pituita.Quare si quis in tertianis purgationem bilis ante cõcoctionem moliatur,non solum Galenũ,uerum & naturam se imitari dicere poterit,per uomitum & sudorem,sed & plerunq; per uentrem bilem in talibus febribus ante concoctionem expurgantem. Exuberans igitur caliditas tenuitati iuncta,facit ut bilis turgeat:tenuitas sola concedit,ut etiam si non turgeat, ante concoctionem euacuari possit.

*Calorẽ esse turgẽtiũ humorum causam.*

Verum præter qualitates primas & manifestas, alia quædã qualitas quãdoq; in humoribus reperitur,quæ turgere eos facit,& die primo egere purgatione,occulta quædã & pestilẽs malignitas , qua affecti humores, nisi statim purgẽtur,cor,uel aliud principale mẽbrũ petentes,ultimã afferũt perniciẽ.Hãc & aliàs quãdoq;,& annis quinto & uigesimooctauo,supra millesimũ quingentesimũ,uidimus antè magnã pestilentiã in hac nostra ciuitate,cũ maxima mortalium & præsertim nobilium strage peruagari.Ab initio leni quadam febricula afficiebantur,pulsúsq; & urina uix à sanis differebant: febris post biduum triduúmue supra modũ crescebat, uires prosternebantur,urina ueluti iumẽtorum, inquietudo,bilis prasinę uomitus,materiáq; caput petẽte deliria,modo cũ uigilijs,modo cũ immodico sopore hominem cruciabãt:uariiq; coloris exanthemata per uniuersam cutẽ efflorescebant,omniáq; demũ incõmoda, & his longe plura sequebantur , quæ turgentẽ materiã superius diximus comitari. Quare nõ poteram nõ admirari,quosdã præcellentis doctrinæ & nominis medicos,purgationẽ in tam pestifera lue ante cõcoctionem negligẽtes,atq; alios medicos taxãtes,qui ea utebãtur. Si qui enim morbi inueniũtur,qui eiusmodi purgationem eadẽ die ita desiderent , ut tardare malum sit,hoc maxime pestilẽtes hæ febres requirũt,uelocissimã mortem,nisi ea fiat,inferentes.Sed nónne apud Galen.5.methodi legerãt,quotquot ex immani illa pestilentia incolumes euaserant,multis per uomitum,omnibus per uẽtrem,corpus antea fuisse & purgatũ & exiccatũ? Quòd siue natura,siue arte factum sit omnino nobis ostẽdit, in his qui ex pestilentia seruari debent, exiccationẽ corporis per purgationem esse necessariã. Quòd uerò expectanda non sit euacuatio salutem factura in cõsistendi uigore,ex hoc ostenditur,quòd iudicia quæ in pestilentia fiunt,ad mortẽ potius quàm ad salutem tendũt. Galeno teste in 2.aphor.cõmentario,& ipsa cõprobante experiẽtia.Quare illi mihi potius probandi uidẽtur, qui ab initio pestilentiũ morborum quanto citius possunt,omnia genera euacuationũ exercẽt,quam qui iudiciũ,quod potius malũ quàm bonũ in his speratur,expectant. Materiæ igitur qualitas euacuare plerunq; cogit ante concoctionẽ.Verum pręter quantitatẽ & qualitatem,idẽ quoq; fieri ex loco superius ostensum est. Vbi enim ad præcipuum aliquem locum materia decũbit, non expectata concoctione est uacuanda,quemadmodum in laterali morbo est demonstratum.

*Ab initio pestilẽtiũ morborum euacuandum.*

Vt igitur iam receptui canamus,& nostra disputatio, quæ diu uagando huc atq; illuc,ueluti œstro percita,furentem materiam absq; ordine sequuta cucurrit,quasi classici uoce ad id unde cœpit reuertatur, dicimus,materiã magna ex parte ante concoctionem purgandã:eã enim quæ non proprie turget , sed uel sola quantitate, qualitate,uel loco perniciẽ,nisi euacuetur, timetur illatura,euacuari oportere ante concoctionem à natura factam demonstrauimus:sicuti & eam quę non proprie uel improprie turget,in alijs à febre morbis,& in ipsis etiã febribus debere à nobis potius quàm ab antiquis, ab initio minui,peiori scilicet uictu & maiore ocio utẽtibus,& medicamenta faciliora atq; minus exagitãtiã habentibus:pręsertim quum nihil habeãt quod nobis obijciant aduersarij,nisi uulgatum illum aphorismum, Cõcocta medicamentis purganda & mouenda,nõ cruda,neque in principijs,nisi turgeant:multa autem non turgent.quem tamen in multis exemplaribus non legi ait Gale.licet in lib.de humoribus passim legatur. Et ut eum inter aphorismos recipiamus,habemus tamẽ cui opponamus aphorismum secũdi libri decimũnonum, qui dubio procul Hippocratis est,iubentẽ in principio mouendum,si quid mouendum est. Quem aphorismũ non solum scribit Hippocrates,sed etiam per alium sequentem probat,quia uidelicet circa principia omnia sunt imbecilliora.In his enim duobus aphorismis indulget medico Hippocrates,ut quando ei uidetur,euacuatione à principio utatur:quod & in penultimo primi libri permittit.Et licet dicat raro hoc faciendum, nos rationibus superius adductis moti , crebrius id facere & possumus,& debemus,in materia præsertim serosa ac tenui,qualis est bilis pallida,quæ à recentioribus citrina uocatur,quam nostro seculo uidemus satis abundare.Dicimus etiam,si quando expectanda est uera concoctio,eã per uocatos syrupos,qui maiori ex parte eã potius perturbant,quàm agant,non esse procurãdam, sed cum his tamen rebus,quæ naturales uires augẽt & roborant.Nec nos alia præparatione humorum indigere,nisi attenuatione crassorum,& incisione tenacium, quæ per cibaria & potus magis quàm per syrupos,Galeno teste,qui integrum huic rei uolumen dicauit,dicimus facienda. Habes igitur mi Charãdine,meã de euacuatione ante concoctionem facienda sententiã,cõfusã neè certe & absq; ordine scriptã,ut ab homine sene,& multis negocijs impedito , quæ toties deponere calamum,& interrumpere commentationem coëgerũt,ut quod tribus diebus absolui poterat,ad triennium ferè protractũ sit. Tu autem quicquid id est , pro tuo in me amore boni consules. Vale. Ex Ferraria, XV. Calend.Septemp. M. D. XXXI.

EPIST. II. *pro nobili quodam uiro,magnum ueluti incendium in meiendo patiente.*

BAldasar Sala , uir generis nobilitate , ac in negocijs principalibus exercendis dexteritate insignis , questus est apud me per literas , se , iam agitur secundus annus,dum lotium emittit,maximum in uesica urinæ persentire incendium : quod nec ex medica-

medicatarum aquarum tertia potione, conſilio medicorum facta, nec aliis auxiliis mitigari, ne exiguo quidem, nedum reſtringi potuerit. Huic quantum in me eſt opem laturus, in primis affectionis ipſius eſſentiam & cauſas inueſtigabo: deinde ex illis curatiuas intentiones eliciam. Affectus hic, ut iam primum aggrediar, à recentioribus ardor urinæ uocatus, nihil aliud mihi eſſe uidetur quàm dolor ulceroſus, ueſicam ipſam, & potiſsimum eius ceruicem atque meatum, qui ab ea per pudendum deſcendit, affligens: quare inter ſymptomata, ſicuti & quilibet alius dolor, eſt reponendus. Verum hoc ſymptoma ex alio ſequitur, hoc eſt, ex re exeunte immutata, lotio uidelicet ipſo ad maiorem quàm ex natura ſua exigeret acredinem conuerſo. Dico autem, hæc ſymptomata malam temperaturam conſequuntur, à ſalſa pituita, ut per indicia ab excellentiſsimo Machello conſcripta apertiſsime colligitur, genitam. Quæ quidem ſalſedo ex ſuperfluo iecoris & renũ calore totam lotij ſubſtantiam quaſi aſſantibus, generatur. Ex his igitur ad ſecundum accedentes, intentiones tam proprie curatiuas, quàm præſeruantes elicimus. Mitigandus igitur primo iecoris & renum calor, ne de cætero lotium ſuperfluò exurat: ipſáque iam facta pituita purganda. Demum mala affectio ex longo tranſitu huius mordacis materiæ in meatibus urinariis derelicta, pro uiribus auferenda. In qua re ſua ſolita diligentia ac ſolertia præſens medicus utetur, ad dignoſcendum nunquid ulcuſcula aliqua in hiſce locis ſint facta, quod ut minime uellemus, ita maxime formidamus. Inter diuerſa quæ ad has explendas intentiones mihi occurrunt præſidia, ſectio uenæ præcipuum uidetur: per eam quippe & calor membrorum minuetur, & materia partim euacuabitur, partim diſtrahetur. Nec abſterrere nos debet ætas, conſentiente naturali temperatura, bono corporis habitu, & uictus ratione quæ præceſsit. Secanda igitur, ſi expertus & audax ſector habetur, uena poplitis, ſi minus à tali extrahẽdæ ſunt plus minúsue, pro medici præſentis iudicio, unciæ ſanguinis ſenæ. Facta uenæ ſectione, bidui uel tridui interiecta mora, potio in aurora bibenda, in hunc modum parata: Polypodij recentis ℥. glycyrrhizæ recentis, ſeminum cucumeris ana ſemuncia, Myxaria uulgò Sebeſten uocata, ſeptem in ſeri caprini libra, uel in alio, ſi hoc haberi non poteſt, tandiu bulliant, donec tertia pars ſeri conſumpta ſit, & adiecta decocto bene excolato rhei barbarici drachma, fiat potio, ipſo rheo prius tenuiſsime contrito. Tertio ab hoc purgationis die, deriuationis gratia duæ cucurbitulæ ea parte utriuſq; natis admoueantur, ſupra quam ſedendo quieſcimus. His peractis, ad ea quæ intrinſecus extrinſecúsque alterant, ueniendum. Iecur igitur inungendum oleo roſaceo, cui ęqualis portio ſucci intybi, quarta pars olei abſinthitis, octaua aceti roſacei ſit adiecta. Renes ſucco ſolani, cum unguento Galeni infrigidante uocato, æquilance commixto. Veſicæ regio cum toto ad ſedẽ uſque pudendo aqua tepida foueatur, in qua portulacę & papaueris albi ſemina decocta ſint. Quibus niſi ardor mitigatus fuerit, papaueris ipſius cortices, demũ aliquid hyoſcyami ſuperaddatur. Ex decocto etiam earundem rerum utiliter fieri poſſunt ſeſsiones, quæ ad regionem uſq; iecoris pertingant. Bibenda quoq; ſingulo mane erit ſolani aqua, in qua cucumeris, portulacæ, & papaueris albi ſemina decocta ſint, addito modo ſyrupo de papauere, modo nenupharino. Venter aſsidue leniendus, modo per ſiliquæ Aegyptiæ liquorem in decocto polypodii reſolutum, modo per clyſmata eundẽ liquorem cum melle roſaceo recipientia, modo per uini fecem tenuiſsime attritã, modo per ſenã in ſero decoctã.

Quòd ſi cũ tot præſidiis adhuc paſsio nõ ſit ſublata, hirudines uenis ani applicentur, atq; cum adiumento aquę calidę inferius adeò bene occluſę, ut uapores eius loca hirudinum petãt, à quatuor uſq; ad ſex uncias ſanguinis extrahatur. Dehinc ad uehementer infrigidantia ueniẽdum, de quorũ natura ſunt trochiſci, à Paulo diaphyſalidon uocati, qui recipiunt ſeminum cucumeris partes 4. ſem. hyoſcyami, cicutæ ana partes 2. fœniculi, ſeminis lapathii, croci, pini fructuum, amygdalarum amararum, opii ana partẽ 1. phyſalidos, hoc eſt, granorum quæ alchechengi uocãt, partes 30. Compone cum uino albo odorato, & fac trochiſcos, quorũ ſinguli pẽdeant ſemidrachmam, quibus primum utéris exterius diſſolutis in oleo ſeminis cucurbitæ, deinde, ſi opus fuerit, dabis unum ad bibendum cum aqua ſolani.

Fruſtra autem hæc omnia tentarentur, niſi congruo uictu uteretur. Qualis uero hic eſſe debeat, arbitrãdum præſenti medico permitto, ſicuti & quęcunq; ſuperius ſcripta ſunt. Non tacebo tamẽ puluerem, in quo magnã habeo fiduciam: cõponitur autẽ ex phyſalidibus, hoc eſt, ut dixi, rubro illo fructu alchechengi uocato, quæ ſint numero 12. ſem. cucumeris, ſem. papaueris albi ana ℥. s. ſaccharo albo ad omnium pondus. Fiat omnium puluis, ex quo ſemper ante alium cibum deglutiat ſemunciam. Bonum etiam erit, ſi octo decémue myxaria in aqua ſolani madefacta per horam ante cibum edat, & in ſecunda menſa bolum unum ex partibus duabus, ſeminis cucumeris, & una parte fructuũ pini, ſaccharóq; in aqua ſolani & roſea reſoluto, confecto. Ex ædibus noſtris Ferrariæ, III. Nouemb. M. D. XXXI.

EPIST. III. *ad Ioannem Paulum Caſtilionũ medicum. Per manum quandoq; totum brachium à medicis intelligi. Expoſitio item obſcurorum quorundam Auicennæ uerborum, capite de lapide renum.*

Viuo adhuc, Dei gratia, Ioan. Paule, peſtilentię ſuperſtes: uigétq; in me adhuc animus, licet langueat corpus, & podagra me quandoq; lecto detineat, pedésq; adeò imbecilles ſemper relinquat, ut uix unquam ualeã abſq; auxiliatore ſcalas aſcendere. Adiunxerat & ſibi chiragram cum tuæ mihi redditæ ſunt literæ: atq; utriq; ſucceſsit, lõge illis ſæuior Nephritis, quę ut ſerior, ita moleſtior adeò fuit, ut ad fauces uſque Orci me deduxerit. A qua tãdẽ Dei optimi munere leuatus, ubi reuiſere cœpi meã bibliothecã, literas tuas inueni tertio calẽd. Martias ad me datas. Quare erubeſcẽs quòd tãdiu reſponſum diſtulerim, arrepto calamo ſtatim reſpõdere incepi. In primis igitur gratias tibi ago pro tua humanitatis & amoris plena ſalutatione, atq; uice uerſa, te etiã atq; etiã & ſaluto, & quantũ per abſentiã licet, exoſculor. Deinde quod ad diſceptationẽ exortã apud nos ptinet, ſatis mirari nõ poſſum, in medico tãti nominis, tantã dormitationẽ, ut non aduerterit, per manũ interdũ apud medicos ſignificari nõ ſolũ extremã illã brachij partẽ, quæ in quinq; digitos, palmã, carpúmq;, & metacarpũ diuiditur: ſed totũ id qđ ab humeris extra thoracẽ prominet, & ex humero, brachio, extremáq; manu componitur. Quod ſi ex Galeno fortè nõ didicerat, pòterat uel ex ſuo Auicenna cognoſcere, lib. 1. cap. de phlebotomia, ſex uenas manus ſecari dicẽte, atq; tres inter eas magis præcipuas ſupra brachij curuaturã ſecandas, iecorariã ſcilicet, quã ipſe baſilicam: humeralẽ, quam cephalicã: & mediam, quã nigrã. Manũ ergo intelligere eo loco abſq; dubio oportet humerũ cũ toto brachio, uenámq; in ſynocha ſecare, per quã ſuperiora & inferiora uacuentur, qualis præcipue eſt media. Sunt tamẽ qui iecorariã præferant, fortè quia magis ex directo iecur reſpicit, quod eſt ſanguinis fons. Vbi tamen ſanguis in ſuperioribus corporis partibus magis exuperare uideatur, humeralẽ ſecare non fuerit abſurdum. Nulla autem ratio oſtendit, ut in tãta ſanguinis copia, per extremæ manus uenulas fieri debeat euacuatio, præſertim iubente Galeno, nec abnuẽte Auicenna, ad defectionem uſq; animi ſanguinem eſſe educendum: quod ex uenulis illis manus uix fieri poſſet.

Petis præterea expoſitionem quorundam uerborũ Auicennæ, cap. de lapide renum, quæ in communi editione ſunt huiuſmodi: Et iterum ſi eſt lapis renum, & generatur ſecundum plurimum, & non adhuc mingitur, tunc eſt ſedimen urinæ retentum cum ea. Et ſi eſt ueſicę, & diſcernitur ſecundum plurimum poſt ſeparationem urinæ, tunc eſt ſex ſanguinis, deinde aſſociatur ei, & diuerſificatur ab eo. Dico igitur in primis, in Arabico non omnino ſimilem eſſe lectionem, ita enim ad uerbum legitur: Et iterum lapis renum generatur ſecundum plurimum, & non adhuc mingitur urina, & eſt ſedimen urinæ retentum cum ea. Lapis ueſicæ coagulatur ſecundum plurimum poſt ſeparationem urinæ: & eſt fex urinæ, quæ non aſſociatur ei, ſed poſtponitur ab ea. Sunt autẽ hæc uerba in utraq; litera, ſed præcipue in prima, tãta barbarie obruta, ut Gentilis duobus expoſitis & altero immutato, ſententiam conniuendo prætererit. Pro uerbo ſiquidẽ, generatur, legit immergitur: & participium, retentum, exponit mixtum: & fecem ſanguinis intelligit hypoſtaſin. Poſſumus autem hanc ex ipſo

elicere

elicere Auicennæ ſententiam, Si eſt lapis renum & immergitur, hoc eſt, ita hæret, ut non ahuc mingatur, ſedimen urinæ miſcetur cum urina. Lapis uero ueſicæ diſcernitur, id eſt, manifeſtatur, poſt ſeparationem urinæ: exit quippe primo urina, deinde percipitur lapidis nocumentum, poſtea exit ſedimē, quod demum aſſociatur urinæ: diuerſum tamen eſt ab ea, quia non tantum miſcetur urinæ, quantum in lapide renum. Nicolaus deſperans eorum ſenſum ſe poſſe aſſequi, attulit quidem uerba, ſed dimiſit inexpoſita. Iacobus de Partibus in hoc præferendus Gentili eſt, quòd uerba Auicennæ ſeruat, nec extra proprium ſignificatum extorquet, ſed ex eis eam ſententiam elicit, quam & tu & alij poteſtis uidere, & recte, an perperàm, iudicare. Ego eo relicto ſenſum potius Arabicæ editionis, à nemine adhuc expoſitæ, conabor elicere: qui (ni fallor) eſt huiuſmodi: In hoc differunt lapis renum & ueſicæ, quòd dum ille generatur, maiori ex parte urina, ſimul cum ſuo ſedimine retinetur: in huius uero generatione exit quidem primo urina, deinde eius ſedimentum. Prima autem huius ſententiæ pars facile intelligetur conſideranti modum, quo lapis in renibus generatur. Quem modum ſicubi aliàs, præcipue libro primo expoſitionis in ſexto Epidemiarum, Galenus demonſtrauit. Ait enim: Oſtenſum eſt in commentariis de naturalibus facultatibus, renes ad ſe trahere quicquid ſeroſi tenuiſque in uenis ſanguini permiſcetur. Vbi uero meatus qui in uentrem huiuſcemodi ſerum excolant, plus nimio reſerati fuerint, ſimul etiam aliquid ex his quæ craſsiora ſunt, excolatur. Quod quando calefactum, in renum uentre ſimilem pωro acceperit conſiſtētiam, ſi quidem renum excretoria uis totum hoc cum urinis expulerit, arenoſæ in ipſis ſubſidentiæ fiunt. Si uero adhærens uentri renis fuerit, difficultérq; ab eo uelli poſsit, alterum quidpiam ſibiipſi ſimile ex concaua uena ſuſcipiens, amplius augetur: ſemper enim id quod influit, ei quod præerat circunnectitur, atque hoc pacto pωrus notæ dignæ amplitudinis conſtituitur. Ex his igitur Galeni dictis ratio reddi poteſt, quare dum lapis in rene gignitur, urina ſimul cum ſuo ſedimine retinetur, labefactata uidelicet ui renum expultrice, & craſsiore materia intra renis concauitatem retenta. Idem ex eodem Gale. colligitur in expoſitione aphoriſmi ultimi libri tertij rationem reddente, quare ſenes faciliter calculo renum laborent. Ait enim, Quum in ſenibus multæ & craſſæ ſuperfluitates generentur, & præter hoc quoque uirium adſit imbecillitas, obſtruuntur plerunque renes, & lapides gignuntur. Obſtructis itaque renibus, & ui eorum facta imbecilli, mirandum non eſt urinam cum ſuo ſedimine aliquantiſper retineri. Et propterea Paulus Aegineta, dum lapis generatur, exiguam urinam excerni dixit, atque meatus per quos excernitur adſtringi. Poteſt tamen tanta eſſe arenularum copia, nec uis renū excretoria adeò imbecillis, ut arenis quibuſdā exitus pateſcat: quod & ipſe Paulus expreſsit, & fortè Auicenna cognouit, addens particulā, ſecundū plurimum. Quæ uero dixit de lapide ueſicæ, cōſonant Galeno libro primo de locis affectis, lapidis indicia eſſe dicenti, quòd primo exit urina aquę ſimilis. Et lib. 6. quòd pus ex ueſica exiens, ſine urina plerunque excernitur, quia à loco propinquo excernitur. Vtrunque autem horum tetigit Auicenna: primum, cum ait, poſt ſeparationem urinæ lapidem coagulari, poſtquam uidelicet urina aquoſa exiuit, & fex retenta eſt: ſecundum, ubi ait, Et eſt fex urinæ quæ nō aſſociatur ei, ſed poſtponitur ab ea. Hæc ſunt Ioānes Paule dilectiſsime, quę pro expoſitione illius difficilis textus mihi ſe obtulerunt.

Demum in calce tuæ epiſtolæ à me petis, an è re tua eſſe putem, ut in patriā reuertaris, quod te quærere arbitror, quia multos per proximam luem interiiſſe hic medicos intellexeris. Quæ res ſi te mouet, illud etiam cōſiderare debes, quòd ſi pauci ſuperſunt medici, pauci quoque ſunt qui eorum opem expoſcant, mediā enim hominum partem periiſſe publica fama eſt: ſed & in defunctorum medicorum locum multi inſurrexerunt, qui uix, quando tu hinc receſsiſti, ad grammaticos pergebant. Fruimur præterea magna nūc ſalubritate. Quare cogitandum tibi eſt, ſi in patriam redieris, per multos menſes proprio ære te militaturum: niſi forte profitendi publice munus iterum aggrediare, quod facile conſequeris, aſpirante tibi Lodouico Bonacialo, ut doctiſsimo, ita bonis ingeniis fauente: quem præfectum aiunt gymnaſio inſtaurando. Vale. Ex Ferraria, IIII. Calend. Sextiles. M. D. XXIX.

### EPIST. IIII. *Ad Iacobum Pharuſium medicum Regienſem, de leporina carne &c.*

Legi amantiſsime Iacobe, nec ſine uoluptate, quæ tu non minus argute, quàm eleganter, pro leporina carne diſputaſti, eā & boni ſucci eſſe, & coctu nō difficilem probans. Adeò autē mihi applauſerūt rationes tuæ, ut non minus tibi debere id animal putem, ſi quis modo illi ſenſus ſit, quàm illi poëtæ, qui primam ei gloriā inter quadrupedes dedit: aut iis, qui formoſum fore ſeptem diebus dixerunt, qui leporinas carnes eſitauerit. Parúmq; abfuit, quin tuis argumētationibus uictus, manus dederim, hiſque ac pedibus in tuā ſententiam uenerim. Quod certe non inuitus feciſſem, quoniam ipſis carnibus, cum datur, ego quoq; libēter ueſcor. Verū deterruit me ueneranda antiquitas, & ad hæc uſq; ſecula quaſi per manus nobis tradita ſentētia, quæ ab Hipp. uel ab aliquo certe uetuſtiſsimo cœpit autore. Scribitur enim in libro de Diæta 2. qui quidem Galeni tempore à multis, nunc ab omnibus Hippocrati adſcribitur, in hunc modum: Leporina caro ſicca & adſtringens, lotium aliquātiſper mouet. Poſt quem, quiſquis ille fuerit, Gal. lib. 2. de eſcis ait, Leporū caro ſanguinem craſsiorem gignit. & in cōment. de attenuante uictu, utilem eā dicit in uictu exiccāte, nō autē attenuante, quia craſſum ſanguinem gignit. Et apertiſsimis uerbis lib. 3. de locis affectis, magnā eam habere uim dicit in melancholici ſanguinis generatione. Pſellus quoq; & Paulus eiſdem ferè uerbis Galeno ſubſcribunt. Sed & Pſellus inter cibaria atram bilem gignentia eam connumerauit. Poſt quos omnes Simeon in libr. de eſcis, quaſi quæcunq; dicta à uetuſtioribus erant, colligens, inquit, Carnes leporum, his qui exiccare corpus uolūt, ualde conducunt, minime uero his qui tēperatura ſunt ſicciore, ſanguinem quippe gignunt craſſarū partium, & melancholicum. Fecerunt omnia hæc Græcorum dicta, ut Arabes Latinóſq; prætercam, me cogitare, nunquid rationes, quibus leporinas carnes extollis, dilui aliquo pacto poſſent: aliæq; in contrarium afferri, quæ antiquorum autoritati ſuffragarentur. Vtrunq; autem poſt ſacras ferias, in quibus mihiipſi uacandum fuerat, circa hæc meditanti, non poſt multā indaginem occurrit. Antequam autem alteram earū aggrediar, nonnulla tanquā nota ſubiicienda.

*Rationes, quibus alimentorū temperaturæ inueſtigandæ.*

Primo quidem, quòd cum de temperatura cuiuſpiam rei medici loquūtur, non de ea loquuntur, quam in ſe, uel quo ad totam naturam habent (ad philoſophum enim ſpectat hæc conſideratio) ſed hominis conſideratione: ita ut id calidum aut frigidum, humidúmq;, uel ſiccum dicatur, quod humanum corpus calefacere, frigefacere, humidúmq; uel ſiccū reddere poteſt. Secundo ſubiiciendū, eſcas & medicamina in hoc conuenire, quòd utraq; in nos agunt, & à nobis patiantur: in hoc differre, quòd medicamina agūt quidem potius, quàm patiātur: eſcæ è contrario magis patiuntur quàm agāt. Tertio ſubiiciendū, eſcas tandiu rationē medicamenti ſubire, quandiu in ſanguinē mutantur: ubi uero perfecte in ſanguinem uerſæ ſunt, ſiue calidæ, ſiue frigidæ fuerint, ab eis ſemper calorem augeri. Quarto, eſcas, etiam ubi penitus mutatæ à nutriente ui ſunt, poſſe corpus reddere multo quàm eſſet antea frigidius, ſi uidelicet plus frigidorum humorum, pituitæ ſcilicet & nigri humoris, quàm boni ſanguinis & bilis generent.

Ex his quatuor ſuppoſitis colligitur, qua uia inueſtiganda ſit, & leporinæ carnis, & cuiuſque alterius eſcæ temperatura. Non enim extrinſecæ cuiuſpiam rei uel conſideratione uel comparatione id metiendum, ſed relatione ad corpus humanum iudicium faciendum: ex hoc quippe habet quid, ut ſit homini cibus, quòd talem habet cum homine ſimilitudinem, ut conuerti in eius ſubſtantiam poſsit: hoc enim eſt, & non aliud, quod facit aliquam rem, & dici & eſſe hominis eſcam. Et licet agere dum mutatur in corpus hominis aliud poſsit, non propter hoc eſca, ſed medicina potius dici debet. Si quis igitur recte iudicare uoluerit leporinæ carnis, quatenus eſca eſt, temperaturam, agnoſcere eum in primis oportet, in quos humores à calore humano concocta uertatur: quod certe non niſi ex longo uſu dignoſci euidenter ualet. Omnia enim nutrientia, ut Galenus ait libro tertio de temperaturis, alterant

aliquo modo corpus,ſed immanifeſte,dum ſemel tantum accipiuntur:uerum ſi longo tempore offerantur, ualde alterant,atq; manifeſte corpora immutant.Et libro primo de eſcis:Eſcæ cognitio uix in multo tempore ex determinata experientia recte fit.Et Hippocrates in Epidem.Cibi & potus experientia egent.In hoc ergo iudicio quod longo experimento innititur, ſtandum antiquorum obſeruationi,præſertim quando illis rationes quoq; aliæ cõſentiunt,quas Galenus ab extrinſeco acceptas uocat:inter quas multum ualida ea,quæ à carnis ipſius ſubſtantia aſſumitur, quæ certe in hoc animali dura ſatis apparet.Facit autem hæc durities,ut ſerò,& paulatim nutriat.Quæcunq; enim dura carne conſtant,ait Galenus in expoſitione aphor.18.lib.2.tardius & paulatim nutriunt,quod non leue frigiditatis argumentum eſt.Quemadmodum enim id quod facile concoquitur & celeriter nutrit,eſt quo ad nos calidum,Galeno teſte,in fine libri tertii de temperaturis: ita è cõtrario quod tarde & paulatim,eſſe quo ad nos frigidum.Facile enim id in ſubſtantiã noſtram conuertitur,quod cum natura noſtra maiorẽ habet ſimilitudinem:atq; id difficilius, quod magis diſsimile.Sumus autẽ nos à prædominio calidi & humidi.Eſt præterea eadem durities euidens indicium ſiccitatis,ut ex 2.lib. de temperaturis,à Galeno colligitur.Licet enim non omne durum ſit ſiccum,id tamen durum quod neq; à uehementi calido duratum eſt,neq; à uehementi frigido congelatum,proculdubio eſt ſiccum.Tanta autem caliditas eſſe in lepore non poteſt,ut carnem eius induret:nec tanta frigiditas,ut congelet.Quare quum ſit dura,omnino etiã ſiccã eſſe uidetur:alioqui & ipſa ſola durities eam à numero bonarum carnium eximit, Galeno teſte,in lib.de attenuante uictu.Quod etiam teſtatur diſsimilitudo quam habet cum carne porcina, quæ præ cunctis carnibus,Galeno & ipſo ſenſu teſte, eſt noſtræ magis ſimilis.Et propterea inter carnes quibus ueſcimur,ſtatui poteſt ueluti mẽſura & regula,cuius comparatione alias cognoſcimus.Recedere autem ab ea leporinam per frigus & ſiccitatem,nemo(ni fallor)ambiget,qui utranq; bene norit: exanguis enim, arida,& ueluti uſta leporina uidetur, ſuillæ comparata,uaporéq; omni atq; humore ac tenacitate ferè priuata:fragilis uero,& ceu fibris abundans:quæ omnia & difficilem concoctu,& ſeram ad diducendũ oſtendunt.Agilitas quoq; & in currendo uelocitas eam ualde à ſue differre oſtendunt,quod animal pigrum ualde eſt & ocioſum.Sed & timiditas frigus indicat.Si enim ſiccitati coniungeretur caliditas,audaciam,quam ſummam in leone calido & ſicco animali uidemus,in lepore quoq; efficeret.Si igitur ſubſtantia,durities,ſqualor, fragilitas,fibrarum copia,& ſuillæ diſsimilitudo,antiquorum autoritati & longo experimento conſentit, hanc carnem à numero bonarum ſeiungentium,quis non potius credat Galeno,inter quadrupedes ſuem,uitulum & hœdum duntaxat commendanti,quàm poëtæ,eam fortè titillatione potius proprii palati,quàm certa ratione laudanti?Sed dices fortè,te non à poëtis, alioqui mentiri aſſuetis, ſed rationibus perſuaſum in hanc ſententiam ueniſſe.Ideo tentanda mihi tuarũ rationum ſolutio,quarum prima ex ſanguine accepta talis eſt:Si leporina caro eſt melancholica,ſanguis quoq; eius erit melancholicus:talem enim temperaturam habet caro,qualem habet ſanguis.Quòd leporinum ſanguinem eſſe melancholicum ais,rationi,Galeno & Ariſtoteli uidetur repugnare.Rationi quidem,quia tenuis & aqueus eſt,non ater & ſpiſſus.Ariſtoteli uero,qui fibrarum ratione quæ leporino deſunt,ſanguinem craſſum & terreum eſſe dicit.Galeno quoq;,qui ſapidum eum dicit,& dulcedine,concoctionis facilitate,ſanguinem auium ſuperare.Hæc quidem uidentur capita tuæ primæ argumentationis, fuſius tamen à te explicatæ. Mihi autem in primis,mi Iacobe,id non conſtat,quod ueluti baſis fundamentũmq; eſt argumenti,quòd ſcilicet talem temperaturam habeat caro,qualẽ habet ſanguis.Mutari enim nutrimentum à nutriendo debet,nõ è contrario,res nutrita à nutrimento:quod uel ex hoc conſtat,quòd diuerſarum temperaturarum particulæ ab uno eodémq; ſanguine nutriuntur.Quare ſi talis eſſet animalis nutriti natura,qualis eſt nutrimenti,fieret ut omnes corporis particulæ ex eodem ſanguine nutritæ,eiuſdem eſſent temperaturæ,quod eſt ab omni ratione alienum,quum nemo ſit qui neſciat,carnis tẽperaturam ab ea quæ eſt oſsis,plurimũ differre,ſicut etiã ſcimus in latitudine partium corporis calidarum multis numeris ſanguinem uincere carnem:ſiquidem poſt ſanguinem locant cor,poſt quod iecur,& poſt ipſum carnem. Longe igitur calidior eſt ſanguis quàm caro. Sed ex tuis,imò ex Galeni dictis abs te adductis,euidẽter(ni fallor)colligitur,carnem non ſequi ſanguinis naturam.Leporinum enim ſanguinem,ut tuipſe recte adducis, ſanguini auium Galenus præponit,cap.22.lib.3. de eſcis:quum tamen auium carnes non ſolum leporinis,ſed omnium quadrupedum,cap.eiuſdem 67.cõcoctu dicit eſſe faciliores.Et in libro de rebus boni maliue ſucci,inter eſcas culpa uacantes,carnes multarum auium reponit,omnémq; ſanguinem ceu cõcoctu difficilem uituperat.Ex animalis igitur ſanguine,iuxta Galeni decreta,non neceſſariò colligitur carnis temperatura.Verum ut hoc tibi detur,nõ euidenter tamẽ probas, leporinum ſanguinem non eſſe melancholicum. Tenuitas enim,&(ut tu uocas)aqueitas,frigus oſtendunt, non calorem. Sanguis enim qui dilutior eſt,ait Ariſt.lib.2.de partibus animalium,cap. 4. frigidior eſt: eáq; animalia timidiora,idem Ariſtot.dicit,quibus eſt dilutior:qui certe timor uel ſolus in hoc animali ſummus,maximum eſt frigiditatis argumentũ.Porrò ſicuti tenuitas non eſt caloris indicium,ita nec craſsities frigoris. Tauri enim(quod certe animal ualde calidũ eſt) ſanguis craſsiſsimus eſt,eodem Ariſt.teſte:qui cũ etiam ſit nigerrimus,certo argumento nobis eſt, ex caloris nigredine non oſtendi frigiditatem, ſicuti neq; ex eo quod concreſcit & ſpiſſatur:nam & hoc calidiſsimorum animalium ſanguini,fibrarum ratione contingit, quæ craſsiorem eum reddunt, & ad concreſcendum aptiorem,ut Galenus quoq; lib.1.ſimpl.medic.confirmat. Ariſtotelis igitur autoritas, pro antiquis potius ſtat,quàm pro tua ſententia:nec leporini ſanguinis affirmat frigiditatem,ſicuti nec ſaporis ſuauitas,uel dulcedo quam ei Galen.attribuit.Didicimus enim ab eo, lib.de ſimpl.medic.4.cap.6.non omnia dulcia eſſe calida,ſed ea tantum quę dulcedinem magnam habẽt:quę uero modicè dulcia ſunt,eſſe frigida.Ad tantam autem dulcedinem hic ſanguis non attollitur,ut calidus,hominis comparatione,ob dulcorem exiſtimari debeat. Hominis dico comparatione,quia aliarũ leporis particularum comparatione omnino calidus eſt.At ſi ſanguis leporinus frigidus eſt,ſequitur,ſi ratio tua concludit,leporinam quoq; carnem frigidam eſſe oportere. Nec ratio igitur,nec Ariſtotelis aut Galeni autoritas,leporinum ſanguinem & eius carnẽ ab atræ bilis ſubmouent natura. Quod ad Auicennam uero attinet,cuius etiam autoritati inniteris,licet ea apud me magni momenti non ſit,dicere tamen poſſum iuxta ea quæ tanquam uera ſuppoſuimus,poſſe quidem leporinã carnem,dum extrorſum adhibetur,& ut pharmacum ſolum agit,uim habere calefaciendi,dum uero intra corpus accepta,atq; ab eo mutata eſt,in melancholicum ſanguinem uerſa,reddere corpus frigidius:Diſputationémq; noſtram ſub eſcæ conſideratione,nõ ſub pharmaci eſſe ratione:ad quem modum ipſemet Auicenna capite de lepore,frigidam eam dicit & ſiccam.Atq; per hæc primæ tuæ argumentationi ſatisfactum puto:pariterq; ſecundam eiſdem fundamentis elidi,tanquam eidem ferè medio innitentem,quòd ſcilicet ea caro melancholica eſſe non poſsit,cuius ſanguis non ſit melancholicus,qualem nõ eſſe leporinum oſtendit tenuitas, aquea ſubſtãtia,dulcor,atq; fibrarum carentia,aquam potius quàm terram præ ſe ferẽtia.Diximus enim,animal nutritum reddere potius nutrimentum ſibi ſimile,quàm è contrario nutrimentũ animal.Diximus præterea,aqueam fluxibilémq; ſubſtantiam non auferre à ſanguine frigus & ſiccitatem.Acetum quippe,aqua roſacea,omphaciũ,necnon aqua in qua fabæ,lentes,glandésq; bullierint,ſimul cum fluida ſubſtantia frigus habent & ſiccitatem.Argumentũ uero quod ab experientia ſumitur,per cõtrariam experientiã confutatur,longiori obſeruationi, & maiorum uirorum autoritati, & præcipue Galeni,innixam:quem certe,quicquid alii ſentiant,& nebulones nonnulli garriãt,à Deo optimo maximo mundo datũ puto,ad tam neceſſariã hominibus artem,medicinam uidelicet perficiendã.Nec eſt ut dicat quiſpiã,lepores noſtros ei fuiſſe incognitos,qui ſint Græcis meliores:ſiquidem in Galeni patria naſci puto longe noſtris præſtantiores. Vidi nanq; in inferio-

re Pan

*Caro porcina,humanæ maxime ſimilis.*

*Leporinum ſanguinẽ nõ eſſe melancholicum.*

*Timor frigiditatis ſignum.*

re Pannonia, quæ ad Græciam uergit, multo nostris pinguiores & sapidiores.

Nolim autem te ad eorum sententiam accedere, qui Galenum culpant, quasi uina alba, dulcia esse posse negantem: quum sint apud nos, corrupta fortè à Trebelianis uoce, Trebiana uocata alba simul & dulcissima: in hoc nedum mente, sed & oculis adeò cæcutientes, ut nondum calorem album à pallido, rufo, flauo, fuluo, aureóque dignoscant: sed uulgarem loquendi consuetudinem sequuti, quæcunque uina nec rubra, nec cerasiola, nec nigra sunt, alba putent, quibus si aliqua mēs adesset, nec essent ab odio in Galenum penitus infatuati, facile erat hanc distinctionem ab ipsomet Galeno discere in proprio commentario de uinis. Vbi enim dixit, nullum album uinum esse dulce: statim subdit, Flaua & fulua nonnulla sunt dulcia. Sicuti & libro de uictu morborum acutorum tertio, postquam dixit: Dulce uinum statim & nigrum est. pauló pòst & in eadem commentatione ait: Duplex est fuluum, sicut & nigrū: hoc quidem dulce, illud austerum. Nolim tamen te suspicari me in hæc tui causa diuertisse, quem nouerim & Galeni, & omnium bonorū autorum studiosissimum. Nec accusandi Galeni gratia, sed excusandi potius, uinorū exemplum attulisse. *In Galenomastigas inuehitur.* Sed ob nonnullos Galenomastiges, qui quum uix pedē in medicina promouerint, à primisque disciplinis penitus ieiuni sint, in foro, in tabernis, in circularibus sermonibus aduersus Galen. quem ne nominare quidem digni sunt, blaterare non desinūt. Sed hos in sua ignorantia, ceu malis auibus initiatos relinquentes, ad secundam tuam dubitationem accedamus: in qua probare conaris, laboranti quartana febre, assas magis quàm elixas eas carnes conuenire, quoniam sint calidiores pariter & humidiores. Calidiores quidem, quia à calido igneo coctæ, non aqueo ut elixæ. Humidiores, quia densata ab igne extima parte, humiditas tota intus manet, quæ in elixatis educitur.

Habes autem tuæ sententiæ assertorem Aristotelem, quem ueluti oraculum omnes obseruant, & meritò uenerātur. Ego uero Galeni clypeo munitus, in his præsertim quæ ad medicum magis quàm ad philosophum spectant, Aristotelem minime formido.

Vna igitur & prima euadendi uia hæc sit, si dixero Aristotelem naturam rerum in seipsas sequutum, assa elixis humidiora statuisse, congenitæ uidelicet humiditatis ratione, quæ in assatione adseruata, elixatione deperditur. Quam considerationem quum medicus nō sequatur, quemadmodum ab initio supposuimus, sed eam quam humani corporis comparatione res sortiuntur: mirandum non est, si hac in quæstione, sicuti in plerisque aliis, à philosophis dissentit.

Altera responsio communis est, nec multum à priore differens, quę assa proprio humore, elixa aduentitio ait abundare.

His adiici potest tertia, ut simpliciter & absolute utroque humore, elixa humidiora asseramus: congenito quidem, quod cum per elixationem non in tantū amiserint, quantum assa per exustionem: aduentitio, quem ab aqua acquisierint. Tātam enim uim esse ignis assantis dicimus, ut nedum exteriores partes, sed & interiores plus nimio exiccet. A qua sententia nec Aristoteles ipse abhorret uigesimoquinto problemate, sectionis uigesimæsecundæ, à pane, dum torrescit, humorem dicens extrudi: contrà uero in aqua tantam humiditatem, ut res alioqui propria natura siccas, humidas reddat. Cuius rei euidens argumentum in hordeo habemus, quod per elixationem amissa siccitate, adipiscatur humiditatem, & per torrefactionem fit siccius, ut scribit Galen. cap. 8. primi libri de escis. An uero per assationem acquiratur caliditas, an auferatur, absolute dici nō potest: siquidē nōnullis aufertur, nōnullis adfertur, iuxta diuersam rei & tēperaturā & substantiā, necnon & assationis modum. Quantum autem ad propositū nostrum attinet, leporinæ carni modicè atque ut coquina requirit assæ, nullam arbitror caliditatem superaddi. Et de leporinis quidem carnibus hæc satis sunto.

*De albo iure.* De albo uero à Galeno uocato iure, non est ut scrupulose inquiras, quænam eorum quæ in ipso miscentur seruanda proportio sit: sicuti neque salis, neque rhu, neque piperis, alteriúsue rei quæ condimēti gratia obsoniis adduntur: sed pro domini palato, quod exploratum esse coquo debet, diuersa portione miscentur. Ita in porro, & anetho, & sale, & oleo, quæ iuri albo & ptisanæ, tum uoluptatis, tū coërcēdæ humiditatis gratia adiiciuntur, habita conditæ rei, regionis, horæ, consuetudinis, & reliquorum id genus ratione, plus minúsue miscendum.

Haud magni autem puto referre, quodnam porrum accipiamus, modo id hortulanum sit: alioqui seculo nostro solum capitatum serunt: licet non magnopere ut grandioris capitis sit laborent olitores. Nec etiam est ut uerearis, ne cognominis porrò bilis ex hoc iure gignatur, refracta omni acrimonia ex aqua, in qua excoctum est. Anethi etiā siue folia, siue semina, siue comā acceperis, non ualde peccabis. Calefaciendi enim & siccandi uim omnes eius partes habent, nec odore carēt.

Ad hunc modum parato iure, piscibúsque in eo elixis, ego quoque libenter uescor, præcipue si nō desint oliuæ: quæ ne deessent tua liberalitate cum caueris, factū est, ut qui tibi ex asse debebam, etiam grandi ære fœnerato, soluere non ualeam. Versaui igitur uniuersam supellectilem, ut illud soluerem quod ultimo loco petis, antiqui uidelicet cuiuspiam medici Diapompholygos descriptionem: tandémque ad Paulum Aeginetam confugi, apud quem libro septimo, sic lego.

Diapompholygos.

Pompholygos unciæ duæ, lithargyri unciæ tres, teruntur cum lini succo, & adiiciuntur ceræ unciæ sex, adipis gallinacei uel anserini unciæ duæ, chamæmeli unciæ sex.

Chamæmelon oleum ex floribus intelligo, modo quo idem Paulus præcipit, paratū, ut scilicet unciæ duæ florum uiridium quidem, sed per unam diem antè collectorum, amoto albo, in sextarium Italicum olei coniiciantur, uaséque simplici linteolo ut trāspiret obtecto, per dies quadraginta insolenutr, uas deinde bene obturatum adseruetur. Verùm nec mihi displicet, id quod à nescio quo, non aspernabili tamen medico, Galeno additum est: quisquis enim ille fuit, à Galeni dogmatis nec in hoc ipso medicamine, nec in aliis, multum recedit. Et hæc quidem qualiacunque, satis nunc sint, aliàs fortè opulentiores facti, dabimus meliora. Vale. Ex Ferraria, pridie Calend. Iunias. M. D. XXXI.

## EPIST. V. *Consilium pro muliere, uteri pruritu laborante.*

LEuatus aliquantisper uariis & corporis & animi molestiis, saluti filiæ tuæ consulturus, fesso calamo manum admoueo. Hæc, ut scribis, septem supra triginta annos nata, temperaturáque & totius corporis & uteri calidiore, duplici symptomate iam sexennium uexatur, uteri uidelicet ingēti pruritu: cui si quādo cedens uel leuiter locos scalpserit, aliud statim, fœda scilicet pollutio sequitur. Horum primū ad tactus sensum pertinet, qui corrupta sensatione id sentit, quod sentire non deberet, materiam uidelicet tenuem, exiguum ueluti morsum quendam cuti inferentem. Alterum ad exiens mutatum: exit quippe res quæ exire eo modo non deberet. Morbus à quo primum pendet symptoma, est continui solutio, ab acredine humorum facta: uerique simile est (licet hoc non scribas) tum ex natura ipsa humoris, tum ex frequenti scalptura gigni in loco pustulas. Cuius uero generis sit hæc materia, quæ certe pruritum, & ut ego puto, etiam pustulas facit, ex his quæ à te scribuntur cognosci potest. Sanguinem enim qui per menstruas purgationes exit, flauescere ais, iugitérque manare ex utero croceum humorem, præcipue triduo ante mensium profluuium, præcedente ueluti anteambulatione, exiguo sanguinis fluxu. Ostendunt autem omnia hæc materiam quæ pruritum facit, esse sanguinem biliosum, ex totius corporis temperatura, præcipuéque iecoris superfluo calore genitum. Qui etiam sanguis ex locorum calore, malóque eorum habitu impensius calens, solutionem quandam continui, & hac mediante pruritum, & ueluti titillationem quandam facit: ex quibus non deficiente seminali materia, quæ & ipsa, & natura sua, & bile ipsa exacuta, uim expulsoriam irritans, ex leui occasione prorumpit. Quibus ex rebus secundum sequitur symptoma, seminalis materiæ eruptio.

Vt igitur utrunque amoueatur, nec amplius redeat, euacuandus ex locis est biliosus sanguis, cauendúmque ne amplius ad eos fluat: amouendáque mala qualitas ibi facta, quę nutrimentū maligno illo acore inficit. Et quia iecoris totiúsque corporis immodicus calor, causa

est ut sanguis biliosior generetur,refrigeranda ea sunt, simúlq; membra ad seminis generationem concurrentia,ut quantum fieri potest exiguum semen fiat,& minime mordax.

Vt autem hæc ordine quodam fiant,& ad particularia ueniatur,ante omnia iecoraria uena incidenda est, selibráq; sanguinis ad minus mittenda:sequenti uero die,uel uno aut altero interposito,iuxta uirium robur, bibenda hæc potio:Senæ uncia una,seminum lactucæ & intybi ana ℥.semis,bulliãt in unciis sex aquæ nymphææ,id est,nenupharis,donec tertia pars sit consumpta:abiectísq; herba & seminibus,in decocto soluantur liquoris siliquæ Aegyptię,quam casiam uocant,ʒ.6. rhei barbarici ʒ.1.& fiat potio quæ in aurora bibatur.

Sequentibus diebus utatur hoc syrupo: Seminum fumi terræ, lactucæ,intybi, ana unc.s.senæ drachmas quinq;.Bulliant in unciis sex aquæ ad consumptionem tertiæ partis,& decocto adde syrupi rosati facti ex rosis recentibus septies mutatis ℥.2.Vtatur hoc syrupo diebus 15.& si quidem nota digna sequetur purgatio,tertio quoq; die tantummodo bibatur:si exilis,quotidie, & tertio quoq; die adiiciatur syrupo pilula facta ex gran.12.aurearum. Accepto 15.diebus syrupo,nisi immodica & ad imbecillitatem usq; sequuta fuerit purgatio,capiet hæc catapotia :Pilularum de fumo terræ ℈.2.aurearum ℈.1.

Expleto hoc purgationis ordine,quouis mane accipiat ℥.s.huius miscellæ:zucchari nenupharini,ex floribus cichorii ana ℥.1.s.pulueris seminis lactucæ,radicis & seminis nymphææ,radicem albam & florem aureũ habentis,ana ʒ.1.s.misce cum syrupo nenupharino.

Iecoris regio hoc inungatur unguento:Succi portulacæ & intybi ana ℥.1.olei rosacei omphacini ℥.2.ceræ albæ & aceti rosacei parum.

Imus uenter & pars ei in dorso aduersa, hoc:Succi arnoglossi,lactucæ,& agni ana ℥.1.olei nenupharini ℥.3. ceræ albæ & aceti rosacei parum.

Loca uero prurientia,uino nigro adstringẽte abluantur,in quo res istę bullierint:Arnoglossi semina,oryzæ grana,lentes,rosarum semina , nymphææ radicis albæ ana partem 1.saluiæ p.s.Post bonam ablutionem hoc unguento inungatur:Olei rosacei omphacini,olei nenupharini,succi solani ana ℥.1.pulueris lithargyri,cerussæ,ellebori albi ana ʒ.1.Hæc in mortario plumbeo tandiu fricentur,donec congruam formam accipiant.Cõpleta purgatione superius descripta,ubi per octo dies usa fuerit præsidiis post eam narratis,nec sequuta fuerit optata requies,secandæ uenæ poplitis,si inueniri à sectore poterint : si non, uenæ supra talum inferiores: hauriendæq; ex singula earum ℥.4.sanguinis,non simul tamen,sed primo die dextera,altero sinistra,interpositísq; duobus tribúsq; diebus,cucurbitulæ feminibus admouendæ,cum scarificatione:interpositísq; iterum totidem diebus ; hirudines duæ ano applicandæ , nec amouendæ donec oppletæ cruore spõte excidant:permittendúmq;,ut adhuc per duas horas sanguis per locum morsuræ guttatim defluat.Quod si non fieret,iuuandus defluxus sessione supra uas plenum aqua calida,ita ut uapor eius,occluso bene sedili,ad loca ubi hęserunt hirudines pertingat. His auxiliis,nisi fortè Dei prouidentia ob animæ salutem aliter statuerit,speramus,si non in totum,magna tamen ex parte fastidium leuari.Sed & nonnulla adiiciemus,quæ & non parum ad id quod optamus conducent. Bibatur semper ante prandium & cœnam drachma pulueris radicum nymphęæ cum uino nigro austero,aqua ferrata uel lactucæ diluto.Vtatur sæpe lentibus,prima aqua abiecta cum aceto & oleo cõditis.Lactuca mirum in modum confert & cruda & cocta.Portulaca item,intybum,cucurbita,atriplex,& cucumis.Si uinum bibendum austerum sit,& cũ aqua,præcipue lactucæ.Sed & ubi hæc nõ suppetat,intybi uel portulacæ diluatur,ita ut aquæ tribus partibus, duæ tantum uini misceantur. Substernat sibi folia nymphææ,agni,& cicutæ. Accubitum supra dorsum fugiat ueluti inimicum. Ad hunc uitãdum,plumbi laminas supra renes alliget,quæ alioqui per se proderunt. Salix siue epota,siue extrinsecus applicita , mirum in modum iuuabit. Sedeat in aqua fere frigida,in qua nymphææ folia,& flores,salicis & agni teneriores ramusculi , lactuca, & atriplex bullierint. Ex eadem aqua,sed frigidiore,abluat pedes & manus ad genua usq; & cubitos. Vtatur exercitio in quo brachia uelociter moueãtur,immotis cruribus. Quotidie soluendus uenter cum lenibus,qualia sunt beta,malua & mercurialis. Si fortiora his quę superius scripsimus fuerint necessaria , bibantur drachmæ duæ seminis lactucæ cum syrupo de papauere.

His etiam quæ extrinsecus admouentur,adiiciantur hyoscyamus,cicuta , ac papaueris cortices. Hæc habui quæ pro filiæ tuæ salute scriberem.Reliquum fusis ad Deum precibus supplebitis,præcipue ipsa quæ patitur,genubus nudis ad pedes IESV crucifixi prostrata,toto corde cum debitis circunstantiis hoc instantissime petens:simul enim & corporali & spirituali remedio utetur.In quibus etiam precibus,mei uelim memineritis,iam septuagesimum annum agentis , & uocationem domini quotidie expectantis. XX.Augusti, M. D. XXXI.

## EPIST. VI. *Pro muliere comitiali morbo laborante.*

ALia de qua scribis mulier,temperaturæ à natura biliosæ,sed ex ætate,morbo,& professione, ad melancholicam uersa,anno ætatis decimoquinto,cum ex arbore supra nates cecidisset,extrinsecúsq; nullibi læsa uideretur,post mẽsem à casu stuporẽ in tota dextra parte pati occepit,tandémq; comitialẽ morbum incurrit , à quo in primis sexto uel octauo mense affligebatur,dehinc in totum eam dimisisse uidebatur. Tribus enim annis eo caruit,nunc quasi instauratis uiribus,ualidior apparet , secundo uel tertio quoq; mense cum longioribus accessionibus,& maioribus semper symptomatibus eam inuadens. Menses præter ætatem parcè defluunt:annum quippe agit octauum supra trigesimum:spumáq; in ipsa accessione circa os aggregatur.Hæc sunt quæ de hac secunda mihi significas,petens,ut sicuti alios eodẽ morbo laborantes,à me uidisti curatos,ita quoq; huic opem serã.

Ego uero,ut à prognostico incipiam,alios quidem, & in Pannonia,& in Italia per manus meas à Deo curatos non inficior:neminem tamen(quod meminerim) tali ætate,sed aliquos ante pubertatem,aliquos tertio septennio,uel non multo suprà,in fine uidelicet pubertatis:quare satis uereor,ne hæc cum suo morbo ex hac uita recedat.Quia tamen manum domini scio nõ esse abbreuiatam,curationem eo auspice aggrediar.Verum quia curari,nisi ex accidenti,morbus non ualet,cuius essentia non bene fuerit explorata,ideo ab eius definitione exordiendum.

*Comitialis morbi definitio.*

Comitialis igitur morbus est conuulsio omniũ corporis partium non continua,sed per interualla quædã temporis facta,cum sensuum & principalium operationũ,rationis scilicet & memoriæ oblæsione,ex crasso magna ex parte humore,uentres cerebri obstruente,& transitum spirituum prohibẽte,principio neruorum seipsum quatiente,ad expellẽda quæ sibi sunt molesta.Ex quo autem sub conuulsione tãquam sub genere continetur,sequitur ut sit uitiosus motus:ad quẽ motum diligenter attendere medicus debet,ut cognoscat an per consensum quendam,uel primario affectu cerebrum patiatur.Quãdo enim per cõsensum patitur,nõ accidunt uehementes & assiduæ conuulsiones,sed per interualla breuibus quibusdam saltuosis motibus patiens cõcutitur.Quem conuulsionis modũ,cum ex his quæ scripta sunt cognoscere non ualeã,pariter ambiguus remaneo,an primo,an per cõpassionem cerebrũ affligatur.Alioqui uerisimile satis uidetur,ab eo latere quod ab initio stuporem passum est,ad cerebrũ mitti uel qualitatem,uel uapores,qui cerebrum percutiẽtes symptoma istud efficiant:quẽ ascensum solent & ipsi patientes præsentire.Nolo tamen propterea desistere, quin,quantum fieri potest,saluti huius sanctimonialis consulã.Vtrouis enim modo hoc fiat,comitiali morbo laborat,uel si exactius loquendũ,symptomate,uel potius uariis symptomatibus,uitioso uidelicet motu, & principalium ac sensilium operationũ læsione,quæ uel non fiunt,uel non recte.Quæ symptomata à morbo fiunt in cõpositione,ex meatuum uidelicet obstructione,à crassa materia genita,uel à uentriculorum parietibus inuicem cõcidentibus,& ex ipso adhæsu spirituum transitum prohibentibus.Vnica igitur intentio curatiua sufficit,scilicet obstructionis remotio:quæ in primo quidem genere fit per expulsionem crassæ illius materiæ quæ obstruit:in secundo,resolutis uel qualita-

te ma

te mala quæ per partem poſt partem ad cerebrũ aſcenderat, uel uapore maligno qui membranas uentris nobilioris cerebri percutiens, & conuulſionem earum, & concidentiã faciebat: quam rem abſque medici auxilio per ſe explere natura ſolet. Et ſi in hoc pigra uideatur, iuuari debet per extremorum membrorum frictiones & ligaturas, & per cucurbitulas præcordiis admotas, demúmq; per caſtorium ui in os demiſſum. Suſcitat & Galbani incenſi ſuffumigium, & unguis odorati, quem blattam bizantiam uocant, & thymi.

Illud uero quod maioris momenti eſt, & cuius cauſa ad me ſcripſiſti, eſt ut prouiſio cautióue adhibeatur, ne per uices, certóſque uel incertos circuitus acceſsio redeat. Quæ res adeò difficilis eſt, ut plerunq; artifici, & quandoque arti ipſi magnum dedecus pariat, calumniantibus idiotis medicos, quòd in tam longo interuallo prouidere non ualeant, ne acceſsio alia ſubſequatur. Hãc igitur prouiſionẽ, diuino implorato auxilio, audacter aggrediẽtes, primo huius typi ordiniſq; circuituum cauſas inueſtigemus. Dicimus igitur, cerebri, & præcipue principalium eis uentrium imbecillitatem, malámque qualitatem ex præcedenti acceſsione derelictam, facere, ut quoties reperitur in corpore materia, quæ uel propriam ſubſtantiam, uel per uaporem, aut qualitatem uẽtres prædictos impetere ualeat, noua ſuperueniat acceſsio, obſtructis uidelicet meatibus, & impedito ſpirituum tranſitu, membraniſque ipſis primo, dehinc toto corpore conuulſo.

Scopi igitur & intentiones præſeruandi ſunt, ut primo quidem corpus uniuerſum, deinde ipſum cerebrũ bene purgetur: & poſt hæc ſi quid mali humoris gignatur, ad alia ignobiliora loca retrahatur ac deriuetur: & ſi ſuſpicio adeſt, ne ex alio membro mala aliqua res cerebro mittatur, curſus huiuſmodi intercipiatur. Demum cerebrum ipſum roborandum, & à mala omni qualitate mundandum.

Prima igitur in ordine intentio erit totius corporis euacuatio: quæ licet uariis ingeniis fieri poſsit, præcipua tamen in hoc ſunt, uenæ ſectio, & purgatio. Incipiendum autem, ut ferè in omni caſu, in quo utrunque agendum, à uenæ ſectione. Sequenti igitur ab acceſsione die, niſi alia cauſa uetet, exterior cubiti uena aperiatur, ſanguiniſque ſelibra, plus minúsue, ut præſens medicus iudicauerit, extrahatur: deinde ſequẽtibus quinque diebus, mane hic ſyrupus bibatur: Aquæ decoctionis hyſſopi ℥. 3. oxymelitis ℥. 2. Sexto die purgatio fiat per ſcrupulos duos ſemis hieræ Iuſti, quæ recipit Chamædrios, praſij, ſtœchados, ellebori nigri, ſcammoniæ, agarici, piperis longi, aſſæ, ana partes ſexdecim, epithymi partes duodecim, euphorbij, interioris colocynthidæ, aloës, croci, gentianæ, ſeminis apij uulgò dicti macedonici, ammoniaci, ſagapeni ana partes octo: opoponacis, polij, cinnamomi, myrrhæ, ſpicænardi, ſchœnianthos, pulegij ana partes quatuor, ariſtolochię longæ & rotundæ ana partes duas, mellis quantum ſatis ſit. Bibatur cum unciis quatuor aquæ mulſæ modicæ ſalitæ.

Sequentibus tribus diebus redeat ad hyſſopi decoctum: cui loco ſimplicis oxymelitis addatur compoſita. Iterúmque purgetur per hieram Iuſti, ſed maior ſit modus, hoc eſt, drachmæ unius & granorum 12. Rurſúsque reuertatur ad hyſſopi decoctum, adiecto oxymelite ſcillitico. Tertióque per eandem hieram purgetur, quæ pondere ſit quatuor ſcrupulorum.

Expleta trina hac purgatione, per dies ſeptem reſumatur: nullúmque aliud medicamẽtum accipiat, quàm pyrethrum cum melle, ita confectum, ut ſint pyrethri pars una, mellis bene deſpumati partes 4. cuius mane accipiat ſcrupulos 4. noctu dum dormitura decumbit, ſcrupulos duos. Præteritis ſeptem diebus, ſi uires bene conſtiterint, accipiat drachmam catapotiorum Alexandri, quæ recipiunt, Aloës, ſcammoniæ, bdellij, ellebori nigri, colocynthidis, gummi ana partem unam, euphorbij, nitri ana p. s. Confice cum ſucco braſsicæ: da à ſcrup. duobus uſq; ad 4. prout natura & uires ferunt. Paulus loco gummi ponit epithymum, quod ego laudo in caſu noſtro. His autem catapotiis non ſemel tantũ, ſed pluries uti poterit. Sed & oxymel Iuliani multos iuuit; & ſapa quæ per totam noctem in colocynthide bene ab interioribus emundata, in cineribus calidis manſerit, mane bibita, multum ualet ad uniuerſum corpus expurgandum.

*Cerebrum quomodo purgãdũ.*

Quod ubi ſatis mundum eſſe uidebitur, ſecunda inſurget intentio, cerebri uidelicet purgatio, quæ per nares quidem fiet, elaterij ſcrupulo, ſemunciæ lactis admixto, uel ipſo ſolo elaterio in puluerem redacto naribus inſufflato, uel cyclamini ſucco. Per os uero, ſi maſticet paſſulas quarta parte pyrethri admixta, uel gargarizet aqua in qua pulegium hyſſopúſque decoctą ſint, aceti ſcillitici quarta parte addita.

Toto autem corpore & cerebro purgato, tertia inſurgit intẽtio, humorum ſcilicet auerſio ad ignobiliora loca. Quæ cum dupliciter fiat, reuulſione & deriuatione, à reuulſione incipientes, cucurbitulas ſub poplitibus cum ſcarificatione primo admouebimus, poſtea hypochondriis & dorſo abſque ſcarificatione. Balneis quoque aquæ calidæ, in qua hyſſopus, ruta, & ſaluia bullierint, in extremis membris utemur. Ad eandem quoque reuulſionem ſpectãt clyſmata, ex decocto earundem herbarum, adiecto oleo rutaceo, & hiera iniecta, Balaniq; ex puluere hieræ alicuius ex magnis, nitro & melle compoſiti: hirudinéſq; uenis ani admotæ. Ligationes item extremorum, aſsiduæq; frictiones cum nitro & ſinapi. Sed & uomitus, ſiue à cibo, ſiue poſt cibum. Præcipue autem reuellunt rubificãtia, & demum exulcerantia, extremis membris, & præcipue cruri, ex quo ſuſpicio eſt uapores aſcendere, appoſita.

Ad deriuationẽ uero pertinent hirudines, fronti, naribus, & poſt aures appenſæ: cucurbitulę ceruici admotæ, & uenarũ quæ ſub lingua ſunt ſectio, & ipſius quoque capitis frictio: quæ tamẽ fieri antè nõ debet, quàm totũ corpus ad ruborẽ uſq; fuerit perfricatũ. In frictionibus enim hic ordo ſeruandus, ut à brachiis & manibus inchoantes, ad uentrẽ ſecũdo & pectus ueniamus: deinde ad crura deſcendẽtes, longiori tẽpore in his perfricandis immoremur, fortioribus etiã utentes frictionibus, à ſuperioribus ſemper ad inferiora trahẽtes. Atq; ultimo loco caput ipſum perfricandũ. Sed harũ frictionum hæc ſola ad deriuationẽ, tres primæ ſpectãt ad reuulſionem: quanquã & in ipſa quoq; capitis frictione, quatenus ab interioribus trahit ad exteriora, reuulſio quædã poſsit intelligi, ſicuti & in cauterio. Quòd ſi reliqua non contulerint, ſummæ ceruici, ubi uidelicet poſteriori capitis parti adnectitur, erit adhibendũ: & poſt hoc in loco ubi ſuturæ anteriores caluæ coniunguntur. Quanquã hoc poſtremũ ad quartã quoq; intẽtionem pertinebit, robur mẽbranis, uentribus, & cerebro ipſi imponens: prius tamẽ aliis ingeniis id erit experiundũ, bibendo ſcilicet betonicæ folia cõtrita cum oxymelite, atq; ipſis in iure decoctis, & in acetariis utendo. Ad idẽ facit caſtoriũ, mane cũ aceto mulſo uel aqua aſſumptũ Berbena cũ uino pota. Agarici oboli tres, hoc eſt, grana 36. cũ oxymelite. Ariſtolochia rotũda cũ aqua. Balſami fructus aſsidue maſticatus. Libanotidis ſemẽ cũ uino & pipere potũ. Piperitis in ore retenta. Anthyllis ea ſpecies, quæ folio Ibigæ, id eſt, chamæpity ſimilis eſt, cum oxymelite. Inter omnia uero ad malã qualitatem à cerebro tollendã, & robur addendũ, maxime excellit ſcillæ ſuccus, Galeni modo paratus. Scillam in tenues partes manibus attritam, in uas ex quo mel extractum ſit, ponito, os uaſis bene obturato, pellem extrorſum toti uaſis corpori apponito, exacte colligato, uas in loco ad meridiẽ uerſo, & ab aquilonaribus uentis ita obtecto, ut nequaquam ab eis perflari poſsit, locato. Ea anni hora hæc facito, in qua canis exoriri ab omnibus Græcis putatur. Eſt autẽ tẽpus hoc dierũ quadraginta, uiginti quidẽ numero ante eius exortũ, & totidẽ poſt: totóq; hoc tẽpore ita leniter poſitũ uaſis mutabis, ut omni ex parte ęqualiter caleſcat. Exacto hoc tẽpore, ſoluto uaſe inuenies ſcillæ corpus cocto ſimile, effluxiſſéq; ab eo ſuccũ, quem optimo melli miſcebis, & cochleariũ magnũ quotidie dabis. Corpúſq; totius ſcillę exacte terẽs, & melli pariter miſcẽs, eadẽ mẽſura dabis: ut tamen ſcias, ſecundę hoc notę & poteſtatis eſſe.

*Scillæ ſucci extrahendi modus.*

Ne tamen cochlearij nomine deceptus: aliquo eorũ quæ nunc in uſu ſunt utaris, ſcias apud Galenum, magnum cochleare nõ plus capere quàm ſex obolos, hoc eſt, grana hordei duo ſupra ſeptuaginta.

Et hæc quidẽ de his dicta ſint, quæ intra corpus accepta, cerebro robur præbent, & reliquias malorum humorũ conſumunt. Ex his uero quæ extrorſum admouentur, quædã naribus, quædã auribus, quædã uertici apponẽda. Naribus quidẽ ruta, præcipue ſylueſtris, hyſſopus, ſampſuchus, lauri folia & baccæ, nux myriſtica.

Omnibus uero pręstare creditur pæoniæ,præsertim maris,radix recēs ex altiſsimis montibus effoſſa. Auribus infundatur uerus balſami liquor,ſi haberi poteſt: uel eius loco oleum antiquum oliuę,in quo balſami lignum decoctum ſit:uel liquor aliquis ex his quæ per artem chymicā moderato ignis calore ex uariis ſpeciebus guttatim ſtillauerit.Vertici cataplaſma apponendũ,ex pane in aqua mulſa cocto,additis amaris amygdalis.Fouendúmq; totũ caput ex decocto nepetæ,& ſylueſtris uel domeſticæ rutæ.Demum ad ſinapiſmum ueniendũ,ut ex tenui eius puluiſculo uehemens fiat frictio,adiecto euphorbio,nitro,& agria ſtaphide.Cataplaſmáq; ex eodem ſinapi & caricis in acerrimo aceto pridie maceratis confectũ,per horam unā ante cibum in loco ubi ſuturæ uerticis coniunguntur,detineatur.

Multa addere poſſem,uerum his,Deo adiuuāte,ſpero uel in totum acceſsionē tolli,uel ita leniri ut rarius ueniat,& minore tempore,mitiúsq; affligat,niſi congruus uictus deſit,qui(ut breuibus me expediam)eſſe debet attenuans & pręcidēs,ad ſiccúmq; potius quàm ad humidum uergens,nō uentrē adſtringens,nō caput replens,non inflans,nō ex rebus concoctu difficilibus, uel mali ſucci,uel pituitam augētibus,non ad ſatietatē.

An uero cœna plenior eſſe debeat quàm prandium, diſſentiunt inter ſe Galenus & Auicenna: quotidiano enim pane in tres partes diuiſo,ille duas partes dari cũ fortioribus obſoniis in cœna iubet,unam in prandio, cum rebus uentrē molliētibus,ut oleribus,uel caricis, uel oliuis.Hic è contrario ſimpliciter duas cibi partes in prandio,in cœna unicam.Vtri autem ſentētiæ magis hærendum,aliàs fortè maiore ocio diſputabitur.Non enim illis accedo,qui in quocunq; caſu & homine lautius cœnandũ quàm prandendũ cenſent.Sed quantum ad caſum noſtrũ attinet,ſi acceſsionē noctu futurā formidauerimus, parcius omnino cœnandũ conſulo:ſi à prandio,parcius prandendũ:ita ut acceſsio,quantum fieri poteſt,uentriculũ uel in totũ uacuum,uel cum exiguo cibo reperiat.Nā ſi cauendũ eſt ut leuiculæ cuiuſq; febris acceſsio uacuo uentriculo occurrat,quanto hoc magis cauendũ in tam pernicioſo morbo?Qualiſcunq; uero cœna ſit,ſine uini potu fiat:ſed pro uino,melicratum ex aqua in qua pæoniæ radix decocta ſit,confectũ bibatur.Si quādo uero ob ſtomachum uino utendũ,in prandio potius bibatur quàm in cœna,ſitque colore flauum,clarũ,tenue,guſtúq; aliquid acerbi habēs. Vtatur aſsidue capparibus cũ oxymelite conditis.Quod ſi ſcilliticum eſſet,longe magis cōduceret. Carnes quadrupedum uitet. Auibus, præterquàm paluſtribus, ueſci poteſt:aſſatisq; potius quàm elixis,modo aſſatio ſine fumo fiat:pinguedóq; ſemper uitetur. Piſces, præter petrinos,dimittat:fluuialibus tamen ſi quando ueſci uoluerit,ſint omni tenacitate & pinguedine carētes,& in iure albo,quod porrum,anethũ,oleúmq; & ſales modicos recipit,decocti. Lac & caſeus & quæcunq; cũ eis parantur fugiēda. Omnia etiam olera & legumina.Lactucis tamē,atriplice,beta,blito,braſsica, per uices quādoq; ueſci poteſt,ſicuti & lentibus & piſo,nam ptiſana etiā ſi crebrò utatur,nulla ex ea noxa ſequitur. Vitādi uehemētes odores,ſiue boni,ſiue mali ſint:ſtrepitus,celer motus, præſertim à cibo,atque rei ſplendidæ,uel quæ uelociter aut per gyrum moueatur, uel procul,aut deorſum ſit,aſpectus:uentorum perflatus,ſolares lunaréſq; radii,clamor,cantus altior,& in totum quæcunq; uehementius agitare ſenſus & cerebrum ualent.Nā exercenda ſunt inferiora membra,capite quantũ fieri poterit immobili permanente. Atq; de uictus ratione hæc dicta ſint,cum quibus finē feciſſem,niſi occurriſſent nonnulla,à Græcis περίαπτα, à Latinis amuleta uocata,quæ cum phyſicè hũc morbũ curare ab excellentibus quibuſdā medicis ſcripta ſint,quāuis à me parum ſint credita,non penitus uiſa ſunt relinquenda. Lapillus albus uel ruber in uentre pulli hirundinis inuentus, brachio alligatus. Lapis Iaſpis capnoſtes,hoc eſt,fumalis nuncupatus,in collo geſtatus. Iaſpis alius calamo ſimilis in annulo ligatus.Idem facit chryſolithos,corallium,pæoniæ & ſolani radix in linteo colligata.Aſini frons in corio alligata.Habes tandē, mi fili,quod tertio abhinc menſe petiiſti.Moræ autem cauſa,non aduerſa, ut fortè ſuſpicaris, ualetudo(ſatis enim belle per totam æſtatem me habui)ſed aliud ab alio negocium. Vale. Ferrariæ, XII. Calend. Octob. M. D. XXXI.

# IOAN. MANARDI

## EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER XIIII.

EPIST. I. *Ioan. Manard. Andreæ Turino medico excellentiſs.* S. P. D. *Defenditur opinio de ſectione uenæ lateris patientis.*



MARTINVS Hunnus Germanus magno cum fœnore me nomine tuo reſalutauit:pro ſimplici enim & uerbotenus facta ſalutatione,plenam amoris in me,ne dicam obſeruantiæ,epiſtolā, & acutiſsimam aduerſus Curtiũ, medicum noſtro æuo ualde famigeratũ,de ſectione uenæ in pleuritide,diſputationem,ab urbe reportauit.Hanc ego ſtatim & abſq; interſpiratione deuoraui potius quàm legi.Deus bone,quàm acer & uigil in argumentando,quàm ſolers & uiuax in cōfutando,quàm prudens & emunctus mihi uiſus es in reſpondendo.Cœpi poſthac perlegere cunctatius,atq; in legendo cogitare,in quibus tecum,& in quibus ſecus & ſentirē,& in quadam mea ad Iacobũ Pharuſium medicũ inſignem epiſtola ſcriptis mandaſſem. Quicquid autē occurrebat,mihiipſi potius quàm aliis in margine tui cōmentarioli breuiter & cōciſim adnotaui. Hæc qualiacunq; ſunt,ſuſius aliquantiſper explicata,quoniā id à me per epiſtolam tuā expoſcis,ad te mitto:hac tamen lege,ut eo animi candore accipias,& ea animi ſynceritate legas,quo à me & ſcripta ſunt,& ad te miſſa.Sítq; procul à nobis omnis lis & certamen,niſi id quod ueritatis indagandæ initur ſtudio,& honeſtũ ab Heſiodo primum,deinde à Galeno reputatũ eſt.Vt igitur iam rem ipſam aggrediar, ordine quo ipſe uſus es ſeruato,ab his quæ ab initio operis ex Hippocratis & Galeni ſententia tanquam axiomata ſupponis,incipiam.Ea ſunt plus minúſue,ſi bene numeraui,nouem.

1 Duplicem eſſe humorem in phlegmone, qui per uiam defluxus generatur,fluentem ſcilicet & fluxum.
2 Fluenti deberi retractionem,fluxo deriuationem.
3 Incipiente phlegmone prohibēdum id quod influit: in antiquo euacuandum id quod eſt in particulari occluſum.
4 Præſeruationem,ſeu ut nunc uocare cœperunt,prouidentiam & cautelam,aliam eſſe à curatione.
5 Præſeruationem prius exequendam eſſe à medico, quàm curationem.
6 Auertendum prius ad contrarium,poſterius ex ipſa parte uacuandum.
7 Retractio ad contrarium,deriuatio per rectum facienda.
8 Vtrunque per communes & coniuges uenas moliendum.
9 Retractio ubi ſola intenditur,multo tempore præcedere debet deriuationem.

Hæc ſunt quæ ueluti principia quædam ex Hippocratis & Galeni doctrina à te ſubiiciuntur,quæ à nobis ſigillatim ſunt examinanda.

In primo ego tecum ſentio,ſed tertium membrum addo, reperiri ſcilicet poſſe in corpore phlegmonem patiēte humorem,qui nec fluit,nec fluxit,ſed uel fluet, uel fluere, niſi aliò trahatur,uel à corpore euacuetur, aptus eſt: huic uerius quàm fluenti deberi præſeruationem.

Secundæ addo etiam quoddam genus tertiũ,ex ipſa uidelicet patiente particula euacuationem, aliam à retractione,quæ ad contraria loca:& à deriuatione,quæ ad propinqua.Sicuti alia eſt patiēs particula,ab ea quæ contraria eſt,& à propinqua.Háncq; aſſero deberi materiæ quæ in patiente particula adeò fixa eſt,ut neque per reuulſionem,neq; per deriuationem potuerit uacuari:in cuius tamē uacuatione tota conſiſtit curatio, quæ ad nihil aliud tendit,niſi ad materiam,quæ tumorem præter naturam facit,uacuandam.

Tertiam ſic moderor,ut dicam,in incipiente phlegmone,ſicuti & in antiqua, intentionem medici eſſe debere,non ſolũ humorē qui fluit,ſed & eũ qui fluere poſſet,prohibere ne fluat,& eā humoris partē quæ iā

fluxit

fluxit,euacuare. Licet hanc ultimam intentionem non ſemper opere ſimul cum alia exequi poſsit.

Ea denique moderatione utor in quarto,quinto,& ſexto: prouidentiam ſcilicet ſeu præſeruationem quæ humori debetur fluenti uel fluxuro , aliam eſſe concedens à curatione , & magna ex parte eam tempore præire:poſſe tamen utranque à prudente & bono medico,ſimul & unica uenæ ſectione, in morbis præſertim acutis compleri: quæ in eo quod ad contrarium trahit reuulſio:in eo quod ad propinqua , aliquo modo dici poteſt deriuatio : in eo uero quod materiam in phlegmone contentam euacuat,curatio erit nuncupanda. Háncque ab Hippo.ceu audaciore quàm nunc ſumus libro 2.de uictu morb . acutorum,in laterali dolore ad iugulum aſcendente,& ad calefactoria nō ſedato,imperari.

Septimæ primam partem admitto,ſi contraria intelligātur,non tantum quæ maxime diſtant,ut infimis ſuprema,ſed & quæ nō maxime,ut dextris ſiniſtra,internis externa,anterioribus poſteriora. Secundæ quoq; parti libēter accedo,ſi hoc priuilegium non ita deriuationi adſcribatur,ut à reuulſione auferatur.Vtraq; enim (ut tuipſe etiam inferius fateris)eſt per rectum faciēda. Satis tamen admiratus ſum , quòd hic dicas deriuationem fieri per rectum,& infra in reſponſione ad primā Curtij rationem,eam fieri dicas ad latus.

In octaua nulla eſt nobis diſſentio . At in nona,tota (ut aiunt)uia diſtamus.In acutis quippe morbis(de his enim eſt diſputatio) quando deriuatio poſt reuulſionē eſt neceſſaria,magna nec poteſt nec eſſe debet inter utranq; mora : ſiquidē morbus ipſe acutus breuis eſt, & cito præterit occaſio . Hæc ſunt quæ in ſumma de tuis ſuppoſitionibus mihi uidentur ſentienda.

Reliquum eſt,ut relictis,uel in alium locū dilatis tuis ad Curtij rationes reſponſionibus,ad ſolutionem earū accedamus,quas ipſe Curtius cōtra proprium dogma facit,& quibus tu maxime uideris inniti. Quarum prima,ſumpta ex quatuor modis reuulſionū,poſitis à Galeno in Methodo,& commentariolo de reuulſione,tātum abeſt ut contra nos concludat,ut opinionem potius noſtrā maxime cōfirmet.Si enim inter reuulſiones ea connumeranda eſt,quę ab interioribus trahit ad exteriora,quis unquam negauerit uenæ cubiti ſectionem eſſe reuulſiuam,quū ex utrouis latere fiat,à coſtis ſemper trahat ad cubitum?Sed & ſi quis bene cōſideret,uidebit eā quoq; à ſuperioribus trahere ad inferiora,uel è contrario: flexura quippe cubiti(ubi iecoraria uena communiter aperitur)inferior eſt ſubcingēte mēbrana, ſi manū ad genu declines:uel ſuperior,ſi manum uel ſupra caput eleues,uel totū brachiū quantū uales,intendas,ut in ſectione uenæ fit:quod Celſus ſequutus, brachiū ſupra coſtam eſſe affirmauit:& à dextris quoq; ad ſiniſtra,aut è cōtrario trahit,quemadmodū in epiſtola ad Pharuſium demonſtrauimus. Expletur igitur una & eadē uenę eiuſdē lateris ſectione,triplex retractionis genus:ab interioribus quippe ad exteriora , à ſuperioribus ad inferiora,uel è contrario iuxta uarios poſitus & cōſiderationes,& à dextro ad ſiniſtrū,uel à ſiniſtro trahit ad dextrū.Quare non immeritò eſt inter reuulſiuas numeranda. Quicquid autem garriat Auer.ſúsq; déq; facio:aut enim Gale.non legit,aut ſi legit , oſcitanter legit,nec intellexit.Vnā enim eandémq; ſentētiā in hac re ſemper habuit:nec in uniuerſal.& in Methodo aliud dixit,ut ille putat,quàm reuulſionem ad partē aliquo modo contrariā faciendam,rectitudine tamen ſemper ſeruata.Nā id quod addis de hepatis apoſtemate , eodem fundamēto ſoluitur.Sectio enim uenæ dextri lateris,reuulſiua & ipſa eſt:quoniam & ab his quę intus ſunt,ad ea quę extra proculdubio trahit,& à ſiniſtris aliquo pacto ad dextra:cum iecur,tametſi in parte totius corporis dextra ſitum ſit,manus tamen dextræ cōparatione ad ſiniſtra deuergat. Quare reuellere omnino & eā fatēdum,ſicuti & illam quæ fit inciſa uena frontis,parte poſteriore capitis dolēte.De ea enim ſic uerbū ex uerbo loquitur Gal.in uulgati illius aphor.expoſitione: Dolentē partem capitis poſteriorē &c.Non ſolum ſtudet Hipp. ubi opus eſt euacuare,ſed & cum reuulſione. Reuulſio autē ad contraria fit:ſecundum longitudinem quidem ſurſum & deorſum:ſecūdum latitudinē hinc atq; hinc, hoc eſt,à dextra & à ſiniſtra:ſecūdū profunditatē uero, ut antè & retro.Nunc igitur in poſterioris partis capitis dolorib.euacuatio cum reuulſione ex fronte fiet. Ex quib.Galeni uerbis apparet,quàm ridendi ſint ſapiētes illi,qui reuulſionē metiētes,tātam intercapedinē requiri aiunt,inter locum à quo reuulſio facienda,& eum ad quem,quantū diſtat humerus ab humero.Nam ne in gigante quidem tantum diſtaret frons ab occipitio,quātum in homine mediocris ſtaturæ humerus diſtat ab humero.Quanquam ſi totam uiam metiamur, quæ eſt à latere patiente ad uenam ſectā,non multo minor erit, quàm diſtantia humeri ab humero.Patet etiam ex eiſdē Galeni uerbis,eandem uenæ ſectionē & reuulſiuam eſſe & euacuantē:quod ſapientes illi negarunt , dicentes eam deriuatiuam,non reuulſiuam. Patet & tertio non ſemper ſeruandum illum ordinem,ut reuulſio euacuationum longo tempore præcedat.Vide igitur quàm facile ſit hoc argumentum primum ſoluere , nec opus ſit uel aſſerere,Galenum aliud alio loco ſenſiſſe,uel de reuulſione,dum ſola fit,intellexiſſe,uel de alijs reuulſionibus,non de uenæ ſectione loquutum,uel dextram plus trahere ad ſiniſtrum,quàm ſiniſtram.

Aliam dubitationē tangis circa idē argumētum,quare ſcilicet dolente uno pede,Gal.conſentit ut uena alterius pedis ſcindatur:& ſimiliter in manu : non autem idem concedit in latere pleuritide affecto.Quæ dubitatio multos etiā ex noſtris adeò angit, ut Galenum ſecū in hoc pugnare contendant,quum tamen in promptu reſponſio ſit & diuerſitatis ratio.Vena ſiquidem in brachio phlegmonem patiente,alia non præeunte euacuatione,ſecari non poteſt,niſi ſanguis qui in toto corpore abundat,uerſus locum patiētem moueatur:quę res intentioni medici in principio omnino aduerſatur, quærenti ad longinqua facere retractionem,non uerſus patientem locum humorem attrahere.

At in pleuritide,ſecta enim eiuſdem brachij uena,hoc eſt,lateris inflammationem patientis,fit ad longinqua & minime læſa retractio. Brachium enim ſatis diſtat à membrana ſubcingente,nec ullam patitur inflammationem:quare non eſt in utraque ſectione eadem ratio. Sed reſtat circa hanc materiam maior mihi ſcrupulus, quomodo ſcilicet in hac uenæ pedis ſectione,alio pede phlegmonem patiente,ſeruetur Hippoc. decretum κατ' ἴξιν,hoc eſt,per rectum ſemper fieri iubētis euacuationem:præcipue cum hanc uideatur Gal.ei parem facere, quæ in manu ab eodem cum pede latere facit retractionem,quam per rectum fieri nemo poteſt ambigere.Cui dubitationi non aliter,meo iudicio , reſponderi poteſt,quàm ſi dixerimus,retractiones haſce,à pede ſcilicet ad pedem,uel à manu ad manum,à rectitudinis ratione non magis cadere,quàm ea quæ fit ab occipitio, ad frontem trahi uel imaginari poteſt:ita à brachio ad alterū brachium,& ab imo crure ad reliquum:quod in iecore,iecorariæ uenę ſiniſtri brachij comparato,uel in dextro latere eidem uenæ ſiniſtræ comparato,non poteſt contingere.Si quis uero eadem ratione dicat,uenā iecorariam dextri cubiti non eſſe è directo dextræ partis ſubcingētis membranæ phlegmonem patientis:dicam in huiuſcemodi uenæ ſectione aliam rectitudinem ſeruari,quàm per lineam longitudini corporis reſpondentē,totúmq; corpus in duas diuidentem medietates imaginamur:in ſectione autē uenæ , diuerſi lateris nullam eſſe directionem , nec eam uidelicet quæ per longitudinē,neq; eam quæ per tranſuerſum, ſeruandámq; præcipue primā,ubi hoc fieri poſsit:ubi uero non poſſit,ad alterā potius recurrēdum , quàm rectitudo penitus deſerēda.Et hæc quidē dicta ſufficiant quantum ad Achillem(ut tu uocas)repellendum. Deinceps uidendū quomodo Hectorem , hoc eſt ſecundum argumentum,(ita enim & tu uocas) propulſemus. Eius uis in ordine euacuationum uidetur cōſiſtere,inter quas pręcedit reuulſio,ſequitur deriuatio,atque poſt has tertia eſt quæ ab ipſa patiente particula fit euacuatio. Cum igitur ſectio uenæ eiuſdem lateris ſit deriuatiua,eam in acie præcedere debet reuulſio,hoc eſt, oppoſiti lateris ſectio . Hæc,ni fallor, eſt ſecundi argumenti uis, quæ haud difficulter repellitur ex his quæ tuis,tertiæ,quartæ,quintæ,ſextæ,addidimus ſuppoſitionibus. Reuellit enim primo uenæ eiuſdem lateris ſectio,ut in ſolutione primi argumenti oſtendimus.Vltimo uero,dum ſcilicet ſanguis exijt qui in inflammata parte occludebatur,principali intentioni,hoc eſt,curatiuæ, conducit.Et ne me hæc finxiſſe dicas,preter id quod ex definitionibus illarū operationū mea hęc dicta ſequūtur(reuulſio enim eſt auerſio ad contraria:deriuatio,ad propinqua:

*Reuulſio.*
*Auerſio.*

Euacuatio. & tertia ex ipſa patiente particula euacuatio ) uerba etiam Gal.2.lib.de uictu morb.acut.eandem ſectionem uenæ cubiti,quam reuulſiuã eſſe oſtendimus, euacuare ſanguinem in inflammatione contentum , apertiſsime monſtrant.Iecorariam enim humerali comparans, ait: Nos celeriter & magis quàm alias particulas euacuare feſtinamus,eam quæ patitur inflammationem,& præcipue in acutis morbis,quòd interior cubiti uena facit. Et paulò pòſt in eadem commẽt.ait : Sufficiens indiciũ, quòd ſanguis ex particula inflammationem patiente tranſumptus ſit , eſt coloris permutatio. Liquet igitur ex Galeni ſententia,per eandem uenæ ſectionem & reuulſionem fieri,& ſanguinis in inflammatione contenti euacuationem:& quòd hoc quidem phlegmone inchoante fieri uelint & Hippo.& Gal. ſeries ipſa Hippo. manifeſtiſsime oſtendit.Vbi enim Hippocrates docuit, tentandum eſſe à principio ut dolorem per calefactoria exoluamus, uariáq; calefactoria recitauit,ſubdit : Si ad calefactoria dolor non ſoluatur , non eſſe ipſis multo tempore utendum.Sed dolore ad clauem aſcendente,inferiorem cubiti uenam ſecandam , nec à miſsione ſanguinis ceſſandum , donec color ſanguinis mutetur. Id uero quod in hoc loco tacuit Hippocrates , ceu alibi dictum, 4. lib. ſuppleuit quiſquis fuit illius libri autor, repetens primi libri dicta,atq; addẽs, ex quo latere uena ſecanda. Ait enim : Si quidem dolor ſurſum ad clauẽ peruenerit , uel circa mamillam & brachium, interiorem brachij uenã ſcindere oportet,ex ea,quæcunq; illa ſit,parte,in qua eſt dolor. Quem locũ enarrans Galenus inquit:Hic quoq; exequitur legitimæ partis ſententiã: additque nonnulla quæ intelligi tamen poterant ex his quæ dixerat,quale & hoc, per rectum lateris patientis faciendam uenæ ſectionem. Hæc Galen. Ex quibus liquet,eandem eſſe huius libri quarti & libri ſecundi de uenæ ſectione in pleuritide ſententiam , adiecta conditione ſemper ab Hippocrate intellecta,ut è directo patientis particulæ fiat.Cum igitur (ut oſtẽdimus) ſectio, quam in ſecũdo libro præcipit, ſit ab initio morbi poſt calefactoria facienda , ſequitur eam è directo fieri debere.Nec eſt ut dicas,calefactoria tentandi gratia facta, & poſſe quocunque morbi tempore afferri,reclamante ipſo Hippocrate , & ab initio quidem libr. dicente, primum calefactoriis tentandum ut dolorem ſoluamus. & paulò pòſt : Si dolor ad calefactoria non ſoluitur , non oportere multo tempore calefacere, quoniam areſcit pulmo & pus gignitur. Nec probandi hi mihi uidentur , qui uerbo Hippocratis innixi , calefactoria non ad curationem pertinere putant , ſed ad tentationem : quum tamen ad complendam primam curatiuam intentionem , hoc eſt, ad euacuandam materiam in inflammatione contentam , ea fieri iubeat Hippocrates , & , quemadmodum ait Galen. ad attenuandum & diſcutiendum ſanguinem in phlegmone contentũ. Quod ſi non ſequitur, eſt quia plus trahitur quàm diſcutiatur:quod abſq; copia humorum in toto corpore non accidit. Quare euacuandum totum corpus uel per uenæ ſectionẽ,uel per pharmacum,nec calefactoriis amplius utendum.Et hæc pro ſolutione ſecundæ rationis uidentur ſufficere,nec opus eſſe ut dicamus aliã indicationẽ ſumi à materia,aliã à loco:uel quod in pleuritide nõ ſumus certi à quo loco materia fluat, ſicuti in capite & utero. Tertiam rationẽ non adducis, neq; ego ſcio quęnam ſit:ſed cũ dicas eadẽ uia remanere efficaciſsimam,ego pariter dicere poſſum,quòd eadem uia tollenda ſit. Ad quartam accedendo,quæ inter omnes uidetur probabilior , dico,Galen.uerba 13. Meth.quòd auerſio ſit ad longiſsima facienda,eſſe ſanè,& eo modo quo ipſe ſemetipſum declarat,intelligenda:alioqui ſemper opus eſſet ſcindere uenam,quæ per duas(ut aiunt)diametros diſtat à loco patiẽte,atq; in pleuritide non è talo malleolóue è directo lateris patientis ſito mittẽdum ſanguinẽ, ſed ex oppoſito:quod nec tu,nec Auicenna fatetur.Moderari igitur hoc Galeni dictum oportet per duas eiuſdẽ ratas & perpetuas ſententias,eam ſcilicet quam nuper tetigimus,ut è directo patientis loci:& alteram,ut per communes uenas,adde,ſi placet,& nota dignas,fiat euacuatio;ne cogamur fateri uenas extremæ manus,debere in pleuritide præ aliis ſecari.Sed aduertenda quoq; bene loca Galeni,in quibus præcipit,reuulſionem ad longiſsima faciendam,atq; cum præcedentibus ſubſequentibúsq; uerbis & ſententiis conferenda.Occurrunt autẽ nunc mihi quatuor loca,in quibus ea uerba ſcribuntur.Primus libro ſecundo de natura humana,ubi non ex propria ſententia à Galeno ſcribuntur,nec quaſi Hippocratis magni uerba,cum pro Hippocratico libellum illum ſecundum Galen.non agnoſcat,ſed ueluti à neſcio quo ſcripta,quem deridendo nouum Prometheum uocat: qui poſtquam modo ſuo uenas finxerat,edocturus earum ſectionem,ait : Studere oportet inciſiones facere quàm longiſsime à locis,in quibus dolores fieri didicimus. Quæ uerba exponens Galen.autorem illũ damnat,quòd non determinauerit,utrum dolentibus iam partibus reuulſio influentium humorum ſit ad remota faciẽda,aut ſanitatis tempore:ſibi autem uideri,hæc potius in ſanis dici:uolente ſcriptore,redundantes humores aſſueſcere ad alias ferri particulas. Secundus locus eſt Artis medicinalis,qui eodem modo intelligẽdus eſt,ſcilicet ſanitatis tempore:ſiquidem de parte artis,quæ præſeruatiua dicitur,inibi ſermo habetur. Tertius & quartus locus ubi mentio longiſsimæ huius reuulſionis,eſt 13.lib.Methodi.Bis autem ibi hoc legitur, ſed ſecũdo loco cum exemplorum adiectione,per quæ oſtendit ſe nõ de lõgiſsima ſimpliciter loquutum,imo nec de ea,quæ licet nõ extremè diſtet,ualde tamẽ remouetur.Siquidẽ in affectionibus capitis,præfert humeralem medię & iecorariæ:& in affectionibus iecoris,pectoris & cordis,reliquis anteponit iecorariam,cũ tamen aperte cõſtet,humeralem capiti,& iecorariã iecori,eſſe propinquiorem.Demũ generaliter loquens,ait: Semper autẽ in omnibus eas quę è directo. A qua directione cum cadat ea uena quæ ex oppoſito iacet lateri pleuritide uexato,conſtat ſecundum Galeni mentẽ,nõ hãc,ſed eam quæ è directo,eſſe ſecandam,quod etiam aperte dixit in libro curatiuo de uenæ ſectione. Nec dici poteſt (ut tu in reſponſione ad primam Curtij rationem ſcribis ) Galenũ de illa uenæ ſectione locutum, quæ in conſiſtendi uigore fit : quum apertiſsimis uerbis teſtetur in eodem 13. libro Method. ſe de principijs loqui inflammationum. Ab initio ſiquidem eius ſermonis ait : Subijciatur igitur hepar incipiens inflammationem pati. Et paulò poſt : Oculis inflammationem pati incipientibus, & in iocinore cum phlegmone laborare incipit , & in renibus , ſicuti ſi renes. Et ne longiores ſimus in re manifeſta , in tota illa ſerie de principio loquitur inflammationum,atque uniuerſaliter concludit faciendam è directo euacuationem. Verum quo pacto poſſunt Hippocr. & Galen. quando ſecandam uenam in pleuritide ex directo dicunt, in conſiſtendi uigore intellexiſſe , ipſo Hippocr. quaſi præconis uoce in aphoriſ.medicis clamante : Incipientibus morbis ſi quid uidetur mouendum , moue:cum autem in conſiſtendi uigore ſunt,quietem habere melius eſt. Galenóque in hæc uerba ei ſuccinente : In illorum morborum principijs,in quibus ſpes eſt,ſaluari debere laborantem , tentandum eſt afferre maiora auxilia,de quibus dixit Hipp. Si quid uidetur mouendum,moue. Sunt autem hæc,phlebotomia præcipue, interdum etiam purgatio , quorum neutrum in conſiſtendi uigore accipiendum.Niſi igitur uoluerimus faterі,Hippo.& Gal.ſibijpſis pugnantia ſcripſiſſe,dicere nõ poſſumus,eos dum uenã ſecari,uel purgatorium medicamen dari præcipiunt,de conſiſtendi uigore fuiſſe locutos, in quo maiora auxilia penitus interdicunt , & quieti indulgendũ,ratio ipſa,quæ plus ualet quàm omnis autoritas,perſuadet:purgationem tamẽ ſicuti & uenæ ſectionem ab initio quandoq; concedentes. Quod certe mirum eſt te alioqui oculatiſsimum,apud Gal.nõ legiſſe,eum locum exponẽtem,quem tu ex quarto lib. de uictu morborum acutorum citaſti. Subijciam autẽ Gal.uerba,à me utcunq; ex tempore translata:Pharmacum exhibendum quarto die abſq; determinatione dixit:in nullo enim auxilio laboranti afferendo intentio habenda eſt ad dierum numerum,ſed ueluti Hippocrates inquit,aut ſtatim ab initio priuſquam humores firmentur,exhibenda eſt pharmacia:aut poſterius,quando iam fuerint concocti. Quare & circa primam diem, interim & ſecundam & quartam,interdum & quintã, pharmacum exhibuimus,non in quarta ſolum,quẽadmodum iſte ſcripſit. Hæc Galenus. Quibus ſi addideris ea quæ ab eodem in principio huius comment.ſcribuntur , aperte cognoſces, ſectionem uenæ & purgationem,quas Hippocr.lib. 2.præcepit,eſſe in pleuritide ab initio faciendas. Ait enim , Pleuriticum nominauit

eum

eum qui ab Hippocrate in parte libri legitima dictus eſt, in quo purgat eos qui ita ſe habent pleuriticos. Hæc Galenus, eos qui ita ſe habent intelligens, in quibus ſcilicet dolor eſt in inferiore thoracis parte, quos ſe quandoque purgaſſe prima die Galenus fatetur, atque ut ſequens eſt, in principio (quocunque trium modorum apud medicos notorum principium accipiatur) in quo etiam principio, dolore aſcendente, ſectionem uenæ facit. Nec dici poteſt (ut tu dicis) quòd Hippocrates hoc pharmacum dederit, ad materiam antecedentē uacuandam, cùm loco ſectionis uenæ eo utatur, per quam euacuari uoluit materiam in inflammatione cōtentam, quæ ad iugulum uſque & ad brachium dolorē facit, eandémque intentionem euacuandi per pharmacum in dolore ad præcordia declinante habere uideatur, ut ſcilicet utraque & reuellere, & materiā in inflammatione contentam, ualeat euacuare. Sicuti enim purgatio ad contrarium trahit, quia à ſuperioribus ad inferiora: ita & uenæ ſectio è directo facta, ad contrarium multis modis trahit, ut ſuperius (ni fallor) demonſtratū eſt: ambæque propterea contrarietatis ratione pariter reuulſiuę dici merentur. Galen. tamen, quemadmodum in epiſt. ad Pharuſium ſcripſi, in hac purgatione receſsit ab Hippocr. quod adeò clarum eſt, ut mirari ſatis non poſsim, eſſe uiros alioqui excellē. qui dicant Galen. aliquando ne latum quidem unguem, unquam ab Hipp. receſsiſſe: cum nulla ferè ſit Hippoc. commētatio, in cuius expoſitione non ſemel eum (modeſte tamen) reprehendat: prętertim ſi pro Hippocraticis habeamus, quęcunq; ſub eius titulo & nunc leguntur, & apud antiquiores ſunt lecta. Sed & in legitimis magni Hippocr. lib. exponendis, ut erat liberi animi, & nullius addictus iurare in uerba magiſtri, modo ordinem, modo uerba, ſed & interdum ſentētiam quoque non approbat. Sed ut reliqua nunc dimittamus, quis non cognoſcat in hac parte pro Hippocr. Gale. non ſtare? ſcribente Hippocr. ſi ſubter ſeptum fuerit dolor, & ad clauem non adnuat, mollire aluum oportet, aut nigro elleboro, aut peplio: Galeno uero ipſo, poſtquam Hippo. uerba expoſuerat, dicente, Cognoſcere quidem hæc oportet & meminiſſe, non ſemper uero in pleuriticis uti. Quod enim dixerat Hippocr. agere oportere, Galenus dicit non ſemper agendum: nec ſolum dicit, ſed rationibus probat, etiam ex aphor. cuius initium, In acutis paſsionibus raró: & in principijs, pharmacijs utendum, atque ex febris uehementia, in qua etiā ſi dolor ad præcordia perueniat, per ſectionem potius uenę, quàm per pharmaciam euacuatio facienda, quia maius periculum in ea eſt, & maiori infortunio ſubijcitur, præcipue quando naturæ ægrotantis experientiam non habuerimus. Quod igitur Hippocrates dixit, ſermone abſoluto oportere fieri, hoc Gale. raro faciendum dixit, & ſolummodo duabus ſtantibus conditionibus, febri ſcilicet non uehementi, & cognita per experientiam ægrotantis natura. Aphoriſmus autem à Gale. adductus, clare oſtendit, pharmaciam hic ab Hippocr. præceptam, eſſe intelligendam in principio: alioqui non eſſet propoſito Galen. deſeruiēs, ſi Hippocr. in lib. de uictu morb. acut. de pharmacia in conſiſtendi uigore danda intellexiſſet, quum aphor. de principio loquatur. Vtrumque igitur liquet, & Hippo. de euacuationibus in principio faciendis locutum, & Galen. cum Hippocra. in ſectione uenæ ſenſiſſe, ſed in pharmacia ab eo diſcordaſſe. Pariter quoque tollitur, quod à te dictum eſt, Hippoc. non de pręſeruatione, ſed de curatione tantum locutum, quæ morbo iam facto debetur. Non enim conſueuit Hippoc. præſeruationē à curatione, in morbis adhuc fientibus diſtinguere: ſicut nec ſemper eos actus diſtinguit Gale. Hippoc. ſiquidem in aphor. inquit: Quæcunq; ægritudines à plenitudine fiunt, euacuatio ſanat. Quem aphor. Gal. enarrans, delirare quoſdam neotericos dicit, aſſerentes ablationem cauſarum morbos facientium non eſſe curationē, ſed præſeruationem: ibi eſſe ſolam curationem dicens, ubi non adeſt cauſa faciens: ibi pręſeruationem, ubi cauſa quæ adeſt, nondum morbum facit: tunc mixtā quodammodo præſeruationem & curationem, cum facit: nec habere proprium nomen, & propterea aliàs alio, in hoc opere medicos uti, modo curationē, modo præſeruationem uocantes. Dicere igitur, Hippoc. docuiſſe curationem, non præſeruationem, eſt in nomine (ut Gale. ait) litem facere: & ut in cyclicis & clamoroſis diſputationibus fortè tolerari poſsit hæc reſpōſio, in his certe quæ pacato animo tractantur, fuga potius uidetur quàm defenſio, præſertim cum nullibi Hippo. aliam docuerit uenæ ſectionem, neque in pleuritide, neq; in alio quouis morbo, quàm quæ per directum, tacendóque ſemper aliam, & hāc laudando, etiam tacendo nos monet, eam quæ ex diuerſo fit latere, ſemper fugiendam: & quoties iubet uenæ ſectionem, eam iubere quæ fit per directum. Quod conſiderās Gale. obſeruánsq; diligēter ea quæ quotidie in ægrotis uidebantur, & quæ Hippo. exacte cuſtodiens ſcripſerat, unum & primum caput eſſe dicit, ſanguinis eruptiones: quę per rectum fiūt, maximum afferre ægrotantibus emolumentum: & quæ è contrario, non iuuare, ſed diſſoluendo uires potius obeſſe. Quod ubi in lienis & iocinoris tumoribus mōſtrauit, ad operationes artis cōuerſus, idem in cucurbitulis & uenarum ſectionibus cōtingere oſtendit. Deinde ad pleuritidem ueniēs, ſubdit: Verum & in pleuriticis, quę ex directo patiētis lateris uenę ſectio, euidētiſsimū multoties demonſtrauit iuuamentum: quæ uero ex oppoſita manu, aut omnino exile, aut poſt tēpus. Videre igitur hinc licet, & præponi eam quæ ex directo alteri: & Galenum ad ſic ſentiendum, non tantum Hippoc. autoritate ductum, quantum naturæ imitatione, & longi tēporis obſeruatione. Quòd ſi (ut dicis) non ex propoſito ibi locutus eſt, ad quēnam quæſo alium locum pertinere hæc tractatio magis poterit, cum liber hic peculiariter ſit ſectioni uenæ dicatus? & in eius proœmio quęrendum inter reliqua dixerit, an differat, quācunq; quis maluerit uenam ſecare, cum omnes ęque in omni iuuēt affectione: an quemadmodum Hippoc. & alij probatiſsimi medicorum uoluerunt, magnum diſcrimē ſit, ſi hanc uel illam ſecueris. Quod diſcrimen quum in hoc loco ex eiuſdem Hippocr. uerbis monſtrauerit, neſcio quomodo dici poſsit, non ex propoſito locutus. Sicuti nec etiam uideo, quo pacto credendum, ſectionem ex directo in pleuritide non poſſe fieri ab initio, prętertim quum oſtenſum ſit, eam retrahere ſemper & quandoque ſi mutatio coloris expectetur, ex loco euacuare, atque, ut ſequens eſt, trium uenæ ſectionum uim habere: Reuulſiuæ quidem, quatenus ab interioribus ad exteriora, à ſubcingente uidelicet membrana, quæ intra thoracem eſt, ad cubitum, atq; à dextro ad ſiniſtrum, uel è contrario, & aliquo etiam modo ab inferioribus trahit ad ſuperiora. Deriuatiuæ, quia ad brachium trahit, à latere non ualde longinquum. Demum & ex ipſo loco, ſi ſanguis eouſq; ſinatur fluere, quoad ille exeat qui in phlegmone continebatur: quod permittere optimū eſt, inquit Galenus libro de uenæ ſectione, in omni magna phlegmone, quæ eſt prope ſectam uenam. Nemo autem mirabitur eandem uenam eiuſdem loci comparatione, dici longè & propè, qui ſciat eas uoces de numero earum eſſe, quæ relatiuæ nominantur. Iecoraria quippe uena prope membranam inflammatam eſt: uenæ extremæ manus uel tali relata lōgè ſi axillaris initio. Si igitur Hippocr. & Galenus ita in pleuritide, ſicut & in alio quouis morbo, eam quæ per directum fit uenæ ſectionem ſemper laudarunt, atq; ei quæ per aduerſum prætulerunt, neq; unquam inueniuntur aliter ſcripſiſſe: quis duabus uocibus quibus Galen. uſus eſt, *contrarij* ſcilicet & *longiſsimi* motus, (quas tamen ſanè intellectas monſtrauimus ei quæ per rectum conuenire) dicere poteſt, eam quę in aduerſo fit cubito, in aliquo uel caſu uel tempore, iuxta illorum ſententiam, in pleuritide eſſe præferēdam? quas certe uoces *contrarij*, ſcilicet & *longiſsimi*, non ex noſtra (ut plerunq; fieri ſolet) imaginatione, ſed modo quo ipſemet Galenus uoluit, intelleximus: atq; uel ex hoc unico fundamento dilui, quæcūq; ex uerbis Hippoc. & Gale. aduerſus hanc ſententiā fiunt argumenta, monſtrauimus. Quo uero modo tueri ſe poſsint, qui Arabas ſecuti uenam cōtrarij cubiti primò, poſtea eam quæ è directo eſt, ſcindunt, in quadam mea ad Pharuſium epiſt. monſtraui: quam, ſi fortè tantū tibi ocij quandoq; erit ut legere poſsis, unà cum alijs meis multis nugis, ad te mitto, rogans obteſtánsq;, ut quæcunq; non probabis, quæ neceſſario plurima erūt, obelo confodias. Malo enim tali enſe pereant, quàm miſerā uitam agant. Vale, & me ama. Ex Ferraria, V. Idus Iulias, M. D. XXXI.

EPIST. II. *Iacobo à Barthen Dantiſco, uarijs malis affectibus quinquennium afflicto.*

Conſi

COnſideratis diligenter his, quæ tum ex tuis literis, tum ex colloquio ſæpenumero inito, de tuis malis affectibus intellexi, iudico omnium malorum quæ pateris, cauſas eſſe, atram bilem & pituitam, in toto quidem corpore, ſed præcipue circa præcordia, oſtiúmque uentriculi, quod πυλωρὸν Græci nominant, coaceruatas, atq; inde ad cerebrum fumidos uapores mittentes. A duobus autem hiſce humoribus ita oriri quæcunq; te uexant ſymptomata, ut nõnulla utrunq;, nonnulla alterũ tantũmodo ſequãtur. Nam capitis dolor & ueluti quaſſatio, & eiuſdem ac oculorum grauitas & caligatio, aurium ſonitus, ructus, ſomniorum copia & uarietas, totius corporis ſegnities, utriuſq; humoris ſunt germina. Frõtis uero calor, aluus adſtricta, arida ſcabies, pruritus, dentium corroſio, immodicus appetitus atram bilem peculiariter conſequi uidentur: ſicuti ſomniorũ obliuio, nariũ obſtructio, ſpirandi difficultas, mucus, & ſcreatus multus, mingendi difficultas, cum lotij tamen copia, pituitæ redundantiã. Cuncta igitur hæc, præter frontis calorem, pruritũ, & dentium corroſionem, à frigida ſunt temperatura, quæ à naturalibus præcipue membris ad loca patientia tranſmittitur. Frontis uero ille calor quandoque perceptus, pruritus, & dentium corroſio, ab ea atræ bilis parte fiunt, quæ maiorem paſſa aduſtionem, ad quendã modum calorem contraxit. Curatio igitur & præſeruatio uniuerſorum congrue fiet, ſi duo illi mali & redundantes humores ita coërceantur, ut poſthac modice habentes, inter proprios fines deliteſcant, atq; membra, quæ ab eis lædi conſueuerant, adeò robuſta reddantur, ut ſe ab eorum impetu, ſi quando inuaſerint, tueri ualeant. Duo autem hæc, quatuor ſalubribus cauſis abſoluentur, his uidelicet quæ ſumuntur, quæ gerũtur, quæ educuntur, quæ foris admouentur. Sumenda ſunt cibus, potio, medicamenta, aër. A cibis ergo orſi, uitanda eſſe dicimus concocto difficilia, craſſos humores gignentia, & quæcunq; immodicè uel calefaciunt, uel infrigidant. Vitandi ergo piſces magni, tenaces, & omnes quotquot in aquis ſtantibus capiũtur. Qui uero ab his immunes ſunt, aromatibus uel odoratis herbis ſunt condiendi. Elixi præcipue conueniunt: ſed & aſsi tolerantur. Oua quocũq; modo parata, præter gallinacea, ſorbilia uel tremula. Lac, caſeus, butyrum, & quæcunq; ex eis eſcæ parantur. Carnes ſenum aquatilium & ſyluestrium, præter phaſianos, perdices, & paruas auiculas, quæ in dumetis paſcuntur. Salita omnia, & multis aromatibus uel acribus radicibus condita, frixáque, & ex aſſatione ueluti exuſta. Fructus omnes, pręter piſtacia, paſſas uuas, auellanas. Legumina omnis generis. Omnia olera, præter mentham, apium, quod petroſelinum uocãt, ſaluiam, pulegium, origanum: quæ tamen medicamenti potius quàm cibi ratione tolerantur. Frumentacea omnia, hordeo, farre & auena exceptis. Panis Azymus, minus uel nimis coctus: clibanitius, uel alio quouis modo, præterquàm in furno coctus. Crapula demum, & quantũ per patriæ conſuetudinẽ licet, ciborum uarietas. Potus ſit uel uini mediocris, uel ceruiſiæ hordeaceæ, uel medonis uocati, quibus pauci lupi ſalictarii flores ſint adiecti: uel pura mulſa aqua in qua aſſatus panis ſit extinctus, uel aneſorum ſemina decocta. Medicamẽti potius quàm cibi ratione potes, raro tamẽ, ℥.2. uini Cretenſis, quod Maluaticum uocãt, mane bibere: capite tamen non multũ laborante. Medicamenta ſint, quæ præcidendi, attenuandi & roborãdi uim habeant: qualia ſunt inter ſimplicia, abſinthiũ, anethum, meliſſophyllum: ſemina aneſi, fœniculi, cumini: caſia (quæ Cinnamomum dicitur) zingiber, piper. Ex his poſſunt parari aromata, addendo pręcipue ęſtatis tempore tantundẽ ſacchari. Inter cõpoſita: Syrupus de mentha, de abſinthio, de calamintha. Electuarium aromatitium roſatũ, diambri, diamoſchon. Aëris cuius inſpiratio ſemper neceſſaria eſt, maxima habenda cura, ut ſit purus, non occluſus, nõ eximie uel calẽs uel frigens. Et ſi quando calefaciẽdus erit, lignis potius ſiccis & odoratis, idque noſtro potius more fiat, quàm (per fornaces quas ſtubas uoçatis) ueſtro. Debet etiam ab omni malo odore eſſe penitus immunis: quod per ſuffumigium agallochi, uel benzoi uocati, cõgrue fiet. Et hæc quidem de ſumendis dicta ſint. Faciẽda, motu, ſomno, uenere, ſtudiis comprehenduntur. Motus ſub ſe cõtinet ambulationem, curſum, equitationẽ, aurigationem, nauigationem, & id genus reliqua. Sed & exercitium proprie acceptũ, quod ſupra dictos motus addit ſpirationis mutationem. Nullus enim motus uere exercitium dici poteſt, niſi adeò uehemens ſit, ut anhelare quodammodo cogat. Quod ut ſummæ utilitatis eſt, ſi cibũ præcedat, ita maxime noxium, ſi ſequatur. A cibo igitur uel quieſcendũ penitus eſt, uel leniter corpus mouendũ. Et quod de exercitio dictũ eſt, de frictione etiã intelligẽdũ, quãdo & ipſa motus quidã eſt.

*Pituitæ & atræ bilis incommoda.*

Quemadmodum uero motũ cibus, ita hunc ſomnus ſequi debet, ita tamen ut inter utrunq; quies mediet. Somnúſq; nocturnus ſit, non diurnus, niſi aliqua cauſa interceſſerit, quæ noctem inſomnẽ ducere coëgerit. Sit autem ſomnus horarum ad ſummũ octo, nec corpore ſupino, ſed primo ſupra dextrum, ſecundo ſupra ſiniſtrum latus fiat. Ad agẽda quoq; uenerea pertinent, à quibus abſtinere Chriſtiana religio iubet eum, qui uxorem non habet: cui potius obediendum, quàm Galeno, modicum eorum uſum & per interualla, in tuenda ualetudine commendanti. Ad peragenda quoq; referuntur ſtudia, quę nõ alia ad te pertinere puto, quàm literarum, in quibus laborãdum non eſt, niſi ubi cibus iam deſcenderit. Quo tempore nec aſsidue tibi congruit uel legere uel ſcribere, ſed utrunq; crebrò interrumpendum. Ita enim & minus læderis, & alacrior ad illa reuerteris. Sed de agendis hæc dicta ſint: ad tertium, hoc eſt, ad euacuanda ueniendum.

Ventris igitur excrementa ſingulo quoq; die procuranda, & lotium ciendum. Quod ſi ſponte, uel nequaquam, uel ægre eunt, illa uel clyſterib. uel uini fece, uel ſena, uel polypodio, uel ſiliquæ Aegyptiæ carne educẽda: hoc uel adianthi, uel elij, aſparagi, uel pampinellę uocatæ, uel aſplenij decocto ducendum. Euocandus præterea modicus ſudor, & ea quæ obtutum effugit euacuatio adiuuanda, quæ ſi per frictionem & motus ſuprà recitatos, quantum uidebitur opus eſſe, fieri non uideatur, per ea quæ extrorſum occurrent, erit adiuuanda: de quibus paulò pòſt mentio futura eſt. Antea enim docere oportet, quo pacto redundantes humores uacuandi ſint, ſi qui fortè aderunt, quod uix uitari poterit. Purgandum igitur bis in anno corpus uniuerſum, hique humores præcipue, ex quibus omnes tuos malos affectus diximus prouenire. Veris purgatio per potiones mollienda, quæ recipiunt: Senæ ʒ.6. epithymi ʒ.1. myrobalanorum chebularum pulpæ ʒ.1.s. ſampſuchi ʒ.2. Bullient hæc omnia in ſex uncijs aquæ, tantiſper, donec media pars aquæ ſuperſit, cui addendæ ſyrupi de ſtœchade ℥. binæ. Sumenda autem hæc potio, diebus ut minimum decem, ex qua niſi congrua euacuatio fieri uideatur, tertio quoque die una ex his pilulis ante eam deglutienda ueniet: Agarici ℈.2. pilularum & Cyaneo lapide, quem Lazuli uocant, ℈.1. nucis moſchatæ grana 6. cum aqua ſampſuchi formentur tres. Vbi ſatis mundum corpus fore uidebitur, roboranda nobilia membra per hanc antidotum, mane & ueſperi uacuo uentriculo deglutiendam: Sacchari roſacei ℥.3. aromatici roſacei ℥.1. miſce. Autumno purgatio per hæc facienda: Fumariæ, ſenæ, polypodij ana ℥.s. pulpæ myrobal. citrinarum, ſeminis intybi ʒ.1. foliorum mollium boraginis manipul. 1. Bulliant in libra media aquæ ad mediæ partis conſumptionem, abiectíſque ſpeciebus quæ bullierunt, addatur decocto, Syrupi de fumo terræ, & ſyrupi facti ex aqua in qua roſæ quinquies mutatæ maduerint, ana ℥.1. Poſt has potiones decies plus minus ebibitas, hac confectura utendum: Sacchari roſacei, boraginacei ana ℥. 1. s. maceris ʒ. 2. ſeminis intybi ʒ. 1. cum iulebo roſaceo ad congruam formam reducantur, eiúſque miſcellæ ſemuncia, cœna bene concocta, mane deglutiatur. Atque in hunc modum educenda quæ redundant, cauendúmque ne ſimilia deinceps aggregentur. Supereſt demum ut ad ea quæ extrinſecus admouenda ſunt accedamus, quę hiſce generibus continentur, aëre, aqua, balneo, oleo unguento. Aërem inhabitet quantum poteſt, tum calore, tum etiam craſsitie mediocrem: feneſtræque cubiculi ubi moratur, inter occaſum & meridiem ſpectent: ſolarẹ́ſque radios quantum ualet, lunares ſemper deuitet. Balneo totius corporis utatur ex aqua, in qua ſaluia, origanum, pulegiúmque bullierint. Caput crebro abluat lixiuio ex ſublimi cadente, in quo chamæmelum & lauri folia bullierint. Poſt balneum, uniuerſum corpus bene perfricetur, & poſt frictiones, oleo oliuæ dulci inungatur, præter capitis ſuturas,

quæ

quæ ex oleo per chymicā artē ex uera terebinthina & nuce moſchata extracto,erunt inungendæ. Oleum tepidū auribus inſtilletur,in quo ruta, ſampſuchus,& lauri baccæ bullierint. Mane naribus per digitum uel pēnam,molle ceratum infundet,quòd ſit hoc modo paratum:Olei nardini ℥.1.pulueris piperis albi ʒ.s.ellebori albi ℈.1.cum pauca cera fiat molle ungentum. Puluerem crebrò naribus admoueat huiuſmodi:Nucis moſchatæ ℈.3.gariophyllorū ℈.2.benzoi ℈.1.ambræ ℈.s.moſchi grana quinq;.Poteſt ex eiſdem puluenbus cum ladano in aqua roſacea reſoluto in eundē uſum pila parari. Dextrum hypochondrium unguento inungatur,quod habeat,Olei de abſinthio ℥.1.s.puluers ſandalorum citrinorum ʒ.1.cinnamomi ʒ.s.ceræ & aceti roſati parum. Gingiuæ & dentes cum melle roſaceo perfricentur, cui puluis corallorum alborum ſit adiunctus,ut ſint ipſius mellis roſacei partes 8.& corallorum 1.Ventriculi os ſouendum uino,in quo mentha & calamus aromaticus & maſtiche decocta ſint.Lienis regio ex oleo de cappa ribus,cui adiectus ſit ſuccus aſplenij , uel ipſius herbæ puluis,& exiguum acetum, inungatur. His præſidijs ſpero te,mi Iacobe,Deo optimo maximo iuuante,ualetudinem priorem recuperaturum: qua inſtaurata, ſi in Italiam reuerſus me adhuc ſuperſtitem inueneris,dabis operā ut me reuiſas:ſin minus , quod magis credo, pro ſalute animæ meæ ad Deum preces fundes.Interim tamen celebriores aliquas herbas,ex his quæ apud uos naſcuntur , ad nos mittes, atq; ſi tibi occurrerit ſuccini fruſtum,in quo uel muſcæ,uel formicæ,uel inſectiliū id genus aliquod occluſum ſit. Ex Ferraria, IIII. Idus Martias,Anno à reparato per CHRISTI natiuitatem mundo, M. D. XXXIIII.

EPIST. III. *ad Alphonſum Guarinum, de uini temperatura.*

CVM ex ueterum autorum lectione,longóq; uſu didiciſſem,quàm arduum ſit inter doctos uiros inuicem diſsidentes,ſe ueluti mediatorem & arbitrum interponere:onus à te mihi iniunctum,quantū ſalua amicitia ualebam, detrectaui. Verum tibi iterum atque iterum roganti,reluctari diutius non ualui , cui antequam in hanc lucem prodires , me ex aſſe debere cognoſcebam,qui patrem tuum Baptiſtam,morum integritate,incomparabili grauitate , bonarúmque literarum peritia,nemini ſecundum,præceptorem habuerim:& Alexandrum fratrem ceu paternarum uirtutum hæredem,ſemper coluerim,& admiratus ſim:Vt auum Guarinum prætermittā,cui uniuerſa Europa , quicquid elegantiæ , quicquid peritiæ & nitoris in utraque lingua habet,totum debet,& ueluti bonarum literarum parentem ueneratur,& adorat:Te etiam ab ineunte uſque ætate maiorum ueſtigia ſequentem ſemper amauerim,& in magna habuerim & habeam expectatione. Accipe igitur meam de uinorum temperatura ſententiam , itáque accipe, ut neutri parti ne præiudicij quidem , ſed nec maioris cuiuſdam teſtimonij loco cenſendam, Vale mi chariſsime Alphonſe , & , quod facis, indies magis magiſque fratris , & patris & aui uirtutes æmulare. Ex ædibus noſtris, X. Calend. Maias, M. D. XXXIIII.

IN uniuerſa naturæ hiſtoria haud temere rem inuenias,in qua tot agnoſcantur faſtigia, quot in uinorum genere.Nam ut conſiſtentias, colores,odores,uiréſque prætercam,nonnulla aquea, aliqua acida,alia auſtera, alia dulcia,alia amara,alia acria,quædam diuerſis mixtiſque ſaporibus ſunt affecta.Saporis autem hæc multiplicitas non tantum in alijs atque alijs generibus,ſed & in uno eodémq; genere,pro ſoli natura & cultu,pro diuerſo uitis ad ſolem aſpectu,pro arborū quibus maritatur conditione,pro uuæ maturitate,atq; pro ipſius ætatis etiam uarietate contingit.Iuxta quorum ſaporū diſcrimina , temperaturas quoque uariari neceſſe eſt: nec in qualitatibus paſsiuis ſolum , de quibus eſt inter excellentes hoſce medicos controuerſia, ſed in ipſis quoque actiuis,in calore uidelicet & frigore. Alba enim & tenuia,aquoſa uocata, ſicuti aquæ conſimilem nacta ſunt formam,ita & uiribus ab ea non magnopere remouentur:quare non ſolum humida, ſed uel frigida,uel certe parum calida dicēda ſunt. Auſtera uero,& ſtryphna à Græcis,à nobis acerba uocata,ut in qualitatibus actiuis nō multum ab aqueis recedunt:ita in paſſiuis non parum diſcrepare credenda ſunt.Quemadmodum & acida , quæ ſi exacte acida ſint, frigida potius quàm calida putanda uidentur. A tribus autem iam dictis generibus,dulcia,amara & acria , plus minúsue abeſſe credendum eſt.Nam quæ exacte dulcia ſunt, calida modicè eſſe nemo dubitarit: ſicuti amara quanto dulcibus calidiora,tanto acribus eſſe minus calida. At quæ commixta ex uarijs hiſce ſaporibus ſunt,pro mixtionis uarietate mixtam quoque temperaturam habere neceſſarium eſt:ſicuti quæ nullum ex iam dictis ſaporem præ ſe ferunt, ſed ueluti ſine alia quàm uini ipſius propria qualitate ſe guſtui repræſentant, medium locum inter omnia enumerata tenere uidentur,ut ſcilicet intelligamus totam uinorum latitudinem, duobus extremis claudi:uno quidem uel ſimpliciter frigido , uel certe aquæ frigiditati ualde proximo : altero,ut acerrimo,ita ad quartum proxime calidorum ordinem accedēte. Quorum extremorum unicum quidem ſit exacte medium,æquali uidelicet interſtitio ab utrouis extremo ſemotum,quod diuerſa utrinq; derelinquat media, calidiora uidelicet & minus calida , prout huic uel illi extremo ſunt propinqua magis,quæ tot ſunt,ut uix ualeant numerari.Nobilibus enim,quæ Plinij tempore ſerē 80.erant,pleraq; nobilia poſt Plinij tempora ſunt addita:tótq; ignobilia,ut nulla ſit patria in qua peculiaria multa non ſint reperta.

Eſt præterea in uinis ſicuti & in multis rebus alia habenda contemplatio,quod ſcilicet & cibi & medicinæ ſubire rationem poſſunt.Cibi quidem quatenus à calore naturali uicta,in ſubſtantiam tranſeunt membrorū: medicinæ uero,quatenus in ipſum corpus agentia eius immutant temperaturam. Primū ſi in uinis conſideremus,plus minúsue,calida tamen & humida omnia eſſe dicemus,iuxta uidelicet maiorē minorémue ad hoc ut in ſanguinem conuertantur aptitudinem. Si ſecundū,præter illa quæ aquea penitus ſunt,uel exiguo quodam interuallo ab eis remouentur,reliqua calida & ſicca dicemus.Sed & illud non prætereundum, uina quātumuis ſicca uiribus ſint,actu tamen fluida humentiáq; dici poſſe. Nemo igitur qui hæc conſiderauerit, uitio uertere debet,uel inſcitia alterum horum duorum medicorum damnare,quādo habet uterq;,& autores medicinæ primarios ſuæ ſententiæ fauentes,& rationes & res ipſas ſuffragantes. Hippocra. enim lib.2. de uictu, prius (quod ſciamus) cum uinum calidum & ſiccum ſimpliciter eſſe dixiſſet,pauló poſt ait,Ex uinis nigra & auſtera ſicciora,dulcia nigra humidiora. Et pauló poſt ſubdit,Humiditatem facientia.de eiſdem dulcibus, ut ego arbitror,loquens,quatenus cibi rationem ſubeūt. Quod ex illis oſtenditur quæ de defruto pauló poſt ſcribens ait,Ideo humectat,quia nutrit. Sequutus Hippocratem Galenus,ubi de medicamentis loquitur,uinum calidum & ſiccum eſſe, abſolute & ſimpliciter affirmat:ad ea uina reſpiciens,quæ uere uina dici merentur. Hæc enim ſiue intrà , ſiue extrà corpori temperato admoueantur,& calefaciunt & exiccant. Niſi enim ſicca eſſent,ulceribus humidis non conferrent:niſi ſimul calorem haberent,pituitoſos non iuuarent:ſed neq; craſſiorem ſanguinem in uenulis oculorum abundantem, diffunderent & euacuarent:uerum nec immodicam & inexhauſtam appetentiam,quam caninam uocant,ſanarent. Vbi uero idem Galenus uina ſub alimenti uel fluidæ quā in ſe habent naturæ ratione cōſiderat,ea humida eſſe non abnegat:ut & in expoſitione illius aphoriſmi,Facilius eſt impleri potu quàm cibo. Et in ſeptimo Methodi,in qua parte docet ſiccas intemperies per cibos ſanare. Nam quæ in lib.de tuenda ſanitate tradūtur,nemo dubitauerit ad cibos pertinere.Sicuti & quæ in expoſitione libri introductorij de pulſibus , quum dicat eam quæ ab ipſo adiectionem fit celerem eſſe, afferátque ipſius Hippocratis uerba,in lib.de humoribus ſcribentis:Qui celeri egent appoſitione,his res humida remedio eſt.Humidam rem uocans eam quę ſubſtantiam fluentem habet,non ſolidam.Quod etiam lib. 1.de uictu morb.acut.ſcribit,uinū & melicraton magis humectare quàm aquam,non de ſimplici,&,ut ita dixerim , qualitatis humectatione intelligi poteſt: quoniā quantūcunq; humidum uinum intelligatur,non tātū habere humidæ qualitatis poteſt, ut aquā,quæ humidiſsima eſt,ſuperet. Quatuor elemēta ſuas qualitates ſummas habet,Galeno teſte.Humiditas ergo qua uinum aquam præcellit, in hoc intelligenda, quód poſt utriuſq;

*Vina cibi & medicinæ rationē ſubire.*

utriusque potum substantia membrorum eius qui uinum ptisanæ præbibit, magis humida remanet. Secundo autem libr. uinum non aquosum his dari præcipit, qui ex cœna præter consuetudinem demissa exinanitas uenas habent, non humectationis maioris gratia, sed ut robur imbecilli iam facto ob inediam uentriculo subministret, quemadmodum in eius loci expositione docet Galenus. Quod certe uinum non facit, nisi quatenus cibi rationem habet: quam aliam esse ab ea quam ut medicamentum sortitur, ex eodem Galeno apertissime monstratur in expositione illius aphorismi libri quinti, cuius principium est, Si inebriatus quispiam repente inuocalis fiat. Ait enim, de uino loquens: Substantiæ igitur copia neruis affert conuulsionem: rursus autem qualitate, sanat eam quam fecit affectionem, neruos calefaciens & exiccans. In quibus uerbis, si uspiam alibi, aperte uini etiam nobilis & uinosi, alioqui non inferret ebrietatem, uim duplicẽ demonstrauit, humectandi uidelicet, dum conuulsionem facit: atq; exiccandi, dum iam factam remouet cõuulsionem. Quare nec culpandus Gaionus, qui calidũ & humidũ: nec Fumanellus, qui calidum dixit & siccum, sed & hic, & ille, non uitula, ut Maro inquit, sed lauro dignus & auro: si modo bonas has lites non contendendi cupiditate, sed ueritatis studio prosequuntur. Congratulandum autem nostro seculo, in quo non, ut olim, de medicinæ subiecto, non de primo ultimóue sanitatis aut morbi momento, atque cæteris id genus sophisticis nugamentis, sed de ipsissima (ut ita dixerim) medicina, hoc est, de his quæ ad opus ipsum & artis finem spectant, disputatur.

### EIPST. IIII. *pro reuerendiss. Cracouiensi Episcopo, imbecillitate uentriculi & omnium principaliorum membrorum laborante.*

PLurimis, & quidem pessimis, ac naturæ admodum rebellibus affectionibus, tribus iam annis afflictus est summè Reuerendus Cracouiensis Præsul, dignúsque ob innumerabiles singularésque animi dotes, & Nestoris annis, & Crotonis salubritate. Quũ enim tres sint principes humani corporis partes, caput, thorax, & aluus, nulla harum in eo fuit non ualentissime affecta. Quare nemo admirari debet, si Cracouiensis medicorum academia in eo recurando tanto tempore frustra laborauit, nec adhuc in pristinam eum reducere ualuit sanitatem, accedente præsertim grandiore iam ætate, uitáque curarum & cogitationum plena, imbecillitate etiam totius corporis, ex reliquiis subdoli & atrocis morbi Gallici uocati, & hydrargyro, per quod sanari uisus est, derelicta. *Hydrargyri malignitas.* Huius enim pharmaci uulgato modo extremis membris admoti, tanta est & tam pertinax uis atque malignitas, ut qui eo semel curati sunt, si (ut ferè omnibus contingit) in eundem morbum recidant, nullam aliam curationem admittant, sed reliqua præsidia etiam alioqui ualde efficacia, penitus respuere morbus uideatur. Quam rem cũ ego annos iam supra triginta obseruauerim, nõ nisi inuitus eorum curationem accipio, qui tali auxilio in uulgato modo sunt usi. Vulgato modo dico, quoniam aliũ ego modũ excogitaui, & longe tutiorem, & qui non adeò male affectũ corpus relinquit. Verum quum modus quo rarissimus hic antistes usus est, mihi sit penitus ignotus, enitar ut quocunq; id modo factũ sit, qualitas illa maligna ab hydrargyro facta submoueatur. Quod ut commodius atq; cum ordine quodam fiat, & desiderio excellentissimorum Cracouiensium medicorum, pro exiguis nostris uiribus satisfiat, curatiuæ prius intentiones ex indicationibus acceptę sunt à nobis, quantum ex literis ad nos datis colligi potest, inuestigandæ.

Est igitur, ut à naturalibus rebus exordiar, clarissimus hic dominus calida & humida totius corporis tẽperatura, subdominante tamẽ bile: in iuuenta quidem, in qua ego Reuerendam suam dominationem Viennæ & Pisonii uidi, rufa: demum immensis prouectiori ętati adiectis curis, atra: medio inter crassitiem & tenuitatem habitu, & ueluti quadrato corpore. Quod ad partes uero attinet, frigidiore uentriculo, calidiore iecore, corde & capite, ita ut ex his quidem humiditas. Iecori autem si (ut scribitis) siccitas naturalis iuncta, omnino fuit exigua: copioso enim mihi uisus est abundare sanguine, nec crassiore, nec uenis esse duris aut habitu sicciore. Creuit autem bilis, ut superius dixi, primo rufa, dehinc atra, nõ tam iecoris naturali siccitate, quàm uictus ratione, Gallicáq; lue, argenti uiui inunctione, corporisq; atq; animi laboribus: quare aduentitia potius & præter naturam reputãda mihi uidetur, quàm naturalis. Nec hanc solam superuenisse iecori præternaturalem qualitatẽ putauerim, sed secum etiam calorẽ: quare calidam & siccam in iecore innaturalem intemperiẽ & prius uiguisse, & nunc quoq; uigere non dubito: à qua bilis uitellina & atra, aliàs quidem maiore copia, nunc minore gignatur. Et ex uitellinæ abundantia, febris illa tertiana facta sit, & biliosus uomitus, & oris siccitas: quæ adeò exigua erat, quia à pituita (quæ & ipsa propter causas infrà dicẽdas redundabat) aliquantisper obtundebatur. Et præter hæc, aliqua ex parte uentriculi incendium. Aliqua ex parte dico, quoniã in hoc magis contulisse puto atram bilem, & longiore tẽpore quàm rufam id effecisse. Siquidem scribunt excellẽtes medici Cracouienses, cogitationes, silẽtium, mœstitiam, mortis timorem, & omnium rerum tædium hoc incendium præcessisse, & antequam cõtingeret, ueluti anteambulones præsignasse: quæ omnia fuerunt illius maligni humoris genimina. Quem certe humorem nõ solum in uentriculo, sed in liene, & in peritoneo, & in præcordiis (Græci ὑποχόνδρια uocant) & in mesenterio abundasse non dubito. Et quia per ani uenas, ut antea consueuerat, non expurgabatur: fumósq; ab eo exurgentes, & suspiria, & cordis ueluti adstrictionem, & interfectos pulsus, & somni carentiam, & aurium sibilum effecisse, & nonnihil etiã ad capitis grauitatẽ contulisse, licet maioris in hoc momenti pituitã esse putẽ, quæ frigiditate & humiditate uentriculi genita, ipsum quidem ad uomitum commouet, & appetentiam cibi & potus tollit: sursum uero sublata, & capitis grauitatem, & lacrymarum abundantiã, & palpebrarum genarúmq; tumorem: & per uniuersum corporis habitũ delata, rigorem gignit, atq; in musculis tensiuam fatigationem. Quòd uero caleant lacrymæ, non ex calida materia pituitæ admixta fieri, sed ex motus uelocitate, calore etiam natiuo capitis concoquente, qui ad sustollendam quoq; materiam confert: quam quum discutere non ualeat, ad aliquem modũ concoctam & supercalefactam, ad oculos, mala iandiu qualitate affectos, transmittit. Quòd uero oculus dexter magis quàm sinister lacrymas emittat, ex maiore eius imbecillitate puto contingere. Ferè enim in cunctis hominibus dexter oculus sinistro solet esse debilior: *Oculus dexter sinistro debilior.* cuius causam in Problematis scripsit Aristoteles, nec operæprecium est hoc loco referre.

Ex diutino demum hoc & uaporum & humorum ad caput ascensu factũ est, ut non solum per cõsensum, sed & proprio affectu laboret, concurrente etiam mala qualitate: tum à morbo Gallico, tum ab argento uiuo in eo relicta: luem enim illam caput petere, indicio sunt pustulæ, quæ statim à pudendorum infectione in capite solent oriri. Quãtum uero argentum uiuum obsit cerebro, præter antiquorum medicorum autoritatem, quotidiana monstrant experimẽta. Qui enim bracteas aureas, argenteis uasculis superinducunt, quoniam id sine eo facere nequeunt, tremorem totius corporis sæpe incurrunt: & quandoq; paralysin: & qui eo extrema membra inungunt, statim mala ulcera, quæ Græci uocant ἄφθας, in ore sentiunt. Qualisnam uero sit cerebri lapsus, quo ad qualitates quidem actiuas, proculdubio est ad frigidum: quo ad passiuas uero, sunt utriusq; cõtrariorum indicia. Lacrymæ quidem & palpebrarum crassities, humiditatis: sibilus & mœror, siccitatis. Verum quum lacrymæ & palpebrarum crassities assiduę sint, mœror fiat per interualla, uictoria mihi uidetur humiditati tribuenda. Sibilus enim licet assiduus sit, obstructionem potius uidetur sequi, & fumos sursum assidue sublatos, quàm atram bilem in cerebro cõsistentem, præsertim quũ noctu crescat, & somni hora, quo tempore solent uapores magis cerebrum petere, & minus difflari. Vincit igitur, meo iudicio, etiam in cerebro præternaturalis humiditas: sed à primis hisce qualitatibus, frigiditate scilicet & humiditate, non tanta læsio fit, quanta ab occulta & uenenosa illa ex argento uiuo derelicta malignitate.

Iam igitur, ni fallor, & morbi & causæ inuentæ sunt, ex quibus lõga illa symptomatũ catena ueluti annexa depen

dependebat, & pauci qui adhuc ſuperſunt eius anuli, dependent. Sunt autem qui affligunt affectus, ſeptem numero: inappetentia, lacrymæ, palpebrarum cum rubore craſsities, aurium ſibilus, capitis grauitas, mœſtitia, uirium imbecillitas: quorũ quatuor in primis enumerata perpetua ſunt, tria poſtrema non perpetua. Grauitas enim capitis interdum, mœſtitia multoties, & uirium imbecillitas reuertũtur: tolerabiliora tamen ſunt, & minore quàm antea tempore perdurantia. Horũ primum, hoc eſt, inappetentia, ſub genere actionis ablatæ contentum, ſymptoma eſt malæ uentriculi temperaturæ: cuius cauſa eſt (ut ſuperius diximus) craſſa pituita in uentriculo contenta, concurrente etiam quandoque atra bile, & maiore copia quàm par eſſet, ad eum fluẽte. Igitur hæc inappetentia tolli non poteſt, cum adhuc fiat, niſi morbus eam faciens amoueatur. Sed quia adhuc & ipſe fit, cauſa ante omnia eſt auferenda, materia uidelicet pituitoſa, & ſi qua adhuc redũdat plus æquo bilis atra. Erit igitur hæc, ſicuti ultima per reſolutionem ſymptomatis in ſuas cauſas inuenta, ita prima opere exequenda, materiæ uidelicet in uentriculo contentæ euacuatio: niſi fortè tam benignæ naturæ eſſet, ut uerã concoctionem admitteret, quod tamen ego uix crediderim, in tam longo morbo, cui etiam latens malignitas (ut ſæpe diximus) ſit coniuncta, præſertim quũ Reuerend. hic præſul ſit in cibo & potu moderatiſsimus: quæ moderatio (accedente fotu uentriculi, quo excellentes medici uſi ſunt) ad uerã concoctionem maxime conducit. Perſeuerans igitur adhuc ſymptoma, materiã in uentriculo contentã nõ eius generis eſſe, quod uerã concoctionẽ poſsit ſuſcipere, hoc eſt, ita alterari ut nutriat, oſtendit: quare per abuſiue uocatã concoctionem concoquenda erit, hoc eſt, euacuationi paranda, ſi eius ſubſtantiæ ſit, qualis erat quãdo in morbo maiore per uomitum & per ſeceſſum euacuabatur, craſſa uidelicet uitri liquefacti inſtar & tenax. Parabitur autem primo, dehinc uacuabitur. Quibus uero præſidiis hæc agenda, inferius oſtendemus: nunc enim intentiones inueſtigandæ. Vacuata materia, hoc eſt, cauſa amota, ad iam factam ægritudinem deueniendum. Quæ cum ſit frigida & humida, per calida & ſicca erit amouenda: non ualde tamen calida, tũ quia lapſus eſt naturali temperaturæ ſimilis, tum ob admiſtam atram bilem. Et hæ quidem duæ intentiones ad curationem primi ſymptomatis ſufficient.

Præcauendum tamen erit, ne rurſus ſimilis materia congregetur: quare roborandus erit uentriculus, atque uictus ratio ita inſtituenda, ut amplius ſimilis materia congregari minime poſsit.

Secundus affectus ſub eo ſymptomatis genere continetur, quod exiens mutatum nuncupatur. Lacrymæ enim quæ non niſi uoluntariè exire deberent, exeúnt præter uoluntatem. Sequitur hic exitus morbũ in uia, angulis uidelicet meatibúsq; aliis eos circunſtantibus, oppletis: qui quidem ab initio ſolum ex materia à cerebro tranſmiſſa replebantur: nunc uero ueriſimile eſt, ex nutrimento oculorũ, quod ob eorũ imbecillitatem bene concoqui nõ poteſt, aliquam etiam materiã in illis locis cõgregari. Morbus igitur è quo immediate dependet hoc ſymptoma, eſt morbus in uia, cuius cauſa eſt materia pituitoſa, in uiis illis contenta, quæ partim ibi generatur, partim à cerebro ad ea loca trãſmittitur. Curatiua ergo intentio eſt, materiæ eos meatus opplentis euacuatio. Vbi enim illa non adſit, nec ipſæ aderunt lacrymæ, ſicq; & morbus & ſymptoma amouebũtur. Verum quum morbus non in totũ factus ſit, ſed continuè fiat: prouidendũ ne amplius fiat. Quod agemus, ſi & materiam quæ in cerebro redundat, euacuemus, nec in futurum amplius congregari permittimus, & oculos etiam ipſos ita roboremus, ut propriũ nutrimentũ probè poſsint concoquere. Euacuandum ergo primo totum corpus, dehinc caput. Et quia difficile, imò impoſsibile, ut caput (quod & extrinſecis cauſis maxime obnoxium eſt, & totius corporis uapores & fumos excipit, poſt longas præcipue imbecillitates) mundum penitus perſeueraret, ideo duæ aliæ inſurgũt intentiones. Vna, ut excrementum quod per hanc uiam conſueuerat expurgari, aliò diſtrahatur. Secunda, ut uiæ tranſitus occludantur. Et de lacrymis hactenus dixiſſe nũc ſufficiat. Ad tertium affectum uenientes dicimus, craſſitiem illam palpebrarum, non ſymptoma, ſed morbũ eſſe, & fortaſſe in totũ factum. Fortaſſe dico, quoniam neſcio, an uel ſemper, uel per interualla creſcat, an in eodem ſtatu permaneat: hoc enim modo erit omnino factus, nec aliam intentionem, quàm curationem deſiderabit, quæ eo ablato perfecta erit: ſimúlq; eius ſymptoma, rubor uidelicet abolebitur, quem ruborem ex ſanguine quodã bilioſo fieri puto, qui præ ſui tenuitate ad exteriora eleuatur. Neſcio tamen an durities adſit, cum pilorum caſu: quæ ubi adſint, uel impoſsibilis, uel ualde difficilis erit curatio.

Iam ad auriũ ſibilum ueniamus, qui & ipſe ſub ſymptomatis genere cõtinetur: eſt enim operatio auditus corrupta. Fit autem ex alio ſymptomate, hoc eſt, à motu inordinato fumorũ in meatibus ad inſtrumentum proprium auditus pertingentibus, occluſio, atq; ut ſequens eſt, à morbo in eis exiſtente. Cum autẽ continua ſint illa ſymptomata, continuum quoque eſſe oportet morbũ à quo fiunt, adeſſéq; fumos illos ſemper & moueri: ceſſante enim materia à qua fumus exhalat, ipſum quoque fumũ ceſſare neceſſe eſt, ut in fumo ab aliis rebus exurgẽte manifeſte uidemus, quare adeſſe materiã oportet, à qua ſubleuatur. Cuiuſmodi uero ea ſit, grauitas oſtendit, præterea lacrymæ atq; mœſtitia: ille enim pituitam, hęc atram bilem oſtendit. Curatiuæ igitur intentiones erunt, euacuatio materiæ, & fumi diſſolutio.

Ab eiſdem autẽ materiis fiunt reliqua duo ſymptomata, grauitas ſcilicet quæ ad ſenſum tactus pertinet: & mœſtitia, quæ ad principales facultates: quorũ altera ab utroq; humore fit mediante ægritudine in quãtitate: altera ab atra tantũ bile, nobiliſsimũ cerebri uẽtriculum, uel per ſeipſam, uel per fumũ ab ea eleuatũ obſidẽte: à qua fit morbus in tẽperatura, & ab eo mœſtitia. Quare per euacuationẽ auferetur id quod utriuſque factum eſt, & ne amplius fiat, per roborationẽ & reuulſionem cauebitur. Verũ quum hæc perpetua non ſint, uidentur per cõmunicationem quandam potius fieri, quàm per propriũ cerebri affectũ. Sicuti & uirium imbecillitas, quæ ad deminutũ motum uidetur pertinere, & à iam dictis morbis, & præſertim à melancholia dependere, quare nullam de ſe indicationem prębet, quia aliis recedentibus ipſa quoq; recedet: & niſi receſſerit, poterit per aliqua diſcutientia & roborantia extirpari. Quónam uero modo cuncta pellenda ſint, ex his quæ hactenus dicta ſunt, facile colligi poteſt. Omnes enim, ni fallor, intentiones ueſtigauimus, quæ in curando & præcauendo ſunt neceſſariæ. Quæ licet multiplices ſint, ſub tribus tantũ generibus cõtinẽtur, euacuationis uidelicet, alterationis, & diſtractionis. Inter quas euacuatio, quum omnes hi affectus à repletione fiant, principatum tenet, & propterea ab ipſa inchoandũ eſt. Duplicique ea exiſtente, uniuerſali uidelicet & particulari, ab uniuerſali inchoandũ. Quæ quũ etiam multiplex ſit, ab ea quæ proprie uniuerſalis, ſumẽdum (ut mihi uidetur) initium: hoc eſt, ab euacuatione ſanguinis per uenæ ſectionem. Per hanc enim & totũ corpus, & omnes corporis humores uacuabuntur, malignitáſq;, ſi qua adhuc ſupereſt, difflabitur, humores etiam à nobiliorib. ad ignobiliora retrahentur: quare tres ſimul intentiones ad aliquem modum explebit, euacuationis ſcilicet, diſtractionis, & alterationis. Ineunte igitur uere, roborato prius per interiora exterioráq; uentriculo, media cubiti uena ſecanda eſt, eáq; ſanguinis quantitas extrahenda, quæ prudentiæ præſentiũ medicorũ uidebitur ſufficere: attento præcipue, præter ea quæ ante apertionem uenæ conſiderãda ſunt, ſanguinis colore. Vbi enim ater fluxerit, tutius fluere permittetur. Nec nos abſterrere debet ab hac uenæ ſectione humorum cruditas: quoniam ſi tãta eſſet, ut eam impedire deberet, colorẽ liuidum faceret, non uiuidũ & purpurantẽ, qualẽ huic illuſtriſsimo domino effloreſcere medici ſcribunt. Roboratio autem uentriculi non ideo præmittitur uenæ ſectioni, quia propoſitum mihi ſit alterationem prius quàm euacuationem facere, ſed ut tutius, & quantum fieri poteſt abſque noxa ſanguis euacuetur. Imponet quidem robur uentriculo cotoneorũ & malorum punicorum uinum (adiecta aquæ roſaceæ portiuncula) ante ſectionem potum. Exterius uero eorundem cotoneorum oleum, aceto & aqua roſaceis adiectis illitum.

Facta uenæ ſectione, mea quidẽ ſententia, prius euacuationi materiæ in naturalibus mẽbris contentæ intendendũ eſt: ab ea enim omnes alÿ affectus aliquo pacto, ut oſtendimus, dependent. Alterationi igitur eius primo intendendum, deinde euacuationi. Alteratio-

niq; dupliciter,concoquendo uidelicet ſi quid eius eſt concoctionis capax,hoc eſt,quod ſubſtantiā nō adeò malignam aut uſtam habet,ut conuerti in nutrimentum non poſsit:& parando expulſioni,id quod uerā concoctionem non ualet accipere.Vtraq; autem alteratio commode fiet,ſi ex abſinthii,fumariæ,& roſarum decocto,adiecta cōgrua aceti & mellis portione,oxymeli ea forma paretur,ut bibi ualeat,abſq; alterius liquoris admixtione: præbibatúrq; quotidie bis, ante prandium uidelicet & ante cœnam,modo cibus qui antea ſumptus eſt,bene concoctus ſit.Tantū ſpatium inter potum eius & ſubſecuturum cibum intercedat, ut ex uentriculo deſcenderit:quod duarum horarum morula ſolet contingere. Præter oxymelitis potionē, aliis etiam rebus concoctio iuuanda,& craſsities humorum præcidēda,capparibus uidelicet eodem oxymelite conditis,iuribus gallorum,in quibus uera bugloſſus,ea ſcilicet quæ uulgò dicitur borago,cū radicibus aſparagorū,aut oxymirſine,quam ruſcum Latini, & uulgares bruſcum uocant, decocta ſit. Iuſculum etiā quod apud nos in uſu eſt,ex brancha urſina,quam ego puto à Galen.bunion & arction uocari, non erit inutile,modo nō ſit ſpeciebus ualde calidis aut multis conditū.Proderit & hordei,& chondri,& auenæ ptiſana cum porris & anethi coma parata. Sed & radix quam Pannones tormam uocant,contrita,cum amygdalarum lacte mitior facta,aceto ad intinctus formā redacta.Caro etiā cum cepis more ueſtro condita. Primus potus ſit uinum abſinthites,in reliquis mulſam aquam(medonem uocāt)non damnauerim.Vbi uero triduo hoc uictu humorum craſsities attenuata fuerit, catapotiis purgatio facienda eſt,quę recipiunt:Specierum picræ Galeni modo,non Meſues,paratæ ℨ.1.pilularum aggregatiuarum ℨ.s.uel pilularum aſſaiereth drachma cum ſemidrachma aggreg.Tribus à purgatione diebus,loco oxymelitis,ante prādium & cœnam,cochleare huius miſcellæ deglutiēdum:Chebularum myrob.conditarum p.1.mellis roſacei cum foliis p.2.cinnamomi uulgò uocati,tenuiſsimi & odoratiſsimi pars quarta unius partis.Vulgò dixi uocati,quia uero nunc caremus. Sic deinde ad oxymelitis potionem reuertendum,eodem quidem modo præparatam,ſed quæ odorem acceperit cinnamomi & maceris.Quę ubi tribus quoq; diebus bibita fuerit,rurſum purgatio repetenda,ita tamē ut par modus pilularum aggreg.uel picræ,uel pilulis de aſſaiereth uocatis miſceatur.Sequentíq; purgatione triduo miſcella prius deſcripta utendum,adiecto piperis longi puluiſculo,qui ſit cinnamomi pars media.Fouendúsq; uētriculus lana in oleo cotoneorum & maſtichino madefacta,in quibus in duplici uaſe bullierint,maſtiche, abſinthii coma,macer, roſæ,ſandali citrini uocati,æquis portionibus.Tertio demum ad oxymeliten reuertendum,adiecto his quæ odoris gratia miſcebantur,longi piperis puluere.Repetenda quoq; poſt triduum purgatio,uincētibus aggrega.pilulis,ita ut ſint earum p.2.& picræ uel aſſaiereth p.1. Toto autē hoc purgationum tēpore,nō eſt iecur negligendum,ſed fouendum ſucco intybi,roſarum & abſinthii,uariata proportione ad præſentium medicorum iudicium,adiectóq; tanto aceto roſaceo,quātum iudicauerint opportunum. Nō ab re quoq; fuerit lienis curam habere,ut quātum fieri poteſt & tumore careat & obſtructione.Quod optime conſequemur unguento ex oleo capparorum,ſucco althææ,adipe anatis,& puluere aſplenii confecto. *Aſplenium.* Eſt autē aſpleniū herba locis humectis in ſaxis orta,foliis ſcolopendræ uermi ſimilis,quæ à noſtris Citrac,ab aliis herba argentina uocatur.Cōpleta hac purgationum ſerie,quieti & lætitiæ ad medium uſq; ueris incumbēdum,túncq; uenis ani duæ admoueantur hirudines,ſedéatq; ſuper ſellam bene undiq; opertam,quæ ad excrementa alui cōmode emittenda parari ſolet,pelui ænea aqua bulliente plena,ita ſuppoſita,ut fumus quidē anum attingat, aqua autem ipſa nequaquam.Supernatet autē aquæ, uaſculum è directo ani,quod manantem ſanguinē colligat,ut proſpici poſtea à medicis poſsit.Repletis enim hirudinibus atq; à uenis cadentibus,tandiu fluet ſanguis,quandiu medici uoluerint:tantū autem fluere ſinent,quantum prodeſſe & minime obeſſe cōiecerint.

Reſumptis poſt hanc euacuationem uiribus,& ſanguine ueluti renouato,niſi & corpus totum,& uentriculus,& caput,leuata à ſymptomatibus malis uiſa & domino & medicis fuerint,maiora remedia tentanda.

Quotidie igitur bibenda erit hęc potio:In ſeri caprini libra 1. unico feruore bulliant res infrà ſcribendæ, atq; per totam noctē ſub diuo in eo maneant:mane ſerum ab aliis rebus bene expreſsis excolatum,bibatur tepidum.Polypodii,ſtœchados,foliorum ſenæ, ſine lignis & uocatis folliculis,ana ℨ.4.ſem.intybi,roſarū recentium ana ℨ.2.myrobal.cheb.rhei ueſtri,hoc eſt,uerſus Pontum nati,ana ℨ.1.Continuus autem ſit huius potionis uſus,per dies ad minus 15.ex quo ſi non cōgrua ſequatur purgatio, poterit tertio quoq; die pilul. ex gra.15.aurearum uocatarum,ſimul uel antè deglutiri.Si fortè magna adeò,ut imbecillitas timeri poſsit,intercalatione utendum. Finita hac purgatione, appoſito emplaſtro uentriculo,ad curationem capitis accedendum.Emplaſtrū ſit huiuſcemodi:Maſtiches elect.pulueris maceris ℥.3.ſandalorū citrin.roſarum rub.gariophyllorum,nucis myriſticæ quam moſchatam uocant,cinnamomi,ana ℨ.1.reſinæ puriſsimæ bene ablutę cum uino Cretenſi,& aqua roſacea quantum ſat ſit.Confice ſecundum artem emplaſtrū,ad modum eorū quæ nunc cerota uocantur,quod ad formā ſcuti,ſupra molle corium extentum,regioni uentriculi hæreat,prius tamen hoc thymiamate ſuffumigatum:Agallochi,quod lignū aloës uocant,ſandalorum ana ℨ.1.benzoi,quod laſerē odoratum quidam uocant,℈.1.moſchi ℈.s.miſce,& ſupra ardentes prunas urens,fac fumū ab emplaſtro accipi. Hoc hypochondriis hærente,ad particularē capitis totius curam uenientes,binas primo cucurbitulas infra os latum ſpatularū admouebimus:unóq; iterum interpoſito die,duas auribus hirudines:iterúmq; uno die intercalato,ad capitis purgationem per nares perueniemus,à leuioribus etiam hic inchoantes.Succum amaraci,maioranā uulgò uocant,ſucco radicum betæ miſcebimus,& puluere gariophyliorū addito,per pennam quāto intimius fieri poterit adigemus.Sequentibus diebus oleum coſtinum iungetur,& aliquot ellebori albi grana,uel ſtruthii,uel caſtorii,uel tandem euphorbii. Qua purgatione cū biduo triduóue uſi fuerimus,ad particulares capitis affectus uenientes,conſiderabimus in ipſis lacrymis,an earum materia per interiora,an per exteriora fluat. Dignoſcitur hoc extenſione plenitudinéq; uaſculorum in tēporibus & fronte apparentiū. Hæc igitur ſi intumeſcere & tendi uidebuntur,anacollematibus utendū:inter quæ hoc facile parabile eſt & utile:Gyreos,hoc eſt,tenuioris & ueluti uolatilis farinæ in moletrinis repertæ,myrrhæ,mānæ, thuris, æquales partes cum albo oui miſce, & ſupra linteolum extēde,frontíq; & tēporibus adnecte.Si uero ualentius exiccare & adſtringere uolueris,adde his quæ dicta ſunt,gallas omphacias,malorum punicorū cortices,acaciam,alumen uſtum. Nullo uero tumore, nulláue tēſione in uaſculis apparēte,quia uidelicet materia per interiores partes defluat,oberis potius per talia,quàm proderis.Vndecūq; uero materia fluat,facies oxycrato,poſca Latine uocatur,hoc eſt,aceto cū aqua mixto abluenda,& ſpongia noua in eo madefacta oculis ſupponenda.Proderit & malobatri folium uino inferuefactum,uel loco eius nardi ſpica oculis admota. Item,cotoneorū flores & folia illita,crocus ſuffitus,caſeus caprinus mollis ſupra oculos tentus,rheon ueſtrate illitum ex paſſo.In abſinthio cum melle magnā fiduciam habeo,paritérq; in ſucco foliorum oleæ. Multū uero excellit hic puluis:Cornu cerui uſti,& cum aqua roſacea bene abluti,ebeni uel cōmunis uel Indici,quod lignum ſanctū Hiſpani uocāt:corticum thuris,corallorum rub.ſtibi,id eſt,antimonii, ana p.1.moſchi partis unius quartam partē.Fiat tenuiſsimus puluiſculus,quo & ſicuti eſt,uti poſſumus,& cū uino collyria ad cōmunem formā cōficere:quibus poſtea ſupra cotē cū uino diſſolutis utatur.Vinum autem adſtringētis ſaporis ſit.

Maior autē iſtorū auxiliorum pars,ad tumores palpebrarū cōducet,quare nō alia eius ſcribemus auxilia.

Proderit quoq; & oculis & aurium ſibilo,ſi quotidie in ieiunio aures perfricentur.Particulariter uero ſibilo confert ſuccus cepæ inſtillatus,lauri lignum in uino antiquo bullitum. Summè demum prodeſt hæc compoſitio:Maioranæ folia in uino Cretico bene coquantur,abiectiſq; foliis pars olei rutacei uino addatur,& adiectis nouis maioranæ foliis,tādiu hæc in duplici uaſe bulliāt,donec uinum penitus ſit conſumptū. Oleóq;,ſi efficacius id reddere uolueris,octauam eu-

phor

phorbĳ partem ſuperaddito, & tantundem ellebori. Et lacrymarum quidem & ſibili hæc ſint præſidia.

Mœſtitiæ obuiandū per aſpectū rerum pulchrarū, ut auri, argenti, gemmarū, picturarū, floreſcentis prati, atque id genus cæterorū. Item per auditū inſtrumentorū muſicalium, carminū, facetiarū, rerum nouarū, quæ afferre lætitiam queāt, præcipue uero per ſocietatem & commerciū dilectorū hominū, aſpectu pulchrorū, ſermoniſq; lepore omnia exhilarantiū. Olfaciēdæ etiam res quæ delectationem quidē afferant, caput uero minime replentes: quod experimento potius quàm arte dignoſcendū. Guſtanda quæ delectent, modo non ſint ualde mala: inter quæ principatū obtinet uinū, præcipuéq; mulſum, hoc eſt, tertia parte optimi mellis, cinnamomo, gariophyllis, & modico moſchi conditum. Tangendæ molles pelles, quales ſublimes illæ Gebellinæ uocatæ & Armellinæ. Vſus quoq; huius compoſiti mirum in modū exhilarabit, necnon robur membris omnibus addet: Sem. cucurbitæ, melonū, cucumeris, piſtaciorum, nucleorum pineæ, amygdalarū dulciū, ana ℥. 2. aquæ roſaceæ libram 1. zucch. albiſsimi libras 4. Confice ad formam electuarĳ liquidioris, & in fine concoctionis adde hunc pulueren: Cinnanomi elect. ſandalorum citrin. ana ℥. 1. gariophyllorum ʒ. 2. ambræ ʒ. 1. moſchi gra. 15. foliorum auri & margaritarū ad libitū. Fiat puluis tenuiſsimus. Potes, ſi ualentius facere ad recuperandas uires uolueris, addere pulpas capi uel phaſiani ad libitū. In præſeruatione etiam & tutela capitis ſummè laudarem, ut noctu ante cubitum deglutiret cochleare huius pulueris: Sem. fœniculi & coriandrorum quæ per integrā diem in aceto maduerint, ana ℥. 2. maceris ℥. 1. nucis moſchatæ, gariophyllorum ana ʒ. 1. agallochi, hoc eſt, ligni aloës uocati ʒ. s. ſacchari optimi lib. s. Fiat puluis non admodum tenuis. Ad idem quoque maxime conducent frictiones, uincula, cucurbitulæ, extremis membris, præcordiis, ſupremo & imo uentri admotæ. Proderit & exercitium quo eædem extremæ partes uehementius moueantur, capite quantum fieri poterit quieſcente. Retractio enim ex his à capite fiet, poſt quam deriuationis gratia cucurbitulæ poſteriori ceruicis parti admouendæ. Capútque cum eburneo pectine pectendum, atque hic puluis uertici capitis infricandus: Trium piperum, ſinapis, ana ℥. 1. Et ſi uehementiori indigebit, ſinapis augeatur ad parem cum piperibus portionem. Et ſi adhuc uehementiori, quarta pars cantharidum ſuperaddatur: cum quibus etiam cantharidibus ſi ulcus in inio uel in brachio excitetur, efficaciſsima per hoc retractio, per illud deriuatio fiet. Nec obliuiſcenda acria clyſmata, balaníque, niſi uenter bene ſponte ierit. Inter reliqua demum præſidia, balneum uel uniuerſale, uel (quando hoc fieri ſatis commode nō poterit) extremorum membrorum multum excellit. Præter enim reuulſionem, quam potenter facit, totum quoque corpus humectat, laſsitudinem tollit, & lætitiam inducit. Cui ſi aliquæ herbæ addantur ad amouendam malam qualitatem, ab argento uiuo relictam, uehementer conducet. Herbæ autem in aqua fontis pro balneo coquendæ hæ ſunt: artemiſia, ruta, betonica, calamentum. Poſt balneum uniuerſum corpus, uentre excepto, inungendum oleo chamæmelino, in uaſe duplici cum uino Cretenſi decocto, addita cera alba, cum aqua roſacea moſchata abluta.

Ad eandem malignitatem à cerebro amouendam, facit nux moſchata, aſsidue in ore retenta & maſticata. Facit & oleum in hunc modum ex ea paratū: Amygdalarum mundarum p. 2. nucum moſchatarum p. 1. ſimul cōtuſæ, in uaſe bene occluſo per integram diem teneantur: poſt hoc in ſacculo lineo cum torculari bene exprimantur, oleúmque manans colligatur. Poteſt & pretioſius oleum ex ipſis nucibus ſolis, per deſcenſoriū, ut uocāt chymici, parari. Ex hoc autem oleo, alæ narium, aures, tēpora, uertex, & medullæ ſpinalis initia perungantur. Verum ſi omnibus huiuſcemodi præſidiis malí affectus nō leuētur, ad lignum Indicum, ſanctum uocatum, ueluti ad ſacram anchoram eundum. Inter uarios uero huius ligni uſus, ego eum magis probo, in quo eius decoctum, inſtar medicatarum aquarū, imò ſeri à Dioſcoride ſcripti, bibitur. Ab eo enim modus bibendi aquas medicatas uenit, qui in cōmuni uſu apud Italos eſt, heminis uidelicet quinis per interualla epotis. Siue uero hoc ligno uſus fuerit, ſiue non, laudo, ut præcauendi gratia, & euacuatio ſanguinis per ora uenarum ani, & purgatio per ſerum autumno repetatur, & alia diſtrahentia & alterantia non dimittantur. Et hæc quidem pluſquā ſatis puto, peritis præſertim Cracouienſibus medicis, quorum iudicio quæcunque ſcripta ſunt permitto: ex eorum enim moderamine & diligenti cura, Deo optimo maximo aſpirāte, ſpero hunc clariſsimum dominum priſtinam ualetudinem, quantum patitur ætas, recuperaturum. Ferrariæ, VII. Idus Febr. M. D. XXXII.

EPIST. V. Pro Luca Remo, *mercatore Auguſtano, articulorum doloribus, & laxo totius corporis tumore uexato.*

PRæclarus hic uir annum agens tertiū ſupra quinquageſimum, temperaturæ quidem, ut mihi ſignificatum eſt, totius corporis frigidæ & humidæ, cerebro tamen & uentriculo, in utraq; illarum qualitatum, reliqua membra ſuperante: poſt multos animi & corporis labores, longáſq; ac uarias peregrinationes, trigeſimo ætatis anno articulorum doloribus uexari cœpit, qui ſingulo quoq; anno, uel autumno, uel hyeme, cum horrida ſebre inchoantes, ter quatérue poſt mentientem mitigationem, quaſi reſumptis uiribus, eum denuò aggrediuntur. Hos ut effugere poſſet dolores, præter uenæ ſectionem, ueréq; & autumno factas purgationes, catapotia quoq; nonnulla in hac re ualde commendata, bis quolibet menſe deuorauit. Ex quibus licet maximam habuerit tenacis & bilioſæ materiæ purgationem, intercipi tamen nūquam potuit annuus ille circuitus: ſed quod magis quiſpiam miretur, quo plus materiæ, præſertim dolorum tempore, per medicamenta educitur, eo maiore copia uidetur abundare: adeò ut cum hoc anno intra duos menſes, medicamentorum ui, centies pituitoſa excremēta deiecerit, repletio tamē potius creuiſſe, quàm decreuiſſe uiſa ſit, corpore quidem mirum in modum macrefacto, ſed uiribus in ſuo robore permanentibus. Quæ tamen corporis tenuitas ubi dolores leuati ſunt, facile & citò ablata eſt, & craſsitiem priſtinam membra acquiſierunt: quæ tamen ueluti extumida, malum potius quàm bonum habitum præ ſe ferre uidetur, grauitate etiam aſsidua in ceruice uel ſpinali medulla relicta. Huius igitur ſaluti, quantum per me fieri poteſt conſulturus, intendentíque pro eo magnifico Domino Catareno Zeno Patritio Veneto obtemperaturus, quem ob innumeras animi & corporis dotes mirū in modū ueneror & obſeruo, primo affectus de quibus quæritur, in ſuas cauſas redigere conabor: ſecundo intentiones uel curatiuas, uel præſeruatiuas ex illis elicere: tertio, quibus explendæ præſidiis mihi uideantur, explicare. Sunt igitur affectus quos uel patitur, uel formidat, numero ſeptem: Articulorum dolores, febris, totius corporis laxus quidam tumor, pituitæ immodica copia, grauitas ceruicis & ſpinalis medullæ aſsidua, profundi & longi ſomni.

Vt igitur à primo, & de quo magis quæritur, initium capiamus, articulorum dolores ſub ſymptomatis genere continentur, quod corrupta operatio dicitur. Sentit enim tactus id quod naturaliter ſentire nō deberet. Sequitur autem hoc ſymptoma tria morborum genera, malam uidelicet temperaturam, continuitatis ſolutiones, & malam compoſitionem, magnitudinem uidelicet membri, ſi (ut intelligo) ad tantam molem artus extumeſcant, ut ipſa quoque per ſe magnitudo operationes membrorum ualeat impedire.

Horum morborum cauſa, ut cōiicio, eſt ſanguis, cui rufa bilis ſimul cum pituita cōmiſcetur. Quis uero triū horum humorum in his tumoribus magis dominetur, ex his quæ mihi ſcripta, & narrata ſunt, non poſſum certo cognoſcere. Vehementia tamen & acuties doloris, qui à tribus ad ſex uſq; dies ſolet ipſum acrius cruciare, ſimul cum loci rubore, bilioſi ſanguinis ſunt indicia, ab initio quidem dominantis, & poſt ſextum ad ſummum diem ferè reſoluti, dimiſſa quaſi ſola pituita, quæ ad uigeſimum uſque diem remiſsiores dolores facit. Quòd uero ter quatérue, poſtquam declinare cœperunt, ad priorem acerbitatem reuertantur, nō alia ex cauſa puto contingere, niſi quòd humores ab aliqua fortè exteriore cauſa, ira uidelicet, cibo, potu, medicaminéue calidiore, concubitúque, aliáue ſimili exagitati, uel ad priora uel ad noua defluunt loca. Et hæc quidem de primo affectu dicta ſint.

Febrem non ſolum generali omnium febrium ratione,ſed ita uerè in hoc uiro morbum eſſe puto,ut nec ſymptoma, nec accidens dici poſsit,ſi,ut ſcribitur,ſimul cum doloribus & cũ rigore inuadat.Sub eo enim genere contineri uidetur,quod in putreſcentibus humoribus accenditur.Fieri uel ex bile,uel ex ſanguine.Ex hoc quidem,ſi in primo ſolũ inſultu cum rigore accedat,ipſo ſanguine ex uenis ſupra ſenſilia membra exiliente,repentinóq; ſuo motu rigorem commouẽte.At ſi non ſemel tantũ,ſed pluries rigor ſuccedentibus diebus aduenerit,in bilem erit referenda,præſertim ſi tertio magis die inualeſcere uideatur.

Laxum illum tumorem,qui poſt dolorum remiſsionem naſci ſolet,ut morbum malæ compoſitionis eſſe nõ dubito,ita ab alio morbo oriri credo,hoc eſt,à mala iecoris frigida & humida temperatura,ex diuturno morbo, crebrioribúsque fortè purgationibus orta.A qua etiam diſtemperãtiam non ſolum in iecore,ſed in uentriculo quoq; reperta,quartum affectum,hoc eſt, immodicam pituitã gigni arbitror.Quæ ſi in uentriculo ita redundet,ut ſua corpulẽtia operationes eius impediat,morbus malæ compoſitionis in cauitate uidelicet nuncupabitur.Si uero per ſolam malam temperaturam operationibus officiat,cauſa morbi,hoc eſt,malæ temperaturæ erit.

Ceruicis & ſpinalis medullæ grauitas,dolor quidẽ non uehemens mihi eſſe uidetur,ſolutionem cõtinuitatis cum mala locorum illorũ temperatura ſequens: quorum cauſam ueriſimile eſt eſſe pituitam,à poſteriore cerebro per ſpinalis medullæ neruos deſcendentem: cuius etiam aliqua portio in cerebri uẽtriculis manẽs, ultimi ſymptomatis, hoc eſt, longi illius ac profundi ſomni ſit cauſa:qui nihil aliud eſt,quàm ſenſionis priuatio,talem ſequens intemperiem.

Hæc igitur ſunt huius uiri & ſymptomata,& morbi,& eorum cauſæ.Ex quorum numero duo tantum, ſi recte mihi omnia & ſcripta & narrata ſunt,in præſentia affligunt,obtuſus ſcilicet ille ceruicis cum grauitate dolor,& pituitæ copia. Tertiũ uero,id uidelicet quod ultimo loco recitatum eſt,quia non ualde à modo recedit,nec ſolitas impedit operationes,negligi & à patiẽte,& à medico uidetur,pro indicióq; aliorum magis, quàm quòd propriam per ſe cõſiderationẽ deſiderare uideatur,reliquis connumeratum.

Ab hiſce igitur duobus ſimul,quòd magnam inuicẽ affinitatem habẽt,ideo orſi,curatiuas eorum intentiones inueſtigantes dicimus,dolorem illum amoueri nõ poſſe, morbo quem ſequitur, permanente: ſicuti nec hunc,niſi cauſa tollatur.Euacuanda igitur ea quæ ſpinalem medullam obſidet pituitã.Verum quia morbus nõ in totum factus eſt,ſed tranſmiſſa à cerebro noua pituita,ex mala temperatura eiuſdem cerebri aggregata, continuè fit,ideo hæc prius auferenda.Sed quum nec ipſa auferri poſsit,pituita in eo permanente,hæc antè demenda.Quod quum fieri non poſsit,eius copia in toto corpore perſeuerãte,primo totum corpus,ſecundo caput euacuandum,tertiò cerebrum,ne nouã iterum uel gignat uel recipiat,roborãdum:quarto ea quę ad ipſam ſpinalem medullã fluxerat,diſcutienda:quinto ipſa quoq; ſpinalis medulla roboranda.

Vt igitur iam tertium ſimul cum ſecundo,quantum ad hunc affectum ſpectat,propoſitum exequamur,cuius cauſa hactenus hunc laborem ſubiuimus,pituitam primo ex toto corpore euacuabimus,leui tamen purgatorio,& quod robur potius in membris relinquat, quàm auferat.Id erit huiuſmodi,Aloës cum ſucco ſampſuchi bene lotæ ℈.s.agarici ℈.2.maſtiches, cinnamomi,nucis moſchatæ ana gra.13.cum uino odorato.Fiãt pilulæ 9.quarum tres primo in aurora deglutiãtur:tres aliæ tertia poſt primas ueſperi per horam ante cœnã: reliquę tertia à ſecundis ueſperi,ſed duabus à cœna horis. At ſi fortè uel præſenti medico,uel ipſi ægroto leuiores hæ pilulæ uidebuntur,quàm ut congruam poſſint facere euacuationẽ,tribus quibuſq; tria plus minus diagridii grana adiiciantur.Eas tamen ex induſtria leuiores deſcripſi,tum quòd uentrem habere eum facilem ad uacuandum intellexi,tum quia uereor ne medicamentorum immodico ante hunc diem uſu membra ſint facta imbecilliora.Veſperi illius diei,quo primum pilulas accipiet,per horam ante cœnam ſemunciam huius miſcellæ deglutiat:Chebularum conditarũ ℥.2.corticum citri cõditorum ℥.1.pulueris nucis moſchatę ℈.2.maſtiches ℈.1.mellis roſacei ℥.1.s.Aliis autẽ diebus ante prãdiũ per horã eiuſdẽ miſcellæ tantundẽ accipiet.

Conſumptis omnibus pilulis,ad ſecundam iam intentionem accedendo,hoc eſt,capitis euacuationem, mane ieiuno ſtomaho ſemidrachma ſequentis pulueris per pennam uel canalem naribus inſuffletur:Nucis moſchatę ℈.4.piperis lõgi ℈.2.ellebori albi ℈.1.euphorbii ℈.s.Omnia in tenuiſsimum puluiſculum redigẽtur.

Poſt hanc capitis ter quatérue,uel quoties opportunum uiſum fuerit,reiteratam purgationem,cerebrum, quod tertia fuit intentio,per ſequentia auxilia roborãdum.Nares hoc unguento illinendæ.Olei de ſpica odorati ℥.1.gariophyllorum ℈.1.ambræ ℈.s.moſchi grana 5. ceræ albæ ablutæ ex aqua roſacea pars s.cuius etiam gutta auribus inſtillata ad idem conducet. Caput lixiuio ex alto ſtillante abluendum,in quo hæc integrã horam bullierint: Sampſuchi, ſaluiæ, ſtœchados,chamæpityos,ana manip.s.ſulphuris ignem non experti ℥.2.Quod lixiuium ſi ſupra ceruicẽ & uniuerſam quoq; ſpinam ceciderit,ad quartam ſimul intentionem conducet.Ad quam unà cum quinta explendã,ſummè faciet oleum quod ſequitur:Reſinæ terebinthinæ,ſi haberi potuerit,uel eius loco laricex lib.1.laterum antiquorum,poſt ignitionem in oleo oliuarum extinctorum, maſtiches,ana ℥.1.Terantur lateres,& cum reſina bene commixti,modo chymicis noto in uaſe uitreo optime incruſtato,igni clibani admoueantur, liquoréſq; qui manabunt ſeorſum colligantur.Tres enim uario colore defluent,quorum primus bonus,ſecundus melior, tertius optimus erit ad diſcutiendum quicquid illis locis inhæſerit,& robur præterea relinquendum.Et hæc quidem de poſtremis tribus affectibus dicta ſint.Nam iiſdem præſidiis profunditas quoq; illa ſomni,bona ex parte remouebitur. Et ſi quid fortè deeſſe uideatur,id per ea quæ de articulorum doloribus dicenda ſtatim ſunt,poterit ſuppleri.

Intentiones ad hos uitandos conducẽtes,ut non eſt difficile ex his,quæ de ipſis ſuperius diximus elicere,ita difficilimum & penè impoſsibile eas ita opere exequi, ut optatus inde ſequatur effectus.Duo enim in hoc difficili negotio eſſent neceſſaria,corpus ſcilicet omni uacare ſuperfluentium humorum quantitate & qualitate:alterum loca ipſa ad ea quæ redundarint ſuſcipiẽda non eſſe idonea.Secundum plerunq; in noſtra non eſt cõſtitutum poteſtate,ſed auita quadam & gentili proprietate nobis contingit,ut ad hanc in certa ætate patiendam luem,naſcamur parati: quæ res apud Italos prouerbio locum dedit,ut nobilium,quos nos Gentiles uocamus,malum dicatur.Primũ corpus ſcilicet penitus mundum cuſtodire,uix inuenias,qui facere uel poſsit,uel uelit:ita uoluptatibus trahimur,& genio indulgemus. Adde etiam quòd multa uolentibus occurrunt,quæ nos ab orbita declinare cogunt.A quibus hi maxime læduntur,qui cum hiſce doloríb.ſenuerunt. Quare nobis ſatis eſſe debet,ſi tam belle cum noſtro hoc domino conueniamus,ut mitius nobiſcum agat. Quod ut conſequi hic uir poſsit,præter congruum uictum, quem partim per ſeipſum in 20.annis,partim à medicis didicit,uenæ ſectione,& multiplicibus purgationibus corpus nitidũ & purum reddere conatus eſt. Ex quibus cum nihil profecerit,tentanda noua præſidia,uictúſq; frugalior inſtituendus.Quare uinũ uel penitus dimittendum, uel melicrato diluendum: in quo dum coquitur,aliquid cinnamomi unà bulliat:ubi iam coctum fuerit, panis per torrefactionem madefactus immergatur.

Cibum omnem ʒ.2.huius pulueris præcedant:Calamenti ſicci ℥.1.piperis longi ʒ.2.gariophyllorum,maceris,ana ʒ.1.ſacchari quantum omnium aliorũ. Omnẽ uero cibum & potum huius cõfecturę bolus ueluti tegat:Granorum pini ℥.2.pulueris coriandrorũ præparatorum ℥.1.maceros ℥.s.ſacchari reſoluti in aqua roſacea ℥.decem.Coque ſimul,& fac bolos pondere ℥.s. In cibo à patria conſuetudine paulatim recedat,ita ut uini tantum obſonio aſſueſcat,atq; eo etiam citra ſatietatẽ: poſt quem duabus horis corpore & animo quieſcat.

Somnum ita moderet,ut nunquam octauã horam tranſcendat.

A magnis piſcibus,caſeo,ouis duris,leguminibus abſtineat.Concubitu non niſi per magna interualla utatur:quæ etiam non certo tempore metiatur,ſed naturali potius concupiſcentia præcedente,& alacritate ac

leuitate conſequente.

Accidentia animi uehementia, præcipue uero iram, deuitet. Leniter & raró ambulet, & rarius ſtet. Curru potius quàm equo uehatur, nec unquam niſi cibo bene cõcocto. Piſtaciis, auellanis, amygdalis, pini nucleis, paſſulis, ueſci poteſt. Reliquos fructus dimittat. Et hæc quidem de uictus ratione dicta ſint.

Quod ad euacuationes uero attinet, uenæ ſectio ſanitatis tempore penitus interdicatur. In ipſo inſultu, ſi tumores cũ febre & obſcuro rubore ſe oſtenderint, facienda. In quo caſu ea mẽbri uena ſecãda, quòd nec tũc dolebit, nec anteactis temporibus dolore conſueuit. At ſi nullum in corpore extremo membrũ inueniatur, quod expers doloris ſemper fuerit, per hirudines ani uenis admotas commodior erit ſanguinis detractio: quæ tamen undecunq; facta fuerit, ſelibram ſanguinis non tranſcendat. Omnis præterea uehemens purgatio dimittenda: ſed poſt uernale æquinoctium, purgatorij medicaminis uice, eclegmatis quatuor uel ad ſummum ſex drachmæ, ſingulo mane deglutiantur, quod recipit chamæpityos, eupatorij, quod uulgò agrimoniam uocant, centaurij ana ʒ. i. agarici, ſenæ, polypodij ana ʒ. 2. zingiberis ʒ. i. s. mellis roſati ex ſucco roſarum parati lib. s. Medicamentis in tenuiſsimum puluerem redactis, eclegma paretur, cuius uſus ſit, donec maiores ingruant calores, in quibus ab omni ceſſandum medicamento, quouſque autumnale tranſierit æquinoctium. Quo tranſacto, aliud eclegma accipiendum, quod habet: Senæ, rhei barbarici, myrobalanorũ citrinarum ana ʒ.2. ſeminis melonis & intybi ana ʒ.i.s. maceros ʒ.i. diaprunon non ſolutiui lib.s. ſyrupi ex ſucco uel infuſione roſarum compoſiti, quantum ſufficiat ad reliqua ita componenda, ut congruam formam accipiant. Hoc pari modo quo prius ſumendum, quoad frigora fiant uehementiora, uel fortè, quod Deus auertat, anniuerſarij inſultus incipiant. Et hæc quidem ſufficere uidentur ad primam intẽtionem, hoc eſt, corporis emundationẽ peragendam. Quæ cum aliquo etiam pacto membra roborent, ad ſecundam quoque conducunt: quæ tamen extrorſum admotis locupletius hoc modo complenda eſt. Extrema membra crebró muria abluantur, in qua roſarum folia, ſaluia, & cupreſſi nuces paribus portionibus decocta ſint: & poſt ablutionem oliuo ſalito ſunt inungenda. Et hæc quidem ſanitatis tempore facienda. Quibus ſi fortè acceſsio in totum auferri nequiuerit, leuibus etiam medicamentis tunc agendum, ita ut in mitigando dolore narcotica, in repellendo uehementer uel frigida uel ſicca, in diſcutiendo magnopere calida deuitentur. Mitigant ſine periculo tepidum calorem habentia, ueluti oua, chamæmelon, medulla panis in lacte decocta, lini, althææ & maluæ ſemina. Modicè repellunt roſæ, lentes, lactuca, intybi, myrti fructus & ſemina. Faciliter diſcutiunt amygdalinum, liliaceum, ſeſaminum, anethinum, & abſinthite oleum. Mitigandus proprijs medicamentis dolor non eſt, niſi uehementior ſit: nam plerunque ipſa per ſe repellentia utrunque agunt: inter quæ munus utrunque ſimul explet roſaceum, ex oleo omphacio & incompletis roſis paratum. Sed & ipſum ſolum omphacinum oliuarum oleum. quibus ſi uitelli ouorum addantur, & croci parum, & intolerabili exiſtente dolore, papaueris ſemina, uel demum cortices, tum ſedando dolorem, tum repellendo, mirum in modum iuuabitur. Nullum tamen horum localium admouendum corpore repleto. Quare primo uel ſecanda, ut diximus ſuperius, uena, uel ſanguis per uenarũ ani ora euacuandus. Et de articulorum doloribus hæc dicta ſint.

Febris, præſentiam medici deſiderat, qui diligenter conſiderato eius genere & modo, congrua adhibebit auxilia, alterantiáque potius quàm uehementius purgantia: atque cum ſola ptiſana, uel abluto pane eum nutriet, donec febris & uehementes dolores in ſuo feruore perdurauerint, quod ferè intra quartum diem ſolet contingere. Poſt quos ſenſim ad craſsiuſculum uictum eum reducet, ita tamen, ut uinum & carnes ad plenam uſque ſanitatem deuitet. In qua ſi fortè ſubtumida facies, uel malus in toto corpore habitus relictus fuerit, ſingulo, uel ſaltem tertio quoque die, rhei barbarici grana 26. maſticata deglutiat: abſinthite uino, decocto agrimonij diluto, utatur. Cinnamomo ſuas eſcas condiat, oleo abſinthite naturalia membra foueat, parciúſque & edat & bibat, donec priſtinus habitus redintegretur: quod ita plenè ei præſtet Deus, ut ope ulterius medici non indigeat, cui ſit laus & gloria. Ex Ferraria, XV. Ianuarij, M. D. XXXIIII.

# IOAN. MANARDI

## EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER XV.

### EPIST. I. Ioan. *Manardus Vergilio Gerardo Bononienſi, de naturali ſpiritu, & urinæ pingui nubecula, uoluptate, ſanguinis & bilis calore, cerebro, ſudore, & prægnantibus.*



CONCILIAVERANT te mihi pridem communia ſtudia, in quibus intelligebam te non ſine magna fruge noctéſque diéſq; enixiſsime inſudare. Auxit meam in te beneuolentiam humaniſsimus ille tuus congreſſus, & plena omnis officij ſalutatio. Tanta uero ex tuis cultiſsimis literis acceſsio facta eſt, ut iam in eo albo adamantinis literis te exculpſerim potius quàm ſcripſerim, in quo eos reponere ſoleo, qui candidiſsimos mores cum ſelectiſsimis diſciplinis (quod ut rarius infeliciſsimo hoc noſtro ſeculo, ita precioſius) coniunxere. Quare uelim ita exiſtimes, te habere Ferrariæ ſenem, de quo poſsis tibi nõ ſecus ac de parente cuncta polliceri. Illud tãtum cauere debes, ne ſupra uires meas quicquam à me petas: quod ſatis uereor te in aliquo ex ſeptem illis nodis, quos diſſoluendos mihi proponis, feciſſe. Eos tamen utcunq; enodare aggredior, ſperans, ſi quid à me fortè efſluxerit, quod eruditas tuas aures offenderit, apud te ueniã uel ex hoc haud difficile conſequuturum, quòd non ſponte, ſed ut tibi obtemperarem, ad hæc diſſoluenda acceſſerim.

Quæris primo, quare Galenus ſpiritum naturalem modo ſub dubio ponit, modo aperte negare uideatur. Ad quod reſpondeo, conſueuiſſe Galenum, ubi non ex propoſito de aliqua re diſputat, ex aliorum quandoq; ſententia magis quàm ex propria loqui: ut in medicinę definitione, in morbo definiendo & diuidendo, in neutro, in cauſa continente, atque in pleriſque aliis eum feciſſe conſpicimus. Quare mirandum non eſt, ſi de hoc quoque ſpiritu ambigue quandoque loquutum reperimus. Sicuti nec admirari quiſpiam debet, ſi aliquando Stoicos ſequutus, uim nutritiuam, non animam, ſed naturam uocauit. Nam ubi ſerió atque ex propoſito de his loquitur, in totum ceu nequaquam conſiſtente, naturalem ſpiritum præterit: & uim in iecore reſidentem, concupiſcibilem uel phyticen, id eſt, uel generatiuam, uel nutritiuam, uel naturalem uocatam, & cuius ſedes iecur eſt, ita ueram animæ ſpeciem uel poteſtatem eſſe dicit, ſicuti rationalem quam in capite, & iraſcibilem quam in corde, domicilium habere putauit. Quare non propterea dicendum, ſpiritum naturalem ab eo negari, quòd hæc uis non ſit in numero animarum. Sicuti nec quia eandem cum uitali putauerit, ut Druſianus opinatus eſt: quoniam, ut dictum eſt, tres diuerſas animas agnoſcit, rationalem, iraſcibilem, & concupiſcibilem: quas licet in homine copulari uideamus, ſeorſum tamẽ in plantis quidem ſola adeſt nutritiua: ſicuti in diis, hoc eſt, ſupramundanis ſubſtantiis, ſola rationalis. Iraſcibilis uero licet in nullo animali ſola reperiatur, ſicuti tamen loco, ita & re ab aliis differt, quemadmodum Galen. in commentariis de Hippocratis & Platonis dogmatibus demonſtrauit, in quibus animalium quidem & uitalium ſpirituum ſæpe, naturalium nunquam mentionem facit. Sed ideo iecur inter principalia membra reponit, quia ſanguinem gignit, qui per uenas ab eo ortas, in uniuerſas corporis particulas diſtribuitur, nutrimenti potius gratia, quàm ut ad ipſas uim qua ſe nutriant, deportet. Eam ita quippe cognatam membris putat, ut magneti uim qua ferrum trahit, quemadmodum tu recte ex Galeno in fine primi libri de locis affectis collegiſti, & ex eo Auicennæ literam in 1. lib. caſtigaſti: ſimúlque interpretum inſcitiam & fruſtratoriũ laborem detexiſti. Quod & ego abhinc ſupra uiginti annos feceram, dum eum locum meis diſcipulis enarrarem. Ex quibus locis bene intellectis colligi poteſt alia ratio: Cur ad hoc ut mẽbra

*Iecur ſanguinẽ gignit.*

nutriãtur, non eſt naturalis ſpiritus neceſſarius: modò enim eis ſuppetat nutrimentum, quod per uenas mittitur, abſq; alio uel facultatis uel ſpiritus naturalis influxu nutriri poſſunt. Quæ quidem ratio, ni fallor, locum non habet in uitali ſpiritu, quum eo non minus egeant membra, ſi in eis uitalis uigor debet conſeruari, quàm ſanguine, ſi nutriri. Cum igitur ad cõſeruanda membra naturalia ſufficiant ſanguis & uitalis ſpiritus, naturalis propter hæc non eſt neceſſarius: & cum nihil aliud occurrat cuius gratia fieri debuerit, meritò à Galeno negatur. Et hæc quidem ratio à fine ſumpta ſit. Alia ex materia ſumi poteſt, quæ proculdubio ſicuti animali, ita & naturali uitalis ſpiritus eſſe debet: cuius cum prima generatio in corde ſit, & ab eo per arterias in totum corpus diffundatur, neceſſarium eſſet magnas arterias ad iecur tendere, ſpiritus uitalis tantam copiam portãtes, quæ ad eius refrigerium, & pro naturalis materia ſufficeret. Per diſſectiones autem didicimus, ad ſimas tantũ iecoris partes, arterias, & eas quidẽ ualde paruas mitti, atq; exiguos, ut conſequens eſt, ſpiritus adportãtes: quos tamen multos eſſe oportuiſſet, ſi ex his naturales gigni deberent, cum multo plures ſint partes quæ ui egent naturali, quàm quæ animali. Quæcunq; enim uoluntariè mouentur & ſentiunt, eadem neceſſariò nutriuntur, nõ tamen è contrario: multa nanq; nutriuntur, quæ animali motu carent. Deeſſe igitur uidetur iecori materia, ex qua naturalem ſpiritum poſsit generare. Sed deeſt & locus, nulla enim eſt in eo cauitas, in qua huiuſmodi credi debeat fieri generatio. Cauitas dico, qualem in corde & cerebro manifeſte cernimus. Sed nec uiæ ſuppetunt, per quas ubi genitus iam fuerit, ualeat ad membra deferri: niſi quiſpiam dixerit per eaſdem uenas unà cũ ſanguine ſpiritum ipſum tranſire: quod tamen nec corpus ipſum uenarum patitur, unica tantum tunica contentum: nec motus indicat, qui uenæ non ſecus ac arteriæ deberet adeſſe. Sed nec aëri uia patet, quo ſicuti animalis & uitalis nutriri poſsit. Nec iecoris ſanguis, ceu turbulentus & craſſus, atq; nondũ ab aliis humoribus emundatus, idoneus uidetur ad ſpiritus generationẽ. Cum igitur nec finis adſit ob quem eum gigni oporteat, nec materia ex qua uel generari uel conſeruari poſsit, nec locus idoneus in quo gignatur, nec uia per quam ad membra mittatur, probabilius eſt ut eo careamus, quàm ut ipſum inueniri ex noſtra imaginatione potius quàm euidentia aliqua dicamus, præcipue cum abſq; eius famulitio adhuc ſuum principatum iecur tueri poſsit, diſtributa annona non ſolum toti membrorũ reipublicæ, ſed ipſis quoq; duobus reliquis principibus, in eóq; reſidente concupiſcibili ſiue anima, ſiue ui, quæ ſuo plerunq; impetu ſociorum principum regnum interturbat. Hæc quidẽ de primo tuo quæſito dicta ſint.

Quæris ſecundo, quid ſibi uoluerit Galen. libr. 4. de tuenda ualetudine, nubeculas quaſdam urinæ ſuperſtantes, ſimiles rebus quæ in ſummo lacte colliguntur, Græce γραῦς dictæ, & rei quæ in ſummo refrigerati iuſculi concreuit. Quas nubeculas Hippoc. 2. Prognoſt. & ipſemet Gale. in cõmentario de atra bile, ceu colliquationis tabiſq; indicia, uituperat. Pro cuius dubii ſolutione, in primis mihi aduertendũ uidetur, Galenũ in lib. de tuenda ualetudine, de ſanis loquutũ: Hippoc. de his qui acuto morbo laborant. Nec prętereundum, aliqua uerba adiecta eſſe ab interprete, ita ad literam ſcribẽte Galeno: Quando exacte concoctus fuerit ſanguis, tenuis & aquoſa eſt urina, neq; ſubſidentiam, neq; ſuſpenſionem habens. Concocto & hæc apparent, & quædam ſuperſtant tenues nubes, ueluti uocata γραῦς, & id quod concretum eſt ſupra infrigidata iura. Quicquid uero nomine illo ſignificetur (late enim patet ea uox apud Græcos) nõ neceſſariò eſt res eadem, uel ſimilis illi quæ in colliquantibus febribus, ſoluta ab igneo nimióq; calore adipoſa parte, urinis ſupernatat: nemo enim pingue id, recte nubem uocarit. Sed ut demus pingue aliquid à Galeno intelligi, non erit tamen neceſſariũ conuertibiléq; colliquationis indicium. Scribit enim Gale. lib. 3. in tertiam Hippoc. Epidemiam, ſe uidiſſe multoties urinam colore & ſubſtantia oleo ſimilem, citra tamen ullum laborantis incommodum: ſed quandoq; totum contrarium, cũ ipſius morbi concoctione. Cauſa uero quia adeps poſsit eſſe concoctionis indicium, ex Ariſtot. facile cognoſcitur, dicente, adipem & pinguedinem eſſe ſanguinem concoctum. Et alio loco,

*Adeps & pinguedo ex ſanguine cõcocto.*

quòd ex ſanguine per concoctionem gignitur adeps. Sanguinis ergo concocti aliqua portio urinæ innatãs, rem poteſt oſtendere illi ſimilem, quæ ſupra infrigidata iura concreſcit: eſſéq; ideo bonum indicium, quia caloris naturalis uictoriam oſtendit. Sicuti alia, de qua in Prognoſtico eſt ſermo, mala eſt, quia à febrili calore adipoſa membra reſolui demonſtrat, in his uidelicet febribus, quæ ob hoc ipſum colliquantes uocantur. Nulla ergo hic eſt inter Galen. dicta repugnantia.

Sicuti neq; in quæſtione tertio loco circa uoluptates propoſita, quas libro primo de cauſis ſymptomatum, in ſubitaneo & ſimul toto ad naturalem habitum reditu ideo conſiſtere dicit, quoniam id quod ſenſim paulatímq; fit, ſenſu non percipitur. In duodecimo uero Methodi libro contrarium ſcribit, aſſerens talem reditum, qui ad naturalem habitum fit, ſi delitioſius eſſe debet, paulatim fieri oportere: quoniam ſi affatim & ſubito fiat, dolorem excitat. Quod argumento eorum probat, qui dum uehementius refrixere, ſi ſe ſubitò calefacere properent, uehementi dolore afficiuntur. Videntur certe hæ duæ ſeries inuicem pugnare, ſi ſeorſum ſingula, nec coniuncta his quæ præcedunt & ſequuntur, conſiderẽtur: quod & in multis ſententiis quæ ex autoribus præciſæ & quodammodo mutilæ afferri à diſputatoribus conſueuere, ſolet plerunque contingere. Quare non ab re dictum à prudentibus eſt, iudicandum de huiuſmodi, non ex ſenſu quẽ ſic mutilata habere uidentur, ſed ex eo quod ſignificare is uoluit, qui ea ſcripſit: qui certe non perfecte elici poteſt, niſi ad ipſum unde decerptæ ſunt autorem recurramus. Videndum ergo quid in utroq; loco Galenus uoluerit. In libro igitur de cauſis ſymptomatum, cauſas doloris redditurus, ſimul ex Platonis ſententia uoluptatis, ueluti dolori contrariæ, rationem reddidit: quoniam mutuò contraria ſeinuicem declarant. Verba Platonis ex Timæo à Galeno recitata, mihi Latinè ſic ſonant: Paſsio quæ præter naturam & uiolenter in nobis ἀθρόως fit, doloroſa eſt. Quæ uero ad naturam rurſus ἀθρόως reducit, ſuauis. At quæ ſenſim & paulatim fit, inſenſibilis. Quid uero per aduerbium ἀθρόως intelligendum ſit, ipſemet Galenus paulò inferius declarat, dicens: Voco autem ἀθρόως, quod per magna ſimul & celeriter fit. Hoc autem alicubi & Plato uoluit, dicens, id quod compoſitum eſt ex uiolenta ſimul & athroa paſsione, dum fit in ſenſibilibus corporibus, triſtem ſenſum facere. Nihil enim differt aut triſtẽ aut doloroſum, &c. Et paulò inferius cõcludens ea quę ex Platone & Hippocrate collegerat, ſubdit: Sic igitur omnis triſtis paſsio in omnibus ſenſibus fit: contraria uero illi ſuauis, ob contrariam cauſam. Regreſſus enim athroos ad id quod ſecundum naturam, eius rei quæ in periculo erat ne diuelleretur, uoluptatẽ operatur. Sed rationem reddens, cur cyaneus color delectabiliſsimus ſit: quia, inquit, ſine uiolentia cõgregat.

*ἀθρόως.*

Eſt igitur Galeni ſententia ex Hippocrate & Platone collecta, dolorem fieri in omnibus ſenſibus, ſed præcipue in tactu, à re præter naturam uiolenter & magno cũ impetu, ſimultaneè in eos irruente. Voluptatẽ uero, ex reditu ad naturalem habitum, ſimultaneo quidem, ſed abſq; uiolentia facto. Quare dolor & uoluptas in hoc quidem conueniunt, quòd athroωs fiunt: differunt uero, quòd dolor uiolentiam infert, uoluptas abſq; omni uiolentia contingit. Ab utroq; uero remouentur, quæ paulatim fiunt: quia præ exiguitate ſenſus effugiẽtia, nec dolorem, nec uoluptatem inferunt. Quare ſi ualidus ignis frigido & ueluti congelato corpori magna cum uiolentia occurrat, intolerabilem dolorem facit. Nec moueat nos aduerbium, paulatim, quo in utroq; loco utitur: In Methodo quidem, dicens, reditum in naturalẽ habitum oportere fieri paulatim, ſi debet abſq; dolore eſſe. In libro uero de ſymptomatibus, ea dicens non paulatim fieri, quæ dolorem uel uoluptatem inferunt. Videntur enim hæc duo aduerſari, Reditus in naturalem habitum eſt doloroſus, niſi paulatim fiat. & hoc, Quod paulatím fit, ſenſu non percipitur. Quod enim ſenſu non percipitur, ut ſuprà etiam dictum eſt, nec doloroſum eſſe poteſt, nec uoluptuoſum. Sed ut mittam, quòd Galenus ipſe nõ eiſdẽ uocibus in utroq; loco utitur: In libro ſiquidem de ſymptomatibus, id quod ἠρέμα καὶ κατὰ μικρὸν fit, dicit abſq; ſenſu eſſe: In Methodo autem, reditum in naturalem habitum faciendum κατὰ βραχὺ: ſcimus paruũ & breue relatiue dici, &

*Dolor et uoluptas quatenus conueniant differántq;.*

prop

propterea diuerſarum rerum comparatione, idem poſſe modo magnum, modo paruum dici, ſicuti & breue & longum. Id igitur quod quietè & adeò per breues portiones ac particulas fit, ut ſenſum penitus effugiat, neq; dolorem, neque uoluptatem præſtare poteſt: at id quod breuiter quidem, ſed non uſqueadeo tamen ut ſub ſenſum nō cadat, fit, poteſt & dolorem & uoluptatem afferre. Calor igitur qui cū uoluptate debet frigido corpori occurrere, ei comparatus qui dolorem infert exiguus: ei uero qui non ſentitur, magnus dici meretur.

Nulla ergo eſt inter Galeni dicta, in hac re controuerſia: ſicuti nec in ſanguinis & bilis calore, de quo quarto loco dubitaſti. Nam diuerſarum & hic rerum comparatione, ſanguis calidiſsimus, & non calidiſsimus dicitur: calidiſsimus quidē, alijs rebus poteſtate (ſicuti ipſe eſt) humidis comparatus, & præcipue pituitæ: non calidiſsimus, ſi etiam ſiccis comparetur, præcipue bili: quā non ſolum in libro de inæquali intemperie, ſed & in ſecundo eiuſdem libro de temperaturis, ubi ex propoſito pertractat partium omnium corporis humani temperaturas, multo calidiorem dicit eſſe ſanguine. De ea enim ſermonem non habuerat in fine primi libri, ſicuti neque de atra, quia non ex propoſito in eo loco, temperaturas partium corporis numerabat. Sed cum uellet demonſtrare cutem eſſe medium quoddā, regulámq; & iudicatorium, cuius comparatione intemperiem aliarum partium cognoſceremus: omnes intemperies diſcurrens, aliquas corporis partes nominatim tranſegit, quæ per ſingulam octo intemperierum à cute recederēt: inter quas primo meminit pituitæ & ſanguinis, quæ per humiditatē à cute remouentur: inter quas, quum humiditate uincat pituita, ſanguis calore, ſicuti pituitam frigidiſsimam, ita ſanguinem calidiſsimum dixit, alijs uidelicet humidis facta comparatione. Si quis uero ſtare huic noſtræ expoſitioni noluerit, habet & aliū modum quo reſpondeat: ſi uidelicet inhærens Arabicæ atq; iandiu inuulgatæ editioni, non calidiſsimum legat, ſed calidiorē. quod nemo dānabit, qui ſciat antiquas illas & barbaras editiones Græcis codicibus, alioqui ualde negligenter & oſcitanter excuſis, nonnunquam præſtare. Nam ut in prouerbio eſt, Sępe etiam eſt olitor ualde opportuna loquutus: uel, ut alij legūt, ſtultus. Quocunq; autem modo legamus, ſatis fuit Galeno, eo loco pro exemplo eorum quæ per calidū & humidum à cute recedunt, ſanguinis meminiſſe: ſicuti & cerebri meminit, pro exemplo eorum quæ frigiditate ab eadem cutis recedunt temperie. Cerebri enim caro ſeorſum & per ſe conſiderata, procul dubio frigida eſt. Verum quia uenis atq; arterijs tenuis meningos ita undiquaque obuoluta eſt, ut nulla eius inueniri particula poſsit, quæ illis careat, tantam caliditatem inde nanciſcitur, ut aëre etiam æſtatis tempore ſit calidior. Quod agnoſcentes chirurgi, dum caluæ fracturas curantes, cerebri meningas detegere coguntur, etiam æſtate media teſtam excalefactā, uel uas carbonibus accenſis oppletum, ſuſpendi ſupra uulnus per miniſtros faciunt, ne cerebrum attactu frigidioris aëris oblædatur. Propriæ ergo temperaturæ conſideratione, Galenus in libro de tēperaturis cerebrum inter frigida membra computauit. Ratione uero arteriarum & uenarum, quæ minimæ cuique eius particulæ commiſcentur, in lib. de uſu partium, calidum dixit. Ipſæ enim uenæ & arteriæ, licet natura ſua frigidæ ſint, uicinia tamen ſanguinis & ſpirituū concaleſcunt, & membranæ tenui, imò ipſi ſubſtantiæ cerebri, calorem impertiuntur. Incaleſcit & cerebrum ſpirituum animalium copia, qui tametſi remiſsius caleant quàm uitales, calidi tamen ſunt, alioqui celeritate carerent, quam & in uoluntario motu, & in ſenſibus, præcipue autem uiſu, aperte cognoſcimus: cuius inſtrumentum, oculi uidelicet, adeò calent, ut gelu non ſentiant, & uehementius agitati ueluti ſcintillas & fulgorem quendam emittunt. Et ſic ſoluta eſt, ni fallor, quinta dubitatio.

Sudorem uero, de quo ſexto loco quæritur, in ſano corpore ſecundum Galenum & ueritatem, ego puto naturalem eſſe euacuationem, non ſecus ac alui & ueſicæ excrementorum, atque craſsioris illius quod partim in materiam cedit pilorū, partim in ſordes. His enim nec temperatiſsimus quidem & frugaliſsimus homo caret, cum & frictione, & unctione, & exercitio, & balneo egeat: per quæ excrementa hæc, & per occultam diſflationem, & per ſenſui apertam uacuationem expurgantur. Quòd uero Galenus hoc ſenſerit, præter loca àbs te adducta, ex ſecundo libro de tuenda ualetudine aperte colligitur. Nec contrarium, ſi quis bene conſideret, aſſerit in expoſitione illius decimiquinti aphoriſmi primi libri: ſed quia locus ille non erat, in quo tractari diſputatio illa deberet, An ſudores eſſent naturales, uel præter naturam, ideo opinionem recitauit Dioclis, tanquam ſuo propoſito inſeruientem, quod erat, oſtendere uim caloris innati. Propterea ait, Quāto robuſtior fuerit connatus calor, tanto magis effugit ſenſum trāſpiratio. Et propter hoc Diocles dixit, ſudores eſſe præter naturam: quoniam omnibus circa corpus recte adminiſtratis, & nutrimento à natura bene ſuperato, nūquā per cutem ſenſilis humiditas excernatur. Sentētiam igitur Dioclis affert Galenus, atque rationem qua ad id ſentiendum mouebatur: non eam tamen uel probat, uel reprobat: quoniam, ut ſuperius dictum eſt, ubi tractandum ex propoſito rem non ſuſcipit, ſolet plerunque aliorum ſententiam ſequi, uel non confutare. At in libro de ſymptomatū differentijs, ubi ex propoſito docendum ſuſceperat, quomodo ſymptomata ab animalis operibus diſtinguantur: quam quidem diſcretionē non eſſe unicuiq; obuiam dicit, ſed indigere exacto iudicio, quoniam opera plerūq; ita ſymptomatibus ſunt ſimilia, ut ſymptoma opus, & è contrario opus ſymptoma putetur, ut in excrementorum uacuatione pręcipue contingit: in qua diſcernenda, an ſcilicet ſymptoma ſit uel opus, non ad qualitatem, quantitatem, ſubſtantiámue reſpiciendum, quum fieri poſsit, ut maior longe quantitas in ægroto uacuetur, quàm in ſano euacuari conſueuerit: nec tamen ſymptomatis ratione hoc contingat, ſed ui & prouidentia naturæ. Et quod de quantitate dixit, idem de qualitate & ſubſtantia intelligendum eſt. Imò, quod magis quiſpiam miretur, ſunt quædam à toto genere præter naturam, quę tamen ubi opportune fiant, hoc eſt, ubi id euacuetur quod moleſtiam inferebat, non ſint præter naturam dicenda, ſicuti ſanguinis per nares, uel per ani uenas, uel per uentrē inferiorem, & profluuium, uomitúſq;, uel id genus aliud. Singulum enim horum quia utiliter fit, nocumentum operationis dici non poteſt: quare neque ſymptoma, manente eo quod (in confeſſo omnibus exiſtens) ſuppoſitum eſt, Symptomata læſiones eſſe operationū.

Sed fortè aliquis hæc alteri ſymptomatum generi ſubijciet, affectui uidelicet præter naturam: diſrumpi enim uenam in quauis corporis particula, uel hactenus reſerari, donec ea quæ prius detenta erant, effundātur, non eſt naturalis affectus. Verum uentris profluuium, aut urinæ multitudinem, non poterunt, qui ſic dicunt, oſtendere, ſequi aliquos prętérnaturales affectus: excretio enim per uentrem, uel per ueſicam, uel per uterum facta, non eſt ex toto genere præter naturam, ſicuti uidelicet uenæ diſruptio, & meatus qui clauſus eſſe ſolet reſeratio. Dehinc ne dubia res remaneret circa ſudorem, quem aliquando naturaliter fieri ſuperius dixerat, ideo mentionem facere coactus eſt opinionis Dioclis, qui conatus eſt ſuadere, ſudorem omnem eſſe præter naturam: dicens dogma eius uideri durius, & actioni non conſentiens. Propriam tamen ſententiam neque hoc in loco plenè aperuit, ſed de talibus, inquit, fortè quandoque rurſus ſermo nobis fiet. Quem quidem ſermonem (ni fallor) fecit libro ſexto, in hunc ferè modum: Pertranſire igitur iam tempus eſt ad ſudores, de quibus alibi dictum eſt, quòd reſoluto interdū habitu fiūt, & paſsio hęc uocatur ſyncope. Huic uero contraria ea conſtitutio eſt, quæ in criſimis ſudoribus contingit, robuſtam monſtrantibus, non diſſolutam naturam. Tales quippe ſudores corpus expurgāt. Similes autem eis ſunt, qui in moderatis exercitijs, & balneis, & æſtiuo eueniunt calore: nam in immoderatis exercitijs, iam utile quid ſimul recedit. Hæc Galenus. Ex quibus uerbis, quid de ſudore ſenſerit, manifeſte deprehenditur: aliquem uidelicet naturalem eſſe, eū qui iudicialiter fit, & à balneis moderatis, & aëris nos circundantis calore. Aliquem præter naturam, qui per ſyncopen, uel alium modum affectum, non iudicialiter fit, & ob immodicum exercitium, diuturniorémq; in balneis moram, uel aëris uehementiorem calorem, non ſolum ſuperflua, ſed aliqua etiam utilia excernit. Ex hac autem Gal. ſentētia, rationes Dioclis ſolui facilime poſſunt. Omnibus enim quæ ad corpus pertinent, quan-

tumuis rectè administratis, alimentóque à natura optime uicto, aliqua tamen in corpore relinquuntur, quæ cum per fugientem ſenſum diſflationem euacuari non poſsint, per ſudorem euacuantur. Nec propter hoc imbecillis natura putanda eſt, ſicuti nec ſi non uſqueadeò ualida eſt, ut corpulentiora excrementa in uapores ſenſum effugientes ualeat expurgare: ſed abunde eſt, ſi pro cuiuſque modo euacuat quæ redundant: aërea quidem inſenſibiliter, aquea per ſudorem. Quòd cum uel ſola, ut in iudiciis, uel adiuta à balneo, exercitio, aërisq; calore, modum non excedentibus, facit, non uiolenter facere dicenda eſt: ſicuti nec quando adiuta à moderato calore, concoctionem ciborum in uentriculo melius complet. Et de ſexta dubitatione hæc ſatis ſunt.

Supereſt ſeptima, quam, boni imperatoris more, ceu magis ſtrenuam, in ultima acie collocaſti. Vix enim poteſt Galenus ab oſcitatione defendi, 3. lib. expoſitionis in primam Epidem. tertium ab imprægnatione menſem, ſimul cum quarto, minus obnoxium eſſe aborſui ſcribens, in eiſque prægnantes magis ſanari à morbis acutis, quàm in aliquo aliorum. Atque ad id adſtruendum, aphoriſmum primum quartæ particulæ adducens, in quo tamen nulla tertij facta mentione, quartus, quintus & ſextus cæteris præponuntur. Quare uidetur in Aphoriſmo tertius non rectè prętermiſſus, aut in Epidemia temere, tacitis quinto & ſexto laudatus.

Ego cùm Hippocra. Aphoriſmos ante multos annos publicè enarrarē, de hac diſſonantia cogitans, non aliā inueni uiam qua Hippocratē excuſarem, niſi dicerem eum in aphoriſmo rationē potius quàm experiētiam, obſeruationémue ſequutum: totum tempus geſtationis uteri, in tres æquas partes diuiſiſſe, in duas uidelicet extremas, & unam mediam: ex duabúsque illis extremis, primam quidem ob redundantem in cōnexibus, quibus fœtus utero alligatur, humorem: & tertiam, ob eorundem nexuum nimiam ſiccitatem, ineptas omnino putaſſe ad motum, qui in purgatione neceſſariò contingit, tolerandum. Mediam uero ſolam, ceu ab utroque extremo pariter ſemotam, ad purgationis impetum perferendum iudicauit idoneam. In lib. uero Epidem. in quo non rationi, ſed obſeruationi innititur, tertij menſis uim agnouiſſe, ſeruata in eo ſimul cum fœtu muliere, non ſolum uehementiſsima febre, quam ſolet ignem appellare, ſed delirio, conuulſione, multiſque aliis peſsimis, & (ut Galenus ait) fortibus & fallacibus ſymptomatibus afflicta. Cui obſeruationi Galenus quoque innixus, hunc ſimul cum quarto difficilimum eſſe dixit ad patiendum, adduxitq; aphoriſmū, non ad approbandum tertium, (de eo enim nulla ibi mentio) ſed ad oſtendendum quarti ualorem, qui ſit tertio non ſolum ordine, ſed uirtute proximus. Addidit autem Galen. rationi quam in expoſitione aphoriſmi reddiderat (quæ ex nexibus ſumpta erat, quibus fœtus utero colligatur) aliam ex ipſo fœtu acceptam, cuius corpus ſit in primis menſibus mollius, atque ob mollitiem ad patiendum magis obnoxium: in poſtremis, qui prope partum ſunt, cū magnus ſit, multa eget eſca, qua deficiente, plerunq; in acutis morbis corrumpitur. Et paulò pòſt infert: Propter hęc igitur, trimeſtria & quadrimeſtria magis aliis ſeruantur, quoniam uidelicet utrunq; diſcrimē effugiunt, quum nec adeò mollia ſint, ut bimeſtria, nec tanta indigeant eſca, quanta ea quæ ſeptem, octo, uel nouem ſunt menſium. Quod fortè intellexit Hippoc. in ultima aphoriſ. parte dicens: Νήπια καὶ τὰ πρεσβύτερα εὐλαβεῖσθαι δεῖ. non matres, ſed minores maioréſue fœtus intelligens. Dubitaui enim ego quandoq;, an poſſent hæc ad mulieres ipſas prægnantes referri, quum eas in prima aphoriſ. parte fœminino genere, κυούσας dixerit, & hic neutro genere utatur: ſed nec mihi quadrabat, ut mulieres quæ paulò antè conceperant, ſi grandioris ætatis eſſent, puellas uocaret: ſicuti nec ut eas quæ prope tempus pariendi, ſeniores. Sed ſiue matres ſiue fœtus intelligas, eadē omnino ſententia: ſimiliter enim, ut docet Hippocrates, & ualent, & non ualent. Niſi fortè non ad imprægnationis tempus, ſed ut ego quandoq; ſuſpicatus ſum, ad ætatē prægnantis hæc ultima aphoriſmi pars referatur, quaſi docente Hippocrate, ut cautè adoleſcentulas ſenioréſq; prægnantes etiam in tribus illis mediis menſibus purgaremus.

Sed relicta noua expoſitione, illud potius quod maioris momenti eſt, ueſtigemus, Quot dierum menſes ſint, qui ab Hippocrate utrobiq; nominātur: ſiquidem ipſemet Hippocrates in tertio libro Prognoſticorum docet, neq; menſes, neq; annos poſſe integris diebus numerari. Et eum locum enarrans Galenus, menſem omnem minorē eſſe ait triginta dierum, maiorem uero nouem & uiginti: menſémq; apud antiquos Græcos uocatum, tēpus medium duorum ſolis & lunæ congreſſuum. Sed & Hippocrates ipſe in libro de ſeptimeſtri partu, duos menſes ait in nouem & quinquaginta ferè diebus abſolui: & decem, ſeptem dierum quadragenis. Quæ uera non eſſent, ſi ſingulo mēſi triginta dies daremus. Vbi etiam aduertendum, Hippocratem multum in pręgnāte muliere quadragenis tribuiſſe: ut hinc etiam fortaſſe accipi poſsit ratio, quare tertius quoq; menſis inter bonos ſit computādus. Inchoat enim die ferè decimaſexta poſt primam quadragenā, quam peſſimam eſſe dicit Hippocrates, & præcipuam ad aborſus faciendos. In quo tēpore, ſexdecim uidelicet dierū, ſi quid imbecillitatis ex prima illa quadragena fœtui contractum eſt, potuit emēdari: quod præcipue in fœmella contingit, cuius formatio in quadrageſimoſecundo die cōpletur. Serius enim quàm mas & formatur & mouetur: nam magna ex parte ante quartū puella non mouetur, quum mas moueatur in tertio. Vt hinc etiam pateat uia, per quam quis noſtram dubitationē effugiat, ſi uidelicet dixerit, prægnantem ex mare, mēſe tertio fieri ualidiorem: ex fœmella, in quarto: déq; hoc in Aphoriſmis, de illa in Epidemiis Hippocratē loquutū. Sed & tertia quoq; occurrit fugiēdi uia, ſi dixerimus, in aphoriſmo de tolerātia purgationis per pharmacū agitatorium loquutum: de potētia uero reſiſtendi morbis & ſymptomatibus, in Epidemijs. Quæ reſponſiones in clamoroſis quidem diſputationibus, quæ captandę potius popularis auræ, quàm ueritatis indagandæ gratia fiunt, uideri poſſunt probabiles: re autem ipſa non plenè intellectum quietum reddunt. Quare, mea quidem ſententia, primæ quis tutius inhærebit. Tuum tamen erit, acri tuo ingenio & exacto iudicio tam hæc quàm alia quæ à me ſcripta ſunt, diligenter examinare, calculúmq; uel album uel nigrum ſingulis porrigere: utrūq; enim æqui bonique conſulam, modo me ames: quod ut facias, etiam atque etiam rogo. Vale uir eruditiſsime, meique obſeruantiſsime. Ex Ferraria, V. Calend. Octobr. M. D. XXXIII.

*Menſis ſignificatum apud antiquos Græcos.*

### EPIST. II. *Pro domino Iacobo Hephtho Boëmo, interdiu imbecilliter, ueſperi parum, noctu nihil cernente, niſi lumen lucernæ geminatum.*

ADuerſa ualetudo, quæ paulò poſt tuum à nobis diſceſſum, quadraginta ferè dies me lecto iacere coëgit, profitendique publicum munus, cuius tempus antequam plenè conualuiſſem aduenit, fecerunt ut deſiderio tuo ſatisfacere nōdum potuerim. Nūc tandem occaſione horum trium dierum captata, quibus ceſſare à publicis lectionibus nobis conceſſum eſt, arrepto ſtatim calamo, impellente Sinapio, rem ipſam aggrediar.

Queſtus apud me es, quòd interdiu imbecilliter, ueſperi parum, noctu præter lucernæ geminatum lumen, uix aliud cernas. Horum ſymptomatum duo prima ad deminutam, tertium ad corruptam pertinēt uiſus operationem: fiúntq; omnia ab ægritudine, tum in ipſo primo uiſus primario inſtrumento, cryſtalloide uocato: tum in oculi humoribus & tunicis illi ſeruiētibus conſiſtente. Quæ quidem ægritudo ad genus malæ compoſitionis ſpectat. Eſt enim obſtructio duplicis uiæ, illius nempe per quam uiſibilium ſpecies ad cryſtalloidem deferuntur, & eius quoq; quæ cryſtalloide ad neruos uiſuales. Fit autem hæc obſtructio à craſsis humoribus meatus occupantibus: qui, ut ego per exiguam illam conſuetudinē, quam tecū eo tēpore habui, quo in noſtro hoc collegio doctorū inſignia ſuſcepiſti, potui cōijcere, pituitoſi potius ſunt, quàm atrabilarij: hæc enim præ ſua craſsitie & lentore ęgre interdiu, ueſperi ęgrius tranſitum ſpecierum admittūt. Addita uero noctis obſcuritate, exiguum illud lumē, quod ſolis radijs aliquātiſper fouebatur, ita extinguitur, ut ne lucernæ quidem integrum lumen admittat: quare per duas ueluti feneſtras ingrediens, rem unam duas uideri facit, non ſecus quàm in ebrijs, uini uapores ſolent efficere,

cuſpide

cuſpide uiſualis coni non ualente in uno puncto tantã craſsitiem penetrare.

Vt ergo iam ad curationem ueniamus, humana manu amoueri hæc ſymptomata non ualent, niſi craſsi illi humores è ſede quam occuparunt, dimoueãtur. Quod quum fieri aliter nequeat, quàm per medicamina, quæ ualidam uim habeant & attenuandi & exciccãdi, neq; hæc tutò adhiberi poſsint capite oppleto: ſicuti neque caput quoq; ipſum euacuari, toto prius corpore non euacuato: primo erit corpus uniuerſum, ſecũdo caput, tertio oculus euacuandus. Totius corporis euacuatio à ſectione uenæ incipienda eſt, illius præcipue quæ in cubiti exteriori parte demõſtratur: per eam enim & reuulſio fiet & euacuatio, nonnihilúq; fortè materię in capite contentæ euacuabitur.

*Corporis euacuationẽ à uenæ ſectio ne auſpican dam.*

Secta uena non ab re fuerit purgatorio medicamento pituitam educere. Quod ut commodius fieri ualeat, eius primo craſsities & tenacitas erunt potu ſubmouẽda, qui recipit: Aquæ in qua fœniculi uel ſemen uel radix decocta ſit, tres uncias, oxymelitis binas: quo potu ter per horam ante cibum hauſto, in aurora hæc catapotia deuorentur: Agarici grana triginta ſex, Tralandal uocatorum grana duodecim, nucis myriſticæ tantundem, diagridĳ grana tria, cũ abſinthĳ ſucco, ciceris magnitudine catapotia adformentur.

*Pituitæ pur gãdæ ratio.*

Vniuerſo corpore per hæc duo euacuato, ad capitis euacuationem accedẽdum: quam & ipſam primo per earum uenarum ſectionem faciemus, quæ prope maiores, hoc eſt, interiores angulos oſtenduntur. Quæ ſi fortè uel lateant, uel imperitus ſector eas ſecare non auſus fuerit, uicem earum ſuppleat uena frontis media, uel hirudines eiſdem locis admotæ. Poſt hanc ſanguinis euacuationem, bidui intercedẽte quiete, mane cœna bene concocta, penna in ſequenti oleo intincta, in utrãq; narem intime adigatur. In nobilis meri uncĳs duabus tandiu bulliant res, quæ ſtatim ſcribentur, ut uinum ad unicam unciam redactum ſit: Sampſuchi ſicci, rutæ ſiccæ ana ʒ.1. piperis albi ℈.2. ellebori albi ℈.1. Hæc omnia in craſſum puluerem redacta, ubi in uino, ut dictum eſt, bullierint, abĳciãtur: uinóq; ſuperſtiti à puluere excolato, binæ unciæ olei laurini adĳciantur, ſimúlq; in duplici uaſe ad uini conſumptionem ebulliant. Sed & eiuſdem olei calidi gutta, citrique, auri inſtilletur, meatúsque aurium poſt inſtillationem goſſapio moſchato obturentur. Fiat autẽ hoc duabus a cœna horis, ſimúlq; auellanæ magnitudine, ſequens antidotum deglutiatur: Myrob. cheb. conditarum ℥.2. pulueris ſeminis fœniculi & rutæ ana ʒ.1. zingiberis ℈.2. mellis roſacei ℥.1. Quarto tamen uel quinto quoq; die, antidoti loco una ex catapotĳs deglutiatur, quæ recipiunt: Pilularũ cocchiarum ℈.2. lucis ℈.1. diagridĳ, gariophyllorũ ana grana ſex, cum aqua berbenæ. Fiant pilulæ tres. Vbi uero per hæc auxilia caput leue factũ uideatur, oculi cũ hac aqua poſt narium expurgationem abluantur: Berbenæ, rutæ ſylueſtris (ſi haberi poteſt, uel domeſticæ, ſi ſylueſtris non inueniatur) criſtæ gallinaceæ, quam ſclareã uocant, ana ℥.1. chelidonĳ ℥.s. ſeminis fœniculi ℥.1.s. in libris duabus uini, uaſe æneo uigintiquatuor horas madefacta, per ęneum etiam uas conſueto apud chymicos modo, ſimul cum ipſo uino deſtillentur, in æneóq; uaſe bene obturato, aqua quæ manauerit adſeruetur. Ex cuius lotione per quindecim dies facta, niſi ſymptomata uel in totum leuata ſint, uel manifeſte mitigata, uni illius aquæ parti, media hircini fellis portione addita collyriũ paretur, quod diductis palpebris ſupra oculi pupillam, ſupino capite immittatur. Accedere autẽ omnibus his debet congruus uictus, ita ut crapula, ebrietas, uenus, fumus, puluis, meditatio, & lectio à cibo, labor, curſus, meridianus, longiórque ſomnus, immodica uigilia, æſtas, frigus, uentus, præcipue auſtrinus, ira, rixa, clamor, merum, turbidior fortiſque ceruiſia, legumina, magni piſces, antiquę carnes, creber braſsicarum & lactucarum uſus, & denium quæcunq; replere turbulentis uaporibus caput poſſunt, euitentur. At ſi fortè ſeruatis quæcunq; ſcripta ſunt, parũ te profeciſſe cognoueris, ineunte uere reiteratis quæ ſcripſimus euacuationibus, ad fortiora auxilia ueniendum. Inter quę pręcipuũ eſt, ut laqueus ex equinis ſetis obtortis contextus, perforata duobus foraminibus ceruicis cute, inſeratur in ea parte quæ occipiti eſt proxima: ex eo enim ſingulo die moto, fit, ut ad patientia illa uulnera, materia deriuetur, quæ defluere ad oculos conſueuerat: quo præſidio niſi res ex uoto ſucceſſerit, ante æſtatis initium, ad uſtionem uerticis ueniendũ, quæ ad os uſq; perueniat, ulcúsq; poſt caſum cruſtæ remanens, per quadraginta dies, cicere, aliáue ſimili re intromiſſa apertũ conſeruandum. His præſidĳs, luce prima, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mũdum, adiuuante, ſpero te oculorum tuorum lucem & cõſeruaturum & aucturum. Ex Ferraria, M. D. XXXIII.

EPIST. III. *Ioannes Manardus Symphoriano Campegio, Equiti aurato, Lotharingorumq; archiatro, de Cyanei lapidis uſu, Ocimo, Parthenio, ac Limonio.*

CVm anno ante hunc uigeſimo Pannoniam petiturus eſſem, Ticinẽſis quidam, meus in medicina diſcipulus, libellum mihi dono dedit, in quo nõnulla in philoſophię, medicinæ & theologię ſciẽtĳs, partim per te commentata, partim ex præclariſsimis autoribus collecta, legebantur. Quem ego librum mecum in itinere indiuiduum comitem habui, & quotieſcunque præſtabatur occaſio, magna cum animi uoluptate perlegi. Ex qua lectione factum eſt, ut poſthac te ſemper magnopere & dilexerim, & obſeruauerim, & quæcunq; abs te edita commentaria intelligebam, diligenter inquirerem, & inuenta magna cũ auiditate perlegerem. Volui autem ſæpenumero meam hãc in te obſeruantiam, apud te per literas teſtatam facere: ſed deſiderium hoc meum in Pãnonia primũ retardauit, quòd inter illam gentem & Gallicam rara admodum erat cõmercia. In Italiam uero reuerſo, atq; in eodem deſiderio perſeueranti, tandem neſcio quo fato, Ioannes Campegius tibi ex fratre nepos, & tãto patruo digniſsimus, tuo me nomine humaniſsime ſalutauit: quem certe nõ permiſiſſem, ut ad te ſine meis literis rediret, ſi promiſſis ſteriſſet: hoc eſt, ſi, ut ſpoponderat, hâc iter in Galliam feciſſet: quod tamen non ſua culpa, ſed domini imperio factum puto. Tu uero, qua es benignitate præditus, officium meum non literis modo, ſed muneribus quoq;, quæ bonus quiſq; orientalibus gemmis prætulerit, cogitatum meum tam diuturnũ anteuerſtiti. Libros enim miſiſti, uel potius theſauros, quos in literarium ærariũ pòſt penè infinitos, nuperrime contuliſti. Quibus nominibus me tibi tantum debere ſentio, quantum nec ſi Neſtoreos annos mihi Deus optimus donarit, unquã poſsim perſoluere. Ne tamen ingratitudinis nomine (quod ſemper abhorrui) à te penitus grauarer, cœpi per hortum tuum Gallicum lento gradu expatiari, floréſq; quibus paſsim uernat, ſuſpẽſa manu colligere, cauens ne aliqua latitans fortè ſpina me incautum cõpũgeret. Nihil autem inueni quod me tãtum pungeret, ſed nonnulla quæ me ſimul cum alĳs attingerent: plura tamen præ illis fuerũt, quæ mihi adblandirentur. Verum dum ſpinas caueo, imprudens lapidem offendo, inter molles herbas deliteſcentem: criſtas enim iam erexerã, doctiſsimum me uocari audiens, quum tamẽ (tanti nomen illud conſtat) nec dignum me putem, qui inter doctos numerer, contentus inter eos haberi, qui doctos ita & ſequuntur & admirantur, ut tamen ueritati ſemper plus tribuant, quàm cuiuſcunq; autoritati. Fecit autem hic ueritatis amor, non contradicendi, ut ais, ſtudium, quod ſemper à me alienum fuit, ut à Leoniceno, homine certe cui honorem maximum debet noſtra ætas, homine tamen, aliquando diſſentirem: ut in hoc ipſo lapide Cyaneo, de quo, tacito tamen ob reuerentiam nomine, ita ad uerbum ſcripſi: Ego his non acceſſerim, qui non ſecus ac pernicioſiſsimum uenenum hunc formidant: experientia enim certa ſciõ, quòd ſi bene abluatur, multum iuuat, & uel nihil, uel parum lædit. Contra quæ uerba tu quaſi cum bile inſurgis, dicens: Sed ego certe ſcio, quòd qualitercunq; abluatur, ſi ſumatur à Chriſticola, multum nocebit, ac tandem lædet plurimum. Scias autem & hoc uelim, mi Symphoriane, me neque hoc, neque aliud ceu expertum laudaſſe, de quo non certam habuerim experientiã: alioqui neq; eſt apud nos adeò inexpertus pigmentarius, ne dicam medicus, qui huius lapidis incolumitatẽ nõ habeat exploratam. Nuſpiam uero legi, ueros Chriſtianos magis quàm Iudæos & gentes debere hũc lapidem formidare. Sed lapide hoc in ſuo loco relicto, reliquum horti

*Lapidem Cyaneũ bene ablutum non lædere.*

tui,

tui,ſine aliqua tamen bile peragrantes, nullibi mentionem Manardi præterquàm honorificā inueni, cognouiq; in pleriſq; locis mea tibi non diſplicuiſſe: quare ut tua quoq; uiciſsim à me probentur, neceſſe eſt, niſi uoluero penitus ruſticus uideri. Amplector igitur ſtudiū, laudo diligentiam, ingenuitatem exoſculor. Inter multa tamen quæ placent, non eo inficias, quædā mihi occurriſſe, quæ niſi aliter intelligātur quàm ſonant, nō mihi uſquequaq; probanda uideātur: quæ, quoniam id à me efflagitas, non uerebor adnotare, nō quidem ut tecum talionis agam, cuius tot in me ſunt beneficia, ut leuem illam calumniam, imò etiam longe maiorem debeant obnubilare, ſed potius ut tibi de me bene merito, & cui uſque ad aras debeo, morem geram.

In primis itaq; mihi non placet, quòd omnia purgatoria medicamenta fortia, dicantur pernecantia, & penitus abiicienda. Neq; uſquā hoc dixit Galenus, alioqui ſecum aperte pugnaret, quum & ſcāmonio, & elleboro, & colocynthide crebrò utatur, ut per totum ferè librum de compoſ. medic. ſecundum loca manifeſte demonſtratur. Neq; ſecundo lib. de uictu morbo. acuto. id ſcripſit, quod tu, malū interpretem ſequutus, ad tuā ſententiam affers roborandam, ſed cōtrarium potius. Verba enim Galeni utcunq; (fideliter tamen) interpretata, hæc ſunt: Vna eſt cautela, ne lædant purgātia pharmaca, ut non ſolum ſit purgans pharmacum, intemperatum ſcilicet & impermixtū aliis quæ obſcurare apta ſint eius malignitatem. Contraria enim eſt natura omnium purgantium pharmacorū, naturis corporū quæ purgantur, & ut quiſpiam dixerit, pernicioſa, & ipſorū uenenum. Quemadmodū autem papaueris lacrymæ, mandragoræ, hyoſcyami, atque aliorum multorum talium pharmacorum, quæ contraria noſtris ſubſtantiis & uiribus ſunt, & apta corpora corrumpere, exiguam partem aliquam accipientes, magnis eorum fruimur emolumentis: ita & cum purgatoria contrariam naturam habeant noſtrorum corporum naturæ, exiguā quandam eorum ſubſtantiæ partem abſcindentes, ad noſtrum utimur emolumentum. Hæc ſunt Galeni uerba, laudantis potius quàm damnantis, ut conſtat, horum medicamentorum uſum. Qui nec etiam (ut tu reris) minoris malitiæ eſſe elleborum quàm ſcammonium, in eadem ſcripſit commentatione. Sed in fine quidem præcedentis commentationis, non elleborum ſcammonio, ſed eius hieræ quæ per colocynthiden uario modo paratur, eam quæ elleborum recipit, ei in dolore lateris prætulit, quæ recipit ſcammonium. Quod etiam eodem capite ſcribitur, drachmas 2. ellebori interimere, bonis autoribus, Plinio uidelicet, Oribaſio, ut Arabes omittam, aduerſatur.

Ea præterea quę ex antiqua libri tertĳ de ſimplicibus medicamentis traductione afferuntur, non ſatis fideliter uerſa ſunt. Sic enim Latine ſonant: Omnino quidem ſimilitudinem quandam habet purgans pharmacum, uni ex humorib. qui in nobis ſunt: non tamen in uniuerſum miſcetur ei aliqua uenenoſa poteſtas: quare neq; in uniuerſum lædet non purgans, ſed concoquetur, & talē gignet humorem, qualem trahere aptū erat. Hæc Galen. aſſerens omne quidem purgatorium pharmacum ſimilitudinem habere cum aliquo noſtrorum humorum, non tamē habere ſemper ſecum commixtā uenenoſam uim.

Capite quoq; de ocimo, ex Dioſcor. ſententia res ei adſcribitur, cui ipſemet Dioſco. & alii boni autores aduerſantur, eius uſum damnantes tanquam mali ſucci, difficilis cōcoctu, redundātis humoris, & uiſum obſcurantis. Putauerim tamen librarii potius, quàm tuo uitio contigiſſe, ut oculorum claritatem facere dicatur. Male uero ſibi cōſuluiſſe Gallos, qui eo pro cibo, ut ſcribis, uti cœperunt.

In Parthenii nomine aperta procul dubio eſt ęquiuocatio, ſicuti & in amaraco. Amaracus enim quæ nomē amaracino unguento dedit, herba eſt ſuauiſsimum ſpirans odorem, de qua Dioſcorides ſub nomine ſampſuchi ſcribit lib. 3. A qua omnino diuerſa eſt ea, de qua eodem lib. ſcribit ſub Parthenii nomine, quæ, ut ipſemet ait, odore uiroſo eſt. Vtraq; harum notiſsima eſt: prima quidem ſub nomine maioranæ, ſecunda ſub nomine matricariæ, uel ut noſtris mulieribus magis placet, marellæ.

Non cōtēnenda quoq; æquiuocatio quę facta eſt in Limonii nomine: de fructib. enim qui nunc limones dicuntur, & ad lautitiem menſis petuntur, uel non meminerunt antiqui, uel ſub nomine citri. Limonium uero de qua ſcribit Galenus lib. 7. herba eſt, nomen habēs, ut inquit Dioſcor. quia in pratis naſcitur, & paluſtrib. locis. Neq; quenquam mouere debet fructus nomen, ſiquidem & ea uoce, hoc eſt, καρπὸς, etiam in herbis Græci utuntur. Mitto differentiam inter cytinon & balauſtion, quòd in ea falli quiſpiam poſsit citra uitæ humanæ præiudicium.

Hæc ſunt, mi Symphoriane, quæ perambulanti tuos amœniſsimos hortos, imbecillibus alioqui meis pedibus occurrentia, greſſus meos aliquantiſper retardarunt: quæ ideo ad te ſcripſi, quòd & tu petieras, & ut etiam agnoſceres reliqua omnia à me albo calculo eſſe ſignata, totúmq; hortū eſſe me diligentiſsime perſcrutatum. Quam diligentiam ſi tu quoq; in examinandis meis nugis adhibueris, non dubito, quæ tua eſt perſpicacia, ne multa inuenias, quæ maiore cenſura, quàm id quod de Cyaneo lapide ſcripſeram, digna ſint: quod tantum abeſt ut ægre laturus ſim, ut magis tibi uel hoc nomine debiturus ſim, quàm ex aliis in me collatis beneficiis. Campos quoq; tuos Elyſios, ſed cum feſtinatione, luſtraui, qui mirum in modum mihi arriſerunt. Legam, Deo uolēte, poſthac cunctatius, & quid de his ſentiam, quod magnum omnino erit, ad te ſcribā. Hoc tacere non poſſum, plus tibi uel ex hoc commentariolo debere tuam Galliam, quàm olim ſuis Druidis. Vale Galliæ ornamentū, &, quod facis, perge bonas mentes iuuare, tibíq; immortale decus & patriæ, imò toti Chriſtiano orbi maximū emolumentum parere. Ex Ferraria, III. Nonas Quintiles, M. D. XXXIII.

EPIST. IIII. Io. *Manard. Gaſparo Marcello philoſopho excellentiß. obſtructione uiſualium neruorum laborante.*

VEllem celeriorem fuiſſe tabellarium, qui tuas ad me literas attulit: decimoquarto enim calend. Martias datę, ipſis mihi calendis ſunt redditæ, eo uidelicet die, quo poſt Laruales ferias, publicum profitendi munus mihi erat redintegrandum. Nam ſi congruo tempore fuiſſent redditę, dum alĳ genio indulgebant, ego ſaluti tuæ omnem operam & diligentiam nauaſſem. Quod ad hanc diē facere cū nequiuerim, tuum erit meam hanc moram boni conſulere, celeritatiq; & anguſtiæ tēporis ac imbecillitati meæ, (chiragra enim, podagra & febre per hæc tempora laboraui) cōdonare, ſi mea hæc minus expectationi tuæ, quā de me maiorem longe quàm merear habere præ te fers, reſpōdebunt. Tantum enim ea attingam, quæ ad ſalutem tuam conſequendam magis uidebuntur opportuna: multa ſciens uolénsq; prętermittens, quæ ad artis potius oſtētationem, quàm uſum eſſent acommoda. Ratio enim per ocium copioſius reddenda eſſet, cur imagines illæ modo cominus, modo eminus, modo maiores, modo minores, & albæ uel nigræ aſsidētes, uel tremulæ ſe repræſentent. Verum longiore circa hæc diſputatione in tempus locúmque reiecta, rem ipſam, curandi ſcilicet præſeruandíq; methodos aggrediamur: illud tantum præfati, ſine quo nec curatio, nec pręſeruatio, cauteláue inueſtigari, nedum fieri recte poteſt, affectionis uidelicet ipſius, de qua quereris, eſſentia.

Vidiſſe te ais, iam agitur quintus annus, in oculo dextro duas imagines, unam quidem albam & tremulam, alteram nigram, muſcam repræſentantem. In ſiniſtro plures, in longū porrectas, ferè continuas: primo tamē autumni tempore, menſe uidelicet Nouembri, unicam in ſiniſtro oculo comparuiſſe. Sequenti anno in fine ueris menſe Maio, in dextro albam tremulam, quę per decem cubitos diſtare uidebatur. Facta uero purgatione, adhibitóq; collyrio, non multum tamen uehementi, uiſum eſſe tibi tunicas oculorū diſrūpi: quare collyrio dimiſſo, menſtrua per pilulas purgatione, præeuntibus nonnullis ſyrupis, ad menſem uſque Maĳ, anni M. D. XXX. uſus, cum nocumentum potius quàm iuuamen perſenſiſſes, in ſiniſtro præcipue oculo, quo magis uales, ad commune medicorum & ægrotorum auxilium, medicatas uidelicet aquas, confugiſti. Aponi igitur fontis aquas non ſolum, ut moris eſt, bibiſti, ſed & cadentis ex alto ictum in capite pertuliſti, ex quibus plus lęſus quàm adiutus es. Imago enim illa alba quę lōgius uidebatur, uiſa eſt ꝓpior fieri, additęq; ſunt binæ,

altera

altera muſcæ ſimilis,altera longe minor. Quæ uero ſiniſtro oculo obuerſabantur,ad maiorem molem deuenêre,licet non adeò diſtare uideantur.

Addis præterea annum te agere XXXV. biliosa eſſe temperatura,graciliore corporis habitu,exiguis uenis, optima memoria,ingenio mediocri,oculos habere humidos , & ad tactum calidos,cum manifeſtis uenis.

Omnibus his diligenter conſideratis , addita etiam mea aliqua coniectura,neqꝫ enim omnia particularia ſcripta ſunt,præſertim unum quod multum ad rem facit, an uidelicet diligenter conſideranti tuas pupillas, perturbatio aliqua demõſtretur,iudico certe te paſſum ſymptoma,quod Greci παρόρασιν,hoc eſt,obuiſionem,libri ex Arabica in linguam Latinam uerſi,imaginationē uocant,atqꝫ id quidem oculos primario affectu , non per purum conſenſum laborantes:quod quidē ſymptoma ad actionē corruptā,ueluti ad genus ſpectat : uides enim quæ uideri ab oculo ſano non debent,nec ab alijs uiſuntur. Pendet autem ſymptoma hoc à morbo in uia,obſtructione uidelicet inter corneam membranam & cryſtalloidem uocatam conſiſtente:quæ licet à uaporibus de uentriculo eleuatis interdum fieri poſsit,conijciendum tamen factam ibi potius eſſe, quàm fieri: alioqui nec imagines illæ tandiu perduraſſent , nec aſſiduæ eſſent , ſed & purgationibus toties factis,aquisque ebibitis , uel penitus amotæ,uel diminutæ potius fuiſſent quàm exhauſtæ. Putauerim igitur humorem ad eam regionem deſcendiſſe , qui tenuem inibi naturaliter conſiſtentem, plus minúsue , uariisque in locis diſſecet:neque omnino uniformis ſimilarísque ſit , ſed ex diuerſis partibus conſtet,craſsioribus, tenuioribúsue,continuis etiam & diuulſis:& ubi tenuior,ibi imagines magis ad album uergunt:ubi craſsior , magis ad nigrum:ubi in plures particulas diuulſus, plures ueluti culices uel muſcas muſcionésue repræſentet:ubi continuus & oblongus, ueluti filamenta quædam demonſtret.Moueri autem huiuſmodi imagines,ex ſpiritus uiſualis ad ea loca accedentis mutatione, concurrente etiam ea quæ fit ab exteriore lumine agitatione. Scimus enim oculos nedum imbecilles ac languidos,ſed robuſtos & fortes,ex uehementiore,uel etiam mediocri luce repentè ingruēte ualde commoueri,& ueluti radios quoſdam intra ſe gignere.Fieri pręterea hunc pręternaturalem humorem,modo cryſtalloidi, modo corneæ uiciniorem:priúsque fuiſſe huic,poſt aquarum uero uſum illi magis propinquum:atque ex hoc fieri ut quæ prius diſtantiora,poſthàc uiſa ſint propinquiora.Diſtāt porrò iſtę imagines inter ſe plus minúsue,iuxta facientium eas humoris partium, maiorem minorémue diſtantiam.Videtúrqꝫ,ut iam dictum eſt,ibi albiores, ubi humor eſt tenuior:ibi nigriores,ubi magis craſſus.Nōdum tamen ad tantam craſsitiem deuenerunt,ut uiſum in totum in àliqua oculi parte poſsint auferre : quod ſi fieret,ubi muſcæ apparent,res quæ extrinſecus uiſendę occurrunt,feneſtratę apparerent:& ubi lineæ uiſuntur, res quantumuis integræ in plures partes diſſectæ demonſtrarentur:& ſi demum coirent ſuffuſione iam cōpleta,incepiſſe enim eam puto , uiſus in totum perderetur:quod ne fortè cōtingat,Deo optimo auſpice,pro uiribus doceamus. Ad hoc enim prohibendum, parte artis indigemus quæ præſeruatiua nuncupatur:ſicuti ad delendum quod iam factum eſt,curatiua. Duæ autem hæ artis partes adeò in noſtro caſu inuicem cōnectuntur,ut curatio magna pars ſit præſeruationis. Si enim id quod iam factum eſt ſuſtulerimus , bona pars præſeruationis ſimul abſoluetur , ſublata uidelicet ab oculo ea materia,quæ ſi denſior fieret,plenam gigneret ſuffuſionem.

Prima igitur nobis occurret intentio euacuandi ab oculo eam materiam,quę obſtructionem in uiſualibus uijs faciens,idoneum prohibet oculorum uſum. Verum quia hæc uacuatio fieri non poteſt,niſi per medicamenta quæ magnam uim habeant diſcutiēdi,quæ uticꝫ ſi repleto capite adhiberētur , plus eſſet id quod traherent,quàm id quod diſsiparent:propterea altera nobis occurrit intentio, capitis uidelicet euacuatio. Verum quum caput euacuari non debeat, nec bene poſsit, toto corpore oppleto,ideo tertia præſtò nobis eſt intentio,totius uidelicet corporis euacuatio. Demum, quia accedente etiam,quod uix fieri poteſt,congruo in omnibus rebus uictu,uapores ſemper ceu leues ſuperiora petentes,caput,& conſequenter oculos,iam ex longo morbo imbecilles,oblæderent,quarta erit intentio , ut omni ingenio retrahātur & deriuentur. Sic igitur iam quatuor,uel ſi uis,quinqꝫ intentiones inueſtigauimus, quæ ad præſeruationem & curam ſunt neceſſarię,quas ordine quodam exequi nos oportet, ut ſcilicet illæ primo exequutioni mandentur , quæ in reſolutiuo noſtro progreſſu ultimo loco ſunt inuentæ,totius nempe corporis euacuatio, & materiæ ad oculos fluentis auerſio.

Ab his igitur inchoantes , magnitudine affectus nobilitatéqꝫ patientis membri cōſiderata,necnon oculorum calore cum rubore & uenarum apparētia,ubi uis conſtet,de quo minime ambigo,ſecandam exteriorem cubiti uenā iudico,eam uidelicet quæ humeraria appellatur,extrahendū tamen non multū ſanguinis,quoniā, ut ſcribis,exiles tibi ſunt uenæ.Satis igitur fuerit,à quatuor ad octo uſqꝫ uncias hauſiſſe. Id uero latus eligendum quod è directo ſe habet oculi magis læſi . Seruiet enim nobis huius uenæ ſectio ad euacuandum totum corpus,& ad materiam ad ſuperiora fluentem retrahēdam.Poſt hoc,quia materia,ut diximus,craſsitiē quandam habet,quò purgatio melius fieri ualeat,ipſam per hāc potionē tribus diebus mane ebibitam ſecabimus. Betonicæ nobilis & uerę manip.3.bulliāt in lib.1.s.aquę fœniculi tandiu,donec tertia pars ſit conſumpta:eáque aqua quæ ſupererit in tres partes æquas diuiſa, ſingulæ parti oxymelitis ſimplicis ℥.1.ſuperaddatur,quæ cōcocta præcedēti cœna,mane bibatur . Interim quoqꝫ ad eundem finē,comæ fœniculi in iure quo pro cibo uſurus es,decoquantur,paritérqꝫ in uino quē potabis eædem comæ per integrā ante potū horam madeſcāt. Attenuata iam aliquātiſper per tres dies materia, ſummo mane pilulæ deglutiantur,quæ habent,Pilularum lucis ℈.2.cocchiarū ℈.1.quę mixtæ horas decē in fœniculi ſucco maduerint. Veſperi eiuſdē diei duæ drachmæ huius miſcellæ hora ſomni accipiantur:Seminum fœniculi,ſeſeleos,nucis myriſticæ ana ʒ.1.ſucci fœniculi ℥.s.mellis roſacei quantum ſatis ad conficiendum electuariū uocatum. Altero die mane ſemuncia eiuſdem electuarij, concocta bene cœna accipiatur,quam trium horarum ieiunium ſubſequatur:per tres deinde ſequentes dies mane potio bibatur,quæ recipit,Seminis fœniculi oriētalis,ſi haberi poteſt,uel noſtratis in montibus nati ʒ.tres,bulliant in lib.1.s.aquæ,donec tertia pars deſit,diuiſóqꝫ toto decocto in tres partes,ſingulæ parti uncia oxymelitis compoſiti ſuperaddatur . Completa uero triduana hac potione,catapotia mane accipiātur, quæ habeant pilularū lucis ℈.1.cocchiarū duos,& per octo horas in ſucco berbenæ maduerint:& ſequēti die in aurora,media uncia electuarij ſuperius deſcripti,cui drachma una pulueris gariophyllorū ſit adiecta. Quo etiā electuario placet ut ueſperi hora (ut diximus) accubitus ſemper utaris : primo quidem eo modo quo deſcriptum antea fuerat : poſt hanc uero ſecundam purgationem , adiecta ſemper pulueris gariophyllorum ſemidrachma. Accedendum deinde ad tertium potionum ordinem , quæ conſtent ex decocto chelidonij herbæ , adiecta cuilibet potioni ſcillitici oxymelitis uncia: qua potione (ut in alijs diximus) ter ſumpta, ſequenti aurora hæc ſumantur catapotia : Pilularū cocchiarum ℈.2.Sine quibus ℈.1.madeſcant in ſucco chelidonij horas decem , inſperſáque aceti ſcillitici gutta cōformentur . Eiſdem quoque intentionibus non inutilis erit uomitus,modo abſqꝫ magna ui ac uehemētiore capitis commotione prouocari poſsit.Peractis uero hiſce nota dignis præſidijs,per quæ non ſolum totius corporis euacuatio,ſed materiæ etiā retractio fieret,ad alia properādū,per quæ & deriuatio cōpleatur, & caput quoqꝫ ipſum uacuetur.Fiet primum per cucurbitulas,diſſecta cute,primo quidem inter ſcapulas , deinde occipitio admotas.Secundo per ſectionem,ſi apparuerint,earum uenarum quæ prope interiores oculi canthos ſunt:uel ſi illæ ſecari nō ualeāt,hirudinibus primo poſt aures,deinde temporibus appoſitis.Tertio per ea quæ uel naribus infuſa,uel manſa,uel gargarizata materiam euacuant:quæ tamen prudenter adminiſtranda ſunt,ne caput nimium exagitantia , plus obſint quàm proſint.Sint igitur & natura ſua mitia,& quātum fieri poteſt,blande adhibeantur.Satis itaqꝫ fuerit , betæ ſucco butyro commixto,narium alas penna interius inungere,paſſulásque cum thure & nuce myriſtica,quā moſchatam uocant,mandere,& oxycratum parū acidum,

in quo

in quo fœniculi semina & roris marini coma bullierint, gargarizare. Verum licet deriuent hæc omnia, atq; aliquo pacto materiam ab oculo retrahant, nõ tamen perpetua potest esse eorum operatio, sicuti neque assiduus usus: ideo aliud machinandum, per quod continuò materia deriuetur: quod optime fiet, si duobus foraminibus unico iniectu in coniunctione occipitij & posterioris colli factis, chordula ex serico uel setis contexta ita insuatur, ut ora uulnerum diu conseruet aperta, per quæ continuò destillantes humores ab oculis deriuentur. Non omittendæ etiam quotidianæ extremorum membrorum frictiones, atq; post eas eorundem cum aqua calida in qua fœniculi herba decocta sit, ablutiones. Sed & ex cucurbitulis integra cute uariis locis admotis, non mediocre sequetur emolumentum: sicuti & exercitio, quo quantum fieri potest, capite quiescente, manus & pedes moueantur. Et capitis crebra lotio, ex lixiuio in quo saluia & chamæmelon bullierint, proderit: & per interualla scrupulus unicus uel duo earum pilularum quas ultimo loco descripsimus, duabus uel tribus à leui cœna horis deglutitus. Et per hæc quidem tres primæ intentiones explebuntur, quæ fientem potius morbum quàm factum respiciũt: atque ut sequens est, ad cauendum potius quàm ad curandum conducunt. Superest igitur quarta, quæ morbo iam facto debetur, quæ ut primo nobis proponitur, ita non nisi post alias executioni mandari perfecte potest. Perfecte dico, quoniam nihil uetat, quo minus eam, prima completa purgatione, à leuioribus quibusdam collyriis orsi, aggrediamur.

Leuissimum est, ut in aqua ubi decocta sit berbena, purum aurum ignitum quinquies extinguatur. Fortiusculum erit, si decoctio in uino fiat, & præter aurum, ignitum quoque æs in eo extinguatur: quantóque uinum potentius fuerit, tanto reddetur efficacius. Augebitur amplius uis, adiecto testudinis felle uel perdicis, fœniculóq; & berbena. Cõpleta uero secunda purgatione, chelidonio poteris uti: & peracta tertia, superaddito sagapenum. Vbi uero deriuationes quoque & particulares capitis euacuationes finem habuerint, nec aliqua supersit in oculo inflammatio, parum quoque euphorbij poterit adiungi. Incipiendum uero est à granis quinque pro singula uncia: per gradúsque crescendum, ita tamen ut nunquam duodecima pars transcendatur, pro duodecim uidelicet drachmis reliquorum euphorbij drachma. Quòd si ex hoc uel alio collyrio ingens ardor suboriatur, sero caprino oculi subluãtur. Inter efficacia quoque, succus cepæ cum melle numerari potest, & succus cyclaminis cum eodem, & gallinæ rubrum stercus. Potest & id inter potentia numerari, quod recipit, succi fœniculi & taurini fellis partes æquales, cum duplo melle. Caput quoque hirundinis in æneo uase ustum, & in tenuissimum puluerem redactum, physica quadam ui mirabiliter iuuat, si uel per se, uel cum melle illinatur. Plura addi possent, à recentioribus & antiquis medicis in hoc casu commẽdata: sed hæc puto sufficient, Deo optimo adiuuante: nisi adeò suffusio hæserit, ut sola paracentesi curari possit, accedente semper congruo uictu, quo crassiora & ad caput uapores mittentia, maliq; succi & humidiora cibaria caueantur. Venti quoq;, soles, fumus, uina generosa, cõcubitus, corporis & animi labores, quãtum fieri potest euitẽtur. XV. Calẽd. Maias, M. D. XXXIII.

EPIST. V. *Ioannes Manardus* P. *Nicolao Castellano, de falsitate iudiciariæ astrologiæ, de bona sexti climatis temperatura, de saccharo, & ligno* Indico *& Gyarcha.*

DVplici nomine mihi gratissimæ fuerunt literæ tuæ: uno quidem, quòd graui admodum oneri (quod dudũ imbecillibus humeris meis assumpserã) uindicandæ uidelicet à barbarorum ineptiis medicinæ, atq; inueteratis malignisq; ulceribus in ea relictis splenium, si nõ cicatricem afferre, te quoq; ualidissimam manũ admouisse conspicio. Altero, quòd in his quæ à me antea editæ sunt medicinales Epistolæ, paucula quædam obelisco perfodisti, cum ego multo plura esse in eis putarẽ, emunctæ naris hominibus, qualẽ te esse semper cognoui, non placitura, imò pauca in illis scribi, quæ nõ mererentur à tui similibus uel negligi, uel nec legi. Fecisti igitur me, ut uerũ ingenue fatear, ex tuis literis audaciorem, & meas mihi epistolas plausibiliores ita reddidisti, ut tentare nõ sim ueritus, an quæ à te taxantur, possim ad aliquem modũ defendere. Ea si bene numeraui, in tria capita rediguntur. Displicet enim tibi in primis quòd astronomiã non admittam, à Platone, Hippoc. Aristotele, Galeno, Augustino, Auerroë probatam. Secundo loco nõ probas, quòd sextum clima, quarto quintóq; prætulerim. Tertio nõ uidetur tibi credendum, saccharum quod nunc in usu est, fuisse Galeno incognitum, cũ eius Varro & poëtæ, ante illum per multos annos meminerint. Vt igitur primũ aggrediar, si astronomiam intelligimus superstitiosam illam syderum obseruationem, per quam futuri euentus ex horoscopo & uocatis annorũ reuolutionibus prænunciantur: & quæ cuiq; negocio peragendo, etiam (si Deo placet) uesti uel incidẽdæ uel induendæ certas præ aliis horas præscribit: ut cuicunq; de re sibi ignota interroganti, ex syderibus hora interrogationis uel orientibus uel occidentibus, uel supra uel infra terram in fictitiis quibusdam sedibus, quas domos uocãt, imaginariè potius quàm uerè existentibus, certa ueluti oracula depromat: eam tantũ abest ut admittam, ut ab omni republica cum suis autoribus expellendam, ueluti inutilem, deceptoriã, & omni penitus ueritate carentẽ, putem. Longior autem fuerim, superfluóq; laborauerim, si præstigiosa eorum dogmata pergam sigillatim confutare, alioqui ab Ioanne Pico Mirandula, iandudũ duodecim libris explosa: ad quos illi remittendi sunt, qui ueritatem in hac controuersia perfecte scire desiderant. Satis autem in præsentia mihi fuerit tuis repondisse rationibus: quod certe, ni fallor, unico iacto fundamento non erit difficile. Fundamentum tale erit, ut quotquot à te afferuntur testes, non de superstitiosa illa diuinandi arte loquutos dicamus, sed de ea quæ motus, ortus, occasúsque cœlestium metitur: atque ex his non hominum fortunas, sed defectus lunæ uarios, solis labores, atque aëreas mutationes uaticinantur.

Vt enim ab Hippocrate incipiam, nihil in eo inuenio quod iudiciariæ illi adstipuletur. In libro quidem de aëre, locis & aquis, qui maxime astrologiæ fauere uidetur, quidnam legimus, nisi consideranda medico anni tempora, uentos, loca, & regiones? Non enim alia de causa caniculæ, arcturi, uergiliarum exortus uel occasus, solstitiáq; & æquinoctia consideranda medico dicit, quàm ut per ea temporum mutationes agnoscat, cum quibus hominum uentres dixit permutari. Cum igitur hanc tantum ob causam asserat astronomiã non parum conducere ad medicinam, euidentissimè constat, eum de motrice tantũ nõ de iudicatoria intellexisse. Quod & apertius cognoscetur totum illum libellũ lectitanti: siquidem morum, rituum, ingeniorum, studiorum, corporúmq; uarietates, non in erroneas fixásque stellas, fortunata, infortunatáue cœli uel partium eius loca, sed in temporum, uentorum, aëris, aquarum, terrarum, ciborum & potuum refert qualitates. In Epidemijs quoq; si quando Arcturi, Pleiadum, solstitij, æquinoctij, caniculæ meminit, ad circunscriptionem anni fecit, ut Galenus eum librum exponens apertissime testatur. Sic & in Aphorismis purgationes molestas esse dixit sub Cane & ante Canem: non quia sydus illud purgationibus per se aduersetur, sed quia, ut idem Galenus ait, exusta eo tempore nostra natura, purgatorij uim non sustinet. Exuritur autem eo tempore natura, non quòd stella Canis uocata adurẽdi uim aliquam habeat, sed ex accidenti id nostro aëri cõtingit: quia dũ illa oritur, sol & uertici nostro magis propinquat, & in nostro hemisphærio longiorẽ moram trahit. Si enim propria id Sirij ui fieret, his qui ad antarcticum polũ eadẽ qua nos ad arcticum uergunt inclinatione, eosdẽ quos nobis calores iacularetur: quum tamen eodem tempore maxime algeant, quo nos maxime æstuamus. Quod certe argumentum uel unicum, totam ferè astronomicam diuinationem tollit, signorum uiribus inhærẽtem, quas in nostra regione ex solis ad ea accessu demõstrat. Sed quo pacto potest Hippocrates diuinatoriæ nostratium astronomiæ mentionem fecisse, quum supra quadringentos annos ante Ptolomæum fuerit, à quo ferè, qua recentiores usi sunt, emanauit in totum diuersa à Necepsi & Petosiris astronomia, quæ tamen solo nomine cum motrice conuenit, re tantum discrepat, quantũ mendacium à ueritate, & figmentum à uera re.

*Purgationes sub cane cur molestæ.*

Non est igitur ut præstigiosi isti diuinatores sua commenta Hippocratis autoritate tueantur, sicuti neq; Platonis

tonis

tonis aut Ariſtotelis: nam & hi nihilo plus aſtris attribuunt, quàm quod Hippocrates, indicari ſcilicet per eorum ortum temporum mutationes. Anni enim partes per ortus & occaſus ſtellarum antiqui diſtinguebant, ceu per rem quæ ad oculos patebat, & ſenſibilior firmiórque apud omnes gentes erat, quàm digeſtio earum per menſes, quorum nec nomina nec numerus eadem erant apud omnes. Numam enim nouimus duos anno ſuperaddidiſſe menſes: & dierum menſium numerum, ſicuti & nomina, ſcimus apud diuerſos fuiſſe diuerſa. Quæ uero in Timæo à Platone ſcribuntur, non de corporibus ipſis cœleſtibus intelligenda ſunt, ſed de ea mouentibus animabus, quas & deorum dignatus eſt nomine, & idearum (quas in ſe habent) ratione eſſe dixit fati conſcias.

Apud Ariſtotelem quoque nihil lego, quod me ad credendum iſtis uaticinatoribus cogat. Exploſa enim iandudum eſt illorum commentitia expoſitio, qui id quod in Meteoris, de pluuiis, grandine, uentis, terræ motibus, atque id genus ceteris dixerat, ad omnia quæ in terra quomodolibet aguntur, transferebant. Sicuti & quod de acceſſu & receſſu ſolis, in obliquo circulo, in libro de Cœlo & mundo eſt proditum. Vt enim negari non poteſt, corpora cœleſtia, & præcipue ſolem ſuo acceſſu & aſpectu, calorem per ſe in nos influere, & ſuo receſſu ex accidenti frigus: ita concedi non debet, ut peculiari alia ui, uel nocua nobis ſint, uel ſalutaria. Quare quod Thaleti ab Ariſtotele attribuitur, & Democrito à Plinio, præuidiſſe ſcilicet eum per aſtronomiam olei penuriam, ſi ex aëris intemperie coniecturam feciſſe credatur, ut ex Plinio colligitur, hoc non inuiti concedimus: ſi de Martis, Saturni, uel alterius ſyderis maligno afflatu, factum ipſum negamus: nec Ariſto. aut Plinij teſtimonia nobis aduerſantur, ſi recte uerba eorum perpendantur. Attribuunt hoc Thaleti, ait Ariſtoteles, & de eo dici. Et Plinius, Ferũt, inquit, Democritum &c. Quæ uerba non credidiſſe ei famæ Ariſto. aut Plinium demonſtrant, ſed eam hiſtoriam ueluti ab aliis proditam enarraſſe. Nec ut oſtendat philoſophiam utilem eſſe ad comparandas diuitias, Thaletis exemplum affert Ariſtoteles, ſed potius ut oſtenderet μονοπώλιον ad cumulandam pecuniam multum conducere. Verum quídnam debet Thaleti de cœleſtibus poteſtatibus credi, quum eorum ſubſtantiam ignorauerit? aſtra enim terreſtria, & cœlum ſectum putauit. Quid per motus potuit explorare, qui nondum exacte agnoſcebantur? Quid uero (quiſquis ille fuit qui philoſophorum hiſtoriam texuit, Galenum enim non fuiſſe ſatis conſtat) de uaticinio illo Thaletis ſenſerit, non ualde mihi curæ eſt, ſcienti magnam hominum partem deſiderio noſcendi futura tractos, non ſolum aſtronomiæ, ſed uanioribus etiam diuinationibus fidem mancipaſſe: quanquam, ut uerum ingenue fatear, id in eo libro non memini me legiſſe. Maioris autem momenti apud me eſt Galeni ipſius autoritas, qui in libro de diebus decretoriis, qui proculdubio eius eſt, aſtrologorum deliriis manum dediſſe aperte cognoſcitur. Nam Auguſtinus & Auerrois tam aperto Marte aduerſus aſtrologos ubique pugnant, ut ambigi non poſsit, eos ſi quid uideantur quandoque cœlo adſcribere, id non plus eſſe, quàm quod nec cæci ignorant, caloris uidelicet & frigoris influxum. Quod uero ad maiorem machinam, hoc eſt, ad Galenum attinet, non adeò ei adſtricti ſumus, ut non ueritati magis. Ab eo ſiquidem didicimus, nulli quantumuis ſummo plus credendum eſſe, quàm quantum rationi & experientiæ eſt conſonum. Age igitur uideamus quantum rationes quas in libro de iudicialibus diebus affert, roboris & momenti habeant in reddenda earum dierum ratione, quas Hippocrates præ cæteris commendauit.

Sunt igitur quæ axiomatis loco ab eo ſubiiciuntur ueluti experientia nota, ſeptem numero:

1 Non omnes dies ſunt æquè iudiciarij.
2 Fortiſsimi ſunt ſeptenarij.
3 Secundum locum obtinent quaternarij.
4 Quidam inter hos cadunt.
5 Non omnes ſeptimanæ, nec omnes quartanæ diſiunguntur:
6 Sed nonnullæ coniunctæ, aliæ uero diſiunctæ ſunt.
7 Acuti morbi diebus imparibus magna ex parte iudicantur, & diuturni paribus.

Horum rationem redditurus, multa ſubiicit quæ à nobis ſigillatim ſunt examinanda. Duo in primis eſſe dicit omnium quæ fiunt prima principia: unum, quod ex inferiori materia exordium capit: aliud, quod ex cœleſtibus.

Nos autem duobus hiſce principiis, alia duo ſuperaddenda à bonis philoſophis didicimus: in inferioribus quidem, humanam mentem: in ſuperioribus, cunctis & cœleſtibus & terreſtribus imperãtem, diuinam poteſtatem, & inſeruientem illi ſupernarum mentium innumerabilem cateruam.

Addit Galenus, abſque ordine eſſe quæcunque ab inferiori hoc principio: cum ordine uero quodam & ornatu ſemper progredi, quæ à cœleſtibus proficiſcuntur.

Nos ſcimus tam cœleſtia, quàm terreſtria, imò & quæ ſupramundana appellantur, cũ certo ordine eſſe à ſummo opifice conſtituta: multáque hic & eſſe & fieri cum ordine, quæ ordinem ſuum uel à propria natura, uel à poteſtatibus cœlo potentioribus nanciſcuntur. Nam ut mittam ea quæ ſupra omnem & cœlorum poteſtatem & ordinem ſolius Dei glorioſi munere in nobis fiunt, elementa, quocunque modo cœleſtia corpora uoluta ſint, nunquam à proprio ordine receſſerunt. Plantæ, radices deorſum, ramos ſurſum ſemper miſerunt, atq; in omnem dimenſum auctæ iámq; perfectæ, ſemina quibus ſpecies ſeruaretur, produxerunt. Piſces aquas, aues aërem, metalla terræ uiſcera, quocũq; uerſa ſint ſydera, nunquã deſeruerũt. Demũ, ut Ariſt. docuit 8. naturalis auſcultationis, ea ſola ordine carere dicimus, quæ præter naturam ſunt. Sed & Galen. ipſe in doctrinis ordines quoſdam agnouit, quos in cœlum nec retulit, nec referre uel debuit uel potuit. In agricolationum quoque diſciplina, in domo uel repub. gubernanda, in re militari, & in quauis denique arte, ſiue ſpeculatiua, ſiue factiua, multa ex ordine fieri uiſuntur, quæ in cœleſtes cauſas nequaquam ſunt referenda, neque ab illis, ut Galen. putauit, ad ordinem ſunt redacta. Quare non erat ut pro reddenda criſimorum dierum ratione, ad ſolem uel lunam confugeret. Nam ut demus illi, nos uirtute omnium aſtrorum, ſolisque præcipue frui, quatuor anni tempora ab eo fieri, ex terreſtri limo animalia gigni, fructus ad maturitatem duci, ad concubitúmque & generis perpetuitatem animalia quæque, homine excepto, prouocari: non proptera tamen concedendum eſt, morbos eius peculiari ui ad ſalutem uel mortem iudicari. Agit quidem ſol morborum curationes, ſicut & reliqua quæ diximus, calore ſuo uiuifico, quem plus minúsue uario motu & lumine nobis impartitur. Hinc enim fit ut ægritudines æſtate inchoantes, in qua ex ſolis ad nos acceſſu maxime incaleſcimus, hyeme ob frigus, receſſu eius nobis contingentes, reſoluantur: atque è contrario, quæ hyeme cœperunt (ut Hippocr. docuit) calore æſtatis euaneſcant. Verum non hoc perpetuum eſt, neque eundem ordinem ſemper ſeruat, ſicuti contingere deberet, ſi inferiora hæc à cœlo (ut Galenus dicit) in certum ordinem redigerentur. Plerunque enim contingit, ut æſtiui morbi ante hyemem, & hyemales ante æſtatem, finem uel bonum uel malum ſortiantur. Quandoque etiam, licet non tam crebrò, euenit, ut ad longius quàm ſex menſium tempus, nullo uel ægrotantis, uel medici, uel aſsidentium errore interueniente, prorogentur. Quòd ſi ea quæ à ſole in morbis fiunt (qui etiam, ipſomet Galeno teſte, princeps ſummus eſt inter cœleſtia ſydera) non ſunt firma & rata, quid de luna dicendũ quæ eius ueluti uicaria, mutuatum tantũ lumen nobis impartitur, atq; id quidem non eodem ſemper ordine? Et licet menſe uno tantũ itineris perageret, quantũ ſol in duodecim, exiguos tamen præ illo in nos parit influxus, atq; non adeò manifeſtos. Quare neſcio an eius operatio in quatuordecim diebus, operationi ſolis in ſex mẽſib. in ſoluẽdis morbis rectè à Galeno comparetur. Sol quippe, præter id quod ſummã habet inter ſydera poteſtatem, ex maximo ad nos acceſſu ad minimũ, uel è contrario, in ſex menſium ſpatio neceſſariò permutatur. Luna uero cum exiliter ſemper in nos agat, in ſemimenſtruo illo circuitu, prout uel ad ſeptentrionẽ uel ad auſtrum magis uergit, modo plus, modo minus uertici noſtro fit proxima, & tardius uel citius mouetur, ſecũdum quod uel in ſuperiori ſui parui circuli parte, uel inferiori reperitur. Quare quãtum ad hæc, minus ſtata & certa longe eſt eius, quàm ſolis in nos alteratio.

At ſi quiſpiam Galenum ſequutus dixerit, operatio-

nes lunæ in nos ex abſceſſu eius à ſole, uariáq; ex eo cõfiguratione, non ex maiore minoréue ad nos directione, aut motus uelocitate cõtingere: fortiores enim mutationes fieri in congreſsibus, atq; dum πανσέληνος plenáue eſt: minores, dum διχότομος, ſeu diuidua: exiles, dum ἀμφίκυρτος μηνοειδήςq;, hoc eſt, utrinq; curua, & cornicularis: hoc certe dictum ad tuendũ dogma aliquid faceret, ſi omnes ægroti labi in morbos luna ſilente inciperent. Ita enim in ſeptimo diuidua, magnam: in decimoquarto plena, maximam alterandi habens uim, acutos morbos iudicaret. Verum hoc rariſsime contingit, & propterea Hippocraticam criſimorum dierum doctrinam deſtruit potius quàm adſtruat. Nam quum indeterminata ſint morborũ initia, ſicuti quouis lunæ die poteſt morbus incipere, ita poteſt quælibet ad ſolem configuratio in ſingulo morbi die contingere. Atq; hoc pacto nulla dies magis quàm quæuis alia dici merebitur iudicatoria: morbo enim inuadente ſecũdo lunæ die, ſexto, non ſeptimo, tetragonus: & decimotertio, non decimoquarto oppoſitus continget aſpectus. Quare ſi iudicium configurationes huiuſcemodi ſequi dicatur, nec ſeptima potius quàm ſexta, nec decimaquarta potius quàm decimatertia, nec dies una magis quàm alia iudicandi poteſtatem habebit: totáq; Galeni machina, ſupra obſeruatos ab Hippocrate dies fabricata, cum ipſo corruet fundamento, uniuerſusq; eorũ ordo interrumpetur, alioqui ob aliud Galeni dictũ nutabundus: nihil enim manifeſtum ob ea fieri dicit, dum luce caret, quod magna ex parte tribus diebus à coitu ait contingere: in quibus ea quæ apud nos ſunt, alterare non ſufficit. Quocunq; igitur morbi die nouilunium euenerit, ut nulla alteratio perpetuo triduo in hæc inferiora à luna fiet, ita nullum eo tempore poterit eius uirtute in morbis iudicium fieri. Quare menſis ille Galeni, quem ex tẽpore quo luna totum ſigniferum circulum peragrat, & ex tempore quo nobis uiſibilis eſt, fabricauit, triduo illo quo lucem ad nos nõ mittit, neceſſariò cadet, ueluti altera cadente columna qua ſuſtinetur.

An uero aliis etiam ex cauſis nutet, age exactius examinemus: quod ut probius fiat, prius Galeni mens bene elucidanda. Cum ex tribus lunæ ueris menſibus nullus ſuppeteret in quem criſimorum dierum rationẽ commode poſſet referre, quartum quendam machinatus eſt, imaginariè potius quàm re ipſa ex duobus cõpoſitum. Tres dico, adiecto his duobus, quos nuper recẽſuimus, alio, qui apud Græcos, ut dicit Galenus tertio Prognoſticorum, proprie menſis nuncupatur, tempore uidelicet medio duorum congreſſuum ſolis & lunæ. Addit autem ſupra eũ quo luna ſigniferum circuit, duos ſemis ferè dies quibus ſolem attingit, à loco in quo antea ſecum coniuncta fuerat, triginta iam partibus ſummotum: in quẽ certe menſem, ſi in lunam referendi eſſent criſimi dies, potius quàm in utrumuis iam dictorum referri deberent, cum configurationes eius ad ſolem, in quibus magnam uim eſſe Galenus fatetur, per hunc maxime & fiant & agnoſcantur, cuilibet ſeptimanæ dabimus dies ſex, atq; alterius, hoc eſt, ſeptimę diei horas decẽ & ſeptẽ ſemis: quod etiã tẽpus dicit Galen. eſſe dierum ſex. Verum cum hic uigintinouem dies ſemis capiat, tres eius ſeptimanæ ſupra uigintiduos atq; octauam alterius diei partem ſuperadderẽt: quod ab Hippocratis doctrina multum abhorret. Hoc igitur reiecto menſe, ueluti non modo Hippocrati, ſed nec Archigeni conueniente, ad menſem peragrationis acceſsit: quem cum uigintiſeptem dierũ & tertiæ partis alterius diei eſſe putaret, uiderétq; tres eius ſeptimanas compleri, in diebus uiginti & media alterius diei parte, atq; ut ſequẽs eſt, non plus ad uigeſimam quàm ad primam & uigeſimam pertinere, iſto quoque reiecto, ad menſem apparitionis confugit: quẽ cum indeterminatũ ideo reperiſſet, quòd luna nõ ſemper æquali tempore poſt coitum cum ſole deliteſceret, ex proprio potius arbitrio, quàm re ipſa tempus, quo lateret, trium, & id quo luceret, uigintiſex dierum ſpatio, tertia alterius diei parte ſuperaddita, definiuit. Quod etiã cum in totum ſuo deſiderio non ſatiſfaceret, tres enim eius ſeptimanæ, octaua diei unius parte, à uiginti diebus deficiebant, quare ad decimumnonũ potius quàm ad uigeſimum uidebantur pertinere: alium ex duorum compoſitione commentus eſt, qui minor eſſet quàm is qui circuitum ſigniferi deſcribit, maior eo qui illuminationem metitur. Coniuncto igitur utriuſq; tempore ſimul, atq; eo numero qui ex commixtione naſcebatur, in duas æquas partes reſecto, id quod remanebit, quaſi in eo utriuſq; uires complecterẽtur, idoneum putauit, in quod criſimi dies referrentur. Reſtabunt autẽ, ut ſupputanti manifeſtum fiet, dies integri ſex & uiginti, & præterea alterius diei media & tertia, & duodecima pars: quæ partes ſi ad noſtrum horologium reducantur, æquinoctiales horas duas ſupra uiginti conſtituunt. Media enim diei pars horas duodecim capit, tertia octo, duodecima duas: quæ ſimul iunctæ, duas & uiginti complent: ut ſit hic factitius mẽſis, duodecima diei parte, hoc eſt, horis duabus minor uigintiſeptem diebus. Quod tempus ſi in quatuor ſecuerimus partes, cuilibet ſeptimanæ dabimus dies ſex, addita alterius diei media ſexta, uigeſimaquarta & quadrageſimaoctaua parte: quæ utiq; partes ſimul iũctæ, horas quot diximus complebunt. Medietas quippe diei, horarum eſt duodecim: ſexta pars, quatuor: uigeſimaquarta, unius: quadrageſimaoctaua, ſemihora perficitur. Iunctæ autẽ hæ ſimul, horas quas diximus, ſeptemdecim uidelicet ſemis efficiunt. Et quoniam hæc eadẽ ſeptimæ diei fragmenta, alio modo ſignans Galenus dicit eſſe mediam & quintam partem, adiecta ſexageſima, centeſima & uigeſima, & ducenteſima quadrageſima diei particulis, uideamus quomodo hæc in idem recidant cum prioribus, hoc eſt, quomodo horas ſeptemdecim ſemis conficiant. Media pars diei eſt horarum duodecim: quinta pars eſt horarum quatuor, & quatuor ex quinq; partibus alterius horæ, quæ clarioris ſupputationis gratia ſunt iuxta recentiores, minuta horæ octo & quadraginta, dando unicuiq; horæ ſexaginta talia minuta. Sexageſima porrò diei pars quatuor & uiginti ex eiſdem minutis comprehendit: centeſima & uigeſima, duodecim: ducenteſima & quadrageſima, ſex: quæ omnia minuta ſimul iuncta, numerum complent nonaginta, quæ horã ſemis conſtituunt. Quare horis his omnibus ſimul iunctis, redeunt horæ priores, decemſeptem uidelicet ſemis, quibus ad cõplendam ſeptimam, deſunt horæ ſex ſemis, quas Gale. dicit eſſe quartam diei partẽ, additis ſexageſima & ducẽteſima quadrageſima diei unius portiunculis. Licet in impreſſo Græco codice mẽdoſe addatũ portio cẽteſima: uigeſima tũc enim redundarẽt minuta horæ duodecim. Nã ſexageſima, ut diximus, diei portio, quatuor & uiginti horæ minuta cõſtituit: & ducenteſima quadrageſima, ſex: quæ iuncta uigintiquatuor, triginta partes (medietatẽ uidelicet horæ) complent. Quare delendum ρκ in Græco codice, atq; in hac parte barbara editio non ſolum nouam interpretationẽ, ſed & Græcam ipſam lectionem uincit. Alioqui neq; ſolũ in hac parte erratum eſt in noua interpretatione, ſed & eo loco ubi menſis à Galeno dearticulatur. Referendę enim illæ tres portiones, ſcilicet medietas, tertia & duodecima, ad integrã diẽ: non, ut interpres putaſſe uidetur, tertia & duodecima pars medietatis intelligenda. Nec uelim uel te uel alium fortè qui hæc legerit, arbitrari me detrahendi ſtudio in hæc diuertiſſe. Tantum enim ab hoc abſum, ut ſumma laude & præconio dignum eum interpretem ducam: culpandóſq; potius, ſi qui culpandi ſunt, librorum excuſores, qui dum celeritati nimis ſtudent, caſtigationes recognitionéſq; plerunq; præuertunt, & præcipitari editiones cogunt: quod de hac ipſa interpretatione interpres ipſe queritur. In hæc autẽ diuerti, ut Galeni ſenſum, qui præ literæ corruptela excerpi nõ poterat, aperirem. Galen. præterea, ut ad id redeamus unde diſceſsimus, oſtenſurus uigeſimam potius quàm uigeſimamprimam iudicatoriã eſſe, ait: Quod cum hæc ita ſe habeant, ternæ ſeptimanæ uiginti erunt dierum, & præterea alterius diei ſextæ partis. In quo loco etiam menda eſt, tam in Græco quàm in Barbaro codice: maior tamen in Græco, in quo nihil præter ſextam illam partẽ legitur: quum in Barbara editione legatur, ſexageſimaquinta pars, ex centeſimaquinquageſimaoctaua. Reſtituendus ergo locus in hunc modum: His ita ſe habentibus, tres dierum ſeptimanæ uiginti dies, & præterea unius diei ſextam & ſexageſimam, & ducenteſimamquadrageſimam partẽ continebunt.

*Locus Galeni emendatur.*

Atq; ad hũc modum exactè ratiocinantibus, parũ excellit uiginti dies, trium ſeptimarum numerus: & huius magis quàm uigeſimusprimus eſt proprius: quanquam & hic quoq; erratum eſt in Gręco codice, pro uigeſimo enim die legitur octauus. Demũ quaſi epilogũ faciens, ſubdit Gale.

Mihi

Mihi quidem demonstratū est iuxta ueritatem, & Hippocratis sententiā, quòd nullum horū totis diebus uerè numerari potest, hoc est, exacte & perfecte, neq; septimana, neq; quartana, neq; mensis, neque annus. In quibus uerbis aliquantisper sistendū, cōsiderandúmq; an ad intelligendam Hippocratis de decretoriis diebus sententiā, eorúmq; rationē reddendā, necessariū sit ad lunam recurrere, & per eius aliquem motū eos numerare. Percurrenda igitur in primis loca, in quibus de his diebus mentionē facit. In aphorismis legimus, in quatuordecim diebus acutos morbos iudicari: quartū diē esse indicem septimi: alterius septimanæ octauam esse principium: undecimū esse contemplabilem ceu quartam alterius septimanæ: & pariter decimūseptimū. Sudores bonos & qui iudicant morbos incipere die tertio, quinto, septimo, nono, undecimo, quartodecimo, septimodecimo, uigesimo, uigesimoseptimo, trigesimoquarto. Et alio loco: Febrē quæ diebus paribus relinquit, solere reciduare. Morbū regiū bonum esse, qui septimo, nono, undecimo, quartodecimo febris die superuenerit. Suppuratos à pleuritide, nisi in quadraginta diebus purgētur, tabidos fieri. Podagricos tumores, sedata inflammatione, in quadraginta diebus finiri. Destillationes in uentrē superiorē intra uiginti dies suppurari. In quibus dictis nihil ego uideo quod currere ad lunā nos cogat: uideo potius quod euertat. Vt enim argumentū quo ab initio tertij libri utitur Galenus, in argumentantem retorqueatur, si dierū Hippocratis ordo status est & determinatus, quo pacto potest in lunam referri, in qua nihil ratū & stabile inuenitur? Nam ut à mense coniunctionis incipiamus, nō semper idem spatium primam & sequentē coniunctionem interiacet: alioqui una scita, perfacile esset absq; ullo labore futuras omnes cognoscere, quod in mediis ut uocāt coniunctionibus docent astrologi: quanquam nec ipsæ id præcise habent interuallum, quod Galenus putauit, sed supra uigesimūnonum diem semis, partes quatuordecim superaddunt. Minus quoq; stabile est peragrationis sub signifero circulo tempus, ipsa uidelicet luna modo uelocius, modo tardius lata: quando enim celerrime mouetur, supra 15. gradus quotidie perambulat: quando tardissime, duodecimum non attingit. Ex quo fit, ut instabilissimum sit illuminationis tempus: cuius inconstantiam quum agnouisse Galenus uideatur, mirum est, quòd eo ueluti stabili utatur. Quod etiam tempus si præfinitum certúmq; esset, nihilominus ordinem & numerum dierum Hippocratis peruerteret, quū eo quo latet tempore, nihil huc influat, ut superius quoq; dictū est. Sed & quomodo possunt hi dies certi quidpiam habere, si uerū est aliud quod experientia obseruatum dicit Galenus, luna beneuolos planetas respiciēte, bonos & sanis & ægrotis dies contingere: si ad maleficos respiciat, malos & contristantes? Ex hoc enim plerunq; euenit, ut laudati ab Hippo. dies maligni sint: & quos ipse uituperat, boni. Sicuti etiam ex alio astrologorum dicto, à Galeno non minus recepto. Asserunt quippe iidem Aegyptij astrologi, quoties id signum, in quo boni planetæ fuerint, natiuitatis alicuius hominis tempore luna insederit, bonos dies illi homini futuros: atq; è diuerso malos, quoties in eo signo fuerit, in quo mali planetæ errant, dum homo nasceretur. Idem iudicantes ex signis quæ de quadrato uel aduerso primordia illa signa respiciunt: ut si Arietē boni planetæ tenuerint hora natiuitatis, & mali Taurum: quando luna in Ariete, Cancro, Libra, & Capricorno fuerit, bene cū homine illo agetur: quando in Tauro, Leone, Scorpio, uel Aquario, male. Quid igitur certi relinquetur diebus Hippoc. si in uno lunæ circuitu uix decem supererunt dies, qui ex cœlesti causa non impediantur? Sed quum duo sint secundum astrologos beneuoli planetæ, Iupiter & Venus: duo maleuoli, Saturnus & Mars: fingamus aliquē nasci planetis his quatuor diuersa signa tenentibus, ut me hæc scribente cōtingebat. Iupiter enim in Scorpione, Venus in Libra, Saturnus in Cancro, & Mars erat in Virgine: nullus ei nato, quocunque ægrotauerit tempore, ex notatis ab Hippoc. diebus relinquetur, qui à proprio significato non detorqueatur. At dixerit fortè quispiam, per bonos hosce influxus iuuari bonos Hippoc. dies, per malos malorum malitiā augeri. Sed dicat mihi, quidnam fiet, si cum bono influxu malus dies, uel cū malo bonus coniungatur? Mixta, inquiet, ex bono & malo proueniet operatio. Verum nónne hoc est Hippocraticas obseruationes peruertere, & ordinem omnem ab eis auferre, atque medicum à propria professione ad supputandos cœlestes motus euocare, & in hanc necessitatem adducere, ut cuiuscunque ægroti curationem accepturus est, natalem horam cognoscat, & planetarum loca cum stylo & abaco in eadem hora supputando peruestiget? Verū & morborum initia non minore diligentia erunt obseruanda, quum iuxta astrologorum & Gal. sententiam, bona futura sint his orientibus signis, in quibus boni planetæ fuerunt tempore natiuitatis: & mala illis orientibus, in quibus mali fuerunt collocati. Idémque iudicandum de signis quæ uel ex aduerso, uel ex quadrato respiciunt. Tanti autem momenti esse Galenus putat principia, ut ab his ferè dependere dicat uniuersam ex crisimis diebus prognosticationem. Magnas enim quæ in quadratis uel in aduersis locis fiunt mutationes, in bonis principiis bonas, in malis malas esse arbitratur: ut & hic illud dici possit, Quale fuerit principiū, talem futurum & exitum. Quare principij hora erit cū astrolabio à medico accuratissime cognoscenda, & quod signum in ea oriatur, solertissime inuestigandum: hoc enim perdito, simul omnis dierum iudicialium ars deperibit, alioqui eo etiam habito ruitura, si horæ principij magis standū sit, quàm diebus ab Hippocrate præscriptis. Longior fuerim, si quæcunque recentioribus astrologis circa morborum præsagia cōscripta, uel potius conficta sunt, crisimis Hippocratis diebus aduersantia, hic afferre uoluero. Extant peculiaria duo commentariola, unum Hippocrati, alterum Galeno adscriptum, in quibus quicquid ferè legitur, Hippocrati in hac doctrina aduersatur: ad ea relegentur, qui huius rei pernoscendæ sunt auidi: satis mihi nunc fuerit ea afferre, quæ à Ptolemæo astrologorum principe de his diebus scribuntur, ut uel ex hoc cognoscatur astrologorum dicta cum medicis non consentire. Is enunciato quod est inter centum, sexagesimum, in hunc modum scribit: Super ægrotis criticos dies inspice, ac lunæ peragrationem in angulis figuræ sexdecim laterū. Vbi enim eos angulos bene affectos inueneris, bene erit languenti: contrà male, si afflictos inueneris. Quodlibet huius figuræ latus uigintiduos gradus capit, & prætęrea alterius gradus medietatem. Erunt igitur in lunari mense dies sexdecim obseruandi, qui nec stati erunt, nec Hippocraticis, præterquam raro, consentientes: quoniam luna uelocius mota, paucioribus diebus unum latus absoluet: ubi tardior fuerit, pluribus in uno pertranseundo immorabitur. Verum nec ex ipsa secundum se ipsam die, sed ex anguli bona malignáue affectione, bonum uel malum iudicium dependebit. Quo magis igitur ad astrologos conuertimur, eo magis ab Hippocrate diuertimur. Sed hæc quidem ad omnes pertinet, qui in reddēda crisimorum dierum ratione, ad astrologos confugiunt. Illud uero ad Galenū peculiariter pertinet, quod de intermittentibus febribus 4. Aphorismorum lib. Galenus, & 3. Prognostic. idem Galenus & Hippoc. scribunt, numerandos uidelicet in his non continuos dies, sed ipsas accessiones. Quæ certe accessionum numeratio in lunam referri non potest continuè motam, nec quandoque suam motionem interrumpētem: & si in eam referatur, neq; iidem dies, neq; eædem configurationes remanebūt. Quarta enim quartanæ accessio, ad nonam diem, & septima ad octauamdecimā pertinebit, atq; deinceps quoq; in reliquis uniuersus & dierum & configurationū ordo perturbabitur. Sed & in tertianis quarta accessio ad sextū, septima ad tertiūdecimum spectabit. Quare hi dies, sextus uidelicet & tertiusdecimus, iudiciales potius in his erunt, quàm septimus & decimustertius. Mitto argumentū quo præcipue Aponēsis in Gal. utitur, licet nō minus cōtra ipsummet argumentantem, quàm cōtra Gal. concludat: sequi uidelicet ex Galeni numeratione, quadragesimamprimam diem magis quàm quadragesimam esse iudicialem, superfluentibus secundo uicenario duodecim horis, sicuti primo, quæ prioribus duodecim iunctę diem integram constituent: quare iudicium ad quadragesimamprimam, non ad quadragesimam pertinebit. Neque est ut ad numerum parem recurrant, qui sit diurnis morbis congruentior, per eum potius quàm per imparem motis. Nam cum in his natura ceu minus exagitata segnius aduersus morbum moueatur, si paritati hoc dādum, ad quadragesimamsecundā potius quàm

o 2 ad

ad quadrageſimā iudiciū pertinebit. Hęc & alia permulta faciunt, ut à Galeno in hac parte recedā: nec ſolū ab eo, ſed ab omnibus quotquot aſtrologica ſuperſtitione præclariſsimā & caſtiſsimā medicinæ artē fœdare & adulterare cōtendunt. Nec eſt ut Galenus uel alius quicunq; hāc criſimorū ex cœlo rationem in Hippoc. referat, in tertio Prognoſtico, ubi criſimos dies per ſex quaternarios ad uigeſimum uſq; digeſsit, in hunc modum ſcribentem: Nullum autē horum totis diebus uerè numerari poteſt: neq; enim annus, neq; menſes totis diebus apti ſunt numerari. Quartanos enim & ſeptimanos inſultus (de his enim loquitur Hippoc.) non eſſe integris diebus numerandos: ex eo probat, quòd nec menſis neq; annus integris diebus ſunt numerandi. quod certe argumentum, ſi pro argumēto ab eo adfertur, nō uidetur concludere, niſi quartanorum & ſeptimanorum ſupputatio ex anni ſupputatione dependeat. Quod ſi tāquam uerum recipiamus, ad agnoſcendam dierum certā quantitatem neceſſarium erit anni circuitum exactè cognoſcere, ut hoc in duodecim partes diuiſo, menſtruum tempus habeamus, quo in quatuor partes diſſecto, prodeat ſeptimana. Eſt autem uerus anni circuitus, iuxta Alphonſi ſupputationem, quæ cæteris exactior reputatur, dierū trecentorum ſexagintaquinq;, horarum quinq;, & quadragintanouem ſexageſimarum alterius horæ, & præterea partium ſecūdæ ſexageſimæ ſexdecim. Hūc numerum, ſi per duodecim diuiſerimus, occurrent primo integri dies triginta, ſupererúntq; quinq;: quos ſi clarioris ſupputationis gratia ad horas reduxerimus, fient horæ centum & uiginti: quibus per ſingulos menſes diſtributis, decem cuiq; obtingent. Erit igitur quilibet menſis dierum triginta, horarum decem. Et ſi quis exactius rē ſupputare uolens, quinq; horas quæ remanſerunt, in minutias ſecuerit, & cuilibet horæ, ut aſtrologi faciunt, ſexaginta tribuerit, reſultabit ſumma trecentorū. Quibus ſi adiiciantur nouē & quadraginta primæ minutiæ, erunt in totum CCCXLIX. Quæ rurſus in menſes duodecim diſtributæ, addent cuilibet minutias nouem ſupra uiginti, unica ſuperſtite minutia, quæ cum ſexaginta ualeat ſecūdas minutias, ex his etiam ſecūdis, quinq; erūt ſuperaddendæ. Sed ex ſexdecim huiuſcemodi minutiis, quas diximus in exacto anno contineri, ſingula ſingulo menſi data, adhuc quatuor reliquæ erunt, quæ ad tertias redactæ, & ſumma earum per duodecim diuiſa, ſingulo menſi uiginti tertias minutias ſuperaddent: conſtabitúrq; præciſa menſis quantitas ex diebus triginta, horis decē, minutiis primis uigintinouem, ſecundis ſex, tertiis uiginti. Quare uerus hic menſis Galeni menſem lōgo interuallo ſuperabit, & ſi integritas à die tollitur, quia nec mēſibus, nec anno adeſt, per auctionem potius quàm per diminutionem auferetur, tréſq; ſeptimanæ ultra primū & uigeſimum diem extendentur, nedū quòd uigeſimo finiantur. Quanquam ſi aſtrologis ſtandum, incertior longe eſt dierū menſura, ipſis quidem plus minúſue modo auctis, modo minutis, iuxta inæqualitatē tum motus ſolis in obliquo circulo, tum obliquarum & rectarū aſcenſionum, ſemper tamen uigintiquatuor horas excedētibus, ut Ptolemæus lib. 2. & 3. magnæ compoſitionis demonſtrauit. Si igitur Hippocra. autoritati, quæ certe non maxima apud quemlibet nō eſſe debet, dandum eſt, ut diebus nō integris & quartanos & ſeptimanos circuitus ita numeremus, ut ſex quartani tréſue ſeptimani, quod idē eſt, in uigeſimo die finiantur: non hoc ad dies æquales uel inæquales aſtrologorum acceptum eſt referendū: ſed ad id potius quod Hippocra. expreſsit, quòd ſcilicet aliqui quartani, ſicuti & aliqui ſeptimani circuitus, coniunctim, aliqui diſiunctim ſunt ſupputādi. Nec id quod de anno & menſe ab eo dicitur, pro efficaci argumēto, ſed pro exemplo eſt recipiendū, ut ſcilicet quemadmodum nec anni, nec menſes, ita nec quartani nec ſeptimani circuitus, completis & ſolidis diebus ſunt metiendi: alioqui & ſex quartani & tres ſeptimani uigeſimam diem tranſcendent. Nihil igitur ego in doctrina Hippoc. de iudicialibus diebus uideo, quod in aſtrologorum dogmata referri uel debeat uel poſsit: uideo potius per Hippocraticas obſeruationes illorum decreta circa morbos funditus tolli. Laudandum igitur in hac parte Galen. ingenium, quòd ſubtili artificio Hippo. dicta in cœlū redigere conatus ſit. Non propterea tamen eius autoritati tantū eſt tribuendum, ut ueritas deſeratur: quæ ſola amica magis eſſe cuilibet bono uiro debet, quàm myrias Galenorum.

*Anni circuitus iuxta Alphōſi ſupputationē.*

Secundū, quod in meis epiſtolis nō probas, eſt, quòd clima noſtrum ſextum magis temperatum eſſe dico, quàm quartū, quod Galenus: & quintum, quod Auerrois putauit temperatiſsimum. Tibi enim uideri, ais, iuſtitiali, quod uocāt, temperamēto quartum & quintū excellere, quoniam calor amicior eſt naturæ quàm frigus: qualem temperiem potius debet ſpectare atque optare medicus. In quibus uerbis, quinq; uideris innuere: primo, temperatiſsimum hominem non uerè æqualem habere primarū qualitatum mixtionem, ſed iuſtitialem: ſecundo, iuſtitialē hanc temperiem ad calidum magis quàm frigidū uergere: tertio, hanc in quarto & quinto magis quàm in ſexto climate reperiri: quarto, calorem magis amicum eſſe naturæ quàm frigus, & in temperata regione calorem potius quàm frigus deſiderandum. Ego uero, ut à primo incipiam, dum eam medicinæ partem, quam theoricen uocant, profiterer, quicquid recentiores putent, tenebā temperatiſsimum hominē, ſi modo quis talis inueniatur, temperaturam habere inter utranq; primarum qualitatū contrarietatem exacte mediā, humanúmq; in uniuerſum genus inter reliqua quæ cœli ambitu continentur, huic certe æqualitati eſſe maxime propinquum: nobiliſsimæ quippe formæ, qualis procul dubio eſt anima humana, nobiliſsimam deberi temperaturā, & quantum fieri in hac fluxa & fragili materia poteſt, cœlo, quod omni prorſus contrarietate caret, ſimilimā. Cæteris quidē animalibus eam temperaturā à ſummo opifice condonatam, quæ ad ſua cuiq; exercenda munia eſſet idonea: quam iuſtitiæ Galenus cōparauit. Homini uero ceu in interliminio ſuperiorum & inferiorum exiſtenti, ea dari debuit, quæ ſimpliciter & abſolute eſſet perfectiſsima, & ab utraq; extremarū qualitatum contrarietate æqualiter & ad amuſsim remota: quæ propterea exacte & maxime temperata eſt à Galeno, ponderéq; & menſura æqualis uocata, ut primo libro de Temperaturis, & primo ac quinto Salubrium, ita aperte declarauit, ut Auerrois ſecundo libro ſui Colliget, licet in totū non probauerit, eſſe tamen Galeni opinionem non negauerit. Hac autē pro uera ſententia recepta, ſecundū tuum dictum non poteſt bene conſiſtere: id enim quod uerā habet mediocritatem, non magis ad calidū inclinat, quàm ad frigus, ſed quatuor primas qualitates omnino æquales habet. Sicubi uero Galenus uidetur contrarium aſſerere, hominémq; à prædominio calidum dicere, de eo quatenus animal eſt & uiuit, intellexit: quandoquidem non ſolum exangues quoſq; uermiculos, uerum & hyoſcyamum atq; mandragoram, quatenus uiuentia exuperantē habere dixit caliditatem, quibus tamen iuſtitiale, ut nunc loquimur, temperamentum non ſecus ac homini adſcripſit. Quare nec ex iuſtitiali tēperamento, nec ex calore, quē temperatiſsimus homo præ ſe fert, quod recentiores nonnulli contendūt, argumentari licet, humanam temperaturam ad calidū potius quàm ad frigidū uergere. Viuit ſiquidem & actu calet hominis cutis, quam tamen exactiſsime inter omnia quæ in mundo hoc ſunt, mediam ſtatuit Gale. Cuius comparatione cū climatis æqualitas maxime ſit attendenda, ſequens eſt, id clima magis æquale eſſe, quod certe cutis æqualitati magis eſt propinquū: quam propinquitatē nō habere quartum clima, ex cutis eorum hominū qui in eo degūt colore, craſsitie & duritie, liquidò poteſt agnoſci, quæ in Mauritanis, Aegyptiis, Siculis, hominibus ſexti comparatis, reperiuntur. Quinto uero, ſi qua tēperies adeſt, in ea maxime parte adeſt, quæ ad ſextum declinat. Media autem eius pars quæ ad quartū uergit, ſicuti & totum ipſum quartū, cùm impenſius caleant, innatū calorem (cuius bene tēperata eſt, ut Gale. ait, ſubſtantia) reddūt imbecilliorem: quare eorū caliditas inimica magis eſt naturæ, quàm ſexti modicū frigus: quod, Hippoc. teſte, hyemis tempore uentres reddit calidiores, & uniuerſum corpus magis robuſtum facit, quàm æſtatis caliditas. Si à tēperamento igitur recedere debet habitatio, ad modicū frigus potius uergere debet, quàm ad calorem. Probas pręterea ex Luſitanorū nauigatione, clima noſtrum nō eſſe mediū, ſecundū graduū numerationē, quia trans æquinoctialē uerſus meridiem latior, quàm ego ſcribo, ſit habitatio. Sed, mi Nicolaē, cum Hippoc. Galenus, cæteriq; in climata terram diuidunt, non de uniuer

uniuerſo orbe,ſed de una tantum terræ quarta portione conſiderant, in eáque duas partes omnino inhabitabiles ſtatuunt:unam,quæ ad æquinoctialem, ob immenſos calores:aliam,quæ ad polum arcticum uerget, ob frigus immodicum:in mediáq; tantũ parte ſeptem climata diſtinguunt:inter quæ quoniam noſtrũ, utpote cuius medietas quadragintaquinque gradibus ab utroq; diſtat extremo, uerè medium exiſtit. Quòd ſi in aliis quoq; tribus quartanis terræ portionibus,uel Luſitani,uel alij quiuis climata diſtinguere uoluerint, ſub quadragintaquinq; pariter eius quartæ partibus, medietatem ſuæ habitationis comperiẽt:quæ licet à polo noſtro arctico per centũ & trigintaquinq; remouebitur,ab æquinoctiali tamen & polo antarctico nõ plus quàm per quadragintaquinque, ſicuti noſtrum clima, diſtabit. Quocunq; autem modo ſuas inibi habitationes ſecernant,noſtram climatum diuiſionem non perturbabunt, Illud potius Galenum & Auerroẽm turbare poteſt,quod priore epiſtola ſcripſeram,inuenta ſcilicet eſſe in noſtra hac habitatione noua utrinq; loca, in quibus poſsint alia climata intelligi: quæ res maximè Ariſtotelem tangit,dicẽtem, prius deeſſe habitationes, quàm umbræ ceſſent uel flectantur: quum poſt uerſas ad arcticum uerticem umbras, multa nunc inuenta ſint loca, in quibus difficilis quidem, ſed tamen poſsibilis ſit habitatio:nonnulla etiam in quibus ſatis commodè habitetur. Vnde & illud corruit, quod antiqui de zonis tradiderunt, ex quinque uidelicet duas tantum habitari.Nam torridam coli iam eſt omnibus notiſsimum, ſicuti & gelidæ bonam partem: cuius habitationem ita extendit Iacobus Zieglerus noſter, ut probabilibus argumentis probet prope polum habitari, & ſub ipſo polo etiam poſſe habitari. Corruunt igitur antiquorum dogmata ex nouis hiſce nauigationibus:noſtra uero firma remanent & inconcuſſa.

Tertium, quod in meis Epiſtolis non probas, eſt, quòd ſacchar apud Galenum puto eſſe rorem Indum, & mannæ uocatæ ſpeciem, non cannæ ſuccum. Tibi autem non uidetur fieri potuiſſe,ut Galenus curioſiſsimus medicus, qui Antonini Cæſaris tempore fuit, rem Domitiani, imò Varronis ætate notiſsimam, ignorauerit.Ego,licet ea quæ bis térue in hac re ſcriptis mandaui, mihi adeò aperte ſententiam meam probare uideantur,ut nõ relinquatur amplius dubitandi locus:ut tamen tibi,qui unus pro populo à me haberis, ſatisfaciam,breuibus repetam quæ de ſacchare & ſcripſi, & adhuc ſentiam; addámque nonnulla quæ meam opinionem magis confirmẽt.Dico igitur, uulgare hoc ſaccharum non modo Galeno, ſed & omnibus medicis eo uetuſtioribus, & nonnullis qui per multos annos eum ſequuti ſunt,penitus fuiſſe incognitum,ipſum minime ſilentio præterituris dum medicamenta & alimenta pertractant,ſi in eius notitiam perueniſſent. Verum nonnulli nec nominis quidem mẽtionem habent. Alij nominant quidem,non tamen uulgare hoc intelligunt,quod plantæ ſuccus eſt,ſed melleum rorem ſupra arundinis folia conglobatum, à manna uocata parum differentem:utrunque enim ſub roſido melle uel aëreo (quod & ſylueſtre nonnulli uocant)contineri. Nam ut à uetuſtiſsimo exordiar, Hippocrates noſtræ medicinæ parens,mellis ſæpe,ſacchari nunquã meminit.Idem alij minores Hippocrate fecerunt,& Polybus & Archigenes.Arundineũ mel etiã nominaſſe dicitur.Sed cũ Indicum ſalem uocauerit, nihil aliud intellexiſſe uidetur, quàm id quod Dioſcorides mellis genus dixit, in India & Fœlici Arabia,ſalis ſimilitudine,in arundinibus concretum.Et Plinius,mel in arundinibus collectum, gummium modo candidũ,dentibus fragile. Quibus cũ Galenus in capite de melle, in hunc modum ſubſcribat: Sacchar autẽ uocatum, quod ex India Fœliciq; Arabia fertur,πήγνυται,id eſt,addenſatur quidẽ,ut aiunt, calamis.Eſt autẽ & ipſum mellis quædã ſpecies.quis ambigere poſsit, de eadem re loquutũ, de qua & Dioſcorides,nec cannæ uel plantæ alicuius ſuccũ, ſed melleũ rorem putaſſe in arundinibus concretũ? Neq; propterea negligentiæ uel inſcitiæ accuſandus, quòd rem Varronis tempore,ut ſcribis,cognitam,uel neſcierit,uel neglexerit,Res enim de qua ſcripſit Varro, non inter mella, quanquam ei dulcedine ſimilis, ſed inter plãtas potius reponenda. Quam tamen nec penitus fuiſſe Galeno incognitam conſtabit, ſi ad memoriam reuocauerimus, id quod quarto libro de ſimplicibus medicamẽtis,ſcriptis mandauit, radices ſcilicet calamorũ, præcipue Aegypti,dulces eſſe. Verũ cũ ſuccum per earũ preſsionem elicitum,neq; ipſe,neq; Varro,ſed neq; Solinus, qui earum quoq; cannarũ mentionẽ facit, ſacchar uocari, uel eſſe ſcripſerint:minime mirandũ, ſi de ſacchare ſcribẽs, hoc præteriit, re ſcilicet nullum cum eo de quo ſcribebat,præter dulcedinis conſortiũ habente.Niſi fortè putemus eũ de omnibus dulcibus ſcribere, eodẽ de melle capite debuiſſe. Illud potius quiſpiam haud immeritò admirabitur,quòd Serapiõ Arabs,qui annos ſupra ferè ſexcentos Galenum ſequutus,quæ ab Arabibus & Græcis de ſimplicibus medicamentis ſcripta fuerant,in unũ congeſsit, inter quatuor quinquéue zucchari (ut ipſe uocat) genera, uulgare hoc penitus præterierit: cuius tamen dicta,quaſi de eo ſcripſerit,recentiores accipiũt, à uocis, ut ego puto, ſimilitudine decepti,additis dulcedine ac etiam colore,quæ elaborato illi ſuo & multipliciter excocto, cum antiquo erant cõmunia. Adiuuit eorum errorem,quòd utrunque, licet diuerſa ratione, mel cannæ dicebatur: antiquum quidem, quod ſupra ueras cannas colligeretur:nouum, quod ex cannis expreſsis conficeretur:quæ tamen non ueræ cannæ ſunt, ſed exteriore tantum facie cannas repreſentant. Græci medici Galeni ueſtigiis in hac re ſicut in aliis inhærentes, non aliud ſacchar nouiſſe uidentur, quàm id de quo priſci medici ſcripſerant. Non negauerim tamen recentiores etiam quoſdam Græcos, ut qui ex Arabibus quoque multa accepêre, de alio quandoque meminiſſe. Quo tempore uero in communem uſum uenerit medicorum, haud ſatis mihi conſtat. Plinius ſaccharum de quo ipſe loquitur, ad medicinæ tantum uſum fuiſſe ſcribit:nullas tamen ei peculiares uires adſcribit,nec quòd medicinæ potionibus,ut nunc fit, miſceretur. Primus inter Arabes, apud quem ego hũc ſacchari uſum legerim,fuit Serapion: quanquam nec ſciri certò poſsit, de utro duorum generũ intellexerit; probabile tamen alicui uideri poteſt, eum de hoc uulgari loquutum: quoniam, ut ſuperius diximus in libro de ſimplicibus medicamentis, eius proprio capite nullam mentionem fecerit. Sed quodcunque intellexerit, nihil ad me pertinet:quoniam,ut diximus,multis ſeculis eum Galenus præceſsit,cuius tempore dicimus uulgare hoc zuccharum non fuiſſe cognitum. Nec detergendi deobſtruendíque uis, quam (ut ais) in curatiua methodo ſaccharo adſcribit, cogis nos fateri, de uulgari zuccharo ipſum loquutum, non de antiquorum ſaccharo: quod cùm ſit mannæ ſpecies, non uideatur poſſe uires illas habere. Ego enim non dixi ſaccharum ſpeciem eſſe mannæ, ſed ſub melle ueluti ſub genere, utrunque,mannam uidelicet & ſaccharum, contineri. Quare ſi quid à manna remouetur, non neceſſariò remouetur à ſaccharo. Ex dialectica enim didicimus, multa uni ſpeciei ineſſe, quæ alteri non inſunt, ſub eodem genere contentæ. Eſto igitur quòd manna uires illas non habeat, poteſt nihilominus eas habere ſaccharum. Quanquam ſi Arabibus credendum, nec ipſa manna uocata detergendi ui caret. Hanc enim libro ſuo ſecundo ei adſcribit Auicenna, ſub nomine Tereniabin:& ultimo capite eiuſdem ſub nomine zucchari:alioqui ſi uim accipit ab his ſuper quæ cadit, quemadmodum ipſi fatentur, quæ ſupra herbas eas uires habentes ceciderint,eaſdem ut acquirãt neceſſe eſt.Sed & ſi mellis eſt ſpecies,quòd utraque ui pollet, cur non eſt & utriuſque particeps? Quæcunque enim generi conueniunt, eadem ſpeciebus conuenire, iidem probant dialectici. Nihil igitur ego uideo quod noſtram de ſacchare ſententiam tollat. Et hæc de his dicta ſint, quæ cira meas epiſtolas dubitaſti: nunc ad ea ueniendum quæ à me petis.

Primũ quæris,an quicquã olfecerim apud Græcos de ligno Indo,quo nũc multi medici utũtur ad morbi Gallici uocati curationem;te enim de eo neſcio quid apud Auicennã legiſſe. Ego hac in re uelim tecũ mutua opera uti:ero autẽ primus,ingenuéq; aperiã,quid apud Græcos uel inuenerim,uel inueniſſe me ſuſpicatus ſim.

Primum, illud lignum quod à Luſitanis ad nos allatum eſt,hebeni Indi genus puto;præter duritiem enim, pondus & ſpiſsitudinem, διαφύσειςque albicantes & ſubfuluas, guſtus quoque conſentit, quem acrem oſtendit & ſubadſtringentem.

Quæris ſecundo, quo nomine uocari putem herbam, quam uos glaream,nos gyarcham, quaſi terræ

principem:alii galegam,fortè à gale,id est,mustela,quę quando cum uipera pugnat,uisa est ad hãc gustandam crebrò ueluti ad quoddam alexipharmacum confugere:uoce autem Gallica deflexa,quòd rutæ Gallicæ uocatæ sit non absimilis,& propterea fortè à quibusdã ruta capraria dicatur. Mihi sæpius de ea cogitanti,uisa est ad polemoniam à Dioscoride uocatã,referri posse:folia enim habet rutæ maiora atq; longiora. Consentiunt uires,quas habere eam dicit Dioscorides:feras & scorpionum ictus non abhorret:& Cappadocum nomen,à uirium multitudine chiliodynamin uocatium. Scio tamen nõ omnia quadrare,sed scio etiam hoc illi esse commune cum multis,quas tamen habemus pro compertis. Habes quid de duabus his rebus suspicer potius,quàm sciam. Tuum erit mihi quoq; significare quid de eisdem putes.

Demum petis modum diuersum ab eo qui passim in usu est,ad succum aqueum ex herbis eliciendũ. Ego cum iandudum considerassem patrum nostrorum hac in re,sicuti & in multis hallucinationem,putantiũ eandem uim adesse aquis illis sic per ignem ab herbis extractis,quæ toti herbæ: cum tamen neq; idem odor, neq; idẽ sapor,in aqua qui in herba erat,seruaretur,sed plerunq; contrarius. Aquam enim ab absinthio dulcẽ, à mẽtha & ocimo mali potius,quàm boni odoris exire uidebam: quod certam mihi fidẽ faciebat,quòd non eisdem uiribus aqua sola,quibus tota herba polleret: cœpi anxie cogitare,consultis etiam his qui ab huiusce modi fusionibus chymici uulgò dicuntur,quónam ingenio ualeret idem odor & sapor in aquis hisce custodiri,qui in tota plãta reperiretur. Longum autem esset scribere modos omnes,quos ad hæc consequẽda attentauerim. Sed unum tantũ attingam,qui melior mihi simul uisus est & facilior. Is autem est,ut in duplici uase, eo modo quo Galenus iussit omnia unguenta confici, hæc fiat operatio,ita tamen ut eius uasculi fundum in quo herba continetur,aquam in maiore bulliente non attingat,sed solo uaporifero humore ab ea eleuato incalescat:à calore enim illo miti,ex totius herbæ substantia uapores exhalant,qui in aquam uertuntur,omniũ herbæ partium uires adseruantẽ,quæ ex odore & sapore aperte cognoscuntur. Habes igitur,mi Nicolae,feram quidem,nec qualẽ tuæ dubitationes exigerent,sed ingenuam responsionẽ,quam ita accipias uelim,ut ab eo qui te diligit sine aliquo fuco proficiscentem. Vale. Ex Ferraria, III. Calẽd. Octobres, M. D. XXXII.

*Succi aquei ex herbis eliciendi modus excellẽs.*

# IOAN. MANARDI

## EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER XVI.

### EPIST. I. *Ioan. Manard. Ioanni Iacobo Sauio S. P. D. Declarantur quædam Hippocratis dicta.*



QVOD mea qualiscunq; est doctrina familiarissime uteris,facis quidẽ rem mihi admodum gratam: ex hoc enim facile cognosco quantum me diligas. Quòd uero difficilima loca,& tot uerborum inuolucris adeò impedita,ut Sibyllæ foliis obscuriora meritò dici possint,à me aperiri petis,uideris maius aliquod de me cogitare,quàm quod pusillæ meæ uires possint sustinere. Addit tamen amor audaciam, & quod per meipsum non auderem, facit ut aggredi tentem, boni æquique te consulturum confidens, quicquid non mea sponte,sed tibi morem gesturus,in rebus tam arduis scripsero.

Quæris,quidnam sibi uoluerit Hippocrates in lib. de alimento,in uerbis quorũ initium est: Quorum omniũ naturæ doctrina scientiáue nõ capiuntur. Sanguis proprius & alienus utilis. Sanguis proprius & alienus nõ utilis. & quæ sequuntur. Vnum autem antequam expositionem illorum uerborũ aggrediar,aduertendum est:uerba illa,siue Thessali,siue Herophili fuerint,(non esse enim magni Hippocra. multi putant,quum tamen eum libellum quasi Hippocraticum Galenus in Aphorismis,& in lib. de optima secta citet)non rectè,atq; ex fide esse à Caluo translata. Ego enim in rebus tam seriis transferendis Horatii præceptum minime seruandum puto,admonentis,ne uerbum uerbo reddatur,fidi interpretis uitio:quum uideam eos qui ab autorum uerbis recedunt,à sensu quoq; plerunq; recedere,& dum elegantiæ student,à ueritate deuiare. Neq;,ut Galenus sæpe monet,orationis elegantiam quærendam in medicina uel alia scientia puto, sed ut ea quæ scribimus aperta & clara sint. Quod nõ aduertentes ferè omnes, quotquot nostra ætate libros in Latinam linguã transferunt,ita à sensu autorum plerunq; recedũt,ut omnia potius dicant,quàm quæ ipse autor. Quod præ cæteris Caluus peccauit,alioqui medicinæ,ut cum eius honore dixerim , penitus ignarus. Sic igitur legendum erat:Naturæ omnium doceri nõ possunt. Sanguis alienus utilis,sanguis proprius utilis:sanguis alienus nocuus , sanguis proprius nocuus:humores proprii nocui,humores alieni nocui:humores alieni conferentes, humores proprii conferentes. Consonans dissonans, dissonans consonans. Lac alienum gratiosum,lac proprium nocuum,lac proprium utile. Omnia hæc ab autore scripta uidentur,ut id declararet quod ab initio proposuerat,naturas uidelicet hominum doceri non posse:cuius rei argumentum efficacissimum est,quòd nonnulli similibus,nonnulli alienis iuuantur. Quibus enim sanguis proprius malus ualde est,his alienus,ille scilicet qui contraria qualitate ei qua proprius afficitur,utilis est :ut,cui sanguis supra modum est calidus, illi is qui tantum frigore à mediocritate recessit,quantum proprius calore,utilis & proficuus erit. Quibus uero sanguis uel nõ magnopere,uel nequaquam à modo recedit,his sanguis proprius utilis. Quare & escæ quæ talem gignunt,sunt utiles:& hæ quæ contrarium aptæ sunt gignere,sunt inutiles. Quod ipse per hæc uerba insinuauit,Sanguis alienus nocuus. At qui sanguine male affecto sunt,his sanguis proprius,atq; quæ eum gignunt escæ,sunt nocuæ.

Idem de aliis humoribus à sanguine intelligendum. In his quippe corporibus in quibus pituita præter modum redundat, illæ escæ nocuæ, quæ pituitam aptæ sunt gignere. Quibus uero modicè habet, cibi congruunt qui eam gignũt. Et ad hunc modum reliqua intelligenda:atq; id etiam quod quasi ex his omnibus concludit,consonans scilicet tum esse dissonans,cũ concinit male:tum uero dissonans consonare,cum contrariam aufert dissonantiam:dissonans quippe malo,concinit bono. Idem demum ostendit in lactentibus infantibus,quibus tum lac alienum proficuum,cum & maternum male affectum,ipsos quoque male afficit. Quod quidem maternum proprium uocat,& esse ait quandoq; nocuum. Sicuti dum bene affectum ipsos quoq; bene afficit,proficuum est, & è contrario alienum,tunc est nocuum. Tollitur autem quęcunq; in his uerbis apparet repugnantia,ex his quæ ipsemet prope finem addit,quare scilicet omnia & bona & mala ad aliquid dicuntur.

Petis præterea aliorum uerborum,quæ in eodem libello postea in hunc modum leguntur,declarationem: Pueri cibum putrefaciunt : adolescentes nihil mutant: senes penitus mutant. Quibus uerbis licet menda etiã subsit,ea tamen ex Græco codice utcunq; castigata,remanent adhuc densa obscuritate obducta. Ita enim ego nunc uerterim:Cibus iuuenibus parum maceratus,senibus ad finem maceratus,his qui in consistendi uigore sunt,omni maceratione carens. In quibus uerbis,ut Galenus quoq; putat in libro de optima secta,uoluit autor cibi qualitatem docere. Ait ergo pueris cibũ deberi bene maceratum,qui facile concoqui & mutari possit,humidum uidelicet:quoniam(ut inferius in eodem commentario scribit)humida esca facilius mutabilis est quàm sicca. Senibus summè maceratum & cõcoqui aptissimum,quia ob caloris imbecillitatem,impotentes sunt ad difficilem cõcoctu immutandum. His uero qui in consistendi uigore sunt,eum qui omni penitus maceratione careat,solidiorem scilicet:nam humidiora his & concoctu facilia cibaria,ob caloris immensitatem & acumen facile corrumpuntur,solidiora uero bene mutantur.

Rursus ambigis circa alia uerba quæ in hunc modum legis: Alii ad discretionem quadraginta,ad transmutationes octoginta,ad excisionem quadraginta & ducenti,non est & est. Quæ certe uerba non difficile est intelli

intelligere,intellectis his quę paulo antè scripsit,ubi ait: Quinq; & triginta soles,& reliq. Quatuor enim opiniones recitat de tempore,quo fœtus in utero complectur:quas ubi recitauit,addit,est & non:uolēs uidelicet ostendere,dies formationis,motus & partus,non esse certos & pręscriptos,sed uarietatem tantam recipere, ut quæuis opinionū quandoq; uera esse posit:cui sententiæ non solum philosophi & medici,sed iurisconsulti quoque subscribunt.

Habes,mi Sauie,si non qualem optabas,qualem potuit Manardus tuus senex, uerborum senis declarationem:quā ita uelim à te recipi,ut ab homine qui te magnopere diligit,proficiscentem. Vale. Ex Ferraria,pridie Calend.Iulias, M. D. XXXIII.

EPIST. II. Ioannes Manard.Petro Carnicer S. P. D. *Curatio deminutæ & ferè ablatæ uisionis.*

NOster utriusque genius, eodem ferme tempore utrunq; ad scribendum excitauit: eadē enim septimana ego ad te,& tu ad me literas dedimus: atq; utriq; idem scopus,nempe ut sciret uterq; quid alter ageret, pariterq; amici saluti cōsuleremus,ego quidem animi,tu partis corporis,quæ inter reliquas menti magis est similis,hoc est,oculorū imbecillitati. A qua re ut prius ordiar,satis uereor,si (ut ais) penuria & tenuitate spirituum fit,ut amicus tuus male uideat,neue (ut Pauli Aeginetæ uerbo utar) ἀνίατος sit hæc affectio. Quòd enim exigui & tenues spiritus uisuales ad oculos ferantur,uel uitio cerebri fit, multos gignere & fanè crassos non ualētis,uel uisualium neruorum obstructione aut adstrictione,crassiusculos ferri non permittente. Vtrum autē horū sit, si nō impossibilis, certe difficilis ualde est curatio. Antiqua enim,atq; ex ipsa antiquitate ueluti habitualis facta cerebri imbecillitas, uix amoueri potest. Obstructio uero,& fortè ex ictu facta obstipatio neruorum,atq; eorum præcipue qui in uentribus cerebri latitant,Aesculapium curatorem uidetur desiderare. Debilia nanq; præsidia in penitas adeò partes non adigentur:& fortia,alias oculi partes, alioqui diuturnitate temporis & defectu spirituum ueluti obsoletas,offendent.

*Spiritus uisualis tenuis & imbecillis duæ causæ.*

Relinquendus ergo præclarus hic uir,& summa tibi, ut scribis, necessitudine coniunctus, sine ullo penitus præsidio?non certe. Satius enim est aliquod experiri, quàm nullum:& naufrago amico uel tabellā porrigere,si manum non ualemus. Verum cū duas causas posse hanc spirituum & carentiam & tenuitatem facere diximus,cerebri uidelicet imbecillitatem,& neruorū adstrictionem:discutiendum antequam ad auxilia ueniamus,quæ nam earum in hac noxa præualeat. Mihi autē proculdubio uidetur culpa in secundā potius quàm in primam referenda. Si enim uitio cerebri hoc contingeret,non uideo quo pacto & alij quoque sensus,& ipsa motrix potestas, imò & principes pariter facultates hanc labem effugerent,quum omnes hæ facultates ad sua peragenda munia spirituum copiam requirāt. Quare cū de solis oculis,& non de alijs uel sensorijs uel particulis præstans hic uir quæratur,hæc spirituum carētia in neruos potius quàm in cerebrum uidetur referenda. Conandum igitur præcipuè, ut uisuales nerui ad portandos spiritus reddantur idonei,ita tamen ut nec cerebrum ipsum,ueluti omnium sensuum principium, penitus deseratur.

Vt igitur uniuersum corpus bene fuerit expurgatum, atque post hoc cerebrum per nares probè emundatū, factáq; ad ignobiliora loca & reuulsione & deriuatione,quemadmodum aliàs me scripsisse memini: conandū erit,si qua materia neruos obstruit,discutiatur:demúmque & cerebrum & nerui & omnes oculi partes quantum fieri potest,& roborentur,& detergantur,& limpidi reddantur. Quibus uero præsidijs hæc molienda,morosus fuerim,ne dicam temerarius,si uos docere tentem:illúdque in me meritò dicetur, Noctuas Athenas. Tantummodo igitur aliqua signabo,quæ ad id quod præcipue à me petis conducere uidebuntur, hoc est,ad uisuales spiritus in oculis multiplicandos:nā eos reddere crassiores,nec tutum uidetur,nec necessarium: nam uia patente,spiritus(qui ea obstructa transire nequeant)& maiore copia,& crassiores ad oculum peruenient.

Præbibat igitur uinum flauum & limpidum, in quo hyssopus & ruta decocta sint,eiusdémq; bullientis fumum apertis oculis ieiunus excipiat.

*Visuales spiritus in oculis multiplicantia.*

Oua recētia,superiecto hoc puluere,assidue sorbeat: Nucis myristicæ,quæ & moschata dicitur,partem unā, gariophyllorum par.semis,satureiæ par.2. Acetum scilliticum in ore teneatur. Sanguis palumbi recens, collyrij modo instilletur. Et si aliquo potentiore collyrio utendum erit,prius oculus aquoso melicrato abluendus. Aquosum dico,in quo tam exigua portio mellis sit,ut exilis & uix perceptibilis gustui sit eius dulcedo. Pręstat autem ut non per spongiam ablutio fiat,sed per ampullam uitream,arctissimum habentem rostri osculum,sensim instilletur. Inter omnia uero collyria hoc in casu nostro magis uidetur eligēdum:Pompholygos partes sex,opobalsami par.unam,mellis partes duas,uini Cretensis uel alterius potentis antiqui & albi quantum satis sit. Hoc autem pacto conficito: Pompholygi tenuissime contritæ opobalsamum primò adijce, dehinc mel,postremo uinum. Vbi cuncta miscueris, perpetuo triduo hanc miscellam accurate conterito: exacto triduo in uitreum uasculum conijcito:ubi uti uolueris,uasculum exagitando omnia bene confundito, sicque utitor.

*Melicratū aquosum.*

At si fortè uerum opobalsamū inuenire nequiueris, eius uice oleum antiquissimum apponito,in quo balsami lignum bene fuerit incoctum. Et hæc quidem sunt quæ mihi sese obtulerunt, pro usu amici tui reparando:quæ ita faxit Deus optimus maximus esse proficua,sicuti summo cum desiderio à me sunt quæsita & scripta.

De me autem sic habeto. Satis belle pro ætate & ualeo,& per totam hyemem ita ualui,ut scholas & adire ualuerim,& Galeni sensa in libro de febriū differentijs, auditoribus aperire: & præterea nonnullas etiam epistolas, duásque præcipuas, quæ esse usui iuuenibus possint, uel ad excitanda eorum ingenia:quarum una materiam iterum retractat de uenæ sectione in pleuritide: altera, uacuandam per purgatoria medicamenta materiam antequam sit concocta, etiam si non turgeat,ostendit.

Addā & aliud:quoniā de expositione mea in procemium artis medicinalis à me edita mentionem habes, esse apud me similem expositionem in totum librum primum,& partem secundi:quam si librarius quispiam Phaëllo,qui primum meas excudit epistolas, fidelior, uelit formis excudere,ad te propediem mittam. Gratū mihi erit intelligere:quod & alia scripsi epistola,an Bononię mansurus sis:fortè enim de ueniendo istuc, cogitarem. De Melguizo quod scribis,antea mihi ab eo fuerat significatum, Vale,& quod facis,me ama. Ex Ferraria, VIII. Calend.Febr, M. D. XXXII.

EPIST. III. *Pro Reuerendißimo & summo honore dignißimo Cardinale Campegio,ex articularibus doloribus uix ambulare potente.*

REuerendissimus hic dominus ob diuturnos mentis & corporis labores, longáque & incommoda itinera,quæ pro pace Christianæ religionis restituenda multos annos pertulit,podagra primum,dehinc nephritide uexatus, nec propter hosce morbos ingrauescentémue ætatem, eosdem & maiores etiam labores detrectans,crurum tādem & pedum usum ita perdidit,ut non ambulare modo,sed nec stare ualeat, œdematode quodā tumore crus utrūq;,sed potissime dextrum aggrauante, articulisq; ipsis ueluti relaxatis. Cuius noxæ nec manus ipsæ sunt penitus immunes:altera enim non bene flecti potest,nullo tamen in ea apparente tumore. Et hæc quidem assidue. Per interualla uero quædam, materiam sentit à capite per spinalem præcipue medullam ad inferiora membra descendentem,& in omnibus ferè articulis dolorem excitantem. Quandoq; præterea calculo affligitur. Huic, Deo opt.maxi.fauente,opem laturi,primo affectus & causas eorum indagabimus:secūdo intentiones curatiuas ex his eliciemus:tertio,quibus instrumentis explendæ hæ sint,docere pro uiribus nostris conabimur. Primam rem aggredientes,tribus ad præsens D.eius R.affligi affectibus intelligimus,crurum uidelicet tumore, uetita

ambulatione, & alterius manus imbecilli motione.
Totidémque uereri à capite:in subiectas scilicet partes
destillationem, articulorum dolorem, & calculi in re-
nibus generationem.Primus,id est,crurum tumor mor
bus est iam factus, aucta uidelicet magnitudo, sub ge-
nere morbi malæ cõpositionis cõprehensus.Hunc facit
cruda pituita,ob iecoris imbecillitatem supra modum
aucta,& ad crura ceu ignobiliora membra transmissa,
cõcurrente ipsorũ crurũ etiam imbecillitate, ob quam
propriũ alimentũ in sui substantiã nõ ualent cõuertere,
& sibi unire.Ex his fit,ut pituitosa crassiórque caro gi-
gnatur,& præter modũ crura intumescant.Morbus er-
go hic auctæ quantitatis à duobus malæ temperaturæ
morbis fit,crurũ uidelicet & iecoris,quæ proculdubio
frigida & humida in utroq; est.Augent autẽ sese & mu-
tuò adiuuant hi crurum affectus;magnitudo siquidem
à pituita facta malam temperaturam in crure facit:quę
è contrario causa est,ut nutrimentum crudum perma-
nens,tumorem & molem cruris adaugeat.

Ex eiusdem quoque pituitæ tenuiore parte,neruos,
coniunctiones, & tendones madefaciente, secundus
affectus, id est, imbecillitas pedum nascitur, musculis
oblæsis,quibus ad standum & ambulandum uis uti-
tur animalis.

Ad eandem etiam tenuiorem pituitam tertius affe-
ctus,manus scilicet oblæsio,referendus est,qua coniun
ctiones madidæ, non satis suo munere funguntur. Et
hæc quidem de his affectibus dicta sunt, qui ad præ-
sens molestia afficiunt.

Inter eos uero qui nũc nõ adsunt, sed timor est ne su-
perueniant,fluxio quidẽ ad id symptoma referẽda est,
quod excrementorũ mutatio dicitur. Exit enim à cere-
bro,& in inferiora prorũpit res quæ exire nõ deberet,
pituitosa uidelicet humiditas, quæ in uaria repentè lo-
ca destillans,dolores,& in quibusdã etiã tumores facit:
qui admixta quandoq; bile, ex usu rerũ calidarũ uiniq;
generosi potu genita, tandiu sunt acriores,donec bile
discussa sola remaneat circa articulos pituita. Ex uno
ergo symptomate,hoc est,destillatione, & aliud sym-
ptoma, dolor scilicet sequitur & tumor, qui morbus
compositus est, & quandoque continuitatis solutio.
Ipsum uero primũ symptoma,hoc est,destillatio,mor-
bum malæ temperaturæ frigidæ & humidæ cerebri se-
quitur.Sed & morbũ instrumentalem,ex copia pituitę
uentres cerebri opplente, & cerebrum ipsum madefa-
ciente,quæ, accedẽte potissimũ extranea aliqua causa,
ceu res grauis deorsum ruit. Ad tertium uero affectum
formidatum,hoc est,calculum generandum,ultra ean-
dem materiam,hoc est,pituitam,concurrit calor renũ,
cum eorum imbecillitate.Est autem calculus ipse mor-
bus in numero,& ut sequẽs est, ad instrumentales per-
tinet. Hi igitur sunt affectus præter naturam, quibus
uel affligitur uel affligi solet hic Reuerendissimus Do-
minus: quorum curatiuæ præseruatiuæq; intentiones
ex ordine inuestigandæ sunt.

A primo ergo & ordine & dignitate inchoãtes,hoc
est,crurum tumore,dicimus,primam intentionem es-
se,magnitudinis præternaturalis amotionem: quæ cũ
tolli non possit,pituitosa materia in ea remanente,hãc
euacuare opus est.Euacuabitur per discutientia:tanta
enim & tam crassa pituita,repelli nec debet,nec potest.

At si eam discutere uoluerimus,uehementer calidis
& siccis egebimus:quibus si corpore toto repleto uta-
mur,plus certe attrahemus,quàm erit id quod uacua-
bitur.

Demenda igitur in primis totius corporis, deinde
crurum ipsorum plenitudo: atq; his duobus curatio
cõplebitur. Verum quia hic morbus,ut diximus,nõ
in totum factus est,sed quotidie ob imbecillitatẽ tum
iecoris,tum crurum fit,propterea duæ aliæ insurgunt
intentiones,iocinoris uidelicet & crurum roboratio:
quæ fieri non potest,nisi prius frigida & humida tẽpe-
ratura ab utrisq; remoueatur.Curandę ergo hæ per cõ-
traria,calida uidelicet & sicca,& demum robur utrisq;
est addendum. Duæ igitur & ad præcauendum intẽ-
tentiones occurrent,alteratio uidelicet & roboratio:
erúntq; in totum quatuor intẽtiones,hoc ordine exe-
quendę,ut primo totum corpus purgemus,secũdo pi-
tuitam in cruribus contẽtam discutiamus,tertio ma-
lam temperaturam iecoris & crurum remoueamus,
quarto ipsis robur addamus:quibus peractis,speran-
dum secundum ac tertium affectum uel in totum desi-
turos,uel magna ex parte minuendos. Si qua tamen
in articulis superérit mala tẽperies,quæ fungi eos pro-
prio officio non permittat,ea per contraria tollenda,
medicaminibúsque quibusdam peculiaribus neruosa
membra,quæ uoluntarii motus sunt instrumenta,erũt
roboranda. Et hæc quidem sunt præsentium affectuũ
curatiuæ intentiones.

Eorum uero quorum formidamus aduentũ,præci-
puum,ut diximus,destillatio,tolli nõ potest,nisi mor-
bi à quibus fit,amoueantur.Mala igitur tẽperies cere-
bri frigida & humida per sua contraria est auferenda:
quæ cum auferri nõ possit causa permanente,materia
uidelicet pituitosa,quæ non solũ sua qualitate cerebrũ,
ut similare mẽbrum est,lędit,sed & sua substantia qua-
tenus instrumentale.Primũ igitur erit pituita à capite
euacuanda,ubi tamẽ antea fuerit à toto corpore edu-
cta. Euacuabitur à cerebro, tum per meatus à natura
expurgationi excrementorũ eius ordinatos, tum per
ea quæ illam aliò uel retrahunt uel deriuant.Erũt ergo
hi in curatione destillationis scopi,euacuatio primo to
tius corporis,secundo cerebri:& hæc quidem duplex,
per propria uidelicet expurgatoria,& per retractionẽ
& deriuationem. Vniuersa uero hæc ad proprie dictã
spectant curationem. Sed prouidendũ præterea erit,
ne denuò similis pituita in cerebro coaceruetur:qua-
re & bonæ concoctioni prouidendum,& cerebrũ ro-
borandum,ut & probè alimentũ proprium in sui sub
stantiam conuertat,& ascendentem ad eam materiam
uel non recipiat,uel citò consumat.Quę ubi bene caue-
rimus,simul etiã articulorum dolores uel sustollemus,
uel ut leniores contingant,efficiemus.Fieri enim uel ne-
quaquam,uel difficilime potest,ut assueti articulorum
affectibus eos penitus effugiant:cum æque fieri nõ pos
sit ut corpus, præcipue senile,absque redundantia hu-
morum diutius adseruetur. Erunt igitur hi ubi accide-
rint,primo mitigandi,deinde curatione aliorum tumo
rum amouendi.

Superest calculus:qui quum ægritudo sit in numero,
facilem quidem dictu curationem habet,eius uidelicet
amotionem:factu uero non adeò facilem. Quare cauẽ-
dum potius ne gignatur, quàm sinendum ut iam ge-
nitus expellatur. Cauetur eius generatio si operam de-
derimus primo,ne eius gignatur materia:secundo,ut si
qua genita fuerit,antè excernatur, quàm in calculum
sit conuersa:in quem uerti non potest, nisi calor ipsam
ueluti exassans renibus præstò sit.Cauenda igitur quæ-
cunq; calorem ipsum possunt augere:& si quis adest ca
lor,per frigefacientia remouendus est. Et hæc de scopis
intentionibúsue dicta sint.

Superest demum ut tertium quod spopõdimus exe-
quamur,quibus uidelicet auxiliis scopi à nobis inuen-
ti explendi sint,edocentes.

A primo igitur affectu instante orsi,hunc primũ exe-
quutioni mandãdum scopum diximus esse,totius cor-
poris euacuationem: hanc tali moderatione exeque-
mur,ut uentriculo & iecori nullam noxam inferamus,
sed quãtum fieri potest eorum potius uim augeamus;
quod subscripta facient catapotia.

Pulueris hieræ Galeni modo parati, rhei barbarici,
agarici, ana partem unam,myrobalani chebulæ par-
tem semis. Terantur, & in eupatorij (quam agrimo-
nium uulgò uocant) succo, diem integram madeant,
atque ubi exiccata modicè fuerint, cum uino Cretico
componãtur,& ex una quum opus fuerit huius com-
mixtionis drachma, uel scrupulis quinque, catapotia
formentur,quæ ieiuno una ante cœnam uel prandium
hora,tertio uel quarto quoque die deglutiantur. Qui-
bus uero diebus catapotijs non utetur,potum ieiunus
bibat,qui recipit:Eupatorij,quod agrimonium dicitur,
& aiugæ(quam chamæpityn & iuam)decoctam cum
oxymelite. Sint autẽ decocti quatuor,oxymelitis uni-
ca uncia.

Catapotijs per interualla,ut dictum est, toties acce-
ptis,ut congrua per ea uideatur facta totius corporis
expurgatio:secunda iam intentio prosequenda, quam
esse diximus materiæ pituitosæ in cruribus contentæ
discussionem.Hanc per gradus quosdam moliemur,ut
scilicet à facilioribus inchoantes,ad potentiora sensim
progrediamur. Primo itaq; à posca ex multa aqua &
& pauco aceto cõposita incipiemus,nouas spõgias ea
madẽtes cruribus arctè colligantes,initio ab imis par-
tibus facto. Paulatim uero aceti & portionem & uim
augebi

*Pituitosam materiam in cruribus discutientia.*

augebimus,non maiore tamen copia,quàm ut ipſam poſcam poſsit quiſpiā citra offenſam bibere.Decoques deinde in eadem poſca anethum, primo quidē uiride, deinde ſiccum:& poſt hoc rutā,primo quoqꝫ & ipſam uiridem,pòſt ſiccam,atqꝫ demum alumen. Quòd ſi cū his non penitus profecerimus,ad lixiuiam quoqꝫ ueniēdum,à leuioribus & hic initium capientes:uaria enim eius uis,pro cinerum & modo & uiribus. Ex pluribus quippe cineribus potentioribúſqꝫ, quales ficulnei, & pluribus etiam iteratis excolationibus, potentius, ex contrarijs debilius redditur. Quòd ſi fortiſsimum deſideramus,calcis quoque portiuncula addi poterit.Portiuncula dico, quoniam ſi nota digna calx adderetur, urendi uim nanciſceretur. Quibus auxilijs niſi malum ceſſerit,ad lutum ueniendum, cui uel natura uel arte alumen, ſulphur & nitrum admixta ſint. Poſt cuius adhæſum crura aqua uel naturaliter uel per artem ſalſa abluantur.

*Iecur roborantia.*

Dum uero hæc explebitur intentio,non obfuerit tertiam aggredi,iecur uidelicet & per epota & per extrorſum admota roborantes.Inter ea quæ bibuntur excellit eupatorium,de quo ſuperius quoqꝫ mentio habita:aſarum,agallachon (quod xyloaloën,ſeu,quod idē eſt, lignum aloë uocāt)amygdala amara,cinnamomum,piſtacia,zingiber,& citri cortices conditi, iecur lupi ſiccum & in tenuiſsimum puluerem redactum,cum uino dulci propinatum. Inter ea quæ extrorſum ſunt admouēda,laudo ut præcordia foueātur uino nobili,in quo abſinthium,mentha,ſchœnianthos,pari menſura bullierint,adiectis roſis ad reliquorum omnium pondus. Sequatur autem trinum quinúmue fotum,ſequens inunctio:Ceræ,ammoniaci thymiamatos,hoc eſt,ammoniaci opi,non eius fumi,ut quidam alioqui magni nominis medicus putat,ana partes 4.mannæ thuris,id eſt, tenuioris eius puluiſculi,reſinæ terminthinæ,ex terebintho uidelicet, non ex larice (ut hactenus putatum eſt) collectæ,ana partes 3.Miſce cū irino,atqꝫ ubi ſuper linteolum extenderis,agallocho ſuffumigatum hypochōdrijs admoueto.

Roborato iecore,crura quoqꝫ ipſa erunt roboranda, atqꝫ cum his etiam articuli,ut ſimul etiā aliud ſymptoma,ſtandi uidelicet & ambulandi impotentia, qui eſt inter præſentes tertius,tollatur: nam his quæ ſuperius ſcripſimus peractis,acta ferè erunt quæcunqꝫ hanc roborationem debent anteire. Incipiemus autem hic pariter à leuioribus,ut ſic per quoſdam gradus ad fortiora conſcendamus. Ex leuioribus ad hanc rem conducentibus præcipua ſunt,quęcunque cum modico calore & ſiccitate,modicam etiam uim habent adſtringendi:potentiora, quæ in his magis excellunt. Leuiora: Stœchas,abſinthium,althæa,ſaluia,lens: melilotum uerum in Campania inuentum,non uulgare hoc. Mediocria:Anethum uiride,fœnogræcum, artemiſia, nux cypreſsi,helenium,meliſſophyllō,id eſt,meliſſa,uel apiaria,chamæpitys,arction,id eſt,perſonatia,uulgò ſparpanacium. Fortiora:Origanum, calamintha, amaracus,ſabina,urtica,laurus,ruta,& pręcipue ſylueſtris.Ex his fient balnea,ſomenta,cataplaſmata,& oleo coctis, addita reſina,acopa. Inter quæ ſummè mihi placet id quod ex ſemine abietis in hūc modum conficitur,Olei antiqui libr. 1. uini Cretenſis ℥.3.fructuum abietis ℥.2.reſinæ abiegnæ,quæ oleum uulgò dicitur, terebinthinæ ana ℥.s.ceræ ℥.1.ammoniaci ʒ.3. piperis albi ʒ.2. euphorbij ʒ.1.Bulliant fructus cum uino & oleo in duplici uaſe, donec uinum conſumptum ſit: expreſsiſque & abiectis fructibus,quæ liquari poſſunt,liquata oleo addantur,& quæ conteri,contrita. At ſi per hæc ambulatio redintegrata nō fuerit, erit & aliud certe efficaciſsimū experiendum,quod recipit:Nucis myriſticę,quam moſchatā uocāt,℥.2.thuris, terminthinæ ana ℥.3.chamæpityos, centaurij, florum hyperici, ana manipu.1. Madeſcāt omnia horas uigintiquatuor in tāto uino Cretenſi uel alio generoſiore, quanto bene tegantur,aſsiduéque miſceantur:deinde in uaſe uitreo, igni primo leniori,dehinc fortiori,conſueto chymicis more admoueantur. Tres enim diuerſi liquores manabunt, ſicut colore,ita & uiribus differentes,ex quibus ſeorſum collectis artus illinentur,inchoando & hic ab eo qui primus exierit,ceu minus potente. Tertius quippe qui olei ſubſtantiam habebit, precioſiſsimus & ualentiſsimus adeò erit,ut uel exigua eius gutta primo admixta, eum longe præſtantiorem reddat. Medius,medijs pariter uiribus conſtabit.Hos ego liquores in diſcutiēdis pituitoſæ materiæ reliquijs,artubusque roborandis,ſupra omnem medicatā aquam, & lutum ex earum fontibus acceptum,efficaciores iudico.Verum quia difficile eſt inueteratas opiniones & ab omnibus receptas è mentibus hominum extrudere,ſi luto uel balneo naturalibus utendū eſt,inter luta Aquenſe,inter balnea Porretanum præelegerim. Conducibilius tamen putauerim,ſi ſulphur,alumen, ſal,nitrum,ferrum, & id genus alia,uaria proportione,pro medici coniectura,quę experimēto quotidiano probaretur,communi aquæ uel pinguis terræ luto miſceantur. Vſum tamen luti quodcunqꝫ ſit,optarem alium ab eo qui cōſuetus eſt:uellem enim ut ſex minimum horas particulis hæreret, ita ad ſolem porrectis, ut reliquū corpus in umbra eſſet, tandiu uidelicet donec plane areſceret,& tum demū aqua uel modo quo diximus parata,uel naturali ablueretur.

Et hactenus de his affectibus dictum ſit,qui ad præſens affligunt.Inter eos uero quos formidamus,deſtillationi quidem obuiandum primò diximus per totius corporis euacuationem.Hanc igitur procurandam putamus per medicamenta quæ non uehementer corpus exagitent,& præterea uim aliquam habeant roborandi,& ante id tempus (ſi ſtatum & determinatum eſt) quo ſolet aduētare:ſin incertum,quoties per aliqua indicia eum de proximo futurum timemus.Inter omnia autem purgatoria id maxime mihi uidetur idoneum, quod ex manna,rheo,& roſaceo ſyrupo cōſtat,ut ſint mannæ & roſacei ſyrupi unciæ ſingulæ,rhei drachma. Eum autem ſyrup.accipi uelim,in quo cōficiēdo quinquies roſæ recentes fuerint permutatæ.

Toto corpore euacuato,ſecundum ſcopum,hoc eſt, capitis particularem euacuationem, ieiuno per nares commode faciemus,inſpirata per cannulam utrinqꝫ patentem,uel per ſcriptorium calamum pēnámue,huius pulueris exigua portione: Nucis moſchatæ ʒ.1.piperis albi ℈.2.ellebori albi ℈.1.ambræ grana 4.moſchi grana 2.Quæ inſufflatio ſi fortè moleſta fuerit,poterit idē puluis cum ſucco ſampſuchi miſceri, & per pennam ſucco madidam intrò adigi.

Retractio uero,quam etiam ad hunc ſcopum diximus pertinere,per cucurbitulas non incommode fiet, inter ſcapulas admotas,præciſa uel non præciſa cute, iuxta ſanguinis maiorem minorémue abundantiam: quæ tanta eſſe poſſet,ut etiam per hirudines uenis ani applicitas,euacuationem ſimul & retractionem congrue poſſe fieri demonſtraret: quæ certe euacuatio & calculo & podagræ cauendæ eſſet ualde accommoda. Retrahunt quidem hęc:ſed non aſsidua eſt eorum operatio:quare aliquo ingenio,ut perpetua ſit hæc,procurandum,ſicuti continua & perſeuerans eſt deſtillationis ſuſpicio. Id fiet ſi aliquo loco ulcus excitetur, per quod ſanies manās materiam à capite continuò detrahat.Locus idoneus eſſet inter cubitum & humeros,niſi chiragræ adeſſet ſuſpicio:quare eligendus uidetur locus qui ſpinam humeróſqꝫ interiacet.Nec ab re fuerit, ſingulum ex utraqꝫ parte,dextra uidelicet & ſiniſtra,ulcus excitare. Et his quidem materia quæ deſtillare poterat,à capite aliquo pacto auferetur.Sed pręter hęc(ut diximus)danda etiam opera erit,ne noua iterum aggregetur:quod præter congruam uictus rationem(quę ut cuiuis facile innoteſcit,ita difficilime ſeruatur)fiet capitis corroboratione:ad quā ſummè faciet,ſi caput abraſum,lixiuio ex alto ſuprà ſuturæ præſertim loca cadente,crebrò perfundatur. Sit autem lixiuium ex pluuiali aqua,in qua multoties candēs ferrum extinctum ſit, præparatum:quę aqua per ſacculum excoletur pyramidali forma conſutum,præter modicos uitium cineres, aſaro,ſaluia,chamæmelo & ladano ſemiplenum. Poſtquam perfuſionem uertex ex oleo inungatur, ex nuce moſchata,macere,& lauri baccis confecto, omnibus prius in aqua roſacea moſchata bene maceratis. Demúmque tegatur panno ſerico,grano tinctorio bis tincto,& galla bene moſchata ſuffumigato. Et his quidē, accedente(ut dixi)congruo uictu,cauebitur deſtillatio, atque,ut ſequens eſt,articulares dolores,qui magna ex parte ex ea contingunt,nō adeò affligent:non uſqꝫquaque tamen prohibebuntur, ſiquidem non tantum ex deſtillatione à capite contingunt,ſed & ab humorum ſuperfluitatibus in toto corpore redundantibus. Quærendum ergo & aliud præſidiū,per quod & reliquiæ, ſi quæ ſupererunt,penitus abſumantur, & de reliquo

affectus

affectus & præsentes & formidati extrudantur.

Inter præcipua uero auxilia lignum quod non multos ante annos Hispani ex India (ut aiunt) apportarunt, plurimorum iudicio excellentissimum reputatur. Et propterea quæsitum à nobis est, an eius decocti potum putemus huic Reuerendissi. Domino conuenire. Cui quæsito ingenue respondentes, dicimus, nos in nullo, qui morbo uerè articulari laboraret, eo unquam usos, sed in doloribus tantum qui membranam potius eam tegentes, quæ ossa complectitur aut musculos, quàm articulos ipsos affligunt: necnon in ulceribus, quæ quandoque hosce dolores committantur: eiúsque usum inuenisse præcipuum. Scio tamen aliquos eo in ueris podagricis chiragricisque doloribus usos, qui uel peius posthac, uel non melius se habuerunt. Quare si sua Celsitudo mihi crediderit, tantam támque diuturnam inediam (ut alia mittam tædia) quantam hi sustinere coguntur, qui leges hac in re Ibericas sequuntur, effugiet. Sed si hoc auxilium omnino uoluerit experiri, erit contenta quotidie mane bibere uncias octo aquæ, in qua binæ unciæ ramentorum ultimi ligni tandiu bullierint, donec tantundē aquæ consumptum sit: ut scilicet fuerint ab initio ℥. 16. quibus etiam ℥. una mellis rosacei, quo potus ipse & minus abominabilis sit, & nec minus utilis, addi potest. Ego tamen huic ligno in his casibus ea medicamenta prætulerim, quæ ab hac ipsa ui podagrica ab antiquis sunt dicta: inter quæ D. S. Reuerendissimæ maxime accommodatum putauerim ad Proclum relatum: quòd Phu unam, agarici duas, meu tres, seminis petroselini Macedonici, quod Alexandrinum corruptè, ni fallor, ab olusatro uocant, quatuor, hyperici quinque, gentianæ sex, aristolochiæ septem, centaurij octo, chamædrios nouem partes recipit, & mellis quātum sat sit ad eclegma concinnandum. Huius quoq; die ieiunus accipiet drachmam, initio ab autumnali æquinoctio facto: nec desistendum, donec quinquagesies acceptum sit.

Victus autem ratio non adeò tenuis erit necessaria, sicuti his qui ligno Indico utuntur: nec plena tamen, ut sanorum, sed media quodammodo inter utranque. Vesci enim parcè poterit carnibus bonarum auium, ouis sorbilibus, petrinis piscibus, lactucis elixis: atque in secunda mensa pistaciis & auellanis, uel ut sunt, uel saccharo opertis. Vinúmque bibere tenue, limpidum, modicè dilutum: exercitiiq; gratia quotidie ambulare, uel uehi, non in cubili marcescere. His diligenter custoditis, cauebitur etiam calculus. Ad cuius tamen ampliorem cautelam non ab re fuerit, renes per cerotum rosaceum, adiecto etiam si opus uidebitur, solani succo, refrigerare.

Hæc sunt quæ pro salute Reuerendissimi huius Domini, nostri huius infelicis seculi splendore & gloria, mihi enixissime laboranti occurrerunt: quibus Deum optimum maximum ita uelim aspirare, ut perpetuam inde consequatur sanitatem, labantémque iamiam CHRISTI ecclesiam ualeat sustinere.

Ex Ferraria, IIII. Calēd. Iulias, M. D. XXXIII.

## EPIST. IIII. *de ligni Indici decocto, pro Reuerendiß. Cardinale Campeio.*

Lignum Indicum sicco pede trāsiueram, quòd putabam eius potum Reuerēdiss. D. iam seni, & uariis magnisq; negociis impedito, nō multo usui futurum, præcipue quia tenuiorem uictum exposcere uidebatur, quàm sua Reuerendiss. D. uel ferre posset, uel uellet. Verum quum intelligā & uires ei maiores quàm putabam adesse, & maximā in eo fiduciam, dicam breuiter quid de his sentiam, quæ per excellentissimum quendam medicum scripta de eo ligno sunt.

In primis, ego quoq; Sanctum illud uocatum magis quàm primum efficax esse puto, & propterea cōsueui prius per dies circiter decem, primo illo ceu faciliore uti, ut natura assuefacta, secundū, quod potentius est, melius ferat. Soleo autem octo aquæ partibus unā ligni addere, contentus quòd tantum bulliat, ut media pars aquæ sit consumpta.

In secunda quoq; illa aqua, quæ potus loco in prandio & cœna bibitur, non omnino cum eo sentio. Magis enim mihi placet ut ex nouo & crudo ligno conficiatur, quàm ex eo qui primæ decoctioni seruiuit: ita tamen ut quarta solum pars in coctione decrescat, tres supersint. Nec mihi displicet, si ad reddēdum potum magis placidum, portio aliqua mellis rosacei ad gustū domini adiiciatur.

Vellem etiam ut decocti quod mane syrupi loco bibitur, maior esset modus, hoc est, sex minimum unciarum.

Laudo præterea & modum & usum spumæ supra dolentia loca. Efficacius tamen esse puto oleum ex eodem ligno (modo quem chymistæ per descensoriū uocant) destillatum, inunctis uidelicet ex eo locis dolentibus & tumidis.

Soleo etiam ex ramentis ligni crudi, in nobiliq; aliquo uino decoctis, addito antiquo oleo, linimentum parare, quod dolentibus locis utiliter illinitur. Antè uero quàm tempus commodum usui ligni ueniat, quod ego post æquinoctium nouiluniúmq; proximum, maxime congruum puto, purgatio totius corporis facienda. Quibus uero medicamentis, arbitrio præsentium medicorum permitto, qui uisis his quæ ab aliis excellentioribus medicis, & à me scripta sunt, ea eligēt quæ magis iudicauerint idonea. Nam ut uerum ingenue fatear, multiplices illæ siue syruporum siue pilularū commixtiones à me non probantur.

Rationem uictus pariter arbitrio eorundem præsentium medicorum permittendum puto, ita tamē ut eorum sententiam probem, qui tenuius primo reficiunt, dehinc paulatim augent, donec ad uictum sanorū uentum sit. Vnum tamē addiderim, quòd quo parcior erit uictus, modo eum uires ferāt, erit utilior. Quare laudarem ut prima saltem septimana solo pane, & uel amygdalis, (neq; enim has renuo) uel pistacijs, uel pini nucleis etiam saccharo opertis, uel passulis esset contētus. Quem uictum si bene & suo & medicorum iudicio toleraret, laudarem ut ad tertiam usq; septimanam seruaret: qua completa, iam auiculas gustare posset: quē lautiorem uictum citius inchoabit, si uires tenuem illum non posse commode ferre uideantur. Quam tamen uictus permutationē uelim non repentè fieri, sed per gradus quosdam, ita ut primo uel parui ualde pulli, uel auiculæ, & exigua quantitate exhiberentur, sicq; fieret ad phasianos usque paulatim accessus.

An uero durāte hoc potu, uenter, si sponte non ierit, sit aliquo medicamento iuuandus, dicam quid consueuerim, & quid agendum putem. Si penitus uenter retinetur, uel singulo uel tertio quoq; die decoctum eiusdē ligni per clysterē in fundo, adiecto melle rosaceo, & aliquo oleo quod uideatur congruere. Sed & præterea singula quoque septimana semel potioni quam in aurora bibunt, uel mannam uel syrupum rosaceum solutiuum, uel cassiam adijcio, uel polypodiū, uel senā, quibus fiat qualiscunq; euacuatio humorum: non tanta tamē ut sudorem possit auferre, sed potius euacuatis crassioribus quibusdam humoribus, tenuiores partes melius per sudorem, urinam, ac sensu non perceptam difflationem, ualeant euacuari.

In potu quoq; uesperi sumendo (quem minorem esse uolo quàm matutinum) non tantum ad sequuturam cœnam respiciendum puto, quātum ad prandiū quod pręcessit. Sed hoc potissimum in utroq; considerandū, ut bona sibi concoctio facta iam sit, & ut quantum fieri potest uacuo uentriculo potio accipiatur. Quare si in aurora non uideatur completa cœnę concoctio, tandiu differatur potus, quādiu perfecta concoctio uideatur. Quod & in uespertino potu seruādum duco, ut scilicet non antea sumatur quàm prandium sit plenè cōcoctum. Mora uero inter potum & cibum tanta mihi sufficere uidetur, ut fastidium desierit, quod ex potu fortè fuerit excitatum. Satis autem mihi uidebitur, si dimidia pars uesperi detur eius quod mane bibitū est, quatuor uidelicet unciarum.

Quo uero tempore tenuiore illo uictu utetur, raro ex lecto, nunquam è cubiculo exeat. Sitque cubiculum lucidum, bene à uento tutum. Ast ubi cœperit locupletius refici, completo & absterso sudore è thalamo sereno aëre & tranquillo exire poterit, & per domum uehi: & post quartam septimanam ad amœna loca, solatij gratia, extra domum uel lectica uel curru deferri.

Hęc circa ligni usum mihi notatu digna uisa sunt: quę tamen non ideo scripsi, quòd sententiam priorē mutauerim, sed ut morem gererem Domino Reuerēdissimo,

quem

quem intelligo magnam incolumitatis suę spem in hoc ligno collocasse: quæ spes non parum uidetur ad salutē conferre. Deus autē opt. max. tantum huic præsidio & reliquis aspiret, ut optata inde sequatur sanitas, uniuersæ Christianæ Reipub. profutura. Ex Ferraria, IIII. Nonas Augusti, M. D. XXXIII.

EPIST. V. *Ioannes Manardus Iacobo Pharusio medico insigni, de Melancholia phlegmatica, sero, & aquis medicatis: demum de curatione hemicraneæ antiquæ.*

Mihi ex tuis humanissimis literis illud poëtæ cōtigit, ut dum cupio sedare sitim, sitis altera creuerit. Tenebar quidem maximo tuarū literarū desiderio: uerum dum eas lego, maius mihi desiderium excitarunt, cognoscendi scilicet quęnam illa sint, in quibus adhuc dubitas, circa à tot ingenijs agitatam de sectione uenæ in pleuritide quæstionē: tam impatiensq; moræ sum, ut aduentum ad nos tuum ut maxime desideratum, ita maxime suspectum nō possim expectare. Quare si me amas, & si te à me amari putas, uel moras rumpe, uel desiderium hoc meum per literas exple. Nō enim est ut apologiam Turini expectes, quam tam triēnium parturiens nunquam peperit. Quare uerendum ne mola sit, non uerus fœtus, quod tandiu utero clausum tulit, cum nec desint qui obstetricentur, & qui ad pariendum irritent. Quicquid tamē tandem in lucē ediderit, boni ęquiq; consulam, & Curtio aliisue uel lactādum uel exponēdum permittam. Quanquam nisi melius hac in re suas partes tutatus fuerit, quàm in prandio & cœna fecerit, nō erit ut uel Curtius uel alius quicunq; in confutando uel reluendo multum laboret. Sed quicquid in hac scena egerint, ego spectator esse uolo, non poëta uel actor. Si quid uero mihi deinceps scribēdum erit, amicè & cum amicis fiet: inter quos cū nō postremus sis, imò (si uera dicēda sunt) inter primos à me te haberi cogant & eruditio non uulgaris, & munificentia qua singulo quoque anno in me uteris, hominē minime officiosum, & qui gratias nedum referam, sed nec agam, iamiam tuis literis respondebo, ab antiquioribus initium faciens. In his aduersus meam de atra bile sententiam multa affers & subtilia quidem argumenta, fieri eā ex pituita sicuti & ex bile & sanguine superassata contendens. Primo quidem ex mutatione crassæ pituitæ ad nigri sabuli ariditatē, priusquam in renibus uel uesica calculus generetur: quæ fieri non præuijs alijs minoribus mutationibus quum non possit, necessariū tibi uideri, ut prius in atram bilem quàm in sabulosum illum & nigerrimum cinerem crassa & pituitosa materia conuertatur. Quod argumentum haud difficulter dilui posse uidetur, si aduerterimus nigra illa admodum sedimenta rarò in urinis eorum subsidere, qui calculo sunt obnoxij. Maiori enim ex parte album esse id quod subsidet: quādoque uero plus minúsue ab albedine recedere, iuxta sanguinis admixti maiorem minorémue portionem: eiusdémq; colorem modo ad flauum, modo ad rufum, modo ad nigrum tendentem, accedente etiam renum & colore & calore excoquente & ad fuscum conuertente. Non esse enim eundem cuilibet sanguini colorem, & ratio dictat, & experientia in sanguine ex uenę sectione collecto manifestat. Nec minus etiā notum est quidpiam sanguinis à renibus una cum serosa substantia trahi. Nigrū ergo illud quod urinæ quādoque subsidet, non ab alterata pituita deciditur, sed ab alia re urinæ commixta.

Ex dominatu præterea atræ bilis in senili ætate, idem conaris ostendere, quem tantum esse dicis, ut attonitus morbus qui alioqui à pituita magis fieri consueuit, ab atra solum bile in senibus fiat. Quod contingere non alia ex causa uidetur, quàm ex ipsa pituita in atram bilem conuersa. Attonitum uero morbum in senibus à sola atra bile fieri, ex aphorismo sexti libri 57. probas: in quo dicēte Hippocrate, apoplexias maxime fieri à quadragesimo anno ad sexagesimum, Galenus aphor. enarrans, apoplexiam ex atra bile factam intellexit. Aphorismi tamen literam esse corruptam suspicaris, & pro aduerbio maxime, legendum, maximæ: ut sit sensus, maximas apoplexias ea ætate fieri, quia quæ ab atra fiunt bile, maiores sint illis, quæ fiunt à pituita. Me, ut ab aphorismo incipiam, præter Gręcorum exemplarium fidem, in quibus legitur μάλιστα Græcum aduerbium, cui Latine respondet maxime uel præcipue, quòd nomen non legam, mouet & ratio, quæ apoplexię uim non ex materiæ eam facientis genere, sed ex respirationis impedimento cognoscendam dictat, quæ dum penitus aufertur, maximam facit apoplexiam. Legendum ergo, maxime, uel præcipue: atque hic aphorismus præcedenti ita est coniungendus, ut intelligamus ex morbis enumeratis, qui cum periculo melācholicos sequātur, apoplexiam præcipue accidere his, qui ætatem agūt à quadragesimo anno ad sexagesimum. Reddidit autem Leonicenus hunc aphorismum obscuriorem, pro apoplexia in præcedenti aphoris. scribēs stuporem. Nec Hippocrates igitur nec Galenus apoplexiam asserunt uel in illa uel in alia ętate, ab atra potius bile quàm à pituita fieri: sed inter quatuor illos morbos, in quos cum periculo cadunt qui melancholicis morbis afficiuntur, apoplexiam maxime in ætate senili contingere, quando & ea ętas maxime apoplexiæ est obnoxia, & atra abūdat bile, non ex pituita, sed ex ipsa senili ætate frigida & sicca, atque autumno simili genita.

Addis præterea argumētum ex febre quartana sumptum, quæ procul dubio ab atra bile fit, & tamen sæpe sequitur febrem ex miscella bilis rufæ & pituitæ genitā: quod aliter non uidetur posse contingere, nisi quia resoluta tenuiore parte, crassa permaneat. Quare cum in ea mixtione bilis tenuior & pituita crassior sit, sola pituita superat, quæ in atram bilem uersa quartanam facit. Mihi autem in hac dubitatione dicendum uidetur, quartanam, quę tales nothas spuriásue tertianas sequitur, pariter quoque esse spuriam. Fieri enim ab atra bile uera, per assationem rufæ genita, atq; pituita, assatione quidem & ipsa reddita crassiore: uerum non adeò ut pituitæ naturam in totum amiserit, repugnante uidelicet ingenita eius humiditate, ne melancholiæ siccitatem acquirat. Totius itaq; miscellæ, siue in unicā formam redactæ, siue sua cuiq; adseruata forma, tenuioribus consumptis partibus, crassiores post assationē supersunt, uincentibus tamen (sicuti & ante assationē) biliosis partibus, & propterea quartanum circuitum facientibus, sicuti antea tertianum faciebāt, rufa uidelicet bile in atram transmutata. Si enim, ut scribis, sola superstite pituita, bilis in totum euanesceret, non quartanus circuitus, sed quotidianus nasceretur, qualem uidemus ex salsa fieri pituita. Atque de prima tua dubitatione hæc dicta sint.

Dubitas secundo circa seri temperaturam, quoniam in ea non solum alij autores & inter se & à Galeno discordare uidentur, sed & ipse quoq; Gal. secum pugnare, in libro de simplicibus medicamentis 4. frigidum, & in libro decimo calidum faciens, sicuti & libro tertio alimentorum.

In hac controuersia cum aliàs Galeni dicta diligenter considerarem, atq; cum re ipsa quotidiano usu cognita conferrem, serum frigidæ & humidæ temperaturę esse, & credidi, & scriptis mandaui. Cum enim ex tribus diuersis partibus lac componatur, atq; ex his butyrum quidem temperatum, caseosa pars à temperamento parum ad frigoris latus deuergat, si serum calidū esset, uniuersa lactis substantia calida potius, quàm frigida redderetur: cuius contrarium & tota sentit medicinæ schola, & communis idiotarū opinio, ab ipso usu edocta. Hoc etiam exigua dulcedo ostendit, quam adeo habet imbecillem, ut acidum potius quàm amarum ex mora fiat, contrà quàm mel, quod dulcissimum quum sit, facile per se temporis diuturnitate amarescit potius quàm acescit. Rursus si serū calidum esset, quo serosius lac esset, eo esset calidius: quum tamen asininum, quod maxime serosum est, multum sit frigidum: alioqui præ cæteris in hectica febre non eligeretur. Frigidum itaque simpliciter serum esse puto, sicuti & lac, atque alia non parum multa, quæ ex uarijs constant partibus, quæ iuxta qualitatem cæteris præualentem frigida dicuntur, non quòd caliditatis penitus sint expertia, sed quòd eam præ frigiditate habeant perexiguam. A qua tamen, tametsi pauxilla admodum in sero sit, & latitans quædam acredo, & attenuandi, detergendi, ac uētrem subducendi uis oritur. Quas uires quoniam lactis tota substantia à serosis potissimum partibus nanciscitur, minime mirandum est, si illis deperditis, simul & uires illæ à lacte in totum submouentur. Quare lac cui serum ademptum est, uentrem potius abstinet, quàm

*Lactis tres partes.*

*Serum frigidum.*

quàm subducit: & in quantumuis calido uentriculo ad nidorem non amplius conuertitur, resolutis scilicet nō solum serosis partibus, in quibus calor aliquis supra temperamentum inueniebatur, sed & pinguibus, quæ temperatam, ut diximus, habent caliditatem, non autem tantā ut (quemadmodum tu putare uideris) butyrum reddant absolute calidum. Facilis quippe inflammatio ita in hoc sicuti in oleo, modum substantiæ potius quàm caloris copiam demōstrat. Ex tepido etiam modicóque eius calore fit, ut in mollibus corporibus inflammationes concoquat, & quandoque discutiat. Quod serum licet partes aliquas, ut inquit Dioscorides, habeat calidiores, facere idcirco nequit, quia hæ ab aqueis ceu amplioribus obtunduntur, ob hócque fit ut absque acredine purget. Quare uero in medicatis aquis idem non contingat, in quibus cum aqua cunctas alias quæ in eis miscentur, uel res, uel potestates, tam longe superet, ut nihil aliud quàm pura aqua inspicientibus uideatur, potestate tamen quadam in omnibus siccitas, & in pluribus etiam caliditas quæ actu est simul cum ea quam potestate obtinent, euidentissime persentitur: non alia, ni fallor, ratione contingit, quàm quòd metallicæ res, quarum uires in eis relinquuntur, in exiccando calefaciendóque adeò potentes sunt, ut aquam alioqui substantia sua liquidam, & ad recipiendam cuiusque rei secum diutius permanentis potestatem idoneam, in propriam quodammodo naturam conuertant, & quas nactæ sunt uires in eam transfundant, accedente & longa mora, & loco ferè ab omni spiratu semoto. Negari tamen non potest, quandoque aliunde tantam aquæ frigidæ copiam ad horum fontes effluere posse. Quod de Magnesiis testatur Aristoteles, ut calorem quem actu habebant, deperdāt, & uim calefaciendi nostra corpora in totum amittant. Vidi ego in medio Danubij alueo calidas aquas scaturiētes, quæ ipsius fluminis aquis commixtæ, ad aliquod quidem usque spatium eas ualde calidas reddunt: in maiore uero distantia paulatim calor remittitur, donec ad aliarum Danubij aquarum saporem & frigus reuertantur. Scimus è contrario aquas magnorum fluminum mare ingredientes, suum dulcorem tandiu seruare, donec à maritima salsugine superentur. Quis igitur ambigere possit, ex alienarum aquarum miscella, medicatarum aquarum uim & remitti posse & penitus auferri? Ex quo fit, ut maximo errore teneantur medici, qui commentariis credentes, particulatim de his medicatis aquis à nonnullis conscriptis, omnem uim eis adesse semper putant, quam scriptam in illis inueniunt. Si enim uernæ pluuiæ, ut in libro de Antidotis Galenus testatur, ab herbis in Italia natis uires auferunt, quanto magis aquæ aquis commixtæ idem præstabunt? Quis etiam negauerit, uino quātumcunque potenti tantum aquæ misceri posse, ut uinositas omnis penitus euanescat? Notum illud Græcorum symposiorum adagium, ἢ πέντε πίνειν, ἢ τρία, ἢ μὴ τέτταρα, monens misceri ita aquam uino, ut tres aquæ partes duabus uini, uel duæ uni, non ita tamen ut tres aquæ, unicę uini misceantur: ex tanta quippe aqua uinum usquequaq; iugulari. Nō igitur ambigendum, medicatas hasce aquas, quātumcunq; calidæ sint, posse ex dulcis aquæ mixtione, & actu & ui refrigerari. An uero aliquæ sint quæ spōte & ex sui natura frigidæ sint (ut de uilla in Lucensi, & Calidariæ in Veronensi agro nūcupatæ) affirmare uel negare non ausim, de illis non multam habens experientiā, ut qui non magnopere uel his uel aliis uti consueuerim, permittere magis earū usum solitus, quàm imperare. Quantum autē per qualemcunq; experiētiam cognoscere ualui, Lucenses illæ frigidam potius quàm calidam mihi temperaturā ostenderunt: quam & ratio, si ferreæ, ut dicuntur, sunt, demonstrat, & gustus nō magnopere à communis & potabilis aquæ diuersus. Ferrum enim frigidæ esse temperaturæ, sicuti & siccæ, non dubito. Nec, quod tu scribis, sulphur eius, etiā secundū chymicos in eo superans, contrariū demonstrat. Nosti enim medicum non naturā ipsam medicaminum in se considerare, sed iuxta id quod in corpus humanū, atq; id præcipue quod temperatissimum est, agunt, ipsa uel calida, uel frigida, uel humida, uel sicca, decernere. Alioqui si sulphuris & argenti uiui naturam, ex quibus singula metalla constare aiunt, sequuti fuerimus, omnia proculdubio erunt calida statuenda, quum tamen stibion, plumbum, stannū, argētum, frigida ab omnibus reputentur. Licet autem natura ferrum frigidum sit, nō propterea tamen existimauerim, aquam in qua ardēs extinctum fuerit, in omni homine qui febrem patitur ex humorum putredine dependentē, congruere: quoniam cū frigore nota dignam siccitatem, atq; adstringendi uim coniunctā habet. Febris uero quā febris est, humida: quā à putrida materia facta, aperientia potius, desiderat, quàm astringentia. Et hæc quidē de aquis Sacris uocatis dicta sint. Nunc ad ea reuertamur quæ tu adhuc circa lac & serum dubitas. Circa lac quidem, an asininum sit omni alio tenuius: quoniā Galenus secum etiam in hoc pugnare uidetur sexto Salubriū, inter omnia lactis genera tenuissimum dicens. Escarum uero tertio, camelinum & equinū ei in tenuitate præferens, Aristotelem 3. de animaliū historia sequutus. Verū quantum ad Galenum attinet, si eius in utroq; loco uerba considerentur, nullo modo inuicem pugnare uidebuntur. Sexto enim de tuenda ualetudine lib. asininum λεπτομερέστατον, id est, maxime tenuium partium, affirmat: in tertio uero de Escis, camelinum asinino nō in tenuitate, sed in humiditate præfert: ὑγρότατον enim dicit. Quare nisi fateri uoluerimus Aristotelē aliud sensisse quàm Galenum, dicere oportebit, quòd per tenuissimum nō intellexerit tenuissimarum partium, sed maxime humidarum.

Circa serum præterea dubitas, quare caprinum cæteris à Ioanne Mesue præferatur: hoc enim non alia ratione factum putas, nisi quia ut calidioris animalis est, ita sit etiam calidius. Quare quum medici ipsum præ cæteris eligant, uidentur in sero calorem potius quàm frigus desiderare. In qua dubitatione, ut dem tibi quod petis, idcirco uidelicet eligi caprinum, quia sit calidius: non tamen id sequitur quod contendis, esse scilicet uel caprinum uel aliud serum absolute calidum dicendum: sed ex hoc solúmodo sequitur, quòd in calore reliqua superet caprinum. Sicuti enim cerebrum aliquod dicimus aliorum cerebrorum comparatione calidum esse, quum tamen omnia cerebra absolute sint frigida: ita licet omne serum sit frigidum, caprinum tamen inter reliqua dicimus esse calidius.

Petis præterea per easdē literas, ut meum ex euphorbio medicamen (de quo in annotationibus in Ioannis Mesue simplicia medicamēta mentionē feci) clarius aperiam. Rem autē sic habeto: Euphorbio, masstiches & tragacanthæ æquas partes ita misceto, ut tantū unius euphorbij sit, quantū illorū: in medio crudi panis occludito, panē more quo alij coquuntur bene in furno coquito, coctū ubi refrixerit perfringito: quicquid intus inueneris, à pane bene separatū in catapotia cōformato, & ad drachmæ pondus, etiā mulierculæ tutò dato, robustiori modum duplicato. Ad leporinas demum carnes reuersus, eas ideo calidas esse probas, quod ab Auicenna in comitiali morbo, qui à pituita plerunq; fit, commēdātur. A qua dubitatione possum me facile extricare, si dixero, leporem in eum locū inuocatū irruisse, habebóq; mei dicti Bellunensem testem, qui leporem ab illo loco in suis in Auicennam castigationibus abegit. Verum quia Galenus suo puero hoc morbo laboranti, leporinas quandoq; carnes cōcedit, ideo alia mihi uia inuenienda est, per quam fugiam, si non propterea admitti leporem dixero quia caleat, sed siccitatis potius ratione, quam modicam tamen in cibis epilepticorum desiderat ipsemet Auicē. licet etiam in uulgatis codicibus, pro siccitate legatur humiditas.

Addis præterea, quòd maioris ponderis esse putas Galenum 3. lib. de causis symptomatum dicentem, Si pituitosus sanguis sit, pituitosam etiam carnem reddit: quod etiam 11. lib. de simplic. medic. lib. 2. uiperarū exēplo declarat: quasi ex his dictis unum colligens, quod ego in mea epistola negaueram, talem scilicet temperaturam habere carnem, qualem habet sanguis. Ego, mi Iacobe, nec negaui, nec negare possum, ex male affecto sanguine carnem quoque male affectam gigni, præsertim ubi imbecillis sit carnis uis, quæ nutrimētum in sui naturam debet conuertere: sed negaui & adhuc nego, talem esse necessariò carnis naturalem temperaturam, qualis eam nutrituri sanguinis: nec necessariò qualis est animalis sanguis, aliorum animalium sanguini comparatus, talem esse carnem, carni aliorū animalium comparatam: præsertim si eo modo de his rebus loquamur, quo medici, non quo philosophi loquuntur, non in se ipsa uidelicet re cōsiderata, sed hominis præcipue bene tempe

Lucenses aquæ.

temperati comparatione: alioqui ſequeretur, eorum animalium ſanguinem eſſe boni ſucci & facilis concoctionis, quorum caro ab homine temperato facile concoquitur, & in bonum ſuccum conuertitur: quum tamen contrarium & medici doceant, & experimenta confirment. Quis enim ignorat gallinarum & uitulorum carnes multo uſui eſſe hominibus, ſanguinem uero ita deſpici, ut penitus abiiciatur?

Habes igitur ſeram quidem, ſed feſtinatam tamen, ad tuas epiſtolas reſponſionem: quam ita uelim à te recipi, ut à ſene negocioſo, adeóq; imbecilli, ut quandoque ei libros quærere & aperire graue ſit, ne dicã legere & ſcribere. Aliud tamen adhuc addam, quod pluries me facturum ſum pollicitus, aliqua uidelicet præſidia, quibus pudiciſsima non minus quàm nobiliſsima matrona Lucretia Pratoneria, à dolore capitis antiquo ſanari poſsit.

*Hemicraneæ medela.* Cùm dolor hic (ſiue hemicranea, ſiue cephalea dicatur) ab atra præcipue fiat bile, danda opera ut humor ille peſsimus, qui nunc adeſt, à toto primum corpore, dehinc à capite euacuetur, ac in reliquum alius ſimilis non gignatur. A toto corpore amouebitur per medicamina, crebrò quidem exhibita, ſed leuiter purgantia: inter quæ præcipuum erit ſerum, in quo ſena, polypodium, & epithymum, cum exigua gariophyllorum portione, per integram noctem maduerint. Eſto autem ſeri libra, ſenæ ſemuncia, epithymi drachma, polypodij drachmæ binæ, & gariophyllorum obolus: cuius potionis uſus ſit tertio quoque die. Per hunc enim non ſolum atra bilis, à qua, ut dixi, præcipue dolor fit, ſed & bilis ac pituita, quæ ſecum quandoque coniunguntur, expurgabuntur. Quibus uero diebus nõ bibetur, ſerum dabitur cum unica uncia ſyrupi, Saporis uocati, & eodem gariophyllorũ puluere. Vbi per aliquot dies his potibus uſa fuerit, ad retrahendam ſimul & uacuandam hanc bilem atram (quæ proculdubio ſanguini miſcetur) multum conducet, ſi hirudinibus circa ſedem admotis, ſanguinis ſelibra per ani uenas extrahatur. Dehinc quibuſdã interpoſitis diebus, quibus quieti uacet, deriuationis gratia duæ etiam hirudines poſt aures admoueantur, quæ binas ſanguinis uncias inde exugant. Sed per nares quoque deriuatio facienda, inſtillato anagallidis ſucco. His peractis, laudauerim ut ſingulo quoque mane hypochondrio dextro cucurbitula per horam hæreat, atque ubi amota fuerit, locus ubi hæſit, roſaceo & abſinthite oleo pariter cõmixtis inungatur: capitis uero dolens pars, unguento quod diſcutiendi uim habeat & roborãdi, quale erit id quod ſic parabitur. Roſarum ſiccarum, calamenti montani, ana ℥. 3. maceros, nucis myriſticæ, ana ℥. 1. aſpergantur uino odorato, & per integram diem tegantur olei roſati & chamæmelini æquis partibus: dehinc per balneum Mariæ uocatum, cum duplici uidelicet uaſe trium colorum liquor conſueto à chymicis more eliciatur: magnarum quidem uirium omnes, ſed qui poſtremo exierit, longe aliis præſtabit. Ordine igitur quodam his utendum, ut ſcilicet à primo inchoantes, eo triduo utamur: deinde tribus aliis diebus ſecundo: quibus ſi dolor amotus non fuerit, portiuncula tertij utriſque prioribus miſceatur. Modus uſus erit, ut linamentum illis madidum triplicatum ſupra dolentem locum, ſtrictim colligetur. Adieci hæc, non ut te monerem, alloqui ingenio, ſtudio & exercitatione ad difficiliores morbos curandos idoneum, ſed ut præclaræ huic Dominæ eiúsq; affinibus morem gererem. Vale, & me, ut facis, ama. Ex Ferraria, XI. Iunij.

M. D. XXXIII.

# IOAN. MANARDI

## EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER XVII.

EIPST. I. *Pro Magnifico Equeſtris ordinis uiro, Mantuanóque patritio, D. Aurelio Recordato, hypochondriaca atra bile, uentriculi imbecillitate, uertigine, & totius corporis macie laborante.*

*Mantuanis medicis eius curationi inuigilantibus.*



REVIS ero, cum quòd mihi cum uiris ſermo futurus eſt, qui docere potius quàm doceri debent, tum quòd chiragra uix mihi continere calamum permittit. Rem igitur ipſam ut abſq; alia præfatione aggrediar, Clariſsimus hic uir poſt longum morbũ, quatuor, ut Excel. ueſtræ ſcribunt, malis affectionibus uexatur, hypochõdriaca uidelicet melancholia, ſtomachi præcipue in cõcoquendo imbecillitate (ex qua eructationes, rugitus, inflationes, tenſionésque ſequuntur) uertigine cum cerebri imbecillitate, quæ potiſsime in naturalibus eius operationibus demonſtratur: macie, quæ tabem minatur. Quatuor hiſce ab Excell. ueſtris quaſi colligendo enumeratis, addenda uidentur nonnulla ab eiſdem aliis in locis recitata, & præterea etiam quædam quæ ipſemet nobilis ægrotans ſignificauit. Addunt quidem ueſtræ Excell. auris ſiniſtræ ferè continuum tinnitum: frigiditatem nota dignam in uentriculo ſenſu perceptam: ſaltum infra uentriculum in ſiniſtro latere, uerſus umbilicum: bilis exuſtæ copiam, quæ tertio quoque die periodum faciens, uertiginem promouet, cum manifeſto faciei rubore, ſiti quandoque nota digna, leuíq; totius corporis calore. Ipſe uero Dominus ægrotans addit, frontis quendam obtuſum dolorem, ac ſi digito locus premeretur: pulſum non continuum, tum modo cum frigore, modo cum calore, in loco ubi futuræ caluariæ anterioris coniunguntur: oculorum imbecillitatem, cutis pallorem ad auri colorem uergentem.

Hi ſunt affectus, quibus poſt diutinum morbum Magnificus hic dominus ad præſens affligitur: qui licet uarij ſint, in unum tamen ordinem redigi poſſe uidentur, quia aliqui ſymptomata, aliqui morbi ſunt: & in alium, quòd nonnulli ad totum, nonnulli ad membra naturalia uocata, nonnulli ad caput pertinent.

Secundum igitur ordinem ſequentes, non obliti tamen interim prioris, ab his qui aliquo pacto ad totum corpus ſpectant, initium capiamus. Tria nobis in hoc genere occurrunt, macies uidelicet, tertianarius circuitus, & cutis pallor. Quorum primum proculdubio ſub morbo compoſitionis continetur: eſt enim quantitas deminuta, cuius (ni fallor) cauſa ex tertiæ non minus quàm ex primæ uel ſecundæ concoctionis pendet impedimẽto: membra quippe diutinis morbis, multiſq; & ualidis euacuationibus facta imbecillia, atque ex toties reiteratis calidis & ſiccis balneis ultra modum exiccata, proprium nutrimentum conuertere in ſui ſubſtantiam non ualentia, indies macreſcunt, & quaſi contabeſcunt. Tertianarius uero ille caloris circuitus ſub morbo malæ temperaturæ calidæ neceſſariò continetur, quæ cum per totum corpus, ut ſcribunt Excell. ueſtræ, extendatur, cum ſiti ac faciei rubore, febris dicenda uidetur, & tertiana, non exacta tamen, quoniam bilis feruor à redundante magna copia pituitæ obtunditur & ueluti ſuffocatur. Pallor uero, ſeu (ut communiter loquimur) citrinitas cutis, ſub ſymptomate collocanda, quod qualitas mutata nũcupatur, & ſequens morbum malæ temperaturæ, & fortè etiam morbum in uiis, qui obſtructio dicitur. Et hæc quidem de affectibus dicta ſint.

Inter capitales antiquior & maioris momẽti eſt uertigo, quæ Græce δῖνος & σκοτόδινος dicitur: inter quæ licet quandoq; hanc differentiam agnoſcat Galen. quòd δῖνος ſit cum caput circũferri uidetur, σκοτόδινος quando ſimul cum hoc tenebroſa uiſio apparet; aliquando tamen ſub ſcotomatico affectu utrunque comprehendit, etiam ſi interdum caſus illis duobus coniungatur;

sicuti quandoq; huic præclarissimo uiro accidisset, nisi præstò fuissent qui eum adiuuarent. Quodlibet autem horum trium, ut mihi quidē uidetur, sub eo symptomatis genere continetur, quod actio lęsa dicitur. Vbi enim caput obuolui uidetur, & exteriora illa quæ quiescūt, sensus adest corruptio, cum illud sentiatur quod sentiri non deberet. Vbi pręter id adsit obtenebratio, si totalis sit, ad actionem ablatam pertinet: si nō in totum uisus aufertur, ad deminutam. At ubi præter hæc casus sequitur, potestatis motiuæ operatio aufertur, quæ motu tonotico uocato corpus tenere rectum solet. Omnia autem hæc symptomata morbos compositionis consequuntur, qui in uia uel in cauitate cōsistunt, quorum causa sunt uaporosi spiritus, inordinato motu exagitati: qui si uisuales neruos uel crystallo similem humorē, uel alios ad uisum pertinētes meatus obstruant, uisum obtenebrant: si ad posterius cerebrum uergāt, motum impediunt: quorū tanta interdum copia esse potest, ut utrunq; impedimentū simul fiat, quod nobili huic Domino quandoq; contingit, principalibus tamē uiribus in suo uigore permanentibus. Nec enim necessariū mihi uidetur, quemadmodū aliqui putant, ut in his affectibus imaginatio lædatur: quandiu enim homo cognoscit nō esse uerum id quod uidetur, hoc est, nec caput suum nec exteriora moueri, licet ita appareant, tandiu imaginatiuæ operatio remanet incolumis. A morbo igitur in cōpositione cuncta hæc symptomata præcipue progrediuntur. Licet enim quandoq; ex inæquali cerebri temperatura hæc fieri cōtingat, continens tamen semper causa est illa uaporosa spiritus agitatio, ab inæquali illa temperie, uel ab alia causa facta. An uero inæqualis hæc intemperatura cerebri in casu nostro reperiatur, & ut sequēs est, primario affectu cerebrū patiatur, non usquequaque mihi exploratū. Crediderim tamen, sicuti ab initio ex uentriculo tota res pendebat, ita nunc bonam partem cerebrum ipsum in se habere, quod ex tinnitu, uisus imbecillitate, capitis dolore, suturarum pulsu, assiduáq; uertiginis suspicione coniici potest. Maiorem tamē partem à uentriculo adhuc nasci puto, quum ultimi etiam insultus per uomitum cessarint. A qua uero materia hi uaporosi spiritus & sustollantur, & in capite gignantur, ut credere nos cogit pituitosus uomitus, & frigus tum in uentriculo, tum in capitis suturis quādoq; perceptum, pituitā in hoc uincere: tamen nō negandum mihi uidetur, bilem etiā concurrere, actione sua in pituitam ueluti ebullitionem facientem: quod uel ex tertianis illis quos Excellentię uestræ obseruarunt, uertiginosis circuitibus cognosci potest, sicuti & ex calore quandoq; in suturis caluæ percepto. Et hæc quidem de capitis affectibus dicta sint. Nā auris tinnitus in eundem uaporosum spiritum, uersus auditus instrumentū delatum, referendus est: sicuti pulsatio in locis suturarū in tenaciorem eius partem, difflari & exire appetentem. Dolor uero frontis in crassiorem, circumossali membrana occlusam.

Inter naturalium membrorū affectus ab Excellētiis uestris enumeratos, primas partes teneret hypochondriaca melancholia, nomen quidē habēs à causa, actionem tamen læsam denotans principaliū potentiarū, si huic Domino adesset: quod certe (saluo sic sentientium honore) ego nequaquam credere possum. Notū enim ex dialectica est, de nulla re definitum dici, de qua non dicatur definitio. Notum & illud, de quo remouetur genus in definitione positum, ab eodem etiam remoueri definitionem. Sed & hoc quoq; notum est, quod sub genere nō continetur, nec sub aliqua generis specie cōtineri. Cum igitur omnes tam Græci quàm Arabes melancholiam definiunt desipientiā absq; febre, cúmq; sic definitam in tres secent species, in eam scilicet quæ ob proprium cerebri affectū, & eam quæ ex totius corporis communicatione, & tertiā hanc quæ ex hypochondriorum cōmunicatione contingit: nec præclarus hic uir unquam desipuerit, nec uel uobis ipsis testibus desipiat, qui sensus eius interiores seruari post uertiginē dicitis incolumes: sequitur illum nec laborare, nec unquam laborasse melācholia, atq; propterea nec hypochondriaca melancholia. Timor enim & mœstitia si huic uiro adsunt, melancholiā nedum faciunt, sed neq; præsagiunt, cum à causa certa ac manifesta fiant. Quis enim nō paueat, considerans post tot támq; excellentia præsidia amputari penitus uertiginem nequiuisse, affectum tam formidabilē & pessimorum morborum antesignanum? Minus quoque me mouent rugitus & eructuationes, atq; alia id genus, quū charactere melancholiam præsagiēte careant, timore scilicet ac mœstitia, sine causa, quæ hunc affectum solent præcedere: necnon desipientia, sine qua nō potest cōsistere: ut mittam ęstum, ructus acidos, iuuamentum à frigidis cibis, odium hominū & uitæ, quæ nec Excellentię uestrę, nec ipsemet ægrotans sibi uel adesse, uel aliquādo adfuisse scripsistis. Quare quum adduci nō possim, ut ab hypochondriaca uel flatuosa melancholia fieri hæc mēbrorum naturalium symptomata putem, alius mihi morbus quærendus est, in quē referantur. Nullus autē mihi occurrit in quem potius referenda uideantur, quàm frigida & humida uentriculi intemperies, quæ ipsum imbecillem reddit, concoctionem probè fieri uetat, inflationem parit, ructus cōmouentem & præcordia, hoc est, hypochondria extendentē: & dum uel suapte sponte uel à calore iecoris excitata de loco ad locum mouetur rugitus saltúsq;, & quas dicitis iectigationes facit, quæ magis in sinistro quàm in dextro latere demōstratur, ob arteriarum copiam inibi existentē, concurrente fortè etiam ipsius lienis aliquali obstructione. Fit autem mala hæc temperatura à pituita, partim in cauitate uentriculi coaceruata, partim parietibus hærente.

Et hi quidem sunt huius magnifici domini affectus, in suas causas, quantum imbecilles meæ uires ualuerunt, redacti.

Superest igitur ut ex his curatiuæ præseruatiuæq; intentiones eliciantur. Quod ut luculentius expediamus, ordinémq; quendam seruemus, prius inquirendum, à quónam affectu incipiendū sit. Magnitudo enim morbi, quæ ex nobilitate læsarum operationū agnoscitur, exigeret, ut à uertigine inchoaremus. Verū quia hæc tā inueterata affectio non nisi ualidissimis præsidiis elidi potest, quæ adhiberi cum tanta corporis totius tenuitate nō ualent, ideo danda opera ut prius hæc amoueatur, ita tamē ut interim alii affectus nō usquequaq; negligantur. Vnica hoc in negocio, & quidē inuentu facilis, licet exequutioni difficilis, est intentio, ut corpus scilicet alatur & augeatur: quæ licet exterioribus auxiliis adiuuari aliquo pacto possit, præcipue tamē boni succi cibis & concoctu facilibus procurāda est, quæ uim quoq; habeant substātificè, ut aiunt, humefaciendi. Inter quos præcipuum, & experientia ab ipso Domino patiente comprobatum esset lac, nisi senex noster nos deterreret, dari illud uetans his quibus caput dolet, & quibus pręcordia suspēsa sunt & murmurātia: &, si Plinio & Auicen. credimus, cum peculiariter uertiginē facit, nostro proposito est penitus alienum. Lacte igitur dimisso, eius loco utendum ptisanæ succo, modico longo pipere adiecto: uel si aut ægrotanti aut medicis piper nō placeat, eius uice cinnamomū uocatum adiiciatur: quod etiam iurulentis & aliis cibis addere nō erit inutile. Inter quæ mihi placeret, ut in iure pulli bulliente duo uitelli ouorum bene agitati ita bene concoquerentur, ut exacta fieret commixtio, parū à iuris consistentia differens: cui puluis ducis uocatus, cum exiguo aquæ rosaceæ moschatæ, uiníque odorati adiiceretur. Eclegma etiam laudo quod pulpas phasiani recipiat, amygdaláq; & cucurbitæ semina, necnō olei amygdalarum dulcium parum, & cum saccharo aqua rosacea dissoluto cōponatur, adiecto ubi ab igne leuatum sit, cinnamomi & sandalorū citrinorum puluisculo, proportione sub sextupla, uel alia quæ Excellentiis uestris uideatur opportunior. Eadē quoq; cucurbitæ semina, amygdalis & pistaciis additis, solidiore forma cum saccharo confici non inutiliter possunt: quod etiā saccharum sit aqua rosacea moschata resolutū & cinnamomo, ad patientis delectationem.

*Lacte quibus interdictum.*

Ad remouendam etiam membrorum siccitatē, nutrimentúmq; ad ea trahendum, multum meo iudicio confert mollis frictio, & aquæ tepidæ dulcis balneum, completa secunda cōcoctione facta: in neutro tamen diutius immorandum. Cōfert etiam omnium mēbrorum inunctio, ex mixtione olei rosacei, chamæmelini, & nenupharini. Nec inutile putauerim, si tres hi flores in aqua balnei prius maderent. Vbi uero hisce uel aliis Excellentiæ uestræ præsidiis hic clarissimus dominus tantum pristini uigoris & carnis recuperasse uideatur, ut iam curationem aliorum affectuum ferre possit, tūc ad eorum curationem erit accedendum. Sed quia, ut dictum est, aliqui caput, aliqui naturalia mēbra molestia afficiunt,

afficiunt,ab illis ceu maioris momenti eſſet inchoandum,ſi in totum facti eſſent, nec adhuc ab his fierent. Verum cum ſicuti ab initio,ita hoc quoque tempore, caput à naturalibus membris noxam contrahat, ideo ab his exordiendum eſt. Quæ ubi ſana reddiderimus, ad alios affectus,quæ ſcilicet in capite uel fiunt uel facti ſunt,ſecurius accedemus.

Ex naturalibus membris duo ſunt,quæ manifeſte patiuntur,iecur & uentriculus:unum de quo ambigi poſſit,lien.Inter quæ licet iecur nobilitate præcellat,tamen quia uidemus ex pituitæ in uentriculo contentę uomitu ceſſare uertiginem,antequam alia leniri ſymptomata,ideo à uentriculo incipiendum,præcipue ſi febricula illa,quæ de tertia intentione affligere conſueuerat, penitus(ut ſpero)antea ceſſauerit. Ventriculo curatio debetur & præſeruatio. Curatio fiet amota mala temperatura:quæ amoueri non poteſt,cauſa,à qua fit, permanente:hoc eſt,pituita in ea exiſtente. Hæc igitur ante omnia eſt euacuanda.Fruſtra autem hæc euacuaretur , ſi ſtatim alia noua gigneretur. Præcauendū itaque ne alia loco eius quæ uacuabitur,ſuccedat. Quod fiet ſi præter congruam uictus rationem , uentriculus roboretur. Quibus uero duæ hæ intentiones complendæ,ſuperuacaneum uidetur præſcribere Excel. ueſtris , in cunctis quæ ad artem pertinent,& ſcientia & experientia probatiſsimis.Sed quia, ut dici ſolet , quot ſunt capita, tot ſunt ſententiæ : dicam quibus ego remediis utranque intentionem executioni mandarem,iudicio tamen Excell.ueſtrarū hæc,ſicuti & alia cuncta,permittens. Cum igitur experientia comprobatum ſit , magnum atque præſentaneū ſemper ex uomitu ſecutū eſſe iuuamentū, ab hoc ego inchoarem,uomitoria aliqua, leuia tamen, cum oxymelite exhibens,Inter quæ potiſsimū agaricū eligerem , decoctione eius, cū thymo & radicibus betonicæ parata.Ex hoc enim potu attenuaretur pręcideretúrq; pituita,atq; pariter educeretur:robúrq; potius quàm imbecillitas,in uentriculo relinqueretur. Verum quoniam,ni mea me fallit coniectura, nō omnis pituita in uentriculo huius domini contenta,apta eſt per uomitum educi , ideo catapotiis etiam leuibus illam per ſeceſſum euacuare conarer , quæ recipiūt puluerem picræ Galeni,nō Meſues modo cōpoſitum : agaricū, rheu barbaricum , æquis portionibus : & cū abſinthij ſucco conficiuntur. Attenuationem uero atq; inciſionem nō per ſyrupos uocatos,quos puto iam huic domino eſſe faſtidio,ſed per cappares oxymelite cōditos, thymūq; uel pulegium in iure decoctum procurarem. Vterer uero his catapotiis tertio uel quarto quoq; die , atq; per horam ante cibum. Quibus uero diebus ea non ſumeret,mediocri clyſmate aluum ſubluerem, ne quid forte à leuioribus hiſce purgatoriis motum in inteſtinis remaneret. Licet autem his præſidiis non ſolum materiæ præparatio & euacuatio,ſed & malæ tēperaturæ ablatio,& uentriculi roboratio fieri poſſe uideatur, ad hæc tamen uberius perficienda , ad localia tandem auxilia deuenirem,inter quæ mihi præcipuum uidetur,ut tota naturalium membrorum regio , ſolo uitato iocinore, oleo inungatur,quod in hunc modū paretur:Chiæ, maſtiches p. 4. maceros p. 2. gariophyllorū p. 1. per integram diem in uino odorato madeāt, dehinc ſeparata à uino,in uitreo uaſe cū igne claro, & primo quidē lenio re,donec aquoſior pars exierit , dehinc fortiore deſtillētur. Tres enim exibūt liquores, magnarū quidē uiriū omnes,ſed is qui poſtremus exierit,lōge aliis erit excellentior,atq; ad tollendā uētriculi imbecillitatē,ſimúlq; quæcunq; eam ſequebātur ſymptomata, efficacior. Vt uero lienica,ſi qua adeſſe uidebitur , infirmitas auferatur,puluis radicū capparū,cū aceti ſcillitici gutta, oleo uel antequam fiat uel iam facto ſuperaddatur.

Ad amouēdam uero malam iecoris temperaturam, eiúsque uenas deobſtruendas, palloréмq; & calorem ex his conſequentes mouēdum, utile mihi uidetur decoctum eupatorij & intybi(hanc endiuiam,illam agrimoniam uocant)bibere , earundémque ſuccis, adiuncto etiam abſinthij oleo extrinſecus fouere. Atque per hæc præſidia, & totius corporis , & naturalium membrorum affectus,Deo adiuuante, auferendos puto.

Supereſt ut ad caput conuertamur.Huius tametſi uarios numerauimus affectus , in unicam tamen ueluti continētem cauſam,uapores uidelicet craſſos obſtruētes, & exagitantes animalem ſpiritū, uniuerſos retulimus:quare nobis intētio eſſe debet ad ſpirituū quietē. Quieſcere uero his non ualentibus,quandiu manſerint uapores craſsiores , obſtructionem & exagitationem commouentes,ideo altera ad eos reſoluendos uertitur intentio.Rurſus quia hi diſcuti non ualent, humoribus à quibus ſurgunt perſeuerantibus , prius erunt hi ſubmouendi. Pituita igitur ex qua fiunt, & bilis quæ eam exagitat,erunt ex capite euacuāda. Niſi fortè totū corpus nō plenè uideretur purgatum, tunc enim reiterandæ eſſent priores pilulæ , loco pycræ ſubiiciendo Iuſti hieram,ne uidelicet noua materia ad caput traheretur. Qua peracta euacuatione , caput ipſum per caputpurgia & gargariſmos uacuabimus , mediocria tamen, ne nimis exagitando plus obſint quàm proſint. An uero ſanguis quoq; ex capite uacuandus ſit , arbitrio Excell. ueſtrarum relinquendum, quæ ſciunt quantum ab autoribus ſectio uenarū poſt aures , & cucurbitulæ cum ſcarificatione poſteriori parte capitis admotæ , in hoc caſu commendantur. Ex alia quoque parte norunt , ex uenæ ſectione paulò antea facta , nocumentum potius ſecutum eſſe quàm iuuamentum. Vtraque ergo parte prudentia ueſtra ueluti ad æquilibrium pōderata, utra interuergat arbitrabuntur. Quod ſi iudicauerint agendum,iubebunt etiam(quę eorum eſt eruditio) ut prius ſanguis auferatur , quàm uel per nares,uel per os fiat, quam diximus,euacuatio.

His omnibus peractis , præter communes retrahendi modos ad continuam faciendam retractionem, excitandum mihi uidetur cum aliquo medicamine adurendi uim habente ulcus, loco congruo inter ſiniſtrum humerum & cubiti flexuram, longóque tempore conſuetis ingeniis conſeruandum. A quo ubi cruſta fuerit eleuata,tēpus erit ut ad ea ueniatur quæ uapores ipſos in cerebro contentos diſcutiant,uel aliò trahant, imbecillitatémque ab eo tollant. Quod & per ea quæ ſumuntur , & per ea quæ foris admouentur, ſicuti & per ea quæ geruntur , complendum eſt. Sumuntur cibi & medicinæ,& quæ utriuſque ſapiunt naturam.

Inter cibos ego oua laudo ſorbilia, albo ſemoto , & eius loco appoſito puluere ex partibus æqualibus gariophyllorum,nucis myriſticæ,margaritarum,& quadruplo ſacchari.Laudo etiam ius pulli in quo ſampſuchus & pulegium bullierint : & præ cæteris carnibus turtures, & poſt eas phaſianos,perdices, auiculas,cum his quæ diximus conditas.

Potui quarta pars aquæ addatur,quæ ex floribus ſaluiæ , roris marini , & ſummitatibus pulegij,in uaſculo uitreo,in duplici uaſe(balneo uidelicet Mariæ à chymicis uocato)deſtillauerit:dando operam ut in uaſe(recipiente uocato) iidem flores ita reſideant , ut ſuper eos ſtillæ cadant:itaq; roſtra utriuſq; uaſis inuicē coniūgantur,ut nulli uapores exire ualeant. Vinum uero ſit albū, tenue,auſteriq; aliquid habens,nec caput tentās. Quodam demū ueluti tectorio cibus & potus tegantur, ne ad caput uapores mittāt ; quod per gelu cotoneorum, cui coriandrorum puluis admiſceatur , commode fiet. Et hæc de cibis ſatis ſupérq; dicta ſint:nam & ipſe dominus ægrotās cum acerrimi ingenij uideatur, nec minus memoria polleat,longo uſu didicit,non ſolum qui cibi potúsue ei proſint uel obſint , ſed & idem puto in aliis obſeruauit quæ extrinſecus occurrunt,ut aëre,uentis,& id genus cæteris. Quare his prætermiſsis, ad medicamenta accedendum eſt.

Ex ſimplicibus ergo nux myriſtica , moſchata uocata:agallochon,quod lignū aloës dicunt:& balſami fructus,mirificè conducūt. Inter cōpoſita uero quæ in cōmuni uſu ſunt,Diamoſchū præcipuum mihi uidetur:cuius calor ſi fortè uideatur obfuturus , roſacei ſacchari admixtione retundi poteſt.Poteſt & hoc non inutiliter componi : Florum ſaluiæ & roris marini ana par. 4. nucis moſchatæ, carpobalſami ana p. 1. cū ſyrupo in quo condita ſunt citra.Componuntur adiecta aqua roſacea moſchata ad ægrotantis & medicorum iudicium.

Et hæc quidem medicamentorum locum tenent. Media uero inter cibum & medicinam ſunt myrobalanus & citri cortices,& zingiber condita , quæ uel ſigillatim uel ſimul mixta poſſunt exhiberi. Cuncta autem hæc non ſolum uacuo uentre , ſed etiam poſt cœnam iamiam dormituro dari debent. Et hæc quidem de ſumendis dicta ſint.

Foris admoueri diuerſa poſſunt à medicis cōmēdata.Horū ego putauerim excellentiſsimū, olei oliuarum antiqui , uini Cretici ana lib. s.ligni & fructus balſami

ana ℥.1.florum sclareæ quam nonnulli Alectorolophon dicunt,saluiæ & roris marini etiam florum ana manipul.1.misceantur bene omnia,& per triduum in uitreato uase bene obturato,sub equino fimo permaneant: postea modo,quo superius docuimus,igni applicentur:tres enim uarii liquores exibunt magnæ quilibet uirtutis,& tertius maximæ.Ex primo debet totum caput,optime tamen ut dictum est purgatum, quotidie perfricari:ex secundo cum exigua parte tertii,futurarũ loca inungẽda,tertio uel quarto quoq; die.Vnáq; gutta sinistræ auri est instillanda.Ad hanc quoq; partem, hoc est,ad ea quæ extrorsum afferuntur,aquæ medicam uim habentes spectare uidentur,sicuti & ad epota si bibuntur.De quibus non ab re dubitant Excellentiæ uestræ,an huic præclaro uiro cõueniant:afferúntq; in utranq; partem rationes.Ego,ut liberè dicam quod sentio,nullo modo horum usum nunc laudo:siccandi enim omnes uim habent,& nonnullæ meatus adstringunt.Verendũ ergo ne substantialẽ quidem humiditatem plus nimio consumentes,ad tabem hominem deducant,extraneam uero,hoc est pituitam,reddant ad euacuandum longe quàm sit ineptiorẽ:præterea meatus occludant,per quos difflari uapores solent.Sed & urinæ morsus, nephritis,icteritia, febris, quibus plerunq; uexatus est,magnopere me ab eorum usu deterrent.

Balneis igitur prætermissis,ad ea agenda conuertamur,quæ efficaciora licet sint,quia tamẽ citò absoluuntur,sunt minus periculosa.Primum est,ut quatuor crustæ,duæ quidem retro aures in inio(hoc est,posteriore capitis parte quæ ceruici copulat)uel igne uel aliquo quod eandem uim cum igne habeat,excitentur.Si uero nec hæc iuuerint,ad ustionem uerticis ceu ultimum & excellentis.præsidium ueniendum.Nam,ut in quibusdam libris in fine aphorismorum legitur,quæ non sanant pharmaca,ferrum sanat:& quæ ferrum non sanat,sanat ignis.Deo tamen optimo maximo fauente, spero non opus fore ut ad ultima hæc deueniatur,accedente Excelientiarũ uestrarũ diligentia,quibus cuncta quæ scripsimus,ut etiam superius dixi,& moderanda & castiganda permittimus. Ex Ferraria, VI. Calend.Maias, M. D. XXXIII.

Inium.

EPIST. II. *Ioã. Manard. Petro Canicer sereniss. Ro. regis physico. S. D. De sibilo aurium, & demi nuto auditu, atq; puerorum morbo lactumẽ uocato.*

Tibi an Cæsari magis gratuler,nondum satis constitui:utrisq; tamen gratulandum duco, Cæsari quidem,quòd talem nactus sit medicum,cuius integritati & eruditioni possit & liberorũ,& uxoris, & propriam uitã tutò committere:quum pleriq; hoc tempore medicorum sibi nomẽ usurpẽt,qui carnifices potius quàm medici dici merentur.Tibi uero talẽ dominum,ultro & nihil tale(ut audio)cogitanti occurrisse,qualem summus quãtumuis medicus debeat apud nuper inuentos antipodas,omni studio,labore & diligentia perquirere.Perge igitur,&,quod facere te non dubito,nocturno diurnóq; studio,tãto te principe indies digniorẽ redde.Multum quidẽ profecisti,sed tam profundum est medicinæ pelagus,ut in eo qui se elephantes putant,quãdoq; demergi uideamus.Sed quur equo uelocissime currenti calcaria addere laboro?operæpretium magis facturus,si duobus quæ à me petis respõdero.Petis igitur primo præsidium aliquod à me longo usu probatum,ad sibilum obtusúmq; auditum ab aure dextra remouendũ.Horum symptomatũ alterum ad corruptam actionem,alterũ ad deminutã pertinet:quod tanto deterius est primo,quanto est ablationi totali,surditati uidelicet propinquius,quę & pessima est,& cum difficultate magna remouetur.Sequuntur ambo hęc symptomata necessariò morbum in uia, obstructionem uidelicet,partim à spiritu flatuoso uentóue,in itinere aures ingresso,exitum quærendo absq; ordine exagitato: partim à pituita,ex cerebro,præter consuetudinem piscium esu,& ex cerebri imbecillitate,propriũ alimentum non probè mutante,genita:adiuuante omnia hæc,cutis etiam capitis adstrictione,ex aquilonari uento insuetóq; frigore cõtracta,difflari uapores non permittente.Erit ergo curatiua intentio prima nobis occurrens, flatuosi illius spiritus resolutio. Sed quia hic nõ solum factus est,sed assiduè etiam à pituita introclusa fit,ipsam quoq; oportet tum euacuare,tum prohibere,ne de nouo in capite generetur.Verũ quia caput euacuari nõ potest,pleno existẽte toto corpore,alia insurgit intentio,ipsius uidelicet totius corporis euacuatio: quæ licet à nobis ultimo inuenta sit, prius tamen executioni est demandanda.Primò igitur totum corpus uacuandũ,secundò caput,tertiò resoluẽdi uapores,quartò mala tẽperatura cerebri,quæ ipsum imbecille reddit, amouenda, meatúsq; aperiendi per quos difflari excremẽta possint.Licet autem sciam me frustra laboraturum,si quibus hæc cõplenda sint te docere uoluerim:tamen ut tibi morem geram,dicã quæ in singulis explendis ego putem magis idonea.

Totius igitur corporis purgationem, per aliquam ex magnis hieris facerẽ,præcipue per eam quæ Iusti dicitur,quam Paulus lib.7.describit.Sumi autẽ debet cũ melicrato & sale,non semel,sed toties per interualla, donec corpus bene mundum uideatur.

Caput,insufflato in nares hoc puluere, expurgabitur:Piperis longi ℈.4.sinapis ℈.2.Euphorbii ℈.1.Acetum quoq; scilliticum gargarizatum optime ad hoc cõducet.Ad quod etiam faciet,si materia ad alia loca trahatur,quod hirudines uenis ani admotæ præcipue præstabunt.Itẽ balneum spontanearũ aquarum,quæ prope Viennam scaturiunt:uel aquæ tãtum salitæ,ut mari sint similes.Sed & cucurbitulæ dorso,spinæ,natibúsq; admotæ. Inter multa uero quæ auribus immitti in hunc usum possunt,magnam fiduciã habeo in aceto,in quo absinthium,quod istic optimum passim nascitur, excoctum sit.Item in succo cepæ,uel in oleo rutaceo, quod in ipsa excauata cepa bullierit.Quod si per hæc non in totum symptoma auferatur,ad nigrum elleborum cum melle coctum accedẽdum est,& demum ad laterinum oleum.

Ad roborandum dehinc cerebrum,& meatus cutis aperiendos,oleum maxime cõducit in hunc modũ paratum:Olei antiqui,uini odorati ana lib.mediam,nucis moschatæ,thuris, maceros ana ℥.3.arida mediocriter trita cum humidis bene misceantur,& crebrò tribus diebus exagitentur,quarto die in uase uitreo rostrato ad hoc munus idoneo inclusa,supra lenẽ ignem tandiu detineantur,donec exeuntis per rostrũ liquoris color mutetur:quo mutari incipiente,aucto igne,uas quoq; in quo liquor stillatim manabat permutetur,ut seorsim secundus liquor colligatur, qui longe primo erit efficacior.Ex primo cutis caluæ,& præcipue in locis suturarum ieiuno perfricabitur:secundi uero gutta naribus & auribus instillabitur.Ex his quidem præsidiis.Deo opitulante,spero te longe melius auditurum.

Morbum,quo regius ille puer laborat,ut ex his quæ scripsisti conicio,putat pręclarus ille medicus esse,quẽ apud nos uulgò mulierculæ lactumen uocant,de quo in fine meæ de exterioribus morbis epistolæ,mentionem feci:docuíq; ad achores,ceria,psydracia,exanthematáue pertinere:uaria enim specie in diuersis uisitur. De hoc morbo primus(ut ego puto)inter recentiores particulatim scripsit Gulielmus de Saliceto,sub nomine crustæ uel lacticii.Crustæ quidem(ut arbitror)quoniam eminent in cute patientium puerorũ ueluti quædam crustulæ:Lactitii uero,quòd ex lactis acredine,salsam pituitam & tenacẽ in puero subnutrientis,generatur.Hunc morbum nec ego in lactentibus magnopere pellere nitor,præsertim quãdo faciem non admodum dehonestat,nec periclitatur ut oculos oblædat,quod nonnullis accidisse scio.Gulielmus tamen ipse,non cõtemnendus medicus,curam docet, qua se multos sanasse ait absq; aliquo periculo uel timore.quod ego quoq; sine mendacio possum affirmare:non eisdem tamen præsidiis semper usus,sed pro materiæ morbũ facientis,reliquarúmq; rerum à quibus indicationes curatiuæ sumendæ sunt,uarietate,remedia mutaui:unum tamen semper cauẽdo,ne scilicet rebus nimis adstringentibus,frigidísue,materiam introrsum repellerẽ.Verum suspicio talis morbi,in regio hoc puero mihi habenda non uidetur,iam septimum annum agente:nisi fortè quispiam dixerit,à lacte primo cõtractum morbum,ita loca infecisse,ut bonum quantumuis nutrimẽtum,bene immutare non ualentia,similem priori infectionem gignant.Quod si ultro dederimus,longe maior nobis incumbet curationis necessitas, ne uidelicet longiore mora,quotidie difficilior reddatur,peiore in dies habitu,in ipsis membris patientibus dere-

licto

derelicto, præcipue si iam 7. ætatis annũ agit, in quo solent infantiũ morbi, unà cũ ipsa infantia recedere. Purgandum igitur ducerẽ primo, nec semel corpus, leui aliquo medicamine, ex rheo uidelicet, rosaceo uocato syrupo, quem Bononienses Mucarũ uocãt, senæ, polypodio, mannáue, aut simili aliquo cõcinnato. Abluẽda deinde patiẽtia loca, ex aqua in qua lapathũ, fumaria, absinthiũ decocta sint, & post balneũ rheo præcipue pontico, quod nunc è Polonia defertur, in aceto resoluto perfricanda, deinde illinẽda unguẽto ex oleo amygdalarum amararũ, succo radicũ uitis albæ, & modico lithargyri parato. Addere possem multa, sed hæc satis superq; fore cõfido, ad fœditatẽ illã potius quã morbũ, à nobilissimo illo puero depellendã, cui Deus opt. max. Nestoreos annos incolumes cõcedere dignetur: sperãdum enim ex tam splendidis rarisq; parẽtibus ortum, in summum, & omnibus numeris laudandum principem euasurum. Tu uero dabis operam, ut serenissimi eius parentes seniores, senem uideãt filiũ, in quo uirtutes eorũ eximiæ reflorescant. Vale, tui Manardi memor. Ex Ferraria, Calend. Octob. M. D. XXXIII.

EPIST. III. *De Ebeni Indici electione & usu.*

ETsi Deus opti. maxi. summè iustus sit & summè benignus, pro imperscrutabili tamen cõsilio suo & uniuersali prouidentia, modo unum, modo aliud, nec ita unum quin & aliud simul, nobis manifestat. Quum igitur anno ante hunc duodequadragesimo, ad coërcenda humani generis delicta, luem pessimam, Gallicam uocatam, ueluti multicipitem hydram, in nos grassari permisisset: non pauld pòst quasi alexipharmacum, ex incognito antiquis orbe, ad incogniti morbi curationem, lignum quoddã iussit afferri, quod Sanctum haud immeritò ab his nuncupatum est, qui eius beneficio, à tam pernicioso morbo, atque aliis qui ferè incurabiles uidebantur, sunt pristinæ ualetudini restituti, & de lacu miseriæ in portum reducti salutis. Huius usum uarij uario modo docuere: omnes tamen in uno hoc peccant, quòd omnes uno calceo (ut aiunt) calceandos existimarunt: cum tamen ita in hoc, sicuti & in aliis medicinæ præsidiis, pro naturalibus, non naturalibus, & præternaturalibus rebus, oporteat & uictus rationem, & ipsius ligni modum atque usum uariare. Quæ licet nõ ad amussim præcipi possint, patiente non continuè uiso, ut tamen reuerendissimo domino & mihi summè obseruato morem geram, attentis his quæ aliàs per excellen. Cracouienses medicos mihi de illius affectibus significata sunt, quantum mea poterit imbecillitas conabor ostendere, quænam agenda mihi uideantur, ut desideratus finis ex huius ligni decocto consequatur.

Vt igitur ordine quodã incedamus, quatuor præcipue cõsiderabimus, uidelicet ligni electionem, eiusdem præparationem, usum, uictus rationem. Tria ad nos hactenus huius ligni genera peruenere. Primum, quod guaiacum uocant, densius, grauius, crassius, interiore parte nigricantius, exteriore subpallida, & ueluti lineis quibusdam ad fuscum inclinantibus, in æque distantibus per longum intersecta. Alterius ad albius magis uergit exterior pars, neque est tam manifestis lineis distincta: nigrum tamen & ipsum colorem intrinsecus ostendit, sed minore orbe quàm præcedens. Tertium, quod sanctũ præcipue uocatur, tam intrinsecus quàm extrinsecus albicantem colorem præ se fert, exilibúsq; ualde lineis eius distinguitur longitudo. Ex tribus hisce generibus ego in casu nostro primum prætulerim, quod proculdubio ebenum esse Indicum puto, nec ab eo secundum, nisi fortè natalibus, differre. Tertium ualentius esse non dubito, quoniam & acrius est, & odoratius. Quia tamen eius decoctum & aspectu turpius, & gustu est insuauius, ueritus ne ita displiceat, ut uentriculum prosternat, ne continuari eius potus possit, idcirco primum potius eligendum ab initio puto. Vbi tamen eius potus per 20. dies sumptus, non plenè profuisse uisus fuerit, poterit D. sua Reuerendis. per quinque uel decem dies hoc tertio uti, uel pluribus etiam, si opus esse præsentes medici iudicauerint. Et hæc quidem de ligni electione dicta sint.

Præparatio haud difficilis est; atteritur enim uel lima uel torno uel scobina, uel alio instrumento, & in tenuissimum quantum fieri potest puluerem redigitur, in decupláque electissima aqua, uitreo uel uitreato uase, tandiu claro igne, nec admodum uehementi, bullit, donec tertia pars excoquatur. Semper autem dum bullit spuma auferatur, & per se ad usum, quem inferius docebo, reseruetur. Et hæc quidẽ aqua erit pro medicata potione, sicuti inferius docebimus, mane & uesperi bibenda.

Alia uero aqua ex eodem quidem ligno, sed in crassiusculas partes dissecto, hoc modo paretur: Sunto ligni pars una, aquæ uigecupla, mundóque uase, uehementioréque, claro tamen igne bulliant, donec quarta tantum aquæ pars consumpta sit: qua aqua inter prandendum cœnandúmque, non alio potu, sicuti inferius monstrabitur, utetur.

Vsus primæ aquæ talis sit. Præcedat purgatio, per tres sequentes potiones: Senæ, polypodij, passularum ana ʒ. 6. bulliant in sex unciis aquæ fœniculi ad tertiæ partis consumptionem, & in decocto madeant horas decem: rhei barbarici, agarici ana ʒ. s. dulcoretur cum melle rosaceo ad gustum domini. Sumpta ter hac potione, mane sequenti in aurora bibat decocti primo modo parati ℥. 4. quantum ferre poterit calidi, atque per horam dormiat: dehinc iterum quatuor alias uncias bibat, iaceátque per aliam horam, sed non dormiat: post quam tertio eandem quantitatem aquæ bibat, sed tepidam, statímque à potu surgat, & loco calido leuiter tandiu inambulet, donec aqua è uentriculo descendisse uideatur, túncque eo modo prandeat quo inferius iubebimus. Vesperi ubi iam concoctum prandium erit, quinque uncias eiusdem aquæ bibat, non ualde calidæ, & post horam unam cœnet; eundémq; præcise ordinem per continuos dies quinque seruet. Die sexto ex præscriptis purgatoriis potionibus unum accipiat: nec eo die primam illam aquam bibat: sequenti, hoc est, septimo, penitus quiescat, nihilque aliud medicinale accipiat, præterquam unum cochleare sequentis mixturæ. Ramentorum tenuissimorum illius tertij ligni quod sanctum uocant, p. I. maceris, quem florem moschatũ uocatis, p. s. mellis rosacei p. 4. Octauo die ad potum primi decocti reuertatur, eóque decem diebus quo superius diximus modo utatur: nisi forte augenda quantitas præsentibus medicis uideatur, ad uncias usque quinque pro singula potione. Vndecima die, quæ erit à primo potu decimaoctaua, eandem purgatoriam potionem accipiat, post quam duobus diebus quiescat, eadẽ qua diximus mellis rosacei mixtura utens. Sequentibus diebus, post uidelicet uiginti, semel tantũ aquã ex ligno sancto factã, mane ad quantitatem quinq; unciarũ bibat: quem potum per alios decem dies continuare poterit, & diebus trãquillis ac serenis domo exire, quibus nisi aluus spõte ierit, clysmatibus ex eadẽ aqua factis, adiecto melle rosaceo & oleo chamæmelino, mollienda erit, quod etiã prioribus diebus agendũ, si opportunũ uidebitur, Vidi enim nõnullos, qui ex decocti primi ligni octonis unciis, solutam satis aluum nacti sunt. Completis his decem diebus, uel eadẽ purgatoria potio, uel alia consimilis, etiam ualidior, si præsentibus medicis uidebitur, erit exhibenda, atque post hanc mixtura utendum, quæ habeat, ligni sancti, nucis myristicæ, seminis fœniculi ana partem unam, ambræ partem s. moschi partis unius quartam partem, mellis, chebularum quadruplum aliorum. Spuma, quam diximus ex primo decocto seruandam, frons & tempora assidue perfricanda, & si qua pars corporis alia male uidetur affecta. Et hic quidem horum lignorum usus mihi uidetur Reuerendiss. huic domino conducturus. Quod faxit dominus Deus noster.

Superest uictus ratio, quæ ui cõstante, primis quinque diebus satis tenuis sit, ut uidelicet quotidie sex tantum unciæ panis edantur. Sit autem non semidalites, purissimáue farina confectus, sed ex ea cui aliquid crassiorum tritici partium sit cõmixtum, benéq; fermentatus & coctus, ac modice salitus. Obsonij autẽ loco nihil accipiatur, nisi pinei uel amigdalarum nuclei, uel pistaciorũ, aut nudi, aut saccharo obducti. Addere potest & orientales passulas maiores, minorésue, sed ita modicas, ut omniũ horũ etiã pondus selibrã nõ excedat. Panis autẽ & alia quæ obsonij uice accipiũtur, inter prandium & cœnã ita dispartiantur, ut cõsuetudo seruetur. Tutius tamen uidetur, ut cœna minor sit prandio, quò mane, dum aqua bibenda erit, sit plenè cõcocta. Sexto die quo purgatione utetur, adde ius paruæ pullæ gal-

linaceæ. Decem ſequentibus diebus ſi ferre eundẽ uictum poterit,nihil plus adiiciat: ſi minus, tres carnis eiuſdem pulli parui unciæ iuri ſuperaddantur.Poſt uiginti dies,phaſiani uel perdicis pulpæ cõcedantur,quæ tamen ſelibram per diẽ non excedant.Tranſactis in totum triginta diebus paulatim annonę adiiciatur,ita ut exactis quadraginta diebus,ad cõſuetum uictum,qui tamen parcus ſemper eſt,ut audio,reuertatur.

Quod ad potum uero attinet,ſecunda aqua à me ſuperius deſcripta,primis quinq; diebus ſimplici utetur. Sequẽtibus decem diebus mel uel ſaccharum adiiciet. Poſt uiginti,tribus uini cyathis contentus erit,hoc eſt, unciis in totum ſex. Hæc ſunt quæ mihi alioqui occupatiſsimo,uiſa ſunt de potu horum lignorum ſcribenda. Quæ tamen omnia arbitrio præſentium clariſsimorum medicorum & correctioni permitto,quibus me etiam atq; etiã cõmendo,reuerẽdiſsimóq; domino cũ humilitate me trado.Ex Ferraria,in uigilia ſancti Matthæi, M. D. XXXII.

EPIST. IIII. *Conſilium pro nobili quadam matrona,ſputo ſanguinis,febre, ulcere palati,tuſſi,laborante.*

AFfectus præter naturã,quibus honeſta hæc matrona laborat,ſunt,ſputum ſanguinis,febris,deſtillatio,ulcus palati,tuſsis.Naturalia:Caput humidum,calidum,latorum pororum,imbecille.Iecur calidum & ſiccum.Vẽtriculus frigidus,humidus. Victus, ocium,cruditas,cibi pituitam gignentes.Ex his creuit pituita in uentriculo:ex iecore in toto ſanguine bilis. Eleuantur uapores ab utroq; humore ad caput,qui ob eius imbecillitatem nõ diſcuſsi,craſſeſcunt,& occurente cauſa exteriore deſtillãt:ex qua deſtillatione omnes mali affectus & fiunt & facti ſunt,qui ſunt enumerati. Sputum quidem ſanguinis,ſymptoma eſt,exiens ſcilicet mutatum.Morbus à quo prouenit,eſt ſolutio continui uenæ.Cauſa eius eſt pituita,aliqualiter à bile ſecum miſta exuſta,& ad ſalſedinẽ conuerſa.Dubia,quæ uena,quomodo aperta.Solutio primi,uena aſperæ arteriæ.Probatur,quia exit ſanguis ſine tuſsi,uel cũ parua,cum quodámq; potius ſcreatu.Sentitur in gutture uel parum infra,ſenſus ueluti loci ulcerati:& licet aliquando emittatur ſanguis cum tuſsi, eſt ſanguis,qui exiens ex loco læſo,deſcendit ad pectus,qui poſtea cũ tuſsi eiicitur.Non obſtat quòd ſpumoſus,quia,ut dicit Auicenna,& ratio dictat, quandoq; ſpumoſus eſt ex canna pulmonis, & eſt ueniens cum ſcreatu & tuſsi exigua,& eſt id quod egreditur parum,& eſt ibi ſenſus cum dolore.Solutio ſecundi,aperta per ulcerationem.Et ſi dicitur,deberet exiſſe pus:dic,quòd nondum erat genitum.

Febris morbus eſt,ut conſtat.Et ſi quis quærat,quænám ſit:dico eſſe febrem in putridis humoribus accenſam,continuam,ex materia ſalſa:id eſt,phlegmate ſalſo,putreſcente in concauitate pectoris.Et ſi quis obiiciat,quòd deberet eſſe intermittens,quia materia putreſcit extra uenas:dic,quòd eſt continua,ratione propinquitatis ad cor.Deſtillatio ſymptoma ſub eodẽ genere contentum,ſcilicet ſub exeunte mutato.Sicut tuſsis ſub malo motu.Vlcus uero palati ſolutæ continuitatis morbus eſt:ambo autẽ ex deſtillatione ſequuntur,

Prognoſticum: Periculum eſt empyematis,hoc eſt, ſuppurationis,ex materia fluxa & fluente ad pectus: & demum phthiſis.Periculum etiam eſt rupturæ uenæ in pulmone uel pectore,ob tuſsim,ſuffocationisq; demum ex multa materia.

CVRATIO.

Harum affectionum quædam ſunt factæ,ſcilicet ſolutio continuitatis uenæ,& ulcus palati,quæ curatione proprie dicta indigent,quæ in exiccatione & unione cõſiſtit.Quædam fiunt,ut deſtillatio & tuſsis.Quædam partim factæ,partim fientes,ut febris. Operatio igitur medici aduerſus eas, partim præſeruatiua,partim curatiua eſſe debet.Ad quam recte agendam uariæ occurrunt intentiones:quo ſcilicet ad ſputum ſanguinis,uenæ conſolidatio:quo ad tuſsim, uacuatio materiæ contentæ in pectore:quo ad febrem,curatio factæ per frigida,fientis per cauſæ remotionem:quo ad deſtillationẽ,ut ſiſtatur:quo ad palati ulcus,conſolidatio.

Dubitari igitur non ab re poteſt,unde incipiendum. Dic,quòd à deſtillatione;tũ quia inde omnia alia pendent,ueluti ab ea uel facta uel fiẽtia:tum quia magis ſuſpecta,ſiquidem nunc ſputum ſanguinis exile eſt.Incipientes ergo à cura deſtilationis,eliciamus intentiones eius curatiuas,non negligentes tamen cætera.

Deſtillatio,quantum ad ipſam fluxionem attinet,eſt exiens mutatum:quantum ad affectionem,quę ipſum facit,dicit malam temperaturam cum materia in capite contentam,quæ eget euacuatione,quæ tum extrahendo ipſam materiam,tum ad alia loca diſtrahendo, eſt agenda. Primum poteſt fieri uel phlebotomia, uel pharmacia purgante.

Dubitari igitur poteſt, an conueniat phlebotomia, & ſi conuenit,an ſola ſufficiat.Dic,quòd conuenit:quia deſtillatio eſt ulcera faciens & ſuffocationis formidinem.Conuenit autem non tota ſimul,ſed per interualla facta,ex iecoris uena,& modo dextri,modo ſiniſtri cubiti.Ad aliud dic,quòd non ſola,quia materia in uentriculis cerebri contenta ſubſtãtiam madefaciens,per eam non euacuabitur.

Circa purgationem etiã dubitari poteſt,an ſola ſufficiat pharmacia,quę per inferiora materiã educat.Dic, quòd nõ:ſed uacuare etiam caput particulariter oportet.Nec etiam hæc ſola ſufficit,ſed uacuandum quoque eſt,tum ad longinqua retrahendo,tum ad propinqua deriuando.

Dubium etiam contingit,unde computandi dies iudiciales,an ſcilicet à deſtillatione,an à uenæ apertura. Ego teneo quòd à deſtillatione: iuxta quam ſupputationẽ,uena aperta eſſe uidetur in uigeſimaſeptima die à morbi initio.

Ad opus tandem accedendo,Victus ſit ualde tenuis, prohibeatúrq; caro,uinum,oua.Vtatur auena,uel ordeo,uel amygdalarum ſucco,quibus ob fracturam uenæ,ſuperponatur puluis aliquis adſtringens,ut nucleorum mali punici acidi,uel rhoi Syriaci, uel fructuum myrti,qui præ aliis mihi magis placent,etiam ſi per ſe edantur.

Potus ſit aqua chalybeata uel aurata cum iuleb roſato.Omnes eſcæ uergant ad frigidum.Poteſt uti coriandris,& manuchriſti uocato,cum margaritarum puluere,& corallii parato. Aër uergat ad ſiccum & frigidum, quare non conuenit ignis.

Retractio fiat per frictiones,per extremorum membrorum uincula,quibus quandoq; admoueantur cucurbitulæ,quæ etiam ſupra iecoris regionem nõ inutiliter apponentur. Purgatio cum pilulis quidem cocchiis,niſi uehementia febris prohibeat:alioqui cũ polypodio & ſiliquæ Aegyptiæ liquore eſt faciunda.Caput purgetur butyro intra nares dato,cui octaua pars elaterii ſit adiecta.

Deriuatio per ſinapiſmum abraſo capiti cũ columbino ſtercore factum.Neceſsitate cogente aliquod narcoticum detur,uel philonium perſicum,uel theriaca noua,quam laudat Galenus.Syrupus myrtinus cũ iulebo roſato,& tuſsi,& febri,& ſanguinis ſputo conducet. Vnguentum aliquod adſtringens,circa gutturis & pectoris ſuperiora etiam conducet,ut quod ex oleo myrtino & paſtillis per electrum uocatis componitur.Palati ulcera per gargariſma curabuntur,ex plantaginis decocto & ſucco nucum,modo Galeni adſeruatum.

EPIST. V. *Ioan. Manard. Academiæ medicorum Cracouienſium. Examinãtur quædam à medicis nonnullis ſcripta pro* Reuerend. *D. Cracouienſi Epiſcopo.*

CVm iam ſcriptis mandaſſem ea quæ ad ſalutem Reuerend. domini Cracouienſis Epiſcopi conducere mihi uidebantur, placuit ne fruſtra mihi miſſa uiderentur,ea perlegere,quę à nonnullis medicis ſub Italorum medicorum nomine,eandem ob cauſam fuerant ſcripta.Inter legendum autem multa occurrerunt in quibus ego aliter & ſentiebam & ſcripſeram, quàm,quicunq; nam fuerint,excellentes illi medici ſcripſiſſent.Operæprecium autem me facturum putaui,ſi hæc ſigillatim explicarem,atq; enucleanda Cracouienſi medicorum academiæ proponerem,adiectis rationibus quæ me cogerẽt in priore ſententia perſtare,nec ab aliis quæ ſcripſeram recedere. Veſtrum autem erit, Cracouienſes medici,ad æquilibriũ rationis utraq; di-

cta

cta referre,& quæ lanx interuergat ſolerter penſitare.

Primum diſsidium inter nos eſt, quòd illi laboraſſe in noſtro Reuerend.domino cogitationem putant:ego potius imaginationem. Ad cogitationes enim ſpectat ratiocinatio,rationiſue diſcurſus, quam labefactatam ex his quæ ſcripta ſunt minime colligo:ſcribitis enim adfuiſſe ſilentium,mœſtitiam, faſtidium, mortis expectationem. Ex hoc enim,quod proculdubio corruptã imaginationem faciebat,per rectum ratiociniũ reliqua ſequebãtur. Quis enim nõ mœreat mortem expectãs? quis non ſileat,& mundana cuncta in ſummo faſtidio non habeat?Incolumi igitur permanente ratiocinio,ex ſola mortis imaginatione,reliqua meo iudicio ſequebantur. Quæ etiam imaginatio non penitus abſque ratione contingebat,cum cõſideraret ſecũ tot præſidijs, tantáq; medicorum diligentia,continue ad deterius labi,nec uel tantillum ſubleuari, faciunt hæc ut imaginationem in eo potius laboraſſe putem, quàm intellectum, quem Galenus cogitationem uocat. Verum apud eundem Galenum diſputatio hæc dialectica potius eſt, quàm medicinalis, cum eodem in uentriculo principes omnes uires, ſecundum eius ſententiam reponantur.

Aliud uero maioris momẽti diſsidium eſt,quòd tremore cordis cõtinuò affligi eum dicunt:quod nec uos ſcribitis,nec ego putarim uos alioqui oculatiſsimos,in tanti momẽti re hallucinatos.Nec eſt ut ſe Auic.clypeo tueantur,dicentis,non poſſe communicari cordi à capite uel uentriculo (Sic enim legendum puto: licet in exemplari ad me miſſo,pro uentriculo legatur cor) aliã noxam,quàm tremoris.Nam neq; Auic.inuenio hoc dixiſſe,nec ſi dixiſſet,eſſet illi plus quàm rationi,Galeno, & experientiæ credendum,quæ oſtẽdunt alios quoq; affectus,præter tremorem,poſſe cordi ab alijs mẽbris communicari,ut dolorem, ſyncopam, ſeu animi defectum:hæc enim fieri ab ore uentriculi præter experientiam & rationes,quas facile quiſq; conſiderare poteſt, Gal.quoq; teſtatur lib.1.de cauſis ſymptomatum,quinto de locis affectis, & primo Artis curatiuæ ad Glauc. Vnum uero eſt,quod maxima me afficit admiratione, medicos uidelicet illos Patauos, qui certe ex tot locis Galeni adductis uidentur in eius lectione aſsidui,eum tremorem cordis per conſenſum fieri, in ſecundo ſuo conſilio ſcripſiſſe,quem in primo continuum eſſe affirmauerant:docente Galeno in ſecundo libro de locis affectis,tunc affectum proprium putandum,cum permanere in parte quapiam conſpicitur.

Addunt & aliud,quod ego non probo,certum ſcilicet eſſe,humorem melancholicũ nõ ferri in Reuerẽdiſ. hoc domino ad uentriculum.Hoc probant quadã coniectura. Cõiectamus,inquiunt, in ſplene eſſe ingentem obſtructionem,ergo certum talem humorem nõ poſſe ad os uentriculi deferri. Quòd uero adſit obſtructio in liene,non aliter probant quàm ex ſuppreſsione fluxus ſanguinis per uenas ani,per quem ſanguis melancholicus conſueuerat expurgari.Sequelã probantes ex Gale.lib.de atra bile dicente,ſanguinẽ illũ retentũ facere obſtructiones,& corpus inficere.Cui ſententię addunt aliud teſtimonium Gal.5.de locis affectis. Innituntur igitur duabus ſequelis,ſecũdũ hunc ordinẽ:Fluxus ſanguinis melancholici per ani uenas conſuetas eſt retentus, ergo ab illo ſanguine non expurgato fit lienis obſtructio,& corporis infectio. Secunda ſequela eſt:Obſtructus eſt lien ingenti obſtructione, ergo humor melancholicus nõ poteſt ad os uentriculi ferri.Ego uero tantum abſum ut cum eis ſentiã,ut credã totum contrariũ: tantã uidelicet quantitatẽ atræ bilis ad uentriculũ ferri, ut appetitũ collat,non faciat:hoc enim quandoq; contingere,& Gal.lib.6.de locis affectis,& Auic.primo cap. de ęgritudinibus ſplenis,affirmant.Delatam autem magnam atræ bilis copiam ad uẽtriculum,ex his quæ à uobis ſcripta in uarijs locis ſunt,colligo.Et primo ubi enumeratis ſymptomata multa, quæ ardorem uentriculi præibant,mœſtitiã ſcilicet,ſilẽtium,tædium,mortis expectationem,quæ certe ſunt(ut nec ipſi diffitentur)atrę bilis genimina:ad quę cum(ut ſcribitis)ſequeretur oris uentriculi ardor, negari non poteſt quin ab atra bile ad uentriculum delata, ardor ille excitaretur,ad quem tantum defluxum non ſequeretur appetentia,quia & maiore copia quàm par eſſet,ferebatur, & melancholia potius erat quàm melancholicus ſuccus,ueluti uos alio loco ſcribitis,deijci dicẽtes ex clyſmate,alephanginis pilulis & manna,magnũ modum ſpumantis & ueluti ebullientis exuſtæ melãcholiæ.Acida enim ualde ſit oportet,ſi excitare appetitum debet,quæ ad uentriculum fertur melancholia,ut Galenus teſtatur lib.6.de locis affectis. Et fluere igitur & fluxiſſe magnam atræ bilis copiam ad uẽtriculum puto:nec uideo ex ſuppreſſo ſanguine,per ani uenas euacuari conſueto,lienis obſtructionem neceſſariò fieri. Poteſt enim humor ille ater, partim in uentriculo, partim in hypochondrijs atq; in alijs locis congregari,ſed & per totius corporis uenas diffundi. Poteſt & in ipſo liene plus quàm antea abundare,non tamen obſtructionem in ea facere. Non uideo etiam aliam eorũ ſequelam eſſe neceſſariam,hãc ſcilicet,In liene eſt ingens obſtructio, igitur melancholia ad os uentriculi non poteſt deferri. Poſſunt enim aliæ lienis uenæ obſtrui,ea remanente non obſtructa, quæ melancholiã portat ad os uentriculi.Multos enim uidimus cum ingenti lienis obſtructione, cib: appetitum non amittere.Vidimus etiam nonnullos,effuſa ad os uentriculi melancholia, quod ex dolore & ſapore eius in ore percepto cognoſcebatur, mœſtitiam melancholicam abſque appetitu incurriſſe. Quod etiam Galen.lib.6.de locis affectis teſtatur,cuius uerba libuit adſcribere,ut Excell.ueſtræ cognoſcant, ea quæ nos ſcripſimus,eſſe ad Galeni mentem dicta: nec ex ſuppreſſione euacuationis atræ bilis conſuetæ, tolli acceſſum eius ad uentriculũ.Sic enim uerbũ uerbo reddẽdo ſcribit Galen.de liene loquens:Verum plerunq; à ſeipſo excrementa quemadmodum iecur expellit: adeò ut & quandoq; melancholicum ſanguinem ſimul cum nauſea per uomitũ eijciat,& per inferiora aliud ſimile ſubeat,& non facta tali euacuatione,mœrores & puſillanimitatẽ melancholicam faciat,necnõ interdum ciborũ uehementiſsimas appetentias,& præcipue ubi exacte acida fuerit ea quæ ad uentrem fertur ſuperfluitas. Plerunq; uero euerſiones & abominationem, quãdo aliã quandam habuerit corruptionem. Ecce igitur,ex ſuppreſsione ſanguinis,qui defluere conſueuerat,nõ neceſſariò tolli effluxum humoris atri ad uẽtriculum,nec neceſſariò tolli appetitum,ſicuti nec neceſſariò fieri eum, humore atro ad eam fluente.Non recedendum igitur à noſtra ſententia,quæ effluere quidem ad uentriculum melancholiam dicit,tolliq; appetitum:tum ab ea,quoniam ſcilicet corruptione quadam participat: tum à pituitæ tenacis copia. Mœſtitiæque cauſam non in atram bilem,ut ipſi dicunt,in uenis cerebri contentam: perpetua enim eſſet,& non (ut ſcribitis) quandoq; reuerteretur:ſed in fumos ab eã ex naturalibus membris eleuatos generari.

Addunt & aliud,quod magni momenti eſſet,ſi ueritatem haberet:Reuerendiſs.ſcilicet hunc dominum,eſſe ad aquam intercutem præparatum: ea enim quæ de ſanguinis euacuatione à me ſcripta ſunt,uel in totũ deijceret,uel moderanda ualde oſtenderet.Verum uix crediderim Excell.ueſtras,quæ tantum operæ in curando hoc clariſ.domino ſumpſerunt,& tam ad unguem uniuerſa acta,& quæ in dies occurrerunt ſymptomata cõſcripſerunt,rem hanc tam arduam prætermiſiſſe: imò contraria potius indicia nobis ſignificaſſe,facie uidelicet eum alba,& ad purpureum uergente,fuiſſe:nulla cachexię,hoc eſt mali habitus,mutatiq; coloris aut tumoris faciei,pręcordiorum,manuum uel pedum,facta mẽtione.Palpebrarum quidem tumoris cum rubore meminiſtis,qui malam potius loci quàm totius corporis affectionem demonſtrat:ad quam tamen hydropen ſi præſtantiſsimi hi conſultores agnoſcebant D.ſuam Reuerendiſs.eſſe pręparatam,certe debuerant huic rei magis conſulere,quàm lacrymarum fluxui.

Scribunt præterea Galenũ 4.libro de uſu partiũ,& 2. de temperaturis dixiſſe,à ueſica fellis ferri ad uẽtriculũ: cum tamen ipſe Galen.lib.5.de uſu partium rationẽ reddat,quare natura non ad uentriculum, ſed ad primum inteſtinum bilem tranſmittat. Libro uero ſecundo de temperaturis,fluere quidem nonnullis bilem à ueſica ad uentriculum,rarum autem eſſe hoc,& paucisſimis contingere.Et hęc quidem ſunt rerum capita,in quibus quantum ad eam partem attinet,differimus,

Quod uero ad operationem ſpectat,in nonnullis etiam diſſentimus.In concoquenda quidem bile ipſi laudant ſyrupum de fumo terræ,puto à Ioanne Meſue deſcriptum. Quem quidem aptum ego puto ad uacuandum,nõ ad concoquendum,ut ſimplicia medicamẽta,

ex quibus componitur, manifestant, Myrobalani scilicet, epithymum, polypodiũ, pruna Tamarindi, siliqua Aegyptia (casia scilicet uocata) & demum succus ipse sumariæ. Alioqui neq; exusta illa bilis, cũ superfluò cocta sit, uerè concoqui potest: sed satis est ut ita à natura uincatur, ut pelli per purgatorium medicamentum posit. quod tamen neq; expectandum uoluit Galenus, nisi in materia putrescente: in ea enim, non in alia, concoctionem agnoscit in urina: sed in achoribus & cephalalgia, lib. primo de medicamentis secundum loca, nulla præuia uel concoctione, uel alia alteratione, materiam purgat: semperque materiam quidem tenacem & crassam attenuat & præcidit, tenuem uero ceu suapte natura euacuationi paratã, statim euacuat. In cepis quoq; dissentimus. Eas enim ego incidendi gratia, & patriæ consuetudinis ratione, cum carnibus coqui ignosco: non ignarus eas mali succi esse, & uel parum, uel nihil alere. Verum non eis uescendũ dico, sed carnes eis condiri concedo. Vuas siccas penitus interdicunt, tanquam ad rem non facientes: quas tamen Galenus modicè detergere, uentriculum roborare, & oris eius lenes morsus ait hebetare: quare eorum usum potius laudo quàm uitupero: sicuti & caricarum, ueluti incidendi & attenuandi uim habentium.

Vituperant etiam pistacia, quæ ego laudo, tanquam iecur roborantia, & eius obstructiones remouentia: licet Galenus se nescire dicat, stomachóne sint nocua uel utilia. Paul. tamen Aegineta, & Auicenna eum secutus, tanquam ei utilia commendarunt. Lupulos laudant, & ceruisiam uituperant, uel fortè nescientes eam illis confici, uel nocumentum in frumentũ, non in lupulos referentes. Ego uero, ut ingenue fatear non bene me nosse lupulorũ uim, Mesue in his sicuti in aliis multis rebus parum credens, ita ceruisiam uituperare nequeo, cum septentrionales homines eius potu utentes, saluberrimos uideo & robustissimos. Quicquid tamen de ceruisia statuatur, medonem apud uos uocatum, quod est hydromelitis genus, magnopere in hoc Reuerendissimo Domino commendo, quem Deus optimus maximus longo tempore seruet incolumem, cui sit laus & gloria. Ex Ferraria, XII. Calend. Martias. M. D. XXXII.

EPIST. VI. *Antonio Pedochæ medico, de Rheo, an conueniat in pleuritide, & an magis purget si totum deglutiatur, quàm eius decoctum.*

DVas inter te & Fabium in rheo barbaro obortas controuersias scribis. Primam, antiquam quidem, & à multis discussam, an pleuritide laborantibus congrue exhiberi posit. Alteram nouam, & à nemine quod norim disputatam, an uehementius purget si totum, sicuti est, deglutiatur, uel solo liquore in quo cõuenienti tẽpore maduerit epoto, corpulentia eius abiiciatur. Quærisq; meã in utraq; lite sententiam. Quod certe onus non libenter subeò, tum quòd non meum est tantas inter uos lites componere, tum ueritus ne ex duobus amicis alterum perdam. Tibi tamen & per literas & per nuncios hoc efflagitanti negare nõ potui, quin statim à podagra aliquantisper respirans, calamo manum admouerẽ, & quid de utraq; quæstione sentirem, tibi significarem: illud præfatus, mea hæc qualiacunq; effluxerint, nõ modo ut præiudicii, sed nec ut testimonii alicuius maioris uim habitura, scriptis esse demandata. Sed ne procemium maius sit quàm cantilena, primam dubitationẽ aggredientes dicimus, de quocunq; rheo sermo sit (duplex enim esse in quadam ad Leonicenum epistola iandudum ostendimus) tutò id, imò cũ nota digno iuuamento, pleuritide laboranti posse exhiberi. Id enim quod supra Bosphorum Dioscorides, & supra Pontum Plinius nasci scribũt, ad asthmata, & eos qui circa thoracem affectus contingunt, ualere dicit Dioscorides: ad orthopnœámq; Galen. & Paulus. Sed & Auicenna Dioscoridem sequutus, ualere dixit ad asthmata. Cum igitur circa thoracem, in mẽbrana uidelicet eũ subcingẽte, pleuritis gignatur, ad ipsam quoq; conferre Dioscoridis testimonio uidetur, atque non minus ei prodesse, quàm spirandi difficultati, quæ maiori ex parte à crassiore tenacioréue materia fit, quàm pleuritis: quam tenacem crassámq; materiam si educi terrestris adstringénsq; rhei substantia nõ uetat, sputum quoq; ne in pleuritide exeat, minime prohibebit, sicuti neq; in maiore centaurio: quod licet minorẽ adstringendi uim habeat quàm rheon, peculiariter tamen à Dioscor. laudatur in pleuritide. Nec in adianto, cuius syrupum Ioannes Mesue laudat in eadam atq; in peripneumonia. Sed idem quoq; Ioãnes Mesue laudat zuccharum (ut uocat) alhusar, quod tamẽ Auicenna saporis acerbi, quem ponticum uocat, dicit esse participem. Omnes demum medici laudant glycyrrhizam, quam habere quid stypseos scribit Galenus. Laudãt & gummi, quod adstringendi uim habet & glutinandi. Laudant & crocum, qui Auicenna etiã ipso teste, ut Grecos prætercam, stypticitate non caret. Taceo intybi & cotoneorum semina, mala punica, aquam rosaceã, passulas, florem æris, quæ adstringentia quum sint, à medicis, & præcipuè ab Auicenna, in pleuritide commendãtur. Quódnam igitur infortunium rheo huic contigit, ut tot adstringentibus admissis solum condemnetur? Quòd si hoc de quo antiqui scripserunt, & quod penitus odore caret, recipiendum in pleuritide est, quis nõ libentius admiserit aliud genus, quod in communi usu ante Paulum Aeginetam esse cœpit, barbarũ scilicet uocatum, odore suo eximio principalia membra, & præcipue spiritualia, miro modo corroborans & uires recreans? Ego certe, sentiant alii quicquid uelint, ei uel siliquæ Aegyptiæ liquorem, casiæ uocatæ, uel aëreum mel, quod mannã dicunt, quæ membra potius laxant quàm roborent, nunquam in hoc morbo prætulerim. Et hæc quidem circa primam dubitationem dicta sint.

Secundam, solius Ioannis Mesue testimonio, quem apud te magnæ autoritatis esse puto, facilime dissoluemus. Dari enim permittit hic uir liquorem, in quo rhei barbari maduerint decem drachmę, contriti uero quatuor ad summum drachmas concedit, contrarium facturus si maiorem uim purgandi relinqui in liquore putasset, ea quæ in tota substantia reperitur. Neque hoc rheo peculiare existimandum, cum omni medicamini siue leniter siue uehementer purganti sit commune: æqua enim cuiusq; portio ualidius longe purgat per se tota deglutita, quàm eius decoctum uel cremor ebibita. Nec credendum, ut tuæ innuunt rationes, totam purgatoriam uim in liquorem transfundi: nam in eo etiam qui per quinque dies maduit, ad nos delato, licet animam perdidisse à Mesue dicatur, uis tamen adhuc quædam superest purgatoria, ut qua nec pars ipsa terrestris penitus caret, in his præcipue medicamentis quæ (ut Mesue modo loquamur) euacuant comprimendo. Stantibus autem his fundamentis, rationes quas ad contrarium probandum adducis, non difficulter soluuntur. Quare non est ut in eis sigillatim diluendis amplius laborem, præsertim cum adhuc non plenè conualuerim. Vale igitur, & non contendendi studio, sed ueritatis inueniendæ gratia, bonis his litibus certare non desiste. Ex Ferraria, M. D. XXXIII.

# IOAN. MANARDI

## EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER XVIII.

EPIST. I. *Ioannes Manardus Petro Nicolao Castellano medico Fauentino S. P. D. Defenduntur aliqua dicta in alia ad eundem epistola. Item de ptisana, rheo, tenui uictu, apio, populo, citro, medicamento purgatorio, coturnicis carne, mixis, & pilulis Ruphi.*

EX disputatione illa tua pro astrologis tam longa & tot autoribus munita, ego non aliud euidentius colligo, quàm id quod uolens lubénsq; illis semper dedi, & quod quiuis è medio nouit, corpora uidelicet cœlestia generali quodam influxu per motum & lumẽ hæc inferiora permutare: pręter hunc uero particulares illas uires, uitæ, necis, salutis, morbi, ingenij, hebetudinis, uirtutum & uitiorum, inopiæ, diuitiarum, famę, infamiæ, amoris, odij, fortunæ demum bonæ uel malæ

effectrices,nec illis adeſſe puto,nec à magnis(quos tu affers)uiris cœlo adſcriptas credo.Longior autem fuerim,ſi ſigillatim tuas afferre rationes uelim,atq; refellere:ſed & ſuperuacuè laborare cognoſcar uiris bonis, qui celeberrimorũ & uita & doctrina uirorũ commẽtaria legerunt,aſtrologiam hanc diuinatoriam quantaquanta eſt,non ſolum redarguentium,ſed & flocci facientium atq; deridentium:& ea præcipue quæ duo Pici,ut poſtremi tempore,ita & copia & argumẽtorum efficacia,reliquis qui in eadem alea uerſati ſunt,eminentiores nobis reliquere:quæ quũ legiſſe te monſtres,mirum eſt quòd adhuc pergas tam præſtigioſæ arti fidem mancipare:in qua ſi adhuc perſeuerare uolueris, prius erunt,quæ illi aduerſus eam tam latè ſcripſerunt, confutanda. Ne igitur actum(ut aiunt)agam,ad alia quæ in meis epiſtolis non probas,quàm breuiſsime potero deſcendam:nec tuendi mei gratia, ſed ut mentem meã à te(ut mihi uidetur)nõdum bene perceptam,reddam lucidiorem.

Quod ad clima noſtrũ attinet,ſcias uelim me nimio fortè zelo in laudem noſtri climatis ideo prorupiſſe, quòd uiderem nonnullos amore ſuæ patriæ uictos,ſuũ reliquis prætuliſſe,Cœpi igitur cogitare,an ego quoq; poſſem meum cæteris præferre.Arriſit autem mihi primo argumẽtum,cui innici Gale.uidebatur,Hippocratis patriam ex hoc commendans,quòd eſſet exacte media orbis terrarum:quam medietatẽ cum uiderem noſtræ magis zonæ quàm Hippo.patriæ cõuenire,propterea auſus ſum patriam meam Hippocratis patriæ, & totũ ſextum clima quarto & quinto prǽferre.Pluribus igitur argumentis conatus ſum demonſtrare,noſtrum clima uerius dici poſſe medium terræ habitabilis,quàm Hippocraticum,ut èodem argumento quo Galen.uſus eſt, meam approbarem opinionem:ad quam rem ſi nõ penitus collimaui,certè non multum à longinquo ſcopũ attigi.Nec rationes meas tollit,quicquid de hominis tẽperatura ſtatuatur,(non enim hoc mihi erat diſputandum)ſed an clima noſtrum uerè eſſet medium,in terra hac quam incolimus,non in uniuerſo orbe,quẽadmodum prima tua epiſtola uideris intellexiſſe. Hoc igitur probare conatus ſum,ſiue totam ipſam quartam terræ quam incolimus partem,ſiue eam quæ commodius habitatur,conſideraremus.Et hæc quidem de climate.

De ſaccharo toties ſcripſi,ut graue mihi ſit eãdem rẽ tam crebrò perfricare. Sentias tu,ſentiant medici quicquid uelint,quando utri ſententiæ quis hæreat,non eſt ad uitam hominis magni momenti. Si quis tamen,ſepoſito quocunq; affectu,diligenter aduerterit ea quæ à me ſcripta ſunt,diuerſas res ſub ſacchari uel zucchari nomine eſſe comprehẽſas cognoſcet.Sed ut uideo,(forte quia te piget bonas horas male collocare)mea non diligenter legis:quod euidenter oſtendis in aquis deſtillatis,putans me uelle ut Galeni modo extrahantur,quũ ego putem deſtillationem omnem,nedum hãc meam penitus ei fuiſſe incognitam.

De ligno Indo nihil apud Auic.lego,quibus tu ais locis. Cap. enim 384.de neſcio quo grano ſcribit, quod Kormiden uocat,quod nullam cum ligno Indo cõmunionem habet.Cap.uero 484.ſub mehenbethcat nomine,agit de lathyride,id eſt,catapotia uocata. An uero Aethiopicum Indo præferendum, alij cogitent:ego ab Indo receſſurus nõ ſum,ut quod & cognitum & expertum habeam,cum Aethiopicum ut maioris longe precij poſsit(ut olim)ab interpollatoribus fingi.

De ſectione uenæ in pleuritide bis etiam ſcripſi,atq;, ut mihi uidetur,omnem ambiguitatem ſuſtuli. Ideo enim(ut ſcripſi)Galenus ſecat contrarij cruris uenã,alio inflammato,quia ex crure laborante non licet ab initio uacuationẽ facere,ne plus ſit quod aliunde trahitur,eo quod euacuatur. Oportet ergo ut reuulſionis gratia uel eiuſdem lateris in manu uena ſecetur,uel contraria pedis:ambę enim cum uena cruris laborãtis habẽt communionem:Per quas tamen uenæ ſectiones non intendit ſanguinem euacuare in inflammatione contentum, ſicuti in pleuritide:in qua ob mẽbri nobilitatem cogitur euacuationem ex loco accelerare.Contrarij enim lateris uenæ ſectio,uel nequaquam,uel tarde iuuat: quã tarditatem in cruris inflammatione non ueremur:ſicuti neq; ueremur in dolore à dorſo ad humerum deſcendente uenam cubiti ſecare,naturam iuuantes,quæ à nobiliore parte ad ignobiliorem, materiam tranſmittit. Quare uero Hippoc.in dolore ad præcordia deſcendẽte uenæ ſectionem prohibuerit,Galenus ex diſſectione uenarum manifeſtat.Cur uero in tali dolore,ſcilicet deſcendente,ad uenas tali non ſe uerterit Gale.ideo factũ puto, quia materiam citò ab inflammato loco uoluit extrahere,quod & ſerò & nõ ſine diſcrimine fieret per tali uenam.Quòd etiam ad cõtrariam nunquam accedat cubiti uenam,licet ambæ ex eadẽ cauæ uenæ parte oriãtur,directus fecit aſpectus:quẽ ſemper conſiderandum Hipp.iuſsit,experiẽtia ipſa ab euacuatione ſanguinis per nares edoctus,quæ ſi è dextra nare,inflammato iecore fiat,iuuat:ſi è ſiniſtra,potius obeſt.Cuius rei cauſam ego non in filamenta,ut nonnulli, ſed in minores quaſdam uenas refero,cum uena eius lateris communionem habentes,non cum contraria.

De herba Gyarcha uocata nihil moror quocunq; uoces nomine:& ſi nihil aliud quàm natales uetant,nõ eſt ut eam ſub alio collocem,quàm ſub polemonij capite, cum notiſsimas etiam plantas uideamus alijs locis naſci,quàm quibus ſcribit Dioſc.Sed aliæ cauſæ me mouent,ut aliam rem ſuſpicer eſſe, quarum nonnullas ad te altera epiſtola ſcripſi.

Modum parandi ptiſanã,ita abſum ut putẽ incognitũ,ut(ſi recte memini)in epiſtola ad Comaclenſem epiſcopum,me commentariolum illud Latinitate donaſſe ſcripſerim,in quo modus ille docetur. Verum libri non ſufficiũt coquum bonum facere,ſicuti neq; nautam:ut in prouerbium abierit,Nauta ex cõmentariolo: in eos qui artem aliquam factiuam ex libris didicerunt.Experientia autem ipſa cõperi paucos admodũ eſſe,qui noſtro tẽpore ptiſanã norint recte parare. Et ꝓpterea ſcripſi inter reliquas rationes,& hãc me mouere,ut ea non admodum uterer.Sicuti & diſſuetudinẽ:quoniã magis abhorremus ea quibus ſani nũquã ſumus uſi,& uitiatum hordeũ,quia ſcilicet nõ ad uſum hominũ,ut olim, & nunc etiam apud multas nationes,ſed brutorũ tantum animalium apud nos,& ſeritur,& aduerſatur,

*Nauta ex cõmentario, Prouerbiũ.*

Aquam etiã hordei quæ nunc nomẽ hoc habet, dixi me dũ ſcriberem nõ meminiſſe,niſi uno loco apud antiquos legiſſe(quia nullus mihi præter unũ occurrebat locus)ubi eius eſſet mentio.Nũc ſcio etiã unum aut alterum in quo legatur,aquã hordei,ut dixi, intelligens eã in qua hordeum poſt modicam ebullitionem eijcitur, non autem ſuccum aut cremorem à Celſo uocatum,de quo frequentiſsima mentio,quanquàm ſcio apud Arabes hæc ſicuti & alia multa plerunq; confundi.

*Aqua hordei.*

Rheon barbaricum notũ fuiſſe & Paulo & alijs nonnullis Græcis,& dico,& dixi:nõ quòd eius meminerit libr.ſeptimo inter ſimplicia,in quo quæcunq; ſcripſit, ex Galeno ferme ad uerbum exſcripſit: ſed in quibuſdã compoſitis medicaminibus.Nec,quòd purgatoriũ nõ dixerit uel ille,uel alij,probat quòd eius notitiã nõ habuerint,quãdoquidẽ & ipſum quod in Ponto naſcitur, & inodorũ eſt,ac demum omnibus rebus idẽ,ei quod Plinius & Dioſco.pingunt,nõ minus purgat,quàm noſtrum nunc uocatũ barbarũ,ut ego certa experiẽtia cõpluries cognoui. Quòd uero locum in Pauli primo libro corruptum putas:& pro rheo legendum,nitrum, libenter amplector,ueluti meæ ſententiæ adſtipulans, quòd antiqui rheon nõ habuerint in numero purgantium.Non adeò autem libenter accipio,quòd inter podagrica antidota pro barbarico ponticum intellexerit, quod inter ſimplicia,ſimpliciter rheon uocauit. Fruſtra quippe barbarici nomenclaturam addidiſſet,ſi eãdem rem accipi uoluiſſet,de qua eodẽ libro ſub rhei nomine ſimpliciter ſcripſerit. Nec me mouet Alexander ille, tam male in Latinam linguam cõuerſus,ut in unico capite ego aliquando per ocium ſupra quinque & uiginti inſignes errores annotauerim.Non auſim tamen certò affirmare errorem huic loco ſubeſſe,quoniam Grę cum meum exemplar eum locum non attingit. Sed ut dem tibi Alexandrum ſuæ antidoto ponticum appoſuiſſe:quis uetuit Paulum pro pontico elegiſſe barbaricum,tempore ſuo uel paulo antè,ut Hermolaus putat, cognoſci cœptum?

Dubitas præterea quomodo uictum tenuem probem, quum Hippocra. in aphoriſmo aperte dicat,uictum paulò pleniorem eſſe ſecuriorẽ. Cui quæſito ſatis (ni fallor) mea ad Citadinum epiſtola reſpondet: imò Hippocrates ipſe, non alio nomine damnans tenuem uictum, niſi quia ægrotantes eo utentes interdum in alijs rebus delinquunt,& errata difficilius ferunt. Et in libro de uictu morborum acutorum, apertiſsimis uer-

bis

bis abſq; alia adiectione, ubi ſuperſtes futurus uſq; ad conſiſtendi uigorem æger eſt, tenuem pleniori præferens. Tua uero gloſſemata ex recentioribus deſumpta, ceu autorum mentem detorquẽtia, in rebus tam ſeriis non admitto. Sicuti nec minimam illam uirtutem, quæ ſanare poſsit: nam ſanare non poteſt, niſi morbum ſuperet. Quem ſi ſuperat, exceſſu aliquo ſuperat: qui cum ſecari in partes poſsit, ſequitur dari aliquam uim prima minorem, quæ adhuc morbum ſuperabit: quare non fuit illa, ut uolebas, minima. Sed uide quo pacto me cogas in iuuenilia hæc & penitus inutilia deſcendere. Melius ergo eſt ut ad res quæ ſenſu cognoſcuntur accedamus.

Primo quidem ad apium, de quo interrogas. Si quod nos petroſelinum, eſt illud quod apium antiqui uocarunt, quidnam erit noſtrum apium? Scripſi aliàs apium antiquis uocatum hortulanũ, uideri mihi eſſe id quod nos nunc uocamus petroſelinum: nec ſolum dixi, ſed rationem reddidi, cur ita dicerem & ſentirem. Tu aliã quæſtionem proponis, magis certe dubiam quàm fuerit prior, à qua poſſem me facile abſoluere, ſi dicerẽ, me nunquam hanc mihi prouinciam aſſumpſiſſe, ut antiquorum nuncupationes cum noſtris cõcordarem: ſed ſatis mihi uiſum eſſe, ſi nonnulla prout mihi occurrebant, ingenue aperirem: quæ tamen non præiudicij, ſed nec maioris teſtimonij uim habere uolui, paratus ſemper ita in hac re, ſicuti in omnibus aliis, melius ſentientibus cedere. Verum eadem hic quoque ingenuitate utens, dico uulgare hoc noſtrum apium uideri mihi eſſe quod Græci heleoſelinum, & Theodorus paludapium uertit. Quódnam uero genus ſit, quod in comitiali morbo damnatur, ego indiſcriminatim putauerim (quicquid tuus ille tertius Plinius dicat) omne apiũ alimenti ratione damnari: præcipue tamen Smyrnion damnauit Alexander.

Violæ purpureæ flores cõferre pueris comitali morbo laborantibus, præter Dioſcoridem, ſcribunt Plinius, Macer, & Serapion, qui tuam quoque amouet dubitationem, dicens proprietate quadam id fieri.

Quòd populum albam in primo ordine calidorum repoſuerim, & autoritas, & ratio, & experiẽtia ſuaſit. Nec impreſſus Galeni Græcus codex, in quo tertij legitur ordinis, ab ea ſententia me dimouet, ut ubiq; erroribus maculatus. In manuſcripto ac melius aliis quoq; in locis caſtigato legi, in primo. Potuit & Oribaſius in ſuo Galeno legere: quanquam & maculatus quoq; eſt, & male in Latinum uerſus, qui inuulgatus in Germania eſt Oribaſij libellus.

De citro uolens, ut tibi morem gererẽ per epiſtolam id petenti, tollere repugnantiam inter Auicennæ dicta, nonnulla cõmentus ſum quibus excuſari poſſet: & inter reliqua dixi, per ſemen poſſe intelligi totũ id quod carnẽ & nucleũ intermediat, in quo proculdubio acedo continetur: ut ſcilicet ſimul tutarer & in concordiã redigerem Galenum & Auicẽnam, acedinem & frigus ſemini adſcribentes. Tu uero, neſcio an calumniãdi gratia, ſed ut credere malo, quia tibi ita uiſum eſt, in me inſurgis, quaſi in hoc etiam ſemen uerum, hoc eſt, nucleũ, comprehendi uoluerim: quum tamen paulò pòſt dixerim, ſemen uerum à Galeno ſtatui calidũ. Impingis etiã mihi quòd dixerim, corticem ipſum nucleum cõtinentem per ſe frigidum eſſe: quod certe non dixi, ſed Galenum dicentem in ſemine uincere acidam qualitatem, dixi comprehendiſſe ſub ſeminis nomine medullã illã in qua apertiſsima deprehenditur acedo, quam tamen periſperma mauis uocari quàm ſperma. Sed ſi in ſolo nomine erat controuerſia, non erat ut chartam & tempus in hoc perderes, & mihi eandem iacturam faciendi occaſionem præberes. Addam tamen & hoc, quia tu bene correcti Galeni mentionem habes, me in codice manuſcripto ac bonæ fidei utrunq; legiſſe, ſemen ſcilicet & aciditatem: poſſéq; utriuſq; lectionis argumentum capi ex his quæ uerius finem capitis ab eodem Galeno ſcribuntur. Ait enim: Totum autem ſemen ineſibile: humidum uero & acidum, de quo prius diſſerui, eſt qui in ipſo nucleus inuenitur, qui uerè eſt ſemen. Cum enim dicat hoc eſſe uerum ſemen, innuit ſe de non uero prius loquutum: ſed aperte etiam teſtatur ſe de acedine antea diſſeruiſſe.

Petis ulterius, quomodo Galenus excuſari debeat, dicens pharmacum non purgans uerti in humorẽ talem qualem debeat purgare: in qua re dicis me mutaſſe ſententiam. Ego certe non memini in hoc me mutaſſe ſententiam, ſed ſine hæſitatione credo id eum uoluiſſe quod uerba ſonant. Quod & alioqui aſſequens eſt Galenico dogmati, quo aſſerit purgatorium medicamentum ex ſimilitudine quam cũ humore habet, unũ præ alio & trahere & uacuare. Quod niſi fecerit, in eundem humorem quem trahere debebat, ſimilitudinis ratione quandoq; permutatur.

Nitrum quo nũc paſsim in bellicis tormentis utuntur, aliam rem eſſe ab eo quod in nitrariis olim repertum, condiendis & colorandis obſoniis, & aliis rebus non parum multis in uſum antiquorum ueniebat, nõ ſolus, ſed cũ Hermolao, Marcello, aliisq; & ſenſi & ſentio: nec ueto quin tu modo tuo ſentias.

*Coturnicũ caro improbatur.*

Coturnicis etiam carnes non probo, nõ ſolum quoniam à maioribus noſtris improbatas inuenio, ſed etiã quia ueris & æſtatis tempore ſiccæ admodum ſunt, & ad atram potius bilem quàm bonum ſanguinẽ gignendum idoneæ. Autumno & hyeme pinguedine nimia obeſæ, ut palato gratiores, ita uentriculo & cõcoctioni ineptiſsimæ, exigui nutrimenti, nauſeámque & faſtidium pariunt, & quibuſdam etiam in aquilonari ora extremam perniciem, ut à fide dignis intellexi, attulerunt.

Myxaria uel myxa à Græcis & Latinis uocata, eſſe fructus quos ſebeſten (fortè à loco in quo frequẽtiora ſunt, licet aliã cauſam reddat Hermolaus) Arabes uocãt, facit primo quidem nomen: mucoſa enim adeò ſunt, ut ex ipſis in Syria excellentiſsimum id uiſcum paretur, quod Damaſcenum uocant. Facit præterea & ſimilitudo, quam cum prunis habent. Quòd uero uermes interficiant, eſt, ut inquit Serapion, quia illi dulcedini hærent. Addo ego, & quia præ tenacitate ab eis non poſſunt auelli, fit ut cum illis exeant. Quare non eſt ut labores pro Paulo caſtigando, ubi hæc laudat in uermibus interficiendis: ſicuti neque laborãdum tibi erat, uel ad Auicennam recurrendum, ut propotiſma Ruphi ab eodem Paulo deſcriptum caſtigares, ammoniaco thymiamati crocũ ſupponens, motus non tam autoritate Auicennæ, quàm cõmuni, ut arbitror, fama, quæ ſummam excellentiã croco tribuit in corde roborãdo, quæ res maximo uſui ſit in peſtilentia. Et cum ab ammoniaco minime fiat, nihil ad propoſitum facere ammoniacũ ipſum arbitraris. Verũ animaduertere debebas, antiquos autores non tantum tribuiſſe croco, quãtum recentiores: fuiſſéq; inter illos qui inter uenena eum reponerent. A qua ſententia nec Arabes penitus receſſere, ſed & uentriculo & cerebro noxium eſſe dixere, appetitúmque deijcere. Quod ſi in aliquo morbo, maxime in peſtilentia eſt fugiendum. In ammoniaco uero animaduertenda uis quam habet in aluo ſubducenda, & liene liquando: quæ duo in peſtilentia cauenda, ſunt plerunq; neceſſaria. Nam ut ipſemet Ruphus dicit, præcordiorum dolores & tenſiones in ea ſolent contingere. Valeat igitur Auicennæ & quorundam aliorum Arabum autoritas, apud eos qui eis credunt, in laudandis catapotijs quæ crocum recipiunt: non tanti tamen ſit, ut Ruphi ipſius compoſitionem ualeant peruertere.

*Myrrhæ uirtus.*

Minus quoque committendum eſt, ut pro myrrha in eodem Ruphi propotiſmate intelligamus herbam. Nam ut mittam quòd uox qua utitur Ruphus, æquiuocationem hanc tollit (ſmyrnam enim, nõ myrrham accipit) lacryma myrrha dicta multis nominibus meretur ut in eo recipiatur: ſuauiſsimi enim odoris eſt, putredinìq; adeò reſiſtit, ut mortuorum etiã corpora ab incorruptione defendat: ſcorpionũ ictibus utilis eſt, uermes necat: & ob uarios eius uſus, non eſt ferè antidotum cui non miſceatur. Tua uero herba myrrhis uel myrrha uocata, eſcæ potius quàm medicamenti gratia in uſum uenit, ſi, ut multi credunt, nec ego abnuo, eſt quæ uulgò cerfolium dicitur, quam nonnulli & chęrephyllum dictam in horto Columellæ putant: alioqui (quicquidnã ſit) uix inuenias antidotũ quod ipſam recipiat. Nec laus eius in peſtilentia cauenda uſquequaque à Dioſcoride probatur. Verbo enim ἱστοροῦσι, utitur, quo tum uti ſolet, cum aliquid ex ſententia potius aliorum, quàm ex propria ſcribit. Sed & Plinius cum alias eius uires ſimpliciter narraſſet, huic addidit uerbũ, aiũt, quo & ipſe uti ſolet, cum aliquid narrat quod non credit. Quod nec alios medicos credidiſſe ſatis ueriſimile eſt: quoniam inter medicamina peſtilentiã arcentia huius

herbæ

herbę non meminerunt. Verum ualeat quantum tu uis, non tanti tamen facienda eſt, ut locum quē per tot annorum ſecula myrrha ſibi præſcripſit, ei cedere debeat. Hæc ſunt quæ mihi aliĳs negocĳs impedito ſe obtulerunt ad tua argumenta obiter diluenda Vale, & me ama. Ex Ferraria, anno à Chriſti natiuitate. M. D. XXXIII. IX. Calend. Auguſti: qua die primum in lucē editus ſum, anno ante hunc primo ſupra LXX.

EPIST. II. *ad Simonem Grynæum, ex gingiuis laborantem.*

Simon Grynæus plus utilitati aliorū quàm propriæ ualetudini conſulens, malū quendam gingiuarū affectū incurrit, & duobus ferè annis perpeſſus eſt, fluxionem uidelicet copioſam ex gingiuis, materiæ purulētæ, flauæ, mali odoris, modo tenacis, modo aqueæ: quæ aſsiduo defluxu gingiuas adeò eroſit, ut primorū dentium radices in totum detexerit.

Malus hic affectus haud dubie ſub eo ſymptomatis genere continetur, quod exiens mutatū dicitur: humor quippe exit unde exire non deberet, qui & colore, & odore, & ſubſtantia, & modo, alienus à naturali eſt. Sequitur hoc ſymptoma necęſſariò morbum aliquem. Videndum igitur quinam ſit is morbus. Solet enim pus uel diſrupto abſceſſu, uel uulnere nō adglutinato, uel ulcere ex fluxione corrodētis materiæ exicccato, emanare. Cū igitur nullus pręceſsiſſe abſceſſus ſcribatur, nec uulnus, niſi ante decimumoctauum annum, ex quo ſi pus genitum fuiſſet, non poterat tanto tempore latitare: ſequitur, in tertiam cauſam, hoc eſt, in materiæ defluentis erodentem uim, debere ulceris & puris ex eo manātis originē referri, ita ut ſymptoma ſit ipſius puris exitus: ulcus morbus ex quo abſq; alio medio gignitur. Verū cū ex tantillo ulcere non uideatur tanta copia pus poſſe abundare, ut cōtinua ferè emundatione (ut ſcribitur) per linteola egeat, conſiderandum undénam tanta moles redundet. Quę certe nō poteſt in aliud referri, quàm in continuum ad ea loca materiæ defluxum, atq; eorūdem malum habitum ex diuturna affectione cōtractū: qui facit ut nutrimentum non probè mutetur, ſed in ſaniem ſimul cum humore ad ea loca defluente conuertatur. Non enim crediderim ſyncerum pus eſſe quodcūq; exit, ſed miſcellam quandam puris ex ulcere geniti, nutrimenti male cōcocti, & humorum ad imbecillem locum confluētium: quod uel ex hoc cōſtare poteſt quòd ſcribitur, interdum craſſum, tenue interdum eſſe quod exit, atq; pro uictus ratione permutari. Gingiuarum enim ipſarum ratione, eiuſdem ſubſtantiæ ſemper deberet effluere. Quare non in ipſas, ſed in materiæ naturam hæc difformitas referenda, quam materiam ut à cerebro credam defluere, præter reliqua, faciunt literarū indefeſſa ſtudia, & aſsiduę huius uiri commētationes, ex quibus una atq; altera, dum hæc ſcriberem, neſcio quo pacto in manus meas inciderunt: refertum uidelicet illud omnifaria doctrina in librum Ariſto. de mūdo ſcholion, atq; nuncupatoria ad nunquam ſatis laudatum Collimitium in lib. de orbe nouo epiſtola. Ex cerebri nāq; longa atq; intempeſtiua fatigatione factū eſt, ut nec proprium nutrimentum probe concoquat, nec uapores è toto corpore ad ſe elatos ualeat reſoluere. Quibus ex cauſis ſecutum eſt, ut humiditates multę ibi aggregatæ in inferiores partes deſcendentes, pectus per aliquod tempus læſerint, ſpirandiq; difficultatē effecerint: quę tandem ſuctione illa aſsidua gingiuarū, cōfoſsionéque attractæ, ad gingiuas defluxerunt: quibus nonnihil bilis miſceri color flauus oſtēdit: ex qua, accedente etiam pituitoſæ materiæ uſtione, ulcus gingiuarum eſt genitum.

Vt igitur ex his curatiuas intentiones, ipſarúmq; ordinem colligamus, tollendum ulcus ex quo fœda illa exit materia per unionem ſolutarum partium: quæ cū uniri non poſsint, pręſente humiditate, quæ eas diſiungi ac coniungi uetat, detergenda hæc eſt & exiccanda: deinde uulnus adglutinandum. Sed cum continuò ad locum noua defluat materia, amputandus iſte defluxus. Quare danda opera, ut materia quæ defluxura eſt, ex capite euacuetur, & pariter ne noua iterum in cerebro aggregetur. Et ſi hoc in totum fieri non poteſt, aliò diuertatur. Sed quia corpore uniuerſo repleto, caput euacuari recte non poteſt: primo ab uniuerſo corpore amouenda repletio. Erunt igitur curationis tres ſcopi: Totius corporis primo, ſecundo capitis euacuatio, tertio ulceris conſolidatio. Et quia morbus cōtinuè fit, ad prohibendum ne fiat, membrum in quo materia aggregatur, roborandum, ipſáque materia ad alium locum trahenda, & gingiuis quoque ipſis occurrendum ne amplius lædantur: ut in totum etiam ſint tres præſeruationis ſcopi, capitis roboratio, retractio, & gingiuarum tutela. Vt igitur ab eo qui ultimo inuentus eſt curationis ſcopo incipiamus, totum corpus euacuare uolentes, à uenæ ſectione initium capiemus. Ineunte igitur uere & autumno, exterior cubiti uena ſecanda eſt, quam cephalicam uocant, extrahendæque ſanguinis ſex octóue unciæ. Poſt hanc ſanguinis miſsionem, hæc potio decem duodecímue diebus in aurora bibenda: Betonicæ, polypodĳ ℥. 5. myrobala. citrin. ℥. 2. bulliant in uncĳs ſex aquæ ſaluię, donec tertia pars conſumpta ſit, decoctóque addantur: Catholici ℥. 6. & uere electuarĳ Indi, autumno electuarĳ de ſucco roſa. ℥. 2. Poſt has potiones, niſi magna purgatio ſequuta fuerit, catapotia deglutienda, quæ habent: Agarici ℈. 2. rhei barbarici unum, adiecta diagridĳ ſiliqua, uel chalco, & betonicæ ſucco quantum ſat fuerit ad conformandum. Quibus catapotĳs, niſi magni æſtus id uetent, bis térue ſingulo menſe uti poterit. Purgato toto corpore, caput attracto per nares hoc liquore, expurgandum: Succi radicū betæ albæ ℥. 1. pul. nucis myriſticæ gra. 6. piperis longi grana tria. Interim tamen dum uidelicet hic liquor in nares adigitur, tuendi gratia aqua in ore contineatur, in qua plantago decocta ſit. Ex hac enim non ſolū hoc bonum conſequemur, quòd ſcilicet liquor per nares attractus, os non ingredietur, ſed pars etiam tertĳ ſcopi abſolui incipiet, qui ad ipſum ulcus ſpectat, quod exiccantib. ut diximus, eget, & detergentib. quæ facultates in plantagine coniunguntur. Verum quia præclari huius uiri tēperatura, quātū ex his quæ à SINAPIO intellexi, conĳcere ualeo, ad ſiccum uergit, craſsiórque plerunq; eſt materia quæ exit: ideo plantago ipſa ſola præſertim in aqua decocta, tam antiquum ulcus plenè exiccare non ualebit: quare non ſolum eadem in uino cocta, ſed ualentiorib. quoq; uti erit neceſſarium, quale eſt hoc: Vre alumen ſciſsile, & in uino auſtero extingue, eiq; commiſce pari pondere maſtichen, thus, cyperum: puluerêq; ex omnibus facto uel ſolo gingiuas perfrica, uel addito melle roſaceo illine. At ſi ulcus quaſi depaſcendo ſerpat, nec ſub hoc medicamento ſaneſcat, æris æruginem ad cuiuſq; aliorum pondus ſuperaddito, & abluto antea ulcere, cum aceto ſcillitico utitor. Facit ad idem & oſtreorum oſtracorum cinis, ſale ammoniaco adiecto, conſimiliter uſto: & puluis gallarum cum myrrha, & demum naturale arſenicū, quod auripigmētum officinæ uocant. Quòd ſi nec his malum ceſſerit, ad ſumma ueniendum. Lanam igitur ſpecillo circūligatam, feruenti oleo immerſam gingiuis toties admoue donec exæquentur, & partes circunſtantes albeſcant: uel oliuæ ligno in oleo chalcitidis, quod uitriolum Romanū uocant, intincto, exulcerata loca combure. Hoc enim ignea quadam ui malignitatem ulceris compeſcet, inambulationem tollet: adſtrictoria uero ulcus coaleſcere faciet, & locum firmabit. Et de curatiuis quidem intentionibus hæc dicta ſint.

Quod autem ad præſeruationē cautelámue attinet, caput magna diligentia à calore, frigore, uēto, fumo, cœlo nubilo, ſole, luna, cuſtodiendum: cauenda à cibo omnis lucubratio & meditatio, omnis demum corporis & animi exagitatio. Cibus modicus ſit, & rerum quæ facile concoquantur, & boni ſucci ſint. Vino utatur uel leui, uel cui tantum aquę admixtum ſit, ut omnis uis & acredo ab eo receſſerint. Vſus tamen melicrati cum puluere maceris conditi quandoq; conducet, ita ut inuicē modo hoc, modo uino utatur. Quicquid autem aſſumpſit, aliquo adſtringentium includatur, qualia ſunt meſpila, ſorba, pira, cotonea, uel per ſe dum recentia inueniuntur, uel ſaccharo melléue condita.

Caput ſæpe abluat lixiuio, in quo roſæ & ſaluia cocta ſit, ea portione ut æſtate roſæ, hyeme ſaluia ſuperet: medĳs temporibus utraq; ſint paria. Odoret puluerem ex ſandalis citrinis uocatis, roſisq; cōpoſitum, cui hyeme præſertim parū moſchi adĳciatur. Et his quidē præſidĳs caput roborabitur. Vt uero materia quæ aggregari in cerebro ſolet, aliò trahatur, & reuulſionibus & deriuationibus procurandū. Reuulſionem facient extremorum mēbrorum frictiones, cucurbitulæ poplitibus

dorſóq;

dorſóq; admotæ. Sed omnibus præſtabunt hirudines ſedis uenis admotæ, & ſuccus betæ per nares attractus: cuius etiam inter curatiuas intentiones meminimus. Deriuationem facient & hirudines poſt aures, temporibúſue, aut ſupra infráue nares admotæ. Roborabũtur demum gingiuæ corallis rubris, ſem. roſarum, ſandalis citr. myrob. macere, gallis, omnibus uel quibuſdam in puluerem redactis, perfrictæ. Summè uerò ad hoc faciet, ſimúlque cerebrum roborabit, & malum odorem ab ore ſubmouebit, paſtillus ore retentus, qui recipit: Roſas, ſandalos citrinos, macerem, æquis partibus, tantúmque ſacchari, quantum omnium aliorum, moſchi decimam unius partis particulam, & cum ſucco tragacanthi per roſaceam aquam eliciti, pondere duarum drachmarum conformatur.

Hæc ſunt quæ mihi præter ætatis & ualetudinis impedimenta, immenſa etiam æſtu afflicto, pro clariſsimi huius uiri ſalute occurrêre. Deus opt. max. ſuppleat id quod pauxillitas mea nõ potuit, & eximium hunc uirum protegat, cuius ſalus & uita uniuerſæ Europæ maximo eſt & uſui & ornamento. Ex Ferraria, pridie Calend. Sextiles, M. D. XXXIIII.

## EPIST. III. *Camillo Gyrlinzono philoſopho & medico* S.

SIcuti ſera gratulatio nunquam reprehendi ſolet, ita ſera conſolatio ſæpe culpari, pręſertim ubi cum philoſopho agitur, quem profeſsio ipſa facit, omnes fortunæ ſæuientis ictus æquo animo perferre, atq; eos præcipue qui ex repentino hominis obitu contingunt: quem ad hoc natum eſſe cognoſcit, ut bene uiuẽdo meliorẽ uitam acquirat, cum omni fœlicitate perpetuò duraturam: quam matri tuæ contigiſſe, candidi eius mores uita abſque noxa acta, euidentiſsime demonſtrarunt. Hac igitur prætermiſſa conſolatione, ad ea potius me conuerto, quæ à me petis. Herba quam citracum nõnulli, alij cetracum, aliqui uirgam auream uocant, ea eſt proculdubio, quæ à Dioſcor. lib. 3. aſplenon dicitur, quam à nonnullis ſcolopendrion, ab aliis ſplenion, ab aliis hemionium, ab aliis pteriga uocari dicit. Aſplenon quidem, ex eo quòd miro modo & potu & litu lienem minuit: qua ui ſplenij etiam nomen meruit, non ex foliorum figura, quæ ſit aſciolæ ſimilis, ut Marcellus putauit. Scolopendrion à uermis ſimilitudine, quem in aduerſa præcipue parte, hoc eſt, quæ lapides in quibus naſcitur ſpectat, repręſentat, lineis quibuſdam interſecta, multiplicibus illius pedibus non diſsimilibus. Dicta uero hemionion eſt à mulis, qui ea plurimum delectari dicuntur, ut Theophraſtus ſcribit: uel quòd ſterilitatem facere creditur, multis peculiarem. Pteryx quoque ideo dicta eſt, quia eius folia inciſuris adeò plena ſunt, ut pennarum auis effigiem præ ſe ferant: quod Marcellus propterea non agnouit, quia communem errorem ſequutus, ſimilitudinéque nomenclaturæ deceptus, aliam herbam de qua ſtatim poſt hanc Dioſcor. ſub hemionitidis nomine ſcribit, folio ut dracontium grandi, & propterea in totum pennæ diſsimili, eſſe aſplenon ſuſpicatus eſt, multis quidẽ indiciis motus, ſed fallacibus, utpote ea fallacia peccantibus, quam cõſequentis dialectici uocant, quæ multis in rebus homines decipit, & pręſertim in medicinali materia dignoſcenda. Ita enim argumẽtatur. Vtraq; nomen à mulis habet: utraq; nec florem, nec caulem, nec ſemen fert: utraq; in petris naſcitur: utraq; lienem minuit: ergo eadem eſt, diuerſis uocibus indicata. Poterat autem ſimilibus argumẽtis, niſi fortè euidentioribus, phyllitin eandem cum hemionitide putare. De ea enim ſcribit Dioſcorides, quòd folia habet lapatho ſimilia, cui dracontii folia, proprio de dracontio capite, fecerat ſimilia. Naſci in umbroſis locis, carere item caule, flore, & ſemine, ſicuti hemioniten, ſed & guſtu acerbo eſſe: qui ſapor ſub genere ſtyptici continetur, quem hemionitidi adſcribit. Diuerſis enim rebus ut idem nomẽ adſcribi poteſt, ita & iidem natales, & cõſimiles ſapores, & eædem uires, atq; id genus multa, quæ ad ipſam rei ſubſtantiam nõ ſpectant, poſſunt contingerę. Vt igitur res ipſas per propria indicia à me cognitas tibi aperiã, herba citracum uulgò uocata, eſt uera illa ſcolopẽdria: cuius tanta uis ab antiquis in liquando ſplene adſcripta eſt, ut aſpleni nomen meruerit. Quam rem, ut nemi nem ſua laude defraudem, ante annos ducentos cognouit Simon Genuenſis, uir ſuprà quàm ferret illa ætas, multarum linguarum peritia ſatis inſignis, & medicinæ non ignarus.

*Citracũ herbam ueram eſſe ſcolopẽdriam.*

Ea uero quæ hactenus ferè ſcolopendria credita eſt, & adhuc à multis creditur, eſt, ut ego puto, quam hemionitin uocat Dioſcorides. Et quæ phyllitis à Dioſco. teucrion à Plinio, inter rumicis genera nunc numeratur: nec ſine ratione: maiori quippe eius generi adeò ſimilis eſt, ut eadem uideri poſsit, niſi longiora folia haberet, & in ea parte quæ terram aſpicit, ueluti hærentes uermiculos oſtenderet. A tribus uero his, lichẽ uocata, licet & ipſa in petris naſcatur, & effigie & uiribus longe diuerſa ęſt, duabus tamen rebus hoc nomen attributum uideo, una tamen & communi quadam ratione, quia lichenis morbi præcipua remedia ſunt. Eſt autẽ lichen morbus à Græcis uocatus, Latinis impetigo, qui uulgò dum leuis eſt, uolatica nuncupatur. Dum leuis dico eſt, quia interdum adeò difficilis, præſertim dum faciem deturpat, ut uix elidi poſsit. Quem Romani, quoniam à mento ferè inchoabat, uel præcipue id afficiebat, Mentagram uocarunt, ab Aſia in Italiam apportatum, & ab uno homine ad alium faciliter per oſcula tranſeuntem: eo modo quo Gallicus nunc uocatus, à Gallis cum multis malis in Italiam inuectus, per concubitum propagatur, ut non inſulſe eũ Pudendagrã nonnulli uocarint. Qui tamen altas radices annis quatuor ſupra quadraginta iecit, & tam latę ſerpſit, ut extirpari uix poſſe uideatur, niſi manum ſuã ille admouerit, qui ad duo peſsima uitia compeſcẽda, oris uidelicet & pudendorum, eum primo immiſit. Huius morbi quando ab initio apparuit, tanta uiſa eſt cum antiqua illa mentagra conformitas, ut nonnulli nec contemnendi quidem medici, ſub eodem genere, hoc eſt, ſub lichenibus, utrunq; collocarint. Quæ opinio, diſſeminato iam eo, & peiora longe capita proferente, maligna uidelicet ulcera, articulorum immites dolores, difficilimas cephaleas, ardentiſsimas oculorum inflammationes, paulatim per ſeipſam concidit: peritiſq; medicis iudicatum eſt, non poſſe ad certum genus, & (ut dicunt) unicum caput, tot morborum diſcrimina redigi. Sed & dum ſolam faciem occupat, malignam quãdam totius ſanguinis infectionem coniunctam habet, quæ facit ut præſidia quæ olim habita in lichenis efficaciſsima, negligere uideatur. Quod mirum eſſe non debet legenti apud Celſum, inter quatuor quæ enumerat impetiginis genera, unum, quod curationem omnino non recipit: aliud quod in temporibus aut oritur, aut deſinit, neq; ex toto tollitur. Sed & apud Galenum quoſdam lichenes feros, & quoſdam calloſos, qui auferri, niſi excoriãtibus pharmacis nõ poſsint. Tam late enim apud etiam antiquos patuit lichenum genus, ut nonnullos ſolo ſputo auferri dixerint, aliquos cum acerrimis urẽtibúſq; medicamentis uix extirpari. Ex hac lata poteſtate defendi à calumnia Plinius poſſe uidetur, qui leues illos ſub impetiginis nomine toto uolumine comprehenderit: feros uero alios, & nouos mentagræ nomen meruiſſę ab initio lib. 26. teſtatus eſt. Vbi etiam duarum rerum meminit, quæ à peculiari curandi huius morbi ui, lichenis, ut diximus, nomen meruere: quarum una quæ uera herba eſt, nunc uulgò hepatica dicitur, alia ad muſcum eſt referenda. Ab omnibus hiſce differre uidetur ea quam tu ultimo loco ſatis pulchre pingis: quę, niſi fallor, eſt quam Græci ἀείζωον maius, nos ſemperuiuum, uel ſedum, & uulgò oricularem. Hæc habui quę tuis quæſitis reſponderem. Vale, & patri tuo uiro integerrimo, & medico celeberrimo, me plurimum commendato. Ex Ferraria, VI. Idus Auguſti, M. D. XXXIII.

## EPIST. IIII. *Ioannes Manardus Ioan. Paulo Caſtiliono* S. D. *Declarantur quædam notæ ponderum inuentæ apud Celſum.*

ALexandrum Capelinum, licet antea magna mihi familiaritate coniunctum, tua etiam cauſa benigniſsime excepi, quantúmque pro tempore ualui, ſaluti hominis conſului: uix enim duobus diebus apud nos fuit. Ex eo poteris de mea ualetudine intelligere. De Celſi uero characteribus quid ſentiam, breuiter ſubſcribam. p. pondo intelligo. χ uel * denarium, ſeptimã uidelicet (ut ipſemet ſeipſum declarat) unciæ partẽ.

Per notas quæ ſequuntur, denariorum numerum accipio.

cipio. Atque ut hæc exemplis reddantur clariora, ubi in primo malagmate libri quinti legitur, Aeruginis rasæ & thuris singulorum p. χII. intelligo accipiendos singulorum, æruginis scilicet & thuris, binos denarios. Ceræ uero & squammæ VIII. subdit enim XVIII. Sicubi uero in antiquioribus exemplaribus, iandiu uidelicet excusis, scribũtur duo chi, ut in malagmate sequente ad iecur dolens: per primum intelligo pondus denarij: per secundum, denariorum numerum, ut accipiamus lacrymæ balsami denarios duos & uiginti, & costi cum reliquis quæ sequuntur, sexdecim. Simili modo in Andreæ malagmate, ubi scribitur p. χχχ. intelligendum pondus uiginti denariorum. Idem in similibus intelligẽdum, ita tamen ut sciamus per p. non semper simpliciter pondus accipiendum, sed interdum pondo, hoc est, libram: ut in Moschi malagmate ubi scribitur p. II. ego duas libras intelligo: nisi fortè in exemplari nota desit denarij, ut scilicet sit legendum p. χII. tunc enim duos denarios intelligeremus. Vbi uero p. z. octauam partem libræ: uel si χ desit, octauam partem denarij: & pro triente, tertiam libræ partem.

Legitur & quãdoq; apud eundem Celsum, p. sextantem, ubi ego intelligo sextã libræ partẽ, binas uidelicet uncias: sicut & per bessem, octo uncias. Hæc habui, alioqui in profitendi munere occupatus, quæ de ponderibus Celsi scriberem. Si quid uero adhuc in his desideraueris, mihi per literas significato. Vale. Ex Ferraria, XII. Calend. Decembr. M. D. XXXIII.

EPIST. V. *Pro illustri.* D. *Alexio Turzo, continua destillatione laborante: ex qua præter articulorum dolores, multa mala symptomata sequuntur.*

LEgi quanta cum diligentia ualui ea quæ clarissimi illi Viennenses medici, pro salute M. T. D. scriptis mandauêre: atq; quid de illis sentirem, morem ei gesturus annotaui, æquo animo laturos illos confidens, si in aliqua re secus quàm illi sentirem, cum sæpenumero cõtingat, ut inter medicos, qui simul eundem ægrotum quotidie uisitant, uariæ discrepantésq; sententiæ, & disceptationes nascantur: quæ si non contendendi studio, sed ueritatis indagandæ gratia, & ad utilitatem ægrotantis ineuntur, debent & patienti, & amicis, atque ipsis etiammet concertantibus esse non molestæ. Ita enim & ipsi ægroto melius consulitur, & plerunque etiam medicis, qui post disputationem domum doctiores reuertuntur. Hac igitur spe animatus rem ipsam iam aggredior. Vt igitur ad uos sermo meus uertatur, medici eminentissimi, ego illustrem hunc D. (quãtum meminisse de eius temperatura possum post sextum decimum annum, quo eum ultimo Budæ uidi) calidæ & humidæ temperaturæ ab ipso ortu fuisse non ambigo. Id enim præ se ferebat uiuidus quidam color, ex albo rubróque commixtus, caróq; supra mediocritatem parum aucta, hilarísque admodum & benigna facies, nihílque demum in eo uisebatur, quod uel rufæ bilis multam redundantiam ostenderet, uel timorem ingereret, ne ad atram ætatis accessu mutaretur. Alioqui nec iecur ad tantum feruorem efferri uidebatur, ut id minaretur, præsertim cum humiditatis, non siccitatis, in uenis uniuersóque corporis habitu uestigia cernerẽtur: cuius rei etiam satis euidens argumentũ ex Galeni dictis quibus uos inniti uidemini, colligi potest. Scribit enim in libro artis medicinalis, eos qui calidioris simul & siccioris iecoris sunt, in consistendi ætate plurima atra bile abundare. Quam certe ętatem cum iam (ni fallor) attigerit, nec in eo adhuc, ut scribitis, indicia bilis illius appareant, sequitur eum ab ipso ortu sanguineum potius fuisse, quàm biliosum: præsertim cum ex indiciis quibus biliosum probatis, nonnulla possint sanguineis congruere, ut capilli subtiles, rari, subnigri, rubicunda facies, oculi, nasus, ingenium, acuti pili, thoracis amplitudo, pulsus, aptitudo ad morbos calidos, atque id genus cætera. Alia ex aduentitia quapiam causa contigisse, ut corporis gracilitas & siccitas: nam quibus temporibus à me uisus est, ut superius dixi, contraria penitus in eo demonstrabantur. Quæ uero ex appetitu sumuntur, uentriculi potius, quàm uel iecoris, uel totius corporis, nec tamen caloris, sed frigoris (si uera dicenda sunt) uidentur indicia. Naturales quidem temperaturę similibus, non cõtrariis lætantur.

Sequitur autem ex his omnibus, ut calidæ & humidæ temperaturæ simpliciter, non calidæ & siccæ dicendus sit. Quod & cum uos agnouisse uideamini, ubi de passiuis qualitatibus inquiritis, mirum est quòd ab initio, ubi de temperatura agere incipitis, biliosum simpliciter pronuncietis. Et hæc quidem de naturalibus dicta sint. Accedentes deinde ad affectus præter naturam, eos, si bene numeraui, decem inuenio.

1 Continuam destillationem materiæ tenuis & salsæ.
2 Hemicraneam dextri lateris non continuam.
3 Oculorum ruborem cum destillatione.
4 Linguæ scissuras.
5 Dolorem musculorum pectoris.
6 Angustiam cordis & pectoris.
7 Articulorum dolores.
8 Totius corporis, & præcipue partium quæ ad uentrem attinent, extenuationem.
9 Febres putridas.
10 Calidas inflammationes.

Quorum affectuũ unum tantum perpetuum esse dicitis, qui ferè & reliquorum sit causa, illam scilicet à capite in subiectas partes destillationem.

Ex his affectibus, dum eos diligenter examino, quatuor tantum sub morbi genere contineri uideo, febrem uidelicet quæ malæ temperaturæ, extenuationem quæ quantitatis deminutæ, linguæ scissuras quæ solutæ continuitatis, generibus cõtinentur: & inflammationem, quæ morbus compositus est: reliquos sub symptomate. Quare horum morbi & causæ sunt inuestigandæ, atque ex omnibus cura, uel præseruatiuæ intentiones colligendæ.

Vt igitur à destillatione incipiam, quam uos, & rectè quidem (ut puto) ferè aliorum malorum causam esse existimatis, eam ad symptoma id pertinere dico, quod exiens mutatum nuncupatur. Exit quippe à capite materia, quæ sano exire non consueuerat. Pendet hoc à materia præter naturam in capite aggregata, quæ ideo paulatim aggregatur, quia cerebrum nec propriũ alimentum probè concoquere, nec uapores ad ipsum ex inferioribus partibus subleuatos ualet resoluere. Nascitur hæc imbecillitas ex mala temperatura, quæ cum multiplex esse posit, ambigi potest qualisnam sit: quod certè dignoscere, difficile absenti, nec facile etiam præsentibus puto. Tantum enim de hac dubitare contingit, quantũ & de ipsa salsa pituita, quam nonnulli calidam, alij frigidam putant. Vtri uero sententiæ magis hærendum sit, inuidiosum est decernere: præsertim cum hæc dubitatio ab alia pendeat, de qua nõ minor est controuersia, quo pacto uidelicet pituita hæc salsa constet. Auicenna quippe, & qui eum sequuntur, ex miscella fieri putãt bilis cum pituita. Quam opinionem si sequuti fuerimus, quantum dubitare contingit de proportione duorum humorum eam componentium, tantum & de totius compositi humoris temperatura. Vincente enim bile calida, uicta frigida euadet. Sed, quod pace Auicen. dictum sit, ego fieri posse non uideo, quo pacto ex miscella bilis & pituitæ, qualiscunque ea sit, nasci sapor salsus possit, cum uideam exiguã aloës portionem multiplici aquæ commixtam, amaram eam, non salsam reddere. Viderímque etiam plerunque pituitam per uomitum ab ęgrotante eiectam, cui mixtã esse bilem, amaror in ore uomentis relictus, ostendebat: tam exigua tamen quantitate, ut oculatissimi etiam hominis uisum penitus effugeret. Quis ergo credat, ex admixtione bilis amarissimæ cum pituita, salsum saporem resultare? Satius ergo fuerit in hac re, sicuti in plerisque aliis, Galeno potius quàm Auicennæ credere, dicenti lib. 2. de differentiis febrium, hanc pituitam fieri, aut propter putredinem, aut propter salsæ serosæ humiditatis admixtionem. Quem locum quum non recte in linguam suam translatum legeret Auicenna, sed corrupte in hunc modum: Phlegma salsum fit propter ipsius putredinem, aut aquositatem quę ei admixta fuit: putauit disiungendi notam debere copulatiuè intelligi: uel, ut in codice castigato legitur, loco, *aut*, *&*, esse legendum: modestius erga Galenum se gerens quàm Gentilis, qui hunc locũ Auicennæ enarrans, non erubuit Galenum rudem appellare: propriã in hoc ruditatem apertè detegens, qua adeò laborauit, ut ueram Galeni literam, ex Græca sine alia media uenientem, & quidem clarissimam, non intellexerit, sed per salsam serosam humiditatem, salsam pituitã acceperit:

tantámq; oscitationem Galen. adscripserit, ut causam pituitæ salsæ esse diceret, salsam ipsam pituitam aquositati mixtam: non aduertens, serum humorum quintã quandam humiditatem esse, à quatuor primis humoribus diuersam: sicuti serosa lactis pars alia res est quàm caseus & butyrum, ab eáq; serosa parte, si salsa sit, dum phlegmati miscetur, ipsum salsum reddi.

Duas igitur causas, ô bone Gentilis, Galenus esse uoluit, quarum utraq; sola sufficit pituitæ salsedinẽ dare, putredinem uidelicet, quę ueluti ebullitionẽ quandã in eam faciẽs, terrestriores nonnullas partes reddit, salsuginẽ toti eius substãtię tribuentes, eo modo quo puteales quasdã aquas uidemus, ex lõga ebullitione salsum saporem acquirere. Altera causa est serosa quædã humiditas extrinsecus ei occurrens, quæ salsum saporẽ, quẽ in seipsa habet, illi impartitur. Generationes hæ salsedinis eos non latent, qui norunt ex quauis herba salẽ extrahere. Vtrouis autem horũ modorum pituita salsa sit reddita, ambigere contingit, calida an frigida sit: ab aqueis siquidem partibus, dum propriã seruãt naturã, frigus: à serosis & putredine, calorem habere uidetur. Quare nemo admiratione affici debet, si eam etiã Galenus quãdoq; calidã, quãdoq; frigidã dicit. Libro siquidem de uictu morb. acut. 4. & 2. uirtutum naturaliũ, frigidam: primo uero de simplic. medic. & tertio Aphorismorum calidã. Quæ enim maxime salsa est, quocunq; modo hoc acquisierit, calida: quæ minime, frigida, cum aliquo tamen calore censenda est. Nã in ea id cõtingit, quod & in muria, in qua si exigui sales multæ aquæ misceãtur, frigida remanet: si tot ut dura adeò fiat quòd ouum in ea supernatet, calida: & si adhuc plures addantur, calidior continuò fit, ita ut iam ad amaritudinẽ uergat. Ex superfluente enim salsedine amaritudo gignitur: non ex amaritudine salsedo. Ex maiore ergo minoréq; salsedine de temperatura eius iudicandũ est: nec solũ ex hac, sed & ex ipsa substantia & cõsistẽtia: nã quo salsior efficitur, crassior etiam euadit. Quod in dysenteria ab ea facta euidenter cognoscitur: in qua exiens pituita, ualde crassa & tenax uisitur, ut propterea difficilimam inter dysenterias 4. Aphorismorum libro eã putauerit Galenus. Prudẽtia ergo uestra qui præsentes estis, qualitas eius agnoscenda est, quam tamẽ ego in hoc clarissimo uiro non uehemẽter calere existimo, si, quemadmodum scribitis, materia quæ fluit tenuis est. In cerebro tamẽ ipso malam adesse temperaturã naturali conformem iudico, calidã uidelicet & humidã, quæ humiditatis ratione, pituitæ ipsius substantiã, calore salsedinem gignit. Quæ si uera sunt, danda in primis opera, ut mala hæc distemperies à cerebro auferatur, adseruata ea quam naturaliter adeptus est, quæ & alioqui non ualde à temperamẽto mihi distare semper est uisa. Non enim intentio nostra esse nũc debet, ad naturalem eius temperaturam in meliorẽ permutandã, sed satis nobis erit, ab omnibus malis affectibus, uel præsentibus, uel qui imminẽt, illum immunẽ reddere & seruare. Quod certe magna ex parte fecerimus, si hanc pituitæ in inferiora membra destillationẽ sustulerimus. Ad quod faciendũ maxime cõducere uidetur uenæ sectio, quæ totius corporis repletionẽ auferet, & materiam à capite partim euacuabit, partim retrahet. Vere igitur & autumno sectio uenæ facienda, tãtúmq; sanguinis extrahendũ, quantũ, cõsiderantibus quæ consideranda sunt præsentibus medicis, uidebitur opportunũ. Quæ si facta ante id tempus fuerit, quo solet materia in articulos decumbere, ad ipsos quoq; artuum dolores uel tollendos, uel minuendos cõducet. Fiet autem è uena cubiti media, ut ex superioribus æquè atq; inferioribus euacuet. Post hanc uere hæc potio octo uel decem diebus mane bibenda: Polypodii uncia una, comæ fœniculi semuncia. glycyrrhizę 3.2. turbit communis, myrob. chebularum drachma. Bulliãt in selibra aquæ donec tertia pars consumpta sit, & additis mellis rosacei binis unciis, mane, cõcocta pridiana cœna, bibatur. Ex hac potione si congrua euacuatio facta sit, alia pręterea purgatione non egebit: si non, catapotiis de agarico uocatis adhuc purgetur, quibus tertia pars aurearum adiecta sit. Autumno alia utendum, quæ recipiat: Senæ, seminis endiuiæ semunciã, rhei barbarici drachmã, comæ boraginis ℥. quæ eodẽ modo bulliant: sed loco mellis rosacei additur syrupus ex rosis recentioribus quinquies permutatis confectus, pari, hoc est, duarũ unciarũ põdere.

Toto euacuato corpore, caput quoq; ipsum euacuetur: quod duplici uia fieri potest, auersione uidelicet, & per particularẽ aliquam euacuationẽ. Et auersio quoq; dupliciter, uel scilicet ad longinqua, uel ad propinqua. Inter ea quæ ad longinqua reuellũt, nihil mihi aptius uidetur, quàm si per ora uenarum ani, hirudinibus admotis sanguis extrahatur, ea quantitate quæ præsentibus medicis uidebitur expedire. Deriuatio ad propinqua cõmodè fiet, si sanguis per nares, aut prope aures, uel ex frõte mittatur. Ad auersionem quoq; pertinent cucurbitulæ infra os latum humerorũ admotæ: frictiones, extremorum membrorũ uincula, & balnea, atq; omnia exercitationis genera, quibus quiescente, uel parum moto capite, extrema membra laborẽt: cauendo tamẽ semper ne illa fatigentur, quæ dolore affici consueuerũt. His igitur uel omnibus uel quibusdam, præsentes medici uti poterunt, non solum uere & autumno, sed aliis quoq; temporib. prout magis uidebitur conuenire. At si per hæc optatum finem non fuerint assequuti, assiduè, retractionis gratia, uel ignito ferramento, uel medicamento aliquo uim urendi habente, quorum nunc multiplex numerus, ulcus excitetur, inter duos maiores musculos exterioris humeri partis: quod dies minimum quadraginta, cicere primo, deinde ubi iam satis profundum osculum uidebitur, pilula aurea uel argentea intromissa apertum conseruetur.

*Ad auersionẽ quæ pertineant.*

Et hæc quidem de auersione dicta sint.

Particularis uero pituitæ ex capite euacuatio, per nares potius quàm per os molienda: quoniã, ut scribitur, lingua solet ulcusculis quibusdam affligi. Plura autem sunt, quibus per nares attractis, hæc euacuatio procurari potest. Sed faciliora & ferè ubiq; inuenta sunt, sampsuchi, betę, anagallidis & cyclaminis succi, quibus iridis, ellebori, & demum euphorbii puluis addi poterit, si opus esse uidebitur. Ex quibus si immodicus ardor in naribus fortè excitetur, uiolaceo oleo, uel butyro mitigetur.

*Pituita ex capite per nares euacuanda.*

Euacuata plenè materia in uniuerso corpore, sed potissimum in capite abundante, roborandũ erit caput, ne rursus eandem incurrat repletionem: quod tum per extrinsecus admota, tum per extrinsecus accepta faciẽdum est. Ex his quæ extrinsecus administrantur, aliqua caluæ, aliqua naribus, aliqua auribus instillãda. Calua, aqua ex alto guttatim supra futurarum loca cadente, abluenda est, quæ per sacculum trãsierit, quod hisce rebus semiplenum sit: Cinerũ sarmẽtorum uitis p.2. rosarum, florum chamæmeli, ana p.1. maceris, quos flores moschatos uocatis, partis unius quartam partẽ. Post ablutionem, eadẽ futurarum loca sacculo tegẽda sunt, ex tenui serico panno, quem zendalũ uocant, constructo, qui sit cocco tinctus quem granum uocant, uel eo quem carmesium. Et his rebus in crassum puluerem redactis oppletus: rosarum, sandalorum citrinorũ, maceris ana p.2. gariophyllorum p.1. misce & insperge leuiter aqua rosacea moschata. Naribus crebrò pila admoueatur, quæ habet: Pulueris rosarum, sandalorũ citrinorum, maceris, gariophyllorum, singulorũ ana semunciam: styracis, ladani, benzoi, ana 3.2. & cum aqua rosacea moschata conficiatur. Auribus oleum tepidũ instilletur, ex amygdalis expressum, quæ triduo occlusæ cum styrace, ambra & moscho permanserint.

Et per hæc quidem pessimum destillationis symptoma remouendum puto, atq; eo ablato, quæcunq; ab eo fiunt simul submouenda. Sed quia fortè adeo fixas radices habent, ut per se absq; alterius adminiculo consistere ualeant, ideo nonnihil addemus, quibus singulum eorum possit extirpari, incipiẽtes ab hemicranea: quæ cum dolor sit, ad symptoma pertinet quod actio læsa uocatur. Operatio enim tactus ita à dolore mutatur, ut id sentiat quod sentiendum non esset: quod certe in casu nostro est mala temperatura, quæ in temporis dextri uenis & arteriis per quandã communionem fit. Si enim primario affectu caput laboraret, perpetuo dolore uexaretur. Satis autem uerisimile est iecur esse, à qua mali uapores sursum eleuati, dolorem in dextro tempore cient. Quare præter reuulsiones quas suprà docuimus, non ab re fuerit cucurbitulam quandoq; hypochondrio dextro admouere: sed & iecur quoq; ipsum per succos cichorii, & absinthii, & acetum rosaceũ simul mixta roborare. Capútq; ipsum, qua parte dolet, oleo rosaceo perfundere, in quo absinthium & syluestris cucumeris radices ad colliquationem bullierint: cataplasmatéque ex eisdem rebus

ita

ita colliquatis compoſito, contegere.

Oculorum rubor, qui qualitas mutata eſt, ablutione arcendus aquæ roſaceæ, in qua ſandali citrini & myrobalanorum flauorum cortices bullierint. Linguæ ſciſſa, quæ ſolutæ continuitatis morbus ſunt, tollit lac, præcipue caninū. Amylū cū ſaccharo & aqua roſacea, formatis inde lupinorū forma cycliſcis. Dolorē muſculorū pectoris mitigabit radicū althææ ſuccus, cū recente gallinæ adipe cōmixtus. Item amygdalarū oleū cū butyro recente inūcta. Cordis & pectoris anguſtiam tollēt roris marini & buglosſi flores cū ſaccharo adſeruati, comeſti, & gariophylli ore retēti, ſenſim ſaliua deglutita.

At his quidem omnibus facile occurritur, articulorū uero doloribus difficillime, ne dicam hoc penitus fieri non poſſe. A duabus enim cauſis pendēt: ab humorum uidelicet redundantia, & naturali uel acquiſita artuum imbecillitate. Hanc remouere, præſertim ſi ab ortu ipſo naturæ contracta ſit, quis unquā poterit? Illam quis uel uelit, uel poſsit? Nam ut mittam cibos & potus, quos ſeligere, & ad certam normam ſemper redigere, in tot abuſibus, & tot gulæ irritamentis, & ſociorum inuitamentis, cōtinentiſsimus etiam uir uix poteſt. Certe infinita penè occurrunt, quæ omni etiam adhibito ſtudio non poſsis effugere, ut quæ ad aërem, motum, curas, animique affectus pertinent. Noui ego nonnullos, qui cū ſatis recte ualerent, ex ſola ira in uehementes dolores inciderunt. Quantum tamen fieri poteſt, utrique rei diligenter intendendum, ut articuli robuſtiores reddantur, & nulla cauſa occurrat, quæ humores abundare, & ad articulos moueri faciat.

Ad primā rem cōplendam Excellētiæ ueſtræ docent fieri balneū in aqua chalybeata, in qua nōnullę res bullierint. Quod certe balneū ego quoq; cōmēdo: licet (ut uerū ingenuè fatear) neſciā quid per pſidias intelligatis, cū in eodē balneo granatorū cortices apponatis, quæ apud me idem ſunt cū pſidiis. Neſcio etiā quānā ex cauſa alumē in linteo colligare iubeatis, niſi fortè ueriti ne eius ſubſtātia aquę bullienti miſceatur: cū tamen cōſtet in multis naturalibus aquis naturā alumen miſcuiſſe, quas tamē tutò homines bibūt, nedū quòd eis abluantur. Adderē igitur ego aquæ nō ſolū alumen, ſed & contritos ſales: atq; poſt balneū ſalito etiam oleo articulos perfricarem. Sed & putauerim ipſam ſolam aquam à ferrario fabro acceptam, ablutioni ſufficere; ſicuti & ad ungendum ſolum oleū ſalitum. Vt uero res altera compleatur, uictus ratio ita inſtituenda eſt, ut mali humores nunquam aggregentur, nec boni etiam redundent. Quas res Excell. ueſtræ ita diffuſe complexæ ſunt, ut ſuperfluum mihi uideatur circa id diutius immorari. Percurram igitur quæ ſcripſiſtis: & ſi quid occurrerit in quo aliter ſentiam, uel quod addendum mihi uideatur, uel id addam, uel locum ſignabo.

Quod ad aërem ergo attinet, ego modicè frigidū potius quàm calidū cōmendauerim: ſiccum etiam potius quàm humentem. Duæ enim hæ qualitates ut putrefactioni aduerſantur, ita malā huius magnifici Domini temperaturā remittere quodāmodo poſſunt & retundere. Non enim talis eſt ut cōſeruari debeat, quū ab eo omnes ferè mali affectus pendeant, quibus ſubiicitur. Laudo igitur ut locus quē habitat inter aquilonarē & occidentalē regionē reſpiciat, boreali tamē uento, præcipue dū incipit, & hyeme, euitato. Fauonij uero ſuauē auram nunquam illi obfuturam putauerim. Reliqua quæ de aëre dicuntur, à me quoque probantur.

Quod ad odores pertinet, ego, quicquid apud Arabes ſcribatur, ſandalos & ambrā in numero calidorum habendos, & ratione, & uſu didici. Quare trochiſcos illos ueſtros dimittēdos puto. Et ſi ſuffimentis opus eſt, plenæ ſunt huius generis ſeplaſiariorū tabernæ, quæ cū multis aliis malis ex Hiſpania in Italiā apportata ſunt. Si uero à Meſue recedendū non eſt, laudauerim ego potius Galliæ moſchatæ uſum, quæ facile parari poteſt, & uel per ſeipſam ſuffiri, uel roſaceæ aquæ ad inſperſionē miſceri. Ipſámq; ſolam roſaceam aquam, ſi laminæ ferreæ ignitæ inſpergatur, ſcio odoratum fumum emittere, & ſuauem, & qui deſtillationi poſsit obſiſtere.

Accedentes deinde ad cibos, concedere uidemini aues in aqua uiuentes, ſi iuuenes ſint: quum tamen mihi æquè cauendæ uideantur, niſi fortè magis quàm grandiores: ſiquidem naturali humiditati, eam quæ ex ætate fit, coniunctam habent. Prætulerim autem omnibus carnibus auiculas in dumetis degentes, & poſt eas turtures, perdices, phaſianos, turdos, merulas, columborū qui in turribus educātur pullos uolare incipientes, gallinas, capos. Sed inter quadrupedes, hœdos, uerueces, anniculos iuuencos, uitulos, capreolos, damas, cuniculos, lepores, tolerarem. Ciconiarū uero, echinorū & teſtudinum carnes, ceu proprietate quadam articulorū doloribus conuenientes non damnarem. Non placent etiam condimenta, ſi tamen condimenta dici poſſunt, quæ uos ex frigidis oleribus, præcipue etiam ſi humida ſint, fieri iubetis. Inter quæ, frigida ſcilicet, bletā miſcetis: pro qua, ſi (ut puto) commune id olus intelligitis, quod apud uos, ſicuti apud nos, crebrò ad menſas uenit, & quæ beta Latine dicitur, ea procul dubio inter calida, non inter frigida numeranda eſt: quod uel ex ea ui colligi poteſt, quæ ſi per nares hauriatur, morſu quodam ſternutamenta prouocat.

Condimenti igitur gratia ego potius paſſulas, arida pruna, ceraſia acida, ſed & macerem addiderim, qui à temperamento in actiuis qualitatibus non recedit. Sed nec croci modicū uſum formidarem, qui licet in ſecundo ordine calefacientium collocetur, concoquendi tamen uim habet & adſtringendi. De piſcibus, ego ſemiſalitos non uituperauerim, ſi non magni nec tenaces ſint: atq; præter iam dicta duo aromata, modico etiam cinnamomo condiantur. Petreos uerò maritimos omnibus præferrem, atq; poſt eos fluuiatiles ſimiliter petreos; dehinc carpiones, lucios, trottas, atq; albos illos quos in Pannonia aſſare & macere condire conſueuerunt. Ex leguminibus nullum à me probatur: ex reliquis granis, hordeum, farrem, & auenam albam laudo. Panis mihi placeret, uel cibarius, quem cibotum uocāt, uel Italus uocatus, uel ſimilagineus modico ſaccharo conditus.

Et quia de fructib. & oleribus nulla à uobis fit mentio, ideo ea ſubiiciam quæ in his duobus generibus tolerari poſſunt, à fructibus exorſus, qui etiam conferre aliquantiſper uidentur. Hi ſunt: Nuclei pinei, auellana, piſtacia, amygdala, caricæ, paſſulæ: pruna uero, melopepones, pyra, cotonea, meſpila, ſorba, non ſunt penitus reſpuenda. Ex oleribus quoq; hæc toleranda uidentur: Aſparagi, ſaluia, mentha, origanum, petroſelinum, fœniculum, anethum: ſed & lactuca, intybus, malua, ſpinacia, cum aliquo priorum commixta.

Regulas quas in potu præſcribitis, libenter ſuſcipio. Inter omnes tamen potus, ego mulſam aquam antepono: & poſt eam hyemis tempore, ex ſaluia in duplici uaſe extractam, roſaceo melle temperatam. Ceruiſiam ex hordeo tolero, ſaluiatúmq; & abſinthite uinū: uináque alia plus minúsue pro cuiuſque ui, hyeme quidem aqua ſaluiæ, æſtate aqua intybi tēperata. Si à cœna bibendum eſt, aquam hordei cum ſaccharo non laudo, ſed aquam potius ſaluiæ hyeme, æſtate intybi.

Exercitationem ego laudo moderatā: quam tamen fieri poſſe non uideo ita quietè, ut nihil moueatur, nec aliqua inde, ut iubetis, contingat in humoribus agitatio: ſed etiam ſi hoc fieri poſſet, motus ille exercitatio dici non mereretur. Sic enim eam patres noſtri definierunt, ut ſpirationem mutet. Equitare etiam ſcio podagricis alienum. Quare congruere ei magis putarem aurigationem & uectationem, earúmq; partium uehementiorem motionem, quæ uel nunquam uel minus doloribus uexatæ ſunt. Per uocem quoq; altam & ualidam, clarámq; & apertam, uel lectionem uel pronunciationem, pectus & uocalia inſtrumenta exercentur: naturalis calor augetur, & extremæ etiam partes purgantur, robuſtæque redduntur: ſed & uentriculi uitia emendātur, atq; appetitus excitatur. Sudorē nō ita abominor, ut frictionem, uectationem, uociferationémq; uetem, quæ ad eum ducant, niſi modum excedat.

Regulas quas repletioni præſcribitis, omnes probo, præter unam, de qua nunc eſt inter Italos medicos magna controuerſia, ampliorem ſcilicet ſemper eſſe debere cibum in prandio, quàm in cœna. In qua diſcordia licet adhuc meam ſententiam ſupprimam, hoc tamen unum maxime cōpertum habeo, conſuetudinem non eſſe ſubitò mutandam, meliorémq; concoctionem noctu quàm interdiu factam, non eſſe in hac diſceptatione negligendam. Mirari tamen non poſſum uos aſſerere magnificū hunc Dominū in maiori eſſe diſcrimine inanitionis quàm repletionis: præſertim cum affectus ob quos periclitatur, repletionem ferè omnes ſequantur. Sed & uoſmetipſi in regimine quod ei præſcribitis,

repletioni magis occurrere uidemini, quàm inanitioni. Iubetis enim inter reliqua ut non prandeat, quoties uel in uentriculo uel in capite grauitatem sentit. Quod quanto cũ periculo ab his qui assueuerunt, dimittatur, demonstrat Hippocrates: alioqui experiẽtia ipsa ostendit, capitis grauitatem plerunq; & cibo auferri, & ieiunio augeri. Laudauerim ego quoq; uomitum, ubi repletio in uentriculo persentiatur: & ut prandium differatur, leuiúsq; sit: ut tamen penitus dimittatur, nisi magna cogente necessitate, non probauerim. Vomitum quoq; singulo mense post crapulam, si absq; uehementi conatu fieri potest, magno usui futurum puto.

Laudo etiam ut clysmatibus, leuibúsq; quibusdam purgatoriis deiectionem moliatur, ita tamen ut per æstum pilulas caueat. Regulas quoq; somni ex Auicẽna acceptas probo: prolixitatem tantũ nõ probo, hoc est, ut ad octo nouémue horas protendatur, præsertim ubi destillatio uitãda est. Et si interdiu somno quacũq; ex causa indulgendum, uelim ut sedendo potius quàm iacendo id fiat. Parãtur apud nos cathedræ, quas imperiales uocant, quæ sunt in hunc usum maxime idoneæ.

De concubitu ego Celso & Galeno accesserim, qui frequentiam eius nõ numero adscribunt, sed tantũ interualli in eius usu adhiberi uolunt, ut neq; resolutio aliqua sentiatur, & homo ipse leuior factus uideatur, ac melius spirans.

Post uictus rationem ad alia acceditis auxilia, sectionem uidelicet uenæ, purgationẽ, alterationémq;, tam per exterius admota, quàm per intra corpus accepta: quæ omnia iuxta patriæ uestræ consuetudinẽ per ordinem digeritis. Lõgior autem fuerim, si singula uoluero discutere, & quid de illis sentiam explicare: præsertim cum de uenæ sectione, anniuersariísq; purgationibus, superius mentem meam aperuerim.

Pro particulari uero purgatione ad articulorum dolores cauendos facienda, magnã fiduciã habeo in Pauli catapotiis, quæ recipiunt, Aloës 3.6. agarici, croci 3.s. costi, spicæ nardi, schœnanthos, carpobalsami 3.1. cassiæ, id est, uocati nunc cinnamomi, scamonii 3.2. epithymi 3.3.s. hyeme succo brassicę, ęstate succo intybi cõponãtur: licet, ut suprà diximus, pilulæ, quantũ fieri potest, sint æstate fugiendæ. Dosis à granis 48. ad 96. post quas æstate selibra aquæ intybi bibatur. Laudo etiã tum ad purgandũ, tum ad roborandum, ut drachma rhei barbari quandoq; mansa deglutiatur. Myrobalani quoq; cheb. conditæ, mane comestæ, ossécq; illo interiore diu ore retento, & destillatio prohibebitur, & membra robur acquirent.

Ad mitigãdos uero in ipso insultu dolores, si, quemadmodum ego puto, à sanguine fiunt, cui nonnihil bilis, & plus pituitæ miscetur, reiterata, si oportuerit, uenæ sectione, purgatóq; per superius descripta catapotia corpore, non uehementibus localibus utendũ censeo: sed ab initio oleo rosaceo, ex acerbo oleo, & non plenè apertis rosis confecto: cui magno cogente dolore uitelli ouorum, & quandoq; etiã lac misceatur: & si intolerabilis fuerit, croco & opio. In augmento eidem rosaceo misceatur chamæmelinum, minore quidẽ primo portione, dehinc paulatim maiore, donec ad consistendi uigorem inflammatio deuenerit. Tũc enim ad purè discutienda ueniendũ, quæ tamen nunquam sint ualde potentia: sic enim uitabuntur pori, qui quãdoq; solent post ualidè dissoluentia in articulis relinqui. Ego inter olea nunquam trãscendo liliaceum, absinthiacũ, & anethinum. Inter herbas, thymum, thymbrã, & calaminthen. Inter adipes, suillum, gallinaceum, & anatinum. Et hæc de doloribus articulorum dicta sint.

Si adeò tenuis est, ut scribitis, danda erit opera enixissimè, ut per carnis augmentũ extenuatio amoueatur. Ad quod nihil magis conducere uidetur, quàm lactis asinini, si haberi apud uos posset, uel caprini potus, admixto melle, ad eũ modum quẽ 7. Methodi docet Galenus. Vsus quoq; ptisanæ excolatæ, quẽ cremorem hordei uocant, multũ conducet. Sed & hordeum ipsum cũ bonis carnibus plenè coctum, atq; balneum aquæ dulcis, secunda cõpleta concoctione, his tamen temporibus, quibus nec adsunt articulorum dolores nec expectantur: quanquam minus formidãdi hi sunt, quàm tabes, quæ ex magna illa extenuatione sequi posset: quæ tanti momenti est, ut omnem & à uobis, & à me superius scriptam superet intentionem.

De ultimis duabus affectionibus non est quod scribam, nam per ea quæ antea notata sunt, cauebuntur: & si quando fortè accesserint, oculato egebunt medico, non tantum aurito. Valete uiri optimi, & nostra hæc qualiacunq; sunt, boni consulite: nec alia ex causa scripta putate, quàm ut præclarissimi huius Domini saluti consulerem: cuius gratia ut & uos euigiletis, etiam atq; etiam rogo. Ex Ferraria. IIII. Idus Quintiles, M. D. XXXIIII.

EPIST. VI. *Ioan. Manard. Ioanni Iacobo Sauio, philosopho & medico excellentißimo, professori Bononiensi* S. D.

PLura ad te amãdum me pridem impulerũt, quòd cognomines sumus. Nam & ego anno ante hũc LXXIII. Christianæ religioni per sacram ablutionem initiatus, eodẽ quo tu, Ioãnis uidelicet Iacobi nomine, uocatus sum. Quòd patrem tuum iuuenem, iunior uidi, Dialecticẽ cum magno honore Bononiæ publicè profitentẽ, atq; inde per gradus ad eum quem tu nunc meritò tenes, summum uidelicet in eadem academia locũ euectum intellexi. Quòd me per tuas humanissimas literas ad mutuam amicitiam prouocasti, dignúmq; reputasti, qui difficilimos in medicina scrupos explanarem. Verũ magna accessio facta est, quòd Vergilium Gerardũ tecum in eadem Theorices professione concurrentem, cõtra inueteratum aliorum morem summo amore te prosequi, ex tuis postremis literis cognoui. Fuit enim hoc mihi maximo indicio, te (quod paucis admodum datũ est) sanctos mores bonis literis coniunxisse. Volebant hæc omnia, ut absq; aliqua mora tuis quæsitis responderẽ. Verum aliud ex alio negocium fecit, ut in hunc usq; diem res protracta sit. Optarim autem, ut longam hanc procrastinationem, dicendorum grauitas recompensaret. Sed cum id præstare non possim quod uellem, tu id læto animo accipies quod possum.

Primum quod à me petis, est, an odor nutriat: dicente Hippocrate, & approbante Galeno, ubi uires citissima recuperatione egent, odoribus esse reparandas. Afférsq; Petri Aponensis in hac quæstione sententiam: quæ, si bene colligo, est huiuscemodi: Odor per uaporosam exhalationem aëri commixtus, per asperámq; arteriam ad pulmones & cor delatus, atq; ab his per aortam, ad retiformẽ primo plicaturam, dehinc ad cerebrum, in hisq; focis ueluti concoctus, spiritus uerè nutrit & reparat. Quod facere nequit, quãdo primum occurrit olfactus instrumento: quia adhuc qualitas ferè nuda est & simplex, quæ, Aristotele & Galeno teste, nutrire non potest. Atq; hoc quidem modo, spiritus tantum, præcipue animales, nutriri per odores dicit: solidiores uero partes refocillari quodammodo ab eo, non nutriri.

Hæc Aponensis dicta nõ paruam mihi relinquunt dubitationem. Si enim tam longum iter, tótq; motus, circuitus, & cõcoctiones requirũtur, priusquam odor nutriat, non uideo quomodo eius nutricatio possit dici citissima, nec quomodo possit odoris uis in tot permutationibus conseruari. Quare non erit odori, sed aëri potius nutricatio hæc adscribenda, præsertim cum ita congruat aëri puro, & nulla odoris qualitate affecto, sicuti odorato: siquidem ex aëre quantumuis syncero spiritus ipsos nutriri & Hippocrates uoluit, & Galenus. Sed & experientia ipsa ostendit, mox ubi odoratæ res olfactui occurrunt, uires quæ exhaustæ erant, ad aliquem modum reparari: quod fieri non posset, si tot essent agenda, priusquam huiuscemodi fieret nutricatio. Reparari uero ex odore non solum spiritus, sed & solidiora membra, exemplo Democriti ostendi uidetur, qui nonum & centesimum annum agẽs, uitam triduo, cum solo panis odore cõseruauit: ut id dimittam, quod de Aristotele legitur in lib. de Pomo inscripto. Alioqui, si, ut Aponensis ait, solidiora membra ex odore refocillarentur solum, & non uerè nutrirentur, quo pacto posset odor uino in nutriendo comparari? per quod totũ corpus non solũ restauratur, sed impletur. Hoc enim uerbo Hippoc. utitur in aphor. in quo, ut Galen. exponit, de his loquitur qui refectione corporis egent, de quibus antea fuerat loquutus, in eo uidelicet aphor. Quę longo tẽpore extenuantur &c. in quo proculdubio de refectione loquitur, quæ ex morbo conualescentib. debetur, in quibus nõ spiritus tantum, sed singulę corporis particulę plus minusue sunt exhaustę.

*Democritũ uitam triduo panis odore prorogasse.*

Fateri

Fateri igitur oportet ex Hipp.& Gal.ſententia, uera nutricatione odores illas reficere, atq; hoc magis facere, dum ſunt naribus propinquiores, contra id quod putauit Aponenſis:tunc enim magis reſeruant naturã rei à qua deciduntur, quàm cum per longius ſpatium uagantes,multo aẽri cõmixti in multas partes diſsipantur.Falſum enim eſſe id quod ex uulturum argumento Auerrois primò,dehinc Aponenſis & recentiores multi exiſtimarunt,alibi oſtendimus, qui odorem per ſpeciem quandã ſolam,quam uocant intentionalem,nulli ſubſtantiæ innixum,ad cerebrum dicũt accedere. Nam

*Odor quid.*

odor,ut inquit Ariſtoteles,eſt fumida quædam euaporatio. Sed & Gal. effluxum quendam corporum eſſe definiuit. Quare corporeũ quid eſſe oportet,non merè ſpirituale & ſimplex, id quod per olfactum ſentitur: ut minime mirandum ſit ex eo corpora ſolidiora poſſe

*Plinius lib. 7.cap.2.*

reſtaurari, gentémq; illam Aſtomorum apud Plinium ex ſolo odore uiuere. Et hæc de prima tua dubitatione ſint dicta.

Dubitas ſecundo circa dictum Galeni in expoſitione eiuſdem aphoriſmi, aquoſa uina ſicuti aquæ ſimilem formam habent,ita & uim habere aſſerentem, & propterea lotium ciere: in quibus uerbis innuere uidetur, aquam ipſam lotium prouocare. Cuius contrarium libro tertio de uictu morborum acutorum ſcribit Hipp. aquam dicens urinam non prouocare: & ipſe Galen. qui libr. quinto de ſimplicib. medic. aſſerit medicinas urinam prouocantes calidas eſſe.

Vt hæc tollatur dubitatio, aduertere oportet, aliud eſſe apud Hippoc.& Galenum,urinam mouere,& diureticum eſſe, eo modo quo aliud eſt genus à ſpecie. Quicquid enim diureticum eſt,urinam mouet:non autem commigrat ratio, ut ſcilicet quicquid urinam mouet, diureticum dici poſsit. Ea enim quæ uerè & propriè uretica dicuntur,acria,uehementérq; calida & ſicca eſſe oportet,ut ſanguinem diſcindant,diſcernántque à craſsioribus partibus eas quæ aqueæ ſunt, tenues, ac ſeroſæ:quas renes trahentes, & à ſanguineis partibus quibus nutriuntur,excolantes, in urinam conuertunt, quæ ad ueſicam tranſmiſſa mingitur. Vis ergo hæc calidis & ſiccis medicamentis conuenit, non aquæ uinóque,uel aliis quibuſcunq; rebus aquæ ſimilibus:per quas tamen urina ideo augetur,quia eorum ſubſtantia celeriter in eam tranſmutatur: non quòd uim aliquam habeant, qua ſanguinem ab ea humiditate expurgent, quam ſecum habet in uenis cõmixtam. Hoc autem in his maxime oſtenditur,qui uitam otioſam agentes, potu tenui utuntur, hyberno præſertim tempore. Nam hi,ut Galenus in fine libri primi de naturalibus poteſtatibus ait,celeriter mingunt, & ferè tantum quantum in potu hauſerunt.

Vtrunq; horum modorum prouocandi urinam tangere uidetur Ariſtoteles prima ſectione Problematum. Primum quidem proble.41.ea quæ humida ſunt, atque aqua referta,ueſicam ſoluere dicens. Alium proble. 49. ubi ait,odorata urinam mouere, quia ſunt calida. Hæc ſunt,mi Sauie,quę imbecilles mei ingenioli uires in tuis quæſitis cognoſcere me fecerunt:in quibus uelim animum potius erga te meum,quàm res ipſas conſideres. Vale.Ex Ferraria,IIII.Nonas Septemb.M.D.XXXIIII.

# IOAN. MANARDI

## EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER XIX.

EPIST. I. *Io. Manard. D. Geryoni Sailer,medico reipub. Auguſtanæ. Corollarium addit Epiſtolæ quintæ,lib.* XIIII. *pro Luca Remo mercatore Auguſtano, immodica pituitæ copia laborante.*



TANTVM abeſt, Geryon eruditiſsime, ut temeritatis nomine,quod uerebaris, à me damneris, ut occaſio ea, quæ te ad ſcribendum impulit,non poſsit mihi,ut par eſſet, diſplicere. Naturali quidem deſiderio noſtros conatus & labores non fruſtrari,ſed ad perfectum laudabilémque finem uenire deſideramus. Quod certe ego, ſi in alio quopiam cuius ſanitati unquam conſuluerim, in hoc præclaro uiro maxime cupiebam,tum ob auditam de eo probitatem, tum ob meam in illum,qui eũ per literas mihi primò commendauit, obſeruantiam. Verum aliud quoque deſiderium mihi non minus inſitum eſt,ut bonos doctóſque uiros, etiam ſi ultra Gangem ſint, colam, uenerer,& obſeruem, atq; ubi honeſte fieri poſsit,in eorum amicitiam me inſinuem: inter quos cum te eſſe, ex his tuis literis cognouerim, non poſſum non amplecti exoſcularíque eam occaſionem, quæ te,talem uidelicet uirum, & tot numeris laudandum, mihi conciliauit. Quare ſcias uelim Manardum tam tuum factum eſſe,ut illo poſsis,tum tua,tum amicorum cauſa pro arbitrio uti: è quorum numero cum Auguſtenſem hunc de quo ſcribis ciuem eſſe cognoſcam,conabor his quæ (iam agitur annus ad plenum, ut mihi uidetur)pro eius ſalute conſulueram, nonnulla adhuc adiicere: quod certe inuita Minerua aggredior, ne, ut dicitur, actũ agere uidear. Moneri tamẽ hominẽ in primis uelim,ut propriam magis ſalutem uitámque diligat,quàm fluxam & momento labentem uoluptatem. Nunquam enim crediderim tantam in eo redundare potuiſſe,quãtam & ipſe & tu ſcribis, pituitæ molem, ſi ad præſcriptam à me uiuendi normam uictum inſtituiſſet,eſſétq; his præſidiis uſus,quæ illi mandaueram.Cùm enim humores ex comeſtis epotíſq; gignantur,creſcere illi ultra modum non poſſunt,niſi & in his à modo recedatur:quod ex omnibus humoribus maxime uerum eſt in pituita,ſiue omnem humorem frigidum & humidum pituitæ nomine ſignificemus, ſiue eam quę proprie uocatur pituita,& ſiue in uentriculo, ſiue in iecore facta. In uentriculo enim ex pituitoſis cibis remanet potius quàm gignitur: in iecore uerò non ſolum ex illis, ſed ex pane & chondro, ac multis cibis qui in bonorum numero habentur,eius generatio ſanguinis generationem antecedit. Quare ſi malis nunquam, bonis parcè uſus eſſet, haudquaquã aggregare in eius corpore tam immenſa pituitæ copia ualuiſſet.

In arcenda igitur huius humoris, quod ipſe maxime deſiderare uidetur,redundantia,hic primus ſit & præcipuus ſcopus,cui incõniuentibus oculis inuigilandum, ut neque in ciborum genere, neque in modo, neque in tempore peccetur.Secundus, ut uentriculus & iecur, è quorum imbecillitate ille humor creſcit, ad meliorem temperaturam redacti, robur acquirant, quò bonum ille ſuccum, hic ſanguinem, nec adeò pituitoſum, gignant.Sed & caput ipſum,à quo plerunque improprie dicta deſtillat pituita,eſt pariter roborandum. Tertius, ut ſi fieri non poterit quò minus creſcat, congruis præſidiis ita coërceatur, ut uel in bonum ſanguinem conuertatur,uel à corpore extrahatur.

Vt igitur à ciborum generibus incipiam, triplici tabella cibos potúſque ſubſcribam, bonos, mediocres, malos, ſeorſum quoslibet: ut ſcilicet bonis aſsiduè utatur, malos ſemper fugiat, mediocres quandoque deguſtet potius,quàm ingurgitet.

BONA.

PANIS non uſquequaque ſimilagineus, ſed cui aliquid utriculorum inſit,hoc eſt, eius partis quæ inter furfur & ſimilaginem, & ſpecie & gratia media eſt, ſítque modice & fermentatus,& ſalitus, & in clibano coctus,& fœniculi ſemine conditus, nec uetuſtus, nec nimis recens.

POTVS. Vel ſubauſterum uinum, tenuéque & flauum:aut ex eodem uino & petroſelino concinnatum, mulſum,uel abſinthites, uel melicratum,ut alia epiſtola ſcripſimus,cinnamomo & aſſo pane conditus.

CARO. Auicularum, perdicum, phaſianorum, columborum iuuenum qui in turribus nutriuntur, turdorum,merularum, pullorum cohortalium, hœdi, uituli,ueruecis.

OVORVM uitellus tremulorum uel ſorbilium, & gallinarum,uel phaſianorum.

PISCES ſaxatiles,trottæ.

IVRA. Ius album Galeni ex anetho, porro, ſale, oleóque confectum.Nigrum ueſtrum ex pipere,gariophyllis & croco,ptiſana,& far Galeni more parata, uel cum pipere.

FRVCTVS. Piſtacia,nuclei pinei,paſſulæ,oliuæ.

OLERA. Anethum, mentha, petroſelinum, ſaluia, origanum, thymus,ſatureia,cappares.

CONDITA. Zingiber,nuces,cortices citri,chebula

myrob.belirica,cotonea aromatibus odorata,perſica, armeniaca,agallochon,nux myriſtica.

MEDIOCRIA.

PANIS communis,panis ſimilagineus,panis autopyros,cum ouis & ſaccharo confectus,panes in furno cocti,amylum.

POTVS. Vinum dulce,uinum inſipidum, commune melicratum,& quod medonem uocatis.

CARO Leporina,cuniculi,ſuis in ſyluis nutriti,anniculi bouis,columbi domeſtici.

OVA quæ ſuffocata uocantur,ſed mollia.

PISCES quos ab aſſatura nominatis porculos,parui uidelicet,ſturiones,lucii.

IVRA. Ius cicerum cum pipere, & braſsicæ ſemicoctæ.

FRVCTVS. Nuces regales,melopepones, caricæ, pyra,cotonea,auellanæ, amygdala, ceraſia auſtera,armeniaca,auſteræ palmulæ,pruna ſicca,citri cortex.

OLERA. Lactucæ,beta,cari radix,radicula,porri,cepæ,allia bis térue cocta.

MALA.

PANIS azymus calidus,non bene coctus,ſubcinericius. Milium,panicum,legumina uniuerſa,oryza.

POTVS. Vinum nouum,craſſum,nigrum,turbidũ, ceruiſia acris,ex pomis.

CARO ouis, agni,tauri,uaccæ, auium aquaticarũ, pauonis,gruis,anſeris,anatis,caſeus, operáq; piſtoria cum eo parata,ut torta uocata,& id genus reliqua,cerebrum,pulmo.

OVA quæ non ſunt gallinæ uel phaſiani,quæ dura, quæ frixa.

PISCES lacuſtres, cetodes cuiuſcunq; aquæ,cammari,oſtreæ demum,teſtacea uidelicet pelle obducta.

IVRA. more ueſtro cum caſeo paratum,raparum.

FRVCTVS. Cucumeres,cucurbitæ,mala, caſtaneę, perſica,ceraſia dulcia,mora,fraga.

OLERA. Portulaca, fungi,blitũ,atriplex, ocimum, rapa. Et de generibus quidem hæc ſint dicta.

Modus uero in bonis quoq; talis eſſe debet,ut nunquam ad ſatietatem uentriculus oppleatur,nec plus ſumatur quàm concoqui commode poſsit. Erit quidem ab initio difficile hoc ad amuſsim metiri,ſed experientia ipſa progreſſu temporis optime edocebit,ſi quotidie uidelicet paulatim quid dematur:ut ſi decẽ(exempli cauſa)libras inter cibum & potum ſingulo quoq; die ingerere conſueuerat,ſelibram quotidie demat,donec ad eum modum uentum ſit,quo nullo pacto grauetur uentriculus. Cauendo etiam ſemper,ut pro cibi portione potus quoq; minuatur. Si quid uero peccatũ aliquando fuerit,per ſequentis diei parſimoniã,uel totalem inediam caſtigetur. Et quia multum obeſt,etiam ſi modus ſeruetur,eſcarum uarietas,bene ſibi conſulet egregius hic uir,ſi una tantũ eſca erit contentus,ita ut mane quidem iurulenta, ueſperi edat aſſata. Tẽpus uero,quod erat tertio loco dicendum,tantum inter priorem & ſequentem cibationem cadat,ut non ſolũ prior cibus concoctus ſit,ſed & ſi qua pituita,uel in uentriculo genita,uel ad eum ab aliis membris trãſmiſſa,uel etiam in uenis redundet,uel concoquatur,uel coërceatur. Genera igitur & modus & tempus ita ſeruanda ſunt,atq; hoc pacto primus ſcopus abſoluendus.

Secundum aggredientes,dabimus operam ut uentriculi temperatura præternaturalis corrigatur. Naturalem enim mutare hac ætate,qua etiam in his qui bilioſi natura ſunt,ſolet creſcere pituita,aut impoſsibile eſt, aut certe non facile. Soli ergo nunc præter naturam frigiditati & humiditati intendendum,tum per ſumpta, tum per extrinſecus admota. Ex epotis tria ſummopere placent ſimplicia, & totidem compoſita. Simplicia ſunt,longum piper,gariophylli,& uocata galanga. Cõpoſita,Diacalaminthes,dioſpoliticõ,dia trion pipereõ.

Sint autem ſimplicia quidem illa non adulterata,nec præ uetuſtate carioſa. Compoſita uero, Galeni more, non uulgari,parata.

Accipi autem uolo in diacalaminthe id genus,quod nunc uulgò nepitam,uoce parum ab antiqua Romana deflexa,& nonnulli cattarum herbam uocant. Inueniendum quoq; uerum petroſelinum,quod ſcilicet in Macedonia gignitur, in monte Eſtreatico uocato,uerúmq; ligyſticum. Nam quod apud Pannones leuiſticum uocant,longe abeſt à uero. In dioſpolitico quoq; recipi debet uerum nitrum, naturale uidelicet, non quod ad tormenta nunc artificio quodam parant: ſitq; æquali reliquis, hoc eſt,cumino, piperi,& rutæ proportione,dum aluum per eum duci uolumus,ſubduplum,dum id non deſideramus. Nolim tamen horum eſſe aſsiduum uſum,ſed per certa interualla,præſertim æſtate, ne uidelicet ſiccitati, quæ & ex ætate quotidie creſcit, plus nimio adderemus. Tuæ autem prudentiæ fuerit, uſum horum modo imperare,modo interdicere, modo etiam cum roſaceo, uiolaceo, uel bugloſſaceo ſaccharo illorum uehementiam obtundere.

Sunt quidem hæc ab antiquis quaſi per manus nobis tradita remedia. Recentiores uerò(nam neq; ipſi fraudandi ſuo honore ſunt)nouam inuenerunt conficiendorum medicaminum uiam,quæ in morbis à frigida cauſa factis,longe ſunt aliis præſtantiora: quam non ab re,nec infeliciter,deſtillationem appellarũt. Exhalare ui ignis cogunt tenuiores,& ueluti ſpirituoſas medicamentorum partes,non ſecus ac ſolis ui à terra & aqua uapores & exhalationes in ſublime tolluntur, quæ frigiditate poſtea aëris denſiores factæ,in inferiora deſcendũt:& ſicut in uniuerſo pluuia deorſum guttatim ſtillat,ita uapores illi à medicaminibus reſoluti,in uaſis ſuperioribus partibus addenſati,deorſum feruntur,& per roſtrum uaſis exeuntes,à ſolerti artifice colliguntur,non minori uſui futuri medicis,quàm ipſa pluuia agricultoribus. Sicuti igitur antiquiores medici atq; philoſophi,hominem paruum mundum uocantes,deſcenſum materiæ in cerebro aggregatæ,quando in inferiora inſtar pluuiæ tendit deſtillationem uocarunt,ita & chymici operam hanc ſuam deſtillationem nominarunt,per quam precioſiſsimos liquores colligunt,mortalibus maxime utiles. Quibus ego à multis annis citra uſus,in diuturnis morbis & ferè deſperatis inueni efficaciſsimos:è quorũ numero unum hoc ſcribam,quòd in conſumenda pituita in uentriculo redundante,roborandóq; eo ne amplius eam tãta copia gignat,iudico efficaciſsimum: Maſtiches, rhei barbarici, gariophyllorum,chebularum cõditarum,ana unciam unam,madeant in lib. duabus uini antiqui odorati per tres dies:dehinc omnibus ſimul in uitreum uas poſitis, ſecundum cõſuetum modum fiat deſtillatio,liquórq; exiens in bene obturato uitreo uaſe adſeruetur,atq; ex eo duæ drachmæ,uel quod maximum ſit,quatuor,& ieiuno dentur,& potum etiam trium horarum ieiunium ſequatur:atq; hoc quidẽ per hyemem,per æſtatem uero ſatis erit drachmam cum ſemuncia aquæ roſaceæ ſorbuiſſe.

Extrorſum oleo uentriculus foueatur, quod ſit ad hunc modum paratum: Olei omphacini libram I. uini Cretenſis lib. s. xylobalſami, cinnamomi,cyperi,ſchœnianthos,radicis ſpicæ nardi,iridis,ana ℥. s. triduo in bene obturato uaſculo adſeruentur,quarto die claro,& leni igne in uaſe duplici tandiu bulliant,quoad uinum penitus conſumptum ſit,oleóq;,amotis ſpeciebus,maſtiches chiæ ſubquadrupla portio liquefiat. Poterit etiã ex eiſdẽ ſpeciebus,maſtichéq; & terebinthi reſina hærens emplaſtrum confici,ad formam eorum quæ nunc cerota uocant,quod ſupra corium extentum uentriculi regioni tandiu hæreat,quoad arefactum per ſe cõcidat:quod iterum tertióq; ac pluries,ſi opus fuerit,renouatum,uentriculo magnũ robur adiiciet. Scio ego nonnullos qui imbecilliſsimo erant uentriculo,per huiuſcemodi emplaſtrorũ uſum maxime adiutos. Et hactenus quidem de uentriculo.

Iecoris medicamina ferè eiuſdem generis eſſe his debent,quæ in uentriculo attulimus,uerum aliquãtiſper mitiora,hoc eſt,minus calida & ſicca,tum ne ſalſedo pituitæ addatur,quam quandoq; apparuiſſe Excellentia tua mihi ſignificauit,tum etiam ne bilis creſcat,quę in articulorum doloribus ab initio admixta,maiores dolores ſolet efficere. Verendum præterea ne eo plus quàm par eſſet calefacto,febris contingat. Quare quotieſcunque colore faciei,lotio, uel alio quouis indicio impenſius calefactum eſſe iecur cognitum fuerit, per aliud medicamentum,quod modicè refrigeret,erit occurrendum, qualia potiſsimum ſunt omnia ſeridis ſiue intyborum genera,quibus & epotis & admotis, iecur ſimul & modicè refrigeſcet,& roborabitur,nec uentriculus lædetur. Multum uero conducet,ſi chamæpitys,quę iua uocatur,ſecum maiori minorúe portione miſceatur: hæc enim herba non ſolum iecur iuuabit,

bit, ſed multum etiam conducet ad articulorum dolores præcauendos.

Eupatorij uero in iecore iuuando tanta uis eſt, ut nõnulli nõ eupatorium, ſed hepatorium eam uocauerint: pro quo eam nunc accipimus herbam, quæ apud nos uocatur agrimonia, cuius ego magnificum uſum in iecore iuuando ſæpenumero expertus ſum. Non parum quoq; & iecori & uentriculo conducit, quæ fumaria, & à Græcis capnion, uulgò fumus terræ nuncupatur: ſicuti & rubia, quæ erythrodanum, & anagallis, præcipue quæ purpureum florem gerit.

Extrorſum uti poterit eodem quo & in uentriculo unguento, cuius ſi nimium calorẽ ueriti fuerimus, oleo roſaceo, in quo intybi uel flores, uel folia, uel radices bullierint, eius calorem mitigabimus. Et ad iecur roborandum hæc ſufficiant.

Caput uero his præſidijs iuuandum, quæ alia epiſtola ſcripta ſunt: nec uerenda ea quę priuatim à capite materiam educunt, ſi poſt totius corporis purgationem, ut dictum eſt, adhibeantur. Integrum enim ſemper erit, quoties plus trahere ad caput, quàm euacuare uidebũtur, purgationem totius corporis repetere. Sed & ante eorum uſum clyſmate uel balano prius materiã deorſum reuocare: uſum enim alterius horum, etiam quotidianum, multum profecturum iudico. Adhibenda etiã extrorſum capiti quæ meatus aperiẽdo materiam euocent, ſimúlque uel poſt ea, illa quæ roborent, qualia etiã à nobis alia epiſtola deſcripta ſunt. Nec ab re fuerit, ut ſemper prope nares odorata aliqua habeat, qualia ſunt ſampſuchus, citri cortices, ladanum, ſtyrax, roſę, macer: poteſtque ex omnibus, uel aliquot eorum afformari pila, tantillo etiam moſchi, uel ambræ addito, quod in roſacea aqua reſoluatur, qua pila aptius conficietur.

Hæc ſunt quæ corollarij uice ſuperiori epiſtolæ adnectenda occurrere, quibus ultimam manum hoc die appoſui, quo nouum annum auſpicamur: quẽ adeò fauſtum & felicem huic præclaro uiro auguror, ut quaſi Phœnix recuperata ſanitate, Neſtoreos annos uiuat incolumis. Quod certe futurum non ambigo, modo iuſſis noſtris, per Excellentiam tuam præſertim moderatis, ſtare uoluerit. Cuius prudentiæ & iudicio, & hęc, & quæ alia epiſtola ſcripſimus uniuerſa, ſubmittimus. Vale uir optime. Ex Ferraria, Calend. Ianua. anno ſalutis noſtræ M. D. XXXV.

### EPIST. II. *Ioannes Manard. Petro Carnicer, ſereniſſimi Romanorum regis medico digniſſimo* S. P. D.

*Examinatur primo an ſonitus auris, & deminutus auditus, ligno Indico curari poſſint. Deinde, an uinum dilutum magis caput tentet quàm purum. Modus præterea eliciendi aquam ex herbis docetur, quæ odorem ſaporémque earum conſeruet. Item de abſinthij uirtute: & an uinum nouum & muſtum urinam prouocet: anque utile ſit os eo colluere, adiecto corallorum & maſtiches puluere. Tandem de uſu Mithridatis.*

NOn poſſum non admirari ſimul & dolere, quòd adhibitis omnibus præſidijs quæ aliàs ſcripſerã, ſuperadditiſq; ut ſcribis nonnullis, eiſdem adhuc ſymptomatis, ſonitus uidelicet auris, & deminuti auditus, affligaris. Altius enim fixiſſe radices morbus uidetur, qui tot, támq; ualidis machinis non deijcitur. Quare neceſſarium eſt maioribus manum admouere: inter quæ lignum ex India noſtris temporibus apportari cœptum à multis reponatur, uim eius in peſſimo, qui noſtris etiam temporibus mortales inuadere occepit, morbo Gallico uocato expertis, non ab re dubitas an poſſit in tuis quoq; caſibus conuenire, meámq; in hoc quæris ſententiam, quam tibi breuibus, quantum potero, uerbis abſoluam. Ego dum illius ligni odorem ſaporémq; conſidero, necnon effectus qui ipſius decocto ebibito, in corpore aperte ſequuntur, intueor, nihil in eo inuenio per quod credi debeat, maiorem habiturum uim in tuis ſymptomatibus amouendis, quàm ea medicamina quæ iam te expertum ſcribis, & alia id genus quæ in huiuſcemodi capitis affectibus à medicis commendãtur. Neq; enim pipere, gariophyllis, myriſtica nuce, ſed nec ſerpyllo, ſampſucho, nepita, odoratius. Non etiam ſapore acriore quàm illa perſentitur. Quòd ſi quis ad occultas uires, cõmune medicorum aſylum confugiat, non potentius inueniet quàm ſcammoniũ, colocynthin, & utrunq; ueratrum, quæ in euacuandis à toto corpore humoribus ſunt efficaciſſima: cum lignum hoc cõſueto more ebibitum, paucis admodum uentrem, & his quidem leniter ſubducat, non uomitũ prouocet, non lotium multum, aut ſudorem eliciat: nec uerisimile etiam ſit, ut in occulta facienda, quam uocãt, diſflatione, maioris, quàm noſtratia medicamẽta à medicis in ea re commendata, ſit efficaciæ. Diceret ſtatim quiſpiam: Si quę ſcribis uera ſunt, undénam fit ut peſſima ulcera, & artuum uehementiſſimi dolores, quę per conſueta medicamina ſanari non poterant, per huius potum ſint ad ſanitatem perfecte redacta? dicere poſſum cũ multis, beneficia hęc non tam uiribus ligni proprijs, quàm ex parciſſimo uictu quo quadraginta diebus utuntur, atq; pręeũtibus potũ eius purgationibus, cõtingere. Sed ut demus, adſtrictoria & modicè exiccãte eius ui fieri, ut ulceribus ſanandis conducat, atq; calore tenuitatéq; partium, ut craſſiores humores artus obſidentes attenuet, & per ſudorem urinámq; ducat: non propterea ſequitur quòd flatus uaporoſos, uel uapores flatuoſos, per cerebri meatus, arterias, uenas ac neruos delatos, diſcutere magis ualeat quàm cepe, ſulphur, nitrum, atq; id genus plurima intra aurium meatus iniecta, uel extrinſecus ſuturis caluæ admota. Nec hæc dixerim, quaſi honorem tam ſancti ligni eleuaturus, ſed antiquioribus medicinis patrocinaturus, quas putem tenui adeò uictu utentibus, quali ligni potores utuntur, non minus, niſi fortè maius emolumenti allaturas. Sanaui ego non ſemel, Deo iuuante, fiſtulas, malignioráque alia ulcera, ſolis potionibus ex noſtratibus herbis cõcinnatis, nullo ſuper dato ulceri medicamine, præter ſola braſſicæ folia. Sicuti dolores quoque articulorum inueteratos, crebris tantum purgationibus, & quarundam herbarum decocto potui dato, parum tamen mutato uictu quo ſani utuntur. Quæ auxilia ſi quis tenui illi uictui coniunxerit, fortè non minus cum his proficiet, quàm cum ligni illius iure. Quicquid uero in hac re ſtatuatur, non uideo potum eius, præcedentibus & comitantibus congruis purgationibus, atq; tenui uictu, poſſe affectibus tuis obeſſe, ſed iuuaturũ potius confido & ſpero. Et hæc de ligno Indico ſatis ſupérque ſint dicta, iam ad abſoluenda reliqua quæ petis accingamur.

Inter ea primo occurrit quæſtio de uino, de quo duo quæris: unum, an cerebro tuo magis conducat merum, quàm dilutum: alterum, quod à primo pendet, uel potius primum ab eo, an dilutum magis caput tentet inebriétque, quàm purum. Vt igitur à ſecundo incipiã, in primis aduertendum, diluendi uini uſum ante Homeri tempora docuiſſe Staphilum, fuiſſéq; adeò communem, ut Græci ab ipſa mixtione, uinum craſin uocarint. Varius tamen fuit miſcendi modus, ueluti celebre illud carmen oſtendit, à quibuſdam in Latinam linguam ſic trãſlatum: Aut quinque bibe, aut treis, aut ne quatuor. Cuius ſenſus ſecũdum aliquos eſt, aut in duas uini partes quinque aquæ addendas, aut uni tres, non autem quatuor, quia hæc mixtio & uoluptatem uino adimat, & ſalubritatem. Quam tamen putarim Galenũ tunc tranſgreſſum, cum uinum ægroto propinanti, alius qui fortè aderat medicus, ridendo dixit, Vinum hic uidet, non bibit. Plutarchus alio modo id carmen interpretatur, ut ſcilicet tres in eo tangãtur mixtionis modi, tribus muſicalibus conſonantijs ſimiles, hemiola uidelicet in primo, tribus aquæ partibus addendo duas uini: tunc enim aqua ad uinum proportionem ſeſquialteram habebit. In ſecundo diapaſon, uni uini parti duas addendo aquæ. In tertio, ex tribus aquæ partibus & una uini, eam conſonantiam naſci, quam diateſſaron uocant. Quæ licet in carmine reprobetur, Heſiodo tamen placuit, atque nonnullis qui eam congruere Dialecticis diſputaturis dicunt, atque his qui iuri dicundo præſunt. Nemo igitur ambiget, tantũ aquæ uino miſceri poſſe, ut ab eo auferat omnem qualitatẽ, quæ caput tentare ſolet, uel ebrietatem afferre: ſicuti & tam exiguum, ut ſua tenuitate faciat uinum magis ſubeũdo & penetrando, caput impenſius lædere: quod uinũ Ariſto. in problematibus, ἀκρατέστερον dixit: & Theodorus, modo dilutiuſculum, modo meracius uertit. Inuenio & aliam mixtionem apud antiquos, quam etiam Hippoc. tangit in Aphoriſ. ubi ait, uinum æquale æquali epotũ, ſanare anxietudinem, oſcitationem & horrorem, uino

uidelicet calore ſuo humiditates, quas uel uentriculi tunicæ imbibũt, uel muſculi continent, uel per cutẽ feruntur, diſſoluente ac ſeparante: aqua uero pellente & euacuante, & præter hoc uini immoderatas uires coërcente, niſi extremè potẽtes exiſtant: quæ tamẽ, utrouis modo carmine intellecto, etiã ſi uinũ generoſiſsimũ ſit, quale nunc Creticũ maluaſiũ, quaſi monobaſites uocatum, ita reprimentur, ut uix inuenias hominem qui ex modico eius potu ebrietatẽ incurrat. At ſi quis ordinẽ miſtionis uerterit, ad quem modum excellens quidam Germanus intellexiſſe prouerbiũ uidetur, ut ſcilicet maior modus in uino, minor in aqua intelligatur, ac quinque uini partibus aquæ duæ adiiciantur, uel tribus aut quatuor una: dilutũ hoc pacto Creticũ uinũ magis inebriare putauerim, quàm merũ, multóq; magis, ſi maiore adhuc proportione quàm quincupla, uinũ aquã ſuperauerit. Verum cũ non pauciora, quàm mixtionum quæ in uſu ſunt, uinorũ ſint genera, atq; inter ea infima quædam inueniantur, parũ ab aquæ omphaciiq; natura recedentia, propterea nulla certa dari poteſt mixtionis regula, ſed ita quiſq; longo uſu edoctus, metiri ſibi modum aquæ debet, ut uini & aquæ nocumenta deuitet, & emolumentis fruatur. Ego autẽ, ut iam aliam partem tuæ petitionis abſoluam, putarim mixtionem illã quam Hippoc. in anxietudine, horrore, & oſcitatione commendauit, ſi uinũ inter Viennentia non primæ notæ ſit, tuis affectibus magno uſui futuram. Meam hanc de uinis longiorem diſputationem ſcio excuſabis, ſi ætatem & Galenicam doctrinam, quam potiſsimum ſequor, cõſideraueris: cogitaueriſq; præterea, me eo tẽpore hæc ſcripſiſſe, quo ſolent noſtri fœcundiores calices abſque omni mixtione ingurgitare, eo uidelicet Martis die, quem quadrageſimale ſequitur ieiunium, à ſanctis patribus ad retundenda concupiſcibilis animi noſtri partis irritamenta inſtitutum.

*Eraſ. in Chiliad. prouer. Aut quinq; bibe &c.*

Quæris præterea, ut te doceam modũ eliciendi aquã ex abſinthio, quę propriũ odorem ſaporémq; reſeruet: in qua re ego longo tẽpore ideo laboraui, quòd ſciebã medicinarũ uires ordinem quendam inter ſeſe habere, adeò ut ſecundę ſine primis non poſſent conſiſtere, nec tertiæ abſq; ſecundis: & cũ ex qualitatibus ſequantur operationes, nõ poſſe ipſas conſiſtere ſublatis qualitatibus. Quare à primis qualitatibus uidebã omnes naſci operationes, præter illas quas à tota ſubſtantia fieri dicimus, quæ ſolo uſu experientiáq; diſcuntur. Qualitates autem primæ licet uia quadam regia & certo tactu dignoſcantur, plurimũ tamen ad eorũ notitiam cõferre didiceram ſapores, atq; poſt eos odores: itaq; cũ illis connecti, ut his mutatis, mutari etiam primas qualitates, atque ut ſequens eſt, ſecundas & tertias, eſſet neceſſarium. Cum igitur in multis aquis per chymicam artẽ ab herbis extractis, uiderem ſapores diſsimiles, quandoque etiam contrarios, non poteram credere, uires & operationes in ipſis remanere, quæ erant in toto compoſito: eas uero præcipue mutari, quę per ſapores & odores, & contingebant, & agnoſcebantur. Atq; ut ſtemus in abſinthio, cum in ipſa herba tres agnoſcerem ſapores, acrem uidelicet, adſtringentem, & amarum: in aqua uero eius leuem tantũ, ac ueluti fatuam dulcedinem: cogebar credere, ſimul cum tribus illis ſaporibus uires quæ per illos uel conſtabant, uel indicabantur, in uaſis fundo ſimul cũ fæculenta parte remanſiſſe. Vnde cœpi laborare, atq; amicos qui in arte chymica diutius uerſati fuerant conſulere, an aliquo ingenio fieri poſſet, ut ſimul cum aquis ipſis, ſapores & odores rerum elicerentur. Cum uero multos modos tentaſſem, duos tandem inueni, per quos id quod quærebam facile ſequebatur: qui modi accepti à duobus illis ſunt, quorũ communis ubiq; eſt conſuetudo. Vel enim per calefactam & ueluti ignitam fornaculam, fundo uaſis inflammato, cogunt uapores ſuſtolli: uel per aquam in maiori uaſe ebullientem, & ipſum uaſis fundum contingentem: quem modum licet Galenus agnouerit, neſciuit tamen ad hunc uſum applicare, contentus olea, unguenta, & quandoq; potiones duplici illo uaſe præparare. Vterq; autem horum modorum in hoc cõuenit, quòd nimia caloris uiolentia, eas tantum partes rei aſcendere cogit, quæ ad aſcendẽdum ſunt magis idoneæ, quales ſunt aqueæ & aëreæ. Sed his ob immodicum aſsiduúmq; calorem euaneſcentibus, ſolæ aqueæ per roſtrum uaſis deſcẽdẽtes colliguntur. Segregationis itaq; huius aqueæ partis ab aliis cauſam eſſe cognoſcens caloris uehementiam, quæ per utrunq; modum cõtingebat, dedi operam ut nec ipſa fornax ignita in primo modo, nec ebulliens aqua in ſecundo, fundum uaſis attingeret, conſtructo oblongo inſtar uacuæ columnæ alio uaſe, cuius ima pars fornacem uel aquam bullientem attingeret, ſuprema uas in quo ponuntur herbæ reciperet, ita omnibus rimis obturatis, ut nõ eſſet trãſpirationi locus: ſic enim fieri putabam, ut mitiaëris calore, per columnare uas ſuperius delato, aquam elicerem, quæ omnium partium uires aliquo pacto in ſe colligeret. Elegi autem modum illum qui per aquæ uapores fit, quos humiditate illa uaporoſa mitius agere putabã, & quo in Germania ante aliquot annos, nonnullos uſos intelligebam: quæ res cum ex uoto ſuccesſiſſet, aliam aggredi non curaui. Scio tamen aliquos id tentaſſe, & pariter quod deſiderabant aſſecutos, fabricata ampla fornace, quæ plura in ſe uaſa poſſet accipere.

Habes igitur id quod ſecundo loco petebas, ex quibus non difficile erit ſoluere alia quæ circa abſinthium tibi occurrerunt dubitanda. Adſtrictoriam enim uim, quæ in eo plurima eſt, habet abſinthiũ, ut uentriculum roboret: quam uim cũ & uino & aquæ in qua maduerit, uel bullierit attribuat, non eſt mirũ, ſi & hæc idẽ facere poſſunt: atq; è contrario nemo mirari debet, ſi id nõ poteſt ſuccus, à quo terreæ partes, in quibus adſtrictoria uis ſita eſt, ſeparatæ ſunt, amaritudine quaſi ſola in ſucco remanẽte, uentriculo infeſta. Ex hoc autẽ fundamento poteſt Auicenna defendi, ſi, quemadmodum aliis quoq; in locis ſuæ medicinæ, per ſuccum aquã intellexit, in qua coma eius maduerit: quod certe uel ex eo conſtare poteſt, quòd inferius ſuccum eſſe malum ſtomacho affirmauit. Nõ enim adeò cęcus putãdus eſt, ut in paucis uerbis repugnantia ſcripſerit, præſertim cũ uideamus apud Dioſc. quem ipſe in eo loco eſt ſequutus, utrunque legi. Cum enim laudaſſet ipſum in doloribus uentriculi, & inappetentia, in fine capitis ſuccum malum eſſe ſtomacho ait, & capitis dolorem facere. Quę autem de decocto, atque aqua in qua maduerit dicta ſunt, de ſyrupo quoq; ſunt intelligenda, qui ex eiſdẽ paratur. Præſtat tamen ſyrupus in hoc, quòd pituitam in ſtomacho nutrientibus non aduerſatur: quod ſola illa faciunt, quæ adſtringendi ui eam inibi affigunt, & quaſi adglutinant, quam ſyrupus detergendi ui à melle acquiſita, à tunicarum adeſu ſubmouet. Carere etiam abſinthites uinum ea noxa credi debet, præſertim ſi ex aliquo uino paretur, quod adſtringendi ui uel penitus careat, uel eam habeat perexiguam, qualia ſunt in Pannonia, Sirmica, cum magno Chriſtianorum dedecore à Turcis occupata. Ex quibus uinum paratum, tantũ abeſt ut pituitam aceruatam in uentriculo habẽtes lædat, ut magnopere iuuet, quod ego in ſexcentis expertus ſum. Mea igitur de abſinthio ſententia hæc eſt, ipſum totum quomodolibet epotum, uentriculum roborare, bilem per uentrem & urinam prouocare, non habere tamen tantam uim ut pituitam uentriculo hærentem, uel etiam eidem innatantem, abſq; alterius rei adminiculo ualeat expurgare, ſed contrà potius ineptiorem reddit euacuationi. Mixtum uero melli, aut uino, aut utriq;, hoc eſt, mulſo, adepta detergẽdi ui, pituitoſos quoq; iuuare. Succum, ceu adempta ab eo adſtringendi facultate, ſtomachum primò, dehinc communicata etiam capiti noxa, caput lædere.

Quęris poſtea de ipſo ſeorſum uino nonnulla, an ſcilicet nouum & muſtum urinam prouocet: an ſit utile os eo colluere, adiecto corallorum & maſtiches puluere. Facit primã dubitationẽ Dioſc. & Galeni apparẽs repugnantia. Dioſco. ſiquidem lib. 5. cap. de uini qualitate ex ætate, malis quæ nouum facit, hoc adnectit iuuamẽtum, quòd urinam ciet. Galenus uero 5. ſalubriũ, nouella uina ait, nec diſtributionẽ nutrimenti in corpus facere, nec urinas mouere. Dicere hic poſſumus, id quod & tu aduertiſti, non de omnibus nouellis uinis hoc ſcripſiſſe Galen. ſed de Tiburtino tantum & Signino Italicis. Aliqua enim noua urinam mouere, in noſtris nos quotidie experimur, præſertim in his quæ Albana uocamus. Non prætereundum tamen, quod & in epiſtola quadam ad excellentiſsimum medicum Sauium aliâs ſcripſi, non omnia quæ epota urinam copioſiorẽ reddunt, uerè diuretica dici poſſe, (ſic enim & aqua ipſa diuretica uocaretur) ſed ea uerè eſſe diuretica, quæ caloris ſui excellentia, atque quadam acritudine, id

quod

quod eſt aquoſum in ſanguine,à craſsiore parte ſegregant,atq; ſecernunt:quam quidem tenuiorem partem renes trahentes,ad ueſicam mittunt,& ſic urina maiore copia aggregatur:quam uim habent,præcipue inter uina,ea quæ antiqua ſunt,utpote ad tertiam caleſaciendi ordinẽ eleuata. Vina uero parum ab aquæ natura recedentia,ipſa potius per ſeipſa,urina fiunt,quàm quòd à ſanguine illam eliciant. Et quod de uino nouo dictum eſt,de muſto quoq; intelligendum,habita tamen ipſius in ſeipſo,pro craſsitie uidelicet,turbulẽtia,atq; cuiuſq; propria ui,ſed & fæculẽtæ partis conſideratione:ut mirari nemo debeat,utranq; uim,ſiſtẽdi uidelicet & prouocandi lotium,ab Arnaldo,non uſquequaq; aſpernando medico,muſto adſcribi. In tanta igitur muſti & uinorum uarietate,damnari abſolute non debet,qui ſingulo quoq; mane os uino abluit,præſertim magna exiſtente inter ipſa quoq; capita differentia. Colluere quidem,niſi hyems eſt,os aqua frigida docet Celſus: quod tamen tutum non uidetur ei qui imbecille caput habet, ob frigiditatem,ſed tutius id uidetur facturus cum uino,uel diluto,uel parum ab aquæ natura remoto. Si quis uero robuſto ſit capite,nec uehementius aut calido aut ſicco,hic nobili uino non ſolum tutò,ſed cũ magno quoq; emolumento uti poterit,præſertim ſi id longo tẽpore abſq; noxa fecerit,ſecúmq; miſcuerit: quod nobilis ille de quo ſcribis facit,corallium & maſtichen adijciendo

Mithridati uſum de quo ultimo loco quæris, tãtum abeſt ut in omni ætate & temperatura probem,ut pueris,& bilioſis omnibus,æſtate præſertim,nocuum putem,etiam ſi bene paratum eſſet:quod ſuperiore tẽpore fieri non poſſe,in epiſtola quadam ad Caballum medicum oſtẽdi. An uero delatis in Italiam nonnullis,quibus patres noſtri carebãt,bene nunc parari poſsit,nõdum cõpertum habeo,cum multa adhuc deſideremus quæ in eo recipi deberent,repugnãtibus etiam Venetis quibuſdã medicis,qui propriam ignorãtiã tueri quàm deprecari malunt. Hæc ſunt quæ mihi alioqui imbecilli & occupato occurrerunt tuis petitionibus reſpondenda:quæ qualiacunq; ſunt,pro tua in me beneuolentia boni conſules,méq;,ut ſoles, amabis. Ex Ferraria, XV. Calend. Apriles, M. D. XXXV.

EPIST. III. *Pro uiro quodam præclaro,uiſione corrupta laborante.*

PRæclariſsimi huius uiri affectio,ut ex his quæ retulit Excell. tua comprehendo,eſt uiſio corrupta: uidet enim circũuolantes muſcas,atq; alia id genus,quæ uidenda non eſſent,quando non adſint. Eſt ergo ſymptoma,quod corruptio à Gale. uocatur. Quare conſiderandum eſt primo cuius morbi ſit ſymptoma, & quænam eius morbi cauſa, deinde morbus ille cuius ſit membri:his enim ignoratis, ſcopi ſeu curatiuæ intentiones inueniri non poſſunt. Dico igitur morbum à quo hæc corrupta operatio immediate procedit,eſſe morbum in uia,per quam & uiſiui ſpiritus, & ſpecies rerum uiſarum pertranſeunt. Protenditur autem hæc uia ab extima oculi tunica,per reliquas tunicas & humores omnes,uiſualéſq; neruos,& totũ ſpatiũ quod inter oculum & ſedem primarij ſenſus mediat. Cauſa uero eius ſunt fumi has uias obſtruentes,atq; motu quodam inordinato pererrãtes,quorum ſpecies ſenſui occurrens,id facit uideri exterius,quod fit interius. Sed quoniam fumus neceſſariò ex aliquo corpore eleuatur,quod etiam corpus oportet alicubi ſedem habere, adhuc perſcrutandum, quódnam ſit huius corpus,& in qua parte locatum. Verum cum color earum rerum quæ apparent niger ſit,ut Excell. tua teſtatur,non eſt dubitandum quin humor à quo eleuantur fumi, niger & ipſe ſit,& ex eo genere quod nigra bilis dicitur. Cũ hæc præterea paſsio continua ſit,nec uno magis quàm alio tempore contingat,ſequitur materiam hanc in capite contineri,nec ab alio mẽbro fumos iſtos ad caput mitti. Ex quibus demum & aliud liquet quod perquirendum propoſueramus, cuius uidelicet membri ſit hæc paſsio:non enim dubiũ eſt quin capitis ſit propria. Sed cum plures eius partes ſint, adhuc dubitare contingit quæ pars lædatur:nec ambigendum quòd ſit illius partis cuius eſt uiſio. Tãtum ergo cõtingit dubitare de parte læſa,quantum de parte in qua fit uiſio, quam aliqui pupillam,alij cõiunctionem neruorum,quos opticos, hoc eſt,uiſiuos uocant,alij cryſtalloidem putant. Nos ex Gale. ſententia tenemus primum ſenſum in cerebro, nec in primis uentriculis,ut qui,ipſo teſte,nulla pollent nobilitate,ſed uel in medio,uel in poſtremo,ubi & imaginationis & memoriæ operationes perficiuntur, & quinq; exteriores ſenſus ueluti à regia & principiũ capiunt & perfectionem. Non negamus tamen oculum quoq; ipſum eſſe uiſionis inſtrumentum,eo uidelicet modo,quo apparitores & nuncij qui ad iudicem ſceleratos homines ducunt,ſeruire iudicio dicuntur,utpote ſine quorum opera iudicium fieri non poſſet. Non totum tamen oculum huic muneri æquè conducere,ſed eam præcipue partem quam cryſtalloidem uocant,cui cæteræ oculi partes,Gal. teſte,famulantur. Erit ergo læſio hæc cryſtalloidi primique ſenſus ſedi communis. Si quis uero quæreret à me,cuius ſit illa operatio quæ corrumpitur:dicerẽ quòd potius impeditur operatio ſenſus communis,quàm oculi:ſiquidem oculus ſuſcipit rei ſpeciem prout eſt:ſenſus uero communis in hoc fallitur,quòd rẽ,cuius ſimilitudo per oculum offertur, putat extra oculum eſſe,cum ſit interius:& propterea puto antiquos huic affectui imaginationis nomen indidiſſe. Operatio uero uiſus ideo corrupta eſt, quoniam non debet uidere,ſeu ſpeciem recipere rerum quæ intrà ſunt,ſed earum tantum quæ extrinſecus occurrunt. Vix etiam fieri poteſt,quin ex huiuſmodi fumis impedimẽtum aliquod uiſioni cæterarum rerum præſtetur. Multa addi poſſent ad theoricen ſpectantia, ſed hæc ſatis ſint ad curatiuas intentiones inueſtigandas. Reſoluendo enim cauſam ſymptomatis huius inuenimus, quæ ut ultimo nobis occurrit in conſideratione, ita primo ei intẽdere debemus in opere. Occurrebat enim primo uiſio corrupta,quam & præclariſsimus hic uir, & nos amouere deſideramus. Abijci ea non poteſt, niſi ęgritudo à qua fit,hoc eſt,obſtructio,abijciatur. Obſtructio remoueri non poteſt,eius cauſa perſeuerante, hoc eſt, fumo ipſo:qui tolli quoq; nõ ualet,niſi auferatur nigra bilis,à qua eleuatur. Primo ergo uacuanda hæc eſt. Secundo diſſoluendus fumus. Tertio & cerebrum & oculus roboranda ſunt, & tota illa regio, ne humorem uaporémque de cętero ſuſcipiant:enitẽdúmq; ſemper, ne niger ille humor uel abundet in corpore,uel ad ſuperiora feratur.

Vacuatio igitur optime fiet per uenæ ſectionem. Sed quoniam tempus nunc minime ad id idoneum eſt,differre ſatius eſt uſq; ad ſecundam quadram lunę Februarij. Eo igitur tempore ſecetur uena cubiti exterior, quã capitalem uocant,& extrahantur uncię tres ſanguinis, qui diligenter conſideretur:& ſi niger craſſúſq; ſit,fluere ſinatur ad uncias nouem uſq;, uel lib. in totum unã, ſecundum pręſentis medici iudicium. Facta uero interpolatione unius uel duorum dierum,aperiantur uenæ quæ ſunt poſt aures,ſi fieri poteſt:ſi non,ſanguiſugę eiſdem locis applicentur, ſinantúrq; ſugere donec per ſe cadant,póſtque earum caſum ſanguis fluere permittatur,donec ex ſingula aure binæ effluxerint unciæ. Interim uero,hoc eſt,ante phlebotomiæ tẽpus,tertia quaque uel quarta nocte tribus horis poſt exiguã cœnã,capiat pilulam factam ex ſcrupulo pulueris hieræ Archigenis,quæ cũ decoctione ſtœchados & ſampſuchi formetur. Noctibus uero quibus catapotium non accipit, comedat eadem hora nucem myriſticam,hoc eſt,moſchatam conditam:quam ſi habere nõ poteſt,nucis ipſius nõ cõditæ fruſtũ maſticet,& deglutiat. Facta uenæ ſectione,& hirudinibus,ut ſuprà diximus,adhibitis,bibat octo horis à cœna hanc potionem: Syrupi de ſtœchados completi, oxymelitis ſimplicis ana ℥.I. aquæ in qua ſampſuchus decocta ſit,3. unciæ:miſceãtur hæc inuicem,benéque uſitato modo excolentur,atque cum nuce moſchata odorata reddantur. Qua potione ter bibita,mutatio fiat oxymelitis ſimplicis ad compoſitum, & iterum ter bibatur,rurſúſq; ad oxymel ſcilliticũ fiat permutatio,alijs nõ mutatis,& ter quoq; bibatur. Manè uero decimæ diei capiat drachmam ſuperiorem pilularum,ex qua tres formentur. Sequenti die accipiat boni mithridati auellanæ magnitudinem, & eodem modo duobus ſequẽtibus diebus:quibus peractis,iam ad particularem euacuationem accedẽdũ erit. Naribus igitur inijciantur ieiuno tres guttæ ſucci radicum betę, uel cyclaminis,uel ſampſuchi,uel anagallidis,uel cucumeris ſylueſtris:ſint autem omnia tepida, uel maſticet unam ex hiſce pilulis; Nucis moſchatæ ℨ. I. zingiberis

ſcrupu

scrupulos duos, mastiches drachmas quinq;:liquefiat mastiche,& alia bene cõterantur, & cũ eo pilulæ quinque formentur. Vel si quando pilulas nõ habet, uel mastiche ipsa per se,uel passulæ cum pipere mandentur.

Peractis his,adhibitáq; bona uictus ratione iuxta ea quæ inferius dicturi sumus,satis puto cõpletum id erit, quod primo intendebamus,hoc est,humoris à quo fumus eleuatur uacuatio:bonáq; pars secũdi, id est, fumi ipsius resolutio : si quid tamen adhuc superfuerit, erit per hæc ingenia discutiendum. Caput in futurarũ maxime loco, puluere hoc,bene ieiuno stomacho, perfricetur:Nucis moschatæ, gariophyllorum ana drachmæ pondus trium, piperum ana scrupulum. Pila inter hæc assidue odoretur: Maioranæ, fœniculi ana semunciam, nucis moschatæ, gariophyllorum ana drachmã unam, laserpitij, benzoi semidrachmam, moschi scrupulum, cum mucilagine tragacanthi, facta cum aqua rosata,in qua dissolutus sit moschus,formetur pila.

Oleum uero hoc tepidum crebrò auribus instilletur. Amygdalæ amarę decoriatæ in uasculo in quo moschus reconditur, tandiu bene clausæ teneantur, donec moschi odorem bene imbiberint,ex hisque oleum iuxta consuetum modum extrahatur.

Oculi uero & tota frons uino albo in quo rosmarinus bullierit, quouis mane abluãtur. Quòd si fortè uini odorem abhorreat, ex aqua rorismarini per uas duplex, id est, modo quem per balneum Mariæ uocant, destillata eodem modo ablutio fiat : in qua destillatione rostrum uasis in quo herba est, cum suscipiente ita conglutinandum , ut exhalare uaporis nulla portio possit.

Caput singulo mane abluatur lixiuio facto ex cinere iuniperi,in quo lauri folia,sampsuchus & senæ folliculi bullierint, guttáq; eius in loco futurarum recipiatur, póstq; ablutionem oleo nucis moschatæ chymice facto inungatur. Silere mõtano saccharo leuiter cooperto,singulo quoq; die utatur:uel si id abhorreat, semine fœniculi Africani eodem modo utatur. Quòd si omnia hæc parum cõtulerint, cataplasma sinapisminum proræ capitis applicetur, & per tres horas ieiuno stomacho quotidie teneatur, uerúq; opobalsami & recentis guttula oculis instilletur. Verum ab adulterino & factitio, olfactu cognoscitur, quem syncerum, non subacidum habet:& gustu, quoniam astringit, & quadantenus remordet:& præterea quia lac coagulat,celeritérq; in aqua subsidet : & quòd gutta laneæ uesti inspersa, ablutáq;,nullam maculam dimittit.

*Opobalsamũ uerum quomodo ab adulterino dignoscatur.*

At si cum his omnibus parũ profecerit, setanea chordula iuxta cõsuetum chirurgis modũ intra occiput insuatur:& si necesse fuerit, demum locus coniunctionis futurarũ anteriorũ auro ignito aduratur,& ustionis locus per quadraginta dies plus minus, post crustæ amotionẽ apertus teneatur. Cessante in totũ symptomate, nõ minor nobis succedit labor tuẽdi, uidelicet id quod partũ erit:quod certe nãciscemur, tũ congrua uictus ratione,tum uacuatione, distractionéq;,ac postremò cerebri roboratione. Primum paulò infrà docebimus. Vacuationem per sectionẽ mediæ uenæ cubiti,quam cõmunem uocãt,factã,post autumnale æquinoctium,in quibus eadẽ seruari uolumus,quæ suprà in uernali docuimus. Creber quoq; usus harũ pilularum omni tẽpore,præterquàm in magno æstu,erit utilissimus. Accipe aloës hepatici,rheu barbarici electi,epithymi orientalis,ana binas drachmas, uini elleboritis uncias duas: misceantur inuicẽ in uase uitreato,sępe cõmouendo cũ fœniculi caule,& in sole permittantur,donec uinum in totũ consumptũ sit,fiántq; pilulæ magnæ. Vinum uerò elleborite prædictũ sic fiat:Recipiantur uini Cretici,uel alterius consimilis,nõ dulcis,unciæ tres,ellebori nigri orientalis,seminũ fœniculi ana drachmas duas:bulliãt parum,postea ab igne amoueãtur,& per horas decẽ in uino dimittantur,deinde elleborus & fœniculi abiiciãtur. Valent autem hæ pilulæ nõ solum ad præseruandũ, sed etiam curationi nõ parum conferunt,si sæpe à dormituro una uel duæ deglutiantur. Distractio per frictiones,cucurbitulas,ligaturas,aliáq; id genus assidue molienda. Summè uero cõduceret uacuatio sanguinis per ani uenas,ut quæ simul uacuant & distrahunt. Et propterea si quo in loco adest tumor uenæ,ille uel hirudinibus,uel alio ingenio est aperiendus.

Roborabitur præterea cerebrum ex multis quæ suprà dicta sunt;sed efficacissima ad id esset uera acorus condita. Vera dico, quoniã hæc qua apud nos pro acoro utuntur,alia potius res est quàm acorus. Vera siquidem acorus folio est iridis,uerùm angustiore & longiore pediculo,radice nõ dissimili,non recta,& cõplicata,colore subalba,uel,ut ait Plinius,nigra,& minus quàm iridis uenosa, sapore acri, odore non insuaui. Vulgaris uero hæc, quanquam folio ab iride penitus non abhorreat,radice tamen est longe dissimili,odorẽ quoq; insuauẽ omnino,uel potius fœtidũ habens. Aliis uero conditionibus in totũ caret. Vtendũ autẽ potius consulo radice quæ calamus aromaticus falsò dicitur, quoniã uel uera acorus est,uel ei uiribus non dissimilis. Macer quoq;,quod uulgò macis uocatur,& odoratum,& masticatũ,& capite ex puluisculo eius perfricato,optimè ad idẽ conducet. Proderit & myrobalanus condita,& napi melle cõditi,puluere gariophyllorum insperso. Sed & zingiber conditũ hyemis tempore,fœniculi quoq;,& præcipue orientalis semina saccharo secundũ cõmunẽ modũ operta. Proderit & seseli semen, uulgò siler montanũ uocatũ,ad eundẽ modũ paratũ.

Sed quoniam cuncta quæ diximus parũ prodessent, nisi uictus ratio recte institueretur,ideo hãc quoq; breuiter subiungere necesse est. Aërem ergo quantum fieri potest temperatum habitet,& ab omni excessu remotum:& si quam in partẽ declinet,uergat potius ad tenuem quàm ad crassum,& calidũ quàm frigidũ. Fugiẽdus omnium uehementium uentorum perflatus, sed præsertim austri,puluísq; uel ab illorũ uehementia,uel aliter excitatus. Nocturnúsq; aër,& præcipue sub lunæ radijs,mora in sole,quantum fieri potest, diminuenda. Igni quoq; magno,& præsertim ubi adsit fumus, propinquare non debet:neq; in hypocaustis, cubilibúsue supra modum calefactis degere. Odores uehementes, suffimentorum præcipue odio habeat:odore tamẽ modico per interualla uti potest. Exercitio quotidie utatur, sed stomacho uacuo, & quo inferiores corporis partes potius quàm superiores moueantur. Cauere autem debet non solum à uelocibus motibus, sed etiam ab aspectu rei quæ uelociter, uel in gyrum moueatur, imò à cuiuslibet rei,præsertim lucidę,longo aspectu. Virides autem res crebrò respiciat. Non cantet alta uoce, non clamet,non minutas ac tenues literas legat. Vehemẽtes sonos ac strepitus quantum potest effugiat. Cõcubitus, cibus,potus,somnus, omnia sint moderata. Irã atq; fletum,risúmq; immodicum, ueluti capitales hostes euitet. Cibis boni succi & facilis concoctionis moderatè utatur. Pane utatur autopyro potius quàm simílagineo,id est,non ex purissima farina,sed ex ea in qua utriculi aliqua portio remanserit,confecto,benéq; fermentato,& modice salito,additis etiam unà cum sale fœniculi seminibus. Carnibus igitur phasianorum,perdicum,gallinarum,& caponum,columborum iuuenibus,& paruarum auicularum, præcipue autem turtures conueniunt.

Ex quadrupedibus uerò,hœdinis, uitulinis, ueruecinis,assisq; potius quàm elixis:cæteras euitet. Pisces oẽs præterquam petrinos dimittat,qui etiam fœniculi seminibus & pipere condiantur. Ouis præterquàm sorbilibus & recentibus nõ utatur. Caseus omnis, crebérque brassicarum ac lactucarum usus,& demum quæcunq; replere turbulentis uaporibus caput possunt,euitentur. Ex Ferraria.

EPIST. IIII. *Pro reuerendißimo D. Cracouiensi episcopo febre tertiana laborante.*

CVm totum illud tempus, quod publicis lectionibus,ægrotantibúsq;,qui tum in hac ciuitate, tum ex circũstantibus locis meam opem quotidie implorant,suffurari poteram,in consulendo D.T. Reuerend. pro uictus ratione expenderem , nouus me nuncius cum duabus literis adortus est,quibus certior factus sum,febrem quæ antea uagari,nullósque certos circuitus habere consueuerat,iam certos sibi terminos constituisse,& tertio quoque die lares D.T. Reuerend. inuisere,mitius tamẽ aliquantisper se gerere,quàm anteà consueuerat. Ad quam in totũ eliminandã,& à laribus excludendã,an baculo utendum sit ex ligno Indico confecto,non ab re petit,cum eius haustum anno ante hunc tertio magnopere commendauerim. Ego autẽ D. mi reuerend. ut breuiter rem expediam,ligni illius potum in præsenti casibus tuis minime commẽdauerim:

satis

ſatis enim impenſè calet:ſed etiam impenſius exiccãdi uim habet,quare nec febri cõduceret,nec corpori iam diuturnis morbis attenuato: uerumetiam tenuiorem uictũ expoſcere uidetur, quàm ut ferre ualeat D.T.Reuerend. Quare eo uel penitus reiecto,uel in aliud commodius tempus dilato,alijs auxilijs tertianarius ille periodus arcendus eſt. Inter omnia maxime excellit chamæmila uocata,ſiue introrſum,ſiue extrorſum ea utamur,poto uidelicet eius decocto per horam unam ante acceſsionem cyathi menſura,hoc eſt, pondere duodecim,uel ad ſummum ſexdecim drachmarũ:cuius potio ſi faſtidio fortè fuerit,eius uice aqua ex ipſa herba cum flore per balneum Mariç uocatum elicita,bibatur. Dorſóq; ex oleo inuncto,in quo ter noui ſemper flores bullierint. Cũ ipſo potu nõ incommode miſcetur ſaccharum,& glycyrrhizæ puluis.Ex ſuccis quoq; fœniculi & intybi cum oxyſaccharo mixtis,fit antidotum antiquis febribus amouendis maxime conducens. Dioſcoridis etiam unguẽto,quod ex araneis potius quàm ex eorum tela cum oleo paratur,non inutiliter arteriæ manus inunguntur. Sed & batrachium contritum,id præcipue quod columbinum pedem uocant,ſi contũdatur,eiſdem arterijs admoueatur.Licet autem lignum ipſum Indicum D.T.Reuerend.hoc tẽpore dixerim non congruere,id tamen non adeò exactè intelligi uolo,ut eius uſus uſquequaq; ſit interdicendus,ſed de eo locutus ſum communi modo ebibito.Si enim ſyruporũ modo ſemel mane tertio quoq; die,hoc eſt,eo die quo acceſsio non timetur,bibitum fuerit,nõ mutata aliter uictus ratione,putauerim fore utile.Modus autem ſit,ut ſemuncia ramentorum ligni,in uncijs decem aquæ dulcis tandiu bulliant,donec media pars aquæ conſumpta ſit,adijciatúrq; tantum mellis roſacei,quantum ſatis ſit ad dulcorandum.Poterit & ex ipſo ligno in tenuiſsimũ puluerem redacto, eodémq; roſaceo melle electuariũ parari,cuius uſus erit non inſalubris:eſto autem pulueris p.1.mellis p.4.uel ad ſummum ſex.Quod ad deſtillatum uero pertinet,profuturum magis putauerim, ſi ei tertia pars iuris in quo pullus conſumptus eſſet,adderetur,uel duo ouorũ uitelli.Modum tamen parandi deſtillati,eis literis adnexui,in quibus rationi uictus cõſului,quæ eſt communi præſtantior.Hæc ſunt quæ acceleranti nuncio,dare nunc potui,paucos poſt dies latius ſcripturus.Vnum tamen prætcrire non poſſum, quod maxime urget, oportere D.T.labores animi minuere, præſertim duabus horis à cibo,& corporeos, hoc eſt, exercitationes ante illum augere,iuxta illud Hippocratis:Motus cibum præcedat,quies ſequatur. Vale princeps & D.mi obſeruandiſsime,& me in numero tuorũ adſerua. Ex Ferraria, VI. Iunij, M. D. XXXV.

EPIST. V. *Ioan. Manard. Iacobo Pharuſio* S. P. D. *De catulis iulisue nucum, an inter purgatoria medicamina connumeranda: déque lappa purpurea.*

NOlim te exiſtimare,mi Pharuſi,aliam fuiſſe cauſam quæ fecerit me tandiu diſtuliſſe reſpondere tuis literis,ut neceſſarium tibi fuerit me iterum interpellare,quàm uarias,& quas intermittere non poterã,occupationes,præſertim cum nec tu,ut modeſtus es,uidebaris celeritatem à me exigere,ſed potius ut per ocium reſponderem,per primas tuas literas expoſcere: quod certe ſi expectandum mihi erat,nunquam reſpõdiſſem,quum tum mihi plus ſit negocij,quum plus uidetur adeſſe ocij.Habeo enim ſemper domi multa iandiu per me cœpta,& à multis,qui aliquid me eſſe putant,expetita,& quod plus me mouet,etiam eiſdẽ promiſſa,in quibus,cũ nihil eſt quod agere cogar,me exerceam. Cogunt autem me, & quaſi à meipſo diſtrahunt, ſtudiáque interpellant ægrotantes, qui tum hic, tum alijs ex locis opem meam, quam negare nemini poſſum, expoſtulant.Ex omnibus his fit, ut nihil multo ſtudio ac diligentia elaboratum à me poſsit exire, ſed quicquid,ut ille ait, in buccam mihi ſcriptum uenerit,uel in calamum,id abſq; alio cultu ieiuna & exili oratione emittam. Quod cum ſemper tecũ egerim,neſcio quare nũc minus accuratam quæras epiſtolã,quaſi non familiariſsime antehac,& ſine ullo cultu orationis & expolitione tecum locutus ſim:à quo more non recedens,binis tuis literis ſimul reſpondebo,tuiſq; quæſitis,quantum potero breuiter & facile ſatisfacere conabor. Quæris in primis de catulis uocatis, iulisue nucum,quos quãdoq; inter purgatoria medicamina cõnumeraui,an eos putem ita per uẽtrem purgare,ut mẽſtruas in muliere purgationes nõ moueant, ſed potius reuellendo ſiſtant.In qua dubitatione ego conſiderãdũ eſſe duco,id quod per ſe,uel ab his,uel ab alio medicamento fit:atq; ab eo ſecernendũ, quod fit ex accidenti. Hoc enim ueluti principiũ ſtatuendum, quoties alicuius medicamenti uis per eius operationes eſt inueſtigãda,cum multa ex accidẽte quopiam fieri ab aliquo medicamine ſæpenumero uideamus,quæ ſint his quę per ſe facit aduerſantia:ſicuti cum aquam ipſam frigidã,& ui,& ea quam actu habet qualitate,iuuenem robuſtũ, non ſolum calefacere,ſed à rigore à pituita facto,uidemus liberare.Si igitur hac in iulis uſi fuerimus indagine,uidebimus ipſos,ſicuti & quaslibet alias arboris nucis partes,adſtringendi uires habere,quæ & per guſtũ, qui ueluti quidam tactus eſt,& per id quod alijs corporis partib.admotæ faciũt,faciliter agnoſcuntur:quæ tamẽ adſtrictio non facit,quò minus & per ſe uim etiam purgãdi obtineant,quũ uis hæc non primas qualitates, ſed nec ſecũdas ſequatur,uerũ ex tota,ut aiunt,ſubſtantia proficiſcatur,& propterea non ulla ratione,ſed ſola experientia cognoſcatur.Coniungi autem hanc purgãdi uim cum medicamine,quod alioqui adſtringendi uires habet,in multis celebratis purgatorijs medicaminibus cognoſcimus,in aloë uidelicet,myrobalanis,rheo, tenui centaurio,roſis,nonnullisque alijs quæ recenſere nunc non eſt operæprecium.Quod ſi Auerrois conſideraſſet,non ita audacter Galenum in rheo barbaro taxaſſet,qui tamen non de barbaro,ſed de pontico loquens, adſtringendi uires ei adſcripſit.Duas igitur has uires in his iulis per ſe eſſe non ambigimus. An uero unà cum his ciere menſes poſsint,non uſqueadeo eſt manifeſtũ, cum pleraq; agnoſcamus,quæ ſimul uentrem purgant, & menſes educunt:ut agaricum, colocynthis,ſcammonium,abſinthium,uitis alba, cyclamen, ſagapenũ, ammoniacum.An uero ſimul cum his,cum purgatione uidelicet & menſium citatione ſtare poſsit uis adſtringẽdi,non æquè eſt manifeſtum.Ego tamen id quoq; fieri poſſe ut credam,illud me mouet,quòd minus uidẽtur inuicem pugnare adſtrictio & menſium prouocatio, quàm adſtrictio & uentris purgatio. Superius uerò oſtendimus multa eſſe quæ utrunq; poſsint. Quare nõ pertinaciter negandum uidetur,poſſe & illa duo inuicẽ coniungi,adſtrictionem uidelicet & menſium prouocationem,præſertim cùm de nonnullis medicamentis id idonei ſcriptores prodiderint,ut de maiore cẽtaurio, croco,pæonia,ſaluia.

Diuerſæ autem hæ uires non aliunde fieri uidentur, quàm ex eo quòd illa medicamina,ſicuti & multa alia, licet ſimplicia uideantur,ex diuerſis tamẽ partibus cõponuntur:ex quorum numero cum ſit & rheon,utpote ſubſtantiam aëream atq; igneam habẽs terreſtri cõmixtam,non eſt ut admireris,ſi quandoque uiſum tibi eſt in muliere,alioqui ad id parata,menſes ciere. Sicuti nec admiratione dignum eſt,eſſe nonnulla quę & uentrem & urinam per ſe moueant,pręſertim cum illud,ut diximus,totam ſubſtantiam ſequatur,hoc à calore acri naſcatur,ſiccitati magnę coniuncto. Coniungi tamẽ neceſſariò has duas uires,purgandi uidelicet (ut tu dicis) caua & gibba hepatis,ego nequaquam putarim: cum ſint multa uentrem ſubducentia,quæ non ita impenſe calent,ſiccáq; ſunt,ut urinas per ſe poſsint mouere. Per ſe dico,quoniam fortaſsis ex accidenti, quia uidelicet materiam obſtruentem extrudent,urinam mouere uidebũtur.Vel quia ex uicinitate ductuum,per quæ utraque excrementa,alui uidelicet & ueſicæ,tranſeunt, cõmotio quædam in uijs urinæ fiet,per quam ipſa quoq; educetur.Hinc enim fieri puto,ex huiuſmodi uidelicet uicinia,ut plerunq;,in ſano etiam homine emittẽte urinam,naturaliter alui excremẽta quoq; uel inuito ſimul exeant.Ad quod etiam facit,quod ad utraq; excernenda ſuperiores muſculi,uentris ſcilicet cum ſepto tranſuerſo,quod & ipſum uel muſculus eſt, uel eandem cũ muſculis uim habet,concurrũt.Ob eandem quoq; uiciniã fortaſsis contingit,ut medicamẽ purgatoriũ, quod propria ui menſes ducere non poſſet,eos tamen quandoq; mouere uideatur,cum uterus ipſe lõganonẽ, per quẽ alui excremẽta exeũt,pro lectulo habeat & ſtrato. Quare ubi mẽſes impenſius fluunt,cum magna cautela

medicus

medicus exhibere ea medicamina debet quæ uentrem purgant:tantum abeſt ut reuulſiones per ea poſsit expectare, quam ad maxime diſtantes (ut noſti) partes fieri oportet.Et ſi deriuatione utendum, hoc eſt, diſtractione ad propinqua, tutior ſatis eſſe uidetur ea quæ per urinam fit:licet enim ueſica ſtraguli inſtar utero ſuperiaceat, quia tamen medicamenta ab urina prouocanda diuretica uocata,quæ calida ſunt, & uehemẽter ſicca,operationem ſuam, ob quam peculiariter id nomen meruerunt, non tam in ipſam ueſicam, quàm in iecur ſuperioréſq; uenas exercent, uel potius in ipſum ſanguinem,quem attenuando fundunt, & à craſsiore aqueam partem ſegregant,quam renes trahẽtes & excolantes,ad ueſicam mittunt,nulla ui in ea remanente, quæ ciere menſes poſsit. Quin potius ſanguis,ſegregata illa aquea parte,craſsior remanens,minus aptus redditur, ut ad uterũ fluat: propter quam cauſam, in uteri uocatis fluxionibus, hoc eſt, aſsiduo locorum madore, diureticorum huiuſmodi uſus plus quandoque iuuat,quàm adſtringentia,& per os exhibita,& locis madentibus admota,ueluti materiam aliò aduocantia,& craſsiorem remanentem ſanguinem facientia.

Et hæc quidem dicta ſint,non tantum ut primæ tuæ dubitationi reſpondeamus,quantum ut reliquis quoque eidem annexis ſatisfaceremus.

Quòd ad principale uero quæſitum pertinet,ego iulos illos certa experientia didici aluum purgare, non eſſe tamen inter illa eximia,ſcammonium uidelicet,colocynthida,& id genus cætera connumerandos, ſed cũ myrobalanis,mãna,roſis,ſiliqua Aegyptia, leuioribúsque aliis,ita, quòd ſi in purgatoriis etiã medicaminib. ordines ſtatuendi ſunt,quemadmodum & Gentilis,& nonnulli ex recentioribus non inutiliter fecerunt, in ſecundo ordine ſint collocãdi,quorum ſcilicet doſis poſſit integram unciam excedere. An uero uires habeant, quibus ualeant urinam uel menſes remorantes ciere, mea ſententia eſt,neutrum ab illis fieri poſſe, &, quod fortè maiore te admiratione afficiet,flores illos,pyri & cotonei, inter medicamina quæ menſes mouent, nunquam reponendos putauerim: in hac re magis Galeno credens,quàm illi,quiſquíſnam fuerit,qui eum librum ſub Aëtij nomine ſcripſit,qui in ſexcẽtis poſtea uoluminibus publicatus eſt.Fuit apud me ſuprà XXV. annos pars libri titulo Aëtij inſignita, in qua multa aliter leguntur,quàm in exemplaribus & Latinè & Græcè nuper inuulgatis.Retulit quoq; mihi Fabius Antimachus, non minus Græcæ & Latinæ linguæ eruditione, quàm medicinæ ſcientia inſignis, & qui per id tempus Venetiis agebat, quo Aëtius Græcè imprimebatur:inter multa exemplaria quæ apud typographos erant, uix duo inuenta quæ ſimul concordarent:cuius rei nõ exile argumentum eſt diſcrepantia Græcorum & Latinorum Aëtij codicum, qui nuperrime in uulgus exiêre. Quam diſcrepantiam ego non alia cauſa eueniſſe puto, quàm quòd multo tempore fuerit eius autoris uſus Græcis medicis ita communis,ſicut noſtris Auicennæ:& propterea quenq; ſuo libro medicum, pro arbitrio,quæ placebant,& uel uſu,uel ab alio autore didicerat,ſuperaddidiſſe:quæ poſtmodũ ab aliis ſcriptoribus,ueluti Aëtii eſſent,fuerint tranſcripta.Quomodo enim crediderim flores illos à docto uiro,qualem proculdubio fuiſſe Aëtium credo,cum pipere,ruta,origano,abrotono,baccis lauri,quaſi ſimilium uirium copulatos?Sed uide huius rei apertiſsimũ argumentum.Alumẽ,quod omnium maxime,etiam ipſomet Aëtio teſte,adſtringit,inter ea quæ potu menſes mouent,eodem capite connumeratur.Augẽt meam hanc ſuſpicionem Oribaſius & Georg.Valla,Aëtium ad uerbum reſcribens:ille quidem lanuginẽ,ſi interpreti credimus,Græcum enim uidere nondum potui,pro floribus ſcribens, hic floribus addens ſuccũ,neutro eorum pyri florum mentionem faciẽte.Quiſquis uero fuerit qui illa ſcripſit,ego illi nunquam tantũ tribuam,ut credam aut alumẽ,aut flores illos pyri & cotonei, per ſe menſes ciere,ſicuti nec aliud quodpiã medicamen,quod non ſit in tertio ordine calidum,& paulò minus ſiccum,cum partium tenuitate. Et de nucum quidem iulis,atq; de his quæ ab illis natæ ſunt quęſtiones,hæc dicta ſint.

De lappa uero illa purpurea,ab Ambroſio Benedicto tantopere in pleuritide commendata,quid ſentiã, paucis accipe.Ea mihi proculdubio uidetur,quam Gręci arcionproſopida,uel proſopion,Latini perſonatiã, uulgares uoce ut ſolent à Latina deprauata,ſparpanatiam uocãt.Radice enim eius in puluerem redacta,ſcio plebeium quendam hominẽ nõ infœlici plerunq; ſucceſſu in pleuritide uſum.Scio etiam Dioſcoridem eandem radicem in ſuppuratis & ſanguinem excreãtibus commẽdare,qui morbi à pleuritide non ſunt magnopere diſtantes:teſtimonio cuius,Dioſco.ſcilicet,fretus, cum multoties in illis morbis uſus ſim,manifeſtũ inde cognoui iuuamentum.Si quis uero lappam minorem intelligere maluerit,quod Græcè xanthion,à colore flauo dicta ſit,qui color ad purpureũ accedat,ei non magnopere repugnabimus.Nam & hæc diſcutiẽdi ui qua multum pollet,fortè nõ parum pleuritidi cõducet:ſed huius rei cum ego nullum habeam experimentũ,priorem ſententiam magis probo.

In calce demum tuæ primæ epiſtolæ petis,ut caſtigationes in Leoniceni cõmentationes,& meas Galeni interpretationes in lucem edam,idq; in nouis interpretationibus faciam,quod in Dioſcoridem per Marcellum Latinitate donatũ,ante decennium feceram.Scias autẽ uelim,me priuſquam tot undiq; prodirent ex uniuerſa Europa Græcorum autorum interpretationes,cũ uiderem eas quæ Leonicenus uel uiuens ediderat,uel eo uita functo inuulgatæ fuerant,multis eſſe mendis commaculatas,quaſi Leoniceni manibus parentaturus,homini certe cui uel hoc nomine omnes medicinæ ſtudioſi plurimum debent,quòd primus longiſsima præſcriptione poſſeſſam ab Arabibus medicis autoritatẽ deturbare ſit auſus, cœpi,conſultis Græcis exemplaribus quę iam edita erant,eas,quantum uidere mei alioqui imbecilles oculi poterant, ab omni macula detergere.Quod ubi uix facere aggreſſus eſſem,ex omni orbis angulo nouas traductiones uidẽs comparere, aliјs rebus animũ applicaturus,ab incepto labore penitus deſtiti. Quare non eſt ut uel tu uel alius quiſpiam id à me magis expectet,quàm etiam meas ex Græca in noſtram linguam traductiones. Non enim unquàm ita propriarum uirium parum conſcius fui,ut ad id ſubeũdum onus me idoneum putarem, cui robuſtiſsimorũ lacertorum uiros uidebam ſuccubuiſſe: neminémque adeò fœliciter noſtri ſeculi id munus aggreſſum,qui nõ uiſus multis ſit plerunq; dormitaſſe. Nam ut reliquos minoris cenſus taceam,Theodorum Gazam, cui primas omnes tribuunt,Hermolaus quandoque uellicat: hunc ſimul cum illo Leonicenus,Leonicenum aliј.Quid igitur poteram de me præſumere,quem cognoſcebam uix pedem in Græca lingua promouiſſe?Latina uero,in qua eram ab incunabulis nutritus,ita tenuiter eruditũ, ut ſæpenumero mihi uerba deeſſent, quibus id quod cum labore à Græcis autoribus extorquebam, Latinis exprimere ualerem.Galeni quidem expoſitiones in libros de natura humana,de uictu morborum acutorũ, & prognoſtica Hippocratis,eiuſdémq; Galeni ſalubria, per dictatum,excopiante aliquo ex meis ſcholaſticis, mihi potius,quàm aliјs tranſtuleram,emendicatis clanculum Græcis exemplaribus per eoſdem ſcholaſticos à Leoniceno,alioqui uel natura, uel ætate βιβλιοτάφῳ, & mihi præſertim eos abſcondente,non ſuppetẽte librario qui Græcè poſſet exſcribere,malẽs utcunq; tranſlatos habere,quàm illis penitus carere. Quas interpretationes,poſtquam Gręcorum librorum copia omnibus facta eſt,ferè neglexi,nec ad alium uſum ſeruo,niſi ut in uulgatis iſtis,ſatis certe mendoſis, aliqua loca conferã. Fit enim quandoq;,ut ex collatione duorum malorum codicum,accedente rationabili aliqua coniectura,uera & genuina lectio colligatur.Ex peruerſa autem hac codicum lectione factum eſt,ut excellenti & doctrina & ingenio uiri,hac noſtra ętate interpretis munere functi, plerunq; ab autoris mente deciderint:quos ſi,ut petis, cenſere uoluerim,præter hoc quòd inuidioſa res erit, temeraria etiam à multis iudicabitur. Sed nec bene ab eo fieri poſſe uidetur,qui diuerſa & emendatiſsima exẽplaria non haberet,qualia habere uel impoſsibile eſt, uel certe difficilimum,cum magna ex parte libri Græci qui in Italia ſunt,ex uno ueluti fonte manauerint. Nec id laboris unquam in Dioſcoride ſubiјſſem, niſi nouus eius codex ad meas manus perueniſſet, in quo multa aliter quàm in primo legebantur. Quod ſi in Galeno, Paulo,& Aëtio,ut propediem facturum ſperamus,contigerit,non erit & tunc cur ego in his caſtigandis deſudem,qui nunc paſsim leguntur,cum ipſimet interpretes ſua id ſponte facturi eò uideantur, quòd iam multa

loca

loca diligentius examinata caſtigauerint. An uero mutandus ſit locus ille in Paulo, ubi paſtillus aſter uocatus deſcribitur, & pro opij & mandragoræ radice unciis, drachmæ legendæ, ipſi quoq; iudicabunt. Ego in tribus codicibus quos hactenus mihi uidere datũ eſt, uncias ſemper legi: & propterea caſtigationem quam ante X X V. annum ex Paulo à me tunc primum perlecto, in meo Auicenna feceram, ſemper ſeruaui, atq; ad eum modum trochiſcos illos parare feci, quos ad te proxima æſtate miſi, & quibus ſemper feliciter uſus ſum: alioqui ſi recta facta fuerit ſupputatio, ſemidrachma non ultra tria grana opij cõtinebit. Qui modus ut nulli etiam ſolus letalis eſſe poteſt, ita per alia medicamenta coërcitus, multis eſſe poteſt ſalutaris. Nec me loco mouet quòd in Aëtio alia pondera ſcribantur, cum & ipſe Aëtius à Galeno in hac deſcriptione non ſolum ponderibus, ſed rebus quoq; nõ parum euariet, in opiiq; proportione plus à Galeno quàm Paulus recedit. Galenus ſiquidem duodecimam aliorum cõparatione partem eius miſcet, ita ut in tribus obolis, hoc eſt 36. granis paſtilli tria opij grana contineant, Pauli deſcriptione in octo & triginta, quatuor continente, quum ea quæ Aëtij in nouem & triginta, unum tãtum granum accipiat: exiguam uidelicet partem, ſi ad alia compoſita eũdem cum his paſtillis ſcopum habentia, reſpiciamus. Nam ut multa dimittam, in famigerata illa Philonis antidoto, in octo ſupra quinquaginta drachmis, decem ſunt opij. Et in paſtillo trigono in duodecim tres, & in clidion uocato, in duodecim quatuor. Hæc habui quibus feſtinante manu per has ferias ſuffurata occaſione, tuis duabus epiſtolis reſponderem. Vale doctiſsime & amiciſsime Pharuſi, & quoties aliquid occurrit quod per me fieri poſsit, audacter pete, non enim poſthac tantis negotiis premar, quin tuis literis paucula interpoſita mora, utcunque reſpondeam. Ex Ferraria, VIII. Idus Decembres. M. D. XXXV.

EPIST. VI. *Pro quodam fœtore narium laborante.*

CAſus huius uiri, ut ex mihi nunciatis coniicio, eſt malus odor naſi ex putredine humorum circa mamillares uocatas carunculas adiacẽtium, qui uel ad exiens mutatum, uel ad corruptam operationem referri poteſt. Cura uero, licet difficilis ſit, quoniam uetus eſt paſsio, ex uictus tamen ratione, ac uſu medicaminum quæ infrà ſcribentur, auxilio cooperante diuino, ſine quo fruſtra omnia tentantur medicamina, ſperamus eum, ſi non perfectam ſanitatem, magnũ tamen ſenſurum iuuamentum. Vitet ergo quantum ei poſsibile ſit, aërem nebuloſum, humidum, craſſum, atque auſtralem uentum. Fugiat omnem fumum, & maxime lucernę, in qua ſit oleum nucum. Vtatur exercitio, præſertim inferiorum membrorum. Vitet ocium & quietem ſuperfluam. Mane, prius quàm è lecto ſurgat, fricari corpus ſuum uniuerſum faciat, ab humeris inchoando, & ad crura uſq; deſcendendo. Somnus ſit illi mediocris, quem non incipiat, niſi duabus horis à cœna, quam etiam oportet leuem eſſe. Meridianum uero ſomnum ueluti inimicum timeat.

Cibo utatur facilis concoctionis, boni ſucci, nec uaporoſo, qualia ſunt oua ſorbilia recentia, carnes uituli, hœdi, ueruecis iuuenis, gallinæ, & capi, phaſiani, perdicis, auicularum. Contraria uitet, ut carnes bouinas, ouillas, porcinas, auium aquaticarum: oua non recentia, & dura, maxime frixa, phaſelos, fabas, lẽtes, allium, cepas, porros, raphanum: fructus humidos, ut pruna, ceraſia, cucumeres, & ſimilia. Potus ſit illi uinũ tenue, leue, & uel album, uel medio colore coloratum: non nigrum uel craſſum, neque etiam dulce: & ſi nõ habuerit uinũ debile, miſceat ſecum aquam ad tantam quantitatem, ut omnem fumum perdat. Vitet ſatietatem, imò ſemper ſurgat à menſa durante adhuc aliquali appetitu, & ſemper poſt omnem cibum & potum accipiat uel fruſtum pyri, uel parum citoniati, uel aliqua coriandra præparata: uel, ſi nihil aliud habeat, bolum panis aridi. Bis in anno purgetur, uere ſcilicet & autumno, hoc modo. Sumat hunc ſyrupum: Oximelitis ſimpl. ℥. 1. ſyrup. ſtœchados ℥. s. aquæ betonicæ ℥. 3. miſce. Quo ſumpto, quinquies uel ſepties in aurora ſumat has pilulas: Pilularum fœtidarum ʒ. 1. cum ſyrup. de ſtœchados. fiant pilulæ 5. numero. Aliis uero temporibus præterquam dum ſunt uel frigora, uel æſtus nimij, ſumat tribus diebus, mane aquam mulſam, in qua roriſmarini folia, uel flores maduerint. Quarto die ʒ. 1. uel duos ſcrupulos pilularum de hiera cum agarico, & hoc bis, térue, ſingulo menſe. Facta autem purgatione (nunc enim cum non ſint frigora multum uehementia, poteſt facere purgationẽ quam ſuprà diximus fieri debere uere & autumno) uti poterit particularibus hiſce auxiliis: & primo uinum album potens trahatur naribus, & primo ſimplex, poſtea decoctis in eo roſis, cypero, calamo aromatico: qua ſuctione facta, madefiat cotum uocatum uel ſtupa, in eodem uino, & aſpergatur hoc puluere: Roſarũ rub. myrti, calami aromatici ana ʒ. 1. gariophyllorum, cyperi, nucis moſchatæ ana ℈. 1. ambræ, camphoræ ana gr. 4. moſchi gr. 2. fiat puluis. Caputpurgium ex urina aſini, licet fœdum ſit, eſt tamen in hoc caſu ualde eximium. Puluis menthaſtri ſicci inflatus naribus, eſt ſublimis iuuamenti, & ſimiliter ſuccus inſtillatus uel attractus. Xylobalſamum in tenuiſsimum puluerem redactum ſimiliter confert. Ad idem utile eſt uinum decoctionis baccarum lauri, caſiæ ligneæ, hoc eſt, cinnamomi nunc uocati, myrrhæ: item ſuccus hederæ, & oleum irinum. Quod ſi prædictis non fuerit liberatus, reiteratis purgationibus ad fortiora deueniendum erit, ut ad oleum cucumeris aſinini: poſtea ad hunc puluerẽ: Recipe atramenti, ſpicæ, croci, myrrhæ, cinnamomi ana ℈. 1. fiat puluis. Demum ad æruginem æris cum ſale ammoniaco, alumine & aceto. Vtile quoque erit ut cerotum capiti ſuper loco ſuturarum apponatur, ex aromatibus ſuprà nominatis, ladano & reſina munda confectum. Quæ omnia ſi non contulerint, neceſſarium erit ad extrema uenire, applicando uidelicet in locis ſupra aures & coronali ſutura, aliqua quę exulcerandi uim habeãt, & poſtremo ad actuale cauterium in eiſdem locis, ueluti ad ſupremum ultimúmque remedium. Speramus tamen cum ſuperioribus auxiliis hunc uirum ab hac fœda affectione uel liberandum, uel propinquum iturum liberationi, Deo opt. max. ſuffragante.

EPIST. VII. *Ioan. Manard. Donato à Mutis, eiuſdem artis eminentiſsimo profeſſori,* S. P. D. *De Troglodyte auicula.*

NOn erat ut quaſi deletam in me tui memoriam per tuas literas renouare laborares, Donate chariſsime: tot enim taliáque tua in me officia fuere, ut nec locorum quantumuis magna intercapedine, nec longa temporis taciturnitate obliterari poſsint. Seruantur in meis ſcriniis plenæ humanitatis & eruditionis tuæ ad me epiſtolæ. Habet & in mea bibliotheca honoratum locum, Cæſaris optati de iudicatoriis diebus commentarius, mihi dono abs te liberaliſsime datus. Quem cum cogitarem ſimili aliquo xeniolo compenſare, certior factus ſum, te Venetia ciuitate relicta, Rhaguſium nauigaſſe. Quæ certe tranſmigratio non paruam mihi attulit admirationem, ut qui iudicarem nullam eſſe ciuitatem, præſertim noſtræ profeſsionis uiro, quæ illi præferri uel deberet uel poſſet. Nec dubitarem, ubi tuæ raræ doctrinæ ætas quoque grandior acceſsiſſet, primas te in tam ampla & munifica ciuitate facile obtenturum. Intellecta autem per has tuas literas cauſa, quæ te ad hoc impulit, protinus prima receſſit admiratio, & eius loco alia longe grandior ſucceſſit, dum ſcilicet animi tui magnitudinem, & renouandæ medicinæ ſtudium, & cõtemplor & ſuſpicio, quod tam ardenter in pectore tuo flagrat, ut nulla uel lucri, uel honoris rerum certe fluxarum habita ratione, aliis prodeſſe, etiam nondum natis ſtudens, ſimplicia medicamenta, ignauia, ne dicam inſcitia, patrum noſtrorum ferè neglecta, ſagaciſsime perquiras, déſque operam ut ex eis famoſiſsima antidota, theriaca & mithridatum, fœdiſsimè hactenus parata, ad priſtinam dignitatem redigantur, & omnibus numeris integra poſteris relinquantur. Neque his contentus, ea quoque indagare non minore diligentia curas, quæ cum magno uſui eſſent, & ab antiquis maxime celebrata, uel penitus noſtro æuo ſine honore ſunt, uel ſuppoſititia quædam eorum loco recipiuntur. Quod cum ſedulo facis, occurrit tibi Troglodytes auicula, à Philagrio, Aëtio, Paulo, in calculo iam genito perfringendo, præcauendóque ne in futurum denuò alius gignatur, ſummè commendata: pro qua hactenus uulgaris alia auicula recepta eſt, motacilla Latine ideo dicta, quo-

niam caudam asſidue quatit,uulgóq; ob eandem cauſam,caudatremula:quam licet nullius in ea re efficaciæ medici inuenirent,quia tamē eſſe putabant quæ fuerat ab antiquis in calculo tantopere reputata,eam quoq; & ipſi ſummis laudibus extollebant. Quod in aliis quoq; rebus à recētioribus peccatum eſt,illud ſemper laudantibus,atq; aliis præponentibus,nō quòd experientia maiores uires habere didiciſſent,ſed quòd à prioribus magis laudari uidebant.Propter quod factū eſt,ut uel nihil,uel parum arti ſit adiectū,ſed detractū potius,dum ſimul cum nominibus,ipſis quoq; rebus deperditis,ſuppoſititiæ aliæ,ut diximus,uerarum loco ſucceſſere,nullius ſæpenumero,ſed & quandoq; cōtrariæ poteſtatis.In hūc lapidē,ſi alius quiſpiam,maxime impegit Auicenna,tum aliàs plerunq;,tum in hac aue. Cum enim pro Troglodyte,tragulidem legeret,atque ignoraret quænā auis eo nomine ſignificaretur,à quibuſdam ſpinam nominare dixit,quæ eſt Gallicè faſuricon,& demum ſe neſcire,an ea eſſet uel alia.Sed & in ea pingenda nō parum lapſus eſt:tacuit enim ſimilitudinem quam cū regulo habet,& roſtri tenuitatem.Sed & pro ſepibus in quibus uerſatur,piſcinas legit,deditq; ei,Serapionē & Alſarabium ſecutus,ſupra alias, pennas aureas,quibus eā in totum priuat Aëtius,in ea deſcribenda diligētiſsimus. Addit præterea,Serapionē etiam in hoc imitatus,caudæ aſsiduum motum:quòd præcipua cauſa fuit,ut motacilla putaretur.Subrectam quidem ei caudam adſcripſit Aëtius,non tamen quòd continuò eam moueret,affirmauit.Debēt tibi hoc nomine omnes medici,quòd tam utilem,tādiu ignotam mortalibus auiculam,notam omnibus feceris,ſed ego præ cæteris,cui uiſendā & palpādam tranſmiſiſti:quo beneficio factum eſt,ut qui tibi ob eas quas ab initio ſcripſi cauſas plurimum debebam,nunc ex aſſe debeā, ita tamen,ut meam de ea ſententiam,quam & in calce literarum petis,ſuſpendam,donec uiuam uidere contingat. Vale optime Donate,&,quod facis,perge poſteritati opē ferre. Ex Ferraria,pridie Calend.Februarias, M. D. XXXV.

# IOAN. MANARDI
## EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER XX.

EPIST. I. *ad Reuerēd.Cracouienſem epiſcopum, pro reliquijs morbi eius profligandis,& uictus ratione inſtituenda.*

MAGNAM mihi lætitiam attulere literæ tuæ,præſul Reuerend.non ſolū quia te meliuſculè habere ſignificarunt,ſed & multò magis quòd magnā te ſpem concepiſſe de ſalute conſequēda,ex illis facile perſpexi.Bona enim hæc ſpes, ut nos medici dicere conſueuimus,bonū æque eſt & indicium & cauſa.Indiciū quidem,quoniam oſtendit atram bilē,quæ inordinatum illū febrium circuitū faciebat,magna ex parte eſſe repreſſam.Cauſa uero,quia puriorem ſanguinem,lucidioréſq; ſpiritus gigni facit, quibus naturalis uis roborata,morbi reliquias iam perfractas penitus.abolebit.Quare primum hoc ſit in noſtra hac pugna præſidium,ut ſcilicet alacriter uictoria aduerſus illos peſsimos affectus,qui hactenus D. T. Reuerend.uexarunt,expectetur,procúlq; ſit omnis illa peiorum affectuum ſuſpicio,quæ antea non minus animum quàm humores mali,corpus affligere cōſueuerat.Quòd uero omnem hāc ſpem poſt Deum in me collocaueris,quanquàm eā in me medicinæ peritiā nō agnoſco,ut tantæ & apud te & alios pleroſq; eſſe merear exiſtimationis,dabo tamen operā ut tantillū illud quod multa lectio & longa experientia in me peperērunt,funditus effundam,atq; ex aſſe expendā.Id enim & tua in me liberalitas,& rariſsimæ præclariſsimæq; tui animi dotes meritò uendicāt,& quaſi ſibi propriū expoſcunt.Duo autē ſunt quæ humaniſsimis tuis poſtremis ad me literis expoſcis,ut ſcilicet reliquias morbi profligare doceam,& congruā uictus rationē inſtituam:quæ,Deo auſpice,quatuor hiſce cauſarū generibus aſſequemur,ſumptis,eductis,agēdis,incidētibus.

Sumuntur,cibus,potus,aër,medicamēta.Cibus pane,carne,piſcibus,ouis,frugibus,oleribus, comprehenditur.

PANIS ex farina cōficiatur,non adeò exactè incerniculo purgata,ut nihil ſecum habeat craſsiuſcularum partium,quas utriculos uocant.Sit quoq; plurimum ſubactus,ſalitus,& fermētatus,atq; in furno uel clibano leni igne bene coctus,odoratúq; aliqua ſemina,fœniculi præcipue,habeat commiſta.Si quādo tamē ſimilagineo utendum,hoc eſt,ex puriſsima & albiſsima farina confecto,ſacchari etiā albiſsimi,atq; roſaceæ aquę aliqua portio adiicienda.Placētæ quoq; dulciariæ modo noſtro,ex farina electiſsimo melle,cinnamomo,pipere,cum aqua roſacea,moſchata,nō inutiliter cōponentur. Illa etiā placenta quæ Martius uel mazapanis uocatur,eodem cinnamomo condita,& guſtui iucunda,& ſanitati erit non inutilis. Parantur & apud nos globuli ex eo ſaccharo,quòd quia finem candoris per trinam coctionē adeptum eſt,finū uulgò uocant,atq; amyli farina,aqua roſacea moſchata ſolutis,qui pectori multum ſunt cōgrui,& uires reparant:quę tamē longe melius reparabuntur per placētulas ex amygdalis, pulpa capi uel phaſiani,& ſaccharo cōpoſitis.Fiunt & apud nos tenuiſsimæ ueluti membranulæ ex albiſsima farina,addito ſaccharo,Nebulæ uulgò uocatæ,quæ intra duo ferramenta craticulatim interſecta,ſupra prunas coquuntur,à qua coctura quidam eſcharites uocari purāt:quæ quādoq; tereti ligno ſtatim à coctura circumuoluuntur,ut cōmodius uino immerſæ edantur.

CARNES. Aues quæ in aquis nō degunt,præcipue congruunt,atq; inter eas ſylueſtres,ut phaſianorum, perdicum,uel cōmunium,uel quæ rubens roſtrum habent,& reliquis præſtant,attagenarum,columborum qui in turribus uiuunt,gallinarū & caporum,qui locis liberis nutriuntur,& ſub diuo dormiunt.Laudabilis caro otidis,quæ auis tarda dicitur:& pauonis non cōuenit,nec anſeris,præter alas & iecur,ficatum uocatū.Ex quadrupedibus hœdi,uituli,ueruecis: reliquæ, præcipue ſylueſtrium & ſenum,dimittendæ.

PARTES animalium,Gallinaceorum teſtes & iecuſcula commendamus,ſuillos uitulinóſq; pedes bene cum priſana coctos toleramus.

PISCES parui petrei uocati,& ex maioribus lucii, & qui ab aſſatura apud Pannones nomē accepere.Cetacei penitus dimittendi,ſicuti & cruſtati.

OVA omnia,præter gallinæ recentia,& ſorbilia uel tremula dimittenda.

LAC caprinum ita tepens,ut ab uberibus extractū eſt,ubi ceſſauerit febris,mane cū modico ſaccharo bibitum,ad recuperandas uires multum proderit,modo nec ſomnus ſequatur, nec alius cibus addatur,donec plenè concoctum ſit.

BVTYRVM recentiſsimū,roſacea aqua bene ablutum,cum ſaccharo edi poteſt,uel cum pane illo tenui, quem eſchariten ſuperius diximus uocari.

CASEVS ouillus uere confectus,& adhuc mollis, guſtari quandoq; poteſt,ſed longe tutius cum ſaccharo uel optimo melle.

CONDIMENTA. Elixa aſsis ſunt præferenda. Si quando tamē his utendum,ſint prius in aqua ſemicocta,nec per aſſaturam indurata.

IVS album uocatum,quod uidelicet porros & anethum recipit,piſces præcipue,ſed & carnes cōmendat. Sicuti & hyeme id quod ſeptentrio nigrum uocat,& æſtate quod ex amygdalarum ſucco,ſaccharo,roſacea aqua,atq; omphacio præparatur.

Nō incongruum & guſtui & ſanitati fuerit,id quod ex paſſularum ſucco & ſaccharo cū cinnamomo odoratis conficitur:quibus tantum roſacei aceti addatur, quantū domini palato ſit gratum.Hyeme,puluere eſcæ condiantur,qui recipit,piperis,cinnamomi,nucis moſchatæ ana p.1.gariophyllorum p.s.ſacchari quantum aliorum omniū.Aeſtate eo quod habet maceros,cinnamomi æquas p.ſacchari quantū utriuſq;.Mediis tēporibus,uere ſcilicet & autumno,uterq; miſceri poteſt. Exenteratum gallinaceum odoratis malis oppletum, camerato uaſculo ex farina,aqua eo modo macerata, quo panifices ſolent,paſtam uulgò uocant,ita occlude,ut nullus ſit tranſpirationi locus,cauitáſque uaſculi adeò ampla,ut ius quod exudabit capere ualeat:parietum ac fornacis tanta craſsities,ut igneum calorem non minus quàm teſtaceum uas perferre poſsit.Hunc gallinaceum ſic operculatum, in furno modicè calido tan

do tan

do tandiu tenebis, quoad opertorium eius probe excoctum ſit: quod ubi extraxeris perfregeriſque, liquorem inuenies fragrantē, qui hauſtus mirū in modū, & citiſsimè uires reparabit. Ad condimenta quoq; ea ſpectare uidentur, quæ antiquitati in tanto luxu, adeò fuerunt incognita, ut nec Apitius ea nouerit, quæ uidelicet ex ſaccharo uariis modis concinnantur. Inter hæc excellit, quæ à ſaporis ſuauitate ſaponeæ nomen inuenit. Ea conſtat ex amylo & ſaccharo puriſsimis, roſacea moſchata aqua coagmentatis: poteſtque uel pultis modo alueolis reponi, uel in offas adformari: quæ ignis calore arefactæ & diutius ſeruantur, & oculo plauſibiliores reddūtur. Eſto autem ſacchari p. 3. amyli & roſaceæ aquæ 1. quæ leni carbonum igne eouſque bulliant, donec mediocrem conſiſtentiam accipiant. Formati uero ad congruam figuram globuli, ſupra chartam mūdam amylo inſperſam, ſeorſum componantur, armarioloq; aliquo ſimul cum teſtaceo uaſe ardentibus prunis pleno, ita occludantur, ut ignis ui modice exiccentur. Denſantur & quorundam pomorum ſucci eodem ſaccharo admixti, & ueluti congelantur, gelati propterea dicti, in hunc modum: Scinditur in quatuor quinqueúe fruſta pomum, ſeminibúſque ſimul cum duriore parte quæ illis hæret abiectis, cū media parte ſacchari, molli igne donec craſſeſcant, excoquuntur, uitreóq; uaſculo ubi refrixerint repoſita, toto anno ſeruātur. Idem fit ex ceraſiis, quæ ab exili quadam amaritudine amarena uocantur, cum tamen in eis acedo potius quàm amaritudo demonſtratur. Paratur & pulmentum tanti candoris, ut nomen albi meruerit: in hunc modum: Pulpæ gallinæ, præcipue nigræ, modice coctæ, omni pellicula exemptæ, p. amygdalarum mundarum, ſacchari, aquæ roſaceæ. Fit & aliud, quod à florum geniſtæ colore, geniſtatum uocant.

FRVGES. Hordeum inter omnes fruges maxime commendandū, & præcipuè parata ex eo in hunc modum ptiſana: Hordeum eligito quod nec ualde nouum ſit, nec penitus antiquum, ab omníq; aduentitia qualitate immune, & quod dum coquitur, in magnum tumorem extollitur: tantum in aqua madeſcat, ut perfricatum ab utroq; cortice emundetur. Sunto autem eius p. 1. in aquæ optimæ p. 15. forti primo igne coquitur, quoad perfringatur, dehinc melle, donec penitus colliqueſcat, adiecto ſale & oleo dulci, conditur. Ego tamen D. V. R. conducere magis putauerim, ut pro communi oleo amygdalinū adderetur, quanquam & ipſum oliuarum oleum arbitrer non incommodum, modo purum ſit, & ab omni acredine prorſus alienū. Poteſt & ſuccus cremórue ex eodē hordeo, etiā ſicut prędiximus cocto excolari, qui adiecto ſaccharo cōmode exſorbeatur. Vtriq; uero addendū anethum, & niſi abominabile ſit, porrum. Poteſt & hordeum ipſum, ut patrius mos habet, cum carnibus, ualidiore primum igne, dehinc leniore coqui. Eiſdem modis chondrus, far nunc uocant, paratum uenire poteſt. Sed & oryza, uel in optimo iure pleniſsime cocta, uel in amygdalarum ſucco, quem ob candorem lac uocant, adiecto ſemper puluere ex optimo cinnamomo & ſaccharo confecto.

OLERA. Excellit inter hæc lactuca: præter hoc enim quod ſanguinem ferè laudabilem gignit, etiam ſomnū prouocat: debétque in hunc uſum poſt alios cibos edi, ſicut excitandi appetitus gratia in cœnæ initio, aceto, oleo & ſale condita, & uel cruda uel elixa: hæc enim facilioris concoctionis eſt, illa magis refrigerat. Poſt lactucam eſt bugloſſus, borago uocata. Atriplex & ſpinacia uocata, quæ ferè eiuſdem generis ſunt, in iure bonarum carnium coctæ tolerari poſſunt. His oleribus, ſi frigidiora uidebuntur quàm ut ea uentriculus ferre poſſit, miſcenda calida erunt, præcipue mentha & ſaluia: duobus enim his & uentriculus firmabitur, & cerebrum neruíque robur capient.

FRVCTVS. Piſtacia, amygdalæ, auellanæ, caricæ, paſſulæ, laudātur. Mala punica, pyra, tolerari poſſunt, atq; pruna, melopepones, & perſica, ſi tamen hæc omnem alium cibatum præcedant, illa ſequantur.

POTVS. Vinum ſit tenue, flauum, odoratum, modicéque ſubadſtringens, non dulce, nec auſterum. Interdum quoque mulſo utatur ex eodem uino & optimo melle confecto. Si quando uero bilis redundare uidebitur, abſinthites conducet. Ceruiſiæ uſum non probo, ob conſuetudinem tamen, mellitæ illius quam medonem dicitis, uel leuioris alterius, tolero. Laudauerim potius melicratum ex aqua per deſtillationem, ex eupatorio uel chamæmelo elicitum & compoſitum. Sed & iulebum uel roſaceum, uel uiolaceum, cum aqua in qua purum aurum ignitum pluries extinctum ſit. Et de cibo & potu hæc dicta ſint.

AER. Inter ſumpta aër præcipue numerandus eſt: is enim uelimus nolimus aſsidue intus adigitur, atq; ad principalia duo membra, cor & cerebrum per inſpirationē ingreditur. Eligendus ergo, quantū regio patitur, temperatus, & ab omni primarū qualitatū exceſſu, frigoris præcipue & humiditatis, penitus immunis. Domus ergo & cubile, ab auſtro & aquilone tecta, ad uernalem exortum proſpiciant, ignéque claro in ſiccis lignis & odoratis accenſo, etiam æſtate calefiat, & per caminos ſemper magis quàm per hypocauſta: quibus ſi uel conſuetudo uel alia res uti cogat, tepida potius ſint, quàm uehementius calida: quotidiéque reſeratis feneſtris & oſtiis, aër nouandus eſt, dehinc ſuffimentis quibuſdam odorandus: quæ, etiam ſi per caminum cubile calefiat, ſeruanda ſunt. Quando exeundum cubile eſt, id ſereno die, non nebuloſo aut nubilo faciendum eſt. Peiores enim hi quàm pluuij ſunt: atq; hyeme quidem nullo uento perflante, æſtate fauonio.

DE MEDICAMENTIS. Et quoniam de his ſatis dictum eſt, ad medicamenta ueniendum, ita tamen ut ſciamus eorum uſum, niſi ubi priora non ſuffecerint, eſſe ſuperuacuum. Ex his nonnulla euacuant, alia membris robur addunt. Euacuant quædam per uentrem, quædam per os, alia per urinam, alia per ſudorem, alia per occultam diſflationem. De ſingulis agendum. Ex his quæ per uentrem euacuant, quædam per inferiora iniiciuntur, quędam per os ſumuntur. Ex primis ſunt balani, ſtuppæ, clyſmata. Ex primis quædam leuia, ut quæ ex ſolo melle decocto parantur. Quædam mediocria, quibus ſales adiiciuntur, & cyminum, aut quodpiam ſimile. Quædam fortiora, quibus pulueres hieræ lygodij, aliàs logodij, uel Iuſti, cum nitro commiſcentur, & mellis uice reſina. Stuppa quoque leuior fortiórq; fieri poteſt, ex liquore in quo maduerit: à melle enim & ſapa leuiſsima, à ſyrupo de epithymo potentior: cui ſi parum uel ſcammonij, uel colocynthidis, uel ellebori ſuperaddatur, potentior ualde reddetur. Sit autem ſtuppa leuis ualde, & optimè carminata, uel ſtuppæ loco goſſapium bene pexum, aut lana ſubmittatur.

CLYSMATA. Ex his quoque ſimpliciſsimum ex iure pulli & ouis recentibus parabitur, addito ſaccharo craſsiore, quod ſi abſque ſale iniectum diutius retinebitur, robur toti corpori præſtabit. Idem ferè præſtabit ptiſanæ ſuccus, cum ouis & ſaccharo. Præſtantiſsimum erit ſi eiſdem quarta pars chamæmelini olei coniungatur. Potentius erit, ſi pro ptiſana furfuris cremor accipiatur. Vbi uero duriora excrementa inteſtina obſederint, ſolum chamæmelinum oleum iniiciatur. At ſi humores quoque educere uoluerimus, uel à ſuperioribus uehementius retrahere, tum acrioribus utendum, ut oleo in quo ruta, cyminum, anethum coctum ſit, adiecta etiam aliqua ex magnis hieris, uel decocto centaurij minoris, cum oleo rutæ, atque uel eiſdem hieris, uel compoſito quod benedicta uocatur.

Quæ per os accipiuntur, aliqua per inferiora, aliqua per os ipſum, materiā educunt. Primi generis ſunt, quæcunque uel epota, uel deuorata, per inferna expurgant, inter quæ præcipuum & maxime D. T. Reuerend. conducens erit quod ex manna nunc uocata, & rheo uel barbarico, uel pontico conficitur: quod poteſt uel ad electuarij formam redigi, uel cum abſinthij aqua bibi. Eſto autem mannæ uncia, rhei drachma, uel plus minúsue utriuſque ſecundum præſentium medicorū iudicium. Vbi uero manna non ſuppeteret, poteſt loco eius accipi ſiliquæ Aegyptiæ, caſsiæ uocatæ, medulla per ſetaceum cribrum colata, minore tamen modo, ſex uidelicet drachmarum pondere. Quæ uerò per os accepta, per os quoque educunt, triplici genere continentur. Poſſunt enim è uentriculo, poſſunt è pectore, poſſunt & è capite materiam educere.

Primi generis ſunt ptiſanę ſuccus cum oxymelite: ſolus quidem ſi leuiſsime, uel decocto in eo atriplicis ſemine, & polypodio, ſi potentius: uel agarico, ſi adhuc potentius deſiderauerimus, materiam per uomitum educere. Sit autem ſemper tepidum, nec minori quàm trium cyathorum, hoc eſt, ſex unciarum quantitate. Ex pectore adiacentibúſq; ei partibus educunt ea quæ uel

lingendo paulatim deglutiuntur, uel ſolidiora cū ſint, tandiu in ore detineantur, donec ſenſim reſoluta deſcẽderint. Primi generis erit hoc: Amygdalarum mundarum, nucleorum pini, ſeminis cucurbitæ, pares portiones, penidiarum p.2. cum ſyrupo de glycyrrhiza congruam formam recipientia.

Secundi, ſi abſq; ſyrupo cum ſaccharo in aqua uiolacea diſſoluto, lupini maioris effigie reformentur. Materiam è capite trahunt quædam manſa, ut maſtiche, uel ſola, uel pyrethro adiecto. Alia gargarizata, ut oxymeli cum aqua ſaluiæ ſola: uel ſi ualidiorem fieri operationem uolumus, decocta in ea nepita.

Ad ea quæ per ſuperiores partes corpus ingrediuntur, ſpectare uidentur & errhina à Græcis uocata, quorum uſum non inutilem D.T. Reuerend. putauerim, inter quæ leuis eſt ſampſuchi aqua per nares attracta: fortior betæ, præcipue radicum ſuccus: fortiſsimum, ſi aut ellebori albi, aut euphorbii grana aliquot addãtur. Sed & quæ auribus iniiciuntur, huc quoq; ſpectare uidentur, & multum cõferre, tum robori cerebri, tum auriū ſibilo. Inter quæ oleum de ſpica odoriferum excellere puto, uel commune, adiectis pro ſingula uncia gra.3. moſchi, & ſi inflatio abundare uideatur, longi piperis obolo. Et de euacuantibus quidem per os, nares, & aures, hæc ſatis ſint.

Ad euacuantia per urinã accedentes, dicimus, adiantum, aſparagos, cicera, præ cæteris propoſito noſtro conducere. Sudorẽ uero modicè cient piſtacia, ualẽtius aniſum, ualentiſsime ſerpyllum: illa quidem comeſta, hæc cum mulſa, aquáue mulſa epota. Eadem quoq; tenuiorem materiã atq; paulo aridiorẽ, per cutis occultos meatus, ſenſu carente euacuatione, diſſlare faciunt. Et de euacuantibus quidem hæc dixiſſe ſat ſit.

Roborantia uaria eſſe oportet, iuxta membrorum quæ roborari debent diuerſitatem. Quædam enim ex mẽbris ſunt principalia, quædã illis deſeruientia. Principalia ſunt, cerebrum, cor, iecur. Cerebro famulatum præbent nerui, cordi pulmones, iecori uentriculus. Omnibus ergo robur addendum per medicamina uel ebibita, uel deglutita.

Vt igitur à cerebro initium capiamus, ex potu ſyrupi facti ex decocto corticum citri, ſaluiæ & roſarum, cum aqua uiolarum, robur accipiet, atq; ex chebulis myrobalanis, cum ſaccharo uel melle conditis. Item ex floribus ſaluiæ, eo modo quo roſæ ſolent, cum ſaccharo cõpoſitis & adſeruatis.

COR ex potu aquæ roſaceæ in qua ocimi maioris, & quod uerè ocimum eſt, folia uel ſemina immerſa fuerint. Item ex gariophyllorum puluere, cum eadem aqua & Cretenſi uini gutta, ebibito.

IECVR eupatorio, uulgò apud nos agrimonio uocato, roborabitur, chamæpity & cichorio: illo quidẽ, ſi frigus, hoc, ſi calor, reliquum ſuperãte. Poſſunt hæc uel in uino uel in aqua coqui, uel per aquæ bullientis uaporem ex eis ſuccus clarus in duplici uaſe elici, qui & limpidus aſpicienti, & ualde idoneus bibenti erit. Et de principum robore hæc dicta ſint. Ad ſeruiẽtia accedendū, initio à uentriculo ſumpto, qui etſi indignioris principis ſeruitio deſtinatus uideatur, eius tamen ſeruitium adeò neceſſarium eſt, ut nec ſummi principes, cor & cerebrum, abſq; eo, nedum proprio munere fungi, nec diutius ualeant perennare.

VENTRICVLVS. Succus ad eundem modum ex mẽtha, abſinthio, ſiſymbrio, origanóq; abſtractus, uel ipſarum herbarum puluis deuoratus. Ius perdicis cum gariophyllis coctæ, mirum in modum uẽtriculum roborabit.

NERVI. His maximum adminiculum præbent ueræ acori radices conditæ. Veræ dico, quoniã quæ uulgò acori nomẽ habet, xyridis radix eſt. Item caſtorium & benzoi uocatum, per catapotia deuorata.

PVLMONES paſſulis dulcibus, caricis pinguibus, glycyrrhizæ radicibus recentibus, roborantur. Et hæc quidem de principalibus, atq; his quæ illis famulãtur, dicta ſint. Adiicienda erunt nonnulla, quę in uniuerſum omnibus corporum mẽbris cõducunt. Inter quæ maxime præſtaret theriacæ & mithridatis antidotus, ſi recte parari poſſent. Sed multa ex ſimplicibus medicamẽtis, quæ in eis recipi deberent, adhuc ſunt incognita: quæ tamen ſperandum eſt non diu eſſe deſideranda, cū multi excellentis ingenii uiri ubique compareant, qui ſimplicibus medicamentis indagandis omnes neruos intendunt. Interim tamen, imò etiam ubi ad amuſsim magnæ illæ antidoti paratæ fuerint, maximi uſus erunt recentiorum præclara quædã inuenta (neq; enim tantum antiquitati tribuendum, ut noſtrū ſeculum debita laude fraudemus) quæ in roborandis omnibus corporis membris, ſenectute tardanda, ac uita ad naturalem uſq; terminū proroganda, ſunt efficaciſsima: inter quæ hoc ego puto excellentiſsimum: Nucis myriſticæ, gariophyllorum ana ℥.2. cinnamomi quantū inueniri poteſt odoratiſsimi, florum ſaluiæ, ſi inueniri poterunt, ſi non, foliorum mari, hoc eſt, odoratiſsimæ & nobiliſsimæ maioranæ ana m.1. cichorii, abſinthii, chamæpitys ana m.1. ſandalorū omniū ana ℥.s. meliſſophylli, ocimi, ana m.1. croci ℥.1. calami aromatici ℥.1.s. ſtœchados ℥.3. rhei pontici uulgaris ℥.1. rhei pontici ueri ℥.s. centaurii minoris m.2. Hæc modice contuſa, madeant integram minimum diem in uino odorato tãto, ut eo bene operiãtur, ſimúlq; cū ipſo uino in uaſe magno uitreo, chymicorum more & facto & incruſtato, igni claro non uehementi admoto, exiens per roſtrū uaſis ſuccus diligenter colligatur, & in bene obturato uaſe aureo uel uitreo diligenter obſeruetur: ex eius enim unica drachma, uel per ſe ipſa, uel cū cyatho, hoc eſt, unciis duabus uini hyeme, æſtate aquæ roſaceæ pota, mirum in modum totius corporis uires reparabuntur. Quòd ſi quæ ſuperfuerunt aridæ partes bene contritæ, uinóq; aſperſæ, fortiori igni in minore uaſe admouebuntur, ſtillabit liquor, qui extrà inunctis, multū roboris mẽbris ſuperaddet. Atq; hactenus quidem de ſumptis.

EDVCENDA quæcunq; ex alimentorū concoctionibus neceſſario redundant excrementa, primæ ſcilicet quæ in uentre, ſecundæ quæ in iecore, uenis & arteriis, & tertiæ quæ in ſingulo quoq; fit membro: cuilibet autem harum natura multa parauit inſtrumenta, aliqua expurgantia & diſcernẽtia, alia deducentia, alia colligẽtia, alia demum excernẽtia, quæ tamen nõ adeò in aliis duabus ſicuti in prima, ſunt euidentia. Facta enim concoctione, uẽtriculus congruū ſibi nutrimentū retinẽs, aperto portonario, qui & ipſe ſuam ſibi portionẽ reſeruat, quod reliquum eſt ad id inteſtinum expellit quod propius eſt, atq; hoc rurſus ad proximum, donec ad ſacculum, ſeu cæcū uocatū, in quo iam ſtercoris formã craſsiora recipiunt excremẽta, per uenas ad portas iecoris tendentes, continue exuccata, quæ demū in recto aggregata, atq; ipſum uel copia uel qualitate irritantia, laxato circulari muſculo foras mittuntur. Vt igitur hæc eductio recte fiat, prouidendū ut bona coctio in uentriculo fiat, expulſoria & retẽtrix. eius uires ualidę ſint, inteſtinorum cauitates pateant, & præter hæc omnia, meatus qui bilẽ à ueſica eius ad inteſtina defert, omni careat obſtructione. Nã ab hac uis irritata, circularem ani muſculū reſerat. Vẽtriculus quibus roborandus ſit, abunde ſuprà docuimus. Inteſtinorū laxitudinẽ tuebimur, imo uentre manu oleo liliorū alborum inuncta, molliter perſricato, in quo tamen antea althææ radix bullierit. Sed & ad hãc rem optime faciet ius gallinacei rudiore ſaccharo dulcoratū, ante omnẽ eſcam ebibitū, uel ſorbilia oua recentiſsima, albo ablato, eius loco idẽ ſaccharum habẽtia. Meatus bilem ad inteſtina ducens, optime reſerabitur ex eupatoria herba hyeme, & ęſtate cichorio. Secundæ cõcoctionis, quantū ad iecur pertinet, excrementa ſunt duæ biles, & præterea ſeroſa humiditas: horum nigra quidẽ per lienem, rufa per ueſicã iecori ſubiacentem expurgatur, atq; illius quidẽ terreſtrior portio, nutrito liene, ad uentriculū primo, in quo appetitum excitat, deinde ad inteſtina defertur, cū reliquis alui excrementis euacuanda. Hæc ab ipſa ueſica ad gracilium inteſtinorū initium delata, expultricẽ eorum uim excitat, & cum ſiccioribus excrementis egreditur. Vt igitur hæc duo exeant, præter inteſtinorū præparationem, de qua paulò antè dictū abundè eſt, enitendū eſt ut meatus, per quos & ad ſuum quodq; receptaculum, & ab ipſis receptaculis unum ad uentrem, aliud ad inteſtina defertur, omni careãt obſtructione, quod quidem in iecore & eius ueſica abſinthium, in liene cappares præſtabunt. Nec ſunt duo hæc ueluti exigui momenti parum curanda, cum ex horum obſtructionibus omnes ferè mali affectus, quibus hactenus D.T. Reuerend. uexata eſt, duxerint originem. Non negligenda præterea eius excrementi euacuatio, quod ex concoctione eadem ſecunda, ui iecoris in uenis & arteriis generatur, quod quidem ſero coagulati lactis

eſt ſimi

eſt ſimile: quod ubi traxerint renes, ad ueſicam tranſmittunt, cuius ceruix tranſuerſo muſculo occluſum tandiu retinet, donec uel copia, uel qualitate extimulata, muſculo uoluntariè reſerato, coadiuuantibus inferioris uentris muſculis, id deiiciat. Patere igitur & hic oportet, & eas uenas quibus à iecore trãſitus eſt ad renes, & ureteras uocatas, per quas iter eſt ad ueſicã. Muſculum quoq; obedientem eſſe & clauſioni oportet, & apertioni, ne ſcilicet uel inuito exeat, uel contra uoluntatem retineatur. Ad quæ explenda munia adianton præcipue conducet, & cicerum, maxime arietinorum uocatorum ius, amygdaláque amara comeſta, atq; eorum oleum extrà inunctum. Eſt & aliud excrementorum genus, quod poſt cuiuslibet mẽbri alitionem relinquitur, uel quia ſemicoctum ſimile reddi non potuit membro alito, uel quia cũ pro uehiculo eſſet nutrimento ad membra tranſmiſſo, ueluti munere iam ſuo functum inutiléque factum reiicitur. Eſt autem hoc tenue inſtar ſeroſi illius, quod pauló antè diximus ex uaſculis ad ueſicam defluere: cuius expurgationi cum nullum proprium uehiculum à natura ordinatum ſit, per mollia corpora delatum, eius impetui obedientia, facile propellitur, & præcipue cum à collecto ſimul ſpiritu propellitur, tenuiórque & uaporoſa quadam eius portione ſub ſudoris forma, per exiguos meatus, quibus uniuerſum corpus, ipſáque cutis plena eſt, euacuata, per quos meatus excrementa quoque alia, quæ diximus non potuiſſe in membrorum ſubſtantiam conuerti, ſub uariis formis expurgantur. Quod enim terreſtre & craſsius eſt, uel in pilorum ſubſtantiam conuertitur, uel lutoſa cuiuſdam ſordis ſimilitudine foras prodit. Id uero quod tenuiſsimum eſt, abſq; hoc quod ſenſu percipiatur extrorſum propellitur. Vt igitur horum omnium congrua fiat euacuatio, enitendum eſt ut corporis meatus pateant, reſeratique permaneant: quod qua ratione fieri debeat, ex agendis, extrinſecúſque incidentibus eluceſcet.

AGENDA. Ad hoc genus ſpectant, frictio, ambulatio, equitatio, uectio, exercitatio, epitedeumata, ſomnus.

FRICTIO. Ex multis frictionum generibus illa mihi congruere uidetur, quæ mollis ſit & mediocris. Mollis dico, quæ mollibus uel linteis, uel manibus fit. Mediocris, quæ tandiu fit, donec corpus ad tumorem deuenerit. Debet autem à ſuperioribus partibus inchoare, à ceruicis uidelicet initio, ita ut partes quoque quæ ſunt poſt aures attingantur, ab hiſque ſenſim ad humeros cubitóſque deſcendẽdum, atque per thoracem ad coxas & crura, uitatis mollioribus partibus, ſummo uidelicet imóque uentre, quæ non linteo, ſed manibus oleo abſinthite inunctis, ſunt leniter perfricandæ: inguinibus uero & axillis uehementius aliquantiſper, atque aſperiore linteo contrectatis.

AMBVLATIO. Si ſereni tranquillíque dies ſint, uel perflet zephyrus, ſub diuo potius quàm ſub tecto facienda, accliuibus potius & decliuibus locis quàm planis, recta, non flexuoſa: uacuo, non pleno uentre. Lenior ab initio ſit, ſenſímque creſcat, & uehementior per aliquod tempus fiat. Demum ſenſim quoque ad finem ueniat, qui tamen citra ſudorem & laſsitudinem eſſe debet. Vbi uero tempeſtas eam quæ ſub diuo prohibeat ambulationem, ſub tecto amplo quantum fieri poterit loco ambulandum, nec unquam corpus reuoluendum, ſed antè quidem primo, deinde retro ambulandũ: hæc enim ambulatio, maxime ſi citatior fuerit, capiti, oculis, auribúſque admodum eſt utilis. Quæ tamen ſi fortè difficilior, uel minus congrua perſonæ quàm geris uiſa fuerit, non ſtatim uolutatio facienda, ſed morula aliqua inter greſſum & regreſſum interponenda. Hanc clara lectio uel locutio ſequatur, quæ & ipſa paulatim creſcere debet & decreſcere: præcipue uero legenda carmina, atque inter ea iambica: ex hac enim exhilaratio mentis ſequitur, ſequeſtrantur curæ, & quæ in corpore, præſertim in ſpiritualibus uocatis membris redundant excrementa, diſſoluuntur.

GESTATIO non parum præſtat emolumenti, conducerèque magis uidetur quàm equitatio, quæ licet ſtomachum roboret, & ſenſus purget, pectori tamen & inguinibus uehementer nocet, ſine quorum nocumento geſtatio fit, imò cum aliis multis emolumentis: calorem enim excitat, habitum firmat, ſomnum prouocat, ſuperuacanea è uentriculo & capite diſcutit, uires confirmat. Quæ ſi per lecticam fiat, etiam ſi febris aderit, tutò in uſum ueniet: ſicuti & ea quæ in in ſuſpenſa penſilíque lecticula agitatio, quæ adeò tuta eſt, ut etiam à cibo & in maioribus morbis in uſum uenire poſsit. Proderit & interdum nauigare, & rheda per loca plana uehi, utrunque tamen fiat, facie ad poſteriorem partem conuerſa.

EXERCITATIO. Poſſunt quidem quas nuper diximus motiones, exercitationes dici, ſi omnem corporis motum eo nomine dignemur. At ſi, ut probi autores loquuntur, is tantum motus exercitatio dici meretur, qui uehemens eſt, non ſemper erunt exercitationes dicendæ. Vehementia quippe hinc cognoſcitur, cũ ſpiratio mutatur: quod certe non omni homini ex æquo per eandem motionem contingit. Vnde fit ut idem motus uni quidem exercitatio ſit, alteri non ſit. Metiri igitur ſibimet quiſq; debet motationem, atq; tum demũ exerceri ſe putare, cum ſpirationem ſenſerit immutari. Quod ubi ex aliquo eorum quæ diximus, D. T. Reuer. contingere agnouerit, poterit eam motionem pro exercitatione cõputare: ubi nequaquam, uel cœptam augere, uel ad aliud uehementius genus ſe transferre, ut pondus aliquod eleuare, & de manu ad manum permutare, pilam pedibus propellere, telum iactare, atque id genus plurima. Ad agenda quoq; pertinẽt quæ Græcis ἐπιτηδεύματα, nos ſtudia, uitæue propoſitũ poſſumus appellare, à quibus non exigua portio ſalutis pendet. Sunt enim quędã huiuſce generis, in quibus uix ſanitas ſeruari poteſt: inter quæ ut maxime eminet id quod D. T. R. imminet, ita cum maximo & ſalutis & uitæ diſcrimine exercetur. Vix enim unũ inuenias talis profeſsionis uirũ, qui ſenectã ſanus attingat: quippe dũ cõmunẽ ſalutem nimis anxiè quærunt, propriã negligũt. Quòd ſi cui unquã, D. T. R. maximè contingit, quæ nedũ, ut audio, ſtatim à prandio, qui ſolus ei cibus eſt, aut dictat, aut ſcribit, ſed inter prandendũ quoq; ſæpenumero literas legit, & negocia expedit, neq; ullo unquam tempore à curis animũ auertit. Eſſent igitur hæ curæ tandiu intermittẽdæ, quoad uires aliquãtiſper refocillarentur: uel ſi id fieri nõ poteſt, ita moderãdæ, ut aliqua hora ſaluti corporis donaretur. Putauerim igitur melius huic rei conſuli, ſi mane uel nihil cibi, uel adeò exiguum caperetur, ut impedire curas & negocia non ualeret: ueſperi poſt modicam exercitationẽ cœnaretur: cœnam ſomnus ſequatur, ita tamen ut uel horulæ ſpatium intercedat, in quo ab omni negociatione, atque etiam, ſi fieri poteſt, cogitatione ceſſandum. Nec aliena erit interim ambulatio, modo lenta ſit.

SOMNVS. Et quoniam non exigui momenti inter agenda ſomnus eſt, in eo aliquantiſper immorandum. Incipiat igitur duabus, uel minimũ unica, ut diximus, à cœna hora, molli ſtrato, corpore ſupra dextrum latus, capitéq; ſatis eleuato recumbente: poſt primã uigiliam ſupra ſiniſtrum latus quieſcẽdum, ſicq; dormiendum: poſt quem rurſus ſupra dextrum incumbendum, ita ut ſupinus ſemper accubitus caueatur, pronus rariſsimus ſit, & breuiſsimus. Sit autem dormiendi ſpatium octo ad ſummum horarum, & nocturnus. Meridianus uitandus, niſi fortè ex aliqua occaſione nocturnus interceptus ſit: tunc enim meridiano id reſarciẽdum, quod ex nocturno fuerit amiſſum. In hoc tamen, atq; aliis quæ ſuperius diximus, id ſemper obſeruandum, ne aliqua conſuetudo, niſi uehementer mala, repentinò mutetur. Et de agendis quidem cum ſatis ſit dictum, ad ea quæ foris occurrunt accedendum: ſunt autem hæc, aër, balneum, ueſtes, unguenta, oleum, pulueres.

AER. De hoc, ubi de his agebam quæ corpus ingrediuntur, abunde dictum eſt: nũc ſatis ſit monuiſſe. Procurandum, ut qui foris occurrit calidior, quantum fieri poteſt, ſit, quàm is qui intrò fertur, hyemis præſertim tempore. Quare ſi quopiam tum eundũ fuerit, enitendum erit, ut aliquo ingenio, extrema ſaltem membra ſemper calida permaneant, pedibus quidem ſupra ligneas pedicas quieſcentibus, ferreis laminis ſic ſuffultas, ut candens ferrum citra ligni uſtionem intra illas adſeruari poſsit: piláque utraq; manu teneatur, in qua ferrum pariter candẽs occluſum ſit. Reliqua uero membra optime ſint ueſtibus operta, in quibus aliquantiſper immorandum, ſi tamen prius monuero, aërem in quo continuè degendum eſt, debere, quantum fieri poteſt, purum eſſe, à ſtagnis, paludibus, cloacis, cauernis, ſaxoſis locis, metallorum fodinis, prorſum ſemotũ.

VESTES. Intima tunica ſingulo quoq; die permutetur, atque priuſquàm induatur, ſimul & calefiat, & odoratis quibuſdam rebus ſuffumigetur: id commode fiet, ſi duo teſtudinea forma & concaua uaſa inuicem cõiungantur, ſitq; id quod infime iacebit prunis ardẽtibus plenum, ſupra quas res odoratæ cõburantur. Id uero quod ſuperiacet foraminulentũ, ut per foramina non ſolũ calor, ſed odor quoq; ualeat permeare, & in tunicam ſuperpoſitã recipi. Sit autẽ ſuffimentũ hyeme ex benzoi uocato, gariophyllis, ambare & moſcho, tali portione commixtis, ut ſint benzoi ʒ. 4. gariophyllorum una, ambaris duæ ſiliquæ, moſchi una. Ex quibus aqua uel oleo ſpicato reſolutis, paſtilli adformentur, qui in hunc uſum adſeruentur. Aeſtate ſandali citrini, roſæ æquales partes, cum tragacãtho per roſaceam aquam emollito diſſoluantur, adiecto ambaris & moſchi æquali modo, illius binæ, huius unica ſiliqua, & in eandem paſtilli formam redigãtur. Reliquæ quoq; ſuperiores ueſtes non incongruè ad eundem modũ hyeme calefient, eruntq; leues ſimul & calidæ. Aeſtate antequàm induantur refrigerari permittantur, cauendo ſemper ne renes & iecur nimis incaleſcant. Caput uero ita noctu & interdiu tegendum, ut nec frigore algeat, nec calore exæſtuet: quod experiẽtia potius quàm certa regula dignoſci poteſt.

BALNEVM diuerſas uires habet, iuxta diuerſos liquores in quibus fit, maiorem minorémue calorẽ: iuxta etiã moram in eo factam, affectionémq; corporis quod balneatur. Liquores in quibus fieri poteſt, licet ſint uarii, tres tamẽ inter omnes ſunt pręcipui, aqua ſcilicet, uinum, oleum. Cõmunis tamen uſus habet, ut per balneum, aqueum intelligamus, quod tamen & ipſum uarietates nonnullas recipit. Poteſt enim aqua uel pura naturaliſq; eſſe, nullã aliam uim ſecum commixtam habens: uel uideri quidem exactè aqua, miſcellã tamen & uim aliarum rerũ in ſe continere, ut ſalis, nitri, chalcanthi, ferri, æris, alteriúſue uel metalli, uel rei metallicæ, uel etiam herbæ, uel ligni. Pura & exacta aqua poteſt occurrere corpori uel frigida uel calida. Videamus igitur cuiúſnam aquæ balnea nobis deſeruiant. Nullius certe magis quàm dulcis, puriſsimæq;, & uel tepidæ, ſi adhuc febris adſint reliquiæ: uel modicè calidæ, ſi penitus febre corpus uacat. Tepida enim frigefacit & humectat: temperatæ caliditatis humectat & calefacit. Qualiſcunq; autẽ uſus ſit, ex eius etiam perfuſione parietes & pauimentum cõclauis, in quo balneum faciendum eſt, irrorentur, ut aẽr quoq; aquæ humiditatẽ ſentiat: ex hoc enim adeò humeſcent membra omnia, ut proprium probe mutare ualeant alimentum: febriliſq; caloris ſi extabunt reliquiæ, per teporem illum conſumentur, & ſomnus prouocabitur. Ad laſsitudinẽ uero dolorémq; membrorum auferendũ, ubi febris non adſit, coquendæ in aqua erunt pulegium, origanum, ſaluia, thymum: ubi adſit febris, chamæmalũ. Breuis tamen ſemper in balneo ſit mora, ne ſudor erumpat, ob quam cauſam à uehemẽter calidis ſemper cauendum, ſicuti & à frigidis, atq; etiam ab his quæ medicatę ſunt, à quibus tandiu abſtinendum, donec uniuerſi corporis habitus robuſtior, muſculíq; facti ſint craſsiores: tunc enim aluminoſæ & ferreæ, præcordiis in eis madentibus, nõ erunt inutiles. Et de aquæ quidem balneo hæc ſint dicta. Vini balneum uniuerſale, hoc eſt, totius corporis, non laudo: extremarum uero partium, hoc eſt, manuum & pedum, magnificè cõmendo, adeò ut manus quotidie eo potius quàm aqua abluendas cenſeam, atq; etiã interdum faciem. Non inutile quoq; putauerim, ut in oleum calidũ quandoq; manus & pedes immitterentur, hyemis præſertim tempore, ad fugiendúmq; id frigus quod quandoq; in febrium initio ſolet contingere. In omnibus autẽ his, præcipue uero in totius corporis balneatione, uires bene metiri oportet, ne fortè adeò imbecilles ſint, ut potentiam horum non ualeant ſuſtinere: in quo caſu ſatis fuerit locatũ in linteo hominem, in tepidam aquam ſemel mergere. At ſi imbecilliores uires etiam uideãtur quàm ut hoc ferre poſsint, tunc ſatis fuerit ſpongiis aqua madentibus iacentem leniter perfricare. Sed & ex ſpongiis oleo uinóue madidis, minus quidem iuuamentũ, ſed cum minori etiam diſcrimine conſequemur. Lanæ quoq; ſuccidæ in eiſdem liquoribus madentes, eundem uſum pręſtabunt, & laxitudinem tollent. Ad arcẽdas uero lacrymas utilis erit ſpongia aqua madida, in qua iuniores pineæ cõtritæ, decoctæ ſint, ſi ea facies abluatur. Et de balneis atq; his quæ conſimilem uim cum eis habent, hæc dicta ſint.

Vnguentis hyberno tempore utendum calidis, & calefacere ualentibus, quale eſt quod oleo ſpicato, gariophyllis, ambare & moſcho cõcinnatur. Aeſtate utroq; modo frigidis, quale eſt quod ex odorato, aqua roſacea, adipe, malis dulcibus coctis, cum exiguo moſcho præparatur, pomatam nunc uulgò uocant. Pulueribus quoq; perfricari corpus poterit ex odoratis rebus, calidis quidem hyeme, frigidis æſtate, ſuperius multoties dictis compoſitis. Mediis temporibus, uere ſcilicet & autumno, utræq; res, calidæ ſcilicet & frigidæ, miſceri poterunt. Quod nunc dictum in aliis quoq; ſuperius pro hyeme & æſtate deſcriptis, intelligi uolumus, ut iã finem habeat noſtra hæc uiuendi forma, à me multis lucubrationibus elaborata, & ſæpenumero, tũ propter noua D. T. R. mãdata, tum ob alias occaſiones interpellata. Nam quod ad reliquias morbi profligandas pertinebat, quod etiam petitum à me fuerat, duabus aliis epiſtolis abſolui. Omnibus autẽ his ita uelim Deũ optimũ maxim. aſpirare, ut deſiderata ſanitas inde ſequeretur, & ad ultimam uſq; ſenectam perſeueraret. Ex Ferraria, VII. Calend. Nouembr. M. D. XXXV.

## EPIST. II. *Ad eundem pro cura nonnullarum nouarum affectionum ipſum moleſtãtium.*

DVm propè iam eſſem ut extremã manum imponerem literis, quibus mandatis D. T. R. obtẽperans, quæ ad uictus rationẽ, & reliquias antiquorum morborum profligãdas attinebant, diffuſe ſatis annotauerã, nouæ mihi redditę ſunt literæ, quibus id intellexi, quod ut maxime nolebam, ita minime expectabam: ex unica uidelicet tertiana duplicem ſubortam, adiectúmq; uentris dolorẽ cum tumore & duritie: extinctum omnẽ tam ad cibum quàm ad potũ appetitum: attenuatum ſimul cum uiribus corpus: fieri quandoq; potus, quãdoq; (licet rarius) & cibi uomitum: ſomnum à febribus interpellari: longanoni inteſtini exitum pariter cũ dolore, qui ſtantem uel ſedentem maximo afficiat dolore. Hæc ferè ſunt de quibus nunc quæritur D. T. R. & à quibus liberari cum diuino auxilio & noſtris præſidiis petit. Adſit itaq; ille, & mentem meam ita radio ſuæ lucis illuſtret, ut ea ſcribam quæ hanc malorũ cateruam penitus ualeãt debellare. Quoniam res ipſa urget, & nuncius feſtinat, omiſſa mora, horum affectuum atq; cauſarũ à quibus pendent narratione, remedia ſtatim ſcribã, quæ illis repellẽdis magis uidebuntur idonea, orſus à uentris tumore, ut quẽ ego putem omnium ferè horum affectuum eſſe principium. Tollendus hic eſt tum per ebibita, tum per foris admota. In primis igitur per multos dies mane hæc bibenda potio: Agrimonii, menthæ, abſinthii, ana ℥. I. madeſcant in aqua ex cichorio toto, radice uidelicet cum foliis, per deſtillationẽ in uaſe duplici elicita, horas decem, abiectíſq; herbis quatuor ipſius aquæ unciæ, adiecta ſyrupi de corticibus citri ℥. I. calidæ bibantur, antea tamẽ cũ electo cinnamomo odoratæ. Interdum, accedente tamẽ iudicio præſentium medicorum, utendum hoc medicamine: Mannæ calabræ ℥. I. rhei barbarici ʒ. I. cum aqua abſinthii quantũ ſat ſit ad potionem conficiendam. Multũ quoq; mihi placeret, niſi febris uehementia, uel extrema macies prohibuerit, hiera picra uocata, modo Galeni, non recentiorũ compoſita, præcipue ſi poſsit in puluere cũ aqua mulſa bibi, uel electuarii forma, pane quo ſacrifici utuntur, uino uel aqua madefacto obuoluta deuorari: ſi minus, confectis ex eius puluere cum uino catapotiis. Sit autẽ pulueris & pilularum drachma, electuarii binæ drachmæ. Placeret etiã rhei barbarici drachma abſq; alio liquore mãſa & deglutita. Proderunt & pilulæ alephanginæ uocatæ, ante cibum per horam acceptæ, uel quæ ex aloẽ, agarico & rheo componuntur. Proderit & Aegyptia ſiliqua, ſicuti aliàs ſcripſimus, cõdita, uel communis ℥. I. ſetaceo cribro excolata. Maſtiches etiam ſemidrachma ieiuno ſtomacho deglutita. Mulſum quoq; ex tribus polypodii unciis, media cinnamomi, in lib. 5. uini. & lib. I. mellis decoctis magno erit emolumento, ſi ſemicotyla à ieiuno bibatur. Conducent & chebulæ myrobalani cõditæ. Sed etiam hic ſyrupus abſq; alio liquore deglutitus; Aquæ roſatę ſelibra, cinnamomi contriti drachma, & ga

& gariophyllorũ ſcrupulus, tandiu ſimul bulliãt, quoad binæ aquæ unciæ cõſumptæ ſint, proiectíſq; ſpeciebus cum uncia ſemis ſacchari, fiat ſyrupus. Item cinnamomũ in tenues ſchedas diſſectũ, ſaccharo depuratiſsimo cocto opertum. Vel ſi in tenuiſsimũ puluerẽ redactum, cũ contrito ſaccharo ita miſceatur, ut ſint huius octo, illius pars una. Pulueris thymi drachma, cũ aquæ mulſæ duabus uncijs, multũ iuuabit. Vinũ in quo aurũ purum ignitũ ſepties extinctũ ſit. Vſus capparorum cũ oxymelite conditorum. Piſtacia ſaccharo & cinnamomo cõdita. Proderit & mirum in modũ agallochõ, xyloaloë uocatũ, uel conditum, uel ex eius puluere, cum ſaccharo, confecto bolo, uel etiam bibito uino in quo decoctum ſit. Idẽ faciet myriſtica nux eodem modo cũ ſaccharo parata, uel cũ uino bibita. Perdicis quoq; ius cum gariophyllis ſtomachum ualde recreat.

FORIS. Tumor iſte, quatenus tumor, eget euacuãtibus, hoc eſt, diſcutiẽtibus, reſoluentibúſq; materiã in eo cõtentã: ſed cũ durus ſit, molliẽdus primò eſt, ne ſcilicet ex uſu reſoluentiũ durities creſcat. Vel igitur cõiungenda utraq; ſunt, uel primo mollientia admouẽda, dehinc diſſoluẽtia. Tutius tamẽ in hoc caſu uidetur utraq; miſcere, ita tamẽ ut ab initio uincant molliẽtia, paulatímq; creſcant reſoluentia & mole & ui, ſempérq; aliqua addãtur quæ roborent. Poſſunt hæc uarijs ſub formis admoueri, fomenti uidelicet, & hoc dupliciter, humidi ſcilicet uel ſicci: unguẽti, cataplaſmatis, emplaſtri. Fomenta humida faciẽda ex decocto maluæ, branchæ urſinæ ueſtræ, roſarũ, althææ, abſinthij, mẽthæ, ſchœniãthos: ſint omnium ęquales partes, quibus maceris partis, unius quartã partẽ addamus, inq; aqua & uino coquantur, donec tertia pars conſumpta ſit, adiecta portiuncula roſacei aceti, ſuperãte quidem aqua uinũ, ſi nota digna febris ſit, uel è contrario ſi febris ſit mitior. Fiat autem ex hoc decocto cum ſpongia noua fomentatio, uel madefacta in eodem lana ſuccida, ita exprimatur, ut exiens liquor ſupra uẽtriculum cadat. Sicca fiant cũ ſacculis, maiorana, mentha, & gariophyllis oppletis, qui ſuprà laterem calefacti, Cretico uino aſpergantur, & calidi uentriculo admoueantur. Vnguentum ſit hoc: Olei amygdalarum amararũ, olei de abſinthio ℥.1. ſeminum althææ ℥.s. maceris, gariophyllorum ana ʒ.1. bulliant ſimul ad tertiæ partis conſumptionem, & cum modico aceti roſati & ceræ albæ fiat unguentum, quod cum ſtyrace calamite ſuffumigetur.

Cataplaſma ex herbis, oleiſq; & pulueribus, paulò antè ſcriptis fieri poteſt, & eodem ſtyrace, uel moſchata gallia ſuffiri. Emplaſtra duplicis generis ſunt: quædã enim ita loco hærent, ut auelli uix poſsint, echecolla à Gręcis uocata: alia ſunt quæ abſq; magno negocio amouentur, quale eſt hoc: pulueris maſtiches, ammoniaci præp. ladani, ana ℥.1. roſarũ, maceris, ſandal. citr. gariophyllorum, ana ʒ.2. liquatis cũ Cretenſi uino, his quæ liquari poſſunt, adijciantur pulueres, formámq; omnia accipiãt, qualem quæ chirurgi unguẽta nunc uocant. At ſi hærere tenacius id uolueris, tantũ reſinę terebinthinę, uel ſi hac carueris, laricex adde, ut formã cerotorũ nunc uocatorum acquirat. Vtrũq; autem antequã admoueatur, xyloaloë ſuffumigetur. Poterunt autẽ aſsidẽtes medici, ubi durities reſolui cœperit, paulatim augere reſoluentia. Et hæc de uẽtriculi tumore dicta ſint, quibus ſperãdum eſt alia quoq; uentriculi ſymptomata, dolorem ſcilicet, uomitũ & appetitus deiectionẽ, ſubmouenda. Quod ſi fortè hac ſpe fruſtrati fuerimus, iam ad fortiora uenientes, ad dolorẽ & uomitũ arcendum, bini oboli, uel ad ſummũ ſemidrachma paſtillorum aſter à Græcis uocatorum, quos ideo miſi, quòd ſciebã apud uos paratos non eſſe, uerũ nec fortè poſſe parari, uel ſi parẽtur, non futuros ſtatim ab ipſa confectura idoneos, redigendi erunt in tenuiſsimũ puluerem, & ſomni hora cum uncia uini odorati bibendi. Nec erit eorũ uſus cõtinuandus, ſed per interualla trium quatuórue dierum. At ſi fortè febris ea qua diximus hora ſomni uidelicet, accedere conſueuerit, ſi horis duabus ante acceſsionem ebibiti fuerint, illam uel penitus tollẽt, uel reddent mitiorem. Appetitum uero ſuſcitabimus per tucetum ex mentha, pipere albo, & cinnamomo, hydromalo, hoc eſt, miua uocata, concinnatũ, adiecto odoris gratia moſchi grano. Proderit & ipſum per ſe hydromalum, præcipue uero confectio ex cotoneorũ ſucco à Meſue deſcripta. Febris præſentem & oculatiſsimum medicum deſiderat. Sunt tamen nonnulla quæ antiquis febribus ſine incõmodo ualde ſunt commoda, quale eſt chamæmalum, ſiue intus, ſiue foris quis eo utatur, intus quidẽ floribus in iure pulli, uel decoctis, uel tres minimũ horas madentibus, ſi illis abiectis ius bibatur. Foris inuncto ex eius oleo toto dorſo, per horã ante acceſsionẽ, quod decoctis in eo araneis, atq; inunctis præcipue arteriarum locis, reddetur efficacius. Facit & batrachion, raninũ apiũ uocatum, contuſum, & eiſdẽ locis admotum. Præcipuum uero in hoc eſt id quod columbinum pedem uocant. Prodeſt & Sauinæ ſuccus, ſi calidus ante acceſsionem naribus inſtilletur. Vbi uero recens planta inueniri nõn poſsit, uinũ in quo arida folia incocta fuerint, idem operabitur, uel oleum quod ex eius ligno deſtillauerit. Supereſt ut de alio faſtidioſo ſymptomate loquamur, de longanonis uidelicet procidentia, quæ proculdubio fieri uidetur à pituita, ligamenta ipſius ſua mollitie laxante: quare locis adhibenda quæ exiccent ſimul & roborent, quale eſt quod à Paulo in hunc modum deſcribitur: Erycæ fructus (non erucæ, ut non inficiando errore nouus uertit interpres. Eſt autẽ planta quæ tamarix eſſet, niſi minor ualde eſſet, & propterea eius uicem ſupplebit tamaricis fructus) gallarum, ceruſſæ, acaciæ. Hæc quidẽ ignota, hoc eſt, ad nos non allata, pro ea ſucco prunellorum ſylueſtriũ, non cũ magno tamen damno ægrotantiũ utentibus. Succi hypociſtidos, corticis piceæ, thuris, myrrhæ, æquas ſingulorum partes. Vbi auſtero uino inteſtinum ablueris, puluerem earũ rerum ſiccũ inſpergito, nõ cataplaſmata facito, ut ex Græco corrupto male uertit primus interpres. Hæc Paulus: quibus addendum, ut ablutum inteſtinum prius quàm puluere inſpergatur, in proprium locum reſtituatur, dehinc ſpongia noua adſtringatur, quę in uino pariter auſtero maduerit, in quo glandes, cytini, malicorium, decocta ſint. Vbi uero uehemens urgeret dolor, ſedendum antea in uino in quo decocta ſint lini ſemina, roſæ, chamęmalũ. Si nec cum his loco ſuo mãſerit, inſpergẽdus erit puluis fecis uini uſtæ, & ſuperponenda lana lota eodem uino madens, femoráq; inuicẽ adſtringẽda, & in lectulo quieſcendum. Si tãta eſt corporis tenuitas quæ ſcribitur, ut uidelicet uix cutis oſsibus hæreat, uiréſq; admodũ ſint imbecilles, poſthabitis & quaſi neglectis alijs intentionibus, reſtaurationi impẽſiſsime erit attendendũ. Scripſimus autẽ alia epiſtola, in qua de uictus ratione potiſsimũ egimus, nonnulla quæ huic rei maxime deſeruiunt, uaria ſcilicet ciborum & potionũ genera, quæ & ſpiritus generare, & carnẽ augere, uiréſq; ſi alia aliqua ualent, reparare, quare non eſt ut ea hic repetã. Propterea ubi de uictu quo nunc utitur D. T. Reuerẽ. dixerim quid ſentio, finem ſcribendi faciã. Cõtuſum maxime laudo, uellẽ tamẽ cinnamomi puluiſculũ, & manus Chriſti uocati cum margaritis parati, illi miſceri. Iuſculũ id ex brancha urſina, nollem in frequentẽ adeò uſum uenire, & potius amygdalarum lacte quàm ouis cõdiri. Oua recẽtia ſummopere cõmendo, ſorbilia tamen lõge magis quàm perdura uocata: quibus ſi utendum quãdoq; eſt, uelim ut mollia ualde ſint, & ſine butyro, cum puluiſculo ſuperius dicto cõdita. Hordeũ, tantum abſum ut prohibeã, ut ſuccum eius ualde cõmendem. Nec uerenda eius inflatio, ſi bene fuerit lento igne, ut alia epiſtola docuimus, excoctum. Furfurata ſicuti & oryzam, nec ego probo. Farris & auenæ ueſtræ ſuccum nõ uſquequaq; uitupero, ſi tamen cum pipere & cinnamomo condiantur: ſicuti nec iuſcula ex bugloſſo, atriplice, uel cõmuni, uel quæ ſpinacia dicitur cõfecta. Laudo etiã panem cõtritum, uitello oui bene cõmixtum, in iure capi diligenter coctũ, adiecto croco & cinnamomo, uel panem etiam ipſum, uel uitellum ſolum. Poteſt & ex paſſulis in uino maceratis ſuccus exprimi, ex quo cũ oui uitello & iure fiet iuſculum guſtui non inſuaue, ac ſtomacho & reſumendis uiribus perquàm utile. Hæc feſtinãte nuncio, raptim quidem, ſed maximo cum affectu ſcripta ſunt, quibus ſpero, adiuuante ſupremo omnium bonorum largitore, D. T. Reuerend. priſtinam ualetudinem recuperaturam, cui etiam atq; etiam me commendo. Ex Ferraria, IIII. Idus Octobr. M. D. XXXV.

EPIST. III. *Pro magnifico adoleſcente* N. *Campegio, tumore rubro, modo unius, modo alterius cruris plerunque uexato.*

PRæclarus hic adolescens tēperaturæ totius corporis, ut mihi uidetur, calidæ & siccæ, quæ tamen iecur potius quā cor sequitur per incertos quosdā circuitus tumorem cum rubore, modo sinistri, modo dextri cruris incurrit, cū pulsuali quodā dolore, & tensione, qui ab inguine incipiēs, interdū paulatim ita extenditur, ut extremū quandoq; pedē attingens, in maiorem ibi molē extollatur, cū febre & uehementi dolore. Quē circuitū nec ullis medicamētis, neq; potu aquarum quas à uilla nuncupāt, sed neq; ulcere quod medici manu factū adhuc in crure gerit, potuit euitare: quare præsidia à nobis petit, quibus hāc molestiā possit effugere. Quod ut rectius faciamus, diuino auxilio implorato, sine quo nihil nedū agi, sed nec cogitari recte potest, morbi essentiā, causásq; tū ipsius, tum circuitus inquiremus, ut ex his quibus ingeniis fugiendus sit, colligamus. Morbi essentia est satis nota: tumor enim præter naturam est, qui, ut alij tumores, est morbus cōpositus, semper quidē ex duplici mala temperatura, quandoq; uero & ex mala cōpositura, ubi in tātam molem crescit, ut uel ex ipso solo tumore motus impediatur. Additur, ni fallor, & alia cōpositio, ut simul duo tumorum genera coniungantur, sanguine & bile, modo maiore, modo minore portione simul irruentibus. A sola enim bile, uel parum bilioso sanguine, tam altus tumor non fieret, quantus semper in inguine, & quandoq; factus est in pede. Quare si nomen tumori dandū est, non exactè erysipelas, sed uel erysipelas cum inflāmatione, uel inflammatio cum erysipelate, uel inflammatio & erysipelas nuncupabitur, iuxta uarium utriusq; humoris commistionis modū. Huius qualiscunq; fuerit, præincipiens causa fuit labor immodicus, & nocturna uigilia, quibus in pubertate usus est, accedente cibi & potus importuna ingestione. Ex his enim bilis & sanguis redundātes à iecore ad inguinis adenes reiecti, eorum loca ita impleuerunt, ut tantam copiam sustinere non ualentes, partem eius ad inferiora loca ex causis superius scriptis antea imbecilles expulerint, quę prę redundantia ad pedem imum quādoq; descendit. Causa uero cur per circuitus hæc fiant, tum in membrū quod mittit, hoc est, iecur, tum in id quod recipit, crura uidelicet ipsa, referenda est: paulatim quippe in iecore, primisq; ab eo ortis uenis, hoc est, in caua uena, præsertim descendente, coaceruato humore, ad imbecilliora extruduntur loca, ad adenes uidelicet, ceu ad loca magis idonea, ut humiditates imbibant: ut seipsos quoque exonerent, ad inferiores partes eas transmittunt, atque hæ ad alias, ita ut exuberante materia, non cesset hæc transmissio, donec ad infima deuentum sit, ubi aggregata materia ingentem quandoque tumorem excitauit. Ad quem humorum concursum nonnihil etiam nunc fortè conducit mala quædam qualitas in eisdem locis ex reiteratis affectionib. derelicta. Quæ si uera sunt, haud difficulter poterit quispiam præcauendi uias inuenire. In primis enim nauanda erit opera, ut iecur uenæq; his humoribus careant, quos ad ea loca transmittere consueuerunt. Deinde, ut mēbra ipsa quæ suscipere eos assueuerant, imbecillitate summota robur adipiscantur, quo uel repellere, si quid defluxerit, possint, uel bene cōcoctum in substantiā suam transferre, ac si quid fortè supererit, naturali ui dissoluere. Demum quia uix uitari poterit, quin aliqua in toto corpore redundet materia, ea erit ad alia loca reuellenda. Primum ut nanciscamur, eis qui adsunt humoribus euacuatis, dabimus operam ne denuò aggregentur. Ad euacuandos nullum magis idoneum præsidiū uideretur, quàm uenæ inferioris in cubito sectio. Per eam enim nō solū plenitudo tolletur, sed ipsi quoq; humores in cōtrarium retrahētur: quod tertio loco diximus peragendum. Sed quia anni præsens hora sanguinis missionem nō patitur, expectato autumno, ad id post uer magis idoneo, interim alia uia euacuationē machinabimur, leui uidelicet aliquo purgatorio exhibito, per quod sanguine à bile emundato, eo stimulo iecur careat, quod solet ipsum ad propellendam materiam irritare. Nec est ut aliquis mihi obiiciat Hippoc. pharmacias molestas esse sub cane & ante canem scribentem. Hanc enim euacuationem non per scammonium, elleborum, peplion, colocynthida, elaterium, atq; id genus cætera faciēdam consulo, quæ Hippocratis seculū sola pharmacorum nomine significauit: sed per mannam uocatam, siliquam Aegyptiam, rheon, rosas, tamarindos, lactis serum, atq; alia his similia, quæ non impense calefaciunt, uehementérue corpus exagitant, sed miti tantum ui familiariter occurrētem bilem ex corpore eliciunt, simúlq; in eisdem locis robur relinquunt, ne ad illam subnutriendam adeò sint prona. Laudauerim igitur ut singula quoq; septimana semel aliquos potus in aurora biberet, qui utrunque posset, qualis hic est: Tamarindorum binæ unciæ in selibra seri ferueant, totámq; noctem in eo sub diuo madeant: mane serum probe per colum traiectum bibatur, adiecta syrupi de cichorio Ioannis Mesue modo parati, uncia. Vel hic: Rhei barbarici drachmæ binę in crassiusculas partes attritæ, in selibra aquæ ex intybo elicitæ, eodem quo diximus modo & ferueant & madescant, & aqua mane bibatur, adiecta rosacei syrupi qui per recentes rosas multoties mutatas fieri cœpit, uncia semis. Idem potentius agent mannæ ℥.2. cum rhei in tenuissimum puluerem redacti drachma, eadem cichorii aqua dissolutæ. Quibus uero diebus nulla harū potionum bibetur, uncia sacchari deglutiatur, in quo flores intybi conditi sint, uel floribus deficientibus, radices, uel succus. In secunda etiam mensa buccellam hoc modo paratam edet: Sem. cucurbitæ, cucumeris uulgaris ana ℥.s. endiuię, pistaciorum, ana ℥.1. sacchari cum rosacea aqua resoluti quantum sat sit, pistaceis integris remanentibus, & reliquis in tenuissimum puluerem redactis, confice offulas ℥. pondere. Quamuis autem his præsidiis id quod secundo loco proposuimus, expleri aliquo pacto uideatur, ut uidelicet roboratum ex his quæ diximus iecur, minus aptum reddatur ad eosdem humores aggregandos, id tamen alijs quoq; ingenijs contendendum, uictus uidelicet ratione, & localibus auxilijs. In uniuersum igitur uictus ratio ad frigida & humida ita declinet, ut tamē obstructio caueatur, omniáq; uitentur quæ bilē uel facere possunt, uel fouere, inter quæ potissimum est uinum potens, si impermixtum bibatur. Potens dico, quoniam usum leuioris, pauciferi, ad Græcorum imitationem à recentioribus uocati, tantum abest ut reprobem, ut magis quàm puræ aquæ probem, cui Hippocrates hanc præ cæteris noxam impingit, ut amarescat, & bilem in præcordijs biliosorum subnutriat. Et quia uina illa apud uos uix inueniri possunt, uestratia etiam magis probo, quàm puram aquam, modo ita diluantur, ut calefacere iecur supra modum non ualeant. Non usqueadeo tamen diluenda censeo, ut sapor aquæ uini saporem uincat, sed è contrario potius, ut aqua à uino uincatur. Hoc enim distat mistio quæ sanis debetur, ab ea quæ acuto morbo laborātibus, quòd in hac, aqua, in illa, uinum debet exuperare, non mole tamen, sed ui. Aegrotis enim ideo uini pauxillum aquæ adijcitur, non ut aqua in uinum transeat, sed ut exiguam quandam uini demonstrationem subeat, & nocumenta ab eo tollat: sicut aqua uino in sanis additur, ne uel iecur uel cerebrum meri potus offendat: quod ne fiat, si quando merum bibere cōtigerit, aquæ interposito potu uis eius refrenanda. Vitanda etiam quæcunque uel in uentriculo porraceam uocatam bilem, uel in iecore rufam, sunt apta generare, qualia in primo genere sunt, brassica, cæpe, & quod multi non aduertunt, beta. In secundo mel & saccharum, siue illud quod sub mellis genere antiqui reponebant, siue id quod nostro tēpore ex succo cuiusdam plantæ bis térue excocto pręparatur, nisi cum aliqua re, cōdimēti aut cōseruationis gratia admisceātur, quæ retūdendo dulcedinem, calorē quoq; mitiget: qualia sunt cucurbita, melopeponum, uel cucumeris semina, atque id genus cætera, præcipue uero intybi uel domestici uel syluestris radices, & coliculi, qui etiam per se absque alia conditura, acetarij modo parati, ualde erunt utiles. Ex reliquis uero oleribus præter atriplicem, uel uulgarem, uel spinaciam uocatam, blitum, buglossum, portulacam, & acidum lapathum, cuncta fugienda, sicuti ex arborum fructibus omnia præter pruna, cerasia, præsertim acida, mora, mala citria, narantia uocata, & punica. Vnico tamen persico ante, & unico pyro post alium cibum non incommode utetur, sicuti & melopeponis sectiuncula à mensæ initio. Insolationem & æstum, atque in uniuersum quæcunque supra modum calefacere possunt, euitet. Exercitatione tamen utatur, qua superiora membra agitentur, inferioribus quantum fieri poterit quiescentibus: ut, mani-

manibus modo porrectis,modo retractis,pugilẽ agere:iubere ut quod ipſe pugno occludit,alius ui conetur auferre:laterem à dextra ad ſiniſtram,atq; è contrario uiciſsim mutare:pilam ex manu ad manum,uel ad parietem,uel in altũ iactare,& modo eleuatis,modo depreſsis redeũtem excipere.His enim uel ſimilibus exercitationibus,ſi qua redũdarit materia,ad ſuperiora potius membra,quàm ad crura trahetur.Animi quoq; uehementes affectus atq; irã præcipue caueat,operámq; det ut bis quotidie ei uenter eat:quod ſi ſponte nõ fiet, leni aliquo medicamine,& quod cibi potius quã medicamenti rationem habeat,erit ciendus. Et de uictus ratione hæc breuiter dicta ſint.

Localibus etiam auxilijs,iecoris calor tum naturalis, tum aduentitius,reprimendus eſt,ut exuperantem bilẽ non gignat:quod commode fiet,ſi mane completa pridiani cibi concoctione,aqua intybi foueatur,cui quarta pars roſacei aceti,& octaua huius pulueris ſit adiecta:Sem.roſarum rub.p.2.intybi p.1.ſandal.citr.maceris ana p.s.fiat puluis tenuiſsimus. Et hæc quidem iecori, mittenti uidelicet membro,faciẽda.Membra uero quæ ſolent recipere,crura uidelicet ipſa,ſæpe abluenda ſunt aqua in qua roſæ & plantaginis folia cum exiguo ſale bullierint,inguinibus tamen uitatis,quæ decocto chamæmilæ & abſinthij cum ſpõgia fouenda ſunt.Et de leuioribus auxilijs hæc dixiſſe ſat ſit.

Ad fortiora tamẽ ueniendum erit,cum autumnus inceperit,conſentiente tamen aëris conſtitutione: ſolent enim quandoq; eius initia parum ab æſtate diſſentire. Quod ſi contigerit,tandiu ab inſignioribus hiſce præſidijs ceſſandũ erit,donec calores leniri cœperint, túncque interiore dextri cubiti ſecta uena,ſanguinis cotyla haurienda,ita tamen ut antea uenter uel ſponte uel arte ierit,& oxyſaccharæ binas uncias,cum æqua intybi aqua ebiberit.Tribus ſequentibus diebus eandẽ potionem mane poſt plenam cœnæ cõcoctionẽ bibet,quartóq; die hunc potum:Syrupi roſacei ſol.℥.2.rhei barbarici ʒ.1.electuarij de ſucco roſarum ʒ.2.cum aqua intybi tanta ut bibi commode ualeant,miſcebũtur. Sequẽtib. diebus mane & ueſperi,per horam ante cibũ,huius miſcellæ cochlearium magnum deglutiet:Sacchari nenupharini,boraginei,roſacei,ex floribus intybi,ana ℥.1.ſyrup.ex ſucco citri parati ℥.2.Ante cuius deglutionẽ,iecoris regionem hoc liniet:Olei roſ.omphacini ℥.1.ſucci intybi,aquæ roſaceæ,ana ℥.s.pul.ſandal.cit. ʒ.1. ceræ albæ & aceti roſati quantum ſat ſit.fiat linimentũ.Circa dorſi quoq; ſpinam,ex aduerſo præcordiorum & renũ,eo cerato inunget,quod infrigidans Galeni uocant,recẽter parato,& in loco frigido adſeruato.Expletis his per interualla,modo maiora,modo minora, rhei barbarici drachmam uel per ſeipſam abſq; alio liquore manſam deglutiet,uel contritam,& cum abſinthij aqua reſolutam bibet,donec media pars ueris tranſacta ſit:túncq; iterum uenam ſecabit,quæ in medio cubiti eſt, maiorémq; ſanguinis modum quàm autumno hauriet, ad 12.uidelicet uncias.Dehinc triduo potionem bibet,quæ recipit acetoſi ſyrupi ex tribus radicibus confecti ℥.2.aquæ capil.uen.℥.3.Quarto die has pilulas deuorabit:Pil. aggr.℈.2.rhei barbarici ℈.1.cum electuario roſato fiãt pilulæ quinq; uel ſeptem.Tota uero ſequenti æſtate eiſdẽ præſidijs utetur quæ ſuperius deſcripſimus, accedente ſemper congruo uictu,ſine quo fruſtra reliqua fierent, ſempérq; ad Deum mentem habeat,à quo omnis pendet ſalus,cui ſit honor & gloria. Ex Ferraria,anno à Chriſti natiuitate, M. D. XXXV. IX.Calend.Sextil. quo die, Dei optimi maximi gratia, complebam annum LXXIII.

EPIST. IIII. *Pro religioſo uiro,tinnitum aurium, corruptum uidelicet auditum patiente.*

DIuino fretus auxilio,à quo omnis eſt medicina, remedia quædam ad tinnitum aurium P.V.breuiter annotabo, ſupponendo eius cauſam eſſe pituitam craſſam,tenacem,in capite contentam,quod quidem ex aſsiduitate ſonitus,modóq; eius conijcio.

VITANDA. Solares,lunaréſq; radij,uẽtus,fumus, pluuia,frigus,aër caliginoſus:quorum fugiendorũ gratia bonum eſſet,ſi eam aurem in qua maiorem tinnitũ ſentit,cotto muſchato obſtrueret.

LEGVMINA. Allium,cepe,porra,& cætera id genus acrumina quæ dicũtur.Lactuca,atq; omnia ferè frigida olera,atq; ex calidis etiam braſsica,quas tamẽ nõ ignoro inter frigida à nonnullis numerari. Lagana,& quæcunq; ex farina,caſeo,oleribus conficiuntur. Iurulenta non crebrò in prandio,nunquam in cœna aſſumãtur.Fructus humidi æſtiui in totum abdicantur,atq; ex ſiccis caſtaneæ,nucéſq;.Vinũ aut ex toto interdicatur, locóq; eius aqua mellis bene decocta bibatur,in qua ſi uel ſaluię uel roriſmarini folia ebullierint,multum conducet:aut ſi uel ſtomachi debilitas,uel conſuetudo uini abſciſsionem non toleret,tantum diluatur,ut aquę potius quàm uini ſaporem referat.Somnus nunquam interdiu,noctu nõ niſi duabus horis à cœna incipiat,atq; capite bene tecto & eleuato,ac ſuper aurem minus ſonantem inclinato.Fugiat præterea ſatietatem,uomitũ, clamorem,cantum,niſi qui ſubmiſſa uoce fit. Nimium laborem,atq; omnia quæ in capite magnam commotionem inducunt.

ASCISCENDA. Conceduntur ſaluia,roſmarinus, mentha, borago, bugloſſum, meliſſophyllon, oryza, amygdala,ficus ſiccæ,paſſulæ,auellanę,grana pini,meſpila,cotonea,coriandra ſecundum artem præparata, fœniculi & aniſi ſemina. Carnes uituli,ueruecis,hœdi, pullorum gallinaceorum,oua ſorbilia.

MEDICINALIA. Leuiter purgabit hieræ picræ ℥.s.agarici præparati ʒ.1.Infundatur agaricum in ℥.3.aquæ ſaluiæ per horas decem,& ex colatura cum hiera picra fiat potio.Quòd ſi hieræ amaritudinem abhorreret,loco ſupraſcriptæ potionis ſubſcriptas pilulas poteſt accipere:Pil.hieræ ℈.2.agarici præparati ℈.1.cum aqua ſaluię fiant pilulæ quinq;,quæ ſumantur uel ueſperi,ſi nõ cœnat:uel nocte poſt cibi à ſtomacho deſcenſum, ſi cœnat.Leui hoc purgatorio accepto, quinq; ſequentibus diebus ſumat eam potionem quæ ſequitur: Oxymelitis ſimp.℥.1.ſyr.de ſtœchados ℥.s.aquæ ſaluiæ ℥.3.miſce. Sumpto quinquies ſyrupo,accipiat ſubſcripta catapotia:Pil.de hiera cum agarico ʒ.1.cum aqua ſaluiæ fiant pilulæ quinq;. Tribus ſequentibus diebus ſumat ſingulo mane parum mithridati,uidelicet ad quantitatẽ unius auellanæ.Exactis tribus diebus reuertatur ad ſyrupos, & ſumat quinquies ſubſcriptum:Oxymelitis compoſiti ℥.1.ſyrupi de ſtœchados ℥.s.aquæ maioranæ ℥.3.miſce. Completa ſyruporũ ſumptione,capiat ℈.2.s.uel drach. pilularum.Sine quibus cum aqua maioranæ reformatarum,deinde mithridatum iuxta modũ ſuprà expreſſum.Poſtea ad ſyrupos redeat,ſequentem ſumendo:Syrup.de ſtœchados ℥.1.oxymelitis ſcillitici ℥.s.aquæ fœniculi ℥.3.miſce.Tempore autem quo ſyrupum hunc accipiet,tertio quoq; die ſimul cum ſyrup.unam ex ſubſcriptis pilulis capiat:Myrobalanorum chebulorum, hieræ ſimplicis,agarici præparati,nucis moſchatæ ana ℈.1. cum oxymelle ſcillitico fiant pil.6.Aſſumpto ſepties ſyrupo,ſumat ʒ.1.pilularum cochiarum,& ſequẽti die mithridatum.

PARTICVLARIA. Ad hæc non antea ueniendũ, quàm ſecunda euacuatio facta ſit, priuſquam leuioribus uti incipiet,ita ut tertia iam perfecta purgatione, potentiorib.utatur.Non antea autẽ quicquã auri iniiciendũ eſt,quàm bene mũda ſit:& quæ inijciuntur ſint tepida,paucę quantitatis,ita ut duæ uel ad ſummũ tres guttæ non tranſcendantur.Sæpe mutentur,& ſemper à priori bene auris mũdetur.Cúmq; fit iniectio ſuper cõtraria aure,caput per aliquod ſpatium quieſcat. Placet mihi ut prius fiant ſuffumigia,dehinc liquor immittatur. Suffumigia uero ex aliquo fieri poſſunt infraſcriptorum,chamæmila,anethum,ſaluia, maiorana,ruta, laurus,ſtœchas.Iniectiones ex ſuccis uel oleis ſupraſcriptarum rerum.Item ex oleis,liliaceo, irino,leucoi: quibus addi poteſt moſchus,ambra,nux moſchata,piper, caſtorium,euphorbium.Succus cepæ à me inuentus eſt ſublimis.Laudatur ſuccus cucumeris aſinini,& oleum in quo colocynthidis parum decoctum ſit.

DIVERSIONES. Diuerſiones poſt primã purgationẽ,frictionibus,colligationibus,extremorũ mẽbrorũ lotionibus,cucurbituliſq; fieri poſſunt: poſt tertiã, caputpurgijs, ſternutatorijs, maſticatorijs, gargariſmis.His uero auxilijs ſi nõ ad ſanitatẽ perductus fuerit, balnea petat:in quibus etiã cõſulerẽ ut à leuiorib.inciperet,ut quod primo Duciã uocatã,hoc eſt,ſtillas ex alto cadentes Ebani acciperet:qua,ſi nõ perfecte curaretur,ad illã montis Gretti,& demum Petriolli accederet;

quibus

quib.non perfecte curãtibus,demũ ad cauterium esset ueniendũ.Sed sperandũ est,Deo opt.max. concedente, eum absq; hisce potẽtioribus remediis liberandũ. Vnũ est quod nequaquam uolui prætermittere, ut uidelicet tempore magni æstus frigorisq; , purgationibus superius descriptis non utatur:& propterea cum iam simus prope finem ueris, ordo superius descriptus seruari nõ poterit,nisi autumno sequenti. Interim tamen quando dies erunt tepidiores,modo mithridato, modo pilulis de myrob.suprà descriptis utatur. Multa autem addi potuissent,sed & repentinus P. V. discessus, & meæ plurimæ occupationes effecere, ut in præsentia plura non scriberemus. Supplebit ille qui nunquam deest inuocantibus puro corde, apud quem cupio orationibus uestris iuuari.

EPIST. V. *Pro reuerendo quodam patre uisitatore ordinis* S. Francisci de Paula, *aliàs minimorum,ad uocis cõseruationem,uentriculum roborandum,& atræ bilis noxas cauendas.*

REuerendus hic pater tria petit,quæ ei summopere necessaria sunt: uocem scilicet ad conciones habendas, idoneum uentriculi robur, cautionémque aduersus atram bilem, quæ quandoque affligere uidetur: ut prouinciam sibi iniunctam uisitandi, uidelicet suæ sodalitatis fratres, exequi ualeat. Quibus rebus opem laturus,diuino implorato auxilio, ea notabo quæ in hos usus conducere mihi uidebuntur: inter quæ primo est hæc potio, quæ uere & autumno ter quatérue accepta,magno erit in omnibus quæ petit præsidio.

POTIO.Polypodij ℥.1. cnici uulgò cartami uocati, sem.anisi,ana ℥. s. croci, cinnamomi, ana ʒ.1. Contunde, & bulliant in lib.s.aquæ boraginis ad tertiæ partis consumptionẽ,& in decoctiones dissolue casiæ nouiter extractæ ℥. s. uel ʒ. sex, iuxta alui uel lubricitatẽ uel adstrictionem. Ad eadẽ ualebunt hæ pilulæ:Pilu. mastichinarum ℈.2.aggr.℈.1.croci gra.5.cũ aqua melissæ fiant pilulæ 5. Poterit ergo modo potione, modo pilulis uti, nec solũ uere & autũno,sed aliis quoq; temporib. præterquã in magno æstu.Peculiariter ad uocem ualet hoc electuariũ paulatim deglutitũ: Succi brasicæ puri ℥. 2. penidiarũ ℥. 1. oxymellis scillitici quãtum satis.fiat electuarium.Item grana cubebæ masticata,myrrha electa sub lingua retenta,semẽ althææ ore retentũ, gutta aceti scillitici deglutita , porrũ uel alliũ cocta, & cũ melle comesta. Ad stomachũ.Picra Galeni modo parata,ante cibum per horã deglutita, quantitate duarũ drachmarũ, frustulũ mastiches ieiuno deglutitũ, cochlear syrupi de mẽtha uel de corticib.citri,cerotũ ex part. 2. mastiches, & una parte ladani,cũ modico ueræ termenthinæ uentriculo admotũ. Ad melancholiã: Vinũ in quo melissophyllon,quæ & apiaria herba,& melissa dicitur, cũ boragine mãserit,antequã bibatur,per duas horas. Sacculus supra cor gestatus plenus his rebus:Sampsuchi,ocimi,ana ℥.s.gariophyllorum ʒ.1.macis,rosarum,ana ʒ.2. fiat puluis.Electuarium ex saccharo rosato, boraginato,ana ℥.1.diamoschi ʒ.1. Petit præterea quinam cibi ex his,quorum usum regula,cui uoto se adstrinxit,quæ certe quantum ad hoc arctissima est,permittit,sint illi minus nocui:nõ enim quadrupedũ tantũ & auium est illi usus interdictus,sed etiam eorũ quę ex his quoquo pacto nascuntur,lactis uidelicet & ouorum.Ex tribus igitur ciborum generibus quæ illis permittuntur,subscribam ea quæ minus nocua uidentur his affectibus, quos superius memorauimus.Genera sunt hæc.

PISCES.Petrei maritimi, petrei aquæ dulcis,parui fluminum uel fontium,auratæ,passeres,triglæ,quæ & mulli,& barbones,rhombi,soleæ,gobii, echini marini,clupiæ,carpiones,cauedani, lampredæ,lucii,trottæ, scarduæ,reginæ.Ex salsis illi edi possunt,qui naturaliter non admodũ sicci sunt,reliqui dimittendi,sicut & testati & crustacei.Vt autem etiã quos nomine nõ agnoscit uitare posit,sciat uitandos magnos, duræ carnis, ualde pingues,tenaces,mali odoris,& qui cito ab aëre uel putrescunt,uel ualde alterantur.Sintq; omnes elixi, uel sine ustione assati,non fricti,& cum odoratis herbis uel aromatibus conditi.

OLERA. Lactuca,endiuia, buglossus, borago,atriplex , spinacea,acetosa,asparagi, petroselinum,mẽtha, cappares,pulegium, origanum,saluia,rosmarinus, betonica,calendula,fœniculum,anethum,anisum,cerefolium,beta,serpyllum , pastinaca alba & rubra, porra, allia,& cepæ cocta,ius brasicæ cum saccharo.Bonum autem erit ut frigida calidis misceantur,superantibus hyeme calidis,æstate frigidis.

FRVCTVS TERRAE. Hordeum,far , ius cicerũ, iuscula ex farina uocẽ firmant,saccharo condita,amylum,panis elotus,oryza,milium:omnia hæc dulci oliuo condiri possunt,uoci tamen magis cõducent,si uel amygdalarum lacte,uel oleo earundẽ recente condiantur,quod & de oleribus putandum est.Phaselis quoq; interdum uesci poterit,sicuti cicercula cũ odoratis herbis coctis,lens cum hordeo,cucurbita,melopepones.

ARBORVM. Ficus uel recentes uel siccæ,caricę uocatæ,passulæ,amygdala,& per se & cum caricis,pini fructus cũ passulis,granata medii saporis,quæ dulcacida dicũtur,citri cortices,pręsertim conditi,cerasia parua acida,oliuæ conditę,pyra,cotonea mala cocta cum saccharo uel melle,pruna,præcipue sicca,persica condita,pistacia,auellanæ.

Hæc inter pisces,olera & fructus elegi,quibus uenerandus hic P.non quidem innocuè,sed cum minori noxa uesci posit:in quibus etiam ferè hunc ordinẽ seruaui,ut à minus malis incipiens,ad peiora paulatim descenderim.Faxit autem Deus opt.max.ut cum his uox sonora seruetur,niger humor reprimatur,& uentriculus simul cum reliquis corporis mẽbris incolumis custodiatur. Ex ædibus nostris Ferrariæ, IIII. Non. Febr. M. D. XXXVI.

EPIST. VI. *Pro quodam nobili uiro Brasichlensi omnium membrorum imbecillitate laborante.*

DN.Brasichlensis temperaturæ à natura biliosę,ex accidenti uero ad atram bilem multum uergentis,cum per æstatem satis bene ualeat, ineunte autumno imbecillitatem quãdam cerebri incurrit,quę per spinalem medullam ad omnia mẽbra deriuari uidetur,& ea pariter adeò imbecillia reddit,ut omnis uigor membrorum deperdatur,uixq; pedibus consistere ualeat.Noctu uero dum dormiturus accumbit,rẽ quãdam à præcordijs,præcipuéq; à lienis regione ascendere ad cor & cerebrum sentit , ob quã cũ terrore aliquo excitatur.Symptomata hæc sequuntur:sudor modo calidus,modo frigidus,multus tamẽ semper.Multa quoque urina aquæ uel sero lactis similis, ex qua præcipue dum sero similis est,magnum leuamẽ persentit,asidua autem cũ omnibus his uentris stypticitate uexatur.Horum omniũ symptomatũ causam ego esse puto atrã bilem,calore iecoris & æstatis genitam,quæ accedẽtibus qualitatibus autũni ei similibus effrenitãs,ad superiora fumos & uapores mittit,qui cerebrũ primo petunt,in eóq; malam quandam temperaturam cum aliquã obstructione faciunt,ex quibus imbecillitas primo in cerebro fit,quę neruis postea à posteriori cerebro ortis cõmunicata,uniuersa membra ad motus facit inepta.Iidẽ uero fumi cum his uaporibus admixti, qui naturalem somnum meatus cerebri obstruẽdo,facere deberẽt,causa sunt ut somnus cũ terrore aliquo interrumpatur, & cor petentes,cardiacã uocatã affectionem faciunt, ob quam sudor erũpit.Ex ipsa etiã atra bile circa pręcordia redundante,iecore imbecilli reddito,sanguis aquosior factus,causa est ut supra modũ urina augeatur,& ut sequens est,aluus reddatur adstrictior.Vt igitur dicta hęc amoueãtur,danda primũ opera ut atra bilis euacuetur, & ne amplius tanta copia crescat,iecur roborandũ,ut bonum sanguinẽ faciat:& lien,ut bene à sanguine eam expurget:cor quoq; & cerebrum,ut probè se tueãtur. Ad hęc autem multum conferre putauerim,si iecoraria uena primum in dextro cubito , secundò post aliquot dies in sinistro aperiretur,ita ut in totũ octo decémue unciæ sanguinis haurirẽtur : post quas uenæ sectiones atra bilis hoc modo purganda. Accipiat hunc syrupũ ter : Polypodij,cimarum boraginis , melissæ, ana m.1. Coquantur in lib.1.s.aquæ ad consumptionem tertiæ partis,& mane singulo exhibeantur℥.4.addẽdo syrupũ de pomis sabor ℥.2.Sumpto ter syrupo,capiat hunc potum: Senæ, polypodij ana ℥.s.sem.fœniculi ʒ.2.bulliant in lib.s.aquæ boragin. ad consumptionem tertiæ partis,& decoctioni adde diacatholicon ʒ. sex , diaprunis sol.ʒ.2.Sequenti die ad roboranda membra capiat ℥.s.

huius

huius electuarij: Diambræ ℥.1.zucchari boraginati ℥.2. miſce. Vtatur deinde hoc ſyrupo per alios tres dies: Meliſſę, maioranę, ana m.s. cimarum boraginis m.1. Bulliāt in lib.1.s. aquæ ad conſumptionem tertiæ partis, & diuidatur decoctum, ut aliud in tres partes, addendo cuilibet parti ℥.2. acetoſi compoſiti. Bibito per tres dies hoc ſyrupo, capiat has pilulas: Pil. aggr. ℈.2.s. de lapide lazuli grana decem, fiant pilulæ quinq;. Vtatur deinde per tres dies ſingulo mane ℥.s. electuarij ſuperius deſcripti, deinde accipiat etiam ter hunc ſyrupum: Agrimonij, citrac, ana m.1. fiat decoctio in lib.1. ſemis aquæ meliſſæ, ad conſumptionem tertiæ partis, quæ bibatur, ut ſuperiores, addēdo ſemper ſyrupi biſanthini ℥.2. Sumpto ter hoc ſyrupo, capiat mane has pilulas: Pil. aggr. ℈.2. de lapide lazuli ℈.1. fiant pilulæ 5. Sequētib. diebus utatur electuario ſuperius ſcripto, & ad roborandum iecur utatur hoc unguento: Abſinthij ℥.2. ſandalorum citrinorū, cinnamomi, ana ʒ.1. Bulliāt in libra media uini albi odoriferi ad cōſumptionem medietatis, & facta bona expreſsione, addantur uino unciæ duæ olei nardini, bulliántq; ſimul ad uini conſumptionem: fiant autē hæ coctiones in uaſe duplici. Splen hoc ungatur: Oleo de capparibus ℥.2. pil. citrac ʒ.2. cerę & aceti parum. fiat linimētum. Cordi apponatur ſacculus ex his rebus oppletus: Gariophyllorum ℥.1. macis, roſarum ana ℥.s. moſchi grana 2. Contundantur mediocriter, & impleatur ex eis ſacculus ſindone rubra factus, qui ſuffumigetur cum benzoi. Cerebrum ex admotione frequenti huius pilæ ad nares roborabitur: Ladani ℥.1.s. benzoi ℥.s. pil. nucis moſchatæ, gariophyllorum, ana ʒ.1. ambræ grana 4. moſchi grana 2. Diſſoluantur ambra & moſchus cum aqua roſacea, & ex ea formetur pila. Ad aluum leniendam, demendúmq; aliquid materiæ, unciam mediam huius miſcellę accipiat, per horam ante prandium uel cœnā: Diacatholiconis ℥.2. electuarij de ſucco roſ. ℥.1. Abluat ſingula ſeptimana caput cum lixiuio in quo flores chamęmilæ, roſæ, & ſaluiæ bullierint. Quādo imbecillitatem aliquam membrorum percipit, ſpinalem medullam inungat oleo liliorum alborū, in quo maiorana bis permutata bullierit. Cibus eius ſit ex bonis carnibus, uituli uidelicet, hœdi, ueruecis, phaſiani, perdicis, pręcipue uero turturis. Ouis non niſi recentibus, & uel ſorbilibus, uel in aqua, uel in iure coctis. Piſcibus nō ueſcatur niſi paruis petroſis. Potus ſit uinū mediocre, non dulce, nec ualde fumoſum. Carnes porcinas, & antiquū caſeum, atq; ea quæ ex ipſo cōficiuntur, deuitet. Coitu parcè utatur. Ex fructibus auellanas, amygdalas, pineolos edat, cęteros deuitet, pręter pyra & poma odorata, quibus quādoq; in ſecunda menſa uti poteſt. Plura addi poſſent, ſed hæc ſpero ſuffectura, ut probus hic uir ualetudinem priſtinam conſequatur, quod ille facere dignetur à quo omnis noſtra ſalus dependet. Si quid uero moderandum uel addendum erit, id faciat præſens medicus, cui me plurimum commendo. Ex Ferraria, XXVII. die Septembris, M. D. XXXIIII.

EPIST. VII. *Pro iuuene animi defectu, & ſtupore primum, dein dolore crurum laborante.*

IVuenis hic annum agens nonum ſupra xx. temperaturæ eſſe dicitur melāckolicę & phlegmaticæ: quod ego uix poſſum credere, ſi uerum eſt quod adijcitur, abundare in eo bilem, & facilimum eſſe ad iram, quæ tamen facile leniatur. Hoc enim indicium potius caloris eſſe uidetur quàm frigoris, quod neceſſariò humores illos duos comitatur. Quantum igitur ego ex his quæ ſcripta ſunt conijcere ualeo, putauerim hunc iuuenem contrarias habere nobilium membrorum temperaturas: eſſe enim calidioris iecoris, uentriculi & cerebri frigidioris: (de corde enim nihil poſſum decernere) à frigidis membris pituitam, à calidis bilem ſupra modum augeri. Cuius una portio, accedentibus cauſis (ut ſcribitur) cogitationes & mœſtitiam inferentibus, in atram conuerſa, amorem illum ſolitudinis pepererit: ſicuti pituita in uentriculo abundans, eum reddit imbecillem, & quæ in cerebro partim gignitur, partim recipitur, in inferiores partes deſcendens, articulos omnes oblæſerit: cui adiuncta bilis, & dolores auxerit, & miſcella utriuſque putreſcente, febres quoque eas excitarit, quæ per tres ſeptimanas illum afflixere. Qua demum materia partim per aluum expurgata, partim ad extrema membra delata, priores quidem morbi ceſſarunt, noui uero ſucceſſerunt, defectus quidem animi ſyncopéue, natura illam malignam materiam propellente, & cum ea decertante, adiuuante etiam fortaſsis cordis naturali uel aduentitia imbecillitate: ſtupor uero modo unius, modo alterius cruris & brachij, tenuiore quadam materia & uaporibus in neruos deſcendentibus. Si enim craſsior fuiſſet, reſolutionem, uel ſpaſmum, uel grauiorem feciſſet ſtuporem, qui non tam faciliter ualuiſſet conſumi. Diſflata demum magna ex parte materia quæ in neruis continebatur, ſtupor quidem penitus eſt abolitus. Verum circa neruorum loca portio aliqua materiæ quæ diſflationi magis contumax fuit, adhuc ſuperſit, ex qua fiat ut poſt uini potum dolores crurum ſequantur, non quidem uino ipſo in ea loca deſcendente, (fieri enim hoc nullo modo poteſt) ſed uaporibus uini ad cerebrum primo percutientibus pituitámque in eo contentam diſſoluentibus, quæ ſecum per ſpinalem medullam deſcendens, & reliquias in eis contentas exagitans, tum mala temperatura, tum quadam continui ſolutione dolores facit. Cuius rei euidens argumentum inde capitur, quòd ſi iacet, nullum dolorem ſentit, utpote materia noua antiquam non commouente. Conducit enim ad utrunque, hoc eſt, ad nouæ materiæ defluxum, & antiquæ agitationem, labor, qui uel ſtando, uel ſupra pedes quomodolibet corpus firmando, neceſſariò fit. Monſtratur etiam frigidi humoris adhuc ſupereſſe reliquias, ex frigoris ſenſu in locis illis percepto: partes enim calidæ ſeu tenuiores, iam ſunt penitus diſcuſſæ. Quare non male, quantum ad reliquias frigidorum humorum reſoluendas, illi medici iudicaſſe uidentur, qui balneum aquarum ſulphurearum laudauerunt. Verum cum pręter illam materiam, quæ in cruribus collecta eſt, alia quoque tum in cerebro, tum in uentriculo, ſed & in totius corporis ambitu redundet, quæ ſicuti ex uini potu, ita & ex alia cauſa commoueri poteſt, & ad eadem loca, ceu imbecilliora ex diuturnis paſsionibus reddita, defluere, uerendum eſt ne ex aquarum illarum ui plus ſit id quod trahitur, quàm quod diſcutitur. Quare prius totum corpus, ſecundo caput, tertio uentriculus uacuandus eſt, roborandáque ita ſunt omnia, ut non de reliquo materiam illam ſinant aggregari. Non negligendum etiam iecur, ne uidelicet bilis ſupra modum creſcat, uel aduratur: ut ſint in totum curatiuæ præſeruatiuæque intentiones, numero octo: totius ſcilicet corporis, cerebri & uentriculi euacuatio, cerebri item, uentriculi & iecoris roboratio, demum materiæ in cruribus contentæ euacuatio, & eorundem crurum, ne eam amplius recipiant, corroboratio. Poſtremæ autem hæ duæ ut prius intentæ à nobis ſunt, ita ſunt ultimo loco abſoluendę. Vt igitur à primo exordiamur, totum corpus cum ſit longo morbo attritum, reiteratis potius purgationibus, quam ſimultanea & unica medicina emundandum: in quem uſum maxime idoneum puto fore Iuſti hieram, à Paulo lib.7. deſcriptam, duorum ſcrupulorum pōdere in catapotia redactam, ſi quarto quintóue die mane deglutiatur. Medijs diebus attenuata materia, meatibúſque reſeratis, per betonicæ decoctum cum oxymelite temperatum: qua purgatione bis térue accepta, uentriculus per picram purgabitur ante leuem cœnam per horam aſſumptam, adiecta tertia parte agarici, ut ſint picræ integra, agarici ſemidrachma. Proderit in eundē uſum, rhei uel barbarici, uel pontici drachma manſa & deglutita. Idem faciēt pilulæ maſtichinæ uocatæ, ex aloë lota agarico & maſtiche confectæ: ex quouis enim horum uentriculus non ſolū purgabitur, ſed & magnifice roborabitur. Quare non prætermittendum quin crebrò modo uno, modo alio utatur. Vbi uero & corpus uniuerſum, & uentriculus ſatis munda uidebuntur, tunc ad particularem capitis euacuationem accedendum, quod hoc unguēto naribus per pennam indito commode fiet: Olei ſicyonij ℥.1. pul. piperis albi ℈.1. ellebori albi gr.3. cum exigua cera ad mollis unguenti formam redigatur. His peractis, niſi caput leue factum uideatur, reuulſione utendum erit, per cucurbitulas dorſo & humeris crebro admotas: uel ſi maiore & aſsidua reuulſione indigere uidebitur, medio loco inter humeri & cubiti

iunctu


iuncturas, in exteriori parte, cantharides caricis uel fermento ſuperpoſitæ, tãdiu hæreant, donec ueſicas excitent. Vel ſi maiorem adhuc reuulſionem optaueris, ulcus eodem loco cum ligno oliuæ alióue conſimili, in calcithidis oleo madefacto, excitetur, quod per ciceris granum, uel pilulam auream argenteámue, diutius apertum teneatur.

Omnibus his ex ordine completis, cerebrum per intrinſecus extrinſecúsque adhibita roboretur: intrinſecus quidem hac miſcella: Saluiæ, ſampſuchi drachmæ binæ, cum nucis moſchatæ & gariophyllorũ drachma miſceantur, omnibúsque in tenuiſsimum puluerem redactis, mellis chebulorum quantum ſat ſit adiiciatur, ex quo mane ieiuno drachmæ duæ, ueſperi hora accubitus una paulatim deglutiatur. Supra uerticem ſacculus ex tenui ſindone confectus, hoc puluere oppletus deferatur: Macis roſarum ana ℨ. 2. gariophyllorum, nucis moſchatæ ana ℨ. 1. piperis albi ℨ. s. Auribus guttæ tres olei de ſpica odorati iniiciantur: uel ubi hoc non adſit, communis de ſpica cum moſcho odorati. Ventriculus & ipſe roborandus eſt, hyeme ex zingibere condito, æſtate ex chebulis, mediis temporibus ex utriſque ſimul miſtis: his uel illo uincentibus iuxta caloris uel frigoris exceſſum. Aduertendum tamen ſemper, ne dum pituitam coërcere per calida ſatagimus, ſuper calefacto iecore bilem foueamus: quod ubi uel ex urinis, uel ſiti, uel oris amarore, uel manus plantæ calore animaduerterimus, intybi uel domeſtici uel ſylueſtris ſucco, adiecto oleo roſaceo, exiguo aceto, atq; etiam, ſi opportunum uidebitur, cera eius feruorem reprimemus. Hæc poſtquam recte facta fuerint, iam ad balnea tutus erit acceſſus, inter quæ eligenda ſulphurea ſimul & aluminoſa: quæ ſi fortè inueniri non poterint, arte paranda ſunt, coctis illis rebus uel in aqua ſimplici, uel in lixiuio tandiu, donec media pars conſumpta ſit. Siue autem naturalia, ſiue arte parata ſint, his uacuo ſemper uentriculo utendum, cauendo etiam ne uapores ab ipſis ſurgentes materiam aliquam in cerebro contentam eliquent, quæ ad inferiora deſcendat. Accedere his omnibus congruam uictus rationem oportet, ita ſcilicet ut parcitas in cibo & potu ſemper ſeruetur: nec ex patriæ more uariæ eſcæ ingurgitentur, aut potus inter prãdium & cœnam accipiatur. Siccis potius quàm iurulentis ueſcatur. Caſeus, magni piſces, ſuillæ, bubulæ, anſerinæ, anatinæ, aquaticarúmque omnium auium carnes, & antiquorum animalium uitentur. Oua, niſi ſorbilia & recentia, dimittantur. Olera item frigida, legumina omnia, & fructus omnes humidi. Vino utendum mediocri, non dulci, acido, acri, aut ualde auſtero, cui modo abſinthium, modo ſaluia uel incocta ſit, uel longo tempore maduerit. Exercitio uacuo uentriculo utatur, quo brachia potius quàm crura fatigentur. Iram ſemper uitet, & omnem cogitationem à cibo. Lætus & alacer ſit, ſolitudinem fugiat, ſanitatémque à Deo optimo maximo expectet, & per ſanctorum ſuffragia imploret, & impetrata ac adepta, ad Dei honorem ſemper utatur, cui laus, honor & gloria. Ex Ferraria, in die ſanctæ Agneti dicata, M. D. XXXVI.

*Epiſtolarum Medicinalium Io. Manardi libri XX. & ultimi finis.*

# IOAN. MANARDVS

## FERRARIENSIS MEDICVS, IVVENIBVS MEDICINAE STVDIOSIS.



Q VEMADMODVM *nihil mihi curæ magis fuit iuueni, quàm indagandæ in omnibus bonis artibus, & præcipue in medicina undequaq; ueritatis gratia diuerſa loca perluſtrare, doctorum hominum colloquia inire, bibliothecas rimari, ſchedas euoluere, & diuerſarum linguarum commentaria perlegere: ita nihil aliud curãdum magis nunc uidetur ſeni, quàm quicquid longo uſu, & multiplici lectione didici, publicis priuatisq; lectionibus, & domeſticis colloquijs, uobis ò boni iuuenes aperire. Sed ob maligna in quæ incidimus tempora, à publicis lectionibus penitus uacare neceſſe eſt: & ob aduerſam ualetudinem, nunc etiam à priuatis: quibus tametſi, Dei optimi munere reſtituta ſanitate, operam dare poſſemus, pauci tamen omnino, ob tumultus bellicos eſſent, qui noſtris lectionibus adeſſe, & ſermonibus aures poſſent accommodare. Mecum igitur animo euoluens, quónam alio modo profectui ueſtro poſſem cõſulere, nulla mihi alia ſe oſtẽdit uia, quàm ut mutato antiquo meo, nihil hoc pacto inuulgãdi inſtituto, quod uiua (ut aiunt) uoce facere non ualeo, per eos facerem qui libros formis excudunt. Inter uaria autem, quæ à me obſeruata literis mandata ſunt, non paruo emolumento uobis fore exiſtimaui annotationes quaſdam libro meo, Ioannis cognomento Meſue, per me olim adiectas, ut quem diurna nocturnaq; manu uerſant Medici: in quibus multa obſcura declarantur, conciſa ampliantur, amiſſa reſarciuntur, & errata corriguntur. Inuidioſum ſcio eſſe hoc uerbum, ijs præſertim qui cum eo conſenuerunt: ſed tantum apud me poteſt ueritatis & profectus ueſtri amor, ò iuuenes, ut quicquid de me illi uel ſentiant uel loquãtur, ſusq; deq; faciam: reliquum hoc, quantulumcunq; id erit uitæ, utilitati ueſtræ deſpondens. A uobis tamen unum hoc mihi pro laboribus hiſce meis rependi ſtipulor, ut ſcilicet in noſtris iudicandis, nullius magis uel mortui uel uiuentis autoritati, quàm rationibus, & ueritati credatis: nihil perinde noxium in omni uita eſſe ſcientes, quàm uulgarem hanc perſuaſionem, qua maiorum decreta abſq; delectu pro oraculis habentur. Accipite igitur hæc nunc bonæ mentis iuuenes, & meliora indies, Deo fauente, à nobis expectate. Ex ædibus noſtris Ferrariæ, quarto nonas Decembr. M. D. XXI.*

# IO. MANARDI FERRARIENSIS

## MEDICI ANNOTATIONES in Ioannis Mesue Simplicia medicamenta: & primum quæ sunt à Mesue omissa.

*Purgatoria medicamina à Mesue omissa.*



VM præter simplicia medicamēta ad aluum ciendam, à Ioanne Mesue scripta, alia nōnulla apud medicinæ autores inuenerim, ea annotationibus hisce nostris præmittere, uisum est non inutile. Ea sunt: Myxa, id est, Sebesten: Cynocrambe, hoc est, Canina brassica: Pulegium, Bdellium Arabicum. Parthenium, id est, Matricaria: Tragoriganum: Iuli nucis iuglandis, catuli uocati: Fæx uini, Tartarum dicta: Atriplex, Malua, Asphodeli radix, Allium, Beta, Blitum, Cestri, id est, Vetonicæ folia. Brassica semicocta. Aqua stillans à cucurbita in fornace excocta, Chamæpitys, dicta Iua. Lapathō uulgo Rumex uocatū. Lac, præcipue asininum. Butyrum. Lentis primum ius. Semen cornicularis, & Spumæi Papaueris, Resina pini piceæ, & Laricis, quę uulgò putatur & uocatur Termenthina. Item uera quæ nunc adfertur ex Terebintho, terebinthina. Vrtica. Sesamoides maius & minus. Peplis, Peplos, chamæsyce, Lappago, Clematidis semen. Picnocomon. Apios, id est, syluestris raphanus, Alipon, Empetrō, Heliotropion, Magnes, Cortex radicis Capparis, Thlaspi, Flos æris, Squama æris, Mandragoræ succus, Daphnoides, quæ & laureola. Sambucus, Ebulus, Lac, & Cimæ ficus, Filicis fœminæ folia, Peponis & Cucumeris radix, Lactuca syluestris, Radix Peucedani, Staphis agria, Thapsiæ succus, Androsæmos, Ascyros, Hippophaës, Hippophæstos, Lactarię multę species, Mercurialis, Struthion, id est, Radicula uel Condes. Horum historiam & uires, ex ipsis authoribus licet ediscere: mihi satis sit hoc loco nomina conscripsisse.

*Ad uitandam crebriorem Mesues & Manardi nominū repetitionem, quæcunque illius ab hoc emendandi gratia producuntur, hac nota) includere uisum est, téque eius, Lector, in tempore admonere.*

### Cap. de Aloë.

APERIT orificia uenarū) Hoc non dicunt antiqui, sed contrariū potius: dicit enim Dioscorides, quòd sanguinem sistit per ora uenarum ani manantē. & Plin. undecunq; fluentem. Dicendū igitur, si aperit, eò id facere, quòd acres humores mouet, ut ex Galeno colligitur lib. 6. Aphor. 47. nec esse hoc ei magis peculiare, quàm cæteris purgatoriis medicinis: imò fortè id minus facit quàm reliqua, quæ adstringendi uim purgatoriæ coniunctā nō habent. Verū Mesue hoc sumpsit ab Auicen. Scio tamen quid pro utroq; dici posit: sed sat sit nūc locum signasse. Electio: aliud est quod fit in Sucutri, & reliq.) Ait Dioscor. in India plurimā generari, & in Asia, Arabia, maritimísq; quibusdā locis ac insulis, ut Andro. Gal. in Syria nō bona, in Cœlesyria & Arabia melior, in India optima. In colore quoq;, ut sit coloris citrini.) Eligit Diosc. subflauā, resplēdentē, nō lapidosam aut arenosam. Et sapor eius declinās ad amaritudinē.) Galen. saporis esse dicit parum adstringentis, & multū amari. Quod præter Galeni autoritatem ipse quoq; sensus demonstrat. In substantia tenerū.) Facile humescere eam quæ bona sit, ait Diosc. Est autē cōplexionis calidæ in secundo.) Calidā in primo ordine extento, uel secundo remisso, dicit Gal. Aperit orificia uenarū.) Cum scribat Diosc. quòd arcet sputū sanguinis, negare uidetur quòd ora uenarū aperiat. Et dicūt quidā quòd lædit hepar.) Dixit hoc Auicē. cui parū in hac parte credendū est: sapore eius, & antiquis autoribus, contrarium potius attestantibus: nisi calidū uel siccū supra modū hepar intelligamus. Stomachi confortatiuum.) Tantum in hoc ei tribuit Gale. ut nulli cedere medicamini dicat, maxime si lota fuerit. Et mixtum cū melle, est minoris solutionis.) Maioris potius, ut ratio, autoritas, & experientia contestantur. Vix pertransit hepar.) Si quantitate exuperet, ad hepar usq; attingit, inquit Galenus: nō tamen totū corpus euacuat, nisi ualde multa detur, ait Paulus.

*Aloë hepar non lædit.*

*Aloë lota stomachum mirè confortat.*

Tria sunt in eo in quibus cadit correctio.) Adde ex Gal. quòd nocet temperaturæ uētriculi calidæ & siccæ, & ei quoq; siccæ, quæ cum frigiditate ad tabem ducit.

Solutione educit cholerā & flegma.) Probe intellige: siquidem crassos humores, etiam qui sint in uētriculo, trahere ob imbecillitatem nequit, Galeno teste: sed bili & humiditatibus quæ uentriculus imbibit optime facit. Paul. Datur quibus caput graue est, lippientibus, siticulosis, imaginabundis in somno, absq; febre horroribus, acres inflationes excernentibus, morsum in intestinis patiētibus, atq; uētriculi incendiū. Et qui assiduat acceptionē eius diebus cōtinuis, nō uidebit in corpore suo ægritudinem, quæ nō sit habilis sanari.) Ne quid dicam de iuuenibus interim, certe senes, si Galeno magis quàm huic uiro crediderint, nō nisi magna urgente necessitate, Aloë utētur. Caue ergo dare Aloën in tēporibus frigidis.) Cauenda mihi magis uidetur temporibus calidis, cum sit, ut tu scribis, calida & sicca in secundo ordine, & calidæ ac siccæ noceat temperaturæ, ut superius notatum est: nisi forte quia bilem uacuat, quę hyeme non abundat, ideo eo tempore danda non sit.

*Aloë ob imbecillitatem crassos humores non purgat.*

*Senes nō tutò Aloë utuntur.*

*Cauēda aloë calidis temporibus.*

### De Myrobalanis.

Nomen, glandem unguentariam designat: res autem ipsæ, ad pomorū potius genus spectant. Proprium de eis caput nō scripsit Diosco. sed nec Galenus, licet inter remedia aliquando nominis meminerit. Quare sanè intelligendum quod ab Auerroë dicitur, Galenum de iis non scripsisse. Plin. quidem de Myrobalano loquens, rem (ut inferius explicabitur) ab iis diuersam intellexit, & quæ ad genus palmæ referatur, sicuti & ea de qua Diosc. scripsit lib. 1. Bene igitur examinanda sunt quæ de uiribus ab hoc homine scribuntur, quoniam nullum habuit quem sequeretur bonū ducem: præsertim cum Galen. lib. 8. de comp. med. secundum loca, Chrysobalanum uim habere discutiendi scribat, quæ proculdubio calorem ostendit.

### De Rheobarbaro.

Rhecoma, de quo Plin. lib. 27. si rectè legitur, & Rha uel rheon, de quo Diosc. alia res est à uocato nunc Rheo barbato, ut quadam nostra ad Leonicenum epistola demonstratū est. Ex speciebus Rhauet aliud est quod nascitur in India.) Cum dicat Dioscorides quod nascitur in locis supra Bosphorum, & Plin. supra Pōtum, taceántque Indiam, cognouisse Indicum non uidentur. Paulus in duabus ad podagram compositis medicaminibus barbarici meminit. Et laudatur magis subnigrum.) Similem Costo nigro facit, Plinius minorem tantum, & paulò rufiorem. Dioscor. Centaurio magno, sed minorem, nigro quidem colore, sed Crocum aliquo pacto, dum manditur, referente. Conuenerunt in permixtione eius aqueitas & terreitas.) Clarius Galenus, sic loquens ad uerbum: Mixtæ est temperaturæ, habet enim quid terreum frigidum, quod ex adstringente eius sapore demonstratur: & caloris aliquid, quem ubi multum masticatum fuerit, acredine quadam ostendit: tenuis & aëreæ potestatis esse participem, laxitas & leuitas declarant. Et non prætermittatur cum eo spica.) Ego spicam hanc prætermitto, tum quòd ea egere non uidetur, ob commixtas, ut diximus ex Galeni sententia, uires, tum quòd uera spica caremus, & ea qua utimur, horribilis ualde saporis est. Solutione educit. & reliqua.) Antiqui suo Rheo uim purgādi non adscribunt, sed nec Auicenna. Auerrois, Galenum & alios medicos taxans, qui adstringere scripserunt, purgare asseruit: quod experientia quoque ipsa in utroque, Pontico uidelicet & Indico attestatur. Decoctio etiam similiter resoluit in eo uirtutem) Non intelligas, ut plerique, non esse propterea coquendum: nam & ipse Mesue & alij, eius decocto utiliter utuntur: sed in ipsa radice quę decocta fuerit, uirtutem esse resolutam, & in eo liquore in quo fuerat decocta, remansisse.

Et maior eius proprietas.) Alias quoque uires suo adscribunt antiqui. Dioscorides enim ualere ait hepaticis, nephriticis, torminibus, lieni, pectoris & uesicæ uitiis, atque uentriculi dolori, imbecillitati, & inflationi. Ex parte substantiæ.) Adde ex Dioscoride, quòd inflammationes cum aqua illitum dissoluit: & ex Plinio, quòd uulnera, & mali moris ulcera, sanat, epiphorásque & purulentas excreationes, lassitudinem quoque & dolores: & ex Galeno, quòd ualet asthmati, orthopnϾ, cœliacis, ischiadicis, uteri morbis, & fe-

rarum morſibus:& cum aceto illitum,impetigines aufert ac peliomata. Et proprie eius drachma una,mumiæ grana duo,rubiæ granum unum & medium.)Manifeſtus eſt hoc loco error:quam enim uim hac in re habere poteſt tam exigua mumiæ,& rubiæ quantitas? Sed & Auicenna,quem in multis eſt hic ſecutus,capite de Rubia,drachmam integram cum Rheobarbaro miſcet:& ſimiliter libro tertio,in cura apoſtematis calidi hepatis. Potio eius infuſi, à drachmis duabus s. ad drachmas decẽ.)Excellit nimis hæc quantitas,nec poſſunt ſine diſcrimine decem drachmæ ſemel dari: ut cũ malo ſuo nobilis quidem Pannonien.expertus fuit.

*Pernitioſus Meſue in dãdo Rheobarbaro modus.*

De Caſsia fiſtula.

*Caßia fiſtula Arabũ, alia eſt à Caßia fiſtula antiquorum.*

De hac non ſcripſerunt antiqui,ſed fiſtularem illam uocauerunt,quam nunc Caſsiam ligneam uulgus appellat:res tamen nobilis eſt hæc Meſue Caſsia,& qua ad aluum leniendam,& ſani & ægrotantes,ſiue mane, ſiue parum ante cibum,tutò utuntur.Condiri cœpit & ſaccharo recens in eundẽ uſum,in quem ſemina quoqꝫ efficacia ſunt,longéqꝫ magis quàm intraneus liquor.

De Tamarindis.

Hos quoque numerat Auerroïs inter medicinas, de quibus non eſt Galenus locutus.Si nomen ſequaris, da ?tylos putabis. Tamar enim barbaris dactylum ſignificat. Plinius cuiuſdam palmæ meminit in Aegypto naſcentis,quam uocari ait adipſon,quaſi arcere ſitim diceres,uiridémqꝫ eſſe,& mali cotonei odore, nullo intus ligno,colligíqꝫ antequàm incipiat matureſcere:& quod relinquitur,uocari phœnicobalanum. Dioſco.ferè eadem lib.1.Idem Plin.lib.23.Palma,quę fert myrobalanum,probatiſsima in Aegypto,oſſa non habet reliquarum modo in balano.An uero Tamarindos hos intellexerint,cogitandum lectori relinquo. Sicuti etiam an Myrobalani,quarum ſuperius habita eſt mentio,ad palmulas pertineãt. Frigidæ complexionis in ſecundo.) Auerroïs in tertio. Solutione educunt.& reliqua.) Dioſcorides ſuas myrobalanos acerbas dicit,& adſtringentes,ualeréque diarrhœæ,& muliebri fluxui.Et phœnicobalanum magis adſtringere recẽtem quàm ſiccam,ſputóqꝫ ſanguinis inteſtinorum difficultati,& ſtomachicis conferre.Quare ſi eandem rẽ quam hoc loco Meſue intellexit,contrarias ei uires adſcripſit.

De Manna.

Hanc quoqꝫ repoſuit Auerroïs inter medicinas à Galeno non ſcriptas:ego tamen mentionem eius habuiſſe arbitror lib.Alimentorum tertio,ſub nomine mellis aërei uel roridi,de quo ſcribit plurimũ colligi in monte Libano,æſtate media,nocte ſerena,uariáſqꝫ uires à uariis ſuper quas cadit plantis acquirere:quæ ita quadrant uocatæ nunc Mannæ,ut ambigi non poſsit eſſe eandem rem. Eſt æqualis.)Auerro.calidã facit & humidam,in primo ordine. Galenus autẽ miſcuit ipſam cum Scammonea.)Melli quidem inuenio Galenum miſcuiſſe Scammoniũ,Mannę nequaquam. Educit choleram cum facilitate.)Auerro.faciliorem dixit eſſe inter omnia quæ purgandi uim habent.

De aqua lactis.

Galenus dicit antiquos ſero ad inferioris uẽtris ſubductionem uſos:& Dioſcorides iis dari,quibus abſqꝫ acredine uentris, excretionem uolumus prouocare.

Eſt calidæ & ſiccæ complexionis in primo uſqꝫ ad ſecundum.)Gale.libro quarto ſimplic.medic.cap.16.dicit frigidam & humidã:alicuius tamẽ caloris participem eſſe,ait lib.3. de alimen. Mel uigorat eius operationem.)Galenus tãtum mellis addendũ iubet,quantum delectare poſsit, non uentriculum ſubuertere: quoqꝫ magis ſubducere uentrem uolueris,plures ſales adiiciẽdos, modo guſtui non ſint moleſti. Poſſe,ſolutione educit choleram.)Iuuare dixit Dioſcorides lepræ,elephantiaſi,epilepſiæ,& exanthematibus. Bubulum uero ſerum conferre ſcripſit ortopnœcis,id eſt,his qui nõ niſi erecti ſpirãt. Doſis ab unciis ſex,uſqꝫ ad lib.unã.) Dioſc.bibi heminis per interualla ſingulis,uſqꝫ ad quinas. Paulus Aegineta dari uiris iubet ſextar.ij.pueris unum.Ex eo autẽ Dioſco.loco natus uideri poteſt modus,qui nunc in communi uſu eſt,bibendi medicatas aquas,quæ balnearum dicuntur.

De Roſis.

Roſam non uideo à Græcis,neqꝫ ab Auerr.inter purgatoria medicamina reponi, experientia tamen ipſa, collocari inter ea debere oſtendit: cui etiam Dioſcorides conſentire uidetur, roſaceum unguentum uires habere dicens,ad ſoluendam aluum cõducentes:quas uires non ab alia re habere poteſt,præter quàm à roſis. Componitur ex terreis partibus.) Galenus conſtare dixit ex aqua, ea ſubſtantia calida, cui qualitas adſtringens & amara coniuncta eſt. In abſciſsione rubedinis non plus eſt roſa, quàm homo mortuus.) Hoc dictum ualde mihi eſt ambiguum:neque enim ex rubore ſpeciem habet roſa:alioquin alba roſa,roſa nõ eſſet: colore etiam deperdito, ſeruari odorem adhuc uidemus,& adſtringendi uim.Vſum uero roſæ Plinius diuidit in folia, flores,& capita.Foliorum partes candidæ, ungues uocantur. In flore aliud ſemen, aliud capillus:in capite aliud caput,aliud calyx. Florem luteum,illud intraneum intellige, quod magis reliquis partibus exiccare & adſtringere dicit Galenus.Dioſcorides,facere ad gingiuarum defluxus.Plinius dat in poſca ad mulierum fluxiones, maximè albas,& ſanguinis excreationes,& ad uentriculi dolores cum uino.

Vinum in quo folia ſicca cocta ſint,laudat Dioſcorides in dolore capitis, oculorum, aurium, gingiuarum,pudendi, ani,uteri,ſi eo membra illa abluantur: nullam autem roſæ partem,præter capita,præbet bibendam. Per albas non fit ſolutio aliqua.) Apertus hoc loco error deprehenditur: albæ enim de ſeni uocatæ,& uulgò apud nos Damaſcenæ, cum albiſsimæ ſint,cæteras in purgãdo excellunt. Succus uero eius.) Succum non reponit Dioſcor.ad alium,quàm ad oculorum uſum.

De Violis.

Nec uiolam inuenio apud Græcos purgare:credi tamen poteſt,ſi magna quantitate ſumatur,uentrem lenire. Et ipſa quidẽ eſt narcotica.) Quomodo narcotica,ſi frigida eſt tantum in primo ordine,ut tu ſuperius ſcripſiſti? Poſſe.)Folia uel per ſe,uel cum polẽta, facere ad uentriculi exuſtiones,oculorum inflammationes,& ſedis caſus,ſcribit Dioſcorides,quoſdámque aſſerere,partem floris purpuream anginæ,& puerorũ comitiali morbo conferre.

De Abſinthio.

Dioſcorides,Plinius, Galenus, inter purgatoria medicamina numerauere. Sed illud quod intendimus nũc,eſt abſinthium Romanum.)Neſcio ubi ſomniauerint Arabes abſinthium hoc Romanum. Dioſcorid.Plinius,Galenus laudant Põticum,quod flore & folio minore quàm cætera,dicit Galenus 2.curat.meth.odoréqꝫ non modo non inſuaui,uerùm aromatum quid præ ſe ferente.Tale ego in Pannonia & uidi,& guſtaui.Cappadocum etiam Dioſcorides Romanum ne nominauit quidem. Siccum in ſecundo.)In tertio,dicit Galenus.

Succus nocet ſtomacho.)Adde ex Dioſco.quòd dolorem facit capitis:& ex Plinio,quòd decoctum eſt ſtomacho ſaluberrimum.Et ex eodem Dioſco.quòd ualet ad inflationes,ſtomachíqꝫ ac uentris dolores, ſi cum ſeſeli bibatur:& quòd crapulæ reſiſtit,& menſes citat.

Solutione educit cholerã.)Educit bilioſa ſtomacho & uentri inhærentia,Dioſcoride teſte. Et dixit Auenzoar,ſolutione etiam phlegma educit.)Hoc apertè negauit Galenus. Et aquæ ſublimationis eius.) Si hæc aqua communi modo fuerit parata,exiguas certe uires habebit.Nos autem ſcimus,& alibi docuimus modum eliciendi aquam,quæ odorem & ſaporem eius retinet,& cum his,ut conſentaneum rationi eſt,etiam alias uires. Potus infuſionis.) Curat etiam inappetentiam atqꝫ arquatum morbum,ut ſcribit Dioſcor.& thoracem purgat cum iride.Seminis drachmas ſex dabant antiqui,cum marinæ aquæ ſextario,purgationis gratia,ſecundum Plinium.

De Stichados.

Stœchas Græce dicitur,nec inter purgantes medicinas ab ea gente computatur:quod Auicen.quoqꝫ confirmauit. Stichados Arabicum.)Non Arabicum, ſed potius Gallicum:nam teſte Dioſcoride & Plin.in inſula eiuſdem nominis generatur,quæ Maſsilię oppoſita eſt,

Et eſt planta foliorum ſubtilium.Nõ foliorum ſubtilium,ait Dioſcorid.ſed leptocarphon,quaſi dixeris,tenuium feſtucarum.Hermol cirrulas interpretatur,longiorum foliorum,comámqꝫ habere Thymi:Plin.hyſſopi,& odoratam, eiúſqꝫ decoctum facere ad thoracis paſsiones,ſicuti hyſſopus:tenuare quoqꝫ & abſtergere.Plin.leuare pectoris dolores,menſes ciere,& antidotis miſceri.Galenus uiſcera omnia roborare,& uniuerſi corporis habitum,atqꝫ obſtructiones aperire.

De

### De Fumo terræ.

Capnion Græci uocant, Latini fumariam. Lenire uentrem tradit Gale. experimento cuiuſdam idiotæ, ſiccũ ſubductionis gratia cum melicrato exhibentis. Dixerunt quidam quòd eſt frigidum.) Auic. frigidum facit in primo ordine, & ſiccum in ſecundo. Gale. uidetur feciſſe calidum, acri ſimul & amara dicens participare qualitate, nec carere acerba: qui loquendi modus, uincere in eo caliditatem demonſtrat. Et ducit choleram.) Dioſcorides & Gale. per urinam. Plinius abſolute dixit, quòd detrahit bilem. Confert etiam febribus.) Aëtius dari tutò ait etiam his qui febriunt. Prætermiſit autem Meſue præcipuas eius uires, à quibus & nomen accepit, quòd lacrymas ſcilicet inſtar fumi educit, uiſum acuit, renaſci euulſas palpebras prohibet, ut Dioſco. Plin. Galenúsq; teſtantur. Potio ſucci eſt ab uncia media ad duas.) Vix puto eſſe tam mollem uentrem, qui ea quantitate leniatur. Auic. uſque ad octo uncias præbet. Multos ego noui qui Auicennæ etiam modum longe excedunt.

### De Eupatorio.

Non facile fuerit diuinare, quámnam herbam hoc loco pingat: uera enim Eupatorium à Dioſc. & Plin. deſcripta, tantum ab hac differt, quantũ centaurij tenuis folia à cannabinis. Calidum eſt in primo.) Obſcuriſsimã eſſe eius caliditatem, ſcripſit Gal. & quòd mũdat abſq; calefactione. Solutione educit choleram.) Neminem legi, quod meminerim, uel Græcum uel Arabẽ, purgandi uim huic herbæ adſcribentem: imò de ea ſcripſit Dioſcor. cum uino potam ualere dyſenteriæ.

### De Epithymo.

Durioris Thymi florem, & Satureiæ ſimilis, eſſe Epithymum ſcribit Dioſcor. haberéq; capita tenuia, leuia, caudiculas ueluti capillos. Plin. poſtquam eadem ferè dixit quæ Dioſc. addit: Quidam aliter Epithymum tradunt ſine radice naſci, tenui, ſimilitudine Pallioli rubẽs. Videtur autem Epithymum hoc Meſue, ad ſecundũ Plinij referri: ſicuti & id quod in uſu nũc eſt, & uel ex Apulia, uel ex orientalibus locis affertur. Eſt ſimile cuſcutæ.) Res nota eſt ſub hoc nomine cuſcutæ, nec alia re à uocato Epithymo uidetur differre, niſi quòd paſsim cum lino naſcitur, illúdq; quaſi ſtrangulat: atq; hoc argumento aliud nomen inuenit, ut podagra uidelicet lini dicatur. Alail & Halaſce.) Thymbram, & Thymũ intellige. Eius aliud eſt Cretenſe, aliud eſt Syrium.) In Cappadocia & Pamphylia plurimum generari ſcribit Dioſco. Et dixit Gal. eſt calidum in tertio.) Adde, & ſiccum, & ſimile Thymo uirtute, ſed in omni re fortius.

Et generat æſtuationem.) Stomacho minus utile dixit Plinius & uomitiones mouere. Aqua uero mellis cum pauco ſale.) Dioſcorides & Plinius cum melle & ſale, & pauco aceto. Et quidam dicunt.) Si legiſſes Dioſcor. ſcires ipſum ſcripſiſſe, quòd cum melle potum purgat per inferiora bilem nigram, & pituitam. Et dixit Paul.) Optimum eſſe ait Paul. in euacuanda melancholia: nec uideo quo pacto poſſet eſſe magna medicina in morbis qui à Meſue ipſo enumerantur, niſi atram bilem exuſtam, quæ proprie melancholia dicitur, expurgaret. Doſis potionis eius uſque ad uiginti, & reliqua.) Nimis creuit hæc doſis: ſiquidem Dioſcorides quatuor, Paulus quinque, Plinius ſex, ad ſummum concedunt.

### De Hyſſopo quod uocatur Aſce.

Dicunt quidam quòd ſit hyſſopus hortenſis: dicunt alij eſſe unã ex ſpeciebus Origani.) Nomen ipſum modúsq; loquendi, oſtendunt ignoraſſe Meſuen de qua re ſcriberet. Tu autem ſcias uoluiſſe eum loqui de thymo, re non obſcura, utpote quam dicit Dioſcor. ab omnibus cognoſci. Sicut nodus foliorum.) Intellige ex Dioſcor. Thymi capitula. Et eius flos eſt ſicut calamenti.) Non hoc Dioſcor. ex quo reliqua iſte ſumpſiſſe uidetur. Plin. duo genera facit: cãdidum, radice lignoſa, quod & præfertur: alterũ nigrius, floriſq; nigri. Semen deprehẽdi nõ poſſe, ſed flore ſato enaſci. Et dixit Dioſ. quod eſt in principio tertij.) Cùm Dioſ. nunquam meminerit graduum, liquet hunc uirum Dioſc. uerum non habuiſſe, ſed nec Gal. & Paulũ bene legiſſe: hi enim fuere, qui calidum & ſiccum in tertio ordine poſuere. Valet ad ægritudines cerebri.) Valet comitialibus ſecundũ Plin. uiſus obſcuritati, ſecundum Dioſ. diſcutit œdemata, diſſoluit coagulatum ſanguinem, tollit uerrucas, & cum uino ac polenta iuuat coxendice laborantes.

### De Hyſſopo montano.

De uulgari hoc capite Hyſſopo loquitur. Electio.) Dioſcorides præfert Ciliciam. Hippoc. & Plin. in Tauro monte natam, & poſt eam Pamphyliam & Smyrneam. Calida & ſicca in ſecundo.) Galen. in tertio. Solutione educit phlegma.) Cum oxymelite & ſale trahit pituitas, inquit Plin. craſſos humores Dioſco. qui edi etiam ait cum ficis ad aluum ſubducendã, fortiúsq; purgare mixto cardamomo, aut iride, aut eryſimo: aliqui tamen pro cardamomo legunt cardamum.

Et tuſsi.) Cum ficis, aqua, melle, & ruta, peripneumonicis, aſthmati, tuſsi antiquæ, catarrho, ſi cum melle lingatur, ait Dioſc. eſséque optimum gargariſma anginæ cum ficis. Cum uino reſolui apoſtemata dura.) Phlegmones, ait Dioſc. Doſis uſque ad drach. decem.) Manipulum integrum Plin. Ego maiorem longe quantitatem poſſe tutò dari arbitror.

### De Prunis.

Coccymelia uocant Græci, uel κοκκυμῆλα. Damaſcena & Armena.) Damaſcena iampridem, inquit Plin. in Italia naſcuntur, grandiore ligno, & exiliore carne, nec unquam in rugas ſiccata, quando ſoles ſui deſunt. Gal. magis adſtringentia ait eſſe Damaſcena, Hiberica dulciora: miratur tamen Dioſcor. dixiſſe Damaſcena ſicca uentrem ſiſtere: optima uero eſſe inter eadem quæ ſint mediocriter adſtringẽtia, magna ac laxa. Dulcia ſunt inter caliditatem & frigiditatem.) Mediocriter humectant, & infrigidant, ait Galenus. Decocta in melicrato plus mellis habente, uentrem molliunt, magíſq; ſi melicraton ſuperbibatur, dehinc uinum dulce, & prandium differatur. Adſtringunt ſylueſtria, paritérque domeſticorum folia. Gummi lapidem frangit.

### De Pſyllio.

Græci pſyllium, Latini à Græci nominis ſignificato non recedentes, pulicarem herbam uocant: nec per os, niſi raro, aut hi aut illi præbent, quoniam inter uenena numerant: ſed exterius tantum ad molliendum, adſtringendum, & infrigidandum adhibent. Subſtantia autem eius interior medullaris, calida eſt & ſicca in quarto gradu, & eſt de genere ueneni.) Venenum eſſe Pſyllium dicunt Græci, non medullæ ratione, quæ ſit, ut iſte ſcripſit, in quarto ordine calida, ſed ex frigore potius, quod in tota oſtendit ſubſtantia. Secutus autem eſt Meſuas in hac re, ſicut in aliis multis Auicen. lib. 2. cap. 1. Damocrates porrò, autore Gale. libro 2. de Antid. iubet plurimum cõteri in compoſitione cuiuſdam antidoti.

Eſt frigidum & humidum in tertio exceſſu.) Gal. frigidum in ſecundo, medium in alia ſcribit contrarietate, nec alicui, ut diximus, eius parti calorem attribuit.

Quod ex eo conquaſſatum eſt, cum aquæ frigidæ ſolutione educit choleram.) Hoc ſic in aqua tuſo, Dioſcorides utitur ad infrigidandum. Et conquaſſatum cum aceto cõfert apoſtematibus calidis.) Cum roſaceo aceto uel aqua, ualere articulorum doloribus, tumoribus poſt aures, panis, ramicibus, umbilico procidenti, & eryſipelati, ſcripſit Dioſc. Et dixit Dioſc. quòd eſt in ſecundo: & uerius: inquit enim Hippo. in Epidemiis, non eleuatur res frigida, iuncta cum humiditate ultra ſecundum gradum.) Quomodo hæc dixerunt Dioſ. & Hipp. qui gradus uel ordines in medicinis non agnouerunt? Paul. frigidum in ſecundo, medium inter humectantia dixit & ſiccantia, quemadmodum & Galenus.

### De Capillis Veneris.

Adianton à Græcis dicitur, quia ut Theophraſtus, & poſt eũ Plin. ſcripſit, aquas reſpuit perfuſum merſúmq;. Dicitur Callitrichon uel Polytrichon, ab effectu (ut ait Plin.) quia capillos tingit & pulchros reddit. Theophr. & recẽtiores duo eius genera faciunt, album & nigrũ.

Sunt autem compoſiti ex partibus aqueis & terreis & ſubtilibus mediocriter, à quibus ineſt eis ſtypticitas, & ex partibus ſubtilibus calidis ualde.) Niſi aduerbium, ualde, iunxeris uoci, ſubtilibus, error erit in hoc loco manifeſtus, etiam ipſomet Meſue teſte, qui ex Gal. ſententia uix excedere eos temperamentum dixit. Sed fortè melius eſt addere negationem, & legere, non ualde. Et ſolutiui uentris.) Autoritas, ratio, experimentum falſum eſſe hoc comprobant: ſiccat enim adianton, attenuat, diſcutit, inquiunt Galen. & Paul. Auer. ait Galen. dixiſſe, quòd aluum adſtringit: nouos medicos, quòd purgat, Dioſco. ipſe apertè dixit quòd aluum ſiſtit. Mundificat pectus.) Per ſcreatũ dixit Gal. Et abſcindit furfures.) Dioſco. addit, & achores cum lixiuio.

Frangit lapidem.)Præcipue nigrum,inquit Plin.eáq; de cauſa dici ſaxifragum. Et delent cum oleo chamæmelino ſcrofulas.)Non addit Dioſcor.oleum:ſed dixit abſolute,quòd ſtrumas diſcutit:quod etiã pariter ſcripſit Galen. Abſcindunt ſanguinem.)Sanguinis ſcreatum ait Dioſcor. Et confortant ſtomachum.)Dioſco. poti cum uino.

De Aſaro.

Aſaron ideo uocatum uidetur,quia in coronas non adderetur.Dioſco.herbam coronariam dicit,errore,ut credo,ſcioli cuiuſpiam librarii,Baccharem Aſaro miſcẽtis,quod nunc etiam uulgus facit. Sicut folia hederæ.)Adde,ſed minora & rotundiora,ex Dioſcor. Sicut flores Hyoſcyami.)Sicut Cytini,non ſicut flores,ait Dioſcor.in medio foliorum apud radicem purpurei, odorati:ſemen in floribus acinoſum:coliculi angulati, ſubaſperi: radices multæ,geniculatæ,tenues,obliquæ, gramini ſimiles,multo tamen tenuiores,odore cinnamum referentes. Electio.)Optimum naſci ait Plin.in Ponto,proximum in Phrygia,tertium in Illyrico.Gale. ſolam radicem utilem eſſe dicit. Complexio.)Dioſco. ut ſæpe dixi,gradus in medicinis non diſtinxit.Galen. huic medicinæ nõ aſcribit:ſed cum dicat eaſdem Acoro uires habere,ſed fortiores,quam poſuit calidam & ſiccam in tertio ordine,ſequitur hanc quoq; uel ſaltem in tertio ordine collocandam. Quidam inſundunt ex eo aliquid in muſtum )Dioſco.miſcet uncias tres in heminis muſti duodecim,& dat ad lotium,intercutem, coxendicem & icterum. Poſſe,eſt ex rebus facientibus uomitum.)Crateias,Dioſcor.& Plin.purgare aiunt eius radices,ellebori albi inſtar.Multas quoq; alias uires ei adſcribunt. Doſis eius uſq; ad drachmas quatuor.)Dioſco.dat pondus drach.ſeptem.

De Iure.

Gallorum ius uentrem laxat,gallinarum adſtringit, ait Galen. ἐπικρατητικῆς δυνάμεως ὄν. Marcellus tamen in Dioſcoride aliter interpretatur. Decoquatur in aqua ſufficienti.)In ſextariis xx.ut Dioſco.uel tribus congiis, ut Plin.& reducatur ad tres cotylas. Miſcetur decoctioni eius Turbit.)Quidam(dicit Dioſcor.)Braſsicam marinam coquunt,aut Mercurialem,aut Cartamũ,aut Polypodium,educitq; humores craſſos,crudos, tenaces,nigros,& ualet febribus antiquis.Plin.præclare medetur uenenis ſerpentũ,torpentibus membris,tremuliſq;,capitis doloribus,epiphoris,inflãmationibus,faſtidiis,incipienti tenaſmo,iocinori,renibus ueſicæ,cruditati,ſuſpiriis.

De Volubili.

*Volubilis ſpecies quatuor.*

Inuenio apud Dioſco.Gale.Paul.cap.de Helxine,quæ uidetur prima ſpecies hic poſita,apud nos frequens, ſicuti & ſecunda.Tertia,ut puto,eſt Clematides.Quartam ſpeciem uidetur Plin.lib.21.cap.15.uocare Lupum. Legitur Lupi huius uel Lupuli nomen,tertio lib.de locis affectis,qui liber uulgò de interioribus inſcribitur. Sed litera corrupta eſt,pro bato uel rubo,lupulum habens:ſicuti & lib.4.Therapeutices,ut nouæ eius libri interpretationes manifeſtant.Grçcorum uulgus Bryon nunc uocat,noſtri Luuertitium,quaſi lupum uertitiũ.

*Galeni locus lib.de interiorib.caſtigatur.*

Complexio & proprietas.)Non id dixit Dioſc.quod hìc ei adſcribit,ſed de triplici ſcripſit Smilace,leni uidelicet,aſpera,& hortulana.Item de duplici Clematide,& Scammonio,quę omnia ab hac ſe circunuoluendi proximis rebus proprietate,dici Conuoluoli,uel uolubiles poſſunt.Helxinen potam,uim habere uentris purgatiuam,tradit idem Dioſcorides. Lupulus eſt æqualis.)Vires florum quas in ceruiſia oſtendunt, ſatis calidos & ſiccos atteſtãtur:quibus rebus grauitas etiam odoris conſentit. Videant igitur medici, qui Lupulos tantopere commendant, cui fundamento innitantur.

*Lupuli flores calidi.*

De Scammonio.

Scammonia proprie dicitur ipſa planta, Scammonium ſuccus,utrunq; tamen Scammonium quandoq; uocatur:& quia cæteris præſtat id quod in Colophone gignitur,ideo & Colophonium nominatur. Cuius folia ſunt ad modum ſagittæ alatæ.)Helxinæ ſimilia,inquit Dioſcorides,uel Hederæ molliora, trianguli figura, flores albi,rotundi,concaui forma calathi.

Primus eſt cum manifeſtatur radix.)Clarius Dioſcorides,reſecatur caput à radice,radixq; ipſa ita fit concaua,ut ſuccum colligere confluentem poſsit:quidam terram circunfodiunt,nucisq; iuglandis foliis obtecta fouea, ſuccum effundunt.hunc autem ſecundum modum prętermiſit Meſue. Electio melior eſt Antiochena.)Id quod ex Myſia Aſiæ præponit Dioſcorides,Colophonium Plinius,& poſt ipſum Prienenſe. Quæ uero fit in partibus noſtris,& Coraſceni,eſt mala.)Syriacum & Iudaicum peſsimum eſſe,dicit Dioſcor.denſum exiſtens & graue. Clara ſicut Gummi.)Dioſcorid.& Plinius taurino glutini quàm ſimilimum,ſplendens,nitidum,decorum,rarum,fungoſum,tenuiſsimis fiſtulis, ſpongioſum. Sit pondere leuis.)Plinius quàm leuiſsimum. Tenera.) Citò liqueſcens ait Plinius. Boni odoris proprii.)Virus redolens,inquit Plinius. Si tangitur confractum eius aqua uel ſaliua.)Plinius lingua: & cum diluitur,albeſcens.Dioſcorides huic indicio docet non fidendum,quoniam mixto Tithymalli ſucco, idem fit,ſed attendendum aliis indiciis,& ne linguam deurat. Quinq; ſunt ei familiaria,quæ in corporibus imprimunt magnitudinem nocumentorum.) Nocere ſtomacho plus quàm omnia purgatoria medicamina, dixit Paulus,miſcétq; ei ſal aut piper,aut zingiber,aut rem aliam quæ ſit bona ſtomacho: format etiam inde catapotia cum melle. Inquit Galenus, miſcuit cum ſexcuplo ipſius Mannæ.)Neſcio ubi hoc dixerit Galen. Illud autem ſcio, quòd Manna apud eum Thuris tenuiorem puluiſculum ſignificat,non rem Saccharo noſtro dulcore & colore ſimilem,quæ nunc paſsim Manna uocatur,& à Meſue intelligitur. In eius contritione non nimium inſiſtatur.)Contrarium nonnulli ſentiunt:quod uerius eſſe,alio loco eſt demonſtratum.

*Mãna apud Galen.quid.*

Solutione educit choleram.)Dioſcor.addit & phlegma.Paulus,purgat ut Elleborus,& magis bilem. Vitet eius acceptionem,qui calidæ & ſiccæ complexionis eſt.)Docet Paulus dandum his qui boni ſunt ſtomachi,febre carent. Doſis à quinq; granis à duodecim.) Dioſcorides dare drachmam integram nõ ueretur:ſufficere tamen ad ſoluendam aluum dicit duos obolos. Si uero placeat abundantius purgari,tribus obolis addi debere duos Ellebori obolos,& Aloës drachmam. Paul.dat obolos quatuor.Ego licet nunquam ſim auſus tantum dare,duodecim tamen grana tranſcendere non ſum ueritus,ſcióq; quoſdam ſcrupulum integrum hauſiſſe ſine noxa.

*Tutò tradi Scammonij pluſquã duodecim grana.*

De Turbit.

Difficile eſt diuinare,quam rem hoc loco pingere uoluerit:non enim deſcribit Turbit Serapionis,ſeu,quod idẽ eſt,Dioſcor,tripolium:non radicem Pityuſæ,quæ à Dioſcoride uocatur Turpet: ſiquidem folio hæc pini, illud iſatidis,non ferulæ conſtat.Sed nec eam qua nunc utuntur medici, quoniam ( ut audio ) folio eſt Myrti, quali Dioſcoridi ſecunda Tithymalli ſpecies eſt,quam uocant fœminam.Fatendum igitur errorem eſſe in nomine ferulæ,cum nulla res turbit uocata, ferulæ ſimilis extet. Calidum eſt in tertio.) Si eſt radix alicuius ſpeciei Tithymalli, ſuccus eius erit in quarto ordine calidus, radix paulò minus, ex Galeni ſententia. Auicenna radices calidas eſſe dicit in ſecundo uſque ad tertium. Si eſt Turbit Serapionis, & ut ſequens eſt Tripolium Dioſcoridis & Galeni,erit tertii ordinis. Vires quidem quas huic ſuo Turbit Meſue adſcribit,manifeſte oſtendunt eum intellexiſſe de uocato ab Auicenna & Serapione Turbit:licet neuter ipſorũ cognouiſſe herbam eius uideatur,alioqui non erant miraculum tacituri quod recitat Dioſcor. & ex eius ſententia Serapion,flores uidelicet ter in uno die colorẽ mutare.Erunt igitur tres uel fortè quatuor res,nomẽ Turbit ſuſcipientes,radix uidelicet Tripolii,de qua tractat Serapion,ſub Turbit nomine: radix Pityuſæ, quam libro quarto Dioſcorides dixit appellari Turbet: radix Tithymalli fœminæ Myrtites uocatæ, qua nunc paſſim ſub Turbit nomine utuntur medici:& quartum demum,niſi penitus ſomnium eſt, quod folio ferulæ conſtare dixit Meſue. Aperiant igitur oculos medici eo uſuri. Et declinat à proprietatibus bonis,quę ſunt ſeptem.) Hæc à Serapione capite de Turbit. Rectificatores in primis abradi iuſſerunt.) Et hoc à Serapione.

*Flores Turbit ter uno die colorem mutant.*

De Agarico.

Glandiferæ arbores, inquit Plinius,maxime Agaricum ferunt:eſt autem fungus candidus,odoratus,nocte relucens.Galen.radicem uocat,& Premno dicit innaſci,hoc eſt,Ilici.Dioſcor.aliquos putaſſe radicẽ,alios fungorum modo in truncis arborum naſci,& eſſe La-

ſerpitio

serpitio similem. Masculus est malus, & ille proprie qui est longus.) Marem rotundum ait Diosco. & undequaque sibi coalitum. Et habens in confractis suis fila neruorum.) Fœminam dicit Diosc. cursu uenarum recto constare, marique præferendam. Et ut appareat dulcis in primo gustu.) Non hoc peculiariter adscribit Dioscor. bono, sed mari pariter & fœminæ facit commune. Galen. amaritudini in tempore succedere apparentiam quandam acredinis dicit, & modicæ stypseos. Paul. eligendum albissimum, quod facillime frangatur, nec sit ualde lignosum, aut perforatum. Est calidum in primo.) Auerrois dixit Galen. in nullum ordinem redegisse: ei autem uideri calidum in primo, siccum in fine secundi. Et est compositus ex substantia aërea.) Adde ex Galen. & terrestri, quæ à calore attenuata est, minimum aquosæ particeps. Et ipse quidem est subtiliatiuus.) Discutit, crassos humores diuidit, obstructiones uiscerum repurgat, inquit Galen. Inquit Dioscor.) Non leguntur hæc apud Dioscor. sed Paulus Aegineta similem habere uim ait Colocynthidi, tarde tamē agentem, nec ualde uentriculo molestam. Et Galen. dixit, fiant trochisci.) Nec hoc legi apud Galen. Et educit materias ex iuncturis.) Diosco. dat in coxendicis, & aliorum artuum doloribus cum oxymelite. Ad omnes dolores intrinsecos.) Ad omnes internos affectus, ait Diosco. Vlceribus pulmonis.) Phthisicis cum defruto, ait Dioscorides. Et sanat dolores stomachi.) Per seipsum, si edatur, inquit Dioscor. ualeréque etiam torminibus, cruditati, & acido ructui. Mundificat matricem.) Confert præfocationi uteri, eodem Diosco. teste: inflationi quoque, fracturis, casibus, dysenteriæ, & sanguinis excreatui: ualet & ferarum morsibus qui infrigidando sunt, siue potum, siue exterius appositum, secundum Galeni sententiam. Dosis eius contriti potio est à drach. una usque ad duas.) Dioscor. obolorum duorum pondere dat ad rupta, conuulsa, tormina, & cruditates: drachmæ pondere hepaticis, asthmaticis, dysenteriç: tres obolos sanguinis excreatui & comitialibus: ad aluum purgandam unicam, uel duas drachmas. Paul. drach. duas dat cum melicrato.

*Dosis Agarici.*

De Colocynthida.

Colocynthis Grçce, Latine agrestis cucurbita dicitur. Eius folia sunt ampla, pilosa.) Ramulos & folia ait Dioscor. per terram sterni, esséque satiuo Cucumeri similia, quibusdam diuisuris scissa. Verum quæ non est completa, mala est. & reliqua.) Si hæc uera sunt, nunquam erit tutus colocynthidis usus: non enim scire possumus, quo solo genita, an in unica planta unica, uel in una regione unica planta. Et proprie dum iam citrinescit.) Colligendam docet Dioscorid. cum in pallidiorem colorem mutari occeperit. Est calidæ complexionis, & siccæ in tertio.) Amaram dicit Galenus, non posse tamen id efficere, quod alia faciunt amara, dum bibitur, ob uehementem purgandi uim. Ex quibus uerbis monstrat, non ita calidam putasse, ut Mesue: licet sub quo ordine calida esset, non expresserit. Modus rectificandi eius, secundum quod narrauit filius Serapionis. & reliqua.) Non hoc præcipit Serapion, sed Paulus, drachmam unam in duobus melicrati cyathis coquens cum Ruta. Et dixit filius Serapionis, oportet ut perueniatur ad ultimum puluerizationis.) Non hoc dixit Serapion, sed contrarium, non esse uidelicet multum terendam. Paulus autem & Auicenna, quem est Mesue secutus, plurimum teri iubent: quoniam (ut inquit Paulus) asperæ eius partes interioribus hærentes, ulcera faciunt, quibus nerui compatiuntur. Solutione educit phlegma.) Bilem etiam & strigmenta, dicit Dioscorid. Et dixit Dioscorides, non efficit operationem in materiis quæ sunt in uenis. & reliqua.) Non hæc Dioscorides, sed Paulus, cuius hæc sunt uerba: Interiora Colocynthidis uacuant præcipue bilem, & mucos, non à sanguine, ut Elleborus & Scammonium, sed à neruis & neruosis membris. Sicut est dolor capitis antiquus.) Paulus, danda his quibus caput est læsum, aut interior uel exterior eius membrana: illam piam matrem, hanc circumossalem uocant: ut uertiginosis, hemicranicis, comitialibus, attonitis, cynico spasmo, asthmaticis, & non nisi recta ceruice spirantibus. Descensui aquæ ad oculum.) Paulus, diuturnis oculorum fluxionibus. Ad antiquam tussim.) Docet Plinius aquam mulsam in ea coqui ad dimidias, & sic tussientibus infundi obolis quatuor. Multæ eius uires sunt prætermissæ, ut quòd secundum Paulum ualet his, qui circa renes & uesicam patiuntur. Iuxta Plinium in morbo regio utiliter semina insumuntur, & protinus aqua mulsa: & quòd cum oleo si infricetur, spinæ, lumborum, & coxarum dolores sanat, & succus eius uiridis perfricatus, iuuat coxendice laborantes, autoribus Dioscorid. atque Galen. & quòd utiliter clystere pilæ eius iniiciuntur, coxendici, paralysi, & uitiis coli, ut testatur Dioscorides. Dosis decem ceratia.) Paulus drachmam integram dare non ueretur, quæ secundum eum pendit ceratia octodecim.

*Colocynthis quatenus terenda.*

*Pia mater. Circumossalis.*

*Colocynthidis facultates à Mesue prætermissæ.*

De Polypodio.

Polypodium nostri Filiculam uocant, inquit Plinius, similis est filici. Est radix.) Adde ex Dioscoride pilosa, cirros polyporum modo habens. Ortus eius super arbores.) Dioscorid. in arborum truncis, præcipue roborum. Et super lapides.) Adde ex Dioscorid. muscosos. Et proprie quod est grossum.) Minimi digiti crassitudine, Dioscorides & Plinius. Et cuius confractum est coloris fistici.) Coloris herbacei, Plinius & Dioscorides. Et in quo est ex aromaticitate aliquid, & in cuius sapore est dulcedo cum stypticitate, relinquens in gustu &c.) Obscure, nec conformiter bonis autoribus. Dioscorides enim sapore dicit in acerbo subdulci. Galenus dulcem simul & austeram habere qualitatem dominantem. Dixit Dioscorides, calidum est in tertio.) Dioscorides nunquam. Galenus in hoc non meminit graduum, sed cum exiccare dicat absque morsu, nec aliam qualitatem præ se ferre, quàm dulcem & acerbam, non est tam calidum putandum: & propterea magis credendum Auerroi, quasi temperatum dicenti, quàm Auicennæ, qui dixit calidum in secundo, nedum his qui in tertio ordine statuerunt. Est ex maxime extenuantibus & siccantibus corpora, & facit subuersionem & nauseam.) Nescio quo pacto maxime possit corpora extenuare, cum leuiter purget, nec excellenti aliqua (ut dictum est) polleat qualitate. Scio autem quòd per se exhibitum, nec subuersionem, nec nauseam facit. Et propterea in hac etiam parte, magis credo Auerroi dicenti, quòd est secura medicina, & melior Epythimo, quàm uel huic uiro, uel etiam Plinio stomachum offendi ab eo asserentibus. Inquit Hamec, coquitur cum iure gallorum & gallinarum.) Coquit Dioscorides cum gallinaceo, uel pisce, uel Beta, uel Malua, uel aridum inspergit in aquam mulsam. Plinius. Exprimitur, inquit, succus aqua madefacti, & ipsum concisum inspergitur oleri, & Betæ uel Maluæ, & salsamento: uel cum pulticula coquitur. Solutione educit choleram nigram.) Dioscorides & Plinius bilem absolute, & pituitam. Paulus radicem cōtritam cum melicrato, idem dicit agere Colocynthidi. Dosis usque ad aureos quatuor.) Exhibui ego sæpe unciam integram, parúmque, & id quidem sine molestia, eduxit.

*Polypodium nec extenuat corpora, nec nauseā inducit.*

De Scilla.

Scillarum, inquit Plinius, alba est quæ masculus, fœminæ nigræ, tertium genus est cibis gratum. Epimenidum uocatur, angustius folio, ac minus asperum. Pancratium etiam inter Scillas numerat Dioscorides, & pusillam Scillam uocari dicit, easdémque uires alteri habere, sed imbecilliores. Scillæ, sicut dicit Galenus, duplex est iuuamentum: solutione enim educit materias, & præparat ad soluendum.) Non memini me uspiam hæc legisse apud Galenum. Sola, sicut dicitur, est uenenosa.) Si hoc uerum est, nemo Scilla tutò utetur, nisi qui præsens fuerit dum effoderetur. Et adhuc melior est quæ saporem. & reliqua.) Adde his ex Plin. quæ candidissima fuerit, eam esse utilissimam. Calida est in tertio.) Galenus uirtutis dicit esse satis incidentis, non tamen uehementer calidæ, sed in secundo ordine: quod etiam confirmauit Auerrois. Vlcerat, urit.) Nimis hoc est: satis erat acrem dixisse: uehementius enim calida sint necesse est, quæ urendi uim habent. Assatio acquirit ei facilitatem in soluendo.) Multi usus fieri per assationem, ait Dioscorides, & Galeno teste, elixatio & assatio eius uehementiam reprimunt: docétque Galenus pro puero epileptico, quomodo in diebus canicularibus, optime eius succus eliciatur. Et quandoque admiscetur ei post assationem tantundem farinæ Orobi.) Sic parantur artisci uocati Scilletici Theriacen ingredientes. Paulus tamen non æqualiter, sed media

*Scilletici artisci in Theriaca.*

parte farinam Orobi miſcet. Galen. ex Andromachi ſententia, ſeſquialteram uult eſſe Scillam farinæ, & Orobos albos. Poſſe, ſolutione educit humores groſſos & uiſcoſos.) Datur toſta cum ſale, ita ut uni parti octo ſalis adiiciantur, cochlearis unius uel duorum menſura, ad aluum leniendam, ex Dioſcor. ſententia. Eſt medicina bona pulmoni & pectori.) Antiquæ tuſsi utilem ſcribit Dioſco. tribus obolis ſumptam in eclegmate, & etiam aſthmaticis. Eodem pondere etiam ualet ad urinam ciendam, ad morbum regium, ad aquam intercutem, ad ſtomachicos, & quibus innatet cibus.

De Hermodactylis.

Vt notiſsima radix nunc ea eſt, quam officinæ Hermodactylum uocãt, ita ignotum obſcurúmq; eſt, quo nomine ſit apud antiquos uocitata, & quam rem uoluerint ipſi Hermodactyli uoce ſignificare. Paul. ſiquidẽ breue caput de Hermodactylo, his ferè uerbis ſcribit: Radix, atq; eius decoctum purgandi uim habet: datur peculiariter arthriticis in ipſis fluxionibus: ſtomacho autem eſt ſatis mala. Serapion uero ſub Hermodactyli uoce, uno & eodem capite, Colchicon & Ephemeron Dioſcoridis, necnon Pauli Hermodactylum cõprehendit. Auicenna Serapionem in uirtutibus ſecutus, in hiſtoria maxime lapſus eſt, aperiri eam dicens, cũ aperiuntur flores: ſcribente Dioſcor. & Serap. ex eius ſententia, exitu autumni, poſt florem, ſciſſo bulbo, folia erumpere. Serap. & Auicennã ueluti ſuos duces ſecutus Meſue, alium longum, aliũ rotundũ eſſe Hermodactylum ſcripſit, ſéq; de rotundo, quaſi meliore, ſermonem habiturum: aperte Galeno repugnans, qui de Ephemero ſcribens, non de eo quod Colchicon alio nomine dicitur, uenenúmq; eſt, & radicem habet rotundam, ſcripturum ſe dicit: ſed de eo quod Iris ſyluestris uocatur, foliáq; & caulem habet lilio ſimilia, radicem longam, non rotundam: imitatus Dioſcoridem, qui cũ de Colchico tanquam de ueneno ſcripſiſſet, de Ephemero ſcribit, quòd radicem habet unam digitali craſsitudine, & longam. Sed & Plinius libro 25. Ephemerum eodem ferè quo Dioſco. modo deſcribens, inter medicinas enumerat: & ſimiliter libro 26. In uigeſimo autem octauo, Colchicon inter uenena reponit. Non uſq; adeò tamen nominibus fidendum, ut Colchici nomine uenenũ, nomine Ephemeri rem bonam ſemper intelligamus: nam apud Nicandrum in alexipharmacis, & pleroſq; antiquos, Ephemeri tanquam ueneni fit mentio: & Galen. utrunq;, Ephemeron uidelicet & Colchicon, eodem nomine Ephemerum uocauit. Noſtrũ hoc, quod Hermodactylũ uocamus, notas habet eius Colchici quod inter uenena numeratur. Ephemerum me nunquam in Italia uidiſſe memini: in Pannonia (ni fallor) frequens eſt: cuius ego foliis deceptus, Satyrion, donec effoſſa radice differẽtiam cognoſcerem, ſemper exiſtimaui. Hæc ſi uera ſunt, patet non tutum eſſe Hermodactyli huius noſtri uſum: niſi fortè dicamus, eum tantum eſſe uenenum qui in Colcho natus eſt. Securius tamen eſt ab eo penitus abſtinere, præſertim quia non eſt ea radix, quæ ab antiquis in articularibus morbis tantopere commendatur: ſiquidem Paul. ſeorſum de ea ſub Hermodactyli nomine ſcribit, cum de utroq; Ephemero propria ſcribat capita. Idem feciſſe Galen. præter hoc quòd ferè Paul. nihil de ſimplici aliquo medicamẽto ſcribit, quod ab eo non acceperit, teſtimonio etiam Serapionis probatur, uerba eius recitantis. In communibus tamen Galeni exemplaribus Græcis Latinísue, caput de Hermodactylis non legitur. Et dixit Alexander.) Paulus ſatis malum ſtomacho eſſe dicit. Solutione educit phlegma groſſum.) Paulus decoctum eius eſſe ait potentiæ purgatiuę. Et eſt medicina arthreticę magna.) Paulus dari proprie dixit arthriticis, in ipſis fluxionibus.

*Non tutus hermodactyli uſus.*

De Ireos.

Cuius duæ ſunt ſpecies.) Variare in Iride flores ſcribit Dioſcorides: alios enim candidos, alios pallidos, alios luteos, alios purpureos, alios cyaneos eſſe. Non tamẽ ex hiſce florum coloribus ſpecies eius diſtinguit, ſed potius ex radicis colore, quem in Illyrica dicit eſſe ſubrufum, qualem quandoq; ex Illyrico delatum uidimus, in Libyca candidum, qualis eſt quæ paſsim inuenitur. Et ex his eſt melior.) Secundum Dioſcoridem optima eſt Illyrica Macedonicáq;: & in his optima, cuius radix denſa, ſubmutila, frangi contumax, ſubrufa, ualde odorata, ſternutamenta mouens dum perfringitur. Et cuius ſapor eſt acutus.) Dioſcor. guſtu amara.

Et melius tempus collectionis eſt uer.) Apertus eſt hoc loco error: incipiente enim foliorum defluuio, colligendas radices docet Dioſcorid. Et eſt abſterſiuus.) Dioſcor. attenuare dicit. Paulus tenuium eſſe partium, tergere, & concoquere. Ad ſplenem.) Dioſcor. pota cum aceto. Et confert dolori capitis.) Dioſcorid. cum aceto & roſaceo. Et fit ex ſucco ipſius & farina fabarum.) Dioſc. cum Elleboro albo, & mellis duabus partibus. Doſis à drachmis duabus uſq; ad ſex.) Dioſco. dat drachmas ſeptem cũ aqua mulſa. Paulus uero octo obolos dicit purgare, ut Agaricum, modo non ſit antiqua aut perforata.

De Cucumere ſylueſtri.

Sicyn agrion Græci, Latini Cucumerem anguinum, uel erraticum, uel ſylueſtrem uocant. Elaterium utriq; medicamen ex fructu factũ. Sicut Cucumer paruus.) Solo fructu à ſatiuo differt, ait Dioſcorides, quem minorem multò habet, & glandibus oblongis ſimilem, folia & uiticulas domeſtico ſimiles, radicem albam & magnam. Amaritudinis ueræ.) Omnes eius partes amaræ ſunt ex Dioſcoride, & Elaterium extremè amarum, ſecũdum Galenum. Cuius ſuccus eſt albus.) Notæ boni Elaterii ex Dioſcoride ſunt, ut ſit album, parum humeſcens, læuorem habens, & leuitatem, amariſsimum, & quod facile accenditur. Malum eſt quod uireſcit, aſperúmq; & turbidum eſt, medio colore inter Eruum & cinerem, ac ponderoſum. Calidæ complexionis & ſiccæ in tertio.) Galenus parum calidum dicit in ſecundo ordine. Et proprie quando citrineſcunt.) Tempeſtiuos eſſe dicit Dioſcorides cum ſolo tactu ſuccum effundunt. Plinius autumno. Puto errorem quoq; eſſe, ubi dicit, radices colligendas in fine ueris. Modum faciendi Elaterium late Dioſcorides explicuit, quem ab eo facile diſcere potes: nam modus Meſue conciſus nimis eſt & mancus. Educit per uomitum, & per uentrem.) Dioſcorides: Si uolueris purgare per inferiora, duplum ſalis miſceto, & Antimonii quantum ſat ſit, pilulásq; erui magnitudine ex aqua formato, quas ubi deglutieris, aquæ tepidæ cyathum ſuperbibito. Si per ſuperiora, aqua Elaterium reſoluito, & penna in eo madente, loca infra linguam, quantum maxime potes, intima attingito. Quod ſi ad uomitum difficilis ſit qui curatur, oleo, uel Irino unguento Elaterium reſoluito.

Dixit Ioannitius.) Neſcio an dixerit Ioannitius: ſcio autem Paulum ſcripſiſſe, quòd uacuat ut Scammoniũ, quantitate trium obolorum tritum cum lactis cotyla, & Dioſcorides, quòd trahit bilem & pituitam. Educit materias quæ ſunt in iuncturis.) Non erat prætermittendũ, ualere difficulter ſpirantibus, ut ſcripſit Dioſcorides. Reſoluit apoſtemata.) Radicem, ait Galen. abſtergere, diſcutere, mollire. & Dioſcor. ueteres tumores cum polẽta diſcutere, & cum Terebinthina panos rumpere. Cõſeruatur ſuccus eius triennio.) Nullũ ex medicamentis longiore æuo durare ait Plinius, incipere'q; à trimatu. Dioſco. à bimatu ad decẽnium eſſe purgationi aptum. Theophraſtus ducẽtis annis ſeruatum teſtatur. Quo uero uetuſtius, eo eſſe melius, dixit Plin.

Doſis eius ſucci, à decem granis. & reliqua.) Diſtinctius Dioſco. integram menſuram dicens eſſe obolum, minimam ſemiobolum, infantibus æra duo ſufficere, hoc eſt, dicalchon, pondus uidelicet quatuor granorum: maiore copia eſſe periculoſum. Paulus dat tres obolos. *Dicalchon.*

De Centaurea.

Centaurium hoc à Chirone Centauro nomen accepit, à quo etiam Chironium dictum eſt, quum ſolo nomine cum minore conueniat. Imperiti (ut Plinii uerbo utar) inuicem utrunq; confundunt: quod & feciſſe Meſuen facile eſt uidere, cum de utroq; eodem capite ſcripſerit, & uires utriuſq; indiſcriminatim commiſcuerit, ſecutus in hoc, ſicuti in pleriſque aliis, Auicennam.

Centaurea alia maior, alia minor.) Maiorem noſtri ſeculi herbarii ignorantes, minorem quæ humectiore ſimul & pinguiore loco nata in maiorem longitudinem adoleuerit, pro ea imperitis uenditant. Alii paulò ſolertiores herbam pro ea monſtrant, foliis per interualla binis, interna parte uirentibus, externa candicantibus, ſalice maioribus, flore luteo. Si quis tamen bene conſiderauerit notas, quas Dioſcorides & Plinius maiori Centaurio adſcribunt, eas ita quadrare cognoſcet uocato nunc à uulgo Rheo pontico, ut nulli rei magis. Tertiũ eſt præter hęc genus cognomine Triorchis,

quod

quod, ni fallor, fuit olim mihi è Liguria allatum, minori non multum abſimile, ſed longe magis aluum ſoluens. Minor melior eſt in omni re.) Falſum eſt hoc: alia enim in re utraque melior. Cuius flores & crura colorem habent citrinum palearum.) Falſum eſſe hoc, & res ipſa oſtendit, & Dioſcoridis autoritas: flore enim conſtat in punico purpureum referente, qualis eſt Lychnidis flos. Melior pars plantæ ſunt flores.) Radicem inutilem dicunt Dioſcorides & Galenus: ramos uero, magisque folia & flores, utiliſsima. Et melius tempus collectionis eſt principium æſtatis.) Dioſcorides uidetur diſtinctius locutus, dicens: exprimitur cum prægnans eſt ſemine. Auicenna dicit naſci utrunque in fine ueris: quod ſi eſt uerum, non uideo quo modo in principio æſtatis perfectæ eſſe poſsint.

Calidæ complexionis eſt, & ſiccæ in ſecundo.) Nec Galenus nec Serapion eas reponunt in ullo ordine, Auicenna in tertio. Si quis uero recte naturam utriuſque examinauerit, dicet minorem eſſe calidiorem, non uſqueadeo tamen, ut ad tertium ordinem aſcendat. Et eſt compoſita ex partibus terreis aduſtis, dantibus ei amaritudinem: & ex non aduſtis, cum permixtione aquoſitatis, quibus ineſt ei ſtypticitas, & eſt in ea de dulcedine.) Confundi hic utriuſque qualitates, conſideranti res ipſas, & legenti Galenum, facile conſtat: de maiori enim ita loquitur Galenus: Radix ſicuti in guſtu contrarias qualitates, ita in uſu contrarias oſtendit operationes: guſtui enim acris ſimul & adſtringens, cum exili quadam dulcedine ſe offert. De minore uero, quòd dominatur in ea amara qualitas, quæ exiguæ cuiuſdam ſtypſeos, id eſt, adſtringentis ſaporis eſt particeps. Solutione educit phlegma crudum, proprie minor, & choleram citrinam.) Modus loquendi innuit de utraque hactenus locutum, & hanc ipſam uim, pituitæ ſcilicet & bilis purgandæ, utrique conuenire, licet minori magis: cum tamen Galenus & Dioſcorides minori tantum hoc adſcribant, & Paulus purgare bilem & mucos dicat. Et confert ſciaticæ.) Hoc etiam priuilegium minoris eſt ſolum: de ea enim ſcribit Galenus ferè his uerbis: decoctum herbæ nonnulli clyſtere inijciunt iſchiadicis, hoc eſt, his qui coxendice laborant, ut biliosa & craſſa educant. Quando autem adeò uehementer operatur, ut ſanguinem uacuet, tunc magis iuuat. Et contritioni lacertorum.) De maiore ſcribunt Dioſcorides & Galenus, quòd datur ad rupta & conuulſa. Et eſt medicina oppilationum hepatis.) Succum minoris in hoc eſſe optimum ſcribit Galenus. Spleni.) De eodem minoris ſucco dicit Galenus, bonum eſſe durato ſpleni, & potum, & extrinſecus applicitum. Et prouocat menſtrua, & educit fœtum.) Eidem ſucco hoc adſcribit Galenus, quòd ſuppoſitus menſes educit & fœtum: de radice uero maioris, quòd menſes prouocat, mortuos fœtus extrahit, uiuos corrumpit & deijcit. Et Dioſcorides, quòd radix maioris ad collyrij tenuitatem eraſa, ſi ſubditur, menſes & partus euocat. Sanat dolorem matricis.) De radice maioris ſcribit Dioſcorides, quòd pondere duarum drachmarum pota, uuluarum doloribus confert. Valet colicæ, & dolori uentris.) De maiore ſcribit Dioſcorides, quòd torminibus pota medetur. Abſcindit ſputum ſanguinis.) De maiore ſcribit Dioſcorides, quòd pota in aqua, ſi febris adſit: ſi non adſit, in uino, ſanat cruentas excreationes. Et ſanat uulnera.) Vtraque huius uirtutis eſt particeps. De maiore enim ait Galenus, manifeſtari adſtringentis eius qualitatis opera, in uulnerum glutinatione. Et Dioſcorides utilem dicit uulneribus, & quòd in eum uſum recens tunditur. De minore idem Dioſcorides, quòd tuſa uirens, uulnera conglutinat: & Gale. quòd magna uulnera ea ſanantur adhuc uiridi. Et mundificat ea & conſolidat, & proprie difficilis conſolidationis.) Hæc uidentur de minore intelligenda, de qua ſic ad literam ſcribit Dioſcorides: Repurgat ulcera antiqua, & ad cicatricem adducit. & Galenus: Antiqua, & ad cicatricem difficilime euntia ulcera, per eam ad cicatricem adducuntur. Et proprie puluis eius.) Non ſic Galenus, ſed quòd herba adhuc recens. & eodem modo Dioſcorides. Et quidam dixerunt.) De magna hoc ſcribit Dioſcorides, quòd coaleſcunt ea carnes, ſi cum contuſa ſimul coquantur. Et proprie ad fiſtulas & ulcera magna.) De minore dixit Galenus, quòd exiccata, exiccantibus & glutinantibus miſcetur, quę ſinus & fiſtulas ſanare poſſunt, ac maligna ulcera, duritiéſque emollire, nulla de potu facta tunc mentione. Dari tamen ait ſuccum à quibuſdam in neruorum paſsionibus bibendum, ceu ſiccantem ſimul, & abſq; moleſtia uacuantem. Eundem cum melle illini oculis: purgat enim (ut inquit Dioſcorides) ea quæ obſtant luminis claritati. Maiorem præterea ualere ad ſpirādi difficultatem, & antiquam tuſsim, tradūt Galenus & Dioſcorides: additq; hic lateris dolores. Doſis.) Dioſcorides & Galen. dant duas drachmas maioris, Paulus drachmam unam ſemis minoris, in cotyla aquę ad medietatis conſumptionem cocti.

De Cartamo.

Cnicum uocant Græci & Latini, Cartamus iam cœpit dici. Duorum modorum eſt.) Dioſcorides de unico loquitur. Theophraſtus duo facit genera, ſylueſtre, & ſatiuum. Calidum eſt in primo, ſiccum in ſecundo.) Sic Auicen. præceptor huius. Galenus autem & Paul. calefacere dicunt in tertio, ſi quis extrinſecus utatur. Nocet ſtomacho.) Laudat eum ualde Auerrois, nobiliorem eſſe dicens omnibus medicinis purgantibus, & quòd pituitam euacuat abſque timore. Sed & Galen. libro 5. ſalubrium, præfert Cnicum Aloë in ſoluenda aluo ſenum, per triduum adſtrictam. Dimittit ueſtigia lenitatis in uiſceribus.) Gale. loco ſuprà allato, potius uidetur contrarium dicere. Inquit Pau.) Pau. coquit drachmas quinq;, cum ptiſana & paucis ſalibus, ut educat aquam, nec meminit Cardamomi. Et dixit Galenus.) Neſcio ubi dixerit Galenus: ſcio autē Dioſcoridem dixiſſe, contundi eius grana, & dari cū aqua mulſa, aut gallinacei iure. Et dixit etiam.) Dioſcorides ſic deſcribit: Cnici albi ſextarium, amygdalæ thaſiæ toſtæ & expurgatæ cyathos tres, aniſi tantundem ut cnici, aphronitri drachmam, ficuum ſiccarum numero triginta, interiorem carnem. Galen. Caricas & Cnicum miſcet æquo pondere.

De Ben.

Græci Balanum myrrepſicen, Latini unguentariam glandem uocant. Plinius & Aëtius myrobalanum nominarunt, diuerſa quidem noce, ſed eodem ſignificato: quòd ſcilicet, ut etiā Martialis ait, ex unguento conſtet, & ex balano, res ut olim celebris, ita paucos ante annos ferè ignota, nunc autem unguentarijs ad odorum materiam notiſsima, & (ut audio) in Hiſpania frequēs. Quo tempore hanc epiſtolam ſcripſi, ignota erat, nunc cœpit eſſe notiſsima. Eſt autem fructus, ut ait Dioſc. arboris Myricæ ſimilis. Plin. Heliotropij, Theophraſt. myrti folio conſtare dicit. Et eius aliud magnum, aliud paruum.) Non uidi quempiā magnitudine ſpecies huius fructus diſtinguentem, ſed Dioſc. & Pli. abſolute magnitudine auellanæ definiunt. Theophraſtus, Capparis quantitate & figura. Plin. ex uarietate regionum, in quibus naſcuntur, genera diſtinguit. Triangulatū.) Sanè intellige: triangulum enim æquilaterum in baſe habet, ſupra quem pyramis ſurgit triangula & ipſa, ſed cum quadam ueluti circulari extuberantia, qualem in nonnullis auellanis & capparibus inſpicimus, quibus ſimilis ab autoribus dicitur. Electio.) Illam eligit Dioſcor. quæ eſt plena, candida, & quæ ſuo cortice facile ſpoliatur. Plinius petræam optimam eſſe dicit, nigro cortice, & candido nucleo. Et quod eſt antiquum, melius eſt recenti.) Totum contrarium ſcribit Dioſcorides, recentem uidelicet eſſe meliorem. Magnum calidum eſt in principio tertij.) Galenus ſuccum carnis calidum eſſe dicit, ſed non quo in ordine. Ego ex his quæ probati de ea autores ſcribunt, non adeò calidam puto. Et eſt inciſiuum, abſterſiuum.) De fecali parte ſcribit Galenus, quòd abſtergit & incidit: de toto fructu idem, addens quòd adſtringit. Nocet ſtomacho.) Dioſcorides addit, ualde. Oleum autem eius.) Dubium eſt ex quánā parte elici oleum debeat. Prima Dioſcoridis Græca editio, ex interiore: ſecunda, ex quánam parte elici debeat, non meminit. Hermolaus ex cortice: quod ego magis probo, ceu conſonum Theophraſto & Plinio. Succo carnis eius uti unguentarios, ait Galenus. Vnguentarios autem propterea eos uocabant olim, qui unguēta odorata parabant. Per uomitum & uentrem educit phlegma.) Galenus: ſi quis carnis biberit drachmæ pondus cum aqua mulſa, uomitorium experietur pharmacum, quod plerunque etiam per inferiorem uentrem copioſe educit. Et emplaſtratur ſuper hepar & ſplenem, proprie cum farina lupinorum.) Pro ſple-

ne farinam orobinam uel loliaceam miſcet Galenus. Bibitur etiam cum oxycrato ad expurganda uiſcera, præſertim hepar & lienem, quem etiam conſumit ſecundum Dioſcoridem pota drachmæ pondere. Et cum melle tantum ualet ſimiliter ad ægritudines neruorum frigidas.) Dioſcorides cum aqua mulſa imponit podagricis. Oleum autem de Ben confert ueſtigiis ulcerum.& reliqua.)Dioſcorid. totam ipſam glandem, Galenus feculentam partem cum aceto, ad ſcabies & lepras apponunt. Dioſcorides addito nitro, ad uitiligines, & cicatrices nigras: & cum urina ad lentigines, uaros, & ephelidas.

De lapide Armeno.

Armenicum Galenus libro nono, Plinius Armenium uocat, dicitque eſſe Chryſocollæ modo infectum. Inquit Alexander.& reliqua.) Alexander Trallianus, ubi reliqua non contulerint, hunc lapidem melancholicis præbet, quem præſtare dicit Elleboro albo, non ſolum quia efficacior, ſed etiam quia abſque moleſtia & periculo operatur: & ideo legendum in Meſue pro Elleboro nigro album. Virtuoſior lapide lazuli.) Hoc non lego apud Alexandrum. Melior eſt habens colorem medium inter uiridem & obſcurum. & reliqua.) Dioſcorides probat eum in quo læuor eſt, & cæruleus color cum æqualitate magna, illapidoſúsque eſt, & facile frangitur. Plinius optimum eſſe dicit Armenium, quòd maximè uiridis eſt, communicato colore cum cæruleo. Calidæ eſt complexionis in principio ſecundi, & ſiccæ in ipſo.) De loto ait Alexander, quòd neque calefaciendi, neque ſiccandi uim ualidam habet, ſicuti nec amaritudinem aut inſuauem aliam qualitatem. Et eſt reſolutiuus, abſterſiuus.) Galenus, abſtergit cum pauca acredine, & minima ſtypſi. Ars autem in lauando.) Alexander uult, ut lauetur quinquageſies.

*Modus lauandi lapides secundum Galenum.*

Tutius uero iuxta Galeni ſententiam, toties abluere aquámque tandiu mutare, donec aqua ipſa pura ab omni ſorde uideatur, omníque ſapore medicamenti careat. Docuit autem hoc Galenus non peculiariter de hoc lapide, ſed in uniuerſum de quauis re lapidoſa, quę ſit abluenda. Solutione educit choleram nigram.) Aëtius, purgat atram bilem, & quicquid craſſum & tenax commixtum ſanguini eſt. Quare datur his qui atra bile uexantur, elephantioſis, nephriticis, aſthmaticis. Dioſcorides, poteſt omnia quæ Chryſocolla, ſed imbecillius. Plinius uero Chryſocollam dat in angina, & his qui non niſi recta ceruice bene ſpirant. Quare ſequitur, ut etiam hic lapis in eiſdem morbis bibi poſsit. Ophthalmicis quoque miſcetur, & pilos auget palpebrarum. Doſis.) Aëtius grammaria quatuor, quæ faciunt obolos octo: Alexander illoti tres uel quatuor ſcrupulos, loti quinque uel ſex præbet.

De lapide Stellato.

Magnum hic certe chaos. Aſter enim qui per ſtellatum lapidem hoc loco uidetur intelligi, Dioſcor. Galeno, Græcis omnibus, Samiæ terræ ſpecies eſt, & pariter Plinio. At quod Marcaſitam Arabes, Græci Pyriten lapidem uocant: & quod illi Lazulum, hi Cyaneum, Latini Cæruleum. Eſſe autem tria hæc, aſtera uidelicet, pyriten, & cyaneum, res diuerſas, adeò eſt clarum, ut probationē non deſideret. Meminerunt Græci ac Plinius rei uocatæ Sil, cuius unum genus lucidū eſt, aliud marmoroſum, in argenti & auri metallis inuenta, ſed coloris eſſe lutei dicunt. Quare difficile eſt iudicare, quas iſte res intellexerit, elici hoc tantum ex dictis eius poteſt, quòd lapidem ſtellatum genus facit, & ſub eo Marcaſitam & Lazulum ueluti ſpecies reponit. Auicenna libro ſuæ medicinæ tertio, capite de ſputo ſanguinis, lutum Samium, ſtellam terræ, & Talcum, pro eadem re habet. Habens maculas ex auro.) Cyaneus, cuius nunc uſus, aliquando punctis aureis interſtinctus inuenitur, aliquando abſconditum intra ſe aurum tegit, quod arte quadam ab eo elicitur: quod mirandum non eſt, cum in metallis auri gignatur. Alius uiridis, clarus, cœleſtis, & uocatur lapis Lazuli.) Cœrulei coloris eſt, quod præter nomen, res etiam ipſa indicat, & tam Gręci quàm Latini teſtantur. Theophraſtus tamen, dum teritur, in quatuor mutari colores ſcribit, candidiorem, nigriorem, craſsiorem, tenuiorē. De Armenio uerò ſcribit Plinius, quòd optimus eſt, qui maxime uiridis eſt, communicato colore cum cœruleo, ut ſuprà in Armenio dictum eſt. Et eſt in ipſo acuitas.) De Cyaneo dicit Galenus, acris purgatoriæ & diſcuſsiuæ facultatis eſt, cum quadam ſtypſi. Dioſcorides reprimit, modice exeſt, cruſtam elicit, & exulcerat. Omnia autem hæc intelligenda, dum foris adhibetur. Solutione educit melancholiam.) Gręci nullam talem uim ei adſcribunt: ſed uidentur hæ uires ab Armenio deriuatæ. Arabes enim utrunque confundunt: Serapion quidem & Auerrois, ſub Lazuli nomine de Armenio tractantes. Auicenna de Azulo ſcribens, fere ei omnes uires attribuit, quas Græci utrique. De Armenio uero ea ſcribit, quæ Græci: ſolum addens, quòd atram bilem magis purgat, quàm Cyaneus. Quæ omnia licet uera ſint, non tamen ego his acceſſerim, qui non ſecus ac pernicioſiſsimum uenenum hunc formidant. Experiētia enim certa ſcio, quòd ſi bene abluatur, multum iuuat, & uel nihil, uel parum lædit.

De Sena.

Auerroïs hanc quoq; reponit inter medicinas nouas. Auicenna de ea non ſcribit ex profeſſo: meminit tamen eius in fine capitis de fumo terræ, & capite de quintana. Scribit Serapion, ſed non affert (ut ferè aliis in medicinis conſueuit) Dioſcoridis uel Galeni de ea uerba. Quidam Delphinion, alii Pelecinon, Iſacius Peplion. Ego aliquando dubitaui an eſſet Empetron, aliquando Analypon. Parum autem refert ſcire, quo nomine à ueteribus ſit nuncupata, modò eius uires non ignoremus, quæ certe nobiles ſunt & efficaces. Melior pars plantæ eſt folliculus) Experientia ipſa oſtendit, folia in purgandi ui eſſe potētiora. Naſcitur in Apulia: ſed præſtantior eſt quæ ex Aegypto affertur. Calida eſt in principio ſecundi, ſicca in primo.) Auerrois dicit ſiccam in ſecundo: Serapion paucæ caliditatis & ſiccitatis, cui ego credo. Et debilitat ſtomachum.) Experientia contrarium oſtendit, ſapórque ſubamarus & adſtringens: ſed nec illud dixit Serapion. Et dixit Gal.) Vtinam dixiſſes quo loco, & ſub quo nomine: ſed puto te hic, ſicuti & alibi plerunque hallucinatum. Decoquatur cum iuribus gallorum.) De Empetro dixit Dioſcorid. decoquendum in iure uel aqua dulci: & nos ſcimus, ius in quo uulgaris hæc bullierit, uel per noctē maduerit, facile purgare. Serapion decoctam plus conferre ait, quàm contritam. Solutione educit cum facilitate melancholiam, & choleram aduſtam.) Bilem abſolute dixit Serapion, non addendo uſtam: & quòd ualet melancholiæ, rhagadis, neruorum quaſſationibus, capillorum defluuio, dolori capitis antiquo, ſcabiei, & morbo comitiali. Dioſcorides de Empetro, quòd purgat pituitam, bilem & aquoſa. Auerrois negat Senam poſſe purgare pituitam. Ego experientia didici, quòd poteſt: & quòd multum ualet in morbo Gallico uocato. Doſis, eius infuſi potio uſq; ad unciam unam.) Serapion dat tritæ drachmam unam, decoctæ quinque. Ego ſcio utrãq; decoctam excedi tutò poſſe, unciámq; decocti ex aqua mediocriter purgare.

De ſpeciebus Salis.

Salis famoſę ſpecies ſunt quatuor.) Tres tantum enumeraſſe ſpecies Dioſcorid. uidetur, & alias, atque aliter quàm Meſue. Diuidit enim ſalem primo in marinum & foſsilem, & hunc in communem & ammoniacum. Cum tamen inter communes eligat candidum, lucidū, illapidoſum, denſum, & æqualem, eum intellexiſſe uidetur quem ob perſpicuitatem, luciditatémque, ſalem gemmam uocant. Huius nonnullas glebas, olim ego ex Pannonia adeò ſplendentes portaui, ut ueram cryſtallum, quotquot uidebant, putarent. Sal naphthicus.) Huius non meminit Dioſcori. Gal. lib. 4. & 9. de ſimpl. med. ſalem uocatum Sodominū, fieri dicit in mari Palæſtinæ Syriæ, mortuo uocato, in quo etiam plurima Aſphaltus gignitur, id eſt, bitumē. Eſt autem Naphtha bituminis ſpecies, à qua Naphthicus ſal. Pli. quoque lib. 31. in Babylone fieri ſal dicit, detracto prius bitumine. Et ſal Indus.) Quid per ſalem Indum intelligant Arabes, non facile quiſpiam iudicauerit. Auicen. libro 2. connumerat reliquis, colore nigrum eſſe dicens, propria nigredine, non acquiſititia, ut naphthicus. Libro uero 4. Paulum ſecutus, dicit eſſe in colore ſalis, & dulcedine mellis: ita ut clare cognoſci poſſit, multiplicem eſſe apud eum eius uocis ſignificationem. Plinius meminit ſalis, qui in India ex Oromeno monte exciditur. Nunc uendunt officinæ pro ſale Indo, metæ forma, nigricantis in albo, ſalis glebulas. Alius ſubniger, alius ſubrufus obſcurus.) Plin.

quicunq;

quicunque lignis conficitur, nigrum esse dicit: & quod rubens est Memphi, rufus circa Oxum, Centuripis purpureus. Sal gemma est sicuti crystallus scissilis.) Hoc adscribit Dioscor. ammoniaco, dicens quòd est facilis scindi scissuris rectis. Plinius uero similem colore dicit alumini scissili, longis glebis, neque perlucidis. Qui pro ammoniaco nunc habetur, non res naturæ est, sed arte paratur, in usum argentariorum magis quàm medicorum. Indus est fortior omnibus.) Dioscorides præfert ammoniacum. Est autem sal liquefactiuus. & reliqua.) Dioscor. adstringit, tergit, expurgat, diffundit, reprimit, attenuat, crustas sicut ea quæ urunt facit. Lapis quo aliꝫ lapides inciduntur.) Intellige Smyridem: de quo quũ scribat Serapiõ sub nomine Adamatis, multis occasionem errãdi pręstitit. Et sal bullitus, cum oleo.) Valet eodem modo ad lassitudines, & aquam intercutem, secundum Dioscoridem & secundum Paul. ut podagra caueatur. Et conferunt Synanchiæ.) Diosc. cum aceto, oleo, & melle. Et cum solo melle tostus, ad tonsillas & aphthas: cum eodem melle & farina, luxatis. Et sal mixtus cum oleo & melle delet uestigia nigra.) Dioscorides, sugillata cũ melle, & cum oleo & aceto prope ignem inũctus, pruritum, impetiginem, & scabiem sedat. Sacros ignes & herpetas, cum aceto. Multas quoque particulares uires habet, quas ex Diosc. licet ediscere. & Plin. qui demum ait, totis corporibus nihil esse utilius sale & sole: & propterea cornea uideri piscatorum corpora. Salire quoq; ob eam causam mox natos infantes, & consueuisse antiquos, docent sacræ literæ, & Galenus iubet primo libro salubrium.

De Baurach.

Nitrum appellant Græci & Latini, rem olim quotidiani usus in balneis & escis, nunc ferè incognitam.

Aliud naturale, aliud artificiale.) Sal nitrum nunc uocatum, quod ex terra paratur, incognitum antiquis (ut reor) fuit: utinam & nunc esset, ad subitam tantum hominum necem, missilibus igne tormentis, quas Bombardas uocant, quæsitum. Alia arte olim suum in Aegypto parabant antiqui, quam ex Plinio licet cognoscere: sed & ex quercu cremata, eodem autore. Aliud Armenum.) Apud Medos exiguũ fiebat, ait Plinius, quod uocabãt Halmigara minus: in Thracia iuxta Philippos, quod appellabant Agrion: optimum copiosúmque in Clitis Macedoniæ, quod uocabatur Calestricum. Artificiale sicut dicitur est spuma Nitri.) Res naturæ est Nitri spuma, tenuissima uidelicet pars, non arte parata, ut ex Dioscorid. & cæteris constat. Quæ est alba, lenis & salsa.) Optimum esse Aphronitrũ dicit Dioscorides, quod sit leuissimum, crustaceum, ad frangendum facile, subpurpureum, spumeum, & mordens. Plin. præfert Lydium. Et melius ex eis est, quod habet proprietates septem. Dioscorides in tribus laudat, scilicet ut sit leue, rosei coloris uel candidi, foraminulentum ut spongia, taléque esse dicit quod ex Bunis affertur. Addit Plin. quod sit purum, syncerum, tenuissimũ, & facile resoluatur. Videtur autem Mesue Aphronitri boni notas, his quæ sunt Nitri commiscere. Et mordicatiuum.) Id quod est adulteratum, pungere ait Plinius. Calidum est in principio tertiꝫ.) Auicenna, in fine secundi. Dioscorides, uires habent Nitrum & Nitri spuma similes sali. Et de stypticitate aliquid.) In Aphronitro adesse stypsin, negat Galenus. Auicenna in capitis initio stypticitatem Nitro quod Baurach uocat, ait non inesse: infrà uero eodem capite, dicit in eo esse paucam stypticitatem. Est autem exiccatiuum, incisiuum. & reliqua.) Plinius, calefacit, extenuat, mordet, spissat, siccat, exulcerat, euocat, discutit. Confert secundum omnem modum administrationis colicæ.) Tritum cum Cymino, & potum ex aqua mulsa uel sapa, uel aliquo ex his quæ inflationes possunt discutere, ualet strophis, id est, torminibus, ait Dioscorides: & ante suspectas accessiones prodest inunctum. Et Plinius, facere ad papulas, pustulas, oculorum cicatrices, & argemata, & ungues, ad dentium dolores, capitis, animalia, lendes, aures purulentas, albas uitiligines. Multa quoque alia potest, quæ legenti Plinium & Dioscoridem patebunt.

De Sarcocolla.

Nomen inuenit apud Græcos, & seruauit apud Latinos, ex eo quòd carnes glutinat. Est autem gummi arboris eiusdem nominis in Perside nascentis. Fortius est subcitrinum albo.) Dioscorides colore esse ait subrufo. Plinius candidam meliorem esse dicit quàm rufam, & uetustate nigrescere. Calida est in secundo.) Galenus non meminit in quo ordine calefaciat: sed ex his quæ dicit innui uidetur, non esse adeò calidam: mixtam enim habere dicit uim ex emplastica quadã substãtia: & exigua amaritudine, & propterea sine morsu exiccare ac uulnera glutinare. Plin. cum quadam acrimonia esse dulcem dicit, & Dioscorides subamarã: quæ qualitates non ualde calere ostendunt. Solutione educit phlegma.) Inuentum hoc Arabum. Græci enim ea non nisi extrorsum utebantur. An uero purget, & si purgat, quomodo id faciat, cum expertus non sim, dicere non audeo. Inquit Dioscorides, usus eius impinguat corpora.) Non hoc Dioscorides: nec uideo quo pacto non pugnet cum his quæ dicta sunt: si enim purgat, & stomachum, ut dixisti, turbat, quomodo pinguescere facit corpora, & semen auget? nisi humores purgare fortè dixeris, qui nutriri corpus prohibebant. Sed quare alia quæ purgant, non idem possunt? quod tamẽ alteri pharmaco nõ adscribis. Est medicina sublimis ophthalmiæ.) Experiẽtia ipsa sæpius cognoui eius iuuamẽ in ophthalmia discutienda. Dioscorides dixit, quòd oculorum sistit fluxiones: & Plinius, quòd cum uino sistit fluxiones. Sanè tamen hoc intelligendum, præsertim in oculorum inflammationibus: non enim ab initio fluxionum ea utendum, sed ubi iam discutiendi surgit intentio.

De Serapino.

Sagapenum Græci & Latini uocant: sunt & qui Sacopenium. Ferulaceæ plantæ succus est, in Media nascentis: uel potius planta ipsa, ut tradit Galenus. Sed quia inutilis alioqui planta est, ideo succo ipsi nomen reliquit. Et est arbor similis oleandro.) Similem Panaci scribit Galenus in libro de Antidotis. Melius est, cuius color inter subrubeum & subalbidum, & reliqua.) Excellit teste Dioscoride splendidum, exterius rufum, interius album, gustu acre. Quod habet odorem porrorum.) Nescio ubi Mesue olfecerit, præsertim cum ipsemet scribat paulò posterius hæc uerba. Et quod nõ est in uehementia odoris assæ, nec habet odorem Galbani.) Quæ uerba licet non bene ex Dioscoride accepta sint, scribente, odore esse in medio inter Silphium & Chalbanen. Nec mirum est, si odorem habet Chalbanes, quum adeò propinquæ naturæ sint, ut Chalbane mutetur in Sagapenum, sicuti scribit Galenus eodem de Antidotis libro. Et quod est facile resolubile in aqua.) Verum Sagapenum, ibidem scribit Galenus, aqua infusum aut uino, statim dissolui. Et eius caliditas est in tertio.) Galenus dicit calidum & tenuium partium, sicuti aliꝫ opi, id est, succi: nec dicit in quo ordine: sed cũ dicat Chalbanen esse calidum in fine secundi, uel principio tertiꝫ, idem de hoc pariter sentiendum. Est resolutiuum.) Galenus tenuium esse partiũ, & habere quid dixit abstersiuum. Solutione educit humores uiscosos.) Inuentum & hoc Arabum: non enim purgatoriam ei uim adscribunt Græci. Purgatiuam uim cum dico, per inferiorem uentrem intelligo: scribit siquidem Dioscorides, quòd crassos humores ex pulmone expurgat. Et conferre ægritudinibus eorum, scilicet cerebri & neruorum.) Conferre opisthotonicis scribit Dioscorides, id est, rigori, quo caput ad scapulas trahitur: ad rupta quoq; & conuulsa. Bibitum prouocat menstrua.) Cum aqua dulci, scribit Diosc. Et præfocationi matricis.) Si cũ aceto illud mulier odoretur, ait Dioscorides. Cõfert obscuritati uisus.) Cicatrices quoq; oculorum secundum Galenum attenuat & expurgat. Dimittit autem Mesue uim qua præcipue excellit, in his quos serpentes momorderint.

De Euphorbio.

Euphorbion Græcè & Latinè dicitur: apud quosdam Græcos Eupholbion. Arbor est secundum Dioscoridem: secundum Plinium herba: secundum utrunq; ferulacea, Plinius foliꝫs acanthinis, in monte Atlante. Dioscori. monte Tmolo Mauritaniæ, opo plena acerrimo.

Excedens omnia genera gummi.) Non inter gummi, sed inter opos reponit Gale. Dioscorides abundare dicit Euphorbium arborem opo acerrimo, adeò, ut sine metu colligi non possit. Est ex arbore desertorum locorum.) Nec apud Gręcorum, nec apud Arabũ quenquam legi, qualis sit hæc planta. Plinius tantum foliꝫs esse acanthinis Euphorbium, & à Iuba rege inuentũ, ac nomine sui medici Euphorbium uocatum. Fuit enim

Euphor

Euphorbius medicus Iubæ, & frater Antonij Muſæ.

Melius eſt lene frangibile.)Eligendum ſecundum Dioſcoridem id quod ſplendidum eſt & acre: eſſe enim eius duo genera,alterum ſplendidũ, ut Sarcocolla, Erui magnitudine:alterum quod in auium uentribus colligitur,uitreo colore.Plinius lacteum ſuccum commendat,& habere dicit thuris effigiem: adulterari hœdino lacte, ſed diſcerni igne: quoniam id quod ſyncerum non eſt,faſtidiendum odorem habet. Dioſco.adulterari Sarcocolla & glutino. Galenus libro ſecundo de medic.comp.ſecundum loca, circa finem, id quod recens eſt, albiſsimum eſſe, antiquius ad flauius uergere.

Aduſtionem faciens.) Galenus cauſticæ eſſe uirtutis dicit,& tenuium partium. Dixit Alcanzi.)Iuſsi aliquãdo ut in pane coqueretur, addens maſtichen & gummi ex Tragacantha, eóque uſus ſum in Gallicis artuum doloribus,& ſine manifeſto nocumento iuuit.

Et dixit Humain.) Dioſcorides cum melle abſolute, Paulus cum melle cocto præbet. Educit phlegma uiſcoſum.)Paulus ſimpliciter pituitam. A locis profundis corporis.)Si cum odorata potione bibatur,coxendicis doloribus mederi ſcribit Dioſcorides. Eſt ex medicinis educentibus aquam.) Paulus educere magis aquam quàm pituitam dicit,dátque ad hunc effectum ſiliquas quinque uel ſeptem. Et dixit Dioſcorides,aureus unus ex eo interficit.)Non hoc dixit Dioſc.ſed Paulus quidem dat drachmam unam cum melle cocto ad pituitam & aquam educendam. Raſis, Serapion & Auicen.dicunt tres drachmas interficere.Diſcutit etiam ſuffuſiones,& ſquamas oſsium reſoluit,ſecundum Dioſcoridem. Doſis eius eſt Chirat,id eſt,uſq; ad tres.) Ad drachmam uſque accedit Dioſc. ut ſuperius diximus. Auicẽna dat tres analoſat,id eſt,obolos.Serapion duas; ſecundo practicę excedit aureum.

De Opopanace.

Opoponacem Græci & Latini uocant liquorem Panacis Herculei:triplicem enim Panacem tradunt,Herculeum, Aſclepium, & Chironium. Videtur tamen non Herculeum, ſed Aſclepion potius deſcribere, dum ait: Gummi plantæ ſimilis ferulæ, & reliq.De Herculeo ſiquidem ſcribit Dioſco. quòd caulem habet & umbellam,non quòd planta ſit ſimilis ferulæ. Sed nec ex duobus reliquis generibus,ullum ferulaceum facit. Cuius ſtipes eleuatur ſuper terram,circiter cubitum unum uel duos.) Herculei caulem dicit Dioſco. eſſe altiſsimum, Aſclepij tenuem & cubitalem. Et folia eius ſunt minora foliis ferulæ.) Hoc nullo pacto poteſt Herculeo congruere, quem folia habere dicit Dioſc. fico ſimilia, in quinq; partes per ambitum diuiſa:ſed reſpondet potius Aſclepio,quem folio fœniculi conſtare dicit,ſed maiore. Quod etiam de ferula dixit Meſue. Flores odoris boni,coloris auri:hæc ferè ſunt Dioſc. uerba de Aſclepij floribus. Herculei uero flores, dicit eſſe melinos, hoc eſt,luteos. Secundum ſemitam florum Anethi.) Hoc utrique poteſt aptari. de Herculeo tamen peculiariter ſcripſit Dioſcor.quòd umbellam Anethi habet.Ex his igitur patet,Aſclepium potius hic deſcribi quàm Herculeum:cum tamen omnes medicinæ autores,ex Herculeo,non ex Aſclepio fieri opopanacem ſcribant. Et faciunt cultores eius inciſiones paruas,inter radicem & eleuationem thyrſi,circiter palmum medium.)Radicẽ ipſam ſcindi ſcribit Dioſcor.germinantibus caulibus: caules uero meſsis tempore. Et egreditur humiditas aurea.)Egredi liquorem candidum ſcribit Dioſcor.ſed ubi inaruerit,croci colorem exterius acquirere. Melius ex eo quod eſt citrinum extrà,& ſubalbidum intus.)Laudat Dioſcor.eum qui ſit interius candidus uel ſubruſus,exterius croceus. Et quod eſt amarũ.)Amariſsimum dicit Dioſco. Et quod eſt odoris boni.)Grauis odoris eſſe debet ſecundum Dioſcor.& præterea pinguis,friabilis,diſſolui facilis,ac læuis.Nigrũ & mollem eſſe malum dicit. Odor & albedo fracturę deoccultant fallaciam.)Dioſcor.uerus digitis in aqua contritus,diluitur & lacteſcit. Calidus & ſiccus in tertio.) Galen.calidum in tertio,ſiccum in ſecundo. Et eſt reſolutiuum.& reliqua.)Galen.calefacit, mollit,diſcutit: radix uero abſtergit,ſiccat: & quia non uehementer calefacit,ideo carnẽ generat. Solutione educit phlegma.)Nec Dioſcor.nec Galen.uim ei purgandi adſcribunt. Eſt ex rebus addentibus in uiſu.)Dioſcorid.ad claritatem oculorum inungitur. Confert tuſsi antiquæ.)Dioſcorid.ualet ad lateris dolores & tuſſes cum aqua mulſa,aut uino ſumptus,& ad rupta ac cõuulſa.

Et emplaſtratur ſuper nodoſitates membrorum,& ſuper ſcrofulas.)Durities,inquit Dioſcor.uteri,& inflationes diſcutit,cum melle ſolutus. Confert guttationi urinæ.)Dioſcor.ad ſtrangurias, & ueſicæ ſcabies ac tormina,cũ aqua mulſa aut uino. Et facit aborſum.) Dioſcor.cum melle diſſolutus fœtus occidit.Et de radice ait,quòd abraſa & ſuppoſita,educit fœtum. Præfocationi matricis.)De fructu hoc ſcribit Dioſco.ſi cum uino bibatur. Et podagræ.)Cum uua paſſa linitus,ait Dioſcor. Sciaticæ ſecundum omnẽ modum adminiſtrationis.)Dioſcorides,inunctum. Vulneribus antiquis.)De radice hoc ait Dioſcor.Galen.quod ualet ad ulcera mali moris,atq; in eis generat carnem. Veſtit oſſa nuda.)De radice hoc quoq; ſcribunt Dioſcor.& Galen.tanquam de minus calida,quàm opos.Adde ex Dioſcorid.quòd acopis & capitis medicinis miſcetur, ac cauis dentium dum dolent.Carbunculos rumpit:& pici mixtum,eſt cõtra morſum rabidi canis optimum emplaſtrum.

De Mezereo.

Mezereon Serapionis,eſt abſque dubio Chamælea Dioſcoridis. Ab hoc autem ſcriptore deſcribitur Thymelæa,atq;,ut ſequens eſt,aliud Mezereon,ſi hoc Mezereon eſt,quàm quod à Serapione. Eleuatur à terra circiter cubitos duos.)De Thymelæa ſcribit Dioſco. quòd ab ea ſurgunt rami tenues,ſpecioſi,binùm cubitorum: de Chamælea uero quòd dodrantales, id eſt, duodecim digitorum longitudine. Et folia eius ſunt ſimilia folijs oliuæ, ſed maiora.) Hic eſt error manifeſtus.De Thymelæa ſiquidem ſcribit Dioſcorides,quòd folia habet Chamæleæ ſimilia, ſed anguſtiora:de Chamælea uero quòd ſimilia oliuæ, ſed tenuiora: ex quibus ſequitur, non poſſe Thymelæam habere folia maiora abſolute quàm oliua, ſecundum Dioſcoridem.

Et producit grana nigra in magnitudine fructus Myrti.) Quod magnitudine Myrti fructum ferat, congruit Dioſcorid. Thymelææ in colore diſsidet: ſiquidem dicit Dioſcor.quòd in initio uiridis, dehinc rubens:operimentóq; tegitur duro & nigro exterius,intus candido. Cuius ſpecies ſunt plures.) Licet uoluiſſe uiſus ſit deſcribere Thymelæã,per hæc tamen uerba putare uidetur Mezereon eſſe genus ad Thymelæam,& Chamæleam:&,quod magis abſurdum eſt,ad album & nigrũ Chamæleonta,diuerſas omnino ab his plantas: quod etiam peccauit Auicenna in quarto, & aliquatenus in ſecundo,maxime ubi uires enumerat. Eſt enim quædam magna habens folia,& ſubtilia.) Hic uidetur tangere Chamæleam. Et eſt parua, habens folia ſicut folia oliuæ, & ſpiſſa nimis.)Hic tangit Thymelæam, de qua dicit Dioſcorid. quòd folia habet anguſtiora, & pinguiora. Et eſt habens folia criſpa & aſpera.) Hic tangit Chamæleonta: neutra enim illarum (Thymelæam dico & Chamæleam) folia habet criſpa uel aſpera, ſed oliuæ ſimilia. Et ex eis eſt habens colorem uiridem.) Album deſignat Chamæleonta. Et aliud habens colorem ſubnigrum.)Nigrum hic innuit Chamæleonta: nomen enim habet à uarietate foliorum,ſecũdum Dioſcorid. quæ ualde uiridia interdum, modo cyanea, modo ſubalba, modo rubra, iuxta locorum differentias, uiſuntur. Melius eſt habens magna folia.)Hic uidetur eligere Chamæleam, ſequutus Auicennam. Calidum eſt & ſiccum in quarto.) Licet Galenus Chamæleam non reponat in ordine,non uidetur tamen adeò calidam putaſſe: dominantem enim amaram habere qualitatem dicit, & ſordida ulcera curare,quæ non uidentur rebus tam impenſe calidis conuenire. Thymelææ autem cauſticam uim tribuit Paulus, & Dioſcor.eius grana urere fauces dicit,folia guſtum mordere, & fauces ſcarificare: qui tamen effectus in alijs quoque rebus inueniuntur, quæ non ſunt in ſummo calidę. Eſt proximum ueneno,nocens mẽbris, quæ ſunt mineræ uirtutum.) Nec de Chamælea, nec de Thymelæa lego, quòd ſit proxima ueneno, ſed de Chamæleonte nigra: ſcribit enim de ea Galenus, quòd radix eius habet quid ueneno ſi: de Thymelæa Dioſcorides,quòd nocet ſtomacho. Et hoc faciemus cum auxilio rerum frangentium ea.) De folijs Thymelææ, quæ dicit uocari Cneorum, unde(ut puto)deriuata eſt uox Mezereon: de eius inquam folijs ait Dioſcorid.quòd tundenda ſunt,ab eis omnes fibræ ſeparãdæ,& ſi minorem uolumus fieri purgationem, elixas,

& lenti

& lenti uel conciſis oleribus admixtas, dare debemus.

Duplum eius ex abſinthio.) Hoc dicit Dioſcorid. de folijs Chamæleæ, factis ex eis catapotijs cum dulci aqua. Inquit Dioſcorid. infundantur folia eius in aceto die una.) Hoc non legitur apud Dioſcorid. ſed apud Auicennam. Et dixit Galenus, infundantur folia eius in ſyrupo roſarum.) Non memini me aliquod horum apud Galen. legiſſe: alioqui neque ſyrupi roſacei uſpiam meminit Galenus. Et dixit Rufus.) Neſcio an id dixerit Rufus: ſcio autem Dioſcorid. docuiſſe modum parandi uinum Thymelæite & Chamæleite. Circiter unciæ duæ in cado magno.) Dioſcorid. ponit drachmas xxx. Thymelææ coliculorum, foliorum & ſeminis, in congios tres, & coqui iubet donec remaneant duo: & ex chamælea ſimili quidem proportione, ſed nõ coquit, uerum bullire ſinit muſtum duobus menſibus. Et ſcito quòd Mezereõ de decoctione modicum ſuſtinet.) Dioſcorid. (ut ſuprà diximus) coquit Thymelæam, donec tertia pars uini ſit conſumpta. Serap. Chamæleam, donec duæ partes ex tribus. Vtraque autem multa dici poteſt, non modica decoctio. Solutione educit aquam.) Chamælea ſecundum Dioſcori. ducit per aluum pituitam & bilem. Paulus ad aquam intercutem dat Chamæleam cum æquali ære & Aniſo. Dioſcorid. Thymelææ folia meſsis tempore collecta & in umbra exiccata. Semen uero, quòd coccum uel granum Cnidium uocat, euacuare dicit per aluum bilem & pituitam & aquam. Et interficit lumbricos & uermes & ſerpentes uiſcerum.) De Chamæleonte albo ſcribit Dioſcorid. quòd pondere oxybaphi educit uermem latum: nullam talem uim Chamęleæ aut Thymelææ adſcribens: ueri tamen ſimile eſt, quòd & ipſæ poſsint uermes interficere. Et ſi fiant tentæ ex eo & melle, curat fiſtulas, & ulcera fraudulenta.) De Chamælea ſcribunt Dioſcorid. & Galen. quòd cum melle purgat ſordida ulcera & cruſtoſa: de Chamæleonte uero nigra, ait idem Dioſcorid. quòd ualet phagedęnicis comedentibus, & feris ulceribus. Et confert dolori dentium.) De Chamæleonte nigro ſcribit Dioſcorid. quòd eius decocto utiliter dolentes colluũtur dentes, & quòd dolentem dentem cum graphio impoſita confringit. Capite uero de Chamælea, & Thymelæa, nulla dentium mentio. Fit unguentum ex eo & aceto & oleo & cera, ad ſcabiẽ.) De Chamæleõte nigra ſcribit Dioſcorid. quòd curat ſcabiem cum chalcantho, cedria, & axungia: non de aliqua illarum. Et fit ex eo linimentum ex ſulphure & melle.) Admixto ſulphure & alumine ait Dioſcorid. ualere eandem Chamæleonta contra impetigines, ſi ex aceto coquatur & inungatur. Et cum ſulphure ſolo, ad uitiligines & ephelides. Doſis in decoctione à drachma media, ad drachmam unam: in puluere, à duobus ceratijs ad quinq;.) Paulus dat quatuor drachmas Chamæleæ, in aquæ mulſæ cotylis duabus coctas, donec quarta pars ſuperſit: quoſdámque conficere catapotia, ex duabus abſinthij partibus, & unica Chamęleæ, purgaréque dicit ut elleborum. Cnidia uero grana, à uiginti uſq; ad triginta.

De Alſebram.

In hac quoque planta, quam & Alſebram & Eſulam uocant, non omnino cõueniunt Arabes. Serapion enim abſque dubio intellexit uocatam à Dioſcori. Pityuſam. Auicen. licet in ea deſcribenda à Dioſc. & ab ipſo etiam Serap. diſcordet, eandem tamen rem intellexit. Meſue potius in ſpecies diſtinguit, quàm oſtendat qualis ſit. Neſcio autem an Cypariſsiam ſpeciẽ quandam Tithymalli hic intellexerit, uel Paralium: ſatis enim tres hæ plantæ inuicem conueniunt, Pityuſa uidelicet, Cypariſſia, & Paralion. Paralion enim lini folio, Cypariſsiam Piceæ, ſed tenuiore graciliore que, & ſimiliter Pityuſam deſcribit Dioſcorid. ſatisque ſuſpicor, ne quæ nunc Eſula uulgò uocatur, Paralios potius ſit, quàm Pityuſa: folio enim lini conſtare uocatam Eſulam, noſtri affirmãt herbarij. Eſt ſpecies lacticiniorum.) Si Paralios uel Cypariſsias eſt, uera ſpecies eſt Lactariæ. Si Pityuſa, genus per ſe, ſecundum Dioſcorid. & Galen. licet inter Lactarias, ob ſucci ſimilitudinem & purgandi uim enumeretur. Aliud eſt magnum, habens radices rotundas & craſſas.) Dioſco. poſtquam Pityuſam deſcripſit, eámque habere dixit radicem candidam, craſſam, lacteo liquore manantem, ſubdit: Inuenitur quibuſdam in locis grandis hic frutex. Nõ igitur putaſſe uidetur aliam eſſe tenuibus, aliam craſsis radicibus, ut dicit Meſue. Magnum eſſe malum.) Non hoc Græci, ſed Serapion, autoritate cuiuſdam Abix uocati, & ſecutus eum Auicen.

Et melior pars plãtæ eſt cortex radicis eius.) Nec hoc dicunt aperte Græci, ſed cum maiorem quantitatẽ pręBeat Dioſc. radicis quàm ſeminis, uidetur minus potentem exiſtimaſſe, & folia debiliora radice eadem ratione, quia ſcilicet plus eorum dat, quàm radicum uel ſeminum. Lac uero an putauerit fortius, incertũ ita eſt, ſicuti incerta eſt cochlearis menſura. Galen. enim ſeptimo Artis curatiuę, duplicis meminit cochlearis, maioris uidelicet, & minoris. Quicquid autem alij ſenſerint, Gale. hunc ordinem ponit inter lactariarum partes, ut opon fortiſsimum, radicem debiliſsimam, ſemen & folia in medio reponat. Calidæ complexionis eſt, & ſiccæ in principio tertij.) Gal. Pityuſam in ordinem non redigit, ſed cum ui ſimilem dicat lactarijs, quorum ſuccos calidos poſuit in quarto ordine, uidetur quoq; Pityuſæ ſuccum in eodẽ ordine ſtatuiſſe. Mihi quoq; uidetur uerbum inconueniens.) An id dixerit Rufus, neſcio: ſcio autem ſcripſiſſe Auicennam, quòd ſedere in aqua frigida, ſuperfluam eius abſcindit purgationem. Paulus uidetur cum Meſue ſentire. Fortè dici poſſet, ex parua mora fluxum augeri, ex longa tolli, frigoris ui ad intima attingẽte, & ueluti ſtuporem inferente. Et quidam ex lactę & farina faciunt oblatas.) De Pityuſa ſcribit Dioſcor. ex eius ſucco cum farina fieri catapotia. Doſis corticis radicis eius à ceratijs duobus uſq; ad ſeptem, & lactis ab uno ad tres.) Exigua certe eſt quãtitas. Dioſc. ſiquidẽ radicis Pityuſæ drachmas duas, fructus unam, ſucci cochlearium, foliorum ternas drachmas exhibet,

De Luf.

De tribus plantis ſcribunt Græci, magnam inter ſe affinitatem habentibus, Dracontio uidelicet maiore, & minore, & Aro, magnæ (ut inquit Pli.) cum Dracunculo litis. Theophr. Arum genus putauit, diuerſas ſub ſe ſpecies continentem. hunc Syri, teſte Dioſcorid. Lupha uocant. Serapion ſub Luf nomine, eodẽ capite de Aro ſcribit, & minore dracontio. & ſimiliter Auicenna: ſed dracontium appellat Luf criſpam, Aron planam: in remedijs tamen utrunque miſcet dracontium. Meſue Auicennam (ut ferè ſolet) ſecutus eſt. Dicitur collum draconis.) Dracontion dicitur, uel dracunculus. Radix plantæ eſt, ad nigredinem attinens exterius, interius alba.) Aron dicit Dioſcorides habere radicem albam, ſimilem Dracontio, Plinius nigram. Criſpæ uero exterius cineritia, interius uero alba, & ad citrinitatem declinat.) Dioſc. radicem maioris dracontij dicit candidam, rotũdam, cum tenui cortice. Minoris, bulboſam, raphano ſimilem. Adeò autem albam dracontij radicem putauit Hippocrates, ut abſoluto ſermone radicem candidam cum dicit, eam intelligat.

Et ſuper utriuſque radicem eleuantur thyrſi, habentes maculas ad modum ſerpentis.) De maiore dracontio ait Dioſc. quòd caulis colore eſt adeò uario, ut ſit ſimilis draconi. De minore, quòd uarium habet caulem, ſerpẽti ſimilem, cum purpureis lituris. De Aro, quòd in purpuram tendit. Et melius tempus collectionis eſt uer, & principium æſtatis.) Radicem utriuſq; dracontij meſsibus colligendam, docet Dioſc. Inquit Dioſcor.) Dicit Dioſc. quòd minorem acrimoniam oſtendit Arõ, dum manditur, quàm dracontium. & Galenus quòd dracõtium acrius amariúsq; eſt, & propter hoc tenuiũ magis partium, & calidius Aro. Et dixit Galenus: plana eſt calida in principio ſecundi.) Galenus Aron dicit calidam, & ſiccam in primo. Dracontium uero non ponit in aliquo ordine, ſed dicit calidius Aro.

Nocet utraque acuitate ſua, & ſtomacho & hepati.) Ratione adſtringentis uirtutis quæ amaræ & acri coniungitur, eſt inter efficacia & præcipua medicamina ſecundum Galenum reponenda: nec uidetur multum poſſe nocere, cum ſcribat Dioſcorides, quòd radix minoris cruda & cocta, more olerum à ſanis eſtur, nóſq; uidimus homines folijs libẽter ueſci, & abſq; noxa. Galenus etiam inter ea quæ ueſcenda ſunt, Ari & dracõtij radices in libro de eſcis enumerat. Dixit Philagrius.) Plinius dixit Cleophantum dediſſe purulenta excreantibus, farina permixtum, in pane cocto. & Dioſcorides, quòd in Balearibus inſulis parantur placentæ ex radicibus minoris, cum multo melle, & in conuiuijs dantur.

Solutione educit phlegma.) Græci non uidentur uim ei purgandi per inferiora uel ſuperiora adſcribere:

Galenus ſiquidem & Paulus eum ſequens, expurgari ab eo uiſcera dicentes, non uidentur de ea purgatione locuti, quam habent medicamenta cathartica uocata, ſed de obſtructionis reſeratione intellexiſſe: quod patere poteſt per uerba Galeni dicentis, craſſos præcipue & tenaces attenuans humores. Plinius tamen dixit folia ex ſale & aceto ſumpta, aluum inanire. Prouocat urinam, & excitat coitum.) De minore ſcribit Dioſcorides, quòd urinam & uenerem excitat radix pota in uino. De maiore tantum, quòd uenerem. Et eſt ex rebus mundificantibus pectus & pulmonem.) De utroque hoc ſcribit Dioſcorides. Et confert ulceribus fraudulentis.) De utroque etiam hoc ſcribit Dioſcorides. Galenus uero ait ſemine curari Cancrum & Polypum. Et fiſtulis.) Collyriis factis cum melle, ait Dioſco. Succus autem eius cum melle deſtillatus in aurem.) Cum oleo dicunt Dioſcorides, & Plinius, & loquũtur de ſucco ſeminis. Et fit emplaſtrum ex ea, cum melle & ſtercore caprarum ad podagram.) De Aro ſcribit Dioſcorides, quòd priuatim podagris illinitur. Plinius, folia cum ſale recentia uel ſicca articulis podagricis. Et facit aborſum.) Solus odor radicis ſecundum Dioſcoridem. Multas alias uires potes è Plinio & Dioſcoride colligere, ex quibus unam tantum addam, quòd in peſtilentia ſalutaris eſt radix in cibis.

De Alſeſcera.

Græci Ampeloleucen, & Bryoniam, & Pſilothrum uocant: Latini Vitem albam. Cuius radix eſt terrei coloris exterius, interius uero alba.) Dioſcorides radicis colorem non expreſsit. Plinius albam dixit & grãdem.

Et eſt ſpecies eius feſcereſin.) Videtur hic loqui de nigra, quam Græci Ampelomelan uocant, Latini uuam Taminiam, Tamnum, uel Tanon. Eius radix eſt cineritia exterius, & interius alba, non albedine prioris.) Loquitur de ea quam uocant feſcereſin Arabes, & Latini Tamnum. De cuius tamen radice ait Dioſcorides, quòd foris eſt nigra, intus buxei coloris. Feſcera inquit Dioſcorides calida & ſicca in tertio.) Hic eſt manifeſtus error: ſiquidem (ut aliâs ſæpius diximus) de medicinarum gradibus non eſt locutus Dioſcorides. Galenus radicem dixit moderate calidã. Noſter Meſue ſecutus eſt Auicennam, qui tamen male ſibi conſtat. Nam cum dixiſſet calidam in tertio, paulò pòſt dixit, quòd temperate calefacit. Et eſt cõpoſita ex partibus igneis, cum partibus terreis aduſtis, & igneitas eſt dominans.) Nec hoc dixit Dioſcorides, ſed quòd folia fructus & radices acria ſunt. Et dixit Galenus, eſt in ea de ſtypticitate aliquid. & reliqua.) De Aſparagis huius plantæ dixit Galenus, quòd boni ſtomacho ſunt ob ſtypſin, quam ſubamaram & debiliter acrem habent. De radicibus uero quòd abſtergunt, ſiccant, & tenuium partium ſunt. Feſcerin uero eſt nimis calida.) Lege minus, non nimis: nihil enim de ea ſcribit Galenus, niſi quòd albæ in omnibus eſt ſimilis, uerum debilior.

Vtriuſque radix, & proprie ſuccus eius, ſolutione educit phlegma.) De alba dixit Dioſcorides, quòd ſuccus radicis uere exprimitur, bibitúrq; cũ mulſa aqua, & pituitam educit. Epilepſiæ.) Drachmæ pondere anno integro radix pota datur comitialibus, ait Dioſcorides. Et comeditur talus eius in primis cum creſcit.) Intellige primæua ueris germina, quæ elixa aluum & urinas mouent, ſi manduntur, ſecũdum Dioſcoridẽ, & ſecundũ Galenum ob ſtypſin, quod & ſuperius dixi, ſunt bona ſtomacho. Plures tamen uirtutes adſcribit Dioſcorides aſparagis nigræ quàm albæ, ſcilicet quòd mẽſes mouẽt, lienes minuunt, comitialibus, uertiginoſis & reſolutis ſunt utiles. Veruntamen permiſcent ſpiritus.) Dioſcorides ubi multiplices radicis uitis albæ uſus oſtendit in comitialibus, attonitis, uertiginoſis, ſerpentum morſibus, aborſibus, ſubdit: mentẽ interdum perturbat. Eſt ex reſoluentibus apoſtemata dura.) Non duros tumores, ſed phlegmonas diſcutere ex uino, emplaſtri modo impoſitam, & abſceſſus rumpere, dicit Dioſcorides. Et apoſtemata ſplenis.) Lienem, inquit Dioſcorides, de alba loquẽs, liquat, triũ obolorum pondere per dies triginta cum aceto pota. Poſtea ſubdit: Ad eundẽ cum fico utiliter illinitur. Galenus, potã, & extrinſecus cum ficis admota. Et abſcindit cum uino panaritium.) Cũ oleo donec colliqueſcat excocta, delet pterygia, ſecundũ Dioſcoridem, de alba loquentem, & ſugillata. Et confert ulceribus malis.) De eadem alba inquit Dioſcorides, folia, ſemẽ & radix acrem habent uirtutem: unde cũ ſale ad chironia, gangrænica, phagedænica, & cum putredine crurũ ulcera, faciunt impoſita. Et trahit fracturas oſsium, & ſpinas & ligna.) Dioſcorides de oſsibus tantũ ſcribit. Quòd ſi radix albę trita emplaſtri modo imponatur, oſſa educit. Sorbitiones factæ ex ſucco eius, & frumento decocto, & melle.) Dioſcorides non apponit mel, ſed dicit, ſi ſuccus cum triticeis granis decoctis bibatur, exuperare lac facit. Radix quoq; eius & ſuccus eius abſtergit faciem. & reliqua. Et ſubdit: & proprie cũ farina cicerum & fabarum.) Dioſcorides cũ eruo ephelides, ionthos, lentigines, ac nigras cicatrices. Confert morſibus animalium uenenoſorum.) Contra uiperæ morſus, ait Dioſcorides, pota duarum drachmarum pondere.

De Arthanita.

Cyclaminon Græci, Latini Rapum uel umbilicũ terræ: aliqui orbicularem uocãt. Magni radix eſt in modum rapi rotundi.) Dioſcorides parum latam dicit, & res ipſa idem oſtendit. Cuius pars exterior eſt terrea, nigra: interior alba.) Dioſcorides abſolute nigram dicit. Et eleuãtur ſuper radices frondes. & parum infrà, ſine eleuatione ſtipitis.) Error eſt hic manifeſtus: caulẽ enim, Dioſcoride, & re ipſa teſte, fert quatuor digitorũ, ſed nudum. Flores ſecũdum ſemitam uiolarum ſubalbidarum.) Error & hic: flores enim communis Cyclaminis roſacei ſunt, & ad purpuram uergentes. Altera uero & ſecunda ſpecies, florem fert candidum: ſed de ea nondum loqui cœpit. Paruum uero habet radices ſubterraneas plurimas.) Neſcio ubi hæc inuenerit iſte homo. Dioſcorides & Galenus, radice eſſe aiunt inutili, nulla de hac pluralitate habita mentione. Calidæ complexionis eſt & ſiccæ in tertio.) Gradum ei nec Galenus determinat, nec Auicenna. Et eſt inciſiuum, & reliqua.) Addit & aliã uim Galenus, quòd attrahit. Dixit filius Serapionis, accipe ſucci eius drachmas quatuor.) Trium drachmarũ pondere ait Dioſcorides cum paſſo aut melicrato aquoſo bibatur radix in morbo arquato. Solutione educit phlegma mucilaginoſum.) Pota, inquit Dioſcorides, cum hydromelite, pituitam educit & aquam. Et etiam linitum ſuper femur.) Succus illitus umbilico, pectini & coxendicibus, dicit Dioſcorides, aluum mollit, & aborſum facit. Et maxime ſplenis.) De altera Cyclamino ſcribit Dioſcorid. quòd denario acinorum eius in uini albi cyathis duobus, per quadraginta dies poto, lien emittitur per aluum & urinam. Et proprie Caputpurgium.) Succus cum melle, ait Dioſcorides. Et confert Caputpurgium ex eo factum debilitati uiſus. & reliqua.) Non immiſſum naribus hoc facere ſcribit Dioſcorides, ſed inungi oculis ſuffuſis & hebetibus eius ſuccum cum melle. Et ſecundum omnem modum adminiſtrationis confert duritiæ ſplenis & aliorum apoſtematum & ſcrofulis.) Miſcetur, inquit Galenus, his quæ tubercula, ſtrumas, omnéſq; durities diſcutiũt. Multa quoq; alia poteſt, ſed hoc præcipue, quòd cum uino bibitur contra uenena omnia ſecundum Dioſcoridem.

De Ariſtolochia.

Ariſtolochia apud Græcos hoc nomen adepta eſt, quòd ad ea quæ in puerperis deſiderantur, optime faciat. Latini ferè eodem nomine appellant: ſunt tamen qui malum terræ, ſiue erraticum uocẽt. Ariſtolochiæ tres ſunt ſpecies.) Addunt nonnullli quartam, quam Piſtolochiam nominant, uel à radicum multitudine, Polyrrhizon. Longa.) Marem hanc uocat Dioſcorides.

Et rotunda.) Et hanc fœminam. Et alia, cuius radix currit ſecundum ſimilitudinem uitis.) Clematitis hęc dicitur, quaſi ſarmentariam diceres, ramulos tenues habens, & folia modicè rotunda, minori ſemperuiuo ſimilia. Inquit Dioſcorides, omnes calidæ ſunt in principio tertij.) Hic eſt error, ſicuti & alibi plerunque: non enim hoc Dioſcorides, ſed Auicenna. Et uidetur, quòd longa ſit calidior.) Galenus dixit longam non minus calefacere, ſed fortè magis. Quamuis terreitas ipſius uincat terreitatem rotundæ.) Minus tenuium partium eſt, inquit Galenus, quàm rotunda. Eſt utraq; aperitiua. & reliqua.) Galenus abſoluto ſermone dixit radicẽ utiliſsimam eſſe ad medicinam, cum ſit amara & ſubacris. De longa uero dixit, quòd abſtergit & diſcutit, ſed minus quàm rotunda: & ideo utilior eſt, ubi opus eſt moderate abſtergere, ſicuti in generanda carne, in ulceribus & uteri fomentis. Extrahens ſpinas.) Rotundæ

hanc

hanc uim adſcribunt Dioſcorides & Galenus. Paulus ſeſquidrachmam Clematitis educere ait, ut Colocynthim. Aëtius drachmas duas fructus ſicci, purgare bilem & pituitam. Aſthmati & tuſsi.) Rotundam dixit Galenus auxiliari aſthmaticis, ſingultientibus, epilepticis, podagricis, ſi cum aqua bibatur. Ruptis quoque & uulſis, atque his doloribus qui obſtructiones ſequuntur, aut incocti ſpiritus craſsitiem: ſanare putredines, ſordida ulcera expurgare, dentes ac gingiuas limpidare. Et omnes quidem ſpecies eius mundificant matrices fœtarum.) Cum pipere & myrrha pota, ait Dioſcorides de longa: eadémque poſſe, ſubditum ex ea peſſulum. Et medicina bona rigori febrium.) Rotundam ait Dioſcorides cum aqua potam ualere rigori: & Galenus Clematiten cum oleo, aut ſuillo adipe inunctam: ſuffumigio uero ad graues febres.

De Albemeſude, id eſt, Cherua.

Cici uel Crotoma Dioſcorides & Græci, Ricinum Latini primam eius ſpeciem uocant. Nota ſatis planta. Miraſolem uulgò apud nos uocant, & ad decorem ſolum in hortis ſerunt, neſcientes non exiguũ ex ea quæſtum facile haberi poſſe, parato ex ſemine oleo ad lucernas utili. Aliud magnum, aliud paruum.) Magnum iam diximus eſſe Ricinum: paruum Lathyriden Græci, uulgò Cataputiam nominant. Dicit Dioſcorides, Calidæ complexionis & ſiccæ.) Hoc non dixit Dioſcorides, ſed nec cuius ſit temperaturæ. Galenus uim habere diſcutiendi & abſtergendi dicit Ciceon, oleúmque ex fructu factum, calidius eſſe, tenuiorúmque partium, quàm cõmune. Lathyriden uero ſimilem, quo ad uim, Tithymallis. Facit uomitum & ſolutionem laborioſam.) Educunt triginta eius grana, ait Dioſcorides, per uentrem pituitam, bilem, & aquam, & uomitum mouent. Valde tamen inſuauis eſt, & laborioſa talis purgatio, ſtomachum uehementer peruertens. De Lathyride uero ait, quòd eadem, id eſt, aquam, pituitam & bilem, purgant grana eius ſeptem uel octo deglutita uel pota. Galenus uero de Ricini foliis, quòd abſtergunt, diſcutiunt, & purgant: minus tamen omnia hæc faciunt, quàm fructus. Et coquuntur grana eius, & proprie contrita in iure galli antiqui.) De foliis Lathyridis ait Dioſcorides, quòd cum Gallinaceo aut oleribus cocta, eandem habent ſeminibus operationem. Oleum autem confert colicæ.) Purgare hoc oleum aquam dicit Dioſcorides, & ualere lumbricis alui, ſcabiei, ulceribus capitis, ſedis inflammationibus, & uteri præfocationibus. Sumuntur ex Cherua à granis quinque, uſque ad ſeptem: & alterius à granis ſeptem, uſque ad duodecim.) Dioſcorides, ut ſuperius tetigimus, Ciceos quidem exhibet grana triginta, Lathyridis ſeptẽ uel octo cum caricis, aut dactylis, aqua frigida ſuperbibita. Paulus uſq; ad quindecim, ita ut robuſti, & qui pluri egent purgatione, ea mandant. Debiliores & qui malo ſunt ſtomacho, ſyncera deglutiant. Plinius uicena grana cum aqua pura aut mulſa purgare ait facile bilem & aquam, ſi munda ſumantur: ſi cum folliculis, uehementius purgare, & ſtomachum lædere.

De Albrachin.

Spartion Dioſco. uocat, Galen. Spartum, Latini Geniſtam. Vtinam omnia æque cognouiſſet, & deſcripſiſſet hic uir: non tamen facere potuit ut errorem omnino effugeret, pro Phaſelo Orobum ſcribens. Denſitas fuſtium.) Dioſcorides, uirgas longas habet, abſque foliis, ſolidas, ad frangendum difficiles. Flores lunares.) Dioſco. Leucoĳ. Inquit Dioſcorides, calidum & ſiccum in ſecundo.) Nihil de hoc Dioſc. Et in flore eius & ſtipitibus eſt humiditas ſuperflua.) Nec hoc lego apud Dioſco. uel Galen.: ſed ait Galenus, ſemina & ſurculorum ſuccum attrahere non ingeneroſe. Per uomitum & per uentrem educit phlegma cum fortitudine.) Semen & flores cum melicrato pota ſine periculo purgant per ſuperiora, ſicuti Elleborus, inquit Dioſc. Et per uẽtrem.) Semen purgat per inferiora, ait Dioſcori. ramis uero in aqua madefactis extractus ſuccus, in ieiunio cyathi quantitate potus, coxendice & angina laborantibus eſt utilis. Plinius macerat pluribus diebus in aceto, pro coxendicis dolore, perungíq; eodem ſucco docet cum oleo. Sunt tamen inquit Dioſco. qui macerent muria, aut marina aqua, & clyſterem imponant his qui coxendice laborant, educúntque cruenta, atque ſtrigmenta. Quidam ad ſtranguriam utuntur ſemine, ut Plinius teſtatur, qui etiam ſanari genua dolentia Geniſta ait tuſa cum axungia. Doſis eius & proprie florum.) Dioſcorides ex ſemine & floribus dat quinque obolos: Plinius drachmam & dimidiam.

De Elleboro.

Latini Veratrum, Græci Elleborum: ſunt & qui nigrũ Melampodion uocent. Hipp. Ectomon. Niger incolumior eſt albo, imò minatur albus accidentia terroris.) Quondam ait Pli. terribile fuit, poſtea tã promiſcuum, ut pleriq; ſtudiorum cauſa ſumpſerint. Idem tamen Plinius album multo terribilius eſſe ait nigro. Et quòd ex eo magis eligitur.) Dioſcorides eligit carnoſum, ſpecioſum, interiorem partem tenuem habens, guſtúque acre & feruidum, aſperis tumulis & ſiccis locis (qualis eſt Anticyra) natum, in frangendo puluerem emittens, ait Plinius. Et melior pars totius plantæ eſt radix ipſius.) Solas radices in uſum uenire, ait Dioſcor. à quibuſdam tamen ſemen purgationibus adhiberi. Melior pars radicis ſunt fuſtes.) Intellige radiculas graciles, ex cepoſo ueluti capite procedentes: has enim in uſum ſolas uenire dicit Dioſc. & ſimiliter Plin. qui eligi dicit tenuiſsimas radices, breues, & ueluti decurtatas: ſummã quæ eſt ueluti cepe, dari canibus purgationis cauſa.

Et melior pars earum eſt cutis.) Eximitur ex utroque ſecundum Dioſc. interior medulla. Et melius tempus collectionis eſt uer & æſtas.) Meſsium tempore colligendas albi radices, docẽt Dioſc. & Plinius. Albus minoris eſt acuitatis.) Galen. amariorem & minus acrem eſſe dixit album quàm nigrum. Et eſt eius mordacitas non apparens ſubitò.) Videntur hæc ſumpta ex Dioſcor. in electione albi: inter reliqua enim eligendum docet id, quod guſtu quidem feruens eſt, non uehementer tamen, ſed ſaliuam non ſimul, ſed particulatim mouet. Addit etiam, ut ſit mediocriter extentum, candidum, fragile, carnoſum, non acuminatum aut iunceum, nec dum frangitur puluerulentum, ſed interiorem medullam exilem habens: laudaríq; maxime Cyrenaicum, periculoſius eſſe Galatium, Cappadociũ & Italicum, quæ & albiora & magis puluerulenta. Albus corporibus noſtri temporis eſt moleſtus, imò eſt eis ſicut uenenũ.) Pauli tempore utebantur Elleboriſmo per albũ: & hoc etiam tẽpore, eum qui bonus ſit, nõ puto eſſe uenenoſum. Nigri autẽ uſq; ad tẽpora noſtra uirtus tolerabilis eſt, licet adhuc difficilis: inquit enim Hipp. moleſtus eſt Elleborus eis quorum ſana ſunt corpora.) Experientia certa didici, operationem eius non eſſe difficilem, neq; aphoriſmus propoſitũ probat, ſiquidẽ alia quoq; purgatoria medicamina ſanos offendunt, iuxta eundẽ Hippocratem in alio aphoriſmo, & ſecundũ Gale. Cum Elleborũ abſolute dicimus albũ intelligimus. Inquit filius Zezar, fit Teremabin ſicut mel.) Bonã eſſe oportebit Ellebori quantitatem, alioqui parum proficies: ſiquidem drachma integra ſola pota parum operatur. Paul. infundit aqua uncias duas, per dies quinq;. Et ali qui perforant radicẽ Raphani.) Modũ hunc eſſe Elleboriſmi ſimpliciorem dicit Paulus, ſi fiat cũ Elleboro albo.

Et quandoq; infunditur in iure gallorum.) Dioſcor. de albo inquit, datur per ſe, & cũ Seſamo, aut Thapſiæ ſucco, aut alica, aut mulſa aqua, aut pulte, aut lenticula, aut ſorbitione alia. De nigro uero, quòd coquitur cum lente, aut aliquo iure. Daucus autẽ & piper.) Miſcent aliqui (ait Paulus) Pulegiũ, Tymbram, uel aliud ſimile.

Bene autem miſcetur.) Cũ Scãmonio & ſale, dat Dioſ. nigrũ. Paulus album dat debilibus cũ ſucco priſanæ, aut alicæ, alióue ſimili. Puluerem tamen Ellebori ſumere non eſt tutũ.) Paul. ualde nocere ait albũ in puluere potum, & ſuffocationes facere: nigrũ uero tritũ, dat cum melicrato. Et ſolutione educit cũ facilitate choleram permixtã groſſam, & phlegma.) De nigro ait Dioſc. per inferiora purgat bilem & pituitã. Paul. bilem maxime flauam. Albũ uero, inquit Dioſc. purgare per ſuperiora res uarĳ coloris. Et Plinius, rem terribilem uiſu in uariis coloribus uomitionũ. Ad Lepram, Cancrũ, & ſpecies Herpetis.) Paulus Elleborũ dicit bonum eſſe his qui exanthemata, impetigines, lepras, herpetas, eryſipelatáq; patiuntur, & ictericis. Et quando ponitur Elleborus in alchohol, confortat uiſum.) De albo ait Dioſco. quòd apponitur oculorum collyriis contra caligines. Plin. oculorũ caliginẽ fotu diſcutit. Et deſtillatur acetũ decoctionis eius in aurem.) Indi auri dicit Dioſ. & poſt biduum triduúmue eximi, ad difficilem auditũ: loquẽs de nigro. Prouocat urinam & menſtrua.) De albo ait Dioſcor. menſes educit, & fœtus occidit ſuppoſitus. De

nigro,appoſitus menſes agit,& fœtus occidit. Et remouet ægritudines cutis.)De nigro dicit Dioſ.ꝙ ſcabiē curat,cū thure,aut cera,& pice,& cedrino oleo inunctus: cū aceto uitiliginē,impetiginē & lepras. Albus difficulter uomere facit cū accidentibus terroris.)Illum qui ſit puluerulētus,ait Paulus ſuffocationes facere:incidi propterea debere in formas ſeſamorum magnitudine.In quibus uero ſuſpecta ſit acceptio per os,clyſmate infundit decoctum duarum drachmarum, Antylus medicus.Supponitur & balanus ex eo facta cum melle,ſecūdum Paulum.Dioſ.cum aceto balanum format.

Et confert uterq; Elleborus fiſtulis.) Dioſco. nigrum ait appoſitū,ſi triduo maneat,fiſtulas purgare. Doſis eius à ceratiis ſex ad drachmæ tertiam, uel drachmam unam.)Dioſc.dat nigrum trium obolorum, aut drachmæ pondere,adiecto etiam Scāmonio:quod & nos aliquando experti ſumus,drachmæ grana duo Scāmonij aſsi in cotoneo malo adiicientes,minórq; & leuior ſecuta eſt purgatio,quàm ex pilularum,quas aggregatiuas uocant, æqua quantitate ſequi conſueuerit. Albi autem( ut refert Plinius )Themiſon binas drachmas dabat:ſequentes quaternas dedere, antiquorum uitium cognoſcētes,qui propter metum parcius dabant,cum celerius erumpat,quo largius ſumitur.Vetāt tamē dari ſenibus & pueris,item mollibus ac fœmineis corporibus.Paulus dat drachmas duas ad ſummum,ad minus drachmam unam:debilioribus in ſucco ptiſanæ,aut alicæ:robuſtioribus cum calida aut melicrato:ſectum tamen,non in puluerem redactū,ut ſuprà etiam notatū eſt.Ego albo nunquam uſus ſum:puto tamē homines regionis noſtræ robuſtos ferre eum poſſe.Non dādum tamen niſi in diuturnis & fortibus morbis,& qui per alia auxilia non ſunt ſanati,ut Hydrope,Cachexia,Elephanto,Paralyſi,Epilepſia,Podagra(ut Paulus teſtatur) quibus ego adiicio morbum qui Gallicus nuncupatur, quoniam & peſsimus,& longiſsimus eſt,cōmuniáq; auxilia ueluti contemnit.

Hæc ſunt quæ in Pannonia olim margini ſimplicium medicamentorum cuiuſdā mei, enchiridii forma,Meſue,ad proprium potius quàm cōmunem uſum annotaui:quæ cum iuuenibus profutura cognoſcerem,quibus alio modo nunc prodeſſe, ob bellicos tumultus non poteram,publicanda conceſsi. Quæ ſi fortè in manus doctiorum uenerint,æqui rogo boníq; conſulant, & amicè,quando nihil melius agunt,legant:& ſi quid non probant,ſcripto potius quàm uerbis corrigāt.Vos uero bonæ mentis iuuenes, à Deo opt.max.uotis & precibus bonum pontificem expetite,qui pacē,quam moriturus nobis reliquit,mundo reddat,ut pacatiore animo,& quieta mente,prout uobis deſpondi,utilitati ueſtræ ualeam inſeruire. Valete. Ferrariæ, Nonis Decemb. M. D. XXI. poſtridie eius diei,qua ad nos delatum per ocyſsimos tabellarios fuerat,Leonē decimum eius nominis pontificem maximum attonito morbo ſubitò corruiſſe.

FINIS.

# IOAN. MANARDVS FERRARIENSIS IVVENIBVS MEDICINAE STVDIOSIS.



*M*ALA *nomina non uſquequaq; putanda ſunt,quæ nullo interpellante, fidem datam reluere,procraſtinādo negligūt. Quare non eſt ut mihi uitio quiſpiam ueſtrum det, ſi promiſſas ante duodecim annos,in Ioannis Meſue compoſita medicamēta annotationes,hactenus in publicum tradere diſtuli,præſertim cum eas nulli expoſtulanti negauerim,& præterea multa interim in ueſtrum uſum ediderim,quæ non ſpoponderam,& quæ haud iniquè poßint fœnoris loco ſupputari:imò ſortem ipſam tam longe anteuertere,ut per ea omnis iam ratio mihi expuncta poſſet uideri,niſi* IO. SINAPIVS *natione quidem Germanus,ſed utriuſq; linguæ peritia,bonarum diſciplinarū eruditione,* ἀιθεῳ *q; quodam perdiſcendæ medicinæ furore,paucis Italis comparandus,me etiam atq; etiam monuiſſet,& quaſi cum conuitio efflagitaßet,ut promißis ſtarem: non licere dicens philoſopho,præſertim Chriſtiano,uel præſcriptionis,uel alio quouis prætextu,ſponſionum ſuarum obliuiſci. Accipite igitur & hæc adoleſcentes,ea fronte,qua iam editas à me commentationes ſuſcipere conſueuiſtis, & moram hanc meam boni conſulite.* Ex Ferraria,*pridie Nonas Maias,* M. D. XXXIIII.

## DE MEDICAMENTIS COMPOSITIS.

COmpoſitis medicamentis plerunque uti cogimur,tum ad ſimplicium uel augendam uel coërcēdam uim,tum quòd complicatos inuicem, uarios,& quandoq; cōtrarios morbos curamus: tum alias ob cauſas,quas operæprecium non eſt hoc loco recenſere,quum ab ipſo medicæ artis exordio,ad noſtra uſq; tempora,quaſi per manus,compoſitio medicaminum emanauerit,modo ſolū præparationis atq; uſus mutato.Olim enim ipſimet medici ſua ſibi quiſque medicamenta domi parabant,& parata adſeruabant:quibus ubi opus eſſet,pro arbitrio,& ægrotantium neceſsitate uterentur.A quingentis uero plus minus annis citrà,ab ipſis medicis non ſine ægrotantium (ut mihi uidetur)detrimento,ad nonnullos hoc negocium deuolutum eſt,qui ab ipſis ſimplicium medicamentorum ſpeciebus,quas ueluti ſupellectilem & ſyluam quandam,ad compoſitiones parandas in tabernis habent,Speciarii uocantur. Quorum tantum creuit autoritas,ut ipſis quantumuis famoſi medici, totum hoc illis negocium, inueniendi ſcilicet medicamenta ſimplicia,atq; ea componendi,& permiſerint, & demandauerint. Et propterea factum ſit,ut cæci, duces etiam magis cæcos ſequentes,in barathrum ignorantiæ,cū magno mortalium damno plerunq; mergerentur. In quo adhuc omnes cæcutientes caligarent, niſi Deus ſua inuiſibili luce,quorundam aciem mentis illuſtraſſet,qui ſpecies illas ſolerter indagātes,aliquáſque ſuppoſititias,alias in totum ſpurias inueniētes,Speciariis & medicis monſtrare conati ſunt,quantis in erroribus uerſarentur.In quo campo cum ego quoq; pro imbecillibus meis uiribus,ſupra XL.annos deſudarim, cogitaui ſæpenumero,quónam modo poſſent inueterati illi errores penitus extirpari.Nihil autē magis præſentaneo mihi in hac re præſidio occurrebat,quàm ut ex antiquis Græcorum cōmentariis,ex quibus ueluti ex fontibus Arabum & Salernitarum compoſitiones emanarunt,ea ſeligerentur, quæ ex his ſimplicibus,quę facile inueniri poſſent,& obuia cognitáq; eſſent,conſtruebant:nō repudiatis tamen recentiorum inuentis, modo clarè deſcripta eſſent,& rationi ac experimento conſentanea.Verum cum hoc pluries attentaſſem,nec unquam adſequi potuiſſem,aliud aggreſſus ſum,non adeò utile,ſed quod omnes facilime poſſent & deberent recipere,declarandi uidelicet ea,quæ in ſuis tabernis Speciarii illi ad ægrotantium & medicorum uſum adſeruabant.Et quia Ioannē cognomento Meſuen pręcipue ſequebantur,ideo quæ de ſimplicibus & compoſitis medicinis ille conſcripſerat,cœpi diligentius examinare:& quicquid occurrebat, quod ad eorum uel dilucidationem uel caſtigationē pertineret,in libri mei margine adnotare.Quorum partem,eā ſcilicet quæ ad ſimplicia ſpectabat,in communem uſum ante multos annos editam,quum ex eo non penitus diſplicuiſſe intelligerem, quòd ſecundam multi deſiderarent,in hac quoq; edenda eis obſequi non negaui.


Vt igitur & in hac parte ordinem ipſius Ioannis ſequar,ab Electuariis ab eo uocatis incipiam,quæ ideo hoc nomen habuiſſe uidentur,uel quòd ex electis quibuſdam ſimplicibus medicamētis cōſtarent,uel quòd multi uſus eſſent,tam in bona ualetudine adſeruanda, quàm in mala ſubmouenda,ut propterea à Cęlio Aureliano Electuaria ſint uocata.Videntur tamē non incongruè antidota uocari poſſe:tam late enim patet apud Galenum Antidoti nomē,ut ſit omnibus facultatibus cōmune,quæ nō extrorſum admotæ,ſed intra corpus acceptæ malos affectus ſanant,qui uel ex uenenis ebibitis,uel ferarum morſibus,uel malo uictu cōtingunt. Aſpirante itaq; diuino fauore rem aggrediar.

# IOAN. MANARDI

## CENSVRA MEDICAMENTOrum quorundam compoſitorum, ex Ioannis Meſue Grabadino.

### In Electuarium de aromatibus.

*Hiſce ſignis ) deſinentia uerba, Meſues ſunt, cætera Manardi.*

B ODORATIS rebus nomen accepit, ex quibus componitur; nuſpiam tamen, quod norim, paratum inuenitur. Quod ſcripſit Galenus) Cum ingrediantur Sandali, non poteſt eſſe Galeni; ſiquidem apud eum aut antiquos alios, de his nulla mentio. Ligni aloës.) Agallochon Græci uocant. Crudi.) Quia ſi coquatur, ut quidam excipiendi odoris gratia faciunt, uim amittit. Galliæ muſcatæ.) Compoſitio eſt, quam habes infra inter trochiſcos. Caſsiæ.) Intellige quod nunc cinnamomum uocant. Macis.) Cortex eſt nucis moſchatæ interior: duplici enim tegitur. Græci macerē, Plinius macirem uocat, niſi in libris ſit menda. Doronici.) Doronicum uocant: ſunt radices odoratæ paſsim cognitæ. Spicæ.) Nardum intellige. Cinnamomi.) Verum ad nos nunc non affertur, pro eo accipe uulgare duplo pondere. Calami aromatici.) Et hoc caremus: radicem enim, non calamum officinæ oſtendunt: atque alterius rei, non ipſius calami. Cardamomi maioris & minoris.) Quod Græci cardamomum, id Arabes Cordumeni uocant. Plinius quatuor ſpecies cardamomi enumerat. Vidi ego tres res, quæ nunc cardamomum dicuntur, inter quas neſcio an una ſit, quæ uerum ſit cardamomum. Cheiſin.) Ligyſticon Græci uocant, pro quo herbam aliam oſtendunt officinæ, quæ nō eſt uerum Ligyſticon; ueruntamen nunc cœpit agnoſci.

### Electuarium de Gemmis.

Nec hoc in tabernis inuenietur, alioqui & eo poſsūt carere homines. Gemmis enim in antidotis nō ſunt uſi antiqui, nec ego libenter utor: ſiquidem quæ eis contritis ad confortandum uis? Et ſi qua etiam ſit, bonas perfringere oporteret, non ramentis quibuſdam uti, quibus nulla præterquàm coloris cum ueris gemmis conformitas. Similiter argenti & auri folia, non niſi ad decorem & oſtentationem puto conducere. Margaritas.) Non in totum ſperno, ſicuti Corallium. Hyacinthi.) Auic. prima parte libr. 5. ex eo & granata medicamentum parat. Sardinis.) Sardium lapidem eum puto, qui nunc Corneolus dicitur. Zedoariæ.) Radix nunc uulgò nota, antiquis uel incognita, uel ſub alio nomine ſcripta. Doronigi.) Doronicum uocāt, etiam antiquis nō notum. Alfelenieniſek.) Id eſt, ocimum.

Carabe.) Succinum Latine dicitur. Been album & rubrum.) Radices de quibus Arabes, olim ex Armenia ferebantur, nunc in Italia inuentæ, ſed uel aliæ, uel non æque bonæ. Heyl.) Cardamomi ſpecies. Folij.) Et hoc caremus; Græci malabathrum uocant. Trochiſci diarhodon.) Horum compoſitionem habes infrà. Galangæ.) Radix ut nunc notiſsima, ita priſcis ignota.

Zurumbet.) Satis non conſtat apud Arabes. Quidam faciunt ſpeciem Zedoariæ, aliqui arborem, ut uideri poteſt apud Serapionem. Auicenna herbam.

Ambra.) Res noua, quam non tanti facio, quanti æſtimatur. Medici poſt Galenum Ambar uocant, de qua latius inferius agam, ubi Diambram declarabo: ſicuti & de moſcho in diamuſcho. Succum emblicorum.) Cum recentes habere non ualeamus, poterunt qui parare uoluerint, ex ſiccis, bene uino uel aqua maceratis, ſuccum exprimere. Geleniabin.) Roſaceum uel mel, uel ſaccharum intellige.

### Confectio Alchermes.

In hac quoque nunquam iactarem pecunias: nam neque in ſerico uocato, neque in cocco, uel baphico, uel charmes nuncupato, agnoſco uim niſi conſtringentem: colorisque rubri ratione, lædere potius uidetur cor quàm iuuare, ſpiritus & ſanguinem trahendo, propter ſimilitudinem. Cyanei uero ratione, uomitum & ſeceſſum citabit, quæ præ exigua eius quantitate perficere non ualens, lædet magis quàm iuuabit. Alguesgues.) Deſipientiam uocant Arabes. Setam.) Bombyx Latine dicitur. Darſeni.) Cinnamomi genus intellexit.

### Confectio Xyloaloës.

De cubebis non conſtant inter ſe Arabes; nam Serap. putauit eſſe oxymyrſinem, & ſic eſſet Ruſcus. Auicēna Carpeſion, & ſic eſſent feſtucæ quædam, non ſemina. Quibus uero nunc utimur, ſemina aromatica ſunt, quæ ſatis hic congruere uidentur. Squinanti.) Floris uidelicet ſchœni. Afferuntur autem nunc non flores, ſed ipſa abſque floribus planta. Miua.) Ex cotoneorum ſucco confecta, de qua inferius.

### Electuarium Sarbotheng.

Hæc compoſitio ſatis conferre uidetur ad ea quæ laudatur, & nihil eſt in ea obſcuri, præter duo cardamomi genera: quæ eſto, ut quomodo apud antiquos uocentur, neſciamus, tamen ea quibus uulgò utimur, & per ſe bona ſunt, & ſatis hic congruentia. Aliam eiuſdem Lætificantis compoſitionem habes ab ipſomet Meſ. cap. de Melancholia: aliam à Raze, & Nicolao & aliis. Fertur & alia ſub Galeni nomine, quam tamen nondum apud illum legi.

### Electuarium de Citro.

Placet mihi hoc commixtum: cui ſi apponerentur citra condita, ſuauius eſſet, nec minus utile. Galanga.) Eſt radix nunc notiſsima, quam, ut ſuprà quoque dictum eſt, apud Græcos nondum euidenter inueni.

### Confectio teſticuli Vulpis.

Hæc eſt quæ in communem uſum parata inuenitur.

Secacul.) Non eſt Eryngion, ut multi putant: ſed eſt radix, quam geniculam uulgò uocant, à multitudine geniculorum. Herbam uerò eius fraxinellam, quoniam fraxini folio conſtat, ego puto eſſe quam Polygonaton uocat Dioſcorides. Teſt. uulpis.) Orchis ſcilicet.

Radix Raphani.) Domeſtici potius quàm ſylueſtris.

Luf plani.) Dracontium maius, uidetur ad hoc aptius. Lingua auis.) Non una lingua loquuntur Arabes. Serap. enim linguam paſſerum, auium uidelicet ſalaciſsimarum in hunc uſum adhibet. Auicen. medullis adnumerat. Recentiores rem quandam in fraxino reperiunt.

### Confectio de Galanga.

Laudo hanc, communiter enim paratur. Cauendum tamen puto in æſtate, & in ualde billoſa temperatura. Calamus aromaticus.) Ad nos hoc tempore, ut ſuprà etiam dixi, non defertur, ſed eius loco radix quædam uenditur, quam non credo eius cannæ eſſe, nec ex India adferri, ſiquidem & recens multum aliquando uidetur, & exiguo nimis uenditur. Mellis.) Nunc cum ſolo ſaccharo conficitur, magnáque ui inflationem pellit.

### Diarhodon deſcriptione communi.

Hæc non paratur, ſed alia cum Abbatis cognomine, quā Nicolaus deſcribit. Trochi.) Hos inuenies inferius.

Spodij.) De hoc ſcribam inferius, atque pariter de Berberis. Scariola.) Species eſt (ut puto) ſonchi minus ſpinoſa: per citrullum ego intelligo cucumeris ſpeciem, quæ colore & forma citrum æmulatur.

### Aromaticum Roſatum.

In mala temperatura frigida, magis hoc mihi probatur quàm ſequens: non tamen in communi uſu eſt, ſicuti id quod ſequitur.

### Aromaticum Roſatum, deſcriptione Gabrielis.

Parum calidum, ideóque ſecurius in temperatura & hora calida dari poteſt, quàm præcedens. Syrupi roſati.) Paratur, & abſque his ſolidiore forma, cum ſolo ſaccharo, ſimúlque & delectat & iuuat.

### Aromaticum Roſatum minus.

Hoc quoque parum calidum, præcipue ſi teneamus ſandalos tales eſſe, quales ſcribuntur. Nullibi tamen quod ſciam paratur.

### Aromaticum Muſcatum.

Quo pacto conueniat præfocationi, quum eximio ſuo odore uterum ſurſum trahat, non uideo, niſi exigua admodum quantitate. Darſeni electi.) Secundum Serapionem eſt cinnamomum. Sed mirum eſt quòd hactenus dixerit cinnamomum, nunc utatur alio nomine. Ego potius intelligerem Aſpalathum, quem Arabes uocant Darſiſahan.

### Aromaticum Gariofilatum.

Difficile eſt hoc præparare, quia caremus folio, elegans tamen eſſet ſi bene pararetur.

### Aromaticum Nardinum.

Hoc quoque uidetur non poſſe bene parari. Galliæ ſebellinæ.) Quære hanc inferius.

### Diacyminum bonum.

Satis inflationi mederetur, ſed pauperes tanti non

faciunt inflationis redemptionẽ,præſertim cum aliud minoris emere poſsint, quod ex Nicolao parant:ſed & aliud,quod ipſe Meſue inferius ſcribit.

Dianeſon.

Hoc non minus utile eſt quàm præcedens,& minoris emitur. Carui.)Caros uocatur à Dioſcoride.

Diambra.

Præclara eſt hæc compoſitio,ſi bene præparetur,ſed pretioſa:ego ea ſæpe utor,præſertim in mulieribus & ſenibus.

Confectio de Cinnamomo.

Darſenum.)Ecce quòd darſenum non eſt cinnamomum,ideo expone ut ſuprà. Enulæ.)Id eſt,helenii accipiendæ radices,ut Dioſco.docet,exiccatæ. Et quandoq;.)Si hoc modo cum ſaccharo miſceatur,erit multi uſus ad eſcas condiendas,ſpecierum uocatarum loco.

Electuarium de granis myrti.

Vtile quidem eſſet,non tamen in uſu eſt.

Diacalamentum deſcriptione Galeni.

Calamenti fluuialis.)Id eſt,pulegii,errore communi Arabum,Galenus nõ ponit zingiber. Siſeleos.)Seſeli. Petroſelinũ.)Verũ ad nos nõ portatur:id uero quod ſub eo nomine uulgò uenditur,imbecille ſatis eſt:ego loco ueri utor oluſatri ſemine. Alhaſce.)Id eſt,Thymi. Cheiſin.)Id eſt,Ligyſtici. Piperis.)Adde & longi piperis,& auge pondus,ad drachmas uidelicet xxiiij.

Dia trion pipereon.

Galenus,triũ piperum drach.50.thymi,aniſi,zingiberis drach.octo. Amomo.)Caremus,quia quod pro eo uendunt,nihil habet cõmune cũ Amomo,quod tamen nõ apponit Galenus,ſicuti nec reliqua quæ ſequuntur.

Diacyminum.

Dioſpoliticon non ualde differt à diacymino:cõſtat enim ex pari portione,piperis longi,cymini,rutæ,nitri. Baurach.)Id eſt nitrum,quod nunc ad nos nõ adfertur,ſed loco eius habemus copiam factitij,à quo & ſalſedinẽ per artem remouẽt,ut ſit ad tormẽta habilius.

Confectio de ſeminibus.

Alia hæc eſt ab ea,quam diaſpermaton Græci uocãt. Fac ſicut ſuffuff.)Redigendo uidelicet omnia in tenuem puluerem,quo uti poteris eo modo,quem in cõfectione de cinnamomo docuimus.

Confectio de Cytoniјs.

Hanc nũc etiam mulierculæ parant,cotoneatam uocantes.Medici uero Diacytoniten uocant.

Confectio de cytoniјs facta cum ſucco.

Nunc nouo quodam artificio ſuccum congelant,gelatinámq; uocãt,colore pulcherrimum,translucidum,& guſtu ſapidiſsimum.

Electuarium de Pomis.

Arabum inuentum eſt mâla adeò cordi congruere: quod certè uix credo,maxime ubi hoc modo parentur,quo hic uir iubet: quid enim habent cordi congruens pręter odorem? quem certe deponunt cũ à cortice ſeparantur,& multum coquuntur.

Electuarium de Perſicis.

Neſcio quomodo ſitim extinguat,ſi tot aromata apponantur.

Electuarium quo utuntur Reges.

Ego utroq; horum uſus plerunq; ſum,ſed à primo amoui oleum,ne uomitum moueret:& à ſecundo ſandalos,qui multis non placent,quãdoq; addens cucurbitæ & peponum ſemina:aromata etiam,prout mihi uiſum,moderans.

Electuarium de fructibus.

Efficax eſt,neque inſuaue,ſi bene præparetur. Sumach.)Græci Rhun Syriacum uocant. Pyrorum ponticorum.)Id eſt,ſaporis adſtringentis & acerbi.

Confectio alia Galeni.

Non eſſe Galeni,Camphora & Sandali oſtendunt. Fauſel.)Fructus quidam adſtringens,antiquis incognitus, nunc auellanam Indam uocant.Bolo Armeno caremus:falſum apothecarii paſsim habẽt.Cœpit aliud fieri ex orientali plaga,quod nec ipſum eſſe uerũ Armenicum puto.

Confectio de Prunis.

Non diſplicet,modo ſtomachus non ſit ualde debilis. Muzorum.)Id eſt,quæ dulcacida ſunt.

Electuarium de Sorbis.

Vehementer adſtringunt,& ad eum uſum communiter paratur,id facturum uehementius,ſi pro ſorbis meſpila accipiemus.

PARS SECVNDA PRIMAE DISTINCTIONIS.

Theriaca Diateſſaron.

Theriaca dicitur,quia ad morſus ualet ferarum. διατεσσάρων, quia ex quatuor,præter mel,còmponitur.Antiqua eſt & ualde utilis.Mulomedici addunt ebur,& uocant διαπίνη, ſublimémq; eſſe dicunt ad præſeruanda curandáq; iumẽta,ut uidere potes apud Abſyrtum,& Vegetium. Myrrham.)Hoc tempore apud nos reperire bonam,eſt difficile. Mel ſit quadruplum ſpecierũ, ut in hac,ſicut in aliis ſimilibus.)Trypheræ omnes hæ ab Arabibus uidentur inuentæ:nam ferè myrobalanos recipiunt,quæ antiquis erant uel ignotæ,uel non adeò aſſuetæ.

Tryphera Sarracenica.

Tryphera quaſi delicioſa uel uoluptuaria. Setaragi Indi.)Eſt Lepidium:dicit Auicenna,quòd Indum eſt, fruſta parua ſubtiliáq; ligni.

Tryphera muſcata.

Baucia.)Eſt paſtinaca domeſtica. Tryphera Galeni.)Non credo eſſe Galeni, cum neq; behen,neq; ambram,neq; moſchum agnouiſſe uideatur. Aluſulſumen.)Difficile eſt de his barbaris diuinare dictionibus, potes tamen ſumere ocimum.Interpres Auicen.exponit radicem piperis.Quidam textus non habent hanc dictionem. Tryphera minor ex arte Phenonis.

Carmezit.)Eſt fructus Tamariſci: magnam uim habet in adſtringendo, quæ hoc deſiderant,& præcipue mulierum redundantes menſes.

Tryphera minor.

Efficacior uidetur ſcoria ferri addita,quæ nutrire dicitur,quando in aceto madet longo tempore.

Diacurcuma.

Melius eſt hanc dimittere,quia non bene conficitur: ſi quis tamen conficere eam uelit,uideat ut habeat ueram eupatorium:nã quo paſsim utuntur,mendax eſt. Sed & uerum & meon & ſcordium agnoſcat,ut oleũ balſami taceam. Scolopendrium eſt, quam uulgò citrach appellant.

Diacurcuma minor.

Minorem hãc quiuis parare poteſt:non multũ enim errabit qui herbam Schœni,pro flore receperit.

Diamoruſia.

Daucus eſt trium ſpecierum.)Eligendus eſt Creticus, cuius flores & ſemina alba. Acori.)De hoc quid ſentiã,infrà notabo. Marmacur.)Id eſt,Meliſſophyllon.

Dialacca magna.

Hac tutius utimur quàm Diacurcuma:omnia quæ in ea ponuntur,nota ſunt:ſolum attẽdendum,ut lacca ſit quod dicunt Græci κάγκαμον, quia arte alia paratur,qua paſsim infectores utuntur.

Dialacca minor.

Hæc quoq; bona eſt,& facilius quàm prima parari poteſt.

Confectio de Raued ſeni.

Placet mihi & hæc,ſi bene paratur:multum enim in mulieribus ualet,quibus ob malam hepatis temperaturam ad frigidum,retinentur menſes.

Diacoſton.

Potens hoc eſt in quauis temperatura frigida & humida,& in obſtructione:procurandum tamen ut uerum coſtum habeamus.

Confectio Elect.ex inuentione noſtra.

Sicut Alcohol.)In tenuiſsimum puluerem. Per conchulas aduſtas,intellige coopercula paruarum cõchularum,qualia apud nos multa,ut quæ piperacia uocãt, & ſimilia: quanquam meliora eſſent quæ blattas byzantias uocant,& Græci onychas,hoc eſt,ungues.

Electuarium confortans.

Magnam uim haberet adſtringẽdi,ſi bene pararetur. Seminis roſarum.)Quid ſit,uide in noſtris epiſtolis.

Confectio Alcanzi.

Florum alcheil.)Credo legendũ eſſe Alkilil,quod uocant Arabes granatum ſylueſtre.

Confectio de Aſa.

Laſer uel opos Cyrenaicus Dioſco.eſt res quam Arabes uocant aſam:nõ defertur ad nos niſi fœtida. Optimum eſt ſubrubeum,ſplendidũ,myrrham referẽs non porrum,& quod facile diſſoluitur in colorem album. Sunt qui putent benzoin nũc uocatum eſſe uerũ laſer.

Confectio Anacardina.

Hac perrarò utimur,niſi ad febrẽ in frigidioribus morbis pro

bis pro

bis prouocandã. Beduſt.)Intellige caſtorium. Burungi.)Pro hoc pone Meliſſophyllon,uel Eryſimon. Aliqui tamen intelligunt erucam agreſtem. De Anacardo nõ uideo Græcos inter ſimplicia medicamenta ſcripſiſſe: inuenio tamen eis uſos,& uocare Anacardia. Auerroẽs reponit inter noua medicamina.Paulus deſcribit Theodoreton,quam per Anacardia uocat.

## SECVNDA DISTINCTIO.

### De *medicinis opiatis.*

Vſus horum admodum prudentem deſiderat medicum,non adeò audacem, ut ubi opus non eſt, eis utatur:nec adeò timidum, ut quoties urget neceſsitas, eorum uſum reformidet.

Confectio Philonij.

Vtere hoc tanquam uero Philonis medicamine, & dimitte alia. Inuentione propria.) Scilicet Philonis. Caſtorium.)Galen.non ponit.Doſis eius ut cicer conuenit pueris:ut faba parua,debilibus:ut auellana, prouectioribus ac robuſtis.

Confectio Philonij Hamech.

Nigella.)Melanthion,Git.Non tamen quod uulgò ſic uocant: id enim eſt melampyron: ſed ſemen odoratũ. Placet ut apponatur crocus, & ſint omnia æqualia. In alio.)Nam duo aurei opij,plus eſſent quã ſit opus.

Zazenea.

Ego multoties hac uſus ſum, præſertim in uteri affectibus,& ſatis profeci. Cum rob.)Per hanc diſtinctionem ſignificant Arabes omnem ſuccum craſsiorem factum:cũ uero ſimpliciter proferunt,rob uini intelligũt.

Athanaſia magna.

Adip.)Lupi. De cornibus capræ.)Sic & Auic. cuius hæc eſt deſcriptio.Alias habes à Paulo & Oribaſio, ſed & à Nicolao,quæ parata communiter inuenitur, & eſt in adſtringẽdo longe quàm hæc efficacior. A Paulo etiã alia ſcribitur, quæ Oribaſij eſſe dicitur, nullibi tamen cornu mentio:alioqui nemo,niſi ſuperſtitioſus, dextrũ potius quàm ſiniſtrum apponeret.

Diaſulphur.

Magnam uim habet in dolore renum, & ſpirandi difficultate,in quibus locis paratur: nec difficile eſſet ubique parare;quæcunque enim in eo ponẽda, nota ſunt. Sunt qui hoc pacto parent;Sulphuris ignem non experti,hyoſcyami, cardamomi, ſtyracis, opij, myrrhæ, coſti,rutæ ana drach,10.croci,piperis ana drach.4. caſię drach.12.libyſtici drach.3.mellis quantum ſat ſit.

Confectio de Storace.

Styrax uerus lacryma eſt, humiditatem non remittens, niſi dum manibus attrectatur. Fit uero arte quædam miſcella,quę grauis eſt,& ſomnum faciens, quam hic puto Meſuen intellexiſſe, & eſſe quam liquidam uocant.Vide Dioſcor.Si tamen hoc melius intelligere uelis,lege Galenum in lib.de Antidotis.

## TERTIA DISTINCTIO.

### De *medicinis ſolutiuis.*

Hiera picra.

Ab hac cœpit ueluti ab antiquiore, & à qua reliquæ nomen acceperunt, cuius permixtio tempore Galeni Romæ uocabatur picra. Galenus accipit ſolum ſex res, dimittẽs xyloaloën & caſsiã, & pro carpobalſamo ponit xylobalſamon:& auget aloën: pro ſex enim drach. aliorũ,uel centum,uel 120.aloës apponit, Et eſt reſolutiua materiarum malarũ groſſarum.)Has tamen oportet attenuaſſe & diſſecuiſſe. Aloë autem ſit duplum pondere.)Ferme triplum eſſe debet, quia pro 36. drach. illorum,centum Aloës uel 120.adiiciendæ ſunt.

Hiera Hermetis.

Alandal.) Hos habes infrà ab ipſo Meſue deſcriptos, qui tamen Thermetis tempore non componebantur. Luf.)Dracontium. Seminis mezereon.)Id eſt,cocci gnidij,chamæleæ uidelicet.

Hiera Archigenis.

Ex Auicen.ad uerbũ. Pulpæ coloquintidos drach.2. Aliqui libri habent drach.22. alij unc.2. cepæ. Muris aſſatæ.)Id eſt,ſcillæ.

Hiera Archigenis deſcriptione Pauli.

Omniũ an.aur.v.)Auicẽ.xx.Paul.x. Poſt poliũ Paulus addit,myrrhæ. Infunde in melle.) Paulus, in melicrato per noctem unam, & ſicca. Compone eam cum aqua mellis.) Paulus, cum melle optimo, & repone in uaſe uitri uel plumbi. Et modus hic eſt omnibus hieris communis. Addatur ſalis drach. una, & ſi uis ut magis purget,adde ſcammonium.

Hiera coloquintidos.

Eſt multum ſimilis hieræ Rufi,ab Auicen.& Paulo poſitæ. Troch.Alundal.)Paul.Sicyoniæ,id eſt,elaterij:certum enim eſt hoſce trochiſcos Rufo non fuiſſe cognitos. Opopanaci.)Hoc non apponit Paul.

Hiera ex inuentione noſtra.

Hæc inter magnas connumeranda eſt, & multi uſus, licet nullibi parata inueniatur. Alſerachoſtũ.) Per alſerachoſt Arabes intelligũt ſpeciẽ mãnæ. Tamarindorũ.)De his licet nulla apud antiquos mẽtio, utiles tamẽ ſunt in bile coërcẽda. Foliorũ lupuli.)Hic puto ſubeſſe errorẽ,intelligendósq; aſparagos eius potiùs quàm folia. Seminum communium.) Hæc dici ſolent maiora.

Tryphera Perſica.

Cuſcuta.)Amplexicaulis herba eſt, quæ linum amplectitur,& uidetur eſſe quam linoderam Theophraſtus uocat:licet apud Græcos in medicorũ uſum(quod quidem meminerim) uenire non conſueuerit. Eſt autem magnæ ſimilitudinis cum uocato nunc epithymo.

Confectio electuarij Alharif.

Confectio alia.) Neutra harum neque ego uſus ſum, nec uidi medicum utentem. Nabeth.) Quidam intelligunt zuccharum quod candum uocant. Sed uidetur alia res apud ipſum Meſuen, infra de conditis. Alij potum ex ficis,dactylis & ſaccharo.

Confectio electuarij Indi maioris.

Eſt minus potens ad purgandũ quàm diaphœnicon, ſi in diaphœnicon nõ ſit ſcammoniũ per coctionẽ caſtigatũ,& in hoc ſit. Si utrobiq;,hoc erit efficacius. Doſis eius eſt aure.iij.)Illa doſis exigua eſt,uix puero ſufficiẽs: grãdioribus enim ac robuſtis poteſt integra uncia dari.Ego in expurgandis renibus eo utor,cum caſsiæ ſucco,ita ut huius ſex,illius iij.drachmæ miſceantur.

Electuarium Indum minus.

Minus hoc à maioribus noſtris neglectum eſt, cum tamen ſatis efficax ſit,& adeò delicatum, ut poſsit ſine melle in pulueris forma cum iure ſorberi.

Confectio de dactylis Diaphœnicon.

Benigna ſatis eſt & tuta per hanc purgatio. Galenus tertio ſimplicium medicament. miſceri ait purgatoria medicamina cum dactylis, & aliis adſtringentibus, ut occultetur ſapor,tollatur abominatio,& faſtidium ſtomachi.Ego ponerem ſcammonium non coctum, quia per dactylos & aromata ſatis caſtigatur.Nec credendũ his qui dicunt,quòd per dactylos uetatur, ne à longinquo humores trahat: ſiquidem cum uapores ad caput mittant,ſimul etiam purgatoriam uim adſerunt.

Electuarium de Pſyllio.

Recipe ſucci bugloſſæ.)Boraginis uidelicet & bugloſſi uulgarium. Accipiatur eius uiſcoſitatis.) Id eſt, eorum ſuccorum,in quibus ſuccus hic pſyllij per diem & noctem remanſit. Hæc enim eſt uiſcoſitas, de qua uult pro ſingulis 4. libras apponi, ſacchari libras 2.s. Doſis.)Potes integram unciam tutò dare.

Electuarium Eleſcoph.

Scribitur ab Auicenna fermę eodem modo, & uocatur Epiſcopi.Conficiuntur & ex his ſpeciebus placentæ cum ſaccharo,quæ aliquando nihil, aliquãdo nimium purgant: uel quia ſcilicet aliquando uruntur, uel non bene inuicem miſcentur ſpecies. Doſis ab aur. 2. uſq; ad 3.)Potes & hanc excedere.

Confectio medicaminis Hamech.

Prima hæc compoſitio communiter paratur, licet non omnes eam bene parent. Vbi bene parata ſit, utraque bilem & pituitam facile purgat, præcipue ſi maiori quantitate detur quàm iubet Meſue: uncia enim abſque periculo exhiberi poteſt.

Confectio alia Hamech.

Hanc nunquam uidi parari. Bedagar.) Dioſcorides, ἄκανθαν λευκὴν, id eſt, ſpinam albam uocat. Iuiube.)Id eſt, zezipha. Sebeſten.) Myxa. Rob libr. 2.) Intellige ſapam.

Modus electuarij Roſati.

Hoc carere nõ poſſunt qui pilulas aggregatiuas modo Meſue parare uolunt,precioſumque eſt & delicatum. Aliud modo Nicolai communiter ab omnibus paratur, & ſub nomine electuarij de ſucco roſ. agnoſcitur.

Confectio Alfeſara.

Radix alfeſara,id eſt, uitis albæ, ueluti oſtenſum

eſt capite proprio in annotationibus ſupra ſimplicia, ubi iiſdẽ uerbis hęc ſcribitur præparatio. Doſis eius à duabus drachmis uſq; ad quatuor.)Vſq; ad quinq; ſcripſit ipſemet:ſed potes etiam tutò plus exhibere.

Confectio mannæ ex inuentione Galeni.

Ego hanc apud Galenum non reperi:ſi tamen Galeni eſt, per mannam intellige aëreum mel:ſic enim ipſe nominat lib.3.Aliment.Manna autem apud eum eſt thuris puluiſculus.

Confectio Almezereon.

Scis quid intelligendum per mezereon, ex iis quæ à me alibi adnotata ſunt. Foliorum Almezereon præparatorum.) Eo ſcilicet modo quo ipſe docuit cap. proprio. Carnium cytoniorum elixorum in aceto uini & zuccharo ana partes 80.)Suprà dixit 70. Tereniabin 40.)Suprà dixit 60. Nos hoc tempore multum ueremur mezereum,& quæ ex eo componuntur,& propterea hanc nõ parant ſpeciarii:non inutilem tamẽ futuram his qui aqua intercute laborant.

Modus confectionis Alſebram.

Quid ſit alſebrã,uide proprio capite inter ſimplicia:at nunc plantã pro ea accipiunt lino ſimilẽ,quam eſulam uocant. Succi fœniculi.)Vereor ne hic ſit mẽda:ſiquidem ubi de hac planta inter ſimplicia agit,ſuccũ aliquẽ frigidum ſecum miſceri iubet,ut portulacæ uel intybi.

Modus confectionis de Eupatorio.

Eupatorium accipe,non quod uulgò ſic uocant,ſed quam apud nos agrimonium nuncupant. Poſſes dare pluſquam aureum,ſi conficeretur. Seminis cuſcutæ.) Neſcio an ſemen colligi poſsit, ſcio tamen non colligi. Et uolubilis.)Lupum ſalictarium intellige, quem lupulum uocant:aliæ enim uolubiles uocatæ impẽſius calent.

Alchechengi medicamen.

Trochiſcos hoſce omnes habes infrà loco ſuo. Accipe ſuccum uolubilis.)Intellige & hic lupulum uocatum.Eſſet medicamen uehemens,ſed non conficitur.

Confectio electuarii Diacytoniten.

Græci aliter cõficiebant,ut apud Paulum licet agnoſcere. Mellis Tabarzet.)Ita genus quoddam ſacchari Arabes uocant.

## QVARTA DISTINCTIO.

*De conditis.*

Nunc omnia melius condiuntur quàm docuerit Meſuas,uel ſciuerint antiqui. Chebuli.)Ex Aegypto adferuntur conditi:ſed quia caſsiam redolent,ideo diligẽtiores ſpeciarii aqua madefactos cum ſaccharo iterum condiunt. Ars autem.) Hac arte potes quaslibet res aridas,quaſi recẽtes facere. Emblici.)Modus hic oſtẽdit,quòd neq; in Damaſco habeantur recentes. Cytonia & alia poma,ſi bene condiantur,ſicuti & ſaporem & odorem ſeruant,ita & uim. Citra.) Cortices uel ſoli condiuntur,pulpa abiecta,& calidi ſunt:uel ſola pulpa,extimo abſciſſo cortice,& frigidi:uel utrunq;, & ferè temperati. Sicut habet.)Ad mediocrem uidelicet craſsitiem.

Secacul.

Dixi ſuprà quid eſſet:uideri tamen poteſt ex modo loquendi Meſue, quòd ipſe aliam rem intellexerit.Noſtri pro eo cõdiunt eryngium. Zinziber conditum.) Zingiber conditum ex Aegypto adfertur,& uiride uocant.

Confectio de Zinzibere.

Vidi ex puluere aridi & ſaccharo parari ueluti offas, efficaces in calefaciendo uentriculo,& inflatione diſcutienda.

Baucíæ conditæ.

σταφυλῖνος Græce,paſtinaca Latine.Conditur etiã elixa cum melle & aceto,& non inutiliter ad menſas uenit.

Acorus conditus.

Acorus uulgaris non eſt uerus acorus,ſed radix xyris,ut conſtat ex pictura utriuſq; apud Dioſc.Ego quãdoq; ſuſpicatus ſum radicem quæ à ſpeciariis calamus aromaticus dicitur,eſſe ueram acorum.

Zuccharum Roſatum.

Nunc ſunt alii modi faciendi zuccharum roſatũ:pulchrius enim & ſuauius fit ex ſucco roſarum in formam placentæ cum ſaccharo redacto:quod & uim quãdam retinet ciendæ alui:amouendi tamen ſemper ſunt à roſis ungues.

Zuccharum Violatum.

Indigent tamen uiolæ &c.)Dubium eſt mihi hoc:ſiquidem uis earum facile reſoluitur:quare puto addendam negationem,ut ſcilicet intelligamus,non eſſe ſoli exponendas,uel longo tempore adſeruandas.

Zuccharum Bugloſſatum.

Vera bugloſſus dicitur,quam noſtri uulgò boraginẽ uocant:quæ tamẽ in antiquo herbario Apuleio adſcripto,corago uocabatur.

Zuccharum Alchilil.

Lege alchilebel,& eſt roſmarinus.Appellant autem confectionem quæ ex floribus eius paratur,dianthos. Solent tamen aliud parare,ſecuti Nicolaum,cui aromata multa adduntur.

Mel Roſatum.

Dicitur hoc primum,mel roſatum cũ foliis. Et ſunt qui ponunt,mellis & ſucci roſarum.) Hoc dicitur mel roſatum colatum.

## QVINTA DISTINCTIO.

*De ſpeciebus Loch,quæ Græci ἐκλείγματα,Latini linctus uocant.*

Loch de Pino.

Hoc apud omnes paratur. Mellis paſſularũ.)Id eſt, in quo bullierint paſſulæ uſq; ad liquationem. Sumatur quaſi lambẽdo uncia una.)Errãt noſtri medici,exiguum quid iubẽtes homines horũ deuorare. Zucchari tabarzet.& paulò pòſt, mellis tabarzet.) Dubitari ergo poteſt in quo differant.Dicendũ per mel intelligi ſuccũ ipſum,ex quo per cocturã fit ſaccharũ,quod tamen nondũ exiccatũ ſit.Zuccharum uero,id quod iam plenè exiccatum eſt.Serapion conficit cum melle.

Loch de Papauere.

Hoc quoq; ſolet ab omnibus componi. Et ſit proprie.)Non ex hoc componunt,ſed ex eo qui inter ſyrupos nominatur.

Modus confectionis Iacur,ſecundũ intẽtionẽ Galeni.

Recipe decem papauera.)Melius eſt recipere ea quæ nondum dura ſunt,nec tamen ualde mollia:quæ enim ſicciora ſunt,parũ habent ſucci:quæ humidiora,multũ quidem,ſed incoctũ:propterea & quæ in locis humidioribus orta,ſunt repudianda.Sint autẽ magnitudine mediocri:ſi enim maiora ſint,aqua erit augenda:ſi minora,capitũ numerus. Aquæ ſextar.)Id eſt, ξέστην. Et ſit aqua pluuialis.)Galen.uel fontis,non per plumbeos canales defluens. Tunc decoque ea uſq; dũ diſcocta ſint.)Galen.ueluti marcida. Et aquæ duæ partes.)Hęc uerba ſunt ſuperaddita. Oportet autem ut miſceatur ex rob quantitas.)Siræo,uel uino cocto,uel dulci. Et non cõuenit in hac intẽtione mel.)Galenus,miſceri autem oportet huic pharmaco dum coquitur glycyrrhizam,uel ſuccum eius. Et ſi uelis medicamen abſtergens,tunc mel eſt conuenientius.) Adde ex Galeno,Sicut enim his qui ſomno egent,melius eſt ea quæ fit per ſiræum,ita his quos oportet expuere,ea quæ per mel optima,quoniam materias quæ ſunt in pectore,ad expellendum habilitat:dabis autẽ alterã earum cui opus eſſe cognoueris. Et quandoq; fit medicamen ex utriſque.)Ex eo ſcilicet quod per mel,& ex eo quod per ſiræon paratũ eſt.Adde ex Galeno,& ſi æquales fuerint intentiones,æqualiter miſcebis:ſi inæquales,inæqualiter. Doſis eius drach.1.)Galenus,duo cochlearia magna,uel plus,uel minus,iuxta ætatem,horam.Si omnia ad frigidum uergent,dabis minus:ſi ad calidum,plus. Reſpicies quoque deſtillationis quantitatem & qualitatem. Si autem uelis.)Hæc Crito. Beuſiſtidos.) Lege hypociſtidos. Balauſtiæ & Ramic.) Non hæc Crito.

Confectio de Moris.

Huius communis uſus,& uulgaribus quoq; notus eſt. Quæ currunt ſecundũ ſemitam.)Quia ſcilicet dicuntur ſycamina,quaſi fico mora. Et mororum de ſeni.)Id eſt,rubi.Galenus facit ex his,uel ex illis,& dicit quòd ex his eſt melius. Rob.)Non ponit Galen. Et mellis.)Galen.ſuccus per ſe melior eſt phlegmone incipiente,quia ſcilicet tunc intentio medici eſt ſolũ ad repellendum.Sed quia toto anno cõſeruari non poteſt, ideo mel miſcetur. In ſequentibus enim phlegmones temporibus utilior eſt compoſitio cum melle,dum ſcilicet mixta eſt intentio ad repellendum & reſoluẽdum.

Ana libram unam.)Galenus quintam partem mellis miſcet in mediocri. Myrrhæ.)Qui compoſuit pharmacum,miſcuit & crocum & myrrham.Crocus enim

ſtypti

ſtypticus eſt, myrrha uero diſcutit,& ad profundum meat. Aluminis ſucci agreſtæ.)Gale. ego in principio aliquando miſceo rhun,id eſt,ſumacum,aliquãdo omphacium:& ſi hæc nõ adſunt,uel flores roſarum,uel roſas ſiccas,uel balauſtias,uel citinos,uel gallam,uel corticem granatorum,piceę,uel thuris,uel hypociſtidos,uel lentiſci ſuccum,uel,ut in ſumma dicatur,aliquid adſtringens quod non ſit ἀνλητήριον. Vt uero hæc congruunt in principio, ita poſtea non egemus aliquo horum, ſed ad concoquendum ſat eſt addere myrrham,crocúmq;. Vbi uero concocta fuerit, miſcendum quid diſcutiens, ut aphronitrum,uel nitrum,uel ſulphur, uel ſyræon,incocto origano,uel hyſſopo,uel pulegio,uel thymo,uel aliquo tali. Ana partes ęquales.)Placet Gal.ut ſint mellis lib.1.ſucci lib.5. croci & myrrhæ ana drach.1.s. omphacij drachma una.

Modus confect.de ſuccis nucum.

Hoc inuenit Galenus,& dicit habere uim multũ excellentem reliqua στομαχικὰ pharmaca. Defluit & ad cannam pulmonis.) Copula, &, abolenda eſt. Et humidis natura.) Debilibus mente,ait Galenus.

Loch de ſquilla.

Communiter conficitur,& eſt ualde efficax ad craſſam materiam,& tenacem.

Loch de alſeſcera.

Et hoc cum ſit ualde potens,non paratur:quandoq; ego confici iuſsi,& uix inueni qui uoluerit uel potuerit uim eius ferre. Alſeſcera,intellige uitis albæ radicem.

Loch ſanum & expertum.

Hoc paratum ubiq; inuenies:eſt calidius & potẽtius eo quod de pino,minúsq; inſuaue:& propterea ego eo libentius quàm illo utor.

Loch ad caliditatem.

Non eſt in uſu apud noſtros. Cheſmes pinguium.) Id eſt,paſſulas. Sebeſtẽ.)Id eſt,myxa:Gręce μύξα. Caſſiæ fiſtulæ.) Eius ſcilicet qua recentiores utuntur ad aluum leniendam. Aſcoſſis.) A ſeminibus uidelicet,& his quæ inter ea mediant.

Loch aliud noſtrum.

Valeret hoc in calidis deſtillationibus,ſuauéq; eſſet, quamuis non conficiatur.

Loch bonum.

Nec hoc confectum inuenies,ſcio tamen nonnullos uſos.

Loch ad aſthma.

Multum potens,& à nonnullis conficitur.

Loch de amygdalis.

Granorum uini.)Lege pini:nec hoc paratur,licet utile ſit.

## SEXTA DISTINCTIO.

### *De ſyrupis,& robub,& iuleb.*

Magna pars eorum quæ in hac diſtinctione ſcribuntur,ſub his potionibus contineri uidentur,quæ Græci ἡδέα καὶ ὠφέλιμα,ſuauia uidelicet & utilia uocant. Sed & ad προπόματα,hoc eſt,uerbum uerbo, præpotiones referuntur.

Modus operationis iuleb.

Iuleb recentiores Græci zulapon uocãt.Primum hoc iuleb ex infuſione roſarum Paulus hydroroſatum uocat,parat coctis libris 4.roſarum,in ſextarijs 5.aquę,& duobus mellis.

Modus iuleb uiolati.

Græci iozulapon uocant,atq; in hunc modum conficiunt:Viola.unc.3.in tribus ſextarijs aquæ per diem macerant,excolatæq; aquæ lib.3.ſacchari adijciunt.

Operatio infuſionis roſarum.

Si quinquies roſæ mutentur,addito ſaccharo,fiet ſyrupus,quem nunc roſatum ſolutiuum uocant noſtri, Bononienſes mucarum.

Iuleb roſarum aliud.

Hoc eſt in uſu,& dicitur iuleb roſarum,ex quo aquæ commixto fit ſuauiſsimus potus,ad calorem & ſitim amouendam maxime idoneus:quo tamen antiqui nõ utebantur,quia nec aquam roſatam norant, nec hunc ſacchari uſum.

Iuleb de ſucco uiolarum.

In communi uſu eſt id,quo multi,parum conſiderantes,in uentris fluxibus,quaſi adſtringente aluum,utuntur:cum tamen contrarium potius operetur, quod ex ſucco roſarum fit,& ſyrupus roſatus dicitur.

Iuleb iuiubinum.

Zizipha Græce & Latine dicitur, & ſorica. Gale.nihili fecit:recentiores in uſu habent ſicca,nec ego ea in totum reſpuenda puto.

Syrupus de pomis.

Scis quid ſuprà ſcripſerim de malis. Paulus ex dulcibus parat,& uocat hydromalum.

Syrupus de pyris.

Licet non ſit in communi uſu,efficaciam tamen haberet, ſi ex congruis pyris pararetur, in his quæ Meſ. dicit.

Syrupus de Cytonijs.

Et hunc uocat Paulus hydromalon.Recentiores quidam factũ ex malis,malozulapon,hoc κυδωνίων γλύκισμα.

Syrupus de Perſicis.

Et hic non inutiliter parari poteſt.

Syrupus de ſucco acetoſæ.

Auic.uocat omnem lapathon acetoſam. Videtur autem apud Dioſcorid.ſola illa lapathi ſpecies quam uocant oxalyda.

Syrupus de ſucco cucurbitæ.

Magnas uires hic habet in ſiti & magno incendio extinguendo.

Syrupus de prunis.

Hic præter hoc quòd infrigidat,aluum etiam lenit:loco eius utimur diaprunon ſimplici,ſicuti & duobus de granatis.Paul.rhoiton parat ex part.3.ſucci,& una mellis.Sunt qui immergunt ſetam,quia uidelicet putant habere magnam uim in roborando corde.

Syrupus de corticibus citri.

Cum bene paratur,cerebrum etiam & cor cõfortat, ſi intemperie frigida laborant.

Syrupus acetoſitatis citri.

Paraui inſtar huius ex limonibus, & inueni placidũ ac utilem. Et confert ebrietati,uertigini.)Bilioſæ.

Syrupus de agreſta.

Hic quoq; præſtans eſt.Paulus omphacomeli uocat.

Syrupus de granis myrti.

Myrteton uocat Paulus:magni uſus in fluente aluo.

Syrupus Cheſmes.

Paſſulas uocant:nullum tamen uidi qui pararet.

Syrupus alchelach.

Dicunt eſſe dactylos:ſed mirum eſt cum alias interpres conſueuerit uti uoce dactylorum,quòd nunc utatur uoce illa.

Syrupi compoſiti.

Compoſitos hos uocat, quia præter ſaccharum aut mel,ex pluribus quàm ex una re conſtant.

Syrupus de papauere.

Longa nimis uidetur hæc decoctio,adeò ut in recentibus uim perdat. Tutius eſt coquere donec tabeſcant, nec amplius.

Syrupus Dinari,id eſt,de byzantijs.

Barbara certe eſt hæc inſcriptio:& ſi id notat, quod uerba ſignificant,auaritiam oſtendit,quæ à bono & uiro & medico debet eſſe aliena. Efficax tamen eſt ſyrupus & multi uſus in longis febribus,præſertim ab atra bile factis. Accipe eius clarificati lib. 4.)Id eſt,pro quibuslibet 4.lib.accipe ſacchari lib.2.s. Et quandoque.) Parant communiter utroq; modo,cum aceto uidelicet & abſque eo,dum tamen ſimpliciter ſcribitur, acidus eſt accipiendus.

Sermo in ſyrupo acetoſo.

Et hoc quidem Galenus teſtatur.) Galenus nuſquam huius meminit,ſed oxymelitis. Propter ſimilitudinẽ & communitatem.) Hippocrates & Gale.acetũ iuuat eos,in quibus amara:lædit ſummopere in quibus atra bilis dominatur:magis tamen mulieribus quàm uiris eſt inimicum,quia uterum lædit. In leui.) Si uidelicet non uis multum acidum. Et in forti.)Id eſt,ſi uis multum acidum. Cum aqua frigida &c.) Non exprimit quantitatem aquæ:nos autem duplam aquam miſcemus,& ex herbis potius elicitam quàm naturalem.

Modus ſyrupi acetoſi cum radicibus.

Hoc frequẽter utimur,uocamúsque acetoſum compoſitum.

Modus ſyrupi acetoſi de ſuccis herbarum.

Eſt ferè byzantinus,niſi quòd in hoc minus additur aceti.

Modus ſyrupi acetoſi de ſuccis fructuum.

Eadem ferè deſcriptio ſuprà,niſi quòd ibi tãtum acida,hic acida & dulcia granata accipiuntur.Loco huius officinæ parant oxyſaccharum uocatum.

Modus ſyrupi acetoſi de ſuccis & aquis fructuum.

Zarur, id eſt, meſpilorum. Nullã acredinẽ præterquã à granatis habet: magni tamen uſus eſſet ſi pararetur, in uomitibus & uentris fluxibus coërcendis: poſſumus tamẽ & hoc, & quatuor ante eum deſcriptis, pro embammatis condimentiſue ciborum uti.

Modus ſyrupi acetoſi de prunis.

Aquæ tamarindorum & prunorum neſcio quo pacto uelit ut fiant, ita ut à ſuccis differant: niſi per coctionem uel macerationem. Acedo uero citri, neſcio quare hic uocetur aqua, cum ſuperius eam appellauerit ſuccum: utcunque tamen paretur, utilis erit in his, in quibus à Meſue commendatur.

Modus ſyrupi acetoſi de pomis.

Hic quoq; ſi pararetur, & utilis & ſuauis eſſet, amota tamen camphora. Et da cum aqua melonum.) Melones hyemales credo eſſe, qui apud nos conſeruari ad hyemem, non edi conſueuerunt: ſúntq; citris & colore & forma ſimiles, ſed colore magis.

Syrupus alius acetoſus.

Alius quoq; acetoſus de pomis uocatus, magni uſus eſſet in ſiti ſedanda, non in acutis febribus tantum, ſed & æſtatis tempore in ſanis, & præcipue bilioſis: ſetam tamen illam ego dimitterem.

Syrupus acet. alterniabin.

Ille uero qui inſcribitur alterniabin, ex recentiorum uidelicet manna confectus, præter alterandi uim, aluum quoque modicè leniret. Quod quidem ut uehementius facit ille qui poſt eum ſcribitur, ſub titulò, Acetoſi ſolutione educentis bilem, & uim purgandi habet, præcipue ſcammonio ſuperaddito, ita minus iucundus eſt.

Syrupus conferens catarrhis calidis.

Neſcio quomodo ex his fructibus poſsit fieri ſyrupus, niſi decoquantur: quare cum in fine dicat, fiat ſyrupus, intelligere nos facit ut coquerentur.

Syrupus de Cannis.

Aquæ malorum de ſeni.) Seni nomen eſt regionis, ſed nos ponimus dulcia noſtratia, & per has aquas intellige ſuccos.

Syrupus de Portulaca.

Placet mihi æſtate, atque temperatura & morbo bilioſis.

Syrupus de Violis.

Hic ubiq; paratus inuenitur, & eo utimur in pleuritide.

Syrupus de Iuiubis.

Zezipha uel ſorica, ut diximus, uocantur. Libræ 10.) Libræ 4. aquæ non ualerent tot iuiubas continere, quare legendum, numero centum: communis uſus eſt in calidis fluxionibus. Vtor tamen ego etiam in ulcere ueſicæ, & ualde confert.

Syrupus de Papauere.

Papauer rubeum, eſt quod Græci ἀνεμώνην, & eſt calidum: quare potius legendum, papaueris nigri.

Sermo in aqua mellis.

Latini aquam mulſam appellant: Hippo, melicraton: minúsq; aptum eſſe dicit his qui amara bile abundãt, & magnorũ ſunt uiſcerum. Gale. in colliquãtibus febribus ait eſſe nocentiſsimam. Idq; quod aqueũ eſt, ad urinas & ſputum aptius: minus uero aqueũ, aptius ad uẽtrem ſubducendũ: magiſq; nutrire quàm uinũ inodorum tenue, quod paucíferũ uocãt: & hoc, niſi uentrem perturbet, ſatis urinam mouet: niſi aliquid in uiſceribus prohibeat, bilioſa etiam per inferiora excernit. Et ſi bibitur recens.) Hoc uocat Dioſco. melicraton. Si autem bibitur antiquum.) Hydromel dicitur. Melicraton enim uocant Græci mixtionem ex melle & aqua, quæ ideo cõficitur ut ſtatim bibatur. Hydromeli id proprie dicunt eſſe, quod ita præparatũ eſt, ut diutius ſeruetur. Melicratum etiã duplex, ſcilicet coctũ & incoctũ; coctum quidẽ, ut ait Hippo. 3. reg. acut. pulchrius eſt uiſu, ſed nullã habet uirtutẽ, qua crudum excellat, quod ex bono melle paratũ eſt: debilius uero eſt, & alui excrementa minus educit, quàm id quod eſt crudũ. Auic. accipit mellis part. 1. aquæ part. 2. & coquit ad tertiæ conſumptionem. Paulus ut Meſ. aquam octuplam ad mel.

Sermo in Secaniabin.

Secaniabin Arabes, Græci oxymeli, Latini acetũ mulſum. Hipp. os & guttur humectat, ſputum educit, inſiticuloſum eſt. Galen. ſpleni & hepati maxime utile eſt, ea abſq; moleſtia expurgans. Hipp. inflationes purgat, & urinas prouocat, inferiora inteſtina molliora reddit, & abradit. Exiguũ eius bibitur noctu, & ieiuno ante ſorbitionem. Poteſt & bibi multo poſt ſorbitionẽ. Galen. Satis eſt duarũ horarũ ſpatium intercedere inter oxymelitis potũ & ſorbitionẽ. Hipp. cùm quis ſolo uſurus oxymelite eſt in toto morbo, paucũ acetũ miſceatur, adeò ut tantũmodo agnoſcatur: quoniã ſyruporũ quorum nũc cõmunis uſus, ab uſu aceti huius mulſi manauit. Multa ex his quæ ex Hipp. & Gal. notaui, prudẽs lector elicere põt, quæ cõmuni illorũ uſui aduerſantur.

Modus Secaniabin de radicibus.

Hoc plerunq; utimur, ubi ſcilicet antea per multos dies ſimplici uſi fuerimus, oxymélq; compoſitum uocamus.

Modus Secaniabin educens phlegma.

Suſpende in ipſo, quando coquitur, medullã Cartami, Cnici uidelicet: & quia non exprimit quantitatẽ, tu potes ponere uſq; ad libram cartami. Turbit uero uncias tres.

Modus Secaniabin ſolutione educẽs Melãcholiã.

Bugloſſæ domeſticæ.) Id eſt, boraginis. Sylueſtris, id eſt, quæ nomen habet bugloſsi. Chamędrios.) Vulgò calamandrinam dicunt, uel triſaginem. Chamæpityos.) Vulgò Iuam, uel Aiugam. Bedegar.) Spina alba: addito elleboro, ſatis efficaciter purgabit atram bilem, pondere duarum unciarum.

Modus Secaniabin de Cheiſin.

Quidam hoc utuntur, ceu ualido in deobſtruendo. Cheiſin.) Id eſt, libyſtici.

Secaniabin de Calamento.

Caſsiæ.) Pro ea accipe cinnamomum. Calamenti agreſtis.) Id eſt, nepetæ. Domeſtici.) Non inuenio domeſticum, niſi mentham.

Acetoſus Diarhodon.

Hic celebratiſsimus eſt, magnã habens cõformitatẽ cum byzantino, calidior tamen eo parumper: ille uero magis uidetur atram bilem reſpicere.

Acetoſus de ſuccis herbarum.

Vtilis eſſet, ſed non componitur.

Syrupus de mentha.

Ex his duobus, ſecundum tantum inuenimus in officinis, utilem quidem in uentriculo roborando.

Syrupus de Abſinthio.

Non detur in febribus in principio, neq; etiam pòſt, ubi febris uehemens, niſi frigidũ aliquid ſecum miſcueris. Ego quandoq; eo uſus ſum in albis humoribus ex utero fluentibus.

Syrupus de Abſinthio ſecundus.

Dici poteſt ſimplex, & ualde congrueret in febribus à bile poſt 7.

Syrupus de Fumo terræ maior.

Purgat, ſi indebita quantitate exhibeatur, unc. uidelicet 3. uſque ad quinque.

Syrupus de Fumo terræ minor.

Si ſuſpendatur in eo ſcammonium, purgabit plus quàm præcedens: primus tamen communiter paratur, & ego eo utor in morbo qui gallicus dicitur.

Syrupus Liquiritiæ.

Videant qui cauent in pleuriticis Manumchriſti uocatum, & rheõ, quomodo dent hunc Syrupum, in quo aqua roſacea. Ego enim non formido in morbis pectoris, medicinas modice adſtringentes.

Syrupus de Hyſſopo.

Hic quoq; ſyrupus ſeminum cotoneorum & dactylorum ratione cuiuſdam adſtrictionis particeps eſt.

Syrupus de Calamento.

Non cognoſco calamentum domeſticum: credo intelligi mentham, ſicut etiam ſuprà: Nullus tamen horũ ſyrup. communiter paratur. Secundus ſatis ſimilis eſt ſyrupo de mentha.

Syrupus de Thymo.

Licet in uſu non ſit, efficaciã tamen magnam haberet in frigidis morbis.

Syrupus de Eupatorio.

Hic ſi bene cõponatur, quod certe non eſt facile, ualde utilis erit. Bedegar Sucaha.) In his patres noſtri magnopere errabant, ſylueſtris roſæ fructum ſupponẽtes: tu uero intellige ſpinam albam & Arabicam. Dioſcorides uocat primum λευκάκανθα, alĳ Arabicam. Eupatorium.) Accipe quòd uulgò agrimonium uocant. Pro folio quo caremus, accipe folium gariophylli, ſi inuenire potes: ſi non, cinnamomum uocatum, uel nardum.

Syrupus

Syrupus de Epithymo.

Scabiem & ſaphati.) Id eſt, ἀχῶρας, cū educit, ut ipſemet ait, humores aduſtos: propter quod magis reponendus eſt inter purgatoria, quàm inter proprie uocatos ſyrupos: ſicuti ſyrupus de fumo terræ, qui cum hoc multū conuenit, eſt tamen minoris purgationis & minus calidus: & propterea illo ego utor in humoribus magis bilioſis, hoc uero, quia calidior eſt in minus calidis.

Syrupus de ſtichados.

Conficitur hoc duplici modo, addendo uidelicet cinnamomum, & reliqua aromata: uel non addendo. hūc incompletum, illum completum uocāt. Haſce, id eſt, thymi. Alchilil, id eſt, roſmarini.

Sermo in melicrato condito.

Oenomeli Græce appellatur: quòd ex uino auſtero antiquo & melle componitur. Oenon uero melititen, id quod ex muſto: & Latine mulſum. At cum melicratum, ut ſuperius diximus, ex aqua & melle cōſtat. Proijce ſuper ea.) Appellāt hoc tēpore uinum in hūc modum conditum Hippocratem.

Conditum de Citro.

Corticem citri.) Intellige exteriorem, abſque pulpa. Vel foliorū.) Vbi ſcilicet cortice careres: uerū facilius multis in locis habebis fructū & corticem, quàm folia.

De alio condito de Citro.

Vbi legit croci drach. i. iiij. lege, drach. unius quarta pars. Marmacur.) Meliſſophyllon intellige.

Modus conditi de Bugloſſa.

Trium generum cydoniorum. Duo paſsim naſcūtur, tertij ſunt parua. Vel intellige dulcacida, & ſic intellige poma. Alfelēgemiſch.) Id eſt, ocimum, quod ab odore gariophylliton uocant.

Conditum de Cytonijs.

Sub miuæ nomine ubiq; paratur: hydromalon Græci uocant. Hydromalon ſic conficit Pau. Succi cotoneorum p. 2. mellis p. 3. aquæ p. 6. coque ad tertiam expumādo. Species aleſanginæ.) De his ubi de pilulis agemus. Magis tamen utimur ea quam ſimplicem miuā uocant. Aliæ uero duæ quæ ſequuntur, parari non conſueuerūt.

Sermo in aceto ſquillitico.

Quia confert epilepſiæ.) Plin. melācholicis & uertigini. Matricis prefocationi.) Pli. neruis infirmis. Additq; tantam eſſe uim huius aceti, ut auidius hauſtum, extinctæ animæ momento aliquo ſpeciem præbeat. Quod inueteratum, magis probatur, clariorem oculorū aciē facit, prodeſt aceſcētibus cibis, & eis qui ieiuni uomūt. Tarditatem aurium gargarizatione purgat; percuſsis aut precipitatis, & ob id ſanguine coagulato: renum uitijs: cauendum exulceratis: ſalutare eſt ſtomacho, laterúmq; doloribus, parū ſumptū binis diebus. Quo pacto præparetur ſcilla, proprio cap. inter ſimplicia declaratum eſt.

Modus oxymellis ſquillitici.

Non uideo quomodo poſsit bene parari ſine aqua, ſi uera ſunt quæ uir iſte ſuperius dixit de oxymelite, oportere uidelicet addere aquam. Huius autem communis eſt uſus in longioribus morbis. Duo enim quæ ſequuntur, parari non ſolent, licet ſint meliora, præſertim id quod ſcribitur ſub nomine Democriti, in quo multæ herbæ apponuntur, quæ ſunt à nobis alijs locis declaratæ.

Rob.

Quid hoc nomine ſignificetur, ipſemet declarat, ſuccus uidelicet primo defecatus, dehinc calore ſolis uel ignis craſsior intantum factus, ut adſeruari ſine corruptione longo tempore poſsit.

Rob de Ribes.

De hoc non eſt mentio apud Græcos uel Latinos, ſed apud Arabes tantum: pro quo uide Serap. cap. proprio. Affertur ex Aegypto præparatus. Poſſemus nos ex ſucco herbæ acetoſę uocatę, quę genus lapathi eſt, id quod iubet Meſue, commode parare.

Rob de Agreſta.

Paratur à matribusfamiliâs, & appellatur omphacium ſiccum.

Rob de Cornis.

Corna crania uocantur Græcè. Fructus conferunt ad uentris fluxum & dyſenteriam.

Rob de Berberis.

Gręci uocant ὀξυακάνθαν. Fructus ualet in diarrhœa & fluxu muliebri.

Rob de Sumach.

Græcè dicitur rhus.

Rob de moris ſeni.

Syluestribus uidelicet. Alij noti ſunt uſq; ad eos qui de fructibus inſcribuntur, in quorum primo per Zarur ego intelligo meſpila, & præcipue genus id quod Azarolum ſiue Lazarolū uocant. In ſecundo ego potius dulcia granata eligerē, ceu ad aluum ſubducēdam aptiora.

## DISTINCTIO SEPTIMA.

### *De decoctionibus & infuſionibus.*

Decoctiones huiuſmodi multum ſunt vtiles, & ego vſus eis multoties, multum profeci: quas tamen compono ad libitum, ſecundum intentiones occurrentes.

Aqua fructuum.

Hæc eſſet magni precij ob mannā: noſtri autem aromatarij præparant abſq; ea & caſsia.

Modus infuſionis aquæ caſei.

Hæc eſt nobilis, & ea ſum vſus plerunq;, præcipue tempore roſarum, amota tamē ſpica ceu non neceſſaria, & guſtui inſuauis.

Decoctio fumi terræ.

Succi altaraſacon.) Troxuna Græci, vulgò ſcariolam dicunt.

Decoctio Alhaſce, id eſt, thymi.

Paſſularum enucleatarum drach. xx.) Lege drach. iiij. Caue ne in Dauco decipiaris ab aromatarijs.

Decoctio Myrob.

Hac nunquā ſum vſus, eam tamē puto fore utilem, ſi quis ea uſus fuerit, ſicuti & ea quę de ſtœchade inſcribit.

Decoctio de Eupatorio.

Cyprus ſcilicet, quam Arabes Alchannā uocant, plantæ uidelicet quæ liguſtrū florem gignit: multi cauroſinum uocant. Ego tamen puto potius legendū Cyperi.

Decoctio Epithymi.

Hæc efficax eſt in morbo Gallico uocato: ualet enim & ulceribus & doloribus.

Infuſio de Hiera.

His infuſionibus de hiera multoties ſum uſus in antiquis affectionibus, & ex eis maius iuuamētū cōſecuti ſunt patientes, quàm ex potu aquarum ſpontinarum, quas balnea vocant: ſed, quod etiā alia pagina monui, modo meo, prout ſcilicet in re ægrotantium eſſe putabam, eas parari iuſsi.

## DISTINCTIO OCTAVA.

### De *Trochiſcis.*

Trochiſci uel cycliſci Græce, Latine paſtilli, à figura apud Græcos nomen habuere: quorum aliqui bibūtur, alij inijciuntur, nonnulli inunguntur.

Confectio galliæ Muſcatæ.

Defertur ex Oriente, ſed nō bene præparata. Ambrę canni.) Eſt epitheton ambræ, quæ à recentioribus Græcis ambar dicitur. Ex noſtris fuere qui ſuccinum orientale uocarint. Folij Myrrhæ.) Lege Myrti. Oleo de Been.) Ex unguentaria uidelicet glande facto.

Confectio galliæ Sebellinæ.

Et hæc non minoris eſt uſus quàm præcedens. Ramic.) Deſcriptionem habes infrà.

Confectio galliæ Aleſanginæ.

Et hæc eoſdem uſus haberet, ſi bene pararetur. Sandali citrini aromatizati.) Lege aromatici.

Confectio Trochiſcorum diarhodon.

Nomen hi habent à roſis, & ſub eo in multis compoſitionibus apponuntur, bibuntúrq; in morbis ad diuturnitatem uergentibus.

Confectio Troch. de roſis.

Ex duabus iſtis compoſitionibus ſecunda eſt efficacior. Si uis addere ſcammoniū, vbi legis lib. 3. lege drachmas. Florū ſquināti.) In uoce ſchœnoanthos includitur flos, quare ſuperfluè additum floris.

Confectio troch. de roſis & Eupatorio.

Hi ualidiores ſunt omnibus his qui à roſis nomen acceperunt.

Sucahal ertif.

Hac uoce Suc utuntur Arabes ad ſignificandum galliam. Succi Albelac.) Sunt ex genere dactylorū, & credo quòd ſint immaturi. De lingua auis, & Darſeni, ſuprà dictum eſt.

Confectio Ramic.

Ramic ſolēt uocare Arabes mixturam quandam ex gallis & paſſulis. Valde adſtringit quocūq; modo quis ea utatur. De ſpodio infrà dicit. Sicut alcohol.) Id eſt

ſubtiliſsime,ut oculares medicinæ teri ſolent.

Trochiſcorum de camphora.

Res noua,quam gummi arborum dicunt, & putant ualde frigidam.Ego eam quę ad nos defertur rem factitiam puto, & calidam. Simeon ampar uocat, dicitque multis in locis emanare à quibuſdam ueluti fontibus, ſicuti aſphaltum & ſulphur,eſſéque aliud fuluum,aliud ſubalbum,& tertium nigrum : haberéque uires calefaciendi & incidendi.

Confectio de Rheubarbaro.

Horum potus in his qui mali habitus ſunt, magnæ utilitatis eſt. His uti aſſueuerunt medici in febribus ex decidentia acutis,& incipiente malo habitu.

Confectio Troch.de Spodio.

Spodium fit liqueſcentibus cadmia & ærario lapide:tenuior enim pars exhalans,& tecto fornacis adhærens ampulleſcit,& πομφόλυξ appellatur. Pars uero grauior deſcendit,& pauimento uel lateribus hæret, quæ ſpodium uocatur. Recentiores Auicennam ſequentes, antiſpodion ſpodio præferũt,maxime id quod ex cannarum radicibus exuſtis:licet ſint alia plura præſtãtiora,ut quod ex myrto,uel olea,uel lentiſco. Modum autem confectionis tradit Dioſcorides libro 5.Veri autem ſpodij uſus non fuit,niſi extrinſecus admouendo.

Confectio Troch.de Spodio cum ſemine acetoſæ.

Potentes eſſent in adſtringendo,ſed non parantur.

Confectio de Berberis.

Nec hos uidi parari : non putarim tamen tam ualidos,ut dicit Meſue,ad ſitim ſedandam.

Confectio Troch.de Abſinthio.

Hi communiter conficiuntur, & utiliter bibuntur in longis febribus.

Confectio Troch.de Eupatorio.

Et hi quoq; paſsim conficiuntur,ſed à paucis bene, ignorantibus ueram Eupatorium. Cum ſucco herbarum.)Cum ſucco uidelicet Eupatorij.

Confectio Troch.de Aniſo.

Hi parari rectè non ualent,quia caremus folio. Secundi poſſent quidem parari,ſed non parantur.

Confectio Troch.de Lacca.

Si ex uera parentur, erunt ualde utiles in aqua intercute.

Confectio Troch.de Terra ſigillata.

Terra ſigillata ante paucos annos non afferebatur, nunc cœpit adportari. A Græcis dicitur Lemnia ſphragis, uel terra Lemnia. His igitur troch. non magna uis eſt,ſi cõmunis illa & uulgaris apponatur, quam terrã ſigillatam officinæ adhuc uocant,& pro uera uendunt. Sanguinis Draconis.)Secundum Serap.& Auicen.eſt ſuccus herbæ quę à Dioſcoride uocatur Achillion.Nunc defertur à Luſitanis, dicitúrque ab eis eſſe ſuccus quarundam arborum. Sedenagi.) Dicunt eſſe ſemen cannabis,quod quidem adeò ſiccum eſt, ut genituram uirorum extinguat.

Confectio Troch.Alhandal.

Sunt hi ueluti caſtigatio quædã,ſeu præparatio colocynthidos: & propterea longe ſecurior eſt eorum, quàm illius uſus.Diligenter autem cognoſcendum ab eo qui hoſce parauit,quantũ colocynthidis in eis poſuerit:alii enim plus,alii minus accipiunt,cum ægrotãtium detrimento,ſi id medicus ignorauerit.In meo codice decem drachmis colocynthidos,adduntur decem & octo aliarum rerum:qui modus facit ut tutò poſsit eorum dari integer ſcrupulus,præcipue ſi ſecundo con tritis eadem addita ſint.

Confectio Troch.de Sandalis.

Satis anceps ſum,an quos ſandalos nunc uocant,frigidi ſint. Calefacere enim uidentur,dum guſtantur,& extrorſum admouentur.Non conſueuerunt tamẽ trochiſci ex eis parari,ſed electuarium,quod triaſandalũ Nicolaus nuncupat:quo tamen infrigidandi cauſa dato,multos audiui ſe amplius calefactos affirmantes.

De confectione Troch.Hamech.

De cyperis & de ligno aloës,quia non conficiuntur, fortè ob immodicum precium,dimiſi.

Confectio Troch.de Capparis.

Horum creber eſt uſus in lienis affectibus. Scolopendriam.)Eã uidelicet quæ uocatur citracum. Agnus caſtus.)Ligos,uel uitex dicitur.

Confectio Troch.de carabe.

Iſti trochiſci à Paulo trochiſci de electro dicuntur,& aliter,in hunc uidelicet modum,deſcribuntur;Pſyllij ℥. 5.maſtiches, ramentorum electri,ireos, croci,ana ℥.4. opii ℥.2. Carabe.)Succinum, & à quibuſdã electrum dicitur.

Confectio Troch.alchechengi.

Alchechengi eſt ſpecies ſolani,quam ueſicariam uocant,& Græci phyſalida.Inde trochiſci diaphyſalidon, qui ab Auicen. corruptè dicuntur dyſſalidi. Albateche.) Cucumeris uidelicet magni,qui anguria dicitur. Boli.)Intellige milton,quæ & macra:ſunt magni momenti in renum & ueſicæ doloribus.Solent etiam cum opio & abſq; eo parari.Paulus hoc pacto:Seminis cucumeris ℥.4.ſeminis hyoſcyami,cicutæ ℥.2.fœniculi,lapathi,croci, nucleorum pini,amygdalarũ amararum, opii ana ℥.1.phyſalidon ℥.3.uini quantum ſat ſit.

## DISTINCTIO NONA.

*Suffuf.*

Videtur intelligere Meſue medicamina ex odoratis rebus in puluerem redactis compoſita,quæ cũ aliquo liquore bibuntur.In his pauca ſunt quæ declarationẽ deſiderent.In primo quidem nihil.

Suffuf aliud de ligno aloës.

Marmacur.)In hoc ſecundo, quod uel meliſſophillon,uel citratum ocimum ſignificat. In aromatizato, nabet.)Pro quo ſaccharum candum accipiunt.

In impinguante.

Tortelarum de ſeni.)Per quas panem bis coctum. Efficax ſatis etiam eſt ad concubitum ciendum.

Suffuf de granis myrti.

Sauich.) Græce ἄλφιτα, Latine polenta. Anabach.) Abach apud Auic.eſt quod Dioſco.loton arborẽ uocat. Charub.) Græce ceratia,Latine ſiliqua.Sed fortè totũ hoc legendum ſimul, hoc pacto:Sauich anabach charub de ſpinis.Nam Auicen.cap.de nabach, meminit ſauich de nabach.Serap.uero dicit unam eius ſpeciem habere ſpinas.Erit ergo ſenſus:Sauich,id eſt,fructus acerbi torrefacti ſumpti à nabach,dicto charub ſpinoſa.Alij tamen per anabach intelligunt zeriperha, hoc eſt, iuiubas. Curticuri.) Id eſt, arboris acaciæ. Tarathit.)Id eſt,hypociſtidos.

## DISTINCTIO DECIMA.

*De pilulis.*

Græci coccia & catapotia uocant. Pilulæ aleſanginæ. Et quandoq; exigit diſpoſitio.) Mihi potius augẽda quàm minuenda uidetur aloë. Pilularum doſis ʒ.1.) Multi nunc aloën lauant cum aqua in qua rheon barbarum longo tempore maduit.Alij cum ſucco braſsicæ.

Pilulæ ſtomaticæ.

Stomachicæ à ſtomacho debebant appellari. Quidã eas paratas habent, & certe utiles ſunt. Trium myrobalanorum.) Citrinarum ſcilicet, chebularum,& Indarum. Doſis eius eſt ʒ.2.uel ʒ.1.s.) Sed unica etiã mediocriter purgat.

Pilulæ aggregatiuæ.

Inter pilulas quibus utimur hæ maximè excellunt. Elect.roſ.)Intellige non id quod Nicolaus, ſed quod ipſemet Meſue inter electuaria ſua ſcripſit.

Pilulæ aggregatiuæ maiores.

Hæ non parantur.Si quis tamen parare uoluerit,pro ſataragi Indi accipiat quod Dioſcorides uocat lepidiõ: & pro Harmel,intelligat ſpeciem rutæ ſylueſtris,non cicutam,ut multi. Caſsiæ.) Intellige ligneam uocatam, id eſt,cinnamomum uulgare.

Pilulæ de Eupatorio.

Maioribus quidam utuntur ad morbum arquatum.

Pilulæ de rheubarbaro.

His uti ego conſueui in fine notharum tertianarũ in autumno, corroborando eas cum alijs ut opportunũ uidetur,& da ʒ.2.mane,uel ʒ.1.s.

Pilulæ de alchechengi.

Nec hæ ſunt in communi uſu. Caſsiam fiſtulam.) Intellige ut ſuprà,ligneam. Et ſi eſt tuſsis cum febre.) Nota hanc mixtionem in tuſsi,quã potes in alijs quoque pilulis facere.

Pilulæ ad febrem antiquam.

Bedegar.)Id eſt ſpina alba,ut ſuperius diximus. Satis leniter purgant.

Pilulæ Indæ.

His communiter utimur in atra bile purganda. Lapidis Lazuli,id eſt,Cyanei. Loti.)Toties ut nullũ amplius uel ſaporem uel odorem in aqua relinquat. Doſis.)Satis eſt ut unica drachma detur.

Pilulæ

Pilulæ alandal.

Nonnulli eas parant,ſed pauci utuntur,quum tamen efficaces ſint in pituita educenda.

Pilulæ de ſarcocolla.

Ego nunquam his uſus ſum, nec uidi medicum utentem.

Pilulæ fœtidæ maiores.

Harmel.)Audi ut ſuprà,ſpeciem rutæ ſylueſtris. Da drachmam unam,ſatis enim potentes ſunt.

Pilulæ fœtidæ minores.

Minus ualidæ ſunt prioribus.

Pilulæ de ſerapino.

Neque his uſus ſum unquam.

Pilulæ de euphorbio.

Validę ſunt in articulorum affectibus à pituita factis.

Pilulæ de raued.

Licet raued idem ſit quod rheon barbarum,pilulæ tamen hæ longe efficaciores ſunt quàm quæ de rheubarbaro uocantur. Doſis tamen nõ tranſcendat drachmã.

Pilulæ Mezereon.

Valide purgant aquam:tutius tamen eſt miſcere cum eis rheon,uel pilulas de rheubarbaro uocatas.

Pilulæ lucis maiores.

Has ego roborare conſueui,in pituita quidem educenda cum cocchijs,in bile cum aureis. Minores magis reſpiciunt atram bilem quàm maiores.

Pilulæ ſtomaticæ noſtræ.

Primæ pituitam purgant,& uentriculum roborant: ſecundæ bilem etiam purgant:tertiæ pituitam: quartæ inter omnes has ſunt minus calidæ.

Pilulæ alandahal.

Hæ minus calidę ſunt quàm quę iuxta Hermetem ſuperius ſunt deſcriptæ.

Pilulæ aliæ ſtomaticæ.

Non multum differunt ab his quæ tertio loco ſuprà ſunt ſcriptæ.

Pilulæ de agarico.

Hæ ubique confectę inueniuntur,& pectori ſunt admodum utiles:Auicen. eas deſcribit cap.de aſthmate, ſed non apponit myrrham.

Pilulæ quę conferunt ad febres cholericas.

Non eſt tutus earum uſus in febribus magnis,

Pilulæ diarhodon.

Faciles admodum eſſent,ſed non parantur.

Pilulæ de Turbit.

His patres noſtri utebantur,& Turbitatas uocabãt.

Pilulæ de lapide Lazuli.

Sunt fortiores quàm Indæ,in atræbilis purgatione.

Pilulæ de lapide Armeno.

Non parãtur hæ,quoniam lapide Armeno caremus. Ab Alexandro deſcribuntur,& ſummopere commendantur.In uarijs tamen codicibus uario modo legitur earum compoſitio.In antiqua interpretatione hoc modo:Picrę,epithymi,agarici,ſcammoneæ ana ℈.4.lapidis Armeni loti ʒ.4.gariophyl.gra.20.In alio exemplari legitur:Scammoneæ ℈.2.lapidis Armeni ℈.4.In alio legitur, ana ℈.4.Confice cũ ſucco citri uel rhodomelite,dabiſq; ℈.2.Meſue infrà de ſoda melancholica accipit de alijs ʒ.4. de ſcammonea ʒ.5.gariophyl.ʒ.1.

Pilulæ ad omnes morbos.

Has uocãt aliqui alchhaiher,alij de cynogloſſa,& magnam uim habẽt in tenuibus ſiſtendis deſtillationibus: ſed nõ eſt eis temere utendum, ſicuti neq; alijs ſtuporẽ inferentibus.Aliæ in eundem uſum ſcribuntur ab ipſomet Meſue cap.de catarrho, quas dicit eſſe Alexandri: quæ non alia re differunt ab eis quæ deſcribit Alex.niſi quòd iubet Meſue conficere eas cum ſucco cynogloſſę, & Alex.cum aqua in qua opium diſſolutum ſit.

Pilulæ de ſerapino.

Sagapenon,ut inter ſimplicia ſcripſi,Galen.nõ habet pro purgatorio,ſicuti nec opopanacem. Sataragi.)Vt ſuprà lepidion. Harmel.)Ruta ſylueſtris.

Pilulæ de bdellio maiores.

Pilulę iſtę omnes quæ de bdellio dicuntur,ualẽt profuſioni ſanguinis ex ano,non autem his quas hæmorroidas cæcas uocant. Venarum aduſtarum.) Accipe uel cortices auellanarum aduſtos,uel radicem aliquam ſtypticam aduſtam.Vltimæ efficaciſsimæ ſunt non ſolũ in fluxu ſanguinis per ani uenas,ſed & in menſtruo ſuperfluente,& per os exeunte.

Pilulæ de colocynthida.

Hæc in uſu non ſunt:eas tamen ſi quis parare uoluerit,pro albo naſturtio thlaſpi accipiat.

Pilulæ de opopanaco.

Nec hæ in communi uſu ſunt:efficaces tamen in articulorum doloribus à pituita factis.

Pilulæ de hermodactylis.

Maiores ubiq;,minores in multis locis parantur,tertiæ nullibi.

Harmel.)Accipe ſylueſtrem rutam:

Pilulæ ſebeliæ.

Parari aſſueuerant,ſed nullus ferè utebatur.

DISTINCTIO VNDECIMA.

Vnguenti & emplaſtri nomine,ſed & ceroti, aliter antiqui,aliter neoterici uſi ſunt.Illi enim unguẽta ea dũtaxat uocabant, quæ ex odoratis rebus cõficiebantur: emplaſtra,quæ ex metallicis:cerota,quæ ex oleo & cera.Neotericis unguenti nomen ad antiquorum emplaſtra & cerota extenditur,cerota ea ſolum uocãtes,quæ ita cuti hærent,ut uix auelli poſsint:quæ ab hærendi ui à Galeno ἐγκόλλα dicta ſunt. Emplaſtra uero neoterici, quæ antiqui cataplaſmata,nominant.

DE VNGVENTIS ET EMPLASTRIS.

Hyſopi cerotum deſcriptione Galeni.

Oeſypum uocant Græci,neutro uel maſculino genere,pingue illud quod ouium lanis adhæret. Terebinthinæ.)Vera hactenus caruimus:ſed eius loco imperiti accipiebant lariceam reſinam,quam Venetijs adhuc largatum,quaſi laricatum uocãt.Cœpit uera nuper adportari ex Rhodo,ſed cocta.

Operatio hyſopi humidæ.

Alium modum colligendi,nõ magnopere tamen ab hoc diuerſum habes à Dioſcoride libro ſecundo.

Hyſopi cerotum deſcriptione Philagrij.

Eſt fortius quàm primum & magis potens ad emolliendum,quare idoneum eſt ad tollendas eas durities quæ à morbo Gallico fiunt: adiectis etiam interdum quibuſdam potentioribus,& magna cogente neceſsitate cinnabari.

Hyſopi cerotum deſcriptione Pauli.

Apud Paulum hanc compoſitionem non legi, ſed aliam longe diuerſam. Sigiæ.) Styracem ego potius caperẽ,licet aliqui myrrhã intelligãt,quæ ſtacte dicitur.

Vnguentum diaphœnicon.

Adipis zirbi.)Aliqui legunt cerui. Calchotar.) Chalcanthi nunc accipitur,quod uitriolum uocant,quia & ex his multa deperdita ſunt noſtrorum ignauia. Auicẽ. habet hoc loco chalchadis,quod ſignificat chalcitim:ſicuti & Galen.1.lib.de compoſ med. ſecundum genera: ex cuius lectione multa potes caſtigare quæ hic perperam leguntur.Vbi ſcribitur,Ignis autem ſicuti primę,legendum eſt,Ignis autem ſit prunæ.

Vnguentum diaphœnicon Arabica deſcriptione.

Cheiri.)Id eſt,leucoij,matronalis uiolę.Pro triafilon, fortè legendum trifolium acidum,quod alleluya uocãt. Nam ingreditur etiam aliud unguentum, quod uiridę uocatur.Vel intellige loton domeſticam,de qua Auicẽ. ſcribit cap.de Andacoca,& quam etiam Paulus uocari ſcribit trifolium.Aliſam uero intellige,uel quam Dioſcorid.uocat alyſſon,& Auicen.alguaſen: uel lege aliſma, quod eſt uirga paſtoris ſecundum Stephanum. Quidã pro hac etiam legunt trifolij acidi. Calchadis.) Id eſt, chalciteos. Acori.) Non memini me legiſſe compoſitionem,in qua hæc folia reciperentur, quare ſuſpicor hic ſubeſſe errorem.

Emplaſtrum Arabicum.

Ex folijs herbarũ earundẽ.)Leucoij ſcilicet & trifolij.

Emplaſtrum relatum ad Nicodemum.

Quidam chirurgi hoc utuntur in antiquis ulceribus, addito uitriolo.Valet etiam fiſtulis.

Vnguentum aliud Nicodemi.

Hoc ceu liquidiore poſſunt in eodem uſu tingi linamenta,quæ intra ulcus dantur.

Vnguentum ceraſeos.

Vim habet molliendi,mundandi,& glutinandi. Paruum uero maiorem uim habet in carne gignenda.

Vnguentum arthanitæ magnum.

Vidi magnam utilitatẽ ſequutã ex hoc in aqua intercute. Paruum.)Magnã uim habet in liene minuendo.

Et ſucci cauenizich.)In capite de Harta,ubi etiam deſcribitur hoc unguentũ,nõ ponitur hæc res,uel aliquid eius loco. Nec bene, præterquàm diuinando,inueniri poteſt quid ſit: niſi fortè legendum ſit carmezich, quo fructus Tamariſci intelligitur. In quibuſdam co-

dicibus

dicibus legitur chamæactes,& placet ea lectio.

Vnguentum de lino.

Panni linei solituim habent exiccandi ulcera, ita ut cum his quidam curent uulnera recentia, additis tamen quibusdam cautionibus.

Vnguentum altaranhel.

Taranhel.) intellige uel cantharides, uel campas, uel pityocampas, uel buprestes.

Vnguentum rosatum, & unguentum uiolatum.

Docet Dioscorides odorare adipes ex quo modo hæc manarunt: sicuti & uocata pomata, si addatur opium, erunt efficacia in doloribus mitigãdis & somno prouocando.

Vnguentum de papauere.

Hoc quoque est ualde efficax ad somnum, & ad arcendos dolores.

Vnguentum basilicon.

Quomodo ualet uulneribus in quibus est calefactio, cum sit calidum? Puto deesse negationem, & legendum, non est calefactio: & sic etiam scripsit Auicenna. Basilicon Pauli recipit, ceram Colophoniam, picem, adipem taurinum, æqualia.

Cerotum de sandalis.

Satis suspicor ne multum uergat ad calidum: siquidem sandali calidi esse uidentur, ut suprà dictum est, & camphora. Spodij.) Sumunt moderni pro spodio antispodium ex ambustis cannis: quod certe uel calidum absolute est, uel partes multas calidas habet, Auicenna etiam teste.

Cerotum Galeni.

Vltimum in infrigidatione.) Vltimum intelligendum non in gradu seu ordine, sed in modica & absque noxa infrigidatione. Galenus dixit simplicissimum inter infrigidantia & humectantia, & eo utebatur in erysipelatibus & phlegmonis pudendorum ab initio.

Ceræ albæ.) Pontica optima abluta. Olei rosati uncias quatuor.) Vel tres. Oleum omphacinum.) Optimum est autem exacte tenuium partium, ut Sabinum.

Aquæ fontium.) Galenus: misceantur & simul liquentur in uase duplici, & fiat humidum cerotum. Infrigidato ceroto inspergatur tantum aquæ frigidæ paulatim in mortario, quantum potest suscipere ut mollificetur. Satis autem infrigidabis cerotum ubi primum fuerint mediocriter coagulata, infundens totum uas in aquam frigidissimam. Cum aceto albo.) Si miscueris parum aceti satis tenuis & splendidi, magis humidum & frigidum facies pharmacum. Nec debes pharmacum tandiu dimittere supra corpus, donec calefiat, sed continuò mutare, quod pauci hoc tempore aduertunt. Vide Galenum decimo Methodi.

Vnguentum de Bdellio.

Validum certe est hoc, & potens ad discutiendum & emolliendum.

Vnguentum ualens similiter.

Potentius est hoc quàm pręcedens. Cauendum tamẽ ne discussa tenuiore materia, residuum indurescat. Rhodinum tamen eius uim minuit.

Vnguentum Philagrios.

Glutinis alimbac.) Id est terminthi. Sigiæ.) Tel Styracis liquidi, uel purioris myrrhæ: sed primum magis hoc loco probo.

Vnguentum aureum.

Resinæ colophoniæ.) Vel totum simul coniunctim pro una re intellige, uel per resinam, pineam: per colophoniam, eam quæ ex Colophone adfertur.

Vnguentum de Cerussa.

Merdasengi.) Id est, lithargyri. Scorię argenti.) Spurcitia in omni metallo sic uocatur: sed argentea uocatur helcysma à Dioscoride. Argenti uiui.) Vbi argentum uiuum tractas, caue ne membra principalia eius uim persentiant. Ziniar.) Id est, æris æruginem.

Vnguentum sericinum.

Hoc neminem uidi utentem: ualidum tamen puto, atq; longe ualidius si sericum ureretur.

Vnguentum Aegyptiacum.

Hoc in frequenti usu est uulnerariis medicis, soléntq; unguentum de melle appellare. Floris æris.) Sunt ueluti milii squamæ sponte ab ære cadentes, quum panes æris aqua refrigerantur.

Vnguentum tripharmacum.

Hoc quoq; frequentissimum est, & uocant expertum. Triti sicut alcohol.) Id est, subtilissime. Galen. primo de medic. compos. secundum genera, hoc dupliciter parari docet, per hydrelæon uidelicet, & oxelęon. Addit & tertiumper œnelæon. Docet quoq; ibidem usum crudi lithargyri.

Vnguentum tripharmacum aliud.

Hoc coctum uocant, & in eundẽ usum habent priori splenio superpositum.

Vnguentum Alfesiricon.

Relatum ad Alexãdrum.) Pro Climia, Cadmia intelligenda, de qua Diosco. Per alfesiricon intellige psoricon, de quo statim. Oleum de oleandro.) Nerion uocatur à Dioscoride, sosandrium à Latinis, ut ipsemet dicit: alii rhododendron.

Confectio Alfesiricon.

Psoricon.) Græcè dicitur, & secundum Dioscor. recipit chalciteos p.2. cadmiæ p.1. & teruntur cum aceto. Iuxta Galen. chalciti partes duas, lithargyri unam.

Confectio unguenti sanans &c.

Hoc nullibi uidi parari: putarim tamen non inutile.

Hyssopi cerotum.

Hoc facilius parari potest quàm huius generis alia, nec erit minus utile.

Cerotum Galeni.

Quomodo in aqua rosarum, si Galeni, quum eius tẽpore non fuerint inuentæ nostræ hæ aquæ? Potes decoctum intelligere. Cerotum tamen Galeni quo assidue utebatur, describitur ab eo libro octauo de compos. medic. secundum loca. & à Paulo hoc modo: Ceræ albæ unciam unã, uel in æstate drachmas septem, aloës, mastiches drachmam unam, olei omphacini, uel melini, uel nardini, quantum sufficit. Si uero pluri egent stypsi, adde omphacij drachmam unam, aut absinthij, & tertium cum his hypocistidos & œnantes, & rhu, id est, sumachi succum.

Cerotum diapente.

Hoc formam habebit cerati recentiorum, si exiguum quid addatur irini olei, si plus, cerotum fiet antiquorũ.

Sigiæ.) Id est, styracis, ut superius dictum est. Glutinis zanaham.) Fortè gummi hederæ.

Cerotum Alexandrinum.

Storacis calamitæ.) Styracen calamiten uocat Galen. eum qui intra calamos ferebatur: nũc desijt ferri, sed loco eius habemus siccum uocatum.

Cerotum aliud eiusdem.

Hoc si bene paretur, ualde idoneum erit ad duros tumores, & præcipue Gallicos, articulorúmque dolores. De naphtha habes apud Dioscoridem cap. de asphalto.

Cerotum Andromachi.

Olei de been.) Id est, balaninum, ut suprà, nec paratur, nec parari recte potest.

Emplastrum Diaquilon.

Diachylon dici debet, sicuti & quæ sequuntur, à succis quæ recipiunt, quas mucilagines recentiores uocãt. Istud est Auicẽnæ ferme ad literam. Describitur & à Galeno iuxta Democritum, sed oleum sedecuplum est ad lithargyrum tempore hyemis, æstate sesquisextum lithargyri ad althæam duplum. Paulus scribit aliud emplastrum διαχύλου, hoc modo: Lithargyri libras sex, olei æstate libras septem, hyeme 8. seminis fœnugræci ξέστην semis, seminis althææ libras 3. bulliant semina fœnugręci & althææ in xestis uiginti aquæ, donec remaneant libræ quatuor, pòst misceas oleum, bulliántque donec cessent ampullæ: deinde inspergens lithargyrum coque lento igne. In Galeno legimus sextarios octo aquæ.

Diachylon inuentum à Menecrate recipit, Lithargyri auri libras duas, axungiæ antiquæ libras quatuor, olei antiqui libras quindecim: addit aliquando libram unã radicis althææ.

Emplastron diachylon magnum.

Operosius est quàm præcedens. Diachylon paruum.) Hoc minus calidum.

Emplastrum de granis lauri.

Inuenitur mirabile ad hydropisin.) Erit quoque ad multa alia utile, præcipue ad inflationes discutiendas.

Emplastrum ad stomachum & hepar.

Cauendum æstate, & in temperatura biliosa.

Emplastrum de Gallia.

Duo hæc de Gallia nuncupata efficaciter adstringerent, simul & roborarent, si recte pararentur. Tortellarum de seni.) Id est, panis bis cocti.

Empla-

Emplaſtrum aliud de Gallia.

Sauich.) Latine polenta, Græce ἄλφιτα.

Emplaſtrum relatum ad Andromachum.

In doloribus Gallicis eſt ualde efficax. Auripigmenti rubei.) Dioſcorides ſandarachæ. Et citrini.) Id eſt, arſenici naturalis, non factitij: nunc auripigmentum uocant primum: ſecundũ non facile inuenias. Iameni.) Id eſt, quod Græci ſchiſton, Latini ſciſſum, uulgò plumacium, uel de pluma.

Emplaſtrum aliud Andromachi.

Vicem habet cauterij, ſicut & alia permulta per chymicam artem inuēta. Tribus horis.) Cautè agat medicus ubi admouet huiuſcemodi urentia, crebróq; locum inſpiciat. Vidi ego quandoque ex minore quàm trium horarum mora, difficilima facta ulcera, cum patientis damno, & agentis uerecundia.

Emplaſtrum ſinapiſmũ deſcriptione Democriti.

Sinapiſmi creber apud antiquos uſus ad materiam longioribus in affectibus extrorſum euocãdam. Ad uenam ſciaticã &c.) Archigenes in uetuſtis fere omnibus. Sit ſinapis pars una, & ficuum alia.) Si mediocri eges ſinapiſmo: ſi imbecilli, pone ficuũ p.2. ſinapis p.1. Syriacũ & Aegyptiũ ſinapi præfert Paul. Schibalæ.) Caprinũ uidelicet ſtercus. ſunt expeditiores ſinapi, propriè autē ſunt iſchiadicorum. In corporibus bonis boni ſenſus, & quorum in cute languor nõ eſt, panis loco ficuũ cõgrue apponitur. Fimo columbarũ agreſtiũ.) Hoc ſe crebrò uſum ait Aëtius: apponitur autem ſtomacho & uentri in longis eorũ affectionibus. Valet præcipue iſchiadicis & podagricis, & omni membro reſoluto, uel aliter refrigerato, in lethargicis & alijs deſipientijs. Valet etiã ſecundũ Pau. epileptiæ, uertigini, maniæ, ſi capiti apponatur: ſin thoraci, aſthmati, orthopnœæ, tuſsi antiquæ, catarrho antiquo: ſi utriq;, capiti uidelicet & pectori. Sinapi antè aceto infuſum, ut quidam faciunt, debilius facit ſinapiſmnm: ubi abſtuleris, ablue: & ſi dolor ſit magnus & bullę, appone cum linteo ſuccum maluæ uel fœnugræci, & pòſt roſaceum cerotum cum ceruſſa. In reſolutis qui non ſentiunt, crebrò detergere & reſpicere oportet ne immodicè agas.

Emplaſtrum de fermento.

Fauſel.) Auellana Inda, uel alia res Indica, de qua Simon Genuenſis. Sieff memithe.) Glaucium à Græcis uocatur. Et rumpit apoſtemata.) Tumores præter naturam qui diſcuti nequeunt, ad ſuppurationem ducit. Dubeleth.) Eos ſcilicet qui iam ſuppurati, rumpit.

Baurach.) Nitrum, naturale tamen, non factitium. Paulus ad rumpenda apoſtemata: Fermenti, axungiæ uncias quinque, ſalis uncias quatuor, reſinæ pini uncias tres, ceræ uncias quatuor, aphronitri unciam unam, ammoniaci uncias duas, mellis uncias ſex, ſaponis uncias duas, quod efficax certe eſt in his qui ferrum pauent.

Emplaſtrum filij Zachariæ.

Emollit, ſed non eſt ualde potens, niſi omnia addantur quæ hic ſcribuntur. Glutini zanahan.) Intellige ut ſuprà.

Emplaſtrum diaphœnicon ad ſtomachum.

Calidius eſt quàm id quod ſequitur, & ideo antiqui noſtri uocabant calidum.

Emplaſtrum diaphœnicon Alexandri.

Hoc uocabãt noſtri patres frigidum. Aliſtimbre.) Id eſt, concoctionis.

Emplaſtrum Alexandri.

Hoc uim habet diſcutiendi, ſimul & molliendi.

Emplaſtrum relatum ad Ariſtarchum.

Hoc efficaciam maiorem habet quàm id quod præceſsit, in molliendo & diſcutiendo.

Emplaſtrum Oribaſij.

Conficæ.) Id eſt, laudani. Cuſcutę.) Vel error hic eſt, uel non eſt Oribaſij: ſiquidem eius tempore Cuſcutæ uox ignorabatur.

Emplaſtrum Oribaſij aliud.

Si cum aceto ſcillitico cõponatur, maiorem uim habet molliendi: ſi cum ſucco apij, diſcutiendi.

Emplaſtrum de meliloto.

Vera meliloto caremus, ex qua ſi componeretur, longe excellentius eſſet. Sed nec cum uulgari paratum uiribus caret: diſcutit enim, emollit, & inflationem aufert. Paul. τὸ διὰ μελιλώτου, croci, nardi celticæ, cyperi, cardamomi, myrrhę ana drachmas duas, meliloti libram unam, ceræ libras tres, terebinthinæ libram unam, cyprini olei libras tres, gleucini libras duas, bdellij uncias ſex. Aliqui & cypheos uncias duas, uini quantum ſufficit. Galenus lib.8. de compoſ. medic. ſecundum genera, addit ammoniacum & acetum, & in ponderibus differt.

Mixtura ad uulnera ſananda.

Gariophyllata herba eſt nunc uulgò nota, neſcientibus tamen quo nomine apud antiquos uocaretur. Dubitaui aliquando, an eſſet rhodia: nunc ab ea ſententia in totũ receſsi. Herbæ ueteris.) Si legitur uitri, parietariam intellige: ſi uenti, cotyledon, quę & cymbalaria.

Caulis tenerarum rubei.) Si omnia hæc ſimul legantur, braſsicæ rubræ caules intellige: ſi ſeorſum, duas res accipe, braſsicam uidelicet & rubum. Commendatur in hoc caſu utrumque, braſsica uidelicet, & præcipue rubra, & rubus. Neſcio tamen quo caſu hæc mixtura in hunc locum irrepſerit, ſiquidem potus eſt, non emplaſtrum. Ad eius exemplum formantur infinitæ penè eius generis potiones, ad uulnera noua & antiqua ſummè utiles, quas ego non ſemel expertus ſum, curauique cum ſolis eis peſsima & deſperata ulcera.

Vnguenta duo palmea non ualde differunt à duobus quæ ſuprà diaphœnicon uocata ſunt. Et loco palmæ, ego quandoque accepi ramum quercus, & parari feci, atq; utile admodum inueni. In primo cuſtoditur proportio ipſius Galeni libro primo de medicamẽtorum compoſitione ſecundum genera.

Vnguentum expertum ad ſcabiem.

Potens eſt. Sed caue ne ob argentum uiuum attingat propè membra principalia, addéq; maſtichen.

## DISTINCTIO DVODECIMA.

### De *oleis*.

Oleum dum abſolute legis, oliuarum intellige, & nouum, quod etiam uim rerum in eo madentium facile ſuſcipit, & ita ſecundum genus à Meſue ſcriptum conſtituit. Tertium inter omnia efficaciſsimum, pauci norunt elicere, ſed hi tantum qui artem chymicen uocatam callent. Hi enim ſunt de quibus Meſue dicit, quòd uires quæ ſunt in concreto, id eſt, in compoſito occultæ, manifeſtas faciunt. Hos, chymiſtas ſcilicet, monet ut conſulamus. Primum & ſecundum genus omnes parare ſciunt.

Oleum de amygdalis dulcibus.

Paulus: Quidã contũdentes ℥.2. amygdalarũ, ponunt in ſextario vno olei dulcis, & coquunt in duplici uaſe. Fit autem ex amaris, non ex dulcibus, etiam ſecundum Paulum Aeginetam. Quidã metopion dicunt, ait Dioſcorides: de eo tamen loquens, quod fit ex amaris: nam de hoc non ſcribit. Modus operationis alius.) Modus hic ſimilis eſt ei quem docet Dioſcorides. Et fun, datur deſuper aqua calida.) Dioſcorides pro octo ſextarijs amygdalarum, addit cotylas duas aquæ, & dimittit per ſemihoram: factáque maiore attritione iterum apponit cotylam aquæ. Zainari.) Torcular intellige.

Oleum de amygdalis amaris.

Dioſcorides: Facit ad uteri dolores, præfocationes, euerſiones, & inflammationes cephalalgiæ, nephriticis, difficulter mingentibus, & calculoſis, aſthmaticis, lienoſis, rugas & ephelidas faciei cum melle & lilij radice, cyprino uel rhodino ceroto emendat &c.

Oleum de nucibus.

Καρυινὸν eandem uim habet balanino, de quo inferius Dioſcorides.

Oleum de auellanis.

Non ualde differt ab oleo nucum. Bibitur autem utiliter in articularibus morbis.

Oleum de chryſomelis.

Sic uocant, quæ Græci Armeniaca, & Latini præcocia: ex quorum nucleis hoc oleum paratur, qui ſunt & dulces & amari, ſicuti amygdalarum, nec uiribus multum ab illis euariant.

Oleum de Perſicis.

Valet etiam & potum & iniunctum in renum affectibus, uerméſq; & interficit & educit.

Oleum de been.

Balaninum dictum, uentrem purgat. Surditati.) Dioſcorides cum adipe anſeris, ſed ſtomachum lædit. Cicinũ ualet achoribus, ſcabiei, phlegmonæ, ſedi, clauſo utero, cicatricibus, dolori auris, uermibus, & aquoſis humoribus, per os ſumptum.

Oleum de cherua.

Græci uocant cicinum. Valet achoribus, ſcabiei, ſedis inflammationibus, uteri euerſionibus, & occluſionibus, fœdis cicatricibus, atq; aurium doloribus.

Oleum de cartamo.

Dioſcorides cnicelæum uocat: ualétque idem, dicit, quod cocci gnidij, ſed eſſe imbecillius.

Oleum de nuce Indica.

Huius non meminerunt Græci. Valere nunc creditur conceptui.

Oleum de ceraſis.

Mirabile eſſe dicitur in renum doloribus & calculo.

Oleum almahaleb.

Quidam dicunt eſſe ceraſum ſyluestre. Conficienda utraq; ex nucleis.

Oleum de granis citri.

Valet in peſtilẽtia, & uermes interficit potum & inunctum.

Oleum de fiſticis.

Piſtacia Græci uocant. Stomacho tamen nocet.) Hoc non credo.

Oleum laurinum.

Daphninon. Confert neruis lęſis.) Omnibus etiam eorũ affectibus. Dioſcorides ei uim tribuit calfactoriã, apertoriam, mollificatiuam, ſolutiuam dolorum, horroribus qui fiunt in febribus, auris dolori, catarrhis. Purum fit ex granis ipſis puris: cõmixtum accipit tantũdem oliuarum maturarum. Confert dolori ſtomachi, & dolori colico, & renum.) A frigiditate ſcilicet factis & inflatione.

Oleum de granis uiridibus.

Id eſt, de fructibus Terebinthi.

Oleum de ſtincho.

Pro ſtincho credo legendum ſchino. Eſt autem σχῖνος lentiſcus, ex cuius fructu fieri oleũ docet Dioſcorides, ſanaréq; ſcabiem iumentorum & canum, ſiſtere ſudorem, miſceri peſsis, acopis, & his quæ ad lepram communiter proſunt. Conueniunt tamen remedia Meſue potius maſtichino.

Oleum de balſamo.

Lõgitudine unius cubiti, ſimilis rutæ agreſtis.) Dioſcorides magnitudine leucoij, folio rutæ ſimili, albiore. Scalpellatio.) Dioſcorides, cum unguibus ferreis, diebus canicularibus. Et quandoque ego in oleo antiquo madere facio lignum & fructum balſami integrã diem, extrahíq; deinde per chymicam artem oleum, & adſeruari ceu opon balſami ad multiplices uſus. Modum tamen à Meſue ultimo ſcriptum ualde etiã probo.

Oleum de granis ſeſami.

Vox barbara altachine eſt: credo debere fieri ueluti panes, uel quòd non fiat perfecta mollitura. Seſaminon, ait Paulus, fit contuſis & expreſsis, uel inſperſis aqua calida, ſeſami granis.

Oleum de ſemine lini.

Vbiq; præparatur, quia uidelicet ad alios uſus quàm medicinæ accommodatur. Quidam dederunt pleuriticis, nec ſine utilitate.

Oleum de granis papaueris.

Et ſahare.) Id eſt, uigiliæ. Hoc aliquando uidi paratum, ſed ex lactucis ſemine nullibi. Vtrunq; tamen utile putauerim & introrſum & extrorſum, in ſomno ciendo, & doloribus, præcipue qui cum morſu fiunt, mitigandis.

Oleum de ſemine cucurbitæ, citrulli, & cucumeris.

Iuſsi hæc parari pro lotij ardore mitigãdo. Ex multis alijs.) Vt ex ſemine hyoſcyami, raphani, melanthij, ſinapis, cannabis. Fiunt autẽ olea per.) Secunda pars, ubi alius modus docetur faciendi olea, ab initio à Meſue propoſitus. Paul. appellat hæc olea μυρώδη, id eſt, unguentaria: quorum quædam dicit ſimplicia, quædam compoſita.

Oleum roſarum completum.

Folia roſarum.) Exungulata. Quantitatem ſufficiẽtem.) Græci determinãt quãtitatem, ſed puto modum Arabum meliorem. Paulus ſic cõſtruit: Roſarum rubearum exungulatarum per diem unam naturalem exiccatarum ʒ.3. olei omphacini ſextarium unum: obſtrue diligenter uas ne expiret, expone ſoli per quadraginta dies, reponéq; non ſuper pauimento, ſed tabula. Alij non ſoli exponunt, ſed in puteo ponũt; alij fodiunt ſub terra quadraginta dies,

Oleum chamæmelinum.

Prohibet febres, ut Galenus teſtatur. Propter ſtypticitatem.) Galenus ei uim laxandi, non adſtringendi adſcribit. Paulus ſumit florum abſq; albo, per naturalẽ diem ſiccatorum uncias duas pro ſextario uno italico, & tegit uas linteo ſimplici ut tranſpiret, & exponit ſoli per quadraginta dies, pòſt bene obturato uaſe reponit. Vbi non habes flores uirides, potes facere ex ſiccis, & coquere in uaſe duplici, ſed erit debilius.

Oleum uiolatum.

Iaton uocat Paulus, conficíq; dicit uel ex purpureis, uel ex croceis, uel leucoio. Et modus operationis ut roſati: non tamen tandiu in ſole morari debet, ſecundum Paulum, ſed dies tantũ decem, mutandáſq; dicit ter uiolas, exactéq; claudendum uas ne tranſpiret, addẽdáſq; demum ſiccas uiolas.

Oleum Anethinum.

Eſt ſedatiuum dolorum.) Dioſcorides articulorum. Dioſcorides pro lib. 8. & ʒ.9. olei, ponit florum lib. 11. ʒ.8. exponit ſoli diem unum, deinde exprimit & reponit. Ego tamen non uideo quo pacto olei illa menſura tot florum ſit capax, præſertim quum Paulus accipiat comæ ſiccatæ per unum diem unciam unam pro ſextario. Reſoluit apoſtemata.) Mollificat & reſerat uterum, inquit Dioſcorides. Modus operationis.) Poteſt parari cum anetho ſicco.

Oleum de Lilio.

Κρίνινον, alij σούσινον σύνθετον, hoc eſt compoſitum, ſic cõficit Paulus: Olei ſext. 3. calami aromatici libras quinq;, myrrhæ ʒ.5. cardamomi libras tres, πετάλων lilij exungulatorum, & diem unum expanſorum libras decem, cinnamomi ʒ.3. croci ʒ.5. Primò infunde in uino myrrham & calamum per dies quinq;, mouẽdo ter in die, pòſt coque cum oleo, donec uinum ferè conſumptum ſit. Secundò cardamomum aqua infunditur, & ter in die mouetur, & ſimiliter coquitur per horam unã cum oleo. Poſtea auferentes cardamomum, oleo puro imponimus tertiam partem liliorum, & poſt tres dies priore ablata, addatur alia tertia liliorum pars: & interim poſt tres dies hac amota, additur ultima tertia pars cum croco reſoluto, & poſt tres dies oleo puro addimus cinnamomum contuſum, & reponitur. Idem Paulus in compoſitione ſimplicis ſuſini accipit ʒ. 2. foliorum, & ſextarium olei, ut in rhodino, & exacte obturat ut non reſpiret, pérque tres dies exponit ſoli: abiectis dehinc folijs alias uncias duas apponit, & iterũ exponit ſoli per alias tres dies.

Oleum Irinum.

In hunc modum cõmuniter parant. Aliud uide apud Dioſcoridem, quod certè magnarum eſſet uirium, ſi bene pararetur.

Oleum Sambucinum.

Vidi ex floribus concinnatum, utile in doloribus ſedandis: alij ex medio cortice conficiunt, quo ad ambuſta utuntur.

Oleum de Cheiri.

Paulus accipit uncias tres exungulatarũ pro ſextario uno olei, obturat exactè, exponit ſoli per decẽ dies, & ter mutat: & ubi reponendum eſt, addit alias bene ſiccas, ut in uiolato dictum eſt.

Oleum de Papauere.

Si ex nigro fiat, erit longe in ſtupefaciẽdo efficacius.

Oleum de Lactuca.

Eſt longe debilius oleo papauerino, utile tamen.

Oleum de Meliloto.

Si ueram meliloton haberemus, præſtantiſsimum ex ea oleum conficeretur.

Oleum de Nenufare.

Eſt potẽtius oleo uiolaceo, præcipue in ueneris tentigine prohibenda, inunctis ex eo genitalibus. Nymphæa Latine dicitur.

Oleum de cucurbita.

Videtur ſatis ſimile pręcedẽti, tamẽ hoc eſt humidius.

Oleum de cytoniis.

Magni uſus eſt hoc in uẽtris fluxibus. Vide aliam pulchriorẽ præparationẽ apud Dioſc. Paulus melinon appellat, & in hũc modũ cõponit: Cydoniorũ bene deterſorũ, & cũ ſuis corticibus inciſorũ accipit ʒ. 3. olei omphacini ſextariũ unũ, exponit ſoli diebus quadraginta.

Oleum myrtinum.

Et hoc utimur in uentris fluxibus: uehementer enim exiccat.

Oleum

Oleum de pomis rabiolæ.

Hoc non paramus, quia pomis illis caremus: ualde tamen potens esset in doloribus per stuporem sedādis.

Oleum de enula.

Si secundo modo conficiatur, erit in his, quæ Mesue dicit, ualde efficax.

Oleum de cinnamomo.

Vide eius elegantem præparationem apud Dioscor. quam tamen facere non possumus, quum uero cinnamomo careamus. Sed si etiam cum uulgari paretur, erit satis utile.

Oleum de sauina.

Efficaciam habet in Gallicis doloribus: sed & in cutis defœdationibus, etiam si ex solo paretur.

Oleum de ruta.

Potenter inflationem discutit: efficacius tamen erit, si ex ruta sicca ter vel quater permutata conficiatur.

Oleum de pulegio.

In ciendis mensibus magnam uim habet.

Oleum nardinum.

Dioscorides dicit maiori ex parte misceri in præparatione eius oleo balanino uel omphacino, ad adstrictionem scinoti: ad bonum odorem, costum, amomum, nardum, myrrham, balsamum. Secundus & tertius modus Mesue nobile construerent, si quæ ingrediuntur haberi possent.

Oleum mastichinum.

Μαστίχινον ἁπλούστατον & ποικιλώτερον conficit Paulus, simplicissimum scilicet & magis uarium. Vltimum accipit olei sext. 50. libr. heleniȷ 5. xylobalsami libr. 10. schœnoanthus libr. 5. cardamomi libr. 7. mastiches libr. 5. xylomastiches libr. 8. terebinthinæ libras tres, comæ absinthiȷ libram unam, uini odorati sextarios quinque, aquæ sextarios decem. Res siccæ in uino madefiant per tres dies, misceantur oleo, & aqua, & coquantur horas sex, & tunc mastiche & terebinthina additur, & exacte commixta & infrigidata depurantur. In simplicissimo, pro oleo sesamino Paulus accipit omphacinum, & non nisi unciam unam mastiches: dicitque aliquos addere absinthiȷ & styracis ana unciam unam. Chist.) Græce ξέστην, & est duarum cotylarum.

Oleum de storace.

Valet & scabiei, præcipue addita octaua parte ellebori albi.

Oleum costinum.

Vtile est in uehementi rigore, uera tamen costi radice caremus.

Oleum de alcanna.

Cyprinon dicitur à Paulo: quod enim Arabes alcanna, Græci cyprum uocant. Posidonius sic parat, ait Paul. Sext. unum cyperi, heleniȷ, ireos, ana libram vnam, sampsuchi, hyssopi, seminis agni, saluiæ, pulegiȷ, ana omnium ℥. 3. florum cypri libram. Alia omnia præinfusa uino per diem unum, coque sex horas cum oleo, quæ ubi amoueris, oleo pura cyprus immittitur, siquidem adsit uiridis, mollibus ramusculis non præcisis: si non, sicca contrita, & cum pauca aqua per sesquihoram coquatur, si uis ut tingat. Vbi ablata ab igne est, adde æruginis puræ libram unam semis. Posidonius tamen acredinem æruginis fugiens, tribus, ait, post concoctionem diebus mitte oleum in uas quod purum sit, tingetúrque illæsa eius ui. Aliud idem Paulus in hunc modum conficit: Foliorum cypri, foliorum lauri, ireos, cyperi, saluiæ, ana uncias tres, dendrolibani, aristolochiæ longæ, agni casti uncias quatuor, heleniȷ, aspalathi ℥. 6. rutæ & cupressi ana drach. duas, olei sextarios decem. Vbi hæc prius uino perfuderis, cum oleo coquito: & extrahens, adde rursus xylobalsami, xylocassiæ uncias quatuor, sampsuchi, cumini, myrti, styracis, mastiches uncias tres, opopanacis drachmas duas, florum cypri uncias sex, æruginis unciam unam.

Oleum de sampsucho.

Si ter quatérque comæ sampsuchi permutentur, & in uase duplici oleum coquatur, bene odoratum erit, & sternutamenta leniter ciebit.

Oleum de Mezereon.

Quid per mezereon intelligendum, inter simplicia declaratum est. Habet hoc oleum magnam uim, præter ea quæ à Mesue dicuntur, in aluo lenienda, si umbilico admoueatur.

Oleum de alhasech.

Auicenna uocat oleum de hasce, quod est thymus: triplicique modo componit, non magnopere ab his qui à Mesue scribuntur diuerso.

Oleum de cucumere asinino.

Sicyonium uocat Paulus: quod aliud tamen est ab Sicyonio à Dioscoride inter alba olea descripto. Hoc uero duplici modo construere docet ipse Paulus. Simpliciter quidem hoc pacto: Radicis syluestris cucumeris uncias duas, olei sextarium unum: coque in uase duplici. Compositum hoc pacto: Radicis cucumeris syluestris abrasæ libram unam, olei sextarios decem, serpylli, meliloti ana uncias sex, dadon piceæ pinguium, althææ ana ℥. 5. scolopendriȷ ℥. 6. fœnugræci sextarios duos. Fœnugræcum infunditur in aqua per diem unum, postea extrahitur, & cum his quæ dicta sunt, & oleo, duobus uini sextariȷs additis, infunditur. Et ubi omnia cocta sint, addito medullæ ceruæ cum pauco oleo solutæ uncias quatuor, adipis gallinæ ℥. 4. & rursus oleum extractum reponitur. Quidam exponunt soli postquam coctum fuerit dies xl.

Sicyonium aliud efficacius: Succi elateriȷ sextarios tres, aristolochiæ longæ & rotundæ, styracis, heleniȷ, hyssopi, ireos, colocynthidos, pulegiȷ, origani, cyperi, dendrolibani, cētauriȷ, foliorum lauri ana uncias duas, olei sextarios quinque: miscens coque donec parum succi relinquatur.

Oleum de pomis citranguli.

Citria uocant. Est autem fructus mali Medicæ uel Assyriæ. Et sint proprie antiqua.) Credo illum intelligere dudū ab arbore amota, uel bene matura. Nā semper in arbore inuenies flores, fructus & paruos & maiores: atque inter hos quosdam uirides, quosdam semiaureos, quosdam penitus aureos, qui antiquiores dicuntur.

Oleum de croco.

Dios. accipit oleum præadstrictum cum calamo, myrrha & cardamomo, deinde apponit crocum. Et uide ab eo, quia alia arte utitur quàm hic. Somnum facit secundum Dioscoridem etiam in phreneticis: si odoretur, aut infricetur naribus, suppurat, purgat ulcera. Dolori matricis.) Dioscorides, clausioni, malignis ulceribus cum cera, croco, medulla, & duplo oleo. A Paulo aliud describitur longe hoc sicuti præstantius, ita & preciosius.

Oleum de piperibus

Iusquiami albi.) Suspicor hic esse mendam. Quid enim operatur hoc loco hyoscyamus, præsertim in tam exigua portione? Hasach humidi.) Id est, thymi, ut credo. Sextaria.) Græce ξέσται. Administretur ubi oportet.) Credo autoris intentionem fuisse, ut etiam biberetur, sicut & nonnulla de quibus sermo habitus est. Auicenna describit hoc sub nomine olei alchechēgi.

Oleum de euphorbio.

Galenus ex solo euphorbio & oleo parat, euphorbium uel augens uel minuens, iuxta maiorem minorémue indigentiam. Vide lib. 2. de compositione medic. secundum loca. Condisi.) Condes uel radicula, nunc paucis nota, quæ & struthion. Auicenna accipit costum, castoreum, calamentum, pyrethrum.

Oleum uulpinum.

Viuam sumit Paulus, & coquit in oleo. Olei antiqui kist 3.) Videntur duæ cotylæ, ut suprà. Est enim mirabile balneum.) Laudant Græci in oleo simplici decoctionis uulpis uiuæ.

Oleum de serpentibus.

Viperas intellige, & elige ut in Theriaca, & abscinde caput & caudam, & ualebit elephantiasi.

Oleum de scorpionibus.

Modus operationis eius alius.) Paratur nunc cum oleo antiquo, additis multis simplicibus medicamentis ad uenena laudatis, éstque mirabile in pestilentia & uenenis omnibus. Scio ego hominem qui hoc solo munitus, sæuissimam quantumuis pestilentiam nihili facit: nec solum seipsum, sed & famulos secum ad uisendos pestilentia affectos accedentes, incolumes conseruat. Scio & ex sola inunctione aliquos liberatos, qui sæuissima biberant uenena.

Oleum de ranis.

Hoc uidi quosdam utentes in podagra: sed in ea nullum magis præsentaneum uidi auxilium & absque periculo, quam ut eam homo æquo animo ferat, expectans Hippocratis terminum. Fiunt autem olea.) Tertius est tractatus qui à recentioribus maiori ex parte

natus est. Qui quæ sunt occulta.) Hoc est chymistæ: hi enim composita in quædam veluti elementa segregant, quorum id quod igni respondet, maximæ est potentiæ.

Oleum de ouis.

Mirum in modum aufert cutis fœditates, & cicatrices, præcipue quæ post ustionem remanserunt: sed difficile est ita parare, ut non uehementer fœteat: minus tamen male olet illud quod per destillationem uel sublimationem fit.

Oleum de frumento.

Et hoc ualde in cutis infectionibus cõducit. Feci ego quandoque parari per descensorium, ut chymistarum uoce utar.

Oleum sinapinum.

Hoc nunquam usus sum. Est autem (ut puto) adeò efficax, ut ad extima trahens, materiam, id est, ruborem, cuti inducat.

Oleum de iunipero.

Hic destillandi modus est, eliciendi à rebus succum quem chymici per descensorium uocant, per quem olea ex lignis uel lignosis rebus extrahuntur. Vidi ego quandoque extrahi ex pineis ad erugandas mulierum cutes. Vsus etiam sum eo quod è ligno Indico Guaiaco uocato, uel, quod melius successit, ex sancto, per eundem modum manauit, in Gallicis uel ulceribus uel doloribus: in quem usum & hoc scilicet ex iunipero factum, non parum conducit. Malo mortuo.) ita uocant recentiores mala quædam ulcera in cruribus præcipue contingentia.

Oleum Fraxini.

Non solum inunctum, sed etiam ebibitum, confert lienicis.

Oleum de Gagatis.

Lapis hic à Dioscoride Gangites dicitur, quo sicuti & multis aliis rebus caremus. Quod uero de dæmoniacis dicitur, superstitiosum est, & à Christiano alienum.

Oleum philosophorum.

Philosophorum, chymistarum uidelicet: de quorum numero cum & ipse esset, ut pluribus ex locis colligi potest, ideo ei placuit hanc partem cum hoc oleo finire, quod & Perfecti magisterii uocauit, illorum loquendi modum sequutus. Vt uero ego scribam quid de hisce rebus sentiam, dicam: ubi opus est uehementer calefacere, & ad intima usque accedere, nullam naturalem rem posse his oleis, per hanc uidelicet artem elicitis conferri, adeò ut etiam uim ignis & æquent & superent. Vidi enim his oculis guttam cuiusdam olei fortuitò cadentem, lectisternia omnia, quæ multiplicia erant, momento penetrasse, & lecti fundum, quod ex asseribus, inussisse. Quod fit à natura.) In montanis Mutinæ, ditioni Alphonsi principis nostri, qui propria uirtute ea loca ab hostibus occupata recuperauit, loco Gybium uocato, liquor certis temporibus manat, oleum montis Gibii uocant, qui ad longinqua loca, non sine magna recte eo utentium utilitate, deportatur. Est enim quoddam subalbidum.) De naphtha, ad quem proculdubio hæc referuntur, scribit Dioscorides, aliam esse albam, aliam nigram. Accipe ex lateribus antiquis.) Albuchasis in libro qui Seruitor dicitur, nouos lateres accipit, quos aqua non tetigerit. Cuius opinioni ego potius adhæreo, quia oleum melius inbibent. In frusta.) Vnius unciæ, ait Albuchasis. Pone in cazola.) Id est, uase uitreo uel uitreato, tertia parte uasis uacua remanente. Cuius ignis sint prunæ.) Primo lenior, dehinc paulatim augeatur, qui tamen attingat fundum uasis. Vsque dum destillet oleum.) Primo enim exibit aqua, deinde oleum, quod per se collige.

ANNOTATIONVM
*Ioannis Manardi in Composita Mesue*
*Finis.*

ILLVS

# NICOLAI MASSAE VENETI, ARTIVM ET MEDICINAE DOCTORIS,

*Epistolæ medicinales & philosophicæ.*

## ILLVSTRISSIMAE, ET SERENISSIMAE, SACRAE REGINAE POLONIAE, D. D. BONAE SFORTIAE Aragonæ, orbis decori & ornamento, Nicolaus Massa salutē plurimam, Nestoreámq; uitam & fœlicitatem exoptat.



*ONSVEVERVNT maiores nostri, Regina illustrißima, quod posteritati tradebāt, id suorū temporū principis alicuius patrocinio magnopere cōmendare. Quæ res (mea quidem sententia) non nisi digna laude, ad hanc usq; nostram ætatem peruenit: hanc præsertim ob causam, quòd eorum labores uigiliæq́; si aliquo fauore munitæ fuerint, sempiterno (ut ita dixerim) tempore uiuere, atq; utilitatem, & commodum afferre putarent. Quamobrem ego quidem, cum ob nimias studiosorum quorundam preces, nonnullas epistolas decreuerim in lucem emittere, quas ad amicos absentes diuersis temporibus scripseram, tum ad medicinam spectantes, tum etiam ad philosophiam & dialecticam, mihi uisum est, ne patrono ac tutore carerent, eas tibi, Regina illustrißima, meritò commendare. Nam cùm nostrorum temporum & maximos, & sacratißimos reges enumero, profectò reperio neminem, cui hūc meum laborem tutius committerem defendendum, quàm tibi: quippe quæ tum sanguine, & prosapia, tum animi, & corporis dotibus longè cæteris excellis. Quis enim Sfortiā familiam nescit? Quis tuum genitorem Ioannē Mariam Sfortiam? Quis proauos Galeatiū, & Franciscum illum Martis alumnum, totiusq; Italiæ decus ignorat? qui fermè omnes omnium generum uirtutes sunt consequuti. Omitto strenua eorum gesta, quæ prope innumerabilia extiterunt: Non est enim hîc dicendi locus. Aragoniæ uerò regum, & ducum illustrium, longam & notißimam analogiam, & quibus armorum, uirtutis, ingeniiq; uiribus potentißimos quamplures populos superauerint: deinde quo iure & ordine in regno Neapolitano, & in Ducatu Mediolani regnauerint, & ferè in tota Italia, consultò dimisi. De hoc enim pleriq; scripserunt, & historiæ undique refertæ sunt. Sed quid ego tuorum proauorū uirtutes, & gesta enumero? nónne tu sola mihi sufficis? nam licet ipsorum nulla in cuiusq; uirtute, & summa dignitate extaret memoria, siue celeberrima recordatio, (extant enim innumerabilia,) profectò in te una fœlicißimè omnes resurgere poßent. Tu regina, tu regis coniunx, tu regis etiam mater: Procreasti etenim filium ex Sigismundo Iasello Rege, qui uel sanctißimis moribus, uel sapientia, uel strenuis armorum studiis incomparabilis, & quasi sol lucens, cæteros illustres principes (idq; sine iniuria dictum sit) & gloria & splendore priuat. Age uerò, quòd magnitudine animi, & synceritate, qua nihil melius, longè omnes superas, quid commemorem diuinum tuū propemodum ingenium? Etenim & humanioribus literis, & cœlesti Christianæq; philosophiæ apprimè erudita, ita sanè uiuis, ut Christi præcepta non nisi maximè intelligere uidearis, & hæc quidem bonis operibus clarißimè ostendis. Fides enim, & charitas, & diuina ipsa spes, in te cumulatè uigent, & summè clarescunt. Quid tuos sanctißimos mores? Quid tuam illam summam prudentiam, & in rebus arduis uigilantiam? Mitto liberalitatem, quæ similes Deo principes reddit. Mitto iustitiam & misericordiam, cùm in omnibus rebus, tum maximè in pronuntiandis ciuilibus, & (ut aiunt) criminalibus iudiciis. Dij boni, quàm multa prætereo, breuitati studens, quæ & ab omnibus prædicantur, & præsertim à Reuerendo D. Francisco Lismanio, sacræ theologiæ magistro, ordinis minorum totius Poloniæ ministro, quem honoris gratia hîc nominare uolui. Iam quid*

*ego commemorẽ? Etenim ſi omnia ſigillatim perſequi uelim, nimis noſtra prorogaretur oratio. Hæc igitur omnia fecerunt, ut te, Regina illuſtriſſima, huiuſce mei laboris & patronam, & tutricem conſtituerim. Quam non dubito, quin ob tuam ſummam humanitatem, & magnam erga omnes doctrinis deditos beneuolentiam, ſis defenſura. Quod ſi feceris, fore ſpero gratiſſimum omnibus. Uale Regina ſpendidiſſima, & ut tui moris eſt, bonarum literarum cultores foue. Venetiis, M. D. L. Idibus Nouembris.*

## AD APOLONIVM MASSAM

*epiſtola prima, quæ eſt Methodus quædam in curandis ſingularibus morbis, & in ordinando in cõſultationibus intentiones, omnes medicinæ partes complectens.*



QVANQVAM te annũ iam audientem Auribachiũ uirũ doctiſsimũ ac eũ præſtantem medelã ægrotãtibus Lipſiæ ſequi ſciã: qui cũ uir doctus ſit, & mei amãtiſsimus, te moribus ciuilibus, & medicinæ præceptis omni tẽpore inſtituet, ut nihil præter tuã diligẽtiã, ac ſtudiũ deſiderare poſsis: præſertim cum ibi unà cum philoſophicis ac medicinæ inſtitutis, etiã quæ ad Latinæ linguæ elegantiã ſpectant, accommodè dicere poſſis: maxime quia tui amantem doctiſsimũ Philippum Melanthonem habes: tamen ut etiam meis ſtudiis, & laboribus doctior euadas, quæ de medẽdi ratione tuis literis petiiſti ad particulare opus ſpectãtia, ut tibi morem gerã, ſcribam. Porrò diſcenda tibi quaſi quædam artificioſa memoria erunt, cum compẽdioſam methodum in primis dignoſcẽdi ægritudines, cauſas, accidentia contineant, mox & prędicere de morbi exitu, & rectè auxilia ægris per contraria præſtare, & cauſæ amotionem curare doceãt. Etenim uera cura eſt cauſæ ablatio ex Galeni ſententia ſecunda particula Aphoriſmorũ cõmento xxij. Verũenimuero nõ tantũ ad ægritudines, cauſas, accidẽtia, prædictionẽ, & rectè curandi rationẽ facient, uerumetiã maximo erũt adiumẽto in ordinandis intẽtionibus, tum ſpeculatiuis, tum etiã iis quæ ad curandũ pertinẽt, in collegiis ſiue colloquiis, quæ inter medicos haberi ſolent, in arduis ac difficilibus morbis, cum medicas principales neceſſarias intẽtiones omnes ex ordine contineant, ex intentione doctiſsimorũ medicinæ principium, & præſertim Hippocratis, Galeni, & Auicennæ. Ea igitur te memoriæ commendare ſæpiſsime legendo uelim: ubi à publicis lectionibus ſolutus, mecum (ut ſcribis) ratiocinari deſideras. Neque arroganter, quæ dicentur, dicta exiſtimari à te uelim, uidelicet hac una epiſtola de omnibus medicis intentionibus intrepidè, aptè, diſtinctè, ornatè, ac doctè inter doctiſsimos medicos te poſſe loqui, ſi quando ad illuſtres illos principes, & nobiles tibi uocato loquẽdum ſit, præſertim ſi ea, quæ in quotidianis ſtudiis, ac lectionibus tum Galeni, tum etiam Auicennæ, iſtis accommodare uolueris. Quos duos eminentiſsimos autores, ut nunquam dimittas te obteſtatum eſſe iſtis uolo. Et ut id, quod tota mente deſiderare ſcribis, habeas per uiã, ſiue methodũ cum breuitate oſtenſam, qua poſsis affectus præter naturã cognoſcere, ac homines ſic affectos ad naturalẽ habitũ reducere, ubi res fieri poſsit: quòd ſi minime ſanitati reſtitui poſsint, ſaltem ex his futura prædicere ſcias, ut cognoſcant te nulla ex parte medica arte carere, quæ naturæ non repugnantia facere poteſt. Nunc ſummã rei propoſitæ bipartitã ſic accipe: nam altera partium ad morbi cognitionẽ, & prędictionẽ ſpectat, altera uerò rationalẽ curã docet. Primum quidem membrũ in diligenti cognitione decẽ rerum te intelligere oportet. Prima quarum eſt morbus, & ęius eſſentia. Secunda eſt cauſa. Tertia accidentia, ſiue ſymptomata. Quarta temperatura. Quinta uirtus, ſiue uirtutes. Sexta ætas. Septima ſexus. Octaua conſuetudo. Nona aër. Decima eſt anni tẽpus. Porrò cognitio decem dictarũ rerũ cognitionẽ totius corporis partium, quam per diſſectionẽ habemus, (anatomiam uocant) neceſſariò deſiderat. Quam anatomiæ cognitionẽ cum te egregiè callere ſciam, & quotidie in anatomicis te ipſum exercere audiam, nõ ut eam nũc primũ addiſcas, ſed ut tibi exactiſsimè cognitam ſociis auditoribúsq; præmõſtres memoraui, cum ex ſcientia diſſectionis, uirtutum, & operationũ cauſas perfectiſsimè habeamus. Nam actiones ſanæ proueniunt, ſi membra incolumia fuerint. Incolumia quidem erunt, ſi ſubſtantiam, temperiem, quantitatem, numerũ, poſitionẽ, figuram, & uicinitatem, ſecũdum naturalẽ iuſtitiam habuerint. Qua autem ratione primum morbum & eius eſſentiam cognoſcere medicus poſsit, uidiſti apud Galenum in libello de morborum differẽtiis, & de locis affectis: ac etiam apud Auicennam prima & ſecunda primi canonis, necnon in aliis eorum libris. Quòd uero neceſſaria ſit eſſentiæ morbi cognitio, teſtatur multis in locis Galenus ſecundo & quarto methodi contra Empyricos: ait nanque indicationem curatiuam ab eſſentia ægritudinis ſumendam eſſe, cum ibidem ſit cognitio morbi, & curatiuæ intentionis principium. Porrò cum quis remedia morbo rectè applicare uoluerit, cognitio morbi proculdubio neceſſaria eſt. In hanc eandem ſententiam ſcripſit primo regiminis acutorum morborum commento tertio, cum inquit: operæpretium eſt, in primis ut eſſe morbi cognoſcamus, mox animum ad eius curam conuertamus. Hac ſententiam doctiſſimus Auicenna declarauit quarta primi ſui canonis, dicens: non haberi cognitionem medicaminum, niſi ex cognitione ſpeciei, & qualitatis morbi, cum medicina contraria adhibenda ſit, poſtquàm qualitatis morbi cognitio certificata fuerit: & prima quarti de cura febrium putridarum in genere, cum ait, nõ poſſe febrem curari, niſi prius eam cognouerimus. Quare cùm morbi cognitionẽ neceſſariam eſſe ratio dictet, & ſapientes omnes confirment, primũ operæpretiũ ſcire eſt, in quo trium generũ ipſe morbus ſit, an ſcilicet in tẽperatura, an in compoſitione, an diſſolutione continui. Quod ſi morbus mala temperies fuerit, uidendum nunquid calida, frigida, humida, uel ſicca, ſimplex, aut compoſita, & utrum cum materia uel ſine materia, & an febris, uel alius ſit morbus, qui malitiã complexionis dicat: & ſi febris, nunquid ephemera, uel putrida, uel habitualis, & ſic in aliis complexionalibus morbis procedes. At ſi morbus mala compoſitio fuerit, uidendũ eſt, nunquid ex plaſmatione, ſiue figura, aut quãtitate, aut numero, aut ſitu fuerit. Similiter ſi ſoluta continuitas morbus fuerit, animaduerte, nunquid ex uulnere, luxatione, fractura, conuulſione, apoſtemate, uel quouis alio modo exulcerationis erit: de quibus omnibus Galenus in libro de conſtitutione artis plura ſcripſit, & Auicenna ſecũda primi. Attẽde præterea animo, an morbus unus ſit, uel plures, & nũquid ſimplices uel compoſiti, & an primarii, uel per conſenſum, & an in fieri, (ut aiunt) uel iam facti, ac etiã nunquid uniuerſales, uel particulares. Præterea cognitio temporũ morbi maximè neceſſaria eſt, ſi quis rectam curam adminiſtrare uoluerit, de qua Galenus doctiſsimè ſcripſit in tribus libris de criſibus, & Auicẽna ſecũdo canonis: & aliis in locis, eundẽ quoque proceſſum in omnibus generibus morbi attẽdere oportet, ut nihil neceſſarium ad curã dimittatur. Et ut perfectè omnia cognoſcas, ſecundo loco cauſæ inueſtigandæ ſunt: quoniam ſcire eſt per cauſam cognoſcere, igitur ſecũdo in ordine cauſarum cognitioni ſtudebis, ad quod confirmandũ eſt Galeni ſententia ſeptimo de ſymptomatũ cauſis, dicentis non ſolũ ſatis eſſe medico læſas operationes, uerumetiã omnes effectrices cauſas cognoſcere, & tertio artis paruæ, primũ remouendam eſſe cauſam, deinde morbũ curandũ, qui ab illa proceſſit cauſa: quam eandẽ ſententiã proſequutus eſt tertio methodi, cum admonet ſtudendũ eſſe ablationi cauſæ, quãdo nullus morbus poſsit ſanari ignorata cauſa. Similiter & Auicẽnæ extãt ſententię canonis primo: cum inquit operæpretiũ eſſe in medicina ſcire ægritudinis, & ſanitatis cauſas: ſimiliter & tertio de cura colicæ frigidæ. Cauſas uerò, quas medici præcognoſcere ad morbi cognitionẽ cõſueuere, ſecũdũ genus ſunt tres, ſcilicet primitiuæ, ſeu euidẽtes, quas procatarcticas Græci uocant, & hæ ſunt extrinſecæ: deinde antecedentes, tertio coniunctæ, quas optimè & diligẽter inueſtigare oportet. Neq; te autẽ credere uolo, hãc trinã cauſarũ poſitionẽ dictis Galeni oppugnare, ſecũdo de cauſis morborũ,

& primo

& primo Methodi, ac in aliis quāplurimis locis, ponētis duo tantū genera cauſarum, unū ſcilicet extrinſecū, alterū intrinſecum: quod intrinſecū ſi in duas partes diuiſeris, ut doctiſsimus Auicēna fidelis interpres diuiſit, & alii quāplurimi eminētiſsimi medici, nō repugnabis Galeni doctrinę, quemadmodū moderni Galeniſtæ crediderunt, ſuaſi ſua quadā craſſa Minerua. Non enim repugnant ueritati Galeni, quæ rationi conſona ſunt, ſi quis rectè, quid uoluerit Auicenna per duas internas cauſas, perpēderit, ac etiā ſi naturæ proceſſus in cauſando ex omni parte attendere uoluerit: & ut hac in parte ueritatem intelligas, ſit uerbi gratia quiſpiā qui ex motu, & comeſtione, & potu rerum calidarum, in humorum abundantiam, & ſubtilitatem inciderit, mox cum tali abundantia & ſubtilitate factis obſtructionibus à quauis cauſa, à febre corripiatur tertiana, nónne huic febri intrinſecæ cauſæ duæ ſunt, una ſcilicet abundantia humorum ſubtilium, altera putrida in corde fumoſitas à putridis humoribus, faciens febrem? priorē antecedentem, poſteriorem coniunctam doctiſsimè nominauit Auicenna: & ne te in iſtis remorer, pergam ad primum inſtitutum. Cauſæ illæ primitiuę, ſeu euidentes cōſiderandæ ſunt, à quibus aliqua intentio curatiua ſecundum eſſentiā, uel magnitudinē morbi, aut ad prognoſticum pertinens elici poſsit. Internas etiā cauſas diligentiſsimè ſeruabis, diſtinguēdo antecedentē à coniuncta, ubi operæpreciū fuerit: ac etiā ſcire oportet, nūquid cauſa mala complexio materialis, uel immaterialis ſit, aut compoſitio non naturalis, aut unitatis diſſolutio: ſtudebis etiā cognitioni aliarū differentiarū, ſcilicet, quæ cauſæ inſtrumentales ſint, & quæ fouentes, & hæc omnia per ſenſata, & notiora nobis, quæ ſunt principia artis & ſciētiæ, teſtimonio Ariſtotelis. Inquit nanque Galenus ſecundo artis paruæ, omnia ſenſibus diiudicare cōducit, & non ſecundū naturā rerum: alioqui periculū eſt, ne æger ſempiternā inualetudinē poſſideat, quod & Auicenna teſtatur ſecunda primi. Signa uero nobis nota, & ſenſata ſunt illa, quæ aut ſecundum ſubſtantiā inhærent, quæ per tactū & pulſum, uel per quantitatem & numerū cognoſcūtur: aut per effectus, ut ſunt operationes læſæ, & qualitas mutata: aut per ea quæ cauſalia dicuntur, qualia ſunt excrementa uentris, urinæ, ſputus, ſudores, & ſuperfluitates alię: de quibus omnibus loquitur Galenus ſecundo artis paruæ, & Auicenna ſecunda primi. Porrò tertio cognoſcere oportet accidentia, quæ morbū inſequuntur, ut umbra corpus, ita ut morbo amoto, accidentia quoque deliteſcant, ut ſcribitur à Galeno undecimo methodi, quam neceſsitatē poſuit Auicenna prima primi, cum dixit neceſſariū eſſe in medicina cognoſcere accidentia, quæ in ſanitate & morbo accidunt. Hæc enim accidētia, quæ morbū conſequuntur, etſi ad morbi amotionē, una cū morbo amoueantur, attamen nonnunquā ſua fortitudine, & malignitate, aut morbū deteriorē gignunt, aut uirtutē proſternunt, tametſi nec primariè, nec per ſe id fiat. Igitur cū ſæpe ſua acuitate & malitia ſæuiant, ita ut opus ſit relicto morbo accidentibus mederi, contrariis propinatis remediis, cauendum eſt, ne quis fortè Medicus, ſi ea neglexerit, ad uitæ maximum diſcrimē & perniciem ægrum ducat: quapropter accidentia non ſunt omittenda. Ad quam ſententiam alludit etiam Galenus duodecimo Methodi, dicens, accidentia fortia proſternere uirtutem: & eis ſuccurrere docuit cōmento octauo primæ particulæ Aphoriſmorum, iubens ſtatim cibum offerre, ſi uirtus deficiat: & Auicenna ſimilibus rationibus motus, dixit quarta primi: ſtudere conuenit rei magis ſuſpectæ, & eſt uirtus. Nam ſi non te oppoſueris contrariū accidentibus, uirtutem proſternentibus, uerbi gratia, uigiliis extremis, et capitis doloribus, in febre periculum eſt, ne ea febrē augeant uel deteriorem morbū gignant, qualis eſt phrenitis ex nimia uigilia, & capitis dolore. Et quoniam præternaturales affectus minimè cognoſcere poſſumus, niſi per naturalem diſpoſitionē in eodē genere (contrario tamē:) ideo quatro loco temperaturā neceſſario intelligere oportet, ut per eam in eo genere morbū cognoſcas, quo perſpecto & cum naturali tēperie comparato maiorē illum, & minorē cognoſcere poteris, ut paſsim habes in Galeni uoluminibus, & pręſertim primo artis curatiuæ ad Glauconē in fronte, ubi dicit: quantū diſtare aliquem à naturali ſtatu uidebimus, ad tantam morbi magnitudinem eum deueniſſe iudicabimus. Et Auicenna quarta primi cap. primo, idem meminit. Quare ægrotantis temperiem inueſtigabis, ut ſcias, nunquid æqualem ſecundum iuſtitiam contraxerit temperiem, aut caliditate, frigiditate, humiditate, uel ſiccitate prædominante. Nam ſic (ut pauloante dixi) magnitudinem morbi per diſtantiam à proprio temperamento cognoſces. Huic commemorationi quinto uirtutis cognitionem adiunges: etenim uirtus quoquo modo, & temperamentum conueniunt, quanquam etiā quoquo modo differant, ex ſententia Auerrois, ſeptimo colliget, cap. nono, ut primariū & inſtrumentale agens. Qualem ergo uirtutem æger habeat, ſumma cū diligentia inueſtigabis. Nam ut dicebat Galenus undecimo Methodi, uirtus eſt contraria morbo, tanquam fortis bellator: & in alio loco dixit, oportere medicum dextrū oculum ad uirtutē dirigere, ſiniſtrū ad ægritudinem. Et Auicenna prima quarti de cura febrium in genere, dixit neceſſe eſſe in omnibus, uirtutis diſpoſitionem obſeruare. Et ut unico uerbo te de hoc doceam, hæc omnium illuſtrium ſapientum ſententia eſt, ſcilicet cuſtodire uirtutem, & morbum expellere. Quare attendendum eſt, nunquid uirtus ſit ualida, an imbecillis: & ſi imbecillis, nunquid aggrauata aut reſoluta, aut à morbi malitia oppreſſa, ut in febribus peſtiferis contingit: ex qua etiam cognitione colliges cibandi, & euacuandi rationes, ſcilicet an materia peccans poſsit educi unica uice, aut ſenſim, & pluribus uicibus: quem modū euacuandi magis laudarē, ubi non eſſet materia turgens: ſic etiam cognoſces an poſsit ſubtilem uictum tolerare, & an bis, térue, aut pluries in die cibus ſit offerēdus, & ſimiliter ſecundum qualitates. Præterea & cōfortationē membrorū principaliū uirtus ipſa admonet, ut ſi uitalis fuerit labefactata cordi cōferētia adminiſtrāda erunt, ſi animalis, cerebro ſuccurrendū eſt: at ſi naturalis, hepati & uentriculo, & aliis membris iocinori deſeruientibus. Sexto in ordine ætatē poſui conſiderandam. Nam uires & operationes ualidiores, & imbecilliores ſecūdū ætates ſunt, & morbi etiam ſpecie diuerſi fortitudine, leuitatéque oriūtur, ita ut aliqui morbi in una ſæpe, raro uerò in alia ætate contingant, quemadmodū uariolæ in pueris. Quare uidendū eſt nunquid morbus proportionalis fuerit temperaturæ, ætati, tempori & reliquis, quoniam qui proportionē habent, minus periculoſi ſunt nō proportionalibus, teſtimonio Hippocratis ſecūda particula Aphoriſmorū, Aphoriſmo xxxiiij. & Galeni, commento xiiij. primæ particulæ Aphoriſmorum. At contrario modo ſe habet, ſi non proportionatur, cum dixit, ſi in ſene acuta fuerit febris, proculdubio perditionis ſignum erit, quoniam fortis eſt ille ignis, qui nō extinguitur aqua. Similiter uidebis Auicennam idem ſentire prima quarti, cap. de rigore, dicentem febres ſenū eſſe ſepultas: enimuero per ætates omnes mutantur uirtutes, & digeſtiua primo, ut dixit Galenus commento xx. ſecundæ particulæ Aphoriſmorum. Subinde poſt ætatem, ſeptimo loco ſexum enumeraui, quoniam non eundem modū roboris, & reſiſtentiæ & aliarum uirtutū mulieres, & uiri habent. Quod manifeſtè in fœminis apparet, cùm ſint frigidiores uiris, & obnoxiæ ægritudinibus quamplurimis uentriculi, & matricis, ut ſunt mēſuales euacuationes, & prægnationes, qui affectus tametſi naturales ſint, nihilominus impediunt ſæpiſsime medicas operationes. Sunt & affectus non pauci præternaturales in ipſis, ut curſus matricis, præfocationes, deſcenſus, mollificatio, & plurima alia quæ inueſtigari ab ipſis neceſſum eſt. Conſuetudinē octauò conſiderādam eſſe dixi, quoniam ex ſententia Hippocratis ſecundo de ratione uictus in morbis acutis: non ex omni parte tutum eſt ægrū ab aſſuetis cibariis, & aliis ſibi aſſuetis ſtatim mutare, ſed ſenſim mutata cōſuetudine ſæpiſsimè & prodeſt, & à futuro malo liberat, præſertim ſi malus fuerit uſus, & ea ratione magis uſum conſiderabis, ut per ipſum, & alia dicta, & diætam iniungere, & reliqua regulare poſsis ſecundū tolerātiā particulariū in hominibus uſuū, quam cōſiderationem uoluit Hippocrates ſecunda particula Aphoriſmorū, Aphor. quinquageſimo, cum dixit, aſſuetos labores facilius eos ferre, etiā ſi fuerint ſenes, & inualidi, quam robuſtos, qui non aſſueuerūt. Illa ergo prudētia uti oportet, ut uſus malus omnino tollatur: quoniā etſi in præſentia minime nocere uidetur, attamen in futurū cum diu malus uſus permanet officiet. Nonò obſeruandū aërem eſſe dixi, quam obſeruationē ſummè neceſſariā antiqui omnes poſuerūt. Etenim in ipſo aëre uiuimus, qui & exterius, & interius ſine medio cōtingit noſtrū corpus ut ſenſu uides: de qua

aëris necessitate dixit Galenus cōmento primo, primi prædictionum, & nono Methodi, ac etiam tertio artis paruæ, oportere ex intemperie aëris ad naturale tēperamentū per æqualem contrarietatem alterando deuenire: etenim aër mutat corpus omnibus modis mutationum, ut dixit Auicenna quarta primi, cap. primo, cū dicat aërem esse digniorem omnibus alijs rebus, qui conseruari debet, quoniam ipse plus immutando corpus aliquando potest, quàm cæteræ aliæ res, quas non naturales medici uocant. Quare si fuerit cōtrarius morbo secundum qualitates, non mediocre erit præsidium infirmo. Ex quibus te scire uolo, mutationes & alterationes aëris sæpissime facere ad diuturnos & perniciosos morbos, si secundum (ut dixi) contrariam qualitatem fuerit. Hanc sententiam uidebis apud Auicennam prima quarti, cap. primo. Decima & postrema consideratio, est anni temporis cognitio, uidelicet nunquid uer, estas, autumnus, uel hyems sit. Nam ista tempora & salubria & insalubria ex sui natura sunt, ac prorogant, & abbreuiant morbos, teste Hippocrate per uniuersam ferè tertiā particulam Aphorismorū. Ver enim, & æstas, si secundum sui naturam processerint, sunt nostræ naturæ amici: Autumnus uero & hyems contrarij sunt. Quare facilimè ex temporum anni cognitione secundum eorum qualitates, & naturales, & accidentales, nō solum morbos cognoscere, sed etiam rectam medelam illis præstare poteris. Etenim sæpe anni tempus impedit, quò minus rectam secundum morbi naturam curā adhibere possimus. Nā dicebat Hippocrates, sub cane, & ante canē molestas esse euacuationes. Et Galenus primo artis curatiuæ ad Glauconē de cura febrium cōtinuarū, admonet medicos obseruare dies caniculares in uenæ sectione, si calidissimi fuerint: quoniam omnes quibus medici sanguinē abstulerūt, nihil de anni tempore cogitantes, periere: ac etiam non tantum in calida constitutione periculosæ sunt euacuationes, sed etiam in ualde frigida, quoniam anni constitutiones sunt ueluti accidentia quædam insequētia morbos, quibus medicus impeditur ne eò quia à contrarietate & malitia id operetur, quod morbo opportunum sit. Ex dictis quidem non solum morbos cognosces, uerumetiam de ipsis an breues, an longi, an salubres, uel perniciosi sint, iudicare poteris. Quam prædicendi rationem nimirum sumere oportet & ab essentia, & magnitudine morbi, & à cōstantia, uel imbecillitate uirtutis. Quod Galenus expressit secundo artis curatiuæ ad Glauconem, & Auicenna secunda quarti. Nam si uirtus fortis fuerit, & morbus debilis, proculdubio breui tempore sanabitur æger: ut gratia exempli, si in iuuene robusto tertiana exquisita fuerit, ille ante septimam accessionem euadet, uel si in Causonide, in quarto sudor apparuerit, septima omnino morbus recedet. Quòd si senex in tertianā notam inciderit, ita ut accessio & frigus longioris tēporis spatio hominē teneat, ac etiam calor per totam diē, & amplius infestet, timorosus procul dubio uel diuturnus morbus erit: nā ex sentētia Principis prima quarti, febres senum sepultæ & perniciosæ sunt. Similiter si in fortem quis apoplexiam inciderit, letalis morbus erit, cùm minime curam admittat testimonio Hippocratis, secunda particula, Aphorismi xlij. Quòd si & tempus anni superius dictis addideris, maximè in prognosticando cōducet: quoniā ut ait Hippocrates, uer saluberrimum, & minimè mortiferum est, abbreuiánsq; omnes morbos: ecōtra autumnus morbiferus ac perniciosus, prorogās morbos. Cōducet etiā nō parum cognitio materialis causæ, testimonio Galeni de differentiis febriū, & Auicennæ prima quarti, de febre quotidiana: cū in tali febre ob materiei crassitiem incrementum longissimū sit, ita ut antequā morbus ad uigorē deuenerit, sæpe uirtus ita imbecillis reddita est, ut minimè possit morbum aut causam morbi uincere, sícq; ægrum periclitari oportet. Neq; hāc tēporis morbi partē ad prædicendū & curādum dimittas: cū salutaris ratio & prædictionis, & quantitatis cibariorum, & curæ à cognitione temporū, præsertim uigoris ægritudinis sumenda sit, ex sentētia Galeni, in libello de temporibus morbi, & in libello de crisibus, & Auicennæ secūda quarti, & etiam prima quarti, cap. de cognitione temporū morbi, & uigore: ubi dixit in uera declinatione morbi ægrum minimè ex ipso morbo mori. Illud tamē obseruare operæpretiū est, ut uirtutis constantiā, uel inconstantiam in prædicendo cognoscas, ut in ipsa minimè decipiaris, quod sæpissime cōtingit: de quibus erroribus, tam in uirtute quā in confidentia & timore, dicebat Auicenna prima quarti, cap. de cognitione status: & sæpe accidit apud mortē dispositio, quę est quasi æger euaserit, cui tamen nō oportet credere: nam tuū erit dispositionem pulsus cognoscere, & an augeatur, uel fortis fiat, uel potius deficiat, animaduertere. Similiter contrariū attēdere persuasit in timore secunda quarti cap. ij. cum dixit exclamando: O quanta timorosa signa uidimus in profunditate somni, & casu pulsus, & abscissione sudoris, producētia ad bonā tamen crisim. Nec præterire uolo quòd nō in omnibus morbis crises expectādæ sunt, sed in illis, in quibus natura materiam seruat ad unam iudiciariam expulsionem, quales sunt febres continuæ acutę, & in aliquibus apostematibus: in reliquis uerò morbis, qui sensim expellunt materiā, ut puta in intermittentibus febribus, & in laterali morbo, rarò expectantur, nisi materia acuta, aut uirtus fortis hāc expulsionē faciat. Criticos autē dies siue iudicationis, ex sententia Hippocratis, quā exposuit Galenus iij. de prædictione, commento primo, sic enumerabis, duas quidē priores septimanas disiunctas, sed tertiam adiunctā, uerbi gratia: Prior septimana totū septimum diē assumit, ita ut octauus sit initiū sequētis hebdomadæ, secūdæ uerò septimanæ terminus erit quartusdecimus dies, qui tamen est principiū tertiæ septimanæ, & sic tertia cōiuncta est cum secūda. Hinc est ꝙ dies uigesimus, criticus est, cū sit ultimus septimanę tertiæ, & est certior & salubrior uigesimoprimo, testimonio experimento. Sed ne te lōgiori oratione immorer, curandi rationē istis enumeratis scribā. Quam rationē curandi nimirū ab ipsa in primis morbi natura elicere oportet: quam curandi rationē corrigere, & regulare oportebit ex illis, quæ à uirtute, ætate, anni tempore, & alijs indicationibus sumūtur: prius tamē te admonere uolo, ne unquā morbos à semine, uel aliquo alio modo conatos, aut aliqua alia causa repugnātes sanare promittas, siue continuè affligentes fuerint, ut satyriasis, quam Lepram Auicenna uocat, aut cancer, aut ulcus pulmonis, aut habitualis, tertia illa species febris: siue intermittentes, ut Podagra, & Nephritici affectus, cū minimè sanitati restitui possint. Sed antequā illis quicquā propones, prædicere ægro, aut astantibus naturæ, & artis impotētiam uelis, sicq; sub hac prædictione auxilia propinare: quæ tametsi sanare non possunt, leuiorē tamen & minus molestū morbū reddant, ita ut uitam eorum proroges. Nam humanū est, & Christi euāgelio consonum, etiā ubi nulla est spes sanitatis, aliquid, ut minus sit morbus molestus, agere potius quā sine spe ægrum relinquere. Hæc de decē considerandis, & etiam de prædicendi ratione antequā ad curam descendas satis. Igitur salutaribus morbis hanc methodum habebis. Primum ut morbo statim succurras priusquam sua uehementia imbecillem uirtutem reddat, & est præceptum Galeni prima particula Aphorismorum, Aphorismo xxiij. & Auicennæ quarta primi, cap. primo. Succurres uerò si remedia cōtraria adhibeātur, ut docuit Hippocrates secūda paricula Aphorismorum, Aphorismo illo xxij. Quicunq; morbi ex repletione fiunt. & Galenus in commento, ac tertio artis paruæ: & Auicēna prima quarti, ubi inquit morbum tollendum suo contrario, & sanitatem suo simili retinendam. Et ne in contrariis decipiaris, attende quòd contraria sunt duo, primum interius, alterum exterius: interius uerò est uirtus, quæ semper est opposita morbo, & ut superius dixi testimonio Galeni pugnat ut fortis bellator, exterius uerò contrarium, est duplex, alterum instrumentale, & alterum disponens. Instrumētale est regula sex rerum necessariarū, quas non naturales dicunt: disponēs autem est medicus, qui in primis regulando quæ ægritudini, uel causæ cōtrariantur, per extrinsecus aut intrinsecus propinata, ut sunt potiones, & manuum operationes, se morbo contrarium offert. Quòd si contrarium hoc potius auxilia à medico propinata malis dicere, nō errabis. Qua autem ratione morbi regulentur, & quibus auxiliis, doctè scripsit Galenus xj. Methodi, cum sex res non naturales enumerauit: & dixit, si earū rerum regimine sanare potuerimus, optimus erit proculdubio modus. Et Auicenna quarta primi, cap. primo, etiam dixit, sæpe satis esse uti bonitate regiminis: etenim hæc pars diætandi maxima curæ pars est, quoniam primum curæ instrumentum est, sine quo cætera instrumēta uana sunt. Quare ubi res te ad fortia medicamina minimè adduxerit, primum tentare oportet, ut ęger re-

gimine

gimine,& cibariis, sine medicinis sanitati restituatur, quoniam sic agẽdo tutius,& fœlicius sanitatem nauabis. Aër primum reguletur,ita ut sit contrarius morbo. Mox cibus & potus,in qualitate,quantitate,& tẽpore moderetur,de qua cibi moderatione plurima habes à Galeno iij.artis paruæ.& secunda particula Aphorismo rum,cõmento xix.Et ab Auicenna prima quarti, de cibatione febrientiũ. Etenim in accessionibus subtrahere cibum oportet,quoniã plurima nocumẽta, si detur,sequuntur:impedit nanque uirtutem quo minus morbo resistere ualeat,ac etiam nocet stomacho,eo in tempore,& angustiam facit,corrumpitúrq;:præter id quod sequitur de impedimento concoctricis uirtutis,ne materialem causam morbi,aut aliã gubernare possit. Vnde fit morbi prorogatio,& symptomatũ augmentum:in tẽporibus uero uniuersalibus secus est, quoniã largius in principiis cibandus est æger,quàm cũ augetur morbus:sed in uigore minimũ quid cibi,aut nihil dare oportet.Et quoniam assueuerunt homines bis in die cibum assumere,ideo ut nox quietior sit,aut nihil,aut parũ in cœna sumere melius est,non tantum cũ morbus uiget, uerum etiã in aliis temporibus.Nam uirtus uespertinis horis in coquendo magis occupata est, & etiam accidentia morbi,& sæpe morbi ipsi magis infestare consueuere,cum recedẽte sole,& ex diei inclinatione spirituum uirtus imbecillior sit.Dicant moderni Galenistæ quicquid sibi placuerit,exponentes locum septimi Methodi:quæ interpretatio cum neq; rationi,neq; fidelissimo interpreti Auicennæ cõueniat,explodẽda est.Neq; audiendi sunt,cũ dicant deprauatã esse Auicennæ literã, cum iamdiu doctissimi uiri tum Gentilis, tum Petrus Aponensis conciliator, & alij eam disertissimè, & eleganter declarando affirmarunt.Sed redeo ad primum institutum.Moderaberis igitur cibum, utputa dãdo in calidis morbis iusculũ hordeaceum in cœna,nam ubi uirtus constans fuerit, satis est eam custodire sicuti est, quoniã nihil ita concoctioni contrariatur sicuti quantitas & diuersitas ciborum,cum impediant uirtutem, & pugnent inter se,ut colligitur ex dictis Galeni secundo de causis morborum,cap.iij.ait enim plurimos morbos ortum habere,tum abundãtia,tum diuersitate ciborum.& Auicenna iij.primi,capite de eo quòd comeditur & bibitur,ubi postquam nimiam quantitatẽ cibi uituperauit,dixit nihil esse deterius quàm diuersa edulia unica mensa comedere.Similiter moderaberis somnum,& uigiliam,cũ in accessione paroxysmi somnus nocuus sit,materiam magis cõcentrando,sicque rigorem,uel frigus,uel horripilationem prorogat: unde ex præsentia materiæ,& caloris retẽtione uirtus impeditur,quominus materiã ad faciliorem exitum subtiliare possit,quando ut plurimum sparsa per uniuersum corpus sit.Prohibemus etiam somnum post cibum,nisi ubi existente uirtute imbecilli quęrimus reuocationem caloris interius,& præsertim ad uentriculũ,ut melior fiat accepti nutrimenti concoctio: hoc in casu post cibum conuenit paululũ dormire,supinè tamen. Sed dum nocte dormit,primum colligat se super latus dextrum,ut facilior sit assumpti cibi ad uentriculi fundũ descensus: deinde ponat se super sinistrũ,ut ex hepatis maiore amplexu ad stomachũ concoctiua uirtus ualidior efficiatur.Eadem ratione in regulandis uigilijs procedes, ne scilicet superfluãt.Dixit nanq; Hippocrates secũda particula Aphorismorum,cum somni & uigiliæ modum excedunt,malum esse: quem Aphorismũ pulcherrimè interpretatus est Galenus iij. de locis affectis.Quapropter cũ somni aut uigiliæ nimium molestant, excitandi sunt ægri,si nimium dormiunt:pari passu,cum uigiliæ superfluũt,prouocare somnũ oportebit.Studebis etiam in prohibenda repletione offerendo cibos,ut custodiatur,nõ ut augeatur uirtus,ut ait Galenus prima particu la Aphorismorum,cõmento ix.Et dixit etiã Hippocrates secunda particula Aphorismorum,corpora impura magis lædi,quanto plus ea nutries:& Auicenna prima quarti cap.j.Nutriens prohibetur,quãdo uirtus est impedita in pręparatione humorũ,si aut quãtitate,aut sua qualitate corpus opprimunt:& quarta primi dixit cibũ esse inimicũ naturę,& amicũ morbo,quare repletio fugienda est,præsertim in ægritudinibus materialibus,cũ abstinentia cibi totum corpus æqualiter purget:sicque cibi abstinẽtia est quædã euacuationis species, ut dixit Galenus iiij.particula Aphorismorũ,cõmento secundo. Labores etiã & motus debilibus,& febrientibus prohibeantur:sed loco exercitij fricationes faciendæ sunt, quæ tamen non possint uires dissoluere:neq; dimittere oportet ea,quæ amouere possunt animi passiones siue mentis perturbationes,quę perficiũtur uerbis iucũdis, & aliis,qbus æger delectetur, primúmq; sanitatẽ promittendo,mox hominẽ laudare,& eius uirtutes extollere cõuenit,ut fisus in Medici beneuolẽtia,authoritate, & doctrina,uirtus quæ cõtrariatur morbo,fortior facta,eũ pellere facilius possit. Quãtum enim possit confidentia Galenus ipse testatus est,cũ dixit illũ plurimos sanare,de quo plures confidũt:ac Hippocrates secunda particula Aphorismorũ dixit bonum esse,ut in quouis morbo mens oblectetur,& etiã si se æger ad oblata facilem præstet:etenim per hæc duo & naturalem & animalem uirtutẽ robur habere cognosces,quod rarò sine uitalis uirtutis fortitudine uidere est, nisi materia ueneni speciẽ contraxerit,ut contingit in pestilentibus morbis.Et Galenus iij.artis paruæ dixit:animi perturbationes si malæ sunt uirtutem exterminãt,& corpus ab ea, quæ est secundũ naturã,constitutionẽ, mutant.Et Auicenna cap.de eo quod comeditur & bibitur,sic dixit: accidentia animi si horribilia fuerint,coctionem prohibent.unde fit,ut morbi quàm plurimi prorogentur,& augeantur.His Apoloni de regimine sex rerũ non naturalium prælibatis,regulas,quas te in curandis morbis obseruare oportet,ponã.Quæ se tenent ex parte materiæ peccãtis,si materialis morbus fuerit:& ex parte alterationis, si immaterialis fuerit,quę secũdo loco & cõsiderandæ,& administrãdæ ueniũt. Etenim cum curatio aliquo triũ instrumentorum perficiatur,scilicet regimine in ipso uictu,aut medicaminũ usu,aut manuum ope ratione,ubi regimine medicus sanitatẽ inducere nõ poterit,aliis duobus instrumẽtis eam procurabit, scilicet medicinis siue potionibus,& manuum operatione,de quibus Galenus primo regiminis acutorũ morborum, & Auicẽna quarta primi,scripsit:& Hippocrates admo nuit secunda particula Aphoris.cũ dixit:Inchoantibus morbis si quid tibi mouendũ uidetur moue: & in uigore nihil tale agere iussit.Et Galenus in commento dixit, nullam euacuationẽ, si morbus exitialis est, cõuenire, qualecunq; fuerit tẽpus,neq; per humorum aliorũ eductionem,neq; per sanguinis missionẽ,sed si morbus saluber fuerit & extremus,extremũ auxilium est,aperire uenã,& sanguinẽ mittere, ac nõnunquã potionẽ purgantem dare,neq; in principiis leuiũ morborũ conducunt medicinæ soluẽtes & fortes,sed illæ quæ leniẽdo, ut aiunt,materiã minorẽ reddere possunt,ut sunt in primis clysteria leniẽtia,aut cassia,aut manna,aut syrupus rosatus solutiuus ex multiplici rosarũ infusione: similiter ubi sanguinis minoratione opus fuerit, sanguinem educere oportet,uenã aperiẽdo secundũ exigentiã morbi.Itaq; regulã primã post regimen sic operando seruabis.Secũda statim regula est alteratio siue peccãtis materię concoctio,& hoc siue minorata,(ut aiunt)siue nõ minorata fuerit materia,quã administrationẽ,siue coctionem,siue digestionẽ,siue pręparationẽ dixeris,non refert.Hæc sanè secunda intentio summè necessaria est, dicente Hippocrate,cõcocta medicari & mouere,non cruda.Quã sententiã laudauit Galenus tertio artis paruæ,cũ dicit,hanc concoctionẽ sæpissime putredinem amouere,manente tamẽ materia,apertis scilicet meatibus ac materia uel subtiliata,uel refrigerato calore febrili.Similiter & Auicenna prima quarti de cura putridarum in genere:& ad istam intentionem enumerat syrupos,& decoctiones,& alia ingenia,quę ad coctionem, uel extinctionem,uel alium modũ pręparationis & alterationis facient:ut est in putrida febre syrupus acetosus simplex, & aqua buglossi,& in obstructionibus aperiendis,syrupi de tribus, & de quinq; radicibus,& bisantinus,& aqua feniculi,apij,endiuiæ,uel decoctiones istarum rerũ:& alterãdo,uerbi gratia,in febre habituali potionibus humectãtibus,& infrigidãtibus studebimus,ac etiã lotionibus aquarũ dulciũ post alterationem,uel coctionem materiæ. Tertia erit regula ratio legitima in euacuando,ubi ægritudo materialis fuerit,& est ut cures per contrariũ,& amotionẽ causæ,ut docuit Galenus iij.artis paruę:& Auicenna iiij. primi,capi.primo:quam euacuationem per cõuenientem regionem facere oportet, cum dixerit Hippocrates, eò educere oportet,ubi natura pellit per conuenientẽ partẽ,utputa si in febre uoluntas euomendi fuerit, adiuuabis naturam,ut per uomitũ materia mala extra pellatur.Similiter si apparuerit motus materiæ ad intestina, dabis medicinam,quę inferius,propriam materiam euacuet.Me-

dicinæ

dicinæ uero enumerandæ ſunt ſecundum exigentiam materiæ puræ,uel impuræ,uel alia quauis alteratione, & qualitate affectæ.Sed ſi fieri poteſt faciliores eligēdæ ſunt,ut eſt caſsia,manna, rheubarbarum , agaricus,electuarium lenitiuum diacatholicō de dactylis, hiera,& aliæ medicinæ non exterminantes uirtutem, neq; uiolenter ſoluētes.Et eſto memor de rheubarbaro ubi conuenit,quoniam ut inquit Auerrois quinto colliger,eſt medicina mirabilis in purgādo,quæ ferè omnibus aliis præſtat, cum minimę uenenoſitatis particeps ſit,ſed potius amuletum uenenoſitatis aliarum medicinarum eſt.Similiter Manna, quam ros Syriacum uocant,medicina eſt,quæ alias medicinas & corrigere,& beare conſueuit:etiā memineris uelim, admiſcere medicinis euacuantibus illa,quæ membra principalia roborare poſſunt,ut cor,iecur,cerebrum,ac pręcipue uentriculū.Illa uero ſunt,ea quæ ſuo odore & fragrantia grata ſunt. Verbi gratia:ſuccus roſarum purus,ſyrupus roſaceus ex multiplici roſarum infuſione,quem ſolutiuum uocant, ſandali & ſimilia:nam iſta ſuo odore & ſubſtantia , & ſtomacho & cordi conferunt. Quarto poſt materiæ euacuationem roborantia membra principalia adminiſtrabis,ut roboratis membris uiribúsq; auctis reſiduū materiei in morbo materiali,uel qualitatis in non materiali natura corrigere poſsit,ne fortè ex relictis affectuum cauſis,morbus rediret:quoniam dicebat Hippocrates ſecunda particula Aphoriſmorum , commento xiij.quæ in morbis relinquuntur,recidiuam facere ſolent,quam recidiuam ſæuam eſſe dixit Auicenna prima quarti, cap.ultimo.Hanc ſententiam affirmat Galenus ſecunda particula Aphoriſmorum,commento xxxi.& Auicenna ſecunda quarti de iudicijs recidiuationis morbi.Quintum, quod te omnino cum iam dictis inueſtigare oportet,eſt,ut commodè accidētibus , ſuccurrere ſtudeas remedijs opportunis & prōptis.Et cū ſæpiſsime animi perturbationes,præter corporis ſymptomata,cum fortia ſunt & diuturna, uirtutem proſternant, & perniciē pariāt,ideo ſtudebis amborum amotioni, quibus,ut ſuperius dixi,de curandis morbis,contrarijs auxilijs ſuccurrimus, utputa ſi calidam habuerint cauſam,frigidis indigent remedijs.Animi uero perturbationes curare docuit Galenus in libello,quem de curandis morbis animi ſcripſit,facetijs , iocis,ludis , harmonia, gaudio,& ſimilibus. Vltima in curando regula,quam ſemper te animaduertere uelim,eſt,ne cū corporis plenitudine morbum particularem,aut accidens aliquod, medicaminibus tractes,niſi prius plenitudinem amoueas,ſiue illa ſanguinis, ſiue aliorum humorum fuerit: etenim timoroſum eſt particularia remedia morbo particulari,uel accidentibus cum corporis plenitudine adminiſtrare,ſed ubi corpus mūdaueris, intrepidè & audacter,ſingularia & priuata admouebis auxilia. Hæc ſunt , quæ tibi de modo procedendi in cognitione,& cura morborum,& etiā in collegijs , ſiue colloquijs,ac diſputationibus quā breuiſsimè potui,ut tibi morem gererem pro temporis anguſtia ſcribere potui. Reliqua uero,quæ ad hanc curandi methodū deſunt,ea ab omnibus libris Galeni habere poteris,& præſertim à duobus,ſcilicet à methodo curandi,unde omnes uniuerſales intentiones elicies , & ab arte curatiua ad Glauconem. At ſi omnia & clariora,& diſtincta habere deſideras,Auicennā te legere iubeo, ſuadeo & hortor:etenim ipſe doctiſsimus omnia antiquorū medicinæ ſapientū & cōgeſsit & digeſsit:ita ut quemadmodum uides,in promptu poſuerit uniuſcuiuſq; morbi eſſentiā, cauſas, accidentia,ſigna,& remedia,ut non temere prima primi dixerit,nihil amplius eſſe, quod ſuis ſcriptis addere quis poſsit. Vale,& da operam bonarū literarum ſtudijs , ſalutabisque meis uerbis eximium Henricum Haurbachiū,ac doctiſsimum Philippum Melāthonem. Venetijs, M. D. XXXXI. Calendis Decembris.

AD EXCELLENTISSIMVM *dominum Paulum Magnolum è Burno Brixienſem,* Epiſtola II. *De hora ſumendi medicinas purgatorias, & tempore comedendi ab exhibitione.*

LEgi literas tuas,Paule doctiſsime,idémque mihi amiciſsime,quæ me non mediocriter delectarūt, quarum,ut de alijs illarum partibus taceam,legi quidem partem, & illam ſæpius repetij:qua rogas , ut ſententiā meam de hora ſumendi medicinas purgatorias,& tempore comedēdi poſt eas ſcribere uelim. Ego uerò qui ſemper doctos diligere,& amicis pro mea uirili inſeruire ſoleo,ac debeo,dabo operā ut tibi cumulatè ſatis faciam:tametſi rem arduā,& nō ex omni parte ab antiquis elaboratam petis.Etenim ſi quid Hippocrates uel Galenus,Auicenna, & alij eminentiſsimi medici hac de re ſcripſerunt,illud quidem paucis & mutilatis uerbis expedierunt:ita ut res ipſa ad declarationem,& doctiſsimo & exercitatiſsimo egeat medico,qui ſciat ex antiquorū ſcriptis,& nō expreſsis ſententias elicere, & concluſiones formare,ut mox in hac materia me,ut tibi reiq; ſatisfaciā,quantū poſſem facere uidebis:cū(ut dixi ) plurimū antiquorum amicorū,& præſertim doctorū uoluntas apud me poſsit. Quare declarationem rei ex meo ſenſu & antiquorū comprobatione exordiri incipiā,in quo id mihi pręfari libuerit,me dicta autorum rationibus aperiturū,ubi ſatis idoneis teſtibus cauſa caruerit.Sed ut etiā præter ea quæ mihi toto animo deſiderare ſignificas,de reliquis omnibus clarā habeas ſententiā meā,quæ conſideranda hac in re & præcedūt & ſubſequuntur ad abundantiorē doctrinā ſcribam:& hoc ex ordine procedendo:ita ut ſi fieri poſsit,nulla in parte poſtea dubitare cōtingat.Primū igitur,quod ante purgationē animaduertere conducit,eſt ſubiectū quod euacuādū uenit,an ſcilicet iuuenile,an uerò ſenile ſit,fortis an debilis,calidæ an frigidæ,uel alterius tēperaturæ, ſanū an ægrū,uel neutrum,( ut dicunt medici, )fortis an imbecillis uentriculi & aliorū membrorum, & etiā in quo anni tempore:ſimiliter nūquid minoratiuè & ſenſim, an exquiſitè & eradicatiuè ( ut aiunt ) purgare uelimus,& reliqua quę poſſent in diuerſum euacuādo trahi,ut eſt conſuetudo ad purgandum,& cauſa aliqua urgens:qualis eſt cōſtitutio peſtilentialis, caſus,percuſsiones,luxationes,fracturæ,uulnera,ac poſtremo medicinarū forma,& fortitudo:quę omnia ſemota omni morboſa in reliquis partibus diſpoſitione,nō ſolū euacuationis,ſed regiminis etiā in reliquis diuerſitatē expoſtulant.De quibus in diuerſis libris uidetur mentionē feciſſe Hippocrates,ut patet legētibus in primis libellum de priſca medicina,de natura humana, de humoribus, & reliquos. Quā quidē pręcognitionē uoluiſſe etiam Galeni uerba in libello de curādi ratione per ſanguinis miſſionē circa principiū uidetur,& Auicennę quarta primi, cap.iij. Porrò hæc præcognitio ad propoſitā quæſtionem in dādis medicinis euacuantibus facilè uiā prębet, ne medicus in rebus antea & pòſt adminiſtrādis errare poſsit:quales ſunt cibi & potus,motus & quies ,ſomnus & uigilia,& aliæ res neceſſariæ, & præſertim uentriculi præparatio.Nā hæc omnia in purgantis medicinæ exhibitione obſeruare operæpreciū eſt:ſed id quod quæris præcipuè animaduertendū erit,& tempus poſt medicinā comedēdi.Sed gratia clarioris doctrinę ponamus iuuenē in primis plethoricū ex nimia comeſtione rerū diuerſarū propè ætatis ſuæ cōſiſtentiā,tēperaturæ percalidū & ſiccū,à iuſtitiali tēperamento declinantis, ſanū,ſed aſſuetū in ætate pati febrē tertianā ex ebullitione ſanguinis cholerā multiplicātis,quę poſtea factis obſtructionibus putreſcit,qui nō aſſueuit purgationē ſumere niſi cū ægrotat.Hic tēpore ueris cōſulit medicum quoniā uult pręſeruari,ne æſtate in conſuetā incidat tertianā.Dico igitur medicū habita noticia prædictarū rerum,ut plethorā tollat ſtudere oportere:quoniā autem matura medicare,& mouere nō cruda docuit Hippocratis prima particula Aphoriſmorū,uerbo xxij.& Galenus in cōmento illud affirmat,ſed clarius primo de criſibus,capi.ix.& in aliis uoluminibus,ut octauo de medicinis ſecundū locos:quā ſentētiam ſæpiſsime repetit Auicenna,& præcipuè fen quarta primi capi.v.& prima tertij cap.vij.precedēte tamen præparatione,puta ſi bile & pituita admixtis corpus abūdauerit,ſecundū naturam humorū ſuperfluentiū, medicinā purgantē dare oportet,quæ poſsit utranq; materiā ad putredinē paratam mixtā educere,qualis eſt caſsia fiſtularis,quam ſiliquā Aegyptiacā etiam uocāt,uel ſi cōpoſitæ medicinæ magis placēt,ut eſt ſyrupus roſaceus ex multiplici roſarum infuſione, quē ſyrupū roſaceum ſolutiuū uocant, uel trochiſci ſiue paſtilli de uiolis. Quod ſi fortiorē medicinā deſideramus,optimus eſt agaricus ,qui utranq; materiā expurgare poteſt.Sunt etiā electuaria quæ materiā craſſam euacuare poſſunt,ut eſt electuariū de dactylis, de ſebeſtē, & alia , quæ etſi tibi nota eſſe credā, tamē ut rē ipſam quaſi manibus tractemus,& quoniā locus hic poſtulat, & ut omnia nobis etiā nota & clara & præ oculis ſint:ponamus exempli cauſa medicū decreuiſſe exhibere caſsiā fiſtulā pro medicina expurgāte:

dubium

dubiũ eſt primo, qua hora ſumenda eſt medicina: mox etiam dubitatur, poſt aſſumptã caſsiam quanto tẽpore expectare conducat antequam cibum accipiat. Scimus nempe caſsiam inter medicinas euacuantes leuiſsimam eſſe: ita ut medici etiam eam medicinam cibalem dictitent, & hoc quoniam ſæpe uincitur à uirtute, & calore uentriculi, ita ut aliquando in nutrimentum tranſeat, niſi aliquo ingenio, uel ordinis uel admixtionis obſtet medicus. Hanc uero in primis caſsiam ſi dare uideatur, hora matutina dare conducit. Similiter aliæ etiam fortiores medicinæ euacuantes matutinis horis dandę ſunt, niſi aliqua ſingularis cauſa in hac hora dare impediat: de qua ſtatim te certiorem faciam. Quod autem hora matutina ſit congrua magis, conſtat ex declaratione uerborum Hippocratis quarta particula Aphoriſmorum, ſermone quinto, & ſexto eiuſdem, ſermone xxxxvij. in quibus dixit quòd melius purgabimus cũ oportuerit purgare, in mediis temporibus, quàm calidioribus uel frigidioribus, utputa in uere, & antumno: id quod ratione & experimento patet: nam tempore maximi æſtus, quale eſt tempus dierum canicularium, & ſimiliter tempore hyemali in diebus frigidioribus, uirtus imbecillior eſt: primo, quoniam tempore æſtiuo uirtus ex calore diſperſa & diſsipata eſt, ut dixit Galenus primo Aphoriſmorum comento xv & ideo cum non mediocriter imminuta ſit, non poteſt medicinam ad euacuationem dirigere. Secundo, quoniam humores, qui non ita propinqui uiis ductuum ſunt, cum ſint per extremas partes corporis ſparſi, à calore extrinſeco attracti ægrè euacuari poſſunt. Tempore etiam maximi frigoris uirtus imbecillior eſt: nam quod dixit Hippocrates, hyeme & uere uentres calidiores eſſe, illud intelligendum eſt de parte hyemis quæ ueri propinqua eſt: nam ubi & glacies & niues ſunt, ac etiam boreales uenti flant, uniuerſum corpus refrigeratur, ac calor naturalis obtunditur, & ſic nõ probè operatur: deinde humores craſsiores ſunt & minus fluxibiles, & ex conſequenti non ita apti ad euacuationẽ: id quod etiam ex proceſſu commenti xv. Galeni primi Aphoriſmi, clariſsimè deduci poteſt, cum etiam eo tempore alui ſint adſtrictæ, ut patet Aphoriſmo xvij. tertiæ particulæ, idque frigore conſtringente meatus, & uirtute cuſtode corporis offenſas frigoris excludente accidit. Quod uero noceant medicinę calidioribus & frigidioribus, experientia ipſa etiam comprobat: quare relinquitur ut dicamus, comparãdo partes diei ad anni tempora, conuenientiores horas eſſe matutinas & ueſpertinas, ſicut apparet ex antiquorum autoritatibus & rationibus, illas confirmantibus: eò quòd non conuenit ſecure euacuare in frigidioribus, & calidioribus diebus, ſed in mediis, ſcilicet in uere & autumno, cum ſint tempora media, in quibus & uirtutes omnes fortiores ſunt, & humores quoque paratiores, qui non ita ſunt ad extremas partes corporis ſparſi, atque etiã quo ad ſubſtantiam aptiores ad motum euacuationis: tametſi adhuc opportunius ſit tẽpus ueris euacuationi, tempore autumni, cum præter id quòd aër magis in uere temperatus ſit, ſol etiam ad nos aduentat, qui nõ obſcurè operationibus animalium fauet. Has rationes uidebis affirmaſſe Galenum in commento illius Aphoriſmi, ſub cane, & ante canem: & Auicennã quarta primi, capite quinto, ubi dixit tempus minime idoneum ad ſumendas medicinas expurgantes, eſſe dies maximi & caloris & frigoris. His igitur iactis fundamẽtis, liceat mihi apud te ſic ad particulares horas diei rationes applicare, ita ut ſic ratiocinando concluſionem poſtea ex dictis deducam. Illa eſt magis congrua hora diei ſumendi medicinam expurgantem, quæ eſt temperatior: ſicut etiam tempus anni quod eſt uer, uel autumnus. Sed illa eſt hora matutina oriente ſole quæ aſsimilatur ueri: uel ueſpertina occidente ſole, quæ aſſimilatur autumno: nam iſtę duæ partes diei ſunt temperatiores reliquis duabus partibus: atque etiam uirtutes ſunt fortiores, quanquam nocturnis illis horis ex labore & uigiliis imbecilliores adhuc ſint uirtutes quàm matutinis. Igitur medicinę ſunt dandę horis matutinis & ueſpertinis, niſi aliquod fuerit impedimentum: matutinæ tamen meliores ſunt: & tametſi horæ matutinæ in hyeme non ſint ita temperatæ, ſi ad tempus nihilominus ortus luciferi inſpicias, ſunt quidem minus frigidæ. Adde etiam, ut dixi ex ſolis aduentu ad nos, illas horas meliores & aptiores reliquis eſſe, cum iam ſit celebrata prima illa concoctio ingeſti cibi, quæ in uentriculo ſit, & uirtus expultrix ad excremẽtorum expulſionem magis iſta quàm aliis horis inſurgit. Neque autem quenquam mente turbari & ſupercilium eleuare uelim, quòd dixerim ueſpertinas horas etiam cõuenientes eſſe, cum hac in hora minime uel raro dentur medicinę à medicis. Ego enim ſæpiſsime horis ueſpertinis medicinas potabiles ante cœnam dedi, do, & dabo, præſertim ubi neceſsitas poſtulat & fert ratio. Puto etiam te legiſſe, Auicennam & diuinum Meſuen, pilulas & ſyrupos poſt cœnam dantes, atque adeo in quibuſdam ægritudinibus dare docẽtes. Sed quoniam iam uſus pilularum pręualuit, hoc tanquam firmum & conſtans tibi dimittam, ſi prius hoc etiam addidero ex uerbis Ioannis Damaſceni Aphoriſmo xxij. & lxvj. ubi clare uidetur doctiſsimus Damaſcenus admonere medicos, ut dent in paſsionibus capitis & inſtrumentorum ſenſuum, pilulas horis ueſpertinis poſt cœnam: quanquam difficultas etiam ſit nunquid antiqui medici medicinas potabiles exhibuerint ueſpertinis horis, & etiam poſt cœnam. Verum quicquid dixerint uel nõ dixerint, fecerint uel non fecerint priſci, nihil dubitationis hoc penè me habere uelim credas, ſcilicet medicinas expurgantes poſſe exhiberi qualibet hora diei, atque etiam tempore anni, neceſsitate ſic poſtulante. Sed ubi datur mora, neque ullum eſt aliter requirens ex parte ægritudinis, uel accidentium, conuenientior hora eſt, hora matutina ante ortum ſolis. Nam illa hora & ſtomachus eſt à labore, cum iam cõpleuerit digeſtionem præteriti cibi, atque etiam uirtus ex ſomno inſtaurata, & nondum extra ſparſa, ſed intus unita aptior, & melius medicinam ad actum operationis deducere poſſit. Et ne nos decipiant diei partitiones ſecundum diuerſas conſuetudines, diem ſic hoc loco diuidere oportet. Prima pars diei quæ matutina dicitur, incipit in ortu luciferi, ſiue auroræ, & durat ſex horis: poſt quam ſequitur ſecunda diei pars, quę eſt poſt iam dictas ſex horas, durans per ſex alias horas, uel uſque ad meridianas horas. Tertia pars quæ poſtmeridiana eſt, dicitur ueſpertina, & ipſa etiam eſt ſex horas continens. Quarta & ultima eſt pars nocturna, quæ etiam habet ſex horas, quæ terminant ipſam noctem: poſt quam eſt luciferi ortus, quæ pars eſt frigidior reliquis. Et tametſi de diebus brumalibus ab ortu ſolis ad occaſum, & etiam de longiſsimis diebus ſit aliqua controuerſia, ne ſim tibi moleſtus plures ſcribendo difficultates, eam in pręſentia dimitto, diuidens in ſpatium uigintiquatuor horarum, ut dixi. Sed quanquam dixerim medicinam poſſe exhiberi qualibet hora, ubi uel morbi uel accidentium ratio cogit: aptiores tamẽ eſſe meminiſſe oportet, quę ueri aſsimilantur, uel autumno. Quod uero matutinæ, uel ueſpertinæ præſtent antedictis, cauſæ hę ſunt, quoniam ſicut tempora anni nobis ſalubria ſunt, duabus his de cauſis pręcipuis, uidelicet ex moderata aëris temperie, & ex aduentu ſolis ad nos: ita etiam iſtæ partes diei magis proficuæ ſunt. Nam matutinis horis, præter id quod dixi de inſtaurata uirtute, ex iam uentriculi perfecta coctione, ſol etiam illa hora ad nos aduentans incipit frigiditatem aëris temperare. Similiter & hora ueſpertina habet ſatis temperatum cœlum, tametſi ſol recedere incipiat, ut ex iſta cauſa non ita idonea ſit ſicut matutina. Vides igitur quomodo dies, qui eſt ſpatium uigintiquatuor horarum, habet proportionẽ cum toto anno, ita ut corpus noſtrum & ualidius & imbecillius ſit ſecundũ diuerſas partes diei, quod fit ex diuerſo motu ſolis, & etiam ex diuerſo regimine quo homines utũtur, tum in cibo & potu, tum in aliis rebus neceſſariis: & præſertim in quibuſdã cõſuetis negotiis & abuſibus. Sed de hora ſumẽdi medicinam hæ tibi rationes poſſent ſatis eſſe: uerum ut elaboratior hæc pars ſit, ex antiquis quædã nõ ingrata addã. Etenim Auicenna prima tertij, capite xxix. & quinto canonis de pilulis Alba romaki, iubet dare pilulas & potiones poſt aſſumptũ cibum, uel à cœna: ac etiam poſt eorum aſſumptionem dormire præcepit in aliquibus affectibus, ut fœliciorem ex eis operationem habeant aſſumentes, ut in dolore capitis duabus horis poſt cœnam, plus minúsue ſecundum patientis indigentiam, & uentriculi in præparando uirtutem. Etenim diuerſæ medicinæ ſæpenumero ſecundum compoſitionem & præparationem diuerſam ſubſtantiam acquirũt, ſcilicet mollem & duram: & ſecundum diuerſam morbi rationem, etiam

poſt

poſt cœnam dantur, nam aliquando (ut dixi) à cibo ſumuntur, ut diutius in ſtomacho morentur, & etiam iubent medici deſuper dormire, ne per uigiliam & motum eius deſtruatur uirtus à uentriculi calore, ſi nõ unitus fuerit. Porrò ubi calor & uirtus fortis non fuerit, frequẽter fit ut diſsipetur medicina, & minime ad actũ operationis deueniat, præterea præterquam quòd per maiorem moram in uẽtriculo medicinæ à longinquioribus corporis partibus attrahere conſueuerunt, materiam facientem uel dolorem uel alium affectum præter naturã, ſua tam quantitate quàm qualitate poteſt euaporando cerebrum & alia membra recreare, aut aliquam qualitatem contrariam affectui præter naturam imprimere, ſiue illa fuerit manifeſta, ut eſt caliditas, frigiditas, & reliquæ, ſiue occulta (ut aiunt) & à forma ſpecifica ſeu complexionali: quam ob cauſam antiqui non tantum medicinas duras, quales ſunt pilulæ, & alij paſtilli dederũt, uerum etiam medicinas potabiles horis ueſpertinis poſt cœnam, iubentes poſt eorum exhibitionem (ſi compoſitione, uel uirtute fuerint fortes) dormire. Dixi enim compoſitione fortes, quoniam etſi medicinæ quo ad ſui ſubſtantiam & uirtutem non ſint fortes, attamen ex modo ſuæ compoſitionis fortes dicuntur, ut ſunt pilulæ aſſahieret, quas Auicenna prima tertij ſcripſit. Iſtæ enim etſi ex ingredientibus leues ſint, nihilominus ex modo compoſitionis fortes fiunt, cum ſint ſubſtantiæ duræ & ſiccæ. Quare ut eius uirtus ad opus deuenire ualeat, calore forti indiget id quod in ſomno pulcherrimè fit, cum calor illis horis ad interna membra reuocetur. Et ſimiliter in potabilibus etiã medicinis conſideres uelim, cõmodius in aliquibus affectibus, ex dictis rationibus operari: ſi poſt cibum ſumantur, utputa quando maiore euaporatione egemus, uel aliquo alio. Enimuero cum diutius in uentriculo manent, facilius quoque & in maiori copia uapores ad caput aſcendunt. Quid multa? ſæpiſsime cum minori moleſtia uentres cient, ſi poſt cibum aliquæ medicinæ ſumantur, præſertim ſi aſſumens dormierit. Poſt hanc minorem moleſtiam uidebis, ſi ille qui ſumpſit, inteſtina debilia habet, unà cum aliis uirtutibus naturalibus: nam per ſomnum unito calore facilius medicina ad actum ducitur, & cum minori moleſtia operatur. Neque autem obſtat Hippocratis ſententia quarta particula Aphoriſmorum, ſermone xiiij. ad ſomnum minus &c. quoniam hic loquimur de breui ſomno, & in principio. Sed dicta Hippocratis intelliguntur de lõgo, & in proceſſu euacuationis. Sed ex antedictis uidere eſt antiquos quoſdam, idque non ſine ratione, medicinas purgatorias horis ueſpertinis dediſſe, & poſt cibum, etiam iubentes dormire, ut cõmodius operẽtur. Quomodo uero motus & uigiliæ ſint medicinis impedimento, paulò ante ſignificaui, eò quòd tam motus immodicus quàm uigiliæ internum calorem ad partes externas mouent: & ea ratione uentriculus non ualet medicinas ad actum dirigere. Quare in febribus, atque etiam ubi uirtus non ualida eſt, cõducit poſt exhibitionem medicinę modicum dormire, etiam ſi leuis ipſa fuerit, qualis eſt caſsia fiſtularis, & mãna: & ea ratione iuſsit Auicenna de cura cauſonis poſt aſſumptam tamarindorum potionem dormire: id quod ſi in debilibus (ut dixi) hoc faciunt, multo magis ubi ſua ſubſtantia & uirtute, & compoſitione fortes fuerint. Ad quorum comprobationem extat Hippocratis ſententia in libello de morbis qui extra. quem libellum Polybi eſſe credidit Galenus, cuius uerba hæc ſunt: Medicamenta quæ ad morbos & uulnera porriguntur, poſt cœnam uel poſt cibum dato. Et ne ſim longior, ad illum quem ſuperius caſum propoſuerã reuertar, dicámque quòd cùm caſsia ſit medicina debilis, quæ facile à calore uinci poteſt, & in nutrimẽtum conuerti, ſecundum ſui naturam, (quod non ex omni parte probum erit,) plurimum nocumẽti inferre poterit, ut pulcherrimè docuit Galenus in eo libello, in quo quando, & quibus medicamentis purgare oporteat. Ideo hoc in caſu poſt exhibitam caſsiam duabus horis uel minus cibum dare cõducit, ne à forti calore in malum nutrimentum conuertatur, & ne cibus cum ipſa omnino commiſceatur: iam enim potuit caſsia ad fundum ſtomachi per horam deueniſſe, præſertim cum cætera ſuperius examinata conſentiũt. Etenim aſſumens iuuenis eſt, & fortis, cum iam dicta bilioſa temperatura, quæ non ſine noxa inanitionem uentriculi tolerare poteſt: ac etiam in eo anni tempore in quo ſtomachi uirtus ualida eſt. Suntque materiæ euacuandæ propinquæ uiis ductuum, ut per ſeceſſum ſine mora & ſenſim purgari poſsint. Medicina quoque debilis eſt, & ille qui ſumpſit minime medicinis aſſuetus. Sed ubi ſtomachi uirtus non ita ualida eſſet, plus temporis poſt eius exhibitionem expectandum foret, ut uirtus nõ impedita à cibo eam ad actum operationis melius educere poſſet. At ſi mediocris medicina fuiſſet, tunc uero & plus temporis ad exhibendum cibum expectare conuenit, puta quinque uel ſex horas, in quo tempore credere poſsimus medicinam ſuam perfeciſſe operationẽ, quod tempus in omnibus non eſt obſeruandum: ſed ſit cõiecturabile quoddam ſpacium inter medicinam & cibum: quoniam temporis terminatam quantitatem minimè aſsignari poteſt, cum quædam corpora citius à medicina, & quædam tardius afficiantur, id quod etiam in exhibitis medicinis uidemus, & in temporibus, ut teſtatur Auicẽna prima quarti, capite primo. Sed & recentiores medici dictis cõſentire uidentur, ſcilicet ut poſt aſſumptam medicinam mediocrem, cibus quinque uel ſex horis differatur, plus minúſue ſecundum uirtutem patientis, & operationis modum, qui medici etſi iſtam regulã obſeruent, non omni ex parte tamen rectè quidam eorũ, & ſecundum antiquorum præcepta faciunt. Etenim in hac medicinæ parte ſicut in alijs multis errãt, quoniam nõ ſemper quinque aut ſex horis poſt aſſumptam medicinam, cibum dare conuenit, ut ipſi faciũt, ſed in multis perfectam euacuationem expectare oportet: ſumpto ſigno à ſiti & tolerantia patientis, ut colligitur ab Hippocrate quarta particula Aphoriſmorum, ſermone xix. & à Galeno in eodem cõmento: ac etiam ex ſæpe citatis locis quartæ primi Auicennæ, ita ut aliquando incongruum non fuerit, ſi decem etiã uel plures horæ trãſierint, modo toleret aſſumens, quod (ut dixi) ex ſiti & reliquis habebitur: quibus apparentibus, cibum dare neceſſarium eſt, in quo ex dictis firma quantitatis temporis regula dari non poteſt: ſed illam ſumimus rationibus dictis, & iudicio coniecturali. Quare qui hoc modo cibant poſt exhibitionem medicinæ, ea quæ & Hippocrates & Galenus ſecundo de ratione uictus in morbis acutis, ac etiam Auicenna quarta primi, capite quarto dixerunt, ſequuntur. Porrò medicinæ operationem & expectare & nõ expectare operæpretium erit, ſecundũ diuerſas tamẽ intentiones: nam expectamus, ubi exquiſitã & eradicatiuã euacuationem (ut aiunt) deſideramus: neque debilis eſt medicina, neque fortis ut elleborus, ſed mediocris, quæ nec ſua ſubſtantia, nec ſua qualitate uentriculo nocere poſsit, ut pluribus in locis Hippocrates & Galenus ſcriptum reliquerunt, & præſertim loco paulò ante citato, uerbo xij. & ſexto de morbis uulgaribus circa finem. Quam ſententiam Auicenna quarta primi, capite quinto ſequitur, cum dicit illum qui medicinã ſumpſerit nec comedat, nec bibat, nec etiam dormiat oportet, niſi eius operationem imminuere uoluerit, quo in caſu cibum citius dare conuenit, ut eſt ptiſana, aut ciſt hordei, uel ius pulli: id quod recentiores facere conſueuere. Sed ubi non exquiſitam, ſed minoratiuam euacuationem deſideramus, minime expectare operationẽ oportet. Sic uides cibum diuerſas habere rationes, quæ non ſolum ſe tenent ex parte aſſumentis, uerum etiam ex parte fortitudinis, uel mediocritatis, aut debilitatis medicinæ, tam ex parte uirtutis operantis ex ſui ſubſtantia, quàm compoſitione. Sed in illis qui euacuandi ueniunt in conſtitutione peſtilentiali, aut in percuſsionibus, uulneribus, & alijs huiuſmodi cauſis, medicinæ leues dandæ ſunt, in quibus cibi exhibeantur non completa exquiſita euacuatione: neque enim credo te ambigere, an in peſtilentiali conſtitutione euacuare conueniat, cum ſciam te uidiſſe Galenum in libello de differentijs febrium, & Auicennam quarta primi ad præcauendam futuram luem, euacuationẽ præcepiſſe: ſimiliter & in percuſsionibus, & alijs ab extrinſecis cauſis euenientibus cum quarto methodi Galenus, & Auicenna de ſoda ex percuſsione ad præcauendum futurum apoſtema, & dolorem, medicinas expurgantes dare iubebant. Sed ut facilius, quæ longa oratione ſparſa ſunt, colligi poſsint, in tabella ſeu figura omnia prædicta, quæ primariè ad præſcriptam doctrinam faciũt, ponam: etenim illa faciet tum ut eorum clarior habeatur doctrina, tum etiam ut ea melius memoriæ mandari poſsint.

Cauſæ

Causæ uariantes constitutionem horæ uel temporis exhibendi medicinam, uel cibum, sunt:

*Corpus assumens.*
- Forte
- Debile
- Iuuenile
- Senile
- Sanum
- Aegrum
- Huius uel illius temperaturæ
- Fortis uel imbecillis uētriculi, & aliorū mēbrorum
- Tempus anni
- Et à qua parte corporis purgare oportet.

*Medicina.*
- Fortis
- Debilis
- Mediocris
- Potabilis uel mollis
- Dura deuorabilis, uel dentibus mandenda
- Euacuans sensim & minoratiuè
- Euacuans exquisitè & eradicatiuè.

Si assumens & medicina fortis sit, exhibeatur mane, & comedat post perfectam operationem: quòd si timeat ne substantia sua uel qualitate nocumentum in uentriculo relinquat, detur mox cibus, qualis est ptisana, id est, succus decocti hordei & expreßi, aut ius pulli, ut recentiores faciunt, & ut commodius operetur, dormiat si opus fuerit.

Si assumēs sit fortis & medicina debilis, exhibeat̃ mane, móxq; comedat, puta una, aut duabus horis pòst.

Si assumens sit fortis & medicina mediocris, exhibeatur mane, sumátque cibum postquam medicina operata fuerit. Enumerãtur autem inter sumentes fortes iuuenes, & qui optimam habēt temperaturam, & fortitudinem uentriculi, & aliorum membrorum.

Si assumēs sit debilis, & medicina fortis, penitus abstinendum est ab huiusmodi genere medicinarum, in omni hora.

Si assumens sit debilis, & medicina debilis, exhibeatur mane non sine cautione, & differatur uel properetur cibus ad uirtutis tenorem ex iudicio prudētis medici, ut medicina ad opus deduci poßit, & ut uirtus conseruetur.

Si assumens sit debilis, & medicina mediocris, exhibeatur mane cum maiori adhuc cautione, & differat uel properet cibum iudicio sapientis medici, ut medicina operetur, & uirtus custodiatur. Enumerantur autem inter debiles: senes, & imbecillem habentes temperaturam, & melancholici, & conualescentes à longo morbo, & etiam qui habent uentriculum & cætera membra imbecillia, & qui non assueti sunt.

Si assumens sit fortis & sanus, dimittat medicinas, nisi si ad præcauendum futurum morbum accipere uoluerit, tunc autem sit leuis uel mediocris. Tempus sumendi tam medicinam, quàm cibum, sit ut suprà.

Si assumens sit corpus neutrum, quod neutrum erit uel decidentiæ uel conualescentiæ: si sit neutrum decidentiæ, exhibeatur medicina mane, quæ sit debilis uel mediocris, ad præcauendum futurum morbum, & detur cibus in debili medicina per horam aut per duas pòst: conualescentibus medicina ne exhibeatur, nisi quam cibale uocant medici.

Si assumens sit æger, detur medicina secundū morbi exigentiam, fortis, mediocris, uel debilis, & hora qua expedit: uerbi gratia, mane, si non est quod repugnet, ut acceßio uel febris principium, uigor, & similia, uel aliorum accidentium: sicq; detur quacunq; hora diei. nam in acutis morbis expedit in eadem hora medicinam exhibere. Similiter & cibus detur, sicuti & uirtus & morbus postulant.

Si assumens sit fortis & sanus, in temporibus uel maximè calidis uel frigidis, medicina non est exhibenda.

Si assumēs sit fortis & sanus, in uere & autumno, ad præcauendū futurū morbū, debiles medicinę exhibeãtur: comedat in leuibus ante eius operationē, & in mediocribus, perfecta operatione. Sed in constitutione pestilentiali, quocunque tempore ad præcauendam malam febrem, leuibus medicinis purgare conducit.

Si assumens percussus fuerit uel ceciderit, exhibeatur medicina leuis ad præcauendum futurum apostema uel dolorem.

Si assumens sit fortis, & medicina mollis uel potabilis, exhibeatur mane, comedátq; perfecta operatione, nisi fuerit impedimentū ex parte acceßionis morbi uel accidētiū, aut ex parte alicuius particularis morbi mēbri, puta, capitis, pectoris, & huiusmodi: quo in casu detur horis, uesperi scilicet ante & post cœnam, dormiátque si sic rei neceßitas exigat.

Si assumens sit debilis, & medicina mollis uel potabilis, in primis non nisi leuis exhibeatur mane, nisi sit aliquid impediens: quod si fuerit, detur hora magis proficua, siue ante, siue post cibum, & uesperi ante cœnam & post: & hoc secundū sapientis medici iudiciū.

Si assumēs sit fortis & æger, & medicina leuis & minoratiua, exhibeatur mane, nisi aliquid ex parte morbi uel accidentium impediat, & cibetur una aut duabus horis post medicinæ assumptionem.

Si assumens sit fortis & æger, detur digesta materia, medicina exquisitè purgans mane, nisi sit impedimentum ratione morbi uel accidentium: quo in casu detur aliis horis congruis, & comedat perfecta purgatione.

Si assumēs sit fortis uel debilis, & medicina dura, (ut sunt pilulę & alię consimiles compositiones,) exhibeãtur secundū morborū naturam, aut membrorū, in quibus morbus est, uel materiam, quã purgare conuenit: puta, si in stomacho & uiis uicinis, uel pectore & pulmone: & hoc mane uel uesperi ante cibū, comedántq; secundum uirtutis tenorem citius uel tardiùs: quòd si membrorū longinquium causa, exhibeantur post cibū tam matutinum quàm uerspertinum, & si opus fuerit, dormiat pòst, præsertim forti existenti medicina.

QVAEDAM etiam postremò animaduertenda dicam, cùm ad prædictorū clariorem doctrinam non parum conducant: & ne singula ad tædium usq; enumerem, paucis his rē expediam: quippe cū in primis non pauci sint, qui inediam uētriculi minimè sustinere poßint, quibus si medicina non operata fuerit, cibum exhibere oportet, ne in animi deliquiū & similia incidãt. Hi uerò sunt biliosi, & qui assueti sunt multū & frequēter comedere. Est etiã utilis aliquando diei horarū animaduersio, in quibus est humorū naturalis uis: etenim ubi humores rebelles euacuationi sunt, ut humor melancholicus, si sua hora moueatur, fœlicius & cū minore molestia educetur. Neq; omittenda sunt, quæ de medicinis debilibus, mediis, & fortibus, breuitati studens minimè ex omni parte exposuerã, cùm etiã ad propositum negotiū uideantur. Nam medicinas debiles purgantes uocant medici illas, quæ sunt primi uel secundi gradus, ut sunt uiolæ, tamarindi, caßia fistularis, manna siue ros siriacus, & similes. Mediocres uerò sunt, quę secundū gradū nō transeunt, ut est sena, rheonbarbarū, agaricum & similia. Fortes uerò sunt, quę post secundū etiã ad tertiū ascendunt, ut scãmoniū, colocynthis, ueratrū, & similes. Neq; accedendū est in exhibitione medicinarū ad ea, quæ omnino quartū gradū completum habent, cū potius inter uenena letalia, quàm medicinas enumerētur. Et quoniã raro una medicina simplex purgatiua omnes uirtutes præcisè habere potest, ita ut nihil ei desit aut supersit, ideo necessariū sępißime est, aliã adiungere eiusdē uel alterius gradus, uel ad augendum eius robur, uel ad emendationē alicuius mali, quod in ipsa est, uel ad aliarū causarum cōpositionis intentionem, ut notißimū est expertis medicis, qualem ego te iudico doctißime Magnole, & mihi amãtißime, ita ut nō solū per admixtionē medicinarū, id quod diximus, in medicinis faciũt: uerũetiam de gradu ad gradum sæpißime permutãt. Vnde & sumēdi medicinas tempus, & cibandi etiam, mutant & eligunt. Nanq; præfixum tempus sumendi tam medicinas, quàm cibū, aßignari nō potest, ut ex superiùs scriptis colligi potest. Quamobrem etiam plurima parte negotij ex iactis fundamentis demonstrata, antiqui, illustres iudicio rationali, experti medici, moderanda reliquerunt. Vale Venetiis, Calendis Augusti, M. D. XLIIII.

AD MAGNIFICVM ET CLARISSImum Senatorem Dominum Sebastianum Foscarenum, *Philosophum eminentißimum*, Epistola III. *De tuenda ualetudine, ac de proroganda senectute.*

PLATO, qui sine cōtrouersia etiã de rebus naturæ accuratißimè disputauit, clarißime & doctißime senator, Venetæ reipublicæ decus, hominē miraculū quoddã diuinum secundo de legibus existimauit: & ego maximum miraculum hominem sapientem sem-

per persuasum habui: qui non sibi ipsi tantùm ad bene beatéq; uiuendũ intẽtus est, sed patriæ, & (ut ita dixerim) mundo utilitatẽ & fructum affert. Vir enim sapiẽs instar cœlestis corporis supra fortunã æternus, imperturbatus, indefatigatúsq; existit, atq; cũ Deo (si doctissimo commentatori Auerroi in præfatione de physica auscultatione credimus) cõiunctus fœlicitatẽ cõtendit: hoc maximum naturæ miraculũ ad hanc nostri tẽporis diem in te natura ipsa declarauit. Vt igitur quod nobis rerũ genitrix miraculũ & diuinũ munus aliquãdo donauit, diu nobiscum splẽdere & prodesse ualeat, hęc tibi de sanitate tuenda, ac de tardanda senectute uitáq; proroganda, scribere decreui: non quia putem hæc te ignorare, cũ nihil amplius sit circa rerum cognitionẽ, quod in te desiderari posſit, ut decet. Sed cũ te particularibus neglectis asſiduum reipublicæ administrationi innata in patria pietate studere uideam, ea de causa putaui te admonendũ esse, ut si quando à publicis negotijs uacas, quod rarò fit, ualetudini tuæ consulas, ne hoc naturę miraculum mundus amittat. Aggrediar igitur opus ipsum, & primũ cùm sapientes omnes medicinam in theoricã & praxim diuiserint, & Auicenna facilè medicorum princeps ambas partes speculatiuas posuerit, ita ut cũ quis eas habuerit, utramq; sciẽtiam, & speculatiuam & practicam, simul cõsecutus sit affirmet, etiamsi nunquam penitus operatus fuerit, ea propter ambabus partibus permixtis institutum hoc perficiam. Etenim Galeno teste primo de medicamentis secundum loca, data sunt nobis à natura, scilicet ratio & experientia, quibus actiones uitæ iudicamus. Hęc duo regere corpus sanum, & ne in morbũ ex incognitis causis incidat, docent. Incidet sane in morborum tẽperaturæ genus si in corruptionem inclinetur, quę quidẽ corruptio secundũ naturam, ut dixit Galenus in primo de tuenda sanitate, duplici modo fit, & eas nemo effugere potest. Harum siquidẽ altera est humidi radicalis exiccatio, quã senectus insequitur: altera uero est continua nostri corporis dissolutio, à calore innato agente, ob quam animal eget cibatione: ut scilicet dissolutas partes instauret. Cibus nãq; & potus sicci & humidi substantiam instaurãt: calorẽ uero moderatum inspiratio seruat. Hæ autem operationes nobis natura insitę sunt, cum neq; edere, neq; bibere, neq; inspirare addiscimus. Nec uelim ego aliquem credere, me, clarisſime senator, hominem à morte liberare regimine tuendæ ualetudinis posse, aut ab exteris omnino nocuis defendere, ut scilicet ad extremum senectutis & uitæ peruenire ualeat, sed duo emolumenta hominibus præstat: prius quidem humiditatũ inflãmationem prohibet, posterius ne radicale humidum citò absumatur. Fit etenim humorum inflãmatio: & marcescunt, si à calore nõ naturali arripiãtur, tam extrinsecus quàm intrinsecus, nõ tamen quemadmodũ in febribus assolet: enimuero inflammatur homo à labore & alijs exterioribus causis, atq; ab ira & cæteris intrinsecis calefacientibus: præterea exiccantur per æratiuum decursum, sicq; duplici hac uia ad interitum tẽdimus. Quare ne priusquam natura propria opera humidum radicale absumat, aut extraneum reddat, medicinalis sciẽtia est illa, quæ hominem regulãdo per media regiminis, ut infrà dicetur, finem intentum, qui sanitas est, promittit. Et ut ea ipsa commodè custodiri posſit, prius operæpretiũ est causas tum sanitatis, tum etiam eas, quæ à sanitate corpus detrahere solent, scribere: ut illis amotis sanitas seruetur, senectus tardetur, & uita prorogetur: quæ omnia per capita distinctè subscribam.

*Caput primum docet cognoscere causas, quæ corpus à sanitate amouere solent.*

SVNT optimæ ualetudinis tot numero, quot morbi causæ dicuntur. At causæ morborum genere tres sunt: igitur totidem morborũ causas enumerare oportet. Hanc sententiã scripsit Galenus primo de morbis, & Auicenna secunda primi capi. secũdo: primum siquidem genus malæ tẽperaturæ est, secundũ autem indebita compositio, tertium uero unitatis dissolutio. Erit itaq; optimę ualetudinis custodia, si optimæ temperaturæ, & compositionis, & unitatis causas conseruabimus: nam siquis dicta custodierit, hominem ad extremum naturæ terminũ procul dubio conducet. Porrò (ut dixit Plato in Philebo) uitam & sanitatem in quadam calidi, frigidi, humidi & sicci proportione consistere, sicuti morbi in eorũ improportione fiunt, à quibus intempestiua mors properat. Quam sententiam accepit ab antiquisſimo & diuino Hippocrate in libello de hominis natura. Hanc eandẽ proportionem in cõpositione & unitate obseruare oportet, ut doctè scripsit Auerroës in libello de longitudine, & breuitate uitæ. Harum omnes improportiones causas in indebitã sex rerũ necessariarũ administrationem esse grauisſimi medici omnes statuerunt: quibus cũ etiam alias causas addunt, quæ facilè cũ istis coincidunt, ut est casus, percusſio, & similes, quæ præter naturam sunt, & à nobis euitari possunt, sicuti sex res aliæ necessariæ. Sed quoniam regimẽ tuendæ sanitatis non unum dũtaxat, sed multiplex est, sicuti & ætates, & temperamenta, & regiones, & cõsuetudines, ac anni tempora, cum diuersa sunt, ut testatur Galenus de tuenda ualetudine. Non omnes sanè enumerabo, sed quæ post uigoris ætatem usq; ad ultimam senectutem cõducent, annotabo. Nec ex omni parte adolescentiũ & reliquarum ætatum regimen prætermittam, cũ sæpe per illud clariori doctrina, necessaria in reliquis demõstrabo. Quæ uero ad indiuidui proprietates spectãt, in quibus discursus minime potest, experimẽtis credere operæpretium est. Quæ omnia etsi ad perfectionẽ longã examinatione egeant, dabo tamen operã ut quàm maxime potero breui id faciam, & ita clarè, ut nec uerbum quidẽ interpretatione indigeat. Deum tamen primùm, ut admonuit Plato quarto de legibus, oro: qui exaudiens propitius & benignus mihi adueniat, ac mentẽ meam dirigat, ut posſim pręcepta tradere: non dixero quæ naturales causas corrigere ualent, quoniam hoc minime à medico fieri potest: sed quæ per accidẽs ad dissolutionem, suffocationem & marcorẽ faciunt: scripsit namq; Auerrois in libello de causis longitudinis & breuitatis uitę, illa corpora longiorem uitam habere, quæ plus plúsq; principiorum uitæ habent: hæc uitæ principia duo in præsentia erũt, scilicet innata caliditas, & humidum radicale. Et hoc est (ut dixit Aristoteles in eodem libello) quoniã calido uiuimus, & humido nutrimur. Tota igitur ratio huius negotij erit tueri hęc duo tum ab extrinsecis, tum ab intrinsecis rebus exiccantibus atq; calorem dissoluentibus suffocantibúsq;: ea uero quæ ista operantur, sunt res nobis necessariæ, non naturales dictę. Et quanquam plurimi antiquorum primo exercitandi modũ docuerint, ego tamen ab aëre initium auspicabor.

*Caput secundum docet aerem corrigere.*

MAXIMVM præceptum in cõseruatione sanitatis, ut aër corrigatur, sapientes omnes posuerunt. Etenim mutat aer cõtinuo corpus nostrum plurimis mutationibus per tempora quatuor anni & cõtingentia eorũ accidentia, ut sunt pluuiæ, uel si penitus non pluat, caliditas æstuosa, frigora cõgelantia, uel mortifera, euaporationes malæ, uel corruptiones pestilentes. Est etiam quidam modus alterationis per quẽ fiunt morbi multiplices & mali, quorũ causæ sępe ignorantur: astronomi tamen eas reddere contendunt. At quoniam magna ex parte mẽdaces sunt, minime illis tutò credere possumus: sed medicis procul dubio credimus, quoniam nõ nisi per exteriores sensus & rationem omnia deducũt, teste Galeno pasſim per omnes methodi libros. Animalia enim quæ spirant, ut homo, indigent cordis continua refrigeratione, quæ fit inspiratione aëris extrinseci, quam, ut docte dixit Haliabbas quinto theorices, capite secũdo, nemo effugere potest, uelit nolit, in eo degere oportet. Sit itaq; aër in primis clarus, apertus, iucundus, temperatus. Nã hic omnibus ætatibus, cõplexionibus, sexibus, & temporibus conducit, ut docuit Hippocrates in libello de natura humana. Temperatus uero aër cognoscitur, si mox post solis occasum refrigeretur, & etiam sole adsurgente quàm primum calefiat, & iucunda sit eius refragrãtia. Econtra aër excedẽs tam secundũ primas, quàm secundum secundas qualitates, abhorrẽdus est, ut est nimis calidus, frigidus, siccus, humidus, subtilis, crassus, & similes, præsertim si cõmixti fuerint cum eo uapores à paludibus & locis putridis eleuati: ut sunt latrinæ, cloacæ, cœmeteria mortuorum, itẽ arbores fœtidę, ut buxi, & nuces, & similes. Etenim, inquit Paulus Aegineta, in quacunq; ætate & tempore aër malus morbiferus est, quare indiget correctione, diuersa tamẽ secundũ eius à tẽperamẽto elongatione & malitia, ac etiam si secundũ anni tẽpora & reliquas diuersitates. Nã uere si processerit aër cursu naturali, minime arte eũ alterare oportet. At si declinauerit ad ali-

quam

quam excedentē qualitatē uel primā uel secūdā, aut (ut aiunt) occultā, occurratur ei cū suo contrario, uel amuleto: uerbi gratia, in calida exuperātia cū irrigatione domus & cubiculi & sparsione ex aqua sola, uel rosis, uiolis, pomis, citriis, & similibus. Ista quoq; bulliant, ut ex eius euaporatione domus aër rectificetur. Spargatur etiam aqua rosacea, & eam odorēt solam aut cōmixtā cū aliquo alio bene redolente: hac etiā cum similibus lauent manus & faciē. Similiter si in aliis qualitatibus excedet, aër suis contrariis corrigendus erit, ut humidus siccis: & similiter in aliis. Aestate uero cum caliditas & siccitas temperamentū superēt, domus aspergatur iam dicta decoctione, uel alia consimili. Sintq; folia & flores frigidi bene redolentes, qui per domū spargātur, ut sunt rosæ, uiolæ, nympheæ, uel bulliant flores dicti, & herbæ bene redolentes, & frigidæ cum sandalorū portione, & domus & cubiculum aspergātur. Refrigerant etiā aërem uenti septentrionales: quare aperiantur fenestræ respicientes ad illas partes, nihilominus aduertendo ne fortè uenti eleuentur à locis paludosis, uel transeant per loca ubi uapores putridi eleuātur. Sint quoq; fructus bene redolentes præsentes, ut poma, pyra, persica, cydonia, citria, limones & reliqui. Neq; tuto in maxima æstatis caliditate homines uētis meridionalibus se exponūt: etenim laxāt corpus, & imbecilles neruos reddunt, conturbant humores, sensus omnes obtūdūt, & cerebrū superfluitatibus implent, pigritiā nutriunt, digestiones & appetendi uim debilitant, & deniq; uniuerso corpori nocent. Sed quoniā autumnus raro uel nunquā uno & eodem modo se habet, cū aliquādo in suis partibus pluuiosus, calidus, & aliquādo uentosus borealis, frigidus sit: ideo eius aëris corrigēdi unica regula nō sit, sed secundū eius diuersitatem diuersimode moderetur, ut si calidus cū iam dictis frigidis, & si frigidus uel humidus cū calefacientibus & exiccātibus, ita ut ad quandam temperiem redigatur: uerbi gratia, addendo in iam dictis foliis & floribus, atq; aquarum & decoctionū sparsionibus flores & herbas calidiores, ut sunt flores citri, folia rorismarini, saluiæ, maioranę & similes, & etiam frōdes lauri, cupressi, & suffumigatur domus cū iam dictis decoctis, uel cū suffitis, in quibus quoq; portio gariophyllorū, cinnamomi, macis, macalef, quod est semen satis odoratum & suaue, in regione Damasci nascēs. Bulliātq; storax, calamita & belzuim, quem myrrham potius esse credo, quàm illam qua utimur, & quoq; magis ipsi descriptioni myrrhæ conueniat. Ad hæc etiā conducunt aquæ & unguenta quibus nobiles in suis luxuriis utuntur, ut est aqua ex floribus citri cū portione musci & ambræ permixta, quibuscū & manus & facies lauentur. Vnū tamen scire operæpretium est, scilicet ignem omnem malam aëris qualitatē aduētitiam & putrescibilem destruere. Similiter & aceti euaporatio, quoniam sua frigiditate & siccitate uapores mali aëris corrigit atq; putredinem in eis prohibet. At in hyeme cū aër à temperamento per frigidū primo declinet, igne corrigendus erit. Quòd si pluuiosus fuerit, aut ad aliquam aliam qualitatem mutatus, moderetur suis contrariis, ut sunt iam dictæ decoctiones herbarum calidarū & aliarū rerum subtiliantiū & bene redolentium, ut sunt folia lauri, rorismarini, saluiæ, menthæ, puleġij, hyssopi, & similium. Fiat etiā suffitus, ponendo super carbones ignitos ladanum, styracem, belzuim, & similia: uel ponantur mixta ex dictis aut usualia diuitum odoramenta, ut est gallia muscata & alipta muscata, pastilli de ligno aloës, uel bulliāt gariophylli, cinnamomū, macis, lignum aloës, & fiat euaporatorium, pręsertim in cubiculo, uel fiat ex simplicibus odoratis dictis, subacta pasta in mortario cū uino odorifero, & super carbones ignitos ponatur. Insuper ex usu est hoc tēpore quoq;, corpus à frigore custodire uestimentis: quæ sint ex cōsutis pellibus, & præcincta, ut calor circa corpus custodiri posit, ne frigus eū extinguat, sed quicquid sit de aliis, ignis omnē frigidā, humidam, malam qualitatē aëris destruit. Quòd si ex odoratis lignis erit, qualia sunt laurus, iuniperus cupressus, pinus, & similia, longè melius aërē per ignē corrigere potes. Et ut omnia quæ aërē mutare ad malā aliquā qualitatem posint, tollātur, mundētur latrinæ & cloacæ uicinæ, & riui, præsertim Venetiis, ne domos & uias sua mala euaporatione offendant: sicq; omni diligentia in quocunq; anni tēpore studendū est aëris emendationi, ut quantū fieri potest, tēperiei propinquus sit. Aër nēpe in suis qualitatibus moderatus & ab extraneis deputatus humores omnes & spiritus clarificat, digestionē, ac omnes naturales uirtutes & operationes corroborat, uires naturales tam exteriores quā interiores adauget, sanitatē cōseruat, uitā prorogat, & senectutem tardat. Quòd si forte aër mutatus sit putrescēs in se uel per aliud, ita ut acquirat qualitatē quā pestiferam uocāt, ita ut in omnibus ægritudines malas & perniciosas gignat. Quod cognoscitur, quia multitudo hominū sine discrimine una & eadem ægritudine, & ut plurimum pereat, salutiferum in hoc est remedium ab eiusmodi loco procul effugere. At si aliqua necesitas in eo loco degere cogat, ignis perpetuus domi sit, atque continua aceti aqua permixti aspersio, & reliqua, de quibus copiosius in eo quem de febre pestilentiali scripsi.

*Caput tertium docet modum exercitationis & quietis.*

EXERCITATIO & motus plurimū corpora conseruare, otiū uerò ea corrūpere, aiebat Plato in Theetæto. Quam sententiā non tantū ad corporis ualetudinē, uerū etiā & ad animi doctrinas tū acquirendas tū seruandas applicauit. Sapienter etiā & sanè, in hāc sententiam scripsit Hippocrates in libello de ratione uictus, qui iusit metiri labores ad ætates, habitudines corporis, tēperiem anni tēpore, mutationē temporū, loca in quibus degunt, & ad cibariorū etiā quantitatē: nā contrariū dixit cibū et labores inter se esse. Qui tamē utriq; sanitati cōducunt, cū moderati labores superflua amoueant, sicq; ualetudinē optimā præstent. Quare ex usu est exercitatio, quę minime hominē defatiget, ne membra lāguida reddat. Porrò nihil est sanitati quod magis conferat exercitatione, quę tēperata si sit, calorē natiuū in omnibus mēbris excitat, & inde optima cibariorū & reliquorū humorū præparatio, coctio, distributio, & in mēbris asimilatio, ac etiā excrementorū expulsio sequatur. Nā etsi tā in cibo, quā in potu omnis regula seruetur, nihilominus excrementa necessariò fiunt, quæ modesta exercitatio cōsumit, & per meatus cōuenientes expellere adiuuat, sicq; corpus ab excrementis superfluis mundū reddit. Et quoniā exercitationes diuersæ sunt, cū quædā sint fortes & laboriosæ, & quædā moderatæ & debiles, primæ interdicantur, quoniā primum uirtutes omnes extermināt, ac cibariorū coctionem & alias naturales operationes impediūt. Sint igitur exercitationes moderatæ, cū calorē innatū & uires corroborent. Et hac ratione omnes operationes tā naturales, quàm uitales, & etiam animales ualidisimæ reddūtur: & inter cætera exercitia moderata, nō tantū corpus, uerūetiam & animū hilarē reddūt. Hæ sunt uenationes, piscationes, & aliæ quæ gaudiū inducūt cum temperato motu uel deambulatione. Multi quidem (ut dixit Galenus) à malis ægritudinibus leuibus exercitationibus liberātur. Et quāquā in robustis & iuuenibus (ut ipse dicebat in libello de exercitatione paruæ pilæ,) maiores exercitationes laudentur, ego eas quæ senibus ex usu sunt cōmemorabo, quæ etiam iuuenibus conducunt. Salutaris igitur exercitatio erit, si quotidie mane antequā lectulū egrediatur, partes omnes corporis suo indusio uel linteo aliquo leuiter fricentur, præsertim pectus, & sub alis, ac uentrē & inguina, mox caligas & reliqua corporis indumēta & ornamēta suismet manibus induantur. Sic enim corpus modestè exercetur, calor & spiritus excitatur. Hæc dū exequuntur, tusire sputū & alia excrementa excitare utile est, subinde capillos & barbā pectine speculo mediāte extricādo, ac leuiter cutim scalpendo cū aliqua mora intendēdum erit. Nā in eiusmodi mora fricando meatus capitis cutis aperiuntur, & superfluitates exterius excitantur, unde uirtutes omnes interiores, scilicet imaginatiua, cogitatiua, & memoratiua ualidiores reddūtur, ac etiā prōptitudo animi & alacritas insequitur. Dixi mediāte speculo capillos pectere, quoniam speculi inspectio uisum roborat, & animales omnes uirtutes excitat. Tum inde manus & faciē aqua lauabis, hyeme calida, qua cū etiā aliquid bene redolentis cōmisces, ut est aqua stillatitia saluiæ, rorismarini, & similiū, cæteris temporibus aqua tepida, sit permixta tamē stillatitiis aquis tēperatis, & minus calidis, ut est aqua florum citriorū, quam nāpham uocāt, uel rosarū & similiū, sitq; sapo cōpositus ex macaleph, iryde, gariophyllis & similibus: post lauationē tergat manus & faciē, fricet oculos linteo nitido & bene redolēte. His peractis, ac toga indutus domum egrediēs, & pedibus leuiter deambulet ad pręto-

rium accedat,uel ad aliũ quemuis locũ.Quòd ſi cõtingat in ſenatu,uel in priuato magiſtratu orationem habere,in primis ſubmiſſa uoce incipiendo,gradatímq; aſcendẽdo,ita ut cõmodè & ſine uirtutis nocumento oratio perficiatur.Quòd ſi longa habenda ſit,tẽperetur ſermo in medio , deinde iterum ſenſim uox eleuetur. Etenim orationis exercitatio ſi moderata fuerit,calorẽ naturalem excitat,colorémq; corporis bonũ efficit,pectus mundificat,ac uias & uenas pulmonis dilatando magis reſpirationi & inſpirationi apertum reddit,pręſertim ſi inter dicendũ anhelitus aliquantũ retineatur. Nã ſpiritus retẽtio calorẽ & ſpiritũ uitalẽ colligendo recreat,& uirtutes omnes roborat:ecõtra nocet multũ, ſi diu & alta uoce exclametur,cũ inde fiat nõ modica aëris interioris expreſsio,& ſpirituũ reſolutio,cerebri etiam cõmotio,unde ſequitur materiæ catarrhalis deſcenſus:quod atteſtatur raucedo in fortiter uociferantibus.Et ad ſummum ſcire oportet,quòd ſicuti moderata uox plurimũ confert,ita immoderata,impetuoſa, alta,& longa , ualde nocua eſt.Perfecta itaq; oratione deſcendat,ſenſimq; ambulet,poſtea quieſcat,& in loco in quo minime uenti,uel aër frigidus ingredi poſsit, ſe recipiat.Quòd ſi etiã ignis accẽdatur,non ſine beneficio erit.At ſi ſudauerit,detractis ueſtimẽtis corpus uniuerſum tergatur pannis lineis calidis,mox induat induſio & reliquis ueſtibus.Quòd ſi feſſus & languidus fuerit,lectulũ ingrediatur,ac quieſcat,donec uires reaſſumentur:etenim per quietem euocato calore uires recreantur.Illud tamẽ attẽdẽdum eſt,cõſuetudinem alteram naturã eſſe,ut ſcripſit Ariſtoteles in libello de memoria & reminiſcẽtia:& Auerrois in primũ de Phyſica auſcul.Quare tam in exercitatione quàm in alijs,mẽſuram à cõſuetudine aliqua ex parte accipere oportet,& (ut dicebat Hippoc.prima particula Aphoriſmorum,) conſuetudini,tẽpori,ætati,aliquid dare oportet:& qui aſſueti ſunt laboribus,eos facilius ferunt, etiãſi ſenes & imbecilles fuerint.In ſecunda ſcripſit particula Aphoriſmorũ poſt labores,ut puta,ſi de mane fuerint poſt quietem ad prãdiũ ſe cõferant:ſi uero ueſperi,cauendũ erit ne ad eos accedat,ſiue fuerit ad dicendũ,ſiue ad aliquod aliud,niſi prius cibus per aliquas horas in ſtomacho fuerit,uidelicet per quatuor horas ſaltẽ.Sed deteſtabile ſemper quodcũq; genus exercitationis eſt,ſi notabile tempus ab aſſumpto cibo nõ fuerit,& qui nõ cauent,ſæpe in malas ægritudines & febres incidunt:& hoc ex penetratione materierũ crudarum ad uenas & reliquos meatus corporis.Sunt & alia genera exercitationum leuiũ,ut eſt manus cõmotio,brachiorũ extenſio,quæ fit cõtorquẽdo,fricando,& eas inter ſe percutiendo,ac etiã ſtringẽdo.At brachia extẽdimus,ſi ea ad caput attollimus,uel arcũ extẽdamus,uel ſimilia exerceamus.Sed ſaluberrima inter cætera eſt deambulationis exercitatio,præſertim poſt longã quietẽ,& cũ plurimæ materiæ crudæ in uentriculo fuerint:nã ubi calor nõ poteſt ea abſumere,cõſuluit Auicen.uti exercitatione ad excitãdum calorẽ innatũ,qui eſt naturę inſtrumẽtum.Quod ſi aliquando animi cauſa rus aut loca campeſtria petere contigerit,curſus moderatus,& ſaltatio leuis,optima exercitatio eſt:quæ magis iuuenibus & robuſtis conducet.Sed equitatio & uehi curriculo,& ludere lancea,atque parua pila,ſunt illę exercitationes nobiles,quas Galenus inter cætera laudauit,non tamẽ ſenibus cõueniunt.Poſtremo ex uſu eſt,caput & barbã ante prandiũ lixiuio in quo bene redolentia bullierint, ſemel ſaltẽ in hebdomada lauare,ſimiliter & pedes.Sed ſiue illa fuerit exercitatio,moderatam tamẽ eſſe oportet:nam immoderatus labor ( ut dixi)corpus exiccat: quare ſit ille qui ad ſudorem corpus parare poſsit,non tamen ſudet,& ut ſummatim dicã,nũquam exercitatio bene ualẽtibus intermittẽda eſt,ut ętas,robur,& reliqua poſtulãt;nam ſunt etiã exercitationes quædã leues quæ delicatis,debilibus,& ſenibus ex uſu ſunt,aut eſt ludere latrunculis & teſſeris uel aleis,& ſimilia,uehi cymba Venetijs,& alibi lectica.Dicebat namq; Auic. quòd interdictio exercitationis omnes uirtutes imbecilles reddit.Nã quies immoderata plurimas ſuperfluitates gignit,à quibus materiales morbi non pauci fiũt: etenim corpore penitus quieſcente,& materijs crudis auctis,obſtructiones ſequũtur,ac ſubinde diſtributionis nutrimenti impedimẽta.Econtra exercitationes repletionem prohibẽt,calorẽ naturalem augent,meatus adapertos detinẽt,corporis agilitatẽ prębẽt,quotidianas ſuperfluitates ad euacuationẽ parãt,uniuerſum corpus,neruos & articulos,& deniq; omnes uirtutes roborant.Quòd ſi forte fortuna ex aliquo labore laſsitudo & languor acciderit,quieſcere mox(ex Hippocratis ſententia in Aphoriſmis,& Galeni in arte medicinali)medicamentum eſt.

*Caput quartum amplexus uenereos examinat.*

QVONIAM uenerei complexus non ſine motu & exercitatione fiũt,ea de cauſa poſt exercitationis documẽta de uenereis ſermo erit.Et tametſi plurimi ſint qui inter animi paſsiones hanc partẽ locandã eſſe cenſent, ego tamẽ in præſentia poſt dicta de exercitatione eam ſcribã.Porrò ut dixit Galen.in libello de locis affectis,ſemen cũ ſuperfluit,eſt ex illis quæ egẽt euacuatione,ſicut cętera excrementa,puta urina & alui excremẽta,& reliqua:nã ſi retentũ fuerit,ita ut uitietur,naturã ueneni acquirit,ſicq; malos & timoroſos affectus gignit. Fiunt etiã ægritudines malę,ſi quis nimio amplexu uenereo uſus fuerit:quippe cũ & corpus exiccet,& ſenectutẽ acceleret.Præſcripſit nẽpe Plato in quinto de Repub.tẽpus uſus uenerei,ad procreationẽ uiris ad quinquageſimumquintũ uſq; annũ.Hũc ſanè terminũ ultimi uigoris temporis uitæ credidit eſſe.At res nõ ita in quacunq; regione ſe habet,cũ ſint & qui ſexageſimum annum trãſierint,& robuſtiſsimi ad omnes operationes.Quicquid tamẽ de hoc ſit,nemo ad ueneneũ amplexũ accedat,niſi deſiderio naturali ſtimuletur,& uir ſit roboris alicuius: etenim nocet magnificè imbecillibus,cõualeſcentibus,tabidis & ſenibus.Tẽpus anni ad hoc uer eſt accommodũ:hora uero eſt poſtquàm dormierit,& coctione ciborũ in uentriculo facta:neq; blãditijs excitetur,& ſit cũ muliere nitida,elegante,& grata:& in tali cõplexu ita ſe habeat,ut ſi fieri poteſt,nulla ſequatur reſolutio,aut mẽbrorum laſsitudo.Et poſt ſeminis miſsionẽ,ſit ea mora,ut eleuationẽ aliquam ſentiat,& melius reſpiret,& dormiat.Id ſcito,carnoſis & aſſuetis minus nocuũ eſſe.Porrò ſiquis uenereis modeſte & ſecundũ naturę indigẽtiã utatur,corpus leue reddit,lætitiã & hilaritatem in anima gignit,ac paſsiones animum perturbãtes remouet.Ecõtra ſi immoderatus fuerit,& in tempore nõ cõgruo,ut puta tẽpore inedię, uel ſuper repletionẽ,uel poſt ualidiſsimũ laborẽ,& ſimilia,pręſertim ſi aër peſtilentialis fuerit:ſic namq; humidũ radicabile cõſumit,& ad ægritudines malas parat,& ſenectutem accelerat:in robuſtis etiã ſæpe uẽtriculum debilitat,cerebro & omnibus uirtutibus animalibus,tũ interioribus tum exterioribus grauiter nocet,& ad hecticam,& maraſmũ deducit:& ea ratione dixit Galen.in libello artis medicinalis uenerea ſecundũ Epicurũ minime prodeſſe aliquid poſſe.Quare in quacũq; ætate & tẽpore ab immoderata uenere abſtinẽdũ eſt,tanquã à uenefico angue,ſed pręſertim in ſenectute.

*Caput quintum ſomnum & uigiliam moderat.*

EGENT animalia cũcta,humiditatis radicalis,quæ per labores,& uigilias aſſumuntur , regeneratione,& ſpiritus reſoluti inſtauratione,quod commodè natura moderato ſomno perficit & cõplet:etenim ſomnus cõcoctionem adiuuat,laborẽ & laſsitudinẽ tollit,calorẽ intraneum reuocãdo,naturalia & cætera mẽbra calefacit:ſicq; omnibus uirtutibus adauget,roborat,& pręſertim animales interiores ueluti per contrariũ:etenim cum uigilia labori aſsimiletur,& ſomnus quieti,quod labor abſumit,quies inſtaurat.Ea etiã ratione poſt iam dictos duos modos exercitationis de ſomno & uigilia conſequẽter dicamus,ut ſermo iſte aliqua ex parte rationali cõtinuatione non careat.Igitur ſomnus ſit nocturnus,& moderatus ab aſſumpta cœna per duas horas,ita ut cibus iam ad fundũ uẽtriculi deſcẽderit,& iã finierit uigilandi potentiã.Dixi moderatũ ſomnũ,quoniã cũ ſuperfluus & prolixus ſit,(ſi credimus doctiſsi. Rha.in quarto ad Almanſorẽ)refrigerat & exiccat,pituitoſúmq; humorẽ generat,quo multiplicato reddit corpus pigrum,ſegne,& torpidũ.Attamen nõ ſit ſomnus minus ſex horarũ ſpatio,etiã in robuſtis,& iuuenibus:ſenibus tamẽ lõgiores ſomni cõducũt,utpote qui egent maiori radicalis humiditatis inſtauratione,& materierum crudarũ in uẽtriculo cõcoctione.Quapropter longiori tẽpore dormire cõducit,utputa ad octo & decẽ ad ſummũ horarum ſpatiũ,neq; horis meridianis ab aſſumpto prãdio ſi fieri poteſt,dormiẽdũ eſt,cũ ex eo plurima fiat ad caput euaporatio ac materierum catarrhalium in ea coaceruatio.Quæ deſcẽdẽtes ad in-

feriora mẽbra plurimos malos affectus præter naturã causant, ut si ad pectus, tusses, & asthma, & si ad uentriculum concoctionẽ impediunt, appetenti uirtutẽ obtundunt, ac obstructiones ueneficas causant: attamen somnus aliquando cõcedendus est assuetis in die dormire, & etiam iis qui nocte ex aliqua causa nõ dormierint, & illis quoq; qui imbecillẽ uentriculũ habẽt, ita ut cibũ ægre cõcoquere ualeant. Quicquid tamen sit, diurnus somnus semper malus est, si eũ ad nocturnũ cõparare uoluerimus, prętertim in calidissimis & ęstiuis diebus, & si, ut dixi, necessitas aliqua in die ad dormiẽdũ cogat, id fiat sedendo, nocte uero in lectulo pannis coopertus super latus nõ supinus, & cũ aliqua capitis eleuatione nõ extensis mẽbris, sed cũ aliquali cõtractione. Nã membrorũ quies, ut dicebat Galenus de motu musculorũ, in quadã moderata membrorum cõtractione consistit. Sic etiã cõmodius dormire solemus, ac ueriora & iucunda somnia uidere: & dicebat Plato in suo de Rep. libello. Igitur studendum est ut omnino moderatè dormiamus, etenim uigiliæ senibus nocẽt, & eo magis si nimiæ fuerint, cũ superflua uigilia corbus exiccet, & formã corrũpat, & ad febres suscipiendas corpora paret: ecõtra moderata uigilia, ut dixit Aristoteles in libello de somno & uigilia, cũ sit illa quæ primo intenditur in animante, plurimũ uiuentibus confert: somnus uero est, ut melius uigilemus, & tametsi in somno meliores coctiones fiãt, in uigilia tamen cęterę omnes operationes & uitales & animales ualidiores apparẽt: nã (ut dicebat ipse Arist. in eodẽ libello) in uigilia sensus omnes soluuntur, & anima imperat sensibus, & uirtutibus exterioribus & interioribus, ita ut homines ad proprias operationes exeant, tam pro uirtutis conseruatione, ut est cibũ assumere, superflua excremẽta pellere, (in quibus cũ brutis cõuenimus,) quã pro intellectiõe, ut sunt sensus, imaginatio, cogitatio, et intellectus, per quẽ deo similes aliquo modo sumus. Siquidẽ uigiles sensata aprehẽdimus, & in imaginatiuã ponimus, circa quæ intellectus mobilis discurrit, & postremo intelligit: sicq; intelligẽdo beamur. Vigiliæ igitur sint mòderatæ, quoniã cũ excedũt (præter ea quæ superius dicta sunt) uires corporis: & sensus omnes destruũt, & in senibus tristitiã inducunt, & cerebro nocent. Quare si superfuerint, studendũ est ut somnus arte introducatur. Porrò uigilię senibus natura accidũt, ætatiua siccitate (tametsi ex accidente humidi sint.) Fiũt etiã in senibus ex euaporatione salsæ pituitæ ad cerebrũ, qua abundant. Nẽpe siue ab ista, siue ab alia fuerit causa, cũ somnus per quandã primo humidã euaporationẽ fiat, secũdario uero per refrigerationẽ, humectatiuũ regimẽ, quòd nõ nimis refrigerare ualeat, ad eius excitationẽ cõducet. Et sunt ĩ primis cibi, & potus tẽperati, quibuscũ admisceatur lactuca, quã laudauit Galenus ad somnũ cõciliandũ, in secundo de alimẽtis. At q̃m frigida nõ ex omni parte senibus ex usu sunt, ideo cinnamomi portionem addere optimũ erit: q̃m præterquã quòd frigiditatẽ lactucæ tẽperat, & somnũ etiã cõciliat. Idẽ cinnamomũ sumendũ erit cum papauere, si opus fuerit ipsum post cænam sumere: sed quãdo lactuca eo modo cõdita somnũ minime cõciliare posset, sũt & alię res, quæ ad excitãdũ somnũ faciũt, ut melissa post cibũ comesta, & uinũ etiã bibitũ pręsertim senibus cõducit, aut offa panis in uino madefacta, q̃m senes indigẽt humectatione instaurãte. Sũt & odores ad somnũ faciẽtes, ut uiolarũ, rosarũ, Nympheæ, Papaueris, Mandragorę, Sandali, Anethi, Coriandri, Myrti, Cinnamomi, Ladani, Myrrhę, & similiũ: quę simul commixtę tutius odorãtur, q̃m quæ calidę sunt, corrigũt nocumentũ quod à frigidis euenire posset. Etiã res prædictæ possent bulliri in aqua fontiũ cũ decima parte uini aromatici, ac euaporationẽ dictę decoctionis odorare, & erit grata, & ad excitandũ somnũ senibus proficua. Isto uel alio ingenio omnino somnus procurãdus est: etenim in senibus maius nocumẽtũ ex superflua & immoderata uigilia sequitur, quã ex somno. Præterea studendum est, ut cõmode & utiliter dormire possimus, quod fiet, si super latus dextrũ prima fuerit accubatio: ut sic per duas horas manẽs cibus facilius ad fundũ uentriculi descendat, subinde super sinistrũ longiori spacio quiescere ex usu est, q̃m ex amplexu iocinoris super uẽtriculũ uigorato calore naturali, ipsius cibi cõcoctio & citior & melior fiet. Quòd si uẽtriculus ualde imbecillus fuerit ex caloris remissione, quod cognoscitur si sensata frigiditas in ea regione, & acidus sapor ex eructatione in ore percipiatur, uel etiã si sputum insipidũ frequẽs à cibo fuerit. Laudabilius postremò est super uentrem somnũ incipere: tempus uero conferendi se dormitum, sit à cœna duabus horis: & quantum fieri potest somnus supinus super dorsum fugiendus est, quoniam præparat corpus ad prauas ægritudines, præsertim distillationes & tusses, quibus senes obnoxij sunt.

*Caput sextum cibaria congrua & potus sumere docet.*

HACTENVS aẽris, exercitationis, & quietis, uenereorũ, ac somni, & uigiliæ usus pertractaui, utpote ea quæ corpus inaniũt, & superflua assumũt, atq; etiã appetitũ ad cibũ excitãt, si modestè administrẽtur: iure igitur optimo de illis quæ comeduntur & bibũtur nunc dicere institui. Etenim (ut dixit Galenus primo de alimentis) sine moderato alimento homines siue sani fuerint, siue ægri, minime cõmodè uiuere possunt. Quare operæpretiũ est, ut cibaria eligãtur, quę primũ humidũ radicale laudabili succo instaurare possent, quæ minime crassa & excremẽtosa sint: quoniã calor imbecillis, qualis est senũ calor, nõ potest alimẽti crassam substantiam immutare. Sint quoq; ex illis qui facile in uẽtriculo cõcoquũtur, & breui tẽpore è stomacho descendãt. Quare ĩ primis panis sit ex optimo tritico, nõ antiquo, sed à rebus extraneis mundo, & in summa sine aliquo extraneo accidenti in substantia, odore, sapore, et aliis, sitq; bñ fermẽtatus, salitus, & moderatè decoctus, qui etiã post coctionẽ per diẽ quieuerit. Nã si recẽs comedatur, inflat, calefacit, sitim & obstructiões generat, & ad caput euaporat. Porrò panis recẽs & ex nouo tritico, omnibus ætatibus cõueniens est, & pręsertim senibus, cũ optimũ & plurimũ succũ generet, impinguet, & uelociter nutriat. Econtra panis ex antiquo tritico, pluriũ dierũ, uel qui fuerit bis coctus, tardè nutrit, exiccat, astringit, & naturæ infestus est: ita ut si ex superflua comestione panis illaudabilis aliqua noxa fuerit, illa quidẽ maxima est, cũ tardè digerat, & obstructiones mesaraicarũ uenarũ & iocinoris faciat: & quãquã panis similaceus in deliciis laudetur, attamẽ ille qui nõ ab omni furfure mũdatus est, facilius coquitur, & eius excrementa citius per aluũ expurgãtur. Reliqua uero genera panis, ut ex hordeo, milio, & aliis granis, interdicãtur. Etenim sunt mali succi & plurimarũ superfluitatũ, atq; tardæ cõcoctionis, plurimósq; morbos hæreditare faciunt. Carnes quoq; sint illæ quę optimũ & plurimũ alimentũ generẽt, atq; facilè cõcoquãtur, neq; in ipsis lentor uel humiditas mala & concocta difficilis abundet. Sint tamẽ pingues & sapidæ, ut sunt uitulinæ, hœdinæ, castratorũ arietũ bimorũ, leporis iuuenis, gallinarũ, caponũ, phasianorũ, perdicũ, cõturnicũ, colũbarũ, turdorũ, merularũ, & aliarũ carniũ tam quadrupedũ, quã uolatiliũ, de quibus seriatim mox eorũ plurima nomina & qualitates inferius annotabo. Sunt etiã ex usu oua recentia quæ sine cõtrouersia caloris cibis præsunt in regimine resumptiuo, quoniã tantũ nutrimenti gignunt, quantũ tota eius substãtia est, ita ut nihil excrementitij ex eius comestione relinquatur. Pisces quidẽ etiã in aliquibus tẽporibus atq; quibusdã cõdimentis cõditis cõueniũt: de quibus omnibus infrà dicetur. Sed quoniam plurima cibaria, si ordine quodã comesta fuerint, plurimũ prodesse possũt: ecõtra sine ordine, plurimũ nocẽt. Ideo ante eorũ enumerationẽ nõ inutile erit ordinẽ cibandi audire, qui in hũc modũ ordinetur. Primũ præcedant ea quæ facilius coquuntur, utputa inter carnes, si plures una mẽsa comedẽtur. Hæ præcedãt quæ coctu faciliores sunt: ut hœdina inter quadrupedes, & uitulina ante bubulã uel aliã crassiorẽ, & elixa ante assatã. In uolatilibus etiã pulli parui ante maiores pullos comedẽdi sunt, & oua sorbilia cæteris præcedãt. Similiter & reliqua quæ leuis substãtię sunt, bonúmq; alimentũ generant, ut lac & similia. Cauendũ tamẽ est à ferculis sorbilibus quæ citò à stomacho descendunt, & ipsum nimis humidũ relinquũt, ne ante crassiora cibaria sumantur, quoniã reddũt uentriculũ inhabilẽ ad retinendũ, ita ut reliqui cibi ante cõpletã cõcoctionem ad intestina descendãt, ex quo fiũt mesaraicarũ uenarũ obstructiões, alumnæ plurimorũ malorũ affectuũ. Sæpe quoq; officit, si res quę facilis sit cõcoctionis, post crassiores assumat, cũ antequã priores digerẽtur, posteriores prius cõcoctæ sunt, sicq; supernatãt prioribus indigestis, & illa uel putrida reddũt, uel putredini ęquiparãtur. Et ista ratione fructus ante crassiora alimẽta comedẽdi sunt, ni forte post alia cibaria ad reprimendum uapores, ne ad

caput aſcēdāt, accipiātur. Quo in caſu quātitas nō multa ſit, utputa à prandio uel à cœna, ſumēdo fruſta quædā pyri, uel cydonij aſsi cū ſaccharo, uel ſimilia, ut diacydonite: tēpus quoq; aſſumēdi cibū in pręſcripto regimine plurimum cōducit: dixit nāq; Auicen. capite de eo quod comeditur, & bibitur: qui ſanitatē cuſtodire intendit, minime aliquid comedat, niſi naturalis fuerit appetētia. & dixit naturalē, ad differētiā appetitus corrupti: naturalis uero appetentia eſt cū uētriculus à priore cibo ieiunus fuerit. Quod minime in ſenibus fit decē uel duodecim horarum ſpatio: quod etiā fit in illis qui nō ſunt aſſueti fortibus exercitationibus, ut ſunt imbecilles & nobiles delicati. Et decimatertia tertij ipſe Auicenna iubet morari uigintiquatuor horis. Et eſt illud quod ipſe in capite de ijs quę comeduntur & bibūtur, dixit, uidelicet: ſiquis grauatus plurimo cibo fuerit, ter duobus diebus comedat, hoc eſt una die ſemel, altera bis cibū accipiat. Verūtamen in omnibus cōdonandū aliquid cōſuetudini, ætati, & anni tēpori: quoniam dimittere cōſuetudinē ſine diſcrimine nō poſſumus, ut teſtatur Hippo. ſecūdo de ratione uictus in acutis. & etiā in libello de natura humana. Hoc idem in ætatibus obſeruādū erit. Nā pueri & ſenes decrepiti crebra cibi ſubminiſtratione egent, nō tamē eadē ratione. Porrò plurimum & frequentē cibū pueris damus, cū plurimū habeant calorē natiuum, & uis augmentatiua, quæ in eis maxime uiget, plurimo humido, tū loco reſoluti, tum etiam ad augenda mēbra eget. Senibus uero in minori quantitate, & frequēter, cū imbecillē calorē habeāt, qui minime plurimā quantitatē cōcoquere ualet. Sunt iſta ratione ſenum cibaria frequēter exhibita exiguæ quantitatis, multū & optimum ſuccū generātia: quæ regula obſeruanda eſt ferè omni tēpore, ſed præſertim æſtate. Illud quoq; obſeruare oportet, ex ſententia Galeni, tertio de uirtutibus naturalibus, uidelicet, quòd tolerare famē, uentriculū malis & putridis humoribus implet. Et illud fit, quoniā cū uētriculus cibis uacuus eſt, uirtus attractiua attrahit uicinàs ſuperfluitates, poſtquam aliud alimentū nō habet. Et hoc cū accidit, nocet præſertim ſenibus, quos (etſi dixerit Hippocrates) facilimè ferre ieiuniū, non propterea ait, eos à cibis penitus eſſe abſtinendos, ſed credit cū minori noxa famē ſuſtinere, quàm iuuenes (ut dictum eſt,) qui plurimū habēt natiui caloris. Obſeruanda tamē anni tēpora, & æſtate cibaria in minori quātitate, & frequētius dare. Cum etiam aliqua ex parte in qualitatibus calidis remiſsi ſint, & in ſubſtātia ad digerendū faciliores, ut ſunt parui pulli gallinacei, & columborū, ac etiā carnes hœdinę, & ſimiles. Atq; in feruentiſsimis diebus ſint cōditæ, ſeu aſperſæ cum ſucco uuæ acerbæ, aqua roſacea, & ſimilibus. Hora uero cōuenientiſsima ſumendi cibū eſt, mane duabus horis poſt ortum ſolis, & antequam aër incaleſcat, & ueſperi poſtquam remiſſa fuerit aëris caliditas. Horis uero meridianis abſtinendū eſt. Præterea in æſtate fructus aliqui refrigerantes (modeſtè tamen) comedi poſſunt, ut ſunt pruna, pyra, muſchata, poma dulcia, ceraſia acetoſa, & mitia, quę amaraſcas, & amarenas uocāt. Ficus quoq;, & uua matura. At in hyeme, quod tempus cōtrariatur æſtati, uberior quantitas, & craſsiori ſubſtātia cibus conuenit, ut ſunt carnes uitulinæ, caſtrati bimi: necnon bouinę iuuenes aliquādo comedi poſſunt. Sunt quoq; hoc in tempore laudatiſsimi capones, gallinæ, phaſiani, perdices, coturnices, columbi, turdi, merulæ, & ſimiles, qui poſſunt cōdi cū aliquibus aromatibus, ut gratiores guſtui, & facilioris digeſtionis ſint. Aromata uero ſint, ut cinnamomum, nux muſchata, macis, gariophylla, & huius generis: uel ſint ſemina fœniculi, aniſi, atq; talia, de quibus omnibus cibarijs in proceſſu fuſe uerba faciā. Dicit itaq; Hippocra. quòd in uere & hyeme uentres calidiores ſunt, & ea ratione meliores ijs temporibus fieri coctiones, ſed in medijs, ſcilicet in autumno, mediū modū in edibilibus obſeruare oportet. Etenim quoniā in autumno imbecille corpus factum eſt, ex reſolutione præcedentis caliditatis æſtatis, cibus ſit in minori quātitate & facilioris concoctionis. In uere autem aliquantiſper pleniores ſint, quoniā uirtutes iam inualeſcere incipiunt. Illud tamē obſeruādum eſt, quòd nil deterius in conſeruanda ualetudine in quacunq; ætate eſſe poteſt, quàm diuerſa edulia una menſa comedere. Etenim ex hoc plura incommoda ſequi cōſueuere. Primū namq; cū ex diuerſitate ciborum plus quàm conueniat comedimus, deinde cum quæ aſſumpta ſunt, diuerſa ſint, diuerſitas quædam in coctione fieri neceſſe eſt. Et ea ratione indigeſtū digeſto admiſcetur, ſicq; uitiatur, & corrumpitur ſuccus qui in ſanguinem cōuerti debet. Poſtremo, quoniam in diuerſitate ſumptorū cibariorū uentriculus magis in cōcoquendo laborat, idcirco Auicēna antiquos laudabat, qui unico genere eduliorū ſaturabātur, atq; exercitatione utebantur. Sic itaq; cibi ſimpliciores in cōſeruanda ſanitate ſunt illi qui magis conducunt, utputa, mane in prādio ferculum ſit ex ouo in iure confuſo, uel ex farre. Caro ſit elixa uel etiā aſſa, ſed iuuenis. Attamē laudabilius nutrimētum, & facilioris cōcoctionis eſt ex carnibus elixis. Veſperi cœnet, & in minori quantitate comedat: uerbi gratia, panem coctū in iure, aut aliud ferculū leue, unà cum carnibus leuioribus. Et hoc ſecundū tēporis opportunitatē: ut in æſtate comedat pullos gallinaceos, perdices iuuenes, uel carnes hœdinas, & ſimiles: & in alijs tēporibus eodē modo augēdo, & minuendo ſecundū tēporū opportunitatem. In cœna ſemper minorē quantitatē accipiēdo, præſertim ſi mane optime pranſus ſit, quoniā horis ueſpertinis ex negotijs diurnis calor non ita ualidus eſt ſicut mane, neque ueſperi matutinus cibus ex omni parte concoctus eſt. Quare cauendū cenſeo, ne multa quātitas cibi addatur ueſperi ſtomacho, laborāti priori concoctione. Sit igitur quantitas, quæ neq; nocturnam quietē impediat, & ſpirituum recreationi expediat. Et quoniam uinū inter ea quæ bibuntur plurimū homines delectat, atq; humidum radicale inſtaurat, & cor etiam lætificat, ideo medici id plurimū laudauere. Quare nō minori diligētia quàm de cibis eius regulas attendere oportet. Sit itaq; in primis potus in ſenibus uinum optimū, ad illam quantitatē & uirtutem quæ aſſumenda, & etiā pro temporis ratione, ut in hyeme potentiora uina. Et cum in omnibus conſuetudini aliquid dandum ſit: qui igitur de more uina potentia, & plurimum biberit, largius illis tam in quātitate, quàm in qualitate utatur. Et quāquam Plato in ſecundo de legibus, ſenibus plurimū uinum ad bibēdum conceſſerit, non tamē omnibus ætatibus uinum utile eſſe dixit. Ait enim in principio: lege ſancimus ut pueri uſq; ad uigeſimum ſecundū annum uinū minime bibere audeāt. Etenim eos monebimus, non oportere ignem igni in corpus atq; animam ſubijcere, antequam ad uirilē ætatem deuenerint, atq; eius ætatis labores incipiant. Iuuentus quoq; furioſum uinum hauſtū fugiat, mox modeſtè uſq; ad xxx. ætatis annum illud bibere incipiat, abſtineátq; omnino & à repletione uini, & etiam ab ebrietate: & cum ad xl. peruenerint, tūc in conuiuijs diſcumbentes, cū alios, tum Dionyſiū ad ſacra ſenū, & ludos inuocēt, qui hominibus uinū aduerſus ſenectutis duritiā largitus eſt. Hæc Plato. Qui paulò pòſt, his addidit, animos ſenū bibentium ſicut in igne ferrū, ita uino feruentes molliores iunioréſq; fieri, ita ut remediū & medicina ſit, ut ſcilicet animus quidē pudorem, corpus autem ſanitatē, & uires adipiſcatur. Hęc omnia de moderato uini potu apud Platonem intelligere operæpretium eſt, cū etiam plurima mala, atq; incommoda ex immoderato uini potu in eodem ſecundo de legibus ſcripſerit. Enimuero ſi nimius fuerit uini potus, ſenſus, intellectum & memoriā extinguit, ac ad puerorū inſcitiam homines redigit, cū minime ſuipſius immoderatè compotator compos ſit. Sicq; nō ſolum ſenex bis puer erit, ſed quoq; temulētus, ex nimia uini compotatione. Sunt alia præter dicta nocumenta ex immoderata uini cōpotatione, quoniam præterquam quòd cerebro officiat, neruis quoq; malam temperiem immittit, & apoplexiam, & neruorum reſolutionem: & hac ratione in quocunq; tempore & menſe, moderatè, & ſecundum tolerantiam uinum potens bibendum eſt. Attamen ſi mane poſt ſorbile ouum, offa in uino aromatico, quale eſt maluaticum, ſumatur, prodeſt ſtomacho, atq; appetitū excitat, & digeſtiuam auget. Igitur in mēſa uinum ſit mediocre, nō nouum neq; antiquū, ſed medium inter duo: quoniā nouum nocet iocinori, & inteſtinis, uetus uero medicinā magis quàm alimentum eſſe, omnes antiqui credidere, tametſi etiā nutriat. Sit itaq; uinum clarum ad rubedinē uergens, non craſſæ ſubſtantiæ, & medium inter dulce & acidum, nō ſit aquoſum, ſed cum aliquali dulcedine ſtipticum, & potens, bonum habēs odorem, atq; gratum ſaporem. Nam nimis dulce inflammat, obſtructiones facit,

& ca

& caput replet. Acerbum uerò, uẽtriculo, & neruis officit, & cruditates generat, pręsertim in senibus. Similiter & acetosum malum est, quoniam præterquam quòd stomacho sua frigiditate noceat, materias quoq; crudas sua incisione ad neruos dirigit, & in eorum substãtiam penetrare facit. At quoniam sæpe ex aliqua maiori causa uina potentia in æstate etiam bibere necessarium est, ut uerbi gratia, quoniam uẽtriculus cruditate, uel aliquo affectu simili laborat, hoc in casu diluatur aqua decocta cũ seminibus coriãdri uel cinnamomi portione, uel cum aliquo, quod eius malitiã refrigerando cõtemperare posſit. Nã ex uini potentis potu, cholera effrenescit, & ea ratione in æstate cũ aquæ fontanæ portione permixtũ tutius bibitur. In hyeme uero (prout ratio tẽporis expostulat) ex moderato uini potu, plurima bona subsequi solẽt, abũdãtia scilicet spirituũ, robur corporis, somni bonitas, optima cibi in uẽtriculo præparatio, atq; eius nutrimẽti distributio. Abstinendũ tamen à nimio uini potu, præsertim cũ uentriculus ieiunus est, atq; etiã à cibo. Porrò prior qui cibũ præcedit, cum sit facilis in penetrãdo, mouet uentriculũ, ut cibus pòst comesus ad intestina ante tẽpus descendat. Posterior uero hoc idẽ operatur sua quãtitate, cũ ducat cibũ ante coctionẽ ad intestina. Ex quo sequuntur morbi ab obstructione & putredine. Sit igitur potus inter comedendum parũ, & frequens, ut cõmoda inde fiat cibi ad nutriendum pręparatio, & sit (ut ita dixerim) leuis lambendo degustatio. Neq; prorsus à cibo ab aliquo uini haustu abstinẽdum erit, cum quãdoq; liceat assueto, uel ad robur uẽtriculi, aliquid uini post cibũ sumere. Quod si album fuerit, minus capiti molestiã infert. Et quoniã sunt quidã qui sic assueti aut aliqua alia causa aquã libẽter bibũt, à quo quidẽ aquę potu abstinẽdũ erit, pręsertim si senes & imbecilles fuerint, cũ uẽtriculũ, intestina, neruos, & cętera membra frigida debilitet, atq; humores sua penetratione & humiditate ad mẽbra lõginqua deducat, aquæ uero humiditas corrigatur coctione. Et quoniã aliquãdo solet interdiu & noctu sæpe sitis mẽdosa accidere, hãc corriges in primis tolerãdo, & dormiẽdo. Quòd si uehemẽs sitis te sollicitet, quod sæpenumero æstiuo tẽpore solet fieri, colluere os aqua frigida, uel aliqua alia re humectãte & refrigerãte, præsentaneũ remediũ est. At si sitis uera fuerit, quæ fit ex defectu humidi, bibere aliquid quod uentriculũ humectare posſit secundũ temporis opportunitatem optimũ erit: ut in æstate aquã fontis cum syrupo rosaceo, in hyeme cum uino. Potus tamẽ sit moderatus: uerum in quocunq; tẽpore & hora necesſitas bibendi fuerit, tam aqua quã uinum, uel alia res pro potu sumpta, sit clara, leuis, grata gustui, & omni malo odore carẽs. Hactenus cõmunes regulas rerum quæ comeduntur & bibũtur uolui leuiter tetigisse. Nunc particulatim de unaquaq; re agendũ, à carnibus primũ incipiens. Carnes omnes in genere & calidæ & humidę sunt: & hac ratione plurimum sanguinem generãt, & optimè nutriunt. Sunt tamẽ & inter eas quędã, quę & uirtutibus & operationibus aliĳs excellunt: nã quadrupedũ carnes plus aliis nutriunt, cũ sint humidiores: & Galenus, & reliqui antiqui medici eminentisſimi, porcinas carnes laudarunt, ea ratione quòd habeãt in qualitatibus cũ humano tẽperamento affinitatẽ: est enim caro porcina calida & humida, plurimum nutriens. Sed quoniam eius humiditas plurima est, ideo plurimum pituitosi humores ex eius substãtia generãtur, quę humiditas sale corrigitur, uel aliquo alio aromate sicco, ut est piper, gariophyllum, fœniculũ, anisum, cyminum, saturegia, origanus, & similes. Sed in cõmuni usu est, ut caro porcina sale præparetur, & præsertim coxæ, & scapulæ. Hæ partes sic salitæ gratæ sunt gustui atq; laudabilis nutrimẽti. At si nimis salitæ fuerint, secus est, quoniã sunt mali nutrimẽti, inflãmãtis, & exiccãtis, neq; comedendæ sunt. Comedantur igitur illę quę modicè sale cõditæ sunt in prima mẽsa, decoctæ super craticulã, aut in aqua elixatæ, & aceto asperſæ ad appetitum excitãdum. Præparãtur præterea hæ carnes plurimis aliĳs modis. Nã ex quibusdã partibus macris & etiã pinguedine admixtis, minutimq; incisis sale, pipere, gariophyllis, & macere addito, ac in intestina positis, farcimina diuersa nomine, figura, & sapore cõficiunt, ut est quam lucanicã dicunt, & reliqua. Hæc omnia tum propter salem, tũ etiã propter aromata calefaciunt & exiccant. Et quanquã grata sint gustui, nõ tamen plurimum nutriunt, neq; senibus ex usu sunt, ni fortè ad exiccandã aliquã materiã pituitosam in uentriculo existentem sumatur. Comeduntur, ut dixi, in prima mensa ad palati uoluptatem nõ solum hæc, sed alia eius generis. Nã cõponunt plurima, ut ex porcino iocinore elixato & minutim cõtrito, ouis, caseo, passulis, cinnamomo, & aliis aromatibus additis, simul cõmixtis, in omẽto porci positis, pastillos cõponũt, quos Venetiis mortadellas, Latini tomacula uocãt. Et grata sunt gustui & optimè nutriunt, & ut me in hac parte expediã, gulosi & qui uẽtri student, ex porcina carne & aliis admixtis quãplurima genera edulium præparant: optima tamen præparatio est cum sale & fœniculo. Sed unum nõ præteribo, uidelicet quòd iuniores porci ex sententia Galeni minus nutriunt, cum ex nimia eorũ humiditate nutrimentũ quãprimum absumatur: & inter porcinas, syluestres laudabiliores dicuntur, cum minus humidę sint, & cãpestres domesticis. Antiquę uerò & annosæ duriores ad coquẽdum in stomacho & pauci nutrimenti existunt. Præterea porcinæ carnes nõ in omni tempore conducunt, sed à principio hyemis usq; ad uernũ tempus. At cum plurima pituitosa materia ex ea gignatur, non sit eius cõmestio frequens, præsertim senibus, utpote qui imbecilliorem calorem naturalem habent. Et si, ut dixi, omnes carnes calidæ & humidæ sunt, bubulæ tamen, porcorum carnibus sicciores, minoris nutrimenti, & facilioris concoctionis sunt. Quare carnes bouinæ, quæ ad comedendum ex usu ueniunt, sint iuuenes, pingues: quoniam annosę, & extenuatorum boum, & etiã uaccinæ sunt malæ: nã plurimum humoris melancholici gignunt, ex quo reddit corpus obnoxium melancholicis affectibus. Laudabiliores partes sunt illæ, quæ ossibus adhærent, atq; laudabilius nutrimentum generant: hæ minimè nerueæ sint. Præterea dextra pars quàm sinistra pręstantior est: similiter masculus femella: & nigrorum carnes præstantiores existunt. Bouinæ ex cõmuni usu elixæ comeduntur, & est optimi & laudabilis nutrimenti, ut dixi: pręsertim si iuuenes & pingues sint: attamen quędam si assatæ comedantur plurimũ sapiunt, ut sunt partes circa dorsi spondilia existentes, & duo magni musculi interiores circa spinã dorsi ad os sacrũ procedentes, quos lombos uocant, qui meliores sunt & in maiori hyemis tempore. At interiora membra, ut est cor, iecur, splẽ, intestina, caput, pedes, & reliqua, sunt pauci nutrimenti, difficilis concoctionis, & mali succi. Et hac ratione nec senibus nec aliis conueniunt. Similiter cæteræ partes salitæ non omnino conducunt, cum sint sicciores, ac melancholicum sanguinem generãtes. Sed meliores partes quæ sale cõdiuntur sunt, ut lingua & mamillæ, quæ gratisſimę sunt gustui. Præparãtur uero mamillæ uaccinę si sale condiuntur, in hũc modum: postquam à corpore sunt absciſſę, incidũtur hinc inde, præsertim secundum incessum uenarum, ut si quid lactis in eis est egrediatur: subinde sale optime in puluerẽ redacto, undiq; superimposito fricare oportet. Quæ sic sale præparatę tribus diebus fac ut pendeãt, & inter duas tabulas onere superaddito, ita ut omnis humiditas exprimatur, maneant per nouem dies: postea suspẽde eas per mensem ad ignis uaporarium. Comedantur elixæ in prima mensa, & est cibus gustui quàm gratisſimus. Vitulorum lactentium carnes longè præstãtiores sunt bouinis, nam gratæ gustui, optimi succi, plurimi nutrimenti, & facilis cõcoctionis existũt. Porrò tẽperatisſimum nutrimẽtum ex eis generatur. Hæ & substantiæ & tẽperamenti bonitate in quocunq; anni tẽpore sine discrimine comeduntur, elixæ, & assæ, aut aliter coctæ & præparatæ, utputa in sartagine cum pinguedine & aromatibus. Et est modus medius coquẽdi inter elixationem & assãtionem: & ut mollior & sapidior efficiatur, inter coquendum sæpe aspergatur aqua rosacea cũ iure carnis, & uino maluatico permixta, uel cum succo uuæ immaturæ, aut arantiarum, & similiũ.

Sunt quoq; optimę carnes ad cõcoquendum, ueruecis siue castrati arietis, præsertim bimi. Etenim gratæ gustui & laudabilis nutrimẽti sunt. Attamẽ ex eis nimis pingues uẽtriculũ & intestina laxare sua humiditate superflua cõsueuere. Extenuatę uero minus ad nutriendũ idoneæ dicũtur. Agnorũ carnes maxime humidæ sunt, nutriunt quidem, sed plurimum superfluitatis gignunt, & concoctioni inobedientes existunt, ita ut sæpisſimè ante concoctionem in uentriculo corrumpãtur: ex qua

corruptione ſequũtur eructationes fœtidę malę. Similiter & ouilla caro mali eſt nutrimẽti, & difficilis cõcoctionis: quare nõ in ſenibus tantũ, ſed in cæteris etiam ætatibus eam nõ laudo. Lactentis hœdi carnes, cæteris aliis præſtantiores ſunt: ſiquidẽ in omni ætate, ſed præſertim in ſenectute plurimũ & optimũ nutrimentũ generant. Neq; notabilis eſt in eis humiditas ſuperfluens. Hæ ſunt facilis cõcoctionis, & guſtui gratæ. Comeduntur elixæ, & aſſæ in uere, & ęſtate, atq; in aliis temporibus, ſi inueniãtur. Hircorũ uero & caprarum, ut ſcripſit Galenus ſecũdo de alimẽtis, deteſtabiles ſunt. Syluestrium animaliũ carnes domeſticis ſicciores ſunt. Et hac ratione minus nutriũt: pręſertim eorũ quæ in mõtibus degunt, & defatigãtur. Sed quæ in humidioribus locis paſcuntur, humidiores etiam exiſtunt, atq; melius nutriunt. Incipiã itaq; à quibuſdã quæ magis in uſu ſunt. Et primò cuniculus, qui etiã paruus lepus dicitur, optimi nutrimẽti eſt, & qui domi nutriũtur meliores ſunt, & guſtui gratiores, aſſantur, uel in ſartagine cũ pinguedine & reliquis præparãtur. Leporinæ carnes iuuenes, & pingues, & uenatione captæ, mediæ ſunt inter bouinã & uitulinã. Et ea ratione mediocre alimentũ generant, & ex eis meliores ſunt partes poſteriores lumbi: ſed & clunes eorũ: tamẽ frequens uſus ſanguinẽ melancholicũ generat. Coquuntur diuerſimode ſecũdum palati luxuriæ diuerſitatem, ſed ut plurimũ cum pipere & aliis aromatibus cõdiuntur: qui modus nõ ex omni parte laudabilis eſt. Melius tamen fuerit, poſt aſſationẽ, iure & aqua roſacea, cinnamomo, & gariophyllo madefactas comedere. Sic enim laudabilius nutrimentum ex eis generatur. Reliquæ uero animaliũ ſylueſtrium carnes, ut ceruinæ, capreoli, & caprarũ, quas damas uocant, non laudãtur. Generant ſiquidem ſiccum, ac craſſum ſuccũ, in quo plurimæ excrementitiæ partes ſunt. Attamen ſi aliquando edãtur, ſint iuuenes & pingues, ac etiam conditæ cũ illis quæ eas humectare poſſunt, ut eſt pinduedo, unà cũ aromatibus non plurimæ caliditatis, & bene redolentibus, qualis eſt aqua roſacea, cum cinnamomo, & ſimiles. Sed inter ſylueſtrium carnes, ericĳ plurimã laudarem: etenim uentriculũ roborant, facilè concoquuntur, & optimũ ſanguinẽ gignũt, & ſi quid mali in ſanguine erit, illud mundificat, prodéſtque melancholicis. Et moduscoctionis eſt aſſatio aſperſa aqua roſacea & aromatibus. Volatilium ferè omnes carnes leuiores, ſicciores, & facilioris concoctionis ſunt, quàm greſsibilium, minus tamen nutriũt. Verũtamen domeſticæ humidiores ſunt, & ea ratione melius nutriunt. Quare gallinæ, capi, laudatiſsimi ſunt: generant enim optimũ ſanguinẽ & plurimi nutrimenti. Comeduntur elixæ, & aſſæ. Attamen minus nutrient, ſi aſſæ edantur, atq; difficiles ad concoctionem magis ſunt. Ius ipſarũ ſtomachum recreat, & plurimũ nutrit. Quòd ſi in æſtate grana uuæ immaturæ in eo decocta fuerint, bilem extinguit. Gallorũ uero carnes & decrepitarum gallinarum ſicciores ſunt, calidæ & nitroſæ, & ea ratione potius medicinalis cibus eſt doloribus intrinſecis, & cruditatibus uentriculi. At pulli gallinacei facilimè cõcoquuntur: plurimũ & optimũ nutrimẽtũ generãt, ſi pingues ſint, neq; ex eis notabile excremẽtũ remanet: omni tẽpore & omnibus ætatibus cõducũt, & eorũ uſus uentriculũ & appetitũ roborat, atq; humores æquat, pręſertim ęſtate. Pręparantur elixatione, atq; etiã aſſatione, & in ſartagine diuerſimode, utputa in æſtate cũ granis uuæ acerbę, & aranciarũ ſucco: & hoc pacto bilioſi humoris acredinem extinguit. In alĳs corporibus addantur cinnamomum & alia aromata. Sint pulli (ſi maſculi ſunt) pingues, ex illis qui nõdũ cantare cœperunt, fœminę autẽ grãdiores: & qui domi nutriuntur, lõgè meliores exiſtunt. Pullorũ columbarũ carnes meliores ſunt eorũ qui uolare incipiunt, ac eſcã per ſe quęrere. Nã in eis eſt caliditas, & humiditas plurima. Et ideo plurimum ſanguinẽ generãt, qui plurimũ etiã inſtaurat, & uires adauget. Et ea ratione eſt cibus ſenibus dignus: nã mẽbra reſoluta roborat, & tremorem uniuerſi corporis ſanat. Relaxata crura & minime incedere potẽtia, atq; ſenſu & motu ferè priuata reparat. Et deniq; inanita corpora optimo nutrimento replet. Hæc omnia de iuuenibus dixi: quoniã carnes columbarũ antiquarũ & ſicciores & frigidiores ac duræ cõcoctionis exiſtũt. Et eius nutrimẽtũ nõ eſt ita bonũ. Pręparãtur iuuenes aliquãdo elixatione, ſed ut plurimũ aſsi, uel in ſartagine cocti comedũtur. Turturarũ caro ſi eminentiſsimis ac ſapientiſsimis medicis credimus, ſapiẽtũ ſenũ cibus eſt: nã pręterquàm quòd optimũ & laudabilẽ humorẽ generat, eius uſus ſenſus omnes roborat, atq; etiã cogitatiuã acuit, & memoriã cõſeruat. Sint tamẽ hæ turturum carnes iuuenes & pingues: etenim ueteres cũ ſicciores ſint, nõ ita ſenibus cõducunt: præparẽtur ſicuti pulli gallinacei ſecũdũ tẽporis exigẽtiã & modum, cũ aromatibus & alĳs. Inter domeſticas quę eduntur carnes, anſeres & anates plurimũ ſunt in uſu, quoniã inter ſe parũ diſtãt, & ſubſtãtia, & cõplexione, & uirtute. Ideo ſimul de his ſermo erit. Etenim ſunt humidæ ualde, tẽperatè calidæ, duræ cõcoctionis, mali ſucci, plurimarũ ſuperfluitatũ, atq; etiã humores corruptioni paratos generãt, quos medici materiã putridarum febriũ eſſe dicũt. Eligãtur quæ mediã inter iuuẽtutẽ, & ſenectutẽ ętatẽ habẽt, domeſticę tamẽ aquaticis, & paludoſis meliores ſunt. Sed mea ſententia eas dimittere melius eſt. Præparantur diuerſimodè ad comedendũ, uidelicet aſſatione cũ ſale & fœniculo, aniſo, ac etiã aliquibus alĳs aromatibus, ut eſt cinnamomũ, macis, & ſimilia. Sunt etiã qui eas præparant elixatione, prius ſcilicet in fruſta inciſas, & unà cũ aromatibus in aqua cũ aceto & ſale cõdiunt, donec perfectè in ſartagine decoctæ ſint, comedúntq; ſic pręparatas in prima mẽſa, hyeme tantũ. Carnes ſylueſtres uolatiliũ omnes domeſticis ſicciores ſunt, inter quas ſanè quædã ſunt tẽperatiores atq; minus humidę, & ea ratione laudabiliorẽ ſuccum pro alimẽto gignũt. Sunt etiã quædã minus probę, præſertim quæ cõcoctu difficiles, & malum ſuccũ generãt. Sed quæ imprimis optimæ habẽtur ſunt phaſiani, etenim plurimũ enutriunt, neq; ex eis humiditas ſuperflua generatur. Laudabiliores itẽ ſunt iuuenes, cũ plurimũ & laudabiliorẽ ſuccũ in ſenibus generẽt: & etiã eorũ qui uitã ocioſam ducũt. Eiuſmodi nutrimẽtũ uentriculũ roborat, impinguat, uirtutes omnes auget & moderatur. Comedũtur ut plurimũ aſſæ, & aliquãdo elixæ, aſperſæ aromatibus tẽperatis. Poſt phaſianorũ carnes in ſapore ac bonitate eſt perdicũ iuuenũ caro, nutrimẽtum cuius ſenibus & cõualeſcẽtibus plurimum cõducit. Has ſequũtur perdicũ carnes, cum laudabilẽ ſanguinẽ gignãt celeritérq; à uẽtriculo coquantur, & etiã ex eis pauca excremẽta remaneãt. Coturnices, quæ & qualeæ à Latinis dicuntur, eiuſdem tẽperamẽti, ſed paulo ſiccioris exiſtũt, probè nutriũt, & iuuenes & pingues meliores habẽtur. Præparãt has omnes ſicuti etiã de phaſianis dixi. Poſt has in frequẽti uſu ſunt frãgolini columbarũ ſylueſtriũ ſpecies, qui ſi iuuenes & pingues fuerint, optimũ ſanguinẽ generant. Auiculæ quoq; paruæ nemorales in arboribus, rubetis, & ſentibus morãtes, plurimæ comeduntur, quales ſunt turdi, merulæ, ficedulæ, philomelæ, quæ & luſciniæ dicuntur, cardueles, & alaudæ, quæ in duplici differentia ſunt, uidelicet galeritę, & nõ galeritæ, quæ uulgò lodula dicitur. Sũt etiã cauda tremula, quę frequẽtiſsimè ad nos hyemis tẽpore accedũt: attamẽ nõ ſunt illę quas medici lapidẽ in ueſica & renibus frãgere dicunt: etenim illę raro ad nos euolãt: inueniũtur tñ aliquãdo, nimirũ hyemis tpe, ubi boreales uẽti uigẽt, & ſunt paruo corpore, colore cineritio, aliis rubro ac nigro hinc inde colore exiſtẽtibus. Quare uideãt qui has aues ad frãgẽdũ lapidẽ uenãtur, ne ſimilitudine decepti incaſſum laborẽt: ſed ſatis eſt admonuiſſe. Sũt & quãplurimæ aliæ aues quę capiũtur uiſco, & aliis ingeniis, & ſunt optimæ ad comedẽdũ, præſertim ſi cõditæ fuerint cũ aromatibus, & pinguedine in ſartagine, ut etiã de maioribus dictũ fuit, quoniã ſic præparatæ laudabile nutrimẽtum generãt. Verũtamẽ inter nemorales aliquæ etiã exiſtũt quæ nõ laudãtur, ut ſunt ſturni, & qualeę uulgò dictę, paſſeres & ſimiles: etenim uel nimis ſiccæ & parũ nutriẽtes aut nimis humidæ, & ſuccũ ad putredinẽ paratũ generãtes ſunt. Sunt præterea & maiores quædã quæ nõ ex omni parte approbãtur, ut grues, mergi, & reliquę omnes in paludibus & aquis degẽtes. Et quę rapaces ſunt, deteriores alĳs dicũtur: etenim durę ac difficiles ad digerẽdũ, cũ paucũ & ſiccũ alimẽtũ generẽt, & ea ratione ſenibus & cõualeſcẽtibus minime cõueniũt. Illud tamẽ in quocũq; genere carniũ animaduertẽdũ, quòd carnes quæ aliquãtiſper aëri expoſitæ fuerint, gratiores & ſapidiores ad comedẽdũ eſſe ſolẽt, atq; etiã facilius coquũtur. Itémq; illæ quæ creſcunt, humidius alimẽtũ gignũt. Pręterea inter partes animaliũ quędã meliores, & quędam minus bonæ uidentur; nam extremitates omnes,

ut ca

ut caput,collũ,pedes,cauda,si ad reliquas partes compares,inlaudabiles existunt.Porrò duræ digestionis,& pauci,& crassi nutrimẽti sunt. At inter uolatiliũ partes meliores sunt ac sapidiores, quæ circa alas,pectus, & collum,& dorsum existũt.Ex intraneis uerò hepata laudantur,& præsertim anserum,& gallinarũ:nã inter cætera meliorem succũ generant.Verũ gallorum testiculi in senibus & in cõualescentibus ob laudabilẽ qualitatem,multitudinẽ,& bonitatem nutrimẽti,ab omnibus summis laudibus extollũtur. Similiter & quadrupedum animalium quædam partes meliores,& quædam deteriores ad nutriẽdũ sunt.Vt exẽpli causa, laudabilior & gustui magis grata est ea caro , quæ ossi propinqua est. Similiter quæ dextri lateris,magis quàm sinistri, & anterioris,quàm posterioris partis. Et quæ propinquior cordi,quàm quæ longinquior , utpote ea quæ à cordis calore melius regulata,habilior ad nutriẽdũ sit. Præterea carnes quæ dorso uicinæ sunt , præsertim intrinsecę lombales,cum sint cõcoctu faciliores,ac etiã sapidę,meliores existunt. Post istas sequũtur in bonitate coxarum partes.Reliquæ uero quæ in uentris partibus sunt,non ita approbantur.Etenim ex admixtione plurium partiũ neruosarũ,neq; facilè coctu sunt,neq; laudabilẽ succum generãt.Intestina postremo,ut cor, pulmones,iecur,splen,renes,& reliqua intranea membra, deteriorẽ succum generant.Attamẽ suille hepar,& hœdinum,ac etiã lactãtium animalium melius habetur:& ista ratione inter delitias cum aromatibus comeditur elixatum,una cũ iure & passulis , aut frixum cũ aliqua pinguedine.Est etiã in usu apud quasdã ciuitates,intestina elixata, cum aromatibus aspersa comedere , quod non plurimũ à medicis laudatur.Præterea faciunt ex pedibus,& capitibus elixatis,addito aceto , & aromatibus(utputa zinzibere , mace , cinnamomo,& gariophyllo)gelatinam. Qui cibus cũ grauis sit , & mali nutrimenti,nullo modo senibus conducit. Postremò illud sciendum est,quòd sanguis animalium,qualiscunq; fuerit,minimè ad nutriendum idoneus & utilis est:& deterior est ille qui ex senioribus , & terrestrioribus animalibus hauritur,utputa bubulus. Sed inter uolatiliũ, sanguis anatis minus malus est,& inter quadrupedũ, suillis,& hœdinus. Neq; omittendũ est cerebrũ:nam si comedatur,uentriculo nocet , & malum succũ gignit: attamen gallinarum cerebrum,antiquis medicina celeberrima ad roborandum cerebrũ fuit. Quarę comedere ea ad cerebri imbecillitatem iubent,& leporinos ad roborandos neruos laudant.Sed ne longa oratione tedio sim,dicta de carnibus ad comedendum satis sint,& ad alia comestibilia descendam. Et quoniam homines non solum carnes edere consueuere , uerumetiã & lac , & reliqua non pauca ex lacte facta,ideo de lacte, & lacticinis,senibus cõducẽtibus,sermo erit. Porrò lac inter cætera nutrientia maximè pręstat,ita ut in reassumendis consumptis , & humidum radicale instaurando,nihil nec cõmodius,nec aptius esse potest, si uẽtriculus illud tolerare,ac regulare possit. Neq; desunt opiniones de diuersitate substãtiæ ipsius,tam secundũ animalium genera,quã ætatis distãtiã,& partũ,& pascua, & anni tẽpora. Quæ difficultates ex processu manifestabuntur.Primũ quod scire operæpretium est,& inter grauissimos medicos disputatũ,est eius tẽperamentũ. Attamen cum è sanguine generetur , & orta attestẽtur principiis(ex Aristotelis sentẽtia,)illud tẽperamentũ uicinum esse credere oportet : quod eius leuis substantia, & suauis in ipso dulcedo magis declarat. Ex omnibus autẽ tẽperatius,ac ad nutriẽdũ habilius,imprimis mulieris laudant,quam iuuenẽ temperamẽto,propinquã, non à partu plurimũ distantẽ,& optima edulia comedentẽ esse uolunt.Sed ex brutis imprimis , lac caprarũ laudant,mox ouiũ,postremò uaccæ:& illud melius est quod emulgitur mane,& sic calidũ bibitur. Animal tamen à quo emulgitur sit iuuene,sanum,pingue,quod à partu non multũ fuerit,& pascens laudabilia pascua:& quãquã plurimi medicorũ in cõsumptis à calore habituato in mẽbris radicalibus,asininũ lac laudauere,cum magis refrigeret,& minus aptũ sit ut in uẽtriculo cõgeletur:attamẽ senibus & decrepitis non ex omni parte cõducit.Quicquid sit,lac sumendũ est mane ante alios cibos:cum nõ sit tutũ cum aliis cibariis lac cõmiscere, neq; ex eo freques usus securus existat:etenim usus frequẽs ipsius obstructiones in meseraicis facit,lapillósq; in renibus gignit.Quare non nisi cum cautela exhibeatur,& ne imprimis in uẽtriculo caseetur aut corrũpatur,& etiã citius descẽdere ualeat , salis portionem aut mellis cum eo admistã medici comedere iubent. Nos uero loco mellis saccharum sæpissime ponimus:at ubi ex usu lactis uẽtris fluxus præter naturã acciderit,optimũ esset frustum chalybis igniti , aut lapides pluries in eo extinguere,ut eius partes humidę,serosæ,ac etiã butirosæ aliquantũ exiccentur. Tẽpus uero cõmodissimũ sumẽdi lac,& ea quę ex lacte fiunt,est uer,cum eo in tẽpore pascua optima sint,cum etiã animalia optimè ualeant,ita ut etiã optimum generẽt lac. Quod si recẽs & coagulatũ sit,cibus grauis est,ac difficilis ad digerendũ: & tametsi gratus gustui sit,non multum prodest.Similiter & caseus cibus grauissimus est,qui tantũ robustis, & laborantibus cõuenit,cum ad coquendum difficilimus sit,& salitus melius est ad digerendum,quã non salitus.Præterea lac acetosum non ita uẽtriculo infestum existit sicuti cætera lacticinia,quare senibus magis conducit,præserim si cum eo portio sacchari cõmisceatur. Post lac acetosum in bonitate est cremor lactis,quẽ caput lactis apud nos uulgò uocant,neq; ex eo plurimũ comedatur cum uentriculũ relaxet,caput repleat, atq; neruos remolliat,attamen eius moderatus usus cũ saccharo,& aqua rosacea in prima mensa plurimũ nutrit. Eiusdem ferè uirtutis est butyrũ , cũ & ipsum sit quidã cremor lactis. Postremò laudatur ea pars lactis quæ post casei coagulationẽ in serosa illa parte per aliquam leuem ebullitionem colligũt,uulgò lac bis coctum, uel recocta dicunt. Quæ etiã in prima mensa cum saccharo comeditur,nõ tamen ut lac & cremor lactis nutrit,est enim difficilis cõcoctionis. Cætera uero genera caseorũ dura sunt ad digerendũ,& uentriculũ grauant , malum generant succum,atq; etiã plurimas obstructiones efficiunt,præsertim si uetustate exiccata fuerint:nam præter dicta uentrẽ adstringunt,renibus nocent,& ad lapillorũ generationẽ parant. Quare si ex eis comedãtur, sit ille,qui inter recens & antiquum est , atq; aliquantulũ salitus,neq; plurimum uiscositatis aut lentoris habens.

Oua inter cætera nutriẽtia laudatissima sunt:etenim nutriunt secundũ omnes eorũ partes,præsertim uitella ipsorũ,ita ut ex eis nulla ferè pars excremẽtitia sit. Porrò temperata sunt,& facilis coctionis,quę tametsi eius partes ut luteũ & albumen diuersæ substantia , colore, & temperamento sint,ex eorũ admixtione tamen tẽperatissimum fit alimentũ. Neq; credendũ est(ut plurimi sapientes affirmant)albumen primo calidius esse luteo,cum ex eo pulli membra generẽtur,& ex luteo nutriantur:nõ enim quia albumen calidius sit,pulli membra ex eo fiunt,sed quoniã semen galli albumini admixtum est,quod semen ita illud albumẽ calfacit,ut membra pulli ex ipsa substantia alba generari possint:tamẽ tota substãtia oui,ut dixi,satis temperamento propinqua est;& melior modus & usus eorũ est,coctio ad sorbendum apta,quæ ut sapidiora sint,& citius è uentriculo descendant,modicũ quid salis addendũ est,& sumãtur ante alia edulia.Decoquuntur etiam in aqua , seu in iure carnis,integra,sine corticibus,quæ sapida & optima sunt,præsertim si cũ saccharo,& cinnamomo cõdiãtur.Sunt & qui in sartagine primo modo pauxilla oua primũ pertractata in aqua simplici iuncto pauxillo saccharo,uel aqua rosacea percoquũt,quæ ego nõ uitupero.Fit etiã ex eis laudatissimũ ferculum,si confusa in iure carnium comedãtur,cum quibus conducit modicũ aceti,uel succi uuæ acerbæ ponere. Ego tamen in senibus & conualescentibus uini aromatici,aut maluatici optimi portionẽ aliquam cũ saccharo,& cinnamomo libẽtissimè porrigo.Sed frixa,elixa,& indurata,& prę sertim cũ oleo,uel butyro cocta, mala sunt:etenim difficilis coctionis existunt,malum succum generãt,uẽtriculo nocẽt,& tardè ab eo descẽdunt.Quicquid de eorũ prępratione sit,semper portionẽ salis addere oportet, cum sic facilius & digerantur,& à stomacho etiam descendant.Et quoniam præter gallinarũ oua,sunt quoq; alia quæ comeduntur,ut anatum,anserum,& reliquarum auium , tam domesticarum , quàm syluestrium: ideo ex eis meliora sunt gallinacea , recentia:post quæ illa sunt , quæ ab illis auibus nascuntur,quæ affinitatem cum gallinis habent , ut sunt fasiani , & similes. Oua sanè præstantissimus cibus senibus , & conualescentibus pro radicali humidi instauratione est : quare summopere oua laudo. Sunt etiã præter dicta,alia animalia,quibus homines uesci consueuerũt,quorum

quædam

quædam ob eorum bonitatem,& nutriendi modum, plurimum laudauerũt,de quorum ſubſtãtia apud medicos non deſunt quæſtiones, præſertim cum non ſint omnino ab antiquis inter tam quadrupedia, quã uolatilia enumerata, neque etiã inter piſcium genera, ſed mediam quandam naturam,inter utrunque habent:& ſunt iſta,uidelicet teſtudines,cochleę,ranę,& eius generis:quæ quoniam neutram habent naturã inter carnes, & piſces,ideo antequam de piſcibus ſermo fiat, de illis aliquid dicere ſtatui. Etenim cum genus teſtudinũ duplex ſit,terreſtre ſcilicet & marinũ,& terreſtre quidem quoddam nemorale, & quoddã aquaticum,imprimis laudabilior cibus eſt ex terreſtribus nemorales, mox poſt iſtas ſunt aquaticę in bonitate:& inter aquaticas, paluſtres quę in paludibus degunt deteriores ſunt,uniuerſum eorũ temperamentũ ad frigidum & humidum declinat:eius ſubſtantia nutrit, quoniam plurimũ lentoris cum humiditate habet, & hac ratione dantur tabidis pro nutrimento, ſi à calore in membris habituato conſumpti ſint.Nam ſua humiditate calore obtũdit, & ſuo lentore acredini reſiſtit,neq; ſenibus utilis cibus eſt,attamen ſi dentur, ſint cõditæ cũ cinnamomo, mace, & reliquis quæ eius calorem augeant, & diſtributionem faciant.Marinæ uero teſtudines mali ſucci ſunt, ac difficiles ad digerẽdum,& ideo dimittẽdæ cochleæ, ſiue limaciæ,& ipſæ ſua humiditate & lẽtore nutriunt, & operantur reſiſtendo acredini caloris in membris habituati.Comedũtur elixę cum ſaccharo & cinnamomo aſperſæ, rarò tamen: quoniam difficilis coctionis ſunt.Ranæ (etſi à multis edãtur) malum & inlaudabile generant nutrimentũ:nam ex putredine gignũtur,atq; in putridis aquis morantur,dolores, & alias malas inteſtinorum ægritudines faciunt, quare eius comeſtio in quacunque ætate & tempore interdicenda eſt.

Piſces nequaquam ſenibus primò & ſimpliciter pro inſtauratione laudãtur: etenim frigidum & humidum alimentum ex eis generatur, cùm & illi tales ſint: attamen inter eos quidam non ita humidi ſunt, præſertim maritimi ac petroſi, ſi ad fluuiatiles comparare uolueris.Verùm inter maritimos ſunt quidam laudabiliores, quales ſunt ſquamoſi, & circa petras morantes: paludoſi uerò,mali ſine controuerſia ſunt, & cœno ueſcentes. Hoc idem diſcrimen in illis, qui in aquis dulcibus degunt,annotare conducit:etenim mali ſunt,qui in ſtagnis & non currentibus aquis uiuunt & nutriuntur: meliores uerò,qui in fluminibus, & aquis claris natãt. Et quoniam ſępe quidã maritimi in aquis dulcibus degunt & paſcũtur,& ecõtrà, uidelicet fluuiales in aquis maritimis,ut ſunt ſturiones,trotę,anguillæ,ſemper mali ſunt:tamẽ deteriores exiſtũt maritimi,ſi in aquis dulcibus cõmorentur,ut cephali,& paſceræ,quã fluuiales ſunt,ſi in aquas dulces deuenerint, ut cõtingit tinchis, & aliis. Quoniam ſalcedo aquæ marinæ, cũ calidã & ſiccã uim habeat, frigiditatẽ & humiditatẽ eorum ſuperfluam aliqua ex parte remittit: ideo ſturiones, & trotæ,ſi aquis maritimis capiãtur, laudabilius alimentum generant. Deteriores omnibus ſunt ij qui male olent,malámq; ſubſtantiam carnis habent,quales ſunt raiæ,canes,& ſimiles:etenim ex eorum comeſtione ſæpe morbi pernicioſi fiunt:& cũ nulli proſint,& ſemper mali ſint,ideo nullo modo eos comedere laudo.Et tametſi piſces quidã guſtui grati ſint,attamen ex eorum comeſtione,paruũ alimentũ generatur,& illud quidẽ, quòd calorẽ cõualeſcentium & ſenũ potius obtundat, quàm adaugeat:& ea ratione piſces ſi comedantur,eo condimẽto cõdiantur,quòd & eius humiditatẽ exiccare ualeat,atq; frigiditati reſiſtat:neq; alio modo eos ſenes tutò comedere poſſunt,etiãſi ex melioribus in ſuo genere eſſent.Et melior modus præparationis & coctionis,ſi recentes ſunt,imprimis eſt aſſatio ſuper craticulã,(in illis qui aſſationem ſuſtinẽt:)deinde elixatio, ita ut ſimul bulliant,in aqua,uino,& ſale,& poſt coctionem addãtur aromata,ut eſt piper,zinziber,cinnamomum,maces,gariophylli,& ſimiles.Frixio uero deterior modus coctionis eſt,cũ ſic duriores ad cõcoctionem fiãt,præſertim habẽtibus uentriculũ imbecillem,ut ſunt ſenes.Neq; præteribo,quòd poſt eorũ coctionem,cũ adhuc calidi ſunt,ſi cooperiãtur,acquirũt putreſcibilem,& malã quandã qualitatẽ.Quicquid tamen ſit,ſaliti minus noxij ſunt recẽtibus,cũ è ſale eorũ ſubſtantia calidior & ſiccior reddatur:uerũ qui diu ſaliti manẽt,uel nimis ſaliti ſunt,parũ nutriunt,ac etiã tale nutrimentũ ſenibus minime conducere uidetur.Decoquãtur ſaliti in aqua,uel in uino dulci,& poſtquàm ex lebete in patina ſoli ſunt,acetum in quo paſſulę bullierint,& aliquid cinnamomi,deſuper adhibe:& ponitur acetũ,ut ſalis caliditas remittatur,paſſulæ uero ſiccitati reſiſtunt.Et ne in iſtis quę iterũ repetẽda erũt,nimis immorer,ad particularẽ modum præparationis orationem cõuertam.Primúmq; de maritimis,inter quos ſturio primã gloriã in conuiuijs obtinuit.Eſt itaq; ſturio ſapidus, & inter piſces(in quibus aliquid optimi nutrimenti eſt)optimè nutriẽs,& propterea ubiq; terrarum,ubi ſturiones capiũtur,in maxima ſunt uenera tione,præſertim apud principes,& indulgentes palato.Naſcũtur in mari nihilominus,quoniã dulcibus delectantur aquis,ſæpiſsime in fluminibus & oſtijs illorũ cõmorãtur.Præparatur ſturio elixatione in aqua,& ſale,& poſt coctionẽ adduntur aromata,ut piper,zinziber,gariophyllus,nux muſcata,in hyeme: in æſtate uero addũt cinnamomũ,macem,& ſimilia.Sunt tamẽ qui prius in uino decoquunt,dein addũt aromata,qui modus in hyeme & uere arridet:nã ſic melius à uentriculo concoquitur,atq; etiã eius uiſcoſitas corrigitur, & nutrimentũ ex eo genitũ facilius ad membra diſtribuitur. Porrò niſi eius nimiam humiditatẽ tollas,humores pituitoſos,frigidos & lentos generat. Aſſum quoq; ſuper craticulã,ſæpiſsime comedunt,cũ ſale uidelicet & fœniculo,qui coctionis modus(ut dixi)magis laudatur:etenim per aſſationem,plurima humiditas(coctioni uentriculi inobediẽs)cõſumitur. Quod ſi in oleo aliquãdo frixus,& ſucco aranciarum,ſiue mali medici aſperſus,uel ſucco uuæ acerbæ,& cinnamomi comedatur,non erit cibus palato ingratus, tametſi rarò frixus in conuiuiis detur.Porrò quomodocũq; recẽs coquatur,in æſtate minus officit,nam ex eo frigidũ alimentũ gignitur.Quare ſenibus minimè ex uſu eſt,cum egeant humidi radicalis optima inſtauratione.Sunt & piſces,quos porceletas uulgò uocant,qui cũ & figura, & aliis omnibus,ſturioni ſimiles exiſtant,præterquàm in magnitudine,paruos ſturiones eos eſſe credere operępreciũ eſt.Hos præparant ad comedendũ elixatione, (ut de ſturione dictũ fuit) cũ ſale,& aromatibus,ſapidi etenim ſunt.Sunt & uarioli qui à Latinis ſpigolæ dicũtur,inter optimos piſces,laudati. Hos multis modis ad edendũ præparant, ſæpe tamen in aqua uel uino,cũ ſale & aromatibus(ut de ſturione dixi:)ſed lõge melius, eos piſcatores præparant.Nã primò,in portiuncula olei in lebete feruentis,cũ ſale piſces reuoluendo & miſcendo calfaciunt,ſubinde aquã deſuper infundũt,in ea tamen quantitate,ut minimè ſupernatet piſcibus,ſicq; permittunt ut bulliant,& cum ferè decocti ſunt,addũt aceti portionẽ,cum aromatibus, uidelicet zinzibere, pipere,cinnamomo,croco,& aliis:ſicq; efficitur ferculum gratiſsimũ,quod ſenibus non omnino nocuũ eſt, iuuenibus optimũ,cum non ita excrementoſum ſit alimẽtum,ſicut ſturiones.Aurata quidẽ laudatiſsimus piſcis eſt,qui(ut plurimũ)aſſus ſuper craticulã,ſale aſperſus comeditur.Et etiã poſt aſſationem, cum ſalſamẽto, ſiue muria,ex aceto,ſale,roremarino,atq; aliis aromatibus,deſuper poſito.Decoquitur etiã aurata,ſicut de ſpicula dictum eſt,uidelicet elixatione cũ aromatibus,ut piſcatores coquere conſueuere:ſed non omnes elixare cõuenit,ſed tantũ maiores & ueteres.Sũt itẽ qui frixas in oleo,ſucco uuæ immaturę aſperſas comedũt calidioribus diebus.Eſt etiã coruus,piſcis optimus,qui ut aurata & ſpicula,pręparari ſolet,eadẽ pręparatione. Dẽtales,quos alio nomine ſinoduntes uocãt,præparantur ſicut cæteri maritimi nobiles piſces,nam ſapidi ſunt,& coquũtur in aqua,aut in uino,cum ſale & aromatibus: qui quoniam in Veneta palude non capiuntur, ſed potius in Dalmacię mari,ac ex Dalmacia Venetias in hyeme aſportantur decocti,unà cum iure congelato(gelatinam uocãt)fragolinos,quos arbores uulgares nominant.Comedũt æſtate homines aſſos,& elixos ſæpe cũ ſpeciebus,& aſſos quidem cum moria ex aceto,ſale,& aliis, ut dixi,quam Gręci oxygarum uocant,qui & frixi ſapidi ſunt,æſtate præſertim,cum ſucco uuæ acerbæ, in quo ſemina fœniculi,& ſalis portio bullierint,nõ tamen ſunt ſenibus cibus.Menæ ſeu Menulæ, quæ apud nos in uere,& prima æſtatis parte capiuntur, aſſæ ſuper craticulã comedũtur ſine aliquo alio condimento. Sæpe etiam cũ iam dicto ſalſamento (quod oxygarum uocãt,)& quoq; in oleo frixæ.Ad eundem modum giruli

ruli

ruli, piſces quidē menulis ſimilimi,ſed paruiores,comedūtur.Sed inter maritimos qui circa petras morantur, ſcarpene,qui & ſcorpiones dicuntur,laudatiſsimi exiſtūt. Etenim minus humidi ſunt,quoniam circa petras ueſcuntur ſicciori nutrimēto,& ea ratione laudabiliorem ſanguinem generant:ſi ad reliquos ſpectes,coquūtur per elixationem in uino ſæpe,& etiam in aqua cum ſale,& cinnamomo. Triglæ quoq; & barbi,qui ſunt piſces eiuſdem generis in ſubſtantia , forma , quantitate, & colore,atq; in aliis,comeduntur recentes , aſsi ſuper craticulam,aut frixi in oleo cum ſucco uuæ immaturę: qui ſi maiores ſunt,poſſunt etiam elixatione pręparari. Sunt etiam inter paruos piſces ſardæ, & ſardi piſciculi, & marſiones,& acuelle,& acuoni,qui ſæpe ſuper craticulā per aſſationem coquūtur,& nō raró in patella per frixionem cū oleo. Scumbri piſces, qui uere & æſtate capiūtur,nobiles,optimi,& guſtui grati ſunt,comedūtur ſuper craticulam decocti,uel frixi in oleo.Et ad eūdem modum coquūtur ſuri,qui & ipſi gratiſsimi ſunt. Eſtq; anguſigulla piſcis,quem frixū comedunt,qui non eſt ingratus guſtui. Gobij piſces Venetiis uulgatiſsimi, optimi ſunt hyeme,& præparantur elixatione cū aromatibus,ut de ſpigola dictum eſt,ac etiam frixione cū oleo,& ſucco uuæ immaturæ,uel cum ſucco pomi medici,ſiue arancij . Sed hic animaduertendum eſt,quòd Gobij quales apud nos exiſtūt,non ſunt illi quos ueteres laudarunt,quoniam illi circa petras degunt , & nutriuntur,noſtrates uero in paludibus creſcunt , & nutriuntur:quare diuerſi ſunt ſpecie inter ſe.Præter dictos, ſunt & alij piſces qui in paludibus morantur,ut cephali,qui etſi gratiſsimi ſint palato,attamen malum ſanguinem gignunt,ac etiam tardè à ſtomacho digeruntur: ſed cephali qui in mari capiuntur non ita praui ſunt, omnes tamen prauos humores,obſtructiones,& malas febres gignunt.Galenus cum origano eos comedere docuit,moderni tamen cum ſale & cinnamomo ſuper craticulam aſſos:quomodocūq; præparentur,ſemper ſunt mali,& uentriculo nocent.Sunt etiam oculatę, quæ & menulari uocant,qui & ipſi inter piſces optimi dicuntur.Comeduntur tam elixi , quam ſuper craticulam aſsi,cū aromatibus.Eſt etiam tomus, ſiue thymus, magnæ & inſignis quantitatis piſcis,qui diuerſa nomina ſortitus eſt,ſecundum diuerſas eius ætates:nam Palamidam, & parmulam quidam (cum adhuc paruus, & ante annum in prima ætate)uocant , tomum ſi magnus,& plurium annorū fuerit. Tomū ſuper craticulā cum ſale & fœniculi ſeminibus,coquere conſueuerūt. Et eſt cibus grauis , & difficilis concoctionis , nocuus uentriculo & capiti,neque in eo aliquid exiſtit , quod uel ſanitati,uel inſtaurationi fauere poſsit.Sunt prætereа quidam piſces,quos ſalpas uocant,hi malum nutrimentum generant,quòd etiam facilimè in uentriculo corrumpitur,& eius ſubſtantia guſtui non multū grata eſt.Sunt & rumbi piſces lauti inter nobiles , qui coquuntur elixatione cum aqua,& etiam cum uino & ſale:additis aromatibus in fine coctionis. Sunt etiam qui hunc in frixorio cum oleo decoctum laudant . Sunt & paſſaræ piſces,qui optimi ſunt in uere , & primum æſtate decoctæ ut rumbus.Soliæ quoque,eo modo ad comedendum præparantur,præſertim in frixorio,cum oleo,aſperſæ poſtea ſucco aranciarum,uel uuæ immaturæ.Similiter & citula(quam piſcem ſancti Petri uocant,)& elixatione & frixione præparatur. Et tametſi grongi,& murenę,raró apud nos ſint,quoniam tamen apud Siculos,& in illa maris parte frequētiſsimi ſunt,ij plurimum laudantur,præſertim ſi elixatione cum aromatibus præparentur.At anguillæ non laudantur,quæ apud nos in tam frequenti uſu exiſtunt:cum gratiſsimę ſint guſtui,& malum nutrimentum gignant,& difficilimè à uentriculo concoquantur,nocēt uiſceribus omnibus, præſertim capiti. Præparantur aſſatione in ueru, ſuperaſperſo ante aſſationem plurimo ſale. Sunt & qui eas elixas cum aromatibus comedunt,ſed plus nocent:uerum quæ ſalitæ ſunt,minus officiunt,præſertim ſi unà cum ſale & fœniculi ſeminibus , uel aromatibus quibuſdam,ut ſunt piper, gariophylli , cinnamomum, & ſimilia comeduntur. Præter iam dictos piſces ſunt etiam quidam qui ueſcuntur piſcibus quamplurimis, malæ ſubſtantiæ, & malum nutrimentum generantibus,quos minime in regimine tuendæ ſanitatis approbauerim: ut ſunt canes,raia,columbus,ſquatina, ſepiæ, polypus,& loligo(qui uulgò caramale dicitur:)hi omnes piſces mali ſunt , cum etiam capiti,& uentriculo infeſtiſsimi ſint.Plures alios potuiſſem enumerare maritimos piſces,quibus homines ueſci conſueuerunt:ſed ij enumerati ſatis pro exemplo ſint,& ad aliquos in aquis dulcibus morantes orationem conuerto . Sunt itaq; plurimi,ſicuti & maritimi,attamen minus laudati. Verum inter hos quidam meliores & optimi ſunt, & apud omnes laudati.Eos igitur ſubinde enumerabo: & primo trota , & carpio,ut ſapidiores , & meliores laudātur,cum ſint guſtui grati,attamē ſunt difficiles ad digerendum.Decoquuntur in uino cum gariophyllis, mace,cinnamomo,& ſimilibus. Et quoniam non deſunt qui de principatu horum duorum piſcium contēdant,cum quidam dicant carpiones nobiliores eſſe,& quia nutriantur circa auream arenam , & quia diutius à putredine conſeruari poſſunt. Capiuntur autem carpiones in lacu Benaco tantùm,uel ſi in alio loco,id raró uidere eſt. Quicquid ſit , ambo optimi ſunt recentes,& coquuntur elixatione cum aromatibus , & etiā frixione cum oleo . Et intantum hominibus gratus cibus fuit,ut ad lōgiſsima loca,& regiones aſportentur, uidelicet ſaliti,& in oleo frixi.Sardæ quoque laudatiſsimę in eodem lacu capiuntur,quæ recentes ſuper craticulam aſſæ comeduntur,& frixæ etiam. Sunt pręterea & themuli poſt hos laudatiſsimi,qui apud Taruiſium capiuntur,& etiam apud Bononiam,& coquuntur elixatione , cum aromatibus , & frixione . Et barbi ſimiliter præparantur aſſatione , frixione , & elixatione , cum aromatibus.Sunt & lucij uulgatiſsimi apud nos, qui quoniam lentore humiditatis priuantur , inter minus nocentes enumerantur in regimine ſenum, & præparantur ſæpiſsimè elixatione cum uino , uel aqua,& aromatibus,ut dixi. Et nonnunquam aſſantur in ueru,hoc pacto:uidelicet poſtquam aliquantulum calfacti ſunt in uer u ad ignē,ita ut cutis ſquamoſa à carne ſeparari facilè poſsit , amouenda eſt : deinde cum farina & ſaccharo , & cinnamomo commixtis, ſuperaſpergendo , cruſtam quandam faciunt:atque ſic procedunt uſque ad perfectam piſcis aſſationem , & ſunt optimi & ſapidi.Cæteri alij qui apud nos in frequenti uſu ſunt,ut rainæ,tinchæ , ſardæ,omnes (mea quidem ſententia) cum mali ſint nutrimenti, interdicuntur,ſed lampredæ cum ferè nullum in ſe lentorem habeāt poſſunt aliquando comedi . Neque diuerſitas ex loci mutatione in piſcibus prætermittenda eſt , cum ſint quidam , qui etſi ortu maritimi ſint , attamen dulcibus aquis delectantur,atque in ipſis degunt & nutriuntur. Et econtra ſunt alij,qui in dulcibus oriuntur,& tamen maritimis delectantur,atq; in ipſis nutriūtur,ut uarioli,lupi,anguillæ,cephali,paſſaræ,tinchæ, & alij(ut paulo antè dixi)qui ſolēt mutare loca,ex qua loci mutatione & meliores,qui ex dulcibus ad maritima tranſeunt, & deteriores efficiūtur,qui ex maritimis ad dulces.Nā uarioli,ſiue ſpinulæ,lupi,anguillę,tinchæ,& ſimiles,inter quos eſt ſturio , qui etſi marinus ſit , gaudet tamen aquis dulcibus, atq; ex eis pinguiores , deteriores ſunt cū in dulcibus aquis morātur : & econtra,ſi tinchæ,uel lucij in maritimis creſcāt,meliores efficiuntur. Habet quoq; uſus hominū oſtrocoderma,et cruſtaceos,quos comedant,qui omnes(teſte Galeno)malū alimentū generant:etenim uentrem ſtimulāt,& parum nutriūt:ſed oſtrea cōfert illis,in quibus cibus in uētriculo corrūpitur,ac etiam augēt tam digeſtiuā quàm expultricē uirtutem,ubi plurima quantitas carnis ingeſta fuerit:præſertim ſi poſt carnes comedantur:etenim ſua ſalſedine calorē augent,& uirtutem expultricē ſtimulāt. Nō deſunt qui credant oſtracorū comeſtionem uenerē augere,& ſemē multiplicare,ſed decipiūtur , cum ex eorum commixtione,& parum,& malum nutrimentū generetur.At nō quoniam augeat ſemen uenerem ſtimulat, ſed quia ſua ſubtili caliditate uētum excitat,& ad uias genitalium trudit,fit ut oſtrea comedentes ſtimulētur, & in erectionem, atque titilationem incurrant . Ex oſtreis meliores,& minus nocuæ ſunt illæ,quæ capiuntur in locis non cœnoſis,ſed ubi aquæ ſunt currentes, quæ etiam ſint guſtui gratæ,boni odoris:uerum ſi male oleant,& in paludibus putridis creuerint,malę ſunt. Modus præparationis ad comedendum diuerſus eſt, nam quidam aquam feruentem ſuper eas proiiciūt,& ſic comedunt. Sunt etiam qui ſuper craticulā coquūt: ſunt & qui crudas aperiunt , & addunt oleum & piper,& ſuper craticulam coquūt,Sunt præterea qui cru-

das

das eas comedunt, ſed in nullo pacto laudari (in regimine ſanitatis) poteſt: eſt enim cibus grauis, neq; comedendæ ſunt niſi poſt reliqua cibaria, ut ſua ſalſedine calefaciendo, & uirtutem expulſiuam ſtimulãdo, coctioni, & expulſioni uentriculi adiuuent, neq; ſit quantitas multa, cũ ſint mali & pauci nutrimenti. Præter oſtreas, conchiliis genere diuerſis ueſcuntur, quæ quoniam omnia ferè eiuſdem ſubſtantiæ & uirtutis ſunt, malum & acutum ſanguinem generantia, ideo eorum uſus interdicatur, & quæ interea meliora creduntur, ſunt quæ locis arenoſis, & non paludoſis, creſcunt, & melior modus præparationis, in minoribus, eſt bullitio cum uino & aromatibus, uſq; ad aliquam apertionem. Sed laſturæ, quæ genus cõchiliũ eſt, & ſunt ſatis magnæ quãtitatis, illæ elixantur primo in aqua, & extractis partibus interioribus, atque in fruſta inciſis, cũ oleo & aromatibus preparantur. Quicquid tamen ſit de eorũ preparatione, omnia genera conchilium, ſiue magna, ſiue parua, ſiue longa, ſiue rotunda fuerint, deteſtabilia exiſtunt. Sũt & cruſtacei piſces, ut laſturæ, maritimi, & fluuiatiles cancri, camari, & ſimiles, qui ſiue magni, ſiue parui ſint, omnes parum nutriunt, tametſi medicorum ſchola in regimine reſumptiuo, ut gratia exempli, in laborantibus ſebre habitudinali, laudauere cancros fluuiales, non propterea quoniam plurimum nutriant, ſed quia ſua humiditate, & nutrimenti lentore calorem in membris confirmatum, atque (ut aiunt medici) habitudinalem, & fixum obtundunt, atq; reſiſtunt colliquationi membrorũ ſolidorũ. Quare cũ ſenes ex decurſu ætatiuo frigidi & ſicci facti ſint, & egeant nutrimento calido, & humido moderato, ea ratione illis minime conducit, niſi forte aliquando egerint cibo medicinali (gratia exempli) ad prouocandum urinam: cæterum non ſunt ex uſu, cum ad digerendum duri ſint, & capiti & uentriculo infeſti, atq; uentrem conturbãtes. Meliores ſunt fluuiatiles. Etſi (ut dixi) omnes graues, & parum nutriant, tamen quoniam à multis comedũtur, ideo meliores eligãtur, uidelicet molles, cum à cortice dura expoliati capiuntur, (quos molechas uulgò uocant,) & ſunt grati guſtui frixi in oleo, & hoc tam de maritimis, quã de fluuialibus intelligi debet. Cæteri uero qui duri ſunt, ſiue fluuiatiles, ſiue maritimi, ſiue parui, ſiue magni fuerint, præparantur elixatione cũ aqua, & ſale. Sunt preterea qui ex dictis magnos poſt ebullitionẽ aperiunt, & ſuperponũt acetũ & aliquid aromatum, ſicq; fiunt gratiores guſtui. Et tametſi ſalita omnia in inſtauratione humidi minime ex uſu ſint, nihilominus quoniam homines frequenter ſalitis ueſcuntur, de iis non ingratum erit diuerſitates eorum, & præparationes enumerare: ſi prius qua ratione inſtaurationi non conducant dixero. Salita igitur omnino minimè ex uſu ad inſtaurandum deperditũ humidum ſunt, primum quoniam exiccant, & corpus uehementer inflãmant, ſitimq; malam excitant, atq; epati, & renibus nocẽt, & ex eis parum humidi nutritioni accomodi ſeparatur, ſed maior pars eorũ excremẽtitia efficitur. Nihilominus ſi in modica quantitate ab illis qui plurimã materiam pituitoſam in uentriculo habẽt comedãtur, non parũ proſunt & calfaciendo, & attenuando materiam pituitoſam frigidã, & humidã, & uirtutẽ appetitiuam excitãdo, & hac ratione ſenibus ex uſu eſſe poſſunt. Præparantur igitur ſalita hoc modo. Et primo carpio inter cætera ſalitus, & in frixorio cum oleo frixus, non ſemel ſed pluries cuſtoditur, & ſic per plures frixiones ſeruari per longũ tempus poteſt, & ad diuerſas regiones aſportari, & iterũ cũ comeditur, in oleo denouo frixus comeditur, aut ſuper craticulam calfactus. Sunt & peregrini quidam piſces ſaliti, qui in maxima ſunt (ut ita dixerim) reuerentia, ut eſt ſalmon piſcis, qui præparatur decoctione in uino cum aromatibus. Eſt & morona, quæ elixatione in aqua præparatur, & comeditur aſperſa aceto, & ſimilia, quæ ſunt ſturionum partes dorſales, ut quas moronelias uocant, coquuntur ſuper craticulã, & ſuper aſperſo aceto comedũtur, ĳ tamen omnes mali ſunt. Præterea piſcibus quàm plurimis aliis ſalitis, & eorum partibus ueſcuntur, ut ſunt cæphali, barbi, ſiue triglæ, ſgombri, ſardæ maiores, & minores, (Ianuenſes inchio uocant) anguillę, & alii, qui etſi grati guſtui & palato ſint, attamen quoniam neq; probum alimentũ generant, neq; ad digerendũ faciles exiſtunt, interdicendi ſunt. Sed ouataricha, quæ uulgò botargàs uocant, uocabulo græco paulò corrupto, cũ non ingrata ſint guſtui, & etiã cum uẽtriculũ roborẽt, & pituitoſam materiã in eo exiccent, & appetẽdi uim incitent, in prima menſa laudo. Similiter oua ſturionũ ſalita, quæ cauiarũ uocãt, poſſunt aliquãdo ad exiccandam pituitã in uẽtriculo, (in minori tamẽ quantitate) comedi. Hoc idem de aliis ſalitis dixiſſe uolui, cum non niſi ad aliquam medicinalẽ intentionẽ, in uſu in ſenibus ueniant, uidelicet uel cum exiccare aliqua ex parte, uel ſubducere uentrẽ, ſtimulando intẽdimus: at ſi ſalis acredinem extinguere deſideramus, id commodè fiet, ſucco uuæ immaturæ, aut pomi medĳ, ſiue arancĳ, aut limonum, aut citrium, & ſimilium hæc. Et ſatis de piſciũ præparatione.

Fercula diuerſa atq; ex diuerſis edulĳs ſimplicibus, & commixtis communis hominum uſus approbat. Quapropter eorũ & cõpoſitiones, & differentias, aliqua ex parte enumerabo, præſertim eas quę noſtro inſtituto accõmoda uidentur, ut ſcilicet ſanitatẽ tueatur, & uita prorogetur. Etenim temperata & ſapida fercula, plurimum in inſtaurãdo humidum congenitum, & ſpiritum uitalem faciunt, ſi moderatè, & ſuis temporibus, ac commodè præparata, comedantur, cum ſecundum diuerſas tum coctiones, tum mixtiones, diuerſas etiam uirtutes & acquirant, & admittant. Porrò, quæ cum carnibus coquuntur, uirtutem carnium illarum accipiunt, atq; nutriunt unà cũ eius naturæ qualitate: ſimili ratione quoq; de piſcibus dicendum eſt, nam ſi cũ ipſis fercula componãtur, uel aliquid cũ ipſis bullierit, proculdubio illa res illorum piſciũ uirtutẽ aliqua ex parte recipiet, atq; adeò cum ea uirtute corpus nutriunt, alterant, & mutant. Ne igitur aliqua ex parte in iſtis error fiat, quæ proba ſunt, primo annotabo. Etenim laudatiſsimum ferculum eſt panis, in iure carnium mollitus, præſertim in iure capi. Sed laudabilius erit, ſi panis cum iure bullierit, ita ut ex eis uocata panatella efficiatur. Porrò non ſolum ſenibus conducit, uerumetiam & pueris, cæteriſque alĳs ætatibus, cum probè nutriat, atque cito à uẽtriculo permutetur, & deſcendat. Enimuero ex eo optimum alimentum fit, quod celeriter nutrit, atque etiam plurimum in ſenibus humiditatem naturalem inſtaurat, partéſq; pectoris exaſperatas, & ſiccas mollit. Quare non mediocriter tuſsientibus prodeſt. Præterea fit laudatiſsimum ac nobile ferculum, ex decoctis carnibus, amygdalis, & mica panis, ſimul in mortario ſubactis, atq; cum iure optimo, aqua roſacea, & ſaccharo cõmixtis. Hoc ferculum mirè ſenes, & conualeſcentes inſtaurat, & reficit: in quo nulla ferè excrementoſa pars exiſtit. Sed totum propemodum in alimentum conuertitur, atque, ut ita dixerim, minimo, & nullo caloris labore. Quare eius uſus plurimũ ſenibus conducit. Poſt hoc eſt alica, ferculum ex granis zeæ (noſtrates uero ſpeltam uocant,) & fit ex huiuſmodi granis à corticibus mundatis, cum iure carnium edulium gratiſsimũ: quod ſenes, & alios habentes imbecillẽ calorem, ut mulieres, conualeſcẽtes, impinguat, ſi optimè pręparetur: tametſi hordeum, & ptiſana ex eo facta ab Hippocrate, & Galeno miris laudibus laudentur: non tamen omnibus ætatibus, & temporibus, ad optimam ualetudinem ex uſu ſunt. Sed ferculum ex farre cum iure carnium, uel cocto in aqua, additis amygdalis tritis, & ſaccaro, optimè nutrit, & facilè à ſtomacho digeritur. Similiter ex oryza, ſiue ryzio, fit ferculum cum iure carnis: uel cum amygdalis, ſaccharo, & parum croci, quod quidem ſapit, & nutrit: niſi quod flatum in inteſtinis commouet & gignit, quem cinnamomum, & amygdalæ remouent. Præterea ex tritici farina plurima edulia faciunt, & omnia grauia ſunt, atque obſtructiones gignunt, quæ etſi nutriant, attamen non ex omni parte laudantur, ſiue ſint iuſcula, ſiue lagana, ſiue quoduis aliud genus ferculi, ex triticea farina, qualia ſunt paſtilia uocata, & reliqua. Quare nõ niſi cũ tẽperatis aromatibus comedãtur, ut eſt cinnamomũ, & raro. Similiter legumina omnia grauia ſunt, inter quæ cicer nigrũ, & rubeũ, non ex omni parte malũ eſt, cum ſatis cõmodè nutriat, atq; pectori, & pulmonibus opituletur, præſertim ſi à craſsioribus humoribus aggrauẽtur: ſubtiliat etenim ſanguinem, urinã cit, & lentos humores atq; arenulas à renibus expurgat, uentúmq; in uentriculo & inteſtinis excitat, atq; ea ratione ad uenerem ſtimulat, nõ quoniam ſemen genitale auget: quod (ut corrigas) bulliat cum ipſis ciceribus roſmarinum, uel radices fœniculi, aut

petroſe-

petroſelini,uulgares,& ruſtici tamen allium cũ eis ciceribus coquunt,quod nõ ſine ratione laudatur.Etenim allium fugat omnem uentum, tum in uentriculo, tum etiam in inteſtinis: cætera uero legumina,ut fabæ, piſa,faſeoli,lentes,ciccrculæ,mali & pauci ſunt alimenti. Etenim fabæ,prætcrquàm quòd parum nutriant, plurimum flatum generant,& eorũ uapores non modicũ caput lędunt.Piſa etiam craſſum alimentum gignũt,& modicum nutriunt. Sed faſeoli deteriores ſunt,cum facile in uentriculo corrumpãtur, & malum ſanguinem generent,atq; malas excitent febres. Lenticulæ quoq; parum nutriunt, & aluum ſiſtunt, ſed præter id quòd eius alimentum malum ſit, & difficiles ſint ad concoquendum,frequens uſus eorum ſcabiem malam excitat,& lentium decoctum(ut aiunt medici)malum ſanguinem ad cutem propellit:quare datur, ubi uariolæ, uel morbilli,aut papulæ,ſeu peſtichię,in febribus peſtilentibus ęgrè egrediuntur. Poſtremo cicerculæ malæ ſunt,& potius ruſticorum, & plurimum laborãtium, quàm ciuilium hominum cibus exiſtit.Et ad ſummum in ĳs omnibus qualeſcũq; fuerint,eorum præparationes,uel qualia fuerint fercula,ex eis facta,minimè ſenibus conducere poſſunt, neq; habentibus imbecillem uentriculum. Olera quoq; ſenibus pro alimento nequaquam conducunt,ſunt enim pauci alimenti,& mali ſucci.Verum inter olera quædam laudabiliora dicuntur,ut borago, bugloſſum,meliſſa,& lactuca,quã Galenus plurimum laudauit: ueruntamen nocet uiſui,& omnes ſenſus hebetat, hominẽq; ſomniculoſum reddit.Quæ autẽ in frequẽti uſu,præter dicta ſunt,eſt braſſica,blatis, ſpinacia: ſed cum omnes herbæ (ut dixi) ſint pauci nutrimenti,ut melius nutriant,non niſi in iure carnium coqui debent,ſicq; præterquam quòd molliant, habebunt etiam quòd nutrire poſsint. Et quanquam caules,ſiue braſsicæ in frequẽti uſu hyemis tempore ſint, & ueteres braſsicam plurimùm laudarint: equidem eam minimè ex omni parte laudare poſſum, cum primo malum ſuccum generet,qui caput infeſtat, atq; oculos obtenebrat,ſed deteriores ſunt albæ,quas Arabes canabit uocant, uulgò uero capuzi dicuntur: nam ægre à uentriculo concoquuntur, & parum nutriunt, & ea ratione unà cum ſeminibus fœniculi coquuntur.Præparantur etiam fercula ex quibuſdam fructibus orarĳs,ut ſunt cucumures,citruli,cucurbitæ albæ,& uirides, quas marinas uocant: hi ſenibus minimè proſunt,cum ſint frigidi,& humidi nimis,pauci nutrimenti,& difficilis cõcoctionis. Meliora ex eis fercula erunt, ſi in iure carnium cum cinnamomo uel croco bullierint,æſtate. Similiter citruli & cucumeres deteriores ſunt,ſed ad digerendum meliores,& guſtui gratiores erunt, ſi cum eis poſt coctionem confundatur ouum,& croci uel cinnamomi portio:nam hic modus præparationis laudabilius nutrimẽtum generat. Rapa radix eſt,ex qua ferculũ hyeme fit,cũ iure carnis,quod pauci nutrimenti,& uentriculo graue eſt. Melior uero prępáratio ex ea erit,ſi prius in prunis rapę aſſentur,& à corticibus mundentur,ſicq; minutim inciſę in iure carnis,cũ ſeminibus fœniculi, uel cinnamomo coquãtur, cum ſic eorum uentoſitas tollatur,& ſapidiores guſtui ſint.Illud idem de napis dixerim,ſi aliquãdo comedantur,ſicut de rapis, uidelicet ut ſint cocti cum fœniculo,& iure carnis,& optimè ſaliti, quoniã citius è uentriculo deſcendunt. Sunt quidam alĳ fructus, qui minimè ex uſu ſunt,ut melengana,& ſimiles. Etenim eius ſubſtantia mala eſt,quę grauat uentriculum,& ſanguinem corrumpit. Sunt etiam mali fungi, & tubercula, (ſpongiolas uulgares uocant)nam præterquam quòd uentriculo anguſtiam faciunt,eorum humiditas ueneni naturam habet,quam minimè uentriculi calor regulare poteſt.Equidem multos uidi ex fungorum comeſtione interiiſſe,quod etiam Galenus teſtatus eſt. Sunt præter dicta plures aliæ ex terra naſcentes res,ut paſtinaca,tam agreſtis,quã ſatiua,uulgo cariota dicitur, & raphani,& cepæ,& porri,& bulbi,& alliũ, & ſimiles: quæ nullo modo ut cibus comedi debent,cum ſtomacho & capiti infeſti ſint, & humores bonos inficiant. Poſſunt nihilominus aliquãdo,ut medicinalis cibus comedi,ut gratia exempli: Raphanus poſt cætera edulia, ad uentriculi digeſtiuam uigorandam. Et paſtinacia, ſiue cariota decocta,& cum aceto condita,addito ſaccharo,& cinnamomo in prima mẽſa,ad excitandũ appetitum.Similiter & ut melius uentriculus craſſa & frigida cibaria concoquere ualeat,cepæ,porri, bulbi, & allium comeduntur: & hac ratione allium cũ nucibus uel amygdalis, cum aceto ſubactũ, plurimi comedere cũ piſcibus,& pinguibus carnibus aſſolent. Quicquid tamen de his ſit,ſemper à talibus abſtinendum erit,tanquam à ruſticorum,& non ciuilium cibo. Non tamen ſilentio prætcribo allii utilitatem, nam ſi modeſte aliquãdo quis eo ueſcatur,ſtomachi digeſtiuam roborat, uentoſitates inteſtinorum reſoluit,& pituitam in inteſtinis per ſeceſſum educit. Præterea cepæ in cineribus decoctæ,& cum aceto,oleo & ſale conditæ,non ingratus eſt cibus,qui etſi pro nutrimẽto malus ſit,attamen habet aliquid quod aliquando plurimũ prodeſſe poſſit:præſertim in illis,in quibus plurima materia craſſa, lenta, uiſcidáue, in uentriculo & pectore infarcita eſt, ex quorum numero ſunt ſenes,& pingues. Similiter & porri illud facere poſſunt, ſed non ita fortiter. Quod ſi fortè hanc operationem in porrorũ comeſtione in ſenibus ad pectoris mundificationem deſideremus, cocti, & cum melle cõmixti comedantur:non tamen eorum quantitas plurima ſit,cum malum ſanguinem gignant. Et ut finem huic parti faciã,& ad reliqua breuibus me accingã:plurima ſunt,quæ in prima menſa comedũtur ex terris naſcentia,tam cruda, quã cocta, cum oleo & aceto,& ſale condita, & dicuntur acetaria, ſiue ſalaticia,quæ ad alliciendum appetitũ,& non pro nutrimento comeduntur.Inter herbas lactuca in frequentiſsimo uſu eſt,unà cum boragine,bugloſſo, & eorũ floribus, ac etiam endiuia,cicorium,meliſſa, calendula,mentha, pulegium,pimpinella,& ſimiles:quę omnes non tantũ ſenibus non ſunt ex uſu, uerum nec aliis ætatibus pro nutrimento.Quare ex ĳs modica quãtitas comedi debet,ſed eruca,naſturciũ,& ſimiles,omnino interdicantur:nam ex eorum comeſtione malus generatur ſanguis,qui uniuerſam humorũ maſſam corrumpit. Sunt tamen prærer dictas quædam quæ laudatiſsimæ ſunt, ut aſparagus,qui plurimum nutrit, & urinã prouocat, ſanguinémq; ab aquoſitate mũdificat, quod omnibus plurimum prodeſt,ſed ſenibus primo. Poſt aſparagum in bonitate eſt lupulus,qui nondum folium expanſit: nam roborat uentriculum,& pituitam in eo attenuat, atq; ſanguinem mundificat,comeduntur cocti. Similiter & cappares optimi ſunt,cum ſtomachum roborẽt, & craſſos in eo humores attenuent,ſpleníſq; & aliorũ uiſcerum obſtructiones aperiant.Salſamenta quoq; diuerſa,& ſapores carnibus, & piſcibus etiam ſuperponuntur,ut & meliores, & gratiores guſtui efficiantur: ut ſunt illa quæ aſſatis piſcibus ſuperponũtur,& fiunt ex aceto,ſale,& oleo,additis aromatibus,ut eſt zinziber,piper,cinnamomum,& ſimiles. Sunt qui in aceto roſmarinum bulliunt cũ ſale,& ſic ſuper piſces ponũt, quod & gratum,& utile erit:nam humiditatem,& frigiditatem piſcium corrigit,& delectabilem cibum efficit. Similiter & ſalſamenta quæ cum carnibus comeduntur optima ſunt,ut ex petroſelino,mẽtha,amygdalis,cum zinzibere,& ſaccharo,in mortario ſubactis,atque cum aceto,& roſacea aqua diſſolutis,quæ compoſitio omnibus temporibus ex uſu eſſe poteſt:in hyeme tamen defrutum ex uuis factum comedũt,& fit ex ſucco uuarum dulcium,in lebete decocto,ad mellis ſpiſsitudinem redacto, in quo etiam cotonia fruſtratim inciſa bulliunt,& in fine quidam addunt cinnamomum, gariophyllũ,macem,nucem muſcatam, & eſt gratiſsimus ſapor pro diuitibus,ſed in frequẽti uſu eſt in hyeme,ſinapia: in æſtate, compoſitio ex expreſsis ceraſiis acetoſis,quas amaraſcas,& amarenas uocãt, unà cum ſaccharo,ad mellis craſsitiem bullitis. Eſt etiam ex cotoneis eodem modo prępáratis ſapor,quem cum carnibus comedunt: ſed ubi uentriculi imbecillitatem timeremus (ut eſt in ſenibus)addendum erit,portio cinnamomi,& gariophyllorum,(quicquid tamen ſit,) ſenibus non proſunt:ſed meliores ſunt ĳ ſapores,qui ex amygdalis,cũ ſaccharo,cinnamomo,aceto,& aqua roſacea fiunt.Sunt præterea ſapores ex epatibus gallinarum,uel caponum,cum amgydalis, uitellis ouorũ,paſſulis,cinnamomo,cũ ſaccharo pręparati,qui gratiſsimi ſunt,& ſenibus mirè conducunt. Oliuæ etiam ad excitandam uentriculi appetitiuam uirtutem comedũtur, quas non laudo,(etſi aliquo modo uentriculum roborent)attamen non probè ab ipſo concoquuntur, & eorum nutrimentum parum, & malum eſt, ſed quæ ſalitæ ſunt, nocent iocinori, & ſanguinem acuunt. Iam

finē,de terræ naſcentibus,comeſtibilibus,hic feciſſem, niſi fructus quā plurimi, qui ab hominibus comeduntur,ad eorū declarationem,orationē traherent. Etenim fructus omnes, ſicuti ſubſtantia diuerſi ſunt, ita etiam diſsimiles uirtute exiſtunt. Meliores tamen habentur, qui magis ad calidum, & humidum temperamentum accedunt,atque minus putreſcibiles ſunt. Primum igitur ab horariis incipiā: ſic dictis, quoniam ſeruari diu non poſſunt,& ſunt,melones, ſiue pepones,bathecha, ſeu anguria,cucumeres,citruli,cucurbitę,de quibus aliquid ſupra dixi. Ii omnes ſi comedantur facilè in eum humorem conuertuntur quem in uentriculo inueniūt, & ideo ſenibus non conducunt, cum abundent pituitoſo humore. Adde etiam quòd eorum nimia humiditas à uentriculi calore in ſenibus non poteſt uinci, ſed potius calorem obtūdit,ſicꝗ nociui ſunt, non tantum uentriculo,ſed omnibus uiſceribus. Etenim ſuccus ex eis genitus nauſeam,fluxum uentris,& inflationes cauſare ſolet,utcunꝗ dicta ſe habeant. Melones,& pepones præcipuam uim refrigeratiuā habent,& ea de cauſa in æſtate non ita nocēt ſi comedantur:proſunt enim calefactis,& ex labore feſsis,præſertim albi, qui pepones dicuntur:& debēt ante alia cibaria comedi.Sed nunquid poſt eorum comeſtionem uinum meracum, aut aquam bibere melius ſit,quæſtio non ſolum inter uulgares, ſed etiam inter medicos eſt: quam quæſtionem ſic terminabo,uidelicet, ut poſt comeſtionem eorum qui frigidi & humidi habentur:& ſunt illi qui modicā, aut nullam habent dulcedinem,bibere uinum meracū, plurimum prodeſt, non tamen ſit quantitas plurima, ſed mediocris.Verum poſt illos, qui admodum dulces exiſtunt, non eſt tutum meracum ſumere, quoniam ex tali permixtione ſæpe materia ardentium febrium generatur,& ea ratione tutius eſt aquā cum uino granatorum poſt bibere. Sed utcunque res ſe habeat, melonum comeſtio urinam cit,& leuitatem inteſtinorum ſæpe cauſat:cui malo optima præcautio eſt,ſi vnà cum caſeo comedantur.De patecha uero, ſeu anguria,cucumeribus,citrulis,atꝗ cucurbitis,quæ paulo ante dicta ſunt,ſat erunt, cum minimè ſenibus (ex uſu) pro cibo ſint.Reliquum eſt,ut de illis fructibus,qui in arboribus naſcuntur ſcribam,à fico exordiens. Etenim ficus inter fructus eſt optimi atque laudabilis nutrimenti,guſtuíque gratus,cuius temperamentum calidum, & humidum eſſe medici affirmāt: ſed quæ exiccatæ ſunt,minus humidę exiſtunt.Eligantur albæ,quæ in arbore iā paſſę ſint, & ante alia cibaria comedantur, quæ etſi optime nutriāt,omnes inflammāt,& acutum ſanguinē gignūt, qui ſcabiem & pruritum excitat, item uentrem ad ſeceſſum ſtimulant. Siccę quoque idem faciūt,ſed magis ſanguinem acuunt. Præterea uuæ ſunt & ipſæ laudabilis nutrimenti, cum calidæ, & humidæ ſint, & inter uuas,probiores albæ exiſtūt,pręſertim quæ locis montuoſis naſcuntur:at ſiue albæ,ſiue rubeæ, uel nigræ fuerint,ut maturæ,& per aliquot dies poſt collectionem, aut ſuper uitem paſſæ ſint,operæpretium eſt,& eis ante alios cibos unà cum pane, uel etiam cū carnibus ueſcantur:ſic enim optimum nutrimentum generant, & minus inflatiuæ ſunt, omphantiæ, & quæ immaturæ uel auſteræ ſunt,uentriculo nocent, & uentrem aſtringunt:ſed paſſæ,quæ in hyeme ſuſpenſæ ſeruantur, non ita nutriunt. At uuæ ſiccæ, quæ plurimæ ad nos ex aliis locis aſportantur,diuerſæ ſunt. Meliores & laudatiſsimæ habentur paruæ,nigræ, & ſine nucleis: nam plurimum nutriunt,uentriculo,pectori, pulmonibus, renibúſꝗ conueniūt,iocinoris affectibus, & eius imbecillitati ſingularis eſt medicina.Reliquæ uerò uuæ exiccatæ tametſi bonæ dicantur, non tamen ex omni parte laudantur,ut quę ex Damaſco,Creta,& Smyrna aſportantur:nam omnes inflatiuę ſunt,plus minúſue pro ratione ſuæ pinguedinis. Etenim quæ minus pingues exiſtunt,minus inflant,minus quoque nutriunt,omnes tamen plurimum nutriunt: ſed eorum immoderatus uſus inteſtinorum leuitatem facit,quę corrigitur ſi cum caſeo edantur.

Sunt etiam dactyli ſi maturi fuerint,ſenibus utiles. Etenim eorum ſubſtātia calida & humida eſt,quæ plurimum nutrit: quantitas uero eorum, ſi plurima fuerit,non facilè à uentriculo concoquitur,& craſſum generat humorē: ſicque plurima dactylorum comeſtio, iocinoris,& ſplenis obſtructiones faciunt, proſunt tamen habentibus imbecillitatem renum.

Poma omnia frigida,& humida ſunt, & hac de cauſa ſenibus plurimum nocent. Et quoniam pomorum differentiæ plurimæ ſunt, ideo ſi comedantur, dulcia, bonæ ſubſtantiæ,& bene redolentia eligantur:nam inſipida,in odorata,& molia deteriora exiſtunt:ſed qualiacunꝗ fuerint, eorum immoderatus uſus ad iuncturarum dolores tandem præparat, & ad uenarum fracturam pectoris. Cocta uero minus mala ſunt,& quæ odorata exiſtunt, cordis paſsionibus calidis opitulantur.

Similiter & pyra ſenibus mala ſunt.Et illa meliora dicuntur,quæ frangibiliorem ſubſtātiam habent,& quæ dulcia ſunt,fragrātia odore aromatum,cum colore roſeo, uel rubeo: quapropter muſcata optima, & poſt iſta,ea quæ in dictis illis magis conueniūt,proſunt cordis paſsionibus calidis ſuo odore & frigiditate.

Sunt etiam poma cotonia frigida & ſicca,pyris ad digerendum duriora: ob eorum duram ſubſtātiam proſunt uentriculo calfacto, uomitum, & fluxum uentris ſiſtunt,appetitúmꝗ excitant.Neꝗ ut plurimi credunt, eorum comeſtionem poſt cibum uentrem ſoluere laxando,id enim prouenit ratione compreſsionis. Et ea dicuntur meliora,quę matura,& magis dulcia,& odora exiſtunt,conferúntque cordi:atque uapores ad cerebrum aſcendentes, ſi poſt cibum comedantur, prohibent,non tamen ſenibus conueniunt.Neꝗ ſorbas,meſpilas,& iuiubas præteribo,tametſi rarò comedantur, cum potius medicinalis cibus ſint, quàm corporis alimentum. Primum namque,tam ſorbæ quàm meſpilæ uentriculum ſua ſtipticitate roborant,uomitum,& inteſtinorū fluxum ſiſtunt. Similiter iuiubæ inutiles ſunt, cum magis frigidæ ſint, paucíꝗ aut nullius nutrimenti exiſtant,atque uentriculum lædant:proſunt tamen pectori,& deſtillationibus calidis ſuccurrūt,ſputúmꝗ in tali materia facilitant.

Sunt præterea ceraſiorum plurimæ ſpecies, quæ & ſubſtantia,ſapore, & colore differunt. Nam quædam ſunt mollia & fragilia,& quędam dura,quædam alba, quædam ſubrubra,ſiue roſea, quædam rubra, & quædam nigra. Similiter in ſapore quædam ferè inſipida ſunt,quædam dulcia, quædam mitia, & quædam acida:omnia tamen frigida,& humida ſunt. Sed dulcia nō tantum frigida ſicut acida, nec ita humida: omnia ſunt malo ſtomacho,& ad putreſcendum facilia,acida uero non putreſcunt,inſipida ad comedendum deteſtabilia ſunt,dulcia minus,meliora uero ſunt acida, quas amaraſias, uel amaraſcas uocant: non tamen ſenibus conducunt.

Sunt quoꝗ chryſomela Gręcis,latinis uero poma aurea,uulgaribus autem armelini, quoniam ex Armenia hæc poma ad nos aſportata fuerunt, frigida, & humida ſunt,& eorum ſubſtantia putreſcibilis eſt, ſicque ad malas febres parat, quare omnino interdicenda ſunt. Similiter & perſica, frigida & humida ſunt, & eorum ſubſtantia facilè corrumpitur,attamen ex communi omnium illuſtrium medicorum ſententia ſtomachum ſupercalfactum roborant, ſapida ſunt, boni odoris,ſed exiccata meliora,& minus nocua exiſtunt. Corrigitur autem nocumētum ex uiridium comeſtiōe,hauſtu uini atomatici poſt eorum comeſtionem.

Plurima quoꝗ alia genera pomorum ſunt, quæ minimè ſenibus conueniunt,ut poma granata,ſeu punica dixeris nō refert,arantiæ,ſiue mala medica,citria,limones,& eius generis.Incipiam tamen à punicis,quæ ſunt in triplici differentia,uidelicet dulcia,mitia,& acetoſa: omnia frigida ſunt,ſed dulcia aliquam leuem (ut ita dixerim)caliditatem habent,ſiquidem omnino uentriculo proficua, & nocua diuerſimodè dicuntur. Proſunt ſanè,quoniam prohibēt calidam corruptionem in ſtomacho,cum choleram in eo extinguant, atꝗ os ipſius roborent:ueruntamen nocēt,ſi in eo plurimam materiam pituitoſam inuenerint, uel ſi imbecillis uentriculus fuerit: dulcia uero leniunt pectus, & ſputum facilè reddunt,atꝗ uentrem inferiorem molliunt.

Arantiæ etiam frigidæ exiſtunt, præſertim illæ quæ acidę ſunt.Et dulces minus illis,choleram extinguūt,atque æſtate cum ſalitis comedi poſſunt, non tamen ſenibus conducunt.

Similiter & citria poma frigida ſunt, ſi ad intrinſecā ſubſtantiam inſpicias:uerum quoniam ex eis quoque cortex comeditur,qui & ſubſtātia & ſapore ab intrinſecis partibus differt, ideo diuerſam quoque tempera-

turam

turam habet: etenim ultima eius pars exterior calida, & ſicca exiſtit, media humiditatem cum caliditate habet, omnes tamen partes parum nutriunt, atq; ad digerendum ſunt difficiles. Quare medicina potius quàm cibus erunt, & conferunt uenenoſis qualitatibus calidis in maſſa humorali acquiſitis, & ea ratione dãtur in febribus peſtilentialibus: præterea ſuo odore membris principibus proſunt, ſcilicet cordi, iocinori, & cerebro. Similiter ſemina citri plurimũ in cordis affectibus proſunt, uentriculũmq; roborãt, atq; corruptionem appetitus corrigunt.

Limones & ipſi frigidam temperiem habent, cortex tamen calidus exiſtit: uentriculo plurimum contrariantur, & ea ratione ſenibus ſunt contrarij, proſunt tamen in malignis, & peſtilentibus febribus ſicuti citria. Qui uero ſaliti ſunt, & in aqua maris ſeruati calidi exiſtunt.

De fructibus durum corticem habentibus, primum de amygdalis ſermo erit.

Amygdalæ temperatæ ſunt, duræ ad digerendum, nutriunt quidem, & eius nutrimentum laudabile eſt, recentes uero molles, & quæ uirides exiſtũt meliores, & faciliores concoctionis ſunt, replent caput ſi poſt cibũ comedantur, atq; ſomnũ ſoporoſum faciunt: præterea pectus leniunt, ſputum facilitãt, atq; iocinoris & lienis obſtructiones aperiunt.

Auellanę quoq; calidę ſunt, neq; in eis plurima eſt humiditas, difficiles ad digerendum exiſtunt: ſed quando eas uentriculus tollerat, plurimũ nutriunt, ſi minus nocent magnificè, neque nutrire poſſunt. Virides tamen meliores ſunt. Earũ comeſtio ſi immoderata fuerit implet caput, & ſomnum prouocat: præterea ſi cum ficubus & ruta comedantur, aduerſantur ueneno, ſicuti de nucibus nunc dicam.

Nuces & ipſę calidæ ſunt, & humidæ, non tamen carent ſiccitate aliqua, quæ nocet pectori, ſunt malę uentriculo, & nauſeam faciunt, & ideo ſenibus non conducunt, minus tamen nocent ſi cum ficubus uel melle comedantur, ſolæ malum ſuccum generant, & capiti & neruis nocent. Quare non ſunt pro nutrimento edendæ: fit tamen ex nucibus, ruta, ficubus, cum melle ſimul commiſtis, medicamen ad uenena.

Sunt præterea pineæ, quæ calidæ & humidæ ſatis exiſtũt, tametſi aliter crediderũt antiqui, & ideo optimè nutriunt, attamen non ſine labore à uentriculo coquuntur. Proſunt pectori, capiti, neruis, & inteſtinis. Vocem clarificant, & ſputum facilem reddunt: recẽtes, uel in aqua tepida infuſi meliores ſunt, nam ſic præparati, eius caliditatem remittunt.

Fiſtici ſiue piſtachia calidi ſunt, in aliis uero temperati ſatis, non plurimum nutriunt, ſed facilis ſunt concoctionis, proſunt uentriculo, iocinoris & lienis obſtructiones aperiũt, urinam ciunt, pectori & pulmonibus opitulantur, & ideo ſenibus plurimum conducunt.

Caſtaneæ quoq; calidæ & ſiccæ ſunt, duræ digeſtionis, nutriunt quidem, ſed eorum nutrimẽtum craſſum, & inflatiuum exiſtit: ſtringunt uentrem, & ſanguinis fluxũ ab hæmorrhoidibus, & matrice: ſedátq; gonorrhæum fluxũ, corrigitur in eis flatuoſitas, ſi in clibano, aut aliquo alio ingenio aſſentur uel exiccentur.

Sunt etiam præter hos quidã fructus peregrini, qui plurimum nobiles ſunt, & ad tuendam ualetudinem mirè à pręſtantiſsimis medicis laudati, ut ſunt myrobalani conditi, tam chebulæ, quàm emblecæ: omnes uentriculum, & uiſcera omnia roborant: non tamen ut cibus, ſed ut nobilis & leuis medicina ſumi debent, & hoc mane ante cibum per aliquot horas. Etenim ſic accepti proſunt cordi, iocinori, lieni, & uniuerſo corpori robur præſtant, ſenéſque iuueneſcere faciunt, præſertim emblecæ.

Cortices quoque citrium ſaccharo condiuntur, & etiam parui limones, & aranciolæ eodem modo, quibus nobiles & diuites in ultima menſa utuntur, quæ ſi modeſtè comedantur, plurimum conducũt, præſertim ſenibus. Etenim præter id quòd laudabiliter nutriant, cordi quoque conferunt, & eius uirtutem roborant. Præterea ſenibus ex uſu ſunt radices zinziberis conditæ (quas uiridem zinziberem uocant,) ſi mane ante cibum ſumantur: nam ſua caliditate uentriculum, & eius uirtutem appetitiuam roborant, atque pituitam qua ſenes abundant, ſubtiliãnt, & diſſoluunt, uẽtoſitatémque ab inteſtinis pellũt, ac etiam aluum ſtimulant, conducunt hyeme, æſtate uero interdicantur.

Vtuntur item diuites & nobiles præter ea quæ dicta ſunt, in ultima menſa fructibus, & ſeminibus, atq; aliis quãplurimis ſaccharo conditis, ut ſunt amygdalæ, pineę, piſtachia, aniſi, coriãdri, cinnamomũ, cortices arantiarum, & ſimiles confectiones, quę omnes guſtui gratæ ſunt, uentriculum & cerebrum roborant, uirtutem concoctricẽ augẽt, qui calidiores ſunt, ut aniſi, & cinnamomum, & uapores ad caput aſcendentes contemperant: diſſoluunt quoque uentoſitatẽ in uentriculo, atq; odorem bonum ori relinquũt. Fiunt quidẽ & alia edulia ſaccharo & aqua roſacea condita, ut ſunt marzapani dicti, & caniſones, & eius generis paſtilia diuerſa, quæ etiam ex fiſticis, & pineis eodẽ modo præparantur, ſunt certè grati, & plurimum nutriẽtes, non tamen facilè digeruntur.

Plura alia potuiſſem addere, quæ eduntur & bibuntur, quæ quoniam non noſtro intento ex omni parte cõuenire uideo, & etiam ne oratio nimis protrahatur, prętermittere ſtatui. Illud tamen in calce addens, quod etſi plurima per ordinem conſcripſerim, conſilium tamen omnium illuſtriũ eſt (quod ratiões plurimæ comprobant) ne diuerſitas ſit in cibariis, neq; plurima quantitas, & hoc non tantum in ſenibus, uerumetiam in omnibus ætatibus.

*Caput ſeptimum docet repletionem, & inanitionem moderare.*

CVM in homine ex actione calidi natiui, humidum radicale reſoluatur, idcirco ad eius inſtaurationem neceſſarià fuit quotidiana cibi ſubminiſtratio, ex qua plurimæ ſuperfluitates, præter alui excrementa aggregantur, quæ tametſi exercitatione plurimæ ex eis cõſumantur, non tamen ex toto & ſemper abſumuntur, cũ ſæpenumero uirtute impedita, aut imbecilli facta, aut ab aliqua cauſa reliquiæ excrementorũ retineãtur: ideo operæpretium erit, huiuſcemodi ſuperfluitates è corpore aliquo artificio educere. Quæ cum non unius generis ſint, ſed diuerſæ (ut in omnibus eſt uidere) à quibus excrementa diuerſa expurgántur, ut ſputamina, mucoſitates narium, ſudores, urina, alui excrementa, & aliæ corporis ſordicies, quæ ſi non à corpore exquiſitè expellantur, diuerſos præter naturam affectus pariunt, ut ſunt obſtructiones in membris, tam intrinſecis, quàm extrinſecis, febres, dolores, abſceſſus diuerſos, & alij pręter naturã affectus. Quare eorũ euacuationi ſtudendum erit, hoc modo: Primum mane cum ex lectulo ſurrexerit, ſputamina imprimis prouocẽtur, deinde urina & alui excrementa cienda ſunt, & hoc modeſtè, ita ut omnia correſpondeant ad ingeſtum cibum, & potum: quod ſi fortè caruerit uentris inferioris euacuatione, quod familiariſsimum ſenibus eſt, prouocetur arte, uidelicet clyſtere, uel glãde ſuppoſita. At ſi iſtis non libenter uti uoluerit, procuretur facilis ſeceſſus cum abſumptione iuris carnium pinguium mane, in quo imponatur ſaccharum: aut ſumat ius olerum, uidelicet maluæ, blitis, ſpinachiæ, braſsicæ, & ſimiliũ, uel comedat ante cibũ uncias duas aut tres, paſſularũ cũ ſaccharo: ad hoc autem plurimũ ualent ficus pingues mane, ante prandium per aliquot horas comeſtę. At ſi iſtis factis uenter non modeſtè fluxerit, utatur aliquo leui medicamine, utputa facto ex paſſulis, & interiorũ ficuum pinguiũ, ac etiam medullæ ſeminum cartami ana partes æquales, quæ ſimul commiſtę cum mellę roſaceo, mane ante cibum accipiat ad quantitatem duarum unciarum, uel ſumat dimidiam unciã terebinthinæ cũ ſaccharo, quoniam modeſtè uentrem in ſenibus lenit, atque iocinori, lieni, uentriculo, & omnibus inteſtinis mire confert. Vel cietur cum abſumptione decocti dimidiæ unciæ radicis polypodij, & duarum unciarũ paſſularum in iure carnis, mane. Sunt & alia ingenia ad mouendas communes ſuperfluitates alui, ut ſunt pilulæ de aloës loto, maſtichine, de hiera, & ſimiles, quas nõ ex omni parte laudare poſſum, cum Galenus aloẽn in ſenibus dãnauerit, & hoc quoniam nimis exiccat. Quod ſi cætera non poſſent adminiſtrari, unà cum pilulis ius aliquod accipiat, in quo uel borago, uel bugloſſum bullierit, ut tollatur exiccatio quę nullo modo ſenibus ꝓdeſſe poteſt, quamobrem melius eſt uti mollientibus. At ſi plurima repletio fuerit, ex ingeſti cibi copia, illa per abſtinẽtiam à quantitate tolli poteſt: etenim abſtinentia cibi (ut dicit Galenus) totum corpus æqualiter purgat, neque diu à cibis in ſenectute abſtinendum erit, cum ultima ſenectus frequenti, & non multa indigeat inſtauratione, ob

calidi innati imbecillitatem. Comedat igitur modeſtè, atque bibat, etenim nimia abſtinentia nonſolum ſenibus, ſed & iuuenibus deteſtabilis eſt, cum ſæpe ad ſenilem hecticam ſiue maraſmũ deducat. Sed quoniam ſæpe non tantum in ſenibus uerumetiã in iuuenibus uenter plus debito fluere aſſolet, ita ut nimia corporis inanitio conſequatur, ex quo ſequuntur nõ pauci præter naturã affectus, ut eſt uentriculi, iocinoris, lienis & inteſtinorum imbecillitas, ac etiam quãplurima alia incommoda: quare hoc in caſu aſtringẽtibus leuibus uti operæpretium erit, utputa comeſtione rerũ incraſſantium ſtipticarum, quæ uentriculum roborare ualeãt, ut ſunt fercula ex oryza ſiue ryzio, uel ex farre, aut ex panico, in iure crurium uel capitũ animalium. Vel comedantur carnes aſſę, præſertim uolatilium, ut ſunt turtures, perdices & ſimiles, quoniam in iſtis eſt uis, & proprietas roborandi uentriculum & inteſtina, atq; ſiſtendi inteſtinorum fluxum. Pręterea caſeus in talibus optimus eſt, item & fructus quidam, ut ſunt caſtaneæ, ſorba, meſpila, cotonea, quæ ante cibum comedi debent, præſertim aſſa, & hæc tam de repletione, quàm inanitione regula modeſtè adminiſtretur ſecundum temporis diuerſitatem, atq; corporis robur.

*Caput octauum animi accidentia moderare docet.*

APTE quidem ſubinde hac in parte, qua ratione animus conciliari poſsit, ut probè compoſitum imperturbate ac diu uiuere poſsit dicemus. Etenim cum corpus primum ab animo regatur tanquam à nobiliori parte compoſiti, ac præſertim à parte, ſiue uirtute illa quæ corporis rigitiua dicitur: facilè ergo animum imperturbatum ſeruabimus, ſi id quod nocuum animali uirtuti eſt obducatur, ac quod iucundum eſt, & hilare uidetur præponatur. Igitur primum ab omni anguſtia procul eſſe conſulo, quippe cum lęticia à plurimis corporis incõmodis homines liberet, ſicuti ſolicitudo & mæror, quàm plurimos affectus præter naturam faciunt. Quid multa? Scripſit nimirum Galenus, perturbationes animi mutare corpora ſine controuerſia à naturali ſua ualetudine. Porrò animi affectus præter naturam ſunt impetus, ira, timor, męror, inuidia, uehemens cupiditas, odium, nimiũ deſiderium alicuius rei. Præterea perturbant animã ipſam & compoſitum, tenebrę, & res aſpectu horridæ, motus impetuoſi, ſtrepitus, plãctus, narrationes, & inſpectio rerum miſerabilium, fœtor, cura, & ſolicitudo. Quare hæc omnia fugiant qui lætè diu uiuere cupiunt, atque iram, męrorem, inuidiam, odium, cupiditates, & eorum omniũ nimiã affectionem. Enimuero ſi ab iſtis animus abhorreat, proculdubio ſanitas ſeruabit, ſenectutem differet, atque uitam prorogabit. Hoc etiam melius fiet, ſi pariter loca amœna, lucida, & iucunda, quæ omni immunditia caruerint habitentur. Sint præterea procul omnes cogitatiões rerum miſerabilium, planctus, & alia omnia animum perturbantia, ſicque læticię ſtudere oportet, cõmorando in thalamis ornatis, & locis amœnis, (ut ſunt uiridaria) ac etiam cum iis uerſari, qui muſicis & huius generis delectentur, quales ſunt ſonantes cithara, aut teſtudine, & cantantes: quoniam (ut dixit Plato in Timæo,) harmoniaca proportio animum hilarem reddit: item plurimũ ad lætam uitam uiuere facit cõſuetudo amicorũ inuicem ſeſe amantiũ. Similiter confert induere ueſtimenta pretioſa colorata colore grato oculis, ac etiam geſtare annulos, & micantes gemmas. Item in menſa ſint uaſa nitida, argẽtea, uel aurea, & pariter cętera thalami, & domi ſupellectilia: quoniã huiuſcemodi res, dũ inſpiciuntur, hilarem animum reddũt. Et ad ſummum, quoniam ſenſus, ut eſt uiſus, & alĳ, animę etiam deſeruiũt: idcirco ſi ſecundum unumquẽque ſenſum animus ad id quod ſibi iucundum ſit, reguletur, plurimum ad propoſitam rem conducet. Primúmque uidere eſt (ut dixi) aurum, argentum, gemmas micantes, & colores medios, qui plurimum luminis participent, ut eſt purpureus, uiridis, roſeus, citrinus, cæleſtis, & ſimiles: quoniam hi omnes non mediocriter delectant. Similiter aſpectus pulcherrimarum mulierum plurimum animum oblectat. Idem faciunt confabulationes lætæ, & cantilenæ demulcentes, præſertim ſi laudes proprię, aut proauorum in eis audiantur. Sed cũ non omnes filios habeant, neque iiſdem delectentur rebus, cum plurimi mercaturam exerceant, alĳ rẽpublicã gerẽdã ambiant, alĳ auaritiam ſequãtur, & alĳ qui pauci ſunt, bonarum literarum ſtudiis operam nauent: ideo diuerſam animi inclinationem ſenes blandiendi erunt: exempli cauſa, lucrũ mercatori, magiſtratum ſenatori, ſapientiam literatis laudando. Olfactus quoque ſpiritum ac membra principalia roborat, pręſertim cor, & cerebrum. Porrò uitales ſpiritus in ſpiratione, & bene redolẽtibus reſocillantur. Quare non ſine ſalutari auxilio in ſenibus bene redolẽtiis utimur, ut eſt muſcus, ambra, belzui, ſtyrax, gariophyllus, cinnamomũ, mace, nux muſchata, lignum aloës, ſandalum, laudanum, & plurima ex eis cõpoſita. Sũt etiam herbæ odoratæ, & flores, quæ paſsim in hortis naſcũtur, plurimum iuuantes, ut maiorana, ozymũ, pulegium, ſaturegia, mentha, ſerpilium, ſaluia, roſinarinum, flores citri, limonum, arantiarum, roſarũ, & ſimiles. Semina etiã odorata proſunt, ut grana paradyſi, machaleph. Prętere a unguẽtarĳ plurima ex dictis odoramenta componũt pro diuitibus, & delicatis, ut ſunt paſtilli, aquæ ſtillatitiæ ex floribus iam dictis, quibuſcũ & muſcum, & ambrã, & alia miſcent, uel bulliunt aromata diuerſa cum aquis ſtillatitiis odoratis: quę bulliũt ſunt, puta gariophylli, macis, lignum aloës, nux muſchata, cinnamomũ, & ſimilia: uel bulliant ſtyracẽ, belzuin, lignum aloës, cum quibus madefaciunt ſudariũ, & manus & faciem, barbam, & capillos ſecũdum temporis opportunitatem: & etiam ponunt in olla ad ignem in thalamo, ut ex leui quadã euaporatione thalamus odorifero uapore repleatur, ex cuius inſpiratione cerebrum, cor, & reliqua membra principalia plurimum recreantur.

*Caput nonum docet membra principalia, & illis deſeruientia roborare, tam cum ſimplicibus, quàm cumcompoſitis rebus.*

QVONIAM potiſsima ratio tuendæ ualetudinis, tardandæ ſenectutis, & uitæ prorogandæ in moderata humidi natiui, & ſpiritus recreatione conſtat, & id minimè fieri poteſt, niſi mẽbra principalia ualida, ac in robore conſeruentur, ad quorum corroborationem, addam quę ſequuntur, initium ſumens à uentriculi recreatione. Qui tametſi non ex primis, à quibus primariæ uirtutes prodeunt ſit, ut eſt cor, iecur, & cerebrum, eſt nihilominus deſeruiens, & præbens officium commune omnibus principalibus, pręparans eis alimentũ. Vt igitur uentriculus, ſi imbecillis fuerit (quemadmodũ ſenibus contingit) hanc præparationem aptè in primis iocinori ſubminiſtret, operæpretium erit per notas quaſdam eius imbecillitatem cognoſcere: & illam quidem cognoſces, ſi grauedo in eo percipiatur, aut quoniam aſſumptus cibus ægrè concoquitur: & eructationes inſipidæ, uel acidę frequẽter hominẽ moleſtant: in caſu optimũ (dico) erit ſi mane ante cibum, radicem zinziberis conditi comedat, aut fruſtum cinnamomi, uel alterius rei ſtomachum roborantis, ut acorus cum melle conditus, nõ ille inſipidus, ſed odoratus, & ſaporem acutum habens. Hanc radicem ſæpe uidi inter radices quas moderni galanga uocant, in mercatorũ officinis. Sunt & compoſita plurima uentriculum roborantia, quibus ſi mane ante cibum quis utatur, probè ſtomachum roborant, ut eſt aromaticum roſatum, diagalanga, pliris arcoticum, diamuſcus, diambra, electuarium de gemmis, lætificans Raſis ad Almanſorem, mithrydatica confectio, atq; theriaca, quas maiores confectiones uocant, quæ omnes calfaciũt & exiccant. Sed ex eis quædã plus, ut mithrydatica cõfectio, & theriaca, cum iam ad uigorẽ deuenerunt: dico uigorem, quoniam in theriaca dantur ætates, ſicut in hominibus, ut eſt infantia, adoleſcentia, iuuẽtus ſiue ſtatus, & ultimo ſenectus etenim nouas proculdubio operationes frigidorũ medicaminũ (ſi ſumatur) efficit, quoniã ſomnũ, & ſtuporem inducit, teſtimonio Galeni quinto methodi. Quare nullo modo ſenibus, ante duodecimũ annum ad uiſcerum principalium robur ex uſu eſt, neque quæ nimis antiqua quæ quadrageſimũ, & quinquageſimũ annum trãſierit: in caſu ab antiquis laudatur, cum plurimum humidã ſubſtãtiam in corporibus exiccet, præſertim ſi frequens fuerit eius uſus: quare ſemper ea parce uti debemus, atq; commiſta cum aliquo quod eius ſiccitatem moderare poſsit, utputa cum floribus bugloſsi uel boraginis cum ſaccharo commiſtis, conſeruam buloſſę & boraginis uocant: uel ſumatur cum aliquo ſyrupo utputa cum dicto geleniabin de ſaccharo, uel de bugloſſo, & de corticibus citri ſimul, aut cũ ſimilibus, ſecũdum rei exigentiam. Dico hoc, quoniam ubi plurima humiditas in uentriculo abundauerit, poteſt

etiam

etiam theriaca ſola dari, ad quantitatem auellanæ, ſiue ad pondus unius drachmæ ad ſummum: neq; (ut dixi) frequens eius uſus caret timore, nec in hoc certa regula dari poteſt, cum non omnes æque exiccationē timeāt, ſed tamen exiccatio immodica omnibus nocet. Igitur uentriculus roboretur cum illis quæ cōcoctionem adiuuare poſſunt, atq; reliqua membra, ut cor, iecur, cerebrum recreare modeſtè calore & ſuaui odore ualeant. Enimuero præſcriptę omnes confectiones non tantum uentriculi uirtutem inſtaurant, & augent, uerumetiam ſanguinem, & ſpiritum clarificāt, atq; ad temperamentum iuſtitiale (ut aiunt medici) dirigūt: unde operationes omnes incolumes ſequuntur, atque adeò proſunt, ut non ſolum animi hilaritatem inducāt, uerum etiam cogitationi, & diſcurſui plurimum opitulentur, ſenſuſque omnes adaugeant, & iuueniles reddant: fitque ex eorum uſu alimenti ad membra proba diſtributio, & aſsimilatio. Præterea myrobalanos conditas præſtantiſsimi medici laudant, ut ſunt embleces, & chebulæ: quæ (ut ſcripſit diuus Meſue) homines reiuueneſcere faciunt. Ego uero in ualde ſenibus, & decrepitis conſumptis eorum uſum non laudo, quippe qui in ſenibus modicam caliditatem habentibus, nec uentriculum calfaciunt, nec humorem pituitoſum in eo regulare ualent: & quanquam extraneas humiditates exiccent, non tamen calorem imbecillem augere poſſunt, quo ſenes egent. Quare unà cū dictis myrobalanis zinziber conditum comedere operæpretium eſt, ut ex huiuſmodi additione & calorem augere ualeant, & uentriculum, & cor, & hepar, & cerebrum roborare poſsint, ſicque ad omnes operationes ualidiores erunt. Neque mihi uiſum eſt aliquam de aceto ſcillitico conſiderationem ſilentio prætereundam, quippe cum craſſos, lentos, & pituitoſos humores, quibus ſenes abundant, incidere, & attenuare ualeat, atque uentriculi calorem augeat, ut facilius eos ad inteſtina pellat. Quare eius uſum plurimum & Galenus, & alij pręſtantiſsimi antiqui laudauere. Porrò præterquam quòd lentos humores attenuat, membra à putredine ſeruat, ſtomachum roborat, & ſenectutem retardat. Sumantur igitur mane ante cibum duo cochlearia. Sunt præterea & aliæ confectiones nobiles ab illuſtribus medicis antiquis laudatæ, tū ad uentriculi inſtaurationem, tum ad ſanguinis, & ſpiritus recreationem, tum etiam ad cordis, iocinoris, cerebriq; firmitatem, & robur, ac etiam ad omnium uirtutum, tam uitalis, quàm naturalis, quàm animalis fortitudinem, ut eſt confectio philoſophorum, quam ſcripſit Auicēna, quinto canonis, & uocat eam medicinam uitæ: uirtutes eius ſunt, uentriculum roborare, & digeſtionem in eo optimam perficere, atque animum hilarem, & iucūdum reddere, ſenſúsque omnes incolumes conſeruare. Scripſit quoque Petrus Aponēſis in ſuo Conciliatore, differentia cxcvj. confectionem ualde nobilem, ad ſenum humiditatis, & caloris recreationē, qua nobiles, & principes plurimi utuntur. Laudant poſtremò neoterici in regimine cibi mirum in modum aquā carnis in duplici uaſe factam, uel (ut aiunt alchimiſtæ) in balneo Mariæ: & hoc quoniam plurimum natiuum humidum inſtaurat, uentriculi, & iocinoris uirtutes in ſenibus, & debilibus, ut conualeſcentes, & etiam qui tenētur à peſtifero aliquo morbo, plurimum uirtutem reſoluēte: prodeſt quidem, ſi cum reliquis ferculis commiſta fuerit, quantitas unius uel duarum unciarum. Mitto plurima, quæ ſuo odore membra primaria roborant, cū iam pro parte de iis ſuprà dixerim, ut compoſita ex aromatibus: ſed muſcus, & ambra plurimū laudātur, ſi odorentur: neque omittenda ſunt ſuffumigia ex ligno aloēs, ſtoraze, & belzui, quam ueram myrrham, non pauci uiri docti, & experientia præditi eſſe credūt, eò quòd membra principia mirificè ſua odorifera inſpiratione recreant. Ad hanc eandem intentionem ſunt miſturæ diuerſæ quas unguentarij pro delitiis nobilium, & diuitum præparant, quibus cum & manus, & capillos liniunt, & induſium, ac etiam ſudarium ſuffumigāt, uel in manibus geſtāt, ut ſunt ex dictis compoſita, quorum modos compoſitionum breuitati ſtudens minimè hic deſcribere ſtatui, cum plurimæ à me ſcriptæ ſint in eo quem de febre peſtilentiali conſcripſi libello, atq; cum uulgares ſint, & ſemper in promptu apud unguentarios habeantur.

Hi ſunt clariſsime, ac doctiſsime ſenator, canones de tuenda ualetudine, atque tardanda ſenectute, & uita proroganda, quos tuus Nicolaus Maſſa ad te ſcribere decreuit, qui tantum amplitudini tuæ debet, quantum uel difficilimū perſoluere eſſet, ſi etiā Neſtoreos annos uiuerē. Quos ut hilari uultu ſuſcipias, precor ac quæſo: ille ſummus omniū rerum creator, qui ſua ineffabili bonitate, omnia ſua fœlicitate fœcūdat, diu in hac ſapientum proſperitate (ut dicebat in Gorgia Plato) te obſecūdet, & apud nos in uita læta prorogare dignetur, qui uere ad gloriam patriæ natus es, & qui bonarum literarum cultores ſemper complecteris. Vale. Venetiis, M. D. XLVII.

## AD EXCELLENTISSIMVM DOMInum *Paulum Magnolum è Burno Brixienſem, Epiſtola* IIII. *de prandio, & cœna, ad ingenuam ueritatem, in qua multa de cibandi ratione traduntur.*

CVM illuſtriſsimo Dn̄o Vladislao in cōſilio meo iniunxiſſem, ut minorē cibi quātitatē horis ueſpertinis, quā matutinis ſumeret, modeſtè obieciſti in ſermone noſtro, doctiſsime Paule, quòd aliter quidā tū ſcripſerunt, tū uoce faciendū affirmarūt, hanc etiā Galeni ſententiā eſſe dicentes. Quam quæſtionē, cū minime potuiſſemus illa die perficere, pollicitus ſum ad te, de prandio & cœna, meam rationalem, quā quotidie experimur, ſcribere ſentētiam, uidelicet, quid cauſæ ſit cur aliquando maiorem, ſed rarò, ut plurimum autem minorem cœnam prandio, ſapientes medici debere eſſe crediderunt. Non autem, ut quidam eorū, qui ſe Galenicos profitentur, uerum perpetuò habendum copioſè cœnare eſſe ſalubrius, id quod nec perpetuum, nec rationale (ut ipſi aiunt) ex Galeni ſententiis, & ipſa ratione conſtabit. Qua de re, ne te longiori prooemio detineam, rem ipſam ſic exordiri incipiam. Illud autem in primis dicunt, qui in hac opinione uſque adeò inſanierunt, ut pro opinione ſua certare, non pro ueritate dicere uideātur, hominibus ſine diſcrimine aliquarum rerum, ſiue ſani, ſiue ægri fuerint, lautiſsime cœnare, & parum, aut nihil prandere. Quam illi opinionem ſuam probare conantur, ſententiis extortis, autoritatibus nō ſolum Galeni, uerū etiam Hippocratis, Auicēnę, & aliorum illuſtrium antiquorum: quarum omnium rememoratio autoritatum, cum tædio, & confuſione, cuiuſuis animus foret, offenſura iudicaui: ad clariorem intelligentiam tamen, tantum quædam quæ uériſimile aliquid habent recenſere reliquis prætermiſsis uolui. Satis autem facere mihi uiſum erit, breuitati ſtudenti, ſi non (ut ipſi faciūt) aut coacta ratione, aut autoritate mala accepta, ſed rationibus euidētibus reſpōdero, & autoritates ex ueritate expoſuero. Primum autem, nemo ſapientum medicorum hoc primum negat principium, conſuetudinem ſcilicet eſſe alteram naturam, cum illud ſæpiſsime probauerit Ariſtoteles, & eius fidelis interpres Auerroës, præſertim primo phyſicorum, ſeptuageſimo primo commento. Et in prooemio tertij eiuſdē, & ſecundo metaphyſicæ, ac aliis non paucis in locis. Igitur hoc primum iactum fundamentum ruit, ſcilicet omnibus cōuenire largiorem cœnam. Multis enim qui ſunt aſſueti aut non cœnare, aut largius in prandio comedere, in cœna autem parum, non conuenit cœna largior. Præterea eſt & aliud principium, ab omnibus ſapientibus conceſſum, ſcilicet, experientiam eſſe rerum magiſtram: quoniam (ut dixit Ariſtoteles) experientia efficit artem. Quare cum multi melius habere experiantur, ſi parum aut nihil cœnent, etiam ſi parum in prandio cibi ſumpſerint, quam ſi ecōtra egiſſent: igitur non eſt uera poſitio illa ſine exceptione. Sunt enim priuata, propriáque hominum, naturæ, ætates, temperaturæ, tempora, regiones, mores, exercitia, caſus occurrentes in uita, & multa alia huiuſmodi, in quibus non erit illa ſentētia planè uera, citra exceptionem ullam. Vt autem quibuſdam dictis reſpondeam: cœnam maiorem prandio laudant in affectibus capitis: & oculis etiam maiorem cœnam conducere affirmant. Iſtis quid igitur quęſo doctiſsime Paule medici dicere poſſunt? cum prima intentio methodi curandi ſit ad remouendum cauſam morbi, uel id quod morbi cauſam, & ipſum morbum augere poſsit. Sed copioſe cœnare, tam in capitis, quàm

in oculorum morbis, morbum, & cauſam morbi auget, cùm ex plurima cœna, plurima fiat euaporatio ad caput, quæ & uirtutem moleſtat, & morbum auget. Neque uideo quomodo poſsint dictum ſuum tueri, dicendo maiorem eſſe utilitatem in digerēdo, quàm nocumentum in euaporādo: quod dictum ſi abſolutè accipiunt, proculdubio falſum eſt: ſed ſi ad aliquam ſingularem diſpoſitionem applicare uoluerint, uerum eſſe aliquando inuenient, cū facilius poſsit idem calor, dormiendo minorem quātitatem cibi concoquere, quàm maiorem, ſi ſimiliter abſolutè calor conſideretur naturalis. Vide quæſo, qualis ſit poſitio, quæ neque ſenſui, neque rationi conſentanea eſt. Nónne cæteris paribus melius dormiendo minorem quantitatem cibi uirtus concoquit, quàm maiorem? Et ideo male interpretantur Galenum, quinto ſimplicium medicamentorum, comparando uapores ad ſpiritum, qui eſt inſtrumentum animæ. Melius autem dixiſſent, ſi cognouiſſent quomodo natura adiuuatur, ut eſt exemplum Galeni in eodem libro, ſcilicet de illis qui amplectũtur pueros, uel catulos noctu, ut calor uentriculi à calore pueri auctus, melius concoquere ingeſtum cibum poſsit: cum nulla res ſit, quæ calorem uentriculi melius augere poſſit, quàm calor ille occurrens ſtomacho: non hora illa ueſpertina, quam ipſi rebus omnibus ad cōcoctionem anteponunt. Neque uideo quomodo non laudemus meſſores, qui maius prandium aſſumere conſueuerũt, cum præſertim ab incunabulis ſic aſſueti ſint, ut etiam labores indeficientes requirere uideantur. Porrò illis maxima fit humidi reſolutio, quibus & continuus, & maximus ſit labor, ut agricolis ipſis contingit. Igitur ne corpus exiccetur, per diei maximam ex labore & æſtu reſolutionem, neceſſariũ eſt animaduertere reſolutionem illam, & copioſe prandere. At in cœna non ita neceſſarium, cum non ex cibo ſolum, ſed ex ſomno uirtus (ut dixit Auicenna) inſtauretur, cum quieſcat, neq; motus aliquis amplius diſſoluat calorē, iam per laborem ad ultimum diei continuum, imbecillem factum. Præterea imbecillis calor redditus, ueſpertinis horis non poſſet multam quantitatem regulare: mane autem & in prandio, ex nocturna quiete ualidior factus recens, atque fortis, optime cōcoquere poteſt quod oblatum eſt. Neque autem obſtat labor, qui prādium conſequitur ut reſoluat, cum ſint à teneris annis plurimum, & comedere, & laborare aſſueti. Neque poteſt quis in cōtrarium Galenum ſecundo de tuenda ualetudine, adducere, dicentem, tutelam ſanitatis auſpicandam à labore, quem cibus debet excipere, cum longè ſit ſententia Galeni ab iſta ſpeculatiōe aliena: qui Galenus hoc, quod ipſi dicunt, neq; eo in loco dicere uoluit, neque unquā per ſomnum crediiſſet. Quod poteris ex ſentētia eminentiſsimi Auicennæ confirmare, qui tertia primi, doctrina ſecunda, capite tertio, non ſolum, ut recentiores multi faciunt, qui tantum uerba accipiunt, & accepta ſcribunt, ſed quæ ipſe à Galeno accepit ſuo acerrimo iudicio, & nunquam ſatis laudata doctrina moderatus eſt. Neque credendum eſt, ut qui aſſueti ſunt ualidis laboribus, multis abundēt humiditatibus: tametſi multum interdiu comedant, idque de more, cum eas labor abſumat: ſed abundāt potius, qui fruũtur ocio: id quod etiam diuinus Hippocrates in libello de uictus ratione innuit, cum dixit, comedentes ualere minime poſſe, ſi caruerint laboribus: & Galenus ſecūdę particulæ apho. Aphoriſmo xvj. cum dixit non conuenire laborātibus laborem, niſi prius comederint, & eò magis hoc fieri debet, ubi ſic aſſueti ſunt. In hanc ſententiam faciunt ea, quæ Hippocrates in ſecundo de ratione uictus de mutanda conſuetudine ſenſit. Te quæſo doctiſsime Magnole ob tuum in me amorem, ſeriem diuini Hippocratis (quam te credo ſæpe legiſſe) iterum mea gratia legere ne pigeat, ut intelligas quónā pacto moderni quidam non ſolum lacerēt (ut ita dicā) ueſtes regias ipſius medicinæ, uerum & aliarum ſcientiarum, & membra principalia, ut cor ipſum aliquando latronum more euellere uideantur, dum iſta negant: at etiam dicentes illud, ſolis aduentum ad nos, non prodeſſe uirtutibus omnibus, præſertim naturali: quod tamen non uerum eſt de diurno aduentu ad nos ſolis, ſed etiam de annuo reditu, cū uires augeant & uer & æſtas ipſa, teſtātibus ſapientibus, Ariſtotele unà cum fideliſsimo interprete, ac etiam Hippocrate, & Galeno: quorum uerba cū ſint notiſsima, ne nimis protrahatur oratio, hic ſcribere minime conſtitui. Meminiſti illius Hippocratis ſententiæ, Ventres hyeme, & uere calidiores, non magis autem ex caloris concentratione quàm etiam ex aduentu ſolis ad nos, roborantis calorem animantis: ita ut per hyemem ultima pars intelligatur, quæ eſt propinqua ueri: ut ſi ſuperius frigus ad intima coëgerit calorem, aduenīens ſol adhuc confert magis, ſicut rebus calidis exterius applicatis corroboratur: quanquam ſcio iſtos extorquere ſententiam aphoriſticam in aliam etiam expoſitionis partem. Quòd ſi etiam ad partem temporis, & approximationem ſolis ad nos, rationem conuertamus, non habent ubi fugiant locũ. Sed obiiciant, quod Galenus in commento dixit, caloris ad intrinſecas partes reuocationem ad concoctionem ualere: nónne & hoc facit pro ratione noſtra? Matutinis enim horis, ex frigore nocturno ad intrinſeca membra coactus calor firmior eſt, quàm ueſperi, ubi iam ſparſus fuerit. Extrinſeca enim, uel caliditatis uel frigiditatis in calorem noſtrum, uidet hæc eſſe actio, ut mediocris proſit: nimius obſit. Moderatum extrinſecus frigus adunat, & corroborat, nimium extinguit. Calor item non ualentior auget, contrarius reſoluit. Quare mane & à nocturno frigore corroboratus, & à ueniente primo calore auctus, potentior erit ad concoctionem: ueſperi reſolutus à diurno calore, neque dum recreatus, aut à nocturno & moderato frigore, aut ſpirituum renouatione, quod fiet multò pòſt, iam erit infirmior. Enimuero pudet me ad omnia reſpondere, cum friuola & nullius ferè conſiliĳ ab ipſis dicta ſint. Qui etiam rationibus reſpondere non ualent, contumeliis ſæpiſsime mortuos proſequuntur. Vtinam autem ita & docti & experti eſſent moderni medici, ſicut erant illi qui ante nos fuerunt, & quæſtiones, & dubia antiquorum declarauerunt, & in ſcriptis reliquerunt. Dĳ boni quanta fuit diligentia, quantus labor, qualis (ut ita dicam) charitas antiquorum? Et tamen quidam ita inſulſi ſunt, ut audeant eos parum eruditos fuiſſe dicere. Sed unde cœpit oratio, redeo. Dicunt qui cœnam maiorem prandio eſſe debere affirmant, eo in tempore maiorem quantitatem cibi aſſumere oportere, in quo calor ualidior, & fortior exiſtit. Sed calor fortior eſt horis illis ueſpertinis, utpote conuerſus ad interiora per ſomnum ex ambientis aëris refrigeratione. Ergo horis ueſpertinis, quæ ſunt horæ cœnæ, maiorem cibi quātitatem dare conueniet. Quam rationem conantur comprobare autoritate Galeni quarto de ſymptomatũ cauſis. Vide (quæſo) quàm facilè ſit decipi à uериſimili ratione, ut aliquando inter nos autoritate Platonis in Phædone dicere ſolemus: nam ſi rationem eorum apparentem, aliquid omnino pro iſtis uidetur affirmare: cum etiam uerba doctiſsimi Galeni idem affirment. Sed diſtinguamus, ut ſapientes faciunt, inter principium, quod eſt uia ad augendum calorem animantis, quod fit per ſomnum ex refrigeratione aëris ambientis, & inter tempus in quo iam calor auctus eſt, facta ſpirituum inſtauratione, & eſt cum iam ſatis homo dormierit. Veſpertinis enim horis calor ex diei labore, & exparſione ad exteriora membra, reſolutus & imbecillis eſt, teſte ſenſu cuiuſq;, & Ariſtotele, ac Auerroë in libello de ſomno, & uigilia. Et ideo natura inſtaurationem ipſis per ſomnum procurauit, qui quietis ſpecies eſt, multiplicando ſpiritus nocte, cum aëris etiam refrigeratio coadiuuare uideatur. Sed naturæ opera non fiunt niſi in tempore: non ergo erit iſta ſpirituum inſtauratio, & iſte fortior calor, niſi poſtquam ex toto reuocatus calor intro fuerit, materiámque ſanguinis in ſpirituum ſubſtātiam mutauerit. Hæc autem naturæ operatio fit in tempore. Dicebat enim Hippocrates in libello quarto quem de morbis ſcripſit: quanquam Galenus in commentariis VI. de morbis uulgaribus, an fuerit ipſius dubitauit: quicquid ſit, non niſi à uiro docto ſcriptus liber ille fuit. Inquit namque cibaria ingeſta detineri à ſtomacho, neque eodem die nutrire, ſed tribus poſt diebus, ita ut non ſtatim corpus nutriatur: quod apparet, nam ſi citò egrederētur è uentriculo ſumpti cibi, macilenti, & non robuſti fiunt homines: ſicq; ille dixit de cibariis, ita ut diebus pòſt tribus euacuentur excrementa cibi, quòd tunc fortes & ualidi fiunt homines. Horis autem illis ueſpertinis, quibus cœnare ſolemus, calor etſi incipiet paulò pòſt reuocari, non tamē adhuc

ex toto intrinſecus eſt: quod indicant, qui ad multam noctem calore aguntur, carnibus exterioribus accenſis, quæ ſicuti cucurbitulæ attrahunt, cum ſint ita inflammatæ, neque calorem naturalem ad interiora concedere patiantur, neque adhuc ſpiritus prima nocte inſtaurati ſunt, ut tum ualidiores melius concoquant. Quòd ſi etiam calor ſubito reuocaretur, antequam inſtauraret deperditum ſpiritum, plurimum temporis ſpatium tranſire oportet, ut uidiſtis Hippocratem dicentem, ita ut laborēt per id tempus. Quare non erit ueſperi ualidus ad concoquendum: ſed ex Ariſtotelis ſententia primis illis horis principaliter, & præcipuè in inſtauratione ſpirituum: nam & cibaria primo coquuntur: ultimum intentum eſt ſpirituum inſtauratio: quare primo in digeſtione præſentis ingeſti cibi uirtus ſtomachi ſiue uentriculi adiuta à concentratione occupatur, ſucceſsiuè aliæ, ut tandem ſpiritus inſtaurentur, qua ſpirituum poſtea inſtauratione facta, omnes corporis partes, omnéſque uirtutes ualidiores exiſtunt. Hoc autem non eſt, niſi poſtquam animalia per notabile tempus dormierint: & iſtæ ſunt horæ matutinæ, niſi quis forte mutaret horas, ita ut uigilaret nocte, die uerò ſe exercitaret, ut omnes in nobiſmetipſis experimur, cum omnes uirtutes, tam uitales, quàm animales, & etiam naturales fortiores ſint: id quod de naturalibus facilè perſuaderi poteſt, cum excrementa omnia tum uentris, tum urinæ, tum ſputorum, & huiuſmodi facilius horis matutinis euacuentur. Quæ euacuatio opus eſt ultimæ uirtutis ex naturalibus poſt omnes alias: ſine qua neque nutritio benè perficeretur, ita ut ſanum indiuiduum degere poſſet, niſi ſcilicet ſuperfluitates expellerentur: & hoc placuit Galeno de tuenda ualetudine, cum dixit, eo in tempore corpora excitari conducere, cum ſint ab excrementis emundata. Non propter hoc autem dixit ipſe laborem impedire concoctionem, præſertim in aſſuetis, ut dicebamus. Hoc idem in animalibus, tam intrinſecis, quàm extrinſecis apparet, cum etiam operationes animæ, & diſcurſus perfectiores ſint horis matutinis, quæ teſtantur ſtudentes omnes, & qui diſcurrendo res arduas tractant: idem experiuntur, qui corporeis laboribus ad uictum acquirendum utuntur, & etiam non pauca animalia, ut ſunt equi, & boues. Vitalis etiam uirtus, iſtis horis & ipſa longe ualidior eſſe uidetur, cum pulſus à medicis non parum melior iſtis horis apprehendatur. Igitur uelimus nolimus ex rationibus adductis, quæ ſunt illorum, qui dicunt maiorem cœnam conuenire (malè accipientes tempus, in quo uirtus eſt fortior) dicere oportet, matutinis horis maiorem quantitatem cibi conuenire, cum ualidior ſit uirtus mane, quàm ueſperi. Sed cum dicunt Galenum, loco citato, dixiſſe uirtutem naturalem ualidiorem eſſe homine dormiente: hoc uerũ eſt, quòd fit ualidior paulatim, ut mane ſit facta, & maxime per ulteriorem ſuam operationem, quæ eſt ſanguificatio, & diſtributio alimenti ad membra, & ſuperfluitatum ſequeſtratio, cum ſcilicet ſanguis ex ſuperiorum concoctione ciborum præparatus, à membris omnibus attrahitur, & (præſertim in medicorum uia) à corde pro conſeruatione uitæ in ſpiritum conuertitur, quod eſt inſtrumentũ animæ: ita ut anima ad omnes operationes ipſo utatur: tunc enim melius operatur in omnibus, quàm cum eſt reſoluta horis ueſpertinis, ut dixi. Quod autem dixit Galenus, Naturalem uirtutem fortius agere in dormientibus: illud intelligendum eſt, in illa prima præparatione: quod ętiam confirmat autoritas Galeni de introductione pulſuum, ubi dixit laborare uirtutem in ſomno ut cibum cõcoquat, & præparet, ut in ſanguinem conuertat, & denique ſpiritum pro cordis uirtute. Sed in illo primo congreſſu pulſus non ita ualidè pulſat, ſed debiliter, & tarde: & hoc quoniam tunc non inſtaurat ſpiritum, ſed ad uentriculum conuerſus calor cibum præparat, ut ad ſanguinis conuerſionem ſit præparatus, & poſtea cũ iam ſpiritus ſucceſsiuè multiplicatur, fortior fit. Vide igitur quòd horis illis uirtus debilior eſt, & ideo laborat in inſtaurando, & dimittens exteriora opera, inſtaurationi tantum intenta eſt, ſed inſtauratis uirtutibus, quod eſt mane poſt completum ſomnum, non ſolum digerere poteſt, uerumetiam & extrinſeca munia exercere. Neque (ut dixi) decipi oportet in apparenti ratione, cum eminentiſsimi autores non dicant, uirtutes naturales ualētiores ſimpliciter eſſe in ſomno: ſed intelligendum eſt, quòd cibi, qui præparandi ſunt, in ſtomacho per aliquam longiorem moram, & quietem, in ſomno retracto calore ad interiora, & præſertim ad ſtomachũ melius præparantur, ut per ſucceſsiuam digeſtionem per alia membra, ut hepar, & cor, in ſanguinem, & ſpiritum conuertantur. Quæ tota naturæ operatio non fit niſi tēporè longiori, ut puta, ſi cibi prima digeſtio completa eſt, quæ in ſtomacho non perficitur: in plurimis, niſi octo horarum ſpatio, per quod chylus ille tantum efficitur, qui non ita remotus eſt à ſubſtantia ciborum: & chylus in ſanguinem etiam non mutatur, niſi in maiori tempore: ſimiliter, & ſanguinis mutatio in ſpiritum non fit, niſi poſtquã uirtus in iam dictis laborauit in præparando. Quare nõ eſt, ut dicamus, uirtutes naturales omnes in ſomno eſſe fortiores: ſed illud quod plus ad uirtutes facit, cum ſit non ex prima digeſtione, ſed poſterioribus: hoc erit horis illis matutinis (ut dictum fuit) in quibus cibum maiorem ſumere melius eſſe diximus: quo etiam tempore iam uacuus eſt uentriculus à cibariis aſſumptis & iam excrementa ad inteſtina, & exteriùs pulſa. Vide igitur quomodo falluntur in ueriſimili ratione, accipientes principium, in quo uirtus ad interiora confugit, pro tempore illo ultimo ſomni, in quo iam uirtute inſtaurata meliores fieri poſſunt cõcoctiones: ut poſteà inſtaurato calore uētriculus & alia naturalia membra, maiorem cibi quantitatem & ſuſtinere & digerere poſsint. Præterea, quantum poſsit exercitium moderatum, ubi digeſtiua debilis eſt, ſcis: quoniam te legiſſe ea etiam puto, quæ Galenus de exercitio ſcripſit in ſecundo de tuenda ualetudine, & etiam in libello de ludo paruæ pilę: cum augeat calorem. Præterea Galenus in commento aphoriſmorum, apho. quadrageſimo nono, particulæ ſecundæ illos aſſuetos ferre labores, laudauit aſſueta exercitia, etiã ſi fortia ſint: quoniam dimiſsio exercitij in aſſuetis, imbecillem reddit uirtutem, & præſertim digeſtiuam. Ob has etiam cauſas, cùm & mane labor anteceſſerit, poſteà ſubſequatur prandium, melius concoquitur, quàm cœna: & conſequenter amplius ſumendum eſt, ut melius etiam digerent cibum, qui aſſueti ſunt laboribus, etiam ſi ſtatim exercitentur, quàm ſi quieſcant, tametſi forte ſit exercitium illud. Poſtremò quod te animaduertere uolo, eſt, quòd etſi minus, ut plurimum, ſit tempus inter prandiũ & cœnam, quàm à cœna ad ipſum prandium, non propterea dicendũ eſt, ut ipſi affirmant, maiorem cœnã cõducere, cùm tempus maius, maiorem etiã cibi ingeſti quantitatē concoquere poſsit. Nam & hęc ratio etiam apparens eos fefellerit: non enim horarum numerus ſimpliciter, ſed uirtutis actio concoquit: quæ cũ fortior ſit mane, ut antè probauimus, eo tēpore oblatum cibũ per ſomnum melius conficiet: id quod uerum eſſe teſtantur, qui per diem ter aut quater comedũt & concoquunt: quod noctu non accidit, quod accideret, ſi tam bene concoqueret in nocte: etenim non plurimũ appetunt in nocte, etiam ſi longiſsima ſit, dum iacent: ſed per diem ſecus eſt. Adde etiam illud, ſcilicet deperditorum ſpirituum recreationem, & conſumptarum humiditatum inſtauratione factam mane: adde etiam excrementorum ſequeſtrationem. Quod cùm ita ſit, ſiquis plurimum cibi in cœna offerre uoluerit, onerabit ita uirtutem, ut ſoli cibo intentam eſſe oporteat, relictis muneribus aliis omnibus. Quod apparet in iis, qui plurimum cœnarunt, & mane inualidiſsimi ſunt, quòd digerere non poſſunt, cùm munera iſta neceſſaria non obierit priori concoctione calor occupatus. Aut ſi illis etiam ſatisfacere uelit, imperfectè utrumq; faciet: quare ob hanc etiam cauſam melius eſt parcius cœnare, ne per ſomnum uirtus impediatur à iam dictis laudabilibus operationibus. Habes doctiſsime ex dictis, quòd cùm poſsit & prandium & cœna maior concedi diuerſis conſideratis, ſcilicet, conſuetudine, ætate, tēpore, regione, & aliis, quæ tum in ſanitate, tum etiam in morbis obſeruari conſueuere: ita ut aliquando maius prandium, & aliquando cœnam, hominibus conſulamus: tamē nulla re alia cogente, libero noſtro iudicio, aut etiam ſi aliquãdo res dubia ſit aliquibus in caſibus: tamē melius ex dictis ſuperius eſt, plus matutinis horis cibi accipere, quàm in cœna, quoniam ſic propinantes, & rationibus & autoritatibus antiquorum minimè contrariamur. Quòd ſi quis huius quæſtionis autorem & pulcherrimas rationes intelligere deſiderat, non eum pigebit quæſtionē Petri Aponēſis uiri doctiſ-

ſimi in ſuo conciliatore hac de re habitam, legere. Vale. Venetiis, M. D. XLIIII. Pridie Calendas Aprilis.

AD EXCELLENTISSIMVM *Dominum Antonium Fracanzanum Patauii medicinam publicè profitentem, De re anatomica. Epiſtola.* V.

NESCIO quo pacto doctiſsime Fracanzane, aut qua cauſa quidam ſuadent mihi, ut in ſtudioſorum gratiam errata modernorum anatomiſtarum literis mandare uelim, idque me facturum, & te ſcire affirmant. Quibus equidem, minime mihi uiro ſeni conuenire, & illi qui primum poſt Galenum ueram diſciplinam diſſecandi corpora (& membra omnia oſtendere) doctis hominibus, ac eorum uſus cognoſcere docui, reſpondi: præſertim cum nulla rationalis cauſa me ad id faciendum impellat. Inſtant tamen ut præter ſtudentium utilitatem etiam in tui honorem, qui rem hanc non ſolum deſideras, ſed Maſſam etiam amore, ac beneuolentia ſemper fueris proſequutus, hoc facere uelim. Ne igitur ruſticus, at ſaltem parem gratiam habere uidear, & tibi cui debeo, & ſtudioſis etiam aliqua ex parte ſatisfaciam, ſi non quæ petunt, ſaltem quæ in colloquio cum iis de rebus anatomicis dicta fuere, ad te ſcribere uolui. Et ut ex ordine procedam, dum iſta peterent, & me repugnantem ex multis uidiſſent: quid de ingenti uolumine ſentirem, primum interrogare cœperunt: quibus ſic orſus reſpondi. Ego qui plurimis negotiis in uiſendis ægris detentus, uolumina ingentia minime legere poſſum, ſed (ut uerius dicam) ne libare quidem: plurimos tamen audiui, qui ingentis applauſus opus laudant. Quod equidem etiam non poſſum non laudare. Dii boni maximus certe fuit labor in congerendo, quod non niſi & uigiliis, & ſtudiis, & exercitatione perfici potuit. Bona uerba inquiunt: ſed nunquid omnia à ſeipſis dicant, uel ab aliis accepta referant, & etiam quæ in antiquorum contemptu errata oſtendunt, uera ſint nec ne, ſcire à te cupimus: nam ſępiſsime Galenum, Ariſtotelem, & modernos reprehendunt, redarguunt, increpant, & calumniis proſequuntur. Quibus ſic in honorem eminentiſsimorum antiquorum, & præſertim Ariſtotelis, & Galeni, benigne reſpondi, atteſtante Auerroi ex proceſſu commenti xxxvi. tertii de anima, neminem poſſe per ſe tam operatiuas, quàm ſpeculatiuas artes perfectè complere: niſi per priora ſcita: quibus ſcitis quęrentes rei perfectionem addunt. Sic & Ariſtoteles ab antiquis accepta addendo compleuit, & Galenus ſimiliter ab Hippocrate primo, deinde ab aliis antiquis tum rationalibus tum empiricis acceptam medicinam, mira ac incomparabili doctrina & eloquentia roborauit. Quam Auicenna Arabs eius fideliſsimus interpres, & ſi non linguæ elegantia, ordine tamen ac mirabili eruditione compendioſe relinquens nihil intactum compleuit. Similiter etiam moderni anatomici noſtris temporibus fecerunt. Etenim cum multa ab Ariſtotele, & Galeno, & aliis recentioribus, ac etiam à noſtris anatomicis à me ſcriptis, & multis iam antea annis impreſsis accepiſſent, ac imitati eſſent, pro ſuis (nihil illis, nec mihi referẽtes) uſurparũt, ſed quod peius eſt, calũniis, & contumeliis (ut dicitis) Ariſtotelẽ, Galenum, & alios à quibus acceperunt gratis proſequuntur, atq; furatis multa addiderũt, quę teſtor Deum digna omni laude ſunt, utpote quę non niſi maximo ſtudio comparata fuere. Sed quæ in eminentiſsimorum antiquorum, & mundi lumina contẽptu contumeliter, & cachinanter dicta ſunt nunquam laudare potui, cum ut ſua extollerent, ſapientes antiquos malè interpretentur. Sæpiſsime etiam ut audio mentientes, cum multa addiderint, quæ nec Ariſtoteles, nec Galenus ſomniauerint, non dicam ſcripſerint. Miſſa hæc illis feci dicens, ut aiebat Cicero, ueritatem id in ſe habere, ut per ſeſe ſola à maledicis tueatur. Qui ubi hoc primum ipſis expoſuiſſem, optimè credis dicũt, ſicq; & nobis uidebatur, ſed & ad reliqua reſpondere precamur. Ego qui (ut dixi) non potui nec homines audire, nec ſcripta legere, non poſſum ad petita ſatisfacere inquio. Dicũt ſi libet à nobis audire, libẽter ea tibi exponemus, ſed tuam ſententiam ſemper in omnibus deſideramus. Dicite docti iuuenes, poſtquã in præſentia mihi ocium eſt, ut poſsim uobiſcũ loqui reſpondeo. Errata dicunt an uera ſint ſcire deſideramus, ſed ea ſingulariter tibi narrabimus, & primum nunquid Galenus hominum cadauera ſecuerit unquam, & fideliter anatomiam ſcripſerit, uel ab aliis antiquis perperam intelligens, male etiam ſcribendo nobis declarauerit: in hunc errorem uidetur ex eorũ ſententia incidiſſe etiam Ariſtoteles. Ad hæc illis ſic reſpondi, manifeſtum eſſe, Galenum quidem & Ariſtotelem corpora brutorum animantium quàmplurima ex ſuis ſcriptis ſecuiſſe, & etiam hominum cadauera, ac de eorum cognitione illis fideliter ſcripſiſſe: quam quidem ueritatẽ illis facilè perſuaſi, uerba Galeni, & ſentẽtias in quàmplurimis libris ſcriptas narrãdo. Nam primo de anatomicis aggreſsionibus circa principium ſic ſcripſit. Primum ſimiarũ oſſa cognoſcere oportet, ut poſtea in cadauere humano facilius ea cognoſcere poſsis: nõ enim ex ſola lectione rei anatomicæ cognitionem habere poteris, nec ex ſimiarum inſpectione, ſed etiam hominis. Quod autem & hominis oſſa, & reliqua mẽbra uiderit, teſtantur etiam ea quæ in libello de oſsibus ſcripſit, & primo de aggreſſionibus anatomicis Alexãdriæ uidiſſe affirmat, ac etiã ea uerba quę paulo poſt in hanc ſententiã ſequuntur. Simiæ ſunt ſimillimæ homini, differũt tamen in multis, nã & femoris caput obliquius quodammodo, cũ acetabulo coxæ committitur, & quidã etiã muſculi, qui in coxã deſcẽdunt. Cõſuluit quoq; tertio eiuſdẽ prius ſecando in ſimiis exercitari, ut audacius poſtea cadauera hominũ aggredi poſsit. Quarto denique eiuſdem de anatomicis aggreſsionibus ſimiam dixit nõ habere manum ſimilimam homini, cum mutilum magnum habeat digitum. Quare admonet uidere manuum anatomiam in ſolis hominibus. Videtis igitur ex dictis, Galenum non ex brutorum tãtum, ſed etiam ex hominum membrorum inſpectione anatomiam ſcripſiſſe, qui non ſolum uidere uoluit membra brutorum, & hominũ, uerum etiam ea inter ſe comparare. Etenim ſecũdo eiuſdem reprehendens illos, qui non ab hominibus, ſed à brutis membra diſcere uolebant, boues ſecantes: inquit enim linguam bouis maxime diſsimilẽ eſſe hominis linguæ. Quomodo (quæſo) potuit Galenus alioqui uir diligẽs, doctus, & incomparabilis iudicij, dixiſſe differentias membrorum hominis, & brutorum, niſi uidiſſet utraque? At dicent, iſta ab aliis accepta exemplariter ponit Galenus, non quòd ipſe hominum cadauera ſecuiſſet. Sed (quæſo) audite ipſum Galenũ ſexto de uſu partium paulo poſt principium, qui ita ſcribit. Cæterum de numero lumborum pulmonis aliorum cuiuſque animantium definire non eſt propoſitum: neque enim alterius cuiuſque inſtrumentis ipſorum conſtructionem attingimus, niſi forte in homine exponẽdo conuicti fuimus traducti: quòd ſi morte præuenti non erimus, illorum etiam conſtructionem membratim quomodo nunc hominum diſſecantes, aliquo tempore explicabimus. Hæc Galenus: ex quibus uidetis quòd ipſe corpora humana ſecabat, cum de hominum membris ſermonem haberet, promittẽs etiam ſe brutorum membra deſcribere ſi ſuperuixerit: quod poteſtis comprobare ex uerbis undecimi eiuſdem de uſu partium circa finem, ubi cauſam reddit cur homines rectè, & reliqua non pauca bruta prona incedant: ibi reddens cauſam dixit eſſe, quoniam homo diuerſam habet & ſpinæ, & muſculorum ipſius formationem à brutorum ſpina, & muſculis. Similiter quarto de uſu partium comparat uentriculum hominis, tam ad figuram, quàm ad ſubſtantiam aliorum animantium uentriculi. Rectè doces (dixerũt) ac ueritatem illuſtras, ſic & nos credebamus, tametſi minime loca Galeni animaduerteramus. Sed quid credis ſubiiciunt, de illis quæ Ariſtoteles in libello de partibus animalium ſcripſit? Superſtitioſa reſpondeo inquiſitio hæc eſt, illis qui ea quæ Ariſtoteles de animalibus copioſè, diſtinctè, doctè, & ſubtiliter ſcripſit, aliquando lectitauerint. Etenim ille nihil literis mandare uoluit niſi quę uiſa, & ratiõi cõſentanea fuerint. Deſinãt igitur iſti in eminẽtiſsimos uiros proſumere, uóſq; iuuenes hortor ac obteſtor, ut ſi in numero, tum philoſophorũ, tum medicorũ euadere deſideriũ uos tenet, Ariſtotelis librũ de animalibus, ac Theophraſti de plantis attentè, ac diligẽter, & ſæpe legere uelitis: ea enim cõtinẽt, quę & ad theoriã, & ad praxim proculdubio in genere, neceſſaria doctè procedẽdo ſunt. Placet monitũ, et obſeruabitur: ſed age, inquiũt, & reliqua nobis declara. Quæ ſunt illa dico, aiunt multa quidem. At ego: res hæc nec ex tempore, nec etiam ex pręmeditatione à me uobis declarabitur; etenim innumeræ ſunt partes corporis

poris

poris animantis: quòd ſi ſingulatim omnes diſcurrere uelitis, & ego uobis reſpondere uelim, annus non ſufficeret. Reſpondent illi, qui & docti, & modeſtiſsimi ſunt: non omnia in præſentia ſcire cupimus, ſed quædam ueluti introductoria ad reliquas difficultates, & à capite incipiemus: ac ſcire cupimus nunquid cerebrum habeat propriam, ac natiuam figuram ad rotunditatem tendentem à uirtute informatiua ſic operante, ut melius ad operationes animales poſsit, uel potius inſequatur formam oſsis ipſum tegentis, quod craneum uocant. Ad hoc ego illis: hæc quæſtio puerilis mihi uidetur, ſi cum Philoſophis quis eam tractauerit. Enimuero quis ita rudis eſt, in naturæ operibus uerſatus, quòd hoc (ut ita dixerim) primum ferè principium ignoret, ſcilicet ex ſemine humano, & aliorum quàmplurimorum animantium perfectorum, poſtquam in utero retinetur, generari tria illa membra principalia, uidelicet cor, epar, & cerebrum, atq; in illa prima formatione, natura figuram quandam rotundam in primis conformare, ut in Hippocrate eſt uidere, de muliere quæ conceperat, ac poſtea cum ſaltaret aborſum fecit, & etiam in prouectis, in quibus etſi hæc tria membra non ſecundum totum ſphærica cernuntur, tamen ad rotunditatem tendunt: ut primo in corde uidere eſt, quod pinealem figuram obtinuit, quæ non ſine rotunditate eſt: habet epar quoque rotundam aliquo modo figuram, non tamen à continente ſepto tranſuerſo, ſed à uirtute informatiua, ſiue à natura dixeris non refert, ſic primo ab intelligentia non errante directa, ut per eius ſubſtantiam, quantitatem, temperamentum, & figuram neceſſarias naturales operationes ſecundum iuſtitiam proprii corporis operetur, & tametſi in parte cõuexa iocinoris uẽtriculus collocetur, & in illa parte cauũ iecur ſit, nõ propterea formam hanc primo à contangentibus membris ſibi uendicat, ſed à natura, quæ ſic primo operatur in omnium ferè membrorum conformatione, in primis rotundam inſinuans figuram, deinde ſecundum neceſſitatem operationis, & aliquando loci ſecundarie, eam rotunditatem oblongam, uel latam, uel aliam opportunam configurationem configurat. Vt in renibus, ſtomacho, ſplene, inteſtinis, ueſica, utero, teſtibus, oſsibus, muſculis, & aliorum membrorum, tam ſimilium, quàm organicorum (ut dicunt medici) uidere licet: cum etſi diuerſas habeant figuras, & oblongas, & latas, non tamen expoliantur ab aliqua rotunditate manifeſta. Porrò prima figura à natura intẽta, ubi fieri poteſt, circularis eſt, & rotũda, ut doctè dixit Ariſtoteles ſecundo cœli, quare cœlum natura ſphæricæ figuræ eſt, tanquam ex perfectiſsima, & nobiliſsima figurarum, quam intentionem etiam in paruo coſmo ſeruare inquantum poteſt intendit: ut per huiuſmodi figuram minus obnoxia ſint membra malis, & maioris capacitatis: quemadmodum etiam teſtatus eſt Galenus quarto de uſu partium circa principium. Sed eo unde diſceſsit oratio reuertar. Cerebrum igitur ſimiliter rotundam à natura habuit figuram, non tamen omnimodam ſphæricam, ſed quantum ad operationes iuſtitiæ conuenientes fuit. Hoc etiam in quàm plurimis animantibus conſpicimus, ut ſunt equi, boues, canes, & cætera ſimilia, quæ tametſi os capitis habeant oblongum, nihilominus ipſa ſubſtantia cerebri ad rotunditatis figuram in eis inſpicitur, & thecam, ſiue os quo continetur, ea in parte rotundam natura ad ſimilitudinem locati fabrefecit. Etenim craneum continet cerebrum, & eſt tutela, & armarium ipſius, poſt cerebri formationem factum: quod ſi primum cerebro conuenit figura, quæ ad rotunditatem (ex iam dictis opportunis utilitatibus) tendit, & ſit membrum nobile, & princeps, quod tutò cuſtodiri debebat, rationabilibus fuit naturæ prouidæ formaſſe arcem ad cuſtodiam mẽbri principis, ad figuram, & commodum ipſius membri, quàm quod membrum inſequatur ſui coopertorii figuram. Quod ſi cerebrum aliqua in parte particulam ipſius cranei inſequatur, ut eſt uidere ubi ſunt nerui deſcendentes ad nares per duo foramina oſsis baſilaris, ita ut ibi ex figura foraminum oſsis in cerebro appareat configuratio ex illorum foraminum non diſsimilem duabus papillis mamillarum, & in aliquibus aliis locis de inceſſu quarundam uenarum eſt uidere, hoc non fuit quoniam cerebrum propria careat figura, ſed ad melius, ſcilicet, ut foramina obſtruendo, ſecundum illam partem, prohiberet, ne mali uapores ad cerebrum aſcenderent: ſimiliter de uenis factũ eſt, ſcilicet ex opportunitate, ut facilius nutrimentum deferatur. Etenim natura non abundat in ſuperfluis, neq; deficit in neceſſariis. Nã ſi poteſt unica parte multas operationes & utilitates perficere, eas utique complet, non tamen priorem membri operationem minuendo, nec in indiuidui detrimento alterando. Porrò ea pars cerebri, quæ à cauitate oſsis formam papillarum uberum ibi recipit, ita parua eſt, ut nihil, ſi ad totam ſubſtantiam cerebri inſpicere uelitis, eſſe uidebatur: attamen confert, fouendo (ut dixi) cerebrum, & tenues ac molles neruos ad nares deſcendentes, quos neruos ſi quis neget, nõ diligenter in ſectione corporum notaſſe oſtẽdet. Ex dictis audiuiſtis, quomodo errant quidam decepti ab aliqua apparente, & non uera ratione. Nam etſi cerebrum molle ſit, ita quod prę ter propriam figuram ad rotunditatem tendentem poſſit conformari etiam alia, non ob hoc dicendum eſt, cerebrum nullam habere propriam, ſed ab aliis accipere figuram: quoniam (ut dixi uobis) natura dedit os ad tutelam cerebri tanquam thecam id cuſtodiẽs. Placent dicunt rationes, ſed & alia quæſtio eſt, ſcilicet, de oſſe capitis, quod craneum uocant, cum ex tribus partibus conſtare aiunt, nunquid hoc uerum ſit, & etiam nunquid pars oſsis, quæ rara & ſpongioſa eſt, primum facta fuerit, ita ut ſua raritate leuius eſſet, & ne nimis grauaret. Quibus etiam reſpondi, neminem etiam mediocriter in anatomicis uerſatum, trinam oſsis cranei differentiam ignorare: at utilitates diuerſarum partium, qui ita ut nunc dicebatis aſsignant, non rectè declarant: quippe cum media pars oſsis cranei ſpongioſa, & rara non primo fuit, ut ſcilicet minus craneum grauaret, ſed ut nutrimentum ibi à uirtute membri attractum, per moram immutaretur à membri uirtute, ſiue temperamento in ſubſtantiam oſsis. Neque os poteſt illa quantitate mediana nimis grauare, cum tametſi unum eſſet ſine illa raritate nõ plus grauaret, nam pars illa ſemper nutrimento plena eſt, quare ferè etiam eodem modo ponderare uidetur, ac etiam cum craneum à ſpina ſecundum totum ſuſtentetur. Etenim rotundæ figuræ ab utroque latere depreſſæ, tamen eſt ueluti olla quæ primo iacet ſupra primũ colli ſpondilum, neq; nimis grauare poteſt: ſequitur tamen quod cum habeat partem medianam raram, ut in ſe leuius ſit. Adde etiã quòd conſiſtunt partes cranei per ſuturas, neq; aliquo modo ad cerebri ſubſtantiam deſcendere poſſunt, ſed firmę manent. Non ingrata hucuſque nobis declaras: ſed rogamus dicunt, ut etiam quædam alia nobis aperire non pigeat, quoniam dicũt duram membranam, quam duram matrem uocant, eſſe craneo alligatam per ſuturas tantum, ac etiam muſculos frontis non uere muſculos eſſe, ſed partem carnoſæ membranę uniuerſum corpus ſub cute poſt pinguedinem circundantis affirmant. Poſtremò etiam de oſsiculis quæ in oſſe cranei uerſus aurem ad tympanum ſiue ad auris meningam ſunt, ueluti percuſſoria tympani, tam de eſſe, quàm de inuentore à te ſcire deſideramus. Ego uero uellem uobis omnibus ſatisfacere, reſpondeo: ſed quoniam hora iam me aliò uocat, & meæ non ſunt partes, ut in re difficili ita ad omnia ex tempore reſpondere uelim: ideo ſi uobis rem non ingratam facio, ad alium diem reliqua declaranda relinquam. Age inquiunt rogamus, nam quæ propoſita ſunt ſexcenties uidiſti, ideo breuibus poteris nobis ſatisfacere. His uerbis mollitus commoror, ac ad reliqua ſic reſpondeo: duram matrem uniuerſo craneo alligatam ſemper uidi ligamentis ualidiſsimis pro modo membri, ſed ualidioribus, ac craſsioribus per ſuturas annectitur: quòd ſi aliquando ſecus aliqui inuenerunt, hic non naturalis ſed præter naturam affectus eſt, ut clare uidere licet in libello quem de modo ſecandi corpora ad iuuenum introductionem ſcripſi. Sed de muſculis frontis, ſi duo ſunt, non uideo cauſam diuerſitatis cur non muſculi uocari debeãt, cum ſint carnei, ac neruos habeãt tranſeuntes ad eorum compoſitionem, moueántq; motu uoluntario. Neq; dicere poſſum illos eſſe membranei muſculi, ſiue panniculi carnoſi partem, tametſi hac in parte membrana carnoſa ita unà cũ muſculo, ſiue muſculis frontis ſit commiſta, ut ſeparari minimè poſsit, cũ etiam in aliis partibus corporis hoc inſpicere poſſumus, præſertim in labiis, ubi neque cutis, neq; mẽbrana carnoſa, neq; muſculi eã mouẽtes diſtingui poſsũt, At ad oſsicula quę ad tympanũ, ſiue me-

ningam

ningam auris ueluti malleoli percutientia sunt, dico non ut incudem, & malleum percutientia esse, sed alterum alligatur ossi, & percutit membranam, & alterum membranę alligatur, & ipsam etiam percutit, ut ego in meis anatomicis ostendi. Hæc vero ossicula anatomici, tempore Alexandri Achillini, uiri in omni genere scientiarum eminentissimi (ut ex eius scriptis clarissimè uidere est) inuenerunt. Quare non ab istis sunt primo inuenta, nec ostensa: cum etiam Iacobus Carpensis loca istorum ossiculorum inuenire doceat. Mitto quæ à me inuenta sibi arrogant, nihil mihi referentes, ut de membrana carnosa, & musculis linguam exterius mouentibus, & alia quàmplurima membra, & usus, ut in meis iam impressis anatomicis uidere licet, & uidebitis Deo dante in reliquis. His dictis missa feci, atque illis felicem noctem precatus, ad consueta munia profectus sum. Ac postquam me domum collegi, ea quæ cum doctissimis scholaribus dixeram, ad te scribere decreui, ut sint testimonium meæ in te obseruantiæ. Vale uir doctissime, & me amare non desinas. Venetiis, M. D. XXXXIII. die XX. Ianuarii.

### AD EVNDEM DOMINVM *Antonium Fracanzanum*, *Epistola* VI.
### De *re anatomica*.

POSTQVAM priores ad te literas dedi, quid mihi acciderit, libuit ad te scribere. Iuuenes illi iterum me adierunt, & petunt, & plurimis uerbis rogant, ut iam de anatomicis inceptum colloquium prosequi uelim. Quibus ego, perdifficile est uobis satisfacere respondi, præsertim cum tempus non patiatur, ut uobiscum diutius esse possim, & etiam quoniam quæ declaranda sunt, egeant præter sensum rationalem, etiam sensata membrorum tractatione. At illi obsecramus inquam, ne pigeat te nobis aliqua declarare, quæ antea à te audiuimus, dum capitis anatomiam exponeres. Et quæ hæc sunt, dico? Primum aiunt, posteaquàm de capite sermo nudiusquartus fuit, & neque omnia quæ desiderabamus nobis declarare, ob temporis angustiam permissum fuit, ea ratione accessimus, ut quod supererat exponeres: cum nec te interrogauimus, nec tu interloquendo de illis quæ scire (præter ea quæ nobis exposueras) desiderabamus, mentionem fecisti. Et quæ sunt ea quæ tantopere desideratis? dico. At illi inquiunt: nos scire desiderabamus cur est quòd natura homini (ex sententia Aristotelis secundo de partibus animalium, & omnium illustrium sapientum, atque etiam ex sensata cognitione,) maiorem quantitatem cerebri dederit respectu sui corporis magnitudinis, quàm in quocunque alio animali. At ego illis: quoniam homo maiorem sanguinis quantitatem habet, si ad sui corporis quantitatem spectemus: & etiam si finalem causam considerare uoluerimus, quoniam cæteris animalibus in disciplinis homo præstat: Et idcirco dedit ei natura maiorem molem, quantitatémue substantiæ cerebri. Hæc inquiunt nos minime sciebamus, cum ferè omnes qui de usu partium nostri corporis scribunt, de hac re nullam rationem assignēt, ut propterea scire possimus qua ratione quantitas siue moles ad perfectionem disciplinæ faciat. Sed aliàs audiuimus te assignare rationem: quam quoniā non omnino memoriæ mandauimus, ideo ut nobis iterum eā repetas rogamus. Ego uero qui doctis semper satisfacere, in illis quæ possum studeo, perspecta ardenti animi ad sciendum cupiditate, rem sic clarius manifestare cœpi. Hoc inquam factum fuit, eo quoniam operationes animales interiores hominis, quę cū aliis communes sunt, perfectiores & nobiliores, longe melius quàm in quocunq; animali inspiciuntur & existūt: & etiā, quoniam cū præter cæteras omnes uirtutes, & operationes, quas habent animalia reliqua, rationalis uirtus, & eius usus soli homini datus est, ut testatus est Aristoteles quinto de generatione animaliū: ex quo fit ut cum intelligētiis sit homini similitudo. Etenim ratio siue intellectus est id, quo uno præstamus aliis animantibus, per quem ualemus coniectura, argumentamur, refellimus, differimus, conficimus, & cōcludimus. Sensus autem, qui nobis cum cæteris animalibus cōmunes sunt, in capite positi, non solū ad uictus necessaria sicuti brutis datum est: uerumetiam quoniam ad cognoscendas multas rerum differentias faciunt, ut scribitur ab Aristotele primo diuinæ sciētiæ: nam sensus sunt animę rationalis interpretes, & nuntii rerū exteriorū cum fantastica uirtute sibi administrante, ut ualeat, etiam ad insensibilia & abstracta ascēdere: etenim sola hominis ratio ad cœlum usq; penetrare ualet: neq; aliqua alia uirtus pręstantior est rationali uirtute. Nam ut dictis paulo antè hæc addā, uirtute homo multa agitat, atq; celerrimè discurrit, & causas rerum, & cōsecutiones uidet: multa quoq; diuersa assimilat, & unita disiungit, & disiuncta coniungit, atque futura cum præsentibus copulat, & demum omnia scire contendit: cum non tātum eorum quæ in mundo inferiori sunt, causas assignet, uerumetiā quid in cœlo agatur scire audeat. Quibus nobilibus operationibus, Deus gloriosus, & natura eius ministra, maiorē curam adhibuit, dādo homini nō tantùm sanguinis insignem quantitatē, & spirituum ad obeūdas præfactas nobiles operationes, uerumetiā & quantitatem tam membri principis, quā uenarū & arteriarum in ipsis, & loci, in quo spiritus ad eas perficiendas præparentur, quàm cæteris aliȷs animalibus. Neq; hæc nobis satisfaciunt, dicunt, cum satis obscura sint, & mutilata ab illo quod scire cupimus, & aliàs à te clarè audiuimus, dū utilitates molis maioris cerebri publicè edocebas, quam utilitatem etiā scribere in tuo de anatomicis sectionibus promittebas. At ego iam uobis id exponere perfectе uolebā, sed prius dicam cur ea in meo de anatomicis aggressionibus scripta nō inuenistis: etenim (ut fit) postquam de sectione cerebri scripserā, & post aliquot dies scripta à me legissem, hanc partē de utilitate quantitatis cerebri in margine addidi: quam partem impressor, uel non animaduertens, uel non intelligens prætermisit: sed nunc in noua impressione eam inuenietis, & multa alia quæ antea pulcherrima, & scitu digna in eo non erant. Respondent illi: dic nobis quicquid impressor errauerit, uel dimiserit. Pergo libens, sic incipiens, ac repetens quæ superius dixi: substantia cerebri maior in homine est quàm in quocūque alio animali, quoniam homo habet maiorem quantitatem sanguinis. Et hæc est causa materialis: sed finalis est, quoniā operationes animales in homine sunt perfectiores, ut est reminiscentia & discursus, ad quas operationes obeundas plurima quantitas spirituum præter proprium temperamentum, est necessaria. Et hæc etiam est causa finalis sanguinis quantitatis, ex quo sanguine spiritus omnes gignuntur: sed primò dico cum medicis, quòd ex portione sanguinis, qui à corde attrahitur, & in ipso fit spiritus uitalis, qui deinde per arterias ad caput deueniens ab eius uirtute seu temperamēto moderatur, & in animalem conuertitur. Huic quantitati primò necessaria fuit arteriarum maior quantitas & comprehensiua, tam secundum numerum, quàm secundum latitudinem & extensionem, vt inde spiritus uitalis posset à cerebri uirtute secundum omnes partes alterari ac mutari, vt ad animales operationes esset aptum instrumētum. Etenim in parua cerebri quantitate uirtus non fuisset tanta, neque habuisset illam moderatam operationem, ut potuisset sufficientem copiam spiritus probè alterare ad animales hominis operationes perficiendas. Ex quo operæpretium fuit naturæ prouidæ dare quantitatē cerebri, ut primò esset maior uirtus ad contemperandum spiritus: & etiam dedit uenas & arterias maiores & plures, ut commodè spiritus ab ipsis contineretur. Neque uelim ego uos credere uenas seu arterias diffusas esse per substantiam interiorē cerebri, sed in eius superficiē, siue transeuntes per membranas quaspiam, & duram matrem uocant, uel per eius uentriculos. Porrò exanguis est substantia cerebri interior, quam medullarem (& malè) quidam uocāt. Nam cùm sit unum ex mēbris principibus, non est ossis medulla: etenim craneum habet partem intermediam raram, in qua medulla seu substantia melior inspicitur. Et hæc sunt causæ quantitatis maioris molis cerebri in homine. Bruta autem animalia, cùm plurimùm declinent à temperamento, cùm quędam per calidum, & alia per frigidū, & nonnulla per siccum, & multa per humidum immoderatum, minorem probi sanguinis quantitatem gignunt & spirituum, & hac ratione nec uenarum nec arteriarum numerum & magnitudinem, neq; cerebri tantam quātitatem natura illis dedit: nō enim habent animales uirtutes & operationes exquisitas & tēperaturas, neq; egēt illis. Igitur id datū fuit

quan

quantum ad uictum & conſeruationẽ ſpeciei fuit neceſſarium, ſine aliquo uniuerſali interiore diſcurſu, & etiã exteriore labore: nã brutis in primis paratum eſt à natura alimentũ, nec ſeminant, nec coquunt, & induta ſunt uel pilis, uel plumis, uel ſquamis, uel corio, uel aliquo alio indumento, quo à ſole, & ab aliis extrinſecis nocumentis tuentur, & etiã ui ab aliis, illis inſidiãtibus ſe defendere ualeant. Soli homini nihil horum quæ ad uictum & tutelam faciũt, natura pręparauit: Sed dedit ei animam rationalẽ, qua omnia intelligit, deditqꝫ manus organa organorũ quibus omnia præparare poſsit, tum ad uictum, tum ad tutelam corporis. Sicqꝫ uidetis Deum & Naturam Dei miniſtrã, dediſſe animali intellectiuo omnia inſtrumenta, tam intrinſeca deſeruientia intellectui, quã extrinſeca deſeruientia corpori pro eius conſeruatione. Porro homo intellectiuũ animal poſtquam diſcurſu & ratione cognoſcit ſe plurimis egere, cum manus habeat illis omnia præparat, & ueſtimẽta conficit, & domũ ædificat, & triticum ſeminat, & à uitibus putamina ſecat, uinúmque poſtremo expreſsis uuis facit, cæteráqꝫ omnia non ſolum ad uictũ cum brutis cõmunia, ſed & quæ ad bene beatéqꝫ uiuendi rationem pertinẽt exequitur. Similiter intellectiuæ animæ, tum quantitatẽ ſanguinis & ſpirituũ, tum cerebri molem, & uenarum & arteriarũ multiplicationẽ, & dilatationẽ largita eſt, ut inde ſpirituũ copia pro ſuis nobilibus operationibus haberet: quoniã paucioribus ſpiritibus, neqꝫ reminiſci, neqꝫ diſcurrere, & alias operationes quibus homo cæteris animãtibus præſtat exercere potuiſſet: neqꝫ cum minori cerebri quantitate ſpiritus temperiem conuenientem recepiſſet, pro rationalibus operationibus animæ exercendis. Ex quibus cognoſcitis naturam dediſſe cerebri quantitatẽ maiorem hominibus, ut ſpiritus quantitas cũ ſuo temperamento non deficeret, qui ſpiritus eſt poſtremũ animæ rationalis inſtrumentũ, ex quo ſequitur habuiſſe maiorem quantitatem ſpirituũ, & temperatiorem: quod cõprobare poteſtis, ſi reliquorum animaliũ operationes & membra conſiderare uolueritis. Mitto terreſtria quoniã notiſsima ſunt: ſed aquatilia, ut piſces, tametſi maximã corporis quantitatem habeant ex plurima humiditate, cum habeant frigidam temperiẽ dominantem, nihil aut parum ſanguinis habẽt reſpectu ſui corporis, neqꝫ molem cerebri, cum exiguam quantitatem in eorum capitibus reperiatur, tametſi in aliquibus magnũ ſit caput. Quam minimam etiam quãtitatem cerebri in quàm plurimis terreſtribus habẽtibus maximum corpus, & caput inſpicitur, ut ſunt boues, & equi, & aſini, & alia multa. His itaque illis declaratis, peto equidem ab illis nũquid ſatis illis fecerim, cum pluries repetendo laborauerim. Reſpondent illi: utique ſatisfeciſti, ſed ſunt & alia quæ non ab omnibus declarantur ſcriptoribus, tã antiquis, quã modernis, qui de fabrica humani corporis ſcripſerunt, & figuras in eorum ſcriptis addiderunt, & ea ſcire cupimus. At ego illis ſic reſpondeo: nec ego omnia quæ in humano corpore ſunt membra, uirtutes, & operationes aggreſſus ſum: ſed unum tantummodo tentaui, ut ſcilicet modernis & poſteris uiam aperirem, qua facilius ipſi ad ſectionem corporis humani aggredi poſſint, quod utique ex ſententia ſucceſſum eſt. Nã poſteaquam audierunt, & uiderunt me ſecantem, & qui non uiderunt legerunt eum quem ſcripſi libellum introductorium anatomicarum aggreſsionum, ita in hac re eximie ſe geſſerunt, ut non tantum antiquos æquauerint, uerumetiam longè eos ſuperare uideantur, quo non poſſum non plurimum gaudere. Sed id mihi ſemper moleſtum fuit, cum plurima à me didicerint, & ni ea oſtendiſſem, & literis mãdaſſem quæ penitus ignota erant, ut ſunt membra, & uirtutes, & operationes, nihil potuiſſent ſcribere, aut ſpectantibus oſtendere, præter illa, quæ uulgaria in omnibus gymnaſiis erant ex codicibus quibuſdam accepta, & ex ſenſatis male demonſtrata, & declarata, ut uidiſtis in eo uolumine quod de fabrica corporis humani inſcribitur. Nam ubi de neruis à cerebro ortis ſcribit, & ad partem anteriorem declarandam incipit, ille maluit cum Theophilo, Marino, & Galeno, hanc partem indeterminatam dimittere, quàm partes ipſius ſenſu inueſtigare, & uirtutes, & operationes rationibus comprobare. Etenim ſi quis recte legerit Galenum xvj. de uſu partium, cognoſcet Galenũ dixiſſe neruos molles à ſubſtantia anterioris cerebri ad nares deſcendere, tametſi cũ enumerauit neruos à cerebro ortos, hos primos molles non enumeret, neqꝫ hoc uobis mirum uideri debet, cum & in aliis locis ſuorum librorum idem fecerit, uidelicet nominando, puta, accidẽtia omnia alicuius morbi in uno libro: & in alio, ubi de eodem morbo loquitur, aliqua quidem enumerat ſed non omnia. Quicquid ſit de doctiſsimo, & nunquam ſatis laudato Galeno, ſenſus tamen in neruorum à cerebro ortorum inquiſitione, primum in anteriori parte, ubi eſt ſubſtantia illa cerebri, quam carunculas mamillares appellant, deprehendit duas ſubſtantias molles, neque tam mollis eſt eorum ſubſtãtia, quàm figurata ſit figura aliorum neruorum, & deſcendunt procul omni dubio ad nares, figuntúrque & ſeminantur per ſubſtãtiam interiorem narium ad dandum ſenſum olfactus. Quod cum ita ſit, cur non potius hos neruos dare ſenſum olfactus dixerint, præſertim cum dicant ſe non credere carunculas mamillares dare ſenſum olfactus: ſed potius proceſſus illorum neruorum? quam tamen ſuam affirmationem non audẽt ex omni parte approbare, ob mollitiem dictæ ſubſtantiæ. Neqꝫ uoluerunt eos neruos abſolutè primũ in ordinẽ ponere, quẽ ordinẽ nõ potuit ex proceſſu ſuorũ uerborũ nõ laudare. Reſpondẽt illi, cur moderni anatomiſtę ita pigrè de his neruis, & eorũ operatiõibus ſcripſerunt? At ego: quoniam cõfiſi in libris anatomicis antiquorũ (uetuſtate corruptis, uel perperã à grãmaticis, & nõ medicis interpretatis) ſectionẽ membrorũ minime aggreſsi ſunt, ut ſenſibus ueritatẽ teſtificari poſsint. Cur ita factum eſt aiunt? At ego: quoniã non habebant librũ aliquorum antiquorũ docentem modũ inueniẽdi particulas corporis humani, cũ plurimi antiquorum qui de diſſectione corporis humani, hãc inueniendi rationẽ neglexerint: ſed in præſentia, poſtquã ego ſcripſi, & docui modũ inueniendi unũquodque mẽbrũ, non ſolũ audacter ſecant corpora, & mẽbra inueniũt, uerũ etiã anatomicas adminiſtrationes ſcripſerunt, atque ut uidiſtis figuris quam plurimis praphice exornarunt, in quibus partes omnes corporis tanquã in ſpeculo ab illis qui ſenſatã anatomiã corporis humani inſpexerunt intueri licet: res quidẽ omni laude digna, uerũtamẽ nec propterea ex omni parte rẽ perfecerunt, ut paulo ante uobis ſignificabã, cũ de ſubſtãtia illa ad nares deſcendẽte ſermonẽ habebamus: quã dixit ille ſenſui olfactus ſe credere deſeruire. Sed ob antiquorũ uirorum authoritatẽ (ut ex uerbis illius colligitur) noluit quicquã aperte affirmare, tam de ordine, quàm de operatiõibus. Ad hæc illi, uidimus dicunt librum, ac legimus in eo quædam, & ut ingenue fateamur, multa deſiderare poſſe uidentur, & quædam abundè ingrata nos perturbant. Et quæ in libello amplius præter dicta deſiderari poſſunt, uel ingrata uos turbant, inquam? Quæ deſiderantur reſpondent, ſunt in aliquibus membris uirtutes, & modus operationum in aliquibus particulis, non ex omni parte, & recte deſcriptæ, & quæ ingrata uidentur, ſunt reprehenſiones eminentiſsimorum tam philoſophorum, quàm medicorum principum. At illis ego in his meam ſententiam dicam. Et primum, quòd prætermiſerint uirtutes & uſus in quibuſdam particulis corporis humani, fortè id fuit, quoniam ex antiquorum ſcriptis illæ minime notæ illis fuerunt, & ex proprio Marte eas nequaquam inuenire potuerunt, ſicque de illis ſcribere non ſunt auſi. Cur igitur (reſpondẽt) Ariſtotelem, Galenum, & alios moderniores (quorum libris edocti fuerunt) reprehendere non ceſſant? At ego ſic illis dico: ſolent enim ingrati diſcipuli id ſæpiſsime facere, ut maiorem acquirant autoritatem. Male agunt (inquiunt:) ſed miſſa hæc dicunt, obſecramus inquam ut de muſculis mouentibus linguam, & eorum operationibus, aliquid nobis ſignifices, quoniam qui ſcripſerunt anatomicas aggreſsiones cum picturis, non ex omni parte ſatisfaciunt, plurima nanque de numero & operationibus muſculorum linguæ dicunt, quæ mutilata & confuſa ſunt, ita ut minime ex ſcriptis illorum, eorum omnes operationes haberi poſsint. Ideo ut de illis aliquid dicas rogamus. Quibus ſic reſpondeo: qui noſtris temporibus ſcripſerunt anatomicos libros, (ut ſcitis) non tantum deſcriptiones muſculorum uerbis expoſuerũt, uerumetiam (ut uidiſtis) & figuras muſculorũ pulcherrimè pictas in unoquoque membro addiderunt, in quibus unuſquiſque non ignarus omnimodo partium corporis humani, poteſt commodè & formam, & quantitatem,

tem, & numerum cognoſcere. Quare nihil eſt quod amplius uobis dicere poſsim. Reſpondent ipſi: ſcripta quidem eorum, ut diximus paulo ante, legimus, figuráſque pictas conſpeximus: nec tamen animus noſter ex illis quieſcit, quippe cum difficultatem diſſectionis huius membri oſtendant, nec propterea omnium operationum linguæ cauſam aperiunt, ut legimus in tuo libello introductorio ad anatomicas aggreſsiones. At ego illis plura ſcripſi in eo libello, quæ (ut dixi) antiqui non cognouerunt, & illa omnibus aſtantibus oſtendi, & alia multa, quæ nolui in illo introductorio addere, ne in nimiam magnitudinem libellus excreſceret. In plurimis tamen membris corporis humani, tam de ſubſtantia, quàm de quantitate, figura, numero, poſitione, loco, uirtutibus, operationibus, & aliis ſcripſi diſtinctius, quàm antiqui fecerunt: & præſertim in hac linguæ diſſectione, in qua omnibus clarè oſtendi quantũ omnes qui ante me corporis humani diſſectionem aggreſsi ſunt, frigidè & cęcutientes proceſſerint: plurima omittendo quæ ſanè digna ſunt ut ſciantur, cũ ſint partes eſſentiales. Similiter qui de operationibus poſt me ſcripſerunt, nõ auſi ſunt (ut audio) omnes uſus membrorũ exprimere, ſed ita de operationibus ſicuti de muſculis confuſa quædam declarant, & mutilata, ut ante dicebam. Quod ſi omnia diſtinctè legere deſideratis, ne pigeat uos iterum relegere quæ ego in declaratione partium linguæ, prout ad introductionẽ ſectionis faciunt, ſcripſi: quoniã omnia clara ſunt, tam ad numerum muſculorum, quàm ad omnes operationes eorum. Legimus (inquam) libellum reſpondent, & perlegimus hanc partem, qua plurimum oblectati ſumus: ſed ſcire deſiderabamus nunquid confuſio illa muſculorum aliquo modo manifeſtari, & ſeparari poſsit. At ego ſubridens ſic reſpondeo: Virtutes cognoſcũtur per ſuas operationes, ubi ſenſus eas diſcernere nõ poteſt: homo nanq; cum ſit animal rationis capax, præterquã quòd habet ſenſus exteriores (ut dixi) communes cum aliis animãtibus, habet etiam cogitatiuam uirtutem, & intellectum: quibus ubi ſenſus attingere non poſſunt, diſcurrendo particulariter, & uniuerſaliter (ut ita dicam) ex notis quibuſdam minus nota cognoſcere poteſt. Porrò operationes uolũtariæ linguæ, & præſertim ultimæ partis linguę, quæ ad interiores dentes, & labia uenit, omnibus manifeſtæ ſunt. Eam nanque uoluntariè extẽdimus, & extrà ducimus, & intrà reuocamus: quæ duæ operationes fiunt à muſculis manifeſtis. Sed cum illam extremam partem dilatamus, conſtringimus, in ſeipſam contrahimus, extendimus, & in acutam figuram formamus: id enim ad libitum noſtræ uoluntatis eſt, ut unuſquiſq; ueſtrum in ſe ipſo poteſt experiri. Hi igitur motus, & operationes non ſunt naturales à neruis mouentibus per ſe naturaliter, ſed uoluntariè, ut omnes antiqui, & recentiores ſapientes teſtantur, & experientia docet. Nam lingua (ut dixi) non caret euidenti nerueæ partis ſubſtantia, permixta cum carnea illa ultima parte, ut uidere licet ex manifeſto proceſſu filamentorum, quę per ipſam carneam ſubſtãtiam procedũt: præſertim cum macerata, & ferè ad putredinem deuenerit, aut ſi plurimum elixata coctáq; in aqua fuerit. Non enim meliorem modum inueſtigandi muſculoſam ultimæ partis liguæ ſubſtantiã in præſentia poſſum uos docere. His, & aliis nonnullis hincinde dictis, cũ iam nox inſtaret, & uiſendi ægri aliqui ſupereſſent, peto ab illis ueniam, qui (ut modeſtiſsimi ſunt) dicunt gratias, ſéq; in perpetuum deuinctos fore autumãt, eo quoniam quædã didicerunt, quæ neq; ab alio amplius audita, neque apud ullum quempiam autorem ſcripta legiſſe recordentur. Quibus ego abiens plurimum ualere dixi: poſtea domum reuerſus, uolui eo ordine, quo dicta ſunt, ea ad te ſcribere, ut ſcires me tibi quàm deditiſsimum eſſe. Vale, Venetijs, M. D. XLIII. die XXIII. Ianuarij.

## AD CLARISSIMVM SENATOREM *ac Philoſophum eminentiſsimum Dominum Hieronymum Marcello, Epiſtola VII. ſeu Epitome de febribus, & earum curis.*

QVOD tibi de febribus antea ſum pollicitus, id nunc pręſtare cogor, atq; in primis quid febris ſit declarare: deinde qua ratiõe eas antiqui curare conſtituerint. Et quanquã longum eſſet, methodum, tam ſpeculatiuam, quàm practicam, ſeu curatiuam febriũ ſcribere: dabo tamen operam, quàm maxime potero, ut breui id faciã. Quam rem propoſitam ſic aggrediar.

Febris igitur ſubſtantia (ut dixit Galenus primo de differẽtiis febrium) calor præter naturam in corde eſt, deinde in toto corpore per arterias & uenas diffuſus, niſi impeditus fuerit: non tamẽ adeo impeditur, quin uel in plurimis, uel in aliquibus partibus accenſus ſit. Porrò ſæpe fit, ut impedito calore febrili uniuerſa cutis nullam euidentem caliditatem præter naturam, nec in ipſis patientibus, neq; nobis tangentibus oſtendat. At in intimis corporis partibus languentes ipſi ſentiũt, & patiuntur. Vel dicemus febrem eſſe affectionẽ, à qua calor præter naturam excitatur: & reliqua.

Primæ, & præcipuæ differentiæ ſunt illæ, quas tactus ipſe cognoſcit, ita ut ab ipſa caliditate præter naturam, quæ eſt moleſta tactui, ſecundum maiorem uel minorem uim caloris, febres diſtinguamus. Sumuntur & ſecundo differentiæ à materia, in qua calor præter naturam pabulatur. A primis itaq; differentiis febres aliæ dicuntur magnæ, aliæ paruæ, & aliæ mites, ſi eas calori ualde mordaci comparemus. Et ex hacmet differentia dicuntur poſtea febres, aliæ acutę, & cito terminantes, & aliæ non acutæ, ſed longæ. Secundæ nempe differentiæ, quæ ſumuntur à ſubiecto, in quo calor præter naturam fundatur, ſunt tres, quemadmodum tria ſunt quæ animatum corpus conſtituunt, uidelicet, membra, humores, & ſpiritus, ſiue uapores. Et ut ab ultimo enumerare incipiam, res hoc modo ſe habet: ſi calor in ſpiritibus & uaporibus ſuſceptus fuerit, ephemeram ſeu diariam medici uocare conſueuerunt. Quòd ſi calor in humoribus ſuſcipiatur, humoralem & putridam uocant. At ſi in membris, & ſubſtantia ſolida calor fuerit, hecticam ſeu habitudinalem appellant. Sicque tot genera febriũ ſunt, quot ſunt partes corporis animati. Ad quod declarandum Galenus medicus nunquam ſatis laudatus pulcherrimum accommodauit exemplum: Inquit nanq;, ſi cordis ſubſtantia incaluerit, quod fit, quemadmodum ſi fingas lebetem calidum atq; ignitum, & deſuper aquam frigidam infundas, illa quidem febris hectica eſt, quoniam calor in primis cordis ſubſtantiam apprehendit, quæ aſsimilatur lebeti, à quo caleſcunt humores in ipſo. Quòd ſi calor præter naturam humores ipſius cordis arripiat, & ex eius uicinitate cor calefaciat, ab humida in corde caliditate, eſt illa febris, quam humoralem & putridam uocant. Et eſt, ſicuti ſi aquam calidam infundas lebeti frigido, ita ut lebetis corpus ab ea calefiat. Tunc primum calidum eſt in aqua, lebetis uero corpus ab ipſa aqua calefit. Et hæc caliditas non eſt facta, ſed continuo à caliditate aqua calefit.

Tertio fit febris ephemera, ſeu diaria, cui non accommodauit idem exemplum. Fingit tamen Galenus aliud pulcherrimum: & eſt, ut imaginemur follem attrahere ad ſe aërem calidum ualde: in quo quidem folle oportet fingere aquam frigidam eſſe, ac habere foramina, per quæ attrahit, & mittit aerẽ: ita tamen anguſta, ut humores non permittat, attamen poſsit aerem attrahere & expellere, ſicque calefiet aqua in folle infuſa à caliditate uaporum calidorum, ſubinde etiam corpus ipſius follis. Hæc caliditas, ut uides, non eſt primò in aqua, quæ in folle eſt, neque in follis ſubſtantia, ſed in uaporibus attractis calidis. Simile admodum exemplum in ephemera eſt. Nam ſi primò ſpiritus & uapores cordis accendantur, ii quidem humiditates in corde contentas calfaciunt, quæ poſteà cordis ſubſtantam inflammant: non eſt tamen primò in corde, ſed in ſpiritibus & uaporibus.

Vide clariſsime ac doctiſsime Hieronyme, quàm doctè & quàm ingenioſè oſtenderit Galenus differentias trium generum febrium, ac modum caliditatis, in tribus ſubſtantiis noſtrum corpus conſtituentibus, præter quas non reperitur corporeum aliquod. Porrò & his colligere breuì poſſumus, primò accenſam in ſolidis partibus caliditatem, communicari humoribus ex ſpiritibus, ac etiam ea, quæ accenſa in humoribus eſt, communicari ſolidis partibus & ſpiritibus: ſimiliter accenſam in ſpiritibus, communicari humoribus & ſolidis partibus.

Cauſas uerò caloris præter naturam, quæ in his tribus ſubſtantiis ſunt, poſt hæc enumerare conducit. Primò quidem in ſpiritibus & uaporibus accenſio multis

modis

modis fit, nimirum constipata cute, uel exustione à sole, uel ex concentratione à frigore, aut ob iram excandescentiámque, aut à tristitia, timore, animi solicitudine & malis cogitationibus, uigilia, fame, ebrietate, indigestione, labore, tumoribus præter naturam, dolore: & ut unico omnes perstringam uerbo, causæ febrium ephemerarum seu diariarum, procatarcticæ sunt seu euidentes & exteriores, quæ aliquando per se calfaciunt, & aliquando per accidens. Obstructiones tamen non sunt in causis enumeratis, præsertim si non sunt ab extrinseco aliquo.

At accensio, quæ fit in humiditatibus, uel est cum putredine, uel citra putredinem. Quæ citra putredinem fit, est & à præcedentibus & ab exterioribus causis, & est in duplici differentia, uidelicet uel multitudine sanguinis cum obstructione meatuum, uel ustione choleræ. Quæ autem fit cum putredine & inflammatione, in quatuor humoribus & reliquis humiditatibus existit: & est, quando per prohibitam primò respirationem putrescunt, uel ex cõtractu, ut in pestilenti febre. Fit igitur febris humoralis ex sanguine citra putredinem in illis, in quibus temperamentum illud est, quod plurimum sanguinis generat: atque etiam in illis, qui cibariis sanguinem multiplicantibus uescuntur, itaut uenæ repletæ à multitudine sint, atque obstructis meatibus minimè respirare ualeant: sicque incalescit primò aliqua in parte, subinde uicinæ partes, donec cordis humiditates accendantur, qui calor postea ad uniuersum corpus per uenas & arterias diffunditur citra putredinem. Veruntamen nisi rectè tractentur, procedente calore & manentibus obstructionibus, in putridam continẽtem, quam synochã Græci uocant, conuertitur.

Fit quoque febris sine putredine, si cholera uratur, & uicinos humores calfaciat: & isti sic humores accensi reliquos calfaciunt usque ad cordis humiditates. In quo modo febris non desunt difficultates, an possit biliosus humor à caliditate præter naturam aduri, citra putredinem ante eius (ut ita cum medicis dixerim) incinerationem.

Tertius modus febriũ humoraliũ est, si reliqui humores putrescant, & uapores seu fuligo putrida cor ipsum calfaciat, prius tamen calfactis cordis humiditatibus.

Putrescunt sanè humiditates & humores quatuor plurimis de causis. Nam si ea, quæ comeduntur & bibuntur, sint substantiæ malæ, aut nimis humida & facilè corruptibilia, & ex illis, quæ non conuertuntur in optimum sanguinem, aut non probè præparentur: aut quoniam sumuntur in hora, in qua uirtus non poterit ea coquere: uel denique quoniam non seruatur ordo in comestibilibus & potabilibus, ita ut aliqua præcedant, quæ posteriùs sumi debuissent. Cibi uerò, qui sæpe causa sunt, ut putredini parati humores ex eis generentur, sunt fructus non pauci, olera, lac, & similia. Sunt etiam causæ ex parte corporis, ut humores putredini parati generentur, & malitia temperamenti, ita ut obstructiones ex indigestis humoribus sint, uel quoniam uirtus imbecillis est, quæ minimè cibum coquere ualeat. Quare uel corrumpit, uel alium, quem natura non intendit, primò gignit: unde fiunt obstructiones, quæ subinde ad putredinem faciunt, cùm minimè humores respirare ualeant. Illud tamen animaduertendum est, quòd non semper putrent humiditates nostri corporis ex impedita respiratione, cùm sæpissime etiã ex contractu rei putridæ, quod non putridum est, putrescat. Porrò quæ à putrido tangũtur, putrescere opus est: & hic putredinis modus in pestilẽte aëre fit, uel putrido, qualis est lacunarum & aliorum locorum, à quibus putridi uapores eleuantur. Eius generis aër is est, ubi pelles præparant, & reliquas res putridas & fœtidas tractãt. Et tametsi plures enumeratæ causæ sint, nõ tamen semper singulares sunt, sed multoties plures, utputa, temperies mala, & etiam comestio rerum malarum. At contineñtis aëris malitia, simul & omnes causæ facilius putredinem inducunt, si corpus plurimis humiditatibus malis, lentis, crassisque abundauerit: cùm tam multitudo, quàm crassities, obstructiones facere nata sit. Et quoniam humores quatuor sunt, qui inter se & substantia & qualitatibus differunt, ad quos etiam aliæ humiditates non naturales per similitudinem reducuntur, ideo quatuor etiam genera febrium humoralium præter iam duas species dictas, quæ citra putredinem sunt, enumerãt medici. Quarum prima est, quæ ab inflammatione sanguinis, quam synochiam Græci, Latini continentem uocant: & est media inter ephemeram & putridam, cùm humoralis sit: & cor per uapores calfaciens inflammat. Similiter & illa, quæ ex inflãmatione uel ustione choleræ fit citra putredinem, istius generis est, donec putrescat ex ea aliquid. Nam tam in una, quàm alia incensione, post aliquot dies putredo consequi cõsueuit. Sed putridarum species sunt, primò continens putrida, & fit ex sanguine à putredine arrepto: qui etsi unus sit humor putrescens, non tamẽ unus est febris modus, cùm tres habeat differẽtias. Nam una illarum à principio usque ad inclinationem, eundem in magnitudine seruat calorem. Hãc Græci homotonon, Latini uerò continuam æqualis uigoris uocant. Secunda uerò calorem habet augentem ad inclinationẽ usq;: Græci epacmasticam, Latini uerò inualescẽtem hãc uocant. Tertia sensim calorem imminuit, paracmasticam Græci, Latini decrescentem dicunt. Omnes, ut dixi, continentes sunt, & habent sanguinem putrescẽtem in uenis. Hæc febris non omnibus accidit, sed carnosis corporibus, iuuenibus, ac sanguine nimis humido plenis. Quæ uerò sit causa trium dictorum processuum in huiuscemodi febre, ambigent medici. Attamen diuersitatem hãc primò à multitudine & crassitie sanguinis intelligere oportet, ac etiam à propinquitate & distantia loci, & robore & imbecillitate uirtutis à principio, ita ut si resistentia æqualis sit, procedat inflammatio usque ad inclinationem. Si uerò resistat, & superet uirtutem, semper augendo procedit ad inclinationem, si potest materiam putridam finire: uel ad interitum usq;, si plurima putrescens sit, nisi à uirtute uel arte ægris auxilietur. Contrarium est, si semper declinãdo procedit calor: etenim euadet æger, & ferè nullius discriminis est.

Tertium genus febriũ hectica seu habitudinalis est, quæ & ipsa plures continet species, & hoc secundum ueritatem pabulantis & consumẽtis caloris, quas primam, & secundam, & tertiam nominant. Prima quidẽ est, si calor præter naturam partes solidas cordis primò occupauerit, ita ut non pendeat à calefacto esse humorem, ut aiunt. Secunda est, si caliditas humidum in substantia solida imbibitum, manifestè iam exiccare inceperit. Quæ tamen species habet latitudinem, scilicet principium, augmentum, & consistentiam, in qua caro iam euidenter immutata est. Post quam est tertia illa, quam hecticam senectutis uocant, in qua cum nulla sit caliditas præter naturam, & ultima consumptio carnis appareat, marasmum & maciem Latini, Græci phtysim uocant. Quæ ubi ultimatur, in eius cura nullum est ingenium. Illud tamen scire oportet, quòd hæc species non propriè febris dici potest.

At quoniam febres affectus præter naturam sunt, à quibus non naturalis sequitur. Et quæ præter naturam existunt, contrariis remediis sapientes omnes remouere docent. Quod minimè fieri potest, nisi priùs eas per causam cognouerimus, in qua cognitione hucusq; breui, quàm potui, methodo laboraui, ita ut esse, & causas earum, succinctè exposuerim. Reliquũ est ergo, ut qua ratione sanentur subscribam: hoc autem facilius fiet, si per signa eas speciatim cognoscere procurabimus. Persequar igitur uniuscuiusque febris generis curam, si prius eas per signa declarauero. Quæ tria sunt genera, scilicet secundum substantiam, secundum operationes, & secundũ accidẽtia. Ab ephemeris primò incipiã.

Communes igitur notæ omnium ephemerarum hæ sunt: primùm quidem calor præter naturam non acris est, sed mitis: pulsus etiam etsi mutatus sit, attamen neque magnus, neque celer, neq; creber est, si naturalem eius modum spectes. Hoc idẽ in ordine, & aliis seruat. Similiter & urina in substantia, colore, & contenta nebula, optima apparet. Sudant in inclinatiõe sudore rorido, ac (ut ita dixerim) uaporoso, cum quo etiam omnis calor præter naturam recedit: neq; accidẽs aliquod malum apparet. Sunt & præter dicta, signa particulariũ causarum, quæ dimittam, ne longa oratione molestus tibi sim: utputa, si ex uigilia ephemera fuerit, iis pulsus parui sunt, & uix oculos eleuare possunt, facies subtumida, & color eius uitiatus apparet. Similiter si ex tristitia & animi solicitudine fuerit, præter paruitatẽ pulsus & oculorum cauitatem, adest & ariditas, & faciei pallor. At quoniam causæ horum & reliquorum accidentium te minimè latent, satis sint duo exẽpla scripsisse, cùm regimen & curandi ratio huic negotio magis

conducat,quæ per ea,quæ morbo cõtraria ſunt,fit. Nã cum cauſæ omnes iſtarum febriũ procatarcticæ & exteriores ſint, intentio omnis ad morbum eſſe debet. Tollatur igitur morbus per domeſticam refrigerationem aëris,& uictum modeſtè humidum & refrigerantem, qui ſit ex iis, qui ſunt boni ſucci & coctu faciles: neq; uinum pauciferum iſtis negetur. Hoc nempe regimen omnibus diarijs ſeu ephemeris primò conuenit. At ſi à uigilia uel animi ſolicitudine febris fuerit,dentur cibi,qui præterquã quòd humectant & refrigerant, ſomnum etiã cõciliant,& ſanguinem clarificant. Defatigati uerò quieſcant.Et qui à fame in hanc febrem incurrunt, copioſiùs cibandi ſunt: ſicq; in aliis ſuccurrẽdum erit per illa, quæ intrinſecè neceſsitati ſuccurrere poſſunt:omnibus tamen poſt inclinationẽ lauare cõducit, aſſuetis præſertim & macris.Vnum tamen ſcire in hoc ac præcauere operæpretium eſt, ne ſcilicet in alterum duorum genus hæc febris conuertatur, ſi non rectè in principio tractetur. Quarum alterum putridarum eſt, alterum habitudinalium: & ideo iſta de cauſa, etſi in eo quòd ephemera,nullius diſcriminis ſit:attamẽ quoniã in aliud genus conuerſa non ſine diſcrimine erit, nõ negligẽda eſt.Et hæc de notis & cura ephemerarũ ſatis.

His itaq; de ephemeris tractatis,ad notas,quibus humorales & putridæ noſcuntur, & curatiuam methodum deſcendã. Humorales quidem citra putredinem, dixi aut ex inflammatione ſanguinis eſſe, quam ephemeram plurium dierum uocant, uel ex inflammatione bilis citra putredinem, quam ex combuſtione choleræ ambuſtiuam nominant. Neq; hoc dictis Galeni tertio de criſi contradicit,cùm non repugnet, ſicciorẽ humorem minus obnoxium putredini eſſe.

Signa itaq; in primis febris continentis ſine putredine hęc erunt:Caliditas in uniuerſum non acuta,neq; ad tactum mordax,neq; exteriùs exiccãs:pulſus magnus, & plenus: difficultas ſpirandi: habitus corporis cum ſanguinis multitudine, ita ut color totius corporis ruber ſit,& uenæ tumidæ ac repletæ,& pręſertim oculorum: ætas iuuenilis: urinæ rubræ,craſſæ, non priuatæ ſignis digeſtionis. Hæc omnia ſunt ſigna, quibus hanc febrem cognoſcimus. Qua cognita, ſtatim per contrarium regimen inſtituere oportet: igitur primò quieſcat in loco, ubi aër refrigeratus ſit. Quòd ſi non naturaliter talis fuerit,aër alterandus eſt, uidelicet per aſperſionem aquæ dulcis & aliarum rerum infrigidantium. Similiter & uictus ſit humidus, & frigidus, ac tenuis. Et hoc non tantùm in hac ſine putredine, uerumetiam & in illa,quæ cum putredine ſanguinis & choleræ etiã exquiſitæ eſt. Etenim hæ omnes cùm minimè longæ ſint, tenuiſsimus uictus in earum regimine conducit. Quare ſint cibi, ſorbitiones ex hordeo (ptiſanam uocant,)& potus ſit aqua fontis uel aqua hordei, ad libitum, niſi aliquod ſit prohibens. Atque præmiſſo clyſtere, uena baſilaris dexteri brachij, quam etiam hepaticam uocant, aperiatur, & ad tolerantiam uirtutis ſanguis euacuetur:quoniam hoc ſolo ſingularique auxilio febris fugabitur. Nam ſanguinis miſsio non tantùm putredinem ceſſare facit,uerumetiam à putredine præſeruat.

Signa & notæ febris cholericæ ex inflammatione citra putredinem, ſunt hęc: caliditas in toto acris, uehemens,& mordax,& cutis exterioris ſiccitas:pulſus magnus & frequens nõ ſine tenſione:habitus corporis cũ plenitudine ſanguinis ſubtilis, ac etiam cũ multitudine bilis: ætas iuuentutis uel cõſiſtentiæ: tempus anni, uel conſtitutio calida & ſicca: regio conſimilis: & uirtus, quę bilem multiplicare poſsit;atque exercitium,quod corpus ſupercalefaciat: urinæ rubræ, crocei coloris ſimiles, non craſſæ, neq; ſignis coctionis priuatæ: difficultas ſpirandi:ſitis uehemens:& inſomnietas. In hac febre omnis intentio in curando, ſit refrigerare & humectare: & ideo quieſcant in loco arte uel natura refrigerato. Refrigeratur autem arte, frequenti & abundanti aqua dulci, & foliorum & florum frigidorum ſparſione.Cibi ſint(ut dictum eſt de continenti citra putredinem) ſorbitiones ex hordeo,uel ex herbis refrigerantibus,quales ſunt lactuca,endiuia, acetoſa, bugloſſa,borago, & ſimiles. Potus ſit aqua fontis ad libitum, uel aqua hordei: aut ſint aquæ ſtillatitiæ dictarum herbarũ,ſed inter cæteras herbas (ſi Dioſcoridi credimus) bugloſſa febrilem calorem magis extinguit.

Et quoniam in hac febre nulla eſt à principio putredo,ſed ſola mala temperies,ideo in eo,quòd febris,potus plurimę aquę fontis frigidę conducit: & hac ratione detur ad tolerãtiam uirtutis. At ubi cholerę repletio cum permixtione ſanguinis fuerit (quod cognoſcitur per craſsiciem & ruborem urinę) aperiatur uena iocinoraria dextri brachij, quoniã primò euacuat omnẽ uenarum repletionem, tam exquiſitam, quàm permixtam,atq; etiam à putredine pręſeruat. At ubi bilis abũdauerit,dentur ea, quæ choleram poſſunt educere,utputa,tamarindi,caſsia,manna, & ſyrupus roſaceus ſolutiuus. Quòd ſi ambæ febres, uel altera in putridam tranſierit,curentur cura putridarum ſui generis: ut ſtatim in propriis ſpeciebus ſcribam.

Galenus putridarum febrium quatuor genera enumerauit, ſicuti quatuor ſunt humores. Quę genera ad alias ſpecies diuiduntur, ut paulò pòſt in proceſſu declarabo. Incipiam primò à ſignis febrium continẽtium ex putredine ſanguinis. Etenim ſanguis, quoniam locũ conſeruationis in uenis habet, & dilectus naturæ eſt, non pellitur à uenis,ſed putreſcẽs in eis manet, tanquã in proprio ſuo loco. Quare continuã febrem facit,quæ habet eaſdem notas, ſicuti non putrida, præterquam quòd caliditas ob putredinem acrior eſt non putreſcentis.Pulſus etiam ob eandẽ cauſam diuerſus eſt,& anhelitus frequentior ac maior. Vrina quoq; turbidior, & ignea magis apparet.Neq; audias uelim dicentes,febrẽ ex putredine ſanguinis minimè fieri poſſe,niſi peſtilente qualitate rapiatur,cum id ſine ratione dicant. Nam ſi credimus Galeno dicenti, febrem peſtiferã ex maxima humorũ putredine fieri,non repugnat,in ſanguinis putredine dari gradus. Imò neceſſariũ eſt, quòd ſi aliquis humor putreſcat, ut in primis gradũ remiſsiorẽ putredinis habeat:quod in ſanguine fit, antequàm malignitatem acquirat peſtiferam. Sed hîc ſatis ſit admonuiſſe erratum: ſequar igitur primum intentum. Et quoniam (ut paulò antè dixi) febribus ſanguinis, quæ ſpecie tres ſunt, omnibus primo conuenit regimẽ refrigerãs, tam in aëre,cibo, & potu, quàm in reliquis: ita ut cibi primò ſint ſorbitiones, ex hordeo dictæ,& potus conuenientiſsimus iſtis ſit aqua fontis,uel hordei, uel ſtillatitia ex herbis refrigerãtibus. Sed in duabus primis,ſcilicet in illa,quæ ſemper augendo procedit,& in illa,quæ eundem modum caloris ſemper ſeruat, aperire uenam iecorariam dextri brachij, eſt ſumma cura: ſanguis uerò euacuetur ad tolerantiam uirtutis,pręmiſſo clyſtere leniẽte,ſi ſuperfluitates cõmunes inteſtinorum minimè natura ſponte expurgauerit. Sed in illa,quæ ſemper inclinando procedit,præter alterãtia dicta nihil,quod ad miſsionẽ ſanguinis ſpectat, agendũ eſt. At ſi tam in prima,quàm in ſecũda, & tertia, plenitudo etiã aliorũ humorum fuerit, ne in aliud genus tranſeat, ſcilicet in tertianam, optimũ erit humores bilioſos,aut alios cũ ipſo ſanguine permixtos, educere,ut puta, cum decoctione tamarindorũ,cũ rore Syriaco(mannã uocant)caſsia fiſtulari (ſiliquã ægyptiã dicũt) ſyrupo roſaceo ſolutiuo, & ſimilibus. Exempla omniũ iſtarũ euacuationum, in curis aliarũ febriũ paulò pòſt ſcribam. Et in hoc modo euacuationis quantò citiùs fiet, tantò meliùs: cùm hæ febres ſint ex acutis ualde.Neq; pręter dicta,niſi refrigerantia adminiſtranda ſunt,& ubi uirtus tolerat,& corpus robuſtum eſt: potus plurimæ aquæ à principio omnes proculdubiò ſanat. Quòd ſi times aquæ potus, poſſunt dari aquæ ſtillatitiæ frigidæ cum iuleb roſaceo, uel cũ oxyſaccharo, aut cum aliquo ſyrupo refrigerãte.

Febres uerò ex putredine choleræ, ſunt in primis ſecundum duplicem differentiam.Nam uel ſunt cõtinuæ habentes putredinem in uenis, uel ſunt intermittentes, in quibus materia extra uenas putreſcit.Continua uerò & ipſa duplex eſt,uidelicet cauſon,& continua proportionalis:& differunt à continentibus ex putredine ſanguinis: quoniam in cholericis apparent aliquæ exacerbationes & excreſcentiæ de tertio in tertium, tametſi in cauſone non ita manifeſtæ ſint, in ſanguineis uerò minimè.

Incipiam à continuis, ponendo ſigna & curam uniuſcuiuſq;:& primò notæ ardẽtis ſiue cauſonis ſunt, caliditas acris per uniuerſum corpus citra omnem rigorem,tam intus quàm extra, ac ueluti ignis cõburens ſine aliqua manifeſta apparente remiſsione:(dixi apparente,quoniam omnino aliqua eſt remiſsio de tertio in tertium) facies rubens & citrina, oculi etiam rubentes ac ferè ſcintillantes, pulſus frequentes & magnus, ſitis

inext

inextinguibilis, ariditas linguæ cum nigredine & citrinitate, difficultas ſpirandi,inquietudines , inſomnietates, ac etiam aliquando ſomnus profundus, præſertim ubi permixtio pituitæ euaporantis fuerit : adeſt etiam permixtio rationis & oblocutiones,dolor capitis,pulſus temporum.Vrina rubra & ignea eſt,ad citrinitatem tendens,& uentris cõſtipatio. Huic febri ſi rigor ſuperuenerit , ac pòſt plurimùm ſudauerit , euadet æger ſanus. At ſi ſudor non ſequatur,ad intermittentem tertianã conuertitur.Curatur hæc febris regimine refrigerante,ut eſt aër frigidus per alterationem aquæ,& ſparſione foliorum ſalicis, lactucæ,florum nenufaris , uiolarũ, roſarum,& ſimilium : aut per euẽtationem cum flabellis.Cibus ſit etiam frigidus ex hordeo uel oleribus refrigerantibus,ut eſt endiuia,cichoreum, lactuca, acetoſa, & ſimiles. Conuenit etiam potus aquæ frigidæ uel decoctionis hordei. Et in hac febre tãdem potus plurimæ aquæ frigidæ, eſt medicamen ſingulariſsimum, niſi aliquod ſit impediẽs, quale eſt uirtus imbecillis , uel apoſtema in aliquo uiſcere,aut dolor inteſtinorum,uel alia quæuis cauſa prohibens. Vtatur etiam medicinis refrigerãtibus, ut ſunt ſyrupi de ſucco acetoſæ, de granatis, oxyſaccharo cum decocto tamarindorum & uiolarũ, in aquis ſtillatitiis endiuiæ, acetoſæ, bugloſſæ, boraginis, lactucæ, & ſimiles. Et ut omnia tibi in prõptu ſint; practici medentes ſic ordinant,& diſponunt:ſyrupi de granatis ℥.1.de ſucco acetoſæ ℥.5.aquarum bugloſſæ,endiuiæ,ana ℥.1.s. uel dentur ſyrupi alii, qualis eſt ſyrupus roſaceus de endiuia cum aquis lactucæ,cichoreæ,& ſimilibus.Sumantur mane in aurora,& ueſperi ante cœnam. Et loco aquarum medici ſæpe ponunt decoctum tamarindorum,uel aliarum rerũ refrigerãtium.Et quoniam hæc febris pendet à materia putrida , ideo præter alterantia opus eſt etiam euacuatione materierum putridarum : quæ materiæ ſi fuerint cum plurima ſanguinis permixtione,& æger etiam fuerit carnoſus,& tempus anni & uirtus tolerauerit,aperiatur uena iecoraria ſiue baſilaris dexteri brachii,& euacuetur ſanguis ſecũdum exigentiã. Detur immediatè pòſt,potus ad extinguendam choleram, ut eſt ſyrupus de ſucco acetoſæ cũ aqua cichoreæ dilutus : & ſecunda die detur lenitiuum & euacuatiuũ cholerę,nimirum ex caſsia uel manna cũ decocto tamarindorum. Quòd ſi præter choleram exquiſitam & craſſam uel permixtam materiã in uiis ductuum,euacuare deſideras, addendum erit aliquid electuarii eiuſdem uirtutis,ut eſt diafinicon. Febris altera, quæ continua eſt ex cholera, quæ in uenis putreſcit, & duabus tertianis proportionalis dicitur , cognoſcitur per uehementiã & acuitatem caloris, ſi ſyncera ſit cholera. Hic tamen calor non eſt ita acris,& in manum tãgentis imprimens,ſicut calor febris ardẽtis, quam cauſonem uocant.Sed ubi impura eſt ex admixtione pituitæ & aliorum humorum , quæ cognoſcitur , quoniam eius caliditas minus acris apparet,& accidentia mitiora ſunt. Exquiſitæ igitur notæ hæ ſunt, pulſus magnus, uelox,& inæqualis eſt,comparatione ad alias febres,in qua nulla apparet horripilatio uel frigus. Attamen exacerbationes caliditatis correſpondent diei tertiæ inter ſe. Et ea ratiõe dicitur proportionalis duabus tertianis. Adeſt etiam difficultas ſpirãdi,inquietudo,ariditas linguæ,ſitis uehemens,dolor capitis,inſomnietas,& ſæpe etiam dolor ſtomachi , ac etiam uomitus bilioſus. Vrina rubea,ignea, & ad citrinitatem tendens eſt : quòd ſi materia fuerit impura,craſſa etiam erit. Cura eadem ferè eſt cum ſuperiore in aëre,cibo,& potu,prætẽrquam quòd neque tanta aquæ frigidæ potio dari debet, præſertim ſi materia craſſa fuerit , quam choleram non puram uocant. In euacuando,cùm morbus ſit materialis, ſæpe incipiunt à ſanguinis miſsiõe , aperta ſcilicet uena iecoraria dexteri brachii,ac immediatè pòſt, dandũ eſt extinctiuũ choleræ ſuperiùs dictũ , uel aliquid , ꝙ poſſit ebullitionẽ ſanguinis prohibere , utputa ſyrupus roſaceus , & de ſucco acetoſæ cũ aqua endiuiæ & cichoreæ:& ad præparandam materiam cholericam dentur ſyrupi mane in aurora,& ueſperi ante cœnam,qui poſſint calorẽ febrilẽ extinguere & obſtructiones aperire. Verbi gratia : ℞. ſyrupi acetoſi ſimplicis ℥. 1. roſacei ℥.s. aquarum bugloſſæ,endiuiæ,ana ℥.1.s.uel fiat decoctum ex herbis refrigerãtibus,qualis eſt acetoſa,endiuia,borago,& ſimiles.Et cùm apparent ſigna digeſtiõis in urina , quæ cognoſcuntur per eius ſubſtãtiam & colorem æqualem,ac per nebulam albicantem,dandum eſt euacuatiuũ,præſertim ſi materia plurima eſt,ex caſsia,mãna , ſyrupo roſaceo ſolutiuo cum decoctione tamarindorum.At ſi urina craſſa eſt,addendum erit agaricũ,aut aliquod electuariũ,ut dixi ſuperiùs. Sed illa febris,quæ ex bili putreſcente extra uaſa fit, quam intermittentem uocant,eſt ſecundum duplicem differentiam, uidelicet exquiſita, & non exquiſita, quam non exquiſitam notam nominãt. Nam cùm cholera exquiſita eſt,quæ putreſcit , huius febris notæ ſunt hæ : incipit cũ horripilatione, ita ut uideãtur puncturæ acuum per dorſum, & reliqs partibus calor acris & mordax eſt , qui ante xii. horas ægrum relinquit:pulſus magnus,frequens & diuerſus eſt:inquietudo,ſpirãdi difficultas,ſitis,dolor capitis , anxietas uentriculi , & uomitus bilioſus.Sed illis qui temperamentum bilioſum habent , & ætatem iuuentutis uel conſiſtentiæ, facilius eſt, ut in hanc febrem incurrãt,p̃ſertim in æſtate,uel ultima parte ueris ęſtuoſa:urinæ rubeæ,ſubtiles,igneæ,ad citrinitatẽ tendentes.

Hæc febris curatur regimine refrigerãte,ut dixi ſuperiùs,& ſorbitionibus hordeaceis,atq; potu aquæ hordei, uel aquarum ſtillatitiarum bugloſſæ,endiuiæ, acetoſæ,& ſimilium. Et in omnibus bilioſis febribus uinũ ante inclinationem morbi interdicatur. Nam ſummopere nocet.Poſt uigorẽ detur pauciferũ multa aquapermixtum : caueant ne in principio acceſsiõis cibum aut potum accipiant.Sed detur quinque horis ante.Similiter minimè cibandi ſunt,niſi priùs febris omnino inclinauerit.Neq; dormiãt,tã in principio,quàm in augmẽto:in inclinatiõe uerò plurimùm iuuat. Etenim prouocat ſudorem & urinã.In ſtatu uerò paroxyſmi aliquando prodeſt ſomnus,præſertim ubi uirtus à magnitudine paroxyſmi imbecillis eſt.His itaque ordinatis ac adminiſtratis , medicinale regimẽ ad materiæ euacuationem ſic inſtituatur. Nam ſi corpus plenum fuerit,detur euacuatiuum leue minorãs,ut aiũt:puta ex ℥.1.uel ℥.1. s. floris caſsiæ,uel aliud eius generis.Et hoc per horã ante cibũ. Mox ſequenti die adminiſtrẽtur ſyrupi,uel decoctiones aperiẽtes obſtructiones,& extinguẽtes calorẽ febrilẽ : ut eſt ſyrupus acetoſus ſimplex , de endiuia, de ſucco acetoſæ, uel oxyſaccharo , permixtis aquis ſtillatitiis bugloſſæ,cichoreæ, & ſimilium:uel permiſceãtur cum decocto endiuiæ,boraginis,bugloſſæ. Et cum apparuerint ſigna concoctionis,dentur medicamina euacuãtia ex caſsia,mãna,ſyrupo roſato ſolutiuo, cũ rheobarbaro infuſo in decoctione tamarindorum:ut in hoc exẽplo:℞. Rheubarbari electi ʒ.1.s.ſpicę gra.6. uini aromatici parũ,decoctionis tamarindorũ, paſſularũ, hordei,florum bugloſſæ,boraginis,uiolarum,in aquis ſtillatitiis iam dictis infundãtur per x.horas , & facta diligẽti expreſſura,adde uel floris caſsiæ ℥. 1. & s.uel mãnæ ℥. 11. aut ſyrupi roſacei ſolutiui ℥. 3. & hoc ut melius & commodius pro ægri indigẽtia medico uidebitur. Hãc potionem exhibeat in hora magis quieta ante aduentum febris, quãtò plus fieri poteſt. Detur cibus quinq; horis pòſt. Illud ſcire oportet,quòd in exquiſita tertiana apertio uenæ non omnino laudatur,niſi ubi corpus præter choleram plurimo etiam ſanguine abũdauerit: quo in caſu urinæ,& craſſæ,& rubeæ quoque apparẽt. Signa uerò febris ex bili non ſyncera,quam notham dicunt,ſunt ferè omnia,quæ ſuperiùs dicta ſunt. Nam ubi cholera impura putreſcit , febris incipit cum horripilatione,& cũ horrore magis,& ueluti aquæ feruentis cuiuſdam motus. Quòd ſi magis impura fuerit,fiunt rigores & frigus,præſertim ubi pituita cruda permixta fuerit. Notabis tamen,quòd tantò diſtat non pura per ſuã impuritatem à pura,quantò tempus durationis caliditatis lõginquius fuerit. In nõ pura caliditatis acuta eſt, ſed non ita acris & mordax,ut in exquiſita.Similiter & pulſus,& reliqua ſupradicta ſigna,ſed mitiora plus minúſue ſecundum materiei caliditatem & craſsitiẽ, multitudinémq; cũ bili permixtã. Vrinæ quoq; craſsiores ſunt.Hæ febres cum ſudore inclinãt, ſed nõ copioſo:ſæpe etiã non ſudant,ſi materia ualde craſſa fuerit,uel uirtus imbecillis ,in quibus multoties paroxyſmi coniunguntur,& fiunt ſubintrãtes,ita ut æger cõtinuè febriat, tametſi materia extra uenas putreſcat. Scias etiã oportet,ꝙ cùm quis quotidie febrierit cũ ſignis iã dictis putredinis choleræ,in his duas tertianas eſſe dicũt.Si uerò bis in die accedat febris, duplicẽ tertianã medici uocãt.

Curationis uerò modus differt in iſtis aliquãtiſper à curatiõe exquiſitæ. Etenim in omnibus uictus ratio nõ ita tenuis ſit, ſicuti in exquiſita : cùm ſtatus in iſtis lon-

ginquior ſit. Dentur igitur poſt aëris correctionem ſorbitiones uel iuſcula hordeacea in iure paruorum pullorum, in quo decoctæ ſint radices petroſelini. Similiter potus ſit aqua hordei decocta cum radicibus petroſelini: aut ſint aquæ ſtillatitiæ æquiualentes: & hoc uſque ad uigorem febris. Nam cum ad uigorem deuenerit, tunc tenuiſsimus uictus conueniens eſt: quem uariari decet ſecundum maiorem uel minorem impuritatem materiæ putreſcentis.

Ea uerò, quæ facienda ſunt ad euacuationem materiæ, hæc ſunt. Primum, ſi plenitudo eſt, uenter leniendus clyſtere communi ex decocto foliorum maluæ, uiolarum, betæ uel blitis, & mercurialis, de quo accipiatur libra 1. olei uiolacei ℥.3. ſacchari rubei ℥.2. ſalis communis ℥.1. miſce: & imponatur mane ante cibum, uel in hora magis quieta. Poſſumus etiam lenire uentrem accipiendo per os ℥.1. uel ℥.1.s. floris caſsiæ per horã ante cibum. Quòd ſi urinæ & craſſæ & rubeæ ſunt, & uirtus fuerit, & ætas conſentiat, aperiatur uena iecoraria. Poſt hæc præparetur materia reliqua cum oxymelite, & ſyrupo de endiuia, dilutis cum aquis boraginis, buglosſæ, lupulorum, uel cum decocto dictarum herbarum, aut earum radicum: & cum procedit febris, dentur etiam ſyrupi compoſiti: ut eſt oxymel cum duabus aut tribus radicibus, & ſyrupus byzantinus, permixti cum aquis abſinthii, fœniculi, & ſimilium: uel cum decoctis ex abſinthio, betonica, endiuia, & ſimilibus. Apparente poſteà concoctione purgẽtur humores cum caſsia, aut catholicone, uel ſyrupo roſaceo ſolutiuo, addito aliquo euacuante materiam craſsiorem: ut eſt electuarium diaphinicon, quoniam eſt medicina ſecuritatis: & ubi materia adhuc craſsior fuerit, agaricus non eſt prætermittendus. Similiter & rheonbarbarum, cùm præterquàm quòd euacuet craſſam & ſubtilem choleram, aperit etiam obſtructiones membrorum naturalium. Caſsia uerò & reliquæ medicinæ diſſoluãtur cum decocto ex hordeo, paſſularum, liquiritiæ, prunorum, ſeminũ endiuiæ, fœniculi, & ſimiliũ. Et quoniã has omnes febres accidentia iam dicta ſequi cõſueuere, non tamẽ ſemper omnia, ſed aliquãdo unũ, & aliquãdo plura: ideo ad eorum curã, ſi ſæuierint, ſic procedere operæpretiũ eſt. Primùm, ſi fuerit dolor capitis uehemens, cùm hunc fieri ex euaporatione calida nemo non dicat, ideo diuerſio conuenit, factis ſcilicet fricationibus ad crura à brachiis: qui ſi adhuc ſæuierit, apponendæ ſunt etiam cucurbitulæ ſcapulis & natibus. Item ad hoc ſummopere conducunt lotiones crurum & brachiorum in aqua, in qua etiam decocta ſint folia ſalicis, uiolarum, lactucæ, endiuiæ. Deinde poſt has lotiones ſummum præſidium eſt adminiſtratio oxyrhodini fronti & partibus anterioribus capitis, ubi eſt ſutura coronalis: oxyrhodinum ſic cõponatur, uidelicet, ex duabus partibus olei roſacei, & una aceti albi, & dimidia aquæ roſaceæ. At ubi uehementiſsimus fuerit dolor, miſsio ſanguinis ex uena mediana uel cephalica, eſt ultimũ auxiliũ. Sitis uerò, ſi adeſt, extinguatur aſsidua gutturis madefactione: puta cum aqua hordei, uel aqua fontis, uel etiam cum aquis ſtillatitiis, qualis eſt aqua bugloſſæ, endiuiæ, & ſimiles: ad hoc dentur granata mitia, uel citria (arantias uocant) & in uehementiſsima ſiti: ubi dicta non contulerint, mucilagines ſeminum citoniorum & pſyllii in ore retentæ, plurimùm conducunt: & ad ſummum, omnia quæ poſſunt & humectare & refrigerare, proſunt: ut eſt lactuca, endiuia, acetoſa, & ſimiles. In cordis uerò paſsione, quæ non niſi ex nimia uaporum calidorum acuitate in ipſo eſt, adminiſtrentur cordi conferentia: ut eſt eclegma cum floribus bugloſſæ, boraginis, uiolarum, ſaccharo conditis: uerbi gratia, ex unoquoque ℥.1. addetur margaritarum præparatarum, fragmentorum corallorum ana ʒ.1. & cum ſyrupo de acetoſitate citri fiat eclegma: de quo ſæpiſsime lambendo accipiat. Propinetur etiam epithymum cordi, quod fit hoc modo. ℞. aquarum bugloſſæ, boraginis, endiuiæ, acetoſæ, roſaceæ, ana ℥.3. aceti albi ℥.1. ſpecierum cordialium temperatarum .2. & in mulieribus hæ ſpecies ſint ſine odore: & miſce: atque tepida admoueantur lateri ſiniſtro circa regionem cordis. At ſi uigiliæ fuerint, comedat lactucam poſt cibum, inunganturque tempora oleo uiolaceo, uel de nenufare, uel unguento populeo: odoret etiam uiolas, nymphæam, lactucam, uel decoctum ex his: & ubi etiam papauer & radices mandragoræ cum iſtis bullierint, ualentiùs ſomnum prouocabis. Quòd ſi dicta non ex omni parte contulerint, duabus horis poſt cœnam detur emulſio ſeminum papaueris, aut ſyrupus de papauere ℥.1.s. uel 2. cũ aquis lactucæ, nymphææ, quam etiam nenufarem uocant, & ſimilibus. Et quoniam ſæpiſsime febrientes in ſomnum profundum inclinantur, huic accidenti ſuccurratur fricationibus extremitatum, & appoſitione cucurbitularum ad nates, & ſcapulas: odoret etiam acetũ. Et ubi ſomnus grauiſsimus fuerit, diſſoluatur in aceto caſtoreum, & ad nares admoueatur: fiant ligaturæ doloroſæ coxis & aliis extremitatibus. In uirtutis uerò debilitate omnis diligentia apponenda eſt. Etenim deficiente uirtute, inſtrumenta medicinalia minimè iuuare poſſunt. Quare Galenus nos admonuit, ut oculum dexterum ad uirtutem, & ſiniſtrum ad ægritudinẽ dirigamus: & ubi defecerit uirtus, ambo ad ipſam uirtutem dirigantur. Et ideo cibandi ſunt cibis, qui minore quantitate plurimùm inſtaurare ualeant: ſint tamen modeſtè refrigerãtes. Adminiſtrẽtur igitur oua ſorbilia, uel cõtuſa in iure capi, in quo decoctæ ſint boragines, bugloſſum, & ſimilia. Dentur etiã carnes optimæ: & inter cætera aqua carnis ſtillatitia plurimùm cõfert, decocto ſcilicet priùs gallinaceo pullo in aquis bugloſſæ & endiuiæ: quæ hæc tota materia per ſublimationem in elambico poſita ad ignẽ deſtilletur: de qua detur patienti ad libitum: uel fiat aqua carnis in duplici uaſe, & ut aiunt, per balneum Mariæ, uel per expreſsionem cũ prælo priùs aſſata carne. Rigores uerò ſi laborioſi ſint, ſuccurratur eis ante eorũ aduentũ ungendo ſpinam dorſi oleo anethino uel alio conſimili, uel lauatione crurum cum aqua dulci, in qua anethum ebullierit. Et hæc ſatis de accidentium regimine.

Sequar deinceps de ſignis & cura tertię ſpeciei febris, quæ ex putredine atræ bilis ſeu humoris melancholici fit. Hæc quidem febris aliquando continẽs eſt, & ſæpiſſime intermittens: frequentiſsimè autumno euenire ſolet, præſertim corporibus humore melancholico abũdantibus. Et tametſi quartanam incipientem multoties uiderim, tamen ut plurimùm poſt alias febres putridas hæc accidere conſueuit: præſertim uerò poſt tertianas.

Signa quibus quartanã cognoſcimus, ſi intermittẽs eſt, ſunt in primis: quoniã incipit cum rigore ſimili ſatis rigori illorum, qui hyeme à frigore moleſtantur: & procedit ſenſim, ac ſenſim: inclinat cũ muſculorũ cõtractiõe: poſt quẽ incipit calor, qui non uehemẽs eſt, & à principio ſibi aſſociat leuem quandam horripilationẽ: quæ horripilatio in uigore huius principii recedit. Poſt quẽ uniuerſum corpus incalet calore æſtuoſo, non acri, niſi impediatur. Pulſus à principio nullam magnitudinẽ oſtendit, ſed eſt rarus, & tardus: mox augeſcente calore, fit alicuius magnitudinis, uelocitatis, & frequẽtiæ, cum diuerſitate. Vrinæ ſunt ſubrubeæ cũ aliquali fuſcedine, & ſæpe non craſſæ, atque ſine concoctiõis per plurimos dies ſignis. Eadem etiam ſunt ſigna in cõtinua ſiue continẽte, ubi materia intra uenas putreſcit, præterquàm quòd nullus apparet rigor, & quarta die magis exacerbatur. Vnum tamen nõ præterierim, & eſt, quòd humores omnes ad melancholiæ naturã ſæpiſsime cõuertuntur, qui poſteà putreſcentes febrem quartanam faciunt, & ea ratione accidentia in talibus febribus, & fortiora & mitiora ſunt, uidelicet ſecundum naturã humoris in melancholiam conuerſi. Illud etiã animaduertendum ſuadeo, quoniam non parum in curatione refert, ſcilicet naturam humoris tã in præparando, quàm in euacuando cognoſcere. Etenim ſi humor putreſcens cognitus ſit, facilè poſſumus medicinam ad illũ eligere, & ſecundum eius naturam & exigẽtiam diuerſis ingeniis eũ euacuare: puta, ſi ſanguis ad naturam melãcholiæ fuerit conuerſus, uel humorem melãcholicum cum ſanguine admixtũ cognoueris, tunc in caſu uenam aperire à principio, & plurimũ ſanguinis educere, eſt optimum auxilium. Obſeruare tamen oportet dicta Galeni primo ad Glauconem, & Auicennę prima quarti canonis, uidelicet, ſi medici uiderint ſanguinem ſubtilem, rubeum, & clarum, claudãt uenam, neque ſanguinem mittere audeant, ſed aliis remediis ſanitatem procurẽt. Igitur poſt hoc ad alia auxilia tranſire oportet: & primò ad regimen refrigerans ſæpe ſuperiùs dictum, quod nullo modo poſsit aut obſtruere, aut humores craſſos reddere. Quare cibi ſint ex illis, qui mediocriter refrigerent: neque tenuis omnino dięta à principio cõuenit. Detur itaque iuſculũ hordeaceũ, uel panis coctus in iure carnium,

nium, in quo decoquantur radices bugloſſi, endiuiæ, fœniculi, petroſelini, & ſimilium: uel ſemina dictarum herbarum: & hoc ſecundum diuerſitatem materiæ obſtruentis & putreſcētis. In quartana etiam ſemper animaduertere oportet lienis obſtructiones uel duritiem, cùm rarò illa fiat, quin uel doleat lien, uel tumidus ſit: quod cùm adeſt, deterior & difficilior ad ſanandum febris erit. Quapropter miſcenda erunt, tam in cibariis, quàm in potionibus præparantibus materiam, ea quæ lieni opitulantur: ut ſunt cappares & eorum radices, & ſimiliter radices tamariſci, & folia ſcolopendriæ, & ſimilia. Accipiant igitur ſyrupos de fumo terræ, de bugloſſo: oxymel compoſitum in minori quantitate propter acetum, cum aquis ſcolopendriæ, bugloſſi, boraginis, capillorũ Veneris, & ſimilium: uel cum decocto radicum capparum, ſcolopendriæ, tamariſci, lupulorũ, & ſimilium. Neque à principio euacuandi ſunt quartanam patientes medicinis fortibus: attamen ſi repletio fuerit, euacuentur clyſteribus lenientibus, uel detur deſuper lenitiuũ ex decocto paſſularum, ſenæ, & ex ſimilibus. Quoniam præter cõmunes ſuperfluitates & eos humores, qui uicini inteſtinorũ ſunt, minimè alios humores educere poſſunt. Et cùm humor melancholicus euacuationi rebellis ſit, & nõ niſi per multos dies præparari poſsit, à principio ab exquiſitè euacuãtibus abſtinendum eſt. At cùm materia præparata fuerit, quod cognoſcitur ex bonitate ſubſtantiæ caloris, & hypoſtaſis urinæ, cõueniunt medicinæ euacuantes ſenſim & ſecũdum naturam humoris, ſiue ſint melancholici, ſiue ad naturam melancholiæ conuerſi. Et tunc commodè datur electuarium lenitiuum, uel dia ſenæ, aut ſyrupus de pomis cõpoſitus, ſimul, uel per ſe diſſolutus in aquis fumi terræ & boraginis, uel cum decocto epithymi, ſenæ, polypodiĳ, tamariſci, florum bugloſſi, boraginis, & ſimiliũ. Sed ubi ex aduſtione choleræ melancholia fuerit, rhabarbarum ſummopere præter dicta conducit. At ſi ex pituita aduſta fuerit uel ex admiſtione ipſius, agaricus non eſt prætermittendus. Quoniam non ſolùm euacuat humores putridos, uerumetiam lieni, qui ut plurimùm in iſtis laborat, prodeſt: qui lien ſi doleat uel tumidus ſit, poſt purgationem inungatur cum pinguedine gallinæ, oleo amygdalarum dulcium, & de capparibus, unà cũ modico ammoniaci in aceto diſſoluti. Sicque procedatur euacuando ſenſim uſque ad inclinationẽ, ſi digeſta fuerit & pręparata materia: poſteà dentur roborantia uiſcera principalia in declinatione: ut eſt theriaca, aut Mithrydatica confectio, uel alia ſecundum patientis diſpoſitionem.

Et quoniam ſæpe rigores ita uehementes ſunt, ut egeant præſentaneis auxiliis, ideo hoc in caſu per horam ante acceſsionẽ ungatur ſpina dorſi uniuerſa, oleo rutaceo, anethino, & de ſcorpionibus cõmixtis. Quòd ſi alia accidentia fortia apparuerint, ut eſt dolor capitis, ſitis, uel cordis paſsio, auxilientur iſtis remediis & medicinis, ſuperiùs de acutis dictis.

Vltima ſpecies febris putridæ eſt illa, quæ ex putredine pituitæ fit: quæ pituita aliquando eſt naturalis, & aliquando non naturalis putreſcens. Et accidit hæc febris corporibus pituitoſis, qualia ſunt muliebria & infantium corpora, ac etiam uictu pituitoſo utentia, atq; in regionibus frigidis & humidis habitantia. Hæc uerò febris apud nos rarò accidit. Signa hæc ſunt intermittentis: primò nanque incipit cum aliquali typo & horrore, aut frigore quodam: & hoc quotidie, incipiente ab extremitatibus. Quòd frigus conſequitur calor non difficilis, qui non manifeſtatur, neque promptè procedit, ſed ſenſim ad augmentum tendit: neq; tangenti manum importunus aut moleſtus eſt. Pulſus frequens, uehemens, inæqualis, & ſine magnitudine eſt. Hi neque ſpirandi difficultatem, neque ſitim, neque ſiccitatẽ aliquam in partibus corporis, neque ſudorem habent. Et moleſtantur à calore putredinali, non minus ſpacio decem & octo horarum. Vrinæ ſunt albæ, tenues, ſæpe etiam & aquoſæ, aliquando craſſæ ſine colore. Excrementa omnia reliqua pituitoſa ſunt, tam uentris inferioris, quàm ſuperioris: ut ſunt ſputamina, & ſimilia. Quæ etſi omnia accidẽtia mitiora ſint, cùm ſubiectum putredinis & frigidum & craſſum ſit: ob eius tamen longitudinem non caret diſcrimine.

Altera illa eſt, in qua materia putreſcit intra uenas, & continua dicitur, quæ ſimilis interpellatæ in omnibus exiſtit, præterquàm quòd nullum frigus aut horror patientem moleſtat.

Curantur hæ febres regimine aëris in primis non refrigerantis ualida refrigeratione, ſicuti in aliis putridis, ſed cõtemperati potius, utputa, cum aliqua calefactione. Quare in cubiculo, ſi hyeme fuerit, accendatur ignis, cibiq; & fercula ſint decocta in iure carnium optimarum, & etiam cum radicibus & ſeminibus, in quibus ſit uirtus, tum aperiendi, tum incidendi, tum etiam extenuandi: ut ſunt radices petroſelini, fœniculi, apĳ, & eorum ſemina: ſint etiam cibi aſperſi cinnamomo, & ſimilibus aromatis. Potus uerò fiat ex aqua hordei cum pipere uel cinnamomo. Quòd ſi ſtomachi imbecilli cauſa uinũ dare uolueris, detur albũ, leue, & quod minimè acidum ſit. Neque ſubtilis diæta in primis diebus conuenit, cùm ſtatus in hac febre longinquus ſit. Vtatur igitur mediocri diæta. Et cùm morbus cõſiſtit, uti tenui diæta melius eſt: & ante cibum fiant quotidie fricationes per uniuerſum corpus, quæ quidem ſint fortes. Medicinale quoque regimen ſit cum illis, quæ aperiunt, incidunt, & extenuant: utputa, ſi uenter ſponte non fluxerit, utatur clyſteribus cõmunibus cum mercuriali, & ſeminibus cartami cocti: & loco olei communis apponatur oleum rutaceum, addatúrque hiera picra, & ſal.

Præterea præparetur materia cum oxymelle de duabus uel tribus radicibus, & melle roſaceo: aut cum ſyrupo byzantino cum aceto, & lymphentur cum decocto radicum apĳ, fœniculi, & petroſelini: uel cum ſeminibus eorum, aut cum aquis ſtillatitiis earundẽ rerum.

Et quoniam in iſtis uentriculus laborat, & præſertim eius os, ideo optimum erit ungere regionem ſtomachi cum oleo de ſpica, de abſinthio, de maſticha, additis ſpeciebus aromatici roſati uel diagalangæ, & parum ceræ: ita ut ad formam linimenti redigatur.

Sed quoniam materia putreſcens pituita illa eſt, quæ pro maiori parte in ſtomacho generatur, ibique putreſcit, quamuis uera pituita in iocinore ante ſanguinis generationẽ gignatur, ex qua mẽbra pituitoſa nutriũtur, & quoniã etiã in reliquis mẽbris particularibus, & in ambitu totius corporis pituita putreſcit: ideo commodè in hoc caſu, & cum nõ modica alleuiatione, per uomitũ eam, quæ in uentriculo eſt, euacuare potes. Quare ne illa, quæ in uẽtriculo & in uenis eſt, ſimul putreſcat, in talibus prouocare uomitum ſingulariſsimum præſidium ad materiam eſt. Quod fieri poteſt cum euomitiuis leuibus, utputa, cum aqua tepida, & modico olei & aceti: poſt cuius aſſumptionem imponatur digitus in gutture, aut penna, & excitetur uomitus. Hoc idem poteſt fieri cum decocto raphani tepido ebibito: quod meliùs fit ab aſſumpto cibo, cùm materia pituitoſa commixta cibo faciliùs egrediatur. Conducit etiam in hac febre, apparente concoctione in urinis quoque, per inferius materiam facientem morbum educere: utputa, cum electuario de dactylis, uel cum electuario Indo, cum turbith uel agarico. Sed inter cætera medicamina, hieræ ipſæ ad materiæ euacuationem, & uentriculi confortationem, optimè conducunt, & præſertim compoſitæ, ut eſt hiera logodion, & hiera pachi, quam ſcripſit Scribonius Largus. Diſſoluantur in decocto abſinthĳ, radicum fœniculi, apĳ, polypodĳ, & ſimilium. Non tamen exquiſitæ euacuationes expediunt, ſed ſenſim educere oportet, & in minori quantitate: ita, ut pluribus factis euacuationibus, materia ſenſim educatur. Poſt quas euacuationes expedit membra naturalia roborare: & præter illinitionem regionis ſtomachi, dandæ ſunt confectiones, ut eſt aromaticum roſatum, diagalanga, confectio pluris arcoticum, & trium piperum, zingiber conditum, & ſimiles.

At ſi febris ex putredine pituitæ non naturalis fuerit, ſcilicet ex uitreo, uel acetoſo, uel ſalſo phlegmate, cognoſcitur per eius accidentia fortiora in eis. Nam in intermittente rigores ſunt uehementiores, & caliditas in uitreo & acetoſo minor, ſed in ſalſo acuta eſt caliditas. Quòd ſi eiuſmodi humor intra uenas propinquas cordi putreſcit, cauſonem efficit. Et cura dictarum febrium differt ſecundum materię diuerſitatẽ. Nam ubi materia frigidior eſt, calidioribus tum regimine, tum etiã medicinis utendum eſt: ſed ſi humor ſalſus fuerit, refrigerantia remedia magis expoſtulat. At ſi fuerint hæ febres cum animi defectione, (eas medici ſyncopales uocant, quæ non ſine maximo diſcrimine ſunt) egent præſentaneis remediis, tum corroborando, tum humores euacuando, tum etiam uirtutem inſtaurando cum illis,

illis,quę nullo modo aggrauare,reſoluere,aut ſuffocare uirtutem poſſunt. In talibus antequam uirtus deficiat, neceſſe eſt remedia applicare:differre enim malum eſt.

Et quoniam febres peſtilentiales ut plurimùm humorales ſunt (tametſi in unoquoque genere febrium hoc accidens, ſiue hæc malignitas peſtifera, admiſceri poteſt) ideo expedit in fine putridarum, ut de peſtilentibus aliquid dicamus. Quæ cognoſcũtur,quoniam ſunt uulgares & communes omnibus,cùm ab aëre putrido peſtilentiali primò pendeant: tametſi etiam quædam à malignitate ob maximam putredinem in humoribus, peſtilentes dictæ ſint,ut ſcribit Galenus in libello de differentiis febrium.

Signa quibus cognoſcuntur,hæc ſunt:ut ſcilicet exteriùs quieta ſit, & interiùs conturbet: ita ut languidi, anxij, & inquieti ſint, præter aliquã notabilem caloris acredinem: & aliquando cùm uehementiſsimo calore exterius,intus quoque cõturbantur.Pulſus ſæpe à principio, etſi mutatus ſit à naturali ſua diſpoſitione, nõ tamen plurimùm mutatur, præterquàm in depreſsionibus,quæ maiores ſunt eleuationibus.Poſteà procedente febre, malignitatem peſtilentẽ modis diuerſis oſtendit.Nam & magnus fit, cum calor augetur in corde, & debilis,etiam ſi malitia peſtilentiali ſpiritus cordis iam infecti fuerint. Vrinæ ut plurimum conturbatæ, liuidæ, & ſubiugales minguntur.Neque eodem modo ſemper ſe habent, cùm & uirides, & rubeæ, & claræ, limpidæ, ac etiam ſæpiſsime ſine aliqua nebula inſpiciantur:imò (ut dixit princeps Auicenna) ſæpe & pulſus bonus, & urina bona uidetur,& tamen ægrotus moritur: quare difficiles habentur.Sunt & accidentia malignitatẽ peſtiferam oſtendentia:ut puſtulæ gutturis & palati, & linguæ nigredo, atque etiam alchola ſiue gutturis ulcera, uigiliæ,alienatio,hypochondriorum tenſio:quod nunquam non eſt in tali febre. Sæpiſsime etiam apparent maculæ in aliquibus partibus corporis,& etiam in uniuerſum,ſed præſertim in dorſo & pectore, quę & quantitate & colore diuerſæ ſunt. Sed quæ nigræ uel liuidæ apparent,deteriores exiſtunt:rubeæ & albicantes,ſalubriores ſunt. Quicquid tamen ſit, qui hanc febrem patiuntur, ſi plurima malignitas in humoribus exiſtit, quod cognoſcitur ex intrinſeca plurima conturbatione & ſæuitate accidentium,ut plurimùm pereunt.

Cura prima in aëris extrinſeci rectificatione, & ſpiritus cordis roboratione, in maiori parte fundatur. Igitur primum aërem peſtilentialem igne rectificare oportet,ut docuit Hip. & Galen.deinde ea, quæ putredinem prohibent adminiſtrabis, quæ etiam corroborent: ut eſt aſperſio cubiculi, ubi ægrotus manet, ex aqua permixta aceto, & aqua roſacea, & aliis bene redolentibus,ut ſunt citria poma, & aliqua alia conſimilia non multũ eleuatæ caliditatis. Sed qualiacunque fuerint rectificantia aërem,ut exiccent neceſſe eſt. Reliquæ etiam res neceſſariæ,ſint eiuſdẽ uirtutis,ut præterquam quòd nutriant, ſpiritus cordis etiam roborent:& ideo cibi ſint ex optimis carnibus, ut ſunt pulli gallinacei, & ſimiles, in quorum numero ſint fercula, ut eſt ptiſana,& ſimili exiccantia quæque modo:& ſint cibi cõditi cum aceto, uel cum aliis acidis bene redolentibus, in quibus non ſit ſtypticitas inſignis. Quare ſucci arantiæ, limonum,citrorum,& uuæ acetoſæ,ſunt optimi.Vinum omnimodo à principio uſque ad inclinationem interdicatur:cùm ob eius penetrationem,caloris acuitatem & etiam materiam uenenoſam ad cor penetrare faciat. Potus ſit aquæ ſtillatitiæ,acetoſæ,cichorei,bugloſſę,boraginis, & ſimilium: uel ſit aqua fontis decocta cum hordeo cum ſuo cortice,uel cum ſeminibus acetoſæ,citri, & ſimiliũ, quibus cũ ſyrupus acetoſus uel de acore citri,uel acetoſus ſimplex,& ſimiles commiſceantur.Et hac in febre cum plurimùm ſoliciti ſimus de uirtute, dentur omnino ea,quæ uirtutem manu tenere poſsint: ut ſunt carnes præter dictas, perdicum, phaſiani, hœdinæ, & huiuſmodi. Dentur etiam matutinis horis, & etiam ueſpertinis, ad præparandam materiam, & eius malignitatem extinguendã,ſyrupi de acore citri, de ſucco acetoſæ, acetoſi ſimplices, & ſimiles, cum decocto cichorei,intybi, Cereris folii, bugloſſæ, & ſimilia. Et ut admonuit nos Galenus primo de differentiis febriũ,ſtudendũ eſt exiccationi, cum illis quæ repletionem tollunt. Quapropter ſi uẽter non ſponte fluxerit, adminiſtrentur clyſteria communia, ut aiunt:mox cùm materia furioſa & turgida ſit, reliquæ corporis humiditates ſuperfluæ euacuentur.Et quoniam aperire uenam poſt quartũ diem non ſine maximo diſcrimine uitæ fit,cum ex ea materia ad cor reuocetur, ideo ubi aliqua indicatio ad aperiendam uenã admonuerit, loco miſsionis ſanguinis per uenæ apertionẽ, apponãtur cucurbitulæ dorſo, natibus, & coxis, ſicque ſanguis euacuetur ſecundum tolerantiam uirtutis, & exigentiam morbi.Illud etiã notare oportet,quòd ante quartũ diem in corporibus bilioſis aperire uenam ſuſpectum eſt:& etiam ſi non ſint bilioſa, cùm ſigna putredinis choleræ apparent,& urinæ ſubtiles & igneæ ſunt.At ſi corpus ſanguineũ fuerit, plurimóque ſanguine abũdet, audacter uena ſecari poteſt. Sed præter ſanguinis miſsionem, euacuentur quoque cæteræ humiditates putridæ,uel qualitercunque ſuperfluę,cũ illis,quæ non moleſtè educũt, ut eſt caſsia, manna,decoctio tamarindorũ,ſyrupus roſaceus ſolutiuus, diacatholicon. Quibúſcum memorẽ eſſe oportet, ut aliquid triferæ perſicæ commiſceatur. Poſſunt dicta medicamina diſſolui cum decocto tamarindorum,paſſularũ, ſeminum citri, acetoſæ, foliorum boraginis,bugloſſę,& ſimilium. Quòd ſi etiam rhabarbarum infundatur in decocto dicto, præſertim quãdo iam morbus proceſſerit, fœliciorẽ inuenies euacuationem.Vnũ tamen non prætermittam, quòd ſi pilulæ cõmunes Rufi ſæpe exhibeantur, uel ſolæ,uel cum aliquo ſyrupo ex iam dictis,liberãt à malignitate peſtilentiali: dum tamẽ iſtæ euacuationes fiunt,adminiſtrentur cordis roboratiua, & quæ uenenis reſiſtunt tam intus, quàm extra,ut puta:accipe ſacchari roſacei,bugloſſati, boraginati, añ.℥.j.margaritarum præparatarum, fragmentorum de gemmis,terræ Lemniæ,uel boli Armenij orientalis,añ.ʒ.j.fiat eclegma cum ſyrupo de acore citri, & detur ſæpiſsime patienti, & pręſertim ante cibum. Fiat quoque ſacculus cordi exterius:utputa. ℞. ſpecierum cordialium ℥.j. florum bugloſſæ,boraginis, uiolarum añ.ʒ.ij.ſeminum citri.ʒ.iiij. fiat ex eis puluis, & pone eum in ſacculo ſerico purpureo,& apponatur regioni cordis. Et quoniam (ut dixi) maxima intentio eſt ad uirtutem in his febribus, ideo ſi uirtus imbecilla fuerit, addatur in cibariis aqua carnis facta in duplici uaſe,uel per expreſsionẽ cũ pręlo,& inter cibum & cibũ,detur aqua ſtillatitia ex iure & carne pulli decocti in aquis bugloſſę,et acetoſę.Reliquis uerò accidẽtibus,uidelicet dolori capitis,ſiti,delirio, & reliquis iam dictis,ſuccurratur,ut dictũ eſt ſuperiùs de accidẽtibus putridarum.

Reliquum eſt iſtis expeditis, tertium genus febrium tractare,in quo calor pręter naturã in membris radicalibus iam habitũ contraxit, & eius humiditatem radicalem conſumpſit. Quam febrem habitudinalem Latini,Gręci hecticam uocãt:& habet latitudinẽ, per quam tres differentias medici ponũt. Et hac ratione primam, ſecundam, & tertiam ſpeciem febris hecticę deſcribũt. Prima ſanè eſt, cùm à caliditate pręter naturã humiditates in membro abſumptæ ſunt, ſicut oleum lucernæ.Secunda eſt,ſi calor,præterquàm quòd conſumpſerit humiditatem in corde, etiam eam, quæ imbibita in eius ſubſtantia eſt,abſumere incipiat: ſicuti ſi calor oleũ in ellychnio imbibito iam abſumere incipiat. Tertia uerò erit, ſi pręter humiditates cordis & reliquorum membrorum, omnes humiditates colliquauerit ac cõſumpſerit: ſicuti ſi flamma lucernę oleo coniuncto pręter dictas humiditates, lychniũ etiam exiccet. Et hanc uocant maraſmũ ſiue hecticã ſenilem, quę nullam niſi paliatiuã curationẽ ſuſcipit:neq; uera eſt febris, cùm in ea nulla caliditas exiſtat. Dicebat nanque princeps Auicẽna, ſi huic febri aliquod ingeniũ eſſet,ad eius curationem, morti etiam ingenium haberemus.

Signa uerò febrium dictarũ ſunt in primis caliditas, ſed non ita acris,ut in multis putridis aſſolet,ſed tãgenti primò mitis apparet: deinde permanẽte manu ſuper arteriã,fortius in ipſam imprimit, ita,ut calor magis ac magis in manũ agat,& fortiùs imprimat: deinde calor per uniuerſum ęqualis eſt ſine intermiſsione & acceſſione:qui calor ſemper à cibo augetur,& eſt propriũ & inſeparabile ſignũ in hectica: & tametſi in putrida aliquãdo ita fiat,nõ tã ſic manifeſtus eſt.Pulſus eſt paruus, debilis,frequens, durus,& manẽs uno & eodẽ ordine.

Prima ſpecies difficilis cognitu eſt, cura uerò facilis: ſecunda faciliùs cognoſcitur, & clareſcit ex ſignis iam dictis,& etiam,quoniam conſumptio quędam & ariditas, in uniuerſum corpus apparet. Vrinę aliquantum unctuoſæ ſunt, & uſtionem in odore præ ſe ferentes.

Et hęc febris tametſi ſanari poteſt,non tamen ſine difficultate maxima.De tertia autem ſpecie hecticę,quę uerè febris non eſt,cùm in ea uniuerſi corporis macies,& humiditatis cõſumptio ſit,nemo ambigit. Nam in hac pręter uniuerſi corporis conſumptionem, adeſt oculorum cauitas,& tempora collapſa ſunt,& ariditas purulenta in uniuerſum eſt ſine aliqua caliditate. Et hęc minimè ſanari,ut dixi,poteſt.

Curatio eſt in prima & ſecunda ſpecie, humectatio & refrigeratio. Quare quieſcant, & in aere frigido & humido maneant:qui aër ſi non naturalis fuerit,pręparetur per aſperſionem aquę dulcis, & foliorum, & florum frigidorum. Cibi ſint ex optimis carnibus cum foliis lactucę, endiuię, portulacę, boraginis,& ſimilium, coctis.Fercula ſint ex hordeo uel ex dictis herbis,uel ex ouis confuſis in iure & ſucco uuę acerbę.Vinum ſit pauciferum,& multa aqua permixtum.

At quoniam ſunt quędam,quę ſua qualitate, uel prima uel ſecunda,optimè conducunt,ut ſunt piſces ſaxatiles,& fluuiales quidam,& cancri, etiam fluuiales, teſtudines, & cochleę. Ideo ſi ex eis comedantur, optimus in caſu erit cibus.Fructus etiam horari, qui frigidi & humidi ſunt, iuuant ſua qualitate, ut poma, pyra, perſica, pepones, uua, & ſimiles. Sed inter cętera, quę maximè conducunt, ac pręter refrigerationem plurimum inſtaurant,eſt lac mulieris:poſt hoc aſininũ,deinde caprinum,& reliqua lactis genera.

Sed cùm hic morbus minimè materialis ſit,à quacũque euacuatione per ſeceſſum in eius cura abſtinere oportet,pręterquàm ab illa, quę per clyſteria mollientia & refrigerantia fiũt,quę ſint ex decocto foliorũ uiolarũ,lactucę,et ſimiliũ cũ oleo uiolaceo uel nenufarino.

Sed ex illis,quę extrà applicita ſummopere proſunt, eſt lauare crura aqua dulci tepida, in qua aqua ſi bullierint folia lactucę,nenufaris,uiolę,& ſimiliũ,optimum erit auxilium,& prę aliis ſummopere conducit.Deinde mox poſt lauationem inũgere uniuerſum corpus, pręſertim pectus & dorſum, oleo uiolaceo, roſaceo, uel nenufarino, & ſimilibus, plurimum iuuat. Et hęc ſunt, quę primam & ſecundam ſpeciem huius febris ſanare poſſunt. Tertia uerò etſi curari non poteſt, uitã tamen eorum prorogare poſſumus,& hoc regimine modeſtè calefaciente & humectante,ut ſunt optimi cibi ex optimis carnibus,ac fercula ex farre, & ſimilibus in eorũ iure.Vina etiam mitia plurimũ iuuant.Et inter cætera clyſteria ex iure optimarum carniũ cum ouis in eo confuſis,calfaciunt & humectant modeſtè,ac etiã nutriunt.

Satisfeciſſe huic noſtro compendiolo puto, ſi etiam compoſitarum febriũ ſigna & curam ex his, quæ ſuperius ſcripſi,declarauero. Quas compoſitiones complicationéſue facilè cognoſcimus,poſtquam omnes ſimplices & ſingulares cognouerimus, nempe ſępe febris unius generis cum alia alterius generis complicatur,ut putrida cum hectica uel unius ſpeciei : cum altera ſuę ſpeciei, ut intermittens, & concluſa ſiue continua tertiana. Similiter duę & plures tertianę & quartanę & quotidianę, ac etiam unius ſpeciei putridarum alterius ſpeciei, ſicuti tertiana cum quartana & quotidiana, & non tantũ complicantur,ſed ſępe etiam confunduntur, ut fit, ſi continua cum continua complicetur, uel intermittens cum intermittente. In hoc quicquid tamen ſit, cognoſcuntur non niſi à peritiſsimis & expertiſsimis medicis, per ſigna inter ſe complicata, tam eſſentialia, quàm accidentalia.

Cura harum erit ſimpliciũ febriũ commixta : utputa, ſi hectica & putrida cõplicentur,alteretur aër ad humidum & frigidũ cũ aſperſione & foliȷs,ut ſuperiùs admonui:mox euacuentur putridi humores , ſi concoctionis ſigna apparuerint:et hoc cũ medicinis leuibus,ut eſt caſſia,manna,ſyrupus roſaceus ſolutiuus.At ſi materia putrida craſſa fuerit,agaricus cõmiſcendus erit, uel aliqua alia medicina humorẽ craſſum euacuans,quę nullo modo caliditatẽ relinquat in membris poſt euacuationẽ, nec corpus exiccare poſsit.Neque in iſtis euacuationes exquiſitę tutę ſunt. Quare tam in quantitate, quàm in qualitate,medici medio modo ſe habentes procedant. Non tamẽ negligenda eſt hectica febris.Nã poſtquam putrida ſanata fuerit, utere regimine febriũ hecticarum pauló antè dicto,& lauatione in aquis dulcibus.

At in compoſitis febribus putridis omnia cõpoſita ſint, tam in regimine,quàm in medicaminibus.Porrò ſi hemitritęus fuerit, ut aiunt Gręci, Latinis uerò ſemitertiana: & eſt compoſita ex quotidiana & tertiana, ſiue ex materia pituitoſa & biloſa ſeorſum putreſcentibus, medicẽtur,ut dixi, regimine compoſito ſecundũ quod magis altera alteri pręedominiũ uidetur.Quod ex ſignis facilè medicus habebit.Nam ſi cholera pręepollet, rigores fiunt maiores, & etiam calor magis mordax apparet cum reliquis ſignis in tertiana dictis. Et hoc in caſu ea, quę & pręparant materiam plurima cholera admixtam,ſunt ex uſu,& eandem etiã euacuãt.Econtrà ſi materia pituitoſa ſuperauerit, nullus ferè horror eſt : aut ſi eſt,paruus adeſt:mitis quoque calor uidetur:nõ ſitiunt: ſicque in aliis reliquis accidentibus quotidianæ familiaribus uidebis.Et ideo in iſtis conueniunt,tam in præparando quàm in euacuando ea, quæ humores craſſos pituitoſos præparant & educunt,ut ſunt oxymel compoſitũ,& ſyrupus de abſinthio:& in euacuando,agaricus.Similiter cognoſcimus alias febres complicatas, ut tertiana cum quartana & quotidiana,ex ſignis ſingularium febriũ commixtis. Ad quarũ curationẽ,ſi æquales ſunt, æqualia unius & alterius febriũ remedia alterantia in earũ cura commiſcenda ſunt. Quòd ſi altera prædominiũ habuerit, utputa,ſi humor melãcholicus prædominauerit,intentio tam in præparãdo quàm in euacuando, ad illũ magis dirigatur:nimirũ, cum ſyrupo de fumo terræ,de bugloſſo,cũ ſena & epithymo.At ſi cholera ſuperabundauerit, cum endiuia, & cichoreo , rhabarbaro, & ſimilibus:ita, ut ſemper principalis intẽtio ad pręedominantem & magis periculoſum adhibeatur, non neglectis aliis. Et cùm in omnibus iam remedia & regimen articulatim ſatis tetigerim, per illa compoſita cõpoſitæ mederi poſſunt. Habes clariſsime ac doctiſsime Hieronyme breue, quàm potui, de dignotione febrium & curis earum,opuſculum. Quod ſi ſatis tibi feci,gaudeo quidẽ:ſi minus, dabis ueniam. Scis enim me ſine intermiſsione ægrotantium curis nauare . Vale.Venetiis, M. D. XLV. V. Cal.Ianu.

AD EXCELLENTISSIMVM *Paulum Magnolum è Burno Brixienſem* , *Epiſtola* VIII. De *ratione anticipationis & poſtpoſitionis acceſsionum in febribus.*

CVm ſæpe inter nos de philoſophia ac re medica colloquium de more fuerit,& de ratione anticipationis & poſtpoſitionis acceſsionũ in febribus inceptus fuerit ſermo, & illum ægrotantium multitudo uiſitandorum ſubinde interruperit, hæc tibi ad perfectionem incepti ſermonis ſcribere nata occaſione ſcribendi,uolui:ex quorum lectione quamlibet morbi & uirtutis, uel malitiam aut bonitatem cognoſcere facilius poteris : & ex iis præcognoſcere de temporibus & exitu febris, ac etiam quid in cura ægris & aſtãtibus dicendum & iniungendum ſit, ratione ualebis. Quam quidem ſpeculationẽ libens anteà aggreſſus eſſem, ſed, ut dixi, raró mihi contingit ab ægrotantium uiſitatione uacatio, ut aliquando chariſsimis idque petentibus amicis,aliquid(ut ita dicam)ingenioſi ſcribere poſsim: præſertim tibi mi Magnole amicorũ optime, quẽ ſemper ob mores modeſtiſsimos & raram doctrinam, non ſolùm dilexi, uerùm & uehementer amaui, ſempérque amabo. Etenim nulla res mihi antiquior eſt, quàm uel amicorum in me beneuolentia, uel eorundem charitate Ita ut in omni mea ætate ego me feliciſsimum eſſe putarim, cùm amicis, & præſertim bonarum artium profeſſoribus, gratificarer : & inter eos tibi plurimùm,in cuius hæc gratiam ſcribo, confiſus tuo in me etiam amore,ad communem ægrotantium utilitatem. Quòd ſi homo negotioſus aliquid non ex omni parte perfecero, tua moderata uirtus & accommodata doctrina ſupplebit. Hæc autem ipſa dubitatio non tantùm noſtrum ſuſpenſum detinuit animum, uerumetiam & antiquorum & recentiorum quamplurimorũ, qui inter ſe hac de re proculdubiò diſſentire uidentur. Ego uerò, quicquid alii dixerint, dimiſsis illorum altercationibus, pro uirili ipſe rationibus & antiquorum autoritatibus innixus , ueritatem oſtendam. Quæſtio igitur eſt in morbis materiatis, quibus ſunt acceſsiones,ut in febribus intermittentibus : uerbi gratia,tertiana,quartana,atq; etiã in quotidiana : quid acceſsionũ anticipatio & poſtpoſitio ſignificet,augmentúmne, an declinationẽ oſtẽdat. Quam quæſtionẽ minori cum labore declarabo, ſi priùs modos omnes ac-

ceſsionum,qui præter anticipationes aut poſtpoſitiones ſimplices in febribus euenire ſolent,attigero.Et eſt, quòd aliquãdo febres nullo penitus mutato horarum ordine, eodem ſemper tenore procedunt: & aliquando mutant quidem, ſed ita uariè inconſtantérque, ut modò anticipando, modò poſtponendo uſque ad uigorem procedãt.Atq; ita quatuor nobis notanda exoriuntur,ſcilicet, quid in primis dicendum ſit, ſi ſemper uno temporis ordine ſeruato,neq; anticipando neque poſtponẽdo proceſſerit: deinde,ſi ſemper anticipãdo: poſteà,ſi ſemper poſtponendo acceſsiones progrediãtur. Quæ ut clariùs appareant, ponam cauſa exempli tertianam febrem intermittentem ex putredine bilis nothæ: quæ febris ſeruet per omnes ſuas tertianas acceſsiones certã firmámq; horam, puta, quartam diei, quæ finiat ſequẽti die ad decimam diei horam ſine aliqua prorſus mutatione temporis.Hoc in caſu accedente acceſsione ſemper una hora, ſi etiam tempus caliditatis febrilis una cum caloris modo fuerit æquale, nullo etiam digeſtionis ſigno apparente,tum in ipſo lotio tum etiam in aliis, principium ægritudinis eſſe oſtendit. Etenim proceſſus iſte æqualitatem potentiæ, uirtutis,& materiæ morbi oſtendit, tum in quantitate,tum etiam in qualitate: ita, ut neutra uincente, idem ſeruetur tenor. Sicque tandiu principium eſſe dicere oportet, quandiu æquales fuerint acceſsiones ſine digeſtionis ſignis. Quæ ſententia habetur ex primo de criſibus à Galeno,& quoque ab Auicenna prima quarti, de cognitione horarum ægritudinis. Id quod affirmare eò faciliùs poſſumus, ſi uirtutem contra morbum pugnantem cognouerimus: quæ uirtus ſi ualida fuerit in materia craſſa, longum erit principium: ſi imbecillis, mortem aut longitudinem morbi ſignificabit. Et eſt ſententia Galeni in libello de temporibus totius morbi, & etiam in commento xxx. iiij. particulæ aphoriſmorum. Quòd ſi eadem ſemper hora incipiat, mali iudicij eſt, ſiue longior ſiue breuior ſit paroxyſmus: in quo illud habemus mali iudicij: etenim aut longitudinem aut mortem ſignificat. At ſi acceſsiones æquales fuerint, & lotium & alia ſigna coctionem oſtenderint, uigorem morbi iudicare oportet, ſi rationi & Galeno tertio de criſibus, credimus. Nam ubi uirtus cõcoctrix materiam præparauerit uiceritque, tum ipſa ceſſat atque quieſcit, uirtutis excretiuæ opus expectans: quæ (ut in cibis fit) excretiua coctricem ſubſequitur.Similiter & ipſa materia iam ferè uicta non amplius ſtimulans, neque antecedendi neque poſtponendi cauſa eſt ſicq; fit æqualitas. Quòd ſi cum fortitudine uirtutis fuerit,breuem morbum illum fore dicimus. At ſi cum imbecillitate,non ſine diſcrimine erit: & materia concocta,longitudinẽ morbi proculdubiò pronuntiare poſſumus.Vigor igitur erit illud tempus,cùm æquales fuerint acceſsiones, ſi plures fuerint: & etiam, ſi maturationis ſigna in urina & aliis excremẽtis uideris. Quod tempus ex nomenclatura clarum eſt, cùm ſic manent, & eodem modo ſe habent per uniuerſum ſpatium, uſque ad inclinationem. Sed quod te magis audire uelle uideor uidere, eſt: anticipantibus aut poſtponentibus acceſsionibus, antiqui in temporibus morbi, augmentine, an declinationis tempus eſſe cognouerint. Id quod ut clarius eſſet, quomodo æqualis modus acceſsionis aliquando principium ſignificat, & aliquando uigorem,hactenus diximus. Qui ſermo tametſi nõ ſit primum quod quærebatur, iuuat tamẽ ad illius primi quæſiti inuentionem: ſcilicet anticipatio, poſtpoſitio,augmentum,an inclinationem oſtendat.Cui dubitationi ut ſatisfaciam, dico anticipationem augmentum oſtendere,ſi cum anticipatione tempus caliditatis longius, & caliditas maior unà cum reliquis accidentibus, & incommodis fuerit, præſertim ſi in lotio non apparuerint manifeſta coctiõis ſigna. Et ratio eſt, quoniam materia ſua quantitate,aut qualitate propria,uel à uirtute præparante ſubtilior reddita, ſed non tamen benignior, & uirtute mouente ad laborem, ac etiam eã ſuperare conante,citius mouetur anticipando,quoniam ſubtilior eſt,ſed non quòd uirtus materiam ſuperauerit,ſicque fit anticipatio in augmento. At ſi anticipauerit acceſsio, & tempus paroxyſmi non eſſet longius,& caliditas febrilis mitior,& cum reliquis accidẽtibus melioribus fuerit, quæ in lotio ſigna concoctionis antè apparuerint, declinatio oſtendit,propter materiam partim ſubtiliatam, partim minorẽ redditam: & etiam quoniam uirtus longe potentior ſuper ipſam facta eſt,& antecedit,& breuior eſt paroxyſmus.Similiter ſi poſtponatur acceſsio, & tempus caloris prorogetur,atque augeatur caliditas febrilis,fuerintque accidentia fortia,ſine apertis digeſtionis in lotio ſignis, augmentum morbi ſignificat. Id quod cauſam habet indicat, quoniam materiam craſſam non ita fortaſſe ſtimulantem, uirtutémque debilem, quæ non poteſt eam regulare, ita ut ſit facilior ad motum, aut non ualde ſolicitatam, quare tardantur acceſsiones. Quòd ſi etiam poſtponatur acceſsio, & tempus caloris breuior, & caliditas minor fuerit, accidentiáque minora, cum ſignis coctionis in lotio, inclinationẽ morbi proculdubio oſtendit. Quod fiet in materia craſſa non ita ſenſitiua membra ſtimulante,præſertim ſi etiam dominata fuerit à calore naturali. Quo fit ut eius tardetur acceſsio,& ipſa in minori tempore conſumetur, unde etiam caliditas minor cum aliis accidentibus apparebit,& in lotio hypoſtaſis, ſiue nebula,lenis,alba, & æqualis, à qua medici ſignum proprium,& inſeparabile digeſtionis, & ſalutis accipiunt,ubi tantum una materia morbi fuerit. Hæc omnia à Galeno accipiet,qui libellum primum de criſibus legere uoluerit: & ab Auicenna, qui ea quæ prima quarti de cognitione horarum ægritudinis ſcripſit obſeruabit. Qua ueritate ſic expoſita, illud etiam poſtremum animaduertendum eſt, quod etiam in exordio tetigi, uidelicet quòd aliquãdo acceſsiones inconſtantes ſunt, ita ut nullum ſeruet ordinem: ſed quandoque anticipando,& quandoque poſtponendo procedunt, & aliquando longiori tempore, & nonnunquam breuiori moleſtant. Quo fit ut neque motus, neque tempora ſint æqualia. Imo ſæpe cum anticipatione tẽpus caliditatis breuius erit, & aliquando longius. Similiter etiã & caliditatis quantitas, & tempus, ſæpiſsime in poſtponentibus, nullo ſeruato ordine apparet: & cauſam eiuſmodi diuerſitatum referes in materiæ diuerſitatem, in craſsitie, & ſubtilitate, & in multitudine, & paucitate mordicando, uel non mordicando: uel in uirtute, quæ uirtus à calore febrili aliquando minus ualida reddita non ita materiam regulare poteſt, uel in utrunque, unde plus, uel minus, in minori, uel in maiori tempore eam mouebit. Quod cum apparuerit,& uirtus inualida fuerit,diuturnum ac non ſine diſcrimine uitæ morbum iudicare oportet, præſertim in principio, & augmento: ſed in declinatione præter longitudinem,conuerſionem etiam ad aliam deteriorem ægritudinem oſtendit, utputa in quartanam, in hydropem, & in phthiſin. Et ne aliqua ex parte ex ſuperius dictis dubitare contingat, quædam adhuc ad clariorem doctrinam declarabo.Et in primis ſcire conducit,æquales acceſsiones illas eſſe, quæ tam in principij, quàm in terminationis hora ordinem ſeruant æqualem. Ita ut neque anticipent principia, neque poſtponant terminationes, ſed eodem modo ſe habentes procedant per omnes ſuas acceſsiones,nulla etiam caloris, tum in quãtitate, tum in qualitate mutatione facta. Siquid igitur horum mutauerit,qualiſcunq; fuerit illa mutatio, ſemper inæquales dicentur acceſsiones. Verbi gratia,ſi mutationes fuerint anticipando, uel poſtponendo, & tempus durationis æquale permanſerit,eiuſmodi inæqualitas ordinis dicetur. At ſi ſeruauerit unam horam principij, utputa ſi prima hora, prima acceſsio cum ſecunda acceſsione in prima adhuc hora, & ſic in reliquis, & nihilominus durationis tempus aut maius, aut minus fuerit, inæquales etiam acceſsiones erunt: & dicuntur inæqualitates temporis. Aliæ inæqualitates ſunt, quæ cum in primis ſe teneant ex parte maioris, uel minoris caliditatis, prohibent denominare acceſsiones æquales. Similiter ſi in accidentibus diuerſitas apparuerit, prohibent ex parte ipſorum æqualitatem in acceſsionibus. Quæ ut omnia approbentur,uidere eſt Galenum primo de criſibus, qui non ſolum admonet nos cognoſcere anticipationes,& poſtpoſitiones acceſsionum, uerumetiam & longitudinem temporis, & magnitudinem ac malitiam morbi, cum ſæpe ex iſtis contrariæ fiant indicationes ab illis, quæ à motu ſumebantur. Et paulò infrà inquit (dicta comprobando) ſolam anticipationem augmenti minime ſatis idoneum ſignum eſſe. Sicque ex rationibus dictis, & ex Galeni ſententia uides, quòd etſi anticipare, & poſtponere unum & alterũ ſignificare poſsint, nihilo-

minus

minus ſi ſimpliciter conſiderentur, neutrum ſignificabunt:quoniam mores morbi plurimum dicta ſuperiora mutant,utputa ſi febris fuerit ex putredine illius choleræ aduſtæ,quam minoris famæ, & mali moris dicũt: hæc materia cum ſit maligna ,& difficulter à natura reguletur,moueatúrq; ſymptomaticè(ut dicimus)ac etiã ſine ordine,quoniã ſua malignitate,& acuitate ſtimulat membra,antequam præparetur,ita ut anticipare faciat acceſsiones,quæ potius pernicem,uel prorogationem oſtẽdunt,cũ non à uirtute( ut ita dicã )ſua ſponte, ſed à qualitate mala irritata moueatur,ad quẽ motum ſubſequuntur ea accidentia,quæ malignitatem,& acuitatẽ oſtendunt,ut eſt caliditas uehemẽs,pulſus inæqualiter inordinatus,inquietudines,dolor capitis,inſtantię uigiliarũ,ſitis uehementiſsima,eradicationes difficiles, cum aliis non paucis malis accidentibus. Quæ cum apparent,ſiue anticipent,ſiue poſtponãt acceſsiones,morbi augmentum denotant,& poſt uigorem longitudinem inclinationis,ſi ad inclinationem deuenerit morbus,cum talis ſit materia,quæ præterquam quòd uirtuti reſiſtit,eam etiã imbecillem reddit. Quę uirtus tametſi uicerit,nihilominus cum ex pugna,& reliquis infirma facta ſit,diutius laborare oportet, antequam & reſiduum materiæ expellat,& ſeipſam inſtauret. Vnde in eiuſmodi febribus ſemper uigor tardus eſt,& inclinatio longa. Quam rem tetigit Galenus in libello de Criſibus,& Auicenna prima quarti locis citatis.Porro autẽ quidã ſcribentes de eiuſmodi materia multa ad motum maiorum ſyderũ referũt,& in alias etiã cauſas:quæ etſi pulcherrima ſint,ea tamẽ minime recitare decreui. Sed ego(ut uides)negotiũ omne in duarũ rerum conſideratione ponere uolui:in materiæ quãtitate ſcilicet,& qualitate,& in uirtutis robore,uel imbecillitate.Ita ut ſi materia minor fuerit in reſiſtendo uirtuti,in ſe & abſolute breuis erit morbus,acceſsionésq; anticipabũt, & breues erunt. Quòd ſi materia uirtute potentior fuerit ſua quantitate, ut in priori caſu dixi,ubi febrẽ à putredine choleræ uitellinæ poſui,tunc proculdubio augmẽtum cum poſtpoſitione,& lõgitudine acceſsionũ erit:quoniam una,& eadẽ uirtus non poteſt in eodem temporis ſpatio maiorẽ quantitatem materiæ præparare,& uincere.Sicq; diuerſis conſideratis,in materia,& uirtute,alteram antecesſionẽ augmentum,alterã inclinationem eſſe dices.Enimuero nil aliud dixit Galenus primo de Criſibus,& Auicẽna prima quarti,inclinationẽ morbi eſſe,quàm uictoriã uirtutis ſuper materiã morbi,ad quã uictoriã dicunt nebulã,ſiue hypoſtaſim albã,lenẽ, & æqualẽ cõſequi.Quam æqualitatẽ intelligere operæpretiũ eſt,ſecũdũ omnẽ modũ æqualitatis,uidelicet ut ſit æqualiter alba,æqualiter lenis,non hic magis,illic minus,& etiã ſecundũ totũ lotium,ut ſit ubiq; æqualiter idẽ lotii color,eadẽmq; ſubſtãtia.Quę omnia ut clarius intelligãtur,& facilius memoriæ cõmendentur, figurã ſiue tabulã,qua cõprehendẽtur principaliora capita dictarũ anticipationũ,uel poſtpoſitionũ paroxyſmi,hic in calce epiſtolę addere uolui ſub tali ordinis modo.

Cauſæ anticipationis,uel poſtpoſitionis acceſsionum ſunt.

Virtus { fortis, / debilis. }

Materia { multa uel craſſa. / pauca uel ſubtilis. / ſtimulans, / non ſtimulans. }

| | | |
|---|---|---|
| Virtutis fortis materia | Multa , uel craſſa ſtimulans, | antecedet,ſed longior erit paroxyſmus. |
| | Multa , uel craſſa non ſtimulans, | nõ antecedet, & lõgior erit paroxyſmus. |
| | Pauca,uel ſubtilis ſtimulans, | antecedet , & breuior erit paroxyſmus. |
| | Pauca uel ſubtilis non ſtimulans, | non antecedet , & erit breuis paroxyſmus. |
| Virtutis debilis materia | Multa , uel craſſa ſtimulans, | antecedet,ſed longior erit paroxyſmus. |
| | Multa , uel craſſa non ſtimulans, | nõ antecedet , ſed erit breuis paroxyſmus. |
| | Pauca,uel ſubtilis ſtimulans, | antecedet , nõ tñ breuis erit paroxyſmus. |
| | Pauca,uel ſubtilis non ſtimulans, | nõ antecedet,neq; erit breuis paroxyſmus. |

Illud etiam notare te præter dicta uelim,cum medici dicunt anticipationem augmẽtum ſignificare,illud tamen non perpetuum eſſe dicunt,ut nunc demonſtrauimus ſecus eſſe,ita ut nonnunquam inclinationem ſignificet,ſi quando anticipatio illa fuit ex mutatione materiæ ad notabilem ſubtilitatem,ut natura & facilius,& citius mouere,& conſumere eam poſsit Illud in primis obſeruandũ ad cognitionem,ex ſententia Galeni,quòd tempus morbi neq; uigorem, neq; inclinationem eſſe ſignificat,ſi neq; accidentia fuerint minora,neq; lotium habuerit ſigna concoctionis:quæ cõcoctionis ſigna in eam partem accipienda ſunt,ut à ſæuis accidẽtibus ſint longinqua:tunc quis ſit finis futurus,certo demonſtrat: ſed principiũ,augmẽtum , declinationem non omnino certius anticipatio,uel poſtpoſitio proclamant:etenim ſæpe & anticipant,& poſtponunt acceſsiones,aut ex noua caliditate in materia acquiſita , quæ ſtimulando anticipationes facit:aut quoniam ex caliditate,uel malitia maiore,ſenſus qui obtuſiores erãt, acutiores facti, uirtutem excitant,& ſic ob maiorem ſenſibilium membrorum ſenſum præcedunt acceſsiones. Contrario modo poſtpoſitiones audire licet,ſcilicet materiã ex aliqua cauſa frigidiori factã, & ad maiorẽ craſsitiẽ redactam, ſenſibúſq; obtuſioribus ſucceſsiuè factis, tardare naturam ad mouendum.Neq; prætermittendæ ſunt additiones caloris,& uehementiæ,ac temporis caloris prorogationes,cum hæc ſemper augmentum ſignificent,& eorũ imminutiones,cum reliquis ſignis inclinationem oſtendant.Habes igitur doctiſsime Paule,& per te ſtudioſi habebunt meam de ſignificationibus,tam anticipationum , quã poſtpoſitionum,ac etiã æqualitatum, & inæqualitatum in acceſsionibus ſententiam , quæ omnia quàm breuiſsime ad te antè potiſsimum ſcribere decreui,quoniam te doctiſsimum , & ſingularẽ mei amantiſsimũ cognoui,quanquam & alii ſtudioſiſsimi iuuenes noſtris colloquiis interfuiſſent. Vale. Venetiis, M. D. XLIII. Die. X X V. Februarii.

## AD ERVDITVM, ET STVDIOſum artium & medicinæ Dominum Nicolaum Rontanam Braſichelenſem, Epiſtola IX. De cauſis periodicationis in febribus.

ROgare ſolebas,dum ueheremur cymba ad uiſendos ægrotos,ut de cauſis diuerſitatis acceſsionũ in febribus humeralibus putridis diſſererẽ:quod cũ cœpiſſem,& ex diuerſis uiſitationibus,quę noſtrum colloquium interruperunt,ſermo imperfectus,& non continuus fuiſſet:nolui tamẽ,poſtquam domum redii, te eo quod tota mente deſiderare oſtendebas , carere: pręſertim cum te amem,& res ipſa illa ſit,quę à medicis non diſcuſſa deſideretur. Quare id quod uerbis( ut ita dixerim ) anfractuoſis tecum diſſerere cœperam,literis nunc ad te ſcribens perficiam.Scis etenim( ut tibi dicebam )materiam acceſsionum in febribus difficilem antiquis omnibus medicis fuiſſe:quippe cũ poſt multas hincinde rationes,tandem acceſsionum cauſas in occultam quãdam proprietatem humorũ reiecerunt: quòd cum non ex omni parte ſapientibus ſatisfecerint,multis occaſionem dederunt,ut pro ueritatis indagatione multa in medio afferrent:qui nec ſcopum quidem attingere mihi uidẽtur.Rem igitur ipſam aggrediar, initium ſumens ab ordine generationis humorum,& à temporis diuerſitate,& ſpatio.Etenim humores noſtri corporis ex ordine quodã priore poſterioréue à calore agẽte gignuntur:ideo alii pluris,alii minoris temporis ſpatio indigent,quo perfici,& ad ſibi ſtatutum locum peruenire poſsint,quibuſcum & uirtutis expultricis robur, & materiæ quantitas,craſsities etiam,uel ſubtilitas requiritur. Quoniam cauſa,quę cum materia noxia prior in acceſsionibus faciundis eſt , non ſine quantitate,& qualitate ſignata,uirtutem ſtimulare poteſt:unde fiunt etiam quandoque anticipationes,& poſtpoſitiones in omnibus ferè putridis,de quibus aliàs longã epiſtolam ad excellentiſsimum Dominũ Paulum Magnolũ medicum dedi.Vt igitur rem totã tibi apertã & clarã magis reddam,ſciendum eſt,quòd primo à calore naturali ex ingeſtis cibariis in uẽtriculo generatur ſuccus quidam, quem Græci chylum uocant,materia omnium humorum:

rum: quæ ſic præparata à iocinore recipitur,& ibi ex imperfecta à uentriculo accepta coctione in pituitam conuertitur,ſi credimus Galeno in libello de cholera nigra,& ſecundo de elementis,& in cõmentariis ſecundi acutorum morborum:in quibus cũ ordinem generationis humorum meminit,pituitæ primùm,deinde reliquorum humorum generationẽ per ſucceſsionẽ quandã ſic recenſet.Pituita generata tẽporis proceſſu coquitur,ſanguiſq; efficitur,neutra bile in ſanguinis ſubſtantiam redire ualente:cum ex ſanguine quidem plus calfacto flaua bilis generetur,ex eodẽ aſſato aduſtóq;,atq; etiam ex craſſo atra.Pituitæ autẽ generatio,in pituitoſis eduliis ſanguinẽ perpetuò antecedit,atq; generatione ipſius media cibi in ſanguinẽ tranſeunt,neq; hoc deterioribus cibis tantum contingit,uerũ & quibuſdam eorũ,qui ſalubres eſſe uidentur,& reliqua.Hunc ipſum ordinem poſuit princeps Auicenna, ſi quis diligentius ea,quæ primo canonis de generatione humorum ſcripſit,attendere uoluerit. Inquit nanque: In omni cõcoctione humiditatis ſecernitur aliquid ab ea,quæ eſt ueluti ſpuma:aliud uero,ut fæx.Nonnũquam etiam ineſt, quod ad uſtionẽ eſt decliue,ſi concoctio excellens fuerit: quandoq; quid ferè crudũ,ſi imbecillis fuerit cõcoctio. Spuma igitur eſt ipſa flaua bilis,fæx uero atra:& utraq; ſunt naturales:peruti uero pars tenuior eſt bilis uitioſa,illiúsq; craſſum eſt atrabilis uitioſa non naturalis:crudũ quoq; eſt ipſa pituita:quod uerò ex hac ſumma percolatum ac concoctum eſt,ſanguis quidem eſt. Et paulò pòſt inquit:Cauſa efficiens ſanguinis eſt calor temperatus.Pituitæ cauſa efficiens quidẽ eſt calor imbecillis.Plura alia poſſem addere,quæ à doctiſsimo Auicenna ſparſim in ſuis uoluminibus de ordine generãdi humores dicuntur,pręter ea quæ dicta ſunt.Scripſit etiã in allegatis locis,pituitã naturalem eſſe illam,quæ parata eſt conuerti in ſanguinem , & eſſe ſanguinem, non perfectè concoctum, & etiam bilem habere cauſam efficientem caliditatem ſuperantem,& melancholiam eſſe fæcem ſanguinis. Scripſit quoque in libris de natura animalium modum generationis humorum. Etenim libro x.capite v.inquit:Pituita eſt materia ſanguinis,& bilis fit per ulteriorẽ caloris actionem, & fęx ſanguinis eſt melancholia.Ex his igitur patet, pituitam primum inter quatuor humores generari à caliditate non diu in chilum agente:quæ ſi aliqua occaſione propriam non ſeruauerit naturã,uel aduſta fuerit:tãquam infeſtum quoddã à natura expellitur , uel putreſcit.Eadem eſt etiam ratiò generationis humoris pituitoſi ab imbecillo calore,& quoq; à comeſtis rebus frigidis pituitoſis, ut ſunt piſces, & reliquæ aliæ res frigidæ:cum agens non agat ultra propriam uirtutem,niſi id per accidens eueniat:ut contingit aliquando à cauſa frigida calefieri.Similiter ex modo præparationis materiæ, paſſum ab agẽte mutari ſolet:cũ quodlibet nõ fiat ex quolibet,ſed ex determinata materia,cum debita,atq; conuenienti quantitate, & præparatione, ex Ariſtotelis ſententia.Ex dictis itaq; pituitã materiam ſanguinis primo eſſe dicere oportet,ſiue illa in uentriculo,ſiue in iocinore generetur: cum tamen rectius eam in iocinore gigni,& deinde in ſanguinem cõuerti dices. Quòd ſi in uentriculo( ut placuit Galeno)pituitoſus humor gignitur,ille non primo in ſanguinẽ ( cum in iocinore recipitur )mutatur,ſed eget mutatione,& alteratione præuia à calore membri ſanguinis generantis,ut pituita efficiatur hoc,quoniã non eſt uera pituita,ſed humor pituitoſus,qui nõ omnes conditiones pituitæ in ſubſtantia,& qualitatibus habet:tametſi talis humor in iocinore receptus,poſt aliquã præuiã diſpoſitionẽ ſine controuerſia in ſanguinẽ mutetur.Etenim in ſanguinis generatione maius temporis ſpatiũ requiritur,quã in pituitæ generatione:quod etiã teſtatus eſt Galenus ſecũdo de Criſibus.Porrò ſanguis eſt humor primus intentus à natura pro alimento , & inſtauratione humidi radicalis:& hac ratione natura quantũ fieri poteſt,in ſanguinis generatione, & conſeruatione ſtudet:& ut eũ cuſtodiat, & ad membra diſtribuat,uenas à iocinore procedẽtes, & per uniuerſum corpus trãſeuntes cõſtruxit.His itaq; declaratis , ordinem , & quantitatem humorum facile eſt declarare.Sanguis enim,cum ſit primus(ut dixi)à natura intentus:quoniam eo plurimum eget,eius quantitas maior eſt omnibus aliis humoribus.Poſt quem in quãtitate pituita ſequitur,quæ & ipſa inſignis eſt,cùm ſit materia propinqua,ex qua ſanguis gignitur.Enimuero poſtquàm à calore naturali pituita formam,ſeu qualitatem ſanguinis receperit,calor ſi ulterius,& per maius temporis ſpatium operabitur,ſanguinem calſaciendo ſubtiliabit,& eas partes ſubtiliores in bilem conuertet,quæ bilis quantitas minor eſt ſanguinis quantitate. Poſtremò agens calor choleram nigram ſeu atrã bilem ſeparat( quam melancholiam Græci uocãt,)& eſt fæx ſanguinis,quæ ex craſsiori parte alimenti ſanguinei generatur : in qua generatione( tametſi minor quantitas iſtius humoris ſit)attamẽ multo plus temporis ſpatio natura ad ſui perfectionem eget. Eadem eſt ordinis & temporis ratio in generandis humoribus,quos non naturales medici uocant:qui nõ ſunt apti ut in nutrimentum probũ conuertantur.Etenim generantur crudi humores in uentriculo,ob caloris imbecillitatem , uel ex comeſtis frigidis, & uiſcidis cibis,& malæ ſubſtantiæ: & hi humores(ut paulò antè dixi) non ſunt uerè pituita,nec ſunt apti ut primo in ſanguinem conuertantur. Similiter & bilioſus humor ab immodico calore,& ex calidioribus ingeſtis cibariis,& malę ſubſtantiæ,tam à uẽtriculo quàm à iocinore gigni ſolet , ſi credimus Galeno,&reliquis omnibus eminentiſsimis medicis.Nec propterea huiuſmodi humor bilioſus,eſt bilis,quæ naturalis ſit,ex ſanguine per ulteriorem concoctionem à calore naturali genito : pro utilitate , & neceſsitate uitæ,& operationum, cum in nullum uſum naturæ , uel ad nutriendum,uel ad aliquod aliud commodum deuenire poſsit: ſed eſt infeſtus ſemper, & cauſa alicuius morbi , uel ſymptomatis . Illud idem dicere de cholera nigra non naturali neceſſe eſt , cum & illa gignatur ab immodica,& ſuperflua caliditate uſtiua, uel alia , & etiam ex mala materia cibali , quæ tam ſui ſubſtantia, quàm qualitate parata eſt conuerti in humorem melancholicum. Qui humor nec naturalis eſt , nec minus ad aliquem uſum,uel utilitatem(ut de non naturali bile dictum eſt) deuenire poteſt:Sed eſt materia,& cauſa diuerſorum diuturnorũ affectuum præter naturã,& accidentium, qui & mali, & difficiles ſunt. Quæ uero dixi de ordine,tempore,& diuerſitate generationis humorum,poſſem ego plurimis exẽplis,& rationibus comprobare,ut eſt uidere in quàmplurimis fructibus , qui cùm primum immaturi ſunt,ſi calor exterior,uel uirtus plantæ ulterius procedet,mutantur,& maturãtur:non tamen ſi cõtinens aër frigidus fuerit, maturantur,ut eſt uidere in ficubus autumni tempore:calore tamen procedente æquali,uel uirtute,fructus qui immaturi à principio ſunt,maturantur,& in aliũ ſaporẽ,& calorẽ mutãtur.Qui calor ſi ulterius ſua actione procedat,mutat ipſos in aliam qualitatem acriorem,& ſaporem, & colorem,& ſubſtantiã,ſecundum aliquas ſuarũ partium, & ſecundum aliquas in aliam,puta ſiccitatem,& terreſtritatem,& quoq; ſaporem mutat. Quæ quidẽ mutatio in rebus elixatis facilè deprehendi poteſt : nam ab uno & eodẽ calore in re elixata diuerſam mutationem uidimus ex continuata actione caloris, cum in prima parte temporis actionis res coquenda aliquam imperfectã coctionẽ habeat, ita ut ſemicocta dicatur: poſtea ab eodem calore agente perfectè coquitur,& fit ſecundum rei elixatæ ſubſtantiam & qualitates complementũ coctionis:quæ ſi ulterius coquatur, mutatur adhuc, & fit ulterius ſubſtantia,& guſtus,& id quod ab ea reſidet,craſſum, & fæculentum eſt.Mitto exempla plurima alchimiſtarum in ſuis ſublimationibus,& permutationibus ab igne uel ab alio calore. Nam primam illam materiam quæ egreditur, phlegma uocant,cum ſit non perfectè à calore præparata: deinde procedente actione caloris ignis,id quod egreditur magis perfectũ eſt,atque tam in ſubſtantia,quàm in qualitatibus mediocritatem quãdam habet,reſpectu primæ & ultimæ partis:cùm nempe magis idonea ad opus ſuum ſit,& hæc pars aſsimiletur ſanguini,ſed procedente actione caloris circa uas in quo materia eſt,illa quidem materia in uaſe ſubtiliatur,& eleuatur,& hanc partem dicũt alchimiſtæ proportionari ſubſtantiæ ignis:medici uero partem ſic ſubtiliatam , in humoribus bilem uocant. Quod uero in alchimiſtarum uaſe reſidet, eſt materia craſsior,& fęx terreſtis,quæ pars in humoribus à medicis melancholia dicitur:in qua calor diutius quã in aliis humoribus ad ſui præparationem, ſeparationẽ,& collectionẽ laborat.Et iſta eſt fęx maſſæ humoralis. Quomodo uerò exemplum de muſto,&aliis ſuccis poſt expreſsionem per ſe,uel ab alio adiutis, digeſtioni, & ge-

nera

nerationi quatuor humorum poſsit accommodari, ut quadret humorum generationi, nõ uideo, cum in muſto ex intrinſeca alteratione, uel extrinſeca, fiat partium ſequeſtratio tantum, & non mutatio unius ſubſtantiæ in aliam, ſicut fit in concoctione cibi, & nutritione. Etenim tametſi in ſuccorum ſiue muſti ebullitione, ſequeſtrẽtur partes diuerſæ, tam ſubſtantia, quàm qualitatibus, non propterea ex hoc dicemus eorũ ſubſtantiã mutari in aliã ſubſtãtiã, ut in generatione, cũ generatio fiat ex corruptione alterius formæ, ex ſentẽtia Ariſtotelis. Nam ſi humores generãtur, mutatur ſiue corrũpitur forma in materia chyli, & introducitur ſiue generatur forma humorum, puta pituitæ, uel ſanguinis, & reliquorum, & hoc à calore ſucceſsiuo membri, ut dixi paulò antè: ſucci uerò non generantur, ſed arte exprimuntur, uel à rebus ex ſeipſis emanant. Neque quæ dixi contrariantur dictis illorum, qui ſcribunt materiam nutrimenti diſtribui ad minutiſsimas uenas iocinoris, ut ſic ex omni parte à calore membri elaborata in ſanguinem conuertatur, cum ſiue ad minutiſsimas partes diſtribuatur, ſiue ad non tam minutas, neceſſum ſit in concoquendo, ut tempus actionis ſpatium habeat, & in prima parte temporis, dum materia coquitur, illa quoquo modo cruda ſit, quam materiam ſic ſemicoctam pituitam medici (ut dixi) uocãt. Quòd ſi idem calor in eandem materiã agendo procedat, in ſanguinem eam conuertit. At ſi ulterius agat materiam illam, ſecundum quaſdam partes ſubtiliorem reddit, & ſecundum quaſdam craſsiorem, & terreſtriorẽ. Prima bilis, ſecunda melancholia eſt. Adde etiam, materiam nutrimenti non eſſe uniformem: & ea ratione non poſſe æqualiter ſecundum omnes ſuas partes à calore iocinoris mutari in eodem tempore, tametſi in uenis ſubtilioribus ſit. Eſt præterea continua attractio, & ſubminiſtratio nouæ materiæ ex ingeſtis cibis ex naturæ intẽtione, quæ non permittit ut ea materia quæ prima recepta eſt, antequã alia ſubminiſtretur, perfectè elaboretur, ſed ſemicocta cum ſanguine maneat: hanc ut ſæpe dixi pituitam medici uocant, & remanet cum ipſo ad nutriendum membra, quæ ſanguine pituitoſo nutriuntur, ac etiã ad alias operationes, & commoda membrorũ. Et hæc eſt cauſa cur natura pituitã cum tali ordine ante ſanguinis perfectionem generet. Etenim illa prior materia (noua alia adueniente) cedit ſecundæ, antequã ex omni parte perficiatur: quam rem uidere eſt in ingluuioſis, & bibulis, & pueris, qui ex continua noua ſubminiſtratione alimenti plurimas cruditates aceruant. In quo ordine generationis humorum naturaliũ, notare operæpretium erit, non tantũ tempus generationis prioritatis, & poſteritatis, uerumetiam & ſpatium actionis caloris, & quantitatem generatorum humorum. Etenim tempus actionis caloris in pituitę generatione minus eſt quàm in ſanguine, cum pituita fiat dum ſanguis generatur. Sanguinis uerò generationis ſpatium plus eſt quàm in generatione pituitæ, minus tamen quàm in bilis generatione. Et bilis generatio plus temporis requirit quàm ſanguinis, minus uerò quàm melancholiæ generatio. Et melãcholia pluris tẽporis eget in ſui generatione quàm bilis. Animaduertendũ tamen ſanguinis quantitatẽ maiorem eſſe quacunq; aliorum humorũ quantitate. Poſt quam quantitatem ſanguinis, pituitæ quantitas maior eſt quàm bilis, & quàm melancholiæ. Sed quantitas bilis minor eſt quantitate ſanguinis, & pituitæ, maior tamen melancholiæ. Poſtremò melãcholiæ quantitas minor eſt quãtitate triũ dictorũ humorũ: quod intelligere operæpretiũ eſt in corporibus naturaliter bene diſpoſitis. Et quanquam ordo generationis, & quantitas materię primò faciant ad diuerſas acceſsiones, & periodicationes, ac etiam exacerbationes, mota ſcilicet materia, quædam alia nihilominus neceſſario requirũtur. Et primo uirtus fortis, uel infirma, deinde omnia quæ materiã, uel mẽbra, uel uirtutem ad expulſionẽ mouere aliquo modo poteſt, ut eſt aliqua mala temperies noxia cum materia morbi, & quoq; quod in tanta quãtitate aucta, & aggregata de nouo ſit, ut aliquam moleſtiam inferat. Et hæc eſt cauſa materialis propinqua omnium acceſsionũ, & exacerbationũ ſecũdũ ſuæ generationis, & aggregationis ſpatiũ, ſuperueniẽte ſcilicet putredine, ad quã plurimũ faciunt malitia concoctionis generans plurima excrementa, quæ facile poſtea mouẽtur ab aliqua qualitate acri ſtimulãte, uel ſi à putredine arripiantur, obſtructis ſcilicet meatibus. Hæc omnia prælibãda duxi, priuſquam tibi cauſas acceſsionũ in febribus ferè omnibus putridis declarẽ, cum ex dictis acceſsionum cauſæ pendeant: in illis nempe febribus quæ acceſsiones, & exacerbationes habent, quoniam ea quę ex ſanguinis putredine fit, uniformis eſt, uel augendo, uel minuendo, uel in eodem ſtatu conſiſtens, uſq; ad inclinationem. Incipiam itaque acceſsiones in unaquaque febre eo ordine quo humores gignũtur declarare. Pituita porrò (ut dixi) primo ſingulis diebus generatur, generatáq; per uenas meat, uel attracta, uel pulſa, & ea utitur natura ad diuerſas corporis neceſsitates, & cõmoda, ſi proprium ſeruauerit tẽperamentũ, ſubſtantiã, & quantitatẽ. Quòd ſi ſubſtãtia, & quãtitate, & qualitate exceſſerit, tanquã nocuũ eam expellit. At ſi putruerit, febrẽ gignit, & hoc quotidie, quoniã quotidie generatur, & aggregatur, & moleſtãs pellitur, præſertim (ut dixi) Si corpus ex obſtructionibus ad febrem putridã paratum extiterit: & quoq; ſi humor ille, uitio aliquo male affectus fuerit. Non enim humores aliqua qualitate nocua deprauati, ex primaria intentione ad locũ putredinis attrahuntur, ſed tanquã moleſti, & ſuperflui grauantes, aut ſtimulantes illo pelluntur. Neque ſemper uirtus expultrix ſola eſt cauſa motus materiæ ad locũ putredinis: cũ etiã aliquando ab aliqua alia cauſa moueatur, quæ cum materia faciẽs febrem eſt, & etiam ab aliqua exteriori à materia ſeparata. Verbi gratia, cauſa cũ materia erit, ſi cũ ea fuerit mala, & noxia aliqua qualitas, multitudo ſiue quantitas, uel aliquod aliud ſtimulans, uel aggrauans. Separatũ autem à materia exterius erit, utputa, caliditas, uel frigiditas ambientis aëris: etenim calor aëris plurimum iuuat in ſenibus ad perfectionem omnium operationũ naturalium, ac etiam in aliis ætatibus, cum uirtutẽ roborare, & uias, & meatus aperire poſsit: frigus quoque ſi non plurimum fuerit, cõcẽtrando, & uniendo uirtutem fortiorem reddit. Sed ut paulò antè dixi, quantitas uitiati humoris, uel à putredine, uel alia acri qualitate, plurimum ad excitandã expultricem facit. Quam quantitatem non illico, ſed in determinato tẽporis ſpatio generare poteſt. Quod cùm ita ſit, quotidiana quæ à putredine pituitæ fit, quæ nõ generatur, & aggregatur in minori unius diei ſpatio, quotidie habet acceſsiones, uel excreſcentias, ſeu exacerbationes. Sanguis autem poſt pituitam ex ea continue gignitur, & in maiori quantitate in uenis colligitur ex intẽtione naturæ: in qua generatione adhuc calor poſt mutationem chyli in pituitã laborat, quem ſanguinẽ etiam tanquam dilectum theſaurum uitæ cuſtodit, & ſucceſsiuè ad nutriendum membra per uenas attrahit, & in eis conſeruat. Neque eſt intentio aliqua naturæ eum pellere, ſed conſeruare ad membrorũ, & ſpirituum inſtaurationẽ: quare ſi putruerit, uel aliquo quouis modo incaluerit, nullam acceſsionem, uel exacerbationẽ, aut quotidianam, aut tertianam, aut quartanam facit, ſed (ut paulò antè dixi) uniformis eſt eius calor, & afflictio ad hunc ſenſum: ſcilicet, aut ſemper augendo affligit, aut ſemper minuendo, aut uniformiter, uſque ad uniuerſalem inclinationem. Nec habet diem interpoſitam, aut particularem inclinationem. Sanguis nanque ſemper generatur æqualiter, & primo ex pituita, nec pellitur à uenis, nec aliquid habet, per quod ab aliis humoribus ſecerni debet. Sed alios omnes humores natura ab ipſo ſecernit, & ſeparat, ut eum puriorem reddat. Bilis quidem poſt ſanguinis generationem gigni ex ſuperius dictis conſtat: & eius quantitatem minorem eſſe dixi, quoniam eam natura non primo intendit, neque plurima quantitate eguit pro indiuidui conſeruatione. Et quoniam poſt pituitæ, & ſanguinis generationẽ fit bilis, ideo in maiori temporis ſpatio quàm ſanguis generatur, & colligitur, ſcilicet in tertia die, ut ſuprà demõſtraui. Etenim laborat prima uſque ad ſecundã diem calor, ut ex chylo pituita, & ſanguis generetur, & aggregetur, ad tertiam uerò in bilem conuertit, & colligit, quæ cum aucta, & à putredine arrepta fuerit, uel ab alia qualitate nocua, pellitur, & ex tali motu fit acceſsio, quæ tertiana eſt, quoniã ad tertiũ diẽ, & non prius generatur, & aggregatur tanta quãtitas, ut poſsit naturã ad expellendũ excitare, ſi putruerit. Melancholia ultimũ locum in generatione, & quantitate tenet, cũ poſtremò ex chylo poſt pituitæ, & ſanguinis, & bilis generationẽ generetur, ex craſsiori parte primi alimẽti, & eſt minor omnibus aliis partibus aliorũ triũ humorũ. Et quia poſt bilẽ calor agẽs adhuc in illã materiã melãcholiã perficit, & cũ bilis nõ niſi

ad

ad tertiam diem facta & collecta fuit, quarta die melancholia perficitur, & colligitur, & quoq; à massa humorali sequestratur: quod fit si aucta fuerit quantitas molestans cũ qualitate putredinali, uel alia aliqua dispositio alterãs, & eã acriorem & noxiã reddens, ut de reliquis humoribus dixi. Etenim melancholia cũ ad q̃rtũ diẽ generetur, & aggregetur, si sua quãtitate & qualitate molesta fuerit, post sui generationẽ & aggregationẽ, pellitur à natura ad locũ putredinis, aut saltẽ pellere eã natura conatur, & hoc ad quartũ diẽ, nõ ante: quoniam nec genita nec collecta ob sui substãtiæ crassitiẽ fuit, sicque fiunt accessiones, uel exacerbationes quartanariæ, & aliæ longiores ex eadẽ materia, si crassior adhuc fuerit, ut paulò pòst scribã. Habes itaq; qua ratione fiãt diuersæ, & terminatæ accessiones, ex diuersitate generationis humorum, & etiã diuersitate tã in substantia quàm in quantitate, & æqualitatibus, & aliis causis adiuuantibus, ut superius significaui, cũ quibus uirtutis robur, uel imbecillitatẽ annotaui. Nã uirtus est illa quæ omnia regulat, & dirigit, cũ semper sanguinẽ mundificare studeat, & etiã omne contrariũ pellere. Quòd si extra corpus illud pellere potest, utiq; pellit: si minus, ad ignobiliora mẽbra trudit: quòd si putret, febres diuersas causare cõsueuit, secundum diuersitatẽ humorũ pulsorum, in qua expulsione fiunt tipi, frigora, & rigores. Et quoniam humores melancholici, tam naturales, quàm non naturales, in sui substantia, & qualitatibus diuersi sunt ex materiæ, & caloris agentis diuersitate, ita ut aliquando substantiam lapidis ferè referant, & ultimam siccitatem, ex qua diuersitate (in putredine humoris melancholici) diuersę fiunt aliquãdo accessiones, quæ prorogantur: quoniã non potest ad quartũ natura materiam crassam resistentem præparare, & colligere, & deinde pellere, sed procedit, & mouet eam, postquã parata, & collecta est, quinta die: & sexta si adhuc crassior est, uel septima, uel octaua, uel nona, uel alia die, si adhuc magis & magis crassa fuerit, & etiã secundũ eius quantitatem, & uirtutis robur, uel imbecillitatẽ: nam sæpe uirtus, si fortis est, potest eam per aliquã sensibilẽ, uel insensibilem euacuationẽ extra corpus educere. Quòd si non dissoluit & sensim pellat, sed aggregetur, faciũt accessiones & quintanas, & alias secundum naturã stimulantium, uel aggrauantium humorum in sui crassitie. Hanc tardam expulsionẽ à uirtute, & à materia, & quantitate, non antea aggrauante uel stimulante naturã, possem ego probare exemplo plurium affectuum præter naturam, & naturaliũ, qui periodici sunt, ut est morbus comitialis, qui nõ mouet accidentia, quæ in eo apparẽt, nisi & quãtitate, & qualitate molestus, uel grauãs tam naturam, quàm membrum, stimulando uirtutẽ expultricem, quę ad nocui & aggrauantis humoris, uel qualitatis expulsionẽ insurgit: sicq; fit in morbo comitiali ex multitudine materiæ aggrauantis, uel ex malitia molestante: quæ quãtitas, uel malitia nõ colligitur, uel acquiritur nisi spatio tẽporis. Similiter & in naturalibus affectibus fiunt, ut sunt mensuales euacuationes in mulieribus, quæ nõ mouentur, nisi postquã aggregata in uenis est quantitas sanguinis molestans. Eadẽ est causa in humore melãcholico, crasso, alterato quauis causa naturæ rebelli, ut non possit eum uirtus ad quartum diẽ præparare, & colligere, sed ut eum præparet, laborat ulterius, donec eum præparet, & colligat: quẽ præparatum, & collectũ, & molestantẽ expellit. Sicq; fiunt accessiones quintanæ, sextenæ, septenæ, octauæ, nouenæ, & aliæ quæ fieri possunt: & omnes tales febres sunt de genere febrium melãcholicarũ, quæ quartanæ dicuntur: quoniam ut plurimũ in tali putredine humoris melancholici quarta die fiunt accessiones. Sed ex crassitie prorogantur accessiones, quas quintanas, & sextanas uocãt. Et alias similes accessiones ego uidi nõ semel, & medicos alios nostri tẽporis uidisse scio, quicquid dixerit de hoc doctissimus Gale. Sed in nõ intermittẽtibus tam pituitosis quàm biliosis, & melãcholicis eadem ratio est quotidianæ, tertianæ, uel quartanæ exacerbationis: quippe cũ primum ex termino generationis, & collectionis humoris, & ex quãtitate, & aliis dictis præscriptum ordinẽ seruet: sed non omnino uenis pellitur, uel qui multa & crassa, uel ob ualidas, & fortes obstructiones, uel uirtutes in potentiã. Et cum nõ extra uenas pellatur, nulla fit accessio, sed ex noua aggregatione materiæ putrescẽtis fit caloris febrilis maior exasperatio secundum naturã humoris; quoniã pituita quotidianas exacerbationes facit, quia noua materia pituitosa quotidie generatur, quæ sua quantitate, & qualitate molestat, & hæ quidẽ superius dictæ accessiones, & exasperationes, in cõplicatis, & cõpositis febribus annotantur. Scis enim febres cõplicari, & eiusdem generis, & diuersorum generũ, & specierum, utputa duæ, uel tres, & plures quotidianę, siue duplices, uel triplices dixeris, nõ refert, sicuti ego in quadã nobili sene uidi, & in aliis. Nã ratio, quòd plures sint unius speciei febres, est, quoniã diuersa sunt loca in quibus humores non naturales gigni possunt: qui cum noxii sint, & molesti naturæ, pelluntur, & colliguntur ad locũ putredinis, & ibi putrescentes faciunt febrẽ. Sed cum nõ in uno loco generẽtur uno tẽpore, ideo natura diuersis temporibus siue horis, quod nocuũ est studet pellere, nẽpe ex quo fiũt una die, diuersis tamen horis accessiones, uel exacerbationes plures, ex superius dictis rationibus patet. Quòd si materia pituitosa in diuersis (ut dixi) partibus generetur & expellatur, fiunt quotidianæ correspõdentes accessiones, uel exacerbationes. At si materia biliosa in diuersis mẽbris & partibus generetur, & grauãs, uel nocens pellatur, diuersis una die horis, uel singulis diebus fiunt accessiones tertianæ, secundũ numerũ locorum, in quibus materia colligitur, uel generatur. Nã si quotidie accessio fuerit ex motu materiæ biliosæ putridæ, moderniores medici tales accessiones duas tertianas uocare consueuere. Quòd si bis in die accessiones ex putredine bilis fiant, has duplices tertianas uocant. Ego uidi non semel sed pluries quatuor tertianas, & quinque, & sex. Quoniã bis in die, & ter singulis diebus erant accessiones ex putredine bilis: & hoc non erat nisi ex diuersitate & numero locorũ, in quibus materia biliosa colligebatur, uel generabatur, ut de pituita dictum est. Sed ne te lõgiori oratione detineam, easdẽ rationes melancholię, si cõplicentur, assignare poteris. Quòd uero duę, aut tres, & plures quartanæ cõplicentur, superuacaneũ est ad id ostendẽdum laborare, cũ nullus sit qui tales complicationes sæpissime non uiderit. Sunt præterea & diuersarum specierũ febrium cõplicationes, quę ita notissimę sunt, ut nemo sit medicus, qui in hac populatissima urbe cõsenuerit, qui nõ eas pluries uidisse affirmet, præter ea quæ ab antiquis medicis scripta nobis relicta fuere, ut sunt hemitritei, quæ semitertianæ à Latinis dicuntur, & fiunt si tertiana intermittens, & quotidiana continua cõponantur, ex cõmixtione pituitæ putridæ, & bilis quoq; putridæ, sicq; in tali cõplicatione fiũt & tertianæ accessiones, & quotidianę exacerbationes diuersæ, secundum diuersitates dictis in humoribus. Sed quoniã si omnia scribere ad te de differentiis febrium uelim, non epistolã, sed uolumen ingẽs operæprecium me scribere foret: quare hęc satis dicta in pręsentia erũt, cum reliqua possis ex libello de differentiis febriũ Galeni, & de Crisibus habere. Plurima etiã inuenies de modo, & tempore nutritionis, quæ ad superiora comprobandum faciunt, si quoque legere uolueris libellum de morbis Hippocratis, quem Galenus Polybum scripsisse credidit: nanq; in eo libello autor completam nutritionem ante quartum diem non posse fieri lõga oratione declarauit, & hoc quoniã calor circa mutationẽ ingesti cibi ad diuersas humorũ substantias plurimum laborat per quãdam tẽporis successionẽ. Et quãquam Trusianus monachus, & Petrus Aponensis Conciliator, uiri undequaq; doctissimi, unà cũ maiori parte scholæ medicorum crediderint generationẽ humorũ simul & nõ successiue ex intentione Aristotelis fieri, non propterea hãc meã rationalẽ positionẽ tibi dispicere uelim, cũ medici omnes humores specie distinctos cõfirmẽt ualidissimis rationibus. Quòd si pertinaces aliqui arguant, dicántq; quòd ab uno, in quantum unum, non nisi unum euenire possit, & rationem ualere, & in causis materialibus, & agentibus, quãdo simul sunt: in casu nostro res nõ ita habet: etenim materia alimẽti, siue chilus una est mistione diuersarum substantiarũ, & partiũ. Calor naturalis agens etiã unus est, sed nõ continuè uniformiter agit, tũ quoniã dissoluitur, & instauratur aut per laborem, aut quietẽ, uel somnum, & etiam ex instauratione humidi: ac etiam quoniam à priori actione materia diuersa fit. Nam si cibus mutatur in chilum, & chilus in pituitam, & denique in sanguinẽ, & alios humores, proculdubio nec calor agens unus, nec materia una (diuersis istis omnibus consideratis) est. Ex quo patet quòd nec calor agens in materiam chilosam, uel in pituitam

tanquam

tanquā in unam ſubiectā materiā ſemper idem eſt, nec præterea agendo eam primo totam mutat, ſed primo mutat partes paratiores, & quas agens primo cōtangit, & quæ non ita paratæ ſunt reſiſtūt. Quare agens in eorum mutatione diutius laborat. Quem ordinē etiā in generatione humorum non naturalium obſeruare oportet. Porrò ſi in uentriculo bilis non naturalis, puta æruginoſa, ab aliqua occaſione generetur, uel humor melancholicus, utiq; calor non ſemper eodem modo agit ex cauſis dictis, deinde maiori tēporis ſpatio egebit calor præternaturalis in generatione melancholici humoris quàm in biliosi generatione. Plura alia potuiſſem de cauſis acceſsionum, & exacerbationum in febribus ad te ſcribere ad clariorem dictarum rerum intelligentiam: ut eſt, quòd etſi humores à medicis ſpecie diſtinguantur, non propterea ſemper ſynceri putreſcunt: quoniam raro ſynceri in aliquo membro reperiuntur habentes formam puram, præciſam. Nec refert dicere formam in humoribus, uel qualitatem, cū forma ſubſtantialis in rebus quàmplurimis nos ſatis lateat. Diſtinguimus ergo humores inter ſe, per qualitates, & operationes. Ex dictis habes doctiſsime Nicolae cauſas manifeſtas omniū acceſsionum in omnibus generibus febrium à nullo antea excogitatas. Quæ etſi duriora (dum eas aliis recenſebis) uidebuntur, præſertim illis qui antiquos lectitarunt, & in uerba magiſtri iurarunt, ſpero tamen plurimum grata illis fore, ſi ea quieto animo penſitauerint. Et ne longa diſcuſsione ſermonis, plurimum in indagandis, & colligendis cauſis febrium acceſsionum labores, ſummā cauſarum acceſſionum ex ordine ſic ſcripſi, uidelicet. Primū humores qui ex ordine temporis generantur, in ea quantitate aggregati, quæ naturā moleſtare, & aggrauare ualeant: deinde quod uitiati ſint aliqua noxia qualitate, putredinali ſcilicet, uel alia. Et hæc prior eſt cauſa motus, cum quantitate materiæ, ad expellendos noxios humores: & in continuis, quoniam materia non poteſt extrapelli, noua illa aggregatio maioris exacerbationis eſt cauſa: & hoc in tribus humoribus, cum ſanguis nō habeat tempus in quo per partem poſt partem nō generetur, & aceruetur, & in uenis conſeruetur, cum natura illum primo intendat, & tanquam dilectum ſeruet. Etenim reliquos humores ſemper natura à ſanguine, ut eum puriorem reddat, ſequeſtrare intendit, ſiue illi naturales, ſiue non naturales fuerint. Naturales ſequeſtrat ad operationes, & cōmodat. Sed non naturales, quoniam moleſti ſunt, ideo magis intēta eſt in eorum ſequeſtratione: quòd ſi putridi fuerint, febres gignunt: & ſi non putrent, & pellantur, diuerſos præter naturam affectus faciunt, ut ſunt dolores, uel abſceſſus, uel papulæ, & alij affectus materiales præter naturam. Nam quamplurimi fiunt tumores ex congeſta aliqua materia ſenſim in membris: quæ materia ſi non arripiatur à calore putredinali, diutius ibi manet, neq; ſtudet primo natura eam aliò pellere, cum iam ſenſim expulſa fuerit ad aliquod ignobile membrum. Quare etiam ſi membrum illud grauet, uel moleſtet, non fit acceſsio aliqua, cum ſit humor, qui ſucceſsiue ex ingeſtis cibis ad nutriendum generetur, & colligatur. Vale mi Nicolae doctiſsime, quòd ſi tibi, ut deſiderabam, ſatisfeci, gratiſsimum mihi quidem erit: ſin minus, res quæ difficilima, & noua eſt, excuſationem habet. Si quis uero in futurū melius rationabiliter imaginetur, iſtis noſtris ſua addat: quoniam & ille de poſteris bene meritus erit, & apud doctiſsimos laudabitur. Te poſtremo rogatum uelim, ut aliquando cogites, in tam difficili materia, & ſiquid boni conceperis, mihi ſignifices: etenim animus eſt de hac re plura ſcribere. Iterum uale. Venetiis, M. D. XXXIX. Die XV. Aprilis.

AD EXCELLENTISSIMVM PHIloſophum, *& medicum*, Dominū Ioannem Baptiſtam Montanum, Patauij publicè ordinariā *practicæ profitentem*, Epiſtola X. Quòd *febris peſtilentialis poßit eſſe citra putredinem humorum.*

NOn poſſum non his literis, uir clariſsime, præſtare quod tibi coram pollicitus ſum, ſcilicet de febris peſtilentialis ſine humorum putredine ueritate, ex Galeni ſententia. Id quod temporis anguſtia ueſpertinis illis horis noſtri tunc colloquij proſequi non licuit. Neque autem te alienum ab hac ueritate iudicauerim, tametſi Galenus in libello de differentiis febrium, & in commentariis librorum de morbis paſſim uagantibus, & in aliis non paucis locis dixerit, in putridis plurimis febribus, peſtilentiale fieri pernicioſum, ubi præter aëris putredinem etiam maxima in humoribus putredo fuerit. Certe ob id non negauit Galenus poſſe aërem peſtilentialem alteratione uenefica etiam cæteras partes corporis animalis alterare, præter putredinalem alterationem, quæ fit in humoribus, & præter manifeſtas qualitates, cum hanc in aëre qualitatem ueneficam cauſam potiſsimam procatarcticam poſuerit. Quæ etſi non ſit ſine ipſarum qualitatum primarum manifeſta alteratione, & ipſius aëris ſubſtantiæ putredine, non tamen ſemper putridam humoribus alterationem ultimam præſtat, quamuis ſæpe, ſed interdū ueneficam tātum qualitatem, & illam quidem ſine putredine humorum: quoniam etſi ſubſtantia aëris in putredinem mutata, ad peſtilentiales ægritudines ſuſcipiendas, cum corporis aptitudine faciat, non eſt tamen perpetuum hoc, ut ea quæ à putrido aliquo alterantur, putrida euadant, ut teſtatus eſt Auicenna de febre ſanguinis. Agens enim etſi ſecundum propriam naturam primo agat, ſæpe tamen ex paſsi reſiſtentia, paſſum ſibi ſimile efficere nō poteſt. Cum uerò præter putredinem ſit etiam qualitas reſolutans ex aëris malitia, quæ eſt uitæ contraria, illa uapores, ſpiritus, & etiam membra ſolida, ſine putredine alterat: quod pulcherrimè ſcripſit Galenus tertio de præſagitione expulſus, ſub tali uerborum ſerie: Etenim ſunt (ut docuimus) peſtilentiales non paucæ ab initio uſque, hecticæ: diſtántque ab omnibus aliis febribus, quæ ex magna putredine oriuntur. Hęc Galenus: qui cum ſciret ſe in libello de differentiis febrium dixiſſe febres peſtilentiales poſſe cauſari etiam in non habentibus ex plenitudine coinquinationem, & aliis etiam cauſis præparantibus ad maximam putredinem, ex aëris ſola mala qualitate hoc fieri non negauit, præſertim ſi una cum aëre cauſa exterior, mœror, aut ira concauſa fuerit. Quę febres non ex putridarum genere erant, ſed ex aliis, ut loco allegato. Nam maiorem rationem harum febriū in ſuſcipientis præparatione credidit, quā in ſuo exemplo ſecundum duas ferè extremas habitudines ponebat. Prior enim erat excrementorum ſecundū omnem modum ad putredinem præparatorum plena. Poſterior econtra, munda, pura, cum optimo regimine, quæ etſi cum maiori difficultate à peſtilenti aëris qualitate capiebatur, non tamen dixit nō poſſe infici, ſed rarius, quod rationi conſonum eſt, cum raro corpora talia munda, & in regimine non errantia inueniantur. Non enim corpora carentia ſuperfluitatibus ad putredinem paratis impaſsibilia ſunt: imprimitur enim aëris malitia, quæ non ſine caliditate eſt (cum ſit putridus) etiam in ſolidis membris, aut in ſpiritibus, & uaporibus. Hæc eſt ſane antiquorum mens uera, quam equidem inſequens ueritatem, in libello quem de febre peſtilentiali ad iuuenum utilitatem ſcripſi, uiſus mihi ſum approbare, ex Galeni autoritate, & rationibus pro illius loci lucida declaratione. Mitto quæſtiones illuſtrium modernorum, cum ex libello de cauſis procatarcticis, cauſæ extrinſecæ (quas primitiuas uocant,) non ſemper eundem in omnibus affectum producant, ut pulcherrimè de putredine agente dixi, à qua actione putridi non perpetuum eſt ut putridum oriatur. His uir undequaque doctiſsime te ſalutare poſt tuum diſceſſum uolui, ac quod pollicitus fueram, præſtare. Sis fœlix ex ſententia: tuæ me excellentiæ plurimum commendo. Vale. Venetis, M. D. XLI. Die X. Iunij.

AD REVERENDVM DOMINVM *Ioannem Canonicum Torcelanum*, Epiſtola XI. *de complicatis febribus, uidelicet de febre putrida, & habitudinali, ac etiam de deſcenſu catarrhi ad pectus, & pulmonis exulceratione.*

ROGAS Reuerende Domine, ut ad te ingenuè tam de eſſentia diuerſarum diſpoſitionum præter naturam quas pateris, quàm etiam de remediis ad illas proficuis ſcribere uelim. Quare ut tuis petitionibus ſatisfaciam, diligentiſsime ac breuibus omnia perſtringā: quoniam ſic noſtra conſuetudo, & lon-

ga beneuolentia poſtulant, præſertim cum ea petis, quæ ex officio (ut aiunt) medici facere tenentur. Igitur per ea quæ mihi ſcripſiſti, te teneri febre manifeſtū eſt. Nam febris calor pręter naturam eſt, qui primū cor occupat, deinde per uenas, & arterias uniuerſum etiã corpus calfacit. Quod cum te ſemper à calore manifeſto non naturali detineri cognoſcis, & ille quidē nō æqualiter, & uno modo, ſed horis ueſpertinis magis te infeſtet, procul omni dubio hæc caliditas à putredine humorum pēdet, qui in uenis putreſcunt: cū neq; rigorē, neq; frigus, aut horrorē aliquē te ſentire dicis. Et quoniam caliditas ſatis acris eſt, dixerim etiam humorem putreſcentem in uenis pro maiori parte bilioſum eſſe, ſicq; primū ſcies te pati febrem cholericam cōtinuam ex putredine cholerę in uenis. Sed præter hanc febrem, eſt & alia febris huic cōiuncta, quæ fixa eſt ita, ut non ſolum humores, ſed ſubſtãtiam membri detineat: hanc medici habitudinalem uocãt, quoniã in habitum iam calor trãſiēs ferè nihil hominem moleſtare uidetur, tametſi plurimum moleſtet: uel quoniã firmum, & fixū habet in membris calorē. Et hoc dico, cum audiam ex illis quæ ſcribis, tam à prandio, quàm à cœna per horam, aut paulo plus, te maiorē caliditatem percipere, quod te iamdiu annotaſſe dicis, & etiã ex conſumptione membrorū omnium, & maciem uniuerſi corporis. Præterea ſcribis te tuſsi continua moleſtari, cū ſputaminibus diuerſis ſubſtantia, & colore, & etiã ſapore: cum dicas ea aliquãdo citrina, aliquando alba, & aliquãdo ſubliuida eſſe, nō priuata aliquo rubore, & diuerſa omnino in eius ſubſtantia eſt, quæ non carent ſalſedine quadam. Et ut unico uerbo tibi ad id quod de cauſis omnium iſtorū affectuum præter naturã reſpondeam, credendum, & ſine hæſitatione tenendum eſt, omnes enumeratos affectus prouenisse ex illa febre duplici tertiana, quam paſſus es: & hoc, quoniam nihil tam in regimine rerū neceſſariarum, quàm medicamentorum permittere uoluiſti. Nam ex priori illa febre, quæ cœpit te moleſtare in fine æſtatis, & proceſsit uſq; ad hyemē, facta eſt omniū membrorum imbecillitas, ita ut dominatio tua quæ erat obnoxia catarrhis, uel diſtillationibus ob capitis repletionem, facilè fuit poſtea, quòd illa materia, quæ ad fauces & pectus deſcendere ſolebat, exuſta à calore febrili, uel permixta cum cholera partes pulmonarias exulcerauerit, ſicq; cauſet perpetuã tuſſim, & ſputum diuerſum, quod oſtēdit ex rubore dictã exulcerationem: & an ſputum ſanioſum ſit cognoſcere licet, quoniã ut audio, in aqua proiectus ad fundum uaſis deſcendit. Et ne te in iſtis morer, cum morbi & cauſæ pateant, ad illa quæ tota mente petebas, orationem cōuertam. Et ſunt, an diſpoſitiones, & morbi ſic complicati ſanari poſsint: deinde quibus auxilijs, ſi ſanari poſſunt, id facere poteris: uel ſi non poſſunt ſanari, quibus remedijs uitam prorogari ualeas. Dico igitur ſi morbi cōplicati (tametſi parui ſint) non ſine maximo labore poſſunt ſanari, etiam in iuuenibus. Quanto magis magni morbi, & in ætate primi ſenij non poterunt ſanari? Verum ne reuerendã tuam dominationem in deſperationē ponam, dicam, ſi uolueris te præſtare obedientem medicis, poſſe uitam prorogare ad multos, & multos annos, ſicq; in manibus tuis hæc erit. Et hoc facies regimine rerum neceſſariarum. Et primo ſit aëris temperies cū aliquali ſiccitate, ratione ulceris pulmonis: quare cum hyems ſit, & pluuiæ, & etiam nebulæ, & uapores ſint aërem humectantes, in thalamo ignis accendatur, & pręſertim nocte, claudénturq; feneſtræ horis ueſpertinis, ne plurimi uapores humidi ingrediantur, & non aperiantur niſi mane, quãdo iam radij ſolares aërem aliquantiſper exiccauerint. Cibi ſint illi qui in minori quantitate plurimum inſtaurent, qui omnino nō careãt refrigeratione, cum leui aliqua exiccatione. Quare in caſu ptiſana hordeacea in iure pulli, uel caponis iuuenis, in quo decoctæ ſint herbæ calorem febrilē extinguentes, qualis borago, bugloſſa, & ſimiles, optimus erit cibus: & oua etiam ſorbilia, uel in prædicto iure conſuſa plurimum nutriunt. Similiter & carnes pullorum, uel caponum iuuenum ſunt optimę, & poſt eas eſt caro uituli, quoniam optime nutrit. Similiter & hepata gallinarum, & teſticuli gallorum nutriunt. Potus uero ſit uinū album pauciferum, & dilutum aqua, in qua ſuccharum decoquatur, neq; poſt cibum bibendum erit, cū repleat caput, & faciat ad deſcenſum catarrhi. Poſt cibum comedat grana penei lota ſeu infuſa in aquis uiolarum, & farfare, uel condita cum ſaccharo. Piſces præterea aliqui poſſunt comedi, ut ſunt ſcorpiones (ſcapenas uulgares uocant) & auratæ, & barbi, aut triglæ, & ſimiles: & fluuiales ſint, qualis eſt trota, & lucius, qui comedantur aſsi, uel elixati ſine ſale, & ſine aromatibus. Eligantur horæ ad comedendū illæ, in quibus minus calores febriles te moleſtare cognoſces: & hoc tam mane, quàm ueſperi: & mane ante cibum procurandum erit, ut uentris inferioris ſuperfluitates expurgentur. Quare ſi non ſponte fuerit ſeceſſus, procuretur clyſtere communi, uel ſuppoſitorio. Et tametſi exercitium plurimum in regimine ſanitatis cōferat, nocet nihilominus febrientibus, & debilibus: quare dimittendus erit, & loco ipſius aliquando, & raro leuiſsimæ frixiones ſint. Somnus cum omnes uirtutes roboret, plurimum conuenit, & ea ratione dormire potes horis nocturnis; diurnis minime: cum ſomnus diurnus præparet ad catarrhales morbos. Et ſitus corporis ſit ſupinus, ne materiæ ad pectus deſcendant. Vltimum quod plurimum proderit eſt, ut ſis bono animo, & gaudeas cum amicis, habeáſq; omnia quæ animum hilarem reddere poſſunt, ut ſunt inſtrumenta muſicæ, & cantus, & cōfabulationes iucundæ, & inſpicere & audire res quæ poſſunt lætitiam generare. His itaq; ſic regulatis cura per medicinalia ſe offert, quæ ſit, ut dicebat Galenus, per remotionem cauſæ. At quoniam ex complicatione tam febrium, quàm materię catarrhalis deſcendētis ad pulmones, & ex ulcere difficilimum eſt inuenire medicinas, quæ poſsint uni prodeſſe, & alteri non nocere: ideo ad eam quæ magis urget intentio prima eſſe debet. Quare primum ad extinctionem caloris febrilis intentio eſſe debet cū illis quæ modeſtè obſtructiones aperiunt, & ſputum cum aliqua leui exiccatione facilitant. Quare in caſu detur ſyrupus mane hoc modo. ℞. ſyrupi uiolati, de capillis ueneris, de endiuia ana ℥.s. aquarum boraginis ℥.ij. ſcabioſæ ℥.j. miſce, & detur quatuor aut quinq; horis ante prandiū, & hoc per plures dies: & abſtinere oportet à medicinis ſoluentibus uentrem. Quod ſi opus fuerit eas accipere, non aſcendas ad maiorem, uel fortiorem, ſed accipias ex leuioribus, qualis eſt caſsia fiſtularis, uel manna, diſſolutis in decoctione pectorali communi. Deinde quoniam uentriculus iam imbecillis eſt, eum roborare oportet fomētis, & linimentis, hoc modo. ℞. roſarum, mēthæ, abſinthij añ. m. j. ſandalorum alborum ʒ. iij. bulliant in partibus tribus aquæ, & una uini albi, & fiat fomentum ſuper regionem uentriculi cum ſpongia in tali decocto infuſa: deinde inunge partem ſtomachalem iſto linimento. ℞. olei roſati de abſinthio, de mentha añ ℥.s. ſpecierum diarhodonis abatis ʒ.j.s. corallorum rubeorum ʒ.j. ceræ parum miſce, & fiat linimentum, & utere eo poſt fomentationem ante prandium, & cœnam. Similiter inungatur dorſum cum oleo uiolaceo, uel cum unguento roſato Meſue: ſimiliter & partes pectoris inunguantur oleo uiolaceo, & amygdalorum dulcium ſimul. Præterea optimum erit accipere per os lambendo ea quæ ſputum facilitãt, & aliquo modo ſiſtunt deſcēſum materiæ à capite deſcendentis: & in hoc caſu conducunt mixturæ ſeu eclegmata ſic pręparata. ℞. zucchari roſati, uiolati, bugloſſati, boraginati, ana ℥.s. penidiarum diadraganti, zucchari candi añ. ʒ. iij. miſce, & cum ſyrupo de glycyrrhiza, & uiolaceo compoſito fiat mixtura, de qua ſumatur ſæpe quacunque hora. Ad hoc etiam conducit, ſi lambendo ſumatur ſyrupus uiolaceus compoſitus, & ſaponea ex ſaccharo, & aqua ſcabioſæ facta. Poſtremo cum materiæ à capite plurimæ deſcendant, capiti ſuccurrendum eſt, ut eius uirtus roboretur, & deſcenſus illarum (ſi fieri poteſt) prohibeatur, quod difficilimum erit. Sed quicquid ſit, tentetur illud primum cum puluere poſito bis in die ſuper ſuturam capitis coronalem, quæ eſt in parte anteriori capitis, ponendo extremam partem uolæ manus ad radicem naris inter ſupercilia, & ubi in parte ſuperiori digitus medius terminauerit, ibi commiſſura oſsis capitis coronalis eſt. Igitur in loco illo primo tonſis capillis ponatur puluis qui talis eſt. ℞. ſandaracę, maſticis, myrtilorum, roſarum, gallarum, ana ʒ.j. miſce, & in puluerem redactis loco imponatur mane, & ueſperi. Quod ſi non contulerit, equidem uellem ad ultimum auxilium recurrere. Quare ſuper eandem commiſſuram, ſeu ſuturam, duo aut tria cauteria cum ferreo inſtrumento ignito facerem,

ſcili

ſcilicet ſecundum longitudinem commiſſuræ, & ea adaperta tenerem quantum poſſem temporis, ut ex ignis caliditate, & ſiccitate membrum exiccaretur, & materia diuerteretur. Iſto regimine poterit Reuerenda dominatio tua hyemem hanc tranſire. Sed in uere conſilium meum eſt, ut ad aliquem locum continentis te conferas, in quo aër non ſit paludoſus, ſed habeat aliquid ſiccitatis, ut ſunt loca montana uicina. Hæc ſunt mi domine quæ mihi uiſa ſunt pro tuarum diſpoſitionum cura tibi ſcribere. Vale. Venetiis, M. D. XVIII. Die XX. Nouembris.

## AD EXCELLENTISSIMVM DOMINUM Blaſium medicum, Epiſtola XII. *De morbo comitiali, & colli conuulſione, atque tumore in fronte poſt morbum Gallicum.*

NOn poſſum non obtemperare tibi excellentiſsime, ac doctiſsime Blaſi: Petis enim per literas, ut tibi ſignificare uelim, quo pacto procedere poſsis in expoſita ægritudine nobiliſsimi, & tui amiciſsimi Germani, ætate annorum trigintaquatuor, complexionis cholericæ, in Germania etiam degentis, qui iam multis annis paſſus eſt morbum Gallicum. Et cum pluries decoctum ligni Indici, ſiue Guaiaci ſumpſiſſet, morbi alleuiatus accidentibus eſt, uidelicet doloribus, & aliis: ſed morbo minime liberatus, imo à quibuſdam menſibus uiſus eſt incidiſſe in accidentia quædam ſæua, minantia malum ferè irreparabile, & fuit Epilepſia, ſiue ut Latini dicunt comitialis morbus. Quem affectum ſuprà accidens uocaui, quoniam ab ipſa prima morbi Gallici minera pendêre ex relatis iudicaui. Sed quia ſunt etiam quidam menſes, quòd huiuſcemodi accidens non apparuit, ſed ſubſequuta ſunt alia accidentia, uidelicet colli contractio, ſiue tetanus, ex materia tranſmiſſa ad neruos, & muſculos colli, & etiam apparuit tumor durus in fronte. Cúmque eius dominatio ex iam factis remediis, & non recepta ſanitate, ſit ferè ſine ſpe ſalutis, neque uelit amplius redire ad potum decoctionis ipſius iam dicti ligni, ſine quo non ita ſecurè profuere ei reliqua remedia, cum uera cura iſtius morbi ſit hepatis, & totius maſſæ humoralis rectificatio, quæ eleganter per ligni Indici, ſiue guaici medicinam fit. Quapropter cum id mihi tumultuario ſtylo multis negotiis detento faciendum ſit, dabis ueniam excellentiſsime Blaſi. Nec ob hoc quæ omnino neceſſaria ſunt dimittam. Rem igitur aggrediar. Et primum præmiſſo regimine ſex rerum neceſſariarum, quas medici non naturales uocant, neceſſarium eſt corpus (cum ut audio, ſit cacochymum) à ſuperfluitatibus malis mundare, quibuſdam tamen leuibus pharmacis digerentibus, & euacuantibus materias diuerſæ admiſtionis, ſed pituitoſas à prædominio. Et hoc exempli gratia fieri poterit cũ ſyrupo de fumo terræ, de ſtœchados, & melle roſaceo, lymphatis cũ aquis, puta, lupulorum, ſaluiæ, betonicæ, uel cum decoctione epithymi Meſuæ, de qua plurimum confidendum eſt. Et cum apparuerit digeſtio in urinis, & natura non mouerit per ſeceſſum, aut per aliam uiam, optimum erit in eadem decoctione epithymi Meſuæ addere agaricũ trochiſcatum ad quantitatem duarum dragmarum, & minus, & plus, ſecundum indigentiam, & tolerantiam patientis. Et poſt iſtam euacuationem iterum danda ſunt digeſtiua, cum ipſa decoctione epithymi, & iterum euacuandum agarico, uel alio pharmaco benedicto euacuante materiam diuerſam, & craſſam, & ſic procedere uſque quò iudicio quodã exiſtimatiuo poſſet quis iudicare corpus eſſe mundum à malis ſuperfluitatibus. Quod ſi aliquod iudicium etiã eſſet de aliqua miſsione ſanguinis, aut per uenã brachij, ſiue per uenas hæmorrhoidales, hoc faciẽdum eſſe non credas, niſi in principio ueris, cum conditionibus requiſitis, uidelicet de uirtutis fortitudine, & de admiſtione ſanguinis, in materia peccante, aut de eius exuberantia. Quòd ſi iſta adeſſent, optimum auxilium eſſet phlebotomia ex uena, uel hęmorrhoidas aperire, antequam ad ligni medicamen, uel inunctionem ueniendũ ſit. Et quoniam ſi fieri poſſet ſua dominatio nollet amplius bibere decoctionem iam dicti ligni Indici, ſed aliis remediis liberari deſiderat: dico quòd mea quidem ſententia magis rationi conſentaneum eſſet bibere decoctionem ipſam, & in quantitate notabili, ita ut fieret nutrimentum medicinale tranſiens per omnes uenas, & partes corporis ad dirigendum, & etiam ſua qualitate contraria qualitati materiæ morbi Gallici ad remittendam & expellendam qualitatem occultam, ita ut materia expoliata ab illa qualitate, & facta benigna poſsit melius educi à uirtute adiuta ab aliis medicaminibus per ſenſibilẽ uel inſenſibilẽ euacuationẽ, quàm per alia auxilia. Et ideo uellem quod omnino biberet, & (ut dixi) in notabili quãtitate. Et trãſactis uiginti diebus, uel uigintiquinq;, ſi remanerẽt adhuc accidentia, uidelicet tumor, & tenſio illa muſculorum colli, uel aliorum locorum, uellem ad localia membrorum aſcendere, ſcilicet ad inunctionem iuncturarum cum unguento leui, in quo eſſet uirtus Mercurij: quæ quãtum ualeat in præparando iſtam materiam inobedientem in exterioribus membris, nemo profecto expertus medicus ignorat. Vnguentum, quo ego uterer, uellem quòd eſſet tale. ℞. axungiæ porcinæ, gallinę, anſeris, mercurij añ. ℥. ij. olei liliorum alborum ℥. I. ſtœcados, ſaluiæ, olibani añ. ℥. s. aquæ ardentis parum: miſce & fiat unguentum in mortario, cum quo inungantur iuncturæ alternis diebus ueſperi per duas aut tres horas poſt cœnam. Attamen dum iſtę inunctiones adminiſtrantur, non oportet dimittere potionem dictam, imo ſequi neceſſarium eſt, ut id quod uno medicamine adiuta natura perficere non poſſet, duobus iſtis perficiat. Sed quoniam dubitat tua Excellentia, quòd ſua Dominatio nollet: ideo petebat alia remedia ex ipſo ligno Indico ſi fieri poterat. Ego uero ut tecum loquens dixi, ſæpe utor electuariis, & aliis ex dicto ligno confectis. Quare ut nihil tibi deſit, ſcribam quædam à me uſitata, & primo electuarium de paſſulis, quod fit ſic. ℞. pulpæ paſſularum per ſetonem præparatarum ℥. vj. ligni Indici, ſiue Guaiaci ſubtiliſsime pulu erizati, & per cribrum purgati, ℥. iij. infundatur puluis ligni in decoctione ligni, & ſyrupi de fumo terræ per diem: deinde incorporẽtur in mortario, & adde polypodij, & radicis peoniæ ana ℥. I. & iterum ducantur in mortario piſtello, ita ut formam electuarij recipiat: de quo ſumat ℥. I. mane, & ſero per quatuor horas ante cibum, & etiam inter prandium & cœnam, & in nocte per quinque horas poſt cœnam. Vel fiat ex ligno Indico, & radice, ſeminibus peoniæ ana partes æquales, & ſyrupo de fumoterræ, de ſtœchados, & melle roſaceo, electuariũ in mortario, de quo ſumatur ut ſuprà. Quod ſi uenter fuerit ſtipticus, & eum ſoluere uolueris, ſoluatur iſto electuario. ℞. ligni Indici, ſeu Guaiaci pulu erizati, & per ſetonem purgati, ℥. I. zucchari roſati recentis ℥. I. s. ſyrupi roſati ſolutiui, ſiue ſucci roſarum puri ℥. ij. paſſularum ℥. iij. pilularum cochiarum Indarum ana ʒ. I. s. miſce & fiat electuarium in bona forma in mortario cum melle roſaceo, & bis, aut ter in hebdomada ℥. s. ſumatur, uel plus ſecundum ægri indigẽtiam, aut obedientiam uentris. Et quoniam audio ipſum facilè incurrere leuitatem inteſtinorum, ideo ſi hoc ſtomachi relaxati cauſa fuerit, optimum erit ante cibum oblinire regionem ſtomachi, ſiue uentriculi cum unguento ſtomachali, facto ex oleo maſticino, de citoniis, & de abſinthio, additis corallis, cinnamomo, roſis, & aliis, ut uidebitur tuæ excellentiæ, & ſic procedere, & ſumendo talia electuaria, & iuncturas interpolatis diebus inungendo. Cauerem tamen ego ab illa ulceratione oris, & gingiuarum omnino, & hoc interponendo tempus inter unctionem & unctionem duorum & trium dierũ, & plus, ita ut ex huiuſmodi inunctione præparentur materiæ, quæ ſunt in membris exterioribus: nõ tamen membra intrinſeca inflãmarentur, quę poſtea cõmunicando ſuã inflãmationem capiti per uapores exulcerãt os, & gingiuas. Sed cũ etiã inter nos ſermo fuerit de ligni decoctione facta cũ uino: ideo ſi tua Dominatio libentius uellet ſumere decoctionẽ ligni factã cum uino, (hoc etiam auxilio multos ſanatos uidi) quare poterit tua Excellentia ipſam dare, dũmodo non timeas nimis exiccare. Nã cũ uinũ (mea quidẽ ſentẽtia) ſit potius temperatum mediocriter ſumptũ, quàm in ſiccitate, uel humiditate multũ eleuatũ, attamen recepit augmentũ ſacrum qualitatũ per admixtionẽ aliarũ rerũ: & cũ lignũ ſit ſiccũ, auget uini ſiccitatem, & aliquãdo nocet huiuſmodi decoctio nimis exiccando, & maximè in corporibus macilentis. Quare cautè agere oportet, & omnia præcognoſcere. Quòd ſi nulla eſſet ſuſpicio, & ipſe uellet aſſumere, optimũ erit medicamẽ. Sed quoniã diuerſi ſunt modi decoctionis ligni cũ uino, ego eligerẽ ex fa-

cilioribus unum,uidelicet.℞.ligni Indici puluerizati.ʒ.v.corticis ipſius ligni Indici puluerizati.ʒ.ij.polypodij,ſenæ,añ.ʒ.j.s.uini montani albi,aquæ fontis ana libras ij.infundantur per diem & noctem,deinde bulliant in cacabo lapideo ad cōſumptionem tertiæ partis,& coletur,de qua colatura ſumantur bis in die ʒ.v.uel ſex,per quinq; horas ante cibum,uidelicet mane,& ſero per ſpatium quadraginta dierum,& plus,& minus ſecundum iudicium accidentiū & eorum mutationem. Et quod dixi de potione ligni decocti in aqua,hoc idē dico de decocto in uino,ſcilicet ſi uſq; ad xx.dies non remittentur accidentia:optimum erit procedere etiam ungendo iuncturas ſuprà ſcripto unguento,uel alio æquiualente.Et ſuper omnia cum tempora ſint frigida,habenda eſt ratio aëris,uidelicet quòd ſit calidus,neq; exeat domum.Quòd ſi ipſe ſit uir qui inediam non tolerat,diæta ſit mediocris cum carnibus,ſcilicet uitulinis,pullorum,& auium nemoralium,ut ſunt perdices,& turdi:& etiā ſi opus fuerit,bibat uinum pauciferū,lymphatum tamē ſecunda decoctione ligni,uel aliqua alia aqua alterata,& decocta,utputa cum acore,& maſtice,aut ſimilibus.Et quoniam ad doctiſsimum Medicum ſcribo,hæc uolui ſatis eſſe,tametſi plura eſſent dicenda,tuæ tamen Excellentię notiſsima,cui me ſemper ad maiora offero.Vale,Venetijs, M. D. XXXVIII. Die XXIII.Februarij.

AD EXCELLENTISSIMVM DOMInum *Paulum Magnolum è Burno Brixienſem,Epiſtola* XIII. *De paralyſi,ſeu reſolutione.*

Pergratæ fuerunt mihi literæ tuæ,etenim putabā iacturam grauiſsimam feciſſe,ſi tam cordatū in literis,& mei amantiſsimum uirum amiſiſſem.Nā audiui,& non ſine maxima moleſtia,Paulum Magnolum diem obijſſe ſuū,quod non me tantum,ſed & plurimos uiros doctos excruciabat. Gaudeo igitur,gaudent & amici tui omnes,te effugiſſe diſcrimen mortis. Fuerunt ergo literæ tuæ opportunè mihi redditæ,quibus non ſolum deſideras,ſed etiam poſtulas,& flagitas,ut ad te quid agendū ſit,ſcribere uelim in quodam mouendi brachij impedimento,ita ut & auferri moleſtia in mouēdo poſsit,ac etiam figuræ,ſeu compoſitionis dedecus.Quod malū(ut ſcribis)uidetur habere in cauſa,quoniam lacerti,& tendones,qui ad os ſcapulæ motum faciunt,relaxati ſint,non ſine totius brachij ac reliquorum articulorū corporis nocumento,uidelicet iſchiæ,genu,pedis,digitorúmq;,& eius generis.Ego uero cum nullā à te cauſam euidentem,& extrinſecam in tuis legerim literis,operępretiū mihi uiſum eſt interiorum aliquam excogitare.Quæ cū plurimas eſſe,tū ratio,tum etiā experientia ſæpe doceat,eius inquiſitioni primū ſtudebo.Neq; ambigere aliquis de locis ſiue partibus patientibus poteſt,cum id operationes læſæ,figura,& dolor in mouendo declarent.Sed an in ipſis mēbris patientibus extrinſecis primum id ſit,uel per conſenſum aliorum membrorum,uel ab aliqua alia cauſa proueniat,ſcire conducit.Nempe hoc malū quod ſcribis,non raro alios affectus præter naturā conſequi cōſueuit,utputa apoplexiam,aut morbum aliquem diuturnum,ſiue febris fuerit ille,ſiue alius quiuis particularis morbus:ita ut tractu temporis & calor naturalis imbecillis redactus ſit,& plurimæ humiditates præter naturam ſint auctæ.Qui calor cum non poſsit ad mēbri functiones,quoniam nerui,& lacerti minime à calore ipſo,uel ſpiritu actuari poſſunt,& hoc quia plurimæ iam dictæ humiditates neruis imbibitę eos madefaciunt,atq; obſtructis meatibus tranſitus ſpirituum ad illos uenientium prohibeāt:dixerim ego,ut ex tuis literis elicere poſſum,effectus præter naturā ab utraq; cauſa prouenire,cū audiueram te iam ægrotaſſe morbo diuturno,& lethali.Aiebat nanq; te deploratū medicos dei auxilio reliquiſſe,cū & ſenſus,& motus nullus eſſet.Hoc in primis accidens non poſſum cum Galeno de locis affectis,& principe Auicenna tertio canonis,niſi apoplexiam fuiſſe credere:quæ paſsio cerebri prima eſt,cū in ipſa omnes animales operationes,tam interiores quàm exteriores tollātur.Quod ſane fit,ſi frigidus,aut craſſus,lentus,uel uiſcidus,& nō ſincerus humor cerebri uentriculos impleuerit,atq; eos obſtruxerit.Hæ ſuperfluæ humiditates,& obſtructiones,ſi non tollantur arte,uel natura,quæ ſemper morbo,& cauſæ cōtraria eſt,mortem proculdubio tandē ex reſpirationis impotentia inferunt. Sanatur uero natura,uel per ſe,uel arte adiuta,apertis obſtructionibus & materia extrà pulſa,uel ad neruos permutata. Quòd ſi ad ſpinæ neruos omnes deducta fuerit,uniuerſalis reſolutio ſeu paralyſis fit.At ſi ad alteram tantum partem,unius lateris partialis paralyſis erit.Scis etenim ex inciſionis ſcientia nucam,ſeu,ut aiunt,medullam tranſientem per ſpinam,bipartitam eſſe,quemadmodum & cerebrum in duas partes diuiſum uidiſti.Ac etiam ſcis eam medullam tectam uelamine tenui à cerebro ipſo procedente,quod piam matrem uocant.Hoc uero fuit,ut ſi uni parti nocumentum aliquod acciderit,altera illæſa remaneret.Porrò ſic uideor uidere in te factum fuiſſe,ut ſcilicet expulſa materia ad alteram partem originis neruorum ſpinæ,obſtructiſq; meatibus,ac facta in eis etiam mollitie minime ſpiritus uis ad eos prouenire ualet:quòd ſi aliquis procedit,non tamen poteſt ad membrorum operationes perficiendas,cum partes illæ iam madidæ à præſentia humoris & humidi & frigidi factæ ſint. Et inde eſt,quòd ſcapula relaxata,ſeu reſoluta,quod caput brachij eſt,imo uniuerſum brachium,& manus,iſchia,genu,pes,& digiti omnes,inualidi ad motum ſunt.At cum nec collum,nec lingua,aut aliqua alia capitis pars in motu,uel ſenſu impedita eſt,iam cerebrum incolume eſſe cognoſcimus. Sed quoniam (ut ſcripſit Galenus tertio de morbis) quæ præter naturam affectus in corporibus annotamus,morbi uel cauſæ,uel accidentia morbi ſunt.Ideo ut facilius quæ hoc in caſu ſalutifera auxilia inuenire poſsimus,ad hanc diſtinctionem,& enumerationē deſcendere mihi uiſum eſt,atq; ex ſuperius dictis colligere,morbum primū eſſe originis ſpinalis medullæ neruorum obſtructionē,& eorū quādam refrigerationē,& humectationē,à cauſa materiali,ſcilicet ab humore iā à cerebro tranſmiſſo:unde ſequitur operationum in motu uoluntario imbecillitas,quæ eſt accidens.Nam cum obſtructi ſint nerui in altera parte ſpinalis medullæ orti,& ad lacertos illius partis corporis procedentes,motus uoluntarius,qui mediantibus ſpiritibus ad eos uenientibus fit,impeditur.Quod ſi etiam mala aliqua figuratio in membris ſit,illa quidem relaxatis tum muſculis,tum etiam ligamentis fit:neq; luxationem aliquam eſſe puto.Quod ſi ſenſus triſtis aliquis eſt,quem dolorem uocamus,illum ab eodem præter naturam temperamento prouenire credere oportet.His itaque prælibatis,regimen ſex rerum neceſſariarum pro rectæ ratione curæ ſic ordinetur.Primum igitur cum methodus curandi per contrarium ſit,& tempus hyemale non parum curæ obſtet,cauēdum eſt quantum fieri poteſt à frigore,ac etiam à locis humidis nimis.Quapropter locus habitationis ſit calidus:quod facilè fiet,ſi continuò in cubili ignis accenſus fuerit:qui magis conducet ſi ex iunipero,lauro uel ex conſimilibus lignis fuerit.Cibi quoq; ſint qui neq; corpus humectatione extranea humectare,neque refrigerare poſsint. Quamobrem panis ſit ex optimo tritico non ex toto ab omni furfure depuratus,ſalitus,& optime fermentatus.Carnes etiam non ſint humidę nimis,ut ſunt porcinæ & ſimiles,ſed ſint ſiccæ,ut ſunt aues nemorales,& montium,ſicuti coturnices,perdices,phaſiani,turdi,merulæ,& ſimiles. Capones quoque optimi ſunt:& inter quadrupedia hœdinæ,& leporinæ carnes iuuenes non ex omni parte diſplicent.Oua etiā ſorbilia(ut aiunt)& confuſa in iure dictarum carniū commodè poſſunt comedi:ſimiliter & fercula ex farre,uel ex iure ciceris:cappares quoq; optimi ſunt,cū & calfaciant,& exiccent.Vinum uero ſuſpectum eſt,quoniam ſæpe in uentriculo in acetū cōuertitur,& ubi plurimæ materiæ crudę ſunt,eas ad neruos deducit:quapropter etiam ſi nō eſſet timor de eius cōuerſione in acetū,illud te minime bibere uelim,niſi plurima aqua mellita cōmixtum,& quātitate modica,neq; potēs,ſed ut aiunt pauciferum.Ego tamen ſi me in omnibus audire uelis,uinum dimitterem. Atq; hydromel,ſiue aquam cum melle unà cum folijs ſaluiæ decoctam biberem.Cætera uero cibaria,qualia ſunt piſces,& fructus frigidi,& acida omnia proculdubio interdicenda ſunt:attamen fructus quidam ut pineæ,fiſtici,ſeu piſtachia,aniſum laudātur,atq; cinnamomum ante,& poſt cibum:zinziber quoq; conditus,quem uiridem uocant,optime

condu

conducit,præſertim mane ante cibum, ſimiliter cætera aromata, & præcipue piper. Repletio omnis fugienda eſt atq; ſtudendũ lenitioni uentris,ſi nõ ſponte fluxerit, fiet hoc cõmodè clyſtere ex decocto betonicæ,& conſimilium cũ hiera logodion,uel hiera pachi:deſcriptionem cuius à Scribonio Largo habebis.Hoc idẽ aliquando ſuppoſitorio,ſiue balano ex melle,& ſpeciebus iam dictæ hieræ efficere poteris:neque leue aliquod exercitium ante prandium omittendum eſt. Somnus humectat,& uirtutes omnes inſtaurat,uigiliȩ uero exiccant, & inflammant. Quare ſomnus breuis ſit, nõ tamen ita breuis,quin poſsit ad coctionem in uentriculo primo, deinde ad reliquas,ut tandem ſpiritus inſtaurentur,qui ſunt naturæ inſtrumẽta,quibus aduerſus morbum, & cauſas morbi pugnat. Præterea animi accidentia mala, & uenereorũ uſus, quoniam uirtutes omnes infirmas reddunt,fugienda ſunt.Ira tamen, & clamor, riſúſque cum nõ ſine cordis & corporis inflammatione aliqua ſit,poſſunt hoc in caſu aliquando prodeſſe. Sed in omnibus comicam ſententiam utiliter ſequimur, ſcilicet, Ne quid nimis. Poſtremo lætari, & gaudere optimum ſemper eſt. Et hæc tibi medico de regimine dicta ſatis ſint.At quoniam quæ dicta ſunt minime omne malum tollere poſſunt:ponã ea etiã auxilia,& medicinas,quæ cauſam,& morbũ auferre ualeãt.Accidẽs uero cũ morbum ſequatur ſicut umbra corpus,illud (remoto morbo)per ſe recedet. Verũ quoniã materialis morbus eſt, ideo ex Hippocratis ſentẽtia euacuatione ſanari debet. Non tamen per ſanguinis miſsionem, cũ minime repletio ſanguinis ſola ſit, aut cum aliis humoribus ſanguis abundare uidetur. Eges igitur humoris frigidi pituitoſi non ſine aliqua natiuæ bilis permixtione, eductione: quod quidem primo commodè uomitu fieri poteſt, & erit antecedentis cauſȩ remotio. At ſi ad uomendum non ſine diſcrimine te excitare potes, uel præter eam materiam,quæ in uentriculo eſt, etiam eam quæ in uenis, & membris reſidet, medicinis euacuare deſideras, præparetur primum ea ſyrupis, uel decoctis idoneis, quales ſunt ſyrupi de betonica,de ſtœchados, mel roſatum & ſimiles.Et decoctum ſit ex betonica,iua,ſtœchados,acoro,polypodio & ſimilibus:cum ſint ſuis qualitatibus ex illis, quæ materiam pituitoſam permixtam ad euacuationem præparare poſſunt, & etiam obſtructionibus ac reliquis nocumentis neruorũ ſuccurrant. Vbi uero materia præparata fuerit, quam præparationem ex lotio facilè cognoſces,eam pharmacis benedictis (qualia ſunt agaricus) euacuare conducit, quem agaricum nunquam in expurgãtibus medicinis dimitterem.Valent etiam hieræ,& præſertim compoſitæ, uidelicet hiera hermetis, hiera logodion, & (ut ſuperius dixi)hiera pachi ſummopere mihi arridet. Sunt & alia electuaria quæ ſtudens breuitati omitto. Sunt etiam pro materiæ euacuatione optimæ pilulæ cochiæ,de ſerapino,de opoponacho.Ego tamẽ ſæpiſsime uſus ſum pilulis de euphorbio, quæ in ſimilibus ſemper ſalutiferæ fuerunt:eas uero laudat Auicenna tertio canonis de cura apoplexiȩ, & etiam de cura paralyſis.Dixit nanq;, tam in uno, quàm in altero capite, pilulas de euphorbio in iſtis cæteris aliis meliores eſſe. Porrò educũt materiam pituitoſam à neruis,& aliis lõginquis partibus, quæ tanto ſecurius exhiberi poſſunt,quanto iam inueteratus morbus eſt. Neq; in principio eas tuto accepiſſes,neq; nunc ſemel exhibitæ omnem materiam ſecurè euacuare poſſunt:ſed operæpretiũ erit ſæpe,& in minori quãtitate eas accipere. Dum tamen iſtæ adminiſtrantur euacuationes,utile eſt uti etiã confortantibus intus & extrà,utputa accipiendo mithrydaticam cõpoſitionem,uel theriacã, aut cõfectionem diatrion pipereon, uel diamuſcũ,& ſimiles.Exterius uero conducunt inunctiones ſpinæ,à collo uſq; ad caudam,cũ oleo liliorum, coſtino,de iunipero, de piperibus, quibuscũ etiã conuenit membra reſoluta, & loca affecta inungere. Prodeſt quoq; lauare ſpinam,& membra reſoluta ex decocto betonicȩ,ſtœchados,iuæ, coſti,ſaluiæ,roriſmarini, lauendulæ,& ſimiliũ,nõ ſemel,ſed bis in die,ac per ſpatium tẽporis proſequi. Etenim in diuturnis morbis nõ niſi cõtinuata remedia proſunt.Hæc uolui(tibi morem gerens)dixiſſe:non quòd te ea ignorare credam,ſed potius ut mihi ipſi ſatisfacerem : tanta eſt enim tuarũ uirtutum magnitudo, & mea in te beneuolentia, ut nunquam tibi ſatisfeciſſe uidear, ſed in omnibus te boni conſulere uelim.Nam quæ hactenus ſcripſi,mihi neceſſaria uiſa ſunt, ut ad plenum tuis literis reſponderem, quibus poſtulas,an etiam præter iam dicta, uſus decocti ligni Indici,quod ſanctum uocant, huic morbo conduceret:quòd ſi proficere aliqua ex parte credam,quomodo uel quare illud melius,& utilius decoquendum ſit.Ad hoc uero reſpondeo : Lignum Indicũ medicinam idoneam ex qualitatibus manifeſtis eſſe, cum ſit calidum, & ſiccum, uel cum poſsit corpus noſtrum & calefacere, & exiccare. Adde quoq; quòd præter primas dictas qualitates, habet & ſecundas huic malo proficuas,cum & ſudorem,& urinam aperiat. Quapropter decoctum ligni Indici exhiberi poteſt ſine aliqua hæſitatione. Neq; illud cum aqua fontana, aut cum aliquo quouis uino,ſiue uernaco, ſiue maluatico, ſiue alio decoquerem, ſed cum aquis ſtillatitiis, puta betonicæ,& iuæ,& ſaluiæ,uel in ſimilibus : cum quo mel etiam decoquerem in ea quantitate,quam ponunt cúm aquam mellis facere uolunt,ſícq; unà cum ligno Indico in puluerem conuerſo in dictis aquis ad cõſumptionem tertiȩ bullirem.Et ne aliqua in parte ſermo deficiat,ſic eam componerem. Recipe ligni Indici in puluerem conuerſi,mellis optimi ana libram unam, aquarum betonicȩ, iuæ, ſaluiæ ana libras quatuor, infundantur per diem, & noctem, deinde bulliant in cacabo lapideo ad conſumptionem tertiæ partis, coletur, & exhibeatur calida ad minus bis in die,uidelicet mane in aurora,& ueſperi ante cœnam quatuor horis, ad quantitatem ſex, uel octo unciarum, plus minúſue ſecundum uirtutis tolerantiam. Neq; dum iſtam bibere ſtudes decoctionem, poſt corporis à communibus ſuperfluitatibus mundificationem,inunctiones ſpinæ in membris reſolutis prætermittendæ ſunt. Hæc ſunt doctiſsime Paule, quæ pro temporis anguſtia,ut tibi ſatisfacerem,in præſentia ſcribere potui.Deus qui pater omnium optimus eſt,manus omnipotentiȩ ſuæ huic noſtro conſilio porrigere in tui ſalutem dignetur. Vale. Venetiis, M. D. XLV. Die XV. Decembris.

## AD EVNDEM EXCELLENTISSImum *Paulum Magnolum, Epiſtola* XIIII. *De medicamentis in reſolutione, ſeu paralyſi quorundam membrorum.*

DIe xvj.Martij reſpondi tuis quas ad me ſcripſiſti die quinta Martij : ſed an mentem meam clarè tibi expoſuerim,non mihi ex omni parte perſpicuum eſt: cum iterum te per literas quas die viij. Aprilis ſcripſiſti,quæ heri ueſperi mihi redditæ fuerunt: idem ferè quod in illis petebas petere ( ni fallor)uidere uideor.Igitur ſub tali uerborum ſententia, quæ proximis ad te ſcripſi literis, felix & ſalutaris curatio illa eſt, quam regimine ſex rerum neceſſariarum medicus nauare poteſt. Quòd ſi præter regimen etiam ſecundum medicinæ inſtrumentum neceſſarium fuerit, quod eſt medicaminum adminiſtratio, in hoc tuo præter naturam affectu,illa conducere iudicaui, quæ leuia, & facilia ſint. Quare ſi etiam carnes aliquas (ut ſcribis) unà cum iam in alia epiſtola dictis rebus coqueres,& cum decocto membra lauares, nihil uideo quod aut plurimum obeſſe, aut prodeſſe poſsit : quoniam ſi carnium in uniuerſum qualitates pondero, nihil habes quod plurimum corpus alterare poſsit. Et id illud idem de oleo amygdalarum dulcium eſſe dixerim. At ſi fortè proprietatem aliquam ( ut aiunt ) præter manifeſtas qualitates quæritas,oleum de lumbricis, cum plurimo oleo amygdalarum amararum compoſitum ſummopere placeret, neque oleum in decocto cum herbis, & reliquis ſimplicibus bullire uelim,ſed poſt lauationem uniuerſum corpus dicto oleo inungerem, & præſertim membra reſoluta, & partes reliquas imbecilliores.Decoctum uerò cum quo lauare membra oportet, ſit ex betonica,ſaluia,ſtœchados, agarico, & portionȩ roſarum,ad temperandum, ſi qua eis eſt immoderata caliditas. Et ut etiam uirtus decocti melius deferatur, & partes intimas membrorum penetret, uini quoque aromatici albi portionem aliquam ponerẽ,puta uigeſimam partem, lauarémq; affecta mẽbra dicto decocto moderatè calido. Quod uerò petis de ſeri lactis uiribus in hac tua præter naturã diſpoſitione, an ſcilicet aliquo modo tibi prodeſſe poſsit,nihil certi habeo. Scio equidem ſerũ tẽperaturã ſatis moderatã, tam in caliditate,

quàm in ſiccitate habere,ita ut poſsit modeſtè calfacere,diſcutere & attenuare:ac etiam cum ſit leuis ſubſtãtiæ,uires multarum medicinarum ſuſcipere ualeat,uidelicet radicum,herbarum,florum,fructuum,uel ſeminum,ſi in eo infundãtur per aliquod tempus,aut bullierint.Et ea ratione materia infuſionum,& decoctionum à medicis dicitur.Neq; crederem ego,ut ſcribis,ſerum lactis eſſe ultimum auxilium ad extremum morbum:cũ ſæpe dixerit Galenus,extrema auxilia in morbis cibi abſtinentiam,& ſanguinis miſsionem eſſe.Sed uellem ut dictum,ſiue autoritatem aliam Hippocratis,& Galeni,pariter ad hunc tuum affectum contorqueres,& extorqueres:quod ut mihi perſuadeo,non ſine ingenti beneficio tuę ualetudinis erit.Sententia hęc eſt. Quod ignis non ſanat,nihil ſanare poteſt. Quam patrum medicinæ ſententiam,ſic tuo affectui conciliare uellem,præſertim ubi reliqua iam dicta remedia non contulerint,duo(ut aiunt)cauteria prope iuncturas genuum in parte ſylueſtri,hoc in caſu fieri te procurare uelim,ut loca tandem illa exulcerarentur,atq; exulcerationes aliquo ingenio prohibente conſolidationem,& pus generante per aliquot menſes adapertas cuſtodires.Quod facilè fiet,ſi ſuper loca combuſta bis die folium braſsicæ cum butyro,& etiã ſi pilulam cereã,ſeu argenteam in dictis exulcerationibus profundes,ſplenio aliquo ſuprà calcante.Etenim ſanies quæ ab ulceribus emanabit,uniuerſim corpus à ſubtilibus,& uirulentis excrementis per membra ſparſis emundabit:& ita reliquas partes indies incolumiores uidebis,reuocato ſcilicet ac etiam extra ducta materia ſubtili,& uirulẽta,quæ neruos plurimum moleſtat.Poſtremo mutationem loci illius mirificè laudo:audio enim uentis frigidiſsimis expoſitum eſſe.Hoc cum domino Ioanni Mariæ noſtro ſignificaſſem,ille plurimum conſiliũ laudauit. Quod uerò ad clariſsimũ Mundellã ſpectat,cũ nulla ſit mihi cum uiro nobiliſsimo,& grauiſsimo conſuetudo,nihil ei cõmodè dicere poſſum.Quicquid de negotio uel ſtatutum,uel actum à te fuerit,illud amicis ſignificare non pigeat.Ego etſi hac in re aut nihil,aut parum tibi prodeſſe poſſum,tamen meis omni tempore fauebo.Vale,& me ama.Apollonius,& cæteri amici te officioſiſsime ſalutant,& optimam tibi precãtur ualetũdinem.Venetijs, M. D. XLVI.Die X.Maij.

## AD DOMINVM CASTVLVM *Haugum Nobilem Auguſtenſem,Epiſtola* XV. *de reſolutione, ſiue paralyſi.*

QVantum ex his quæ nobis relata ſunt,atq; ſcripta fuere,uir nobiliſsimus ætatis trigintaocto annorum,temperaturæ calidæ,& ſiccæ,atq; à principio generationis cum plurima cerebri humiditate:cum eſſet quinq; annorum natus,quòd loqui non poterat.Hic iam ſunt anni ſex,quòd ex multis incõmodis,tum corporis(ab aëre,& alijs negotijs,)tum etiam ex maximis animi perturbationibus incidit primũ in capitis grauedinem,& imbecillitatem operationum ipſius,atq; etiam totius corporis laxitudinẽ:& poſtremo iam ſunt duo anni quòd incidit in hãc præſentem præter naturã diſpoſitionem,quæ eũ plurimum moleſtat.Diſpoſitio præter naturam eſt reſolutio,ſiue paralyſis dexteri lateris,ita ut uniuerſa illa dextera pars,uidelicet brachium,& crus ſit priuata motu uoluntario,quòd neq; incedere,neq; brachiũ ad caput erigere poteſt,niſi adminiculo aliquo,utputa alterius brachij ſani.Cum qua reſolutione neruoſorum membrorum dimidiæ partis corporis,à capite infra,adeſt quoq; maxima loquẽdi difficultas,ab eadem,& alia cauſa,ut uix ſex uerba continue loqui poſsit:adeſt etiam uirtutis memoratiuæ inſignis lęſio,ita q; difficulter recordetur,atq; rememorari poteſt:& quoque inſignis uiſus,& oculorũ imbecillitas,& obtenebratio eſt.Et quãquam hic deterius ſuperioribus menſibus ſe habuerit,& à duobus mẽſibus cum dimidio à principio nouæ iſtius recidiuæ,ſiue maioris inuaſionis(quæ fuit in fine menſis Octobris)ex multis applicitis remedijs,tã interius,quàm exterius,melius habuerit,manent membra tamen reſoluta,& impotentia motus,tam cruris,quàm brachij,atq; loquendi difficultas,& memoratiuæ uirtutis impedimẽtum in eodem ſtatu,iam ſunt duo menſes,cùm inſigni(ut dixi)uiſus imbecillitate,ita ut poſt duos aut tres uerſus,cum procedit legendo,uiſus ſemper obtenebratur.Hæc nobis relata,& in ſcriptis data ſunt,ut ſi fieri poſsit,ſalutifera remedia dictis diſpoſitionibus ſcribere uelimus.Quæ quoniam niſi prius declarem,& eſſentiam morbi,& cauſas,eligi nõ poſſunt:ideo primum ſic ad eorum declarationem diſpoſitiones præter naturam declarare incipiam,à reſolutione,ſiue paralyſi exordiens,quæ uidetur hominem magis moleſtare.Eſt igitur reſolutio,ſiue(ut Græci dicunt)paralyſis,paſsio neruorũ,qui à nucha oriuntur,teſte ſenſu,& Galeno in lib.de locis affectis.Et quoniam reſolutio in dextera parte eſt,atq; illi parti uniuerſalis paſsio,ideo dexteræ nuchę partis nocumentum primum erit.Neq; mirũ eſt apud probos medicos,quòd ſola dextera pars remollita ſit,cùm tam nucha,quàm cerebrum à quo nucha principium & originem habet,diuiſa ſit in dexteram,& ſiniſtram partem per panniculum manifeſtum:& tametſi reſolutio appareat in mẽbris exterioribus,ut eſt brachium,manus,crus,pes,& alia mẽbra,non ideo paralyſis iſtorum membrorum eſt primaria paſsio,cum à capite primo uel nucha,materia aliqua,uel mala qualitas,uel ambo ſimul proueniant ad inferiora membra ex ipſius capitis,uel nuchæ mala temperie:uel alio modo alterationes,quæ prohibent trãſitus ſpiritus ſenſitiui,& motiui à cerebro.Quòd uero à capite hæc reſolutio ortum habuerit,teſtis eſt grauitas,& imbecillitas capitis à principio generationis,quę ante iam ſex annos plurimũ eũ moleſtauit:& tandẽ agitur nunc ſecundus annus,quòd primum arreptus fuit à paralyſi,& poſtremo à maiori iterum,quæ fuit in fine menſis Octobris pręteriti,quæ ita grauis fuit,ut per duos menſes cum dimidio ſine loquela,& motu tam brachij,quàm cruris eiuſdem dexteri lateris fuerit. Et quãuis ſenſus interiores ſemper incolumes fuerint,nihilominus non recordabatur. Ex dictis ſic actionibus læſis,& alijs dictis,declaratur morbũ eſſe temperiem frigidam cum materia pituitoſa plurima in cerebro,à quibus obſtructionibus nuchæ,& uiarum neruorum quorundam ab illis prodeuntium,cũ inſpiſſatione ab eadem materia in ipſa imbibita prohibente ſpiritũ ad meatus neruorum procedere,atq; neruos humectante,ita ut ex ambabus dictis cauſis uirtus actiua neruorum impediatur:& eo magis ad hãc dexteram partem mala temperies cum materia potuit recipi,quoniam meatus dexteri lateris maiores ſunt,cum calidior ſit pars dextera ſiniſtra:& hac ratione cum plurima materia ad hanc partem tranſmiſſa fuerit,uirtus primò animalis imbecillis facta fuit.Sed naturales uirtutes omnes imbecilliores apparẽt,ut eſt attractrix,retentrix,cõcoctrix,& expultrix:& hoc quoniam ex mala temperie,& ex præſentia materiæ frigidæ prohibentis conuenientem tranſitum ſpiritus ad membrum,calor,ſiue temperamentum membrorum affectorum langueſcit,& ex ea etiam cauſa membra reſoluta,ſeu paralyticata macreſcunt,ut audiui.Quòd uero materia pituitoſa ſit cauſa materialis huius pręter naturam affectus,facilè perſuaderi poteſt,etiam in corpore bilioſo. Et primò quoniã in Germania degit,quæ regio frigida eſt:& fortè etiam uſus eſt cibis craſsioribus,ut faciunt nobiles Germani,comedendo cibaria pinguia,ut eſt butyrum,& carnes reliquas pingues obtundentes calorem naturalem.Adde etiam quòd cum ſit uir negotioſiſsimus,& plurimi laboris,potuit ex illis plurimũ calorem naturalem imbecillem reddere.Sed id quod eſſe in cauſa potuit præter dicta,eſt quòd ille ſemper fuit pronus in Venerem,in qua plurimum aberrauit.Etenim Venus immodica nocet omnibus membris,& cerebro,& uentriculo:& hoc,quoniam in ſeminis emiſſione,ſeu euacuatione,calorem,ſiue ſpiritum naturalem euacuamus,ſicque uniuerſum corpus refrigeratur,quod nocumentum in cerebro,& uentriculo primò apparet:cum utẽtibus nimia Venere,ſenſus omnes imbecilles efficiantur,atq; ſegnes,& effœminati uideãtur,fixiq;,ut uix proprium corpus ſuſtinere ualeant,ac etiam citò ſeneſcant:ſed deterrimus amplexus uenereus eſt ille,qui poſt cibum fit.Quæ omnia non niſi à refrigeratione euenire poſſunt.Sed(ut dixi)primum uentriculus & caput læduntur,ſicque fiunt cruditates in ipſo uentriculo,quæ continuo ad caput euaporantes,& illud replentes,in ipſo & ex ipſo omnes operationes prouenientes ſunt imbecilles,ut eſt uidere tam

in ſen-

in ſenſibus interioribus, quàm exterioribus, & non tantum in ſenſibus, uerũetiam capitis hanc imbecillitatem impotentia motus oſtẽdit. Sicq; non eſt mirum, ſi totius corporis laxitudinem ſentit ex iam dictis, ſcilicet mala temperie cum materia in cerebro nuchę communicata, & ex caloris naturalis refrigeratione, & à diuturni morbi reſolutione: ex qua materia, & humida, & frigida in cerebro aggregata, & ex caloris imbecillitate nõ exiccata, neq; difflata, ſequitur ſomnus longus, & memoratiuæ uirtutis nocumentũ, cùm memoria à ſicco perficiatur. Quæ materia deſcendẽs etiam ad neruos ad linguam procedẽtes, humectánſq; eos atq; prohibens debitum trãſitum ſpiritus, eſt in cauſa quòd ipſe pigrè loquitur. Ab eadem etiam materia eleuantur uapores petentes oculorum neruos, & cum mouẽtur, aliqua occaſione uiſum obtenebrant. Et quãquam difficilis ſemper fuerit cura confirmatæ paralyſis, non tamen ea eſt difficultas, quæ ſpem ex omni parte tollat, præſertim cum uirtutes reliquę, uidelicet uitalis, & animalis omnino non careãt robore, & etiam ætas ſit uigoris, tempúſque anni, quod uer eſt, ſalutiferum ſit, ac etiam quoniam audio illum deterius ſe habuiſſe, & in præſentia melius, ex factis remedijs habere: & hæc ſatis de morbis, & cauſis. Sint ex dictis ergo primum remedia ſalutifera hæc, uidelicet, maneat in loco in quo aër ſit temperatæ caliditatis, excedens tamen aliquantiſper in ſiccitate: qualis eſt in prima parte æſtatis aër. Quod ſi talis aër non ſit naturalis, ſed potius econtra, alteretur camera, & locus habitationis cum igne ex lignis ſiccis optimis, quale eſt iuniperus, laurus, pinus, abies, lentiſcus, fraxinus, & ſimilia: ita ut omnino ex arte exiccetur aër. Vel fiant ſuffita roremarino, uel ligno aloës, aut cũ myrrha, uel olybano, & ſimilibus. Caueat tamẽ à ſuffumigiis nimis calidis, quoniam tales euaporationes replent caput, & grauedinem, & dolorem gignunt. Præterea, ſi fieri poteſt, ante cibum utatur aliqua leui exercitatione, qualis eſſet leuis deãbulatio. At quoniam conſiſtere non poteſt, ſuſtẽtetur baculo, uel baculis, aut ſit famulus aliquis adiuuãs. Vel equitet, ſi ſedere poteſt, uel uehatur curru: ſed poſt cibum quieſcat, ludátque ludis iucundis, ut ſunt tabulæ, & latrunculi &c.

Studeat etiam, ut habeat quotidianam fæcũ euacuationem per ſeceſſum ante cibum: quæ fęces ſi non ſponte egerantur, & deducantur, clyſtere ex decocto betonicæ, maluæ, & blitis, in qua decoctione adde oleum liliaceum, ſal commune, & mel roſaceum. Caueat quoq; à repletione tam cibi, quàm potus. Cibariorum ratio ſit illa, quę attenuatoria, uel exiccatoria dicitur: quare primum comedat panem bene fermentatum, & ſalitum, in quo ſint ſemina fœniculi, aniſi, uel cymini, ſitq; optimè coctus. Vtatur carnibus, quales ſunt carnes caponum, & auium nemoralium, ut ſunt perdices, coturnices, phaſiani, turdi, merulæ, & ſimiles: & quadrupedum carnes ſint, uerbi gratia, hœdinæ, leporinæ iuuenes, & ſimiles: & aliquando uitulinæ: coquantur elixatione, ſiue aſſatione, & cum eis bulliant radices fœniculi, aut ſemina aliqua, puta fœniculi, aniſi, cymini: uel aromatizẽtur cum cinnamomo, mace, zinzibere, pipere, & ſimilibus. Vitanda ſunt cibaria omnia humida, & craſſæ ſubſtantię, qualia ſunt ex carnis porcinę, agnorum, & piſcium. Præterea lacticinia omnia dimittenda ſunt, ut lac, butyrum, caſeus. Similiter & fructus omnes dimittendi ſunt, ut poma, pyra, cucumeres, melones, pepones, cucurbitæ, & reliqui. Dimittãtur quoq; citri, limones, arantiæ, & ſimilia: & in ſumma omnia frigida, & ſaporis acetoſi: & acida ſunt mala, & plurimum nocent. Potus uero ſit aqua, in qua ſint decocta ſaluia, betonica cum melle, & cinnamomo, & mel ſit octaua pars aquæ, bulliántq; ad conſumptionem tertiæ partis. Quòd ſi ſine uino eſſe nõ poteſt, detur uinum albũ pauciferum dilutum ſupradicto decocto, uel diluatur plurima aqua decocti cinnamomi, & etiam granorum piperis. Caueat ut diximus ab acetoſis. At ſi aliquãdo gratia palati cibaria cum aliquibus rebus, quæ ſapiunt, cõdere uoluerit, fiat hoc cũ cinnamomo, mace, nuce muſchata, gariophyllis, zinzibere, pipere, & ſimilibus, addendo portionem ſacchari, uel mellis decocti & deſpumati. Præterea mane ante cibum comedat radicem zinziberis cõdîtam, quem zinziberem uiridem uulgò uocant, uel radicem calami aromatici condîtam, aut galangam. Poſt prãdium & cœnam comedat ſemina aniſi cum ſaccharo condìta, uel fœniculi ſemina, uel grana pinei cum ſaccharo pręparata: neq; poſt iſta bibere oportet. Dormiat nocte, & ſomnus non ſit longior ſeptẽ horarum: neque dormire incipiat, niſi duabus horis poſt cœnam. Die uero nullo pacto dormire conducit, præſertim horis poſtmeridianis: ſed (ut dixi) à prandio ludat ludis iucũdis, & gaudeat cum amicis, ſintq; colloquia, quæ animũ hilarem reddere poſsint: uel audiat inſtrumenta muſica & cantus ſuaues: caueat quoque ab amplexu uenereo. Porrò inter cætera quæ plurimũ in hac ſæua diſpoſitione nocet, eſt Venus: etenim ipſa cæteris omnibus aliis nocibilior eſt, & eius nocumentum ferè incorrigibilis exiſtit. Et quoniam primarius morbus & cæteri alij affectus præter naturam materiales ſunt, hoc eſt, unà cum materia frigida pro maiori parte, quæ tractu temporis craſsitiem acquiſiuiſſe nõ ſine ratione credendum eſt: & ea ratione hic nobilis non poterit ſanitati reſtitui, niſi prius materia quæ plurima eſt, conuenientibus medicinis euacuetur. Nam hęc materia fouet primarium morbum, & fuit etiam cauſa illius. Conuenientes medicinæ euacuantes, ſunt illæ quæ ſenſim & ſine moleſtia reiteratę eam educere poterint, qua educta ſiue euacuata materia, ſecũdo loco mala temperies tanquam principalis morbus corrigenda erit. Tertio poſtea membra affecta roboranda erunt, ut eſt uentriculus, caput, & reliqua mẽbra, ut eſt brachium & crus, & hoc congruis tam interioribus, quàm exterioribus medicaminibus. Primum ergo materia cruda, & craſſa præparare ad euacuationem iſtis ſyrupis operæpretium erit, uidelicet: ℞. ſyrupi de betonica ℥.i. de ſtœchados ℥.s. aquarum iuæ, ſaluiæ ãn. ℥.i.s. miſce: uel fiat decoctum ex iua, & ſaluia cum aqua betonicę: & cum ℥.3. dicti decocti diluantur prædicti ſyrupi, & ſumatur calidus mane in aurora, dormiátque per duas horas pòſt, ſi poteſt: deinde quatuor, aut quinq; horis pòſt accipiat prandium. Quòd ſi etiam ante cœnam tribus horis eundem ſyrupũ acceperit, plurimum ipſum iuuabit. Sumendo hos ſyrupos procedat per aliquot dies, donec in lotio aliqua ſigna cõcoctionis apparuerint: quibus apparentibus, detur medicina euacuatiua humorum craſſorum, leuis tamen, hoc modo: ℞. electuarij lenitiui ℥.i. hieræ Galeni. ʒ.3.7. decoctionis polypodij, epithymi, ſtœchados, paſſularum in aquis ſtillatitiis iuæ, & betonicæ. p.s. miſce, & ex eis fiat potio. Detúrq; mane in aurora: dormiat etiam, ſi uoluerit, per horam poſt aſſumptionem: deinde quinq; horis pòſt accipiat prandium. Sequente uero mane detur cyathus iuris capi, aut alterius optimæ carnis cum duabus unciis mellis roſacei ad abſtergendum uentriculum, & inteſtina, atq; etiã ad confortandum: quoniam (ut diximus) in diuturno morbo fieri nõ poteſt, quin uentriculus imbecillis reddatur, & etiam ea ratione, ego tam in ſyrupis præparãtibus materiã, quàm in medicina euacuante ſtudui ponere ea, quæ uentriculum roborare poſſunt. Sed quoniam eſt materia plurima, & quæ non poteſt unica euacuatione expurgari, ideo iterum indiget ut denuo reſiduum præparetur, quod cum ſit craſsius, fortiori egebit digeſtiuo, hoc modo: ℞. ſyrupi de betonica, de ſtœchados, oxymellis ſcillitici ana ℥.s. decoctionis ſtœchados, betonicæ, iuæ, & epithymi, in aquis ſaluię, & peoniæ ℥.3. miſce, & detur per aliquot dies mane in aurora, dormiátque per duas horas pòſt, ſi poteſt. Deinde poſt aliquot dies detur iterum medicina hęc, quæ materiam craſsiorem educere poſsit, quæ tamen non eſt fortis, & habet uirtutem roborandi uentriculum, caput, & neruos. ℞. electuarij lenitiui ℥.i. hieræ pachi deſcriptione Scribonii Largi, ℥.s. decoctionis ſuperius ſcriptæ ℥.3. miſce & fiat potus. Et detur mane in aurora, quinque horis ſaltem ante prandium, & dormiat pòſt (ſi uoluerit) per horam. Sequenti uerò mane bibat cyathum iuris capi, cũ duabus unciis mellis roſacei. Iſtis ſic factis euacuationibus, prius optimum erit uſus aliquarum pilularũ ſemel aut bis in hebdomada, quę à capite & membris neruoſis educant, & uentriculum roborent, hoc modo eas componẽdo: ℞. pilularum de hiera. ʒ.3.s. cocchiarum ℈.i. fœtidarum ℈.s. miſce, & fiant ex eis pilulæ numero vj. uel viij. Et ſumantur nocte quatuor horis à cœna. Laudauit etiam Auicenna tertio canonis cap. de cura paralyſis, pilulas de euphorbio, quas ego ſæpe expertus ſum. Quare ſi aliquando adderetur ℈.i. dictarum pilularum de euphorbio cum ſupra ſcriptis, plurimum mihi placeret. Quicquid tamen ſit, ſemper cauendum eſt à medicinis fortibus, cum materia, quæ

educenda eſt, frigida, & craſſa ſit, quæ eget paulatina præparatione, & quoque paulatina euacuatione.

Præterea poſt iſtas euacuationes, uel etiam dum iſtæ perficiuntur, ſtudendum erit diuerſioni à locis affectis, & reſolutioni materiæ, quæ in membris affectis, eſt tanquam cauſa materialis immediata nocumenti eorum membrorum. Primum, ſi uenter quotidie non fluxerit ſponte, & fæces inteſtinorum non egrediantur, fiant clyſteria alternis ſaltem diebus, ſcilicet mane ante prandium. Maſticentur mane ante prandium maſtices, ut per ſputamina materia, quæ in capite eſt, ad os deducatur & euacuetur, ſicq; fiat diſtractio ad nucham, & ad neruos deſcendat. Quòd ſi fortius maſticatorium deſideratur, fiat illud ex ſeminibus ſtaphiſagriæ, maſtice, & modico ſyrupi de ſtœchados, & hoc in forma paſtillorum, ex quibus ante prandium unus uel plures maſticentur, ut materia (ut dixi) deducatur.

Præterea locis primo & ſecundario læſis hoc modo ſuccurratur, uidelicet, primum nucha, & uniuerſa ſpina dorſi inungatur oleo liliaceo, & coſtino ſimul mixtis, calidis tamen, & hoc ante prandium, & cœnam: inungatur quoque ſub axilla, & inguina læſæ partis. Ad hanc intentionem ualet oleum ſic præparatum. R. olei liliorum alborum, de coſto ana ℥. iij. ſucci rutæ, ſucci cucumeris aſinini ana ℥. ij. caſtorei, piretri, piperis, euphorbij ana ʒ. j. Bulliant ſucci cum oleo uſque ad ſuccorum conſumptionem: deinde adde caſtoreum, piretrum, piper, euphorbium in puluerem conuerſa, & bulliant omnia iterum modicum. Cum quo linimento unge (ut dictum eſt) nucham, & uniuerſam ſpinam dorſi ſub ala & inguine, & hoc ſit mane & ueſperi, calido exiſtente linimento, foueántque loca inuncta pannis calidis. Quòd ſi febris non adeſt, bis in hebdomada ʒ. j. confectis anachardinæ, aut mithrydaticæ, uel theriacæ confectis, ſi tam mithrydatica confectio, quàm theriaca habere potuerit. Caueat tamen à nimio uſu, uel quantitate rerum nimium calefacientium, ne fortè febris ualida in corpore iam attenuato introducatur. Quare omnia modeſtè adminiſtranda ſunt. Præter dictas confectiones, ſunt quædam temperatiores iſtis, quibus uir nobilis poterit etiam quotidie uti ante cibum tribus aut quatuor horis, ut eſt diamuſcus dulcis, & diamuſcus amarus, uel diatrium pipereum, ex quibus accipiat rotulam unam mane: quæ confectiones modeſtè calefaciunt & exiccant, præterquam quòd uentriculum, cor, & caput roborant, atque materias frigidas diſſoluunt. Quòd ſi his omnibus adminiſtratis, nobilis æger adhuc in iam dictis membris motus uoluntarij impotentiam, & paralyſim habuerit, non propterea deſiſtere ab inceptis oportet: ſed conſilium meum eſt, ut ad alia remedia, quæ plurimos deterius ſe habentes ſanauerunt: & ſunt potus aquarum mineralium ex ſulfure, & ſale nitro, quales ſunt aquę thermarum in agro Patauino in Italia: & non tantum ex uſu erit potus dictarum aquarum, uerum etiam lauare membra reſoluta in ipſis plurimum iuuabit, & etiam duciam ſuper caput accipere, & poſtremo membra reſoluta in luto ponere, eo ordine quem ſtatim dicam. Et quanquam, ut audio, ipſe uſus ſit thermis, quæ in Germania ſunt, quæ minime eum ſanitati reſtituere potuerunt, non propterea dictæ Patauinæ thermæ negligendæ ſunt. Igitur à medio menſe Maij factis dictis purgationibus, ad illa balnea, quæ in agro Patauino ſunt, accedat, ad aquas Aponenſis loci, quas per aliquot dies primum bibere operæpretium erit, atq; in ipſis lauare membra affecta & reſoluta oportebit, & præſertim crus & brachium, deinde caput, uidelicet accipiendo duciam ſuper coronalem cōmiſſuram capitis, ubi nucha à cerebro ad ſpinam procedit. Sed in accipiendo prænominatam duciam animaduertendum erit, quòd neceſſe eſt hanc duciam per plurimos dies ſuper caput adminiſtrare, ſiquis ab ea auxilium notabile & firmum accipere deſiderat. Etenim in diuturno morbo, & iam cōfirmato non eſt credendum, quòd ipſa aqua poſsit & materiam reſoluere, & ad temperamentum priſtinum eum reducere: niſi ex frequenti, & diuturna adminiſtratione, cum etſi per caliditatem, & ſiccitatem operetur, huiuſcemodi qualitates non ſunt plurimum excedentes. Quare non minori tempore quàm ſpatio quindecim, aut uiginti dierum eam duciam in capite recipiat: quòd ſi etiam eam bis in die adminiſtrauerit, tolerante tamen uirtute, melius, & citius ipſe Dominus euadet. Poſtquàm duciam per plures dies adminiſtraueris, ſi adhuc paralyſis in brachio & crure aliqua fuerit, lauētur iterum membra reſoluta in dictis aquis, & etiam membris reſolutis applicetur lutum mane, & ueſperi, & hoc fiat cautè, tam in brachio, quàm in crure, ne forte ex nimia luti exiccatione, & reſolutione membra debilia nimis exiccentur. Cautela autem in applicatione luti erit in tempore & quantitate, ita ut non plurimum in luto illo moretur, neq; ingens quantitas luti applicetur, ſed modeſtè omnia fiant. Quam adminiſtrandi, (tam potus aquarum quàm lauationis, duciæ, & poſtremo luti) rationem habere operæpretium erit, uel ab experto medico, aut ſaltē ab aſtantibus hominibus, qui quotidie aquas illas, tam in bibendo, quàm lauando, & in capite per duciam experiuntur in quàmplurimis hominibus. Hoc de quantitate, & mora in luto dico. Poſt quam omnium remediorum adminiſtrationem ſpero magnificū Dominū, Deo optimo maximo auxiliāte, ſanitati reſtitui: quam ipſe Deus ſua ineffabili bonitate concedere ſibi dignetur. Vnum tamen non omittam, uidelicet, quòd etiā poſtquam ille bene ſe habuerit, aut melius ex iam ſuperius factis remedijs, operæpretium quoque erit, ut ipſe per annum ſaltem caueat ab omni aëre frigido, & etiam à comeſtione rerum frigidarum, & humidarum. Similiter caueat à quantitate & diuerſitate ciborum, præſertim à potu diuerſorum uinorum & dulcium: quoniam uinum primum & per ſe nocet capiti, ſed neruis per accidens aut ſecundariè, & diuerſitas ciborum plurimas ſuperfluitates generat. Item caueat à nimia exercitatione, & laborioſa, ac etiam à diuturno ocio: & ſimiliter à ſomno longo, & etiam ab omnibus animi perturbationibus, ut eſt excādeſcētia, timor, ira, & cogitationes rerum triſtantium: à Venere quoq; abſtineat, & ab omnibus aliis quæ uirtutem, & ſpiritus reſoluunt. Deniq; ſtudēdum erit euacuationi ſuperfluitatum communium inteſtinorum per ſeceſſum, & urinæ per mictū: quòd ſi uentris inferioris fęces non egrediantur ſpontè, ex uſu erit, atque plurimi iuuamenti, uti aliquibus pilulis ducentibus communes fæces inteſtinorum atque etiam uentriculum, & caput roborantibus, ut ſunt pilulæ de hiera ſimpl. de hiera cum agarico, uel maſtichinę, aut alephanginæ, & ſimiles, quę ualeant (ut diximus) uentrem ſubducere, & ne materiæ crudæ aggregentur prohibere. Et hæc ſatis ſint pro temporis anguſtia mihi negocioſiſsimo in ægrotantium uiſitationibus ad laudem omnipotentis Dei.

## AD EVNDEM EXCELLENTISſimum Dominum Paulum Magnolum, Epiſtola XVI. de uniuerſi corporis excarnatione, ſiue macie.

QVòd literis tuis, quas ad me ſcripſiſti Calendis Iulij, uſque in hunc diem non reſponderim, Magnole doctiſsime, id in cauſa fuit, tum quòd febre per aliquot dies laboraui, tum etiā quòd D. Ioānes Maria noſter aberat. Nunc uero cum optime ualeam, & ille redierit, cui tuas, ut legeret, oſtendi, atque in hac re etiam eius ſententiam audiui: ſic ad tuas reſpondeo. Primúmq; te optimam ualetudinem conſecutum gaudeo, ac laudo quòd Venetias deſideres, locū tibi in primis ſalubrem: ubi ea etiam quæ ad ſumptum attinent, ut politicè, ac philoſophicè (ut ita dixerim) uiuere poſſis, tibi omnino non deſint. Ego mi Paule, ut ſcriptum reliquit Ariſtoteles, à quo edoctus ſum, ſæpiſsime dicere ſoleo: Viuere uiuentibus eſſe eſt. Sed optima, & inculpata ſanitate frui, atque cum filiis hominum eſſe, & præſertim doctis, abſolutio & perfectio eorum qui uiuunt hominum eſt. Quare ſi Venetiis hic aër tibi ſemper incolumis fuit, & ille morbiferus: cur te Venetias proficiſci non perſuadeam neſcio, maxime cum iam te tantum pecuniarum ex reditibus habere ſcias, quantū ad uictū philoſophātiū, qui paucis contēti ſunt, tibi ſufficere poſsit. Neq; hic ut credo, ac etiam ut noſti, deſunt qui te in pręceptorē, tū bonarū literarū, tū philoſophię, & medicinę non libenter accipiant. Mitto methodi, & exercitationis, ſeu therapeutices in medēdo utilitates, quę etſi in iuuenibus qui ad urbem recētiores ſunt, non

ita

ita largę & liberales sint, sunt tamen aliquæ, & indies magis ac magis augentur, pro hominum industria, & præstantia. Quod uero ad tuam ualetudinem spectat, & petis nunquid decoctũ ligni Indici, seu ut aiunt Guaiaci, hisce temporibus calidissimis bibere conducat, & an sudare operæpretium sit adhibitis coopertoriis, manereq; in lectulo post potum, an potius surgere & deambulare conueniat, ut melius per uniuersum corpus medicamẽ distribuatur. Hæc quæstio non facilis primo intuitu est. Attamen si diligenter omnia perpendas, nõ est quòd dubites post potum dicti medicaminis (ad quam exhibitionem mitiorem aërem expectarẽ) quiescere melius esse. Nam per motum etsi aliquo modo calor naturalis excitetur, nihilominus spargitur quoq;, & dissoluitur (ut ita dixerim) atq; ad propositũ opus minus potens efficitur, ita ut ex ambabus causis imbecillior reddatur, ob motum scilicet exercitationémq;: & quòd dispersus sit, tametsi leuis exercitatio fuerit, dissoluitur. Neq; medicamẽ hoc est illud quod non uim aperiendi ac distribuendi se, & quicquid cum eo fuerit ad uniuersum corpus non habeat, cùm primo calidum sit, & attenuandi uim detineat, ita ut sudorem, & urinam commodè ciat. Adde etiam potum hunc esse medicinã subtilium partium, neq; egere ut ad actum suæ uirtutis deducatur caloris natiui inflammatione, aut motu aliquo corporis egeat, ut citius è uẽtriculo descendere ualeat, ut contingit illis qui plurimum, & crassum cibum ingerunt. Quale melius erit, postquam ebibitum est, in lectulo quiescere, ac etiam secundum temporis statum, & constitutionis, se coopertoriis conuenientibus cooperire. Neque uellẽ, si animus est hoc decoctũ bibere, illud fortè ex maiore ligni quantitate, & plurima ebullitione esse, posteaquam (ut ais) uniuersum corpus extenuatũ est, ita ut manifestè caro imminuta uideatur, ne fortè ex ulteriori exiccatione in tabẽ aliquam irreparabilẽ incidas. Quare lignũ Indicum cum maiore aquæ quantitate decoquere oportet, atque etiã non ita largè bibendũ erit. Præterea cauendũ est à nimio, & copioso sudore. Neque te illũ arte aliqua excitare uelim, sed id quod sponte sine aliquo exteriore auxilio fluet, moderate accipere. Et quanquã plurimi post potũ huius decocti pingues euaserunt, non ideo fuit, quia potio hæc substantifice impinguet, sed quoniã ab ea iocinore rectificato, & meatibus corporis, per quos nutrimentũ ad membra transit, adapertis, facilis fuit nutrimenti ad mẽbra attractio, sicq; pingues euaserunt, pręsertim cũ duæ potissimæ uirtutes in hoc decocto sint, quæ sunt causę, ut hoc munus optimè perficiatur. Quarum prior est, iecur ad optimã temperiem mutare: posterior autẽ, uias ad distribuendum optimè parare, ita ut minime impeditæ sint. Sed ad id, quod postremo cognoscere desideras, & quæris, an illinitio mẽbrorum ex butyri sublimatione, atque destillatione, in aquam conuersi, additis & muscho, & lauendula, ac etiam unguẽtis odoriferis, utiliter administrari possit, ut aliquo modo isti tuæ maciei opitulari ea inunctione ualeãt: dico duo potissimum in hac membrorum excarnatione necessaria esse. Prius quidem membrorum naturalium incolumitatem, ita ut nutrimẽtum optimum paret: posterius, membrorum nutriendorum uias, ut ad ea optima fiat secundum omnem modum præparatio. Quapropter posteaquam cognoueris mẽbrorum interiorum optimam ualetudinem, si quid in exterioribus impedimenti ad eorum nutritionem fuerit, illud uel illa, si plura fuerint, admouenda erunt: sicq; optima nutricatio sequetur. Quæ uero exteriorum membrorum nutrimentum impedire possunt, sunt in primis temperies membrorum frigida, ita ut non possint nutrimentum attrahere, uel attractum permutare, & uiarum quoque aliqua obstructio impediens nutrimenti transitum ad mẽbra, & hoc uel à materia aliqua imbibita, uel à qualitate nimis extranea siue calida, siue sicca, siue alia qualiscunq; fuerit illa obstruens cõdensando inspissãdóue, aut nimis exiccando. Vnde neque conueniens quantitas ad membra adducitur, neq; adducta conuertere in membrorum substantiam potest. Quamobrem hoc in casu uellem ego prius has prædictas causas diligenter inuestigare, deinde medicamina cõtraria & naturæ opitulantia ad præscriptam opportunitatem membris excarnatis applicare, præsupposita cibariorum & potus optima substantia & quantitate. Etenim si à membrorum refrigeratione malum causam habere cognosces, ita ut membra refrigerata nutrimentum attrahere non ualeant, eo in casu optimum auxilium erit membra tabefacta mane à somno manibus inunctis oleis calidis, in quibus siccitas non sit, fricare: & non solum oleis, sed & pinguedinibus, ex quorum numero est oleum oliuarum maturarum, amygdalarum dulcium, fisticorũ, pinguedo gallinæ, castrati, & huiusmodi. Quòd si aliquod odoratũ addere uolueris, illud sit, quale est laudanum, ambra, storax, macis, & similia. Sed in casu præter dicta plurimum mihi arridet decoctio capitum ueruecinorum, atq; eorum carnium in aqua, & uini aliqua portione cum betonica, mace, & seminibus fœnigræci. Decoctióq; debet esse ad carnis ferè consumptionem. Postquam elixationem pingue totum supernatans colligatur: & primo cum prædicto iure fricando membra lauẽtur, mox ipsa iam dicta pinguedine inũgatur manẽs pòst in lectulo coopertus pannis secundum temporis opportunitatem usq; ad horam prandij. Sic etiam ante cœnam facere optimum erit, quoniam sic membra refrigerata calefacere modestè poteris, ut ex hoc nutrimẽtum ad ipsa attrahere ualeant. Hoc idem ingenium plurimum conferre poterit impedimento ab exiccatione & constrictione facto. Neq; illustrium medicorum antiquorum, & modernorum quàm plurima ingenia displicent, modo rationabilia sint, & modestè ipsis uti uolueris: inter quæ laudatur catulorum lactentium carnis decoctio: à qua decoctione primo pinguedo supernatans sumenda est: deinde in dicto iure membra lauẽtur fricando, postea inũgantur dicta pinguedine. Hoc quidem fiat mane ante prandium, atq; uesperi ante cœnã. Neq; dimittenda sunt auxilia, quibus arida mẽbra mollia reddere, atq; nutrimentum modestè attrahere, & caliditate leui calefacere possint, ut sunt linimẽta picacea è plurima quantitate olei, & modica pice, uel illinitio cum melle, & alia similia ingenia, unà cum regimine (ut paulo antè dixi) cibariorum, de quo Galenus xiiij. Methodi, & vj. de tuenda ualetudine, plurima dixit. Sicq; semper corpus mundum à superfluis, & malis humoribus sit, atque cibis conuenientibus nutritum: qui prætérquam quòd optimè nutriant, etiam nutrimentũ ad membra distribuere uim habeant. Hanc particulam uolui repetere, quoniam si in cibariis error fuerit, procul dubio reliqua, aut parum, aut nihil profutura erunt, cui exercitia moderata semper associanda sunt. Plura alia ad te scriberem, nisi scirem me sapienti medico consulere. Igitur uale, & optimæ ualetudini stude. Venetijs, M. D. XLVI. Die XVI. Augusti.

## AD DOMINVM VLRICVM STEYdlerum, *Epistola* XVII. *de quàm plurimis malis affectibus, scilicet destillatione materiæ à capite, tussi cum sputo purulento, & sanguineo, & uertigine, scotomia, dolore & prominentia oculorum, apoplexia, & etiam impotentia motus crurium.*

ACcepi literas quas ad me die nona Nouembris scripsisti, quibus lectis instante ostensore, ad id quod magis desiderare te uideo, breuibus quãtum potero respondebo. Petis in primis ut de agendis in affectibus præter naturam strenui uiri xxxvij. annorum scribere ad te uelim, qui sunt (ut scribis) primo destillatio à capite ad pectus, ex quadam euaporatione ex adustione, (cum calidæ, & siccæ temperaturæ sit) sanguinis facta. Ita ut materia quædam subtilis ad pulmones descendat, quæ tamen materia per noctem ad perfectam suppurationem redigitur, quæ stimulando aliquando ante prandium, & etiã à prandio uomitũ mouet, in quo plurimũ illius materię eiicitur superueniẽte ualida ac difficili tussi. Scribis etiã ipsum pus albũ & copiosum emittere: ad quã euacuationẽ sequuntur ij mali affectus, scilicet uertigo, scotomia, dolor, & prominẽtia oculorũ: eiectio tamen saniei non est quotidiana, sed habet aliquando duas, & tres septimanas, quibus nihil eiicit saniei, quę, ut audio alba est, & post eiectã uomitum etiã sibi associat. Sed aliud symptoma perniciosum ex huiusmodi materierũ retẽtione suboriri uidetur, & est apoplexia, cũ in eo symptomate careat sensu, & motu per id tẽpus, quo natura laborat, dũ huiusmodi materiam expulsioni præparat, in qua expulsione, præter

saniem

ſaniem ſæpe etiam ex ruptura uenæ pulmonis (ut ſcribis) ſanguinis non modica quantitas egreditur. Ego doctiſsime Vlrice,non poſſum non laudare omnia quę uſq; in hunc diem tam in regimine,quàm in medicinalibus remediis exhibitis egiſti: ſed uereor ne res malè ſuccedant, cum audiam affectus diuerſos, & omnes qui Hippocratem medicum expoſtularent. Sed poſteaquam ut meam ſententiam tibi de agendis in futurum ſcribere uelim rogas,eam breuibus equidem ſcribo, ſcilicet,primum reguletur aër, ut nullo modo caliditas in eo excedat,ſed declinet ad aliqualem frigiditatem uicinam temperamento , ita ut minime conſtipare poſsit: ſed quæ refrigeret aliquantiſper ſanguinem, ita ut refrigerato minor fiat euaporatio ad caput:ſit etiam ad aliqualem ſiccitatē declinans. Quare euaporatorium,ſiue hypocauſtum minime hoc in caſu cōueniens eſt.Regatur igitur aër alio ingenio,& poſtquā uir fortis eſt,utatur aliquo leui exercitio,mane ſcilicet ante prandiū, ſimiliter & ueſperi ante cœnam,qui tamen ſit leuis : utatúrq; fricationibus mane antequā è lectulo ſurgat:quæ ſint fortes,& continuatæ, quantū ipſe ſine reſolutione tolerare poteſt, & præſertim crura fricanda ſunt. Sed prius ſtudere oportet,ut aluus fluat : quòd ſi non ſpōte fluxerit, utere clyſteris, ī quibus hiera ipſa ingrediatur, & præſertim hiera logodion,uel hiera pachij,quā Scribonius ſcripſit,quoniam plurimū confert.Dormiat capite ſupino,neq; ſint ſomni longi,nec proximi poſt aſſumptionem cibi,cuſtodiatúrq; caput & à nimio calore & à frigore.Cibi autē ſint illi qui in minori quantitate plurimū nutriāt,& minime uaporoſi,neq; ab aliqua ſiccitate expoliati ſint. Igitur detur panis optimè fermentatus,& non plurimum ſalitus, mediocritérq; coctus.Similiter & carnes ſunt meliores , quæ non nimis humidæ ſunt,ut ſunt uolatilium quorundam,uerbi gratia,perdices,coturnices,phaſiani , pulli gallinarū , capi, & ſimiles:& ex paruis,ut ſunt merulę,turdi,& ſimiles: ſunt etiā laudatæ carnes hœdorū,tametſi hircorū excitent epilepſiā. Pinguiores , & humidiores dimittendæ ſunt,ut eſt caro agnina, porci , & reliquæ. Oua ſorbilia darem etiam,etenim plurimū nutriunt,nec ex eis excrementū notabile remanet. Ferculum etiam ex farre, uel ex ouo in iure capi contuſo. Potes etiam dare ei iuſculum hordeaceū,ſcilicet decocto prius hordeo in aqua chalybeata,cum quo etiam admiſcentur ſemina portulacæ,aut myrti.Dimittenda ſunt ſalſa omnia , & acuta ſimiliter,& uiſcoſa,quæ nimis in ſtomacho morari poſſint,qualis eſt caſeus,butyrū,& ſimilia.Vinū quoq; nullo modo exhiberem:quòd ſi ceruiſiam bibit,uellem ut in ipſa mel decoqueretur.At ſi ipſi magis decoctū hordei,cū melle,& portiuncula zinziberis, & radice peoniæ placeret,mirū in modū iuuabit.Caueat tamen à nimio potu , & in aliis rebus neceſſarius eadem ratione regatur. Qui regimine dicto ſic rectus,medicinali regimine hoc modo etiam regatur. Et poſteaquam ſemel uena adaperta fuit,tametſi tēpus anni minime concedat,ſi uirtus erit fortis , poſtquam etiam tam affectus, quàm cauſæ conſentiunt,iterum ſanguinem à iecoraria dextri brachij mitterem , hoc tamen obſeruato,quòd ſi in aliqua parte pectoris doleret,ab ea libentius ſanguinem mitterem. Vellem quoq; pręter ſanguinis euacuationem cæteros noxios humores euacuare , prius illis digeſtis,cum ſyrupis(uerbi gratia)de betonica,de liquiritia,& oxymelite in minori quantitate:lympharem tamen cum decocto myrtilorum,peoniæ,& melle:& præparata ſic materia darem agaricum præparatum(ut docet Ioannes Meſue)ʒ.ij.cum ʒ.x.diacatholiconis,plus minúſue ſecundum hominis tolerantiam:diſſoluerémq; cum decocto ſuperius dicto. Quo facto procurarem etiam,ut materiæ quæ in pectore congeruntur,per ſputum euacuentur. Quare darem lambentia per os,qualia ſunt,loch de pino,loch ſanū,& expertum:uerbi gratia,ex ſingulo ℥.j.cui adderem ſaccharum roſaceum,& etiam ex floribus boraginis,ex ſingulo ℥.s.Neq; dimitterem bolum Armenium orientalem,ſed ponerem ʒ.ij.ſicq; cum ſyrupo myrtino facerem lambitiuum,quo ipſe uteretur:& ad ſputum facilitādum, & etiam ad ſanguinem aliquantiſper ſiſtendum,inungerem quoque partes exteriores pectoris , cum oleo amygdalarum dulcium,butyro recenti,añ.℥.j.cui adderem boli Armenij orientalis ʒ.j.s.ut minus eſſet labor in expuendo.Dabis etiam ei diadragantum cum bolo Armenio orientali,uel diacodionem ad ſiſtendum materiam à capite.Cautè tamen iſtis uti oportet,cum craſſam reddant materiam,quæ poſtea in cerebro detenta obſtruit meatus uentriculorum,à qua obſtructione ſequitur accidens illud terribile,& formidabile. At cum ſtomachum etiam non bene affectum eſſe appareat, cum præter dicta etiam uomitu moleſtetur , regionem ſtomachi unguento aliquo ipſum roborante inungere optimum erit,quale eſſet factum ex oleo de abſinthio, maſticino,nardino,& de mentha,additis corallis , cinnamomo,gariophyllis,macis,& portiuncula ceræ. Et hæc ad te in primo caſu ſcribere uolui, reſpondens tuis literis,quæ nō ex omni parte rem mihi declararūt:etenim nihil de febre in ipſis notaſti:ſolent namq; qui pus in pulmone & ſtomacho habent , febrem etiam pati & fixam & putridam:quare ſi febris aliqua(ut in iſtis contingit)hominem moleſtet,eam te non negligere oportet,remedijs opportunis ei ſuccurrendo,ita ut nihil non pręcognitum,nihilque ſine auxilio relinquas:quare tuum erit moderare ſecūdum rei pręſentis opportunitatem. Porrò indies multa mutantur in ægris,quæ etiam curatiuas intentiones mutāt. Quod uero ad puerum xiij.annorum ſpectat,qui amborum crurium impotentia ad omnem motum laborat,à cauſa procatarctica,ſiue euidenti,ſcilicet ex lauatione cum rebus frigidis:equidē puerum primum opportunis euacuationibus expurgarem,deinde ipſum balneis ex decoctione ſaluiæ,roſmarini,ſtœchados , & ſimilibus leuiter calefacientibus lauarem. Sed nunquid hoc malum ab aliquo affectu in ipſa ſpina dorſi originem habeat , animaduertere operæpretiū eſt. Scis enim ex ſcientia anatomiæ neruos à ſpina ad crura deſcendere. Nunquid etiam contracta,& exiccata ſint crura , uel potius humectata,& reſoluta inſpicere oportet. Quòd ſi primo modo res ſe habet,mollientia & temperatè calida cōueniunt,qualia ſunt decocta ex carnibus , puta ouinis, ueruecis,& ſimilibus,additis herbis , floribus,& ſeminibus quibuſdam,quales ſunt maluæ,althęa,& ſaluia, ſtœchados,ſemina fœnigræci , orobi , & ſimilia , à qua decoctione colligere oportet pinguedinem natantem, cum qua poſt lotionem crurium,& excitationem cum linteo inungere mēbra læſa oportet,& præſertim dorſum. Quòd ſi ſecūdo modo res ſe habet,uidelicet ſi cauſa fuerit ab aliquo affectu ſpinæ dorſi,uterer ego decocto,puta ex iua arthetica,ſaluia,roſmarino,coſto , ſtœchade,camomilla,betonica,in uino potenti albo , & lauarē imprimis dorſum,ſubinde crura,inungerémq; oleis uirtute calidis,ut eſt oleum de coſto,liliaceum,camomælinum,& ſimilia : uel lauarem cum aqua ſublimationis uini,quam aquam uitæ,& aquam ardentem uocant,& ijſdem oleis inungerem. Similiter in regimine ſex rerum neceſſariarum facere operæpretium eſt, ſcilicet regere ipſum ita,ut caueat ab omnibus quæ neruis contrariantur. Poſtremo de puero trium annorum, qui & ipſe à cauſa procatarctica,ſcilicet à caſu in crurium debilitatem,& impotentiam motus incidit,& ut audio multa applicuerunt medicamina ex calidis decoctis,& unctiones,& emplaſtra , quæ tamen puerum ſanitati non reſtituerunt,ſed alterum crus carne minus factum eſt. Huic rei opus eſt diligenti conſilio,& ideo animaduertendum eſt ne forte applicentur ea quæ nimis calefaciunt,cum puerorum carnes ſint tenellæ,& facile diſſoluantur,quo fit ut eorum membra exiccentur ex calidis ſæpe applicitis. Nam cū calor pueri exiccando procedat,ſi hoc malum eſt,quoniam humiditates nimiæ ad membrum cucurrerunt,ſperandum eſt, quòd natura indięs eas humiditates exiccare poſsit: quicquid tamen ſit,tam in uno,quàm in altero,frigida omnia remouenda ſunt. Etenim mirificè nocent. Caueat itaq; non ſolum ab aëre frigido,uerum etiam à cibis,& potionibus,ut ſunt piſces,poma,citri,limones, & acetoſa omnia,ſimiliter aquæ frigidæ potus nocuus eſt:bibat igitur aquam mellis cū ſaluia,uel zinzibere, uel radice acori,& ſimilibus. Hæc ſunt doctiſsime Vlrice,ea quæ ex tuis ad me ſcriptis tum colligere potui, tum etiam quæ in enarratis affectibus faciundum conducere pro temporis anguſtia non ſolum ex negociis, ſed etiam ex inſtantia tuarum literarum oſtenſoris puto. Vale,& nos omnes ut facis ama. Apollonius qui laborauit febre acutiſsima , & non ſine maximo uitæ diſcrimine , melius habet , qui te unà cum tota domo ſalutat. Venetiis, M. D. XLIII. Die VIII. Decembris.

AD RE-

AD REVERENDVM MAGISTRVM *Dominum Ioannem Franciſcum Marinum, ordinis minoris Sancti Franciſci Prouinciæ Sancti Antonij de Padua miniſtrum, Epiſtola XVIII. de uertiginoſo affectu, & doloribus inteſtinorum.*

NE me reuerende magiſter negligentia accuſes, uacare à negotiis ęgrotantium deſidero, ut poſsim pro tua optima ualetudine aliquid te dignū ſcribere: præſertim cum firmiter ſciam, non ſolum me abs te diligi, uerumetiam plurimum amari. At quoniam tēpus breue mihi ob uiſitationem plurimorum ęgrorum in præſentia eſt, eapropter dimiſsis ſpeculationibus quàm poſſem antè regimen medicinale ſcribere, rem ipſam aggrediar. Et tametſi plurimæ malę diſpoſitiones præceſſerint, duæ tamen nunc in conſideratione ueniunt. Quarum prior eſt, quidam inteſtinales dolores à materia craſſa in uentum cōuerſi. Poſterior uerò, uertiginoſa diſpoſitio per conſenſum à ſtomacho & inteſtinis, qui tamen ambo affectus ab una cauſa pendere uidentur. Quod cum ita ſit, eos ſub uno ad te ordine medicinali regulandos ſcribere conſtitui, habita ſcilicet ratione, in primis huius aëris hoc in tempore ad penſtilētialem malignitatem: cum mea quidem ſentētia in præſentia maioris diſcriminis ſit, ad quam etiam animū primum conuertere ſtatui. Et tuam reuerēdam paternitatem in primis admoneo, ut caueat quàm fieri poteſt ab aëre craſſo, humido, & pluuioſo caliginoſóq;. Quòd ſi contigerit fortefortuna aliqua neceſsitate, uiſitare loca craſsi uel mali aëris, quàmprimum recedere ab eo te, quantū poſſum præcipio. At ſi per aliquot dies ibi morari neceſſum fuerit, aërem rectificare ſaltem cameræ in qua moraberis, & præſertim nocte, & hoc facies accenſo igne. Similiter nō egrediatur è domo tua paternitas, niſi prius ſol uapores aëris exiccando aliquantiſper rectificauerit, quod erit duabus horis poſt ortū: tecūmq; habebis ea odoramenta, quæ cordi & cerebro conferūt, ut ſunt laudanum, ſtyrax, & ex herbis & fructibus, ſaluia, roſmarinus, mentha, pulegium, laurus, & cum ipſis roſæ, & uiolæ, aliquando mixtæ ſimiliter, citri, limones, & quas arantias uocāt, & alia ſimilia iſtis. Similiter ueſperi ante ſolis occaſum domum te recipias, & feneſtræ claudantur, ne aër nocturnus ingredi poſsit. Cibi præterea ſint boni nutrimēti & paucarum ſuperfluitatum, qui potius declinent ad aliquam leuem ſiccitatem, utputa panis bene fermentatus, ac mediocriter ſalitus: & carnes ſint quales ſunt pulli gallinacei, & auiū nemoraliū, ut ſunt merulæ, turdi, perdices, coturnices, & conſimiles, ut capones, & reliquę iſtius generis. Sunt etiam optimæ carnes hœdinæ, uitulinæ, caſtrati unius aut duorum annorum, leporis iuuenis, & ſimiles. Oua quoque recētia ſunt bona, præſertim ſorbilia cum grano ſalis, aut in iure carnis contuſa, cum modico ſucci uuę acerbę, ſimiliter decocta in iure integra, uel in aqua cum ſale & ſucco uuæ acerbæ, aut cum ſucco arantiarum, & modico ſacchari, & cinnamomi. Cæteræ autem carnes, quales ſunt bouinæ, agni, porcinæ, anſeris, anatis, non ſunt comedendæ, neq; oua dura aut frixa: ſimiliter & piſces omnes ſunt mali: quòd ſi aliquando comedantur, ſint ſquamoſi degentes in aquis claris, ut ſunt trutæ, lucij, temuli, barbi: ex maritimis ut auratæ, barbi, lupi, ſcorpiones, dentales, menæ, & ſimiles. Ii tamen omnes humidi ſunt, & ideo rarò comedantur, & potius aſsi quàm aliter, & aſperſis aromatibus, ut eſt cinnamomum, macis, & ſimilia: uel ſint cum gariophyllis condîta fercula. Quæ laudabilia ſunt, & comedi poſſunt, ſunt, ut far in iure carnium, uel oua confuſa in iure, cum modico aceti, aut ſucci uuæ acerbæ, & parum cinnamomi ad temperandum frigiditatem iſtorum. Panatella etiam optima eſt, uel panis in iure lotus, ſimiliter optima ſunt fercula, quæ ex boragine, bugloſſo, fœniculo, & ſimilibus præparantur: ſunt etiam optimi lupuli, aſparagi, cappares, etiam cōdîti cum aceto, & cinnamomo: ſapores quoq; facti ex amygdalis, ſaccharo, mētha, zinzibere, cinnamomo, aceto, aqua roſacea, et ſimilibus, qui cum carnibus ſunt comedendi. Poſt cibū optimum erit fiſticos maſticare, coriandros, uel ſemina aniſi. Sed ſi ante cibū etiā, præſertim mane radix zinziberis condîti comedatur, ſummopere laudo, nā ſtomachum roborat, & fugat flatum. Ea uerò cibaria quæ nimis humida ſunt, dimittantur, ut ſunt carnes omnes pingues, & nimis humidæ, ut porcina, agni, anſerum, anatis, & ſimiles. Similiter lacticinia omnia ſunt mala, ut butyrum, lac, tam coagulatum, quàm non, caſeus, & ſimilia. Oua etiā frixa, uel dura ſunt mala, & olera quoque, ut braſsica, & cętera humidiora: ſimiliter fructus omnes, ut ſunt poma, pyra, & reliqui humidi. Vinum illud laudabile eſt, quod neq; dulce, neq; acerbū eſt, medij coloris, boni odoris, nō nimis potēs, nec aquoſum, ex quo temperatè bibendum eſt, non antè quàm comedatur, neq; pòſt: ſed comedendum ſæpe, & parū bibere oportet: quòd ſi uinoſum fuerit, limphetur aqua dulci clara, non paludoſa, neq; malum habēte odorem, uel ſaporem. Nimia repletio tam cibi, quàm potus nocua eſt: & præſertim nocet plurimum comedere in cœna. Sit igitur cœna minor prādio. Studendū eſt in quotidianis ſuperfluitatum expulſioni, & præſertim fæcū, & urinæ. Ad hæc conducunt comeſtiones rerum quæ facilem reddunt uentrem ad ſeceſſum, ut ſunt iura mane ſumpta cum ſaccharo, & fercula ex oleribus, qualia ſunt boragines, & bugloſſæ, & etiam paſſulę mane ante cibum comeſtæ, quoniam uentrem mollem reddūt. Quòd ſi iſtis non facilitetur ſeceſſus, pilulæ, quas communes uocant, ſumantur: cōſtant enim ex duabus partibus aloës, & una myrrhæ, & etiam croci unà cū uino optimo: ex quibus ſumatur una ante prandium per horam, quoniam pręterquam quòd mouet excremēta fæcalia per ſeceſſum, etiam præſeruat à febre peſtilentiali. Ante cibum tamen confert leuis deambulatio: nam excitat calorem naturalem, tum ad reſidui ſuperfluitatum expulſionem, tum etiam ad digerendum ingeſturum cibum, calorem excitādo. Quare nullus ſit dies ſine exercitatione, non tamen ſit illa quæ poſsit uirtutē diſſoluere. Dormire etiam horis conſuetis multū facit, & laudatur. Diurnus tamē ſomnus, reuerende pater, tibi ſemper noxius erit: nā implet caput, & facit ad rheumatiſmos, & ad ægritudines catharrales. Quòd ſi uel uſu, aut aliqua alia cauſa, puta quoniam nocte non dormieris, uel quia uentriculi calor imbecillis ſit, ita ut ęgre cibum concoquat, ſomnus omnino nō denegatur: ſed ille ſit breuis, & ſaltem per duas horas poſt acceptum prandium. Nocte tamen dormiendū eſt ad libitū, utputa uſq; ad octo horas, non ſit tamen minus ſeptem. Vtilis eſt ſomnus matutinus uſq; ad horam primam diei. Nimia uigilia profecto nocet, cum uirtutes omnes imbecilles reddat. Poſtremò lętari, & eſſe cum charis amicis mirum in modū confert: & ideo triſtitia fugiēda eſt, ſimiliter ira, excādeſcentia, cogitationes malæ: quoniā (ut dixit Galenus) exterminānt corpus, & mutāt à conſiſtentia quæ eſt ſecundum naturam. Iſtis ſic obſeruatis, poterit reuerenda dominatio tua præſeruari non ſolū à duobus iam dictis præter naturam affectibus, ſed etiā à multis alijs. Qui affectus ſi acciderint (quòd deus auertat) ſuccurratur ſecundum eorum diuerſitatem. Prior qui eſt inteſtinorum dolor, ſi à comeſtione rerum malarum, aut à plurima ſuperuenerit, curetur hoc modo: primum abſtinere oportet à malis, & plurimis cibis, mox uentrem cum iſtis pilulis purgare, prius tamen lenito uentre clyſtere communi, cum oleo camomelino. Pilulæ uero ſumantur mane in aurora. ℞ pilularū de benedicta ℥.1. alephanginarum ℈.2. fiant pilulæ 5. tardetur prādium per quinq; horas: pòſt locus dolēs poſt operationem pilularum, fomētetur oleo camomelino, anethino, uel cum decocto florum camomillæ, anethi, fœniculi, abſinthij, betonicæ, & ſimiliū. Panni ſimiliter calfacti, & loco doloris appoſiti conueniunt. Cauendum eſt à frigore, & comeſtione, & potu rerum frigidarum. Vtere quoq; fœniculo, uel aniſo poſt cibum. At ſi uertiginoſus affectus ſuperuenerit, obſeruato in primis regimine ſex rerum neceſſariarum, ſumendæ ſunt pilulæ hoc pacto. ℞. pilularum alephāginarum ℈.2. aurearum ℈.1. fiant p.3. ſumātur mane in aurora: tardetur hora prādij uſque ad quinque horas poſt acceptionem pilularum: quod prandium ſit ex cibis bonis, & facilis digeſtionis. Ad corrigendum hoc accidens accipiat poſt cibum coriandos conditos cum ſaccharo, uel aniſum. Mane ante cibum accipiat rotulam cōfectionis diamuſci dulcis, uel pliris arcoticum: & etiam tempore acceſſionis uertiginis: nam prohibent uapores aſcendere ad caput. Hæc pauca currenti calamo reuerende Domine ad te ſcribere uolui, quæ continent in primis regimen uniuerſale præſeruatiuum à duobus affectibus, & etiam particularem curam ipſorum. Vale ut optat

tua

tua dominatio, cui quantũ poſſum me commẽdo ſtudio. Venetiis, M. D. XXX. Die XXV. Auguſti.

AD EXCELLENTISSIMVM MEDIcum Anchonitanum, *Epiſtola* XIX. *de affectu doloroſo in maxilla dextera nobilis Dominæ Ioannæ Landrianæ.*

TVmultuarie ſanè (ut ais) ad nos de affectu præter naturam nobilis Matronæ Dominæ Ioannæ Landrianæ ſcripſiſti, doctiſsime Doctor: etenim multa ad perfectionem informationis deſiderantur, quæ poſteaquam minime in præſentia haberi poſſunt, rem ipſam ex mutilatis ſcriptis, ſic rationibus, & coniectura aperiam. Habes (ut ſcribis) matronam ætatis quadragintaquinque annorum, optimę temperaturæ, quæ à iuſtitiali temperamento, per calidum in actiuis, per humidum in paſsiuis declinat, ut ex ſenſatis ſignis habes: in qua ætate (ut plurimum) mulieres ab expurgationibus menſualibus ceſſare ſolent. Cui Dominæ cum iam ſint duo anni quòd menſuales euacuationes ſuppreſſæ ſint, à qua ſuppreſsione uiſa eſt incidiſſe in quendam particularem affectum prẹter naturam, dexteræ ſcilicet maxillæ interioris partis oris, & illum quidem doloroſum, cum manifeſta coloris loci ad ruborem mutatione, citra omnem tumorem: à quo affectu duæ naturales operationes manifeſtè lẹduntur. Etenim (ut præſtantia tua ſcribit) nec dentibus cibum præparare ualet, nec etiam commodè deglutire poteſt: quod malum ſexcentis rationalibus remediis ſanari hactenus non potuit. Equidem uir doctiſsime, etſi ægrotantem, ac etiam particulam affectã minime inſpexerim, ex tuis tamen ſcriptis ſic cauſam, aut morbum, à quo hoc accidens, quod eſt dolor uehemens, inueſtigare tentabo. Nam deficientibus menſtruis euacuationibus, quanquam non inſpecta temperatura, & ætate, in tempore: attamen etſi non in optimo tempore, nihilominus in ſatis propinquo illi, in quo natura ſolet (ut dixi) ab huiuſmodi euacuatione ceſſare. Verum etſi natura eam materiam non amplius, ſicuti ſolebat, euacuet: non tamen poteſt ſanguinem ita purum generare, ut mundus ſit à tali ſuperfluo, & inutili ſanguine: qui dum retinetur cũ bono ſanguine, & non amplius extrà pellatur, ſæpiſsime ea ratione morbi nõ pauci, & affectus præter naturam oriuntur, ut teſtatur Galenus quinta parte Aphoriſ. comento lvij. & ſexta, comento xxviij. Nam retento menſtruali ſanguine, tum ex uirtute in expellẽdo iam decurſu ætatiuo imbecilli facta, tum etiam quoniam calor non ita æque bene concoquere poteſt ſicuti antea, unde plurimæ, & craſsiores ſuperfluitates gignuntur: adde etiam quòd mulieres cum parum exercitentur, & plurimum comedant: ſicq; omnibus his de cauſis multæ ſuperfluitates in ſanguine retinentur, quæ frigidæ ſunt, admiſtæ tamen calidis aliquibus ſuperfluitatibus, primũ in epate genitæ, quòd aliquo modo per cõſenſum obſtructorum meatuũ matricis non æque bene ut antea ſanguinem aliis mẽbris præparat, ſed craſsiorẽ. Qui cum à mẽbris ſic attractus, & nõ correptus, & præſertim à capite, ſuperfluitates ipſius quæ in primis ſunt, admiſtæ tamen calidis, ad fauces ſiue ad maxillã deſcendũt, cauſántq; dolorẽ illũ uehemẽtẽ, qui proculdubio ex dictis non niſi à mala tẽperatura diuerſa eſſe poteſt. Nunquid uerò ſoluta, etiã continuata ibi ſit, hoc tibi decernendũ relinquo. Ex his duo habere potes. Prius, malã ſcilicet iocinoris temperiẽ frigidã, nõ ſolum ex ſuperius dictis, uerumetiã ex diuturnitate affectus. Poſterius quoq; eſt capitis, ſiue cerebri ſecundarie refrigeratio. Quòd ſi etiam uniuerſi corporis refrigerationem addideris, nullus erit error: ex quibus morbũ in temperatura uitiati epatis in primis apparet: ſubinde capitis, & totius corporis, à quo ſequitur accidens, quod eſt dolor uehemens ex deſtillatione frigidę materię, cũ admixtione etiã calidorũ humorũ. Nũquid uero ſalſus ſit humor ſic admixtus deſcendẽs, necne, nõ poſſum in præſentia affirmare, cũ ad ſalſum ſaporem (teſte Ariſtotele in libello de ſenſu, & ſenſato, & Auerroẽ in cõmento) præter caliditatẽ, requiratur etiã & humiditas, & ſiccitas. Quòd ſi ipſa Domina ipſum ſaporẽ ſe ſentire affirmet, nullam de hoc quæſtionẽ haberemus. At quę ſenſui ſe offert de colore rubro loci affecti: dixerim ego, poſteaquam locus rubet, eſſe mixtionẽ calidi alicuius humoris, facientis etiã ad doloris uehementiam. Sed diuturnitas affectus in particula, ætas primi ſenij, ſexus, & reliqua, cum ſemper craſsiores ſuperfluitates generare ſoleant, mihi dominiũ frigidæ materiæ oſtendunt, ita ut cauſam materialem huius affectus materiã frigidam à prædominio neceſſario ponam, admiſtã tamen aliquibus calidis humoribus, poſteaquàm calidã temperaturã à principio generationis habuit. Cur uero natura has ſuperfluitates potius in maxillam, & illam quidem dexterã trãſmiſerit, & indies quoq; tranſmittat, facilis non eſt ſolutio: ſed cũ loci ſuſcipientis diſpoſitione, ſiue præparatione, uel ob imbecillitatẽ, aut ob uias, & meatus ibi latiores, ſiue ex aliquo alio accidenti, facilè eſt quæſtionem ſoluere. Vnũ autem nõ prætermittendum eſt, uidelicet ne fortè ut in multis ſit doloriſicis paſsionibus noſtris temporibus, aliqua occulta qualitas præter manifeſtas dictas in humore ita diuerſo in epate ex aliqua cõtagione cõtracta ſit, quam epidemialem, & morbũ Gallicum uocãt. Etenim morbus iſte cum ſit primo cõplexionalis, non oſtendit manifeſtum (ut dicebat Galenus primo de morbis, & ſymptomatibus) in patiente alterationem, ſed occultè procedit, ita ut unum duntaxat membrũ inficiens, cætera incolumia eſſe uidentur. In hoc nimis eſſet oratio longa, ſi omnia quæ ad iſtius morbi cognitionem faciunt, ſcribere uellem: ſed ea ſigna te facilè in cognitionem huius morbi ducere poterunt, quæ in primis ab ipſa domina patiente habere poteris: ex præteritis quæ ſibi acciderunt, ac ex præſentibus ſymptomatibus: de quibus ego fuſius in meo libello de morbo Gallico ſcripſi. Tua uerò excellentia in hoc ſibi ipſi conſulat, quòd ſi quid boni ex ſuperius memoratis ad cognitionẽ iſtius mali affectus prẹter naturam habebis, Deo optimo maximo dabis laudem. Alioquin poſtquàm tot facta fuere, & ea quidẽ canonicè, caſum difficilem habes, ac nõ ſine diſcrimine futuri alicuius tumoris mali moris, atq; oſsis loci corroſionis. His breuiter prælibatis, ſic curatiuas intẽtiones elicere oportet. Primũ quidem præmiſſa regula ſex rerũ neceſſariarũ per cõtrarium, ut ſcilicet caueat ab aëre frigido, & humido, & etiã ab humidis & frigidis eduliis, à minima quiete, à repletione, et ſtudeat ut ſuperfluitates ſtomachi, & inteſtinorũ quotidie per ſeceſſum euacuẽtur. Similiter caueat ab animi malis cogitationibus, cæteriſq; omnibus quæ corpus refrigerare poſſunt. Secundo uena iecoraria dextri brachij aperienda eſt: nam etſi affectus minime à calida ſimpliciter cauſa, uel materia pendeat, nihilominus nõ ſine admiſtione calidorum humorum eſt. Etenim uenæ ſectio multitudinem, & malitiam ſanguinis refrigerati, etiam (autore Galeno in libello de ſectione uenę, & experientia cõprobante) euacuat, cõfértq; extremis morbis nõ ſolum prẹſentibus, ſed etiam futuris. Quare ſi uirtus tolerat, poſtquam & ętas, & tempus anni ad hoc inuitãt, & menſium ſit ſuppreſsio, poſt apertionem uenæ iecorariæ, ſecarem ego etiam uenam pedis dextri, quam ſaphenam uocant, ad tolerantiam uirtutis: ſicq; ſperarẽ primo membra iſta exonerãdo meliora reddere, & materiam diuertere, & minorare. Dum uero iſta fiunt, prẹparetur reliqua materia ad euacuationẽ, cum illis quæ hepar, & matricẽ, & etiam caput corroborare poſſunt: & inter cætera placet ſyrupus de betonica, & ſyrupus de capillis ueneris, cum aquis ſtillatitiis, puta abſinthij, cicoreæ, & betonicę, uel cum decocto abſinthij, betonicæ, capillorum ueneris, & ſimilium. Sic ego uellem materiam decoquere, ſeu præparare ad facilem euacuationem, & ſimul membra prius læſa roborare, ita ut apparente ſigno concoctionis in urinis, pharmaco leui minorãdo, & ſępe educendo, eam materiam per ſeceſſum educerem. Et quoniam materia craſſa (ut dixi) eſt, ipſa nõ poteſt unica, & eradicatiua (ut ita dicã) euacuatione educi: ideo ſenſim uellem eã educere, uidelicet poſt aliquam coctionem, ut leuiter euacuetur: & iterum pòſt dentur digerentes, & præparantes ſyrupi, & iterum pharmacum euacuatiuum. Porrò inter cętera euacuãtia, quæ in hoc caſu conducere poſſunt, & mihi ſummopere placent, eſt agaricus, & electuarium lenitiuũ: quæ duo diſſoluerẽ cũ decocto ſuperius dicto. Cõducerent etiam pilulæ aliquando, ut ſunt aggregatiuæ, & ſimiles. Quòd ſi etiã à loco particulari aliqua eſſet neceſſaria (ob pertinaciã particularis affectus) euacuatio, aperiantur uenæ quæ ſub lingua ſunt, & adminiſtrentur localia anodina, qualia ſunt decoctiones ordei, fœni

græci

græci,ſeminum lini, florum uiolarũ, cum ſapa, & aqua ſolani,qua cum os abluatur,& per aliquod tempus ſupra locum teneatur. Leniẽdus eſt etiam locus exteriùs, cum oleo roſaceo,camomęlino,& amygdalino:applicentur etiam exterius emplaſtra anodina, utputa facta ex farina ordei,fœnigræci, ſeminis lini, florũ camomilli cum ſapa,& aquis maluæ,& ſolani. Vnum tamen non prætereo,ut animaduertas nunquid dens aliquis male affectus in occultis radicibus perforatus, uel corroſus,cauſa ſit iſtius doloris, uel potius corroſio oſsis mãdibulæ intrinſecæ pãniculum tegentem infeſtet, quam princeps Auicenna uẽtoſam ſpinam uocat. Quòd ſi uel alterum, uel ambos affectus in loco cognoueris, uera cura particularis eſſet,prætermiſsis uniuerſalibus, manualis operatio, uel dentis extractio, uel loci oſsis corroſsi apertio, & oſsis mundificatio. Iſtis omnibus uiſis,factis, & conſideratis, ſi dolor pertinax fuerit (ego ingenue fateor) uellem quòd hæc Domina biberet decoctum ligni Indici, cum ea uictus ratione quam ipſa tolerare poſſet. Et quoniam hæc copioſe ſcripta ſunt in meo de morbo Gallico opuſculo, tuũ erit (ſi placebit) reliqua ex eo libello ſumere, quæ ad perfectionem curæ, & poſtremo ad robur membrorum prius affectorum faciunt. Hæc ſunt uir doctiſsime quæ pro temporis anguſtia in caſu difficillimo ad te ſcribere uolui. Vale. Venetiis, Die I X. Aprilis. M. D. XLIIII.

## AD DOMINVM HIERONYMVM *de Nimira Arbenſem,Epiſtola X X. de malo affectu uentriculi cum inflatione ipſius.*

PRoximis diebus tuas accepi literas,quibus narras te habere uentriculum repletũ multo humore pituitoſo, cum inflatione ipſius, & cum frequenti eructatione, inſipida tamen:ac etiam multo exitu uentoſitatis per infernas partes, pręſertim poſt aſſumptionem cibi. Quare petis, ut remedia ſalutaria tibi mittere in ſcriptis uelim. Ego uerò, qui te ſemper paterno amore proſecutus ſum, non poſſum in re quã poſſum, tuis petitionibus non obtemperare. Sed ut omnia ex ordine procedant, primùm cum intentiones curatiuæ omnium morborum (ex ſententia Galeni) ex cognitione morbi eliciantur,quæ cognitio non fit niſi cauſarum intelligentia:ideo primũ,cum uentus tam per os,quàm inferius continue appareat, illum quidem non niſi ex ſtomachi,ſeu uẽtriculi refrigeratione ex imminuta eius naturali caliditate euenire dico, ut Auicenna teſtatus eſt xiij.tertii dicens: Cum quis poſt cibi ingeſtionem, uel ante, uentriculi inflationem, & extẽſionem ſentiet, & non quieſcit niſi cum eructatione,is ex uentriculi refrigeratione prouenit. Quam autoritatem pluribus rationibus confirmare poſſum:& primum, quoniam ſenes decurſu ætatiuo, etſi à principio generationis calidiſsimam temperiem contraxerint,in frigidam tamen, & ſiccam deueniunt.Nam ſeneſcere nil aliud eſt, quàm cõſumptio humidi radicalis,& calidi reſolutio: ex quo fit, quòd ſenes ex hac caloris natiui reſolutione plurimas materias crudas primo in uentriculo aggenerant, quæ poſtea materiæ ad membra ſenum, ſi cum nutrimento attrahãtur, quendam modum pinguedinis aggenerant,quæ tamen non uera eſt pinguedo, ſed repletio quædam illius humoris crudi pituitoſi. Et tametſi temperamentum iocinoris naturale plurimum per calidum declinet,non propterea poteſt in hac ſenili ætate in qua(ut dixi) plurimæ materiæ pituitoſæ in uentriculo generãtur, eas corrigere,& ex toto conſumere, cum in præſentia debilior facta ſit, & maior etiam quantitas materiæ in uentriculo continuè præſentis exiſtat, imò iocinoris caliditas irritando uentriculi expultricem uirtutem, efficit ut plurima uentoſitas per inferiorem partem pellatur. Etenim uentriculi calor cum (ut dictum fuit) ſit imbecillis, non regulatur à calore iocinoris, ſed potius eam diſsipat, & diſſoluit, quæ ſic imminuta dum agit, & non reſoluit, in uapores eam materiam conuertit, qui uapores, cum ſeſe impellant, flatus,ſeu uentus dicuntur:cum uentus nil aliud ſit, quàm uapores impulſi. Quòd autem uentus fiat ab imminuta caliditate,teſtis eſt Auerroẽs Meteororum primo. Nam reddens cauſam cur in æſtate,& hyeme uẽti non fiant fortes,& frequentes, ſicut in aliis temporibus, dicit hoc eſſe, propterea quoniam nimia æſtatis caliditate craſsi uapores à ſole eleuati exiccantur, comburuntur,& conſumuntur. Et in hyeme frigiditate aëris condenſantur,ita ut eleuari cum difficultate,& impelli poſſint. Aliis tamen temporibus, uidelicet in uere, & autumno,uenti maiores,& frequentiores fiunt:quia caliditas aëris mitis eſt, ſicq; eleuat uapores:qui dum impelluntur,uentus eſt,quæ caliditatis operatio in minori coſmo,in homine ſcilicet etiam apparet. Nam ſi ualida eſt hominis caliditas, poteſt utiq; uapores omnes conſumere:ſi minus,dum eleuantur,& impelluntur,faciunt extenſionem, & eructationes, & inferiores flatus, dum materiam pituitoſam, quæ in uentriculo, & inteſtinis eſt, conſumere non ualet. Ex dictis habes inflationem uentriculi prouenire ex refrigeratione caloris,tum ex decurſu ætatiuo,cum ſenex ſis,tum etiam ex malo regimine ſex rerum neceſſariarum:nam audio te frigida quàm plurima comedere,ut ſunt lactucæ,citrulli, ſiue cucumeres, piſces: & alias res humidas, ut ſunt carnes porcinæ, & pingues: ac etiam plurimam butyri quantitatem:quæ omnes uel calorem remittũt,uel obtundunt.Et replet quoque plurimum uentriculũ crudis humoribus dimiſsio exercitii,& ſtudia,præſertim poſt cibũ, & nimia uigilia ſi addatur dictis, omnia poſſunt plurimũ calorẽ naturalem imbecillẽ reddere. His ſic breuiter prælibatis, remedia curatiua, & præſeruatiua per contrarium ſubſcribam:quoniã morbi omnes ſuo medentur contrario, ſicuti ſanitas ſuo conſeruatur ſimili.

Primum igitur quod regulare oportet,eſt aër, in quo manere ſemper neceſſarium eſt. Sit igitur aër domi ſiccus,& calidus,ſed non plurimum excedat Nam frigiditas caliditatem deſtruit,& humiditas eam obtundit,& debilitat. Quare in hyeme & frigidioribus humidioribuſue temporibus accendatur ignis in camera,præſertim nocte, & horis matutinis: & tempore pluuiæ, & aëris caliginoſi non egrediatur domũ, ſitque in camera ignis perpetuè.Secundum,quod regulandũ uenit,eſt cibus & potus, qui tam in quãtitate,quàm in qualitate indigent moderatione. Quare panis ſit ex optimo tritico bene fermentatus, ſalitus, & in clibano optime coctus, in quo ſint etiam ſemina fœniculi, uel aniſorũ, uel cymini,uel apii in conuenienti,& non multa quantitate. Carnes quoq; ſint optimæ,non pingues,neq; humidæ,ſed ſint declinãtes ad aliquã ſiccitatẽ,ut carnes optimarũ auium,& quadrupedum,inter quas laudatiſsimę ſunt perdices,turdi,merulę,coturnices magnę,phaſiani, gallinæ,capones,& ſimiles: & in quadrupedibus optimæ ſunt hœdinæ,leporinæ,ceruinæ iuuenes: quoniam carnes tam leporis,quàm cerui ſenis humorẽ melãcholicũ aggenerant. Carnes uerò uitulinæ tametſi humidæ ſint, nõ ex omni parte malæ ſunt, nutriũt, & optimum ſanguinem gignunt.Reliquæ uerò carnes,quæ humidæ ſunt,ſi comedantur,ſint conditæ ſale & fœniculo. Similiter & piſces ſi comedantur, præparentur cum ſale, & fœniculo,& aliis aromatis,& ſalſamẽtis.Sed oua tarica cum pituitam exiccare poſsint, optima ſunt. Præterea carnes aſſæ magis quàm elixæ in caſu conueniunt. Caſeus etiam uitandus eſt:quòd ſi aliquando comedatur, ſit uetus, & ſalitus: attamen melius eſt eum dimittere, quoniam humorem pituitoſum, & lentũ generat. Oua ſorbilia uel in iure confuſa, aut cocta, mollia non indurata,cum cinnamomo, uel alio aromatum, quoniã nutriunt ſine uel cum paucis excrementis. Legumina omnia mala ſunt, cum ſint flatuoſa, & etiam excrementoſa.Similiter & olera mala ſunt,præter quædam,ut eſt fœniculus,anethũ, mẽtha,ruta, apium. Fructus omnes interdicantur præter fiſticos, ficus exiccatas,oliua,cappares,cardones,& ſimiles:ſalſamenta,& ſalatutium ex lupulis,aſparago, capparibus,cretamarina. Sunt ex uſu ſimiliter ſalſamenta quæ ex petroſelino, mentha,amygdalis cum cinnamomo , & gingibere in caſu conducunt. Similiter ſi poſt cibum comedantur aniſum, uel fœniculus, uel fruſta cinnamomi, cum ſaccharo condita,optimè conducunt, quoniam roborant calorem innatum uentriculi: ſimiliter & alia aromata, ſi cum cibariis permiſceantur, ut eſt piper , zinziber, gariophyllus, nux muſcata, macis, & ſimilia. Sed animaduertendum eſt in eorum uſu, ne ex immodica quantitate nimis corpus calfacias: eorum tamen uſus ſi moderatus fuerit, plurimum roborando calorem uentriculi, & uentoſitatẽ diſſoluendo, ex uſu erit:præſertim ſi ſimul componãtur,& piſtẽtur,hoc modo.℞.cinnamomi ℥.s.gariophyllorum ʒ.i. s.nucis muſc.macis, zedoariæ, gingiberis, cardamomi, galangæ añ.ʒ.vj.ſpicæ ʒ.i.

aniſi, fœniculi, nigellæ añ.ʒ.v.croci ʒ.ij. omnia ſimul piſtentur, & cum ferculis & aliis cibariis uſui ſeruẽtur. Potus uerò ſit uinum optimum odoratum, & clarũ, non dulce, nec acerbũ, ſed medii ſaporis: quod ſi potens nimis, & uinoſum fuerit, diluatur aqua, in qua decocta ſint ſemina aniſorum, uel fœniculi, uel cinnamomi fruſta. Quantitas ſit autem mediocris, quoniam plurimus potus cibum natare facit, & etiã rectã concoctionem ipſius impedit. Hora autem ſumendi cibũ matutinum, ſit hora tertia diei: quia in mane uentriculus melius ad concoctionẽ cibi diſpoſitus eſt, cũ iam per nocturnam quietem calor unitus ſit, & fortior ad omnes operationes naturales peragendum. Et cœna ſit leuior prandio: quoniã horis ueſpertinis calor ex labore diei ſparſus, & debilior quàm mane: inter prandium, & cœnam congruum tempus interponẽdum erit, quod ſpatium non ſit minus octo, aut decem horarũ. Notabis tamẽ quòd nil eſt tam contrarium bonæ concoctioni, quàm diuerſitas cibariorum in una menſa: quoniam pugnant ſæpe qualitates cibariorũ inter ſe: ſicque altera alterius præparationem prohibet. Poſſem equidem uir doctiſsime multa alia de cibo & potu ſcribere, ſed ne te longa oratione detineam, & ad faſtidium redigam, hæc ſatis dicta ſint: tum quoniam ex his habes, quòd cibus huic diſpoſitioni ille eſſe debet, in quo multum ſit alimenti ad caliditatem declinantis, & etiã non plurimũ ageret excrementi, aut plurimã nutriendo humiditatem multiplicare ualeat. Præterea uitãda eſt repletio omnis, cum humores craſſos gignat: & ſtudendum eſt euacuationi excrementorũ, tum uentriculi, tum inteſtinorũ. Etenim ſi non ſponte uenter fluat, aloës ſi ſumatur ante cibum per horam ad quantitatem dimidiæ drachmæ, uẽtrem modeſtè ſubducit, & materiã pituitoſam in uentriculo attenuat, & uentoſitatem etiam diſcutit. Et quoniam uſus medicinarum ſoluentiũ aluum exiccat corpus, & præſertim uſus aloës, ideo poteſt aliquo uti clyſtere, in quo præter lenientia permiſceantur etiam illa quæ uentum diſcutiant: ut cauſa exempli. ℞. maluæ, blitæ, mercurialis, betonicæ, camomillæ, aneti, & ſimilia: bulliant in aqua communi: ex quo decocto ℞. libram unam olei camomelini.℥.iiij. ſalis communis.℥.ij. ſacchari rubei tantundem, & imponatur. Cauendum eſt tamen à nimia inanitione: cum uires uentriculi deiiciat: nihilominus tutius eſt abſtinentia cibi, quàm repletio: quoniam cibi abſtinentia ſpecies euacuationis eſt, ſicque per abſtinentiam ſæpe humores craſsi abſumuntur. Quare ſemel in hebdomada optimum erit cœnam dimittere. Quantum uero proſint exercitationes modeſtæ ad excitandum calorẽ innatum, & ad excremẽtorum expulſionem, teſtis eſt Galenus in libello de ludo paruæ pilæ. Quapropter mane ante prandium per unam, aut alteram horam deambulare, aut aliquo alio exercitationis genere uti, optimum erit: quoniam adiuuat ad deſcenſum humorũ craſſorum, qui in uẽtriculo ſunt: ac etiam excitat ſpiritus, & calorem naturalem, ut ex eodem motu dilatatis meatibus corporis, & uapores facilius egredi poſsint, & excitato calore uentriculus melius cibum conficiat. Sed poſt cibi aſſumptionem per aliquod tempus (puta per duas horas) quieſcere melius eſt, ne calor per motum ex centro ad circunferentiam ſpargatur, & iſta ratione uirtus intrinſeca debilior reddatur: & etiã, quoniam exercitatio poſt cibum indigeſtum deſcendere facit. Præterea te ſcire oportet, quòd tametſi modeſta exercitatio plurimũ prodeſſe poſsit: ideo ante digeſtionem ciborum, qui in uentriculo ſunt, non eſt utendum forti exercitatione. Nam facit deſcendere cibum ingeſtum antequam concoctus ſit, cum concoctio proba per quietem perficiatur. Somnus etiam regulandus eſt, quoniam tam ſomnus, quàm uigiliæ ſi exceſſerint, nocent, & tametſi uigiliæ exiccant, cum tamen uirtutem imbecillem reddant, & præſertim digeſtiuam, ideo melius eſt ſomnus aliquantiſper longus, quàm ſuperflua uigilia. Etenim calor in ſomno concentratus fortior fit, & per conſequens melior fit cibi concoctio, & ſuperfluitatum expulſio. Cauendum tamen à ſomno diurno, & ab illo qui immediate fit ab aſſumpo cibo: quoniam replet caput uaporibus, qui poſtea uniti, & in materiã aqueam conuerſi ad membra inferiora deſcendũt, præſertim ad uentriculum, & eum magis imbecillẽ reddũt. Plurimum etiam conducit ſitus corporis dormientis. Quare primum cum decũbis, ſuper latus dexterũ per duas horas iacere optimum erit: quia talis ſitus facit ad faciliorem deſcenſum ingeſti cibi. Poſtea cõueniens eſt ſuper ſiniſtrum decumbere, quoniam digeſtionẽ auget calorem uentriculi augendo. Sed longe melius eſt ſomnum incipere ſuper uentrem. Animi poſtremo accidentia plurimum, ſi bona ſunt, iuuant, ut gaudiũ: quoniam animam roborant, & calorẽ innatũ excitant. Quare dixit diuinus Hippocrates particula ij. Aphoriſmorum, quòd in quocunque morbo confortari mente plurimũ prodeſt: ſicut contrarium huic plurimum nocet. Et per cõtrarium intelligere oportet triſtitiam extenuare corpus, ut in libello paruæ artis dixit Galenus: & princeps Auicenna ſimiliter dixit, accidentia animi, ſi fuerint horribilia, concoctionem impedire. Similiter malæ imaginationes, & cogitationes mouent humores præſertim melancholicos. Præterea nullo modo poſt cibum legere, aut aliquam rem difficilem animo excogitare oportet, cum uirtutes inter ſe deſeruientes, dum una operatur dimittendo aliam, illi inſeruiunt: ſicque uirtute animali operante, naturalis non ita ualidè operatur, cum alteri etiam deſeruiat. Hactenus de rebus neceſſariis dictum ſit. Regimen rerum neceſſariarum ſic inſtitutum, operæpretium eſt ad medicinalia deſcendere: quoniam in magnis morbis cum materia, ex Galeni ſententia, egemus etiam medicinarũ purgantiũ exhibitione, & membrorum naturaliũ confortatione. Quare primum corpus purgandum erit, bis ſaltem in anno, uidelicet in uere & autumno, & hoc cum illis quæ craſſos humores educunt, & uentriculum roborare poſſunt. Ideo ad primum ueris hanc commemoratiuam euacuationẽ accipere optimũ erit. ℞. electuarij lenitiui ℥.j. de dactylis. ʒ.iiij. ſpecierum hieræ ℈.ij. ſpecierum diacymini ʒ.j. miſce, & cum ſaccharo fiat bolus, & ſumatur per quatuor horas mane ante cibum. Hæc eſt medicina quæ poteſt ſine uiolentia educere materias craſſas cõtentas in uiis communibus, & uentriculum roborare, flatúmq; diſcutere. Sequenti mane ad concoctionem reſidui materiæ, & ad uentriculi cõfortationem detur iſte ſyrupus. ℞. ſyrupi de betonica, de abſinthio, oxymellis ex melle roſato añ. ℥.s. aquarũ lupulorũ, fœniculi añ ℥.j.s. ſumantur calidi per aliquot dies, donec ſcilicet in urinis aliquod ſignum digeſtionis apparuerit, quo apparente ſigno, iterum aſſumenda erit medicina purgatoria hoc modo: ℞. electuarij lenitiui, de dactylis, hieræ Galeni añ.ʒ.v. diſſoluantur cum decoctione abſinthij, & betonicæ in aquis fœniculi, & lupulorum, & ſumatur in aurora, & accipiatur prandium quinque horis pòſt. In iſtis omnibus potes ſecundum obedientiam uẽtris, & tolerantiam uirtutis addere, & minuere quantitatem, facta euacuatione, ut ſuprà. Optimum erit uti roborantibus uentriculum, & inteſtina omnia. Quare primum tam ante prandium, quàm ante cœnam inungatur regio ſtomachi, tam in dextera quàm in ſiniſtra, & uenter uniuerſus uſque ad ſummum iſto linimento. ℞. olei de abſinthio, maſticini de ſpica, añ.℥.s. camomelini ʒ.iij. ſpecierum diagalangæ ʒ.j. ſpecierum triaſandalorum ʒ.s. ceræ parum: miſce, & fiat linimentum, & utere ut dixi. Præterea mane ante cibum per quatuor horas ſumatur rotula una, aut duę iſtius confectionis. ℞. ſpecierum diagalangæ ʒ. ij. ſpecierum diacymini, ſpecierum triaſandalorum añ. ʒ.s. ſacchari fini quantum ſatis ſit: fiat confectio in rotulis, cum aqua roſacea. Et quoniam hęc diſpoſitio diuturna eſt, quæ non poteſt tolli niſi tractu temporis, & cum maximo labore, præſertim in ſene, ideo præter dictas euacuationes operæpretium erit uti frequenti ſtomachi confortatione, & purgatione: quod poteris commodè facere, ſi aliquando, puta ſemel in hebdomada, ʒ.j. uel unam cum dimidia pilularum aleſanginarum mane per quatuor horas ante prãdium accipias. Conducunt etiam pilulæ de aloë, & maſtichina, de hiera, de benedicta, & omnes aliæ ſimiles medicinæ educentes ſine moleſtia, & roborantes uentriculum. Et ſi opus erit uti fortioribus, tam pręparantibus, & digerentibus materiam, quàm euacuantibus, potes uti oxymelite compoſito cum duabus, aut tribus racibus, uel etiam oxymelite ſcillitico unà cum ſyrupo de abſinthio, & decoctione abſinthij, agrimoniæ, betonicæ, & fœniculi. Fortiores uerò medicinæ purgantes ſunt hieræ compoſitæ, qualis eſt hiera pachi, deſcriptione Scribonij medici, electuarium Indum, & aliæ conſimiles fortiores medicinæ. Plura alia medicamina potuiſſem ſcribere, quæ cùm conſimilem uirtutem habeãt, dimittere uolui, ne idem repetendo

do, & inutilia ſcribendo uerbis tecum agere tantũ uidear. Satis hæc dicta ſint, quę primum eſſentiã morbi declarant, & etiã regimen tam curatiuũ quàm præſeruatiuum, & antiquorum illuſtriũ doctrinam docent, per remotionẽ cauſæ. Reliquũ eſt Hieronyme pater, ſi non in omnibus tibi ſatisfeci, qui altioribus ſpeculationibus aſſuetus hæc tibi forſan uulgaria uidebuntur, ut temporis breuitati & mihi multis negotiis impedito ignoſcas. Vale, & me ut ſoles ama. Venetiis, M. D. XVII. Die X. Octobris.

AD REVERENDVM DOMInum Ioannem Maria plebanum *Arquæ policinij, Epiſtola* XXI. *de aqua inter cutem ſeu hydrope.*

PLura mihi ſcribis reuerende domine, quę acta ex mea ſententia ſunt, & mirè profuerunt, ita ut te iam incolumẽ eſſe paulo pòſt credas, ſi quæ in futurũ recte adminiſtrari poſſunt ad te ſcripſero. Equidẽ non poſſum non tuis petitionibus ſatisfacere, ſed ut omnia (ut aiunt medici) canonicè procedant, ac etiam cum excellentiſsimo medico tuo communicare poſsis, rem ipſam ab his quæ præceſſerunt ſic exordiar. Caſus ita mihi propoſitus fuit. Nam cũ ex diuturna febre, & malo quoque regimine, tam diętatiuo, quàm medicinali, in aquam inter cutẽ deueniſſes, & hoc ex maxima iocinoris imbecillitate, ita ut non tantum uenter inferior ex multitudine materiæ aquoſæ (cum qua & uentus plurimus erat:) uerũ etiam & uniuerſum corpus intumuerat: uidelicet crura, brachia, caput, facies ſcilicet, & pectorales partes: ita ut in tumorẽ omnia membra eleuata ſint: ex quo neque deambulare, neque pedibus cõſiſtere, neque in lectulo iacere poteras, ſed ſedens tantum: & ille ſitus nõ ſine maximo incõmodo erat, quoniã nec dormire, nec ſpirare, nec comedere aut alia facere ſine maxima anguſtia permittebantur, & ad illud ultimũ Chriſtiani hominis remedium deueneras, ut poſt aſſumptã euchariſtiam extremã etiã unctionẽ habere uolueras. Vnde etſi plurimi ſeniores medici adeſſent, ego accerſitus uidens omnes, tam medicos, quàm affines ſine ſpe aliqua ſalutis eſſe, iuſsi in primis ut cutis cruriũ, & coxarũ, cum ſagittella ſcarificaretur, non ſolũ in tibiis, & ſuris, uerũ & in partibus coxarum, ſcarificatione tamen leui, & parua, ita quòd cutis prior illa perforaretur ſola: ex quo factum fuit, ut tota illa materia aquoſa, quæ in uẽtre inferiori, & ambitu totius corporis erat, ſenſim egreſſa ſit, & hoc ſpatio diei naturalis, ſicque uiſus es è manu mortis euaſiſſe, cum maxima omniũ illorum medicorũ, & cæterorũ aſtantium admiratione, & ſtupore, ita ut me hominẽ à mortuis ſuſcitaſſe dicerent, cũ paucis pòſt horis tu qui nec loqui, nec comedere, uel alia aliqua operatione naturali uti poteras, expeditè loqui cœpiſti, & cibũ petiiſti, quo ingeſto in lectulo te decumbens collocari uoluiſti, & dormire cœpiſti, poſt quem ſomnũ deambulare potuiſti. Quæ omnia certe ſunt digna, ut literis mandentur, ut ſciant homines quantũ ingenia medicinalia in morbis etiam ſine ſpe aliquando poſsint, & ualeant. Verũ quoniã ſic ſanari, nõ ex omni parte cauſas tollit, cũ dixerit Galen. uerã curã per remotionẽ cauſarũ eſſe, & iſta per remotionẽ affectus fuerit: quare etſi plurimæ naturales operationes ferè incolumes redierint: non tamen ex toto optimę, & inculpatę ſunt, neque omnes, quoniã prima illa iocinoris uis concoctiua adhuc imbecillis eſt, ut ſanguinẽ bonũ minime generare poſsit: & hoc (ut dixi) ex refrigeratione caloris naturalis ipſius: ſed id quod generatur pro maiori parte aquę, ſeu ſanguis aquoſus inſpiſſatur, quę iocinoris refrigeratio toti corpori iam cõmunicata eſt. Quare tam iecur, quàm alia membra egent auxiliis, ut ad propriũ temperamentũ redigãtur: ſed primò iecur, quod nõ ſine tẽporis lõgitudine, & maximo etiã labore fieri poterit, cũ iam morbus habitũ contraxerit. Quicquid tamen ſit, cũ cura nõ ſit impoſsibilis, tametſi difficilis, remedia ſalutifera ſic tibi ſcribã, & à regimine ſex rerum neceſſariarũ incipiens, dico illud contrariũ morbi eſſe oportere. Vnde cum hyẽs ſit, & ſatis humida, ſtudendũ eſt in rectificatione aëris calfaciendo, & exiccando, & hoc cõmodè facies, ſi continuo ignem in camera accendes. Nam ignis calfacit, & exiccat aërem facilius & melius cęteris rebus arte factis, Inſuper cauendum eſt ab aëre nocturno, & pluuioſo, ſeu caliginoſo. Quare melius eſt manere domi, ne ex humidi, & frigidi aëris inſpiratione mala temperies corporis iam dicta in deterius procedat. Præterea exercitationes plurimum cõferunt, tum quoniam calorem naturalem excitant, tum etiam quoniã corpus exiccãt: & ideo mane ante prandiũ ambulare conducit ad corporis calefactionem. Poteris etiam uti aliquo alio genere exercitationis, ut eſt ludere ludo paruæ pilæ, uel alio conſimili: & in æſtate, quoniam aër ſiccus eſt, liberè potes domum egredi, & deambulare per loca arenoſa, uel ſaxoſa uſque ad corporis defatigationem, & plurimum conducet. Neque ullo pacto quies huic malo ex uſu eſſe poteſt, cùm corpus humectet, & refrigeret, atque excrementa omnia incraſſet. Cibúſque & potus ſi non debite adminiſtrentur, plurimum nocẽt, tam ſecũdum quãtitatem, quàm ſecũdum qualitates in morbis, cùm materia qualis eſt iſta, magnifice nocere poſsit. Ideo primùm panis ſit ex optimo tritico optimè fermentatus, & ſalitus, & bene in clibano coctus, neque farina ex qua fit, ſit ab omni furfurea parte ex toto munda, ſed aliquid furfuris omnino habeat: in qua etiam ponantur ſemina fœniculi contuſa, uel aniſorum: quoniam talis panis & calfacere, & exiccare modeſtè poteſt, & etiã optimè nutrire. Similiter carnes ſint illæ quæ optimè nutriant, non tamen ſint nimis humidæ, ut ſunt carnes porcinæ, & agninæ. Quare eligantur ſicciores, ut perdices, turdi, merulæ, phaſiani, capones, gallinæ. Et ex terreſtribus optimæ ſunt carnes hœdinæ, leporis iuuenis, & etiam uitulinæ. Oua & præſertim ſorbilia, uel in iure cõfuſa mirè laudantur. Piſces omnes ſunt mali. Attamẽ oua tarica optima ſunt, ſed lacticinia. Olera & legumina cùm malum ſuccum gignant, & plurima excrementa habeant, ſintque difficilis concoctionis, plurimum nocent. Similiter & fructus omnes mali ſunt, præter pineas & fiſticos, & aliquando amygdalas: cæteri omnes cum malum generent ſuccum, amittantur. Cappares ſunt boni: nam roborant uentriculum, & aperiunt obſtructiones hepatis, & lienis: & præparant materiam pituitoſam ad expulſionem. Potes etiã uti cum iam dictis carnibus, ſalſamentis, & ſaporibus (ut uocant) ex petroſelino, mentha, ſaluia, cum amygdalis, & gingibere: & ante cibum optimum erit, ſi accipias radicem unam, uel minus gingiberis conditi, quam gingiberem uiridem nominant. Et poſt cibum etiam plurimum conducit comedere ſemina aniſorum, uel fœniculi, aut cinnamomum cum ſaccharo conditum (confectũ uulgo dicitur:) & paſſulæ optimè conducunt, quomodocunque comedantur, ſed præſertim ante cibum. Vinum poſtremo ſit album, boni odoris, & ſaporis, nullo modo acidum: quod ſi aliqua de cauſa diluatur, id fieri oportet cum decocto cinnamomi, uel fœniculi: neque poſt cibum bibere conueniens eſt, quoniam natat in uentriculo, & digeſtionem bonam impedit. Cauendum præterea eſt à repletione, & diuerſitate cibariorum in una menſa: quoniam talis permixtio malum ſuccum præparat, & quantitas uirtutem ſuffocat. Quare modeſtè comedendo melius uirtus inſtauratur. Procuretur etiam ut ſit quotidianus ſeceſſus: quòd ſi non ſponte fuerit, fiant clyſteria cum decocto maluæ, abſinthij, betonicæ: in quo adde olei communis, cum melle roſaceo añ. ℥. iij. & ſalis communis ℥. ij. & ſupponatur mane, uel fiat ſuppoſitorium ex melle, & ſale: & quoniam ſomnus plurimum ad perfectam concoctionem facit, ideo ſit nocturnus, per duas horas poſt cœnam: neque ſit minor ſeptem horarum, nec maior decẽ: quoniam ſomnus nimis lõgus calorem obtũdit, corpúſque refrigerat. Similiter diurnus caput replet & ægritudines catarrhales generat. Et ideo dimittendus, niſi forte in nocte non dormiueris. Poſt regimen ſex rerum non naturalium, eges etiam regimine medicinali, tam cum alterantibus, quàm cum euacuãtibus: cum morbus talis ſit, ut plurimam materiam crudam gignat, quę euacuatione eget. Ideo primum minorabis materiam quæ in uiis cõmunibus eſt. Iſta leui medicina potes etiam uentriculum, & iecur roborare: ℞. electuarii lenitiui ʒ. vij. de dactylis ʒ. iij. rheubarbari optimi maturi ʒ. j. miſce, & cũ zuccharo fiat bolus, & ſumatur quatuor horis aut quinque ante prandium: deinde reſiduum præparetur iſto ſyrupo: ℞. ſyrupi de cicorea, cum rheubarbaro ℥. j. acetoſi diarhodõ ℥. s. mellis roſati ℥. s. aquarum betonicæ, abſinthij, añ. ℥. j. s. miſce, & ſumatur ſingulo mane in aurora, & comedatur quinque horis pòſt: & hoc donec aliquod ſignum concoctionis in urinis apparuerit,

quo apparente optimum erit ſumere hanc medicinam. ℞. rheubarbari electi maturi ʒ. j.s. ſquinanti gr. vj. uini maluatici ʒ. iij. Decoctionis abſinthij, betonicæ, cicoreæ, & agrimonij, quãtum ſatis eſt: confundantur ſimul per decem horas, deinde exprimãtur expreſsione optima, in qua diſſoluantur hiera Galeni ℥. j. agarici præparati ℥. j.s. oxymellis ſimplicis ℥. s. miſce & bibe eam hora matutina, quinque, aut ſex horis ante prandium. Poſt quam purgationem tota intentio erit procedere tum alterantibus, & roborantibus tam hepar, quàm uentriculum. Quare utere ſingulo mane hoc ſyrupo: ℞. ſyrupi de abſinthio ℥. j. de cicorea cum rheubarbaro ℥. s. miſce & ſumatur cum cochleario tota quantitas, & hoc per plures dies. Quòd ſi egueris aliqua euacuatione, utputa quoniam aluus non ſponte fluxerit, ſume pilulas de tribus, cum rheubarbaro ʒ. j. & fiant tres: & hoc ſemel in hebdomada mane, cum quibus optimum erit comedere unciam unam paſſularum, uel duas; & ſumere cibum quinque horis pòſt. Interim dum hæc fiunt inungatur uenter inferior hoc linimento ante cibum, ℞. olei amygdalarum amararũ ℥. vj. uini albi uinoſi ℥. iij. abſinthii, eupatorij añ. manipulos ij. bulliant ad cõſumptionem uini. Præter dicta ſunt plurima alia quæ iecur roborare poſſunt, ut eſt diacucurma, & dialaca, unà cum ſaccharo roſaceo hoc modo: ℞. diacurcumæ, dialacæ, ſacchari roſati añ. ℥. j. ſyrupi de corticibus citri ℥. j. s. miſce & ſumatur ℥. s. mane per quatuor horas ante prandium. Ad eandem intentionem mirũ in modum conducit electuarium de paſſulis, deſcriptũ ab Auicenna xiiij. tertij, cap. iij. quod aſſumpſit à Galeno, viij. de medicamentis ſecundum locos, & eſt ultima medicina in ſuccurrendo, tam naturalibus, quàm uitalibus membris, & præſertim iocinori imbecilliori, qua uti neceſſe eſt plurimus diebus, mane ſcilicet ante prandiũ. Poſtremò quod ſcribis de leuibus exulcerationibus crurium, nihil eſt quod ex illis timeas: nam emanatio illius materiei ſubtilis uirulentis plurimum confert. Sed ſi aliquid ſuper ipſas exulcerationes apponere deſideras, ponatur tale unguentum mixtum: ℞. unguenti de litargyro, de ceruſa, de tucia, roſati Meſue añ. ℥. s. miſce & ſimul incorporentur, & utere ſuper ulcera. Plura alia Reuerende pater ſcribere potuiſſem, ſed hæc ſatis eſſe iudicaui; quoniã ſi diligenter adminiſtrata fuerint, procul omni dubio, tam iecur, quàm uentriculus ad prius temperamentum redibit. Deus Optimus Maximus te dirigat, & cuſtodiat. Vale. Venetiis, M. D. XVIII. Die XXIX. Nouembris.

AD PRAESTANTISSIMVM *Dominum Ioannem de Vlmo, Epiſtola XXII. de imbecillitate uentriculi, cum doloribus cholicis, & exulceratione renum, & colli ueſicæ, cum ardore urinæ, & plurima quantitate lapillorũ renum, & lapidis etiam in ueſica, cum febre continua.*

ACcepi literas tuæ præſtantiæ, unà cum informatione excellentiſsimi Domini Aloiſii Mundellæ, ex qua intellexi uarios affectus pręter naturam, quos iamdudum paſſus es: ſeries uerborum informationis talis eſt. Vir præſtantiſsimus ætate xxxviij. annorum, temperaturæ calidæ, & ſiccæ, ut ex cordis, & iocinoris notis, & operationibus liquido apparet, tametſi cerebri humiditas, atque uentriculi frigiditas, in quo plurima materia pituitoſa generatur, non parum contrà operentur. Laborat, inquam, in primis febre ſine intermiſsione ex putredine choleræ, quam notham uócant, intra uenas putreſcente, & colli ueſicæ exulceratione, una cum calculis renũ, & inteſtini coli uehementiſsimis doloribus, ex materia pituitoſa in uentriculo genita illò tranſmiſſa: quibus adeſt frequens mictus, cũ uehementiſsimo dolore, qui iam per quinque antea annos, & nunc in emiſsione lotij eum ſæpiſsime cruciat: hic tamen dolor aliquando præſtantiam ſuam per aliquot dies minime moleſtat, in quo lotio inſpicitur putridum, atque graue olens non modicæ quantitatis ſedimentum. Ad quorum effectum præter naturã Mundella uir doctiſsimus plurima, & ſaluberrima remedia non ſine maximo leuamine adminiſtrauit: ità ut dolores magna ex parte amoti ſint: & tametſi ſedimentum, & ſubſtantia lotij in pręſentia laudabilis ſatis appareat, ille tamen non credit ſe ſanitati integrè reſtitutum, ut tutus ſit à recidiua dictorũ præter naturam affectuum. Quapropter quærit à me nunquid ligni Indici decoctum, cum ad plurimos difficiles morbos medicina ſaluberrima ſit, illud etiam poſsit tuam præſtantiã à prædictis præſeruare. Cui petitioni ego facilius reſpondebo, ſi prius quædam quæ ad præternaturales dictos affectus faciũt, in memoriam reuocauero. Recolò me uidiſſe tuam nobilitatem (& ſunt iam plurimi anni) patientem tumores quoſdam duros, tum in tibiis, tum etiam in labiis, qui ſuborti fuerunt poſt diuturnam & difficilem febrem, quibus ſanatis, ſuborti ſunt renum dolores, & lapillorum in renibus generatio, atque inteſtini coli dolor, & etiam ulcus colli ueſicæ, cum frequenti mingendi deſiderio, & intentiſsimo dolore in meatu urinario. Quos præter naturam affectus concomitatur febris putrida ex choleræ nothæ intra uenas putredine. Et quoniam (ut dicebat Galenus in libello de morbis) ea quæ in nobis præter naturam eueniunt, uel ſunt morbi, uel cauſæ, uel accidentia morbos inſequentia. Primùm igitur dicam de primario morbo, quem ex illis quæ præceſſere, frigidam temperiem cum materia eſſe operæpretium dicere eſt. Nam affectus qui antea fuerunt, frigidam materiam, & illã quidem non modicam in membris naturalibus generarunt: & poſteaquàm ex ea apoſtemata frigida ſuborta ſunt, hæc materiæ non niſi à frigiditate membrorum naturalium generãtur. Quòd ſi recte quis diſcurreret per ea quæ in præſentia tuam præſtantiam moleſtãt, cognoſcet eandem materiam frigidam in cauſa eſſe, cùm dolores renum qui non uehementes ſunt, & lapilli qui non rubri, ſed cinericei coloris exiſtunt, materiam pituitoſam oſtendant. Similiter inteſtini coli dolores, ex dictis non niſi à materia pituitoſa in uentriculo genita ob eius imbecillitatẽ dico. Etenim pituita, ſeu materia pituitoſa primò in uentriculo ex eius refrigeratione gignitur: ſicq; dicendum erit, totam rationem prædictorum à iam dicta frigida temperie cum materia eſſe, cum qua temperie cum conſeruetur iocinoris calidi, & ſicci in robore caliditatis, ac etiam ex quibuſdam obſtructionibus à materia frigida in ipſo factis calor augeatur, neq; ſeruet natiuam diſpoſitionem, fit mala temperies illa diuerſa; ut ſcripſit Galenus fuſe, & pulcherrime in libello de mala temperatura diuerſa. Hãc eandem diuerſitatem reliqua accidentia atteſtantur, ut eſt albedo, & craſsities tum in urina, tum etiam in ſedimento ipſius, & ardor in mingendo, atq; febris, quæ fit ex putredine choleræ nothæ. Etenim albedo, & lentor atq; craſsities in lotio, & eius ſedimento, plurimam materiam pituitoſam in uenis, & iocinore cum ſanguine denotant, quæ pituita ob refrigerationem uentriculi (ut dixi) in ipſo generatur; ardor uerò ob iecinóris, & renũ ſupercalfactionem prouenit. Præterea ſi materialẽ cauſam febris quæ bilis notha eſt ex admiſtione pituitæ craſſæ, & bilis ad unam formam redacta conſideremus, ſupradictam diuerſitatem temperaturæ neceſſariò ponere oportet. Porrò ex uentriculi frigiditate materia pituitoſa, & ex iocinoris caliditate bilis non naturalis generari omnes antiqui affirmant. Hæc eſt materia craſſa obſtruens meatus: ex qua obſtructione cum euẽtatio prohibeatur, ſequitur putredo in humoribus, à qua eleuantur uapores, qui cor ipſum calefaciunt, ſicque dictam febrem cauſant: quæ cum in corpore iam excarnato diu morata fuerit, nõ ſine diſcrimine eſt, ne impreſſa caliditate in ſolida mẽbris ſubſtãtia in habitudinalẽ tranſeat, ut ſæpe in ſimilibus caſibus conſpeximus. Ex dictis liquido apparet, morbum primarium eſſe malam temperiem, diuerſam uidelicet uentriculi refrigerationem, & iocinoris ſupercalfactionem. Cauſæ uerò dictorum fuere & exteriores, & interiores. Nam exteriores cauſæ ſunt, ſi rerum neceſſariarum non proba fuit adminiſtratio, & interiorum fuit uirtutis imbecillitas, & inæqualitas, ob morbi diuturnitatem aggenerans materiam non naturalem iam dictam. Namq; dum Dominatio tua arduis, & plurimis negotiis intenta, neq; in cibo, neq; in potu, & horis congruis, neq; in motu, & aëris uniformitate regulam obſeruet, uirtutes omnes debilitantur: unde fit, ut affectus præter naturam difficiles orti ſint, & tametſi dolores particulares, quales ſunt renum, & colli ueſicæ, inſequantur particularem membri intemperiem, uel ſolutionem continuam, uel utranque, iſti cum pendeant à priori iam dicta diuerſa intemperie, hoc in caſu accidẽtia prioris morbi dicuntur;

tur:neque hoc repugnat Galeni doctrinæ in libello de de morb. ſymptomatibus. Et ex his habes, quòd dolores tam in dorſo, quàm in inteſtino colo, & etiam in pene mingendo, ſunt accidentia inſequentia priorem malam temperaturam diuerſam. Et quanquā febris temperiem calidam in corde toti corpori communicatam dicat: cū tamen à prioribus cauſis pendeat, illa ex parte accidens, & ex parte morbus eſſentialis ſtatuēda erit. Sed quoniam exulcerationem colli ueſicæ ſuperius uir excellentiſsimus affirmauerat, quod cū non ex omni parte ſit clarum, cū audiam interdū, & per plures dies urinam egreſſam fuiſſe ſine aliquo dolore: ideo crediderim ego ulcus omnino adeſſe non in ueſica, ſed in renibus, & illud non paruum: etenim lapilli inſignis quantitatis & plurimi in renibus geniti in urinis uiſi ſunt, qui cùm quantitatem habuerint maiorem quàm pro ratione meatus renum, dum egrediuntur, renes lacerando, ſoluunt eorum continuitatem, quam ſolutam continuitatem ulcus uocant, à quo ulcere unà cum lotio materia ſanioſa, & putrida & male olens ad ueſicam deſcendit, unà cum plurima etiam materia pituitoſa. Neque negauerim aliquā leuiſsimam colli ueſicæ alterationem, ſeu excoriationem à materia ſanioſa, quæ cum ſit putrida, calida eſt, & pariter ab acredine urinæ acquiſita ex temperie prȩter naturam tum iocinoris, tum etiam renum. Hæc uerò leuis excoriatio, neque tantam ſaniei quantitatem aggenerare poteſt, neque dolorē illū plurimum infeſtantem. Eſt igitur dolor, & ardor, qui non ſemper, cum mingit, moleſtat, tametſi ſæpe potius in conſumptionem caruncularum adenoſarum, quæ ſtragulum colli ueſicæ ſunt, reponendus, quàm in creditam exulcerationem colli ueſicæ, & etiam ex contactu aſpero lapillorum per locū illum tranſeuntium. Nam ut audiui, lapilli, & magni, & inæquales fuerunt, ut meatum ueſicæ potuiſſent excoriare. Adderem etiam alterationem ab acrimonia urinæ tranſeuntis, & mutantis loci temperiem, ſubitò dolorem facere poſſe: quod facilè perſuaderi poteſt, ſi lotium ſine acquiſita acredine mingitur: nam cum non acris urina eſt, tunc ſine labore liberè, atque ſine aliquo dolore egreditur. Sed cum audiam mictum frequentem, atque dolorem, & grauedinem in ſumine eſſe, crediderim ego præter dictos affectus, lapidem inſignem in ueſica eſſe. Et quanquam morbus renalis ſæpe hominem ad mingendum excitet, ſi principi Auicennæ credimus, xviij. tertij de morbis renū, non tamē dolorē, & grauitatē in ſumine aſſociare ſibi ſolet. Ratio autē quæ me adducit ad credendum lapidē in ueſica eſſe, præter id quod dixi, eſt: quoniam morbus primarius antiquus eſt, qui plurimam materiā lentam generauit, quæ poſtea cum materia urinali ad ueſicam deſcendit, quæ dum ibi diu reſidentiam fecerit, facile eſt adaucta renum, & iocinoris caliditate, ut in lapidē conuerti poſsit: neq; eſt ſignum non adeſſe lapidem in ueſica, aliquando ſine dolore mingere, quippe cum plurimos uiderim qui expeditè mingebant, in quibus ardor urinæ, & grauitas, & teneſmus erant: & cum neq; medicinis ab antiquis ſcriptis, neq; thermarū aquis ſanari poterāt, inciſo loco inuentus eſt lapis, atque extractus, ſícque ſanitati reſtituti ſunt, ut contigit anno præterito Venetiis domino Ioanni Peroto, qui per multos annos urinam cum ſedimento fœtido ac ardore in mingendo reddebat, ſæpiſsime tamen expeditè, & ſine dolore, neque potuit ex aſſumptis per os, aut extrà applicitis liberari. Tandem cum ex grauedine, & aliis ſignis exiſtimarem lapidem in ueſica eſſe, accerſito operatore in tali operatione expertiſsimo, hominem in loco incidit, & inuento lapide eum extraxit, ſícque ſanitati reſtitutus uiuit, neque ab ardore urinæ amplius moleſtatur. Quicquid de hoc ſit, conſulere in hoc difficili caſu oportet uiros qui ſæpiſsime in tali ſecandi genere ſe exercuerint, ita ut inſtrumēto in ueſica intromiſſo rem dubiam declaret, qua declarata de reliquis quæ ad curā ſpectāt docti medici terminent. Habes ex dictis declarata hæc omnia, ſcilicet primum, morbum qui eſt uentriculi & iocinoris mala temperies diuerſa: habes & febrem continuam morbum per ſe, tametſi à prioribus cauſis inceperit: habes quoque renum exulceratione, & frequentem mictum cum ardore atque dolore, ac plurimorum lapillorum in ipſis generationem cum urina, in qua ſedimentum ſanioſum, & putridum eſt, & etiam caruncularum adenoſarum in collo ueſicæ conſumptio, collique ueſicæ, & meatus urinarii excoriatio. Qui lapilli reuera non ſunt rubri, quoniam materia ex qua generantur pituitoſa eſt. Et tametſi antiqui locū generationis lapillorum per colorem ipſorum oſtēdant, res non ſemper ita ſe habet: quippe cum ſæpe in renibus albi, & citrini, & cinericei coloris lapilli inuenti ſint. Habes etiā & inteſtini coli dolores ex materia pituitoſa. Sed quod dixi de lapide in ueſica, de quo etiam dubitauit uir excellentiſsimus, ſenſus & inſtrumenta experti in hac re operatoris oſtendet. Quæ omnes diſpoſitiones cū iam inueteratæ ſint, curam difficilimam reddunt, nō tamen impoſsibilē, præſertim ſi reliqua tam exteriora, quàm interiora recte inſpicio, quæ plurimum ad ſanitatem in morbis faciunt. Etenim in primis anni tempus ſaluberrimum eſt, ætas etiam uigoris, & corporis natiuum robur, atque prōpta, & parata uoluntas ad omnia faciendum, ut priſtinæ ſanitati reſtituatur, unà cum doctiſsimi, ac diligentiſsimi medici ſaluberrimorum remediorum continua adminiſtratione. Hæc omnia ſanitatem etiam in difficillimis morbis promittūt, quam per contrarium regimen tam rerū neceſſariarū, quàm medicaminum, & manuum operationum medici perficiunt. Sit igitur regimen poſt cuſtodiam aëris in cibo, & potu, ut primum uitētur omnia frigida, & lenta, quæ uentriculo noxia ſunt, atque materiam pituitoſam aggenerare poſſunt, niſi cauſa febris, uel aliqua alia cauſa urgente ad extinguendū calorem præter naturā, frigida dare neceſſum fuerit. Interdicantur ergo piſces & lacticinia, ut caſeus, & fercula, quæ ex farina tritici fiūt, atq; oriza, & ſimilia. Similiter & acria urinam prouocantia interdicantur, inter quæ ſunt cicer, & alia legumina, uel ea quæ cum aromatibus præparantur. Paſtilia quoque ex ouis, caſeo, & ſimilibus dimittātur. Quæ autem pro cibis conducunt, ſunt in primis panis fermentatus, & mediocriter coctus, & etiā carnes optimæ, quales pullorum gallinaceorū, perdicum, phaſianorum, turdorū, atque uituli, & hœdi lactentis. Oua quoque ſorbilia in iure carnis confuſa ſunt optima: præterea ferculum ex farre, & amygdalis, & etiam ex boragine, bugloſſo, & ſimilibus, eſt optimus cibus. Vinum ſit mediocre in colore, ſapore, & uirtute, ita ut eius color ſit medius, quē aureolum uocant: & ſapor neque acerbus, neq; dulcis ſit, ſed potius ſtypticū, ut uentriculum roborare poſsit: quòd ſi aliqua ratione aqua cum eo permiſcenda ſit, id cum decocto cinnamomi fiat. Etiā omnis repletio, tam cibi, quàm potus fugienda eſt: atque uentris excrementorum quotidianæ euacuationi ſtudere oportet. Quòd ſi non ſponte uēter fluat, utere clyſteribus lenientibus, in quibus ſit uis aliqua dolorem leniendi, qualis eſt hic: ℞. foliorū maluæ, uiolarum, corticum papaueris, grana alkakengi, an̄. manipulum unum: bulliant in aqua communi ebullitione optima: poſtea accipe dicti decocti librā unam, olei uiolarū recentis, amygdalarū dulcium an̄. ℥. ij. butyri recentis ℥. j. s. uitelli ouorū numero ij. miſce & imponatur parum ſupra tepidum, ut diutius in uentre detineri poſsit. Nam præterquam quòd uētrem mollit, & ſuperfluitates inteſtinorum educit, mirum in modum dolorem, & urinæ ardorem, ſiue acredinem obtūdit, præſertim ſi per horam, aut per duas detineatur. Somnus etiam ſi moderatus ſit, plurimum uentriculum roborat, & doloribus opitulatur: & hac ratione dormire plurimum dictis malis opitulatur, præſertim horis matutinis: quoniam uirtutes omnes inſtaurat. Exercitatio leuis ſit, & ante cibum: neque à cibo deambulare, uel equitare conducit. Quare melius eſt per aliquot horas quieſcere. Poſtremo ſicuti gaudiū uirtutes omnes auget, & roborat, ita triſtitia, & animi perturbatio ſanitati cōtraria eſt, ita ut omnes uirtutes imbecilliores reddat, præſertim uentriculi digeſtiuā: quapropter lætari animo, & occaſiones triſtitiæ & mœroris omni ingenio ſi amoueantur, plurimū conducit. Similiter & uenerei amplexus plurimū, & magnifice nocent. Quare eos dimittere operæpretiū eſt, unà cum omnibus arduis negotiis, & ualetudini primū ſtudendū eſt. Poſt dicta ſequitur medicinarū adminiſtratio, quæ ſit cum illis quæ in primis uentriculum roborant, atq; acredinem urinæ obtundunt. Quare ſingulo quoque mane utile erit accipere ſyrupū hūc: ℞. mellis roſati, ſyrupi de abſinthio an̄. ℥. j. decoctionis glycyrrhizæ, paſſularum, florū uiolarū, maluæ, altheæ, granorum alkakengi, in aquis ſtillatitiis cicoreę, & agrimoniæ. ℥. iiij. & ſumatur mane in aurora, & dormiat, ut melius à calore uentriculi actuetur, in quo plurimæ iam dictæ mate-

riæ generantur, & in uenis propinquis reſident, atque eas obſtruunt, ſicque prohibendo reſpirationē, ſeu debitam humorum euentationem, cauſat febrem: & ut omnia unico uerbo cōplectar, hęc materia quæ in uentriculo generatur, eſt cauſa materialis doloris inteſtinorum, & lapillorum, qui in renibus & in ueſica generantur: & niſi quę genita eſt tollatur, & prohibeatur ne uētriculus eam gignat, calorem roborando, reliqua quæ adminiſtrantur, parum aut nihil proderunt. Studēdum eſt igitur poſt præparationē euacuationi, cum medicinis leuibus, hoc modo. ℞. diacatholiconis ʒ. xij. ſpecierum hieræ ʒ.j. miſce, & fiat bolus cum ſaccharo, uel fiat potus cum iam dicto decocto: quòd ſi etiam rheubarbari drachma in dicto decocto infuſa adderetur, plurimum mihi placeret, cū in tali permixtione ferè omnes requiſitæ intentiones ſint. Nam in hac medicinæ compoſitione caſsia, & reliqua ingrediūtur, quæ materiam acrem educere poſſunt, atque etiam calorem febrilem, & urinæ ardorem obtundunt. Sunt præterea rheubarbarum, & hiera, quæ uētriculo, & inteſtinis plurimum conducunt, & materiā craſſam deponunt. Sed rheubarbarum præterquā quòd choleram putridam educit, & obſtructiones aperit, eſt etiam ulcerum inteſtinorum ſingulare præſidium, præſertim renum, & ueſicæ. Poſt quam euacuationē, equidem uenā pedis, quam ſaphenam uocant, ſecarem, atque ſanguinem mitterem ad quantitatem qua uirtus ipſa tolerat. Nam hæc uena ſi incidatur in affectibus colli ueſicæ plurimum prodeſt, & tamen etſi uir excellentiſsimus aliàs uenam ſecuit, & ſanguinem euacuauit ſemel, quod ſummopere laudo, iterum (ut dixi) ſanguinem mitterem. Interea dum iſta adminiſtrantur doloribus ſuccurratur, primo cum iniectione lactis per ſyringam in meatum urinæ, aut cum decocto plantaginis, alkakengi, & ſemperuiuæ, uel cū albumine oui confuſo in aqua alkakengi, aut cum ſief albo, cum aqua roſacea cōmixto. Ventriculus uero exteriùs roboretur fomentis, emplaſtris, & linimētis, utputa cū unguento cōmuni uentriculū roborante, aut cum oleo maſtichino, de abſinthio, & nardino ſimul cōmiſtis: uel fiat decoctū ex coma abſinthii, mētha, pulegio, & roſis cū uino ſtyptico, & aqua fontis æquali portione: aut accipiantur res prædictæ, & fiat cataplaſma, ſeu emplaſtrum, & apponatur uentriculo. Poſtremo ad ardorem urinæ primum experiatur (ut dixi) ſuperius poſitis inſtrumentis per meatum uirgæ uſque ad ueſicam, nunquid in ea lapis ſit? Qui ſi inueniatur, præſtantiſsimum remedium, & ſola ſalus eſt locū incidere, & eum extrà ducere. Et quoniam uir doctiſsimus dixit regimen quod ipſe iniunxit, optimè præſtantiam tuam leuare, non tamen morbos tollere potuit: & hac de cauſa quærebat nunquid ligni Indici decoctum dictis malis ex uſu eſſet, ita ut per potum ipſius tua præſtantia liberari poſsit: cui petitioni reſpondeo, medicamen ex ligni Indici decocto plurimis de cauſis placet. Primum quidem quoniam plurimos antiquos affectus præter naturam ſanare ſolet. Placet etiam quoniam in eo ſunt qualitates manifeſtæ, quæ contrariantur imbecillitati uentriculi, & ipſi refrigerationi. Et etiam quoniam præterquam quòd per manifeſtas qualitates operatur, habet & proprium temperamentum, quod plurimos morbos difficillimos ſanare poteſt. Sed cum febris continua ſit, & alii affectus præter naturam, ut dolor colicus, renum exulceratio, & lapillorum in eis inſignis quantitas, generatio, frequens mictus, cum ardore, dolor in loco: ideo communē modum decoctionis, & adminiſtrationis ſic mutarem. Primum ligni decoctum fiat cū aquis ſtillatitiis, cicoreæ, & abſinthij, de qua prima decoctione bibat mane calida, & ueſperi etiam ante cœnam, cum ſyrupo de liquiritia ſeu de glycyrrhiza, & melle roſaceo. Fiat inſuper ſecunda decoctio ligni ſemel ebulliti cum prædictis aquis, quam etiam inter diem bibat, cum aliquo roborante uētriculū, puta cum geleniabino ſaccharino, ſiue cum ſyrupo ex ſucco roſarum, & ſaccharo. Quantitas uero potus ſit ad tolerantiam uirtutis uentriculi permutantis. Potus igitur ſic præparatus (mea quidem ſententia) eſt medicina ſingularis conferens uentriculo, iocinori & reliquis membris naturalibus, ſanguinis expurgatiua, & obſtructionum operatiua, & ea ratione humorum refrigeratiua, quæ eſt ulcerum renum præſtantiſsima medicina, quæ lapillos educere facillime poteſt. Et ut omnia unico uerbo expediā, eſt medicina totius corporis, & omnium uirtutum roboratiua. Et quoniam mēbra particularia habēt plurimas medicinas ſibi peculiares, & proprias: ideo cùm diuerſa membra affecta ſint, & affectus particulares ſint diuerſi, ita ut præter communem potum neceſſum ſit particulari membro & affectui conſulere, optimum erit ad renum, & ueſicæ affectus alternis diebus propinare hora matutina unà cum primo potu ʒ.j. trochiſcorū de alkakēgi in pulerem redactam, uel aliquod aliud conſimile medicamen, quod primum ulcera renum, & ueſicæ ſanare, & urinæ ardorem obtundere poſsit. Et in hoc inſiſtere oportet, quoniam iſti trochiſci habent, ut ad renes, & uias urinæ reliquas medicinas dirigant. Neque dum hoc decoctum præſtantia tua biberit, eſum optimarum carnium te dimittere uolo, & iam dicti uini potum, cum ſecundo decocto diluti. Et hoc, quoniam (ut dicebat Hippocrates) conſuetudini dandum eſt aliquid. Et etiam quoniam in diuturnis morbis in tenui uictu eſt error aliquando grauis. Tempus uerò bibendi dictum potum ſit quadraginta dierum, quo tranſacto termino, atque aliqua mora per aliquot dies facta, & uirtutibus inſtauratis, optimum erit Patauinas thermas, ſeu balnea petere: atque etiam aquas illas bibere in ipſisque lauare, præſertim partes, & regiones renum, & ueſicæ: ſicque ex potu ligni Indici, & aquæ Patauinorum balneorum roborato uentriculo, ac etiā reliquis affectibus opitulatis tutè, & commodè, ut præſtantia tua deſiderat, diebus calidioribus aquā balnei Calderiani bibere, & in eis membra malè affecta, & dolentia lauare poterit: & in hoc eſt ultima ſpes ſanitatis. Sed in omnibus ſunt neceſſariæ aliquæ præcautiones, præſertim in Calderianarū aquarum exhibitione, tam intus bibitarum, quàm extrà lauando. Etenim quoniā frigidæ ſunt, ideo mane antequàm eā bibas, optima præcautio erit, accipere rotulam unam, aut duas aromatici roſati, & etiam regionem uentriculi exterius fouere oleis, puta de abſinthio, & maſtichino, & fomētis, & emplaſtris ſuperiùs ſcriptis. Et quoniam uir doctiſsimus petiit etiam, nunquid exhibitio lactis in caſu ex uſu eſſet: ideo ne noſtræ literę aliqua ex parte deficiant, reſpondeo, lac in caſu nullo modo in præſentia conducere, quoniam præter id quod febricitantibus febre putrida magnificè noceat, etiam uſus lactis lapillos, tam renum, quàm ueſicæ gignit, & auget: coli quoque doloribus plurimum nocet. Et quanquam lac remedium præſtantiſsimum ſit, tam ulceribus renum, ueſicæ, quàm exulcerationi amborum membrorum, in hoc caſu nullo modo poterit prodeſſe, cùm augeat lapillos, qui exulcerationis una cauſarum eſt. Sed ut ſuperius dixi, primum inquirendum eſt, an in ueſica lapis ſit, ut credo: qui ſi inuenitur, ſola extractio per inciſionem ſanare poteſt. Hæc ſunt uir nobiliſsime, quæ tibi his literis pro tua ualetudine ſignificare uolui. Equidem plura alia ſcripſiſſem, quæ conſultò prætermiſi, quoniam uideo præſtantiam tuam habere medicum doctum, & expertum, atque tui amantiſsimum, qui in omnibus ita ſe geſsit, ut nihil ad tui ſalutem inexcogitatū admiſerit. Summus ille Deus æternus omnium bonorum autor, & incolumitatis largigitor, dirigat omnia, ut deſideratam, & primam ualetudinem conſequaris. Vale. Venetis, M.D. XLVI. die tertia Aprilis.

## AD APOLLONIVM MASSAM

*Epiſtola XXIII. De deſcenſu inteſtinorum ad oſcheum, & de tumore in ima parte uentris prope didymum, déque teſticulorum monſtroſa poſitione.*

Optabam equidem & animi, & corporis quietē longe maiorem, quàm mihi in præſentia eſt, ut doctiſsimo Ioanni Dryandro tuo, ac ob eius non uulgarem doctrinam mihi amiciſsimo (quāquam minime de facie cognouerim) ad interrogationes non minus doctas, quàm egregiè ſelectas, ex ingēti aceruo problematum, ad quæſtionum grauiſsimorū medicorum, tam ad theoricam, quàm ad practicam ſpeculationem attinentes, ad animi uſque tranquillitatem reſpondere poſſem. Quoniā id mihi in præſentia non datur: quippe cum ob corporis ualetudinē, tum etiam ob negotia medica nullum ferè ſuperſit ad ſcribendū tempus. Attamē ea pro tēporis anguſtia ſcribere conabor, quæ præcipuè ad negotiū ſpectare uidebuntur. Quare

ſi illa

si illa pro hominis dignitate ad desideratas quæstiones, & responsiones minime orationis elegantia ornauero, & ex omni parte uiro doctissimo non satisfecero, his cognitis, non dubito me apud prudentissimum hominem non excusatum fore. Aggrediar igitur tumultuariè negotiũ ipsum: ac in primis quæ mihi de proposito casu uidentur, dicam. Mox ad quæsita quædam breuibus rescribam. Casus sic proponitur. Vir quidã eruditus, & nobilis, diuersos affectus malos patitur: & primò à teneris annis in sinistra parte, uel ex sifaci ruptura, uel dilatato didymo, per quem intestina ad oscheum descendere possunt in ima uentris, tumorem habet molestum ualde, ac etiam habet paulò inferius circa didymũ tumorem capitis magnitudinẽ superantẽ, qui antè fuerat ad anserini oui quantitatem, sed mollem, & diuersum, qui dum tangitur globi funiũ instar sentitur. Et hic perpetuus est. Is habet & præter dicta, quòd in latere dextro nullus sentitur in oscheo testiculus suspensorio alligatus, sed in sinistro potius in ima uentris parte tactus deprehendit testiculum, ita ut in sinistro latere ambos testiculos uidere liceat: alterũ scilicet qui à morbo malè se habet in oscheo: alterum in ima uentris eiusdem sinistri lateris parte tactus descendit, ita ut duo in uno latere collocati sint testes. Non tamen ex his dictis maximum malum uir doctissimus credere ex literis suadet, cum æger ipse non solum potens sit in uenereo amplexu, uerum & liberos utriusque sexus procreauerit. Scribit enim uir oculatissimus priorem tumorẽ in præsentia ad trium librarum põdus sensim deuenisse, quibuscum neq; uehementes dolores sunt: tametsi aliquis sit dolor, qui dolor fit aut materia ad locum præcipitata, aut aliquo intestinorum descẽdente, uel à nimio potu, aut labore. Hic tamen tumor facilè delitescit, si supinus iacuerit æger, in qua tumoris dissolutione sentitur gurgulatio, & rugitus quidam. Duo in hoc casu uir doctus affirmare uidetur ex superius narratis, alterum descensum intestini cuiusdam, alterum uaricosum in didymo affectum. De primo igitur, cum sit in latere sinistro, coli intestini partem ibi descendere credere operæpretium est. Neque zirbus, siue omẽtum esse potest, cum omentum si descenderit, non habeat quo sursum eleuari possit, ut intestina habent, quæ in contractionem dum una pars mouetur, reliquæ partes cõsequuntur. Præterea si daretur ascensus omẽti post præcipitationẽ ad oscheũ, aut ad scrotum, quem ascensum ex se negant antiqui omnes illustres, dico si datur, utique ille non fieret cum gurgulatione, & rugitu, cùm in omento, neque uentus, neque aqua à materia contineatur, ut ex eius motu gurgulatio, aut rugitus fiat. Secus in intestinis est, cum semper ea sint referta humiditatibus diuersis, ac etiam uentositate. Et ne in nominibus aliqua sit hæsitatio, animaduerte quòd Arabes oscheum, interiorem pellem, quæ testiculos cooperit, uocant: sed exteriorẽ, scrotum, uel scortum dicunt. Didymũ uerò suspensoriũ testiculorum appellant. De posteriori uerò uaricoso affectu. Is nihil aliud est quàm uenarum ibi existentium dilatatio, & repletio. Etenim multæ ibi sunt uenæ nutrientes, & descendentes ad uicinas partes, tam intra, quàm extra didymum. Quare ex his secundum affectum esse patet, uenarum dilatationẽ, ac repletionẽ uaricosam, tam intra, quàm extra substantiã didymi existentium: & quoniam molles ex dictis sunt, à sanguine nõ nimis crasso, uel non ualde terrestri repletio ipsa est. Nam uarices ut plurimum sanguinem melancholicum continẽt. Sed secundum maiorẽ, uel minorem duritiem, magis & minus terrestre & melancholicum esse dicere oportet. Quòd autem dictum est in dextero latere nõ esse testiculũ, sed in sinistra uentris parte extrema reperiri, monstruosum proculdubio esse credendum est. Neque hoc fuit naturæ rectè plasmantis, sed errantis potius. Quòd si in illo loco uenularum, aut arteriarum tumidarũ annexus appareat, hoc in uaricosum quendam leuẽ affectum referendum est. His sic affectibus declaratis, quos Latini ramices intestinorum, aut inguinis, & uaricosos uocant, cura non facilis est, tametsi antiqui omnes illustres eos curare doceant. Nam cùm affectus non unus sit, sintque magni, atque antiqui, qui non sine periculo tractentur, & ex complicatione difficultatem habeant, scilicet à quo incipiendum affectu sit, & dixerit Galenus x. methodi, & xj. eiusdem, hoc idem meminerit etiam comento xvj. primæ particulæ Aphorismorum, & passim in aliis libris, quòd in ægritudinibus complicatis operæpretium est incipere à ualidiori, uel magis periculosa, uel ab alia, quæ est causa alterius, aut qua non sanata reliquæ sanari nequeunt, & reliqua: & hoc in casu uideatur intestini descensus habere maius discrimen, ac etiam impediat suo descensu curã uaricosi affectus, ab eo intestini descensu incipiendum esset. Attamen mea quidem sententia contrarius hic procedendi ordo necessarius erit, ac in primis à uaricoso incipere operæpretium est: quoniam sic incipiendo possumus ambas ægritudines unica operatione sanare. Nam uaricosus affectus non aliter in isto sanari potest, nisi cutis incidatur, ita ut tumẽtes uenæ appareant, quas scalpello incidente aperire oportet, & sanguinis omnem quantitatem in ipsis contentam extrahere, & euacuare, mox locum, & uenas incisas candenti ferro (ut aiunt) cauterizare, diligentissimè tamen, ne aliqua uena adaperta relinquatur. Sunt tamen, qui post uenarum incisionem, & euacuationem, sanguinis uenam filo uinciunt, quod ingenium mirum in modum placet, quoniam seruat proculdubio à fluxu sanguinis. Nam fluxus sanguinis sæpe est causa insignis mali, & aliquando perdit hominem. Non tamen post ligationem cauterizatio (ut appellant) dimittenda est, cum ex ipsa duas intentiones, curator habeat. Prior est uaricosi affectus exiccatio, & sanguinis constrictio: posterior didymi ex ustione constrictio: ita quòd si ex didymi laxati ramex sit, proculdubio ex tali ustione & exiccatione, unitis partibus, interdicetur intestinorum descensus. At si ex ruptura peritonæi descẽsus intestinorum fuerit, eodem ordine in cura incipiendum est, scilicet ut repositis prius intestinis in uentre, incidat cutem ubi ruptura est, usque ad locũ uaricosum inclusiuè. Sed antequam uenæ uaricosæ incidãtur, locus rupturæ peritonæi, intropositis prius intestinis, suatur diligenter, accipiendo in una parte peritonæum, cũ mirach, id est cũ hypogastrio, uel abdomine, & in alia dimittendo: quem modum suẽdi in libello meo de dissectione corporis humani distinctè, & clarè scripsi. Peritonæo igitur consuto operator conuertat se ad uenas uaricosas, & eas aperiat, quibus incisis, & sanguine euacuato, ac uenis (si libet) deuinctis, ac loco candenti ferro exusto, (ut suprà dixi) cutis reliqua superior suatur, ac medicaminibus, & ceratis, tum ad sistendum in primis, tum etiam ad intentiones reliquas appositis, curam ultimam, quæ loci est, prosequatur. Hæc sane uia, mea quidem sententia melior, ac minus periculosa est, tametsi non sine maximo dolore, ac discrimine in similibus procedat medicus. Et ne forte in re magis necessaria defecisse uidear, an scilicet testiculus euellendus sit in iam dicta operatione, ut empirici faciunt, nécne, huic dubitationi respõdendo sic dico, Semper abscindere testiculum, malum esse, cum præter alia non parua incommoda uirile robur, & sexus amittatur, testimonio Galeni in libello de semine. Quare si testiculi sani sunt: quod credendum est, sumpto argumento ab operationibus: audio enim ipsum nõ solum in uenereis ualidum esse, uerum etiam liberos utriusque sexus procreasse: id quòd etiam sensus ostẽdit, cum testiculus in ima parte scroti, seu bursæ ad tactum sanus appareat: non enim tangendo ipsum affectus aliquis ægritudinalis deprehenditur. Igitur studendum est in hac operatione, ut nullo pacto testiculo noceamus. At si aliqua pars uicina corrupta fuerit, ut ex scriptis dubitare uidetur, qualiscunque fuerit illa abscindatur, etiam si testiculus esset: quoniã frustra in aliis laboraretur. Et quoniam quæsitum fuit de cura eminentiæ umbilici, atque inguinis, sic respondere oportet: quòd cura umbilici cum uulnerũ uentris conuenit: nam umbilici eminẽtiæ inguinis etiam cura est, ad eundem scilicet modum, ut fit in uulneribus uentris, cum incisione peritonæi: nam facta in primis cutis superioris incisione suere oportet rupturam, quam cruentam circa labia interiora in primis facere operæpretium est, & eo modo suere oportet, sicut uulnera iam dicta, uidelicet accipiendo in una parte mirach cum peritonæo, & dimittendo peritonæum in alia. Hunc modum suendi uide in libello meo iam dicto de sectione corporis humani. Potest etiam eminentia umbilici, & inguinis cauterio sanari: sed in adultis neutra conducit illarum curatio: & in quacunque ætate talis operatio facta fuerit, non sine maximo fiet discrimine. Hæc igitur satis sint, quæ ad curam propositi casus pertinent. Nunc ad dubiorum, atque interrogationum

ſolutionem accedam. Primò in deſcenſu inteſtinorum, uel omenti, uel humoralis materiæ ad oſcheum, uel ad ſcrotum, animaduertendū eſt, an peritonæū, ſiue ſifach tantum ruptū ſit, an etiam tantū didymus dilatatus ſit, uel ſimul & didymus relaxatus ſit, & peritonæum ruptum. Quòd ſi ſciſſum ſit peritonæum, & omentū, aut inteſtinū aliquod, aut materia humoralis deſcenderit, non ad ſubſtantiam teſticuli deſcendit, ita ut ipſam immediate tāgat, ſed ad ſcrotum deſcēdit inter oſcheum, quod eſt ex ſubſtantia peritonæi cooperientis teſticulum, & inter cutem exteriorem, quam ſcrotum uocāt. Et ſic ſiquis incideret cutem exteriorem, burſam ſcilicet teſticulorum, illico apparet id quod deſcendit, & eſt cauſa tumoris, ſiue illud omentum ſit, ſiue inteſtinum, aut aliud, ita ut oculis uideri, & manu tangi poſsit. At ſi materia humoralis fuerit, illa continue extrà flueret. Hic notabis ex ſcientia inciſionis, quòd præter cutem ubi non eſt pinguedo, unà cum cute incidere oportet panniculum carnoſum, ſiue totius corporis inuolucrū, quæ eſt pars corporis antiquis ignota, mea tamen diligentia in præſentia omnibus in ſectionibus exercitatis notiſsima. At ſi ſine peritonæi ruptura didymi relaxatio fuerit, quæ deſcendent ad teſticuli ſubſtantiam, ut deſcendent, ita & ipſum teſticulum tāgent, ſine medio, ſiue fuerit omentum, ſiue inteſtinum, ſiue alia humoralis materia, cum dilatato didymo, quæ deſcendunt, in oſcheum deſcendent, quod oſcheum eſſe teſticuli coopertorium dicitur. Fieri tamen poteſt, ut humor ſubtilis, uia reſudationis (ut aiunt) ab oſcheo ad ſcrotum ueniat, ita ut inciſa cute exterius, humor egrediatur. Si uerò & ruptura ſifaci, & didymi dilatatio ſimul fuerint, poterunt membra iam dicta, & humores & ad unam, & ad alteram partem deſcēdere. Quærit deinde uir doctiſsimus nunquid in rupturis in quibus ſcrotum durius tractu temporis factum fuerit, medicus ſtudens ſanare hunc affectum per inciſionem, unà cum ipſa indurata cute, teſticulum etiam amouere debeat, nec ne, & carpit curam Alexandri Benedicti. Dico, (quicquid dixerit Alexander uir alioqui doctiſsimus, non eſt autem meum taxare mortuos) quòd, ut ſuperius dixi, non debet medicus in ſimilibus agere, niſi quātum ad amotionem rei præter naturam, ſine ſpe, ut rectificari poſſit, facit. Quare ubi fuerit apoſtema inſanabile, aut ulcus, aut corruptio in ipſo teſticulo unà cum cute deſtituta à caloris naturalis regimine, teſticulum neceſſariò amouere oportet. Quòd ſi nihil ex dictis fuerit, ſola cutis amouenda eſt. Quæ uerò tertio loco in dubium mouet doctor, ſcilicet, an ramex, qui ex aquæ deſcenſu ad teſticulorum burſam fit, poſsit ad hydropis ſpeciē referri: dico uerum eſſe, cùm ex nomenclatura nihil aliud ſignificare poſsit, & etiam ex materiali cauſa, ſiue coniuncta, ut medici dicunt. Quòd ſi, an ex eadem efficienti cauſa fiat, quæſitum ſit: reſpondeo, quòd etſi ex dictis à Galeno xiiij. methodi manifeſtum ſit, nō deſunt tamen rationes, quæ ſine iocinoris noxa, aqueam materiam aliquando in ſcrotum colligi, probare poſſint, cum uia reſudationis per meatus ab inteſtinis, & aliis locis, præſertim ubi cibi humidi comeſti ſint, facilè ſit materiam poſſe deſcendere, & ibi ſenſim colligi. Quæ materia qualiſcunque fuerit cauſa generationis, in cauam partem uentris reſudans per meatus colligi poteſt, & ad ipſam teſticulorum burſam ultimò deſcendere. Sed cum quæritur, unde eſt, quòd magis dolebat in huiuſmodi tumore, cum tumor longè minor erat, quàm in præſentia ſit: (Refert enim, quòd dum ad oui quantitatē fuit, maximi & acuti fuerunt dolores: nunc uerò cum iam capitis hominis magnitudinem ſuperet, minores, & mitiores ſine comparatione ſunt dolores, ita ut ferè ſine dolore ſit.) Ad hoc dimiſsis quæſtionibus, an mala temperatura tantùm, an ſola continui ſolutio, an utrunq; ſimul, quod magis ueritati conſonum eſt, ſit cauſa doloris, quæ cauſæ, qualeſcunque fuerint, ſi cauſas dolorū conſiderabimus, non alio modo faciunt dolores, quàm dum agūt, & (ut dicunt) cùm ſunt in fieri: in facto autem eſſe non eſt dolor, teſtimonio Galeni in libello de inæquali temperatura, & paſsim in aliјs libris. Igitur cùm in primis illis diebus materia, quæ deſcendebat, complexionem membri mutabat, quæ non erat ſimilis ſuæ complexioni, dolorem faciebat. Nam mala temperies habet maiorem uim in faciendo dolorem, quàm ſolutio continui, quod non negant illuſtres antiqui. Quare cùm huiuſmodi materia ex toto particulæ temperaturam mutauit, remiſſa eſt qualitas doloroſa, quæ à mala complexione cauſabatur, remanet dolor ille, qui à ſolutione continui cauſari poteſt: quòd ſi qua materia continuè deſcendit ad affectum locum, (ut patet per loci augmentum) illa ſimilis in temperamento loco affecto eſt, aut non multum diſtans. Quare & ſi in præſentia tumor maior ſit, cum non ſit actio materiæ deſcendentis ob ſimilitudinem, & iam etiam ſeparatio continui in fieri minima eſt, minor & minimus dolor eſt. Poſtremò quærit, cur eſt, quòd in affectibus ſcroti adultorum, qui affectus ortum à teneris annis habuerunt, teſticulus ille, qui male ſe habet, aliquando imminuitur, ita ut ad quantitatem fabæ, auellanæ nucis, ac minorem deueniat, & etiam ſurſum ad uentrem trahatur, ſanus uerò ad oui quantitatem augeatur: huic quæſito, & ſi plurimæ reſponſiones accommodari poſſunt, attamen una mihi in præſentia ſatisfacere uidetur, quoniam, cum teſticulus tractu temporis, malè affectus ex natiua temperatura mutatus, non poſsit nutrimentum ſecundum exigentiam attrahere, atque in uiis propinquis obſtructiones quædam coarctatiuæ fiant ex nutrimenti defectu, ſequitur nutrimenti defectus, ac per conſequens membri exiccatio & imminutio. Quę exiccatio cùm non tantum ſit in teſticulo, ſed etiam in ſuſpenſorio ſuo, quod exiccatum contrahitur, uel conuellitur in ſe, ſicque ſurſum trahit teſticulum, & ita, quoniam nutrimentum non atrahitur, exiccatur tam teſticulus, quàm ſuſpēſorium ipſius. Alius uerò teſticulus cùm propriam habeat temperaturam, attrahit nutrimentum à natura paratū pro ambobus, ſicque augetur ad maiorem quantitatem, ita ut poſsit ad oui quantitatem aliquando uenire. Cauſæ uerò cur membrum aliquod nō nutriatur, poſſunt etiam plures aliæ eſſe, utputa ſi uiæ per quas nutrimentum tranſit, male affectæ ſint, & hoc aut in temperatura, uel in plaſmatione, uel in figura, uel in uia, ita ut minime nutrimentum tranſire poſsit. Non enim ex defectu nutrimenti potuit caſus dictus fieri, quoniam conſimilem affectum in altero teſticulo feciſſet. Igitur fuit à mala temperatura, à qua ſecutæ ſunt aliæ cauſæ, ſcilicet defectus uiis ducentibus nutrimentum. Hæc ſunt, quæ pro temporis breuitate in caſu, & quæſtionibus ad te ſcribere uolui, ut excellētiſsimo Domino Ioanni Dryādro aliqua ex parte ſatisfacere poſsis. At quoniam uir egregius petit, ut quos de cura horum affectuum ſcriptores legerim, eos indicare ſibi uelim: etſi minime credam eum autores non omnes in hac materia ſcribentes legiſſe, attamen, ut uiro doctiſsimo morem geram, quoſdam (quos me legiſſe memini) tum Græcos in primis, tum Arabes, tum etiam Latinos illuſtres, in calce indicabo, inter quos multa ex Hippocratis dictis in libello de officio medici uulnerarij, & in aliis, qui ſequuntur, libris, & præſertim ex commentariis Galeni in eos libellos, ſumi poſſunt. Scripſit etiam Galenus xiiij. methodi modum curandi hos affectus per inciſionem, qua in parte fatetur ſcripſiſſe modum huius operationis in iam dictis libris, quos de Chirurgia uocat. Paulus quoque perbelle de cura omnium dictorum affectuum ſcripſit. Aëtius etiam inter Græcos illuſtris de hac re ſcripſit. Non deſunt præterea ſcripta doctiſsimorum Arabum, ut Principis Auicennæ, Aliabatis, Auenzor, & Albucaſis uirorū doctrina præclarorum, qui diligentiſsime rem docent. Sunt & Latini præſtantiſsimi medici, qui pulcherrimè de cura horum affectuum ſcripſerunt: ut eſt Gentilis ſubtiliſsimus Auicennæ expoſitor, Ioannes Matthæus de gradibus, ſuper xxij. fen tertij canonis Auicennæ, Guilielmus de ſacileto, Guido de cauliaco, Petrus de Argilata, & Nicolaus Florentinus, qui omnia ab aliis in unum congeſsit. Sunt & alij quamplurimi, tum antiqui, tum etiā moderni: quos breuitati ſtudens dimitto. Satis igitur erit hos meliores oſtendiſſe. Etenim ſi omnes qui de re medica ſcripſerunt, tam antiquos, quàm modernos hic ſcribere uelim, tædioſa eſſet oratio: præſertim cum bibliopolæ omnes eos ſemper in promptu habeant. Reliquum eſſet reſpondere ad ea quæ uir excellentiſsimus ad te de utero, & uulua ſcripſit. At quoniā febre detentus non potui Dryandri literas examinare, ſatis erit in præſentia ualetudinario, ſi hoc unum tibi dixero, ſcilicet me minime legiſſe antiquos, aut modernos, qui foramina duo illa in extremo uuluæ mulieris uiderint. Nam, ut ſcis, mortuas quāplurimas mulieres

res

res ſecui, ut uteri & ſibi annexarum partium naturam, & operationes cognoſcerem. Attamen foramina illa in uuluæ extremo (ut ipſe dixit) minime me uidiſſe fateor. Quòd ſi uir diligentiſsimus in uiuentibus mulieribus hoc ſæpiſsime uidiſſe affirmat, cum plurimas mulieres tractare in earum ſecretioribus locis ſibi cõtigiſſet (tametſi hoc ad rem medicam parum, aut nihil faciat, ſpeculationis tamẽ gratia, ut ſecreta mirabilis naturæ aperiantur) gratiæ illi agendæ uiderentur, quòd tam comis ſe mulieribus oſtẽderit, ut ſecreta loca tam ſolerter perſcrutari tanta diligentia ipſi conceſſerint. At ſi iam dicta foramina ſemel aut aliquoties ſe uidiſſe, & nõ in omnibus dicat, monſtroſum aliquid uidiſſe ipſum dixerim. Etenim in mortuis, ut dixi, hoc minime uideri poteſt, & uiuentes mulieres nolunt omnibus fœtida loca (generationi quanquam neceſſaria) oſtendere. De hac re cum ualetudo & corporis, & animi melior fuerit ſcribam. Vale. Venetiis, Die XII. Aprilis, M. D. XLII.

AD REVERENDVM DOMINVM *Lucam Bonſium, Epiſtola XXIIII. de ulcere in inteſtino recto.*

NOn poſſum quicquam tibi reuerendiſsime Domine negare, ob tuarum uirtutum ſingularitatem, atque etiam propter tuum in me amorem. Quare rogas, quòd ut de modo procedendi in hac declinatione tui morbi, poſtquam Patauium petiiſti allectus tum domus propriæ cõmoditate, tum eius aëris natiui optimi probitate, tum etiam aliis multis non hic recenſendis cauſis, aliquid ſcribere uelim: id libẽter hac epiſtola faciam. Et ut de more ordinatè procedã, ægritudo præſens eſt ulcus in extremitate inteſtini recti, in latere ſiniſtro prope muſculum ſphynteris declinans, tamen uerſus natem, quòd ulcus profundum eſt, fiſtuloſum, & calidum, cum ſanie nõ omnino laudabili, ſed ſubtili, & cum aliquo dolore, ſi quis id extrà tangat: & in tactu percipitur durities, ſiue calloſitas manifeſta, uergens, ut dixi, uerſus natem ſiniſtrã. Sanies uerò, quæ egreditur, notabilis quantitatis eſt, à qua poteſt ſumi indicium, ſignum etiam eſſe notabilis magnitudinis. Etenim ſæpe uidi ſaniem una uice exeuntem ad maiorem quantitatem, quàm ſit quantitas contenta in ouo gallinaceo, uidelicet uitellus, & albumen. Cauſas uerò ipſius iam dicti ulceris, tametſi in præſentia nõ ſint ipſæ amouendæ, nihilominus utiliter recenſebo. Etenim (ut à tua dominatione audiui) euidens, ſiue primitiua (ut aiunt medici) illa fuit, quòd cum gratia leniendi uentrem, eò quòd non bene ſe haberet, miniſter quidam clyſterem imponeret, per imprudentiam cum cuſpide cannulæ clyſteris laceratum fuit intus inteſtinum laceratiõne doloroſa cum multo exitu ſanguinis, unde ex dolore, & ex corporis repletione ſecutum eſt apoſtema magnum, ſiue abſceſſus, cum febre maxima, à qua febre per quadraginta dies, & amplius tua dominatio detenta fuit: tamen conſilio medicorum, qui tunc medelam præſtabant, à principio apoſtema fuit ruptum intrinſecè, ſicque ex ruptura ad ulcerationem deuentum eſt: quod quidem ulcus in præſentia cauum, fiſtuloſum, & calidum (ut dixi) eſt, cúmque non poſsit tua dominatio, neque à febre, neque ab ulcere, ab illis qui medelam præſtabãt, liberari, & ego uocatus circa quadrageſimum diem, & ulcus, & febrem adhuc affligentem notaſſem, unà cum ipſis medicis adhibito ordine quodam in regimine, & potione, febris receſsit: unde & tua dominatio, & tota domus me uerum medicum eſſe dicebant. Sed quoniam ulcus etiam in præſentia te aliquo modo, cum mitioribus tamen accidentibus infeſtat, ideo in hac declinatione, quæ neceſſaria ſunt, & canonicè fieri debent, ſic ſcribere ſtatui: prius tamen ſuperius dicta nõ ſine utilitate uolui enarrare, ut ab eſſentia morbi ex doctrina Galeni, regimen curatiuum ſumendi anſam habeamus. Sit igitur regimen in rebus nobis neceſſariis tale, uidelicet aër ſit temperatus: & quoniam febris non amplius te notabiliter moleſtat, declinet regimen potius ad ſiccitatem, quàm ad humiditatẽ. Cibus, & potus præterea ſint eiuſdem qualitatis, uidelicet ad ſiccitatem aliquam declinantes. Panis ſit igitur bene fermentatus, mediocriter ſalitus, & coctus. Carnes ſint iuuenes, ex animalibus, quæ non ſunt multum humida, & caro hœdina. Pullorũ magnorum oua uerò, etſi nõ ſiccitate participent, illa ſorbilia poſſunt canonicè ſumi: quoniam tantum nutriunt, quantũ ponderant, & ideo ſunt non habentia ſuperfluitates, ex ſententia Auerrois in canticis. Similiter & perdices, & aliæ aues nemorales ſunt optimæ. Et fercula ſint etiam talia, ut eſt far, & oua confuſa in brodio carnis, cũ paulo ſucci uuæ acerbæ. Sed olera omnia, quoniam humida ſunt actu, non ſunt bona. Similiter & fructus. Vinum præterea ſit pauciferũ, boni ſaporis, & odoris, non dulce, neq; acre, ſed mediocre. Quòd ſi uinoſum fuerit lymphetur aqua, in qua aliquãtulum roſacei ſacchari ſit decoctum. Quantitas cibariorum ſit ſecundum indigentiam, & uicinitatem conſuetudinis, quoniã ab eo quod conſuetum eſt, non fit paſsio, imò ſæpe iuuamur. Similiter de quantitate potus dico. Qui tamẽ potus ſit proportionatus quantitati cibariorum. Horæ uerò cibandi, ſint horæ aut magis conſuetæ, aut poſt completã digeſtionem, in qua ſolet appetitus naturalis inſurgere, & hoc eſt, quod dicebat princeps Auicenna, quòd tunc eſt hora comedẽdi, cum appetitus inſurgit &c. Fugienda eſt repletio, & etiam inedia, ſiue inanitio, quoniam ambo nocent. Nam tolerare famẽ, implet ſtomachum malis & putridis humoribus, dicebat Auicenna. Dormire multum confert: quoniam ſomnus naturã corroborat intrinſecam: quare ſequuntur meliores, & incolumiores operationes: ſed ſit horis debitis, & in quantitate etiam debita. Nam dormiat in nocte, idque poſt cœnam ſaltem per duas horas, ſitque per ſpatium octo horarum longus, & non tranſcendat decem: non ſit tamen minor quàm ſex horarum: neque ſit diurnus, aut meridianis horis, quoniam multũ nocet, & humectat corpus: & ſic cõtrarium erit ulceri, à quo ſermo ortus eſt. Vigiliæ exiccant quidem, tamen quia nimiæ uigiliæ magnopere nocent, ideo tutius eſt dimittere uigilias, & temperatè dormire. Et quoniam maior pars ſanitatis fit temperato exercitio, & quies corpus hebetat: ideo hic cautè agendum eſt: quoniam etſi exercitium conferat excitando calorẽ, tamen nocet motus, & corporis humores prouocat ad locum decliuem, & debilem: & ideo loco exercitii fiant quotidianæ fricationes ante cibum, cruribus in primis, & brachiis, deinde cæteris corporis partibus. Quòd ſi animi cauſa deambulare uoluerit tua præſtantia, leuis ſit deambulatio ante cibum, uel ſit uectio leuis in curriculo in loco plano, aut uectio in cymba, quæ ſpecies leuiſsimi exercitii eſt: laudat etiã ludis tabularũ, & aliis, in quibus brachia exercentur. Et denique ſciendum eſt, quòd nimia quies corpus infrigidat, & cum anima operetur calore, non erit ſine noxa notabili. Animus ſit lætus cum amicis in locis amœnis, ut ſunt uiridaria, & ſint ſoni, cantus, & confabulationes lætæ, & etiam cum matronis pulchris, honeſtis tamen: quoniam uenereum uſum ſecũdum Epicurum, dicebat Galenus ſalubrem non eſſe, maxime cum corpus conualeſcens eſt: confert tamen in aliquibus, qui ſunt repleti. Hæc de regimine dicta ſatis, & ad medicinalia deſcendam. Et quoniam quæ relinquuntur in febribus, & maxime diuturnis, ſolent ſæpe ad partes exteriores, & ignobiliores trãſmitti, cauſaréq; diuerſas ægritudines, aut malas diſpoſitiones, ut ſunt dolores, apoſtemata, & multæ cutaneæ infectiones: hinc eſt, ꝙ nõ ſine ratione poſſet quis tuæ dominationi perſuadere, ut ſæpius pharmacum ſumas debile ad euacuandas has ſuperfluitates derelictas ab ipſo morbo, ne tales ſuperfluitates tranſmiſſæ ex intentione naturæ ad ulcus, foueãt ipſum, & ſic prorogetur ſanatio ipſius. Quæ res mihi etiam ſummopere placeret, niſi & ratio, & Galeni autoritas libro de arte curatiua obſtarent. Nam dicebat Galenus, quòd oportet ad contraria diuertere, neq; ad ægritudinis locũ adducere, quoniã ex tali modo euacuationis augebitur malitia ulceris. Quare quãtum fieri poteſt, fugiendæ ſunt medicinæ educentes ſuperfluitates corporis per inferiora: quoniam nocet ulceri, ducendo tales ſuperfluitates eò. Quòd ſi aliqua euacuatio eſt neceſſaria, illa fiat (ſi facilis eſt uomitus) per uomitum: quoniam attento anni tempore, & etiam modo ægritudinis uniuerſalis, quæ febris fuit de genere cholericarum, poterit plurimùm conferre, & minime nocere. Quòd ſi is non eſt facilis, & corpus egeat omnino aliqua euacuatione, cum ſimus in uere, phlebotomia euentatiua, ut aiunt, mihi non diſpliceret, tametſi ſexagenarius ſit. Quòd ſi timetur, dixit Auerroës vij. colliget, & Galenus iiij. Aphor. abſtinentia cibi totum corpus æqualiter purgandum. Quare abſtineat à multo cibo, & erit loco leuis euacuationis. Ducere etiam

ad

ad uias urinæ non erit abſq; utilitate, & exercitium eſſet conueniens cõſumendo ſuperfluitates: niſi ulcus eſſet in ſede, ſiue in loco inteſtini. Quare fiant frictiones mane, & ſero, quæ diuertent ſuperfluitates, & proderunt ulceri. Sed quoniam rheubarbarum confortando mēbra intrinſeca euacuat: ideo ſi aliqua neceſsitas cogat per inferiora euacuare, non eſt dimittenda rheubarbari aſſumptio, uel infuſi, uel etiã in ſubſtantia, ut aiunt: hoc tamen fiat intermiſſo tempore: ne ex deriuatione ſuperfluitatum ad ulcus maior fiat ſanandi difficultas. Sed hoc ſtante regimine, curæ particularis ulceris attendendum eſt, quod per localia fieri debet. In primis autem cùm ulcus habeat orificium intrinſecum, ideo, ne fieret maior dilaceratio, ſi cum inſtrumento ipſum inueſtigare uoluiſſem, atque etiam quoniam ſanies continuo poſt applicationem abſterſiui cuiuſdam ex decoctione hordei, & mellis, melior facta eſt, & in minori quantitate exiit, dolórq; remiſſus eſt, & durities diminuta, abſtinui ab huiuſcemodi inſpectiõe, & perſequēs dictam lotionem, unà cum applicatione unguenti diachylon parui admixti, cum tertia parte medullæ urituli ſuper duritiem exteriorem, uiſo iuuamento, fui contentus. Sed cum iam tua dominatio illuc acceſsit, & ulcus iam egeat maiori exiccatione: ideo poſtquam qui tuæ dominationi inſeruit, uiderit duritiem diſſolutam, ſaniémque diminutam, magiſque condenſatam (cum æqualitate tamen) optimum erit per ſyringam imponere decoctionē roſarum, centaureæ, cimarum rubi, hordei, & mellis in uino ſtyptico, quoniam abluendo, & cum exiccatione abſtergendo ſic procurabitur conſolidatio. Et ne quis me dimiſiſſe aliquod neceſſarium putet, cum dixerim ulcus ſinuoſum, ſiue cauernoſum fuiſſe, quòd eget carnis regeneratione, animaduertant φ ſinus non fuit ex deperditione carnis, ſed ex relaxatione particulæ, ubi recepta fuit materia apoſtemans. Et cum iam appareant partes inter ſe coaleſcere ex ſignis iam dictis, hinc eſt quòd ſufficit ſola, mea quidē ſententia, hęc ultima intentio: neq; ad fortiora exiccãtia aſcenderem ex præceptis Galeni: tametſi princeps Auicenna auſus fuerit etiam ad fortiora deuenire, ut eſt ærugo æris, & alia fortiora medicamina. Quale autem medicamen exterius, quando decoctio uini iam dicta adminiſtrabitur, ponendum ſit, ut una ſit intentio in omnibus iam dictis, acciperem ego unguētum de pelle arietiną uſuale, quod etiam appoſitum fuit: & illud optimum erit, quoniam in ipſo ſunt ea quæ faciunt & ad partium coitum, & ad domeſticam exiccationem, attenta loci complexione, & reliquis. Hæc reuerende domine pro tua diſpoſitione in præſentia annotaſſe ſatis eſſe pro rei neceſsitate putaui: tametſi pro tua non ſolum inter bonarum literarũ cultores mira ingenĳ prõptitudine, & acrimonia, uerum etiam ob eximias, innumerabiléſq; alias animi, & corporis dotes, plura, & elegantiora ſcribere debuiſſem: cuius rei ueniam me facilè conſecuturum eſſe ſpero, cum ipſe pro tua prudentia uideris uerborum ornatum multo minorem eſſe rerum dignitate, ac etiã ſi ſimul urbis noſtræ, & mei rationem perpenderis. Deus Optimus Maximus, à quo omnia bona prodeunt, ſanitatem & uitæ diuturnitatem concedere tibi dignetur. Venetiis, die XX. Septembris, M. D. XXX.

## AD APOLLONIVM MASſam, *Epiſtola* XXV. *de ſuperfœtatione.*

SCRIBAM nunc ad te rem, quam pollicitus ſum per eas literas, quibus duabus epiſtolis uno tempore acceptis reſpondi, tametſi (ut arbitror) res non ſine maxima difficultate exponi poteſt, cum ſi antiquos inſpicere uoluero, paucula quædam, uel non ex omni parte clara ſcripſerint. Quare non ſolum ea quæ Ariſtoteles eminentiſsimus, ac etiam Hippocrates, Galenus, princeps Auicenna, & alĳ ſapientes ſcripſerunt, enarrare conſtitui: uerumetiam & meam in hac re ſcitu dignam ſententiam addere profiteor, ut ab homine occupatiſsimo fieri poterit. Scripſiſti igitur excellentiſſimum Doctorem D. Ioannem Dryandrum petiiſſe à te, ſuperfœtatio in muliere, qua ratione fieri poſsit: cum ex Galeni, & aliorum illuſtrium doctorum ſententia, ac ex meis in libello de ſectione corporis humani dictis, uteri os poſt receptum ſemen prolificum claudatur, ita ut neque acumen acus ingredi poſsit. Res profecto ſapienti, & ſtudioſo non mira eſt, ſi ea quæ Ariſtoteles iiĳ. de animalium generatione ſcripſit, audire uolueris. Cæterum homo ideo perfœcundum animal eſt, quoniam in utero ſpatium aliquod habet, ut præter unum, alios etiam fœtus geſtare poſsit, ac etiam nutrimentum, ut plures alat, ei præſens ſit. Quę cum natura ſagax ac prouida, & ad conſeruationem ſpeciei inquantum fieri poteſt ſemper intenta cognoſcat, etiam poſt imprægnationē, in muliere coitũ admittit. Quod ſi & equis, & leporibus hoc commune ſit, nõ eandem rationem habent: cùm equa hoc ex partium ipſius uuluæ ſoliditate, & naturæ ipſius caliditate, quæ eam ad libidinē ſtimulat, detento in ipſis uenis ſanguine feruenti contraxerit. Non enim equa menſtruas habet expurgationes ſanguinis, ut mulier. Lepori uerò quoniã hirſutum animal, multique excrementi eſt, ita ut cum ipſis excrementis, etiam plurimum ſemen generet, ſuperfœtatio accidit, genitalibus ad libidinem ſeminis multitudine ſtimulatis. Nam cum hirſuta omnia animalia à caliditate ad libidinem ſtimulentur: lepus iſta ratione ſcilicet ſeminis abundantia, & caliditate ſuperfœtat, non tamen ſecundum fœtum nutrire poteſt. Neq; leporem non calidum animal eſſe quis dicere poteſt, cum uelociſsimum ac agile ſit: mulier uerò, tametſi calidum animal ſit, habet mēſtruas ſanguinis purgationes, & uuluam laxiorem, & minime ſolidam, ſi equarum uuluas inſpicias. Quare diuerſæ libidinis appetentiæ cauſas aſſignabis. Ex quibus colligere pulcherrimum erit ſuperfœtationem in muliere ex loci uteri cõgruitate. Etenim ex Porphyrĳ ſententia, locus neceſſarius eſt in generatione, quemadmodum patet, & etiam ex alimenti copia, quòd plures fœtus nutrire poſsit, cum calidum animal ſit. Studet enim natura mulierem ad libidinem promouere pro conſeruatione ſpeciei in procreatione indiuiduorum: & ratione in primis, caliditatis ſcilicet, eas mulieres ad ſuperfœtationem paratiores eſſe dices, quæ calidiores, ac ſolidiores ſunt, quemadmodum illæ, quæ cum ſanguinea temperatura choleram permixtam habent. Hæ uerò partes exteriores genitalibus propinquas calidas, ac ſolidas multis pilis abundantes habent, unà cum abundantia ſeminis, ſiue ſit menſtruus ille ſanguis, ut Ariſtoteli placuit: quod minimè credere poſſum, cum uterus manifeſtos teſticulos habeat internos, & uaſa ſeminaria ab eiſdem locis orta, quemadmodum in uiro. Nam ſanguis menſtruus pro maiori parte excrementum ſanguinis eſt, neque per ea uaſa, quæ ſeminaria dicuntur, ad locos defertur, ſed per alia, ut ex inciſionis ſcientia habetur: ſiue ſit ſemen prolificum, ut Galenus dixit. Adde etiam mulieres illas ſuperfœtationes facilius habere, quæ in utero ſpatium aliquod etiam poſt conceptionem habent, & ſanguinis euacuationem, minus aptæ ſunt ſuperfœtationi. Sed id quod magis uos ambiguos tenet, eſt uteri conſtrictio, quæ ſemen minimè in ipſam proiicere permittit, ſi ad quæſtionis initium inſpicio. Sed neque hoc difficultatem nobis indiſſolubilem affert: cum teſte Ariſtotele, Galeno, Auicenna, & quotidiana experientia, mulieres quàmplurimæ robuſtæ prægnantes euacuationem ſanguinis menſtrui habeant, poſt quam euacuationem ex loci ſpatio aptiores ad ſuperfœtationem ſunt: quę euacuatio in robuſtis mulieribus fit, quoniam nutrimētum ſuperfluit, ita ut fœtus minimè ipſo egeat, & ea potiſsima ratione ſuperfœtant, & ſecundũ etiam fœtum nutriunt. Ad iſtam autem intentionem concurrit fortitudo membri genitalis in omnibus naturalibus potentiis, ſcilicet in attractione, retentione, concoctione, & expulſione. Quare etſi ſuperabundans nutrimentum extrà pellatur, expulſiua uenarum ſuo tempore operante, non tamen id quod in utero eſt, nondum expulſioni paratum, expellere ualet. Similiter (cõtrario tamen modo fit) ex uteri robore, & naturæ ad prolem procreandam propenſione, ut tempore coitus grauida etiam exiſtēte muliere os uteri aperiatur, dum ex confricatione uterus deſcendit, ita ut ſemen ſuſcipere poſsit, ac ſubinde ſine tēporis intermiſsione clauditur, poſt ſeminis receptionem corrugato utero, cum uterus eo delectetur, facilè fieri poteſt. Huiuſmodi mulieres ſunt, ut dixit Princeps Auicenna xxj. tertĳ capit. decimoſeptimo, carnoſæ, calidæ, & pingues, ut ex caſtigatione ab Andrea Belunenſe eſt uidere. Nam hæ mulieres ſolida habent membra, ac minimè laxa: ſunt enim ſanguineæ temperaturæ, cũ choleræ permiſtione.

ne. Quare & plurimos (ut dixi) pilos circa genitalia habent, qui ex materia excrementi fumoſi à caliditate excitati fiunt. Accidit & aliquando ad hoc deſiderium libidinis ex membri caliditate, quæ cauſa non aliena à ſupradictis eſt. Nunquid uerò fœtus plures numero, plures etiam cellulas (ut plurimi in hac re ignari moderni ſcripſerunt) poſtulent, turpis ac ludibrioſa quæſtio eſt. Semper uterum ſenſata ſectionis cognitione unam tantum cauitatem habere uidiſti, ac ex ſapientũ ſententia me ſæpe dixiſſe, te memorem eſſe credo, plures fœtus gigni, uel diuiſo in utero primario ſemine, aut ſuperfœtatione. Multa equidem alia ad huiuſmodi negotii intellectum utilia ſcribere poſſem: quæ, quoniam in recognitione libelli de febre peſtilentiali, ac ægrorũ curationibus obruor, ut ad illa minime tẽpus ſuperſit, dimittã: ac ea ad aliud, fauẽte domino, tempus differre propoſui. Vale. Venetiis, M. D. XL. Die XII. Iulii.

## AD DOCTISSIMVM DOMInum *Vincentium Ricium illuſtriſſimi dominij Veneti à ſecretis*, Epiſtola XXVI. *de balneis Calderianis.*

PEtis doctiſsime Vincenti, qui etiam iure, & merito compellere potes, ut ad te quid de balneis Calderianis ſentiam, à quibus nuperrime diſceſsiſti, ac Patauium te contuliſti, ſcribere uelim, cum te plurima ab incolis de eorum operationibus audiſſe per literas tuas declares; quæ quoniam non ex omni parte rationi conſona ſunt, non parum te ſuſpenſum tenẽt. Ego uerò tametſi rem difficilem literis mandare rogas, utpote de qua illuſtres antiqui medici nihil traditum in ſuis ſcriptis reliquerint: ut tibi nihilominus morem geram, & aliqua ex parte ſatisfaciam, rem ipſam tumultuario ſtylo negotiis nõ paucis impeditus, ſic exordiar. Balnea Gauderiana, ſiue ut uulgo dicitur, Calderiana, ſcatent in uico Gauderii in agro Veronenſi per decem ferè millia paſſuum ab urbe remoto, orientem uerſus, ad radices quorundam monticulorum, qui admodum amœni, & iucundi exiſtunt. Et ut uidiſti duo ſunt loca, ubi ſcatent aquæ balnea facientes. Alter locus eſt, qui in theatri modum muro cum gradibus cinctus eſt, à quo loco bibentes ſumunt aquã. Alter uerò apertus, & nullo munimento ſeptus, in quem ingrediuntur qui lauatione indigent. Diſtat autem alter ab altero, quantum quis lapidem manu iacere poteſt, plus minúsue parũ: fundus quorũ arenoſus eſt, quæ arena rubiginoſa uidetur, à qua non cõtinuè, nec in uno loco, ſed in pluribus frigida uel potius tepida ſcatet: quæ clara admodũ eſt, & in ſapore non excedens, cum nec dulcis, nec amara ſit, attamen aliquid ſalſedinis leuis oſtendere uidetur: quòd ſi quid præter id quod dictum eſt in ea adnotetur, ad ſulfuris odorem & qualitatem referri poteſt. Eſt igitur aqua hæc mineralis clara, (non manifeſtè calida) ſcaturiens ab arena, ſapor cuius non dulcis nec ſalſus admodum, aut amarus exiſtit, ſed medius cum aliqua ſulfuris admiſtione, atque guſtui limoſo ſenſu. Minera uerò à qua uel ſuper quam trãſit, & fluit, ferrea proculdubio in maiori parte eſt, quæ non caret modico ſulfuris & nitri. Quod autem minera & loca per quæ tranſit & moratur, ferrea exiſtat, teſtantur rubigo in ipſa arena, & lapilli rubiginoſi commiſti, ac etiam experientia per ebullitionem facta. Etenim poſt ebullitionem dictæ aquæ reſidet pars ærugini ferri in omnibus ſimilis. Eſt etiam ad hòc confirmandum, id quod incolæ dicunt, uidelicet ſæpiſsime reperiri fruſtula ferri cum arena commiſta: ſed ſulfuream illam, & nitroſam qualitatem, quam dixi etiam eſſe in ipſa, facilè cognoſcere poterimus per odorem, & guſtum in ebullitione forti ipſius. Nam exhalatio odorem ſulfuris aliquem oſtendit, & ſiquis eam guſtauerit, leuem aliquem ſalis ſaporem ſentit. Cum igitur aqua ſit, & tranſeat ſuper mineram ferream, non priuatam ſulfuribus, & nitroſis partibus, nemo ſanè eſt principia rerum natura conſtantium rectè intelligens, qui ſecus dicere rectè poſsit, quàm quòd hæc aqua in primis frigida ſit: & hoc quoniam aqua eſt, & etiam quoniam per loca ferrea tranſiuit, & ibi morata eſt. Præterea hæc aqua non pura elementaris, ſed corpus aqueum eſt, quòd etiam cæterorum elementorum aliquid & ſubſtantiæ, & uirtutis continet: ex quo fit, ut præterquàm quòd frigida ex ſui natura in primis ſit, etiam ex mora, & tranſitus loci ferrei ſulfurei, & nitroſi, inſignem ſatis ſiccitatem acquiſierit. Habet quoque ex eadem minorali parte ſulfurea, & nitroſa caliditatem ſatis moderatam, & humiditatem ex propria aquæ ſubſtantia. Neque hoc fieri non poſſe te credere uelim, cum alia miſta corpora quamplurima diuerſas has qualitates contineant, ita ut una, & eadem res per diuerſas partes & calſacere, & refrigerare, humectare, & exiccare ualeat, quemadmodum uidere eſt exempli cauſa, in ſemine pſillii, quod ſemen compoſitum eſt ex diuerſis partibus, ſcilicet calidis, & frigidis, quæ ſeparari poſſunt. Etenim pars quæ calida, & ſicca exiſtit in eo ſemine, eſt ſubſtantia intrinſeca medullaris. Pars uerò exterior, cortex ſcilicet, frigida, & humida eſt. Sunt & plura alia quæ diuerſitatem in partibus, tam in ſubſtantia, quàm in qualitatibus habent, (ut eſt uidere in lacte:) neque deſunt res quæ diuerſas partes habent, quæ minime ſeparari poſſunt, ut teſtatus eſt Galenus de aceto, & aliis. Quare cũ hæc clare pateant, in eis non plurimũ laborabo. Neque credendum eſt hanc aquam habere has diuerſitates congenitas, uel ex ſui ſubſtantiæ natura, ſed (ut dictum eſt) acquiſitas ex tranſitu, & mora in loco calido, & ſicco, & ex permiſtione alterius rei in loco mineræ exiſtentis. Sicque per ſe primo aqua humida, & frigida eſt, quemadmodum omnes aquæ naturales, & ſine permiſtione ſunt. Quòd ſi aliam, uel alias qualitates contrahunt, ex accidenti, & ab extrinſeco illis adueniunt, ut dixit Ariſtoteles, & Auerroës ſecundo Meteororũ. Etenim quicquid habet aqua præter humiditatem, & frigiditatem, ex accidenti ei euenire neceſſum eſt. Quòd uerò aquæ Calderianæ ſiccitatem ex accidenti aquiſiuerint, facilè perſuaderi poteſt, cum ex dictis loca per quæ tranſeũt, & morantur, ferri naturam præ ſe ferãt, ex rubigine, & fruſtulis ferri in eis repertis, ut dixi. Quòd ſi ad odorem ſulfuris per ebullitionem exhalantem, & ad ſaporem nitri ſpectes, nihil eſt quod in hac re dubites: nam tam ſulfur, quàm nitrum præter caliditatem etiam ſiccitatem inſignem habent. Et quoniam partes tam ſulfuris, quàm nitri in minera non omnino plurimæ ſunt: ideo minorem qualitatem calidam ab illis acquiſiuit. Neque te ignorare credo, ea quæ Ariſtoteles, & Auerroës loco citato de cauſa ſalſedinis maris à ſole ex corporibus cœleſtibus dixerint: quæ quoniam huic aquæ non accidunt, nolui ea narrare: ſatis enim eſt, quòd ex iam dicta mora, & tranſitu ſiccitatem plurimam, & moderatam caliditatem ſibi accidiſſe ueriſimile ſit. Sed ex ferri plurima, & ſulfuris, & nitri permiſtione in minera minor, tametſi aqua in cauis terræ poſsit à pluribus aliis cauſis, præter dictam, calefieri: utputa ab exhalatione alicuius uaporis calidi, & ſicci ab ipſa terra euaporantis, & cum ipſa aqua permiſti, uel ex motu uaporum, & uentorum concuſsione in cauis terræ, aut ex compreſsione caloris alicuius, uel à radiis ſolis impreſſa, uel à frigiditate conſtipante illam & detinente calorem, ut minime ſpirare poſsit, ita ut ſic locus incaleſcat, & ea quoque quæ in eo continentur. Sed quicquid de aliis modis calfactionis ſit, equidem primum magis approbarẽ, uidelicet aquam tranſeuntem per locum ferreum cum ſulfurea, & nitroſa portione acquirere ſiccitatem, & caliditatem accidentalem, per permiſtionem uaporum à minera eleuatorum, & cum aqua ſubinde permiſtorum. Sicque dicta aqua odorem ſulfuris, & ſaporem nitri habet, ut ex dictis experimentis patuit. Et quanquam apud eminẽtiſsimos medicos non deſint difficultates de natura, & temperamento ferri, ſcilicet an ſit calidæ, uel frigidæ temperaturæ, reſpectu corporis humani: quod nil aliud quærere eſt, quàm an operatio uirtutis ferri poſſit corpus noſtrum calfacere, uel refrigerare: non eſt propterea aliter credendum, quàm id quod paulò antè dixi, uidelicet ferrum habere temperaturam frigidam & ſiccam primò, cum eius operationes idem atteſtentur. Cuius opinionis fuit doctiſsimus Auerroës, & cum eo multi illuſtres modernorum. Ex dictis habemus, aquam Calderianam, quoniam aqua eſt, primo refrigerare poſſe, & eo magis quia à minera ferri roborata fuit: deinde exiccare, non tamen ex propria uirtute, ſed per accidentalem & à minera dicta ferri acquiſitam ſiccitatem: ac etiam à ſulfurea, & nitroſa, à quibus quoque acquiſiuit, ut poſsit modeſtè calfacere: hoc eſt non ſupra humanũ temperamentum, cum non plurimæ tam ſulfureæ, quàm nitroſæ partes in tali minera ſint,

ra ſint.Et hac ratione aperit uias urinæ,& ſudorem aliquando mouet,atq; alios effectus leuis caliditatis operatur,pręter id quod per primariam eius operationem moderatè refrigerat, & exquiſitè exiccat, cum qua diuerſa temperatura, diuerſas uirtutes, & operationes habet. Nam præter operationes à dictis qualitatibus pluribus etiam morboſis diſpoſitionibus uſui eſt, exceptis quibuſdā febribus:nam prodeſt omnibus morbis antiquatis, qui ex immodica caliditate fiũt, & illis etiā qui à nimia humiditate à calore imbecilli non regulata,uel humori bilioſo, aut ſalſo permixta proueniunt. Et hac ratione prodeſt pruritibus, & ſcabioſis affectibus, atq; omnibus cutaneis infectionibus, & maculis, in quacunq; parte corporis fuerint,ut ſunt (gratia exēpli)exanthemata capitis diuerſa,quę uulgo tineam nominant, & depilationes capillorum capitis, & aliorũ membrorum,ac etiā ſcabies,& lepræ, & aliæ infectiones cutis corporis, ut eſt elephantiaſis nō confirmata. Prodeſt præterea uentriculo ſemper,ſed maxime illi unice auxiliabitur, cum imbecillis fuerit ex nimia materia humida in eo contenta, & eius concoctricem uirtutem roborat. Item iocinori, & renibus ſupercalfactis prodeſt, præparátq; humiditatem præter naturam in ipſis membris cōtentam, & à corpore educit, tam per ſeceſſum, quàm per urinā. Prodeſt etiam ulceribus renum,& ueſicæ,& ſępe ea ſanat, ſanátq; ueſicę ſcabiem, & mollificationem,atq; urinæ acredinem, & ardorem emulcet,& ſæpe extinguit. Opitulatur etiam ſtillicidio urinæ,& inſenſibili exæſtui. Siſtit etiā ſeminis genitalis fluxum, & matricis quoq; ſanguinem, & alios curſus, præſertim hæmorrhoidarum. Similiter, ſi immoderatus fuerit, retinet. Exiccat quoque humiditates ſuperfluentes in quacunq; parte corporis. Podagricis, & reliquis articularibus morbis auxiliari dicunt.Sanat pręterea ulcera corroſiua ſerpentia,& formicoſa. Itē capitis dolores, & etiam deſtillationem tollit, lacrymas oculorum ſiſtit,gingiuarum, & dentiũ humiditates exiccat,confert quoq; anheloſis, & aſthmaticis tabefactis, & ſanguinem à pectore expuētibus. Sanat ſingultum, nauſeam & uomitum. Iocinoris caliditatem auſert, & eius imbecillitati opitulatur, & medetur fluxui antiquo hepatico. Eſt præterea aliquando medicina conueniens cacheſiæ, ſeu corporis malo habitui, & hydropi cauſa hepatis factæ. Obſtructiones omnes, tam lienis, quàm iocinoris,& uentriculi reſignat,tumoréſq; eorũ extenuat: ſeceſſum ex diuerſitate humorum rectificat, & urinam retentā ex primaria (ut dixi) ſui uirtute educit, & eius uias aperit. Arenulas, lapillos, trumbos, & alias materias craſſas, & pituitoſas educit:atque ne lapis in ueſica gignatur prohibet, & præſeruat, redditq; hominem in uenereis potentiorem. Vtero etiam imbecilli ex nimia humiditate auxiliatur, ſi cum ea aqua calida lauetur: & impraegnationi confert,ſi nimia illa humiditas eam prohibuerit:opitulatúrque ut dixi, curſui matricis & mēſtruis albis:ac etiam inteſtinorum morbis prodeſt,ita ut ſi debilia fuerint, ea roborat,& eorũ dolores mitigat: & uermibus eſt ſingularis medicina, ſi per clyſterem impoſita fuerit. Quibus omnibus diſpoſitionibus dicta aqua ſuccurrit,primo epota: deinde ſi morbus exigat, membra affecta in ea lauando, ut paulò pòſt dicam. Verum his qui morbo Gallico laborant, nullo modo nec potus, nec lauatio ex uſu eſt: nam ſemper tam potus, quàm lauacrum dictæ aquæ nocuit iſtis. Non enim qualitates iſtius aquæ poſſunt materiam morbi Gallici ad benignum reducere, cũ ſint debiles reſpectu reſiſtentiæ materiæ:imo eſt medicina ferè contraria, ſi omnia diligenter conſiderare uolueris.Poſſem quidem plurimas alias conſimiles ægritudines,& præter naturam affectus enumerare, quibus tā potus,quàm lauacrũ dictæ aquæ proficiunt:quæ quoniam ex dictis facilè intelligi poſſunt conſulto prætermittam,ne nimia orationis longitudine ſim tibi moleſtus,& etiam quoniam iis ſatis reſpondiſſe primę parti tuarum literarum puto. Quòd autem dicis,aut nullũ, aut minimũ beneficiũ ex potu, & lauatione in dictis aquis te ſentire,non eſt quod mireris:etenim ſic in multis fieri aſſolet,præſertim ubi cutaneę defœdationes,& crurium exulcerationes ſubortæ ſunt, quæ diu homines moleſtarunt,cũ in eiuſmodi affectibus, duo præcipue ad ſanitatem requirantur. Quorũ prius eſt,ut membra intrinſeca, & madentia (ut ita dixerim) qualia ſunt uentriculus,& iecur, rectificētur.Poſterius uero ut partialia membra,ad quæ materiæ deriuatæ ſunt, & non à calore regulatæ,roborentur,atq; etiam ea quę in membro materia detēta eſt,abſumatur, quæ duæ operationes in extrinſecis membris nō niſi per multos dies cōpleri poſſunt,ita ut ſenſibilis appareat exteriorum mēbrorum defœdationis rectificatio. Credo equidem intrinſecam cauſam amotam eſſe,atque uentriculum, & iecur ad priſtinam rediiſſe ualetudinem, cum audiam melius te ad oblata cibaria habere, ac etiā in uenereis potentiorē,quàm antea factũ eſſe. Sed ea materia quæ eſt in membris à calore natiuo longinquis,& debilius, ob moram, & reſidentiam ipſius materiæ malæ, non poteſt breui tempore diſſolui, ita ut membra omnino ab ipſa exonerata poſsint ad primam ualetudinem,& robur deuenire. Nam ad hanc operationem requiritur calor innatus naturæ inſtrumentum intrinſecum, qui ſenſim per meatus ad ipſa uenićs illam reſoluat, quam proculdubio reſoluet,poſteaquam ab intrinſecis, quæ incolumia facta ſunt,non amplius recipient.Ex quibus habes unde, ſeu qua ex cauſa dicant incolæ ſæpe non percipi præſidiũ dictæ aquæ ab ægris, niſi poſt unum aut alterum menſem. Quapropter hoc animo eſſe debes,ut expectes naturæ complementum, quod procul omni dubio erit. Neq; in contrariũ aliquid uideo, cum omnia quæ ſcribis,diligēter & accurate examinare uoluero.Primum,ut audio,uentrem caſsia fiſtulari expurgaſti, mox aquam illam per plures dies bibiſti,deinde te nō ſemel,ſed pluries in ea lauiſti, & tam cibũ, quàm potum modeſtè & parce ſumpſiſti, atq; regimen aliarum rerum neceſſariarum optimè moderaſti, ita ut exiſtimes ſi qua eleuatio facta ſit,illam fuiſſe ex moderato regimine. Ego uero alleuiationem factam eſſe dixerim ex ambobus,uidelicet ex regimine quidem, ſed magis ex uirtute aquæ epotæ, quæ non ſolum eduxit per urinam, & ſeceſſum plurimas materias non regulatas à natura: uerumetiam membra intrinſeca rectificando moderauit. Præterea cum etiam lauatione in dictis aquis per plures dies uſus ſis, ex illa membra exteriora plurimum roborata ſunt, ex quo te meliuſcule habere rationabile eſſe dixerim, ex aquæ uſu magis, quàm ex regimine ſolo. Neq; hoc in te admirabile eſt, quoniam in multis aliis morbis ab iſta aqua ſanatis hoc idem uiſum eſt, ſcilicet ut non potuerint ſemel bibendo ſanari, ſed neceſſum fuit iterum,atq; iterũ ſe ad hæc balnea cōferre:cum(ut aiunt) in magnis morbis ſemel ſumpta aliquid prodeſt,non tamen ex toto ſanat: poſtea uero ſi iterum ſequenti anno illam bibant, omnino optimam ualetudinem acquirunt Et quidam fuerunt qui in conſimilibus affectibus antiquatis potu illius aquæ, & lauatione per multos annos uſi ſunt. Qui mirificè,& optimè tandem ſanitati reſtituti ſunt. Porrò in huiuſmodi uſu aquæ tam bibendo, quàm lauando omnia à te obſeruata fuere, ut uirtus,& diſpoſitiones præter naturā poſtulabāt: etenim ſic illuſtres Medici in aliis,& conſimilibus diſpoſitionibus ægritudinalibus facere præcipiunt,ita ut ſecundum diuerſitatem patientis, & morboſi affectus diuerſa diuerſimodè adminiſtrari iubeāt. Quæ omnia, tam de uſu dictarum aquarum, quàm etiam de diſpoſitionibus, quibus dictis aquis medentur, ut tibi ſatisfaciam, ſigillatim ordine quodam ſubſcribam, atq; ad rationalem uſum redigam. Siquidem ſi quis ab aliquo ex ſuperius dictis affectibus pręter naturam iſta aqua curari deſiderat, in primis antequam aquam iſtam bibat, ſi neceſſum fuerit eam bibere, uel ante ingreſſum balnei, ſi lauare in ea aqua oportuerit, operæpretiũ eſt aliquibus leuibus medicinis uentrem ſubducere, atque ſuperfluitates communes ( ut aiunt medici)euacuare. Vt gratia exempli,ſi fuerit morbus in pectore, uel iocinore, uel renibus, uel ueſica, fiat alui euacuatio cum caſsia fiſtulari, aut cum ſimili leui medicina. Quòd ſi lien patiatur, euacuetur cum electuario lenitiuo,aut cum diaſena,uel cum alia medicina ſibi conuenienti.Similiter ſi uentriculus patiatur, utatur ad euacuandum diacatholicone, cum hiera Galeni, & huiuſcemodi leuibus medicinis. Quòd ſi ſcabioſus fuerit,aut aliquam aliam defœdationem cutis habuerit, eodem modo euacuetur, ſcilicet cum electuario lenitiuo, uel cum caſsia fiſtulari, & reliquis quæ faciunt ad euacuationem humorum ex bili & pituita permixtorum, uel ex pituita ſalſa, quibus poteſt addi rheubarbarũ,præſertim ſi fluxus ſanguinis fuerit, uel à uenis ſedis, quas hæmorrhoidas uocant,uel ab utero in mulieribus,qua

purg

purgatione facta,incipiat ægrotans aquam balnei prædicti bibere ex fonte muro ſepto:nam in alio fonte non circundato muro beſtiæ bibunt,& ſcabioſi,& qui exulcerationes habent lauantur. Quare cum immunda ſit, eam bibere non laudo:& (ut ſuperius dixi)prodeſt plurimum illis,in quibus iecur ſupercalfactum fuerit,à qua excalfactione urinę ardor ſæpe uenire ſolet. Similiter & renibus ſupercalfactis prodeſt,& exulcerationibus colli ueſicæ,ſi ex iam dicta ſupercalefactione & iocinoris, & renum prouenerint. Tempus uero idoneũ ad bibendum hanc aquam,& lauādi in ea, eſt æſtas,ſcilicet poſt medietatem menſis Iunii, uſque ad dimidium menſis Augusti,uel uſque ad finem,eò quòd hoc in tempore calidiſsimi,& ſicciſsimi ſunt dies,uel cœlum ex rectitudine,& mora ſolis ſuper terram aërem plurimum calefacit.In frigidis autem,& in tepidis temporibus iſte potus ex uſu non eſt,neque ſi pluuiæ fuerint tempore æſtatis.Præterea ſi dicta aqua immediatè à fonte ipſo ſumpta,ſi fieri poteſt,bibatur,fortius &melius operabitur: & è contrario ſi per aliquod notabile tēpus,poſtquam à proprio fonte ſumpta fuerit manſerit,eius operatio imbecillior, & non ita efficax erit.Nam uirtus,& proprietas,quam à minera habet, plurimum imminuitur, poſtquam per aliquod tempus à loco proprio hauſta fuerit.Porrò eius uirtus acquiſita,quæ eſt ſiccitas manifeſta,& tēperata caliditas,facile euaneſcũt, ſi diu extra propriam minerā permanſerit. Quare minus proficua erit,& debilius operabitur,utputa ſi ea aſportata fuerit ad aliquem locum longinquum,uel ad aliā regionem. Dixi quidem illā ſic habere debiliorem uirtutem: non tamen dico non operari omnino, ſiquidem extra proprium locum amittit pro parte actionem uirtutis accidentalis acquiſitę,& primariam retinet ſui ipſius cōſeruationem,quæ uirtus(ut ait Ariſtoteles) ſuũ ſubiectum conſeruat ex propria uirtute à cœlo data. Quòd ſi fortè ſcire deſideras quorſum hæc dixerim:reſpondeo,ea ratione dixiſſe,quoniam ſæpe uiſum fuit,ſi hęc aqua bibatur,uel cum ea lauetur, quando aſportata fuerit ad alia loca longinqua,ita ut diutius in uaſis permanſerit,uel ſi non ſua hora,& tempore à fonte hauriatur,illā quidem debiliſsimè operari. Neque in tali caſu aquæ uirtutem incuſare oportet,cum iam cauſam,cur minus,& debilius operata,ſit intellexeris.Inſuper ſumenda eſt aqua,ſi fieri poteſt,ubi ſcatet,hora matutina,ſole iam orto, & in eo loco bibēda.Similiter ſi lauare neceſſum fuerit,in fonte ipſo lauādum eſt.Quòd ſi ægrotās,ex aliqua cauſa ad fontem accedere non poterit,eam domi calidam bibat,& etiam domi ſe lauet calida,ſi lauatione indiguerit.Hora uero bibendi eſt hora prima diei, habito prius uētris beneficio ſponte,aut clyſtere ſuppoſito ex decocto herbarum cōmunium, cum aqua dicti fontis. Præterea obſeruandum eſt,ne aſſumens febricitet, aut fuerit corpus natura debile ex omni parte,ita ut uires imbecilles ſint,aut neruorum impotentiam, & debilitatem habuerit:quoniam tales nec bibere,nec lauare ſe ſine maximo diſcrimine poſſunt. Quātitas uerò potus dictæ aquæ erit ſecundum ægroti,& etiam uētriculi tolerantiam.Nam qui uentriculum imbecillē habent,minorem quantitatem ſumere debent:ſed qui fortes ſunt, incipiunt primis diebus bibere quinque, uel ſex,uel ſeptem calices poculáue, ponderis octo aut decem unciarum.Et inter bibēdum ſi fieri poteſt,leuiter deambulare oportet,ut calor excitetur,& facilius aqua è uentriculo deſcendere poſsit.Etenim quidam nō multũ poſtquam epota eſt,aut plurimum mingunt,aut multũ egerunt,quibuſdam etiam & urina,& ſceſſus ſimul mouetur:quidam uerò eaſdem operationes habent,uel ſeparatè,uel ſimul, ſed tardè, & poſt aliquot horas. Quicquid ſit,deambulare leuiter per quatuor horas(ſi ægrotans poteſt)oportet,quæ deābulatio ſit talis,quæ neq; ſudorem moueat, neq; laxum,aut languidum corpus reddat.Poſt quam leuem deambulationē quieſcere aliquantulum conducit,mox cibũ capere,& poſt cibum quieſcat etiā.Nec inter diem dormire oportet, ſed cum amicis iucundis ludere, confabulare, & legere ea,quæ poſsint animum hilarem reddere,aut ſint inſtrumenta muſica,& cantilenæ iucundæ,& ea omnia quæ lætum animum faciunt,exercere conducit. Procedat potio dictæ aquæ augendo quotidie unum uel alterum poculum,& tertium etiam,& hoc ſecundum tolerantiā uirtutis ægroti,& exigentiā morbi.Neque temere in exhibitione huius aquæ procedendũ eſt,ſed omnia perpendantur & ratione regulētur,quoniam ſunt quidam qui ex uentriculi imbecillitate, uel ex alia aliqua cauſa plurimum ab iſta aqua lęduntur,& eam regulare non poſſunt.Et quidam ſunt qui nec mingere,nec eam per ſeceſſum pellere ualent,ſed retinent ipſam:qui ſi pertinaciter bibendo procedant,facilè in diſpoſitionē uentris quandam ſimilem hydropi incurrent. Quare ubi aliquid tale acciderit,à potu dictæ aquæ abſtinendum erit. Ventriculus, & alia mēbra(ſi imbecillia fuerint) roboranda ſunt ingeniis in proceſſu dicēdis. Quòd ſi uirtus,& reliqua tolerent,procedat ut dictum eſt,augēdo quotidie, uſque quo uentriculus eam regulare poſsit. Et mea in hoc ſententia eſt,ut ægrotans nō tranſcēdat numerum uiginti poculorũ, etiam ſi fortis, & robuſtus uir eſſet. Quòd ſi tranſactis ſex,aut octo diebus uentriculus ex potu faſtidium,aut aliquod aliud accidens ſenſerit,abſtineat ab aquę exhibitione per unum,aut alterũ diem: deinde ſedato faſtidio iterum ad bibendum redeat,& illa ſit ſemper quātitas,quam tolerare poſsit. Proſequatur bibendo uiginti diebus ad minus,eò quoniam cum hæc aqua debilitet,& ſenſim operetur,non poteſt paucis diebus opus ſuum perficere, tam euacuando ſuperfluitates,quàm alterando membra male affecta, ut ad priſtinam redeant ualetudinem. Et in hac uia curandi meum eſt conſilium,quando uirtus eam tolerat,& uentriculus ab ea non abhorreat,ut per integrum menſem ea bibatur.Et quoniam multi ſunt qui ad hos fontes minime accedere poſſunt plurimis de cauſis,& paulo antè dictũ fuit uirtutes huius aquæ imbecilliores fieri,ſi per aliquod notabile tēpus in uaſe aliquo detineatur,poſtquàm à propria minera hauſta fuerit:ex quo difficultas oritur,nunquid ſi tranſportata ad alias ciuitates bibatur ab aliquo,poſsit conferre iam dictis affectibus,& etiā qualis regula debeat ſeruari ab illis qui nō in proprio loco bibunt. Huic dubitationi ſic reſpondendum erit,uidelicet,quòd tametſi uires dictæ aquæ ex mora, uel temporis ſpatio extra proprium locum minuātur, non tamen ex omni parte reſoluũtur,quin aliquid operentur,& hoc plus,uel minus,ſecundum tempus,quo à minera & fonte aſportata fuerit:ſicq; dico aquā hanc aſportatam ad alias ciuitates poſſe operari.Sed non ita ualidè,ſicut ſi aſſumeretur in loco ubi ſcatet.Si quis igitur eam bibere uoluerit extra proprium locum,obſeruet regulam ,ut dictum eſt : ſcilicet,ut mane eam bibat calfactam aliquantulum.Dixi aliquantulum, quoniam ex forti calfactione ad ignem uirtus à minera acquiſita plurimum reſoluitur:neq; tutum eſt eam frigidam ſumere, præſertim ſi uentriculus imbecillis fuerit, uel ſi ægrotans ex morbi diuturnitate languidus extiterit.In reliquis uerò ſeruetur ordo deambulationis,& cibi,& potus,ut dictum fuit de illis qui bibunt dictam aquam à fonte immediatè ſumpta: ſemper tamen obſeruare oportet,ne ægrotus eā bibat,niſi prius illo mane aluus ſponte,uel à clyſtere adiuta operata fuerit. Et hora accipiendi cibum eſt per quinq; horas pòſt.Cibus autem ſit panis ex optimo tritico,& bene fermentatus,unà cum carnibus paruorum pullorũ,aut hœdi ,aut uituli lactentis,uel conſimilium animalium, & ſint elixæ in eamet aqua,ſine aut cum modico ſale,neq; ad ſaturitatem comedendum eſt. Vinum uerò ſit pauciferum, aquoſum, album potius quàm nigrũ. Quòd ſi potens fuerit diluatur dicta aqua:& ſi album haberi non poteſt,ſit ſaltem medii coloris, rufum ſcilicet, neque dulce, neque acidum. Reliqua uerò genera cibariorum interdicantur,ut ſunt piſces,& lacticinia,&reliqua uiſcoſa,& mali ſucci. Oua tamen ſorbilia,uel ex iure confuſa,panatella,& panis lotus ex iure ſunt optima cibaria.Poſt prandiũ quieſcendum eſt,& ut etiam ſuperius dixi,nullo modo dormire conuenit,quoniam ſomnus inflammationem facit,& mictũ,& ſeceſſum ſiſtit:unde ſequũtur febres,reuocato ſcilicet calore ad intra,& euaporatio ad caput, eleuatis uaporibus à uentriculo,ut contingit ſæpe,præſertim in ſomno diurno. Similiter & ueſperi cœna ſit mediocris, & parca: decumbat deinde duabus horis pòſt,dormiátque ad libitum ſecundum propriam conſuetudinem. Illud tamen in tali potu aquæ operæprecium eſt obſeruare, uidelicet ut ſi in prima,& ſecunda, & tertia die & quarta,nihil aut parum operata fuerit per urinam,aut ſeceſſum,à potu ſuperſedendum omnino erit:& ſi quid mali aut in uentriculo, aut in aliquo alio uiſcere acciderit,illi ſuccurrendũ erit,cum ſuo contrario:utputa,ſi aluus aſtricta fuerit,clyſtere molliente

aperiatur. Similiter si suppressa fuerit urina, cieatur cum illis quæ urinam prouocant. Sicque in aliis procedere oportet, ita ut secundum diuersos affectus, particularia & propriata remedia exhibeantur, & etiam bibendi dictæ aquæ regimē imponatur: ut (gratia exempli) in difficultate anhelitus, & asthmate, detur dicta aqua calida, & lambendo, & in uentriculi debilitate. Similiter calidam bibere eam oportet, neq; plurima sit quātitas, ne fastidium, & nauseam gignat: atque etiam postquā sex, aut pluribus diebus biberit, unum, uel alterum diem interponat. Similiter in fluxu hepatico non plurima quantitas sumi debet: sed quantitas sit ea, quę posit iecur, & uentriculum roborare, & ad naturalem temperiem restituere. Eodem modo in podagra, & aliis articularibus doloribus à materia calida uenientibus faciēdum erit: sed in talibus primum aluus leui medicamento expurgāda erit, deinde sensim dictā aquam bibat: post quem potum membra quoque affecta lauare, seu balneare dicta aqua conducit, & non tantum in casu isto, sed etiam in aliis affectibus pręter naturam superius enumeratis, si lauatione indiguerint. In scabie uerò, & aliis cutaneis affectibus, cum fortitudine uirtutis plurimam quantitatem bibere oportet, non tamen sit nimia: quoniam in omnibus modus, & mensura quædā obseruanda erit: bibántque eam scabiosi per plurimos dies: & uniuersum corpus in ipsa fonte ingrediendo lauēt, non semel, sed pluries & pluries quotidie, uel interpolatis diebus. Et quoniam non omnes, qui ad hos fontes accedunt, aquam bibunt, sed plurimi ad lauandum se in illis accedunt: quare ubi opus fuerit lauare in dictis aquis, primū operæpretium erit uentrem à superfluitatibus communibus uentriculi, & aliorum membrorum uiciniorum mundare leui aliqua medicina pro materiæ exuberantis necessitate: & quoque si sanguis abūdauerit, uenam prius incidere, ita ut non nisi prius corpore mundato balnea ingrediatur: post quam corporis mundificationem quiescat per unum, & alterum diem, deinde ad lauandum se balneum ingrediatur, & lauet totū, uel partem, & unum, & aliud membrum secūdum morbi exigentiam. Hora uerò conuenientior est hora matutina duabus horis post ortum solis, die clara, & sine nebulis existente. Neque in coniunctione, uel oppositione lunæ lauare, aut bibere oportet, sed illa die supersedendū est. Possunt etiam qui balnea ad lauandum ingrediuntur, horis uespertinis se lauare: post tamen prandium octo horis, ut cibus in uentriculo concoctus sit, siue mane, siue uesperi lauet. Prius aluus subducenda est, quæ si non sponte, clysteri moueatur, & in ea aqua moretur, aut lauetur per dimidiam horā, aut unā ad summum. Quòd si fastidium, aut aliquod aliud accidęns superuenerit, egrediatur, siue cesset à lauatione, & accidenti succurretur secundum opportunitatem: ut ad roborādum uentriculi os, detur offa panis infusa in uino aromatico, uel aliqua ex confectionibus uentriculum roborātibus, quales sunt aromaticum rosatum, diarhodon abbatis, diamuscus, diamargaritum, & consimiles. Similiter si fuerit fastidiū, aut lipothymia ex bilioso humore in ore uentriculi, detur offa panis infusa in uino granatorum, uel de citoniis, aut in succo uuę acerbæ, uel dentur cōfectiones, quales sunt diatria sandalorū, uel ex saccharo rosaceo, cum corallis, & margaritis, & similes. At si uentris stypticitas fuerit, utatur clystere leniēte ex decocto herbarum communium in aqua dictorum balneorum, uel supponatur ex melle glās, aut detur casiæ fistularis bolus, uel alia leuis medicina iuxta exigentiam ægroti. Quòd si capitis dolor acciderit, fiant fricationes cruribus, & brachiis, apponātúrque cucurbitulæ natibus, & scapulis. Similiter in aliis accidētibus succurrere oportet secundum rei indigentiam. Sed cum non semper totum corpus lauatione indigeat, cum aliquando unum tātum membrum, uel particula male affecta sit: ideo in hoc casu si membrum non est aptum ut intromittatur in dicto fonte, ut ibi balneetur, fiant fomenta, cū spongiis membro languenti, in dicta aqua calida madefactis. Si uerò uterus, uel uulua laborauerint, puta sterilitate, aut profluuio sanguinis, uel cursu materierum albarum, lauetur locus dicta aqua calida, uel in ea sedeat: quoniam mirifice, & plurimum prodest. Postquàm uerò ægrotus lauerit se totum, uel partem, abstergat se, & induat uestimentis, custodiat etiam se ab aēre extrinseco donec domum redeat. Mox lectulum intret, atque linteaminibus, & sudariis iterum tergat, & fricet, ut omnis humiditas balnei exiccetur, & per horam ad minus coopertus in lectulo quiescat. Quòd si dormire cōtigerit, dormiat parum, deinde postquàm surrexerit, leuis deambulatio plurimū confert. Nam sic melius meatus corporis aperiuntur, ut si sint aliqui uapores calidi detenti, egredi ualeant. Post quam leuem deambulationem (si mane fuerit) prandium accipiat: si uesperi cœnet, & à cœna duabus horis in lecto quiescat, domiátq; usque ad matutinas horas. Cibi uerò sint, ut superius dixi, illi qui facilis sint concoctionis, & optimi nutrimenti, ut sunt carnes eo in loco dictæ, & oua recentia. Pisces uerò non comedantur, nisi ubi intentio fuerit minus nutrire, & frigidum alimentum generare: quo in casu meliores erunt squamosi in aquis claris degentes, ut sunt trotæ, carpiones nō saliti, barbi, auratæ, & similes. Interdicantur item fructus omnes, legumina, olera, lacticinia, & salsamenta. Ab immodica quoque quātitate cuiuscunque cibarii, & potus abstinere oportet, ne uentriculo læsio inferatur, in omnibus tamen consuetudo, & tolerantia regula sit. Præterea, tam in potu, quàm in lauatione dictę aquæ à uenereis omnibus modis abstinendum erit, & etiam ab ira, & omni immoderata exercitatione. Porrò in omnibus his plurima fit spirituum alteratio, & resolutio, & in uenereis humidi radicalis exiccatio. Nemo tamen si indiguerit potu dictæ aquæ, & balneatione, balneum ingrediatur, nisi prius per plures dies aquam biberit, ita ut cognoscat uiscera intrinseca à superfluis excrementis mundasse, & ea roborasse: signū cuius habetur, si tam per secessum quàm per urinā clara, & impermixta reddatur, unà cū assumpta quantitate, quod non semper fit uno determinato spatio temporis: etenim aliquādo paucioribus diebus, & aliquando pluribus hæc operatio perficitur, sed ut plurimum, post quartum decimum, uel uigesimum, cognoscitur: quamobrem antequā dicta signa appareant in excrementis, nemo tutè balneum ingredi potest, uel aliquo alio modo se lauare. Pręterea illud perpetuo obseruandum erit, ut scilicet ea die qua aquā bibunt, nullo pacto, nec mane, nec uesperi balneum ingrediatur, & ea die etiam qua lauerit se, nullo modo aquam bibat: sed una tantùm operatio in una die satis erit, uidelicet uel bibere, uel lauare: quòd si necessum fuerit & lauare, & bibere ex aliqua causa, altera die bibat, & altera lauet: sícque secundum rei indigētiam procedere oportet, ut scilicet aliquando per aliquot dies bibat, & aliquando per aliquot pòst lauet, uel cōtinuè lauet (ut dictum est) & bibat aliquot, uel cōtinuis diebus. Ea tamen lege obseruata, quòd ubi cutaneæ infectiones sunt, ut est scabies, lepra, & aliæ consimiles, uel fortiores, in membris extrinsecis, plurimum, & bis etiam in die lauare melius est. Quòd si aut pluuiæ aut frigiditas aëris ex aliqua causa superuenerit, nullatenus lauare se tutū erit, ut dictum est de coniunctione, & oppositione lunæ cum sole. Similiter qui ex corporis labore defatigati sunt, uel qui animi perturbatione, uel curis, uel ira, uel excandescentia languent, nisi prius robur tam corporis, quàm animi redeat, illis nullatenus balnea conueniunt. Et quoniam ad hos fontes sæpe accedunt qui destillationem à capite ad pectus, & alia membra supposita patiuntur, quæ destillatio est à materia subtili calida ex permixtione alicuius humoris acri, qui aut in capite genitus est ex mala aliqua temperie, aut si alio genitus est, ad caput currit, neque ibi propter imbecillitatem membri regulatur. Tales patientes, si hanc aquam moderatè calidam in situla positam, & per cānulam super caput destillando admiserint, & hoc hora matutina ante prādium per duas saltem horas, præstantissimum est auxilium, in roborando caput, atque eius temperaturam rectificādo, ut ualeat suum nutrimentum concoquere, & assimilare: ac etiam ne excrementa, & superfluētes humores ad supposita membra præcipitare ualeant. Et hæc aquæ destillatio super caput, scilicet super locum suturæ coronalis, & super locum suturæ laudę prope ortum nuchæ confert. Hac ratione etiam cōfert asthmati, & aliis præter naturam affectibus à destillatione materiæ à capite. Hanc aquæ per cānulam destillationem, quam duciam uocant, continuare oportet per plures dies, puta per quindecim, aut uiginti dies: nam raro in minori tempore possunt dictam operationem perficere. Postremò illis, qui uel aquam solùm biberunt, uel tantùm se lauerint, aut biberint, & lauerint secundum dispositionis præter naturam exigentiam, necessaria est per aliquot

dies

dies in omnibus ſex rebus neceſſariis accurata diligentia. Quare non illicò à loco fontium recedendum erit, ſed poſt potum,& balneum per aliquot dies quieſcere utile erit. Caueant etiam ab aëris caliditate,& à uentis refrigerantibus,& à nimia exercitatione,& repletione, tam cibi,quàm potus,& à reliquis,quæ corpus ualetudinarium alterare poſſunt. Et cum domum reuerti uoluerint,ea ſit regula, ut iter peragatur ſine moleſtia, & corporis defatigatione,uerbi gratia,equitando modeſtè,uel in curru,uel pedibus,quod non laudo, cùm non ex omni parte ſit tutum conualeſcentibus,& medicinis inanitatis pedibus iter longum agere. At ſi deambulare neceſſariũ fuerit,ſit leuis,& partiatur ad plures dies,ne uirtus debilis ex iam dictis cauſis abſumatur. Et poſtquam ad propriam domum deuenerint, quieſcendum erit à negotiis, & aliis, quibuſdam diebus,ſed utantur leui deambulatione ante prandium,& ueſperi ante cœnam. Fugiántque omnem repletionẽ.& diuerſitatem, tam cibariorum, quàm potus:fugiant etiam ſomnum meridianum,& uenereos amplexus,ſint deniq; iucundi,& hilares cum amicis. Hęc ſunt doctiſsime Vincenti, quæ tuis reſpondens literis de balneis Calderianis ad te ſcribere in præſentia uolui,ut pro poſſe tibi ſatisfacerẽ: quòd ſi feci tibi ſatis,gratiſsimum mihi erit:ſi minus,ſatis ſanè ego habeo tuas petitiones non neglexiſſe. Vale. Venetiis, M. D. XXIIII. Die XXVII. Auguſti.

## AD APOLLONIVM MASSAM

*Epiſtola* XXVII. *de modo quo morbus Gallicus à natura ſanatur,& diuerſis etiam applicitis auxilijs.*

QVod per literas à me petis, tametſi maiorem, quàm quæ mihi nunc eſt,exigeret quietem,tamen ut aliqua ex parte tibi ſatisfaciam, ſigillatim partes quæſitas ut potero,breui expediam. Audiui hiſtoriam iuuenis laborantis morbo Gallico,qui haud dudum infectus fuit,ita quòd nouus morbus proculdubio erat:quanquam dolores uehementiſsimi eum per uniuerſum moleſtabant corpus,qui artus omnes,& caput etiam comprehendebant,ut minime nocte dormiret:aderátque faucium, & uuæ exulceratio non parua: qui iuuenis ſuperueniente tertiana febre,ex pharmaco leui,quod illi exhibuiſti,quarto die non tantum ab ipſa febre,ſed à doloribus omnibus,gutturiſq; exulceratione liberatus fuit,ac ita incolumis factus eſt,ac ſi nunquã aliquid mali paſſus eſſet. Quam rem non ſine admiratione ſcribis. Sed mirari deſines,ſi ea,quæ compendioſe admodũ ſcripſi in libello de morbo Gallico tractatu.2. cap.ſeptimo,circa principium,& poſt medium,& cap. immediatè ſequenti, memoria tenes: ubi quæritur an apertio uenæ, ſiue miſsio ſanguinis conducat Gallico morbo,quæ dicta ibi paucis perſtrinxi breuitati ſtudendo,hic(ut tibi morẽ geram) latius expono. Dixi igitur locis citatis,ægritudinẽ nouam à materia minus craſſa pauca,uel admixta calidis, uirtute forti exiſtente poſſe ſanari unica etiam euacuatione:ſiue illa fuerit per exhibitam medicinam,ſiue per miſsionẽ ſanguinis, parum refert. At hoc in recto iudicio medici erit,quod nõ ſæpe uidimus,teſtimonio Hippocratis dicentis primo Aphoriſmorum, iudicium difficile. Sed qua ratione ſanatus fuerit tuus ille iuuenis,dicam,ſi prius naturalem intrinſecam,& extrinſecam, & præternaturalem diſpoſitionem dixero:quibus prælibatis non difficile erit ſcire mirabilem naturæ, & artis operationem. Iuuenis ille( ut ſcribis)erat in primis optimæ habitudinis,ſubinde temperaturæ,calidæ ſcilicet,& humidæ: quòd ſi aliqua declinare parte ab optima temperie uideretur, illud erat per ſiccitatem:ita ut in actiuis caliditas æqualis eſſet,in paſsiuis uerò minor humiditas,& declinaret ad aliqualem ſiccitatem:quam temperaturam,ut plurimum iuuenes Germani ſolent habere,mediam ſcilicet inter ſanguineam,& cholericam. Vides igitur duo ad expeditam ſanitatem, ut ſunt iuuentus, & optima temperatura, cum quibus uirtus pollet:ſed etiam tempus anni,quod æſtas fuit,abbreuians omnes ægritudines( teſtimonio Galeni ij. particula Aphoriſmorum, cõmento xxv.)& experientia ad hoc non parum iuuit. Iſta etiam alia cauſa addita citò liberatus fuit. Adde ægritudinem fuiſſe à materia pauca,& illa quidem admixta ſanguine ſubtili bilioſo ex propria temperie,& ex tempore anni genito,quam admixtionem declarant dolores uehementes,qui non niſi per admixtionem materiæ ſubtilis, pũgentis,ſubtiliantis craſſos humores fiunt,ita ut dolores tales & pungentes,& extendentes dici poſsint: quem modum doloris optimè declarauit Galenus in libello de inæquali intemperatura,& in ſecundo de locis affectis,& in methodo curandi,ac paſsim in aliis libris. Eandem admixtionem confirmat ſuperaduentus tertianæ febris:nõ enim ſuperueniſſet febris illa tertiana,niſi materia bilioſa multa ſuperdominans materiæ pituitoſæ admixta fuiſſet. Quare,ſi omnia,quæ faciũt ut expedite Medicus ægrũ ſanitati reſtituat,inſpicias,nihil eſt quod mireris,ſi tam cito,& bene,à tam leui auxilio medicinali ille ſanitati reſtitutus ſit:cùm ſi id quod dixit princeps Auicenna prima quarti de cibatione febricitantium in genere,dixeris,ſcilicet uirtutem in primis ſanare. Igitur id factum fuit,quoniam uirtus fortis fuit in ætate iuuenili, cũ optima temperatura, tempore æſtatis, coadiuuante febre ad ſubtiliationem materiæ in ægritudine noua cum multa admixtione humorum ſubtilium calidorum,qui apti ſunt euacuationi ſenſibili,& inſenſibili. Neque à principio materia morbi Gallici tantæ uiſcoſitatis eſt in omnibus, quin poſsit per omnes meatus deferri à uirtute corporis ſola & adiuta à medicamine aliquo,ſicque tota euacuari nulla relicta parte terreſtri, & craſſa notabili in membro. At ſecus eſt in morbo antiquo, in quo partes ſubtiles iam reſolutæ ſunt. Dicta quidem ſuperius animum tuum poſſent quietum reddere,niſi modus ſanationis,per linimenta iuncturis,uel per ſuffumigia parti,uel toti corpori applicita illum ſuſpenſum teneret. Etenim ex huiuſmodi linimentis, & ſuffumigiis materia in membris ſubtiliatur, & per os euacuatur,quod fit ſæpiſsime per multos dies,ac etiam copiosè. Aliquando etiam per ſeceſſum materia illa met craſſa alioquin,ſed ſyncera, & exquiſita, & etiã mixta cum bonis aliis humoribus,& nonnunquam per ſudorem euacuatur. Qui modi duo non frequenter fiunt:ſed pręter dicta uideo te quęrere,qua ratione hoc fieri poſſit,ac etiam tibimet reſpõdendo,dicere materiam,quæ per uniuerſum corpus eſt,non poſſe per os educi, niſi iterum per eaſdem uenas, per quas ad membra tranſiuit,ad hepar,& uentriculum reuertatur ( ut eſt doctrina Galeni in libello de potẽtiis naturalibus) & ſubinde per os,aut per ſeceſſum pellatur. Qui modus ſanè uerus eſt,tametſi in illis, qui per ſudorem ſanantur, materia minime ad iſta mẽbra reuertatur, ſep ibi ſubtiliata per meatus corporis in ſubſtantiã poſtea aqueã conuerſa euacuatur. Sic etiã fit in illa inſenſibili euacuatione:nam materia à calore naturali adiuta à medicamine conuertitur in ſubtiliſsimos uapores,qui ſic per meatus corporis inſenſibiliter exeunt. Quòd ſi aliquando contigerit, ut materia morbi ſubtiliata in aquoſam ſubſtautiam conuertatur,& ad hepar deducatur,poteſt ipſa per urinam egredi,ut in aliquibus apparet, præſertim in illis, qui ſanantur per portionẽ decocti ligni Indici. Sed adde id quod ſæpe uidiſti,ſcilicet non tantum materiam,quę in uenis eſt,per uniuerſum corbus retrocedere,uerumetiam & illã quæ extra uenas exiuit,& in cauitatibus, ac( ut ita dicam ) partibus uacuis corporis reſidet ſub forma apoſtematis duri, & in iuncturis quoque quæ cauſat dolores,retrocedere ad membra iam dicta, & euacuari per os,& ſeceſſum,ſudorẽ, & alias dictas euacuationes,uirtute adiuta á medicaminibus iam, dictis, ita ut ſubtiliata iterũ ingrediatur uenas paruas,deinde magnas,& ſic ad iecur,& uentriculum, & inteſtina deducatur,quę ſubinde,aut per os ut,ſæpiſsime fit,aut per ſeceſſum, uel urinam extrapellitur. Neque hic modus operationis naturæ ab arte adiutæ inconſuetus eſt,cum dixerit Galenus quarto de tuenda ualetudine materiam facientem phlegmonicam laſsitudinem poſſe iterum ad uenas remeare per reiteratam uenæ apertionem. Scire præter dicta etiam te nolo,quòd etſi iecur ſit minera,in quo materia morbi Gallici primo,& pro maiori parte generetur,nõ eſſe neceſſarium urinam oſtẽdere aliquã manifeſtam alterationem,uel aliquid reſidentis fęcalis: cum ratio morbi,& materiæ ſit imminuta quædam uirtus à qualitate occulta complexionali, & accidentium cauſa,fit erratum quoddam naturæ poſt iocinoris infectionem,ita ut non euacuetur nocuum per conuenientia loca expurgationis,ſed ad alia mẽbra corporis cum

ipſo ſanguine: ex qua materia generantur puſtulæ, & apoſtemata, dolores, & alia accidentia ſecundum eius diuerſitatem. Et tametſi per illinitionē iam dictam, aut ſuffumigia, uel aliud quoddam medicamen auxilians, materia craſſa eſt, quæ non mutatur ad aqueā ſubſtantiam, illa tranſit ad renes, ſed ad alias uenas, quæ ad ſtomachum tranſeunt. Non enim membra trahunt ad ſe quācūque materiam, ſed determinatam, ut doctè dixit Galenus primo, & ſecundo de potentiis naturalibus, ubi affert exēplum de renibus attrahentibus materiam aqueam ad uias urinæ ex ſanguine. Sed uentriculus indifferēter omnem materiam trahit uacuus exiſtens, & præſertim ſuperfluitates uicinorum membrorum, ut idem Galenus teſtatur tertio de potentiis naturalibus. Quare cum ad uias urinæ materia craſsiuſcula minime à renibus per uenas emulgentes attrahatur, non eſt neceſſe in urinis apparere manifeſtam mutationem. Attamen ſi quis rectè urinam patientis morbum Gallicum inſpexerit, ſigna cruditatis omnimodo aliqua in ipſa uidebit, niſi (ut ſæpe contingit) febricula aliqua complicata fuerit. Sic habes quòd neque à materia in iocinore genita, neque à materia, quæ ab aliis membris per illinitionem, uel aliud medicamen ad uenas, & iecur reuertitur, ſit aliqua manifeſta in urinis alteratio, præter iam dictam, & in aliquibus corporibus ualde plethoricis, ac malis ſuccis plenis, ut in nephriticis, cum materia illa rarò ad ſubtilitatem aqueam à uirtute mutetur, medicamine iuuante naturā: non tamen hoc impoſsibile aliquod ponit, cum ſæpiſsime (ut dixi) qui decoctum ligni Indici bibūt, materiam morbi ſubtiliatam per urinam extrà pellunt. Poſtremò quærere te uideo, qua ratione fiat ut aliquando peluis in quam ſpuunt ægrotantes, dealbata ab ipſo argento uiuo inſpiciatur. Ego ut ingenuè fatear, uideor mihi ſomniū uidere, dum iſta & multa alia narrant. Neque autem fieri poteſt, ut ſubſtantia argenti uiui permeet & in primis cutem, deinde loca uacua, mox ſubtiliſsimas uenas, ac magnas, ſubinde & tandē iecur, & uentriculum, & poſtea per os fluat, cum eius ſubſtantia ſit grauis tendens deorſum. Imo, ſi quis ipſum deuorauerit in quātitate modica, tametſi uenenum ſit, quoniam ſua grauitate cito deſcendit, minime mortiferum erit. Non enim recipitur ex iam dicta cauſa à uenis meſeraicis, ut ad principia membra deferatur: quāto autem minus ſtante hypotheſi poterit penetrare? Et ſi daretur penetratio, non tamen mearet ad iecur, & uētriculum, ac ad os aſcenderet: quod confirmatur, ſi quis quantitatem argenti uiui ſingulæ unius diei illinitioni conſiderauerit, quæ minima quidē eſt, & etiam ſi ſciet loca inuncta, ut ſunt plantæ pedum, uolę manuum, genua, cubiti, & reliqui articuli, quæ loca ipſa habent cutem denſiorem, tametſi uenæ in artubus manifeſtentur magis, & hac ratione facilius uirtus, & non ſubſtantia intus penetret. Etenim ſæpe ſanantur multi à morbo Gallico ex illinitione plantarum pedum, & uolæ manus, ita ut ſit uirtus adiuta à uirtute linimenti, & non à ſubſtantia. Quare quod dicunt, eſt figmentum quorundam nebulōnū, qui promittunt multa, & ſuis deluſionibus homines decipiunt, ponentes aliquid clandeſtino, quod ſic tingat peluim, uel quod æger ipſe, dum eſt illinitus, ſuiſmet manibus, aut linteis tingat peluim. Quare cum hoc ſit fabuloſum, reiiciatur à noſtra oratiōe, & illa digna ſcrutemur, quæ ſapienti, & ingenuo animo digna ſunt in hac ægritudine: ut eſt, qua ratione unguenta, & ſuffumigia, uel alia conſimilia medicamina poſsint materiam craſſam, uiſcoſam adhærentem, & in membris imbibitam per os expellere. Hæc etiam ſcripta ſunt in meo de morbo Gallico libello tractatu quarto, cap. 1. quod eſt de cura morbi per illinitionē. Igitur, quoniam uirtus unguenti eſt calefacere, ſubtiliare, ac fluidam facere materiam pituitoſam, uel aliā admixtā, quę in membris, uel uenis, & aliis partibus corporis eſt, ita ſic ſubtiliata materia, uirtus, quæ ſemper in mūdificatione ſanguinis intenta eſt, & in expulſione nocui (ut dixit Galenus in libello de atra bile) eā extrà ducit per faciliorē quàm poſſit uiam. Et niſi in libello proprio plura ſcripſiſſem, & nunc eſſem peroccupatus, plura alia ſcriberē, ſed quoniam tempus deeſt, hæc ſatis ſint. Vale. Venetiis, M. D. XLI. die VIII. Decembris.

AD EVNDEM APOLLONIVM MASſam *Epiſtola* XXVIII. *de cauſis dolorum morbi Gallici.*

SCribam quæ de cauſis doloris morbi Gallici tuis literis petiiſti: quanquam ſi quis libellum meum de morbo Gallico legat, eas omnes facilimè habere poſsit. Nam capite quinto primi tractatus, dolores fieri à malitia complexionis diuerſę, uel à ſolutione continui ſcripſi, teſtimonio Auicennæ ſecunda primi. Quod dictum poteſt corroborari rationibus quàm plurimis antiquorum, & prępertim Galeni in libello de inæquali temperatura. Dicit Galenus: Dolor fit, ſi mutetur natura: mutatur uerò ſi frigeſcat, uel calefiat, aut humectetur, uel exiccetur, uel eius ſoluatur continuitas. Neque dicere quis poteſt, hos duos Medicinæ principes ex dictis non idem de cauſis doloris ſentire, quemadmodū ipſemet Auicenna, & multi ſcribentes dixerunt. Enimuero ſi quis etiam dicta duodecimi artis curatiuæ Galeni diligenter legat, hoc idem uidetur dixiſſe: cum ait, Porrò naturalis notitia nos docet, uitium id corporis, ex quo fit dolor, aut continuitatis diuiſionem eſſe, aut alterationem aliquam. Et paulò pòſt concludens inquit, neceſſarium eſſe ut affectus, qui dolorem excitet, uel diuiſio ſit, uel alteratio. ſicque per longum examen clarè patet, & ſubitam alterationem, & continui ſolutionem credidiſſe Galenum eſſe cauſam doloris. Quod clarius expreſsit cōmento primo ſecundi libri de ratione uictus in morbis acutis, ubi inquit: Corpora ſenſibilia quàm primum ſubito mutantur, dolent: Fit autem immutatio bifariam, quandoque uiolenter ſubito mutatis qualitatibus, quandoque ſoluto continuo: alterantur ab iſtis illico, cū caleſcunt, infrigidantur, humectantur, uel exiccantur. Quæ dicta ſępiſsime repetit Galenus in ſuis uoluminibus, ut patet ſecundo de locis affectis, & quarto ſimplicium pharmacorum, & aliis in locis, in quibus conatur omnia reducere ad genus ſolutionis continui, nec propterea dixit dolorem fieri ſine mala temperatura. Quibus dictis non deſunt rationes ſapientum aduerſantes. Dicunt enim totam rationem doloris fieri cauſa malæ temperaturæ: quòd ſi aliquando uiſum eſt ex ſolutione continui accidiſſe dolorem alicui, dolor ille non fit, niſi quoniā ex ſeparatione continui mutata fuit loci temperatura, cum ſeparatio continui minime fieri poteſt, ſine malo motu in parte, à quo motu mutatur complexio, ſiue temperamentum. Dicúntque dolorem non eſſe ab ambabus cauſis, ſcilicet à ſoluta continuitate, & à mala temperatura, cùm teſte Ariſtotele ſecundo de anima, obiectum ſenſus tactus ſint quatuor primæ qualitates in mixtis, uidelicet caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas, quæ cùm ſuperfluunt aliqua de cauſa triſtem cauſant ſenſationem, quam dolorem uocant. Neque credere oportet dolorem per ſenſum tactus tantum animantibus euenire, cùm ab omnibus ſenſibus dolorem cauſare uideamus, non tamen ſine tactu. Etenim dolor eſt triſtis, uel contrariæ rei ſenſus. Nec etiam fit dolor à duabus qualitatibus actiuis tantum, caliditate ſcilicet, & frigiditate, cum ſiccitas, & humiditas, tametſi primo, & per ſe non agant, attamen mediante naturali calore, uel alio in animali cauſant triſtem ſenſationem. Clarè igitur patet, quomodo cauſetur dolor à mala temperatura diuerſa, ſiue fuerit cum materia, ſiue non, uel præcedente ſolutione continui, uel ſubſequente. Quod uerò dixit Hippocrates de cauſis doloris in libello de flatibus, non deuiat ab iſtis ſuperius dictis, ſi rectè perpēdas. Ad cauſas igitur morbi Gallici reuertēdo, præſuppoſita ea, quæ dixi in eodem libello cap. quarto, & quinto primi tractatus, & in aliis, de materia ſcilicet faciente morbū Gallicum, quoniam ibi ſtatui ipſam morbi materiam pro maiori parte phlegmaticam, non naturalem, nec ſimplicem, ſed admixtam diuerſimode cùm aliis humoribus, quæ tranſeat per uenas per uniuerſum corpus, & ad omnes partes: quæ cum ſit pituitoſa à prædominio frigida, & ad membrum aliquod ex ſui natura frigidum, & ſenſibile (ut ſunt nerui, chordæ, & panniculi) peruenerit, & non reguletur à calore, aut conſumendo, aut ad melius mutādo, ut ſit apta conuerti in nutrimētum, acquirit ulteriorem malam qualitatem præter occultam illam, quę unà cum aliquali extenſione à calore debili cauſata uehementiſsimi doloris cauſa eſt, id quod fit magis ueſperi, cum iam uirtus ex labore diei diſſoluta, uel diminuta ſit, uel quoniam in tali hora ob aëris aliquam refrigerationem meatus aſtringuntur, ſicque ſuperfluitates uaporoſę in membris ſenſibilibus, ut ſunt lacerti, nerui, & pāniculi retentas partes unitę ſeparant:

& etiam

& etiam quoniam recedente ſole corpora minorem habent reſiſtentiam:unde ueſpertinis horis materiæ frigidæ mouentur,& magis corpora noſtra infeſtant:utpote quæ ad loca ſenſibilia deſcendant,& ſua qualitate cum cõtinui ſolutione dolorem faciant. Quare optimè reſpondiſti illis:uidelicet,quòd materiæ tametſi frigidæ ſint,cùm ad neruos,chordas, & panniculos deſcẽdunt, ſua qualitate,cum extenſione cauſant dolorem. Quòd ſi adhuc quærant, qualis ſit materia illa pituitoſa, ſeu phlegmatica:reſpondere oportet illam eſſe pituitoſam crudam,ſeu diminutè pro ratione phlegmatis coctam cum admixtione aliorum humorum, & etiam calidorum. Attamen pro maiori parte phlegmatica,ſiue pituitoſam dixeris non refert:& cùm dicunt materiam frigidam ex ſe immobilem eſſe,cõcedi poteſt,ſi pura eſt:ſed cum dicunt materiam morbi Gallici eſſe frigidã, & non admixtam cum aliis,ipſi male intelligũt ſcripta noſtra: quoniam non eſſe puram materiam dixi, ſed cum aliis humoribus admixtam,quæ tamẽ & à uirtute membri attracta,& etiam aliis humoribus calidis coadiuuantibus,ueluti uehiculo ad membra tranſit,& in ipſis recipitur,ibíque cauſat dolorẽ,ut dixi. Quòd uerò in unoquoque membro ſit uirtus naturaliter attractiua,ut nutrimentum trahat,teſtis eſt Galenus in libello de uirtutibus naturalibus.Sed cum malum nutrimentum trahitur,& non corrigitur à membri uirtute,cauſatur dolor, aut aliqua mala ægritudo:ideo dicebat ipſe Galenus ſtomachum,ſeu uentriculum tempore famis attrahere ſuperfluitates ex locis uicinis, ſícque impletur malis humoribus:quam ſentẽtiam meminit Princeps Auicenna cap.de eo quod comeditur, & bibitur. Iſtis ſic habitis potes omnibus reſpondere,me nunquam dixiſſe,dolores prouenire à pura materia phlegmatica,ſed admixta cum aliis humoribus:tametſi materia phlegmatica ſola poſsit,& de facto cauſet dolorem:neque ſemper eſt neceſſarium materiam frigidam habere uehiculum materierum calidarũ,cùm à uirtute membri poſsit attrahi, uel ſua grauedine de loco ad locum deſcendere, ſtante tamen latitudine uiarum.Et iſtis credo me pro temporis anguſtia,& ægrorum impedimento tibi,& doctoribus illis ſatisfeciſſe. Quibus omnibus me plurimùm commendabis. Et ſi iſta legere dignentur,illis oſtẽdere non te pigebit. Quòd poſtremo petis de nominibus herbarum teutonicarum,quæ ſanant empycos,ex uulnere pectoris cũ penetratione:dico quòd uocant ipſas herbas ſic,uidelicet,Sẽdauch,id eſt,alchimilla, Senichel, diapenſia Latine,Vuintegrum,pirola nominatur,Trinitas,id eſt,yacea.Iſtæ igitur quatuor herbæ ſunt illæ,quæ ſanant quod dixi ſuperius: & reperiuntur in montibus Germanię,qui ſunt uicini Italię.An uerò iſthic repeꝛiantur,ignoro.Sed ſunt mirabiles(crede mihi)decoctæ cum uino albo montano dulci,& in fine coctionis addita octaua parte mellis iterum bullientis continue expumendo,& ex collatura dando patienti mane,& ueſperi ſex uncias, & plus,& minus ſecundum tolerantiam uirtutis,& morbi fortitudinẽ. Bene uale. Venetiis, die VI.Septembris, M. D. XL.

AD EXCELLENTISSIMVM DOminum *Michaëlem Lippum, Epiſtola* XXIX.*de cura ulceris formicoſi in coxa, & tumoris in dorſo, pendentibus à reliquijs morbi Gallici.*

QVæris Michaël doctiſsime, ut per capita (ut aiunt) uelim tibi literis ſignificare, quónam pacto procedendum ſit in caſu magnifici Domini Comitis Bernardi Tompich,qui iam multis annis morbo Gallico laborauit,& ſi curatus antea fuerit,attamen à tribus annis uſque ad hunc diem iterum incidiſſe uidetur in hunc morbũ,cum ulcere formicoſo in coxa, & tumore in dorſo circa lumbos. Qui quidem magnificus Comes cùm multa egiſſet,non potuit hucuſque curari. Cui ſic agendum noſtro quidem iudicio reſpondeo. In primis oportet ipſum Magnificum uirum quibuſdam euacuationibus minoratiuis euacuare: uerbi gratia,cum electuario lenitiuo, diacatholicone, & aliqua portiuncula confectionis hamech, ſecundum tolerantiam uirtutis,& anni,& temporis rationem.Deinde materiam ipſam reliquam digerere, digeſtiuis appropriatis,ut eſt ſyrupus de fumo terræ, de endiuia,dilutis cum aquis lupulorum & fumi terræ: ſed placeret mihi magis aqua ſolatri admixta cum iſtis,propter aduſtionem humoris. Dentur iſti ſyrupi per aliquot dies poſt minorationem prædictam:deinde uelim ſecare uenam iecorariam dextri brachij,& extrahere quantitatẽ ſanguinis ſecundum uirtutis tolerantiam,& ipſius ſanguinis malitiam.Etenim in morbo Gallico cõfirmato, peccatum eſt in maſſa ſanguinea:quamuis accidẽtia conſequentia ſint in membris exterioribus. Qua celebrata phlebotomia, procederem per aliquot dies cum digeſtiuis dictis.Deinde uellem illum euacuare pharmaco magis appropriato,uidelicet, cum electuario lenitiuo, de ſebeſtem,& confectione hamech,diſſolutis in decoctione epithymi Meſuæ,ita ut iudicio tuo expertiſsimo corpus undequaque à ſuperfluitatibus communibus emundaretur,euacuando bis,aut ter,ſecũdum indigentiam rei. Quibus euacuationibus factis, uellem quòd clariſsimus comes aſſumeret decoctionem ligni Indici, per conueniens tempus,uidelicet quadraginta,uel plures,ſi opus fuerit,dies.Darem ergo ueſperi,& mane cyathum unum aquæ primæ decoctionis. Secundæ uerò decoctionis aquam darem & ante prandium,& per totam diem ad libitum,& etiam in nocte,ſi bibere uoluerit:quoniam hoc uniuerſale eſt,maximè in morbo diuturno:quòd quanto plus æger biberit, tam ex prima, quàm de ſecunda decoctione,tanto melius & citius liberabitur. Trãſactis igitur octo,uel decem diebus,uellem quòd ipſe biberet ex prima decoctione duos cyathos mane,& duos ueſperi,& inter diem etiam maiorem quantitatem ſecundæ decoctionis.Et hoc uſque ad terminum quadraginta dierum,cum diæta cõuenienti ætati,complexioni,& reliquis.Hoc tamen ſcito uinum nullo pacto conuenire:quòd ſi dare oportet,uel ratione cõſuetudinis,aut aliorum,id ſit dilutum,& in parua quantitate.Notabit tamen tua excellẽtia,quòd ſi tranſactis uigintiquinque diebus,& neque ulcera conſolidata,neque tumorem reſolutam inſpexeris, hoc in caſu oportebit in ſero inungere inguina,& locum oſsis ſacri,& dorſi uſque ad caudam,ita ut per talem inunctionem, reſolutio materierum in membro contentarum haberetur,& prohibitio deſcenſus materierum ad loca ægra currentium.Quem modum illinitionis, ut uulgares aiunt,ſi defenſiuum appellaueris,non refert,dũmodo ex hoc optatum finem æger conſequatur. Inunctio uerò fiat ex unguento noſtro benedicto glorioſo, addita quantitate boli Armeni,quæ tuæ excellentiæ conueniens uidebitur. Hunc uir doctiſsime credo eſſe uerum modum procedendi, ut clariſsimus comes ad optatam ſalutem canonicè deducatur,quam Deus trinus,& unus ei dare dignetur.Ea uerò quæ poſt curam membra principalia cõfortare poſſunt,uel ſi aliqua indiguerit euacuatione reliquiarum, ſilentio pertranſiui, quoniam te & doctum & expertum, ex tuis notis cognoui.Vale. Venetiis, die XX.Auguſti. M. D. XXXV.

AD EXCELLENTISSIMVM DOminum *Ioãnem Baptiſtã Pantinũ, Epiſtola* XXX. *de depilationibus,corroſionibus gingiuarum, & caſu dentium,& alijs quibuſdam diſpoſitionibus,quæ cum morbo Gallico eueniunt, ac de eorum medicaminibus.*

PAucis pòſt diebus,quibus ad te literas dedi, una cum deſcriptione ſyrupi de pomis,qui uentrẽ ſoluit,redditæ ſunt mihi iterum literæ tuæ:ex eis uerò à me non minus ardua,quàm mihi deſiderata poſtulas. Quæ quoniam tibi in primis cui plurimum debeo, deinde aliis quibus mederis languentibus ſalutaria futura exiſtimo,ea ad te ſcribere non recuſo,eo ferme ordine,quo à te ſcripta ſunt.Primum quidem quæris depilationes quæ paſsim hiſce noſtris temporibus hominibus accidunt, morbi, quem Gallicum uocant, accidẽs aliquod exiſtat,an potius affectus, quem præſtantiſsimi antiqui Medici Græci Alopeciam, & Ophiaſim, & Arabes Thyriam uocant,ſit.Cui quæſito facilè reſpondere poſſum, ſi prius morbi Gallici poſtremam differentiam à me in libello de morbo Gallico ſcriptam rememorabo.Etenim in eo libello dixi morbũ Gallicum, malam temperiem ex iocinoris quadam refrigeratione eſſe,non tamen ſine aliquali effectus ſiccitatis,& immoderata complicatione aliarum qualitatum,ita ut pręter manifeſtam ex operationibus, refrigerationẽ,ſit, etiam

occulta mala quędam qualitas,ueluti forma,ſeu ultima differentia,quæ toti corpori communicatur,ut ex meis de febribus ſcriptis ſatis clarè uidebis. Neque obſtāt ea quæ ab aliquibus male,& ſine experientia,huius deſcriptionis contrarium dixerunt. Credunt quidem iecur male affectum eſſe,ſed temperiem malam non illam frigidam( ut dixi )ſed calidam,& ſiccam eſſe, pertinaciter aſſeuerāt,friuolis quibuſdam rationibus,ita ut pudeat me ( teſtor Deum ) tam inanibus rationibus contradicere.Dicunt enim( ne te in iſtis morer )ea ratione,temperaturam hanc pręter naturam eſſe calidam:quoniam aliquādo à principio in iſtis febricula ſuboritur,& quoniam in pudendis,& aliis partibus corporis exulceratio fieri aſſolet,quæ nō ſunt priuatæ rubore, præſertim in extrema cute,ſæpéque fiant huiuſmodi ulcera corroſiua,quæ ſerpendo,ſiue deambulando in deterius procedunt.Ac etiam dolores ut plurimum acuti fiunt, eodem quoque modo puſtulæ quæ apparent ſæpe rubræ uidentur , & in tumoribus etiam , ſiue gūmoſitatibus nonnunquam rubedo aliqua uiſa eſt. Dicunt præterea depilationes ab eodem temperamento calido,& ſicco fieri,& etiam ſi quæ ulcera in gutture , faucibus , gingiuisue,quę ad caſum dentium faciant,aut in alio quouis loco corporis,utputa in pudendis, uidelicet uulua, pene,aut in ano,omnia illa atteſtari hanc calidam , & ſiccam temperiem:ita ut quidam ad tantam inſaniam deueniant , ut etiam materiam , ſiue baſim morbi Gallici choleram aduſtam , ſiue per aſſationem in melancholiam conuerſam eſſe dicant,cùm nihil abſurdius ſit hac poſitione. Etenim ſi quod dicunt uerum eſſet,morbum Gallicum elephantiaſim ( uel ut dicunt Arabes )lepram leoninam procul omni dubio eſſe dicere oporteret,uel cancroſam(ut ita dixerim)ægritudinē aliquam,ſi particularem affectum aliquem cōſideremus in tali morbo. Sed quoniam ut in iam dicto meo libello uidiſti,ij omnes à ſcopo ueritatis longe aberrant , ut mox tibi aperiam,hæc in hac parte ſic maneant,ne iam inceptam intercidam. Rem igitur præpoſitam ſequar,ſcilicet probationem partium noſtrę definitionis Etenim quòd morbus Gallicus in genere malæ temperaturę iocinoris primo ſit,nemo ſanè ex his ſcriptoribus quos uiderim negat:imò omnes rectè ſentientes conſtanter,& ſine hęſitatione hoc affirmant quod etiam in proceſſu rationibus oſtendam.Quòd ſi aliqui hanc præter naturā temperiem uel in corde primo , uel in cerebro ponant, qui profecto non deſunt,ii tota aberrant uia,cùm primo in medicorum uia tantum iecur generet,ſeu præparet humores pro totius corporis nutrimento , neque à parte alia primo materiæ facientes accidentia morbi deciduntur,(ut ſunt,dolores,puſtulæ,tumores, exulcerationes, depilationes,& aliæ )quàm à uenis.Quæ uenæ ab iocinore hauriunt,per uirtutem ſcilicet membrorum attrahentem,ut doctè dixit Galenus in libello de potentiis naturalibus,quod attractum cùm non ex omni parte probum ſit,ac pro membrorum nutrimento congruū, uirtus ipſa quæ ſemper in ſanguinis mundificatione intenta eſt,ſeparat ex non proba materia quæ in ſanguine eſt,& ad muſculos primū pellit, uel ad loca alia ,ubi uenæ deferunt nutrimentum,quæ materię ſi craſſæ ſint, ibi manent,& faciūt muſculorum,& aliarum partium grauedinem,atque uoluntarii motus quandam impotentiam,ſiue difficultatem,ita ut ægrè brachia attollantur,cruráque moueātur,uel reliqua mēbra.Etenim hoc accidens à primis diebus infectionis apparere conſueuit,quippe cum fiant pigriores , & obtuſiores in ſenſibus,& ut uerius dicam,in omnibus operationibus animalibus,tam extrinſecis,quàm intrinſecis, nutrimento nimirum ſic affecto,& à membro qui eget nutritione ab hepate attracta.Neque propterea,ut quidā dixerunt ( & male)dicere oportuit,mineram in cerebro eſſe, & ab ipſo materia primo decidi ad alia membra:cùm hoc neque rationi conſentaneum ſit,neque ſenſibus conformet,ut mox paulò inferius tibi aperiā,ubi dixero quid in diſſectionibus cadauerum hominum mortuorum, qui dum uiuerent, patiebantur morbum Gallicum,ſæpiſsime uiderim. Non tamen negarem ego aliquā materiam à cerebro deſcendere , quæ non potuit à calore capitis regulari,cùm primo à iocinore non probe præparata fuit.Quoniam( ut dixi ) iecur refrigeratum ſanguinem non probum præparat,& etiam quoniam ſua iam dicta occulta qualitate per cōſenſum cætera membra inficit,ita ut mēbra ab ipſo iocinore infecta minus quàm pro ſui natura poteſt ſuum nutrimētum aſsimilare,cum iam in ſecunda concoctione,quæ in iocinore eſt,non perfectam acceperit concoctionem,ſicque cerebrum,uel membrum aliud,ſi ab ipſo materiæ aliquæ ad augendum aliquod morbi Gallici accidens mittantur,non propterea cerebrum , uel illud membrum eſt prima cauſa,ſed cauſa fouens , uel concauſa dici debet, quoniam ſi affecta ſunt alia mēbra,à iocinore quidem afficiuntur,& ( ut dixi ) iecur primo refrigeratum malum alimentum aliis parat , quod non poteſt ab aliis membris,& uirtutibus corrigi. Nam nec prima coctio à ſecunda,nec ſecunda à tertia , nec tertia à quarta concoctione corrigitur. Quare ſi materia in aliis membris cum priori admiſcetur,concauſa erit , & non primaria ( ut aiunt )cauſa.Ex dictis habes cerebrum non eſſe cauſam primam,ut quidam putant , ſed ſi aliquid mali ab ipſo cerebro prodierit , id erit, quoniam uitiatum per conſenſum,& aliis cauſis ( ut uidiſti ) eſt , imò cætera omnia membra uitiata ſunt , ſi morbus conualuit,ſed non primo.Verùm magis errant quàm priores , qui dicunt à uitiato corde primum hunc morbum eſſe , cùm neque à principio morbi,neque in proceſſu ea accidentia,quæ in uitiato corde ſunt,ab aliqua mala temperie appareant.Quòd ſi quid etiam cor,uel contenta in corde patiantur,non per ſe primò patiuntur, ſed per conſenſum à iocinore illud habent. Porrò non difficile eſt oſtendere hepar primum malam temperiem frigidam pati,ſi quis eius operationes uitiatas enumerauerit,& modum naturæ mundificantis uitiatum ſanguinem,ut ſępiſsime dixit Galenus,pręſertim in libello de atra bile, & primo de uſu partium. Nam ſi temperatura præter naturam calida eſſet,proculdubio in talibus plurimum humoris biliosi gigneretur,ſicque cum natura mundificans ſanguinem humorem ſequeſtraret, ſequerentur primò & herpetes , & eryſipelata, & aliæ infectiones cholericæ,quod uel nunquā,uel rarò in principio morbi huius uiſum eſt.At ſi in aliquo tales bilioſæ diſpoſitiones apparuerint,non ex primaria materia morbi,ſed ex acceſſoria aliqua,non à diſpoſitione prioris morbi,ſed ab aliquo regimine calfaciente,uel ex alia cauſa corpus inflammante , aut ex complicatione alicuius alterius morbi calidi,ſiue ille fuerit febris, ſiue alia pręter naturam diſpoſitio.Porrò morbus Gallicus,cum aliis etiam ægritudinibus non rarò complicatur,utputa,cum podagra, uel cum febre aliqua,ita ut cum ſic complicatæ reperiantur diſpoſitiones , illæ ſanè difficillimæ ad ſanandum ſunt,ut in meo de febribus magno libro uidebis: ex quibus uides temperiem hanc malam quoad actiuas qualitates,refrigerationem quandam eſſe: hoc nempe atteſtantur omnia accidentia quæ à primario morbo prodeunt , ut eſt febricula quædam lenta , ſi acciderit,quoniam non ſemper accidit , quæ horis ueſpertinis accedere in talibus conſueuit,calor cuius minimè acris nec mordax eſt,ſed ſimilis ſatis calori quotidianæ, ſine ſiti , & in reliquis quoque accidentibus quotidianas febres ſequentibus ualde conformis : & hoc quoniam pendet à materia in maiori parte pituitoſa putreſcente:quòd ſi aliquando febres in iſtis aliæ uiſæ ſunt,tales quidem febres non à materia morbi putreſcente,ſed ex aliorum humorum peccantium abundantia,uel qualitate,pro hominū regimine,& aliis fuerunt.Similiter & dolores qui primo apparēt,grauatiui ſunt,& tales(ut dixi )quòd uix brachia attollere,& crura mouere poſſunt,doléntq; ut plurimū horis ueſpertinis uſque ad tres tertias noctis partes incluſiuè, diuidēdo noctē in quatuor partes: neque ubi loca dolent rubra ſunt,uel ad tactū calent,ſed potius frigēt,præſertim ſi morbus antiquatus fuerit,quod frigus ſæpe nō percipitur à manu Medici tangentis:ueruntamē æger ipſe refert ſe in illā partē obtuſum ſenſum habere,& nullo modo caliditatē excedentē in ea parte ſentire.Neque te uolo id quęrere,quod quidā ex noſtris ſenioribus Medicis quærunt , cùm ſanè abſurdum ſit. Etenim hic Medicus ubi ſunt dolores,uel à morbo Gallico,uel ab aliqua alia cauſa,ſæpe manum ad locum doloris apponit,qui non percipiens ibi caliditatem,aut frigiditatę offendentem manum , ſed membrum in eius ſuperficie æquale in dictis qualitatibus,fatetur ex ægri relatiōe dolores ibi eſſe, quoniam negare non poteſt, & nihilominus nō eſſe in membro malam temperiem pertinaciter affirmat,

ignorans

ignorãs malam temperiem in intimis partibus eſſe. Siquidẽ fieri poteſt, & de facto ſæpiſsime fit, ut pars aliqua intrinſeca calefiat, uel refrigeretur, utputa uelamen tegens os, aut muſculus aliquis profundior, quæ calfactio, uel refrigeratio dolorem ea in parte excitabit, non tamen illa qualitas quæ in profundo detenta eſt, poterit ſuperficiem membri (ut eſt cutis) uel calfacere, uel refrigerare, ita quòd à manu percipiatur. Quare ſatis eſt audire languentem de dolore querentem, & ex accidẽtibus quę dolorem inſequuntur malam temperiem diiudicare ipſum dolorem & eius cauſam: ut (cauſa exẽpli) ſi acuitas, & uehemẽtia doloris fuerit, à calida cauſa prouenire: ſi uerò grauedo, & extẽſio, à frigida prouenire affirmare operępretium erit, ut doctè docuit Galenus tertio de locis affectis circa finẽ. Ex his igitur affirmare neceſſarium eſt, dolores morbi Gallici, cũ ſint extenſiui, & minime acuti, uel pungitiui: à frigida temperie, cum materia tamen prouenire, quę ſanè materia nõ ſemper humor pituitoſus exquiſitus eſt, ſed ſæpe habet alios ſibi admixtos humores in minori quantitate, & qualitate tamen. Ita ut à ſuperabundãti materia pituitoſa nominari debet. Quòd ſi aliqua acuitas in doloribus aliquando percipiatur, illa certe per admixtionem humoris acris eſt, & nõ à prima materia. Hoc idem teſtantur tumores, ſeu gũmoſitates, quæ dum aperiũtur, ſunt plenę materia pituitoſa, lẽta, craſsáq;, & ferè exiccata. Hoc idem in puſtulis cernes, ſi ſuperficiem auferes: etenim materia quę in medio, & fundo, reſidet, alba, lẽta, & uiſcoſa adhærens eſt, quanquã in ſumma cute puſtulæ rubeant. Verùm ut tibi quod paulò antea pollicitus ſum declarare, oſtẽdam, audi quid pluries uiderim. Equidem plures homines mortuos in hoſpitalibus ſecui, qui uiuentes morbo Gallico laborabãt, in quibus uenæ per uniuerſum corpus plenę erant materia pituitoſa alba. Quę pituita in quãtitate longe ſuperabat ſanguinem, & loca etiam doloroſa madebant eadem materia pituitoſa, imò in aliquibus omnes lacerti madebant iſta iam dicta materia, & uenæ quoq; (ut dixi) repletæ erant illa materia. Et hi ſunt, qui cum maximo labore ſanantur, quibus conducit decoctũ ligni Indici, cũ uino, de quo in tuis petebas, an cõduceret patientibus morbum Gallicum decoquere lignum Indicum, cũ uino: & etiam ſi ex uſu eſſet, modum præparandi & bibendi poſtulabas: ſed de hoc in proceſſu ad te omnia ſcribam. Erunt igitur quæ dicta ſunt ſatis hac in parte, in qua digreſſus ſum, uidelicet declaraſſe ratione, & experimento malam temperiem hepatis, quam morbum Gallicum uocant, eſſe ex refrigeratione, quia iecur plurima materia pituitoſa abundat, non tamen exquiſita, ſed admixta etiam aliquibus calidis, & ſiccis humoribus, ut ſunt ſanguinei, & cholerici, & melancholici, per quam admixtionem temperies occulta reſultat, quæ non ſine frigiditate manifeſta eſt, & aliquali ſiccitate, ex quo fit ut præter manifeſtam qualitatem calidam in curatione per contrarium, neceſſarium ſit quoque aliquid quod contrarietur per occultam medicaminis qualitatem: ut docet experientia de argento uiuo, & de ligno Indico ſanante hunc morbum ſua complexione, præter manifeſtas qualitates. Quòd ſi aliter ab aliquo ſcriptore, uel etiam te docente audieris, illud fuit, quoniam tales claudicantes, & uno ſolo crure, & illo ualde debili in hac uia deambulant. Videlicet ratiocinio apparenti quodam, ſine experimento, quod experimentum eſt potiſsimum, & primum in omni ueritatis indagatione, ut teſtatus eſt Galenus. Sicque iſtis præpoſitis ad primum quæſitum tibi hoc modo reſpondere incipiam, uidelicet, depilationes quæ paſsim hominibus hiſce temporibus accidunt, morbi Gallici ſæpe dicti accidens (ut plurimum, & pro maiori parte) eſſe. Neque obſtant quæ de Alopecia, & thyria, quæ depilationes ſunt, antiqui ſcripſere: quoniam in illa cauſa eſt materia manifeſta mala præſens in cute ipſa, quæ materia prohibet nutrimentum pilorum eò uenire, ac etiam corrumpit radices pilorum unà cum nutrimento. Sed in depilatione morbi Gallici id in cauſa eſt quod ſuperius dixi, ſcilicet qualitas non naturalis ex admixtione, & alteratione, quæ manifeſta non eſt, præter quatuor qualitatum permixtionem manifeſtam, corrumpentes naturam nutrimenti: & hæc eſt ſumma differentia. Scripſit nanque Galenus primo de Medicinis ſecundum locos, depilationes fieri ex uitiato nutrimento: in quo uerò humoris uitium fuerit, ex colore cutis dignoſcere docet. Collige igitur ſigna, quæ ſunt paſsim in his qui ex morbo Gallico depilantur, & uidebis depilationis cauſas temperiem aliquam frigidam, & humorum lentorum pituitæ non naturalis atteſtantium abundantiam oſtendere, tametſi alii quoque humores commixti ſint. Prima illa eſt materia cum occulta qualitate, & craſsitie obſtruente meatus, ita ut prohibeat ne deferantur uapores proportionati ad pilorum nutritionem, ad ultimas partes corporis: & hæc eſt prima cauſa & uera. Hoc manifeſtum eſt uidere in mulieribus, & eunuchis, quæ cum ſint corpora refrigerata, carent pilis, & præſertim in barba, & aliquibus aliis locis. Nam in uiris non mutilatis ſi aliquando hoc euenerit, ut ſcilicet priuentur partes aliquæ pilis, ut eſt barba, & aliæ partes, cauſa in iſtis non eſt refrigeratio tantùm, ſed ſæpe etiam multitudo materiæ obſtruentis meatus, per quos fumalis euaporatio tranſire deberet. Vel cauſa eſt nimia humiditas dilatans, ſeu relaxãs meatus, atque uapores craſſando, & eos ad aliam ſubſtantiam conuertentes, ita ut non ſit amplius materia generationis, & nutrimenti pilorum. Quare uel non naſcuntur, uel ſi ſunt ex defectu nutrimenti decidunt, coadiuuante meatuum latitudine. Neque prætermittam unum quod plurimum in morbi Gallici depilatione mouet, atque diſcrimen inter dictas non Gallicas depilationes facit. Et eſt, quoniam in Gallica diſpoſitione non ſolum capillos, & barbam decidere uidemus, uerumetiam & palpebras, & cilia: qui quidem pili affixi ſunt in parte ſicca cartilaginea, quæ pars pilos conſeruat. Etenim ſiccitas plurimum ad pilorum conſeruationem, & firmitatem facit: & niſi morbi Gallici humiditas materiæ plurimæ eſſet, utique non ita depilarentur. Nam ut dictum eſt, hæc materia per uniuerſum corpus ſparſa refrigerat, humectat, & obſtruit, atque ſua occulta qualitate naturales omnes uirtutes uitiat, & inficit. Et cùm ex ſui diuerſa permixtione ſæpiſsime corroſiuam, atque caloris particulæ membris affectæ extinctiuam qualitatem contrahat, hinc eſt, quòd non ſolum decidunt pili, uerumetiam cutis illorum locorum quaſi uſta & corroſa inſpicitur, non tamen arida ex toto, quoniam ſæpe loca depilata madent, & hoc quoniam plurima humiditas abundat, ita ut ſubtumida manifeſtè cutis etiam appareat. Ex dictis potes etiam cauſas corroſionis gingiuarum, & caſus dentium aſsignare, quod malum uidimus in quàmplurimis laborantibus morbo Gallico: nam cùm in gingiuis, & uenis propinquis reperiatur materia affecta, iam dicta mala temperie non expoliata à qualitate corroſiua, ex cauſa paulò antè dicta, cùm non ſemper ſit ſecundum (ut ita dixerim) unam permixtionem. Dixi enim, quod tametſi pituitoſa ſit hæc materia à prædominio ſemper, uel ſæpe, tamen cæteros habet humores uitiatos permixtos, in minori (ut dixi) parte: per quam permixtionem fit diuerſitas tam in ſubſtantia, quàm in qualitatibus iſtius materiæ. Quoniam ſi humor melancholicus admiſcetur, inſpiſſatur, & dura redditur hæc materia. Quòd ſi ſanguis admiſcetur, non ita dura, ſed mitior efficitur. At ſi cum humore bilioſo, corroſiua redditur, præſertim ſi ab aliqua cauſa aduſta facta fuerit bilis. Etenim ex permixtione bilis cum pituita, fit humor ille præter naturam, quem pituitam ſalſam uocant, qui corrodit, exulcerat, atque pruritum excitat, ſecundum maiorem, & minorem permixtionem, & bilis aduſtionem. Adde etiam quòd pituita ſine permixtione, ſi ab aliqua cauſa aduratur, ſalſa efficitur, atque corroſiua. Quibus ſic ſtantibus, ſi iſte humor in aliqua parte corporis detineatur, quod facile erit, cùm ſit lentus obſtruẽs meatus, & ex obſtructione impediat nutrimenti tranſitus ad membrum, & quoq; ſpiritus facientes ad naturales operationes, facilè ſequũtur hęc omnia: primò corroſio, & exulceratio, ſi in molli aliquo membro (ut eſt maxilla) fuerit: deinde nutrimẽti defectus, & ultimò membri, ſiue partis corruptio, ex defectu ſpirituum, qui ſunt inſtrumẽta naturæ. Ex dictis igitur cauſis caſus dẽtium, & corroſio gingiuarum in morbo Gallico noſtris tẽporibus eueniunt. Dicta itaq; ad primum quæſitũ ſatisfeciſſe tibi puto, & forte ad faſtidiũ uſq; ex nimia, atq; prolixa narratione, ſic expoſtulante cauſa ancipite, & ex omni parte plena diſſenſiõis inter doctiſsimos medicos. Sed ad id quod petis ſecundo loco uenio: & erat an morbus Gallicus aliquando cũ podagra, ſiue alio articulari affectu aſſo-

ciaretur. Dico nullam in hac re uidere repugnantiam, cũ nõ solùm doloribus podagricis, & reliquorum articulorum, uerũ & cum febribus, atq; particularibus quãplurimis præter naturam affectibus cõplicatur: & à capite incipiẽdo (gratia exempli) aliquas enumerabo cõplicationes: nam sæpe cum hoc morbo cephalea, & ophthalmiæ complicãtur, & anginæ, & tussis, dysenteriæ, & aqua intercus, & plurimi (ut dixi) præter naturã affectus, qui tibi notissimi sunt. Neq; quod dictum est repugnat aliqua ex parte ratiõi, & antiquorum dictis, cum pulcherrimè Galenus in libello de mala temperatura diuersa tales complicatiões ostenderit. Et quod ita fieri potest declaratur: ut si iecur hominis cholerici, qui laborat morbo Gallico, habeat etiã quod ex malo regimine, & ex sui natura & proprio temperamento bilẽ multiplicet, & ex aliqua causa factis obstructiõibus in naturalibus membris, & ex prohibita respiratione putrescat bilis, hic incidet in tertianam febrẽ, & hoc modo erit mala seu præter naturam temperies diuersa: prima quidem illa quæ ex Gallica dispositiõe ex refrigeratione: altera uero à putredine calfaciente, quæ caliditas cordi communicata febris dicitur. Neque mirari te uolo, si dixerim in uno & eodem membro caliditatem & frigiditatem præter naturam esse: nam quod dictũ est, non implicat stante diuersitate partium, utputa si in iocinore diuersitates temperaturæ possibilitatẽ assignare uoluerimus, dicemus iecur habere partẽ suę substantiæ superiorem, quam gibbum hepatis uocant, & partem inferiorem, quam cauum dicũt: habet & uenarum substantiam diuersam à carne hepatis, quæ etiam uenę distinctæ sunt secundum sui ortum, tametsi coniungãtur in ipso. Quare cùm partes sint plures, & distinctæ, potest una pars calefieri uel à contẽto humore, uel à uicinis partibus, & uenis, ubi materia putrescit, uel per quas uapores calidi ad cor deferuntur, altera tamẽ parte aliquo modo refrigerata remanẽte. Vel si etiam ingeniosè speculaberis, dices, qualitates contrarias in summo in eodem subiecto minimè esse posse, sed remissas & refractas, & ad aliquod temperamẽtum homini nõ naturale redactas: nõ repugnabit. Quod facilè etiã persuadetur, si unam earum in solida parte, & alterã in humoribus esse affirmemus. Ego tamẽ & hoc, & illo modo fieri posse non negabo, cùm sciam etiam humores permixtos esse, qui (ut aiunt) sunt temperamẽto diuersi. Nam sanguis calidus, & humidus est, Melãcholia uerò frigida, & sicca. Similiter pituita frigida, & humida dicitur, bilis autem calida, & sicca, & tamẽ hi humores simul sunt, & cõmiscentur, atque manẽt: quod fit, quoniam in istis qualitates primæ non sunt in summo, ut in elementis, sed sunt remissæ (& ut ita dixerim) cõplexionales, quæ possunt simul esse in uno subiecto tanquam in composito corpore, ut in exemplo de massa humorali uides: respectu tamen diuersarum partium mixtarum, aut continuatarum. Quibus sic declaratis, hæc satis erunt ad secundum quæsitum, quod fuit an alii morbi, & affectus præter naturam, quales sunt dolores podagrici, possint morbo Gallico associari: uel è contrario, uidelicet an morbus Gallicus possit aliis ægritudinibus, & affectibus præter naturam complicari. Postremò quod te desiderare à me scribis, est, an morbus Gallicus, qui in præsentia homines molestat, mitior factus sit, quàm antea fuerat. Cui quæsito sic respondeo, accidentia morbi omnimodo diuersificata esse, testimonio sensu, non propterea primus morbus immutatus est. Sed si aliqua diuersitas apparet, illa referenda est in regimine hominum, & aëris extrinseci contactu, atque corporum supercælestium influxu, & etiam ex resistentia ex parte passi, qui iam assueuit in tali aëre, & influxu supercælestium corporum degere, & uitam ducere, ita ut etsi iecur inficiatur, ex diuersitate tamen regiminis, & admixtionis aliorum humorum, & ex aëris, atque corporum supercælestium influxu, ac etiam ex assuefactione minora sequuntur accidentia. Venio modò ad quartum, quod petebas, & est regula quæ obseruanda est ab illis, qui decoctum ligni ex uino bibunt, & etiam quibus ex usu sit talis potus, & aliis cum ipso ligno in decoctione permixtis, uel additis: & quoque qualis debet esse modus decoctionis, & regula quantitatis sumendæ. Quæ omnia sic breuibus tibi declarabo. Porrò primum corpus à superfluitatibus cõmunibus euacuare operæpretiũ est: hoc uerò fit & sanguinis missione, & medicinis cæteros humores educentibus, ut in meo de morbo Gallico libello fusius scripsi. Post quam corporis mundificationem, ex usu erit decoctum ligni Indici ex uino in morbo Gallico antiquo, in quo cætera remedia minime superfluam materiam remouere, & regulare membra affecta potuerunt: ii uerò sunt qui iam malum habitum per uniuersum corpus contraxerunt, & etiam qui doloribus continuis cruciantur, & habentes tumores nodosos, siue gumositates duras, atque ulcera maligna antiquata. Neque ex omni parte, potus decocti ligni Indici ex uino cum aliis rebus additis morbo Gallico nouo salutaris est medicina, cùm nondum natura materiam pituitosam crassam, cum sanguine permixtam præparauerit, ita ut possit ad uias ductuum natura eam dirigere, & extra corpus per aliquam conuenientem regionem pellere: nam, ut scripsit Hippocrates primo aphorismorum, errant qui materiam crudam, & non præparatam mouere, & educere tentant, præsertim quando non est effrænata. Modo cùm decoctum ligni cum uino, & aliis rebus soluentibus naturam moueat, & educat per secessum, atque ad alias regiones dirigat, cùm sit calidum, & prouocatiuum urinæ, & sudoris, mouet cum ipsa materia cruda, etiam materiam quæ secundum naturam optima est, sicque fit permixtio boni, & mali humoris, qui non educuntur nisi cum labore, & difficultate, atque cum maxima naturæ noxa. Quæ res non est in communi decocto ligni Indici ex aqua fontis sola: imo hoc decoctum sic paratum est medicina idonea, satis temperata ad præparandum materiam in iocinore, & uenis, in qua non est facta ultima malitia, partibus subtilioribus resolutis, quæ in ea materia sic, etsi cruda, & frigida sit, eget nimirum temperatis, & non excedentibus in actiuis qualitatibus. Et tametsi ita sit, ut dixi, non propterea potus decocti ligni Indici ex aqua morbum Gallicum nouum facilè, citò, & optimè sanat, perinde ut faciunt illinitiones, & alia auxilia, quæ non ita prouocant, & aperiunt à principio. Quare in morbo nouo si quis cum decocto dicto sanari desiderat, operæpretium est priùs corpus exinanire, uenæ scilicet apertione, & medicinis uentrem soluentibus, deinde leue decoctum ægro propinare, aut leui inunctione iuncturas inungere, aut ambobus remediis leuibus, & sensim uti. Istis te in primis præmonitum, uides quando, & in quo decoctum ligni ex uino dare securè possit. Quare detur si dare expedit facta prius corporis mundificatione secũdum ægri exigentiam: deinde decoctũ ligni Indici ex uino quod antiquo morbo conducit sic præparetur: ℞. ligni Indici cũ suo cortice in puluerem redacti libram unã, aquę fontis libras viij. uini albi montani optimi nõ dulcis, libras iij. misce, & maneãt simul per horas xxiiij. deinde pone in cacabo lapideo ad ignem lentum, ut bulliant ad consumptionem tertiæ partis, & cola. Quòd si fortiorem potum desideras, bulliant ad cõsumptionem medietatis. De quo ægrotans sumat calido mane in aurora ad pondus sex unciarum, plus minúsue, secundum tolerãtiam assumentis. Et quinq; horis pòst accipiat prandiũ. Similiter & horis uespertinis post prandium sex, aut septem horis, totidẽ dicti decocti calidi bibat, & cœnet quatuor, aut quinq; horis pòst, & hæc est medicina satis temperata. Cibus sit parcus ex pane fermentato, & optimis carnibus, & passulis, quæ passulæ nũquam dimittendæ sunt in morbo Gallico, nisi aliquod accidens prohibeat: nam passulæ in iocinoris affectibus mirum in modum conducunt. Bibat etiam uinum pauciferum parce dilutum ex secundo decocto, quòd decoctum secundum fit, si super lignum quod semel decoctum fuit, ponantur aquæ fontis libræ decem, & iterum bulliant ad consumptionem tertię, & coletur. Cõponunt quoq; lignum cum aliis rebus, & simul bulliunt cum uino & aqua, & est medicina fortis, & ualida, quę nõ debet administrari nisi in corporibus fortibus, & robustis. Nam debilibus & excarnatis, tã ex propria natura & tẽperamẽto, quàm ex diuturnitate & malitia morbi, uel ex ætate plurimũ nocet: quoniã in talibus decoctis ingrediũtur medicinæ, quæ pluribus modis corpora debilia exiccãt, & extenuãt. Nã & cortex ligni Indici si ponatur in notabili quãtitate, plurimũ & ualẽter exiccat. Similiter & medicinæ quæ uẽtrẽ soluũt, ut est colocynthides, & aliæ. Et quoniam non uno modo solum decoctũ tale faciunt, ideo diuersas alias decocti ligni ex uino, & aliis descriptiones, hîc subscribam. Et primò decoctum

ligni

ligni Indici, ex uino prædicto fortius ſanans morbum Gallicum antiquũ, & dolores, tumores, ulcera, & alios affectus præter naturam in eo morbo: ℞. ligni Indici in puluerem redacti libram unã, corticis ipſius uncias iiij. Aquæ fontis libras x. infundantur omnia ſimul horis xxiiij. deinde bulliant in cacabo lapideo ad cõſumptionem tertiæ, & in fine addentur, iuæ arteticæ, betonicæ, ſtœchados, chamælci, hypericonis ana manipulũ unũ, radicis calami aromatici, & galangæ ana unciam ſemis radicis artenitæ unciam unam: bulliant iterum bullitione optima, deinde adde uini albi montani optimi non dulcis libras quinque, & iterum bulliant bullitione optima. Poſtea cola, & colaturam ſerua: de quo decocto dẽtur mane in aurora, & ueſperi ante cœnam unciæ ſex, plus minùs ue, ſecundum aſſumentis urgentem neceſsitatem, & tolerãtiam. Cibus autem ſit (ut dixi ſuprà) ex optimo pane fermentato, & ex carnibus pullorum gallinaceorũ, & aliis iuuenibus animalibus, ut ſunt hœdi, & uituli, qui cibus ſumatur quinq; horis poſt potũ decocti: Potus ſit ſecunda ligni decoctio, quę ſit ſi ſupra prædicta quæ prius bullierint, iterum pones aquæ fontis libras x. uini montani non dulcis libras v. & bulliant ad conſumptionẽ tertiæ. Alia deſcriptio fortis, quæ ualet in morbo antiquo, cum doloribus, apoſtematibus, & ulceribus: ℞. ligni Indici in puluerem redacti libram unã, ciperi, calami aromatici, ſtœchados, iuæ arteticę, polypodii ana unciam ſemiſſem, colocynthidæ ʒ. tres, uini albi montani non dulcis libras xxxvi. confundãtur ſimul per diem, & noctem, deinde bulliãt in lebete lapideo ad conſumptionẽ tertiæ partis, & cola, de quo decocto patiẽs ſumat mane in aurora ad uncias iij. uſq; ad ſex, ſecundum uirtutẽ patientis, & morbi magnitudinem. De qua decoctione ſi morbus fortis fuerit, & uirtus ægroti tolerauerit, detur etiam ueſperi ante cœnã. Comedat parcè quinq; horis pòſt (ut dixi) optimas carnes, & bibat uinum permixtum aqua decoctiõis cinnamomi. Alia deſcriptio decocti ligni Indici fortior ſupradictarum, & ualet in morbo antiquo difficili, cum doloribus, apoſtematibus, & ulceribus: ℞. ligni Indici in puluerem redacti uncias viij. corticis eiuſdem ligni uncias iiij. uini albi montani nõ dulcis libras xx. infundantur per diem, & noctem, deinde bulliãt in lebete lapideo, ad conſumptionem tertiæ, lẽto igne, & coletur, & colatura reponatur in uaſe uitreo, uel lapideo uitreato: cui colaturæ adde foliorum ſenæ puluerizatæ, hermodactylorum, ana uncias ij. & dimitte ſic ſimul manere, de quo decocto ſumat ægrotus bis in die calido, mane uidelicet, & ueſperi, ad quatuor uncias uſq; ad vj. plus minùſue pro uirtutis, & morbi exigentia. Vnum tibi animaduertendum eſt, quòd cũ quis exquiſitè aluũ ſubducere deſiderat, ſi cõcutiat uas, in quo hoc decoctum ſeruatur, ita ut agitata decoctione permiſceãtur pulueres ſenæ, & hermodactylorum, melius ſic permixtum ſubducet aluũ, ſed ſi ad præparãdã materiã ad euacuationẽ bibere uoluerit, ſatis erit ſine aliqua agitatione eam bibere. Plures alias deſcriptiones decocti ligni Indici poſſem tibi annotare, quæ conſultò præterire decreui, ne ex nimia longitudine orationis ſim tibi tædio, cum omnes modi decoctionum unam habeant intentionem, ſecundum magis, & minus tamẽ: nam plurimi ſunt qui lignum, & alia ſimplicia cũ ſolo uino decoquunt, & exhibent ægrotis, ſed in hoc prius omnia perpendẽda ſunt, uidelicet, temperies, ſexus, ætas, anni tempus, & uires ægroti. Notabis etiam quòd non omnes ſanãtur in determinato numero dierum, ut credunt uulgares, & promittunt empirici medici: ſed quidã paucioribus, & quidam pluribus diebus egent ad perfectionem curæ, & hoc ſecundum morbi pertinaciam, & ægroti robur: nã ſæpe uiſæ ſunt depilationes duraſſe per unum, & alterum, & tertium etiam annum, quæ à nullo genere medicamẽtorum ſanari potuerunt, etiã ſi per plurimos menſes uno, uel diuerſis remediis uſi ſint. Sed ſtatutũ tẽpus quod omnibus non ſine ratione conuenire poteſt, eſt ſpatiũ xxxx. dierum, quod ſpatiũ, & terminus eſt medius inter acutas, & chronicas ægritudines, uel ut dixit Galenus cõmento xxij. ſecundi Aphoriſmorum, eſt ſpatium acutorum morborum qui in quadraginta diebus iudicãtur. Ratio uerò cur ſit quòd decoctũ ligni Indici ex uino cũ aliis iam dictis rebus, magis morbo antiquo pertinaci conducat, quàm nouo, eſt, quoniam uinum melius diſtribuit uirtutẽ ligni, & aliarum medicinarũ ad uias iecinoris primũ, deinde ad omnes alias partes corporis, & præter hanc diſtributionem habet quoque caliditatem manifeſtam, & humiditatem, quæ qualitates contrariãtur morbo, & plurimùm uirtutem ligni adaugẽt, ita ut maiorem diſſolutionem faciant, ubi iam materia lẽta uenis, & muſculis, & aliis partibus noſtri corporis adhæret. Hæc ſatis ſint ad curam per decoctum ligni ex uino in uniuerſum. Reliquum eſt, ut ea remedia quæ ad depilatiões, & caſus pilorum, ac ad gingiuarũ roſionẽ, & caſus dentium cõducunt, memorẽ. Prohibent in primis caſus pilorum regimen cibi & potus, uidelicet comedendo ea quæ boni ſucci ſunt, àtq; intercidẽdo quãtitatẽ immoderatã, & omne ſuperfluũ quouis modo, præſertim abſtinendo à putreſcibilibus, & iis quæ ſunt duræ concoctionis, ut ſunt uiſcoſa omnia & malæ ſubſtãtiæ, qualia ſunt carnes ueteres, caſeus, & olera, ut caules, eruca, & ſimiles herbæ. Hoc quod dixi, etiam de fructibus, & piſcibus intelligere oportet. Similiter acria omnia interdicantur, ut ſunt aromata, & ſalita, legumina, & alliũ, & cepæ, & ſimilia. Deinde poſt regimẽ, maxima cautela, & pręcautio in caſu pilorũ eſt, expurgare corpus à malis humoribus, & ſuperfluis, qui in hoc morbo (ut ſępe dictum eſt) ſunt humores pituitoſi, lẽti, permixti aliis humoribus præter naturam. Sed in his in quibus pili decidũt pituita ſalſa eſt ex permixtiõe bilis. Quare ſic procedẽdum erit, ubi plurima humorũ abũdãtia fuerit, præſertim ſanguinis mali, & ętas, & uirtus, & tempus anni conſentiunt. Primum aperiẽdo uenã in brachio, quã iecorariã uocant, & ſanguis euacuetur ſecundum materiæ exigentiam, & uirtutis tolerantiam: nam miſsio ſanguinis omnes humores euacuat. Poſt ſanguinis euacuationem præparentur humores alii ad euacuationem, iſtis ſyrupis, ut gratia exempli: ℞. ſyrupi de fumoterræ ſimplicis, uel compoſiti ſecundũ exigentiam materiæ pituitoſæ cum cholera permixtę, unciam unam, mellis roſati unciam ſemiſſem. Aquarum lupulorum, ſcabioſæ ana unciam unam, & ſemiſſem: qui ſyrupi ſumãtur mane in aurora per aliquot dies. Et apparente concoctione in urinis euacuentur humores dicti cũ appropriatis, uerbi gratia: ℞. electuarii lenitiui, hieræ picræ ana ʒ. vij. Decoctiõis epithymi Meſuæ ℥. iij. miſce, & fiat potus, & ſumatur mane quinq; horis ante prãdium. Et quoniã materia craſſa eſt, quæ non poteſt unica euacuatione educi: ideo iterum dentur ſyrupi fortiores ad præparandum, utputa ſyrupus de epithymo, de ſtœchados, & ſimiles: & iterum euacuentur humores, cum electuario lenitiuo, & hiera compoſita, qualis eſt hiera colocynthidos, uel hiera pachi deſcriptiõe Scribonii Largi, & diſſoluãtur cum decocto epithymi Meſuæ. Corpore à ſuperfluis, & malis humoribus euacuato, conducit mẽbra particularia à quibus pili decidunt roborare, utputa in caſu capillorum, & pilorũ barbę, utatur lixiuio ex cineribus leuibus, qualis eſt cinis ex lignis myrthi, iuniperi, pini, lẽtiſci, & ſimilium, in quo lixiuio bulliãt pineæ, à quibus nuclei iã extracti fuere, & quoque folia myrthi, abrotonì, roſarũ, & ſimilia. Et poſt lauationem leniãtur loca, à quibus pili ceciderunt, aliquo unguento ex infraſcriptis, quæ plurimum ualent ad regenerationem pilorum, cum decidunt. & primo ℞. faui mellis cum apibus ſuis, uncias ij. pinguedinis urſi unciã unã, abrotoni puluerizati unciã ſemiſſem, miſce, & tãdiu ducantur in mortario, donec perfectè cõmiſceãtur, & ad formam lenimenti reducãtur, atque bis, uel ter in die caput, & alia loca depilata liniantur. Et cũ lauare caput, uel barbam neceſſum fuerit, lauentur ſupraſcripto lixiuio. Aliud unguẽtum quod prohibet caſum pilorũ, facitque pilos oriri: ℞. ſucci myrtilorum, ſucci abrotoni ana unciam unã, olei ſiſamini, laudani ana ℥. I. & ſemiſſem, ſpicæ unciam ſemiſſem: bulliant lento igne donec ad formam unguenti redigantur. Ad idem plurimũ cõducit decoctum ligni Indici, cum uino, & melle, & laudano ad ſpiſsitudinem mellis redactum, cum quo uniuerſum caput, & barba madefiat, & cum lauare oportet, lauetur dicto lixiuio. Aliud unguctum optimum ad depilationem: ℞. laudani optimi unciam unam, olei de abrotono quãtum ſatis erit, ut reddatur ad formam linimenti, & hoc fiet diu cum piſtello in mortario ducẽdo. Item aliud unguentum eiuſdem uirtutis: ℞. laudani, papaueris nigri, muſcarum faui mellis ana ℥. I. pinguedinis urſi quantum ſatis erit, fiat ex eis linimentum in mortario, ut ſuprà. Animaduerte, quòd cũ uti uolueris hoc linimẽto, oportebit lauare loca depilata bis in die,

mane

mane uidelicet, & ueſperi, cũ decoctiõe roſarũ, myrtilorum, ſenæ, abrotoni ana manipulum unum, radicum cãnæ minutim inciſarũ manipulos 4. quæ omnia bulliant in lixiuio non forti. Valet etiam decoctum lapatii, myrtilorum, abrotoni, abſinthii, & meliloti, cum aqua fontis chalybeata, ſi caput & loca depilata lauẽtur. Plura equidẽ uir doctiſsime alia ſcripſiſſem, ut tuis petitionibus ſpeculatiuis, & practicis ſatisfacerem, ſed quoniam ad doctiſsimum uirum medicum ſcribo, cui in re medica nihil non notum ſemper iudicaui, hæc ſatis erunt, dimittens quibus remediis podagra medetur: nam hæc tibi notiſsima ſunt, & ab antiquis omnia clarè, & copioſè ſcripta fuere, præſertim à Galeno, & principe Auicenna. Vale igitur, & me, ut, ſcribis, amare non deſinas. Venetiis, M. D. XXXVIII. die XX. Maii.

AD EXCELLENTISSIMOS DOctores Medicos D. Petrum Beroaldum, & D. Paulum à pago, *Epiſtola* XXXI. *de ulcere profundo, doloroſo, & corroſiuo, cum maxima inflammatione, & puſtulis circum.*

FATEOR me plurimùm tibi excellentiſsime Paule debere, ac nihil quidem eſſe, quod tibi negare poſſim: téque etiam Petre Beroalde uir doctiſsime, ob tuam integritatem ſemper amare. Nunc, cum ex literis tuis mi Paule rogas, ut uobis ſignificare uelim, quid de eſſentia ægritudinis nobilis cuiuſdam ægrotãtis ſentiã, ac de modo curandi ipſam: quod ut uobis ſatisfaciam, libẽter id agam. Et primũ, ut ſcribitis, uir nobilis ætatis 70. annorũ, cõplexionis ſanguineæ, ac cholericæ à ſubdominio, ut moderniores quidam dicũt, malis, & plurimis humoribus plenus: hic die quarto Februarii cœpit ægrotare morbo cõmuni, & ſingulari, ſcilicet apoſtemate paruo in collo prope nuchã, ad quãtitatẽ unius ciceris, cum cruſta quadam, quod tãdem octo dierum ſpatio ſuppuratum fuit, ita ut pus exierit, deinde auctũ eſt poſt ſex dies ad magnitudinem nucis unius, circa quod apparuerũt quàmplurimæ puſtulæ, quæ & ipſæ ſanie (ut audio) plenæ erãt. Deinde ad ulcus ampliſsimũ poſt multa, tum per expertiſsimos chirurgos, tum etiã per excellentiſsimos Medicos adhibita, deuẽtum eſt, cũ maxima quantitate, nõ dixero ſaniei, ſed ſanguinis corrupti. Iſtis omnibus diligenter perpenſis, dico magnificum uirum apoſtema calidum paſſum eſſe, idq; de genere malorum apoſtematũ, quod carbonem uocãt, teſtimonio Galeni ſecũdo ad Glauconẽ, & Auicẽnæ tertia quarti. Qui quidem carbo fit à ſanguine malo craſſo uſto. Dicebat namque Galenus loco præallegato, Cùm uero ſanguis influẽs calidus ſufficiẽter extiterit, & craſſus, quodcũq; membrorũ ſubitò occupauerit, hoc cõburẽdo facit cruſtam. Quicquid uerò circũiacet in inflãmatione leuat, & ferueſcentem, grauémq; dolorem infert. Vocatur autem carbo huiuſmodi paſsio. Cum uerò ſanguis influens niger extiterit, craſſúsque, ac fęculẽtus, ac feruens, talis quem antè diximus, ſimúlque humiditates tenues nonnullas habuerit admotas, puſtulas quaſdã per ſumma cutis excitat, ſimiles iis quæ ex igne fiũt, quibus diſruptis cruſtoſum ulcus ſub ipſis inuenitur, etiam hoc carbo eſt, inflammationis quędã ſpecies. Hæc ſunt uerba Galeni quæ uolui recitare, ut ueſtræ Excellentiæ uideant quantum ægrotanti magnifico quadrẽt, neq; me egere amplius teſtibus de eſſentia prioris ægritudinis credo. Sed ſi ea, quæ de cancro (ut dubitatũ fuit) doctiſsimi tũ antiqui, tum etiã moderni ſcripſerũt, huic affectui accommodare uoluero, proculdubio non conueniunt. Quòd autem in pręſentia hominem moleſtat, ac Excellentias ueſtras timidas reddit, eſt ulcus doloroſum cũ quãplurimis puſtulis, ac maxima inflãmatione circa ipſum, ita ut neque digeſtum, neq; benignũ ſit, ſed potius ſerpens, profundum, ac non expoliatum à duritie quadã, & reliquiis ſanguinis mali aduſti, qui fuit materia prioris apoſtematis. Quę omnia cũ egeant regimine medicinali, quibúsnã ſcilicet remediis neceſſarium ſit uti, meam ſententiam in tali ulcere complicato, maligno, à me ſecundo loco petiiſtis. Quæ ut uobis morem geram, tametſi omnia notiſsima proculdubio eſſe credam, ea breuiſsimè explicare conabor, præmiſſo in primis regimine aëris, & aliorum, præſertim cibi, & potus, qui cibi omnino ad frigiditatẽ temperatã, & aliqualem ſiccitatẽ declinare debent, etſi ratione febris, humidæ diætæ conueniãt, nihilominus, cùm carbones à materia uenenoſa, & peſtifera fiant, & ulcus indigeat exiccatione aliqua, id melius eſſe uidetur, neq; inſtruere Mineruas cogito. Quare cum ſit plethoricũ corpus, ac malis humoribus plenum, hominem euacuatum ſecundum indigentiã à uobis in primis diebus fuiſſe non dubito, & etiam alterantibus, ſiue digerẽtibus ſyrupis quotidie uſum eſſe, & quoque cum quotidiana ſęcum inferioris uentris expurgatione, clyſteribus, uel alio ingenio exinanitũ. Quòd ſi uirtus fortis fuerit, mea eſſet ſententia ipſum euacuare pharmaco benedicto, uerbi gratia, cũ rheubarbaro infuſo in decoctione fructuũ, & electuario diacatholicone, uel caſsia, aut ſyrupo roſato ſolutiuo, ita ut ſine moleſtia uenter expurgaretur. Quibus præſuppoſitis, & factis, ad ulceris curã aggredior, quod cùm habeat ſibi dolorẽ complicatũ, præter alias complicationes, ab ipſa doloris ſedatione incipiẽdum erit, quæ cum ſit duplex, ſcilicet per amotionem cauſæ, uel per anodyna ſiue dolorem mitigantia, ab ipſis anodynis incipiẽdum erit, cum per amotionem cauſæ id in præſentia fieri non poſsit: quoniam nõ niſi tractu temporis cauſa amoueri poteſt, quę eſt ſolutio continui, & mala temperatura: ad quem mitigãdum dolorem, pręſentaneum auxilium eſt, inungere circũ circa ipſum ulcus, uidelicet totum collũ, & partes ſuperiores capitis unguento roſato Meſuæ. Nã in eo ſunt omnes intentiones, cum remittat caliditatem aduſtiuam, & ſua humiditate mediocri dolorem ipſum mitiget, obtundat etiã acuitatem doloris pũgentis ſua ipſa humiditate. Quare huiuſmodi inunctiò ſæpe fiat in die, & nocte. Quód ſi iſto auxilio dolor nõ leuetur, & iam trãſactum ſit tempus ægritudinum acutarum, ita ut potius credibile ſit huiuſmodi difficultatem mitigandi dolorem prouenire ex craſsitie materiei, & egere medicamine diſſoluente ſanguinem aduſtũ: fiat igitur inunctio cũ oleo roſato recenti, unguento roſato Meſuæ, & unguento dialthea Meſuæ. Neque timendum eſt de unguenti dialtheæ caliditate, quoniam remittitur per olei roſati, ac unguenti roſati admixtionem, & efficitur medicamen diſſolutiuũ ſanguinis craſsi, quod teſtatur diuus Meſue in propria deſcriptione dialtheę unguenti. Quòd ſi adhuc iſta inunctione non leuetur dolor, & locus nõ multum rubeus ſit, unge circa locum cũ duabus partibus unguenti dialtheę, & una olei roſati ſimul mixtis. At ſi locus tumidus fuerit, poterit præter prædictas linitiones applicari emplaſtrũ anodynum factũ ex iſtis: ℞. farinæ hordei ℥.3. de ſeminibus lini, fœnigræci ana ℥. 1. decoctionis foliorum maluæ, & radicum altheæ, quãtum ſatis erit, & fiat ex eis emplaſtrum, & in fine adde olei roſati ℥. 2. & extende ſuper pannum lini, ponéq; ſuper locum doloroſum, facta prius ſuperius dicta inunctione, ac poſitis in ulcere medicaminibus conuenientibus ſtatim dicẽdis. Poteſt etiam apponi emplaſtrum ex mica panis, & lacte cum croco, quoniam mitigat dolorem, & facit ad digeſtionẽ ſaniei ulceris. Et hæc de mitigantibus dolorem ſatis uiris doctiſsimis, & expertis. Vlcus uerò cũ ſit crudum, indiget digeſtione. Quare ego uellem, quòd illi expertiſsimi chirurgici componerent unguentũ digeſtiuum hoc modo: ℞. terebinthinæ lotæ ℥.3. uitellorũ ouorũ numero 3. olei roſati ℥.s. miſce, & fiat unguẽtum, & extẽdatur ſuper lichinia ex filis factum, & totum ulcus cooperiatur, poſtea ponant ex iſto unguẽto ſuper pannum (ut uocãt) lini, & cooperiatur totũ ulcus, mutetúrque bis in die, mane ſcilicet, & ueſperi, procedendo ſic, donec optima digeſtio apparuerit, quæ cognoſcitur per ſaniei albedinem, lenitatem, æqualitatem, ac mali odoris priuationem. Quòd ſi ſordidũ fuerit ulcus, habens ſcilicet partes quaſdam corruptas tenaces, mali coloris, & odoris, optimũ erit addere in dicto unguento digeſtiuo, quartam partem unguenti Aegyptiaci, & plus etiam, & minus, ſecundum maiorem, & minorem ſordiciei quantitatẽ. Poſtea mundificetur cum mũdificatiuo, facto ſic: ℞. terebinthinę, mellis roſati ana ℥.2. farinæ ordei ℥.1. myrrhę ℥.s. miſce, & fiat unguẽtũ, & ponatur, ut dictũ eſt, ſuper lichinia, mutetúrque bis in die. Quòd ſi aliquæ ſordicies fuerint, addẽdum erit etiã aliquid unguẽti Aegyptiaci, ut puta, ℞. ungẽti ſupradicti ℥. 1. Aegyptiaci. ʒ.1.s. miſce. Ac ſic procedere oportet uſque ad perfectam mundificationem, quæ cognoſcitur per bonitatem carnis, & paucitatem ſaniei uiſcoſę. Et quoniã, ut audio, ulcus cauum eſt, ac profundũ, & indiget medicaminibus carnem regenerãtibus, ideo poſt mũdificationem adminiſtrare oportet unguentum baſili-

con Domini Mesuæ,quod non sit cum pice,sed cum pice Græca. At si medicina magis regeneratiua carnis opus fuerit,addantur in dicto unguento basilico myrrha,sarcocolla, & cortices olybani, & similiũ,ut uerbi gratia:℞.unguenti basilici ℥.2.myrrhæ,sarcocollę,corticum olybani ana ʒ.2.misce & fiat unguentum,quo utẽdum est. Quòd si hoc unguentum carnem non regenerabit, quoniam ratione senectutis complexio sicca nimis fuerit,ut medicina siccior efficiatur,potest addi ʒ.1. uiridis æris in ipso unguento. Sic erit optima medicina in regeneratione carnis,quam regenerationem in senibus difficilimã esse credidit Trusianus Monachus tertio artis paruæ Galeni.Postremò ea conueniunt,quæ sigillationem, siue cicatricem faciunt loco deperditæ cutis, quæ minimè ex sententia Galeni regenerari potest. Quare ultimo loco procedatur, cũ unguento triapharmaco,uel cum isto:℞.unguenti triapharmaci,ceroti de minio ana partes æquales:misce,& fiat unguentũ,quo utendum est,mutãdo bis in die,scilicet mane,& uesperi. Et quoniã ulcus corrosiuũ, & deambulatiuũ annotatum fuit,ad prohibendum deambulationem,& corrosionem, quæ ambo ex nimia caliditate proueniunt, ideo inungere oportet circa ipsum ulcus, cum unguento isto: ℞.unguenti de lithargyrio nutrito de cerusa cãphorati,rosati Mesuæ ana ℥.1.misce,& fiat unguẽtum in mortario. Istud enim unguentum sua frigiditate,& siccitate remittet caliditatẽ acutam, ac humiditatẽ putrescibilem in membro detẽtam corriget. Possem & multa alia, tã ab antiquis, quàm à modernis scripta remedia annotare, quæ etiam facilime in libris medicorum apud doctissimos doctores inueniri possunt. Ideo ea silẽtio pertãsire uolui breuitati studẽs:& hęc tantũ quę experta,& rationi cõsentanea sunt scribere uolui,ut facilius uir nobilis per ea pristinam sanitatem acquirere ualeat.Sed quoniam Galenus,ac princeps Auicenna locis allegatis præponit uenæ apertionem tanquam necessariam ad perfectionem istius curæ:& Galenus loco allegato adamussim conditiones modósque mittendi sanguinẽ enumerauit:ideo si uirtus esset fortis,cum cõplexio,& corporis habitudo consentiant,tametsi ætas aliquo modo dissuadet,ac anni tempus, si dolor nõ remittitur ex superioribus iam dictis auxiliis,ulcúsq; malignetur,ac putridum, & corrosiuum efficiatur, meum esset consilium uenam cephalicam eiusdem lateris aperire ad quãtitatem,quam uirtus tolerare possit. Ac etiã locũ circũ circa ulcus sagittella scarificare, ita ut sanguis malus, qui iam in membro accumbit, per propriã loci euacuationem egrediatur,semper tamen remedia exiccantia, ac dolorẽ mitigantia apponendo:ex quibus inter cætera laudauit Galenus loco allegato emplastrum ex farina orobi,& oxymelite,ac uino dulci,uel acerbo, secundum maiorem,& minorem loci putredinem.Postremò si his omnibus administratis, minime tamẽ sanitatem habere possit, ultimum auxiliũ dixit Galenus, & nos sæpe illud experti sumus, est cauterium actuale, scilicet exiccare locum ulceratum,ac sordiciẽ remouere ferro candenti ignito.Quod enim ignis non sanat(dicebat Diuus Hippocrates) nihil sanat:& Auicenna cap.de cauterio, dixit cauterium esse medicamẽ ualde nobile, quod ualet ad prohibendum exparsionem corruptionis, & ad corrigendum membri complexionem malã, atque ad corroborandum uires ipsius,& ad dissoluendum materias malas in ipso membro detẽtas,& etiam ad sanguinis fluxum sistendum. Quare cæteris non cõferentibus, ad cauterium actuale deuenire necessarium erit.Hęc sunt quę pro temporis angustia breuiter in casu per literas ad me uestras scriptas respondere potui, multis negotiis medicinalibus impeditus. Deus ipse maximus,uia,salus, & ueritas,dirigat omnia secũdum ueram salutis uiam,sanitatémque largiri dignetur. Valete.Venetiis, M. D. XXXIX. Die XXV. Februarii.

## AD EXCELLENTISSImum Doctorem D. Antonium de Cotijs, Sancti Seuerini, Epistola XXXII.

### *Epitome totius dialecticæ.*

PETIS à me charissime Antoni, ut ad te scribere uelim principia illa compendiosa Dialecticæ,quæ aliàs tibi,dum esses Venetiis,declaraui: quod etsi mihi graue sit,quippe qui plurimis corporis laboribus omne ferè tempus cõficio,ut uix pusillum temporis ad scribendum supersit: ut tamen tibi gratificer, & aliqua ex parte tuis in me officiis satisfaciam, omissa longiori præfatiõe,quæ tibi præsenti iam uoce exposui, sic literis explicare incipiam. Dialectica est ars, & uia, siue diligens differẽdi ratio, quæ docet uerum à falso ratiocinando cognoscere,ut sæpe me audisti: quæ diffiniendo,diuidendo,& argumentando perficitur. Nam tunc diffinire dicunt dialectici, cùm aut rei essentiam exponunt,aut nomen describendo interpretantur.Diuidunt autem,cùm membra,aut partes enumerant. Sed argumentantur, quando aliam conclusionem ex præmissis rationibus deducunt. Ea uerò quæ à dialectico diffiniri primum solent,sunt dictiones,seu termini ( ut ipsi aiũt) propositiones,& argumentum. Diffiniũt terminum in primo ordine sumptũ sic: Termini sunt partes simplices propositionis,quæ aliquid omnino significant. uel, Terminus est, in quẽ resoluitur propositio.uel, Termini sunt ex quibus propositiões, seu oratiões constituũtur,ut exẽpli causa,Deus,Homo, Animal, Beatus, Felix, Miser,Sapiẽtia, Prudentia, Auaritia. & uerba etiam terminos uocant,ut sum,lego,& reliqua.Qui quidem terminus duplex esse dicitur,uidelicet cõmunis, & discretus. Cõmunis est,qui sub una uoce plura significat, aut significare potest,ut homo,sciẽtia,& similes. Discretus est,qui sub una uoce unum significat,uel significare potest,ut Petrus,Ioãnes,Maria,& similes.Sunt & quidam termini,qui dicuntur signa uniuersalia: & quidam,qui dicuntur signa particularia. Vniuersalia sunt,ut omnis, quilibet, nullus, nemo, & similes. Particularia, ut aliquis,quidam,alter,& similes. Præterea ex terminis cõstituentibus propositionem tanquam principales partes sui, quidam dicitur Subiectum, quidam Prædicatũ, & quidã Copula, seu Coniunctio:ut in hac propositione, Antonius est Medicus: subiectus quidẽ terminus in hac propositione est Antonius, & est ante copulã:prædicatus uerò est Medicus,& est post copulã:sed copula erit uerbum est,quoniam alterum cũ altero coniungit, &(ut aiunt Grammatici)est prima uel secũda,uel tertia pars,seu persona singularis, aut pluralis indicatiui modi,uerbi,sum,es,est. Sæpe tamen nõ omnes tres partes explicantur in propositione, sed intelligũtur: ut si dicã, Aristoteles docet, hic tãtùm subiectum, & uerbum exprimitur.Prędicatũ implicitũ est in uerbo,quod cognoscere potes,si uerbum,docet,resolues per uerbum sum, es,est,ac etiam participium,& dicas,Aristoteles est docẽs. At termini qui signa particularia, & uniuersalia dicuntur,ut omnis,nullus,aliquis,quidam,& similes termini,nec subiectum,nec prędicatum primum esse possunt. Propositio autẽ est oratio indicatiua, & perfecta, ex terminis constituta, significans aliquid esse, aut non esse:seu significans uerum,aut falsum,sine ambiguitate, ut homo est animal, & lapis est asinus: sicque dicimus propositionẽ aut uerã aut falsam esse. Vera est illa, quæ rẽ sicuti est significat,ut in exẽplo,homo est animal.Falsa est illa,quę rẽ significat alio modo quàm sit,ut in exẽplo,lapis est asinus. Ex dictis propositionibus quędam est enunciatiua simplex,uel ut dicunt logici categorica: & quædam coniũcta, quam Græci hypotheticã uocãt. Categorica,siue enũciatiua, est oratio una, ex subiecto, prædicato,& copula,ut Deus est omnipotẽs,quæ propositio uel est uniuersalis, uel particularis, uel indefinita, uel singularis. Vniuersalis propositio illa est, siue affirmatiua,siue negatiua fuerit,cuius subiectũ est terminus, siue dictio cõmunis, cui additũ est signũ uniuersale,ut omnis homo est animal, nullus homo est animal. Particularis est illa,quæ siue affirmet,siue neget,tantùm particulariter ponitur, & subiicitur terminus cõmunis determinatus signo particulari,ut, Quidã homo est medicus,& quidam homo non est medicus. Indefinita est illa,quæ sine nota paritatis, uel particularitatis, tã affirmando,quàm negãdo profertur:uel est illa cuius subiectũ sumitur absq; ullo signo,ut, Homo est animal, Homo nõ est animal.Singularis uerò est illa,quę indiuiduũ aliquod determinat,aut per propriũ nomẽ, aut per cõmune, addito pronomine demõstratiuo: & hoc tã affirmando,quàm negando,ut,Antonius est medicus,& hic homo est musicus: uel negando, ut Antonius non est medicus,& hic homo nõ est musicus. Præterea propositionum categoricarum, alia est affirmatiua, & alia negatiua. Affirmatiua illa est,quæ pronuntiat,aut constituit aliquid adesse subiecto,& illi attribuit,ut,Homo est rationalis.Negatiua est illa,quæ demit aliquid à subiecto,& propriè admouet prædicatum,ut,Homo non

est rationalis. De propositionibus etiam quæruntur tria, uel tres sunt interrogationes, uidelicet quæ sit, quãta sit, & qualis sit propositio. Cum uerò quæritur quæ sit propositio, quæritur an categorica, an hypothetica sit: & cum quæritur quanta sit, quæritur an uniuersalis, particularis, indefinita, uel singularis sit. Sed cum quęritur qualis sit, quæritur an affirmatiua, uel negatiua sit. Porrò propositiones quæ categoricæ dicuntur, quædã cum aliquibus conueniunt, & quædam non conueniunt. Conueniunt nempè tribus modis, uno quidem si sint eiusdem quantitatis, aut qualitatis: ut puta si una fuerit uniuersalis, alia etiã uniuersalis sit: similiter si una affirmatiua sit, & alia affirmatiua esse debet: pari modo de negatiua dicendum est. Secundo conueniũt propositiones, quando consimile subiectum, uel prædicatum habent, ut, Animal est substantia, homo est substantia: & animal est uiuens, homo est uiuens. Tertio conueniunt, quando sunt similes tã in subiecto, quàm in prædicato, ut, Aliquod animal est risibile, aliquod animal non est risibile. Non conueniunt propositiones, quę diuersæ tam in subiecto, quàm in prædicato sunt, ut Homo est animal, lapis est substantia, & similes. Sunt etiam quædam mutationes in propositionibus, quas conuersiones uocant: & est quotiens subiectum in prædicatum, uel prædicatum in subiectum conuertimus, quod fit dupliciter, hoc est, uel simpliciter, uel per accidens. Simplex conuersio est, quãdo mutatur subiectum in prædicatum, & pręedicatum in subiectum, manente in utraque propositione eamet quantitate, & qualitate, ut, omnis homo est risibilis: quæ conuertitur hoc modo, omne risibile est homo: &, quidam homo est risibilis, quoddam risibile est homo. Sed conuersio per accidens non ex omni parte sic fit: nam conuertuntur per accidens propositiones, quando mutatur subiectum in prædicatum, & prædicatum in subiectum, remanente in utraque propositione eadem qualitate, sed uariata quantitate: & hæc fit tantummodo in duabus propositionibus, scilicet in uniuersali affirmatiua, & in uniuersali negatiua, quæ conuertuntur in particularem suæ qualitatis: ut uerbi gratia, in affirmatiua si dixeris, omnis homo est risibilis: conuertitur per accidens, dicendo, quoddam risibile est homo. Similiter & uniuersalis negatiua conuertitur, ut, nullus homo est lapis: dicendo, quidam lapis non est homo. Per hanc eandem conuersionem conuertitur particularis affirmatiua, & indefinita, & singularis. Illud tamẽ animaduertendum est, quòd in particulari negatiua non fit conuersio propriè, & hoc quoniam posset uera propositio in falsam conuerti, ut in hoc exemplo, quoddam animal non est homo: eius conuersio esset, quidam homo non est animal: & quoniam falsa est conuersa, ideo non debet talis propositio conuerti. Præterea etiam quæ dicta sunt in propositionibus, quæ faciunt ad cognitionem ueritatis, & falsitatis, operæpretium est scire, quomodo inter se propositiones uel pugnent, uel conueniant. Vnde sciendum est in propositionibus concordantibus in simili subiecto, & prædicato, esse quatuor oppositiones, uidelicet, contrariã, subcontrariã, contradictoriã, & subalternã. Contrariæ itaque sunt duæ uniuersales, quarum altera est affirmatiua, & altera negatiua, ut dicendo, omnis homo est animal, & nullus homo est animal: hæ ueræ nunquam simul esse possunt. Attamen falsæ esse possunt, præsertim si ambæ sint in materia contingente, ut, omnis homo est medicus, nullus homo est medicus: istæ sunt contrariæ, & falsæ, cum sint contingentes. Subcontrariæ duæ particulares, quarum altera affirmatiua, & altera negatiua est, concordantes in subiecto, & prædicato, ut, quidam homo est animal, & quidam homo non est animal: hæ quidem simul ueræ esse possunt in materia contingente: in materia necessaria (ut in exemplo) si altera est uera, altera falsa est. Contradictoriæ oppositæ sunt uniuersalis affirmatiua, & particularis negatiua: uel uniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua: ut omnis homo est animal, quidam homo non est animal: uel nullus homo est animal, quidam homo est animal. Hæ uerò ita inter se discordant, ut nunquam simul aut ueræ, aut falsæ esse possint. Sunt etiam contradictoriæ particularis affirmatiua, & negatiua, aut duæ singulares, ut Petrus est homo, Petrus non est homo. Subalternæ postremò sunt, uniuersalis affirmatiua cum sua particulari affirmatiua, & uniuersalis negatiua cum sua uniuersali negatiua: quæ non dissentiunt, sed sunt uel simul ueræ, uel simul falsæ, ut, omnis homo est animal, aliquis homo est animal: & in negatiua, ut, nullus homo est animal, & quidam homo non est animal. Præterea sciendum est, quòd duo extrema in propositione categorica sunt subiectum & prædicatum, à quibus fiunt denominationes bipartitæ in propositionibus, dicendo, quòd propositio categorica quædam est de extremo disiuncto, & quædam de extremo copulato: Categorica de extremo disiuncto est illa, in cuius subiecto, uel prædicato ponunt terminum, uel notam disiunctiuam, ut homo, uel lapis est animal: uel sic, homo est animal, uel lapis. Categorica de extremo copulato est illa, in cuius subiecto, uel prædicato ponunt terminum, seu notam copulatiuam, ut, homo & asinus sunt animalia: uel dicendo, homo est, & medicus. Sed animaduerte, quòd aliquando categorica est de utroque extremo, uidelicet disiuncto, & copulato: & aliquando alterum extremorum est disiunctum, & alterum copulatum, ut uerbis dialecticorum utar: & ne oratio nimis in epistola prorogetur, hæc de categorica satis dicta sint. Et hypotheticam sic persequar, quæ ex pluribus categoricis constat. Est itaque propositio hypothetica oratio, quæ ex duabus aut pluribus categoricis, uel simplicibus tanquam principalibus partibus suis constat, coniunctione omnino aliqua, uel aliquo æquiualente simul uniente, ut, Homo est animal, & terra est immobilis. Hanc uerò Latini suppositoriam, & conditionalem uocant: & sunt sex species, uidelicet, copulatiua, disiunctiua, conditionalis, rationalis, temporalis, & localis. Quæ tamen ad tres restringuntur, hoc pacto: quoniam constituitur per connexionem, uel per disiunctionem: rursus per connexionem uel per copulationem. Porrò per copulationem fit, ut ea quæ copulatiua coniunctione connectitur. Et per connexionem, ut ea quæ per quandam coniũctionem duarum, au pluriũ una fit. Sed ut melius intelligas, enumerabo omnes secundum sex priores modos, quorũ primus est copulatiuus. Copulatiua itaque est illa, in qua sunt duæ categoricæ coniũctæ per particulã copulatiuam, ut, Homo est animal, & animal est substãtia. Disiunctiua est illa, in qua sunt duæ categoricæ unitę per coniunctionẽ disiũctiuam, ut Homo est animal, uel substantia est ens. Cõditionalis est illa, in qua duæ categoricæ coniunguntur per notam, seu particulam conditionalem, ut, si Homo currit, animal currit. Rationalis est, quãdo duę propositiones categoricę cõiunguntur per particulam igitur, uel ergo: ut dicendo, animal currit, ergo mouetur. Temporalis est illa, in qua duæ categoricæ coniunctæ sunt, cũ aliqua particula tẽpori deseruiens, ut, Homo sanus est, quando omnes operatiões incolumes apparẽt. Postremo localis est illa, quæ habet duas categoricas coniunctas, cum aliqua particula locum describẽte, ut, ubi est dolor, ibi morbus est. Et quoniam dialectica ueritatem in sermone, & falsitatem in eo cognoscere docet, ideo non sine emolumento notabis, ad hoc ut copulatiua sit uera, est necessum ambas categoricas ueras esse. Quapropter in hypothetica quando aliqua categoricarum est falsa, dicitur falsa secũdum illam partẽ: ut dicendo, homo est animal, & homo est asinus: & cũ secunda propositio sit falsa, dicitur ista copulatiua falsa tota, quoniam habet unam partem falsam. Sed ut disiũctiua sit uera, sat est aliquam earum propositionũ esse ueram, ut dicẽdo, Homo est animal, uel asinus nõ est lapis. Sicque patet, quòd si in disiunctiua una pars sit uera, tota uera esse dicitur propositio. At ad eius falsitatẽ, quòd omnes suæ propositiones sint falsę necessariũ est, ut si dixero, Homo est irrationalis, uel lapis est animal. Ad ueritatem uerò conditionalis, oportet ut antecedẽs esse non posit sine consequẽte, ut, tu es homo, ergo tu es animal: quod uerum erit, si consequẽtis oppositum repugnet antecedenti: & eius falsitatẽ cognosces si oppositum consequentis stare posit cum antecedẽte, uel quòd antecedens posit esse sine consequente. Adhuc sciẽdum est, quòd omnis propositio uel est necessaria, uel posibilis, uel imposibilis, uel contingens. Necessaria illa est, quæ taliter uera est, ut aliquo modo falsa esse nõ posit, ut, Deus est omnipotẽs, Deus est bonus, Deus est causa causarũ, Homo est rationalis, & similes. Posibilis est illa, quę ad utrũq; se habet, uidelicet quę potest esse, & non esse uera, ut, Homo erit medicus, Homo nõ erit musicus. Sed animaduerte ꝙ illud potest esse, est

præsens,

præsens,& significat rem in præsentia sic esse, nō possibilis nisi de modo, quoniam de esse facto est necessaria: quod si futurū denotet, est possibilis. Impossibilis est illa, quę rem significat eo modo quo minime esse potest, ut dicendo, Homo est lapis, uel Homo non est animal. Contingens est illa, quæ potest esse, ut quoniā aliàs ita fuit, sed tamen non est necessariū, ut, scholaris erit doctor, & puer erit uir. Et eodē modo in reliquis. Et quoniam propositiones fiunt ex uocibus, siue terminis, qui habent quosdā gradus, quibus cōmuniores terminos à minus cōmunibus discernuntur. Quare eas uoces, & gradus enumerare post istas plurimum ex usu erit. Qui quidem gradus in primis sunt quinq;, uidelicet, genus, species, differētia, propriū, & accidens. Genus est, quod prædicatur de pluribus differentibus specie: & Species est, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero: & Differētia est, quæ prædicatur de pluribus, & est constitutiua certā speciem, & facit eā ab aliis differre. Proprium est id quod uni tantū conuenit, alteri uero minime, ut risibile homini tantū propriū est. Accidēs postremo est quod adest, & abest præter subiecti corruptionem: uel est quod per se, nec in se existere potest. Sunt & decē præterea prædicamenta, quæ uoces simplices existunt, & rerū omniū principia denomināt, & sunt hæc, uidelicet substātia, quātitas, qualitas, relatio, actio, passio, situs, quando, ubi, & habitus. Dialectici uerò qui uoce, seu propositionibus res exprimunt, dicunt substantiam esse per se subsistentē, & alio non egentem. Quare dicunt uoces quasdam substantiā significare, in qua substantia cætera nouem prædicamenta inhærent, uerbi gratia, ut hic homo, species, & genera. Post primam, & secundā substantiā est & uox quantitatē significans, & est id per quod substātia mensuratur, ut linea, superficies, & corpus, & aliæ, quæ cōtinuæ quantitates dicuntur. Est etiam & discreta quātitas, ut numerus & similes. Qualitas uerò, est id, quod unūquodque secundum illud quale dicitur, ut albū, nigrū, musicus, & medicus, & similes. Relatio autē, seu ad aliquid, est id quod eius esse ad alterū refertur, ut pater ad filium, dominus ad seruum. Actio quidem, est id quod agere significat, ut calefactio, frigefactio, uel calfacere, et refrigerare. Sed Passio est illatio, siue affectus actionis, ut calfieri, & refrigerari. Situs uerò appositione denominatiuè dicitur, quoniam sic stare dicitur à tali statione, ut sedere, iacere, & similes. Porrò Quando in tempore esse significat, ut in die esse, uel nocte, uel mense, uel anno, & similes. Vbi similiter in loco esse significat, ut in domo, in foro, in platea, & similes. Postremò Habere est quod extrinsecus adueniens significat, & minime innatū est, sed est aliud ab ipso à quo habetur, ut, habere uestem, esse armatum, & calceatū esse, uel similes: siquidem prædicamenta omnia in primo subsistūt, tanquā in alio, & hoc quoniam esse accidentis in substātia est. De huiuscemodi uocibus, & numero primam laudem Aristoteli tribuunt: sed quicquid de hoc sit, mira est prædicamentorum doctrina ad omnes scientias, & artes inuestigandas, & cognoscendas, quod experiri poteris in ægrotis (cum sis medicus) quantū utilitatis ad perfectā cognitionem faciat. Porrò etiā in morbis ad amussim cognoscendis ordo prædicamentorū mirè cōducit: nam cum accedens ad ægrum, si per ea discurres, proculdubio nihil ultrà excogitari poterit, quæ ad perfectā morbi cognitionem faciant, & hoc ut in primis substātiam eius excutias, & tametsi morbus accidēs sit impropriè, tamen substantiam morbi Medici sæpissime dicunt. Quā substantiam cognosces, si primū quid sit morbus inuestiges, uidelicet an sit mala temperies, mala compositio, uel unitatis solutio: deinde quātitatem inuestigare operæpretiū erit, an scilicet magnus, paruúsue sit. Tertio quod inuestigandū uenit est Qualitas, ut si mala fuerit temperies, an sit febris, & an mali moris, uel nō, uel alia. Quarto est relatio an proportionata, uel non proportionata, uel similis, uel dissimilis alteri sit. Quinto ubi sit primò, nam mala temperies, quæ febris dicitur, primo in corde est. Sexto quādo, uidelicet in quo anni tempore, quibusq; horis affligit, uel in qua ætate. Septimo, quæ sit caloris actio, & quid efficiat. Octauo, quæ sequantur in ægro, & quæ sit tolerantia. Nono, etsi situs non propriè ad morbum attineat: Situs etiam morbi naturam sæpe ostendit. Similiter de habitu dicendum, quòd etsi non ad morbi cognitionem faciat, qualia sint indumēta, uel corporis totius, uel unius mēbri, utputa capitis: in cura tamen plurimū prodest. Ex his sane colligere potes, quam utilitatem afferat prædicamentorū cognitio, & enumeratio in optima rerum indagatione. Sed quoniam sæpissime sapientes una pro alia uoce uti solent, ideo suppositiones Dialectici sic declarant: Suppositio est, quando unam uocem pro alia ponunt: uel sic, Supponere est unā, pro alia uoce ponere. Et sunt plures: nam quædam dicitur materialis, & quædā formalis: quæ formalis diuiditur in formalē propriam, & impropriā: propria deinde in simplicē, & personalem: & personalis diuiditur in discretā, & cōmunem: cōmunis postea in determinatā, & confusam: sed confusa in confusam collectiuā, & confusam non collectiuā: collectiua deinde in confusam tantùm, & confusam distributiuam: ultimo confusa distributiua diuiditur in absolutam, & accommodam. Has uolui enumerare suppositiones, quoniam sæpissime in disputationibus dialectici, & sophistæ illis utuntur. Hactenus mi Antoni de simplicibus propositionibus, quæ tanquam elementa argumētationum existūt, dixi. Nunc de ipsis argumentationibus, ut omnia habeas quæ ego tecum locutus sum, cum aderas, scribam. Et primū te scire oportet, argumentationem esse aggregationem ordinatam propositionum, ex quibus institutam, seu quæsitam conclusionem colligere licet, ut, Homo est animal, ergo est sensibile. Sunt autem species argumētationis quatuor, uidelicet, Syllogismus, Enthymema, Inductio, & Exemplum. Sunt & præter has probationes, postea demonstrationes, de quibus aliqua tibi etiā breuissimè annotabo. Primum sic de Syllogismo: Syllogismus est oratio, in qua ex duabus propositionibus præmissis in debito modo, & figura, necessariò conclusio sequitur, ut, omnis homo est animal, omne risibile est homo, ergo omne risibile est animal: præmissæ sunt duæ primæ propositiones, tertia quæ sequitur est conclusio: primā propositionem Dialectici maiorem, secundam minorem uocant, ex istis conclusio sequitur. Quæ tertia non est syllogismi pars, sed sequens ad syllogismum. Porrò in syllogismo tres termini, seu uoces sunt, uidelicet maior, & minor extremitas, & medius terminus. Maior illa est, quæ tantum in prima propositione ponitur. Minor est, quæ in secunda tātum ponitur. Medius uerò terminus, est illa dictio quæ in utraq; pronuntiatur, uel est illa quæ bis ante conclusionem ponitur, uidelicet semel in maiori, & semel in minori extremitate, sicque duæ sunt propositiones, cum medius terminus bis exprimitur. Quòd si ex pluribus quàm tribus terminis constet syllogismus, proculdubio ille uitiosus erit. Præterea terminus medius nunquam in conclusione ingreditur, cum conclusio ex maiori, & minori extremitate fiat, ut in hoc syllogismo uidere potes, uidelicet, Homo est animal, Franciscus est homo, ergo Franciscus est animal. Ad hæc notabis, quòd ex conclusionibus quædam sunt directæ, & quædā indirectæ. Directa est illa, in qua maior extremitas prædicatur de minori. Præterea ad hoc ut syllogismus bonus sit, operæpretiū est ut sit in figura, & modo. Figura autem est debita coordinatio terminorum subiecti ad prędicatū: & sunt tres: & quælibet earum figurarum habet suos modos. Modus autē in figura est congruus ordo terminorum, tam in quantitate, quàm in qualitate. Etenim Dialectici ad faciliorem ordinē quatuor literas uocales posuerunt, quantitatem propositionū significantes, & sunt A, E, I, O. A, uero uniuersalem affirmatiuam significat. E, uniuersalem negatiuam. I, particularem affirmatiuā. O, particularem negatiuam. Pręter has omnes, obseruare etiam oportet in omnibus figuris in genere, has quinque leges. Prima quidem est, quòd in quocunq; syllogismo ex præmissis omnino aliqua sit uniuersalis, & hoc quoniam ex solis particularibus non fit uerus syllogismus. Secunda est, quòd aliqua ex præmissis sit affirmatiua, non enim ex solis negatiuis proba sequitur conclusio. Tertia est, quòd si aliqua ex præmissis fuerit particularis, conclusio quoque particularis erit: non tamen si aliqua fuerit uniuersalis, sequitur conclusio uniuersalis. Quarta est, quòd si conclusio negatiua fuerit, necesse est, ut aliqua præmissarum negatiua sit: & econtra, si affirmatiua fuerit. Vltima est, quòd in nulla figurarum medius terminus in conclusione ingreditur. Sunt autem figuræ Syllogismorum tres, & modi decem, & nouem, & continentur carminibus quibusdam à neotericis dialecticis, tum ad memoriam, tum ad faciliorem do-

ctrinam excogitatis,& ſunt hæc:Barbara,Celarent,Darii,Ferio,Baralipton,Celantes,Dabitis,Fapeſmo,Friſeſomorum,Ceſare,Cameſtres,Feſtino,Baroco,Darapti,Felapton,Diſamis,Datiſi,Bocardo, Feriſon.In unaquaque iſtarum dictionum,eſt ex quatuor dictis literis uocalibus( quæ paulò ante dictæ ſunt)una ter,uel bis,uel ſemel poſita:uel ſunt duæ,uel tres,uel omnes quatuor, quę denotant quātitatē propoſitionū uniuſcuiuſq; ſyllogiſmi in unaquaq; figura,ut uidebis paulò poſt,eos omnes enumerando.Prima quidē figura eſt illa,in qua ſubiectum in maiori propoſitione eſt prædicatum in minori,& illa dictio quæ bis repetita eſt,& non ingreditur concluſionem, erit terminus medius,ut,Omnis homo eſt animal,omne riſibile eſt homo,igitur omne riſibile eſt animal.Modi uerò iſtius primæ figuræ ſunt nouem,quorum quatuor directe cōcludunt, quinque reliqui indirecte. Primi quatuor directe concludentes continentur in primis quatuor dictionibus dictorum carminum,uidelicet,Barbara, Celarent, Darii, Ferio.Etenim primus qui in dictione Barbara cōtinetur,in qua A,litera uocalis ter ingreditur,denotans quod talis ſyllogiſmus habet duas præmiſſas uniuerſales affirmatiuas,& concluſionem pariter uniuerſalē affirmatiuam, quæ per tres uocales literas in hac dictione deprehēditur,ut,Omne animal eſt ſubſtātia,omnis homo eſt animal,ergo omnis homo eſt ſubſtantia.In hoc exemplo uides quomodo concluditur concluſio uniuerſalis directa,ex præmiſsis uniuerſalibus.Secūdus modus, qui in dictione Celarent,cōtinetur,quæ dictio habet in prima ſyllaba E,uocalem,& in ſecunda A,& in tertia iterum E,hic modus fit ex præmiſſa maiori uniuerſali negatiua,& ex minori uniuerſali affirmatiua,quæ concludunt uniuerſalē negatiuā,ut,Nullū animal eſt lapis,omnis homo eſt animal,ergo nullus homo eſt lapis.Tertius modus cōtinetur in dictione,Darii,quæ dictio habet in prima ſyllaba A,& in ſecunda & tertia I,fit in eo ſyllogiſmus ex maiori uniuerſali affirmatiua,& minori particulari affirmatiua,quæ cōcludunt particularē affirmatiuam,ut,Omnis homo eſt animal,Frāciſcus eſt homo,igitur Franciſcus eſt animal. Quartus modus in dictione,Ferio,in qua E,eſt in prima ſyllaba,& in ſecunda I,& in tertia O.ex quibus ſyllogiſmus fit,ex maiori uniuerſali negatiua,& ex minori particulari affirmatiua,concludētes particularē negatiuam,ut,Nullum animal eſt lapis,Franciſcus eſt animal,ergo Franciſcus nō eſt lapis.Modi uerò quinq; primæ figuræ,indirecte cōcludentes cōtinentur in quinq; dictionibus ſubſequentibus,uidelicet,Baralipton,Celantes,Dabitis,Fapeſmo, Friſeſomorum.Baralipton habet tres primas uocales, quæ faciunt præmiſſas ſyllogiſmi indirecte cōcludētis, ex duabus præmiſsis uniuerſalibus affirmatiuis facientibus cōcluſionem particularē affirmatiuam,ut,Omne animal eſt ſenſibile, omnis homo eſt animal, ergo quoddam ſenſibile eſt homo.In quarta uerò,& ultima ſyllaba iſtius dictionis Baralipton,eſt O,uocalis,quę litera non debet aliquo modo ad formandū ſyllogiſmū, & inducendā cōcluſionem ponderari,quoniam adiecta eſt ad carminis metrum.Hoc idē dicendū eſt in aliјs dictionibus,quæ plures quàm tres uocales iam dictas habent,ut uides in dictione Friſeſomorum,quoniā tantùm tres priores enumerari debēt.Celantes habet tres uocales,in prima ſyllaba eſt E,in ſecunda A,in tertia iterum E.fit in hac dictione ſyllogiſmus ex maiori uniuerſali negatiua,ex minori uniuerſali affirmatiua,quæ cōcludunt uniuerſalē negatiuam,ut,Nullum animal eſt lapis,omnis homo eſt animal,igitur nullus lapis eſt homo.Dabitis,habet primam uocalē A,& duas ſequentes I,& ideo ſyllogiſmus in hac dictione conſtat ex maiori uniuerſali affirmatiua,& minori particulari affirmatiua,concludentibus particularē affirmatiuā,ut,Omne animal eſt ſenſibile,homo eſt animal,ergo quoddam ſenſibile eſt homo.Fapeſmo,habet A,E,& O,uocales,& idcirco ſyllogiſmus ex hac dictione cōſtat ex maiori uniuerſali affirmatiua,& minori uniuerſali negatiua,quæ cōcludunt particularem negatiuam,ut,Omne animal eſt ſubſtantia,nullus lapis eſt animal,ergo quædam ſubſtantia nō eſt lapis.Friſeſomorū,in hac dictione ſunt tres primæ uocales,I,E,O,quæ denotāt ſyllogiſmum conſtare ex maiore particulari affirmatiua, & minore uniuerſali negatiua,concludentibus particularem negatiuam,ut,Quidam homo eſt animal,nullus equus eſt homo,ergo quoddam animal nō eſt equus.

Ex dictis in hac prima figura uides duas conditiones, quarum prima eſt,quod in ipſa concluduntur omnes propoſitiones,uidelicet uniuerſalis affirmatiua,& uniuerſalis negatiua,Particularis affirmatiua,& particularis negatiua.Secunda eſt,quòd medius terminus in maiori propoſitione eſt ſubiectum,& in minori eſt prædicatum.Hi uero quinq; modi indirecte concludentes reducuntur ad primos quatuor directè facientes concluſionem,ſi eos probare, & bonos oſtendere uelimus. Etenim Baralipton ad Barbara reducitur per conuerſionem concluſionis per accidens:Celantes ad Celarēt cōuertitur, ſi concluſio conuertatur ſimplici conuerſione:Dabitis ad Darij conuertitur,ſi concluſio ſimpliciter cōuertatur: Fapeſmo ad Ferio reducitur,conuertendo maiorem extremitatem per accidēs:Friſeſomorum ad Ferio etiam conuertitur,ſi maior conuertatur ſimplici conuerſione.At ſecunda figura continet quatuor modos directe,& negatiue concludentes,& in ea fit ſyllogiſmus in quo medius terminus,qui in maiori propoſitione eſt prædicatum,etiam in minori prædicatū eſt, & in omnibus ſuis ſyllogiſmis maior uniuerſalis eſt, ut,Nullus lapis eſt animal,omnis homo eſt animal,igitur nullus homo eſt lapis.Quatuor etenim modi declarantur in quatuor dictionibus iſtis,uidelicet,Ceſare,Cameſtres,Feſtino,Baroco. Primus quidem modus tres uocales habet,ſcilicet,E,A,E,quæ denotant fieri in ea ſyllogiſmū ex maiori uniuerſali negatiua,& minori uniuerſali affirmatiua, facientes concluſionem uniuerſalem negatiuam,ut in morali hoc exemplo,Nullū uitium eſt uirtus,omnis iuſtitia eſt uirtus,ergo nulla iuſtitia eſt uitium.Secundus uerò modus exprimitur per dictionem Cameſtre,& habet A,E,& E,literas uocales,ex quibus ſyllogiſmus fieri denotatur ex maiori extremitate uniuerſali affirmatiua,& minori uniuerſali negatiua:quæ uniuerſalem negatiuam concludūt,ut, Omnis homo eſt animal,nullus lapis eſt animal,igitur nullus lapis eſt homo.Tertius modus continetur in dictione Feſtino,quæ habet E,I,O,literas uocales,& ideo facit ſyllogiſmum ex maiori uniuerſali negatiua,& minori particulari affirmatiua,cōcludendo particularem negatiuam,ut,Nullus lapis eſt homo,Franciſcus eſt homo,ergo Franciſcus non eſt lapis.Quartus in hac ſecunda figura modus,ſignificatur per dictionem Baroco,in qua ſunt uocales literæ,A,O,O,denotantes ſyllogiſmū ex uniuerſali maiori affirmatiua,& particulari minori negatiua,fieri concludentibus particularem etiā concluſionem negatiuam,ut,Omne animal eſt ſenſibile,lapis non eſt ſenſibilis,igitur lapis non eſt animal.Hi etiā quatuor modi ſecundæ figurę reducuntur ad proprios primos modos primæ figuræ,hoc modo:Ceſare,reducitur ad Celarent,ſi maior extremitas per ſimplicē conuerſionem conuertatur:Cameſtre,quoq; ad Celarēt reducitur,conuerſa ſcilicet maiore per ſimplicem cōuerſionem,& concluſionem quoq; per eādem ſimplicem conuerſionem,tranſponendo tamen minorem extremitatem in maiorem, & maiorem in minorem. Feſtino reducitur ad Ferio, conuerſa ſcilicet maiore per ſimplicem cōuerſionem.Baroco,quartus modus iſtius figuræ,reducitur ad Barbara, per impoſsibile: etenim reducunt Dialectici ad impoſsibile accipiendo oppoſitum concluſionis unà cum altera præmiſſarum,& ex his mutatis inferunt oppoſitū alterius præmiſſæ.Tertia poſtremo figura continet ſex modos, qui habent terminum medium ſubiectum,tam in maiori, quàm in minori extremitate, & ſemper faciunt concluſionem particularem,& eius minor extremitas affirmatiua eſt. Dictiones in ea ſunt hæc, Darapti, Felapton, Diſamis,Datiſi,Bocardo, Feriſon.Primus uero modus, Darapti, habet literas uocales, A,A,I,& ideo ſyllogiſmus in eo fit ex maiori uniuerſali affirmatiua,& minori uniuerſali affirmatiua,concludentibus concluſionem particularem affirmatiuam,ut,Omnis homo eſt ſubſtantia, omnis homo eſt animal,igitur quoddam animal eſt ſubſtantia. Secundus autem modus habet dictionem Felapton, quæ continet E,A,O,literas uocales,& ideo eius ſyllogiſmus formatur ex uniuerſali maiori negatiua, & minori uniuerſali affirmatiua, atq; concluſione particulari negatiua,ut,Nullus lapis eſt uiuens,omnis lapis eſt inſenſibilis, igitur aliquod inſenſibile non eſt uiuens. Tertius modus qui habet dictionem Diſamis,in qua ſunt uocales,I,A,I,fit in eo ſyllogiſmus ex maiore particulari affirmatiua, & minori

nori uniuerſali affrmatiua, concludentibus particularem affirmatiuam,ut, Quidam homo eſt ſubſtãtia,omnis homo eſt animal,ergo quoddam animal eſt ſubſtãtia. Quartus habetur in dictione Datiſi, quæ habet uocales literas,A,I,I, & facit ſyllogiſmũ ex maiori uniuerſali affirmatiua,& minore particulari affirmatiua, concludẽtibus particularem affirmatiuã,ut, Omnis homo eſt ſubſtantia, quidam homo eſt animal, ergo quoddã animal eſt ſubſtantia. Quintus præterea modus formatur in dictione Bocardo, in qua ſunt tres uocales literæ, ſcilicet,O,A,O,& fit in ea dictione ſyllogiſmus ex particulari negatiua maiore, & uniuerſali affirmatiua minore, facientibus concluſionem particularem negatiuam,ut, Quidam homo non eſt lapis,omnis homo eſt rationalis,igitur quoddã rationale nõ eſt lapis. Sextus & ultimus modus habet dictionẽ Feriſon, in qua ſunt uocales literæ, E,I,O, in eo autem fit ſyllogiſmus ex maiore uniuerſali negatiua,& minore particulari affirmatiua cõcludentibus particularẽ negatiuã, ut, Nullũ animal eſt lapis, quoddã animal eſt ſenſibile, ergo quoddam ſenſibile non eſt lapis. Reducuntur quocꝫ omnes iſti ſex modi tertiæ figuræ ad quatuor modos primos primæ figuræ. Et primo Darapti reducitur ad Darij,conuertendo minorem propoſitionem per accidens:Felapton ſimiliter reducitur ad Ferio, ſi conuertatur minor per accidentalem conuerſionem:Diſamis ad Darij reducitur,ſi maiorem cõuertes ſimpliciter, & cõcluſionem etiam,deinde tranſponas præmiſſas, ita ut minor efficiatur maior,& maior conuerſa per ſimplicem conuerſionem minor deueniat. Datiſi reducitur ad Darij, minore propoſitione per ſimplicem conuerſionem conuerſa. Baroco tamen per impoſsibile ad Barbara reducitur. Quomodo uerò per impoſsibile reducatur, ſuperius declaraui in reductione Baroco. & hæc ſatis ſint de legibus,& modis ſyllogiſmorum. Sed ne aliqua ex parte regulæ dialectices deficiant, ſequitur ut de enthymemate,& reliquis modis argumentorũ ſubſcribam, ordine ſuprà diſpoſito. Enthymema igitur eſt argumentationis modus,in quo una tantum præmiſſarum exprimitur,ex qua concluſio colligitur. uel, Enthymema eſt ſyllogiſmus mutilatus, omittendo aut maiorem, aut minorem propoſitionem,ut,omnis homo eſt animal, igitur Franciſcus eſt animal. in hac minor deficit,& maior ponitur. Prima propoſitio dicitur antecedens,ſecunda dicitur conſequens. Inductio autem eſt argumentationis modus,in quo ex multis ſingularibus,uniuerſalis propoſitio colligitur,ut, Petrus eſt rationalis, Franciſcus eſt rationalis, Antonius eſt rationalis, & ſic de aliis indiuiduis iſtius ſpeciei:igitur omnis homo eſt rationalis. Poſtremus modus argumentãdi eſt exemplũ, per quod arguitur ab uno particulari ad aliquod aliud ſimile,ut,ſi rheubarbarũ cholerã in Frãciſco euacuauit, euacuabit quocꝫ choleram in Antonio: &, ſi Frãciſcus qui legit Galenũ medicus euaſit,& Antonius qui leget, euadet medicus. Et quãquã id quod de Enthymemate pauló antè dixi,cõmode ad conſequentiarum modernorum argumentandi modum accõmodari poſsit, ne tamen aliqua ex parte in rebus cõmunibus modernis Dialecticis tibi deficiam,notabis principia conſequentiæ eſſe antecedentes propoſitiones, à quibus inferuntur concluſiones,in hoc modo argumentãdi:& eſt conſequentia quidam modus argumẽtandi, in quo eſt antecedens, & conſequens, cum particula illatiua conſequentiæ, ut, homo eſt animal, igitur homo eſt uiuens: uel ſic dicendo,eſt rationalis,ergo intellectiuus:antecedens eſt homo, conſequens eſt animal:nota illationis eſt,igitur. Similiter & in ſecundo exemplo. Omnes tamen modi ſyllogiſmorũ ſuperius dictorũ,atque enthymematum, inductionũ, exemplorũ, & conſequentiarum,ſi conſequentia differt ab enthymemate,probabiliter exponunt,non tamen certam cauſant ſcientiã, niſi addantur quædã peculiares proprietates,& leges præmiſsis propoſitionibus. Ex quibus ſic modificatis fiant ſcientificæ demonſtrationes. Etenim demonſtratio eſt manifeſtatio rei ignotæ per aliquod notũ,& fit per ſyllogiſmum facientem ſcire, & ille ſyllogiſmus maxime ſcientialis eſt,qui in primo modo primæ figuræ fit: ſed cæteri ſyllogiſmorũ modi deſeruiunt aliis demonſtrationibus, quæ non ſunt potiſsimæ, & ita propriæ demonſtrationes ut aiunt Dialectici. Enimuero nihil demonſtrari poteſt, niſi ex ueris demõſtratio fiat:& hoc quoniam tantummodo uerũ cõtingit ſcire, & tametſi ex falſis propoſitionibus concluſio aliquando procedat,illa tamen ex hoc ſcita nõ erit:nã ea per quę ſcientia in nobis aggeneratur,oportet ut ſint magis uera,atque magis nota nobis,& ita nota ut ſint cauſæ cõcluſionis: quoniã cauſæ ſunt priores,& notiores ſuis effectibus. Item cauſæ quæ in demonſtratione ſumuntur (cũ ſcire ſit per cauſam cognoſcere)operæpretiũ eſt, ut ſint concluſionis quæſitæ cauſæ:nam demõſtratori ſemper neceſſe eſt, ut ex propriis procedat principiis immediatis,& neceſſariis,ac etiam quæ ſint de omni poſterioriſtico,ut uerbis modernorum Dialecticorum utar, qui dicunt de omni eſſe quod prædicatur uniuerſaliter, & ſemper de altero, per ſe. Porrò demonſtrationes, aut procedunt per cauſas ad effectũ, & dicuntur propter quid:aut per effectum ad cauſam, & dicuntur demonſtrationes quia. Eſt & tertia uia, ſiue modus procedendi per comparationem, & fit quando declaramus aliquod æquale ignotum, uel minus notum per ſuum ſimile æquale magis notum. Demonſtratur autem affectus per cauſam, quando demonſtratur eclipſis Lunæ per diametralem interpoſitionem terræ inter ipſam,& Solem,quę eſt cauſa pręciſa,& immediata:& hæc ſcientia ſic acquiſita dicitur ſimpliciter, & proprie ſciẽtia. At demonſtratur cauſa per effectũ,cum hoc ipſo exemplo mutato medio, demonſtrãdo ſcilicet interpoſitionem terræ per eclipſim Lunæ: & iſta eſt demonſtratio,quia poteſt etiam fieri per cauſam remotam, & mediatam. Sed demonſtratio propter quid eſt proceſſus ad effectum per cauſam immediatam tantùm: quæ uerò per æquiparationem oſtenduntur,topica ſunt,ut, ſi Petrus mandata ſeruans, promiſsione Chriſti particeps regni Dei factus eſt,igitur & nos qui mãdata ſeruamus participes illius regni erimus. Eſt etiam præter dictos modos, alia utilis argumentãdi uia, quam Græci topicam uocant,Latini uerò localem:enimuero rectores ſępiſsime locis utuntur. Quòd etſi aliquando hunc modum argumentandi Philoſophi uſurpant, id tamen non frequenter faciunt. Pergam igitur enumerando diuerſa genera locorum,quoniam plurimum in artibus, & ſcientiis conducunt. Primum erit locus à maiore ad minus: nam maius illud eſt quod maiorem ſuæ uirtutis probationem habet: ſed minus eſt, quod minorem habet. A maiore ad minus ſic argumẽtatur negatiuè, ut,ſi Rex non poteſt arcẽ expugnare,igitur nec miles:uel, ſi quatuor gradus caliditatis nõ potes calefacere,minus duo poteris. Affirmatiuè deinde ſic,ut, ſi Rex poteſt habere centum milites,igitur poterit & quinquaginta habere. In hoc autẽ modo argumentandi requiritur iſta conditio,uidelicet, quòd magis & minus ſemper de uno, & eodem modo ad aliud ſimile procedãt:quoniã non ſequeretur,Rex non poteſt expugnare arcẽ,ergo nec miles poterit arma ferre. Argumentatur etiã de æquali ad æquale, ut, Homo eſt cõpoſitus ex anima, & corpore, igitur quoddam animal intellectuale eſt cõpoſitum ex anima,& corpore:uel ſic,Riſibile docet,ergo homo docet. uel, Senatus poteſt leges ciuitati tradere, ergo Dominus poteſt leges ciuitati tradere. Sed ad hoc, ut hic modus argumẽtandi teneat,requiritur quòd res æquales in hoc concordes ſint, uidelicet in illo de quo ad aliud arguitur,ut ſi dicas,Cęſar liberaliter ſe geſsit, ergo Romanorum imperator liberaliter ſe geſsit. Fit præterea proceſſus argumentando à minori ad maius negatiuè,hoc modo,Si unus miles non poteſt expugnare arcem,igitur nec urbem expugnare poterit. uel, Hercules non poteſt pondus mille librarum ferre, igitur nec decem millia. Affirmatiuę autẽ,ut aër poteſt calefacere, ergo & ignis poteſt calefacere. In hoc modo argumentandi requiritur uniformitas, & cõuenientia minoris, & maioris,unde ſi quis arguat ſic, Rana poteſt optimè natare,ergo & aſinus poteſt optimè natare: non ſequitur,cùm rana cũ aſino nõ conueniat in natatione, tametſi cõueniat in animali. Sunt quocꝫ quàm plurimi loci, à quibus ſumuntur argumẽta,quos dimitto,qui ſi ſubſcriberentur,plurimum ea quæ per epiſtolam ſcribi ad amicos ſolent, excederent. Quare his dimiſsis ſequar notas, & regulas, quibus uitioſa argumenta diſſolui poſſunt. Vitioſa argumenta quę etiam fallacias uocant, ſunt illa quæ indicant id uerũ eſſe quod falſum eſt, uel id quod eſt falſum uerum eſſe. Neque hic modus argumentandi Syllogiſmus uere dici poteſt, ſed potius apparens,& falſigraphus. Quod cũ ita ſit, tota ratio eſt in ſoluendo uitioſa argumẽta. Primũ erit in memoria ha-

bere eas regulas argumētandi quas ſuperius ſcripſi,ac uidere,deuiétne argumentum ab ipſis nécne: quòd ſi deuiet,negare penitus argumentum oportet.Hoc facilius,& ferè ſine labore faciet ille qui in diſputationibus exercitatus fuerit.Quicquid tamen ſit, enumerabo uitia quædam,& fallacias magis communes,ut per eas reliquas euitare poſsis. Et quoniā, ut Dialectici dicunt, fallacia primò fit duobus modis, uidelicet in dictione, & extra dictionem.Quæ autem cauillationes in dictione fiunt,ſex ſunt correſpondentes ſex modis uitiatarū dictionum,qui orationem aliquādo obumbrare poſſunt:qui ſunt,AEquiuocatio,Ambigua locutio, ſiue ut Græci dicunt,Amphilogia,Cōpoſitio,Diuiſio,Accētus, & Figurę dictionis.Fallacia itaq; æquiuocationis eſt uitium, quod fit in dictione, quæ plura ſignificare poteſt,utputa in hac dictione,canis,quæ poteſt ſignificare canem latrabilem,animal quidem terreſtre,quadrupedem:& poteſt ſignificare piſcem maritimū,& etiā ſignum quoddam cœleſte.Quare ſi fiat argumentum, Canis latrat,Canis eſt ſidus cœleſte,ergo ſidus cœleſte latrat:cū concluſio ſit falſa,diſtinctione huius uocis,Canis,opus eſt:cū in prima,& maiori aliud ſignificet Canis,quàm in minori:ideo non ſequitur concluſio.Sed fallacia amphilogiæ,ſiue ambiguæ locutionis fit,quoniam oratio diuerſimode cōſtrui poteſt,& ſic diuerſa ſignificare,& differt ab æquiuocatione,quia ibi unius dictionis,hîc uerò totius orationis ambiguitas eſt,ut in uulgatiſsimo exemplo,ex Ennio à Grāmaticis ſumpto,quod eſt,Aio te AEacida Romanos uincere poſſe: quæ ambigua ſententia in alijs quoq; orationibus ſæpiſsime inuenitur,ut in hac,dicendo,hæc ſcripta ſunt mea,poteſt exponi,hęc ſcripta à me ſcripta ſunt,& etiā hæc ſcripta ſunt poſſeſſa à me.Quare in hoc modo cauillationis unū tantū ſenſum orationis affirmare oportet.In compoſitione autem & diuiſione fit uitium,ſiue fallacia in eis,per diuerſam cōpoſitionē dictionū,quæ ſunt in eis,ut quando oratio habet particulā aliquam, quæ ad diuerſas partes propoſitionis poſsit accommodari,ex qua applicatione ſenſus mutetur in cōtrarium ueritatis uniendo orationem,uel diuidendo:ut in hac propoſitione,Quicquid uiuit, ſemper erit:in hac dictione,ſiue in hac particula quæ dicit,ſemper,eſt uis & poteſtas mutandi ſenſum:quoniā ſi adiungatur uiuit,facit ſenſum compoſitum,& eſt uera:ſed eſt falſa in diuiſo:ſi uerò adiungatur erit,eſt uera in diuiſo,ſed in compoſito falſa:ut dicēdo,quicquid uiuit ſemper erit, ſed aſinus uiuit,ergo aſinus ſemper erit:& quoniā compoſitio falſa eſt,ideo fallacia compoſitionis dicitur.At fallacia diuiſionis contrario fit modo.Etenim ſi diuiſio in oratione eſt falſa,diuiſionis fallacia erit.Eſt & quinta fallacia,quæ per accentū fit,ex eo quòd aliqua dictio non debito accentu pronuntiatur,uel ſyllabarū quantitate,& cum aſpiratione,uel ſine aſpiratione pronuntiatarum.Nā aliud ſignificat Ara,ſine h,aſpiratione:& aliud Hara,cum h:cū hæc dictio,Hara,cū h,ſcripta,ſtabulum porcorum ſignificet,& ſine h,altare.Poſtrema cauillatio quæ fit in figura dictionis,eſt ubi dictio,uel caſus aliquis ambiguitatem habet,ut cū dico hominē, poſſum intelligere & ſpeciem humanā,& particularē aliquem hominem:& ſi dixero manus,poſſum hāc dictionem,manus,pro nominandi caſu intelligere,& gignendi,& pro accuſandi plurali,ſicq; diuerſimode accepta dictione,ſenſus orationis mutatur.Extra dictionem fiunt cauillationes,& uitiata argumēta,ſeptē modis,& ſunt iſti,uidelicet,Accidentis,ſecundum quid,& ſimpliciter,ignorantia elenchi,petitio principij,conſequentis,nō cauſam ut cauſam ponere,& plures interrogationes,ut unā facere.Et ut de more breuibus partem hāc expediam,deceptio ſiue fallacia extra dictionem,eſt potius quādo error ſe tenet ex parte materiæ, uel rerum,quàm orationū,accidētis.Prima fallacia eſt, quando accidentia non recte coniunguntur,ita ut aliquod accidens malè alicui accommodetur,ut ſi dicam, animal eſt nomē,nomen eſt pars orationis,ergo animal eſt pars orationis:falſa eſt cōcluſio,quoniam animal & nomen ſunt diuerſorū generum.Fallacia deinde ſecundum quid,& ſimpliciter,eſt uitiū quod fit ſi ſumatur aliquod ſimpliciter tale eſſe quod non ſit,ſed particulariter,& quoquo modo:ut ſi dicam,optimū eſt uti tenui ratione uictus in morbis acutis,igitur & ſemper, & ſimpliciter:non ualet,uel ut dicūt dialectici,æthiops eſt albus ſecundū dentes,ergo æthiops eſt albus totus, & ſimpliciter,non ualet.Tertia eſt fallacia ignorantiæ elenchi,quæ per inſcitiā redargutionis eſt,& fit quando ignorātur modi firmæ probationis,ut ſi non ſeruentur quæ requirūtur ad definitionem cōtradictionis,ut ſi quis dicat,princeps eſt in aula,& non in ſuburbano, ergo princeps eſt, & princeps nō eſt.In hoc modo fallaciæ fiunt uariæ cauillationes,quæ longa egerent declaratione epiſtolæ minus conueniēte.Quare iuxta inſtitutum illis dimiſsis reliquas breuibus ſubſcribā,& ſecundum præſcriptū ordinem fallacia petitionis principij ſequitur.Et eſt quando id quod incertū eſt confirmamus,ſine aliqua probatione,uel per ea quæ incerta quoq; ſunt,uel ſub aliquo alio uocabulo idem ſignificante.Quare cū quis aliquid conatur probare per aliquod quod non ſit manifeſtū,fit hæc fallacia:ut ſi quis dicat cœlum eſſe æternū,quoniam non eſt ex materia, ex qua elementa(quæ obnoxia corruptioni)componuntur,nihil probat:nā quòd cœlum non ſit ex eadem materia,eſt quoddam incertum,ſicq; ratio non currit. Præterea fallacia conſequētiæ fit ex deceptione,quoniā credit concluſionem ſequi ab antecedenti,quum tamē nō ſequatur,ut,ſi homo eſt,animal eſt:& ſi animal eſt, homo eſt.Secunda conſequentia eſt falſa,quoniam ualet conſequētia ab inferiori ad ſuum ſuperius,nō tamē à ſuperiori ad inferius.Sed fallacia non cauſæ,ut cauſa, fit quando ponuntur in præmiſsis ſyllogiſmi aliquæ propoſitiones,quę nihil ad concluſionem operātur,& cum non ſint cauſæ concluſionis,ideo dicūtur nō cauſę:quod eſt uidere in ſyllogiſmis ducentibus ad impoſſibile:& eſt ferè conſimilis fallaciæ conſequentis,ut ſi dicas,ebrietas eſt mala,ergo uinum eſt malū:nō enim uinū eſt cauſa proxima ebrietatis,ſed immodicus eius uſus,uel capitis imbecillitas,& ideo non eſt cauſa,ut cauſa.Quare non ſequitur,uinum eſt malum,cùm plurimum ex uſu ſit modeſtè bibentibus ipſum.Vltimus fallaciæ,ſeu uitioſæ argumentationis modus eſt,plures interrogationes ut unam facere,ita ut pluribus interrogationibus detur una tantū reſponſio:ut ſi quis interroget te,putáſne hominē,& aſinū eſſe animal rationale:quòd ſi reſpōdeatur quòd ſic,ſequitur igitur,aſinus eſt animal rationale:& ſi reſpondetur non,ſequitur,ergo homo non eſt animal rationale:& ſimiliter in multis alijs.Poſtremo cum dialectica ſit ſcientia,& uia docēdi:& ratio docendi in definiendo,diuidēdo,& argumentando conſiſtat,illud animaduertere operæpretiū erit,uidelicet quòd in obſcuris,ac non notis rebus diſputatione opus eſt,quæ,quum diſputare ſit rem aliquam uerbis,& mente agitare,ut manifeſtus ſit animi conceptus cū ratione,aduerſus alteram,& hoc ad ueritatis cognitionem notandū erit,quòd in quacunq; cōtrouerſia rei obſcuritatis difficultatíſue,primum eſt ueritatem quærere,& falſitatem fugere,atq; de illis diſputare,quæ ſciri poſſunt,& hoc per ſenſata,& magis nota,ſi Ariſtoteli credimus,qui nihil in intellectu eſſe dixit,quin prius in ſenſu fuerit:atq; diſputando ſemper rationes,tam affirmatiuas,quàm negatiuas afferre cū aliqua ſpecie argumentationis,ignotum ex prælibatis probando.Hæc ſunt chariſsime Antoni compendioſa illa præcepta Dialecticæ,quæ doctrinam antiquorum ad memoriam,ſiquis obſeruauerit facilè reducere poteſt,quippe quòd capita ferè omnia totius Dialecticæ ſcientiæ in ea contineantur,illáq; tibi morem gerens tuis reſpondens literis mitto.Vale. Venetijs. M. D. XXVII. Die Ianuarij.

AD EXCELLENTISSIMVM HENricū Stromerū Auribachiū *Epiſtola* XXXIII. *de mundi creatione.*

VTinam ſenex doctiſsime natura interiores ſenſus explicatos & apparentes nobis dediſſet,& ſuperiorum naturā indicaſſet:etenim ſi hoc operata fuiſſet,utiq; ſcientiæ diſcurſiuæ iudicijs non ita incertis probarentur.Sed quoniam res non ita habet,ſed hic obſcurati & occulti in intimis corporis partibus illæ longinquæ ab ijs latent,ex hoc fit ut homines ſæpe per media extranea,& longe à natura quæſiti aliena,ſcientiam rei ignotæ uenentur,quæ,tametſi ita factum ſit,nihilominus à uero diſcurſu, & intellectiuo non ex omni parte remotæ ſunt, quemadmodum in præſentia (ut tuis reſpondeam literis, & ueritatem quæſiti aperiam)facere me uidebis.Petis nanque ut de

mundi

mundi creatione, uel æternitate, meã ad te ſcribere uelim ſententiã. Quam in primis conſtanter & perpetuè iſtis uerbis affirmo, Procul omni dubio, atq; ſine hæſitatione mundũ à Deo creatum fuiſſe credo, cũ hoc clarè à ſacris literis acceperim: inquit nanq; Moſes diuinarũ legum promulgator, qui eas à domino accepit, primo Geneſis, in principio Deum cœlum & terram creaſſe, & omnia quæ cum eis ſunt. Sed ut uideor mihi uidere, tuæ literæ non hoc tantũ poſtulant, uerũ etiam quid ſapientes cæteri, de mundi principio ue' æternitate ueritati Chriſtianæ conſonũ dixerint. Porrò ut ingenuè fatear, ſapientes quoſdam non diſtinguentes inter agentem creatorem & creatũ, diſceptationes non paucas & ferè inextricabiles huic negotio cõmiſcuerunt. Ego uero ne cum illis peream, ſic rem ipſam aggrediar. Primũ duos intelligẽdi modos proponam. Prior quidem à ſenſibus eſt, ita ut præter ſenſibilia nihil intelligere homines poſſunt, cũ neceſſe ſit intelligentem phãtaſmata ſpeculari. Hanc ſententiã ſcripſit Ariſtoteles tertio de anima textu commenti xxxix. Poſterior uero nõ ex ſenſibus tantũ, ſed etiam diſcurſu per intellecta procedit, ſicq; intellectus per prius intellecta, ea etiam quæ non cadunt ſub ſenſibus intelligit, quemadmodũ intellectus in habitu & operans intelligit ſe ipſum, mitto diſcurſum ex principiis nobis natura inſitis, uel etiam ab omnibus conceſsis, de quibus Ariſtoteles & cõmentator Auerroës, ſecundo diuinæ Philoſophiæ, & alibi abundè dixerunt. Iis prælibatis, tametſi rem arduam, quæ plures ſapientes defatigarit, petis, eam pro uirili mea libens aggrediar. Etenim humano animo nihil magis inſitũ eſt intelligentia, qua cũ quis amplius præſtat, tanto magis ſeſe ad rerum difficillimarũ indagatione cõmiſcet, ita ut ſi fieri poteſt, ut aiebat Paulus Chriſti diſcipulus, & doctor gentiũ, ea quæ nec oculi uident, nec aures audiunt congenita eius intelligendi ui ſcire contendat. Sic Plato diuinus, ſic Ariſtoteles, & Auerroës eius fidelis interpres, ſic Auicenna & doctiſsimus Algazel, ac non pauci moderni philoſophati ſunt. Qui diuerſis iactis principiis, & rationibus deductis, de mundi principio & æternitate diſputarunt. Incipiam igitur ab eo principio quod ab omnibus probatur, nempe, finiti ad infinitum nullam eſſe proportionem, dixit Ariſtoteles octauo de phyſico auditu textu cõmenti xv. & primo cœli, & in aliis libris: quam ueritatem nemo eſt qui non probet: quòd ſi ita eſt, libeat mihi ſic tecũ ratiocinari, Dei benedicti operationes à ſapientia eius æterna proueniunt, quę cum ſit infinita, eſt æquiuoca ad noſtrã, ut ſcribitur duodecimo diuinæ philoſophiæ textu cõmenti quinquageſimi primi. Intellectus uerò noſter, qui ut dixit Auerroës ſecundo de anima textu commenti xxxij. eſt complementũ animalium, & finis eorũ qui intendebatur in generatione, quem cũ natura pertingere potuit, ceſſauit. Eſt modus animaliũ habentiũ uirtutem ſpeculatiuam, cogitatiuam, & intelligibilem. hæc Auerroës, quæ uirtus finita eſt. Et ideo ut dixit Themiſtius tertio de anima capite xxiij. Intellectus humanus non poteſt infinitum cõprehendere. modo Deus glorioſus eſt infiniti uigoris, ſiue potentiæ ſiue uirtutis dixerimus, non refert, quæ uirtus non eſt in materia, ut legitur duodecimo diuinæ philoſophiæ textu cõmenti xlj. Hanc uirtutem cõfirmat Ariſtoteles octauo de phyſico auditu, cũ demonſtrauit primum motorem non eſſe corpus, nec uirtutẽ in corpore, quia mouet per tẽpus infinitũ. Igitur difficillimũ erit intellectui noſtro Dei operationes intelligere: & quanquam res ita ſe habeat, progrediar nihilominus ſecundũ eam quã creator nobis uirtutẽ largitus eſt: & eſt ut procedamus ex ſenſibilibus ad inſenſibilia, uel ex notis ad ignota nobis. Quã regulã ſcripſit Ariſtoteles primo poſteriorũ, & primo de phyſico auditu, quomodo doctrina utuntur ſapientes in demonſtrationibus in rebus finitis habẽtibus cauſas naturales. At in cognitione illius qui omniũ eſt cauſa, cũ ſit primũ æternũ & inde pẽdens, abſurdũ ſane eſſet hoc modo dũtaxat cognitionis uti ad Dei immediatas operationes, cùm nec eius eſſe, nec uirtutes ſenſibus noſtris ſubiiciãtur, tametſi effectus minime lateant: ideo promiſcuo, ut ita dixerim, ratiocinio ab effectu ad cauſã, & à cauſa ad effectũ procedere mihi operæpretiũ erit. Agit enim Deus ſecundũ propriã ſubſtãtiã ſine diſcurſu neq; ſpe alicuius boni, cùm ſeipſo fœlix ſit, ſicq; mundus & motus & tẽpus ſunt primo à Deo creati: neq; (ſi ita dici poteſt) ante hos effectus præter Deũ glorioſum aliquod æternũ & ipſum mouens ſapientes ponũt, cũ ipſe (ut dixi) ęternus, & cauſa omniũ ſit. Igitur Deus benedictus ſolus æternus eſt, quę autẽ præter ipſum ſunt, effectus ipſius ſunt, & ipſum ſequẽtes, qui et per ipſum conſeruantur. Præter hæc ſcire etiã conducit, quòd effectus Dei (qui purus actus eſt) ab eo nõ prodeunt per aliquem motũ, ſed per merã ipſius uoluntatem. At philoſophãtes qui ex ſenſatis tantũ procedũt, cũ in quacũq; actione motum aliquem uel localem, uel augmenti, uel alterantem ponant, uidentes naturã creatã in iſtis inferioribus omnia per motũ producere, & arguentes à ſimili, tota aberrant uia, Longè etenim & infinitè diſtat ſupremus agens à natura, in iſtis inferioribus agẽte. Ex dictis igitur operæpretiũ nobis erit modũ aliũ in Deo audire: ad quam cognitionẽ ut admonet doctiſsimus Algazel diſputatione prima, non eſt nobis procedendũ ex præexiſtenti cognitiome ſenſata ſolùm, uerũ etiã ex diſcurſu intellectiuo, poſt cognitos effectus Dei. Hic modus permixtus eſt (ut paulò antè dicebã) qui cùm ex omni parte non ſit naturæ inferiorũ cõformis, neq; ſenſatis ſemper reſpõdeat, non ſine difficultate à multis intelligi poteſt: intelligitur tamẽ ab optimo intellectu, & ab illis qui filij naturæ dicuntur, qui ſunt optimi temperamenti, & præſertim ſi fuerint in ſpeculationibus exercitati. Quibus dotibus cũ ſciam te minime carere, audacter mundi principiũ rationibus affirmando ſcribam, uidelicet mundũ factũ à Deo de nouo in principio ex ſua uoluntate, quæ uolũtas nil aliud eſt à ſeipſo, quàm ipſe Deus, cũ omnia attributa in Deo Dei eſſentia ſit: etenim præter eius eſſentiã in Deo nihil eſt: ea uerò quæ à nobis dicuntur, illa quidem ſecundũ noſtrũ modum intelligendi dicuntur, nõ tamen adamuſsim à nobis concipi aut intelligi poſſunt. At quoniam cũ doctiſſimo philoſopho ſermo mihi eſt, his ſic aſſertis, & ſtatutis de mundi creatione, non ingratũ erit ad quaſdã philoſophantiũ obiectiones rationes contrarias ſcribere. Dicũt quòd ad hoc ut aliquod producatur de nouo in actu, neceſſariũ eſt aliquod ſubiectũ ponere, cùm ex nihilo nihil generari poſsit. Huic obiectioni facilè ex iam paulò antè dictis reſpõdent, qui quoq; præter ſenſata ex intellectis etiam diſcurrunt: nam non repugnant intellectui bene diſcurrenti, ut alicui facti aliquod ſubiectum non præfuiſſe: etenim ille actus purus, qui cuncta eſt, non eget in creatione ut aliquid ſubiiciatur, cùm ab ipſo omnia abundanter & fuſè fluant, ueluti à primo eſſe: quemadmodum eſt de lumine actuali, quod prodit ex uirtuali uel ſpiritali, ab ipſa intelligentia orbem illuminante. Huiuſmodi proceſſus neceſſariò ponunt philoſophi, alioquin daretur in infinitum, quod natura abhorret. Porrò niſi ad unum primum à quo omnia prodeunt determinaret intellectus, utique ſemper de aliquo atque aliquo quærendum eſſet. Quare in ipſo primo æterno actu omnia ſunt, tametſi nobis lateant multa ob iam præfactam importionem creaturæ ad creatorem. Dicunt præterea, ſi mundum Deus de nouo creaſſet, utiq; tempus infinitum ante eius creationem præceſsiſſet, cum Deus æternus ſit. Hæc imaginatio rudis procul ab omni dubio eſt, cum apud Deum creatorem omnium, nullum ſit tempus, ſed omnia in ſe ſunt æterna, & prodeunt (ut ita dixerim) ſecundũ eius æterna ſtatuta, quę ut aiunt philoſophi, ſunt firma & immutabilia, nempe tempus menſuræ motus eſt, ſi Ariſtoteli credimus quarto de phyſico auditu, commento centeſimo primo. Neque tempus in ſe aliquid eſt, etenim ab intellectu humano fit, dum diuidit prius & poſterius, ut dixit idem Ariſtot. libro citato commento cix. Quomodo quæſo intellectus humanus poteſt imaginari tempus præceſsiſſe mundũ, ſi tempus eſt effectus mundi de nouo creati: enimuero nemo eſt qui non dicat mundum cõſtare ex cœleſtibus orbibus, & elementis inferioribus: orbes uero mouentur, ad quorum motus ex noſtra cognitione tempus cauſatur, nec eſt quod dicant ex dictis ante mundum infinitum tempus præceſſiſſe. Inſuper dicunt, ſi mundus de nouo creatus eſſet, proculdubio ſequeretur, quòd in Deo eſſet potentia, uel poſsibilitas ad illam creationem. Sed hoc etiam intellectui bene diſcurrenti abſonum eſt, cum iſti non diſtinxerint naturam creatam à creatore; nanq; ubi nullũ eſt ſubiectum, nulla poteſt eſſe poſsibilitas, cùm ſit accidens, & accidẽs niſi in ſubiecto ſit, eſſe nequit, ut omnes ſapientes affirmant. Minus etiam in producẽte eſſe poteſt, cùm ſit actus purus: abſit ut dicamus in Deo ac-

cidens aliquod esse:neq; sapientũ aliquis naturalis,uel diuinus(quem theologũ uocant)hoc ausus est dicere. Dicunt quoq; si de nouo mundus creatus fuisset,mutationem in Deo necessariò poneremus:quod cũ absonũ sit,& ab omni ueritate alienum,& imaginarium,hæc ipsa etiã imaginatio minime militare uidetur:etenim electio creatoris æterna est,& immutabilis:nam effectus creatoris agentis,& producẽtis ex sua ipsius æterna(ut iam dixi)uoluntate,ex paulo ante suæ simplicitatis dictis statutis,quæ nõ differunt à suo simplicissimo esse,minime producendo defatigatur,cũ productio sit ab ipso sine aliquo exterius,uel interius conamine,nulla etiam intrinseca,aut extrinseca est resistentia.Et tametsi in natura creata operante mutatio aliqua sit,hoc tamen nõ est perpetuum,imo sæpe agens in operando perficitur:ueruntamen non potest aliquis ab ipso proueniens effectus perfectiorẽ eum reddere,cum sit summa perfectio,neque extrinsecum aliquod dari potest, quod uel obiectũ,uel obstaculum fuisset,cũ nihil præter ipsum præfuerit mundo,neq; discurrit Deus,sed per suum esse intelligit,& causat secundũ æternam electionem,quæ est cũ sapientia inuiolabili.Et quemadmodũ non potest factũ nõ factum esse in ipso,sic quoq; dilectio æterna ad statutum terminũ potest ordinatum,& electum producere:neq; istã electionem æternã tollũt, quæ immutabilis est,& potest quantum sui est natura infinita,ac à nobis per sensata minime cõprehensibilis: & hoc modo nullã mutationem in Deo quis apprehẽdere potest.Nam etsi Deus sit causa,non tamen est causa inferior,& creata,sed est prima largiens alijs causis leges, & uirtutes, quæ in sua essentia eminentissimæ sunt:quas non alio modo cognoscimus nisi per effectus,eò quòd perinde se habet intellectus noster ad intimas dei uirtutes,sicut oculus uespertilionis ad lumẽ solis.Inquiunt præterea,Deum cùm sit agẽs,quod agat necesse est,præsertim cũ non habeat impediens.Cui positioni non difficilis est responsio:nã dictum est longe distare operationes creatoris à natura creata,quoniã natura creata agens,approximata passo in ipsum,nisi impediatur agit permutando,donec ad sui naturã passúm reduxerit:quo mutato cessat actio.At creator quidem non agit permutando,sed ex nihilo producendo. Quare in Deo non est necesse(cum sit primum agẽs)ut agat:non enim est agẽs approximatum passo,sed est sane agens producẽs,de nouo nõ applicitum alicui subiecto.At causa istius erroris est,quoniã nõ distinguunt inter primum creatorem agentẽ,& naturam creatam. Quod dicunt deniq; de reuolutionibus infinitis orbiũ cœlestium,& de susceptione magis,& minus in ipso infinito,si æternum poneremus mundum,quæ omnia saltem intellectus qui plures motiones facit,sicut & plura tempora intelligeret,nulla in parte obstat.Motus namq; orbiũ cœlestium(ut dixi)nihil in re est,neq; reuolutiones præteritæ reperiuntur,sed ab intellectu motus illi cognoscuntur,& rememorãtur:neq; ex hoc habent aliquid existentiæ,aut pluralitatis,cũ sit unus cõtinuus,uniformis,ex qua etiam uniformitate in sua singulari unitate minime magis,& minus suscipere potest.Hæc uelim tibi satis esse pro epistolæ tolerantia. Porrò materia ardua est,quæ uolumen expostulat.Studens igitur breuitati plurimas alias rationes prætereo, non tamẽ aliqua quæ ueteres sapientes de mundi creatione dixerunt in calce omittam.Primũ quidem(ut ab antiquioribus incipiam)dixit Mercurius Trismegistus primo sui sermonis Pimandri inscripti,Deum ex sua uoluntate mundũ ad eius exemplar creasse,quem ornauit animalibus utriusq; sexus,ex elementis conflatis. Scripsit etiam Plato in Timæo in hãc sententiã,uidelicet,Deum sua bonitate mundũ creasse animæ intellectiuæ nõ expertem,ut esset suæ essentiæ quantum fieri posset similis,& hoc quatenus geniti mundi natura recipere potuit,ita ut pulcherrimũ,& optimũ Dei opus indissolubile esset ullo modo, præterquam à seipso creatore. Scripsit quoq; Anaxagoras,& Empedocles, mundi creationem,ut dixit Auerroës octauo de physico auditu texto cõmenti secundi.Et tametsi Aristoteles eum æternũ ex omni parte statuere studuerit,ut declarat Auerroës primo cœli comento xx.non propterea non generatũ fuisse contẽdit,sed in tẽpore generatum negat:quod nostris dictis minime contradicit,cũ ante mundum nullũ præcesserit tempus.Præterea & Plotinus Platonem secutus,mundum à Deo factũ,ac in futurum æternum,rationibus nõ inualidis affirmauit.Et cũ nihil in ipso Deo prçter essentiam infinitã sit,hac ratione mundum ex nihilo prima creatione prodire uoluit. Neq; Origenes inter Græcos uir ingenio,& doctrina clarus,de mundi creatione à Deo benedicto per uerbũ dei filium in principio uerba Mosis uulgariter aperuit: Mitto quæ Algazel Arabs doctissimus de mundi creatione aduersus Philosophos quosdam,ualidis & doctissimis rationibus demonstrauerit,quę omnia mundum à Deo creatum luce meridiana clarius ostendunt: neq; Auerrhois redargutiones contra satisfaciunt,etsi ualidæ aliquo modo sint,non tamẽ ad fundamenta primo diriguntur.Hæc sunt doctissime Henrice quæ ad te currenti calamo,ac tumultuario stylo,ut tibi cui plurimũ debeo satisfacerẽ,de mundi creatione scribere uolui,& pro temporis angustia,& ingenij nostri ratione in præsentia potui.Reliquum est Deũ æternum rogare, ut mihi tibiq; ueram eius essentiæ intelligentiam post huius uitæ terminum concedere dignetur.Vale,& me & Apollonium meum,sed potius tuum,ut soles ama. Venetijs, M. D. XXXXIII. Tertio Calendis Martij.

AD EXCELLENTISSIMVM HENricum Stromerũ Auribachiũ, *Epistola* XXXIIII. *de animi immortalitate.*

Miraberis sanè scio Henrice doctissime, quòd tuis quas ad me dedisti tam sero respõderim, sed mirari desines si materię magnitudinem ac difficultatem inspicies,quæ antiquorũ omniũ ac neotericorum animum laxum ab opere reliquit,ita ut nisi euangelica ueritas nostrã confirmaret opinionem,rationibus(ut uidebis)& antiquorũ autoritatibus munitam,uererer equidẽ eam ut philosophus ad te scribere.Petis igitur senex doctissime, ut quid de animabus, quæ ex hac uita migrarunt,sentiam,tibi significare uelim.An scilicet etiam separatè à corpore maneant,atq; extent fruentes Deo benedicto tanquam ultimo bono,& eius fine:an unà cum corpore pereant ac deficiant,ita ut nihil amplius sui remaneat.Ad quæstionẽ nõ sine animi anxietate cum philosophis scribere possum, tametsi minime cum euangelico lumine anxius sum:magna enim est ueritas Christianæ uis,quæ cõtra hominum ingenia se per seipsam defendit. Porrò non ignoras illustres quosdam Philosophos dixisse eã mortalem esse,qualis fuit Alexãder Aphrodisæus,& alij qui studuerunt Aristotelicæ expositioni,ita ut eam mortalem ponerẽt.Quanquam quidam Alexandrum ex eius scriptis aliter sensisse affirment,non ex ijs omnes eisdem usi sunt rationibus præcise,sed aliquo modo inter se diuersantes diuersi fuere.In quorum societatẽ & moderni non pauci Aristotelẽ interpretando ingressi sunt, ut fuit Petrus Pomponatius Mantuanus,Thomas Caietanus Cardinalis,qui propediem(ut ita dixerim,)obierunt dies suos:mitto Scotũ,Erueum,& alios nõ uulgares theologos,qui & ipsi Aristotelem exponentes non ex omni parte quæstionẽ hanc declarauerunt.Dicunt enim Aristotelem animã immortalem non prorsus rationibus confirmasse,sed eã simpliciter sine ulla probatione posuisse.Quod quidem aiunt factũ fuisse ob sui esse ambiguam cognitionem,ita ut necessum fuit ipsi Auerroi & sequacibus eam unicam æternam ponere, cùm plurificata sine corpore minime esse posit.Ego uerò cum Aristotelis processum cùm imprimis doctum, tum etiam admirabilem diligenter examino, animam separatam etiam à corpore æterno tempore manere tibi istis affirmare non dubito.Enimuero Aristoteles,huius animæ esse ambiguum minime uenari potuit,nisi primo potentias & actus omnes eius aperuisset. Quas potentias & actus cum enumerando probauerit,& probãdo operationes ab ipsis emanãtes posuerit,statim dubitare cœpit,an omnes essent communes animo & corpori,uel aliquæ animo tantum,& aliquæ corpori soli.Quam quæstionem exordiri cœpit primo de anima textu commenti duodecimi,ubi hanc animi operationem,quod est intelligere uenari contendit per propositionem conditionalem,hoc modo discurrendo:intelligere hoc,uel est imaginatio quædam,aut sine imaginatione esse nõ potest: sed imaginatio sine corpore esse non potest:quare hãc rationem,quæ nihil hic ponit in esse, cùm sit conditionalis & ad partem argumentatiuam,ad omnem modum

dum

dum intelligendi accommodant, ac dicit intelligere nõ eſſe ſolius animi, ſed cũ corpore operationem. Quod ut poſtea tibi exponam, nõ ſimpliciter uerum eſſe cognoſces, præſertim cũ hîc Ariſtoteles minime quæſtionem terminare intendat, ſed eam proponere, & ad finem ſui proceſſus ſentẽtiã ſuſpẽdat. Quare affirmãdo quod ſuperius dixit, in textu decimotertio ſic procedit, aliã propoſitionem conditionalem introducendo, in hũc modũ. Si igitur eſt animi aliqua uel operatio uel proprius affectus, fieri poteſt ut animus ſeparetur. Et has propoſitiones, ut dixi, in hoc primo libro dimiſit indiſcuſſas, quas in ſecũdo & tertio examinare intelligit. Vnde dedit multis cauſam dubitandi. Has tamen pro uiribus tibi ſoluere naturaliter nitar, ſi primum diſcrimen poſuero inter animam, quæ eſt forma communis ad uegetatiuam, ſenſitiuam, & ultimo diſcurſiuam. Quã ſi etiã exiſtimatiuam uel cogitatiuam dicere uolueris, non refert: ipſa eſt perfectiſsima formarum eductarum de potentia materiæ: & anima intellectiua ſiue intellectus, eſt perfectio harum omniũ uirtutum in homine, & eſt immateriatus non pendens à corpore, tametſi in corpore ſit. Neq; eſt perfectio corporis, ſed eſt animæ perfectio. Hanc diuiſionem Ariſtotelem affirmaſſe uidebis, ſi eum primo de anima reprehendentem antiquos nõ diſtinguentes animã ab intellectu, rectè intelligere uolueris. Etenim anima quia eſt forma corporis, dat eſſe illi, et ſine corpore eſſe nõ poteſt. Sed intellectus ut intellectus nõ reſultat à corpore, neq: ab ipſo, ſed immateriatus, q põt ſine corpore eſſe & incorruptibilis manere. Et quoniam animus eſt ille qui dat eſſe corpori animato, ita ut habeat eſſe animalis per animam, ſi perierit animal, peribit utiq; & forma quę dat eſſe: hęc uerò animus eſt. Sed cum in homine præter animum, qui dat eſſe indiuiduum, per quod eſt animal diſcurſiuũ, ſit etiam eſſe intellectiuum, quod nihil cum ſenſibus habet, ſed eſt ultima perfectio animi humani, & uirtus ſeparata à corpore, uidelicet nõ pẽdens à materia, neq; in operatione ab inſtrumentis corporeis, quibus aliæ uirtutes corporeæ utuntur. Etenim diſcurſiua ſiue cogitatiua utitur imaginatione, quæ imaginatio & ipſa à ſenſibus accipit, cum conditionibus materiatis & particularibus. At intellectus ſine materiæ conditionibus cognoſcit, ſcilicet uniuerſaliter, & genericè, & hoc per propriã uirtutem: qui cum ſine materia & eorũ conditionibus intelligat uniuerſale & abſtractum, per ſe intelligere proculdubio dicere oportet: & hæc eſt propria ipſius operatio, quam Ariſtoteles quærebat. Hanc operationem ſiquis ad animam diſcurſiuam quæ pendet à materia attribuere uoluerit, errabit quidem: quoniã non ſibi cõpetet, cum ſit forma animantis rationalis, quæ corruptibilis eſt: intellectus uerò ipſe perfectio animi eſt, qui eſt incorruptibilis: hęc uerò perfectio neceſſario ſequitur ad animã humanam, quæ pendet à materia. Hunc theologi à deo infundi recte dicũt, & Ariſtoteles deforis uenire credidit, ſecundo de generatione animalium capite tertio. Hæc perfectio eſt æterna, incorruptibilis, & poteſt ſeparari à corpore, ſicut dicimus de aliqua uirtute deciſa ab alio, quæ tamen remanet ſine ſubiecto à quo fluxit, & operatur eãdem operationem: uerbi gratia, ſi ponatur magnes cum aliquo ferro ſimul, ita ut per aliquod tempus contangantur, aut ſi unà confricentur, ferrum illud acquirit uirtutem magnetis, & attrahit aliud ferrũ, & hoc quoniam uirtus aliquo modo altero ſubiecto communicata eſt, ac manet & operatur ſine proprio ſubiecto, tametſi in aliquo ſubiecto ſit: hoc idem in ſemine deciſo experimur. Quòd ſi hoc uerum eſt in uirtutibus pendentibus à materia, quæ uirtutes operantur, etiamſi nõ prorſus ſint expoliatę, quanto magis intellectus, qui nõ pendet à materia ſeparari poteſt, & ſeparatus propriã habere operationẽ? Quòd ſi neceſſario ponant aliquod ſubiectum, ut intelligentiis mouentibus orbes datum eſt, huic intellectui uel deum uel aliquod aliud cœleſte philoſophis occultum nõ ſine ratione donemus, quod minime negare aduerſarij poſſunt, ſi Ariſtoteli credunt, qui ordines in formis manifeſtos poſuit. Etenim prima forma cõplexionalis eſt, quæ eſt imperfectiſsima formarum. Secunda, uerbi gratia, eſt uegetabilis, & perficit primam. Tertia eſt ſenſitiua. Quarta, quæ eſt hominis animus, eſt forma quæ dat eſſe, & pendet à materia, & hæc forma diſcurſiua uel exiſtimatiua uel cogitatiua dicitur, & eſt perfectio omnium dictarum uirtutum. Dixi hoc, ne forte credas me plures ponere formas, plures ſupponendo uirtutes: quoniam ſemper ultima eſt illa quæ eſt forma, & dat eſſe perfectum ſpecificum. Intellectus uerò non pendet à corpore, ſed ab ultima uirtute, quæ cogitatiua eſt, & longinqua à materia: ſicque intellectum perfectionem ultimam hominis dicimus, quem animam intellectiuam uocant: ordo itaque ſic poſitus, perfectionis ordo eſt. Neque ultima perfectio materialis (ſi animum eleuaueris) eſt intellectus. Nam diſcurſiua, tametſi circa imaginationes quæ à ſenſibus ſunt, uerſetur, & cum ipſis intelligat ac diſcurrat, nihilo minus non omnino utitur immateriatis, ſed ut aiunt Philoſophi, cum conditionibus abſtractis, quæ non omnino expoliatur à conditionibus materiæ. Intellectus autem ipſe ex ſe intelligit ſine uirtutibus ſenſitiuis, neq; utitur imaginatiua, aut cogitatiua, niſi inquãtum intelligit diſcurſum, ſeu cogitatum, quod nõ amplius materiale eſt: hoc enim fit, quoniam cum cogitatiua eſt, quæ præparat ſibi obiecta intelligibilia ſatis proportionata. Nam ſi ſeparatus eſſet, utique cætera obiecta ſibi proportionata ſeparata intelligeret. Etenim huiuſmodi intelligere eſt operatio intellectus ſimpliciter, qui eſt ineſſe per ipſum: neque alio modo eſt forma niſi intelligẽdo intellecta, unde ſeparatus intelligibilia intelligit, & in primis Deũ, & intelligentias, ſecundum naturam ipſius intellectus. Similiter & reliqua intelligit: ſed cùm intellecta ſint æterna, intellectus ſeparati erunt æterni, quoniam habent unde ſuum eſſe conſeruent, operando, ſiue intelligendo. Vides igitur doctiſsime Henrice, animæ intellectiuæ operationem non pendere ab inſtrumentis animæ quæ à materia deducta ſunt, ſed à propria uirtute. Quare cùm anima intellectiua propriam habeat operationem, quæ eſt intelligere ſine inſtrumentis, & ſeparatè: poterit cũ Ariſtotele ſeparari, & æterno tempore intelligẽdo permanere, præſertim cum non habeat cauſam deſtructiuam ſui eſſe, & habeat conſeruantem, ut dixi, aliquod, puta corpus cœleſte æternum, uel ipſum Deum benedictum, & intelligentias. Quod autem intellectus, & etiã anima quæ à materia pendet, ſint perfectiones poſt formam complexionalem, uegetatiuam & ſenſitiuã, confirmari poteſt ex dictis Auerrois ſecundo metaphyſicæ commento xxxj. & tertio de anima cõmento quinto. Sed differunt anima & intellectus inter ſe: quoniam anima eſt illa quæ de potentia materiæ educitur, & eſt perfectio animalis: intellectus autem eſt perfectio non materialis, poſt diſcurſiuam ſiue cogitatiuam uirtutem. Et hanc ſententiam affirmat Auerroës tertio de anima citato commento, quo in loco reprehendit Alexandrum dicentem animam intellectiuam ſimul cũ corpore deficere. Sed fefellit ſeipſum Alexander, credens animam intellectiuam productam eſſe ex miſtione elementorum in ſequentem formam complexionalem, & alias, ut ſuperius ſcripſi. Qui tamen Auerroës tametſi Alexandri errorem cognouerit, non propterea ſciuit ſe tueri ab ingenti errore, ponẽdo unum tantum intellectum omnibus communem: in cauſa fuit, quoniam ex ſenſatis procedens uoluit (ſine prædicta animi diſtinctione) operationes abſtractas, & uniuerſales à materiatis ſeparare. Sicque cum antiquis ante ipſum, etiam moderni poſteri nõ pauci decepti ſunt. Qui ſi poſuiſſent diſcrimẽ inter animum qui à materia eſt, & intellectum qui ſine materiatis inſtrumentis intelligit, procul dubio ſciuiſſent animã intellectiuam unà cum Ariſtotele propriam operationem habere. Neq; poteſt quis dubitare, an imaginatio ſit anima intellectiua, cũ clarè hoc declarauit Ariſtoteles ſecundo de anima textu cõmenti cliij. Poſtquã in pręcedẽtibus probauit intellectũ non eſſe imaginationẽ, ſed alterũ ab ipſa: ſimiliter etiã probauit tertio eiuſdẽ per proceſſum uſq; ad textũ cõmenti trigeſimi: ubi tametſi dixerit animã ſine imaginatione nihil intelligere, nõ propterea prioribus dictis in eodẽ libello eſt contrarius: etenim in textu trigeſimo intelligit (cũ de anima dicit) animã pendentem à materia, atq; dantẽ eſſe animalis, & non animam intellectiuam quæ eſt ultima perfectio, & recipit intellecta ſine materiæ conditione. Quòd ſi exteriora non recipiat, corporeum impedimentum cauſam eſſe dicere oportet, à quo ubi fuerit abſoluta, utiq; (ut dixi) & cætera ſeparata intelliget. Hanc ſententiam affirmat Ariſtote. tertio de anima textu cõmenti iiij. laudans Anaxagoram: & intellectum hunc immixtum, impaſsibilem, & immortalem ponit. Quæ uerba quanquam ali-

ter à quibuſdam exponantur, nihilominus melius ſic intelliguntur, cum ſine alteratione hanc ueritatem confirment, quam non pauci philoſophi ac illi quidem eminentiſsimi, qualis fuit Themiſtius, Procul, ac doctiſſimus Algazel, & Latini alij, ut Albertus non immerito Magnus cognominatus, affirmant. Neque dicta ſuperius pluralitatem animarum ſeparatarum prohibent, cùm intellectus per ſe immateriatus ſit, nec aliquam materiam diuidendam habeat, ſed in ſingulo indiuiduo diſtinctus per ſe ipſum ut intelligat eſt. Etenim (ut dixi) operationes nimirum intellectus eſſe, abſtracta intelligere, non enim habet conditionem materiæ, ut in ipſam materiam operetur, aut per ipſam præparatio fiat, ſed per ſe pendet. Et cogitatiua eſt tãquam eius perfectio, quæ cogitatiua cum plurificetur, & numeretur, ita & ipſe intellectus multiplicatur, & ſeparatur, & cum ſua operatione manet. Ratio ualeret, ſi intellectus penderet uel haberet affinitatem cum materiatis. Poſſem equidem uir doctiſsime præter quæ ſuperius ſcripſi, ad multas poſitiones contradicentium rationibus reſpondere, quæ conſultò dimiſi, cum primo ſatis illis diſtinctio poſita reſpondeat: ac etiam quoniam nimium aucta eſſet epiſtola, & tempus ulterius procedendi minime ſuperſit. Satis igitur erunt dicta tibi ſenex præſtantiſsime, qui ut ſcribis morti propinquus, non dubitando, ſed potius me ad altiora naturæ ſecreta contemplanda promouere tuis ſcriptis uoluiſti, ſi hoc in calce epiſtolæ tibi dixero. Scilicet poſtquam terminus uitæ nobis non idem cum plantis & cæteris ſenſitiuis animantibus, à ſummo & ineffabili opifice nobis condonatus eſt, ſed alius, uidelicet ille quo poterimus poſt ſeparationem à corpore immenſam eius maieſtatem ſpeculando ſine corporeo impedimento potiri, gratias illi in hac coniunctione corporis inceſſanter agere debemus, & ubi à corpore animus ſolutus fuerit, ſuam rogemus Maieſtatem, ut ſempiterno æuo eius contemplationem concedere dignetur. Vale uir undequaque doctiſsime, cui me & Apollonium meum quantum poſſum ſtudio commendo. Venetiis, M. D. XLII. Die XXVIII. Decembris.

FINIS EPISTOLARVM MEdicinalium *Nicolai Maſſæ.*

# ALOISII MVNDELLAE MEDICI BRIXIENSIS EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER.

## ALOISIVS MVNDELLA MEDICVS LECTORI S. D.



*OLENT pleriq; Lector candiſsime, principibus uiris labores & uigilias ſuas, ea quidem ſpe & conſilio dedicare, ut illorum ſplendore, gratia, & patrocinio adiuti, facilius nomen illuſtre, & inſignem famam ſibi comparent, populares auras captent, diuitias multas conſequantur, & maleuolorum morſus & audaciam comprimant: quas quidem rationes ſequantur, quibus illæ placent: ego uerò nunquam adduci poſſe exiſtimo, ut ſequar: neq; enim ingenium meum & ratio patitur, ut tam ambitioſus, tam auidus, tam timidus ſim, ut ſequi uelim: nam illis bonis, quæ diuina prouidentia ad honeſtum uitæ uſum conceſſerit, uir Chriſtianus contentus eſſe debet, nec plus quàm oportet quærere. Eundem dare operam decet, ut non tam apud homines, quàm apud Deum in gratia ſit, & gloria: omnes quidẽ actiones, & rationes uitæ, ad illius uoluntatem & mandata cõferens. Ad maleuolentiæ autẽ & inuidiæ calumnias ita commoueri, ut iudicij & linguæ libertatem cuiquam ereptam uelit, non tam fortis & ſapientis uiri, quàm ſuperbi, & de ſe malè ſentientis eſſe exiſtimatur. Abſit igitur ſemper hoc à me, ut quicquam contra naturã meam & rationem facere inſtituam in imitandis alterius uitijs: ſed potius illud ſtet alta mente repoſtum, quod boni uiri eſt propriũ, ut quibus modis poſsim, rectè etiam alteri proſim: tum enim mihi ſatisfacio, cùm alijs ſatisfacio: in quo mihi nec ſtudiũ, nec labor adhuc defuit. Atq; etiã nũc hoc ipſum opus, quod de medicina ad cõmodum meum compoſuerã, eo temporis ſpacio, quod medendi cura & officio uacuũ erat, & apud me retinere cogitauerã, etſi fucis & ornamẽtis eloquentiæ non ſatis cultum & expolitum intelligebã, memor tamen inſtituti, & pietatis meæ, facere nõ potui, quin & in communia ægrotantiũ & medentiũ cõmoda & utilitatem edendũ curarem: in medica enim ratione nõ tam uerborũ ornatus, quàm rerũ ipſarũ fructus ſpectari ſolet: curantur enim remedijs morbi, non eloquẽtia, ut ait Cornelius Celſus, & Gale. in tertio κα̃τὰ γένη. Non uni autẽ ſoli, & potẽti, ſed omnibus ijs, qui ueritatis & bonæ frugis ſtudioſi ſint, has ingenioli mei primitias dicare uolui, ut beneuolentiæ meæ ſignũ habeant, & pro horũ iudicio uel inſtitutæ rationes meæ laboris & benignitatis confirmentur, uel nouæ ad indigentium cõmoda inſtituantur. Vale.*

ALOISIVS MVNDELLA MEDICVS, *Hieronymo Fracastorio Medico, de usu & uiribus Smaragdi. Epistola. I.*

SMARAGDVS gemmarũ nobilissimus, de cuius in medicina usu ad tollẽdas febres nihil qđ sciã, ab antiqs medicis traditũ est, nũc demũ fatali quadã sorte à recẽtiorũ plerisq; usurpari cœpit: uerũ quia nõ minus apud nos quã apud ueteres in æstimatiõe et pretio habitus est, ꝓpter iucũdissimũ colorẽ, quo fessos spectãtiũ oculos & animũ recreat, fecit ut in explorãda illius ui & natura, æquè, ut ferẽ, efficaci in ꝓfligãdis grauissimis febribus, diu multũmq; laborauerim. Sed cũ uarios medicinę autores cõtulissem, neq; tñ in quo acquiescerẽ inuenissem, sed magis magisq; dubitarẽ, et ideo mecũ ipse q̃rerẽ, quẽnã potissimũ hac de re cõsulerẽ, tu mihi in primis illorũ unus, qui in re literaria medicaq; hodie plurimũ excellunt, occurristi, Hieronyme, ad quẽ accedẽs oĩ dubitatiõe liberarer: te em̃ acerrimo iudicio uirũ, & nostræ artis lumẽ esse clarissimũ, ac splendorẽ, nõ tm̃ ex aliis audiui, sed aliqua ex parte manifestò ipse mihi ꝑspexisse uideor. Neq; uerò ꝓ tua ĩ oẽs humanitate, & singulari meo in patriam tuã Veronã amore, in qua ego quoq; puer cũ essem, à patruis meis fum educatus, mihi ꝑtimescẽdũ fuit, quin benignè ad literas nostras nullo quidẽ dicẽdi exquisitiore ornamẽto cultas, tuis iterim seuerioribus studiis intermissis, horisq; succisiuis rñderes, & desiderio meo satisfaceres, in iis ꝑsertim q̃ ad Smaragdi rõnẽ pertinẽt. Scire aũt ex te cupio, an medico liceat, iis q putrida febre ac cõtinua grauiter afficiũtur, aliquã Smaragdi ꝓ medicamento portiũculã dare: qñ (qđ equidẽ ipse sciã) octo ab hinc annos circiter ue occeperint talis medicamẽti uires à nõnullis nostri ordinis tãtopere ad medicos usus collaudari, ut ei gẽmę incredibilẽ quãdã uim tribuere, eãq; aduersus uaria febriũ, & aliorũ etiã morborũ genera præbere nequaq̃ uereãt, atq; ad illã, cũ multa frustra ꝑtẽtauerint, tãq; ad sacrã anchorã cõfugiãt, ueluti remediorũ & cõsilij inopes: qui quidẽ, si qñ, quãnã id rõne agãt, interrogẽt, ita rñdẽt, ut ꝓsperos nõnullarũ curationũ euẽtus, aduersis bellè dissimulatis, aut aliquo casu excusatis, ut est in pr̃o de rõne uictus acutorũ, ꝓ rõne habere uidẽt, & qđ in uno feliciter euenerit, idẽ in altero euẽturũ existimẽt: quasi sæpe nõ cõtingat, ut naturę poti⁹ sese adiuuãtis & rectę rõnis, quã pharmaci ui, aliquis sanẽt. Sed ĩ errorẽ incidũt: quia Gale. primũ & secũdũ ꝑsertim de simpl. med. librũ fortasse aut nõ uiderũt, aut nõ satis intellexerũt, ubi de cognoscẽdis ex gustu, odore, colore, uno alteróue experimẽto, medicamẽtorũ uiribus & facultatibus methodos tradidit, ut q̃ in morbis salutaria sint, et noxia ĩtelligi possint. Atq; iidẽ mihi penè desipere uidẽt, cũ asserere ꝑseuerẽt, eũ qui in cõtinuo medẽdi officio & opera sine literis cõsenuerit, multò ꝑstãtiorẽ esse medicũ, quã qui multa sit doctrina ꝑditus, nõ multũ aũt in medẽdi exercitatione uersatus: nõ enim uidẽt, quã à cõsummatissima Gale. disciplina & ꝓceptis aberrẽt, qui eã experiẽtiã laudat, quæ cũ sciẽtia & certa rõne cõiuncta sit: medicũq; eũ dicit, si qđ fieri debet inuenerit, lõgã experiẽtiã nõ expectare. Neq; tamẽ inficias iuerim, Gal. in xj. de Simpl. medicamẽtorũ facultatibus aduersus Pelopẽ illius doctorẽ, & in lib. de Theriaca ad Pisonẽ, & alibi, occultas quasdã uires & diuinas certis esse in medicamẽtis uelle, quibus in morbos agãt. Sed idẽ Gal. à cuius decretis recedere medico licitũ esse nõ putamus, cũ in eo summã medẽdi sciẽtiã, & experiẽtiã fuisse manifestũ sit, nusquã, qđ sciã, mẽtionẽ facit, ꝙ eã actiõis medicamẽtorũ ad siderũ uim, ut nõnulli uolũt, referẽdũ sit. Quare si nõ aliis quã huiuscemodi rõnib⁹ cõtra nos nitãtur, nõ est ꝙ sibi ꝑsuadeãt, ut unquã possint nos in sentẽtiã suã trahere: bono em̃ & prudẽti medico faciendũ est, ut eã medẽdi uiã ingrediatur potius, quæ sapientũ uirorũ uestigiis frequẽtata sit, & trita, quã quę à temerariis & imperitis sit tẽtata: & demũ illud sequatur, quod rõne pariter & usu probatũ est: & uideat diligenter, quæ sit medicamẽtorũ essentia: quæ primæ qualitates, quæq; ex his aliæ oriũtur, optimè pẽsitet: quæ tota substãtia, & cęca origine agãt, nõ negligat: qualitatibus enim primis medicamẽta uim suã exercere Gal. his uerbis primo de Simpl. medi. ostẽdit: Siquidẽ cõstãt cum aliorũ omniũ, tũ animãtiũ corpora, calido, frigido, humido, & sicco: quarũ facultatũ effectricũ essentię tũ in aliis omnibus, tũ in medicamẽtis ĩ atutæ sunt &c. quę postea ab Auerroë confirmata sunt. Nã cũ illa ex se perfectã sui præbere possint notitiã effectus, uel saltẽ certiorem, quã quæ ex siderib. quæritur, quę obsecro imprudẽtia est, ad ea, quæ sensus nostros latẽt, nobisq; ad cognoscẽdũ difficillima, atq; imperscrutabilia ferè sunt, cõfugere uelle? Medici nanq; muneris est, ut ex sensibilibus potissimũ sciẽtię suę theoremata sumat, & enũciationes, quę Græci ἀξιώματα uocant, illisq; cũ opus est utatur: quibus sensibilibus fretus Galenus, sicubi in Aristotelis, & aliorũ efficacissimas alioqui suasiones inciderit, ut in eo de Simpl. med. libro, in quo cõtra sensum negantes, & quibusdã quasi tricis physicis sese implicantes sophistas disputat: sed præsertim in cõmentariis de Hippocra. & Platonis decretis, inter cæteros subtilissimis, mirisq; laudibus extollendis, omnes probabiles admodum istorũ rationes cõuellit, nullis quidem aliis argumentorũ uiribus labefactandas, quàm iis quę ex sensu sumũtur. Puto igitur multò cõgruentius esse, elementorum mistioni simpliciũ medicamentorũ uires acceptas ferri debere, & eorum qualitatibus, quàm ex abditissimis siderũ causis illas oriri existimare: id quod Theophrastus etiã sæpius asserere non dubitauit, præcipuè in sexto de historia stirpiũ, cap. ultimo, cuius uerba hæc sunt: πρὸς δὲ εὐοσμίαν ῥοδῶν καὶ ἴων καὶ τῶν ἄλλων ἀνθῶν, μέγιστον ὁ τόπος συμβάλλεται, καὶ ὁ ἀὴρ πρὸς ἕκαστον οἰκείως. hoc est: Ad efficiendũ uerò & rosarũ, & uiolarũ, aliorũmq; florum bonũ odorem, & locus & aër maximè confert, naturæ cuiusq; illorũ idoneus & accõmodatus. Nã Theodori Gazæ (ut id quoq; attingam) cõuersio, in qua cœlũ pro aëre translatum est, meo quidem iudicio reiicienda est: etsi enim utrunq; uerbũ à nõnullis poëtarum citra ullũ significationis discrimen usurpari sciã, & etiã ab Hipp. in lib. de nat. humana, & primo de morb. uulg. cõment. primo & secundo, tamen quia Galen. hãc dicendi libertatem uulgariũ esse hominũ existimat, & quia etiã uerba hæc æquiuocè prolata, sæpenumero legentibus obstant, nę genuinus autoris sensus intelligatur, adducor ut eruditissimi & optimi medici potius iudiciũ, quàm horum usum in hoc loco sequar. Hæc autẽ sententia ab eodemmet Theophrasto cõfirmatur in sexto de causis stirpiũ libro, quando causam indagat, propter quã olea ab arcturo nihil amplius olei ferre ualeat: ubi nõ sideris occasui, uerũ aëris intẽperamento, elementorũ cõmistioni, culturæ, & locorũ mutationi, omnem hãc rationem adscribit: quod, cũ de hac materia quoq; seorsum dissereret, apertè ostendit eiusdem libri cap. xxj. quo in loco ellebori et reliquorũ omniũ medicamẽtorũ uires, & aëri, & alimẽto absq; dubio attribuẽdas esse affirmat. Cui nõ parũ fauet Auerroës quinto Collectaneorũ, & Plin. in ea historiæ suę parte, in qua Timæũ mathematicũ redarguit, Theophrastũ, ut in multis aliis, imitatus. Sequeretur enim, hoc aduersariorum cõstituto, omne rhabarbari genus nullo discrimine bilẽ soluere, turpet pituitã, ellebori atrũ humorẽ: similiter de aliis dicẽdũ pharmacis, quod tamẽ haudquaquã uerũ esse cõstat. Nã si duo (exẽpli gratia) cnici, aut alterius cuiusuis stirpis semina in eadẽ terra, eodẽq; tẽporis momẽto nascatur, ac simul ꝓueniãt: certũ est hasce ambas stirpes, si diligẽter animũ attẽdere uoluerimus, nõ semper eiusdẽ efficaciæ aut facultatis reperiri in pituitæ aut bilis utriusq; trahẽdo humore, uerũ interdũ ex illis alterã modò ualidiorẽ, modò uiribus imbecilliorẽ esse: qđ Plin. quoq; lib. Natu. historiæ septimo animaduerterat, cuius tamẽ cõtrariũ futurũ sit ex istorũ hominũ positione. Et quãquã Mesues in libello de Pharmacorũ cõpositiõe aliter sensisse uideat, rõnabilius tñ nobis uidetur cũ Gale. in tertio de Simpl. medic. cap. xxiiij. & in quinto eiusdẽ, cap. xvj. & xvij. cũq; ipsa sensuũ ꝑceptiõe sentire, Mesue interim reiecto, atq; iterũ asserere, medicamẽta opus suũ exeq, seu qualitatibus manifestis, seu totius essentię familiaritate & similitudine, aut utriusq; simul, ut lapides, de q̃bus scripsit Gal. xj. de Simpl. medi. & cõuenienti elemẽtorũ portiõe iter se collata, certãq; ex illorũ mẽsura ui exoriẽte, ut in magnete & ferro fieri uidemus, quẽadmodũ inq̃t Auerroës libro superius à nobis citato: qđ tamẽ dimẽsione quadã maioris scilicet ac minoris, fieri dicimus. Ad propriã igitur Smaragdi substãtiã accedẽtes, frigidæ eũ qualitatis esse, ac siccę iudicabimus, necnõ terrestris, & satis duræ, quæq; febrilem ardorẽ potius & illius fomentũ cõseruet, quã tollat, aut extinguat: quanquã non primò, sed ex euẽtu: quæ enim modicè calefaciat auxilia,

*Coll. 5. ca. 21.*

*Idẽ dicit in lib. de uir. natur. substantia. & 2. de semine.*

*Primo epid. tempest. 11.*

*Cap. 3.*

*Cap. 49.*

*Cap. 21.*

*Smaragdi propria natura.*

*Libro de frac. 3.*

lia,ac digerãt,quæq; ab æquali tẽperamento nõ multũ recedãt,ea utilia ſunt,nõ frigida, & obſtruentia, qualis eſt Smaragdus,cũ morbi cauſam, & quæ eã comitãtur accidẽtia tollere ſtudemus:neq; tot tantáq; ſine ulla arte quidẽ in unũ cumulata medicamẽta : quamuis febri, quatenus febris eſt,refrigerãtibus & humectãtib.opus ſit,ut eſt in xxiiij. primæ ſectionis aphoriſmo, & in lib. de iis quos purgare oportet,&c. Quæ ut improbẽ mouet me in primis Galeni præceptoris quidẽ nunquã pœnitendi abſolutiſsima doctrina, quæ pluribus in locis ſuo ipſius lumine funditur, & præcipuè in xj. curandi methodi. Nã quæ ualde calefaciũt,& ſiccãt nimis ſubitò,uires deiiciũt,ut in reliquũ curationis nõ ſufficiãt:ſæpe etiã febres auxerũt,ut eſt in eiuſdẽ libro de miſsione ſanguinis per uenæ ſectionẽ: quæ uerò modicè calefaciunt,cũ ſuperfluitatẽ exinaniunt,protinus, opinor, & quod affectũ eſt,frigidius efficiũt, nõ quidẽ natura ſua, ſed caſu:ut eſt in primo de Simpl.medic.cap.quarto, & prima fen,quarti libri Auicẽnæ , tractatu ſecũdo, cap.7. xl.& xlvij.ut aliorũ Arabũ teſtimonia omittam,quorũ uerba ſigillatim huc afferre nolui,ne plus iuſto longior eſſem,exiſtimans mihi ſatis eſſe, ſi loca ubi hæc ab illis explicãtur,indicauero.

*Hoc idem dicit Auẽzoar 1. Theiſir. cap.14.*

Ad argumentum uerò Alexãdri Tralliani aduerſus Galenũ lib.5.cap. de curatione diariarum febriũ, ita reſpõderi poſſe puto. Etſi enim Galen. 8. curandi methodi inunctionẽ fieri iubeat uentriculo ex abſinthio,et nardino,purpuráq; Tyria, id facit propter uentris fluxũ in febre diaria adhuc perſeuerantẽ, ut ex eo uires reficiãtur:qua ratione etiã cõfectionẽ diatrion pipereon nominatã ſimpliciſsimã quidẽ exhibet:quorum auxilio & corroboratione maior deinde ſequitur utilitas,quã ſi alterationi ſeu mutationi tantũ febrili attenderemus:neq; propterea tamen corruit ἀξίωμα illud, Cõtraria cõtrariorũ ſunt remedia:ſemper enim ueriſsimum id eſſe conſtat,ut traditur ab ipſo Galeno in eodẽ curãdi methodo.Et ita etiã ſatisfactũ eſſe arbitror alteri eiuſdẽ Tralliani argumẽto, cũ dicit, Galenũ inunctionẽ facere in ephemeræ febris,quæ ex obſtructione fit, curatione,ex ſolo oleo,nõ hydrelæo:quoniã aqua niſi calefiat, nequicquã proſit ad cauſam febris remouẽdam, ſed potius noceat:atq; cũ innumera alia paſsim ad extinguendã caloris præter naturã uehementiã, & ſitim ardentiſsimã,aliáq; tollenda incõmoda & mala,nobis præſtò ſint maximè opportuna remedia, utputa uenæ ſectio,recta uictus ratio,lenis frictio , balnea tẽpeſtiua, inediæ,inũctiones,& debilis clyſter,& huiuſmodi pleraq; à Galeno in multis locis ſcripta & cõmẽdata, quæ quidẽ lõgè utiliora eſſe exiſtimo, quã ita crebris medicamẽtis(ut antea ſcripſi)frigidis & ſiccis cũ intus,tũ foris uti:quoniã ea obſtructionis & moleſtiarũ dictarũ euidẽtes cauſæ ſint,nõ remedia:niſi fortè accidentia illa (quod interdũ fieri ſolet)adeò ægrotũ affecerint,ut omnẽ,aut potiſsimã medici curã expoſcant:ꝙ enim magis urgeat,illi attẽdẽdum eſt,ut alterũ tamẽ nõ negligatur.

*4. de ratione uic.acut.*

*5. Metho.aphor.16. primæ ſectionis et 2.ad Glauco.*

Etſi uerò cõualuerint illi,quos Gale.narrat in nono de Simpliciũ medicamẽtorum ratione,atrociſsima illa peſtilẽtia in uniuerſum populũ nõ aliter inuadẽte,atq; ex Thucydidis teſtimonio & autoritate ſæuijt in Atheniẽſes,ſolo terrę Armenę beneficio,qui tñ ut ab eo morbo liberarentur apti erãt,quales ſunt optimè cõſtituti, nõ autẽ cacochymi,ꝙ huiuſmodi per ſe morbis proximi ſint,ut ait Gale.in lib.de opt.corporis humani habitu:nã qui interibãt,nullo alio iuuari poterãt auxilio:nõ enim oẽs ab eadẽ cauſa affici rationabile eſt,ſed qui ad patiendũ apti ſunt,alioqui oẽs in peſtilẽtię morbis morerentur,aut ſub æſtiuo ſole febricitarent:& ſic de alijs cauſis dicẽdum eſt:magnã enim habet in generatione morborũ partẽ eius qui paſſurus eſt habilitas,quemadmodũ ſecũdo de differẽtijs febriũ ſcripſit Gale.nõ tamẽ Smaragdi præſidio febricitantes,quos ab initio diximus,curari poſſe exiſtimandũ eſt:ꝙ diuerſa ſit illius,& terræ Armenæ,& etiã Lẽniæ,quæ Sphragis appellatur, ratio:hãc enim,ſiue medicamentũ id,in quo & illa ſit, Dioſc.& Gale.ijs qui leporẽ marinũ & cãtharides ſumpſiſſent,feliciter quidẽ dederũt:ꝙ illi eo medicamento hauſto,omne protinus uenenum uomuerint,neq; eis poſtea ullum aliud tale acciderit ſymptoma,quale deleteria iſta comitari conſueuit,tametſi cõuicta eſſet pernicioſorũ medicamentorũ uis:quod nõ ijs euenit,quibus Smaragdus propinatur,ut eorũ ſcripta oſtendũt, qui illius naturã cõmemorarũt. Adſtringẽs præterea eſt & leuis,agglutinãdíq; ui prædita:cuiuſmodi nõ eſt potentiæ Smaragdus:neq; antiquos Arabũ pariter & Grę corum autores,cũ de febriũ putridarũ curatione mentionem faciunt,terrã Armenã,uel Lẽniã,uel Smaragdũ, ratione illarũ exhibuiſſe uſpiã uidi. Quibus ſatis conſtare arbitror,ea quæ de Smaragdi,& Lemniæ ſphragidis natura à ueteribus traduntur,manifeſto inter ſe diſtare diſcrimine,neq; earũ uirium eſſe.

*7. de cõpoſit.medic. ſecundum locos.*

Terræ uerò Armenæ ſubſtãtia,tum aẽria,& leui,tũ plurima exiccãdi facultate prædita eſt,necnon,ut Auicẽ.ait quarta fen primi libri,cap.quinto,boni eſt odoris:quæ ſingula ad peſtilẽtem illum morbũ arcẽdũ & curãdũ cõferre cõpertum eſt:non autẽ Smaragdũ,cũ illarũ nõ ſit facultatũ,quarũ eſt terra Armena & Lemnia,quæ ambo parum inter ſe differre exiſtimantur.Is inſuper nõ inter terras medicatas,ſed lapides,ab omnibus connumeratur,qui quidẽ partim totius ſubſtantiæ proprietate, partim primis qualitatib.agunt,ut ait Galen.lib.de ſimpl.medic.à nobis ſuperius citato.Cæcæ uerò medicamẽtorũ facultates,quæ totius ſuæ ſubſtãtiæ natura,nõ primis aut ſecũdis qualitatib.agunt,iuxta eiuſdem Galeni ſententiã in ſexto de Simpl.medic. circa libri principium,& xiij.de Morbis curandis,necnon pluribus alijs in locis,ſiue eæ alexiteriæ ſint,ſiue deleteriæ,& purgãtes(nã has ut ex ratione inueniamus,fieri nõ poteſt,prẹterquàm in quibuſdã probabilẽ inuenire liceat ſuſpitionẽ)ſola cognoſcuntur experientia:quæ autẽ calefaciunt,frigefaciunt, humectãt & ſiccãt,ex memoratis à Galeno in eo libro methodis. Quare neq; iſta poſitionẽ noſtrã deſtruunt, uel infirmãt,ut euidẽtius etiã infrà apparebit. Præterea leuis admodum illa argumẽtationis uis,ut alias omittã,hac de cauſa mihi eſſe uidetur , quoniã lõgè diuerſa, ut cõſtare poteſt ratione,terra Armena iis,qui peſtilẽti laborãt febre,quàm iis,qui ea non laborant,exhibetur: his quidẽ ne ab illa corripiantur,ſed ex hac corroborati bonã ſuã ualetudinem ſeruent ac tueantur:illis uerò,ne uitio aẽris,& mala tẽporis intẽperie humida,ſi quid boni ſucci reliquũ eſt,nec omnino corruptũ,ab aliorũ putridorũ uicinitate humorũ,& miſtione,maiorẽ acquirat corruptionẽ,ac ſimul cũ illis putreſcat , ſed quoad fieri põt,in priſtinũ reſtituatur ſtatũ,et aẽris malitię obſiſtere poſsit,ac cõſeruetur:cui niſi quã celerrimè ſuccurrat, periculũ eſt,ne hominẽ interficiat:nõ ea quidem,ut dixi,ratione,qua iſti cõtendunt,Smaragdũ eſſe exhibendum in putridarũ ac turgẽtiũ febriũ curatione,quas recentiores quidã nõ recto uocabulo utentes, peſtilẽtiales appellitãt,cum hę lento & paruo calore cõſtent,illę uerò & uehementi & magno,quemadmodum Gale.in ix.de Simpl.medic.& Auenzoar in 2.lib.cúmq; his Auicẽnas ſentiẽs,oſtendunt. Quòd autem quãdoq; febres quędã debiles & paruę ſint,ſed ualde malignę(ne quiſpiam fortaſſe hoc admiretur)ab eodem Gal.oſtenditur in tertio de Criſi.

*Cap.4.*

Quę quãuis iſtorum de Smaragdo opinioni aliquo modo ſuffragari uideãtur,neq; tamen uerum eſſe,neq; Galeni placitis aſſentire,ex iis quæ ſuprà uberius annotauimus,ſatis perſpicuum eſſe exiſtimo: quæ,ne plus æquo tibi moleſtior ſim, haudquaquã repetẽda eſſe duxi.Nuſquã præterea(ni fallor)Gale.in alio ullo febrium genere terrã hãc Armenã exhibuiſſe inuenies,quã in hoc ſæuiſsimo peſtilentiæ genere:quã ſi ita præſentaneũ & optimũ remedium iis eſſe,qui mala humorũ qualitate,aut eorũ multitudine,aut utriſq; ſimul febricitãt,certis cognouiſſet experimentis, & rationibus,aliter utiq; de ea locutus fuiſſet,neq; illius uires,ſi quæ alię eſſent,p̄ter quę ab ipſo cõnumeranť,nos cælaſſet,cũ tãtis alijs ſaluberrimis ſuis lucubrationib.& dogmatib.poſteritatẽ iuuerit,ac medicã rẽ magnificis auxerit beneficiis.Cęterũ ob dictas antea cauſas nõ à rõne fortaſſe alienũ fuerit,ſi uera terra Armena aut Lẽnia inueniri poſsit,urgẽte aliquo p̄nicioſo febriũ genere,qđ uerè peſtilẽti ſimile ſit,aut qđ ex malignis,& uenenatis humoribus genitũ ſit,certa huius medicamẽti,aut quæ illius naturæ ſit,portione uti:poteſt enim quãdoq; humor letali ueneno adſimilis in corporibus coaceruari, ut eſt in tertio de morbis uulgaribus,cõmẽto tertio:qđ tamẽ de Smaragdo aſſerere nõ auderemus:niſi fortaſſe propter terreũ ipſius & ſiccũ tẽperamẽtum, cuiuſmodi multa quidem facilè reperiũtur medicamenta:aut propter latentem quãdã,quam uocant,proprietatẽ,de qua tamẽ nihil ab autoribus medicinę hactenus traditũ eſſe inuenitur.Porrò cũ ea alimẽta dicãtur,quæ corpori adſimilata,ipſum nutriũt:reliqua uerò omnia medicamẽta,quæ uel ut aſſumpta ſunt,permanent,& corpus uincũt,& mutãt ad eũ modũ,quo corpus ipſum cibos:atque hęc prorſus tũ uenenoſa ſunt,tum corpus animalis

*3.de tẽperamentis.*

corrũ

corrumpũt:uel mutationis initiũ ab animalis corpore cõſecuta, deinceps iã putreſcũt, & corrũpuntur, deinde corpus quoq; unà corrũpũt ac putrefaciunt, quę quidẽ & ipſa noxia ſunt uenena: eſt his etiã amplius tertia medicamẽtorũ ſpecies, eorũ nimirũ, quæ corpus recalefaciunt quidẽ, mali tamen nihil adferunt: & eorum, quæ & agũt, & patiuntur aliquid, ſed ſpatio tẽporis uincuntur, planéq; adſimilãtur: manifeſtum relinquitur, Smaragdum nõ ut alimentũ nobis ſumẽdum eſſe, neq; ut aliqua prædictæ diuiſionis ſpecies, ſed potius ut ea quæ à tota agũt ſubſtãtia, & quodã mirabili naturæ cõſenſu, cũ alicui corporis parti ſuſpẽdũtur, (ad quæ quidẽ accedẽdũ eſt, cũ ea quæ ratione & experimẽto inuẽta ſunt, nõ iuuãt, quòd parũ his cõfidat Gal. ſed quæ qualitatibus & facultatibus effectricibus agant, licet libellus hic de renũ aff. dignoſ. non proprius Galeni liber eſſe exiſtimetur, non autem ut illa quæ intus ſumũtur, ut eſt cancrorum fluuiatilium cinis, & huiuſmodi. Præterea cum Smaragdus à Gal. inter eos lapides non connumeretur, qui cotis ſiue mortarij attritu in ſuccũ ſoluuntur, ſed ſatis terreã, & durã ſortitus ſit ſubſtantiã, eum ualde craſſarum partiũ eſſe dicendũ eſt, neq; accuratè & exactè leuigari poſſe, ſicuti illi lapides, de quibus Gal. mentionem facit: niſi quiſpiã fortaſſe Serapionis teſtimonio fretus, qui Smaragdi hiſtoriã deſcribens, ea ad unguẽ narrat, quæ Galenus de uirẽti Iaſpide, quo utebatur Nechepſos rex, uelit Galenum ibi de Smaragdo mentionẽ habuiſſe, ac ſi idem cũ illo eſſet, uel ſaltẽ una illius ſpecies: quod quidẽ nõ omnino à ratiõe alienum uidetur, cum multa alia ex illis Galeni deſcripſerit libris.

*11. de ſimpl. medic.*

Cui opinioni ut magis aſſentirẽ fecit, quòd Smaragdũ lapidem adeò ſubtiliſsimè interdũ teri uidi, ut tãgẽdi mihi tenuiſsimę farinę inſtar uideretur: ſi tamẽ uerba illa Gale. in ſuccum ſcilicet, uel liquorem ſolui, hoc modo intelligenda ſunt. Quod quidẽ ſatis uerisſimile uidetur, quia & Sapphirũ, qui quidẽ multò durior eſt quàm Smaragdus, inter eas lapidũ ſpecies collocauerit, quę in liquorem ſoluuntur: ſi is tamẽ qui nũc nobis Sapphirus oſtẽditur pro uero, ille ſit, de quo ibi Gal. mentionem facit. Cum uerò idem Gal. in iiij. de comp. med. ſecundũ loca, apertè dicat eos lapides, quorũ ſubſtãtia humida eſt, ut lapidis Hæmatitis, nõ terreſtris, ut Cadmię, in ſuccũ reſolui ſuper cotem medicinalem, ſi cum liquore quodã terãtur, uel per ſe citra liquorẽ, intelligẽdos eſſe, omnẽ nobis dubitãdi occaſionẽ abſtulit: quia etſi Smaragdus ſuper cotem teritur, nõ tamen illius ſubſtãtia humida eſt, ut Hæmatitis lapidis, ſed ſicca, & in fragmẽta quędã, licet minutiſsima illa ſint, cõminuitur. Quare ex iis quę à nobis ſuperius dicta ſunt, & quæ inferius dicẽtur, innotuiſſe arbitror, eũ in curatione febriũ putridarum dari nõ debere. Si uerò quiſpiã adhuc pertinaciter neget Smaragdũ ad exquiſitiſsimum pollinẽ terendo redigi nõ poſſe, ſed in notabiles portiones fractum ita in uẽtriculo reſidere dicat, donec extra per aluũ demiſſus fuerit: neq; etiã nobis illud obſtiterit, ſed magis opinionẽ noſtrã cõfirmabit. Cõcedimus enim aliquod adeò potens pharmacum reperiri poſſe, ut nullo indigeat calore ad aluũ deiiciendã, neq; etiã reſoluatur, imò ſicuti deuoratũ ſit, reddatur: quemadmodũ de catapotiis quæ ex chamælea cõficiuntur, à Dioſc. traditur, quod tamen diuerſum eſt ab ea, quæ eſt in Smaragdo, ratione, ut patet: hæc enim, cũ inter prima diuiſionis à Gal. poſitę membra reponãtur, nõ liqueſcũt propter exiguã morã, quam credendũ eſt illa in uentre, atq; inteſtinis facere, cuius cauſa eſt chamæleæ uis inſigniter abſtergẽs, mordax, & urens: quibus abũdè pręditą, ſua morſione linguã laceſsit, & arteriam deradit: & ideo pilulæ ex ea cõfectæ ac præparatæ, exiguũ uel nullum, ut deleteria quædã, caloris noſtri auxiliũ, ſiue is ſit naturalis, ſiue etiam ut nonnulli alij, præternaturalis illi admixtus, ut aluum ſoluant, deſiderant, atque ita nõ colliquatę remanent, quemadmodum de Colocynthide ſcribit Galen. quę ita ualidè ſoluit, ut ipſa quos per aluum deiicit humores anteuertat. Quædam enim medicamenta purgãtia ad humorum attractionẽ idoneã poſsident ſimilitudinem: quædã nõ perfectè eam obtinent, uerum in animãtis corpore accipiũt, nõ ſecus atq; urentia medicamẽta: unde duplex in his eſt ſimilitudo, una actu, altera potentia, ut eſt in tertio de ſimpl. med. cap. xxv. quæ ſingula quidem à Smaragdi natura unuſquiſq; maximè differre iudicabit, atq; argumentum id aduerſus fundamenta noſtra nullius põderis eſſe. Neq; dicendum eſt quòd is in nobis id agat, quod & de aliis, & de lepore Indici maris fertur, qui ſuo tactu peſtilenti

*3. de temperamentis.*

*Plin. libr. ix. cap. xlviij.*

uomitũ & ſtomachi diſſolutionem creat, Aëtij teſtimonio lib. xiij. cap. liij. cũ minimè eadem ratio ſit, atq; nullę unquã, quibus humorũ uitio fotus, leuari poſsit febrilis affectus, deinceps ſecutę ſint inanitiones, quod quidẽ ab ullo qui de illius natura & ui ſcripſerit, traditũ eſſe legerim, alui ſcilicet deiectiõe, ſudore, uomitu, mictúue, aut alio quouis modo: niſi quædã, quæ tamẽ ab illis nõ explicãtur, ſymptomata: quod iis euenire ſolet, qui leporis ſuperius dicti uenenũ ſumpſerũt, uel etiã cãtharides, ut ait Gal. iuxta lib. noni de ſimpl. med. initiũ: humores enim qui omnino corrupti ſunt, nequaquã in priorem ſuũ ſtatũ reſtitui poſſunt, ſecundũ Gal. & Ariſtot. ſententiã: natura enim ſuis uiribus utẽs ſemper quicquid optimũ fieri cõtigerit, his quæ aluntur partibus adſimilare, quicquid uerò alienũ, conatur expellere, ut eſt in ſecundo de differentiis febriũ libro. Quibus ſic à nobis cõfirmatis ac cõſtitutis, imprudẽtis ſanè cõſilij fuerit, Smaragdũ magno quidẽ pretio emptũ, & cõminuere, & terere: quẽadmodũ etiã uelle uidetur Manardus in ultima, quã in Meſuen edidit cenſura, cum ſuę ſubſtãtiæ uiriditate peruia, & grata pulchritudine cuſtoditus, collo pro amuleto ſuſpẽſus, cordíue, aut alteri corporis parti alligatus, aut quẽadmodũ à mercatoribus uenũdatur, uoratus, ita nec minus facilè mederi poſsit, & per aluũ ſecerni, ut de Iaſpide uẽtriculi ori adhęrẽte ſuperius monſtratũ eſt: cúmq; alia multo facilius, & minori cũ iactura, quæ quidẽ eiuſdem ſint cũ illo facultatis, parari poſſint, quẽadmodũ de hyacintho ab Auicen. proditur in ore detẽto: atq; fortaſſe ex tritione illa aliquid ſuarũ uirium tolli uerisſimilius ſit, ut ait Auerroës in v. collectaneorũ, cap. xxxi. ubi errorẽ medicorum illorũ redarguit, qui hordeũ frãgebãt ad faciẽdũ illius decoctũ: ſimile dicens illis eſſe, qui Smaragdũ cõminuebãt, tãquã medicamẽti uim deſtruẽtes. At cũ eiuſdem lib. cap. lx. ſcriptũ ſit, ſuper cotẽ eum teri debere uſq; ad põdus granorũ ix. hordei, dubiũ nõ eſt quin prioribus hæc illius dictis aduerſentur: quod aliàs à nobis diligẽtius cõſiderãdum erit. His addi etiã poteſt, quòd ſi ſuſpendatur collo Smaragdus, aut alius, qui illius ſit facultatis lapis, diutius intra corpus penetrãs illius uis morari & permanere apta erit, quàm ſi ſemel, aut bis, uel ter hauriatur, & per aluũ exeat. Nõ enim uideo quónã modo, ea quæ ab Auicen. de hyacintho memorãtur in libello, qui de uiribus cordis inſcribitur, defendi poſsint, neq; quo ductu ad cor deferri poſsit farina illa ab ęgrotis ſumpta, etiã ſi, quantũ fieri poteſt, cõteratur: cũ certũ ſit, hunc de illis nõ eſſe lapidibus, quos Gale. dixit in ſuccũ ſolui: horũ enim lapidum, qui admodũ duri ſunt, ſubſtãtiã per corpus digeri nõ poſſe, ſi quis Gal. dicta cõſideret, notũ eſſe exiſtimo: nã præ illorum grauitate & duritie in corpus diſtribui nõ poſſe uidentur ea quę craſsis ſunt partibus, ut eſt in quarto eiuſdẽ de ſimpl. med. licet de aliis quæ partibus nõ ita ſolidis cõſtãt, et terreſtribus, ſed magis leuia ſunt, & mollia, illud uerum eſſe ſciuerimus, & de lapidibus qui attritu in liquorẽ ſoluuntur, modò ea & minutiſsimè terãtur, & ſecernãtur, quemadmodum Gale. uerbis cõſtat in iiij. de tuẽda ualetudine, cũ Diacalaminthẽ cõpoſitionẽ deſcribit. Vires itaq; huiuſmodi medicamentorũ, quæ dura ualde & craſſa exiſtũt, & tota ſubſtãtia uel ſui natura agunt, quæq; maxima cũ difficultate teruntur, neq; uſq; ad exactũ pollinẽ teri poſſunt, ad profundas corporis noſtris ſedes penetrare rationabilius fuerit, quàm earum ſubſtãtiã, quẽadmodum & de pharmacis ſoluentib. cæteriſq; alexipharmacis & deleterijs medicamẽtis ſcripſit Gal. noſtra enim caliditas pterquã quòd craſſæ ſit eſſentiæ, halituoſa, infirmáq; eſt, ut non facilè mutet piperis granũ, niſi exquiſitiſsimè cõminutum fuerit, nedũ Smaragdi uel minimas partes, cũ ſolidæ illæ ſint, & duræ, ut in primo de ſimpli. medi. uidere eſt, cap. xj. Ego quidẽ (ut uerũ fatear) intenta quãtumuis ingenij mei acie, nullã unquã uiã inueſtigare potui, pręter eã, quæ cibos à uentriculo ducit ad inteſtina quædã tenuiora: deinde ad eas quæ ſunt in meſenterio uenas, poſtea ad hepar, & cõcauã uenã, tandémq; ad cor, & pulmonẽ, & cætera organa, ut in ſecundo ad Glauconẽ Gal. manifeſtè indicat, & in quinto de locis paſsis: duo enim deducũt uicinũ omne, primũ arteriarũ, dum dilatãtur, attractio, quæ à calore perficitur; ſecũdũ, tenuitas rei: quod de hac hyacinthi farina ut exiſtimẽ, mihi quidẽ perſuaderi non poteſt, quẽadmodũ ſuprà à nobis ſatis probatum eſt. Neq; quiſpiam unquam etiam, quod ſciam, aut ſanè ipſe animaduertit, aut ab aliis, qui illud affirmauerint, intellexit, à uentriculo ad cor attritum

*Primo de ratione uic. acut. et in lib. de cõſt. artis medicæ.*

*Idẽ dicit Gale. in libr. de ptiſana.*

*Cap. 18.*

*2. de rat. uic. acut. & 1. de ſemine.*

tum

tum eius, siue alterius eiusdẽ generis lapidis pollinem peruenisse, ut illud lætius multò, ac esse cõsueuerat, redderet, ac reficeret: sed à uentre potius ad πυλωρὸν, & intestina. *11. et 12. cur. meth.* Neq; etiam adhuc memini me apud Galenũ legisse quæ cor instaurent, nisi ea quæ bonum sanguinẽ generant, & spiritus, qui deinde tristitiã omnem tollant, ac dispersas & penè deficientes uires congregent, ac recreent: per similia enim fit uirtũ custodia. Citius autem uires instaurãt (sunt enim ista spiritibus magis similia) ea quæ bonũ spirant odorem, quàm potus & humida, quæ suapte natura ad alendũ corpus apta sunt, ut uinũ: multóq; magis, quàm pulueres isti. Quibus autẽ uinũ prosit, aut obsit, qui animi defectionẽ patiuntur, à Galeno monstratũ est in primo ad Glauconẽ, capite de curatione febriũ continuarũ cũ accidentibus: & in tertio de simpli. medic. cap. xix. & xij. curandi methodi, neq; id nũc nostra interest explicare. Hæc itaq; Auicennæ ratio ad se defendendũ, alió sq; redarguendũ, parũ quidẽ efficax & euidens mihi uisa est, & propterea tanti principis, ac illius satellitũ uenia, ob dictas à nobis causas, nec probãda, nec recipiẽda. Iuxta enim Auicennę sententiã, si hyacinthus in ore teneatur, ualere dicitur ad animi uires refocillandas. Nam quædã sunt medicamẽta, quæ extrinsecus corpori admota uires suas ostendũt, secus quidem quàm cibi: calorẽ enim nostrũ non mutabit lactuca, si brachio, aut plantæ apponatur, sed si, ut ait Galenus in tertio de tẽperamentis, intus sumatur. Quo fit, ut aliquando mecũ ipse dubitẽ de illa uulgata admodũ cõsuetudine in dãdo fragmentorũ omniũ (ita enim uocant) margaritarũ, auriq; & argenti farinã, an cordi affecto tam mirificè opẽ ferat, & hilaritatẽ præstet, spiritúsq; (ut aiũt) splendidiores reddat, ipsósq; per uarias corporis nostri sedes uagãtes colligat: adeò eñ omnib. obstetricibus, & pigmentariis celebrari solet, ut ea ad omnes morbos uti nõ erubescãt: ad puerulos etiã nuperrimè in lucẽ editos. Quare multò melius esse existimo has pretiosissimas gẽmas pluribus de causis à nobis antea dictis, coloris mira suauitate, & pulchritudine præditas conseruare, quã huiusmodi medicis obtẽperãtes, illas terere, & naturæ iniuriã facere, & febricitãtibus nocere: hi enim nisi aliquid nouũ, atque inusitatũ semper attulerint, nihil se fecisse existimãt: quod tamen Galeni doctrinæ aduersatur in libro de Antidotis, ubi medicamẽtis utendũ esse scribit, quę uno cõsensu à medicinalis materię peritis cõmendata sunt, & ab origine suiipsius lõgo tẽpore experta. Atq; id illi in ambiendis ægrotantiũ curationibus, & quasi cliẽtibus sibi cõciliãdis artificij genus sequũtur: quod sanè ab omni liberali arte, & animi cãdore alienũ esse debet, neq; uno Hippocrate sacræ medicinæ patrono optimo, déq; illa optimè merito, aut Galeno ueritatis perquã studiosissimo & amantissimo, dignũ existimatũ. Quare medicorum istorũ uulgariũ præsertim inscitia & erroribus multò plures perire, quàm seruari existimo, qui siquãdo ab aliquo perito aliqua de re cõuicti redarguũtur, ad asylum illud protinus cęcarũ proprietatũ, & suã illã uanã duntaxat experientiã, cõmune quidẽ eorũ atq; agyrtarum perfugiũ, se recipiunt, & pro inquirẽda, ac tuẽda ueritate pugnã cũ doctis negligunt, ac detrectãt. Si uerò aurũ atq; argẽtũ, & eorũ qualitates manifestę omnes rectè à medico cõsiderentur, neq; illæ etiã cordi lętitiã adferre posse uidentur, etsi in liquorẽ quidã id solui dicunt, quod postea ita colliquatũ, aurũ potabile appellare solent: sed potius tristitiã & læsionẽ. Quòd si à tota substãtia his, & margaritis, & alijs huiusmodi gemmis hanc inesse facultatẽ dixerint, non multũ id nobis curæ fuerit, si modò, ut diximus, exteriori corporis parti admoueãtur: quãuis multò magis ijs cõfidẽdũ esse putẽ, quæ qualitate manifesta possunt medicamentis, quàm quæ occulta. Adde etiam quod pro Smaragdis & Sapphiris (ut alios prætereã lapillos, qui sunt certioris notitię, & qui, hyacintho excepto, facilius parãtur) uitrũ, aut torrẽtis cuiuspiã impetu detritos silices, illis quidẽ persimiles, quod quidẽ nos sæpenumero euenisse uidimus, & alia quæ grauissimos interdũ inferũt morbos & symptomata, nonnullis improbissimi pharmacopolæ publicè uendere nõ dubitãt, sua in primis nimirũ inscitia & malitia: quare etiã fit, ut tam paruo uẽdatur Smaragdus, maximo uitæ hominũ interim detrimẽto, cũ tamen gẽmarũ sit pretiosissimus. De his porrò lapillis qd Manard. senserit, nõ (opinor) te latet. *Ioannes Manardus.* Sed uirũ in medica censura grauissimũ quidẽ apertius hãc rẽ explicuisse uelim: quid enim plus ille margaritis, & corallijs recreandi cordis gratia, quàm granatis tribuendũ censuerit, quas ex carbunculorũ genere esse existimo, quásq; his facilius multò, ac minori impẽsa nobis parare possumus, nõ aliũ profectò, quàm Manardũ ipsum (ni fata maximo omniũ mœrore, & rei medicæ iactura nobis illum surripuissent) iudicẽ maluissem. Sapphiros aliqui (ut illud quoq; annotauerim) nimia in nominũ usurpatione utẽtes licẽtia, inter Iaspidũ genera cõnumerarũt, autoritate Plinij (ut puto) & testimonio freti, cũ tamen Sapphiri, quos nostri tẽporis gẽmarij passim uenales ostendunt, cũ Iaspide minimã certè, si propius inter se illi cõparẽtur, & eorũ genera & differẽtiæ cõsiderẽtur, similitudinẽ habeant. Verum de his quidẽ sanius sensissent, si Smaragdũ potius, quàm Sapphirũ, Iaspidis speciem esse scripsissent, ueluti Dioscor. innuere uisus fuit, apud quẽ multa sunt Iaspidũ genera, quorũ nonnulla absq; dubio Smaragdo aliquo modo assimilari uidentur. Quia uerò scribit Plinius, Sapphiros albos, hoc est, ut ipse conijcere possum, dilutiori colore cyaneo insignitos, & aureis punctis notatos reperiri posse: idcirco tum illũ, tũ antiquorũ cæteros, tũ recẽtiorũ, nõ solũ de gemmis, sed etiã de herbarũ, frugũ, & stirpiũ notitia exactius locutos fuisse maximè uelim, nósq; in illis dignoscendis multò plus uersatos: quãdo ut omniũ harũ rerum medico in primis necessariarũ absolutissima cognitio, diligénsq; examen haberetur, illis maximè curãdũ erat, cũ horũ numerosissimũ sit genus, & uiriũ ratione præcellentissimũ, si ad reliqua medicamenta cõparaueris, quæ sunt tũ animalis partes, tũ metallica omnia, ut est in sexto Gal. de simpl. medic. lib. iuxta initium. Nihil enim turpius esse existimo, ut cùm Plin. sentiam, quàm nos aliena fiducia uiuere, cum tamẽ cupido uitæ nunquã maior fuerit, nec minor cura: licet nunc à nõnullis nostræ tẽpestatis uiris accuratius negociũ hoc agitari cœpisse senserim, atq; intellexerim: ut tandẽ absq; dubio sperãdum sit, medicinã scientiarum præclarissimã, summóq; honore dignã, graui illo ueterno sepultã, & situ oppressam excitari, pristinóq; splendore recuperato iterũ reuiuiscere, & magno pretio haberi: calumniã enim usqueadeo grauẽ passa est, ut nullo pacto medicina esse uideretur. Equidẽ nisi medicorũ quorundã mẽtẽ Deus illustrasset, qui reliquis postmodũ errores suos aperuissent, omnẽ illicò medicã rem pessum ire uidissemus: tametsi omniũ difficillimũ sit studẽtiũ animos aliqua labe infectos, penitus illa liberare, nouisq; aliis optimis moribus & disciplinis imbuere: imperitis enim & pertinacibus fieri nõ potest ut medullã inueniamus, quòd quæ ignorãt, dãnẽt. Quãobrẽ innumerabiles habẽdæ sunt iis gratię, qui lucubrationib. suis & laborib. *1. de Crisi, cap. 4.* pro adiuuãda posteritate plurimũ insudarũt, ætatémq; nostrã pro uiribus illustrare nõ cessant. Multa quidem à maioribus nostris diligẽtissimè tradita sunt, quorũ tamẽ omniũ memoria nũc penè abolita est: uel si qua adhuc remãsit, imperfecta quidẽ illa, aut corrupta legitur. Retulit mihi Ioã. Maria frater meus, se Pragę, quę est Boëmorũ metropolis, quô cũ uario gẽmarũ genere profectus est, cũ à Ferdinãdo Romanorũ rege humanissimo accersitus esset, in cuiusdã sacelli frõte Smaragdum multos ante annos affixũ, & inclusum, qui dodrãtalẽ mẽsuram superaret, nõ sine ingẽti admiratione uidisse, quãuis nulla artis excellẽtia expolitus esset. Quæ res effecit, quod antea quãdoq; suspicatus sum, ut id nũc minimè amplius suspicer; Plin. scilicet uana quædã ac portẽtosa de Smaragdis, aliisq; nonnullis rebus nobis tradidisse, & quæ fidẽ certã faciũt, de iis potius cõmentum fuisse. Quo fit ut arguendã magis ignauiã nostrã putem, & in multis negligentiã, præsertim in peragrãdis diuersis orbis regionibus, quàm ipsum Plin. quò ita magis quàm antea docti ueritate cõperta euadamus, quod Galen. in multis locis fecisse cõstat. Vidi & ego proximis diebus uenæ cuiusdã, ut mihi uidebatur, plũbeæ frustulũ, quod mihi ostendit quidã ex ciuibus nostris, nonnullis Smaragdis paruis, & carbunculis, unà cũ certa auri, & aliorum metallorum mistura cõcretum, ac natiuũ: affirmauitq; insuper ille, se ad paucos dies prædictæ uenæ & materiæ fragmentũ mihi ostẽdere uelle, quod Adamantem gemmã secum permistã habebit. Memorabile & illud de Sapphiris uidetur, quod aliqui digni quibus fides habeatur, omni mihi asseueratione affirmarũt, illis scilicet mirabilem proprietatem quandã inesse ad uarios, & inueteratos oculorũ tollendos affectus, si super

illorum

illorum acie,& membranis,ita ut ipſas tangant,ſæpius imponãtur,præcipuè cũ nulla arte expoliti ſint: qua de re nihil quidẽ quod uerè atteſtari poſsim,ipſe adhuc cõpertũ habeo: ſed cùm nulla ex huiuſcemodi uſu oculis læſio accidat,nemini dubiũ fuerit, tale etiã remedij genus tentare,non à ratione omnino alienũ eſſe,cũ multa ab autoribus in curatione oculorũ ſcribantur remedia: paucáq; ipſis efficacia eſſe inueniantur,cũ morbus pręſertim conſenuerit:ita miranda ſunt naturæ omniũ parentis opera,atq; arcana,quæ quidẽ nõ niſi longa temporis intercapedine, & ſtudio maximo innoteſcere poſſunt.At uerò(ut ad Smaragdũ redeã)neq; illud unũ ſilentio diſsimulauerim, neq; ſupinũ quorundã noſtri temporis medicorũ errorẽ,& capitalẽ inſcitiam in hoc dando medicamento cõticuerim, quam ne Mercurius quidem cum omnibus Muſis(ut in prouerbio eſt)ſanaret.Non enim medici iſti multũ magnifacere,nec curare uidentur,an id,& quæcunq; alia medicamenta conterant mortario & piſtillo ex ęre,an ex alia quauis materia ſimili conflato:cum tamen nõ mediocris noxa ex eo oriri ſuſpicandũ ſit,ſi his qui febre, aut aliis morbis laborant,in os dederint,ſi naturam æris & uim, atque æruginis,quę his plurimũ timenda eſt,diligenter conſiderare uoluerimus.An uerò qualitatem ullam Smaragdus ex huiuſmodi pilę,atq; piſtilli ſubſtantia cõtrahere poſsit,ex eo nobis planũ fieri poſſe puto. Si enim ſyncerè,ac diligentiſsimè per ſe attritus fuerit,tũc albicantem,nullóq; ſapore externo præditam eſſe illius farinã perſpicuè ſentiemus:ſin autem in eo terendo,ęreis,orichalceis,aliiſue iſtiuſmodi uſi fuerimus inſtrumẽtis,ciner acei potius eſſe coloris,ac nigricãtis uidebitur, quã candidi,ut uerè eſt illius farinæ color:ingratũq;,& horridum,& abominabilẽ ſaporem,& odorẽ reddere,noſtræq; naturæ potius inimicũ,quã ui ulla medica ægrotantibus ſalutarẽ,& amicũ:quod ab Auerroë cõfirmatur Collect.lib.v.ca.de Smaragdo.Quare longè melius fuerit illum pila aliqua,uel tabula lapidea, quæ tamen duriſsima ſit & ſolida,terere, poſtquã tamen prius aliquo modo piſtillo & mortario ad minimas partes redactus fuerit. Si uerò fortaſſe ui quadã malefica cũ humorũ putredine,tanquã ueneno quopiã in corpore noſtro inuento,atq; cũ eo naturale bellũ gerẽte, Smaragdũ colluctari adhuc contendere perſeuerent hi,qui noſtris aduerſas tueri conantur partes,ambóque exitialia cum ſint, ſuperſtite homine cõmori, quemadmodum de Aconito tradit Plinius:his quidẽ ſatis ſupérque factũ eſſe putem,ſi ea quæ perpetua oratione hactenus diſputata ſunt,ab ipſis accuratè lecta fuerint,ac diſcuſſa.Smaragdum nanque alexipharmacum ualidiſsimũ eſſe,ſiue alexiterium,non autem ut deleterium quoddam ſumi, ab omnib.proditum eſt,qui de illius natura unquã ſcripſere,ſed quòd totius ſubſtantiæ ſimilitudine, aut caliditate ſubtili corruptos educat humores, nullibi, ſi rectè memoria teneo,inuenies:neq; etiam quòd una ſimplici, aut coniugata qualitate proſit, quemadmodum oſtendit Galenus cum de alexipharmacis mentionem facit.Atq; cũ Smaragdi uſus his medicis tantopere placeat,cur nullam de hora,qua tradendus eſt, illius mentionem faciunt? ſed potius confuſi & perplexi uidentur, cùm non una & eadem ratio ſit in omnibus cibis, & medicamentis ſumendis: illorum enim quidam in ipſo cœnę uel prandij initio unà cum reliquis cibis permixtũ dant:alij præter rationem quidem & ipſi,in medio,alij uerò poſtrema menſa, mẽſura etiam illius,quã antiqui ſtatuerũt,neglecta:neglectis nec minus iis quæ ab Auenzoare primo Theiſir,& ſecundo,in cap.de dyſenteria ſcribuntur,cum dicit,illi qui Smaragdũ ſumit, opus eſſe ut ſeptem horarum ſpatio,uel circiter, poſtquam eum ſumpſit,cibo,potúue abſtineat. Vt autem nihil ad artificiũ plus habent qui tibiis,cithariſue abundant,neſcientes uti,ita & antidoti huius, & quicquid præterea eſt medicinarũ,nihil prodeſt poſſeſsione ſua ſi uſu deficiãtur,ut ait Gal.in lib.de Theriaca ad Pamphilianum.Verum id quoq; imprudenter agunt,quoniam nullam,uel ſanè minimã,cùm illum exhibent, diligentiam adhibẽt,quaſi ipſis nullius ille eſſet excellentiæ & efficaciæ.Si enim ex iure aliquo,aut liquore alio ſumatur,notabilis illius portio adhærens remanet tum oris, tum faucium,ut ita dicam,parietibus: quare ſperatam ualetudinẽ ſubſequi ſperãdũ nõ eſt.Potius itaq; tenuiſſima quadam orbiculata formula adorea, ut ea eſt quã noſtro idiomate nicolã appellant,aut ſimili re circumuolutus ſumẽdus erit.Et quoniam de illius menſura, ac modo,doſiue (ut aiunt) paulò antea nonnihil memorauimus,ne quid,quantũ in me fuerit,prætereatur,hæc quoq; pauca ſuperioribus annectere operæpretiũ fore exiſtimaui.Quid enim incõſultius eſt,quàm Smaragdũ unius grani pondere ægrotis dare, nec ulla ratione ad eũ dandũ moueri,& ex eo illos cõualeſcere poſſe proculdubio exiſtimare? Repugnat enim illis tum Serapionis,tum Auerrois,tum aliorum etiam Arabum doctrina,qui nouẽ grana ad ſummũ, uel ſex ad minimum,ut Auenzoar ait,urgente neceſsitate danda eſſe præcipiũt: quod ſemel tamen aut bis mihi uidere cõtigit à quodã medico factitatum,qui quoniã & ætatis,& rei amplæ, & populi ad ipſum undecunq; confluentis fauore cęteris præſtare uidebatur medicis, omnia quantũuis etiã enormia tẽtare,& audere ſibi licitum eſſe exiſtimabat, crimen ſuũ cõmunis criminis ſocietate excuſans: qui ſi ab hac menſura paulũ declinaſſet, tolerabilius quidem eſſe dixiſſem,quando(ut ſcis)nonnunquã nobis expediat pro arbitrio noſtro,traditis à maioribus cum ſimpliciũ,tũ cõpoſitorũ medicamentorũ menſuris & ponderibus aliquid adiicere aut demere,pro diuerſa ægrotantium natura,ętate,tempore,& reliquis quę à medicis cõſiderari ſolent cum illos curant cõſideratis.Quinto enim de ſimpl.med.ca.xvij.ſic ait Galenus:Ea omnia, quæ deleteriis aduerſantur, ſi largius ſumpta fuerint, grauiter animantis corpus lædũt:ſi uerò parcius,à deleteriis exiguitate ſua uincuntur,&c.Superius autẽ oſtenſum eſt Smaragdũ ut alexiteriũ dari,non ut deleterium: quæ uerò deleteria tota ſubſtantia nobis cõtraria ſunt, ſi uel minima illorũ quantitas aſſumpta fuerit,omnino lædat neceſſe eſt,ut exẽpli gratia dryopteris,& hydrargyros,& huiuſmodi:ſecus autem eſt de iis quę qualitatibus manifeſtis nobis aduerſantur,ut cicuta,mandragora,& id genus alia,ut eſt in capite xviij.libri ſuperius citati.Viderint igitur ipſi quibúſnam rationibus,quod agunt,tueri poſsint:mihi quidem malè agere uidentur, nulláq; de eo diligẽti perſcrutatiõe prius facta, omníq; ratione,& Galeni,& autorum ſuorũ reuerentia neglecta,ad dandum medicamentum hoc accedere,perinde ac ſi eſurienti cuipiam offam aliquã dare excogitaſſent. Quare tutius ego eſſe duco, uel Smaragdum non exhibere, uel ſi exhibetur, eo pondere dari, quod ab Arabum ſcriptoribus ſtatutum eſt, uel paulùm ab eo citra ſupráq; declinare.Quapropter hi,qui Arabum doctrinæ nimium ſtudioſi ſunt,in poſterũ conſiderent uelim, Smaragdum(ut diximus)tanquam præſentaneum alexipharmacum haberi,& dari,déq; eo magnam habendam eſſe & diligentiam,& cuſtodiam: ſimúlq; illi,qui falſò quidem,ut ait Galenus,nihil ægrotis prodeſſe niſi pretioſum fuerit & peregrinũ,admirari deſinant,quòd quãdoq; Smaragdi uſum uituperauerim, tum iis,quas ſuprà diximus,cauſis,tũ etiã quòd medico ſummopere cauẽdũ ſit,ne ægroti,ſi fieri poteſt,ad nimias cõpellãtur in emendis medicamentis ſumptuoſis impẽſas, qñ frater meus à Franciſco Maria Vrbini principe illuſtriſſimo,& militię noſtri temporis,ſi quis alius,imperatore maximo,rogatus ut illi Smaragdum granorum hordei aut tritici octo pondere ex orientis quidem regione puriſsimum ad leuandam eius aduerſam ualetudinẽ afferret,illum C X I I I. aureis numis ei uenũdederit:conſtat enim multo pretio perfectiſsimus Smaragdus.Cæterũ criſtalla(poſtquam in huiuſmodi mentionẽ incidimus)& pellucidiora uitra inſtitores nequiſsimi tã callidè adulterant,adſimilántq; ueris,ut etiam exercitatiſsimos in eis fallant.Quare medicamentorũ ſimpliciũ ſpecies ac diſcrimina nõ ſemel,aut bis,térue, ſed admodũ frequẽter ſpectaſſe cõuenit:multò enim melius eſt ſuismet oculis inſpicere, quò medicamẽtorũ uim & malitiã exactè cognoſcas,quàm docente libro illud aſſequi uelle.Maximè enim medico ſtudendũ eſt, ut natiuis,& ſynceris ad pellendos morbos utatur medicamẽtis, ut ait Galenus in lib.de antidotis:quamuis ut eodem loco affirmatur,qui exiguum quiddam componit nõ adeò ſummè bonis medicamẽtis indiget:ſi uerò theriacã,aut mithrydation,aut aliud quoddã multę miſturæ,& cinnamomũ recipiens cõficiat,omniũ pręſtãtiſsimis opus medicamẽtis habet.Quapropter nõ mediocriter pharmacopolas illos arguendos eſſe puto, qui,cũ medicus aliquã rhabarbari particulam in aliquo decocto aut liquore macerari iubet, aut illius farinam præparari, & aliis cõpoſitionibus admiſceri,uel per ſe ſumi,detracta

Lib.27. cap.2.

Lib.5.de ſimpli.medi.capi.17.

7.de compo. medic. ſecundum locos.

3.κατὰ γένη.

Lib.1. Galen. 1.de cõpo.medic. ſecundum locos.

ex ea ramenta quædam ad nonnulla alia poſtea conficienda uſui reſeruant:quod ſimiliter & in agarico,& in pleriſque aliis apparandis medicamentis faciũt: ueluti etiam,minori quãuis incõmodo,cũ floris caſiæ,quem uocant,partem,quæ illis fortè ſuperfuerit,compoſitioni,quæ caſia mellis,uel clyſteriorum caſia nuncupatur, iniiciũt,neſcientes caſiam fiſtularem, cum à cannis extracta fuerit,exiguo tempore corrũpi,propter nimium ipſius humorẽ. Et propterea aliàs à quodã pharmacopola rogatus,qui maximus ſuæ artis ab omnibus exiſtimabatur,ut ſibi aliqua lapidis praſinæ,ſic uulgò à uirenti colore appellatę,fragmenta elargiri uellem,quem ille Smaragdi matrem nominabat, ad puluerem illum quem cordialem uocant,& tantopere decantãt,conficiendũ(intellexerat enim Ioannẽ Baptiſtã fratrẽ noſtrũ ſingularis quidem ingenij iuuenem, Venetiis perquàm magnam lapidis illius copiã uili ſanè pretio nõ pridem mercatũ fuiſſe)ualdè eũ reprehendi, & illi errorem ſuũ aperui.Neq; tamen ſibi ullo modo cauent,uel non animaduertunt hi,quibus pręſertim tale delegari officium ſolet,quales medicamentorũ cõcinnatores habere debeãt,cùm tot ueneni potius,quàm medicaminis datores,tot hoſtes,non amicos,tot mortis,nõ ſalutis miniſtros,interdũ ſuſtineant ac foueant:aut ſi hoc illi cõpertum habent,mihi quidem hãc omnem rationem penitus negligere uidentur:quod certè maximũ eſt eorũ,ac ſuorum periculum,& damnum euidẽs, medicorúmq; omniũ nõ leuis infamia.Eſſent profectò illi ut perditiſsimi homines,ut mercedis exactores impij,et carnifices, à ſe omnes quidem longè pellendi,atq; empirici,præſtigiatores,quiq; purpura & ſerico tãtũ, ac uerborum lenociniis,atq; artibus potius quàm uirtute famã aucupantur:nõ autem intra urbiũ muros medendi cauſa, ut quotidie fieri uideo, ex uariis orbis regionib.cõfluẽtes accipiẽdi atq; amplexãdi,quibus deinde ſe,nullo illorũ ab optimis & eruditis diſcrimine habito,ſæpenumero committunt:quod ut latius conſtare poſsit,hîc mihi libuit infrà ſubnectere recutiti illius Iudęi exẽplũ,peſsimi quidẽ & indocti,qui iã tribus exactis luſtris bona fortuna uti neſciẽs,ut à primoribus ciuitatis noſtræ tantã, quãta ſibi ſufficere uidebatur,corraſit pecuniã,quibuſdã ex illis prępoſtera ab eo curatione necatis,aliis multò quàm antea peius ſe habentibus,relicta tandẽ uxore expilata,ipſe in alienas terras migrauit.Quæ tamẽ boni cõſulas rogo:nõ enim hęc à nobis ſcripta ſunt,ut quicquam de ullius fama detractum uelim,mihíque hac de cauſa maius accedat lucrum,aut honor,uerũ ut ueritas magis innoteſcat,uitiáq; ſimul reprimãtur, utque mulierculis nonnullis,quas Deus perdat,& tabernariis omnino,ſi id fieri poteſt,inhibeatur,ne arbitrio ſuo cuipiam ægro medicamenta dare audeant, ſed ut quæ ad alios ſpectant artifices,ab his pertractandis abſtineãt, neque iis ſe implicent negotiis,quæ potius obeſſe poſſint,quàm prodeſſe.Generatim igitur medicamẽto illo (ne ab inceptis deſiſtere uidear) non particulatim ab illuſtriſsimo principe,nullis aliis ſimplicibus aut cõpoſitis medicamentis ſecum permixtis deuorato,poſtridie quàm illud ſumpſit,nõ amplius ita grauiſsimè affici uiſus eſt eo morbo, qui à nonnullis pulicaris, ab aliis morbilli,et petechię,ab aliis uerò puſtulę,ſiue ἐξανθήματα appellantur, id quod ab aliis medicis de aliis quoque ægrotis relatum accepimus:quod an medicamẽtorum in curatione præcedentiũ,an alicuius alterius rei occaſione,ut interdũ fieri conſueuit,an Smaragdi auxilio factum fuerit,equidem dubius ſum.Nam ſi tam admirabilem ſanandi uim huic tam ſuſpiciẽdo antidoto natura impertita eſt,ut illi exiſtimãt,cur alia medicos iuuat remedia contra febricitantes experiri prius,& tentare, quando hoc ſolo auxilij genere illos cõualeſcere poſſe autumẽt? Cur inquam ægrotos malunt tot pharmacis, decoctis,atq; imperioſa inedia,tot balanis, & clyſmatis,hirudinúmq; admotione,& omni cucurbitularum genere,cubitiq; & manus uenarum ſectionibus uariis, modò in ſiniſtra,modò in dextra factis,aliiſq; præterea acerrimis in morbos oppugnationibus et intemperantiis dilaniare, atque tantopere optatam ſalutem in longũ tempus prorogare,cùm pręcipuè uehementiſsimi,& turgentes,maligniq; urgẽt morbi? Non enim timendum eſt,ne,ſi morbi initio detur nõ expectata humorũ cõcoctione,maior cõtingat noxa, cùm,ut antea notum fecimus,ſi detur Smaragdus,nullos illũ educere humores compertum ſit, At uerò non poſſum non admirari,Galenũ in inueſtigandis medicamentorũ facultatibus citra cõtrouerſiã curioſiſsimum,induſtriúmq;, diuerſas orbis,ac longinquas crebrè peragraſſe regiones,culmina montium inuia,& ſolitudines abditas,omniſq; terræ fibras ſcrutatũ fuiſſe,pro rerum certitudine,& notitia inuenienda,nullámque ob aliam cauſam mille ſubiiſſe diſcrimina,neque Smaragdi ſubſtantiã & uim,cũ paſsim ille haberetur,ipſi innotuiſſe, aut de ea quicquam diſſeruiſſe,uel ſi plenã illius tenuit cognitionem,non uberius in poſteritatis cõmodum tradidiſſe, etiã ſi magna mercede,& labore illã didicerit,quemadmodũ de aliis probè facere conſueuit medicamentis,ut ait in ix.de ſimp.med.capit.de Diphryge:niſi quòd fieri poſſe non negamus,ipſe nõ exactè uim & naturã illius nouerit,aut illũ,ut multa alia ignorauerit.Plurima quidem Galeno ignota extiterunt,ut ſandali,ut caſia fiſtularis,moſchus,ſena,caphura,ſaccharũ, & alia eiuſdem generis,quæ omnia Arabum eſſe inuenta proculdubio confitemur:quibus profectò habendę ſunt gratiæ ſempiternæ,beneficij accepti ratione:qui tamẽ ſi à ueritate & Galeni methodis,quæ quidem abſolutiſsimę ſunt,in multis non aberraſſent,rectius ſanè feciſſent, neq; pluribus medicis aberrãdi anſam pariter præbuiſſent: inhumani enim ualde,& ingratiſsimi uiri eſt, honoris titulum ac dignitatis,utilibus quæſitum lucubratiõibus, cuiquã non tribuere.

*Sexto de Simp. medi. capi.de Damaſonio.*

Sacchari tamen perfecta notitia, uſuſque generalis an Galeno ſatis conſtiterit,an aliquo modo illius naturam tantũ quaſi deguſtauerit,uberius forſitan aliquando demonſtrabimus, quidq; aduerſus eũ Ruellius annotauerit excutiemus. Sed ne te diutius, & prolixiori quàm ſperabã ſermone,eóq; inelegãti ſatis morer,atq; à potioribus ſtudiis auocẽ, quod noſtri reliquum eſt inſtituti,quã celerrimè peragemus. Illud igitur quoque cõſideratione dignum uidetur, Aëtium, cæteróſque quos norim ex recentioribus Græcis ætate quidem Galeno longè poſteriores, nihil aut pauca de Smaragdi ratione ſcribentes,nobis tradidiſſe,neque de hac mirabili proprietate,qua iſti aduerſus febres pollere prædicant,quicquam memoraſſe.Auerroës quidẽ in quinto Collect.& Auenzoar in cap.de dyſenteria,cõtra inueteratum fluxũ,necnon aduerſus uenena,præſertim ſerpentum,illum exhibendum eſſe affirmant,uel etiam appenſum iuuare:in quam ſententiã conuenerũt plerique ex Arabũ ſecta:tametſi Serapio inter cæteros illorum ſcriptores,ſi quis alius,approbatiſsimus & ſpectatæ eruditionis uir,eum aduerſus uenena ualere dicat, ſi prius,quàm illa uirus ſuũ inflixerint atq; impreſſerint, aſſumptus fuerit:non autem cõtra febres,ut iſti contendunt,neque poſtquam morbus inualuerit. Quibus uerbis ſuo quidem modo cõſideratis, ſic poſtea colligunt recentiores quidam:Putridorum humorũ malitia,quæ in corpore noſtro quãdoq; inuenitur,ueneni naturam pręſtat,iuxta Galeni ſententiam in xcix.cap.artis medicæ,& in quinto de locis affectis cap.j.& in vj.eiuſdem, cap.v.ergo Smaragdũ aduerſus putridas febres & malignas pręſidio eſſe apertè cõſtabit.Quibus ex ſuperius per nos,& Serapionẽ ipſum fuſius explicatis,ne ſæpius eadem repetere uidear,& chartas implere, abundè ſatisfactum eſſe arbitror:nullũ enim hactenus uel Arabũ, uel Gręcorum autorem uidi,aut ab ipſis aliquis citatus fuit,qui eum in aliquo febrium genere prębendum eſſe dicat:imò Auerroës de illius uiribus in fluxu uentris,& uenenatis,ex aliorum ſentẽtia ea commemorat: quare nõ poſſum non ſummopere admirari iſtorum temeritatem & arrogantiã,qui eum ita audacter nullo autore in febribus dant.Ego nihil ſanè,quod compertũ habeã, adhuc aſſerere poſſum de hac Smaragdi tã celebratiſsima facultate,quæ à recentioribus illi ineſſe traditur aduerſus huiuſmodi putridas & malignas febres:de cęteris autẽ illius uiribus,quas dicunt,eíq; attribuunt,præſentis noſtri non eſt inſtituti diſſerere.Illud præterea dixerim,ſympathiam illam & antipathiã(ut Plinij uerbis utar)tum rerum,tum qualitatum,pro non leui emolumento nobis pręcipuè in re medica habendã eſſe:cuius etiã meminit Galenus in tertio de ſimp.medic.non his quidẽ,ſed amicitiæ,& pugnantiæ nominibus utens:nõ enim omni ueneno quodlibet antidotũ aduerſatur,niſi quædã cõmuniter auxiliantia,ut rubrica Lẽnia,& nonnulla alia:quæ tamẽ ita adulteratur, ut nemo uerã à fucata,falſáq; poſsit dignoſcere. Imò cõtra toxicũ,cantharides,& huiuſmodi alia certa remedia peculiarẽ habere uim ſcribũtur:quibus ſi aduerſus alia utaris uenena,eis

*ii. Prorrhet. comment. Tertio epid. cõment. iij. & libro de boni & mali ſucci cib.*

*Capi.5.*

*Gal.1.libro de Antidotis.*

nihil

*Cap.29.*

nihil profueris:quemadmodũ Galenus libro de antidotis,Paulus Aegineta in v.& Dioſcorides circa libri ſexti initiũ manifeſtè oſtendũt.Idcirco & quæcunq; aliæ facultates,quæ Smaragdo contra uenena attribui uidentur,diligentiori cũ præmeditatione nobis inueſtigãdæ erunt:quod enim curandũ ſuſcepimus,non ſolùm diuinis mentibus cõparandum eſt,uerumetiam illis prẹſtãtius,& Deo ipſo quoquo modo aſsimilãdum,in cuius beneficium ſingula orbis ornamenta,& animantiũ genera creata ſunt:finis enim omniũ homo eſt,ut ait Ariſtoteles in ſecũdo phyſicẹ auſcultatiõis. Quantã autem

*Sexto de cõ. medi. ſecundum locos.*

iis cautionem adhibere debeat(ut illud quoque obiter annotauerim)qui ultra quàm par ſit, certis relictis,incertis ac nuper inuentis medicamentis utitur,ac curioſæ experientiæ confidit,hiſq; quæ ad nos ex peregrinis præcipuè adferuntur regionib.ut ait Plinius infrà citati libri ca.xxiiij.neminẽ puto latêre debere:ne nũc de illis dicam,quæ à medicis publico omniũ ferè conſenſu, & magno uſu habita,& in noſtro orbe inuenta celebrantur,& præbẽtur,nec tamẽ à multis dignoſcuntur:quoniam illi ea plurimum prodeſſe,& uim ſalutarẽ habere exiſtiment.Et propterea conſulebat Galen.in lib.de antidotis,peritũ eſſe medicũ,ſi fieri poteſt,omniũ ſtirpiũ: ſin minus,at plurimarũ.& quarũ uſus multus eſt. Videmus enim quàm uaria ſit rerũ uicisſitudo,quàm inconſtãs aëris ſtatus:eſtque dilıgẽter obſeruãdũ , nubilúſne, an ſerenus ſit aër,quáue item ẹtate medicamenta colligenda ſint,atq; in uſum reponẽda , ut probè annotauit

*Idem confirmat in lib. de Theriaca ad Piſonem Hippo.teſtimonio.*

Dioſco.in ſuorum librorũ præfatione, & Plin.lib.xxvij. cap.ulti.Galenúſq; præſertim tertio de comp.medic.ſecundum genus.Tum pharmacopolarum complurium auaritia,atq; illorũ in conficiẽdis compoſitionibus incuria,& fraus,ut antea monuimus , nobis ualde ſuſpecta eſſe debent,ut Plinius cõfirmat lib.xxxiiij.atq; Scribonius Largus in eo libro,quẽ de medicamentorũ cõ-

*Capi.11.*

poſitiõe inſcripſit:quãdo aliàs reges atq; Imperatores optimi & maximi,perfectè medicinã inſtructi , id muneris exercuiſſe magno ſibi adſcripſerint honori,ſuíſq; compoſitionibus & inuẽtis ſua indiderint nomina,ut de Mithridate conſtat,Euphorbio, Teucrio,& eiuſdem generis aliјs:hac enim illi de cauſa , quòd laboranti populo medicamẽta à ſe confecta exhiberẽt , erga ſuos ciues & uniuerſam plebem munifici ac liberales , multò quàm antea chariores & gratioſiores reddebantur:cuius rei multa ſunt apud Galenum exẽpla in libro de theriaca ad Piſonem,& in libro de antidotis , & primo de comp.med.ſecũdum genus.Sunt præterea uarij terreni cultus,patriæque diuerſæ,nec mediocriter naturis differentes,quemadmodũ ait Galenus,adeò ut minori quã

*Tertio de cauſis ſymptomatũ,& ſecũdo de ſemine.*

duorum ſtadiorum interuallo,non paucæ ſint & uitiũ, & herbarum differentiæ : ſunt quoque innumeræ animalium ſpecies,quæ prẹſentanea quidem deleteria exiſtunt,quæ ſtirpes,aëra,& alia nonnunquam uirulento halitu ſuo,& contactu inficiunt : quo plerunque fit,ut quæ à cunctis ſaluberrima,noſtróq; uſui accommoda citra omnem dubitationẽ eſſe exiſtimantur,hẹc & medelæ minus idonea , & quandoque acceleratæ mortis cauſẹ nõ prẹuiſẹ haud immeritò dici poſsint ac debeãt, quẽadmodũ Gal.tradit in primo de differ.feb.lib.cuius

*Cap.3.*

uerba hæc ſunt:Et præterea natura optima ſunt , ſed ob quoſdam putrefactionis modos æquale,aut maius aliquando uitium contrahũt,ueluti frumẽta,hordea,atq; aliæ fruges,quæ ad uſum cibi ſumũtur , quarũ nõnullæ temporis longitudine ad corruptibilẽ ducũtur diſpoſitionem,aliæ quoniam malè repoſitæ fuerunt , humiditate replentur , quædã uerò & in primo ortu rubigine deprauantur:tales cibos quoq; hodie urgẽte fame plures coacti comedere,nonnulli quidem à putridis ac peſtiferis febribus interierunt,nõnulli autem puſtulas inſtar ſcabiei ac leprẹ in corpore cõtraxerũt.Quapropter hodie medici admirari deſinant,ſi tum aliis,tum ex ptiſanæ atq; alicẹ ſumptione non ea ſequantur commoda & utilitates , quæ ab Hippocrate & Galeno illis attribuuntur:quoniam nunc & hordeum & zea nõ multa prẹparentur diligentia,neq; eo ſerantur ſolo,aut ſimili, quale Campanũ erat antiquis tantopere celebratũ,ſiue Laboriæ campi,qui nunc materno ſermone terra de lauoro dicuntur,ſed in quouis alio ſolo,& nulla quidem

*Primo de ratione uict. acut.*

induſtria:unde nõ panes tantum ex hordeo , ſed ipſum etiam hordeum quadrupedum potius reficiendorum, quàm hominũ cibũ eſſe uerius quiſpiã cum Plinio dixerit.Quare Hippocrates etiam,ut ſcripſit Gale.in primo de alim.facultatibus,capit.de hordeaceis panibus , uile hordeum ne ptiſana quidẽ dignum cẽſuit. Et propterea

*Lib. de Ptiſana.*

medicorum noſtri temporis negligẽtiam incuſauerim in conficienda & danda ptiſana,cũ Hippocrates & Galen.dicat eã ex optimo hordeo confici oportere,& niſi ſufficienter paretur,crebrius ſanè detrimẽtum adferre. Iſti uerò temerarij ardeliones nunquam deſinunt noua in noſtram potius perniciem quàm in ſalutẽ remedia, prout in illa inciderint,tẽtare,& circulatoribus potius improbis & loquacibus,quàm peritis et expertis artis medicæ autoribus fidem habere uolunt:quod utiq; nõ auderent facere , ſi Galeni dogmata , & methodos animaduertiſſent,quando aliquis quodpiam medicamẽti genus uel patrium,uel exoticum,in ſalutis noſtrẹ ſubſidium experiri,déque illo periculum facere tẽtat.Verùm quia hoc ſolùm quærunt,hoc amant,ut hominibus placeant,& diteſcãt,illíſq; accepti ſint & grati,non autem quòd ueritatis & ſciẽtiæ ſint ſtudioſi,propterea ſpretis Galeni methodis,noua amplexantur,& laudant:quod cùm effecerint,quoniã ita cẹteris omnibus præſtare uideantur medicis,ſe rei medicæ eſſe Atlãtes & proceres, & humanæ uitæ imperatores arbitrãtur,ſuáq; iſta eſſe inuenta prædicãt:quorũ nonnulli dicunt,ut aliqui Ga-

*Primo de uirt. natu.*

leni tempore dicebant , ne prodant , quæ ſibi ſunt chariſsima,compoſitiones ſuas aliis manifeſtare nolle,ſed domi illas per ſe conficere uelle : quod tamen , etiam ſi optimum illud eſſet,à Chriſti diſciplina maximè alienũ eſt,& Galeni etiam in ij.de anat.adminiſt.& utinã auaritiam potius non oſtẽdat,quàm ullam pietatem. Hæc igitur quoties mihi in mentẽ ueniunt,quotiéſq; attentius meditor ad quorũ manus nũc peruenerit medicina omnium ſanè artiũ maximè neceſſaria & nobiliſsima,pudet me equidẽ,& doleo:& ſi aliquis in mortuis eſt ſenſus & recordatio,noſtráq; opera mentis quibuſdã ſpectris & imaginibus uident ac cognoſcũt,cui dubium fuerit, Hippocratis,Galeni,Celſi,Pliniiq; & aliorũ illius academiæ manes celeberrimos quidẽ nobiſcum dolore maximo non affici,non triſtari , non conqueri? Fatemur Hieronyme,fatemur,nũc quidem nõ amplius diuinã,nec uenerabilẽ , ſed nullius pretij medicinã eſſe, ſed(ut ita loquar)perfricatæ frontis meretriculã,& fraudum omnium plenam,& ſophiſmatum , atq; auaritiæ & ambitiõi ualde obnoxiã , & ad infimos homines & abiectos perueniſſe,& quẹ digna ſit ut non amplius ab ullo probo atq; ingenuo uiro exerceat.Quare(niſi Chriſtus ſola eſſet mortalium gloria,& præmium incõparabile)interdum nos plurimum quidem tæderet illi operam nauaſſe,& medici nomen nobis uendicaſſe , quoniam hac noſtra ætate nullus,uel certè rarus iis qui uirtutis ſplendorem quærunt , & uitia abominantur,habeatur honor. Quemadmodũ enim arua ſi raſtris atq; aratris aſsiduo labore , aſsiduáq; diligentia exerceãtur, uberrimos fructus,eóſq; optimos procreant , alúntq;: contrà uerò ſi negligantur,ſterileſcũt,inertiáq; fiunt:ita hominum ingenia clara,mores optimi,optimẹq; diſciplinæ,ſi debita præmia,honoréſq; tempeſtiuos , & dignos ſuſcipiant , uires & alacritatem ſumunt ad edendos fructus,& quaſi luxuriant in cõmoda ægrotantiũ: ſi non adiuuãtur,ita languẽt & frigent,ut nihil , aut certè parum boni párere poſsint. Sed de his ſatis à me dictum eſt,latiúſq;,ac ab initio quidẽ putaram,& prẹter inſtitutum noſtrum:quare iam tempus eſt receptui canere,& contractis huius epiſtolæ ſiue potius libelli uelis quieſcere.Quoniã uerò ex iis quẹ ſuperius diximus, opinionem noſtram ſatis tibi conſtitiſſe arbitror,propterea alio epilogo eam colligere,& repetere mihi non opus fuerit,prẹſertim cùm ea ad doctum ſcripſerim uirum.Tu igitur ſi quid ea de re compertũ,exploratúmq; habes , pro communi omnium ſalute reſcribas cupio. Salutem meo nomine,ſi non moleſtum eſt,uelim dicas Ioanni Mundellæ,ſanguine ac beneuolẽtia mutua mihi coniũcto:pulchrum enim fuerit , ſi à medico ſalus nunciata fuerit medico per hominem medicũ , & quidem utriuſq; ciuem,& amicum. Vale. Ex Brixia,Calen.Aug. M. D. XXXVIII.

ALOISIVS MVNDELLA MEDIcus,*reuerendo Alexandro* Toto. De *uuis paſſis.* Epiſtola II.

QVOTIES à negotiis ad conſiderandã noſtrorum temporum cõditionem animũ meũ auoco , facere non poſſum quin eo dolore , quo

debeo, afficiar, & iuſtos edã gemitus in cõmiſeratione præſentis ſtultitię, & infelicitatis humanæ. Mores enim hominũ & prauũ uiuẽdi genus eò perueniſſe uideo, ut qui honeſtę uitę rationẽ ſequatur, neglectui & ludibrio habeatur: qui uerò turpe uiuẽdi genus ſibi amplectẽdũ ꝓponat, in maximo honore ſit & pretio. Ex quo fit, ut mirũ uideri nõ debeat, ſi nũc id accidat, ut maior ſit malorũ quã bonorũ numerus: nã uitiũ, quoniã non modò nõ punitur, ſed ne reprehẽditur quidẽ, in immẽſum creſcit, & ſpargitur: uirtus autẽ, quia deriſores potius quã laudatores habet, ita lãgueſcit, ut uix ſe ſuſtinere poſsit, nedum ad propagãdũ uires habere. Qui enim in aliqua poteſtate & dignitate ſunt, ſi ita uiuũt, ut honeſtatis legem aliquãdo uel in re leui tranſgrediãtur, reprehẽdẽdi officiũ negligũt, quia cõſcientia territi talionẽ reformidant. Qui uerò ita ad legis præſcriptũ uitã ſuam cõponunt, ut iuſtè ipſi reprehendi nõ poſsint, falſi tamen criminis, & odij, iniurięq; metu, ab officio iuſtæ obiurgationis ſæpe ſeſe abſtinẽt: quandoquidẽ nõnulli ita delicati ſtomachi ſunt, ut nullo modo pati poſsint, ut ab ullo ulla in re uel amicè corrigãtur, uolũntq; faſtu quodã & ſuperbiæ inſitæ tumore, uel in errore prudẽtes, & in uitiis probi & incorrupti maximè uideri. In quorũ numero noſtri etiã ordinis multi reperiuntur, qui adeò à uera tuendæ ualetudinis, quam προφυλακτικὴν appellant, methodo, & pellendi morbi ſcopo, & ratione remoti ſunt, ut niſi Deus illorũ temeritatẽ ac pertinaciam reprimẽs (quæ maxima ſunt inſcitiæ, hæreſũmue multarum fundamenta) mentẽ illuſtrauerit, de illorũ profectò deſperandum ſit correctione, ac ſalute. Hi nanq; quidlibet potius pati malle uidentur, quàm à ſuis erroribus inueteratis, & ſectis aliquo modo recedere, ut multis in rebus cõſtat, et nũc in uuarũ paſſarũ rationib. manifeſtius cõſtabit, de quibus à nobis tecum futurus eſt ſermo, & de illarũ natura aliqua nunc commemorabimus, ut cognitione tibi poſsis prodeſſe. Paucas uerò miſi, ꝙ amicorũ neceſsitati reliquas impertiuerim: quódq; eas tibi non ut muneris loco, ſed ut amicitiæ noſtræ pignus & monumentũ eſſe debeãt. Plin. itaq; lib. xxiij. capite primo, de uua paſſa, quam Græci ἀσταφίδα appellant, ex qua quondã paſſum fieri ſolebat, cuiq; à patiẽtia nomẽ inditum eſt, eiuſdẽ xiiij. capi. ij. (qui tamen paſſum cõficiẽdi modus nunc in Italia pręſertim exoleuit) hæc ſcribit: Si nuclei ab eà eximantur, maximè alba, tuſsi & arteriæ cõferre: atque, niſi nuclei acinis remedio eſſent, ſtomachũ, uentrẽ, & interanea tẽtaret. quæ uerba prius à Dioſco. ſcripta ſunt. Vnde euenit ut quidẽ neſciã, cur medicorum nonnulli his Plinij uerbis freti, ad pectoris, & circumiacentium partiũ aſperitatem leniendã & mitigandam, eam ita approbent, ut cæteris præferre uideantur medicamentis huic morbo adhiberi conſuetis & conuenientibus. Neq; cùm de paſsis uuis ueteres mentionẽ faciunt, de iis intelligendũ eſſe exiſtimo, quæ nunc ad medicinæ uſum habẽtur, cũ uariè, & longè exquiſitiori diligẽtia ab illis præparẽtur, quàm noſtrates, atq; inter ſe hę plurimũ diſcrepent, quẽadmodũ ſi quis antiquorũ ſcripta legere uoluerit, ſatis patêre arbitror, etiã ſi paſſas ex uariis uuarũ generibus fieri concedamus. Et ſanè Gale. in ſuis arteriacis ad thoracis morbos compoſitis, paſſas enucleari iubet, carnémq; earũ tantũ ſumi debere, ut eſt in vij. de compo. medic. ſecundũ partes, capi. ij. quod ab Aẽtio itidẽ confirmatur. Alexãder quoq; Trallianus lib. iij. capi. xiij. ſi à nucleis ſeu uinaceis repurgentur, peculiare iecinoris alimẽtũ eſſe ſcribit. Quàm uerò miris eas laudibus extollat Gale. viij. de comp. medi. ſecundũ locos, ad hepaticos, & thoracis uitia, ſi à granis & ſeminibus ſuis repurgãtur, ut notiſsimũ prætereundum cenſeo. Quare manifeſtum eſſe puto, ſi paſſæ uuæ eæ intelligãtur, de quibus antiqui mentionẽ habuerũt, ſuprà dictis morbis potius aduerſari, quã ſalutares eſſe, & ad dyſentericos potius & cœliacos cõgruere, quòd adſtringẽtis ex naturæ ſint, cùm minimũ illæ carnis habeant, plurimúmue cutis & corticis & nucleorũ, quos adſtringẽtis naturæ eſſe & ſiccæ, nemo eſt qui dubitet: quare earũ decoctũ & carnẽ, tuſsi & thoracis morbis conuenientius eſſe, atq; hepaticis exiſtimo. Si uerò uoluerimus recẽtiores cũ de paſſulis, quas uocãt, mẽtionẽ faciunt, de illis locutos fuiſſe exiſtimare, quæ abſq; ullis proueniũt nucleis, id quidẽ haudquaquã uerũ eſſe conſtabit. Galenus enim eiuſdẽ generis uuas in Cilicia naſci, éaſq; craſſas & ſolidas eſſe ſcribit, cuiuſmodi illæ non ſunt quibus cõmuniter utimur: tũ quia etiã cùm pharmacopolis eas ſeniores noſtri medici ſumendas dictãt, ſæpenumero animaduertimus illos modò cum huius uerbi (enucleatas) acceſsiõe, modò ſine arillis (ita enim illi loquũtur) dictaſſe: adeò ut de Ciliſsis uuis eos intellexiſſe nõ uideatur dicendũ. An uerò id uuarũ genus idẽ ſit, de quo Theophraſtus ĩ v. de cauſis plãtarũ meminit, capi. v. cæteríq; antiqui, qui de agris colendis præcepta tradidere, profectò quod uerè affirmare poſsim, nõ habeo: paritérq; an quæ Venetiis ad nos importãtur Corinthiacæ uuæ eiuſdẽ ſint cũ his generis, de quibus Gale. cæteríq; periti medici prodiderũt, eodémq; iuxta illorũ documẽtũ pręparẽtur modo. Vnũ illud ſcripſerim, prædictis morbis uuas Corinthias, illas ſcilicet quæ in uaſculis ex ligno ſingulis annis ſeruantur, cõmodiores exiſtimari debere, quã quæ in noſtris colligũtur regionib. Corinthiis ſimiles: quòd magis dulces ſint, & à ſolis calore magis coctæ, utraſq; uerò magis, quàm antiquorũ paſſæ, illis morbis auxiliari, ſi ea diligentia parẽtur, ac ſeruẽtur, ſicuti illæ, quoniã nõ tantis nec tam magnis abundẽt uinaceis. His adde, recẽtiorũ pleroſq; nullum inter eas quę nondũ ad maturitatẽ peruenerint, & quę perfectæ ſunt ętatis, dulcéſue, & aliorũ ſaporũ, aut etiã albas & nigras, diſcrimen facere, perinde ac ſi non eſſent illę diuerſę inter ſe naturę & facultatis, plurimæq; inſuper ex dulci & auſtera miſtę eſſent qualitatis, auſterarúmq; & acerbarũ ſapor craſſarũ partiũ nõ exiſteret, ut ait Gale. quæ ob id ad educendã, quæ in pectore continetur, materiã, inutiles potius ſunt, quã adiumẽto: ſed bene eas ſtomachũ corroborare, aluũmq; ſupprimere manifeſtũ eſt: dulces uerò nec ſtomachũ diſſoluere, nec aluũ deiicere, ſed ipſis uim quãdã ineſſe tẽperamẽti correctricẽ, & mediocriter abſtergentẽ, ad leues tollendas ſtomachi morſiones. Ex qua quidẽ Galeni ſentẽtia Auicennã quoq; illa uerba ſumpſiſſe cẽſeo in xiiij. Fen tertij libri, quæ ſic incipiũt: In paſſulis leniẽdi & corroborãdi uis ineſt, licet obſcurè id, ut pleraque alia, ſcripſerit: niſi culpã hanc omnẽ in latinũ uerſorẽ reiiciendã eſſe duxerimus, utpote qui Arabici & noſtri idiomatis ſtylo parum inſtructus fuerit. Cùm uerò Gale. ſcribit, paſſas minus quã caricas aluũ ducere, & abſtergere, illud de enucleatis intellexiſſe palàm eſt priora conſiderãti. Itaque ſi iuxta Galeni ſententiã, paſſas pingues & dulces enucleaueris, aliquo modo aluum ducere, ſeu mollire poſſe nõ negabimus, atq; abſtergere, etſi quàm caricę minus, ſtomacho tamẽ utiliores. Tibi uerò, ut quẽ noſtris ſcriptis delectari ſæpius animaduerterim, noſtra hæc qualiacunq; ſunt, legẽda mittimus, nõ iis qui omnia cõtemnere et reprehẽdere ſoliti ſunt: cum familiari enim amico, & mihi quidem domeſtico, nunc agendum eſſe exiſtimaui, de re quidem ſatis omnibus uſu & experientia cognita, ut cũ in his leuibus excutiendis me exercuero, ad ea demũ quæ maioris in medicina ponderis habentur, & à recentiorũ pleriſq; malè intellecta, me accingã, Aegrotorum nanq; ualetudinẽ medico potiorẽ eſſe debere omni quæſtu exiſtimo. Itaq; ſi uuarum id generis ſubſtãtiã, & unamquanq; earũ particulam exactè examinabimus, nõ minimã quidẽ illarum portionem adſtringentis & ſiccæ eſſe naturæ cõperiemus. Quocirca ex iis quæ ſuprà citaui autorum teſtimoniis, & experimentis, manifeſtè colligi poſſe puto, ducendæ aluo (ut medicorũ uulgus exiſtimat) paſſas nõ admodum idoneas eſſe, nec adeò efficaces, ſed potius contrarias: etſi nonnullos eſſe nõ ignoro, qui ſe contrà expertos fuiſſe dicant. Nam te latêre non debet, hanc inualuiſſe apud multos medicos cõſuetudinẽ, ut cùm aliquis ex morbo aliquo cõualeſcit, ſiue ei aluus natura, ſiue ex pręcedentibus alui deiectiõibus, & morbi ſpecie calida & ſicca, quod quidẽ plurimũ fieri cõſueuit, difficilis ſit, quãprimum paſſulas præcipuè ſaccharo miſtas, quod temperamento eſt calido & ſicco, ante omniũ eſculentorum oblationẽ dari præcipiant: quàm rationabiliter autẽ & probè agãt, uiderint ipſi. Si enim à reliquis in menſa cibis, potibúſue ſumendas tradidiſſent, quòd uẽtriculus ob earũ adſtrictionem quãdã & cõpreſsionem corroboratus, ualidior reddatur, ad hunc modum aluum facilem præſtare poſſe fortaſſe non abſq; ratione dicerẽt, quemadmodũ ſecundo de alim. faculta. cap. de citoniis narrat Galenus. Quibus de cauſis conſultius ac rationabilius eſſe exiſtimarẽ, ſi quando nobis earum uſu opus eſſet atq; auxilio ad mouendam aluum, ut illę exacinatæ, aut ab omni cibo & potu ſumãtur, quò propius ori uẽtris accedẽtes, quod ſæpe ϛόμαχος per abuſum nomi-

nari

*Secundo de alim. facul.*

*In quarto de ſimp. medic. capi. 7. & 2. de aliment.*

*Octauo & nono de cõpoſ. medi ſecundũ locos.*

nari solet, illi pręstò esse, ac uires suas communicare ualeant. Te igitur horũ præclarissimorũ doctrinã uirorũ, rationémq; ipsam tanti facturũ spero, quãti abs te fieri, nõ quidẽ ut medico, sed philosopho, nihil dubito. Non enim hi sunt, de quibus Pliniũ sententiã illam protulisse nemini dubiũ est, cùm illis solis hominẽ impunè interficere nulla lege ꝓhibitũ esse dicit: sed optimi & docti, summáq; liberalitate præditi, ac pij, iuxta eiusdẽ autoris testimoniũ: quippe qui nõ medicinã ipsam, sed medicorũ arrogantiã, impietatẽ, & inscitiã arguat, uituperétq;. Præterea quia pro tua in nos ueteri beneuolẽtia, huius opiniõis nostræ, quã ex antiquorũ quidẽ monumentis eruimus, cõtra uitiligatorũ morsus defendendæ onus te suscepturũ scio, utpote qui & possis, & uelis, sæpiúsq; causam nostrã suscipere nõ aspernatus fueris, & patrocinari: ita te geras cupio in ea defendenda, ut omnes intelligãt te nõ ob aliã rẽ, quàm pro ueritate certare. Quæ uerò pro tẽporis occasione breuioribus tibi explicarẽ, nõ habui: quòd si in posterum potiora Deus nobis suppeditabit, tecum communicabo. Vale, & me, quod facis, ama, tuámq; ualetudinẽ cura. Salutat te Agathius ille utriusq; nostrum amantissimus: Agathius inquam ille legum consultissimus, & purgatissimæ naris uir. XVI. Cal. Octo. M.D.XXXVIII.

## ALOISIVS MVNDELLA MEDIcus *Hieronymo Fracastorio medico.* Episto. III.

NOn multis ab hinc diebus tuas accepi literas, tãtáq; eas cũ animi uoluptate iterũ atq; iterũ legi, ut nullas quidẽ alias cum maiore unquã mihi legere contigerit. In primis enim præ se ferebant acutissimum tuum ingeniũ, ac rarum, necnon singulare in inuestigandis naturæ secretis studiũ, & diligentiam. Deinde mox mecũ ipse animo uoluens uarias rerũ ac temporũ mutationes, omnia quidẽ certa cum prudentia & moderatiõe regi, miróq; ordine disponi, proculdubio existimaui: & ꝓpterea tot tumultus in Christi ecclesia sanctissima hodie audiri, & dissensiões: id quod rei medicæ nostris quoq; tẽporibus euenisse uidimus, nõ aliam quidem ob causam, nisi ut ea magis elucescat, & suum natiuũ recuperet candorẽ. Sed huius rei spes in te quoque posita est: is enim es, qui ingenio & iudicio cùm in humanis, tum etiam in nostris literis ualeas, ut, si uelis, non dubium sit, quin rei medicæ multùm prosis, nõ solùm ad illud perficiẽdum, sed etiam ad reliquos omnes corrigendos errores, inueteratásq; è mentibus hominum extirpandas opiniones. Nam tu per cœlestia illa corpora animi cogitatiõe satis euagatus fuisti, illorúmque cursu & recursu cognito, desideriũ tuũ expleuisti: & multùm quidem laborasti Hieronyme in tollendis, quos in secundo Aristotelis lib. de cœlo & mũdo Auerroës posuit, astronomorum epicyclis atque eccẽtricis, tanquam in arte illa non necessariis: unde quantũ mentis meę captu assequi possum, laudem non paruam retulisti: tametsi hãc tuam de his opinionem & quæstionem Auerroës ante te inuenerit, atque agitauerit: similiter & Ioannes Picus Mirandulę Comes de diebus creticis, Galeni rationes sigillatim refellens et cõfutans: quãuis Matthæus Curtius acerrimi quidem ingenij, & singularis doctrinæ medicus & philosophus, quantũ sibi integrum est, illi aduersari conetur, & Galenum defendere: qui an huius singulis, & tuis optimè contra Galenum satisfecerit argumentationibus, equidẽ hac de re, déq; his celeberrimis uiris iudicium meum ferre, temerarium potius, quàm consultum esse arbitror. Cęterùm perdifficile nobis uidetur Galenum omnino defendere posse, & eius positionem ab aduersariorũ telis illæsam conseruare: suprà captum enim hominis est, quandoq; nõ aberrare. Quæ uerò de Smaragdo ad me rescripsisti, etsi compẽdiose ea adnotasti, sic tamen doctè & appositè applicasti, ut expectationi meæ mirum in modum gratum feceris, omnémq; dubitationem ferè sustuleris. Hoc cùm ita sit, te tamẽ nolim adduci, ut tuum illud de contagione, & morbis omnibus contagiosis, perfectũ opus, quod in cõmunem hominum usum propediem edere instituisti, in lucem non emittas: nam illud ualde cupio, quò pleniorem de iis singulis, quæ ad te aliàs scripsi, cognitionem & scientiam habere ualeam: ibi enim multa esse intellexi, quæ ad rationes nostras maximè faciant. Et quamuis quæcunque à te scribuntur, aut narrantur, ea non oscitanter, aut otiosè, sed consultè & scitè dici pro certo sciam, tamen in tuis legendis literis, quædam mihi orta est dubitatiuncula, uel quia fortasse earum sensus, & uis, nonnullis in locis à me non rectè percepta est, uel quia longè à ueritatis uia aberramus, de qua ad te scribere, et consulere te uolui: quoniam arbitratus sum fore, ut tu homo peritus cùm sis, & mansuetudinis plenus, plenè etiã mihi satisfacias. Tale uerò illud est, de quo nobis dubitare cõtigit. Posita enim triplici à te, exaggerãdę difficultatis nostrę gratia, de Smaragdi exhibitione & usu, diuisione, de cõtagionum scilicet seminariis, de materia quæ periculo proxima est corruptionis, & de eadẽ denique corrupta, paulò pòst hæc addis: Febribus uerò quæ pestilentes sunt, ea medicamenta pręclarè auxiliantur, quæ frigido ualde & sicco tẽperamento pręstãt, uel quæ substãtia sua imputrescibili humoribus admiscentur: quapropter his & acetum, & mâla punica, & terebinthinam, & quę sequuntur reliqua, maximè prodesse manifestum est. Sed quomodo hęc abs te intelligantur, nobis quidem non satis liquet. Nã si febres eas quæ cum bubonibus generãtur, & plerunque putridæ sunt, uíxque à medico iuxta probatos autores percipiuntur, intellexeris, non tantã nobis difficultatem faciet: quamuis, ut alio loco explicabimus, non paucis ad declarandum uerbis opus sit. Si uerò quę pestilentiales uulgò, non quidem propriè appellari consueuere, etiam si eo tempore nulla homines pestilentia inuadat, aut popularis morbus: hęc quidem medicamenta, quæ ualde frigidæ & siccæ temperaturæ sunt, uel etiã ea, quorũ, ut inquis, natura glutinosa existit, Galeni doctrinæ (ut arbitror) apertè repugnare uidentur, ut in plerisque locis τῆς θεραπευτικῆς μεθόδου cõstat, utpote quæ nimio plus morbi causam foueant, & iam putrefactam materiam in profundas corporis partes latentem impingant, atque, ne liberè exhalet, inhibeãt, quàm ut eam relaxent ac discutiant. Non enim Galenus mâla punica, aut quæ eorum naturam repræsentãt, huiusmodi febrium genere, aut alio etiã laborantibus exhibet ipsius febris ratione, sed alicuius praui casus statim, aut à principio morbi emergentis occasione. At si de prophylactica, siue, ut ita loquar, prouisiua curatione hæc intelligenda esse uelis (quæ tamen uerè curatio dici nõ debet) siue de humoribus, qui in eo sunt, ut corrumpãtur: quod sanè his uerbis innuere uideris, cũ dicis (quando licet his uti) quæ abs te enunciantur, omnẽ nostram dubitationem tollent: tunc enim illa ritè administrari concedimus in febribus quæ uerè pestilentes sunt, aut illis persimiles, ne illis scilicet corpora corripiãtur: sed tamẽ differẽter, ut ait Galenus in primo de differentiis febrium, itémq; Auenzoar, & Auerroës vij. Collect. Omnino uerò corruptos humores, qui quidẽ potissima & prima morbi causa existunt, tẽpore congruo pellere expedit, quòd omne superuacuum expurgari debeat, siue copia, siue qualitate, siue utroq; delinquat: quod quidem opus frigida & sicca medicamenta superius memorata, & quæ huiusmodi sunt naturæ, prohibere, & per spirationem impedire possunt, non morbi causam tollere, sed potius, ut ægrius postea illa remoueatur, efficere, notius est, quàm ut probare laborẽ, siue intus, siue foris adhibeantur.

*Capi. 4. Lib. constit. artis med.*

Idcirco Galenus in uniuersum adstringentium & obstruentium usum prohibendum esse censet, iuxta Hippocratis doctrinã, quòd illa corpus nõ perspirabile reddãt, quouis modo adhibeãtur. Quare aluminosę etiam, & frigidę lotionem iis non conuenire scripsit, qui putrida febre, & diaria correpti sunt. Non enim obstat, in febricitãtibus aliquos inueniri humores, qui putredini obnoxij sint, ad quos respectu habito, prædicta medicamẽta frigida & sicca rationabiliter illis dari possint: quoniã morbo ex humorũ putredine, siue ob aliam causam facto, siue qui adhuc in generatione est, curationem deberi constat, licet diariarum hecticarúmq; febrium id proprium sit, non autem aliarum, quæ ex putrescentibus fiunt humoribus, nisi per abusionẽ, ut ostendit Galenus in xj. curandi methodi, & artis medicæ cap. lxxxviij. ita nobis loqui licitum sit. Huc etiam pertinet, quòd ex tali materię corruptæ retẽtione longè maior noxa sequi debere rationabiliter uidetur, quàm ex humorum, ne putrescant, conseruatione adiumentũ. Cęterùm cuínam primò magis, aut quãdo medicari cõueniat, morbóne, an ipsius causæ, an languentis uiribus, x. curandi methodi pulchrè nos admonuit Galenus, ubi & mâla punica ex febre laborãti eatenus dari concedit, quatenus bilioso uentriculi ori cõmoda & utilia esse existimat: nõ autem ea ratione

tione, ut humor febrem generans tollatur:nã hic contrariis potius indiget remediis. Frigida igitur ualde,& ſicca,inhibere quidem ea humores, ne corrumpantur, poſſe,illis uidelicet ſe permiſcẽdo,& ſua incorruptibili ſubſtantia & qualitate à putredine conſeruare, nobis quidem admittẽdum eſt,hæc quamuis omnia materiæ extremè putrefactæ morbũq; gignẽti inutilia,& ipſius (ut patet)eductioni inepta ſint:cuius inanitioni, expectata quidẽ tẽporis(ut diximus)opportunitate,quemadmodum Gal.apertè affirmat iiij.de tuenda ualetudine,medico quidem uocãdum eſt,non autem illius amplius pręparationi & mutationi:ubi enim magna facta eſt in humoribus corruptio,non amplius ad habitum naturalem redeunt,quemadmodum de aceſcẽtibus uinis memorans Galenus demonſtrat aphoriſmo xvij. ſecundi libri. Talis autem facultatis prædicta non ſunt medicamẽta,multóque minus Smaragdi,aut ſimilium farina,ſed huic magis ſcopo aduerſantia. Ob uerò materiæ corruptę inanitionem reliqua morbi ſedari ſymptomata rationi quidem conſentaneum eſt,quorũ ipſi potiſsima cauſa fuerant corrupti humores,quẽadmodum ex ſuprà citatis curãdi methodi locis perſpicuum eſt,& tertio de temperamẽtis in phlegmones curatione,quæ fit ex calidæ perfuſione:medicamẽtorum enim opera,ut ait Galenus,quędã prima,& ex profeſſo ſunt, quædam uerò præcedente natura,quæ animantiũ corpus diſpenſat,eduntur. Galenus quidem cùm bibẽdam dediſſet terram Armenam,pleroſq; ſanitati reſtituit ægrotos:ſed putrida febre abſque peſtilẽtia affectis hoc illum medicamẽtum dediſſe,nullibi(opinor)inuenies. Nam ſi hęc illi mens fuiſſet,frigidis uidelicet & ſiccis febres putridas curare medicamẽtis, uel ſaltem hoc modo humores à putrefactione arcẽdo,ipſis prodeſſe,terram utique hanc,& quæ ſimili qualitate ſicca ualde & adſtringente præſtant,alijs quoque,præter peſtilentes, febribus putridis utilem eſſe dixiſſet, eiq; uſus fuiſſet, aut de his ſaltem certam nobis aliquam methodũ tradidiſſet,ut aliàs ad te ſcripſi:id quod tamẽ in nullis eius commentariis uidere contingit,ſed potius, quod contrarium eſt. Propterea neq; ſatis tutus nobis eſſe uidetur Smaragdi uſus,ita ſanè à nonnullis noſtri temporis medicis commendatus,pręſertim in febribus ex putredine humorũ factis,ad quas pellendas tantopere hunc illi collaudãt,& ad ſydera uſq; extollũt. Si uerò quiſpiã etiam Galenum obiiciat in vj.de ſimpli.med.portulacã tertio refrigerãdi exceſſu à ſymmetria remotã,ſecundo autem humectandi,tum ori uentris,tum totis eorũ hypochondriis,qui ardenti febre uexantur,imponere, & ceratum,quod quidem frigidæ eſt temperaturæ, ut eſt in eiuſdem primo,capi.v.& quarto,capi.ij.& xj.illi ad hunc modum reſponderi poſſe arbitror: Portulacæ & Smaragdi,aut ſimilium,eandem omnino nõ eſſe rationẽ,cùm una atque altera qualitate portulaca febris ardori aduerſetur,non Smaragdus,& huiuſmodi,ſed ipſum potius ſua ſubſtantia terrea & ſicca,poros obſtruẽdo,accendat. Qui enim ſecũda utuntur ualetudine,molliora corpora,rarioráq; poſsident,tantóque id magis, quãto melius ualẽt,ut ait Gale.in lib.de optima ſecta ad Traſybulum. Galenum pręterea magnum & uehementem febris illius expẽdiſſe exceſſum,qui cùm ita auctus eſt,primò omne ferè ad ſe trahit medentis ſtudium & curationem,ut x.& xj. τ̃ θεραπευτικῆς μεθόδου conſtat,cauſę interim morbum facientis conſideratione poſthabita, non tamen neglecta:& ideo(æſtuantes)dixit,ſiue(cauſone laborantes,) quibus interdum etiam frigidam,ſeruatis cõditionibus quę huic methodo requiruntur,dari concedimus. Quocirca Aëtius in capi.de portulaca ſic ſcribit:Si exquiſitiſsimè trita,albo ſimul & oui luteo cũ debita roſacei menſura toti corpori illinatur,febriũ ardorem lenire,& ſæpe eũ prorſus extinguere,ut acceſsio nõ ultrà redeat. Et Gal.aph.xxxiiij.ſecũdi libri dixit,urẽtem febrem à ſubita ambiẽtis aëris caloris ad frigidum mutatione iuuari Inſuper prędictã Galeni de portulaca ſententiam de febribus hecticis maximè uerã eſſe conſtat,quẽadmodũ ab eodẽ ibidẽ ſcribitur,& in x.curãdi methodi:neque id,ſi diligenter animaduertere uoluerimus,poſitionẽ noſtrã tollere,aut illi aduerſari uidetur. In magnis enim febribus putridis & continuis, ſi uniuerſæ cõſtiterint uires,& concoctionis notæ planè euidentes fuerint,necnon bona corporis habitudo,& ſtatus cœli calidus & ſiccus,non ſolùm frigidæ potum,ſed illius etiã natationẽ cõcedit Galenus in xj.curãdi meth.

*In nono de ſimpli.medi. capi.de Armeniaco.*

*Idem affirmat in lib.de maraſmo.*

Vt autẽ quæ à me antea explicata ſunt,certiora fiãt,hoc unico exẽplo orationi meę finem imponã. M.Antonius Serrina medicus febre à malignis humorib.genita affectus,cùm nullius precibus aut perſuaſionibus flecti potuiſſet,incoctis quidem, nec eductis humoribus, ſe ad gelidiſsimi fontis aquas deferri iuſsit, hoc pacto febris ardorem ex prauis ſuccis genitæ, citra omnem dubitationem extinguere poſſe exiſtimans. Verùm ſecus profectò atq; expectabat,euenit. Poſtquam enim iuxta aquã,per ſiphonem ſiue tubulum in labrum ex ſaxo cadentem,decliuis accubuit,& paulò pòſt ſuper illius algida ſabuleta toto corpore ſe conſtrauit, ac nocentiſsimum frigus,multúmque aurarum inde ſpirantium captauit,anno ſcilicet à Chriſti ortu,ultra mille quingenteſimo uigeſimooctauo,haudquaquam à morbo illo deinceps ulla ope medica releuari potuit, ſed obſtructis corporis poris,prohibitáq; putridorũ uaporũ exhalatione,miſerabiliter quidẽ ultimũ uitæ ſuę diẽ obiit. Nobis præterea(quod ad te aliàs ſcripſi)admodũ difficile uidetur,Smaragdi farinã per uenas deferri, ſanguinéq; ipſo permiſceri:nequaquã etenim ille in ſuccũ colore lacteũ,aut alium ſoluitur, quò ita facilius à calore naturali,ſiue etiam ſi is adſit,præternaturali ſuperatus, per uenas commodè tranſire poſsit,quẽadmodũ Gale. de lapide ſpongiæ,hæmatite,& nõnullis aliis affirmat: ſcimus enim cibos à calido,non quidem ſicco ſqualentíq;,cuiuſmodi eſt febrilis,ſed humido uaporoſóq;,cuiuſmodi eſt qui in animalibus ſecundum naturam exiſtit,confici. Quorũ quidẽ dubitationũ omnium perfectam explicationem in opuſculo illo,quod propediem in lucẽ mittere promiſiſti,me uidere ſpero, eiq; acquieſcere. Hæc uerò nos ad te ſcripſiſſe exiſtimes nolim, ut tibi ullam animi perturbationẽ adferam:neque etiã, ut ita tua redarguere uelim ſcripta: ea enim ſingula mihi magis grata ſunt,quàm aurũ obryzum,& omnes Erythræi maris gẽmæ:ſed ut de omnibus,quæ pro hac pręſenti difficultate enucleanda mihi occurrũt, certior abs te fiã, noſtræq; in primis beneuolentiæ recordatio ita ſæpius per mutuas literas refricetur, amórque mutuus conſeruetur,& creſcat. Cæterùm cùm nõ habeam unde ab eo,quo me,ut amicitiæ inter nos initæ pignus æternũ exiſteret,donaſti,munere liberer,neq;(ut aiunt)par pari referre poſsim,nulláq; mihi dicẽdi copia adſit, aut ſtyli elegãtia,quibus tibi,quod iure debeo, ſaltẽ perſoluã, reliquũ erit,ut maiore te mox beneuolentiæ ſemper,& amoris cumulo proſequar: quapropter cùm nulla alia in re compos uoti ſim,tuo ingenio,tuáque liberalitate, qua te remunerer,digna,hac ſola ſatis etiam nolẽtibus, animi gratitudine,& in doctos omnes,probóſque homines animi propenſione,ubertimè & libentiſsimè cõpenſare potero,quę etſi muneri tuo ad nos miſſo ualde diſsimilis exiſtat,neq; eiuſdẽ cum illo ponderis,ex officio tamẽ eam ſuſcipere,& amplecti non dedignaberis: id quod etiã neceſsitudo noſtra, & humanitas in omnes tua,te facere hortatur. Salutem tibi impertiũt multam medici noſtri,qui te mirificè diligunt,qui tua cauſa uolunt omnia:qui de opuſculis tuis,ſicuti debent,bene ſentiunt:& illi omnes tuum congreſſum cupiunt,quos cùm Brixiæ eſſes, tu bene noſti. Vale,& nos ama. Tertio Idus Nouembris, M.D.XXXVIII.

*Secundo de ratione uict. acut. & ſecũdo de cauſis pulſuum.*

ALOISIVS MVNDELLA MEDICVS, *Aurelio medico,De lapidum Achatæ & Gagatæ differentia.* *Epiſtola* IIII.

PLurimum tibi gratulor Aureli,ac (ſi quæ de te circumferri audio,uera ſunt)mirificè lætor,quòd tu tandem cognitis Arabũ nęuis & mendis,cõplurimúmq; noſtri æui medicorum erroribus, in certa Græcorum,Galeniq; in primis diſciplina adipiſcenda tuum ſtudiũ poſueris: cœleſtis nãq; patriæ ciues maiori afficiunt gaudio cũ aliquis reſipuerit,quã ſi innumerabiles alij uiri optimi nulla in re unquã peccauerint. Sed caue moneo,ne illud ſimules,putéſq; ingraueſcente iã ætate aliquod tibi peperiſſe dedecus aut ignominiam ex hac tua penitus imutata medẽdi ratiõe,& plurimarũ rerũ, quę in re medica maximè quidẽ neceſſarię ſunt,innouatiõe:cũ philoſophorũ pleriq;,et Matthęus Curtius medicinę noſtri tẽporis inſtaurator optimus,& ſplẽdor maximus,iam ſexageſimũ penè agens annum,& latinè & gręcæ loqui diſcere non erubuerit,& quibus antea imbutus fuerat præceptionibus,eas nunc dediſcere,atque obliuioni tradere:compluréſq; alij non contemnendæ eruditionis

eruditionis uiri,atque ingenij,illud pariter egerint.Ego quidẽ de me illud uerè affirmare possem,semper in animo habuisse bonos autores amplecti & sequi,licet eorũ metu,qui Arabũ doctrinã profitẽtur, & uulgi fauorẽ uenãtur, quiq; in magno pretio & æstimatiõe à plerisque,q̄ multos occidãt,habiti sunt , Galeni instituta,& ueritatẽ ipsam profiteri nunquã ausus fuerim:qui enim pluribus medetur,is à uulgo & melior medicus,& doctior esse cẽsetur,nõ qui in potiori disciplina incũbit,ac rectè sese exercet.Quare sæpius in memoriã reuocanda sunt atq; in ęgrotis obseruãda,quę Hippocrates & Galenus maximo cũ studio chartis mãdarũt,q̄ certas medẽdi methodos,& certã auxiliorũ rationẽ ostẽdãt. Sed postquã multi mihi accesserunt socii,& ab omni orbis parte cõfluxerũt,audẽdũ est mihi, & omnia potius pati decretũ est,quàm ueritatẽ ipsam, & sanã Galeni disciplinã palàm non fateri,& non prædicare,cùm tã digna sit,quæ omnibus propagetur,& prædicetur. Nã quod maius dedecus est,quàm non audere id profiteri quod obseruamus , & omni studio colimus? Sed obsecro te per Christũ Aureli, si te ab Arabũ præceptiõibus omnino liberasti, nec uerbis tãtũ, sed re etiã ipsa Galenũ profiteris,quid causæ fuit, cur in curatiõe illius nobilissimę fœminæ quæ iuxta diuæ Mariæ tẽplũ habitabat, & nuperrimè puerperiũ fecerat,quæq; à mẽsibus, & quæ cũ his educi cõsueuerũt,nõ omnino exonerata fuerat:cur, inquã,granorũ triũ pondo lapidis Achatæ ita audacter dederis? quibúsue experimẽtis, aut testimoniis autorũ fretus?Nõ enim(puto)lapis hic,qui nũc à gẽmariis passim satis uili pretio, si ad alias cõparaueris gẽmas, æstimatur & uenũdatur,uulgò Agatha dictus , quémq; ferũt Pyrrhũ in anulo gestare solitũ , & in eo nouẽ Musas & Apollinẽ citharœdũ spectari , ille est , quẽ tu pro certo,ut uideo, Gagatẽ esse uoluisti: sed potius cũ Hermolao in castigationibus Plinii Sardonichẽ esse existimo,si probè istorũ omnium notæ , quibus ipsi lapides tum à Galeno in ix. de simp. med. tum à Plinio , tũ à nonnullis aliis autoribus scitè atq; appositè pingũtur, exactè cõsiderentur : è quorum numero & Corneola ( ni fallor ) est, & Chamæus , ita uulgò appellatus. Puto autem errandi ansam , atque occasionem tibi dedisse magnam nominis similitudinem,Achatæ scilicet,& Gagatę:quapropter non adeò mirandum est,si tu in eum lapsum(si tamen lapsus,isq; uenia dignus censendus est) incidisti. Si uerò Aëtiten , eò quòd à quibusdam Gagates appellatus sit,ut Plin.libro naturalis historiæ x.cap.iij. tradit, idem cum Achate esse existimasti, uel etiam cum Gagate ipsa , neque profectò hic minor priore error uidebitur : Aëtites enim siue Aquilæ lapis,ab horum utroque, si inter se collati exactè expendantur , longè distare liquidò cõstabit. Sed esto,ambo idem sint,nihilominus tamen, ut rursus non parum miremur, subit , cùm Plin. lib.xxx.cap.v: dicat, Aëtiten partus custodire, & cõtra abortuum insidias pollere : Serapio uerò partum accelerare:hæc enim unicuiq; opposita esse manifestum est: nisi Serapionis uerba ita fortè intelligas , quòd Aëtites partum accelerat,hoc est,ægrè parienti auxiliatur,fœtu quidem tẽpestiuè,non autem ante debitum tẽpus in lucem prodeũte,Tu uerò cur in tã ambigua re & incerta, ueluti ultimo perfugio cõfisus fueris, equidẽ nõ uideo: necnõ quid te mouerit,ut Achaten tã pręcipiti consulto illi clarissimæ tuę puerperæ dederis,uel saltẽ ab aliis dari passus fueris:nõ enim adhuc cõpertum habeo , quòd in re medica ulla sit uis,quæ illi uel à Plinio,uel ab alio alicuius nominis uiro attribuatur,& quæ ad hunc morbum sanandũ faciat.Neq; uerò uerba illa Dioscoridis libri quinti, cũ ait, περὶ ὑστερικὰς ἀνακαλεῖ, hoc est,si latinè uertas,mulieres ab utero suffocatas reuocat:uel,ut Marcellus transtulit,strãgulatu uuluæ procidẽtes reuocat:tantæ,iudice me,tibi uideri debuerãt esse efficaciæ:quia,ut concedamus lapidis illius farinã,qua ad curãdum morbum hunc usus fuisti,idẽ esse cum Dioscoridis Gagate, atque eadẽ posse:nõ alia facultate( opinor )quàm cæca illa proprietate,illud uerũ esse affirmabis:uerùm occultæ medicamentorũ uires,quæque à tota agunt substantia,non in quolibet morbo promiscuè & indifferenter munia sua obeunt,nisi quædam ab autoribus dicta,sed unum uni morbo, aliud alij prodest, quẽadmodum legenti latius patêre arbitror,quàm ut mihi huc exempla adducere necesse sit. Omnis enim terræ manifesta qualitas,& prima,frigidæ est & siccæ temperaturæ : eóque magis,quò durioris substantię existit,ut ait Gal.in ix.de simpl.med.quemadmodũ in plerisque gẽmis apparet, atque etiam Achate ipsa:quæ quidem qualitas educendis mensibus,& inuolucris illis , quæ à Græcis χορία καὶ ἄμνια, à nostris uerò secundæ appellãtur,ut constat,apertè aduersatur.Quare cùm etiam distincta ab autoribus inscribantur capita,de uteri uidelicet strangulatu , siue secundum cõmunem Auicennistarũ loquendi modum, de præfocatione matricis,& de iis quæ à partu expurgari solent ac debẽt,neque omnino eadem ab illis tradantur remedia, quamuis utrisq; his morbis multa pariter cõuenientia applicentur,cæcáne an manifesta qualitate agãt,hoc quidem me,ut magis dubitarem, compulit.Adde insuper,quòd si Corneola de genere Sardonychæ esset,ut antea diximus,ac etiã ex Serapione colligi posse uidetur: Agatha quoque nostra uulgaris, siue Achates Sardonyches sit,uel saltem aliqua illius species: Corneola autem iuxta Serapionis opinionẽ sanguinem undecunque manantem cõpescat,& menstrua supprimat:medicamento potius prædictæ languenti contrario usus fuisses,quàm illi præsentaneo,cũ nobis adhuc non constiterit, an uariæ Sardonychæ species diuersarum sint facultatum,quod alicui simpliciũ generi euenire posse nõ negamus.Præterea cùm Gal.dicat lapidem Thracium nullius esse in medicina usus, Gagatésq; etiã illis suspectus esse uideatur, Dioscorides uerò eiusdem cum illo facultatis esse tradat,nec quicquã de utriusque ui dubitet:quis adeò crasso ingenio fuerit,& uecors,ut non magis Galeni sententiæ standum esse ducat, quàm Dioscoridis? cuius quidem monumenta singula sæpius & accuratè expẽdisse,minimè dubitandum est , quemadmodum etiã in præsenti capite fecit. Quòd si quispiã fortasse dixerit: Quisquis lapis ille fuerit , feliciter tibi, atque ex uoto rem successisse:tam multa profectò huic obiectioni occurrunt in cõtrarium argumenta , ut rem silentio præterire satius esse duxerim,quã ut prolixitate sermonis tibi fortasse tædium adferã:uulgare nanq; nimis fundamentũ uidetur & imbecille , nec dignũ quod à perito adducatur uiro. Etsi uerò Dioscorides lib.v.in hunc modũ de Gagate tradiderit,eadémq; res etiã cum Achate esset,quod tamen haudquaquã uerum esse satis euidentibus argumentis & rationibus suprà ostensum est:neq; præterea bituminis odorẽ emittat,ubi igni admotus fuerit,ut ait Galenus : neque atri coloris est tantummodo,neque si teras,in succũ soluitur,sed ualde durus sit:quoniam tamen Galenus ix.de simpli.medi.non solùm lapidem illum,de quo Dioscorides mentionẽ fecerat,nõ reperiri,sed fluuium etiam esse apertè inficiari uidetur,cũ dedita opera illius oræ littora parua legisset naucula:ipsíq; Galeno maior fides omnino præstanda sit,quàm Dioscoridi,in iis præsertim quæ ad medicamẽtorum simpliciũ uim noscendam spectant,quæque manifestè aliter,quàm Dioscorides se habere asserit : uelim abs te pro tua singulari in me beneuolẽtia,ut mihi aperires,cur in huiusmodi medicamẽti electione & propinatione ita te gesseris,ut à placitis Galeni,quæ quidem tibi pro uiribus tuenda,atq; imitanda susceperas , longè discederes:atque cur illud Achatę pondus suprà memoratæ laboranti dederis,non maius neque minus:& à cæteris omnibus tentatis remediis,non in morbi huius principio:quod si feceris,gratias quidem tibi habebo immortales : sin uerò desiderio tam honesta petentis minimè obtemperaueris , ab amici officio plurimũ quidem declinabis , mihíque admodum suspectus eris in tua medendi exercitatione , neque Galenum usquequaque imitari tibi in animo proposuisse uideberis. Quapropter mirum in modum desiderarem , ut aliter nobiscum res ista ageretur , neque hominum salus atque interitus ita,ut fit,à medicorum plerisque tam parua in consideratione haberetur,etiamsi ægroti ipsi sæpenumero propriam salutem negligere uideantur. Scimus omnia iandudum ab antiquis illis medicinæ professoribus prorsus declinasse , ita ut nunc perdifficile quidem nobis sit aliter , quàm nunc fit,medicari & uiuere,cùm propter complurium medicorũ corruptissimos mores,tum propter eorum in primis,quibus medemur,auaritiã.Verùm non propterea tamen à ratione aberrandũ,sed omnis in Christo nobis spes collocãda, q̄ certissimus est & medẽdi , & uiuẽdi scopus : Galenóque immortales agẽdæ gratiæ,qui talẽ ac tantã hallucinãtib.nobis lucẽ effudit,ut deinde,nisi p̄ nos steterit,nõ amplius aberrare cõtingat. Qm̃ uerò nulla in re,p̄ uiribus,à pietatis officio deficere statui,mihi uisum est illud

*Lib.36. cap. 19.*

*Secundo de comp. medi. secundũ genus.*

quoque huic epiſtolæ adiūgere,atq; cognoſcendæ ueritatis cauſa ex te quærere: quibus diuini aut humani iuriscōſultis fretus,qbúsue perſuaſiōibus,uel probabilibus argumētis inductus,in curatiōe alterius heroinæ, quæ prope prætoris ædes habitabat,ſectionē uenæ fieri,eámq; iterari,& pharmacū ſoluēs dari,cùm illi superuenisses,& pmiſeris,& iuſſeris, cæteráq; quæ ad abortū excutiēdū faciūt, adhiberi:erat enim illa & prægnās, & uehemēter febricitabat, aliíſq; ſimul uexabatur ſymptomatis: ex qbus facillimū erat prudēti medico prædicere,ipſam unà cū partu periturā,q(ut fertur)plus minúsue,ſextū agebat mēſem. Quare non potui nō ualde admirari:lex em̄ dn̄i iubet,malū opus nemini unquā ppetrādum eſſe., ut bonus deinde aliqs ſequatur euētus. Neq; puto te à maiorū noſtrorū quopiā tale qcquā nobis licitū eſſe, unq̄; intellexiſſe:neq; ſic eos,q quidē ſani eſſent cōſilii, medētes uidiſſe: oēs em̄ Pōtificū canones, Imperatorúmq; , quas dedita opera nuprimè uidi ſanctiōes,cōtrariū manifeſtè adfirmāt. Memini inſup ego, cū adhuc Ticini ſcholaſticus eſſem , in curatiōe cuiuſdā mulieris, quæ ppe gymnaſia noſtra habitabat, ubi cōplures nobiliſsimi medici , & pleriq; alii diſcendi cauſa iuuenes cōuenerāt , nequaq̄; talia adhiberi medicamēta,quæ partū elidere poſſent,aut excutere, annuiſſe:ſed ea ſemp remedia approbaſſe,ac præſtitiſſe,quæ & grauiter febricitāti ſuccurrerēt , nec fœtui ualde officerent, nedū enecarēt:quæ qdē Hippocrates arte & facūdia inſignis , aptius & luculētius in ſuo iuſiurādo in hūc modū tradidit: *οὐ δώσω δὲ οὐδενὶ φάρμακον αἰτηθεὶς θανάσιμον, οὐδὲ ὑφηγήσομαι συμβουλίην τοιήνδε. ὁμοίως δὲ οὐδὲ γυναικὶ πεσσὸν φθόριον δώσω.* id eſt: Rogatus nemini dabo letale pharmacū,neq; talē conſulam rē:itidē neq; peſſum uim habēs in utero fœtū enecandi,mulieri dabo. Quare ſi Hippoc.nefas eſſe exiſtimauit ſpē dubiā hominis lędere,quāto ſceleſtius etiā pfectè iā nato nocere iudicauerit, cōſideres uelim : medicina em̄ ſanādi ſciētia eſt,nō nocēdi,ut ait Gal.in xj.de ſimp.medic.Cùm aūt hoc ethnici cōſulāt,ac iurēt,quod Hippocrates,quāto magis nos Chriſtianæ legis pfeſſores decet,qui & multò his plura,& maiora baptizanti nos ſacerdoti pollicemur? Neq;,iudicio meo, argumētū illud alicuius eſt momenti aut efficaciæ,cùm dicitur, ſatius eſſe parturiētis ſaltē uitam tueri, quàm infantē ſimul cū ea periclitari ſinere:nobis nāq; incertū eſt,qd de his futurū ſit. Propterea hi qcqd uelint,dicāt, q ita ſuos diligūt ac pditè amāt,ut nunq̄; eis priuari uellēt. Nobis uerò cautius,ac cōſultius agēdū eſſe exiſtimo,ne inſciētis nomē,piuri,homicidæq;,& carnificis ſubeamus, ut dixit Hippocrates in libello de lege, quē poſtea ſecutus eſt Plinius,& alii:ſoli em̄ medicę arti nulla alia pœna ab urbiū rectoribus irrogata eſt,præterquā uituperatiōis, atq; infamiæ:hi nāq; medici perſonis cōparātur quæ in tragœdiis producūtur,figurā,formāue,& habitū eorū, quos agūt,habētes,cùm tamē illi ipſi nō ſint.Plurimi qdē uerbis medici, ſermone, famáue ſunt, operæ autē & reuera perpauci, quos qdē Galen. viij. *τῆς θεραπευτικῆς μεθόδου λογιατροὺς* appellat. Sed ne æquo longior ſim, uide tu quæ ſequūtur reliqua in ſuprà citato Hippocratis libello,quæque ad medicæ artis cognitionē, prudentiámue nanciſcēdā neceſſaria ſunt.Laudabilius autē multò eſſe exiſtimo,cū noſtrā,tū aliorū ſalutē curare,&eorum qui ægrotis aſsiſtūt,applauſum & præmia , quēadmodum Hippocrates & Galenus præcipiunt,deſpicere,& quas ſæpius nobis inculcāt perſuaſionibus uanis & cōmentis fidē nullā adhibere:nóſq; inopiæ noſtræ iugū,domino ſeruiētes,potius libēter ferre,& cōtētos eſſe,ut abſq; ullo nomine uiuamus,quā ut terrenarū rerū( quæ quidem noſtros plerunq; illaqueāt animos)curā nimiam, & ſtudiū habeamus.Si uerò infantem in utero mulieris adhuc exiſtentē certis notis mortuū eſſe pro comperto habuiſſes,nō ſolū diætetica,quā uocant,ſed & pharmaceutica et chirurgica,&,ſi quę ſunt alia ingeniis,ad illud opus exequēdū inuētis,partū ab utero immaturè quidem eiiciendū, extrahendū , cōcidēdúmq; eſſe proculdubio affirmauerim.Cæterū ut hæc omnia rectè conſulas rogo,atq; obiter ad te ſcripta eſſe,& ut ab aliis relata audiui exiſtimes:in ſuburbano enim meo nunc ſum, ubi rara eſt mihi librorū ſuppellex,&( ut uerū fatear)cuius ſaluberrima negotia,& deliciæ,à ſcribendi munere me auocant:quippe qui in eum me locum cōtuli,ut aliquantulū ualetudini meæ ſeruirē,nō autē ſtudiis & literis.Verū caueas uelim ne me ex iſto meo ad te ſcribendi genere putes cenſorē agere uelle,cū magis ipſe ſim cēſura & caſtigatione dignus:ſed ut ſolùm amici officio fungerer,téq; admonerē,nō carperem:quod ut tu quoque in rebus noſtris facias , plurimùm obſecro & deſidero: quod ſi feceris,me quidem multis reprehenſionibus dignū,indiſſolubili amicitiæ uinculo,perpetuáq; obligatione tibi magis quàm antea adſtrinxeris:manus enim manū lauat,ut in ueteri prouerbio eſt. Quas uerò non poſſum, gratias tibi referat omnipotens Chriſtus, cui gloria & imperiū. Vale. Ex ſuburbano noſtro, XIIII. Calend. Septembris. M. D. XLIX.

*Idē dicit Scribonius Largus.*

## ALOISIVS MVNDELLA MEDICVS, *Iulio Borellæ medico compatri ſuo.* Epiſtola V.

QVem ad te ſuperioribus diebus legendum & caſtigandū libellū miſerā,nunc caſtigatū accepi: pro quo cenſuræ tuæ munere, immortales ago tibi gratias atque habeo. Amātiſsimus autē tui,& ſtudioſiſsimus ſemper ero dū uiuā , quòd in hac opera & labore tuo,magnam ſummæ beneuolētiæ in me tuæ ſignificationem dediſti:ſed tamen in iis quæ reprehendiſti & dānaſti,multa ſunt, quæ meo quidē iudicio,digna nō erāt ut reprehēderētur:idq; ita eſſe multis rationibus &teſtimoniis probaturus ſum.Diximus quidem Meſuę autoritati nobis nō eſſe multū attribuendū,neq; illi in omnibus,ut Delphici Apollinis oraculo credendum,quoniā in multis à ueritate aberrauerit: ſed ſcientiæ noſtrę latices nō à riuulis,ſed ab uberrimis & clariſſimis fontibus hauriendos eſſe.Neque propterea,puto, tantæ illud tibi admiratiōi eſſe debuit:ſcire enim debes nos nullius autoris ſcriptis omnino addici uelle,ſed quę bona ſunt & utilia , tantū imitari & amplecti , ſiue ea à recentioribus tradita fuerint,ſiue ab antiquis. Cui enim dubiū eſſe debet , ſi quid ab Arabibus memoria dignū traditum fuerit,quin recipiendum ſit? quamuis pleraq; à Græcis acceperint,& pauca ſuo ingenio inuenerint. Miror uerò ego multò magis,te in horū hominum doctrinā adeò propenſum eſſe,ut ſi quid ab ipſis malè etiā traditum fuerit,omnino illud tueri ac defendere,quantum in te eſt,coneris. Qui enim ſectę alicuius ſibi nomē imponit,ſéq; illi emācipat,nihil omnino ſcire pōt.Verū ut ad rem noſtram propius accedamus , in primis talis noſtra erit reſponſio:te perperàm ſuſpicari,Meſuæ codicem deprauatum eſſe , quoniā in eo qui apud te eſt,ita legatur,à drachma una ſcilicet ac dimidia ad decimam uſq; aſcendente:plurimi uerò , à drachma una uſque ad decimam:& hac de cauſa doſin illam , quam nos dicimus,à te non probari:nā facilius multò fuit impreſſori iota unum demere illis numeris,aut etiam addere , quā ſi character,aut nota , qua decimus monſtratur numerus,tota uarianda eſſet. Ne uerò omnino ab opinione tua diſſentire uidear , & tergiuerſari potius,quàm pro ueritate contendere,fieri poſſe concedimus,ut ponderis illud ſignum,uel menſuræ,non rectè impreſſum fuerit,propterea argumentationi iſti tuæ non multum repugno : quanquam ſi ſic omnia Arabum ſcripta interpretari ac peruertere uoluerimus, nunquam , aut certè rarò , quid illorum arbitrio conſentaneum fuerit,aut diſſentaneū,nobis ſcire dabitur:ita corrupta eſt in pleriſque locis eorum lectio,& ſenſus. Et ideo etiā Græcorum doctrina magis quàm Arabū certa , & amplexanda uidetur : non enim de hac,ut de illa , toties dubitare contingit,quòd plerique noſtra ætate medici inueniantur,qui & græcas pariter & latinas calleant literas,rariſsimíque ſint qui Arabicum profiteantur idioma.Cæterum quòd non admodum abſurdum ſit cum Braſauola decimam rhabarbari infuſi drachmam exhibere, ſi diligenter ipſius uim examinabimus,quæ nonnullorum aliorum ſoluentium pharmacorum inualidior eſt: quódque ſecundum Meſuæ opinionem(quæ tamē accuratius conſideranda eſt,nec ita facilè recipiēda)nullo diſcrimine & pueris , & fœtum gerentibus detur , nullum,arbitror,tibi uideri debere inconueniēs,& eò magis,ſi compoſitiones conſiderentur , quæ à tuis hodie collegis in continuo medendi uſu dantur , necnon illius qualitates manifeſtæ. An uerò compoſitionum, quæ noſtris exhibentur temporibus , pondera & modi decimam excedant drachmam , ſi pharmacopolarum ephemeridas , & recentiorum monumenta , quas uocāt practicas,inſpicere uoluerimus,ueluti ſunt Guainerii & Arculani,& ſimiliū autorum,ſatis cōſtare arbitror : niſi fortè inter aluum mollictia , & cōpoſitionem quæ fit ex myxis,cōnumerādā eſſe exiſtimes , quæ quidem dia

dē diagridiō satis magna quātitate recipit: absurdū qdē neq; ulli sani iudicii uiro recipiēdū, propter magnā, ut dixi, scāmonii mixturæ illius mēsurā. Si uerò in pleuritidis morbi initio cùm dolor partes quæ sub septo trāsuerso sunt infestat, certā compositiōis cuiuspiā aluū soluētis quātitatē dari cōsuluisse nos persensisses, nónne ut inusitatū & incōgruū protinus illud damnasses? id quod tamē non ita à ratione, nec ab Hippocratis doctrina omnino alienum esse existimamus, cùm hic elleborū det, tāquam materia turgeat, secūdo de ratiōe uictus acut. tametsi Galenus in eodē loco multùm illū uereri uideatur, potissimū ubi cōpositio illa quā dicit scāmoniā recipiat. His adde Guainerium & Gatinaram, & alios, quorū tu defensor acerrimus existis, qui misturā quæ nomine electuarii, ex succo rosarum circunfertur, drachmarū duarū & dimidiæ pōdere in pleuritide curāda exhibēt, diagridiónq; ipsum solū & rhabarbarū: à quorū tamē omnium usu uos plurimum abstinetis, talémq; medēdi cōsuetudinē maximè dānatis, modò recētiorū placita laudātes, modò cōtēptui habētes. Ad alterū uerò de saccharo argumentū ita respōderi poterit: ex eo mirādū nō esse, ꝙ Dioscoridis & Galeni diligētiā subterfugerit sacchari cānarum prouētus, & certa notitia, nō autē ipsius sacchari substātia, nec cānæ ipsæ, cùm & pleraq; alia cognouerint, quorū tamē prouētus illis incertus fuerat, quorū omniū posteriores perfectā habuerūt notitiā, quēadmodum pluribus cōstat exēplis. Plerosq; enim autores scimus de Guaiaci ligni facultate & usu memorare, & ipsum cognoscere, qui tamē illius arboris speciē & originem nesciūt. Poterūt igitur in teipsum retorqueri, quæ tu in hos egregios autores contorsisti, necnō cōtra positionē nostrā: nō enim fieri potest, ut unus omnia uiderit ac nouerit, præsertim cùm nullus nūc, quod sciā, sit princeps, q pro ueritate & rerū notitia inuestigāda, ea suis medicis suppeditet commoda, quæ olim Alexander ille cognomento Magnus, p̄ceptori suo & philosopho Aristoteli. Aloēn præterea hybernis tēporibus ægris nō esse dandā, propter aëris frigus, corporis poros, ut inqs, adstringēs, mihi qdē nō multùm probari potest: quoniā eadē ratiōe brumali tēpore nullū similiter aliud exhibendum esset pharmacū: quod quidē falsum esse ex eo cōstat, quoniā necessitate urgēte nullus est q iure eo tēpore soluēs pharmacū dari neget: quēadmodū te quoq; sæpius fecisse animaduerti: maior enim utilitas seqtur ob medicamentum datū, quàm si aëris statu & cōditiōe tātūmodo obseruata, illud nō detur. Tuo uerò illi argumēto, quo Mesuen tueri studes, hæc pauca breuibus collecta sufficiēt: stomachi uocábulum nos pro uētriculo usurpasse, siue pro illius ore, quæ est nobilissima uentriculi pars, & ab antiquis præcordiū nominata: qua significatiōe priscos & recētiores interdum uti uidimus, licet propriè stomachus Græcis gulā significet, ut in plerisq; locis à Galeno scribitur, quā Aristoteles & ueteres œsophagū dixere, mediū scilicet illud, quod est inter os uentriculi & fauces, ut ait Galenus in v. de locis affectis. Nunc cōtra illud, quod de Sarcocolla asseruisti, argumēta & rationes nostræ explicentur. Negamus huius usum, & ꝓim esse eā, quā tu affirmas, ut pingue faciēdo corpus augeat, non quidē per se sed per accidēs, humores noxios purgādo: quoniā Mesues absolutè sentētiā illā protulerit, neque is sit modus propriè & simpliciter loquentiū autorum, cùm aliquid aliqua de re enūciant, aut aliquā uim illi attribuūt: neq;, ut Manardus ait, hoc illi magis quàm aliis competeret pharmacis soluētibus: neq;( puto ) tāti Mesues nō est, ut uel doctrinæ excellentia, uel rerū usu, cū Galeno, uel cū aliis medicis, quos habuit antiquitas admirādo, conferendus sit. Autoritati uerò & Dioscoridis testimonio, quo suā ille & tuā sententiā tuetur, acquiescerē sanè, nec auderē tibi obstrepere, si uerba illa quæ ab illo ex Dioscoride citātur, in Dioscoridis grǫco aut latino codice reperirentur: cùm uerò in hoc ipso nō legātur, non uideo quomodo tutū sit illi tantā habere fidē, quantā tu certè habes. Causam postremò cur inuestigemus nō est, quāobrem hic tuus Mesues, & quidē probus, ut ais, & sanctus uir, illud Alexandro Tralliano adscripserit, nisi in illius monumētis scriptū esset, cū de cyaneo lapide mentionem faceret: satis enim mihi esse existimo, Alexandri testimoniū nō ipsius Alexādri esse, & falsò à Mesue citatum fuisse: nisi quispiā fortè Mesuen defendens respondeat, Alexādri uerba manca & decurtata esse, nō Mesue superuacanea aut corrupta. At si quis nulla animi perturbatione cōmotus rē accuratius inuestigare & excutere uoluerit, in huius autoris & reliquorū Arabū commentariis cōplura inueniri errata & mendas nō negabit, quàm in iis quǫ à Græcis tradita sunt, siue ea sua, siue librariorū, siue typographorū culpa cōmissa sint. Qua de re nō uideo cur Medicorū uulgus, & qui de falsa doctrinæ persuasione inflati se uenditant, adeò Galeni & Hippocratis dogmata suspiciāt, mirisque laudibus efferant, Arabū uerò doctrinā ita sedulò discant, inque illa assiduè sese exerceāt. Satius itaque fuerit abiecta pertinacia, pudoréq; illiberali, ab Epimenidis somno( ut ita dicā )tandē expergisci, & prǫuiam lucē sequi, quàm nos ita oppressos hallucinari, & contabescere. Quare & tu compater charissime, ueritate tandē agnita, fac tuus animus mitescat, illique obtēperet. Quid enim obsecro optabilius est, quid iucundius, quā nos toto cœlo aberrantes, & uariis tēpestatibus cōmotos, in salutis portū recipere, & dispersas uires colligere & refocillare? Spretis itaque iis, quæ maximo tibi quādoque esse possent detrimento, ne amplius differas moneo ad peritos probatósque autores te conferre, & illos nocturna uersare manu atque diurna: hi enim certissimæ salutis uia sunt, alij uerò sempiterni erroris & periculi. Vale. Quinto calendas Iulij. M. D. X L.

*Octauo de comp. med. secūdum loca. cap. I.*

ALOISIVS MVNDELLA MEDI-*cus Academicis suis, de Coturnice.* Epistola VI.

DVbitatum est à nobis quādoq;, quódnā auiū genus illud esset, qd̄ uulgò Coturnix appellat̄, genis, rostro, & pedibus rubēti colore, reliqua uerò pēnarū facie ad leucophæū uergēte, perdice aliquantulū maius: & quænā insuper ea ueterib. auis fuerit, quǫ nostra uernacula lingua Qualea dicit̄, cuiúsue succi ambæ sint, & nutrimēti. Cui dubitatiōi ut ꝓ uiribus satisfaciā, dico coturnicē, q̄ ita à nobis cōi sermone nominat̄, nō illā esse q̄ ab antiqs autorib. coturnix nūcupatur, sed de alpinarū potius uolucrū genere esse, & in syluestrib. & frigidis locis, montibúsq; uersari & degere, quæq; à regiōib. nostris nūquā recedat. Verū cuius auiū speciei apud ueteres fuerit, equidē nondū satis cōpertū habeo: sed ex gustu, & odoratu, & loci natura, in quo cōtinuè cōmoratur, & ex iis quibus pascitur(nā illa grati admodū sunt odoris)si probè à nobis cōficiatur, boni & laudabilis esse alimēti existimo, & ꝑpterea in cibis meritò expetēdā esse. Verū utile esse ducerē, si postquā interēpta fuerit, sub dio per aliquot dies ad gelu relinquatur, (quēadmodū narrat Gale. de multis uolatilib. quæ alas fibrosas, et uniuersam carnē huiusmodi habēt) priusquā eam aqua coquas, aut asses, ut magis tenera & friabilis reddatur illius caro, quæ paulū quidē solida est: accidet eñ ut facilius deinde à uētriculo cōcoquatur. Vocat aūt Gal. huiusmodi carnes tertio Prorrheticorū, q̄ duris mēbranosísq; & ægrè diuellibilibus atq; mādi cōtumacibus cōtrario habēt modo, ψαδυρὰς siue ψαθυρὰς, talésque sunt q̄ à multis σαχναὶ appellant̄, diē unū uel duos à iugulato aīali repositæ, quas Græci ἑωλας uocare cōsueuerūt, q̄si biduanas uel triduanas dixeris. Nō esset aūt fortasse admodū absurdū eā gallinaginis aliquā speciē esse putare, siue auis Numidicǫ, quam qdā deserti gallinā uocant: nā ipse aliàs cū in Burmiis, ubi aquǫ medicatǫ scaturiūt, medicū agerē, nostratiū coturnicū marē & fœminā in domo altiles habui, q̄ adeò cicures, & māsuefactæ redditǫ sunt, ut postea cū domesticarū gallinarū corte ꝓmiscuè habitarēt, simúlq; uescerētur. Donauerat aūt eas mihi rusticus quidā, si quis alius, ad captādas aues callidissimus, qm̄ illū sanassem. Sed ut postea existimarē coturnicē hāc uulgarē nō esse gallinā syluestrē, fecit hic idē rusticus, qui ad me utriusq; sexus auē attulit, multò quidē coturnicib. nostris maiorē ac dissimilē: & hāc dixit uocari gallinā syluestrē, illū uerò gallū, uerísq; tēpore ꝑ nemora obstrepētes sæpius audiri: quorū meminisse Gal. existimo in ij. de cōp. medi. secūdū genus, cū ibi etiā anserum syluestriū mētionem habeat. Nisi quispiam plures esse gallinarū syluestriū species dixerit, & ꝑ diuersa anni tēpora colorē mutare, quēadmodū de turdis, merulis, sturnis, & aliis auibus Plinius tradit. Hæc uerò ut nūc ad uos scriberē, Domicilla Lodroni comes in causa fuit, quǫ eò ꝙ me à morbo conualuisse intellexerat, auē quandā mihi dono misit è Rhætis, quam primo statim aspectu absq; dubio Lagopū esse asseruissē, qm̄ leporis pedes haberet, nisi nōnulla alia signa descriptioni à Plinio assignatæ nō cōuenirēt: postea uerò ut illius alimēti boni-

*Tertio de alimen. facult. & 3. κατὰ γένη. Idem confirmat Gale. in libro de attenuāte uictus ratiōe, de perdice, turture, & huiusmodi aliis.*

ti bonitas & tēperatura mihi magis innoteſceret, uētrē diſſecui, & pabulū diligenter cōſideraui, nec in eo aliud ꝗdē cōperi niſi rubētes fructus quoſdā à calore uētriculi ſemicoctos, quos adhuc in cubiculo noſtro ſeruo, & grati odoris herbas. Illud uerò cauſæ fuit ne uos ad huiuſmodi ſolēne cōuiuiū inuitauerim, quia uos in cōmodius tēpus differre uolui. Id tamē ſcitote, præcipuū fuiſſe auis illius saporē. Coturnicē potius ueteribus appellatā, eam auē eſſe exiſtimo, quę materno ſermone à nobis qualea nūcupatur: quod pluribus, iiſque euidētiſſimis ratiōibus cōprobari pōt, & primùm Ariſtotelis teſtimonio, ut interim Sipontinū, Simonē Genuēſem, Manardū, alióſque prætereā, ix. de natura animaliū, cap. viij. cuius uerba, quæ ad rē noſtram pertinēt, breuiter à me collecta infrà ſubſcribā: Tū perdices, tū coturnices etiā copia libidinis gaudēt, ut in occupātes corruāt, & ſæpenumero capitibus eorū reſidāt: atq; tū perdices, tū coturnices humi nidulātur, propter impotētiā uolādi. Ex ꝗbus Ariſtotelis uerbis, ſi ꝗs qualearū naturā diligēter obſeruauerit, nulli dubiū fuerit, qualeas idē eſſe penitus cū coturnicibus antiquorum, & eas ſolo nomine tātum inter ſe differre. A qualis autē qualeas ſic appellatas exiſtimauerim, in ꝗbus tāquā in uiuariis captæ mēſis reſeruātur. Hæc præterea opinio noſtra confirmatur ex iis quæ à Gyllio narrātur ex antiquorū monumentis ſuper xv. Aeliani de animalibus libro: ibí enim ſcriptū eſt, coturnicē fœminā graciliore collo eſſe quàm marē, neq; nigras partes ſub mēto poſſidere. Nō prętereūdus eſt & Plinii locus, ut ꝗ nobis maximè ſuffragetur, cap. xxiij. libri x. naturalis hiſtoriæ, cùm ait, coturnices citius ad nos aduenire quàm grues, paruas aues, terreſtres potius quàm ſublimes: aduolare & has ſimili modo nō ſine periculo nauigātiū. Id autē proculdubio uerū eſſe Piſaurēſis miles ꝗdā, & nōnulli alii illius regiōis incolæ fide digni affirmarūt, utpote ad quorum patriā, quæ maritima eſt, ingēs coturnicū copia aduētare conſueuerit, & mille inſidiis capi: ſed potiſſimū ſub extremū uerni tēporis illarū aduētu obſeruato. Seꝗtur deinde in Plinio: Auſtro nō uolāt, humido ſcilicet & grauiore uēto: aura tamē uehi uolūt propter pōdus corporū, uiréſq; paruas: aquilone ergo maximè uolant ortygometra duce: ſemper hinc comitatū remeantes ſolicitāt. quam rē ſæpe animaduerterunt hi, qui aucupiis mirum in modū oblectari ſolent, & auium naturam & mores diligētius obſeruant. De ortygometra quoque nemini dubitandum eſſe arbitror, tanquam qui pleriſque latè innotuerit, quémque ego proximis diebus præ manibus habui, & comedi. Sed hoc loco unà cum reuerēdo Alexādro Toto, qui primus hac de re me admonuit, nō poſſum nō mirari Nicolaum Perottū, uirū alioqui eruditū, qui in deducēda ortygometrę etymologia, à μήτρ@ deducit, cū tamē ὀρτυγομήτρα διὰ τῦ η, ὀ διὰ τῦ ι, à Græcis ſcribatꝰ, quaſi ὄρτυγ@ μήτρα, quæ Latinis ſonat coturnicis matrix, nō autē mēſura, ut ille exiſtimauit. Quòd ſi quis hęc ut minimæ conſiderationis epiſtolæ noſtræ inſeruiſſe uitio uerterit, nos Galeni exēplo id feciſſe ſciet, qui plerunq; in huiuſmodi ſermones incidit. Verū ut ad rē noſtrā reuertamur, quid quæſo his Plinij uerbis clarius, ꝗd apertius eſſe poteſt? hæc quidem tollere debēt omnem illorū dubitationē & ſuſpicionem, qui coturnicē qualeam nō eſſe cōtendunt: niſi ita affecti ſint, ut elleboro magis, quā coturnicibus his opus ſit. Indigena pręterea, & ſtataria auis eſt, quę uulgò à noſtris coturnix appellatur, & ea in alpibus nobis uicinis moratur: qualea uerò, quā eandē eſſe cum antiquorum coturnice ſatis me probaſſe exiſtimo, aduena & peregrina auis eſt. Extremum illud addā, multos profectò mihi affirmaſſe, præſertim Totū noſtrū plurimæ ſanè lectionis, nec uulgaris iudicij uirū, ſe uidelicet propriis oculis uidiſſe, qualeas comitiali morbo corripi: traditū quidē à Plinio de coturnicibus, à nullo uerò de alpinis noſtris coturnicibus, quod ſciā, nec hactenus uiſum, nec auditum. Plinij uerò ſentētia illa, coturnices animaliū ſolas, præter hominē, talē morbū ſentire, nobis profectò dubitādi occaſionē præbuit: nonnulla enim alia ſunt animalia, quæ hoc affiiciuntur malo, quemadmodū quos ſæpe nos uidimus, catti, & ut ab aliis accepi, capi gallinacei, alaudæ, equi, picæ, & ſues. Verùm ita nos fortaſſe dubitationē tollemus, dicentes, coturnices animaliū ſolas præter hominem talē morbū potiſſimū ſentire, quēadmodū etiam de canibus rabidis ſcripſit Ariſtoteles: nā mulos, & alia animantia etiā, pręter canes, rabie corripi ſcimus. His in hunc modū à nobis explicatis, nūc uidēdū reſtat, cuius ſucci qualea ſiue coturnix ſit, maline an boni: ſed prius hoc fundamēto iacto: nā ſimili etiā utitur Galenus in ca. de dolichis, primo de alim. facult. Ariſtotelem ſcilicet de coturnicibus & perdicibus in eodem capite tradidiſſe, quaſi utræque natura inter ſe non multū differāt. Neque dubitandū eſt, eò quòd Galenus vj. de tuenda ualetudi. inter montanas aues perdices etiā connumerauerit: nā cāpeſtris & mōticola eſt perdix, turtur, phaſianus, turdus, & pleræq; aliæ uolucres, ut patet. Verū ut nonnihil hoc ſubſiſteremus loco, Galenus nobis in cauſa fuit: inter perdices enim, turdos, merulas, & huiuſmodi, quæ quidem boni ſucci eſſe ab omnibus exiſtimantur, ψάρυ hoc eſt, ſturnos etiā cōmemorat, qui à multis illaudabilis eſſe nutrimenti iudicātur. Cui obiectioni ſic occurri poſſe arbitor: Galenū in eo lib. in calculi renū uitio ſturnos tanquā tenuis alimēti approbaſſe, ſimiliter & palumbes, turritóſue paſſerculos, quos Græci πυργίτας appellāt: uel ſturnos nō ita fortaſſe improbi ſucci eſſe, pręſertim iuuenculos, ut uulgus putat: quædā nanque ſunt animalia, quæ adhuc in tenella ætate exiſtētia, boni ſucci ſunt, ut uituli & hœdi: ſi uerò annoſa fiant, praui: hæc enim, ut ait Galenus in tertio de alim. facul. carēt & cōctionis, & boni ſucci, & nutritiōis laude. Multò autē magis Galeno credendū eſt, quā uulgo ita incōſultè aliquā generalē ꝓferenti ſentētiā. Perdicū uerò nutrimētū, necnō eiuſcemodi auiū, quàm cōueniens ſit et inculpatū, ſilētio pręterire dècreui, tanquā ab omnibus tū Græcis & latinis, tū etiā Arabibus celebratū, pręſertim à Galeno in lib. de cibis boni et mali ſucci, ut ſymmetron, & mediū inter craſſum & tenue: laudatur nāq; ibidē perdicis caro, turturis, attagenis, & turdi. Quid uerò attagen ſit, antiquorū mēſis & ganeis tātopere celebratus, adhuc ſub iudice lis eſt, neq; pręſentis eſt inſtituti id explicare: nolo enim quicquā aſſerere, niſi illud eſſe proculdubio ſciuerim, aut ſanè expertus fuerim, ut poſteriores aliqui faciūt, rationibus tantū innitētes: probabilius quidē multò ratus qđ euidēter apparet, quā quod rationibus tantum aut autorū teſtimoniis cōfirmatur, quēadmodū Hippocratē quoq; feciſſe Gal. affirmat lib. de articulis primo. Quāobrē cùm iuxta Ariſtotelis ſcripta perdix et coturnix eiuſdē generis eſſe uideātur, manifeſtū relinquitur, coturnicē, hoc eſt, qualeā, non ita, ut uulgò fertur, praui ſucci eſſe, neq; à mēſis ablegandam, niſi pauperū fortaſſe, ut qui minoris impēſæ cibis ueſci cōſueuerint. Neq; etiā quòd morbo comitiali corripiatur, quódq; ueneno paſcatur, ab huius eſu abſtinēdum eſſe cenſuerim: nonnulla enim nouimus animalia, quæ licet uenenis quādoq; nutriātur, boni tamen ſucci ſunt, quēadmodū de ſturnis proximè cōmemoratis cōſtat: hi enim etſi cicuta, quę uenenū eſſe ab omnibus iudicatur, ueſcātur, ut eſt apud Galenū, inter tamen boni ſucci aues ab eodē cōnumerātur in vj. de tuen. ſanit. lib. à nobis ſuperius citato: illis enim cicuta nutrimentū eſt, homini medicamētū. Et ibidē rurſus, coturnici ueratrū alimentū eſt, hominib. medicamē: ſiquidē coturnicū natura in ſubſtātiam ſuā ueratrū uertere pōt, qđ hominū nō pōt. Auicēnas inſuper coturnicis cibū nō improbat, ꝙ elleboro ſeu ueratro nutriatur: ſed quòd talis facultas ſpaſmū ac tetanū generādi, illius inſit ſubſtantiæ. Nā coturnicē ellebori cibo iuuari probabilius eſt, quā lædi, ſi primæ illius qualitates, & quæcunq; aliæ rectæ cōſiderētur, quæ pituitæ humorē, ſi quis in coturnice reperiē, poſſunt tollere & diſcutere. Probabilius autē uideri diximus, qm̄ nō ſolū hominis ab aliorū natura admodū diuerſa ſit animantiū, uerū ab aliorū quoq; hominū, ut ait Gale. in primo de ratiōe uict. acut. morb. Veratrū em̄ licet hominē purget, nō tñ etiā coturnicē purgabit, neque cicuta, etſi hominē refrigerat, etiā turdū refrigerabit. An uerò coturnix ueneno, ut ſcribit Plini. ueſcatur, equidē neſcio: niſi ueratrū, qđ & à Plin. & Dioſc. etiā dicitur, ueneni loco ſumpſerit: ſed milliarē auē eſſe (ut eo utar uocabulo) quo quidē ueſcitur, cū apud nos moratur, ut cicuta ſturnus, & eruo bos: & in aruis milio ſatis plurimū inueniri non ignoro, ubi nulla ellebori ſpecies, nullūq; aliud noxiū ſimplex eſt, ꝓpter ſoli culturā frequētē & diligentiā magnam quæ in purgandis agris illis adhiberi ſolet, in quibus miliū ſeritur. Quare coturnicis nutrimentum, quòd non ingrati etiam ſaporis ſit, laudandum potius, quàm damnandum cēſeo: nam & Auerroēs mirificè coturnicum carnem laudat, tāquam bonū generātem ſuccum. Et licet hæ ueneno interdum

*In tertio de ſimpli. med. capit. 17.*

*Primo de ſimp. med.*

*Secundo de alim. facul.*

*In 5. Colle. cap. 32.*

ueſcantur

*In 5. collect. cap. 12.*

uescantur, & interdum comitiali morbo uexẽtur, non tamẽ semper, nec omnes existimo, sed illas fortasse quæ in auiariis captæ reseruantur: nam & hac ratione capi gallinacei, quos suprà diximus, quòd nonnulli eorum quandoq; comitiali morbo corripiantur, improbandi essent, qui tamen ab omnibus rationabiliter laudãtur. Nam quæ obsecro animalium species est, quæ uariis interdum non corripiatur morbis, etiam si ea boni succi sint? Damnat siquidem Galenus animantium non exercitatorum carnes, propter nimium illorum humorem, & excrementum: contrà uerò montanas, syluestres, & exercitas, quæq; idoneis uescuntur pabulis, & liberam uitam agunt, laudat. Disponũt quidem pro sua natura cibi ac potus animalis corpus, qui in longo sunt usu: multa enim mutatio ex hoc ipso fieri solet, ut ait Galenus secũdæ sectionis aphorismo L. Verùm de coturnice non ita dicendum est, quemadmodũ ex superius dictis patêre arbitror. Id quoque non prætermiserim, dominum Deum nostrum Israëlis populum, quem ardentissimè diligebat, dum per deserta illa transiret loca, ad satietatem usq; coturnicibus non pasturũ fuisse, nisi probati illæ fuissent alimenti, & salutaris: nam aliàs etiam melle aërio illum saturasse legimus, non autem noxiis & dãnatis cibis. Sed quoniã Galenus abũdè nobis tradidit methodos in libris de simpl. med. quibus facilè quæ sint alimenta bona, & mala, cognoscere & distinguere possimus: idcirco satis manifestũ fieri posse puto qualeam, hoc est, coturnicem, præsertim assam, boni & grati odoris esse & saporis, omisso etiã ipsius cõdimẽto, quódq; manducãti nõ displiceat, sed optimè respondeat, atq; oblectet, boni esse alimẽti: hæc enim argumenta sunt satis ualida ipsius probæ temperaturę & substãtiæ. De coturnicũ uerò sede cũ ad nos aduenerũt, nemini dubiũ est eas in locis siccis & cultis morari, nõ autem stagnantibus, aut incultis, & aduentante pluuia alið auolare. Psellum quidẽ inter illa, quæ boni succi nõ sunt, coturnicem cõnumerare non me latet: sed quoniã nullis id rationibus probat, non multũ in præsens magnifaciendũ esse illius testimoniũ censuerim, ut qui turturẽ etiam dãnauerit, quæ tamen à Galeno, ut superius ostendimus, plurimũ laudatur. Isti nãq; autores Græci, qui lõgè post Galeni seculũ secuti sunt, quiq; Arabũ doctrinã degustarunt, in plerisq; à præceptore Galeno declinarunt: quemadmodũ exẽpli gratia, in sectiõe uenæ, extremæ manus uenã magis eligẽtes, quàm curuaturæ brachii, & in nonnullis aliis nunc à me non recẽsendis. Et sanè pauca admodum isti memoriæ mandarũt, quæ Galenus non scripserit, aut animaduerterit: sunt tamen eorũ monumẽta multò magis quàm Arabũ nobis imitanda, atq; amplexanda, ut quæ Galeni doctrinã atq; Hippocratis magis redoleant, quàm barbarorũ. Qui uerò adstruunt, quãdoque etiam à Galeno de uenę manus sectione mentionẽ fieri, ut in secundo ad Glauconem libro, ubi passione existẽte in dextra locorũ parte, à dextra manu, aut crure eodem sanguinẽ mitti præcipit: ita illis respõderi poterit, Galenũ ibi manus uocabulo pro brachii Græcorũ more usum fuisse, quẽadmodũ sæpius consueuit, & ab ipso explicatur in libello de motu musculorũ, manũ in tres magnas partes diuidẽte, brachiũ, ulnã, & summã extremámue manũ. Sed esto quòd non multũ laudabilis succi sit conturnicis caro: at certè cõcedent, non omnino eã à nostris mensis ablegandã, quoniam comedentes multũ delectet ac iuuet. Cibus nanq; ut ait Galenus secundæ sectionis aphorismo xxviij. qui cum uoluptate sumitur, quamuis paulò fuerit deterior, non modò nõ manet deterior, sed quandoque redditur melior. Quod etiam confirmatur in secundo de alimen. faculta. cùm dicit, præcocia plerisque persicis suauiora apparere, & ideo stomacho utiliora. Et in cõsilio pueri comitiali morbo laborantis, q cibus is etsi paulò deteriore natura sit, melius cõcoquatur. quod lõgè quidem ægrotis utilissimũ est, assumptos uidelicet cibos & potus rectè cõfici, & in alimoniã corporis uerti. Nihil autẽ in omnibus cibis ad boni succi generationẽ tantũ pertinet, quãtũ si probè in uẽtriculo cõcoquantur: nã quicquid uenter cõcoxerit, ad iecur trãsit, ab illo ad nutriendas partes trãsmittitur: & reliqua quę à Galeno in libro de cibis boni & mali succi narrantur. Virtus uerò cibi est, ut facilè coquatur, quintæ sectiõis aphorismo xxvj. Equidẽ uitiosi maximè gignũtur ex cruditate humores ac morbi, siue ea ex boni succi cibis, siue mali oriatur: licet lõgè aliis deterior sit illa, quæ ex uitiosi, quàm quæ ex boni succi cibariis fiat. Propter hanc tamẽ Galeni sententiã putes nolim tutius nõ esse ab omnibus nos cibis abstinere, quã iis uesci qui malos gignere humores apti sunt, tametsi cõcoquãtur illi: nõ enim (opinor) id uoluit Galenus: sed quæcunq; illa fuerint, ut proba eorũ concoctio fiat, impensissime studendũ esse: cibi enim & potus optimũ habentes tẽperamentũ, naturæ sunt conuenientiores, ut ait Galenus lxxxvj. cap. artis medicinalis: neq; ullum magis aptius adminiculũ inueniri potest ad tuẽdã sanitatem, succorũ probitate. Quamuis autẽ cibi, qui malos generãt humores, concoquãtur, si tamen uel minimã putrefactiõis occasionẽ admiserint, febres excitant, quæ postea difficile curantur, ob talẽ humorum putrefactionẽ, & uitiũ in uenis residens, quẽadmodum dicta Pselli de rat. uict. accuratè cõsiderãti longè patêre arbitror. Galeniq; præsertim in secũdo de alimen. facult. qui sic ait: Proinde omnibus praui succi eduliis quantumuis à nõnullis probè cõficiantur, abstinere omnino cõsuluerim: clàm enim, sensimq; lõga dierum serie prauus in uenis succus ex ipsis suggeritur, atque accumulatur, qui uel leuicula putredinis arrepta occasione febres sæuissimas, & mirè cõtumaces excitabit. Cùm uerò inopinatis rerũ casibus omnes subiiciãtur homines, salubris gratia securitatis, fortasse satius fuerit omnia tentare, & ad insueta transire, ne aliquãdo in ea repentè incidentes, multùm offendamur: est enim unica tantũ consuetudo periculosa, quemadmodũ ait Galenus secundæ sectionis aphorismo quinquagesimo. Si quis igitur nostris spretis rationibus, & autorũ sentẽtiis, Auicẽnę magis assentiatur & pareat, hic spasmũ ac tetanũ timens, à coturnicũ cibo perpetuò abstinebit: nos uerò qñq;, ob adductas rationes, illis modicè quidẽ uti haudquaquã dubitabimus. Etsi etiã Gale. dicat, & in Doride, & Bœotia, et Thessalia, omnibúsq; finitimis regiõibus multos ex coturnicũ esu musculorũ distẽsiõib. correptos fuisse, qm̃ ueratro scilicet illę uescant. qđ qdẽ ipsum et Athenis accidisse quibusdã nouit, qui coturnicibus nimis largiter sese impleuerãt, sexto de morbis uulg. cõmẽt. v. Meliora & fide digniora, q̃ nũc ad uos scriberẽ, non habui, candidissimi fratres, ad hãc nostrã difficultatẽ extricandã: quocirca dabitis & uos interim operã, ut uestro ingenio, uestróq; studio et diligẽtia res medica indies magis ac magis elucescat. Valete. Prid. Non. Octob. M.D.XL.

*Secundo de usu part. & ij. de fract.*

*Sexto de morb. uulg. comm. iiij.*

*Tertio de alim. facult. cap. de pisci=bus mollicar ne prædi.*

## ALOISIVS MVNDELLA MEDICVS, *ad Hieronymũ Feroldũ medicũ, Episto. VII. in qua Galeni locus de uentriculo & hepate lupi aperitur.*

PEtiisti à me heri cũ in bibliothecã Placẽtini tanquã in alterũ Galeni sandalariũ fortè cõuenissemus, uariúsq; à nobis de rebus uariis haberet sermo, atq; de his inquirẽdę ueritatis causa disputaremus, ut tibi locũ Galeni de cõpositione medicamẽtorũ secũdũ genus, ostẽderẽ, quẽ uno fermè abhinc anno tibi inter loquẽdũ, nõnullisq; aliis Collegij nostri uiris, siqñ opus esset, mõstrare spoponderã: recordabar em̃ me proculdubio illum uidisse, quãuis quánã in eius libri parte esset, tunc memoria nõ tenerẽ. Ego autẽ quod antea nõ obliuione quidẽ, uel negligentia ulla, sed ardentissimi desiderij tui ignoratiõe potius à me factũ nõ est, in præsenti mihi faciendũ cẽseo, ut fidẽ meã liberẽ, & tibi urgẽti satisfaciã: quæris em̃ quæ summã habeãt æquitatẽ & honestatẽ: quãquã satis tibi esse potuisset, qđ anatomes periti pro cõperto habẽt, atq; affirmãt, p̃sertim Gale. ipse certissimus experiẽtiæ autor, cuiq; multa fides meritò adhibẽda sit: στόμαχον uidelicet, siue gulã, aut œsophagũ, dorsi spinæ secũdũ latus dextrũ p̃tẽsum esse, & alligatũ, ut ĩ xvj. de usu partiũ ab ipso latius ꝑtractatũ fuit: cui os uẽtriculi cohęret, ac cõtinuatũ est, singulis dorso ꝑ phrenas firmatis et cõnexis, quẽadmodũ eiusdẽ quarto uidere est, necnõ vj. de anatomicis administrationib. id qđ etiã v. de locis passis, cap. iiij. cõfirmari uidetur, & tertio de re medica Aẽtij lib. c. cxxxvij. Ibi em̃ cucurbitulã à sumpto elleboro, singultu urgẽte, spondyli magnæ sub scapulis affigi p̃cipit, ut singultus sedetur, quæ est peculiaris oris uẽtriculi affectio. Idẽ Aëtius in iiij. ca. xix. ad sistendũ infantiũ alui ꝓfluuiũ medicamẽtũ loco p̃dicto applicat: qđ illũ fecisse existimãdũ est, ꝓpter oris uẽtriculi quã cũ dorso habet uicinitatẽ. Idem cõfirmat & Cornelius Celsus in iiij. libro. Quibus adstipulatur id quod duobus ægrotis, qui à morbo cõualuerũt, quiq; adhuc superstites sunt, sępius euenire expertus sum. Cũ enim ab eis accersitus fuissem ad bonam illorum recuperandam ualetudinem,

letudinē, horum alterū audiui, qui ſe uehementi admodū dolore cruciari dicebat, quē κεφαλείαν uocant, cōmunicatis à uentriculo uaporibus cum à frigida ipſius intēperie, tum hepatis calida generatis. Hic igitur inueſtiganti mihi, & diligenter ſingula inquirēti, doleretne, dū premerē mediā ferè dorſi ſpinæ particulā, ſubitò reſpōdit, ſe quidē grauē dolorē ſentire iuxta xi. dorſi ſpondylē: perreptat enim ſtomachus ſecūdum Gal. ſupputationē in xvi. de uſu partiū, ſuper vij. colli ſpōdyles, & thoracis iiij. Sunt autē omnes numero xxiiij. cui deinde, ut infrà apparebit, os uentriculi continuatū eſt. Alter uerò ægrotus muliercula quædam erat, quæ cū pręgnantem ſe eſſe putaret, tādem informe carneū quoddā peperit, quam molam appellant: hæc cū ante partū aſsiduo infeſtaretur uomitu, utpote cui prauis repletus eſſet uentriculus humoribus propter uictus intēperātiam, dum prædictam ut alterius ægroti, partem dorſi premerē, ſe intolerabilē ferè dolorē ſentire affirmabat, ſed etiā nullo premente, in ipſo uomitus tēpore. Quæ quidē utraq; exēpla non parum uidentur Galeni, atq; Aëtii dicta cōfirmare, & eorū etiam, qui de ſectione partium humani corporis prodiderunt. Vt autē ad primam quęſtionē, ſiue dubitationē redeam, dico Galenum tāquam naturæ ſecretorū inueſtigatorem diligentiſsimum, experiētiſsimūmq;, & ſummū philoſophū, ſeptimo de cōpoſ. medic. ſecundum genus, uentriculi ori, & metaphrenis, ad iuuandā coctionē illini iubere myracopon illud regium, cuius uerba hæc ſunt: καὶ πέψεις συνεργεῖ ἐπιχριόμενον τῷ στόματι τῆς κοιλίας, καὶ τοῖς μεταφρένοις. hoc eſt, & coctiones iuuat inunctum ori uentris, & metaphrenis: nō autem dorſo, ut alius interpres, ſed anteriori pectoris parti, ubi fundum ſitum eſt: ſuperuacuū enim illud eſſet: niſi & hic os uentriculi antè ſitum eſſe exiſtimaſſet, quod tamen falſum eſſe inferius me oſtenſurū ſpero. Septum uerò trāſuerſum, ſiue diaphragma totū diuidit pectus, à ſpuriis coſtis ortum habēs, quapropter ab Ariſtotele διάζωμα appellatū eſt. Itaq; nō eſt quòd amplius ſuſpiceris ſententiam illā à me aliàs tibi recitatā, me effinxiſſe. Si uerò quiſpiā fortaſſe in hunc modum argumentetur, cōpoſitionem illam vij. libri de comp. med. ſecundum genus, paulò antè à nobis citatā, nō Galeni, ſed alterius autoris eſſe, hac ſola reſpōſione illi ſatisfactum iri poſſe arbitror: ſatis mihi eſſe myracopon illud à Gal. damnatum non fuiſſe, imò potius approbatum, cum nulla ex parte illi refragetur, quemadmodum in nonnullis antiquorum compoſitionibus ab ipſo ibi commemoratis, cum illas conſiderat, & expendit, facere cōſueuit: ſimiliter & in libris de comp. med. ſecundum locos: atque ſimplicia illa, ex quibus ea compoſitio conficitur, ſingula maximè faciant ad uentriculi coctionem iuuandam, ſi diligenter ea conſiderabimus: duobus enim, uel tribus, quæ celebria ſint, medicamentis examinatis, ratio alia componendi, & interpretandi cognoſcitur, ut eſt in principio libri quinti de comp. med. ſecūdum genus, & in eiuſdem vi. Adde etiam quòd Galenus paulò infra citatum myracopon Aſclepiadem laudauit, quoniam confecturas, & earum uſus accuratè tradiderit: quæ cum à negociis tuis paulū uacaueris, tua ſponte & uidere, & examinare poteris. Pręſens uerò Galeni locus, ſi fortè, ut deſiderabas, tibi nō ſatisfecerit, eandem ferè ſententiam exactius quidem explicatam conſpicari poteris in xiij. τῆς θεραπευτικῆς μεθόδου, ubi laborante ſtomacho, remedia ſpinæ dorſi admouēda eſſe uoluit, quemadmodū cùm phlegmone uentriculi os afficitur. Cum autem hæc ad te ſcriberē, ecce ad nos è Baſilea afferuntur Iani Cornarii, uiri (mea quidem ſententia) eruditi in libros Galeni de comp. med. ſecundum locos commentaria: quibus alacri animo explicatis, ardentíque deſiderio uiſis, & curſim lectis, ut boni quippiā primo aſpectu præ ſe ferentibus, inter cæteros mihi conſideratione dignus uiſus fuit locus ille, ubi Cornarius Linacri uerſionem illam xiij. libri curādi methodi caſtigat, & medicorum recentiorū uſum ſimul reprehendit, qui dorſi ſpinæ, quòd ibi uentriculi os annexū eſſe exiſtimarunt, remedia applicanda eſſe cōtendunt, tanquā hoc nouū, non illorū, ſed Galeni fuerit inuentum. Cum autē hæc legiſſem, Cornariique, & Linacri ſimul tralationē ad græcum Galeni exemplar, quod nuperrimè Baſiliēſib. typis excuſum fuit, tanquā magis caſtigatū & correctū contuliſſem, mihi quidē Cornarius magis ad uerbum uertiſſe uiſus fuit, & fidelius profectò, quā Linacer: quorū ut clarior habeatur ſenſus, quāuis ab illis uerſa fuerint, hic etiam infrà ea ſubſcribere, & interpretationem noſtram ponere non alienum fore duxi: λέγω δὲ νῦν στόμαχον ὅνπερ δὴ καὶ κυρίως ὀνομάζουσιν. ἐνίοτε γὰρ οὕτω καλοῦσι καὶ τὸ στόμα τῆς γαστρὸς, ὥσπερ ὅταν εἴπωσι συγκόπτεσθαι τινὰς στομαχικῶς. ἀλλὰ ἐπί γε τοῦ κυρίως ὀνομαζομένου στομάχου, καὶ τὰ καταπλάσματα κατὰ τῆς ῥάχεως ἐπιτίθεμεν, οὐκ ἔμπροσθεν, ὥσπερ ὅταν τὸ στόμα τῆς γαστρὸς φλεγμαίνῃ. κατὰ γάρ τοι τῆς ῥάχεως ὁ στόμαχος ἐπίκειται, διά τε τοῦ τραχήλου, καὶ τοῦ θώρακος φερόμενος κάτω μέχρι τῆς γαστρός. hoc eſt: Dico nūc ſtomachum, quem & propriè quidem appellant: interdum enim ſic uocant & uētris os, quemadmodum aliquādo dicunt aliquos ſtomachi ratione animo linqui: ſed in ea corporis parte, quæ propriè ſtomachus appellatur, etiā cataplaſmata ſpinæ imponimus, non autem anteriori parti, ut tum, cū os uentris inflammatū eſt: ſpinæ enim ſtomachus incumbit, & per collum & thoracem uſque ad uentrem infrà porrigitur. Hæc Galenus: in cuius uerborum initio, cū inquit, dico nunc ſtomachū, quem propriè appellant, (gulam) dictio addēda eſt, uel ſubintelligenda, ut eſt in v. de locis paſsis cap. iiij. quæ ſi ad Linacri interpretationem cōferantur, primo ſtatim aſpectu longè quidem diuerſum ſenſum, quàm Linacri uerſio, reddere uidentur. Sed cum poſtea accuratius, ſæpiúſq; ac ſępius cōſideraſſem uerba illa Galeni, quę difficultatem facere uidebantur, res quidē aliter ſe habere mihi uiſa eſt. Ea autē ſunt: Sed in ea corporis parte, quæ propriè ſtomachus appellatur, etiam cataplaſmata ſpinæ imponimus, nō autem anteriori parti, ut tum, cùm os uentris inflammatum eſt, &c. quæ quidem fidelius à Cornario uerſa uidētur, quàm Linacro: tametſi Linacer natiuum Galeni ſenſum, & genuinum percepiſſe, non uerba tātum animaduertiſſe mihi uiſus ſit: quod ab eo requiri debet, qui uertendi prouinciā ſuſcipit, ut ait Galenus in ſecundo de differentiis pulſuum: nam uerbum illud (cum) non ad ſtatim antedicta referendum eſt, ſed ad alia, quę illa antecedunt: ut talis ſit Galeni ſenſus: ſtomacho laborante, cataplaſmata dorſi ſpinæ imponimus, ut aliquando os uentriculi inflammatum eſt, non anteriori parti. Et ita omnes Galeni loci, & aliorum autorum concordes erūt, neq; quicquā his, quæ in adminiſtranda corporis humani ſectione apparēt, aduerſabitur. Confirmantur præterea, quæ ſuperius diximus, à Galeno in primo de locis affectis, cū ait: Quippe apparentib. per uomitum ulceris notis animaduertēdū eſt, utrum anteriores partes circa præcordia, aut poſteriores circa dorſum dolor aliquis infeſtet: etenim qui in anterioribus percipitur, uētriculum, qui uerò in poſterioribus, gulam occupare cenſetur. Haud aliter os uentriculi à ſpatio ipſius diſtinguendū eſt, ſi deuoratis quibuſdam actibus, hoc quidem, ſcilicet acre, in ore uētriculi, uel in parte inferiore morſionem excitet, illud uerò in thoracis meatu. Hoc idē ſentit in tertio eiuſdē, c. v. & vj. de anatom. adminiſt. At uerò ſtomachū dorſi ſpinæ annexū eſſe iā patuit: ſimiliter quoq; & uētriculi os, & his etiā Galeni uerbis: quarto enim de uſu partiū, uētrē in thoracis medio ſitū eſſe apparet: ipſius uerò os gulæ proximū eſſe. Neq; ualet, puto, illorū cōtra nos argumētatio, qui dicūt, thoracis uocabulo totā debere intelligi coſtarū concauitatē, tam anteriorū, quàm poſteriorū, quemadmodū Galenus ſcripſit in libello de oſsiū diſſectione. Nam licet Galenus dicat: Illud uerò in thoracis meatu: nō ſequitur tamē ex hoc, uentriculi os in regiōe illa dorſi ſitū, & alligatū nō eſſe: quoniā paulò antè dixerat, gulā eo in loco adnexam eſſe, & ibi quoque os uentris copulari, & continuari, quemadmodū ex locis ſuperius citatis manifeſtè apparuit. Sed tamē propterea nō negamus remedia affecto uentriculo, affectóque ipſius ore, utrique particulæ, dorſo ſcilicet & anteriori thoracis parti applicanda eſſe, nō ſolū ad ipſius coctionem roborādā, ſed etiā ad generalē ipſius recreationē. Quamuis enim uentriculi os dorſi ſpinæ annexū ſit, ac gulæ cōtinuatū, quæ propriè ſtomachus appellatur, nō tamen dicendum eſt medicamentorum facultates, quę anteriori thoracis parti imponūtur, ori uētris nō communicari, quemadmodū ex Aëtio ſuprà innotuit, & ex Galeno vij. de compoſ. med. ſecundum genus: ibi enim ad uentris coctionem adiuuandam medicamenta ori illius, & metaphr[illegible]s illini iubet: unde tunica oritur à natura quidē fabrefacta, ut ſecundæ uentris tunicæ, quę carnea eſt, ſit propugnaculū quoddā, atque totius uentris cum dorſo nexus: quēadmodū etiā περὶ τοῦ ἐπιγαστρίου dicitur, hoc eſt, de abdomine, quod uentris, & hepatis coctionē adiuuat. Nā duplici illa inunctione, quæ anteriori

*Idē 6. & 16. de uſu parti. nec non 8. de anat. admin.*

riori & poſteriori parte fit, uētriculus magis corroboratur, quàm ſi in una tãtū parte fiat:ita enim cõtractus, atque ob adhibita medicamēta inſtauratus,ut affirmat Gal.in iiij.de uſu partiū, ualidior deinde redditur ad ſuperandos qui ipſum infeſtãt morbos, naturæ omnium prudētiſsimæ exemplo,quæ peritoneo,omēto,hepate, & nõnullis aliis mēbris uentriculū circūdedit, quo illū tueantur,& cõfirment: ſummopere etenim procurãda eſt uētris hepatiſq; cõcoctio:quapropter Galen.utriſq; inūctionē facit ex abſinthij oleo,ut quibus magis opus ſit ut corroborētur,quàm cætera mēbra:hæc enim uniuerſo corpori alimentū præparãt & ſuggerunt, quēadmodum ait Gal.in libro de boni & mali ſucci cibis. Siquãdo igitur nobis opus fuerit uētriculi os iuuare,mihi quidē rationabiliter illi, & ſecundū Galenū agere uidentur,qui dorſo, & anteriori etiã uentris parti auxilia applicant:qui uerò alteri tantùm,imperfectè, & abſq; ratione. Sed quæ de hepate lupi à nõnullis circunferri audio, qui triū menſium ſpatio omnia Galeni opera ſe uidiſſe,atque,ut illius librorū helluones maximi,ingurgitaſſe affirmant, cùm antea tamen ne titulos quidē legerint, utpote à Gal.parū conſiderata, & inter ſe pugnantia,ab ipſis malè intellecta fuiſſe,nec iure Galenū reprehendiſſe, facilè me oſtenſurū ſpero. Nam vij.de comp. medic. ſecundū locos, Gal. ſe probare non poſſe ait, an hepar lupi ad oris cruſtas cõferat,ut Archigenes uoluit, quoniã hoc compertū non habuiſſet. In viij. uerò eiuſdem lib.cõfeſſus eſt ſe abundè expertū fuiſſe hepar lupi à tota ſubſtãtia, non ſecundū unam aut alterã qualitatē hepaticis cõducere.Quæ quidem ſi accuratè cõſiderentur,ea haudquaquã inter ſe aduerſari,ſed optimè cõuenire cõſtabit : ſiquidē illud morbi genus,quod in vij.de comp.med.ſecundū locos,ab eo, quod in viij.continetur, diuerſum eſt, & hanc omnē tollit illorū apparētem controuerſiã,& difficultatē. Non obſtat etiam,Galenū dicere in xj.de ſimpl.med.ſe compertum nõ habere, ꝙ hepar lupi eupatorio miſtum aliquid amplius mētione dignū agat : quoniã diuerſis temporibus illa ſcriberet: fieri enim poteſt, uno tempore aliquid illi innotuiſſe, quod non alio. Vel dicas Galenū in vij.lib.ſuperiùs citato,etſi de hepate lupi illud ſe abundè expertū fuiſſe affirmat,non tamen propterea ſequitur,id mentione dignū fuiſſe.Et ita,iudicio noſtro,hæc etiã altera in ſcriptis Galeni apparens deſtruitur cõtrouerſia. Iſtis uerò,qui Galenū quidē præter rationē maximè carpere ſtudent, id euenire putauerim, quod iis qui in ſectæ cuiuſpiam iurarunt documēta:hi enim nunquã uerum à falſo diſtinguere poſſunt. Nam ſi fortè aliquam Galeni ſententiam legunt, uel periodū, illam uel non accuratè, ut debent, conſiderant,uel non intelligunt : aut ſi intelligunt,illam ſemper calumniari ſtudēt, quoniam malè animati in illum ſunt:quos quidē bonarū artium omniū & diſciplinarum euerſores peſsimos iure nuncupãdos eſſe dixerim : cùm enim aliquē bonas literas amplecti, & ſequi ſentiunt, quò poſtea facilior ſit ad optimos intelligendos autores aditus, iuxta Galeni doctrinam in libro de libris propriis inſcripto, protinus hunc rhetorem, aut grammaticū appellant:quod quidem maximum eſt & efficax ignorãtiæ ſuæ argumentum. Scias autem uelim Hieronyme,medico adeò neceſſariam eſſe cùm Græcarum,tum Latinarū literarū cognitionē, ut qui eas ignorauerit, is à pietatis officio multùm deficiat. Quoniam uerò cum ad hos uiros ſermonē meum uerto, tempus terere uideor,idcirco omnibus his omiſsis, diſputationi huic noſtræ ſilentiū imponam, & ad alia me conferam utiliora negotia. Tu interim operã dabis, ſi quod in medendo hac æſtate tibi occurrerit monſtrum,quod memoria dignum ſit, ut illud mihi notum facias : ἡ γὰρ φύσις ἀεὶ ὀργάζεται τι καινόν. quòd ita multa nobis innoteſcere poſsint : quódque is olim Galeno peculiaris fuerit mos, ut ita nihil ferè quod Romæ non modò, ſed in uicinis oppidis eueniret, illum lateret, quòd de omnibus his à medicis qui in illis commorabantur certior fieret. Vale. Quarto nonas Octob. M. D. XXXVIII.

*In 11. curãdi meth. & 8. de cõp.med. ſecundū partes cap.1.*

*Primo de articulis.*

ALOISIVS MVNDELLA MEDIcus, *Hieronymo Feroldo medico. De ranis, & illarum iure.* Epiſtola VIII.

MEmini me aliàs tibi quàm certiſsimè affirmaſſe ex autoritate antiquorū ſcriptorū, ranarū ius, ranáſq; ipſas ſumptas iis mirificè opitulari,qui à uenenatis percuſsi eſſent reptilibus:proptereáq; nulli à ratione alienū uideri, ſi ranarum uſus in cibis noſtris temporibus apud multas Italiæ præſertim nationes frequens ſit. te uerò tanquã recēs inauditum, nec amplius uiſum, nõ approbaſſe, nec potuiſſe adduci ut mihi crederes,quoniã memoriæ culpa locū ſentētiæ,& teſtimonii citati tibi nõ indicaſſem. tunc reſpondi, omnino me tibi ſatisfacturū:quod nunc præſtare mihi uiſum eſt, ne me falſum eſſe exiſtimes in citãdis cùm antiquorū, tum recētiorū autorum libris. Nam locum illū probationis meę,quē cupiebas tibi oſtēdi,in ſecūdo Aëtii libro, cap. clxij.& xiij.eiuſdem cap.v.& vij.Pauli Aeginetæ lib.eſſe animaduerti, ubi ab illis aſſeritur, ſi cum ſale oleóque ranarū ius hauriatur, mirificè illis prodeſſe, quos ſuprà memoraui,percuſsis:quorū teſtimonio fretus ranas interdū edere nõ dubitaui, aliiſque ut ederēt permittere: quamuis illarū nutrimētū, quod in corpus hominis diſtribuitur,tale fore exiſtimauerim,quale à Galeno in tertio de alim.facult.cartilagineis attribuitur,minus cõcoctioni difficile, & mediocriter in aluū exiens. Anteacta uerò hebdomade cùm ranas ſale, oleóq; cõditas in cœna ſumpſiſſem, partim ex iure albo coctas, partim frixas, adeò uehemēs uomitus me inuaſit, aliáq; uerenda ſymptomata tribus ferè diebus continuis me exagitarunt,ut aliquod uenenū me ſumpſiſſe proculdubiò exiſtimauerim:erãt enim ranæ illæ,ut poſtea mihi relatum fuit, ſtagnãtis cuiuſdã loci & paluſtris incolæ, longóq; ex itinere ad nos delatæ, continuo calore & agitatione ſemicorruptæ:ranarū enim ſubſtãtia, ꝙ laxa ſit atq; humida,putredini parata eſt. Si uerò recēter capiantur, & diligētiſsimè denudentur, & in puris aquis degerint,nõ limoſis,nõ tantùm ut alias,noxias eſſe dixerim,præſertim quæ carne ſolidiore cõſtant, optiméq; cõditæ ſunt. Verùm huiuſmodi cibos nõ multū laudauerim, qui penuria urgēte,aut uiuēdi copia & luxu potius edi ſolent, quàm ulla ratione, ſicuti fungi, legumina omnia ferè, cochleæ,carnes ferorum animalium, & pleraque id genus reliqua, ut ait Galen.in libro de cibis boni & mali ſucci,& in libro de morbis uulg.Cur autem Aëtius libro xiij. capit.50. paluſtres ranas inter uenena connumeret, loco uerò ſuperius à nobis citato dicat, paluſtriū ranarum ius magnū præſidiū iis adferre qui à uenenatis icti ſunt reptilibus, ſi illæ oleo & ſale conditæ aqua elixentur,equidē incertus ſum,cùm decoctum rei, quæ decoquitur,naturã retineat,quibuſdã exceptis,ut lens, braſſica,oſtreæ, & huiuſmodi:quapropter alterius ſcriptoris iudiciū hac de re expectabimus:nolo enim nunc ita improuiſò huius uiri doctrinã & experimētū damnare : id quod tamē ideo à me factū putes nolim,quin nobis quandoque licitū ſit antiquorū ſcripta ſub incudem iterū atque iterū reuocare,illiſq; etiã,ſi opus fuerit,diligenti prius tamē examine habito, pro tuenda ueritate aduerſari, quò optimè ſaluti hominū conſultū ſit. Niſi quiſpiã fortè Aëtii cauſam ſuſcipiens dicat,ranarum ius diuerſæ eſſe ab earū ſubſtantia facultatis : ſed quis illud autor egregius approbet, adhuc nobis nõ cõſtat:tu uerò accuratius conſideres uelim,quidq; ea de re ſenſeris, me admoneas. Cæterùm longè laudabilius eſſe exiſtimo,ac tutius, ranas omnino interdici, aut ſaltem dictis de cauſis parcius in cibis ſumendas eſſe, in primis uerò propter uendentiū auaritiã & fraudē:hi nanq; ſæpenumero multò pluris faciunt unius oboli formã, quàm omniū hominū ſalutē,atque interitum:rubetas enim, & obmuteſcētes ranas, quæ quidē à peritis autoribus citra omnē dubitationē uenena eſſe exiſtimantur, palàm in foro piſcario,& publicis tabernis,magno ſalutis noſtræ periculo, quotidie nobis uenundare nõ erubeſcūt, aut timent:uſque eò inualuit noſtri ſeculi hominū malitia,& uiuendi neglectus & luxus. Videmus ſiquidē pleroſque ex iis ſæpenumero, qui in ciuitate noſtra publicis præſunt negociis, magis ea curare quæ minimi ſunt momēti,quàm ſuã & aliorū ciuiū ualetudinē:quemadmodū nunc euenit(ut alia omittã) circulatori cuipiam, & quidē ſceleſto uiro,qui,cùm primùm Brixiam ſe contulit,omnéſq; profiteretur ſe, nulla alia conſideratione habita,curare uelle ægrotos,quicūq; illi eſſent,ſolo clyſteriorū uſu,&,ut ait Galenus, uno calopodio, tantam à primatibus multis ciuitatis breui quidē tempore extorſit pecuniarū ſummã, quantã ipſe medicū agens decem annorū ſpatio nõ lucrifecerim, etſi in ſtudiis bonis & exercitationibus medendi cõtinuis uitã omnē meã, & omne tempus cõtriuerim,nihilque aliud magis deſiderauerim,quàm ut doctus,& probus euaderem. Quo autem difficultati noſtræ uberiùs ſatisfactum ſit, illud quoque non conticuerim, quòd piſcator quidam mihi

admodum familiaris, me nuperrimè admonuit, ranas ſcilicet, quæ adempta cartilagine exteriore & cute, magis albo colore ſunt, aliјs quidem longè nocētiores, & minus cibis idoneas eſſe, quòd ueneni ſpeciem quandã præ ſe ferant: quibus de cauſis in poſterum (ut dixi) omnino ab illis abſtinere conſtitui: id quod ut cæteri quoque faciant conſulo, adhortórque. Quantum uerò, poſtquam de huiuſmodi piſcium genere ſermo à nobis habitus eſt, illi hallucinentur, qui in uoluendis Arabum libris, ſpreta Græcorum doctrina, omnes cõterunt dies, & ſaxatiles piſces illos intelligũt, qui in leuibus, aut arenoſis, aut terreis littoribus & aquis manſitant, cùm potius illi intelligi debeant, qui in ſaxoſis locis, & circa promontoria, ſeu maris ſcopulos deliteſcunt, ſeſéque exercent, ſi Galeno, Celsóque, ac cæteris optimis autoribus fidem præſtabunt, apertè quidem errorem ſuum cognoſcent atque intelligent. De Cammaris dabo operam omnino, ut tibi morem geram prius, quàm annuæ Domini decimæ, quas dies quadrageſimales appellant, expleantur, aut citius etiam, ſi fieri poterit. Vale. XVII. calend. Mart. M. D. XXXVIII.

*Tertio de alim. facult. & alibi.*

ALOISIVS MVNDELLA MEdicus, *Hieronymo Feroldo medico. De Cammaris. Epiſtola.* IX.

CVm ea animi uigilantia & prudentia præditus ſis, ut ſemper in ſingulis optimè collocandis horis te induſtrium præbeas, alióſque ad bonas capeſſendas artes pro ſua & communi omnium utilitate adhorteris: talémque in rei medicæ inueſtigandis, explicandíſque difficultatibus te oſtendas, ut quæ Medico, & communi mortaliũ ſaluti expediunt, ea ſemper excogites, & in his te ſemper exerceas, non potui mentem meam tibi non aperire, quid nam per Cammaros ueteres intelligendum eſſe uoluerint. Atque cùm plurimum me obſecraſſes, cúmque negotium hoc non minimæ conſiderationis, & utilitatis mihi uiſum ſit, ſed maximi emolumenti potius, ob ſingulare illud cancrorum fluuialium aſſatorum cinerũ remediũ, ab omnibus quidẽ celebratiſsimis Medicis tum Græcis tum Arabibus tantopere decantatum contra uulnus à cane rabido homini inflictum, tibi pro uiribus ut ſatisfacerem, mihi cõmodũ putaui, ea tamen conditione ac lege, ut ſi quid minus rectè à me dictum fuerit, & à Galeni methodis aberrauerit, illud arbitratu tuo & mutes, & corrigas, & etiam, ſi opus fuerit, obliteres: malo enim opinione mea diſcedere, & aliorũ, quæ potior fuerit ſententiæ hærere uel cum aliqua famæ iactura, quàm impudẽtiæ & pertinaciæ crimen ſubire. Cancrorũ igitur appellatione in primis marinũ omne genus, fluuiale & lacuſtre comprehendi uolumus, pluréſque illorũ eſſe ſpecies affirmamus: quapropter rationi cõſentaneũ uidetur, uarias cancrorũ eſſe poſſe facultates, ſecũdum uarias eorũ differentias, pręcipuè qui in fluminibus morantur, & marina incolunt loca, propter aliam cum aquæ, tum aëris, & pabuli uim, & naturã: quemadmodũ ſi quis in Galeni, Aëtiíque diſciplina probè uerſatus fuerit, illi ſatis cõſtare poteſt, huius præcipuè ſecundo libro cap. cxxxiiij. illius uerò tertio de alim. facult. Quod autem te magis premit, ambiguúmque reddit, illud potiſsimũ eſt, Cammarí ne, an cancri præparati aduerſus canis rabiem dari debeant: ambóque idem ne penitus ſint, an diuerſæ ſpeciei. Cui rei in hunc modũ rectè reſponderi poſſe puto, ab antiquorũ quidem ſcriptis non diſcedendo: fluuiales cancros ad tale morbi genus pellendũ pro medicamento propinandos eſſe, iuxta probatorum autorum ſenſum, præſertim Galeni xj. de ſimp. med. facult. qui etſi Pelopi præceptori in nonnullis aduerſari uideatur, non tamen negat fluuiales cancros nobis non eſſe præparandos, atque exhibendos, tanquam præſentaneum rabidi canis remediũ: id quod periti omnes ſine controuerſia autores quidem pręcipiũt. Sed ſi accuratè illius uerba cõſiderentur, Pelopi aduerſatur: quia, quòd cancri in hac curatione, qualitate manifeſta, non autem occulta ſubſtantiæ proprietate agant, quoad poterat tueri conabatur, quemadmodũ & reliqua omnia quæ ibi numerãtur medicamẽta. Quo autẽ modo cancri uri debeãt in puluerẽ, quoniã à pleriſq; traditũ eſt & indicatũ, neq; id nũc à nobis petis, ideo ad extremũ ſermonis properãs, breuius quàm potero, quæ adhuc mihi dicenda reſtant, prius expediã. Quãuis igitur cancrorũ nomenclatura, ut ſuprà dixi, plures cõprehendantur illorum ſpecies, propterea tamẽ dicendũ non eſt, cancrũ & cammarũ unius & eiuſdẽ eſſe facultatis. Res enim de qua nunc agitur, nõ minimæ eſt cõſiderationis, propter pernicioſum illud canis rabidi uirus ſubitò interdum hominẽ perimens, nonnunquã tardè, niſi tempeſtiuè aliquo peculiari alexipharmaco illi occurramus: non enim quieſcit canis uenenũ, licet ſe nõ prodat multis interim proximis menſibus, ut ait Galenus in iij. de morbis uulgaribus comment. iij. Citæ uerò mortis & tardæ cauſam exiſtimo eſſe cũ patientis diſpoſitionem, tum agẽtis potentiam. Vt autẽ opinionẽ noſtrã ueram eſſe confirmemus dignis aliquibus teſtimoniis, primũ omniũ audias uelim Galenũ in ſecundo de tẽperamentis, ubi ex cutis qualitate nonnullorũ inueſtigantiũ cætera animaliũ mẽbra cuiúsnam eſſent temperaturæ, rationes egregiè confutat, cuius uerba hæc ſunt: Malacoſtraca, hoc eſt, quæ molli teſta integũtur, ueluti marinæ locuſtæ, & cammari, & cancri quidã, cutẽ habẽt ſiccam &c. ubi Galenũ de marinis mentionẽ facientẽ, cancros à cammaris manifeſtè diſcreuiſſe nemini dubiũ eſt. Hoc idem penitus dicit in tertio de alim. facult. & aphor. 18. ſecundi libri. Poſſem etiam Pauli Aeginetæ, Pſellíque de rat. uict. teſtimoniũ ad confirmationẽ noſtræ ſententiæ cõmodùm adhibere, qui inter marina oſtracodermata cancros à cammaris, paguris, & reliquis cruſtaceis diſtinguunt: uerũ breuitati conſulens, ea prætereire, ut ſuperuacanea, ſatius eſſe duxi, his quæ proximè ſcripſi, contentus, in quibus à me tibi ſatisfactũ eſſe adducor ut credam. Si enim cancer & cãmarus ſolo nomine tantũ inter ſe differrent, non quidẽ incõmodum eſſet, ſi quiſpiã uel hunc uel illũ ſumeret, uel fluuialẽ, ad puluerem illũ aduerſus canis rabidi morſus præparandum: ſed cùm omnes ſecus ſentiãt, Paulúſque Aegineta libro vij. manifeſtè affirmet, nequaquã in curatione iſta maris cãcros ſumi opus eſſe, neceſſariò ſequitur, fluuiales, non alios, illos eſſe, qui aduerſus morbũ hunc ab autoribus tradũtur: quod ab Aëtio quoq; cõfirmatur. Cæterùm ſi id Plinij nono naturalis hiſtoriæ lib. necnon Ariſtotelis teſtimonio corroborauero, nullus poſtea amplius relinquetur dubitationi locus: hic enim quarto de partib. animal. cammaros, cãcros, locuſtas, ſquillas, quoniã in plures ſpecies non modò forma, ſed etiã magnitudine multũ inter ſe differunt, adeò exactè diſtinxit, ut neminẽ, niſi craſsiore fuerit ingenio aut pertinaci, tergiuerſari & aduerſari, ſed nobiſcum ſentire oporteat. Scio Ariſtotelem religioſè obſeruaſſe teſtaceorum nomẽ, utpote à cruſtaceis diſtinctũ: Plinium uerò, atq; alios interdũ, ſi rectè recolo, eos alia nomenclatura nominare. Quoniã uerò in pleriſq; locis illi à Gal. damnati ſunt, qui ſemper de nominibus certãt, cùm res, de qua habetur ſermo, cognita eſt, quapropter ne & ipſe in eãdem reprehenſionis notã incidã, orationi meæ finẽ imponã, de omnibus quæ à nobis petieras, tibi factũ ſatis eſſe exiſtimãs. Vale. VI. Idus Aprilis, M. D. XXXVIII.

*Lib. 1. cap. 91.*

*Secundo de re med. cap. 143.*

*Cap. 31.*

*Cap. 7.*

ALOISIVS MVNDELLA MEDICVS, *Antonio Mercandono medico. De clyſterum uſu, ac medicamentis ſoluentibus.* *Epiſtola* X.

EXpeditis negotiis noſtris, quæ in curandis ægrotis uerſari ſolent, in eũ nos locũ cõtulimus, in quẽ plerunq; exercitandi ingenij noſtri, & rei medicæ difficultates diſcutiẽdi gratia, tanquã in alterũ Lyceũ cõuenire cõſueuimus, ubi quod reliquũ erat xj. libri curandi methodi Galeni, explicandũ aggreſsi ſumus. Sed id nobis omnibus magis animaduerſione dignũ uiſum fuit, nullam ſcilicet, quæ in eo appareat libro, de pharmacis ſoluẽtibus à Gal. mentionẽ factã fuiſſe, cùm tamẽ ibi peculiarẽ febrium putridarũ curationẽ tradere inſtituat: ſed tãtummodo de uomitu, balneis, humores diſſecantibus medicamẽtis, & poros cutis aperientibus, atq; materiã corruptã per urinę aluíq; meatus educentibus, ut ſunt (exempli gratia) apij decoctũ, & ſimilia, quæ tamen nõ multùm calidi temperamẽti ſint, & miſtura ea quæ ex aqua mulſa & oleo conſtat, per clyſterem in aluũ iniecta, alíiſq; ab iis opportunis, quæ tamẽ aluum nõ ſoluãt, remediis. Quapropter hi nobiſcũ pręcipuè cõſiderent uelim, qui ſoluẽtia medicamẽta in his curãdis febribus ita mirificè extollũt, an rectè illis utãtur, & iuxta Galeni methodos. Quis enim (modò id ingenuè fateri uelit) antiquorum quempiã, qui Galenum ſectetur, in febrium principiis, nõ cocta materia, niſi ea turgeat, huiuſmodi medicamenta unquam dediſſe animaduertit, aut aliis dari cõſuluiſſe? Non poſſum autem (ut interim euidentiſsimas Galeni rationes pręteream)

in

in hanc opinionē adduci, ut Galenum, cæterósq; peritiores medicos huiusmodi pharmacorum cōmemorationem prętermisisse putē, si id necessarium, & optimū esse duxissent: arguendus enim esset præcipuè Galenus de ignorantia non leui, cæcúsque existimandus, ut qui oculatißimus in reliquis omnibus extiterit, si hoc tam utile, támq; necessariū prætermisisset dogma. Vbi uerò totus ferè iam inclinasset dies, silentio facto omnibus opportunū uisum fuit hanc nostrā contēplationē, quò ita melius discuteretur, in commodius tempus differre. Tu uerò, ut nulla temporis pars sine linea (ut dici solet) prorsus abiret, hæc pauca inter eundum protinus subiunxisti: Per clysterē inditos in anum cibos aliquo modo alere posse, & à plerisque cùm præsentis, tum transactæ ætatis medicis longo usu receptū esse & probatū. Quod cùm Feroldus negasset, ego quoq; in primis inficias iuissem, quoniam uesper iam aduentasset, sermonē hunc in sequētem diem distulimus. Diluculo autē facto, in cubiculum meum me recipio, mox tertium de temperamentis librū lego, ubi hæc ab eo habentur uerba: Vinum licet opus minimū desideret ut aßimiletur corpori, atq; ipsum nutriat, & celerrimè roboret, prorsus tamen oportet ut id quoque in coquendi instrumētis, uentriculo, hepate, & uenis trahat, quibus scilicet præparatum nutrire corpus iam queat: antequam uerò in his sit demutatū, fieri non potest ut animalis corpori sit nutrimentū, nedum si per totū diem & noctē extrinsecus super corpus sit impositū: multóque minus panis, uel beta, uel maza foris imposita. hæc Galenus. Ex quibus uerbis nescio quomodo in aluū per anum iniecta nutrimenta, siue ea iuscula, siue carnes contusæ fuerint, siue oua, & huiusmodi reliqua, deficientes uires reficere poßint, ut isti asserūt, ac corpus nutrire: nam si hoc fieri posset, cibi quoque extrinsecus corpori impositi itidē efficere possent: corpus enim omne perspirabile est, multáque uenarū & arteriarum ora in omnē illius partem desinunt. Intestina insuper non nutritionis nec coctionis organa sunt, uti neq; uenæ sanguificationis, sed excremētorū receptacula, & ut ea excernant generata, ut est in iiij. de usu part. Licet natura unoquoque organorū ad melius alicubi abutatur, alicubi autē necessariò sequatur omnia cuius gratia facta sunt. Quæ tamen à Galeno ibi de tenuibus intestinis dicta esse intelliges, quemadmodum ipse paulò inferius explicat. His adde, huiusmodi nutriētes clysteres communiter medicos eo tempore infundi præcipere, cùm ægroti potißimū deterius se habent: quo quidē tempore maius adfertur ex agitatione illa & ad desidendum motione languēti nocumentum, quàm utilitas, etiam si aliquod ex ea clysteris iniectione nutrimentū subsequatur: quemadmodū si antiquorū scripta diligētius considerentur, satis constare arbitror. Plerique enim febricitantiū inter surgendum & desidendum animo defecerunt, ut ait Gal. xxiij. Aphor. primæ sectionis, præsertim si id aliquo modo uehemētius egerimus, quàm oporteat, quemadmodū idem Gal. ostendit in primo ad Glauc. libro, cap. de curatione febris continuæ, & iij. de crisi, cap. ix. Alii uerò, híque non pauci, potius mori eligunt, quàm se & stragula coinquinare. Non solùm enim medico prospiciendum est quantū ægrotis prosit, sed ne quid ipsos lædat: nam qui aliter faciunt, similes sunt iis qui aleam iaciunt, ut ait Gal. comment. ij. primi lib. Epid. Verùm nō ignoro eos protinus responsuros, se de proprio, quod in membris fit alimēto non intellexisse, sed intestina aliquo modo ex hac ciborū in aluum iniectione recreari, & foueri. Quia uerò quod dicunt, nullis probant testimoniis aut rationibus, ideo nō multùm reluctabor ut suā hanc minuam respōsionem: sed ad Galenū in iij. de nat. facul. me conuertā, ubi sic ille scribit: Mirandū non esse, si per quas uenas à uentre in iecur facta est digestio, rursus ex iecinore in ipsum trahi aliquod alimentum in longiore inedia potest: totū enim ex toto trahere, ac toti impertire una omnium confluxio & cōspiratio esse uidetur, admirabilis dixit Hippocrates. Vnde fit etiam quòd casia, quam fistularem uocāt, & huiusmodi, si ieiuno uentre, & multò ante cibum tempore detur, nullatenus aluum molliat, quoniā corpus cibi abstinentia illam ad se rapiat: quare post illius sumptionem, cibum nō quidem statim, sed aliquāto & exiguo pòst tempore exhiberi, optimum esse existimo. Quippe quodlibet membrū quatuor facultatibus præditū esse constat, quæ scilicet trahāt, mutent, retineant, & expellant. Quòd uerò uenter nimia inedia quādoque ab hepate trahat, quod illi prius digesserit, non est absurdū, quoniā id per loca cōmoda fiat, & analogum sit: licet membra impari ui ad se alimenta trahant, ut in lib. de marasmo à Galeno traditū est. Sed cùm nutrimentū per sedem impellitur, potius uidemur naturæ ordinē peruertere, quàm seruare: id autē absurdum est, nec ab aliquo fide digno autore, quod uiderim, approbatū: quare ex his aliqui oua, carnes contusas, & huiusmodi alia per sedē inücere nō dubitarunt, ex hac clysterū immißione asserētes ægrotantes non paruum sensisse iuuamentū. Cæterùm multa hodie medici faciunt, ut ægrotis potius placeant, quàm prosint: contra quos Gal. duos scripsit libros, ut est in commētario de rat. uict. priuat. Vt autem quæ suprà citauimus ex tertio Galeni de temperamētis libro, clarius innotescant, sciendum est, uentriculū illis uerbis nō esse à Galeno comprehensum, quoniā chylo ipse nutriatur & satietur, ut in tertio de facult. natur. & in lib. de differentiis symptomatū uidere licet. Præterea si ea quæ per sedem infunduntur adire non possunt ad illas quæ uentriculo uicinæ sunt partes, ut ait Galenus in v. τῆς θεραπευτικῆς μεθόδου, & eiusdem xiij. & secundo ad Glauconē, ubi gracilia intestina ex haustis rebus iuuari tradit, crassa uerò ex iis quæ ano imponuntur, quomodo ad longinquiores poßint, difficile admodū nobis uidetur intellectu: quod fieri opus esset, si mitiores illi clysteres uniuersum alere corpus deberent, aut saltem recreare, hoc est, ut ipsi dicūt, non propriè nutrire. Quare relictis his, relictáq; in præsens Celsi sentētia, quæ in eiusdē tertio, cap. xix. his uerbis scripta est: Vltimū auxilium est, in aluum ptisanæ uel alicæ cremorem ex inferioribus partibus indere, siquidē id quoque uires tuetur: Galenū potius, & rationē ipsam imitari placuit: qui quidem neq; etiam nobis obstat, cùm ait secundo de comp. med. secundū locos, cap. de curatione cephaleæ, clysterem non solùm uentrē & intestina inanire, sed simas hepatis partes: quia reuulsionē ibi intelligit, quæ fit per ualentis iniectionē clysteris, non autem per debilis, de quo nunc à nobis habetur sermo, longè quidē à Galeni mēte diuerso. In quinto uerò curandi methodi, de eo quod non ita potēs sit loqui manifestū est, quemadmodū in curatione doloris capitis, qui ex imbecillitate prouenit, Galenus scribit in primo ad Glauc. libro. Vel dicas, in uno loco Galenum de ui clysteris locutū fuisse, in altero uerò de ipsius substātia. Alii uerò argumēto, cùm dicunt, clysterē quādoque ita ascendisse, ut per os reiectus fuerit, ut est in tertio Galeni libro de symp. causis, hoc modo responderi posse arbitror: clysteris aliquid, & etiā stercoris interdum per letales uoluulos reiectum quidem fuisse, quoniam affectus illi præter naturam sint, & uiolenti: non sic autem est cum medici suos inüci uolūt per sedem clysteres, ita existimātes uentriculū & corporis reliquum rationabiliter ali posse ac debere, cùm tamen neque Galenus de alimēto ibi loquatur, sed de symptomatis illi contingētibus. Conciliatoris uerò, Auenzoarisq; cōtra nos argumēta & respōsiones, ut ad diluēdū faciles omisimus, quod germanū Galeni sensum peruertāt, nec, quæ adstruunt, probent, satísque à nobis superius illis satisfactū sit, si quis accuratius rem considerare uoluerit. Vale. IIII. Idus Iunii, M. D. XXXVIII.

*Primo de differ. feb. cap. 4.*

*Idem confirmat 4. de usu part.*

*Lib. 1. tract. 10. cap. ult.*

## ALOISIVS MVNDELLA ANTONIO *Mercandono medico. De radicula. Epistola XI.*

Nisi ego Antoni optime, iusiurādum Hippocratis obseruare, quòd nulla ex parte à Christi doctrina, & à ratione abscedat, iampridem mihi in animo proposuissem, & nihil scientem pro uirili parte me commissurum, quod uerè reprehēdi posset, siue dicto, siue facto opus esset, non in ea nunc mala, quæ per inuidorū calumnias mihi iniustè acciderunt, incidissem: ita deprauati & corrupti sunt seculi nostri mores. Sed uiderit Deus: ego quidem illud uerè affirmare possum, me à nullo unquā opportunè accersitum fuisse, quin illi operā meā libentißimè præstiterim, uel sine mercede, si ita opus fuit, & ægrotantis angustias, id quod etiam se fecisse scribit Galenus in lib. de agnitione & propriorū affectuū remedio (quod tamē absque ostentatione aliqua & iactantia dictū sit) opibus meis iuuerim. Falsam uerò de me opinionem cum partim ipse meis auribus, partímq; ex aliis intellexissem, non potui non aliquantulū fortē nostram dolere, & aduersus illorum prauum iudicium stomachari. Quòd autē hæc, & pleraque alia

de me existiment, & prædicent, nihil aliud profectò in causa esse existimauerim, nisi hoc uitæ meæ institutum optimum, honestè enim uiuendi studium, & rectè medendi ratio, optimũ & peritum demonstrat: tutiorémque, & iucundiorem scientiam, & probitatem obscuram conscientia facit, inscitia & improbitate aperta. Nosti quidem quàm perditi sint nostræ ætatis medici, quàm uariæ sint horum prehensationes, & salutationes intempestiuæ: nosti etiam solicitudinē maximā (ut ita loquar) in emendis ægrotis, ipsísq; captādis (emuntur uerò hi aut ambitione, aut adulatione, aut munere, aut mercedis laborum suorũ concessione insidiosa) nosti insuper & pleraque alia nomini nostro indecora & illicita: quæ quidē nisi iniuriā arti, & scribenti mihi molestiam adferrent, multa profectò nunc recensere non grauarer: sed quoniam hæc per se etiam fugienda esse constat, non imitanda, & à Galeno affatim scripta sunt, & explosa, silentio prætereunda esse existimaui. Sed faxit Deus, ut omnia in melius uertant, nósque aliquid quod neminē lædat, sed potius iuuet, tandem aggrediamur: mihi enim uideor per Elysios cāpos uagari, dum simile quippiam tecum præsertim, cæterísque collegis simul, examino. Verùm adeò longo temporis interuallo incultus, inelaboratus, sterilísque mansit hic noster medicinæ campus, ut nulla ferè apud medicos stirpium remanserit cognitio: neque uspiam est, aut certè rarus, qui probè hanc excolendæ medicinæ partem profiteatur, atque exerceat: quamuis tractandæ agricolationis huius nobis non desint instrumenta optima, & præcepta saluberrima, Græcorũ uidelicet libri, & Latinorum, qui perfectè nos in his erudire possint. Nullus est hodie (ut uerum fatear) bonarum artium, & disciplinarũ capessendarum amor: neque propter se nunc uirtus appetitur & acquiritur, sed quòd gloriā illa, honorem, & diuitias pariat multas. Neque illud præterierim, paucos, qui hæc medicinæ rura excolant, inueniri, propterea quòd posteaquā multùm, uiriliterque insudauerint in illis uertendis, seminibúsque iaciendis & repastinādis, in sterili labore ætatem se consumpsisse animaduertũt: siquidem hodie nulli reperiuntur Manilij, qui, ut curentur, tot elocent sestertia, quíque, ut optimos medicos conducant, amplissimis eos honestent muneribus pręmissis, ut Hippocrates de se, & Plinius de aliis commemorat.

*Galen. 2. de simpl. med.*

Quare ętate nostra, etsi pernecessaria est simplicium medicamentorũ notitia, rara fit de illis apud medicos mentio, adeò ut quandoque blitum à beta nigra & alba distinguere non nouerint, sed idem esse existimauerint, cùm tamē singula inter se differant. Blitũ namque esculentũ olus est: frigidæque & humidæ naturę in secundo à tēperatis excessu: beta uerò alba ualentius digerit, atque abstergit, quàm nigra, quæ adiunctā habet adstrictionē quampiā, præsertim radix eius, ut in vj. & viij. de simpl. med. Galenus affirmat. Quanto autē accuratius decoquitur, tanto ualidius decoctũ ipsius aluũ expurgat: reliqua uerò ipsius substātia restringit, quemadmodũ & brassica, & lens, & reliqua omnia, quorũ sapor acris est, aut salsus, aut nitrosus, ut est in eiusdem tertio, capite decimoquarto. Quantum uerò conferat, quantúmque necessariũ sit simplicia medicamenta, & eorum facultates cognoscere, cùm ad uariā eorũ compositionem, tum ad illorũ quæ iam composita sunt opportunum usum, satis à Galeno indicatũ est in commentariis de comp. med. secundũ genus, & in curandi methodi, & in primo de simpl. med. cap. primo, necnon in libro de antidotis: nam cōpositorũ uirtus medicamentorũ simplicium uires comitatur, exigua quadā in ipsa confectione differentia obueniente. Neque fieri potest ut medicamentorum uires ignoremus, & rectè illis utamur, ut ait Gal. in vj. de comp. med. secundũ loca. Quare erubescere deberent illi, qui, ut inquit Galenus in secundo de crisi, cap. primo, medicinam adeò dedecorarunt, ut ei addiscendæ spatium sex mensium statuerint: decipiuntur sanè hi nimia ingenij sui persuasione, nimióque Arabũ amore, quorum etiam multa uel nō uiderunt, uel perfectè non intellexerunt. Quapropter mihi uidentur, dum à Græcorũ pariter atque Arabum deflectunt methodis, laudis appetētia ducti nouā sectam aliquam condere uelle. Sed quid plura contra hos commemorare laborē, cùm (ut alia nunc omittā, quæ etiam coqui norunt, ipsi autē ignorāt) cichorii & buglossi, ab omnibus ferè recētioribus medicis tantopere celebrati (cùm tamen id Galenus nō affirmet, sed tantũ creditũ esse dicat) facultatem & figurā minimè nouerint: cuius rei quoniam à Leoniceno lib. iiij. cap. ix. & aliis uberius facta est mentio, & disputatũ, propterea his omissis ad radiculā accedemus, quæ à Græcis ῥαφανὶς dicitur. Nam etsi Dioscorides lib. ij. cap. ciiij. & Alexander Trallianus aduersariorũ tuorum faueant opinioni, Galenus tamen eos medicos miratur, qui eam crudam à cœna, quo coctionē iuuent, ingerunt: cuius opinionem confirmant Paulus, Aëtius, & nonnulli alij: quorũ, quia maius iudicium est, maior est etiam autoritas. Sed maximè optarem, ut cùm quispiam Galeno aduersari molitur, aut rationem, aut certam experientiā saltem ad resellendam illius opinionem secum adduceret: quod quidem ipse manifestè facit, ut in capite de prunis & de coriandro, & alibi contra alios constat. Non enim sufficit, neque uiri alioquin docti est, aliorũ scripta autoritate sua tantùm se refutasse existimare: sed cùm illa egregiè refutauerit, sua postmodũ confirmanda sunt rationibus multis, multísque experimentis: ratio enim & experimentum, duo sunt instrumenta, quibus uitæ actiones iudicamus, quemadmodum in plerísque locis scribit Galenus. Verùm Dioscoridis quàm inualida ratio uidetur: ait enim radiculam, quia stomacho aduersetur, à cæteris cibis sumi debere, cùm tamen si ante alios cibos sumatur, à stomachi regione magis distet (capiendo hîc stomachũ communiter dictum, iuxta Dioscoridis sensum) & facilius aluũ subeat, exeátque: magis enim illi propior est, & in ima uentriculi parte sita, in qua pręcipuè ciborum coctio perficitur: unde citius, & minori incōmodo ad intestina transire putandũ est, & ita minus nocumentũ ori uentris inferre.

*Quinto de locis passis, cap. 5.*

*Primo de ratione uict. acut.*

Insuper cùm radicula uomitum prouocet, & uomitus stomachi passio sit, quāto magis ori uentriculi accedet (huius enim munus est appetere, nō concoquere) tanto magis illum cōmouebit, ac lædet. Neq; uideo si ita, ut Dioscorides uoluit, sumatur, quomodo digestionem procuret, ex cōtrario uerò modo cibũ suspendat, quoniā (ut diximus) ita facilius ad intestina descendat, præcipuè si ex aceto & sale ante cibum sumatur, quemadmodũ communiter fieri solet. Aëtius præterea sermone ix. cap. xxiij. ubi de cruditate agit, cancros fluuiales, & erinaceos marinos edi iubet, postea oua, maluam, pisces in aquis petrosis degentes, nisi cruditatē in substantiis solidis existentē & uenis, per uniuersum corpus ut transeat adiuuare mēs esset, quo quidē tempore ea, quæ citò deferuntur, ante cibũ exhiberi uolumus, quæ Græci ὀξυπορία appellāt, ne si à cibo huiusmodi sumerentur, incoctorũ humorum aliquid secum attraherent, quemadmodum Aëtius loco superius citato indicat:

*Hoc idem dicit in 3. de caussis sympto. & 2. de alimen. cap. de sycaminis, & cap. de persicis.*

debēt enim perpetuò, ut ait Galenus in primo & tertio de ratione uictus quæ exhibetur in morbis acutis, quæ facilè aluum subeāt, quæq; corruptibilia sunt, & humidi omnes fructus, principio mensæ dari, quando aluum mollire uolumus, ne si à cibo dentur, reliquum ciborum corrumpant: quę autem uentrem, stomachúmque corroborant, ut poma acerba cineribus mediocriter calidis assata, statim à cibo danda sunt cibum auersantibus, ad uomitum pronis, fluxu correptis, & dysentericis. Solent uerò plerunque medici hunc præbendi cibi ordinem præposterum reddere, quemadmodum secundo de alim. facult. Galenus scribit de Rhetore illo pyra comedēte &c. Qui autē primi, qui postremi esse debeant cibi, in alio commentariolo latius à nobis explicabitur. Nunc conuenientius, atque utilius esse uidetur, ante omnes cibos radiculam sumi debere. Possunt etiam, pro prædictorum concordia autorum, quæ à Symeone Sethi in cap. de radicula traduntur, hanc omnem Galeni & Dioscoridis controuersiā dirimere. Vult enim ille, si uentriculus facilè fluat, nec ad flatum, siue inflationē facilè admittēdam aptus sit, radiculam ante cibum dari: si contrà uerò, à cibo. Cæterùm his in hunc modum à nobis explicatis, ut etiam ea de re, quam scribis, quoquo modo animus meus tibi innotescat, ita nunc exclamare iuuat cum antiquissimo illo, & docto Hesiodo: Felices nimirũ mortales, si asphodeli, siue albuci radicis, quæ à Romanis Hastula regia appellatur (quamuis Galenus radicem hanc uix crebris macerationibus, & coctura multa cibo idoneā dicat) maluæq; uires compertas habuissent: id quod Theophrastus quoq; annotauerat lib. de historia stirpium vij. capit. xij.

*Secundo de alim. facul.*

Tutius enim, si fieri potest, simplicibus his, aut huiusmodi aliis, brassicáue olere uulgari, à Catone tantopere celebrato, ut ait Plin. aut etiam nullis

medi

medicamētis, siue simplicia siue composita illa fuerint, sed sola uictus ratione, ægrotos curari posse existimo, quàm peregrinis, atque incertis, nec ulla ratione mistis, Pollionis illius exemplo, qui cētesimū annū excesit, uigorē animi, corporisque custodiens, intus mulso utēs, foris uerò oleo. Quocirca optimū esse ducerē, ut periti medici, probiq; & exercitati, optimiq; pharmacopolæ alerentur, qui, cum opus est, fideliter medicamēta componant, atque administrent: non autē isti, qui omne penè suum studium in eo sitū habent, ut ditescāt, & primi ciuitatis habeantur. Nulla enim est ars, quæ non habeat aduersantē sibi sua specie similitudinis, malignā professionem, ut ait Scribonius Largus lib. de comp. med. cap. cxcix. Non solùm uerò medicorū mores corrupti sunt, & pharmacopolarū, sed ægrotantiū etiam. Nam si quispiam nostrûm cùm ad eos accedit, plures nō scripserit cōpositiones, quod tamē Galeni præcepto aduersatur, in primo de diebus decret. hunc quasi imperitum tacitè primùm damnant, deinde etiā in uulgus spargunt falsas de illo suspiciones: id quod mihi proximis euenit diebus, quódq; uerè affirmare possum: malūt nāq; isti nō modò idiotæ & uulgares, quorū ingēs numerus est, & decipi uolunt, sed etiā nobiles & principes cum periculo curari, uel etiā interdum mori, medicósq; suis ipsorū loculis diuites fieri, quàm unico remedio à nobis dato subitò cōualescere sine impēsa: tanta est malarū consuetudinū uis, & huius seculi inscitia. Quàm desiderarē, ut eam institutionem, & uitæ genus sequi studuissemus, quod non solùm nostri, & præteriti opprobrium esset, sed futuri etiā seculi medicis modestiæ & doctrinæ perpetuū decus. Piget me quidem plurimū anteactæ uitæ meæ, & disciplinæ: sed cùm irreparabilis sit temporis iactura, restat solùm, ut talem me in posterum præstare enitar, ut saltem hoc uentura ætas apertè cognoscat, bonos mores, bonásq; artes & sanctas me adipisci uoluisse, etsi postea uel ingenioli mei imbecillitate, uel aliquo alio casu eas non cōsecutus fuerim. Age mi Antoni, qui semper aliquid in improbos præsertim medicorū mores atque abusus cogitas, cogitationes tuas mecum communices uelim: nihil enim mihi gratius contingere potest, quàm cùm aliquid contra horum opinionē deprehēderis, illicò me de his à te (quod & nos facere solemus) admoneri. Sed ut ægroto illi, quem scis, à me satisfactū sit, licet tua opera facilè curari posse non dubitem, hæc breui nostra est sententia, ut in primis illum quiescere facias, quòd contraria curari soleant remediis contrariis: laborat enim, ut audio, carne, quæ uulgò aggranata nominatur: tu uerò, qui ægrotanti ades, diligentissimè de omnibus illum interrogabis, ut certius morbi genus innotescat, iuxta Hippocratis & Galeni sententiā: non rectè enim curantur morbi, nisi illorum causas cognouerimus. Poterit etiā uniuersum ægri corpus ex oleo chamæmelino commodè inungi & perfricari, obseruata primùm sex rerū non naturalium ratione, qua quidem, ut paulò antè dixi, plerosque feliciter curari posse non dubito, nisi tam præceps esset in curandis ægrotis medicorum consilium. Quapropter scripsit Galenus in libro de arte curatiua ad Glauconem cap. de curatione tertianæ exquisitæ, semper oportere contrarias qualitates illis, quæ inualuerint, offerre, cùm hoc multò plus iuuet, quàm quomodolibet inanire. Habes quid de his sentiam: tu, si quid melius habes, rescribas uelim. Vale. Nonis Ianuarii. M. D. XXXVII.

ALOISIVS MVNDELLA MEdicus *Academicis suis. De dysenteriæ curatione.* Epi*stola* XII.

CVm multi in nostra, multisque in aliis Italiæ urbibus & locis (ut audio) intestinorum torminibus, quod Græci malum δυσεντερίαν appellant, infeliciter pereant, hique præsertim, qui ætate immatura, & molli corpore, necnon temperatura biliosa sunt: paucique hunc generalem morbū, quem rectè ἐπιδήμιον, siue ἐπιδήμιον Græcè appellabimus, secūdum triplicē diuisionē à Galeno assignatā in principio primi libri de uictus ratione in acutis morbis, & etiā in primo de morbis in populos grassantibus, uitare possint: pauciq; eo correpti conualescāt, ꝙ ea ætas, quæ calida est & humida, ut inquit Gal. in iij. Apho. lib. & Aëtius sermone ix. cap. xlij. ad eiusmodi exulcerationes obnoxia est, & difficilius curatur: accuratius ac diligētius de huius morbi cognitione & curatione inuestigare nō alienū fore duxi, cùm alii in eo tollendo aliis atq; aliis utātur remediis, suisq; quisque se tueatur rationibus & argumentis. Non leuis autē ea de re inter nos in curandis ægrotis interdū orta est quæstio, dum unusquisque saluti eorū consulens, uarias & egregias hinc inde autorū recenset sententias, & usitata in mediū profert remedia. Externas igitur quasdam causas morbi huius inuestigaui, eásq; nō paucas, breuiter eas percurrens quæ à Galeno explicantur cap. lxxxv. artis medicæ, & earum nonnullas ad insalubres, infelicésq; syderū formas, & effluxus retuli, utpote magis recōditas, & generales, quemadmodum Auerroës scribit in tertio Collect. & Auicēnas xxj. Fen tertii libri: nonnullas uerò ad inæquale, quod nūc inualescit, aëris nos ambientis intemperamentū, tanquam id quod necessariò corpus nostrū mutet, ut est in capite artis medicinalis paulò superius citato. Præcessit enim hyems, si qua alia post hominū memoriam digna, siccissima: uer quoque eiusdem pariter intemperiei: æstas uerò & calidissima omniū, quas unquā meminerim, & siccissima, quæ naturā licet propriam in calido & sicco seruauerit, adeò tamen ambæ illius qualitates præter modū auctæ sunt, ut meritò ipsa propriū suum & naturale nō seruasse temperamentū dici possit. Similiter quoque regio calida satis, & sicca est, uictúsq; ratio eadē præcessit: quæ singula immodicè aucta adeò humores excitarunt, ut plerique his de causis in hunc pessimū inciderint morbum, dysentericā uidelicet affectionē febri acutæ plurimū associatā, propter tum aëris, tum cordis, tum hepatis, tum aliorū etiā membrorū caloris excessum, partim natura, partim euētu cōtractū, qui succos postea acriores & inquietiores reddit. Siccitas uerò, ut ait Gal. tertię sectionis Aph. vij. & xvj. biliosiores reddit humores, cū ea quidem exuperat, & patientiū naturæ aptæ fuerint. Fiunt insuper intestinorū difficultates, & acutæ febres in siccitatibus, quia intestina propter eorū humiditatē huiusmodi opportuna sunt iniuriæ. Quas quidē causas haud immeritò credendum est & in fructibus æstiuis, quos Græci ὡραίους uocant, aliísq; in rebus malam adauxisse intemperiem: quare eorū esu nimio, & ingurgitatione (ita nimirum ætate nostra praua inoleuit uiuendi consuetudo, & licentia) nil mirū cuiquā uideri debet, si in hanc nunc passim plerique incidunt inquietudinem, & noxam: fructuum enim immodica uoracitas, malorum humorum generat multitudinem, ix. aphorismo tertiæ sectionis, & tertio, cùm ait, omnes morbos à similibus locis, naturis, temporibus, & uictus genere fieri, contrariis uerò solui. Quibus breui, morbi uidelicet nomenclatura, essentia, & externis causis sic à nobis expositis, satis etiam de internis causis, quæ morbum hunc generant, explicatum esse existimo, eásque innotuisse, utpote quæ ex dictis manifestā habeant suæ corruptionis originē: semper siquidem oportet medicum *Aph. 5. tertij Hip. lib.* distinguere id quod ex causa extrinsecus ueniente fit, & non morborum ratione, ut præcognitiones faciat diligentiores. Nisi fortasse, quod quidē uerius puto, iratum nobis Deum ob grauiora, quæ à nobis indies perpetrātur facinora, in nostras regiones iecisse morbi huius semina, dicendum sit, atque interim Galeni & Hippocratis sententiam primo prædictionū scriptam, repudiandam esse, quòd scilicet ob Dei iram morbi non contingant. Viam autem & rationem curationis aggrediētes, ut tam pernicioso, támq; uehementi occurramus morbo, eúmque, si fieri potest, nostra opera, nostráq; industria superemus & diligentia, in primis quæsitū à nobis est, recténe & legitimè agāt hi, qui soluentia proponāt pharmaca in principio, uel in aliis morbi huius temporibus, maiore quidem ex parte à biliosis humoribus geniti, acribus, corrodentibus, & ulcera in intestinis, dum ad illa descendunt, molientibus. Et primò quidē uidentur hi non absque ratione omnino & mederi, & partes suas tueri, causam (ut aiunt) auferentes, siue potius auferre tentantes: nisi enim protinus illa, ut aiunt, tollatur, intestina continuis morsionibus & agitationibus torqueri & distrahi, ulcúsq; augeri, ac ferum reddi consentaneum est: quæ si morbi initio auferatur, neque interanea ulceribus malignis affici, uel si affecta fuerint, facilius deinde coalescere & cōsolidari, neque ægrum ullis amplius tormētis infestari. Sed cum Gal. ueluti artis medicæ columen firmissimum adiuissem, atque eius scripta euoluissem, neque quicquam in his euoluendis & cōsiderādis inuenissem quod illorū defenderet opinio-

nem, noſtrámq; infirmaret, eò tandẽ adductus ſum, ut inconſultè credam illos his de cauſis agere, quæ infrà à nobis exponentur, & ab optimis medendi methodis aberrare, qui dyſentericis propriè dictis medicamenta dant aluũ ſoluentia, cùm Galenus compluréſque alii ætate illo longè inferiores Greci dyſenterię cumulatius curationẽ tradentes, imperfectè quidẽ nobis illam tradidiſſent, ac ieiunè nimis, nullã de huiuſmodi ſoluentibus pharmacis mentionẽ facientes. At abſurdiſsimũ eſt huius ignorantiæ crimine eos accuſare, Galenũ præcipuè in re medica, quod ne iſti quidẽ inficiantur, abſolutiſsimũ atque exercitatiſsimũ uirum: quem quidem, & Hippocratẽ, in quánam re illi imitentur, planè ignoro. Aëtius pręterea & Celſus uaria medicamenta in hac curatione recenſentes, eáque multorũ autorum, nullum, quod uiderim, commemorant medicamentũ ualenter aluũ deijciens, niſi ea quæ uel adſtringunt, uel reſiccant, uel dolores ſedant, uel humores ad alia loca auertunt, uel influentes denſant & obducunt, uel abſtergunt, uel aluum molliunt. Cibos quoque præbendos docent, & potus, qui emplaſticam uim habeant, & refrigerent, & ſiccent, ut ſcriptum eſt in iiij. de rat. uictus quæ in acutis morbis exhibetur: quod & in ix. de comp. med. ſecundũ locos, uidere licet, & in Pauli Aeginetæ cõmentariis. Quòd ſi dixeris, Aëtiũ ſermone ix. cap. xlvij. rheon Ponticum dare: facilè reſponderi poteſt, illum radicẽ hanc quemadmodũ & Auicẽnas fecit, & Galenus pręſertim vj. de comp. medic. ſecundũ locos, cap. de gargareone, inter adſtringentia connumeraſſe, non ſoluentia pharmaca, ut liquidò conſtare arbitror, ſi quis illorũ ſcripta accuratius conſideret: id quod etiã M. Gatinara animaduerterat. Neque etiã nobis obſtat Pauli teſtimoniũ, qui libro primo, cap. xliij. inter aluum ducentia rheon recenſuit, cùm in cap. de dyſenteria, de rha antiquorũ locutus ſit, hîc uerò, & in vij. cap. xj. de eo, quo nunc cõmuniter utimur rhabarbaro, quemadmodũ etiam annotauit Leonhartus Fuchſius in ſuis Paradoxis, & eo prius Hermolaus Barbarus. Quæ licet ſecundũ aliquos ſpecie diſſerant, nos tamen, ut aliàs pro uiribus oſtendimus, facultate tantùm ſoluente diſtingui probauimus. Si uerò quiſpiã amplius obſtiterit, dicens, non eſſe rationabile Paulũ Aeginetã utriuſque rha notitiam habuiſſe, Auicennam uerò, qui quidem ætate paulò poſterior fuit, illius tantùm, cui aluum ſoluendi uis nulla ineſt: ita huic argumento reſponderi poterit: non eſſe à ratione alienũ, ſimplex aliquod Paulo innotuiſſe, non autẽ Auicennę, quãuis ætate prior fuerit Auicenna: fieri enim poteſt, etſi Auicennas Pauli commentaria ſæpius etiã legerit, ut illud non animaduerterit: uel ſi animaduertit, nõ tamen ideo ſequitur, ꝙ rha ſoluentis certã notitiam habuerit: uel ſi habuit, quòd illo uſus fuerit, præſertim in curatione hac, quemadmodũ ſuprà ſatis oſtenſum eſt. Quibus in hunc modũ à nobis excuſsis, diligens lector poſthac accuratius conſiderans, facilius iudiciũ ferre poterit: liberũ enim eſt unicuique de qualibet re & ſentire, & iudicare. Neque eſt quòd ita reſponſum à nobis mireris, & diſtinctionẽ, cùm à Paulo Aegineta, qui quidẽ inter poſteriores Gręcos medicos cõnumerandus eſt, utriuſque rha certa cognitio haberi cœpiſſe minimè incongruũ ſit, non ab ipſo Auicẽna. Gal. prӕterea lxiiij. quinti lib. aphoriſmo, & Hipp. etiã, in alui deiectionibus lac uituperare uidẽtur: ſed multò magis Galenus, qui ſeorſum particulã illam aphoriſmi legit, ita ut pernicioſum ſit, lac dare ijs quibus bilioſæ ſunt deiectiones, & acutè febricitant. Hippocratẽ autem hoc loco, Galenum ſecutus, corruptũ eſſe ſuſpicor: facilis enim fuit lapſus, ut legenti patet. At ſi quis obijciat, Galenũ in ſedandis inteſtinorũ doloribus & tormentis, inque ipſis eluendis purgandiſque lac laudare, ut in pleriſque locis apparet, illi in hunc modũ reſpondebimus, Galenũ lac coctum, & in quo extincti ſint lapilli, quos κάχληκας uocant, aut ferrum candẽs, approbaſſe, & in torminibus ſolis, non ad febrẽ additis, ut eſt in x. de ſimpl. medic. & iiij. de uictus acutorum ratione: de cuius præparatione atque exhibitione Alexander Trallianus in tertio libro latius tradidit, quẽ lac daturus prius conſulat: non omittens interea qua ab Aëtio ſermone ix. cap. xlv. & Paulo, de hac materia ſuis explicantur in locis. Quare ſi Galenus in bilioſis deiectionibus cũ febre & ſine febre, lac damnauit, quanto magis ſoluentia damnet pharmaca conſideretis uelim: ea enim cùm calidę ſint naturę, ęſtáſque iſta ſummè calida & ſicca, eiuſmodique ſaltem in qualitatibus, quæ patiuntur, præceſſerint cæteri partiũ anni ſtatus, hócque malũ: ut initio ſcripſimus, potiſsimũ in mollibus & bilioſis accidat temperaturis, qua ratione iſti ducti hoc uitio laborantibus medicamenta per os dare audeant ſoluentia, quæ interdũ ſua uiolentia, & humorũ, qui tunc deijciuntur, acrimonia, hæmorrhoidum ora aperiũt, ſanguinémque prouocant, mihi quidem non ſatis conſtare poteſt, nec probari: illa enim humorum potius fluxum irritant, quàm ſupprimant: imò eum indies magis, & dolorem excitare putandum eſt, maiúſque detrimentum ex his ſubſequi, quàm commodum, quemadmodum ex antedictis ſatis conſtare arbitror: dolor enim, & membri calor, etiam ſi totum corpus ab excrementis purum ſit, fluxionis cauſa ſunt, ut ait Galenus xiij. τῆς θεραπευτικῆς μεθόδου, & ſecundo prædict. cap. primo. Adde etiã quòd Galenus tertio de cauſis ſymptomatum, inter aſsiduæ excretionis cauſas & mordicationis, uim pharmaci uel cibis coniuncti, uel ſeorſum ſumpti connumerat: & ſecundo prædict. cap. x. dicit, medicamenta acriora ſi ulceribus malignis ingerantur, rigorẽ & febrem excitare. Etenim ſcimus Galenum in paulò antè à nobis citato aphoriſmo lac prohibere in bilioſis deiectionibus, & febribus, quod celerrimè à cauſis calidis in uapores conuertitur, ſed non ideo tollitur: quinetiam ꝙ fluxũ augeat, dari prohibet Hippocrates, quemadmodũ ſatis manifeſtum eſt, ſi ea exactè conſiderentur quæ ab eo, & etiã Galeno ſcribuntur in iiij. de ratione uictus quæ in acutis morbis exhibetur, ubi lac quoque, ſi febris adſit, in torminibus dari prohibetur. Soluere uerò aluum lac fatemur, & quidẽ quanto ſeroſius eſt, tanto ad ſoluendum illam magis idoneum eſt, ut camelinum, & aſininũ, ut ait Galenus in libro de cibis boni & mali ſucci, & v. curandi methodi. Sed nõ ideo ſequitur, etiã abſente febre, quòd in dyſenteria tale medicamentum dari debeat, quale rhabarbarum eſt, & huiuſmodi quæ plurima pollent ſoluendi facultate: omnino enim deficiunt, qui difficultatibus inteſtinorum laborant & uigiliis immoderatis, quę iis euenire ſolent, qui eo morbo uexantur, ut eſt in primo ad Glauc. capit. de curat. febris continuæ, & ſecundo de ratione uictus acut. Neque uerò nos latet Galenum in ſecundo de ſimpl. medi. cap. xiiij. humores morſionem facientes prius educendos eſſe nos docuiſſe, mox quæ morſionem tollant, in os dare, & per inferiora in aluũ indere, ſicuti chondrum, lac, ptiſanam: ne ſi illa, quæ ἐπικεραστικὰ ſunt, hoc eſt, temperantia, exhibeantur non elotis prius inteſtinis, corrumpantur: ſed melle animaduertendum eſt eum noxios educere humores, non autem ſoluente ullo, quod ualens ſit, ut iſti affirmant, medicamento. Fortaſſe uerò dixerint, rhabarbarum ſaltem dyſentericis dandum eſſe, & myrobalanos, & ea quæ licet aluum ſoluant, modicè tamen ſoluunt, &, quod in curatione hac mirificè deſideratur, poſt eorũ ſolutionem adſtrictionis ueſtigia relinquũt: alia etiam danda eſſe medicamenta quæ aluum molliãt, ut tamarindos, & huiuſmodi, ea tamen cum his quæ eorum malitiam infrænent, permiſcendo, Galeni præcepto in primo de compoſi. medicament. ſecundum genus, & ſecundo de ratione uictus acut. At ego dico, rhabarbarum, ut pluribus manifeſtis cõſtat experimentis, & Arabum etiam teſtimoniis, mirè humores, eóſque in uenis exiſtentes, attrahere & educere, temperamentíque calidi eſſe, & ſicci: quo fit, ut agitatione nimia, & ob alia, quæ ſuprà diximus, ſucci irritentur, ac tormina à calidis humoribus genita magis ac magis adaugeantur, & ex deſidendi frequentia febris excitetur, ut ait Galenus in viij. curandi methodi. In rha uerò, quod antiquis innotuit, quamuis quædam caliditas ſit, debilis tamen illa eſt, atque ſiccitati & adſtrictioni, quæ in ipſo eſt, aditum faciliorẽ præſtat. Huc accedit, quòd ea quæ frigida ſunt & ſicca, dyſentericis magis conferunt, quàm quæ calida & ſicca: quamuis & hæc commodo eſſe poſsint non minimo, quemadmodum legenti antiquorum ſcripta ſatis notum fieri poſſe autumo. Quapropter nec eorum quidem conſiliũ, qui pharmacis utuntur ſoluentibus, probauerim, etiam ſi peruſta darent, & modico pondere, cùm id ſit præter Galeni, & omniũ Græcorum, qui quidem ad nos peruenerunt, atq; Auicennæ opinionem, ſi propẽſiore examine ipſius dicta ponderentur. qua ratione & myrobalanos ob uires illis à Meſue attributas non laudamus, tametſi hos tutius dari poſſe putẽ, quam rhabarbarũ, propter

Quadrageſimotertio aph. 5. ſect.

Nono de ſimp. med.

minorem

minorẽ quæ illis ineſt ſoluendi uim. Imminuuntur quidem medicamentorum facultates, ſi ea perurantur, ſæpiúsq; ex aqua colluantur, ut à Galeno oſtenſum eſt in tertio curandi methodi, & in libris de ſimpl. medic. Sed (ut aiunt) lupus, etſi pilum, non tamen naturam mutat: hæc enim à Galeni methodis plurimũ abſunt, id quod cùm alia facilè oſtendunt, tum quæ ab eo in xiiij. curãdi methodi ſcribũtur, & primo ad Glauc. cap. de curatione febrium cõtinuarum ſine accidentibus.

*Quinto de cõp. med. ſecundũ loca.*

Si uerò rhabarbarũ ualde torrefeceris, omnes quidem illius facultates deleri & corrumpi poſſe non negamus, ſed non amplius rhabarbarũ erit, quo ad qualitatẽ illam: uerùm quemadmodum digitus mortuus ab Ariſtotele in vij. Metaphyſices cap. x. æquiuocè dicitur digitus, ita & id rhabarbarum dicetur: ſimiliter & cùm eiuſdem undecimo dicit, non ſemper eſt pars hominis manus, ſed cùm opus perficere poteſt. Nulli tamen dubium eſt, rhabarbarum, & myrobalanos, ſi cæteris ſoluẽtibus maximè pharmacis comparentur, minoris quàm ea detrimenti eſſe in propoſiti morbi curatione. Illi etiã, mea ſententia, audiendi non ſunt, qui dicũt, aliud eſſe de phlegmone inteſtinorum loqui, aliud de torminibus, cùm in his humores extra corpus trudantur, in phlegmone uerò inteſtinorũ ibi circunſcribantur: cõmune enim præceptum eſſe dicit Gal. in xiij. curandi methodi, & eiuſdem iiij. in contrariũ, & ad partes maximè longinquas auertere: phlegmone enim circa ſedem, uel partem huic uicinam incidente, aluum deiici non debere affirmat. Cui quidem & Auicennas conſentit, Fen quarta primi libri, cap. iij. cùm dicit: Eſt tamen cùm membrũ à quo expellitur, eſt ipſum membrum per quod exinanitio faciẽda eſt, ſed eſt in ipſo ægritudo uetus, aut recens, propter quam eſt timẽdum à curſu humorum ſuper ipſum: ipſi ergo ad aliud quod ſit melius, transferendi ſunt. Et paulò infra: Et ſcias quòd materiei eductio, & ipſius de ſuo loco eradicatio, eſt ſecundũ unum duorum modorum: unus eorum eſt propter attractionẽ quæ fit ad longinquam diuerſitatẽ, & alter propter eam quæ fit ad propinquam &c. ne totum Auicennæ caput huc transferre uidear. Exẽpla uerò ibi ſatis manifeſta ab eo ponuntur, & ad propoſitum noſtrum plurimùm pertinẽtia, quæ lector ipſe legere poterit.

*Serm. 11. cap. 16.*

Cuius ſentẽtiæ eſt etiã Aëtius, qui in inflammationibus renũ non ſolùm ſoluẽtia prohibet pharmaca, uerumetiam quæ urinã mouent, quoniam acres ad inflammatas partes humores deducant: nam ſola urinæ redundantia apta eſt ulcus ſiue inflammationẽ irritare.

*Sexto Aph. 6. ſect.*

Neq;, quod quidem ego uideam, ulla ſtatui poteſt huius diuerſitatis & differẽtiæ ratio: quippe non ignoramus, quæ urinam mouent, in dyſenteriæ curatione à Galeno, Aëtio, & aliis dari, ſed ea (ni fallor) conditione, ſi conſecuta ſint in aliam partem, quoniam ita demum proſint: nam ſi non ſint conſecuta, noxã augent, quemadmodum traditum eſt à Corn. Celſo lib. iiij. cap. xv. Quòd ſi quis accuratius animaduertat, non aduerſatur Hippocratis & Galeni methodis, qui iubẽt humores morbum facientes ad loca uicina deriuare: non enim credendũ eſt, in re quidem tam manifeſta Celſum, qui fuit Hippocratis ſimia, illius ſentẽtiam improbaſſe: ſed urinã mouentia ideo in dyſenteria nõ eſſe danda intellexiſſe, quoniam plurima ſimplicia, quæ urinã pariter & aluum mouent, calida ſunt, & ſicca: uerbi gratia, fœniculus, abſinthiũ, & huiuſmodi, & quæ ex his componuntur medicamenta: quæ ſi humores dyſenteriam facientes ad urinæ meatus non auertant, nocere potius ſolent, quàm quicquam prodeſſe, eò quòd ſua lædẽtes qualitate, ſuccos acriores reddũt, eóſque ad partes læſas, & exulceratas ducunt, præſertim ea quæ calidi ſunt & ſicci temperamẽti, nõ frigidi & humidi, ut ſunt quatuor ſemina communia, ſic uulgò appellata. Equidẽ fateor pleraque in Celſo tum iniuria temporum, tum impreſſorum ſeu typographorum negligẽtia corruptè legi, & imperfectè: non tamẽ propterea illius doctrinam omnem ita floccipendendã eſſe, ut multi nunc faciunt, exiſtimo. Ego uerò locum honeſtũ inter medicos illi tribuendũ cenſeo, qui quidẽ Hippocratẽ medicinæ parẽtem optimũ, ut liquet maximè imitari ſtuduerit. Quòd ſi quandoque à ueritate uidetur aberrare, reliquum tamen doctrinæ illius non eſt cur aſpernemur, ſed amplectamur: & à peritis, non autem medicinæ initiatis legatur. Non igitur hac de re amplius dubitandum eſſe puto, cùm etiam Auicennas xvj. Fen tertii libri, cap. iij. iubeat in illa fluxus ſpecie, in qua bilis plurima ad uẽtrem & inteſtina demittitur, malitiam membri, quæ huiuſmodi humorem generat, & intemperamẽtum, corrigi quidem & inaniri, ſed potiſsimum uomitu, ſi tamen uirium defectum non ſuſpectum habuerimus, & ulcera adhuc in inteſtinis non facta fuerint, neque ut fiant ſuſpicio ſit: quæ quidẽ inanitionis ac reuulſionis ſpecies & ab Hippocrate ponitur, & à Gal. in iiij. de rat. uict. acut. in torminum curatione. Illorũ uerò argumẽto, qui dicunt, caſu, nõ ex ſe prohiberi dyſenteriã, eò quòd medicamenta ſoluentia materiam educant, quæ morſionẽ & ulcera in inteſtinis efficit, non tantùm eluat aut purget, quemadmodum ſerum lactis, melicratũ, aut aqua maris, aut muria: ita reſpondendum erit: pharmacũ id ſoluens alios ad inteſtina quæ iam ulceribus detenta ſunt, humores ducere, qui poſtea maioris morbi cauſa ſunt, & mali, quàm curationis & remedii: neque certũ eſſe quòd omnes illos exinaniat, & ita etiam perpetuò non eſſet uerum axioma illud toties ab Hippoc. & Galeno decantatũ, quòd contrariorum cõtraria ſint remedia. Nàm corpus cacochymum medicamento aliquo, quòd acrimoniæ expers ſit, ante omnia inanire æquum eſſe dicimus, quódque nullum poſt ſe aſperitatis ueſtigium relinquat, ſed potius dolorẽ ſedet, quale eſt melicratũ, ptiſana, & huiuſmodi: & deinde ceratum dulce, & nonnullos adipes, & oleum dulce infundere: quoniã ſi prius, quàm corpus ſit aliquo modo purgatum, hæc dolorum lenientia in aluum iniiciantur, putreſcant, & humorũ cacochymiam alant, ut ait Galenus in ſecundo de ſimpl. med.

*Ca. 12. 13. 14.*

Quòd ſi quiſpiã nobis obiiciens dixerit, Galenũ in iij. κατὰ ἰητρεῖον quoſdam ſanatos fuiſſe uideri concedere medicamẽto expurgante: id caſu aliquo contigiſſe dicendum erit, ut eodem in loco ab eodẽ etiam aſſeritur autore: non autem uera ac certa cõualuiſſe curatione. Vel dicas, expurgante, hoc eſt, detergẽte medicamẽto illos curatos fuiſſe.

*Fen 16. ca. 3.*

Cùm autem Auicennas eodem libro, quem paulò antè citauimus, nos plurimùm attẽtos & timidos reddat in dandis huiuſmodi ſoluentibus pharmacis calidis, taléque nunc uigeat anni temperamentũ, & ſtatus calidus ſcilicet admodũ & ſiccus, qui per occultas exhalationes corpora exinaniuerit, ut eſt in ij. lib. Aphoriſmo xxviij. quid nos ita propẽſi atq; audaces ſimus in his exhibendis, contra Græcorum pariter atq; Arabũ doctrinam, equidem non poſſum non ſummopere admirari: oportet enim omnia membra quæ ſunt infra thoracẽ, eſſe robuſta, ut bene purgationibus ſeruiant, alioquin magna incommoda patiũtur.

*Vigeſimo quinto aph. ſecundæ ſect.*

*Decimaſexta Fen tertij libri, tract. 2. cap. 7.*

Hæc uerò ſunt Auicennæ uerba: Si fuerit neceſſaria uacuatio, timidè & cautè eam facias &c. Vbi animaduertendum eſt, eum propter malitiã humidam fieri debere uacuationem dixiſſe, non ſiccam, uel aliam. Per malitiam autem humidam puto Auicennam intellexiſſe malam uel cerebri, uel hepatis, uel uentris, uel alterius partis intemperiem, quæ humores ad fluxũ excitet, quemadmodum de cauſis fluxus ab eo traditum eſt. Quòd ſi ille nos cautos & timidos facit in huiuſmodi intemperie humida, quanto magis in ſicca uelit, ueſtrum ſit iudicium. Si uerò (propter humorum malitiam) legatur, ut quidam alii codices habẽt, id etiam ad rem noſtram pertinet: ex his enim uerbis certum eſt Auicennam uoluiſſe alui ſolutionem cum cautione quidem in dyſenteria faciendam eſſe, & cum timore, ſiquidem humores fuerint maligni & praui, non aliquo modo noxii: obſeruatíſque conditionibus illis quas Galenus ſcripſit in iiij. de ratione uictus acut. ubi de cholera agit. Argumentum uerò illud quod ſumpto ab Hippocrate fundamento iſti in nos iaciunt, ſatis debile uidetur: quia etſi inteſtina ſint loca humorum, & excrementorũ egeſtionibus apta, quia tamẽ in hac dyſenteriæ ſpecie ualde illa læſa ſunt, euidentiſsimum eſt ea hunc tam acrem & frequentem humorum ad eorum partes fluxionem haudquaquam tolerare poſſe. Quare cùm Hippocrates dicit, Quæ ducere oportet &c. de his non intellexiſſe proculdubiò exiſtimo, ſed de aliis quæ non adhuc ulceribus detinentur: quod his Galeni uerbis conſtat:

*Lib. de ſalubri diæta.*

Siquidem ducenda ſunt quò tendunt per loca accommodata: at quibus ne augeantur uelis obſiſtere, per contraria loca retrahere debes. Rurſus aduerſarii noſtri in hunc modũ nos argumentis laceſſunt: Si Gal. rhabarbari noſtri uires compertas habuiſſet, illud profectò in torminũ curatione adhibere non ueritus eſſet ad morbi cauſam tollendã.

*Primo de ratione uictus acut.*

Quæ cùm magis ac magis conſidero, non poſſum dolore maximo non affici: adeò enim auaritia

& honor eos cæcos reddidit, & inſolens cõſuetudo & corruptiſsima inualuit,ut niſi peregrina, & nondũ intellecta,aſſuetis & cognitis interim ſpretis,adferre ſtuduerint remedia, ægrotos curare poſſe deſperent, aut certè diſsimulent,quò ita aliis magis eruditi,ac diligentiores appareant.Sed agitè obſecro, ante inuẽtum rhabarbari noſtri tẽporis uſum, Hippocrates & Galenus, cæterique cùm illius, tum alterius ætatis probatiſsimi medici,ullóſne unquam bonæ ualetudini reſtituerunt dyſentericos? Reſtituerũt proculdubiò dicetis, & quidem innumeros,ſed non ita facilè & commodè,ut nũc fit.Atenim id falſum uideri debet:nam etſi ſimplicis huiuſce, quale noſtrum rhabarbarum eſt, ipſis tunc non ſuppeteret copia,ſuum tamen rha habebant, quo abũdè in dyſenteria uſi ſunt:quod etſi nõ habuiſſent, uel cognouiſſent,poterant tamen uaria inuicem miſcere,quę illius uices gererẽt medicamenta,idémq; ualerent cùm miſta, tum ſimpliciter ſumpta. Huc adde, cùm exactè nobis prædicti autores celeberrimi dyſenteriæ curãdæ methodos tradiderint, neque de ſoluentium pharmacorum uſu mẽtionem ullam fecerint, manifeſtum eſſe, aut tale adminiſtrari non debere medicamẽtum, quale eſt rhabarbarum, aliúdue ſimile: aut Galenum & reliquos non ſatis de eo curando morbo pręcepiſſe, quod quidem abſurdum, & ab omni ratione alienũ eſſe, nulli dubium uideri debet. Ac cùm inteſtina tantùm inferiora interdum lædantur,nõ aliunde amplius ad ea fluẽtibus humoribus, ſaltem ea dyſenteriæ ſpecies magis iuuabitur ab iis quæ in aluum per clyſterem iniiciũtur medicamentis, quàm ab iis quæ per os demittuntur, ſiue pharmaca ea fuerint ſoluentia,ſiue alia:id quod tamen iſti non animaduertunt,ſed ſuas cõmuniter inuulgant opiniones,nulla adhibita in morbis diſtinctione: quæ quidẽ ſingula tum ex Galeno manifeſtiſsima ſunt, tum ex aliis.Non enim illos ea obliuione detentos fuiſſe exiſtimandum eſt, ut, ſi eo uti neceſſe eſſet, aut certè expediret,ſoluentis pharmaci commemorationẽ prætermitterent in eo loco,ubi peculiariter de hac re traditur: uel in illis,in quibus melle prius educẽdos eſſe humores ſcripſit ab inteſtinis, deinde ad reliquam curationis partẽ accedẽdum.Neq; uerò hanc illis(cùm eam nullatenus probent) arguendi formam, & concluſionem concedo: Galenus & Dioſco.aliíque in dyſenteria rha dant,igitur aluum ſoluit. Imò quòd adſtringat, eos illud dediſſe nos cõtrà affirmamus:nam ſi aluum ſolueret, & hoc uitio laborãtibus Galenus exhibuiſſet, illud utiq; eſſet,ut ſuprà oſtendimus, methodis ſuis aduerſari. Adde etiam,quòd licet rha antiquorum ab eo,quo nunc utimur, rhabarbaro non differret, niſi maiore & minore aluum ſoluendi ui,Galenúsq; & alij in dyſenteria illud dediſſent, non tamen ſequeretur, ut noſtrum quoque rhabarbarum,in dyſenteria præſertim, de qua nunc agitur, dari deberet,cùm uiribus ſaltem non parũ inter ſe diſtinguantur ſoluentibus, ut plurimis conſtat experimentis. Quòd ſi etiam dixero,rha quod antiquis innotuerat haudquaquam aluũ ſoluere, hoc tamen nõ erit Manardi opinionem,quam tuemur,neq; noſtram, & experientiam refellere, neque nobis ipſis non conſtare in iis quæ in Braſauolę ſimplicium medicamentorum examen annotauimus. Neque enim à ratione alienum eſt,ut ibi quoq; diximus,in tã magna orbis parte, quanta Pontus eſt, rha ſoluentis facultatis, & non ſoluentis,reperiri poſſe. Præterea non maior uidetur eſſe ratio, ſed contrà minor eſt, quòd in coli dolore potius ſoluentia prohiberi debeant pharmaca,quàm in dyſenteria,ut ait Gal.13.curandi meth. cùm in ea plures cauſæ ſint,quæ illa dari uetent, quàm in coli dolore:ut, fluxio humorum,ulcus, & ſæpenumero inflammatio, febris, & quæ hanc comitantur ſymptomata. Per patientem uerò locum minimè eſſe uacuandum, uniuerſo corpore plus æquo pleno exiſtente, quod in huiuſmodi corporibus manifeſtè apparet, ſcriptũ etiã eſt in xcv. cap. artis medic. & alibi:quæ quidẽ corpora mollia ſunt, & fœminea, & puerilia, quæ fortia non tolerant medicamenta,ut ait Galenus ſecundo ad Glauc. & alibi: ualidioribus enim corporibus ualidiora, imbecillioribus molliora adhibentur medicamenta. Dubium præterea eſt nõ leue, ne dyſenteria magis augeatur, ob ſoluentis pharmaci uim:relinquere enim id ſolet in uaſorum quę ad uentrem pertinent oſculis morſionẽ, apertionémq; multã: quare aſsiduè eas partes irritat, & quæ in uaſis ſunt uires diſſoluit ac deiicit. Dicit poſtremò Galenus

*Sexto de cõpoſi.med.ſecundum loca, & ſecundũ genus. 2.*

ſeptimę ſectiõis aphoriſmo lxv.purgare aluũ neq; ſimpliciter,neq; quouis modo illi confert, cuius ſtrigmentis ſimilia ſunt alui excrementa.Et licet paulò infrà ſubiungat. Neq; prius eos purgare eſt neceſſariũ, ſi iã quicquid ineſt bilis fuerit ſublatũ:non eſt tamen cur ob hæc dubitetis: quoniã etſi omnis humor bilioſus nõ fuerit eductus,nõ ideo tamen Galenus uult,dyſenteria adhuc perſeuerãte,nobis opus eſſe purgatione ſoluẽtis pharmaci,ſed ſi bilis quicquã poſt ulceris cõſolidationẽ relictum fuerit.De iis autẽ quæ aluũ facilem reddunt medicamentis, quãuis ea à multis laudari ſciam, his tamen etiã cautè & timidè utendũ eſſe dixerim, hac maximè tempeſtate: pleriq; enim qualibet etiã leui de cauſa in hanc incidũt affectionẽ peſsimam. Tamarindos uerò, qui quidem frigidi ſunt, & ſicci temperamenti, quique bilis feruorẽ extinguũt, ſi quis modico det pondere, & immaturos,atq; initio morbi,cũ iis tamen quæ eorum malitiã infrænent, non omnino à bono medico alienũ eſſe duxerim: hac enim tempeſtate magnã ſæpenumero educi animaduertimus humorum copiam, exiguo etiam aluum molliente medicamẽto ſumpto,ut caſia fiſtulari, & huiuſmodi:quapropter (ut dixi) his quoque utendũ eſſe cenſuerim magna cũ moderatione,tametſi minore cũ timore,quàm iis quæ aluum ſoluunt.Sed tamen quoniã ea nimis fortaſſe aluum mouere poſſent, nimióſque ad læſa inteſtinorũ loca humores deducere, quódq; etiã id nunc in populos ſæuit malũ, ob quẽdam paruum temporis ſtatum,tutius,utputo,fuerit ab huiuſmodi etiã medicamentis abſtinere, quæ nimis aluum mollire poſſunt: cæteris uerò uti remediis, quæ à Galeno, & ab aliis idoneis autoribus multis traduntur in locis. Aliud præterea eſt,quo aduerſarij noſtri mentẽ ſuam erigunt, & in nos impetũ faciunt, hi inquam, qui practici(ut eo nunc utar uocabulo) appellari gaudent, ac uolunt, quiq; tyrannorũ more, omiſſa ratione, quæ dictant,tanquã edicta regia pronuntiant, & ætatẽ maturiorem pro autoritate & ratione haberi uolunt,neq; ab eorum opinionibus recedere ne latum quidem (ut aiunt) unguem nobis licitũ eſſe exiſtimant, ſed omnia ſibi credi. Illi igitur, ut ad rem redeam, denuò hoc nos fundamento urgent: Cauſa morbi cognita, & ſublata, illicò & morbus tollitur: quod magis quidem notum eſt,quàm ut illis egeat probationibus:quod ut illis cõcedamus, quamuis ſublata cauſa non ſemper morbus tollatur, ut eſt in primo de locis paſsis, & eiuſdem tertio:ſic contrà reſpondemus, nullum adeò in arte medica perfectum uirum inueniri poſſe,qui rectè perpendere ualeat, quæ humorum menſura & qualitas per datũ pharmacum detrahi debeat,ac poſsit:adde etiã, quòd, cùm cauſa morbi tollitur, medicamentis & remediis opportunis tolli debet,non quibuslibet,nec in quouis morbi tẽpore. At quomodo igitur,aiunt, tormina patiẽtes curabimus,niſi hepar,exempli cauſa, bilioſos & acres ad inteſtina mittẽs humores,purgabimus? Curabimus ſanè eos tũ iis quæ ſuprà cõmemorauimus,tum medicamentis quæ cibis cognata ſint, & potionibus, tum iis quæ mutent & cõcoquant,humoréſq; qui huiuſmodi grauiſsimos excitant dolores aliorſum auertemus,ut Galeni, & aliorum teſtimoniis ſuperius innotuit:his deniq; utemur remediis, quæ cùm uẽtriculum, tum hepar, & inteſtina roborandi, & aliarũ partiũ malam intemperiẽ corrigendi uim habent, ac reliquis,quę cõmuniter à prædictis autoribus in hac traduntur curatione:neq; pharmaca,ut illi faciunt, inteſtinorũ ulcera potius laxantia, quàm cõtrahentia dabimus,quæq; naturam malè agentem irritent, nõ ulla in re ægrotum ſubleuent.Medicus autẽ,Hippocrate & Galeno autore, naturæ quæ rectè,nõ quę malè agit æmulus eſſe debet, ac miniſter.Valde enim proſternuntur in dyſenteria uires ex tã frequenti deſidẽdi agitatione, tũ ob pharmaci uiolentiam & laborem:quæ quidẽ in hoc morbo maximè uitanda ſunt, quemadmodum ſcripſit Galenus in primo ad Glauc.libro,cap.xiij. Et Aëtius ſermone ix. ca. xlv.ſe neſcire fatetur, an maior aliunde & grauior moleſtia dyſentericis oboriatur,quã ex eorũ quæ egerũtur acredine. Quare ſcripſit Galenus, uictu tenuiſsimo his opus eſſe. Et in lib. de facilè parabilibus, optimũ remedium eſſe cibi paucitatẽ,eúmq; concoctu facilem & leuem: cuius opinionis noſtræ eſt etiã Introductorij ſeu Medici libri autor,qui omnino in hac curatione à ſoluẽtibus abſtinet pharmacis. Neq; uerò (ut id quoque attingam) in hoc uitio ad urinarum inſpectionẽ multùm

*Vndecimo cur.meth.*

*Galen. libr. de ſanguinis miß.*

*Epid.1. comment.2.*

*Quarto de articulis.*

atten

attendendum eſt, quod iſti tamen plurimum obſeruāt, cùm dyſenteria morbus inteſtinorū ſit, neque ex urina certa cognitio ulla uel ſalutis, uel mortis in hac ægritudine haberi poſsit: Non ob id tamē omnino negligendam eſſe urinarum contemplationem dicimus, imò in quolibet morbo alio, nō in hoc tantùm, conſiderandā, ſe dpræſertim ubi putreſcūt in uenis ſucci, & hepate, ut ait Galenus in primo de criſi, cap. vij. & iiij. de tuēda ualetudine. Nam etſi in ſecundo prædictionum, cap. vj. dicit, tantùm in hepate & uenis urinam conſiderari oportere, & quæ his inſeruiunt, id primò uerum eſſe conſtabit. Cùm uerò dicunt expectandam eſſe cōcoctionem, & deinde purgandum, ſi de ea quæ in humoribus fit & urinis intelligant, certum eſt ex paulò antè citatis ſententiis id falſum eſſe. Quòd ſi de ea quæ in excrementis expectatur, ne illud quidē uerum eſt: nam licet egeſtiones, uentriculi & inteſtinorum affectionem ſignificent, ut eſt in primo de criſi, cap. xj. & Aphoriſmo xij. primæ ſectionis, necnon ſecundo prædictionū cap. iiij. cùm tamen eæ ad naturalem ſuam formā redactæ fuerint, tunc dyſenteria non amplius ægrotum malè habebit, aut leuiter infeſtabit. Et ita de hepatis & humorum intemperamento dicendū eſt: quod ubi euenerit, haud amplius neceſſe erit ullo uti ſoluente pharmaco, aut alio, niſi fortaſſe eo, quod inteſtina abſtergat, aut conſolidet: niſi, ut ſuprà dictum eſt in aphoriſmo lxv. ſeptimæ ſectionis, aliqua humoris biliosi pars poſt conſolidationē ulceris inteſtinorū adhuc relicta fuerit. Magis igitur idoneum uidetur, ut in morbi huius initio cauſa quæ ipſum gignit, auferatur, quàm ullo alio tempore, priuſquàm ulcus, quod κωλώδις appellant, generetur, atque in inteſtina ſerpat, ut Galeni uerba oſtendunt, præcipuè in ſecundo de ſimpl. med. capite ſuprà citato. Conſultius autem eſſe ducerem, ſi qua urget humorum aliunde fluentium origo quæ id exigat, ut ad eam tollendam, & ad ulcus inhibendum, uenam ſecemus, quemadmodum Aëtius apertè confirmat, ſi tamē id auxilii genus ægroti uires, & reliqua ſimul patiantur, quàm huiuſmodi ſoluentibus pharmacis uti. Optimum etiam eſt corrigere membra quæ prauos generant humores: hi enim ad inteſtina demiſsi, dolores excitant uehementiſsimos. Atenim Galenus in iiij. de uict. acut. morborū, & in eo loco quē ſuperius citauimus, qui eſt ad Glauc. fluēte aluo ſanguinem mitti prohibet. Ad quod reſpondeo, ſententiam illam minimè ueram eſſe, ſi de uera dyſenteria, & in qua excrementa liquida non apparent, intelligatur, & quæ à mala hepatis intemperie ortum habet, & de morbi huius initio: ſed de aliis alui profluuiis, & temporibus, indubitatā quidem eſſe: dyſenteria enim rectè alui profluuiū appellari nō debet. Quibus ſingulis, ut ſuprà expoſuimus, abſolutis, dyſentericos omnes, qui tamen conualituri ſunt, conualeſcere poſſe ſperamus, atq; huius curationis uiam, quæ quidem antiquorum eſt, & à Leonharto Fuchſio prius quàm à nobis monſtrata fuit, probatū iri. Etſi, Platonis teſtimonio, antiquiſsimū ſit, nullum detrahētium morſus euitare poſſe, illud obiter dicam, à Fuchſio M. Gatinarā haud meritò reprehendi, quòd eclegmatis roſacei certā in dyſenteria portionem dederit, cùm non illud ex ſua, ſed aliorū opinione dicat. Omitto nunc quòd hic ſua iactabit experimēta à datis pharmacis proſpera, ille autē à non datis: non quia non putem experimenta cum ratione facta & legitimè, laudanda eſſe, ſed quia non ea probem, quibus non cōſentit ratio: qui enim, ut ait Galenus cum hiſtoriam auguris Græci & Arabis narrat, recta ratione medicam artē exercet, ei nos rem ex ſententia ſuccedere poſſe arbitramur: ſin cōtrà eueniat, ui morbi ægrotos perire proculdubiò exiſtimamus, non ex remediis tempeſtiuè adhibitis. Secus uerò iis euenire exiſtimo, qui non opportunis remediis eos curare poſſe confidunt: qui quidem licet quandoque incolumitatem conſequātur, caſu quopiā, ſeu uirium, quæ in ægro ſunt, fortitudine, ſeu morbi imbecillitate, ſeu aliqua præcedentiū remediorū recta applicatione cōualuiſſe potius exiſtimandū eſt, quàm artis beneficio. Similes uerò hi mihi illis eſſe uidētur, de quibus Galenus in ſecundo ad Glauconem ſcripſit, qui morbos quidem curant, homines autem interficiunt, quique experientiam ſine ratione præ ſe ferunt, atque hæreſim methodicam omnia artis bona deſtruētem ſequuntur: etſi enim illa ſermones aliquos dogmaticos quidem habet, multis tamen pleni ſunt erroribus. Quæ uerò ratione & experientia comprobata non ſunt, ad animalis interitum tendūt. Tutius autem eſſe exiſtimo, ægrotos ui morbi perire ſinere, quàm noſtra ulla opera mala, aut medicamentis incertis eos præproperè iugulare, tametſi non abſq; aliqua noſtri nominis nota. Sed contrà hi longè aliis præſtantiores eſſe uidentur, qui quoties ad ægrotum aliquem accedūt, ſemper aliquid noui agunt, magno ſæpenumero languētis incommodo atque malo, modò cucurbitulas, modò clyſteres, modò uenæ ſectionem, modò inunctionem aliquam, modò ſerapiū, uel huiuſmodi aliquid ſubitò immutantes, aut addentes, nihil ab ipſis artificioſe factū eſſe exiſtimantes, niſi ita ſe geſſerint: quos ſanè Galenus nō naturæ miniſtros, ſed pharmacopolas ex triuio appellat, quòd tantū hi à iuſta naturæ miniſtri appellatione abſint, ut magis inimici ipſius, & ægrotantium hoſtes iure appellari debeant, artiſque corruptores, cùm neque etiam morbi naturā, atque ægroti aliquo modo inueſtigauerint: id quod tamen medico ſummopere obſeruandum eſt, ſi Galeni præcepta maximè tueri ſtudent, & ueri officium medici. Non ſolùm autē ui morbi pereunt ægrotantes, aut quia ipſi aliquid committant, ſed quia etiam eos medici malè curēt, ut eſt in primo prædict. cap. xxxiiij. Quare ualeāt hi cum ſuo improbo, & ab amuſsi Galenica aberrante modo: nobis uerò pro præclariſsimo & præcipuo lucro ſit, ægrotos ualetudini proſperæ noſtris reſtituere poſſe medicamentis, etiā ſi pauperculi ſunt, & nullius (ut aiunt) numeri. Solent enim medicorū plerique, quos uiſitant, tantum iactare ægrotos, ſi principes, ſi de nobili familia ſunt: ſin cōtrà, ignobiles, miſeri & abiecti, de his nulla fit ab illis mentio: ita eorū mentē occæcauit ambitio atq; auaritia, ut medicū deū medicinámq; ipſam ſolùm ad diuitū uſum, non pauperū ac miſerorū, procreaſſe putēt. Sed uos rogatos uelim amātiſsimi Collegæ, ne me loquacē nimis, aut temerariū, & alieni nominis obtrectatorē eſſe putetis prius, quàm omnē hāc in illorū caput fabam excudero: ſemel enim mihi omnino decretū eſt, in prauos, eóſq; barbaros & incōpoſitos medicorū mores inuehi: (quamuis nō medici id muneris eſſe, ſed philoſophi, alicui fortaſſe uideri poſsit) quod cum perfecero, tunc liberū ſit unicuique apologiā ſcribere. Sed miſſa hæc faciamus, & ſi qua adhuc mihi dicēda reſtāt pro præſentis difficultatis expoſitione, breui perſtringamus: nolo enim nunc horū ſcurrilitatē nimiā, & uitia ſingula perſequi, ſed in cōmodius tēpus differre. Si quis igitur à nobis cauſam ſcire deſideret, cur tam longo tēpore excremēta mera in aluo retineātur, cùm dyſenterici iſti identidē ac paulatim excernāt tum humores bilioſos, eóſq; nō unius generis, tum inteſtinorum abraſiones, ſiue ramēta, tum quædā mucis ſimilia, tum pinguia, tum carnoſa, & deniq; ipſum cruorē, neq; prædictis aliquid ſimile excremētis deiiciant, quale quidē deiici ſolet ab iis qui cōſuetis, & legitimè inſtitutis utūtur cibis, uel certè minimū, & rariſsimè, quemadmodū nos ſæpenumero euenire uidimus: illi primi Galeni de tuenda ualetudine libri locus ſatis eſſe poterit, ubi excrementorum moræ cauſæ explicātur: territa enim natura, ea non audet per loca ulceribus ſcatētia & doloribus uexata trāſmittere, ſed in quibuſdā inteſtinorū reuolutionibus & concauitatibus retinet. Quare nos quidē ſepe animaduertimus excremēta magna copia egeri, poſtquā ægrotus omnino ferè conualuiſſet, eáq; indurata, cū huiuſmodi antea haudquaquā uidiſſemus. Quare etiā manifeſtū fit, hunc nō eſſe affectū illū, ut nōnulli ſuſpicati ſunt, de quo Gal. loquitur in vj. de locis affectis, cap. iij. diabeti perquàm ſimillimū, qui quidem à multis cibis fit, qui neque concoquūtur, neq; per aluum deiiciūtur, neq; plenitudinis cauſæ ſunt, neque etiā probè alere poſſunt, ſed diſsipantur, & à calore diſcutiūtur. Et quia etiā fortaſſe nō abſq; ratione aliquis dubitare poſſet de illa ingeniti adſtringentiū & repercutientiū medicamentorum ſylua, tum cataplaſmatum, tum epithematum, tum emplaſtrorū, tum inunctionum, & huiuſmodi, quæ uniuerſæ aluo, & uentriculo applicari ſolent: quoniā Galenus in quinto curandi methodi libro illos medicos improbet qui non tantùm aſtringentia, ſed etiam frigida citra adſtrictionem profluenti particulæ imponebāt, utpote quæ ſanguinem intus pellant, & uenas quæ in alto ſunt, ſanguine impleant: quorum etiam uſum damnat in primo ad Glauc. capit. de curatione febris continuæ, necnon frigidorum, acidorúmque extrinſecus applicationem: quoniam quo magis cutem denſaueris, tāto ipſæ

ſanguinis

*Tertio de ratione uictus acut. & 2. Epid. comm.*

*Primo de ratione uictus acut.*

*Secūdo cur. meth. & iij. Aëtij, capite 185.*

*Primo de diebus decret.*

*Gale. in lib. de opt. ſecta ad Thraſibulum.*

ſanguinis fluxiones, quæ ad uentrẽ tendunt, magis augentur: niſi fortaſſe corroborationis gratia illa adhibeantur. Propterea huic dubitationi ita occurri poterit, dicendo, non eſſe omnino ſimile id quod à Galeno de thorace & aluo ſcribitur: quia licet prius nobis ſeſe offerat abdomẽ, hoc eſt, mirach, deinde peritonæũ, quod Arabibus eſt ſiphach, deinde omentum, ſiue zirbus, poſtremò inteſtina, ad quæ deferri debent prædictorum adſtringentium uires: non tamen hæc omnia ita prohibere poſſunt, ſicut thorax, quin huiuſmodi ad pulmonem deferãtur medicamentorũ facultates, propter illius ſitum, & ſubſtantiam craſſam & ſolidam, ut ſcriptum eſt in libro de conſtitutione artis medicæ. Vel dicas, hæc utrique particulæ applicari poſſe, auerſione & inanitione præcedente, ut eſt in loco ante hunc proximè à nobis citato, ſi tamen illis admiſceantur, quæ eorum uires ad prædicta deferant patientia loca. De uino nihil aliud quod ſcribam habeo, niſi, illud minimè à me in hac curatione, ſi adſit febris, approbari, ut eſt in iiij. de ratione uictus acutorum. Aliud præterea eſt, quod mihi difficultatem parit. Nam Galenus ix. de compoſitione medi. ſecundum locos, dicit ſe uelle agere de iis qui uerè dyſenterici ſunt, in quibus neq; hepar affectum eſt, neque alia urget affectio, præter inteſtinorum ulcus tantùm, aut cum putrefactione aliqua obortum, quam medici uſitato uocabulo νόμην appellant, tandémq; de iis ſe agere uelle ait, quæ ad talem affectionem commoda ſunt, & experimentis multis cognita: & ita deinde confectiones uarias, paſtillos, quos Græci τροχίσκους nominant, potiones, acria enæmata, & huiuſmodi alia ad prædictum morbũ ſubſcribit. Ex quibus Galeni uerbis manifeſtum eſt, hæc adſtringentia etiam, quæ per os tam frequenter dari ſolent, in uera dyſenteria dari debere, nullo ibi exiſtente alio aliquo hepatis affectu. Quapropter eos, qui huiuſmodi ſiccantia & adſtringentia dant medicamenta, à recta medendi ratione & ſcopo declinare exiſtimo, potiſsimum ſi his in dyſenteriæ principio utantur, atque ſi febris unà ęgrotum malè affecerit, quod obſtructionis cauſa ſint, & putridorum humorum in corpore retentionis: ſed uel declinante morbo, uel ſi febris minimæ fuerit cõſiderationis, ut ait Aëtius, dari poterunt: quod poſtea à Conciliatore differentia ccij. latius traditum eſt. Sciendum eſt etiam, innumeros dyſentericos perſæpe curatos fuiſſe, qui cùm grauiter ægrotarent, magna pars tunicæ interioris inteſtinorum putrefacta deperierit: qui tamen non curati fuiſſent, niſi alia tunica ſuper corruptam illæſa eſſet, quemadmodum ſcribit Galenus in iiij. de uſu partium libro. Poſtremò (id enim etiam libet addere) ut miraremur fecit, ꝙ hi, qui Nicolos, Vgones, Iacobos, & illius ſectæ autores ſemper pr̨ manibus habent, ingentẽ illam aſini molam, & Siſyphi ſaxum uerſantes, nullam unquã de barbaris enæmatis mẽtionem fecerunt, quæ in fractura uenæ à Galeno & aliis Græcis laudantur, uel huiuſmodi medicamentis, & dropaciſmis, quæ in auertendis humoribus, quod in hac curatione plurimum deſideratur, multùm conferunt: quódque pariter cucurbitularum remedium ſuper uentre affigendarum horarum quatuor ſpatio, prætermiſerint, ab Auic. tantopere decantatum: aut etiam Smaragdum ipſum, cùm omnia ægrotis proponere, eáq; intempeſtiuè plerunq; adhibere conſueuerint, non quidem ſalutis eorũ gratia tantùm, ſed ut omnia ſe ſcire oſtendãt, & lucrifaciant, priuſquam alter noſtri ordinis accitus ad ægrum accedat. Hæc ita explicauimus: uos uerò plurimùm rogamus, ut quid de his ſentiatis, in medium ne pigeat afferre: corripit enim, ut ſcitis, morbus is innumeros, cuiuſcunque ſtatus ſint: ſed potiſsimum illos, quos antea ſcripſi, homines. Verùm placandam in primis Dei iram optimum eſſe duxerim, ídque extremum eſſe in noſtris malis perfugium, & remedium. Reliqua autem, quæ in præſenti negocio utilia ſunt, quoniam latius à maioribus noſtris traduntur, & facilè quiuis ea legere poteſt, conſultò prætermiſimus. Valete. Calend. Iulij. M. D. XL.

ALOISIVS MVNDELLA MEDICVS, *Hieronymo Feroldo compatri.* Epiſtola XIII. *in qua locus Gal. iiij. de rat. uict. acut. explicatur.*

NOn deſinis Hieronyme ea facere, quæ amorem erga me tuũ, & beneuolentiã indies magis oſtẽdant. Vt enim cognouiſti eã nos opinionẽ tueri, quæ in τῆς δυσεντερίας curatione pharmaca ſoluentia in os dari prohibet, & oppoſitã damnare, ſtatim ſententiæ illius recordatus, quæ eſt in iiij. libro de ratione uictus acutorũ morborũ, ubi Gal. quę ualenter ſoluũt medicamẽta laudare uidetur, in expoſitiõe illius loci, qui ſic incipit: Si aluus liquida fuerit &c. me amicè admonuiſti, ut illam accuratius cõſiderarẽ: locus enim paulò obſcurior uidetur, & qui dubitationẽ non minimã præ ſe ferat. Quare non abſq; ratione ſuſpicari mihi uiſus es, ne ſi fortaſſe opinio hæc noſtra ad ſeueriorem quorũdam aures peruenerit, illorum cenſura & ſupercilio graui ſubitò reprehendatur & caſtigetur. Nam quid opus eſt, quæſo, antiquorũ noſtrorum monumenta præ manibus ſemper habere, ſi illorum ſenſa non penetrentur rectè, ac intelligantur? nõ autem ut nonnulli ex noſtris faciunt, qui Galenũ ſe centies uidiſſe affirmant, cùm tamẽ multa in eo ſint, quæ uel planè illi non intelligunt, uel peruerſe, eò quòd per tranſennam illa legant. Sicuti enim non ſæpe tantùm, ſed probè etiam medendo boni medici euadimus, ita in ſtudia incumbendo. Paucis igitur accipe, quid ipſe ea de re ſentiam: & primò Hippocratis, ſiue quiſquis ille fuerit autor, uerba ſubſcribam, ut certior deinde illorum ſenſus percipiatur. ἢν δὲ ὑγρὴ ἡ κοιλίη καὶ χολὴ ὑποχωρέῃ, καὶ στρόφοι, καὶ ἔμετοι, καὶ πνιγμοὶ, τούτοισι κράτιστον ἀτρεμίζειν, πίνειν δὲ μελίκρατον καὶ μὴ ἐξεμέειν. hoc eſt, ſi ad uerbũ uertas: Si uerò aluus liquida ſit, biliſq; deiiciatur, & ſtrophi, & uomitiones, & ſuffocationes, his melius quieſcere, bibere autẽ aquã mulſam, & nõ uomere. στρόφοι enim dictio, ſi Cornelij Celſi interpretationem ſequamur, quæ, mea quidem ſententia, uera eſt, nõ tormina propriè ſignificat, hoc eſt, δυσεντερίαν, ſed dolores circa umbilicum inteſtina torquentes: dyſenteriæ enim uocabulo quandoq; utitur Hipp. nõ pro inteſtinorum ulceratione, ſed pro cruenta ex inteſtinis proluuie. Quæ cũ ita ſint, nulla quidẽ erit inter noſtra ſcripta, & codicem hunc controuerſia, cùm de cholera hæc pertractet Galenus, nõ dyſenteria: nam doctè quidem ille ſuprà citati autoris uerba exponens, dixit: Qui autẽ in affectionibus huiuſmodi ſæpius & ualde auxiliatur, is cacochymian potenti medicamento affatim expurgat, uires contẽplatus, ægri habitum, anni tẽpus, ætatẽ & conſtitutionem. Nam ſi bilis acris eſt, & elui contumax, quid obſtet nõ uideo, quin illa ualente pharmaco magis educi debeat, ut Galenus uoluit, quàm moderatè ſoluente, quemadmodum autor ille quarti libri de uictu acutorum, ut eſt lac aſininum, aut mulſa, eam quietè concoquente. χολέρα enim commune eſt uentris atque inteſtinorum uitium, quo potiſsimum ipſe, atque inteſtina bilioſis torquentur humoribus, & cruditatibus: & licet per inteſtina pharmaco deiiciantur materiæ illæ acres, corruptæq; & crudæ, tutior tamen ea eſt uia, & expulſioni eorum paratior & commodior, utpote quæ à natura excrementis recipiendis & expellendis creata eſt: unde non horum iniuriæ ita obnoxia ſunt inteſtina ſicuti uenter, uirtute, & cæteris ſuprà à Gal. cõmemoratis conſtantibus conditionibus. Concedimus tamẽ in χολέρα uitio δυσεντερίαν quandoq; excitari poſſe acribus & bilioſis ad ea loco tranſeuntibus ſuccis: quod ſi contingeret, non ita tutum eſſe exiſtimauerim huiuſmodi ualentibus pharmacis uti in hac morbi ſpecie, in qua uirium proſtratio medico ualde animaduertẽda eſt, ne ea morbo ſuccumbat, quemadmodum Galenus, & reliqui omnes periti apertè uoluiſſe uidentur. Si uerò huius libri autor nõ amplius de χολέρα agat, ſed ea uerba ſimpliciter intelligenda ſint, nulla ad prædictum affectum conſideratione habita, de quo Galenus dubitare uidetur, non eſt quòd dubites: id enim ibi Galenus ſentit, quòd ſi in uentre bilis contineatur, & elui contumax ſit, ut ſeruatis conditionibus antea dictis, ualenti pharmaco ea educatur, ſi tamen febris nõ prohibeat, quæ multæ eſſe curæ medico debet: intelligenda eſt enim, meo quidem iudicio, & ſeruanda illa exceptio: timet enim Galenus ne periculũ aliquod inſigne ex bilioſæ in uentriculo materiæ mora cõtingat: id quod etiã notius fiet ſi medicamẽta cõſideraueris, quæ στρόφοις uexatis in vij. de comp. med. ſecundũ locos exhibentur. Illa uerò, dum hæc animaduerterẽ uerba, difficultatem aliquam mihi habere uiſa ſunt: Si aluus ſcilicet liquida fuerit, & bilis deiiciatur &c. Nõ bene enim aſſequi poſſum, quomodo Galenus uelit, hunc uirum de arida χολέρα iterum memorare, cùm ſuprà eam generari dicat ab acri & inflante ſpiritu, hìc uerò humorem

*Libro 2. capit. 6.*

morem excerni, aluúmque humidam eſſe. Niſi fortè ita reſpondeatur, quandoque & in hac χολέρας ſpecie bilẽ contineri, quæ non ita leuibus tollatur remediis, ut ea, quæ ſuperiùs ſcripta ſunt, mulſa, & huiuſmodi, ſed potentioribus ei opus ſit. Tu ſi quid melius habes, reſcribe, pro hoc tuo & noſtro extricando nodo: Mundella enim ſum, non Oedipus. Vale. Pridie Idus Septembris. M. D. XL.

## ALOISIVS MVNDELLA Medicus, Leonharto Fuchſio eiuſdem artis profeſſori, Epiſtola XIIII. An uinum in febribus dandũ ſit.

ILlud nũc mihi euenit Leonharte, quod iis euenire ſolet, qui, quoniã Chriſtũ crucifixum & ſanctam eccleſiam profitẽtur, eámq; palàm prędicare haudquaquã dubitant, nec timent, ſemper cũ quibuſdã falſis prophetis & ſuſurronibus cõtendere ac digladiari neceſſe habent. Cùm enim ad aliquẽ ægrotum uocatus accedo, ut cũ aliquibus ex noſtris præſertim natu grandioribus medicis ſermonẽ habeã, quò melius languenti conſultũ ſit (ſolet nanque opinionibus uariis utrinque adductis ueritas magis innoteſcere) protinus initio ſermonis illos uideres & furere & bacchari, friuolis tantũ, & nullius ferè momenti argumẽtis cõtendentes: ita peruerſa eſt eorum mens, & pertinax, & à certis medendi ſcopis aberrat: qui tamen à me multis rationibus & argumentis cõuicti, ſolent aliquãdo acquieſcere: id quod etiã proximis ſuperioribus diebus accidit. Nã cùm nõnulli ad curandã matronã quandam accerſiti eſſemus, illáq; multis & uariis per nos adhibitis remediis conualeſceret: tandẽ diſſenſio & cõtentio inter nos de uini genere & proprietate, quod cõualeſcenti daretur, exorta eſt. Ego uerò cum pro ueritate tuenda cõtra illorum mendacia uerba multa feciſſem, id cõſecutus ſum, ut dilutũ uinũ cõualeſcenti iſti omnino daretur, ꝙ ea Galeni eſſet opinio in primo ad Glauconẽ libro, & aliis in locis: manifeſtè enim febris iam declinare cœperat, ab humore quidẽ biliofo & craſſo in uenis exiſtente originẽ ducens. Licet enim multùm reclamaſſent illi, quo minus febricitanti huic uinũ daremus, nullũ tamen ita euidens, aut ſaltẽ probabile illis fuit argumentũ, quod noſtrã, imò Galeni ſententiã infirmare poſſet: huiuſmodi nanque uinũ (ut ſcis) crudos cõcoquit humores, ſudorem prouocat, ſomnũ allicit, & citò uires reficit, & omnes denique inanitiones ciet, omnéſque humores optimos reddit, ut eſt in viij. & ij. curandi methodi, & iiij. de tuenda ualetudine, necnon aphoriſmo lvij. ſeptimæ ſectionis. Vini præterea moderatè ſumpti potũ ea ſequuntur cõmoda, quę à Paulo Aegineta lib. j. cap. xcv. cõmemorantur, & à Galeno in libro, Quod animi mores corporis temperaturã ſequantur, Theognis & ſui teſtimonio: quibus bonis uires magis ualidæ redditæ, morbi ſeminaria, ſi quæ adhuc remanſerunt, diſcutit ac uincit. Atque dilutũ illi uinũ ut biberet, iuſsimus, quale à Galeno & etiã Hippocrate in febrib. maximè laudatur, ꝙ uina illa aquoſa, alba, & tenui ſubſtantia, & exiguũ corpori alimentũ præbentia, apud nos non proueniant, neque aliunde ad nos importentur, ſed fulua potius, & nigra, & potentiora, uentrémque corroborantia, quæ conualeſcenti quidẽ huic non conuenirent, niſi aqua optimè temperarẽtur, & miſcerentur. Aqua enim cùm debile nobis uinũ nõ eſt, ipſum diluimus, ut amiſſa illa auſteritate, & ui præpotenti, melius inſeruiat rationibus noſtris, quemadmodũ vij. curandi methodi ſuprà à nobis citato Galenus tradit. Quibus ſic à nobis coram ægrotante explicatis, quamprimũ illa, ut uinũ nouũ ſibi liceret bibere, petijt: quo audito, medicorum unus qui iſtuc conuenerant, ætate grauior, nulla mora facta, magis uinũ nouũ approbauit quàm uetus, illique dandum eſſe iuſſit, ꝙ imbecillius eo eſſet, quódque uina, donec recentia ſint, nullatenus, ſecundũ Galenum in lib. de cibis boni & mali ſucci, annoſa uerò præter modum calefaciant. Ego uerò, ut par eſt, ne uerbũ quidẽ ullum cõtra ſenis iſtius reſponſum facere, quod illius animũ offendere poſſet, optimũ eſſe duxi: ſed poſt noſtrũ inde diſceſſum, nõ amplius medici huius dicta, utpote quæ à Galeni methodis & ueritate aberrent, ferre omnino decreui. Nam cũ primò mitioribus quidem uerbis & moderatis eum compellaſſem, ut iracundiæ ſuæ impetus reprimerem & ſedarem, poſtremò uina noua quæ ille impenſè laudauerat, ipſe ſupra modũ uituperare cœpi, tanquam à Galeno in pleriſque locis damnata, præſertim vij. curandi methodi, & in libro de cibis boni & mali ſucci, ueluti quæ ægrè concoquantur, & craſſum ſuccũ generent, quæque inflationes pariant, & excrementoſa ſint, neque per uenas tranſeant, & pituitę generandæ idonea. Etſi uerò nullo modo calefaciant, non propterea tamen ut danda ſint, conuincitur, ſed, ſi rectè conſideremus, contrariũ potius. Neque etiã locus ille Galeni viij. de comp. medic. ſecundũ locos, contra nos quicquã facere uidetur: quoniam ibi ille de muſto, ſiue protropo, non autẽ uino recenti, mentionem facit: quódque medicamẽti loco, & aliis mixtũ medicamentis ſumitur. Quæ cùm non aſperè, nec arroganter (ut dixi) locutus fuiſſem, ſed leniter, & ſumma cũ manſuetudine, ne animus meus pariter atque audictis ex eo perturbaretur, tum ille nihilominus partim ira, partim faſtu excandeſcens, ac fremẽs, Et tu ex illis, inquit, mihi eſſe uideris, qui Galenũ tantopere extollunt, & profitentur, ut in re medica nolint quicquã poſſe iure dici, niſi illud in Galeni cõmẽtario ſcriptũ inueniatur, & traditũ: & ignoras tamen à ueſtro Galeno uinũ medium, inter antiquum & nouũ maximè laudari, cuiuſmodi noſtrũ hoc trimeſtre, aut quod ab illo temporis ſpacio nõ multùm abſit. Hæc ut ab eo intellexi, ut illi pro uiribus ſatisfacerem, in hunc modũ reſpõdi, (ſuis nanque uerbis inflatis & contumelioſis inclementius ille urgebat, atque acerbè nos increpabat) Galenum quippe, quantũ in nobis eſt, imitari & profiteri non negamus, imò manifeſtè id confirmamus: ſed ita tamen, ut aliorũ etiã monumenta, quorũcunque illa fuerint, nobis legantur: dicere enim ſolebat Plinius, nullũ tam malũ librũ eſſe, ut nõ aliqua ex parte prodeſſe poſsit. Sed tamen quia Hippocrates, ut ait Galen. in vj. de ſimp. med. prope libri initiũ nos admonuit, ut uerè conſtat, uitam hominis breuem eſſe, artẽ uerò longam: ut tẽpus in ea quæ inutilia ſunt, minimè conſumeremus, edocuit. Et quia etiam, ut ait Auerroẽs in v. Collect. cap. xxxj. Galenus fuit maximus, & fidus medicamentorum explorator, neque ullus ei comparari potuit, niſi is, qui cùm clamat, non intelligit quid clamet: neque quicquã, quod hactenus mihi innotuerit, in tradendis rei medicæ methodis ab eo peccatũ inuenitur: idcirco quoad poſſumus, eum ſequimur, atque approbamus, & ſi quid ab aliis recens & probè inuentũ eſt, illud ſanè recipimus, atque amplexamur. Quapropter medico cõducibilius multò eſſe exiſtimo, in ſingulis Galeni libris euoluendis, & accuratè conſiderandis, uitã omnẽ terere, quàm ipſis neglectis, reliquis omnibus cùm Græcis, tum Latinis, atque Arabibus operam dare: quippe ꝙ rarò medicũ inuenias, modò ille ſit optimi ingenij, & naturæ, qui ſi aſsidua Galeni lectione delectetur, doctrina & moribus cæteris nõ facilè præſtet medicis: ſiquidẽ Auicennas ſecunda Fen primi libri, cap. de cauſis frigiditatis, Galenũ medicorũ principẽ appellat, & in alio loco ſe illius interpretẽ eſſe fatetur. Sententia uerò illa, quã ſuprà ad cauſam tuam meliorẽ faciẽdam citaſti, quãuis quõnã in loco ſit in Galeni commentariis te neſcire apertè confeſſus fueris, ſed ab aliis intellexiſſe, ut illud quoque te admoneam, ea eſt in vij. τῆς θεραπευτικῆς μεθόδου, ubi Galenus ſex annorum uina laudat, tanquam media inter noua & uetera. Nam quòd Serapio illam citet, non me latet. Verùm quid Serapio, quid Auicennas tertia Fen primi libri, cap. viij. per uinum nouum, atque antiquum, mediúmque intellexerint, cùm illud monſtrauero, ſatis opinionem tuam me cõfutaſſe arbitrabor, ut qui ſententiã illam ex Galeni libris ſumpſerint: quæ quidem, ſi rectè conſideres, tuam potius deſtruit opinionem, & noſtram aſtruit: etſi poſtea non expreſſerint illi, quid per nouum, & uetus intelligendum nobis ſit, tanquam à Galeno indicatum. Siquidem ait Auicennas loco paulò antè à nobis citato: Vinum nouum hepar impedit, & ad hepaticam dyſenteriam perducit, propter inflammationem &c. Audias igitur licebit primò ipſum Galenum græcè loquentem, deinde latinè, quò maior uis in eius uerbis ſit, neque amplius reluctari queas: ſic enim ait in quarto de comp. med. ſecundum genus: ὁ μὲν γὰρ νέος οὐκ εἰσδύεται τῷ βάθει τοῦ σώματος. ὁ δὲ παλαιὸς, δριμὺς, καὶ δακνώδης ἐστίν. ἄμεινον οὖν ὁ μέσος κατὰ τὴν ἡλικίαν. εἴη δὲ ἂν οὗτος τὸ πίπαν ἐν τῷ μεταξὺ, ποτὲ πενταετὸς καὶ δεκαετος, hoc eſt: Nouum quidem non ingreditur profundum corporis, antiquum uerò auſterum & mordax eſt: præſtantius igitur quod ætate medium: eſt autem omnino medium

*Primo de natura humana.*

*Idem dicit in 8. de comp. medic. ſecun. loc.*

*Hic, puto, Auerroës Auic. taxat.*

*Et 8. de cõp. medic. ſecun. loc.*

medium, quod intra quinquennale & decennale eſt. Quibus uerbis cõfirmatur locus ille ſeptimi libri curandi methodi ſuprà à nobis citatus: id quod etiam Cornelius Celſus lib.ij.cap.xvij.his uerbis intellexiſſe uidetur: At acetum, & id uinũ quod paucorũ annorũ, uel auſterum, uel lene eſt, in media materia eſt, ideóque infirmis nunquã uinum alterius generis dari debet. Et ſi non eadem ratio eſt de uinis nigris, albíſque & craſsis: citius enim hæc quàm illa inueterãtur. Vidésne an Galenus uinum nouũ, uinúmq; optimum, illud, quod uos, intelligat, triũ ſcilicet menſiũ ætatis, aut quod proximè accedat, an quod ſex potius annorũ fuerit? Propterea quãmaximè cuperẽ, ut in Galeni dogmata magis aſsiduè, & maiori cum diligentia incũberemus: ita enim longè melius ægrotis ipſis omnibus in primis, nobiſq; ipſis deinde conſultum eſſet. Præterea cùm quiſpiã aliquem ex noſtris aliqua de re interrogat, nunquid ea bona ſit nécne, prius ſanè oportet diligenter corporum temperamẽta & proprietates inueſtigare & cognoſcere, quibus admoueri debet id, de quo habetur quæſtio: deinde ipſius quod admouetur, naturam: & ita enodatè & opportunè reſpondendo, rationabiliter & optimè interroganti ſatisfactum erit, quemadmodum de melle, pane fermentato, & lacte acido, primo & tertio de alimen.facult.ſcripſit Galenus. Nam quãuis in quibuſdam perpetuò uerũ ſit dicere, hoc (uerbi gratia) praui ſucci eſſe, aut difficilis concoctionis, aut ſtomacho expedire: in pluribus tamen fieri nõ poteſt, ut unico edicto citra ullam definitionem ueritas ſeruetur. Idem affirmat Gal. in lib.de boni & mali ſucci cibis, & in primo & ſecũdo de cõpoſi.med.ſecũdũ genus. Neq; (ut mea fert opinio) illorũ probatur reſpõſum, qui dicunt Galenũ de ſuæ patriæ uinis, & conſuetudine intellexiſſe: quoniã cùm illa ſcribebat, Romæ habitaret. Quare cùm de fructibus, animalibus, moribus, menſuris & põderibus loquitur, etſi id diſtinctè nõ facit, de Romanis tamẽ quin ille intellexerit dubitandũ nõ eſt, ut ipſe etiã Gal. ait in primo de cõp.med.ſecundũ genus, aduerſus Andromachum: necnon vj.de cõp.medi.ſecundũ locos de eodẽ Andromacho ſcribẽs, qui Romæ medicatus, omnino urbis huius menſuris uſus fuit. Et propterea illi taceãt qui dicũt, ꝙ ſi Galenus noſtratium mâlorum punicorũ notitiã habuiſſet, nõ illa ut adſtringentia, & humores intrò pellẽtia in febribus prohibuiſſet, cùm de tribus illorũ generibus in viij.de ſimpl.med. & vj.de cõpo.med. ſecundũ locos, & alibi mẽtionẽ faciat, quæ eadẽ ſunt cũ noſtris: cúmq; facilè credi poſsit ætate illa omniũ florentiſsima multò plura & præſtãtiora magis illis innotuiſſe medicis, quàm nobis, qui in hæc infeliciſsima deuenimus tẽpora, in quibus omnia labuntur ac ruunt. Cui enim dubium eſſe poteſt, quin ea tẽpeſtate Imperatores illi maximi, dũ uarias & longinquas, eáſq; opulentiſsimas ac felices ſub imperiũ populi Roma. Senatúſq; redigerent prouincias, omnia ea Romã, quò ex omnibus gẽtibus, ut ait Galen. in lib.de antidotis, ſingulis annis permulta adueniunt bona, importari curauerint, quę & noua, & admirãda eſſent? Studium profectò illis erat maximũ, quemadmodũ ſi quis antiquorum ſcripta legat, patêre arbitror, nõ ſolùm ut Romã uaria inueherẽtur ſtirpium genera, ſed piſciũ, & animalium omnium etiã, quibus antea caruerant: deniq; omniũ ferè rerum, quas mũdus in admiratione & precio habet, Roma emporium erat (ut ita loquar) refertiſsimum & memorabile, & ut ſcribit Gal. Polemonis oratoris teſtimonio, breuiarium, & orbis terrarum cõpendium. Idem præterea nunc mundus eſt, qui & olim fuit, ut ait Galenus in libello qui inſcribitur, Quòd idem ſit optimus medicus & philoſophus. Quòd ſi dixeris, aliquid alibi melius, & alibi deterius inueniri, ut de panico tradit Galenus in ſecundo de alimen.facult. libro, id quoque (ut patet) noſtræ non aduerſatur opinioni. Hoc inſuper alio aduerſarius noſter ſe defendi poſſe ſperabat argumento, quòd uinum recens apud nos rarò inueniri poſsit, quòd ætatem unius anni excedat, nedum ſex, aut plurium etiam: non enim hæc obiectio difficultatem tollit, quia aliud eſt loqui de bonitate uini abſolutè, & tempore, aliud quòd huiuſmodi uinum apud nos, aut apud alias non reperiatur nationes: id quod tamen etiam falſum eſſe conſtat, cùm multa apud nos annoſa reperiantur uina. Sed quoniã nullius amplius illi medico reſtabat fugæ locus, nec quo ſe defenderet ullũ aliud erat remedium, ad experimenta ſua tandem ſeſe receperat & confugerat, ita proculdubio exiſtimans hoc clypei genere omnia aduerſariorum ſpicula euitare poſſe: quemadmodum & de minoratiuis, quæ uocant, pharmacis in principio morbi nõ turgentis datis pleroſq; reſpondere audio, hoc modo putantes argumentis omnibus, & Galeni methodis optimè ſatisfactũ iri: neſciẽtes ægrotos, quos iactant, quique iam conualuerunt ab huiuſmodi datis remediis, fortuitu potius conualuiſſe, quàm ipſorum ope medicamentorum ſoluentiũ. Tolerant ſiquidem ægrotorum nonnulli, ueluti agricolarũ, uenatorũ, nautarum, & iuuenilis naturæ multos, eóſq; enormes medicorũ errores, & longius morbos protrahunt, & ualidiora medicamẽta, quæ nõ ferũnt imbecilli, ut pueri, eunuchi, mulieres, & qui naturaliter tẽperamẽto humido ſunt, ut tradit Galenus in cõmentariis de morbis uulg. & de cauſis ſymptomatũ & morborũ. Vt autem controuerſiæ noſtræ tandẽ finem imponeremus, libuit nobis te arbitrũ, & iudicẽ ad hanc litem noſtrã dirimẽdam eligere, apud quem ſanctiorem eſſe ueritatem, gratia & amicitia ſperamus, nec in alterã partem, ſed in ueritatem propenſiorem. Quòd autem de te ipſe tantum ſperare auſus fuerim, in primis fuit mirum in me diſcendi ſtudium & deſiderium, necnon nominis tui ſplendor: quibus de cauſis minimè admiraberis ſi in hac diſputatione noſtra, quaſi alterum Palæmonẽ eſſe uoluerim: amo enim te plurimùm Leonharte, propter ingenij tui acumen rarum, & quandam animi tui ſyncerita tem, quam dum tua ſcripta perlego, animo mihi concepiſſe uideor, tuámq; reconditam doctrinã: idcirco & me & rebus meis, cùm libuerit utaris uelim: ita enim me abs te uiciſsim amari ſentiã, & cognoſcam. Salutat te Marius Nizolius noſter, utraq; ſanè lingua uir apprimè doctus, & medicus. Idẽ faciunt & collegæ omnes noſtri medici. Vale, & ſi quid in re literaria noui habes, ut nos certiores facias rogo. Iterũ uale, & nos ama. Ex Italiæ Brixia, ſexto Calend. Decemb. M. D. XL.

*Gal. in lib. de antidot.*

*Idem confirmat 6. de cõpo.med.ſecũdũ loca, capi. de gargareone, necnon circa eiuſdem libri finem.*

*Libro de articulis.1.*

*Tertio de compo.med. ſecund.loc.*

*2. de natura humana, & 2. de cõpoſt. med. ſecundum genus.*

ALOISIVS MVNDELLA MEDICVS,
*Vincentio Metello. De Sena.* *Epiſt.* XV.

AN Ruellius in primo de natura ſtirpiũ libro, cap. lxx. quẽ nuperrimè curſim legimus, iure miretur Dioſcoridem, Galenũ, Paulũ Aeginetã, Pliniúmq; nuſquã de Sena mentionem feciſſe, cùm iuxta illius opinionem Theophraſtus, illis quidem ætate anterior, in libro de hiſtoria ſtirpiũ iij. cap. xvij. ipſius Senæ effigiẽ & delineationẽ, permutatis tãtum nomenclaturæ characteribus, ſub Coluteæ nomine graphicè depinxerit: & an ea ſit, quã nunc in Gallia omnibus familiarem & notã Ruellius gigni dicit, nunc breuibus à me, pro uiribus diſcutiendũ eſt. Duo potiſsimum ſunt, quæ me ab illius opinione remouent. Primũ, quòd Theophraſtus Coluteam arborem eſſe dicit, eámq; magnam: quódq; nullam illi uim, ut quandoq; conſueuit, adſcribat, quæ aluum ſoluat, & atrum humorem educat: quod Senæ proprium & peculiare eſſe, Arabum autores affirmãt. Galenus uerò de ea nihil in poſteritatis uſum memoriæ mandauit, tanquam ſibi intentata, aut incognita: de iis enim ſolùm tradere profitetur, de quibus perfectã habuit notitiã & experientiã: in deſcribendis nanq; ſtirpium ſpeciebus Dioſcoridi palmam tribuit: eóq; non pauca, quorum ille meminit, data opera præterit. Quare minimè fatendum eſſe exiſtimo, autores illos egregios, & primæ claſsis in medicina uiros, quos ſuprà Ruellius citat, Theophraſtũ nõ lectitaſſe, Coluteámq; nõ animaduertiſſe, aut quæ ab illo de ea narrãtur, memoria nõ tenuiſſe, ſed potius, Ruellij pace, Coluteæ uires illis incognitas fuiſſe, quàm Coluteã arborẽ à Theophraſto deſcriptã, etiã ſi Colutea idẽ cũ Sena eſſet, quod tamen falſiſsimũ eſſe cõſtat, ut benè norunt hi, quibus Senæ ortus & ſpecies adũde cognita eſt, quæ herba magis appellanda eſt, quã arbor, aut frutex. Vel igitur antedicti autores nullo modo Senã cognouerunt, ut Ruellius affirmare uidetur: uel ſi cognouerunt, quatenus ad ipſius uires, non quatenus ad figuram pertinet, illos eã cognouiſſe dicendũ erit: quod ab Auerroẽ quoq; cõfirmatur in v. Collect. Cui opinioni & Antonius Braſauola, uir quidẽ de ſimpliciũ facultate bene meritus, in ſuo examine ſubſcribere uidetur. Idẽ præterea Ruellius miratur ſiliquarũ Coluteæ cibo oues ſaginari, & lætiores reddi: homines uerò exinaniri, & tabeſcere. Atqui cùm ipſe illius uerba conſidero, multò magis eius admirationem demiror; quid enim obſtet, quo minus in hac

planta

planta quoque reperiri poſsit, non uideo, quod in aliis pleriſque cibis & medicamentis quandoque euenire conſueuit, ob multiplex ac diuerſum ſingulorum, qui ea ſumunt, ingenium & naturam: non autem ob cibi, ſeu medicamenti alicuius dati permutationem ullam. Cui enim dubium eſt, uarios oriri non poſſe effectus ex una eadémq; re uariis animantibus data? Ex hordeo enim uidimus nos quandoq; equos calefieri: homines uerò eo ſemper refrigerari manifeſtiſsimum eſt. quibus ea adſtipulãtur, quæ de ferulæ, & nerij, & aliorũ natura ab autoribus, & præcipuè à Galeno in tertio de ſimpl. medic. cap. xvij. de cicuta traduntur, ab Athenienſi uetula frequenter, ut celebris fama eſt, in cibis uſurpata: hæc enim ſturnos ob meatuum ſui corporis anguſtiã nutrit, homines uerò affatim hauſta ui mala necat. Eadem pariter ratione, ſi ueratrum hominem purget, continuò coturnicem non purgabit: quod aliis quoq; longè clarioribus patêre poteſt exemplis. Hanc uerò noſtram de Sena & Colutea opinionẽ à Fracaſtorio medico confirmatam ad te mittimus, ut ueritas magis innoteſcat, & ut mutuis literis noſtræ à nobis tollantur dubitationes: ſcis enim (ut cęteras illius ingenij dotes pręteream) quantum præſtet uir ille in medicamentorum ſimplicium ueritate perueſtiganda. Vale. Decimo calen. Maij. M. D. XXXVII.

ALOISIVS MVNDELLA MEDICVS, *Hieronymo Fracaſtorio, eiuſdem artis profeſſori. De febris peſtilentis curatione.* Epiſtola XVI.

VAriæ medendi rationes & remedia, quæ in peſtilentis morbi curatione præter antiquorum inſtituta haberi & præſtari ſolent, ut aliqua de his in medium afferam, & iudicium meum aperiam, me compellunt. Atq; iuxta diuini Hippocratis cõmunem loquendi modum, nulla præfatione pręmiſſa, in primis dico, peſtilentem febrem eam Galenum propriè appellare ſolitum in primo & tertio de morbis uulgaribus, & alibi, quæ peſtilentiæ tempore in uniuerſum populum graſſatur, ac nemini ferè parcit, cuiuſcunq; illi ſint ætatis, ſexus & conditionis, multóſque interficit: licet etiam ſciam quaſdam ſine peſte febres nonnunquam accidiſſe his conſimiles, uocaríq; ab omnibus inſignioribus medicis peſtilentes. Hæc autem (duplices enim ſunt genere, cauſæ morborum effectrices) plurimum fieri conſueuit ex quauis aëris qualitate immodicè aucta, ſiue ſimplici, ſiue compoſita, & ipſius ſubſtantia ex uaporibus, qui ex latebris terręmotu patefactis aſcendũt, putrefacta, uel ex prauis cadauerum, uel ſtagnantium aquarum, uel lacuum exhalationibus, ut eſt Auernus Campaniæ, quamuis (ut audio) omnis nunc illius euanuerit humor, omniáq; ibi ſolo æquata ſint; aliæ enim cauſæ externæ non ita ad homines lædendos aptę ſunt ſicuti aër, quem ſemper ut hauriamus neceſſe eſt, ſiue is purus, ſiue infectus ſit, quemadmodum uidere eſt in capite artis medicinalis Galeni lxxxv. Poteſt tamen huiuſmodi febris genus ex noxij cibi uſu etiam fieri, aquæ uitiatæ ac putridæ potu, & inedia, cùm præſertim ingentem penuriam ſuccedente copia, ſatietas conſequitur: ut alias interim illius cauſas, & Dei iram omittam, aſtrorum etiam aſpectus, qui ab Auicenna & nonnullis aliis autoribus inter morbi huius cauſas connumerantur. Vt autem breuitati conſulam, hæ ſunt, quæ à Galeno narrantur, febris peſtilentis cauſæ, in primo & ſecundo ἐπιδημιῶν libro, & in primo de differentiis febriũ, capite tertio & quarto, & in libro de boni & mali ſucci cibis, quas idem in opere de cauſis morborum προκατάρχοντά τε καὶ προκαταρκτικὰ, hoc eſt, incipientia appellat, gregales uerò medici cauſas primitiuas. Internę autem, quas προηγούμενα Græci nominant, nos præcedentia, ſiue antecedentia, uarij eſſe poſſunt, qui in uenis continentur, humores corrupti, tam ſimplices, quàm miſti, quẽadmodum iis qui in re medica continuè ſeſe exercent, ſatis notum eſſe exiſtimo: quamuis ſecundum Galenũ raro inueniatur ſimplex morbus. Harum febrium notæ ſunt, quòd non uehementer affligunt: & reliquæ, quæ ab Auicenna & aliis autoribus in propriis explicantur locis, præſertim Galeno in tertio de pulſuum præſagiis. Quibus in hunc modum preſſe & anguſtè definitis, reliquum eſt, ut ex antiquorum monumentis, quod antea polliciti ſumus, curationem morbi huius, quantum in nobis eſt, eruamus. Sic itaq; paucis eam expediam. Nam ſi aëris qualitas, quæcunq; illa ſit, mediocritatem nimis excedat, adeò ut contagionem hanc peſsimam gignat, contrariis quidem utemur qualitatibus, obſeruata prius ætate, anni tempore, conſuetudine, corporis temperamento, & huiuſmodi reliquis: communis enim una eſt omnium morborum curationis indicatio, nempe contrarietas ipſa, ut ait Galenus in xj. curandi methodi. Cùm igitur morbus is ab immoderata aëris qualitate generari poſsit, & aliis quas ſuprà ſcripſimus cauſis, nulli dubium eſſe puto, quin remediorum uſus, quæ contraria qualitate præſtãt, & putredini obſiſtunt, & uictus pariter ratio contraria, in omnib. nobis ſeruanda ſit, ut Galeni, Pauli, Aëtij commentaria legenti conſtitiſſe arbitror. Quapropter ſcripſit Galen. in illo Cranonis atrociſsimo peſtilentiæ genere, quæ ſimilis illi fuit, cuius Thucydides meminit, ſiccãtibus utendum eſſe medicamentis, ut eſt terra Armena, & huiuſmodi, quæ aëris putredini, necnon qualitati illius quæ immodicè calida & humida erat, pręcipuè obſiſterent: nam calidum & humidum, niſi perfletur, putrefactioni obnoxium eſt: eo enim tempore (ut ait Hippocrates) auſtri ſpirarunt, pluuiæq; fuerunt copioſæ, quæ potiſsimæ erant peſtilentiæ illius cauſæ, & omnino uenti ſilebant. Quomodo autem fieri poſsit ut aëris ſtatus auſtrinus ſit, ac uentis uacet, latius à Galeno traditum eſt in tertio Epidimiῶn libro. Commune præterea præceptum eſt, cùm in corporum conſeruatione, quam προφυλακτικὴν uocant, tum in curatione, ut ea quammaximè redundantiis careant, ac liberè ſpirent ac reſpirent, & præpotẽti cauſæ, quoad poſſumus, aduerſemur: quod ab Hippocrate Athenis obſeruatum eſſe legimus, & Acrone illo Agrigentino, quos τῇ πυρᾷ, hoc eſt, ingenti lignorum congerie accenſa, aërem in calidum & ſiccum, quòd frigidus nimis atque humidus eſſet, permutaſſe ferunt. Fieri uerò non poſſe ut aliquis febricitet, ſi corpus bene perfletur, & boni habitus ſit, & quieſcat, uentriculúmque & hepar calfaciat, ſcriptum eſt in primo de differentiis febrium cap. tertio. Quare conſiderent medici illi, mihíque reſpondeant uelim, cur non ſolùm, ut dixi, ſiccantia & frigefacientia medicamenta in quacunque febre peſtilenti pręter modum, ac crebrò dent, uerumetiam adſtringentia, ut eſt mâli Medici, & Punici, uuæque immaturæ ſuccus, quod Græci ὀμφάκιον uocant, & quæ his uiribus pręſtant, cum id potius ſit corpora obſtruere, quàm ut optimè ſpirent ac fluant præparare, iuxta Galeni & aliorum, quos ſuprà memorauimus, inſtitutum. Non ſolùm uerò ea remedia in his febribus dãt, ſed, quod grauius etiam multò eſt, in aliis putridis & continuis, quarum quidem τύπος, id eſt, forma (ut patet) ſatis ab his diuerſa eſt. Hippocrates enim & Galenus, urgentibus carbũculis illis ea quidem tempeſtate, quæ maximè calida & humida erat, terrà Armena, & iis quæ aërem ad contrarium mutarent, uſi ſunt, non autem alia (quod ſciam) qualitate ipſo aëre affecto, at ſemper contrariis curarunt qualitatibus. Quare ſic ſcripſit Galenus in primo de differentiis febrium, cap. 4. Erat autem earum ſumma, ut oſtendit Hippocrates, ipſa putrefactio; quod cum præcognouiſſemus, incipiente conſtitutione, quæcunque corporum humida uidebamus, ſtatim omni uia ſiccare conabamur: quæcunque uerò ſicciora, in his primam naturam conſeruabamus &c. Si uerò proprietate totius ſubſtantiæ aëris putrefactæ corpora corripiantur, & illius uitio, non qualitatibus primis, iuxta Hippoc. & Galen. in ſecundo de natura humana, duplex erit curationis ſcopus: primus, loci mutatio: ſecundus, raræ & exiguæ reſpirationis uſus: quod quidem aſſequemur, ſi corpus à nimiis & noxiis uacuum reddemus humoribus, & bene perſpirabile: quo auxilij genere ac methodo ea etiam peſtilentis febris ſpecies ſanabitur, quæ ob prauam uiuendi rationem orta fuerit, humores concoquendo, & corporis πόρους, hoc eſt, meatus præparando, ut poſtea illi facilius educi poſsint, ac digeri: quos tamen priuſquam concocti fuerint, ac corpus fluidum redditum, pharmaco ſoluente detrahi haudquaquam conſulimus, ſed ſanguinis miſsione, ubi illa opus ſit, ac uires tolerent, quemadmodum ſcripſit Galenus in principio libri de cibis boni & mali ſucci: quoniam uires quandoque prius reſoluuntur. At ſi τὴν κακοχυμίαν, hoc eſt, humorum uitium in corpore ineſſe certus fueris, quæ tamen adhuc febrem non faciat, conſeruationis gratia non ita abſurdum eſſe exiſtimamus, quemadmodum iam incipiente morbo (niſi materia turgeat)

*Lib. de Pulſuum præſag. 3.*

*Vndecimo cur. meth.*

*Lib. de theriaca ad Piſonem.*

*Lib. de optima corp. human. cõſtit.*

non expectata cōcoctione, ualēti aliquo medicamēto aluum ſoluere, cū præſertim ſeroſi, ac tenues fuerint humores, quoniā ad eductionem inter cæteros expeditiſſimi ſint, & uires melius ferāt, neq; febris calor obſtet, præter alia quæ per ſe ſatis manifeſta ſunt. Si uerò craſſi, ac uiſcoſi illi fuerint, cuiuſmodi ſunt natura pituita, & atra bilis, tales coctionem quidē quæ à naturali calore, & præparationē quæ ab arte fit, prius quàm deiiciantur, expectāt, ut eſt in lib. de ĳs quos purgare oportet, necnon ſecūdo de fract. Cū uerò uehemētes nō ſint huiuſmodi febres, & à medico, ut ait Auenzoar, uix percipiantur, & quieſcāt, nō uideo quomodo ualente pharmaco ſtatim inchoantibus illis, humores inanire expediat. Non ſolū autē morborū iam factorū curatio, ſed ne illi fiant prouiſio per cōtrarias tētabitur qualitates, præterquàm ſi ſiccus fuerit aëris ſtatus: non enim hūc humidis curabimus, ut qui putredini maximè aduerſetur, ut eſt in tertio de morbis uulgaribus, & tertia aphoriſmorū ſectione: ſicca enim tēpora magis, quàm humida ſunt ſalubria, & minus mortifera. Qui uerò iuxta Auicennæ ſentētiā ſoluentibus pharmacis, cū hæ febres incipiūt, maximè utūtur, quòd ea exiccēt, quódq; Gal. in primo de differentĳs febriū ſuprà citato dixerit, Corpora quæ redundātĳs abundāt, purgationibus curamus, &c. illos non rectè agere exiſtimo, nec propriū & germanum Gal. ſenſum percepiſſe: quia aphoriſmus ille primæ ſectionis Hippoc. celeberrimus, qui ſic incipit: Concocta medicari, atq; mouere non cruda, nec in principĳs, modò non turgeant &c. in uniuerſum de omnibus non ſolū febribus cōtinuis intelligēdus ſit, ſed etiā morbis quibuſcunq; aliĳs in quibus concoctio expectatur, etiam ſi humores ueneni naturā repræſentarent, ut eſt in illius expoſitione: & quia etiā nō ſemper in hac febre ſiccare oportet, quod ſuprà ex Gale. uerbis manifeſtè apparuit. Neq; præterea illius dicta, ut illi exiſtimant, intelligēda ſunt, quæ in eū ſcribuntur modum: ὅσα ᾗ περιττωματικὰ καθάρσεσιν ἰξιώμεθα, hoc eſt, quæcunque corpora excremētis abundāt, purgationibus curamus, id eſt, medicamentis iis quæ aluū ſoluāt, ſed quę diluāt, & abſtergant. Quare Manardum etiā hallucinatū fuiſſe exiſtimo, cū Galeni uerba de peſtilētia in V. curandi methodi, in eum ſenſum accipit, ut ibi Gale. de ſoluentibus pharmacis intellexiſſe uelit: cúmq; ingentē illā ſiccantium & adſtringentiū medicamentorū ſyluā in peſtilēti morbo indiſtinctè det, ac contra iam antea ſcriptas Galeni methodos. Neq; quod illi Manardus attribuit, uerū eſt, quòd ſcilicet qui ex immani illa peſtilētia euaſerunt, ſoluēte pharmaco uſi eſſent, ut conſtat. Præterea etſi Gale. xiĳ. aphoriſmo ſecundæ ſectionis dicit, Plures iudicationes bene terminari: & plures ſe nouiſſe ex hoc ſanatos, quàm mortuos, niſi ſit peſtilens conſtitutio: nō ſequitur tamē, quòd, cū quiſpiā peſtilēti morbo afficitur, ipſius initio aluus illi ſoluenda ſit, neq; quòd, niſi eo purgetur modo, celerrima mors ei inferatur, ut Manardus uoluit in lib. xiĳ. epiſt. prima, ſed contrariū potius. Quòd ſi quis nobis obĳciat, Galenū in iiĳ. de ratione uictus acut. morborum καθαίρειν uerbo uſum fuiſſe pro ſoluere, cū de medicamento quod ſoluat loquitur: & in V. de ſimpl. medic. cap. xix. per uerbum illud duo intellexiſſe, detergere ſcilicet, & aluum ſoluere: id ſaltē uelint nolint cōcedant oportet, nō magis ſe, quàm nos animi ſui ſenſum aſſecutos in expoſitione codicis ſuperius à nobis citati. Vel dicas Galen. de præſeruante curatione locutum fuiſſe, de qua ibi primò, & peculiariter loquitur: etſi etiā aliquo modo de curatione propriè dicta ſermonem feciſſe uidetur: quē poſtea ſecutus eſt Auerroēs in vĳ. Collect. cap. xviĳ. prior tamen expoſitio magis placet. Et licet Galenus in iiĳ. de rat. uict. acut. per illam dictionē καθαίρειν intellexerit aluū ſoluere, non tamē dicendū eſt in omni loco illud intellexiſſe. Dicimus inſuper, tametſi id perquàm rarò accidat, non crebrò, ut pleriq; ex noſtris exiſtimant, cū aliqui in febricitantibus humores ueneni ſpeciē habeant, non omnino abſurdum eſſe certa ſiccātis medicamenti portione uti, qualis eſt terra Armena, aut potius, quæ cum hoc, quòd ſiccet, incidendi etiā humores, & diſcutiendi uim habeat, ut eſt acetum, & huiuſmodi, præcipuè cùm morbus inchoat, nō autē cū in corpore uenenum ſuum iam impreſſerit, ac penè de ſalute deſperatū eſt: quemadmodum de aëris corruptione, & humore nimio ſuprà oſtēdimus. Sed maxima cum moderatione & conſilio aliĳs, quæ non ſunt iſtius naturæ, ſiccantibus utendū eſſe cenſeo medicamentis, ne deterius aliquid cōtingat, & corporis pori obſtruantur, neq; materia illa putrefacta & uenenata extra corpus poſsit exire: raræ enim admodum ſunt febres, in quibus (ut dixi) hi dominentur humores, præter peſtilētium aliquas. Nam licet morbi quidā populares, ſiue communes interdū oriri uideantur, ut apud nos præterito anno dyſenteria, & anno XXXVII. ſupra mille & quingentos, Lunati, pleuritis, & nonnulli aliĳ ſine febre etiā, propriè tamē hi non dicuntur peſtilentes, ut eſt in tertio de morbis uulgaribus. Summa uerò & potiſsima huius morbi curatio (ut à principio repetam) cùm ſit, ut corpus redundātĳs uacet, atq; optimè ſpiret: altera autem, ut præpotenti eius cauſæ aduerſemur: frigida enim calefacere, & calida refrigerare opus eſt &c. malè hi mihi agere uidentur, qui aceti uſum, & inunctionum, & epithematū, quę ſiccāt & adſtringunt, & meatus obſtruunt, exteriori corporis parti applicāt: uulgarium enim mos eſt, cū nonnulla uideāt interdum à peritis medicis in quibuſdam morbis uſurpari, ut ea indifferenter omni tempore dari congruum eſſe exiſtiment, cū tamen id præter rationem ſit. Atenim nulla maior hodie medicis laus adſcribi ſolet, quàm ſi innumera illi in curandis ægrotis tētauerint remedia: quod tamen eſt ab Hippocratis & Galeni ſententia maximè alienum in iiĳ. de ratione uictus, quæ exhibetur in acutis morbis, & lĳ. aphoriſmo ſecūdæ ſectionis. Nō ignoramus ſanè, ſi febris ualde ardens ſit, frigidæ uſum cùm intus, tum foris prodeſſe, utpote quę magis urgeat cauſa: ſed prudenti medico eo quidem tēpore opus eſt, ut ait Paulus & Aëtius ex Rufi commētarĳs. Verùm quia hæc inter medicos inualuit conſuetudo, ut in omnibus his, & qui etiam aliter febricitant, medicamentis quæ ſiccant & adſtringūt utantur, neq; uideam quomodo nō maior ſequi debeat ex horum uſu noxa, quàm utilitas, quoniam ita obſepiantur corporis pori, & redundantiæ retineantur, quod eſt potiſsima huius morbi cauſa, tuum fuerit etiam ſuper hac re interim iudicium ferre, quoniā hæc maximi ſint in re medica momenti: quamuis non omnia corpora à cauſa in ipſa agente pati, diſpoſita ſunt. A Galeno autem pauca de hac febre tradita ſunt, nihilq; in hac, ſicut in aliĳs morbis ſingulis, definitum eſt: quia, ut ait Paulus, grauiſsima quęque in peſtilentia, & plurima fiant, ut eſt delirium, bilis uomitus, præcordia tenſa, ſudores, & labores copioſi, excrementorū frigus, profluuia alui bilioſa, tenuia & flatuoſa, urinæ tenues, dilutæ, bilioſæ, nigræ, ſubſidentia mala habentes, & ἐναιωρήματα qualia peſsimæ, ſanguinis narium deſtillatio, pectus ardēs, lingua arida & ſiticuloſa, triſtitia, ſeu faſtidium, quale nimiam ciborū ſatietatem ſequi ſolet, uigiliæ, conuulſiones uiolentæ, aliáq; multa praua. Et quia etiam cū de febribus putridis Galenus mentionem faceret, de hac quoq; partim ſe tradiſſe exiſtimauit: putrida enim febris (ut ait Auenzoar) ferè ſemper peſtilentiæ aſſociatur: quod poſtea à Conciliatore latius probatū eſt. Si uerò barbaris uocabulis nos quandoq; uſos fuiſſe animaduerteris, noſtrorum temporum calamitati id tribuas rogo, & corruptæ medicorum loquēdi conſuetudini. Quibus abſolutis, putaui etiam me tibi gratum facturum, ſi ea quæ de tuis opuſculis circunferri audio, te admonuero. Baſilius Sabbatius Neapolitanus, qui nūc in ſuburbano noſtro, quod ſcis, moratur, à me plurimum rogatus, ut quid de homocentricis tuis, & epicyclis ſentiret, mihi aperire uellet, epiſtolā ille ſanè eruditam ad me quamprimùm miſit, ubi ſummatim nonnulla cōtra opinionem tuam attigit, latius aliàs, ſi opus fuerit, ea explicaturus & reſponſurus: eſt enim, ut hactenus uidere potui, tum linguæ latinæ, tum mathematicæ, tum phyſicæ ſpeculationis cognitione maximus uir, multáq; (ut ſpero) de his ſingulis propediem in lucē editurus eſt. Epiſtolam quam raptim ille ad nos ſcripſit, ſi eam uidere cupis, ad te deferri curabo. Vale, & me ama. Decimo Cal. Auguſti. M. D. XLI.

*Lib. de natura humana, & 14. cur. meth. Secundæ ſectionis aph. 9. & 4. apho. 14. & alibi.*

*Differentia 94.*

## ALOISIVS MVNDELLA MEDICVS,

*Iulio Borellæ compatri. De exanthematū ſiue morbillorum curatione. Epiſt.* XVII.

ET ſi non ea ſolum, quæ per ſe difficillima ſunt, ſed etiam quæ magis grauem & doctum deſiderent ſcriptorem, à me petis, ad dandā tamen amoris

erga

erga te mei significationem, facere non possum, quin pro uiribus ingenioli mei tibi morem geram. Duo autem sunt, quæ, ut uideo, te mirum in modum solicitant, & in medendi ratione distrahunt. Primum illud est, an de morbillis uocatis, à grecis autoribus quicquam memoriæ proditum sit, & de illorum nomenclatura. Alterum uerò, an cùm illi apparere incipiunt, sectio uenæ fieri debeat. Ne igitur diutius te solicitum & suspensum teneam, scias uelim Galen. in v. curandi methodi ἐξανθήματα, hoc est, efflorescentia eos appellasse: Plinium uerò & Celsum papulas, & pustulas: quas quidem easdem esse cum Arabum morbillis existimo, uel parũ ab illis differre. Quamuis enim ἐξανθημάτων nomen peculiare morbi genus significet, ad alia tamen significãda etiam usurpatur. στίγματα quædam, id est, puncta, in tertio ἐπιδημιῶν appellauit Hippocrates tempestate illa apparentia: & alia quædam tubercula in cute extuberantia ἐκθύματα, quasi ebullientia diceres, uel, ut exponit Galenus, erumpentia: sed diuersa quidem ab exanthematis mihi esse uidentur: nisi quispiam nimia uocabuli usurpatione utens, morbillos stigmata appellauerit, de quibus, quia à Manardo, & aliis recentioribus fusius traditum est, hæc pauca solùm de eorum nominibus attigisse tibi satis esse arbitror, ad morbi certitudinem inuestigandam: quibuscunque enim nominibus uocentur, certum est non propterea curationem uariari, aut immutari debere, ut ait Galenus in secundo de comp. medic. secundum genus. De mittendi autem sanguinis ratione nostrum etiam breuiter & strictim cõprehensum accipe iudicium, quod tibi & cæteris doctis subiiciendum & castigandum uolumus. Antequam enim illi oriãtur, si necesse erit uenam incidere, & uires patiantur, ea secanda erit quæ est in curuatura brachij dextri, & hepar maximè exinanit: nisi euentus cuiuspiam ratione alia tundenda esset, ut si menses suppresi essent, uel huiusmodi aliquid. At si papulæ iam manifestè exire uideantur, præsertim in die iudiciaria, & perseuerent: neque ægrotus peius se habeat, quamuis in his febribus crises non ordinatim fiant, sicut in aliis, ut ait Auenzoar, haudquaquam sanguinem mitti concedimus: quia naturæ iudicium ita impediretur, humores aliorsum auertendo, cùm naturam ad ignobiliores corporis partes morbi materiam expellentem iuuare, medici officium sit, non repellere, neq; illi tanquam rectè non agenti obsistere. Etsi enim sanguinis missio ad cutẽ humores trahit, non ad omnes tamen illius pates trahit, ad quas natura in expellendis morbillis trudit, sed potius plerosq; illorũ à partibus quibusdã externis ad interna auertit, & naturæ motũ impedit, qui legitimè factus est: timetur enim in huiusmodi morbis uiriũ resolutio: quare non ea sanguinis copia mitti solet, quę conueniens illis esset, sed aliquã illius portionẽ à partibus cutaneis auersam in internis remanere rationi consentaneum est Quòd si omnis morbillorũ materia educeretur per sanguinẽ missum, neq; etiam uirium resolutio magna secuta esset, præter tamen naturæ institutum id fieret, cùm humores ex una parte in aliam, & diuersam ab ea, quã natura erat aggressa, trahãtur, etsi extra cutẽ omnes educantur, cúmq; periculũ non leue ex hac pugna sequi existimandũ sit. Quare hoc loco non possum non mirari Manardũ alioqui nobilem & peritũ medicum, lib. vij. epist. secunda, pustulas nõ esse repellendas dicere, sed omni ingenio prouocãdas. et postea lib. xiij. epist. prima, tam in earũ curatione, quàm præcautione uariis utendũ esse medicamentis cùm intus tum foris, asserere, quæ earũ materiam reprimant & adstringant: erãt enim morbilli, quos narrat, anni millesimi & quingentesimi supra uigesimumoctauũ, iuxta illius mẽtem de genere morborũ contagiosorum, & populariũ, & malignorum: quamuis quòd contagiosi essent, ipse adhuc nõ ausim affirmare: scimus enim aliquos esse morbos communes, qui tamen contagiosi nõ sunt, nec uerè pestilentes. Solent præterea sępenumero morbi quidam bene cedere per huiusmodi inanitiones cõtinuas, ut sunt sudores, alui profluuia, & his similia, quamuis non in die iudiciaria factæ sint: eductis enim à natura, qui morbum faciebant, humoribus, tandem plerosque liberari ægrotos, nemini dubium est, quòd multæ illæ & diutinæ excretiones uicem gerant eorum, qui in die cretica educuntur, humorum. Quòd si plenitudinem, siue omnium humorum abundantiam quæ Græcis πληθώρα est, excedere cognoueris, non à ratione profectò esse existimarem sanguinem mittere, qui quidem causam antecedentem solùm tollat, nõ naturæ actionẽ & motum impediat, dum humorem noxium extrà expellit: aut si grauius aliud immineret periculum, quod primum ad se medici rationem traheret, uerbi gratia, phrenitidis manifestę notæ, & huiusmodi, quo casu urgente, etiam sanguinem ex uena media mittere commodum esse existimamus, uel ex ea etiam, propter imminens nocumentum, quę proximè caput uacuat, non obliti tamen interim naturæ actionis, & materiæ morbillos facientis. Quapropter in uariolarum & morbillorum curatione, quæ parum inter se differunt, ita scripsit Auicenna: Et fortasse phlebotomia est mala, propterea quòd expellit & conuertit illud, quod procedit: quare caueatur post duos aut tres dies &c. Et paulò superius etiam hæc ab eo scripta sunt: Sed quando procedunt uariolæ seu morbilli, non oportet tũc ut adhibeatur phlebotomia, nisi inueniatur uehementia repletionis, & dominatio materiæ: tunc enim tanta sanguinis misio fiat, quanta satis sit ad exiccãdum materiæ illud superfluum præcedentis. Quia tamen papulæ seu morbilli ijs febribus accidunt, quæ uel malignæ, uel pestilentes sunt (neque enim in omni pestilentia bubones generantur) in quibus propter humorum malitiam uires maximè prosternuntur, ut ait Galenus in libro de boni & mali succi cibis, cum cautione magna uenæ sectionem faciendam esse existimo, & ratione humorũ (ut dixi) putridorum multitudinis, aut symptomatis cuiuspiam, aut præcedentis causæ, non illius quæ iam efficit pabulas materiæ. Neque optimo iure Galenum hi mihi arguere uidentur, cùm aiunt, illum exanthematum, id est, morbillorum curationem perfectè non tradidisse: nam id maleuolentiæ potius indicium uideri potest, quàm eorum iudicij, qui ueritatem inquirunt: cùm ea non ut ulcera, nec ut abscessus, nec ut impetigo, uel huiusmodi aliud, curari postulent, neque peculiare medici studium requirant, sed tantummodo, quod facilius exeant, ut illis opitulemur medicamentis ijs & potionibus quæ sudorem prouocent, ut est hordei decoctum: & iis etiã quæ mediocriter calfaciant, necnon frictionibus leuibus, & cucurbitulis, quas tamen non tam crebrò, ut nunc à plerisq; fieri solet, neq; tã magno numero affigi censemus, sed modò siccas, modò cũ scarificatione, & scalpello cute incisa; quia naturæ robur, ac spiritus discutiãt, & ita potius obsint, quàm prosint. Quare neque decoctũ illud lentiũ decorticatarũ, tragacanthi, & laccæ laudauerim, ab Auic. prima Fen quarti libri scriptũ, & à nostris postea tantopere probatũ, & usitatum, cùm humores noxios intus obsepiat, nõ foras expellat, & corporis poros obstruat, non relaxet, iuxta Hippoc. & Galeni sententiã, si probè singulorũ illius simpliciũ uires examinentur. Atque hæc nostra est, quã paucis tibi explicandã habui, de morbillis opinio. Quid uerò Patauij, quid Venetiis in his curandis medici agant & sentiant, nescio: at illorum consulta aliqua expectare optimum fuerit, qui si meliora attulerint, libentisimè ea recipiemus: sin minus, nostris insistemus fundamentis & rationibus. Cæterùm scito, in quacunque disciplina maximum id esse malum, quòd quædam in ea ita constituantur ἀξιώματα, ut nemini licitum sit de illis dubitare, nedum aliquid contrà dicere: quare si medicorum dogmata diligentius excutiantur, neque ita subitò, ut ab omnibus fieri uideo, recipiantur, plurimos qui nos nunc latent errores, in apertum prodire dubitandum non erit, neque in medicina solùm, sed in quacunque artium alia. Idcirco scripsit Galenus in 4. de fract. non audere istos aliquid innouare, atque immutare, quòd ea quæ ex consuetudine susceperunt, seruẽt: quod sanè magnum malum est, iisque contingit, qui experientia absque ratione artes exercent: quod quidem & ab eodemmet confirmatur comment. ij. lib. vj. de morbis uulg. Vale. Tertio Non. Septemb. M. D. X L I.

ALOISIVS MVNDELLA MEDIcus, *Marioto Martinengo Equiti splendidißimo. Epistola* XVIII.

QVamuis Horatiani carminis elogio celebratissimum sit, hominis integritatem & candorem nullius indigere auxiliis pro sui defensione;

attamen quia quandoque uel ſol puriſsimus adeò obſcurari,atq; penè obrui conſpicitur,ut è mundo excidiſſe uideatur,idcirco hæc pauca ad te ſcribere conſtitui,ut medicorum tuorũ doctrinæ & probitatis lumẽ non obſcuretur,ſed magis ut illuſtretur,& maleuolorum,qui ex euentu de conſilijs exiſtimant,liuor & imperitia omnibus in aperto ſit.Quæcunq; enim ab illis facta ſunt in curatione nobiliſsimæ tuæ & chariſsimæ nurus,ea non ſine ratione,meo quidem iudicio,facta fuiſſe intelliges,ſi hanc epiſtolam perlegere ocioſus nõ grauaberis:nec te longitudo deterrebit,aut quòd parum culta ſit,& tanquam ſcopæ diſſolutæ,ſi rem diligentius attenderis,quin certò ſcio lætaberis.Sed iam ad rem ueniamus. Laborabat illa, febre,ut mihi nunciatum fuit,cõtinua,ex bile & pituita in uentriculo & uenis, exiſtente, eáq; putrefacta & noxia,orta: cuius notæ erant,multæ,craſſæ, & flauæ in urinis ſedentes fæces,cæteráq; utriuſq; humoris ſatis euidentia indicia,geniti quidem partim ex ocio & ægrotantis natura,partim ex praui ſucci alimẽtis,quibus,dum uterum geſtaret,& ante id tempus etiam uti cõſueuerat:necnon ex remedijs quæ ab hyſtericis quibuſdam muliercułis,tuis inſcijs medicis,admota fuerunt,ut lactis ad ubera prouentum reprimerent ac coërcerent:plerunq; enim iſtiuſmodi uulgaribus & idiotis maior præſtari ſolet fides,quàm peritiſsimis etiam uiris:quo auxilij genere,cũ adſtringentium, tum frigidæ extrinſecus thoraci applicitæ uſu,ne ad ea lac omnino à natura ſecundum communem enixarum conſuetudinem tranſmitteretur,multæ poſtea obortæ ſunt in corpore obſtructiones, menſes ſuppreſsi,febris manifeſtè augeri uiſa eſt:& ea quidẽ multò uehementior,quàm quæ retentis & ſuppreſsis mẽſibus puerperis maiori ex parte,ut ait Auicennas,euenire conſueuit.Quare uerè ſcripſit Galenus xj. τῆς θεραπευτικῆς μεθόδου, diuites difficilius quàm pauperes curari,illis de cauſis quæ ibi ab eo explicantur.Ex hac uerò ſanguinis menſtrui ſuppreſsione quidem intempeſtiua,quæ & quanta emergere ſoleant incommoda & mala,abundè à Galeno in vj.de locis paſsis,& alibi expoſitũ eſt.Sed quæ à partu præcipuè contingunt,in tertio de morbis uulgaribus his uerbis manifeſtum fit:φαίνεται δὲ ἣν ἐπισχεθείσης τῆς κατὰ τὸν τόκον καθάρσεως γενέσθαι τῇ γυναικὶ καὶ ἡ νόσος. νοσώδης μὲν γὰρ καὶ ἡ τῶν καταμηνίων ἐπίσχεσις, ἀλλὰ οὐχ ὁμοίως βλαβερὰ τῇ μετὰ τὸν τόκον, ὅτι μὴ μόνον αὕτη πλῆθος, ἀλλὰ καὶ κακοχυμίαν ἱκανὴν ἐργάζεται. τὸ μὲν γὰρ χρηστότερον αἷμα τὸ ἔμβρυον ἕλκον εἰς ἑαυτὸ τροφῆς ἕνεκα, καταλειπὸν δὲ τὸ φαυλότερον, αἴτιον γίγνεται τῆς κακοχυμίας ταῖς κυούσαις, ἣν μετὰ τὸν τόκον ἡ φύσις ἐκκενοῖ, &c.hoc eſt: Videtur itaq; ſuppreſſa in partu purgatione in muliere morbus gigni:ſuppreſsio enim mẽſtruorum morboſa, ſed non ita noxia,ut illa quæ eſt poſt partum:quoniã non ſolùm ipſa multitudinem,ſed & inſignem generet humorum prauitatem:meliorem enim ſanguinem embryo trahens nutrimẽti ſui cauſa,& deteriorem relinquens,cauſa fit malorum humorum prægnantibus,

*Idem ſcribit ſecũdo Prorrhet.*

quos poſt partum natura educit.Menſtrua enim purgatio,ut idem ait in primo de morbis uulgaribus,commentario ſecũdo,& in libro de miſsione ſanguinis aduerſus Eraſiſtratum,cõgenitum eſt in mulieribus auxilium.Vt uerò lac & menſes ſuppreſsi fuerunt,hæc febricitanti acceſſerunt ſymptomata:primũ bilis uomitus porri ſucco ſimilis,in uentriculo quidem & in uenis genitæ,cùm ex ſuppreſsione illa,tum ex praui ſucci cibis,tum ex morbi natura peſsima,ut eſt in ſecundo prædictionum Galeni libro,& eiuſdem v.de locis paſsis,& alibi:quapropter tres per aluum etiam deiecti ſunt lumbrici,illius malitia interfecti, ſignificantes & hi morbi ſæuitiam,& malam humorum qualitatẽ:

*Secũdo præ dict.cap.3.*

etſi deterius fuiſſet per os illos eieciſſe,quàm per inferna,niſi aliquo alio caſu accideret.Verũ cùm natura ſemper quod bonum eſt & utile agat,niſi aliquid illi impedimento ſit,illam quæ prius in urinis continebatur ſedentem fæcem,non amplius,quòd morbo ſuperata eſſet,eijcere potuit:quare & febris inualuit retentis illis,quæ antea educebantur cum urina,redundantijs,& ex quadam etiam animi indignatione admodum moleſta:multa enim euenire ſolent mala,& mors interdũ, ex huiuſmodi animi accidentibus, quemadmodum à Galeno ſuſius explicatum eſt in xij. τῆς θεραπευτικῆς μεθόδου. His præterea acceſsit inflammationis ſpecies quædam,ex pituitæ primùm humore à capite ad dextram faucium partem deſcendente, eámque obſidente,& à febrili calore exiccato:quæ ut illorum ingenijs humectata fuit,& mollis reddita,multo ægrotantis conatu excreando educta eſt nucis ponticis magnitudine:unde illa faucium læſione poſtea leuata eſt.Cibos deinde maximè faſtidiebat ob prauos ſuccos, qui uentriculi os occuparant,& illius uirtutem agentem deſtruxerãt naturalẽ: huius enim partis munus eſt appetere,& facilè ſentire,ob multos qui ad illam deſcendunt à cerebro neruos. Poſtremò aluus manifeſtè inflari uiſa eſt,

*Tertio præ dict. capite 12. & 1. de ratione uic. acut.*

quòd noxij,& multi illò deſcendiſſent humores:natura enim morbo deuicta non amplius illos per conſueta loca,quemadmodũ antea conſueuerat, tranſmittere poterat,ſed impotens reddita per corpus liberè uagari permittere cogebatur:quæ tamen cùm nõ omnino oppreſſa & extincta eſſet,diarrhœam tentauit,ut ſi quo modo fieri poſſet,laborãti ſuccurreret:quare uenter à ſumpto cibo non amplius premebatur,& aluus extenuata eſt.Neq; penitus ſanè de ſalute illi deſperandum fuiſſet, niſi aliud grauius ſuperueniſſet ſymptoma ex alui profluuio ortum,quod noſtra quidem ſententia,illius interitus potiſsima cauſa fuit.Nam urgente tam ſæuo,& graui morbo,urgentibúsq; tot alijs ac tantis ſymptomatis,dubitandum non erat,quin uires labefactandæ,& ægra ipſa tandem peritura eſſet:redditur nanq; omnis noſtra curatio irrita,cùm uires deficiunt, ut Galenus in pleriſq; locis affirmat: ἐν λειεντερίᾳ γὰρ, hoc eſt,leuore inteſtinorum, quod eſt uulgatiſsimum & peſsimum ſtomachi uitium,& ipſius reſolutio,id eſt,cũ cibi tenax non eſt,corpus ali deſinere ſolet,ac ſic tabe conſumi. Hæc,quæ ad morbum & cauſas attinent,compendioſe expoſuimus:quæ uerò ad illius futurum iudicium ſpectarent,ea à tuis medicis(ut ſcis)tibi prædicta ſunt,quæ & prudentiam illorũ pariter & fidem & doctrinam oſtendãt.In curatione autem ita probè & egregiè ſe geſſerũt,(ut ſummatim eorum laudem perſtringam)ut certæ Galeni diſciplinæ, & ueritatis profeſſores.In primis itaq; recta uictus ratione inſtituta,quòd corpus noſtrum neceſſariò mutet, ut ait Galenus lxxxv.cap.artis medicinalis,maximum illis ſtudium fuit,ut prima illius morbi cauſa,in mouendis menſibus:idq; pluribus ingenijs,uenæ pedis ſectione,decoctis,auerſionibus uarijs,& id genus alijs,quæ & febri,& citandis mẽſibus pariter attenderent: ſperantes omnino,ſi ex huiuſmodi remedijs illi cieri poſſent,cũ febrem,tum reliqua etiam ſymptomata mitiora fieri,& uires refici,ægrámq; conualituram: ſolent enim plurimi morbi graues & periculoſi cõſueta menſium purgatione leuari, & tolli,ut antea diximus:quod ab Auicẽna quoq; confirmatur xiij.Fen tertij libri tractatu tertio:qui etſi uenæ poplitis ſectionẽ, illi quæ in pede eſt,præferre uideatur in hac curatione,rationabilius tamen mihi pedis uena ab his fuiſſe inciſa uidetur,quia magis illa,ut longinquius ſita,humores auertat,& quia etiam in ea tundenda pauci hodie periti inueniantur artifices. Cùm itaq; incipiente morbo ulla in re mandatis medici ſui parẽre nollet,ne in admouendis quidẽ cucurbitulis,quod eſt non bonum futuræ ſalutis indicium,ut ait Hippocrates,tandẽ eo ingraueſcente cum uomitus perſeuerantia,periculi metu,aliquo modo obſequioſa eſſe cœpit,mannæq; potionem ſumpſit,illius uidelicet,quam aẽriũ mel,aut roſcidum appellant,ut praui qui in uentriculo & in inteſtinis continebantur humores,tollerentur:nam debilis præſertim clyſter,iuxta Galeni mẽtem,ad eas non aſcendit partes.Eo autem medicamento ſumpto,ſatis magna,humorũ portio tum uomitu,tum deiectione educta fuit:non quidem quòd talis ſit huius medicamenti uis,ut ſumptum,uomitum excitet,ſed quoniam laborantis uentriculus morbi principio huic ſymptomati obnoxius eſſet.Quia uerò ex adhibitis remedijs morbus nihil leuari uidebatur,ſed potius ingraueſcebat:propterea,certo dierũ interuallo interiecto,puriſſimæ caſiæ fiſtularis,quem florem appellant, partem unam:alterã uerò compoſitionis,quæ ex myxis conſtat,abſq; ſcammonio dederunt:uacuatáq; ea humorũ portione,quæ huic medicamẽto cõueniens fuerat,tribus poſtea ſubſecutis diebus aluus nihil reddidit,niſi per iniectũ clyſterẽ.Lienteria uerò,quæ poſt diarrhœã ægrotantem peruaſit,omnẽ illis ſalutis ſpẽ abſtulit:ad quod ſymptoma tãquam magis urgens,quoniã eo uires maximè proſternerentur,primã curationis direxerunt rationẽ,ijs utentes remedijs,quæ cũ intus,tũ foris

adhibi

adhibita uentriculum corroborarent, non negligentes interim ea quæ aliis symptomatis conferre possent auxilia: quapropter uinũ admodũ dilutum modicè dari iusserunt, ne, si quod remedij genus esset quo morbus is leniri posset, à se prætermitti uideretur. Verùm quia afflictis & prostratis iam uiribus prędicta illam denuò inuaserunt timenda symptomata, tandem morbo oppressa decesit, etsi præsidiis & subsidiis opportunis & ualentibus semper obstitissent prudentissimi, amicissimiq; tui medici. Atqui ut omnes curentur fieri non potest, ut ait Hippoc. in primo prædictionũ: at satis nobis esse existimat, si morbi conditionem, & futurã uel mortem uel salutem prædixerimus. Hæc ad te scribenda habui, non quidẽ quin præfectus tuæ familiæ medicus, & alter etiã illius collega, hæc singula me melius tibi explicare possint, & de iis singulis rationẽ reddere, quæ ab illis facta sunt pro hac nobili curanda adolescentula, sed ut eorũ subscriberẽ sententiæ. Nam (ut audio) quidam nunc ita malè in medendo se gerũt, ut sibi ipsi maximo sint dedecori & infamiæ: student enim, melioribus semper obtrectando, dum eorũ facta nõ ex consilio, ut initio diximus, sed ex euentu iudicant, maximã sibi laudẽ & gloriam in uulgus cõparare: qua quidem re nihil homini medico turpius est, nihi magis à Christi lege alienum, & indignũ. Dictitant nanq; hi, ut plebi ignaræ & infimæ aliis præstantiores uideantur, & medicos tuos lædant, eos in hac curatione duabus de causis à recta medendi ratione aberrasse: prima, quòd poplitis, siue eam quæ in malleolis ęst, uenã secari iusserint: altera uero, quòd uinũ dilutũ febricitanti dederint: nullam quidem, quod intellexerim, nec rationẽ, nec testimoniũ in medium afferentes, nisi quòd cùm de uena incidẽda in febribus continuis à medico mentio fit, de ea intelligendum sit, quæ in cubito est: quæ opinio nõ omnino etiã uera est secundũ Galenũ, etiam si dictũ sine conditione sit: quoniam uena quæ ad cubiti flexũ peruenit, in tres diuiditur ramos, qui ad diuersas corporis partes tendunt, quemadmodũ ait Gal. in libello de sanguinis missione. Si uerò dictum illud cum cõditione intelligatur, manifestè falsum esse constat ex eiusdem Galeni uerbis. Nam si aliud acciderit, quod nos à tali proposito arceat, ut si mulier ex mensiũ suppresione febricitet, tunc nõ cubiti, sed cruris aut pedis uena scindẽda erit, quod à Gale. libro paulò antè à nobis citato ita confirmatur: Vacuatis enim cubiti per incisionem uenis, aliud grauius longè superest: purgationes enim menstruas auferunt, auertentes sanguinem ad superiores corporis partes: sectis uerò quæ crurũ sunt, non solùm retrahũt, sed etiam menses magis prouocant. Idem Gal. in eodem libro paulò pòst hæc dicit: Sed retentis mẽsibus, semper quæ sunt in cruribus uenas incidere oportet. Dicendũ igitur iuxta Galeni opinionem, sanguinem quidem ex cubiti curuatura febricitãtibus mittendũ esse, nisi aliud obstiterit: uerbi causa, cùm menses suppresi sunt, uel uterus inflãmationem patitur, & huiusmodi: sic enim sanguinem nocuũ auerteremus, non detraheremus, ut multis in locis à Galeno confirmatũ est, & in primo ad Glauconem. In uniuersum autẽ aut ad cõmunia membris patientibus retrahere oportet, aut ad ea, in quibus est uacuationis origo: quemadmodũ est sectio pedis, quæ per uterũ exinanit: nam eò ducere oportet, quò natura tẽdit &c. ut ait Hipp. & Gale. primo & sexto Aphorismorum libro: quibus etiã assentit Auicen. xxj. tertij Fen. Galen. insuper primo ad Glauc. & secundo de natura humana, & loco suprà citato libri de missione sanguinis, non magis unam, quàm alterã facere uidetur uenæ incisionẽ, poplitis scilicet, an malleoli: quare etiam prope talum uenam secuit Hippocrates Margei famulæ, & Chiensi puellæ infra poplitem, aut prope talum. Præterea uenæ sectio in xj. curandi methodi non respicit ex se febrem, nec putredinẽ, nec obstructionẽ, nec humorum crassitiem, nec lentorẽ, sed multitudinẽ solam: multitudinem uerò ex suppresis mẽsibus ortam, secta pedis uena uel scarificata inanire oportet: igitur hæc, non brachij, secanda erit. Cùm uerò dicunt, Galenum in undecimo τῆς θεραπευτικῆς μεθόδου uinũ prohibere, ubi magna, continua, ac putrida febris ægrotum habeat, hoc modo respondemus: Galenum quidem in huiusmodi febribus uinum interdicere, id quod nos quoque confirmamus: sed non omnes febres licet continuæ sint & magnæ, uehementes etiam sunt ac ualidæ, ut ea est de qua nunc mentionem habemus, & quotidiana cõstat experientia, quemadmodum & à Galeno demonstratum est in iiij. de artic. comment. Quòd autem quæ scripsimus nullam habeant dubitationem, ex eo liquet: Galenus enim paulò ante suprà citati libri locum, uinum aquosum quidem in febre ex humorum putredine orta concesserat, quoniam omnes prouocet inanitiones, & uires instauret. Cæterum cùm eiusdem lib. xij. uinum frigida temperatum ratione det, ad reficiendas eorum, qui animi defectionem patiuntur, uires, necnon primo ad Glauc. cap. de curatione febrium continuarum sine accidentibus: cui dubium fuerit, ægrotanti huic uinum ὀλιγοφόρον, hoc est, aqueum, non esse conuenienter potui datum: cuius uires omnes penè resolutæ erant, illis de causis quas suprà memorauimus, sed præcipuè ex lienteria: uinum nanque frigida mistum eas curat quæ ex magnis fiunt inanitionibus dissolutiones, præsertim cùm ad uentriculum fluunt humores: nisi aliud urgeat, quod id dari uetet. Sed quoniam hæc satis supérque uidentur opinionem nostram tueri, necnon medicorum tuorum consiliũ & doctrinam, ut sanam, ut optimam, defendere, propterea plerisque aliis, quæ hæc quoque comprobare potuissent, supersedere satius duxi, ne in re tam aperta demonstranda, & aliena, nimis curiosus, & parum prudens uidear. Quisquis uerò Galeni commentariis operam dat, is uelim existimet, non esse illis pleno uentre, & oscitanter, sed sobriè, & summa cum diligentia studendum, ut omnia rectè inuestigentur, & considerentur, ut quæ sint maximè necessaria. Bene uale Eques magnifice, & tecum bene agi existima, si à falsis prophetis in posterum caueas. Sexto calend. Iulij, M. D. XLI.

*Et in lib. de const. artis medicæ.*

*Lib. de missione sanguinis aduersus Erasist. & lib. aduersus Erasistrateos: & in eo cui titulus de palpita. tremore, rigore, & conuulsi.*

## ALOISIUS MUNDELLA Medicus, Odo de Odis Patauij publico medicinæ professori, de Balneis. Epistola XIX.

Postquam diuinæ prouidentiæ ita placuit, ut nobis congredi non liceat, sed tantùm bono literarum frui, hæc pauca ad te scribere mihi uisum est, ne amicitiæ nostræ, & beneficiorum, quæ pro tuæ naturæ benignitate in me cõtulisti, immemor esse uidear. Post nostrũ enim ex urbe Patauio discessum, nihil unquam abs te de tuo & rerum tuarum statu intelligere potui: nec per literas quidem colloquuti sumus. quòd si posthac humanitas tua fecerit, ut intelligam, sanè mihi gratissimum acciderit: amor enim singularis, quo te prosequor propter tuas singulares animi dotes, facit ut id maximè cupiam, & uelim. De nobis ita accipe. Nos satis rectè ualemus, nostrámque, Christi patrocinio adiuti, constanti & tranquillo animo ferimus fortunam. Quia uerò frequenti, & grato auditorum concursu te publicè medicinam profiteri audio, atque in detegendis obscuris autorum sensibus nemini secundum esse, abs te scire cupio, & intelligere sensum illorum Galeni uerborum in vj. de tuenda ualetudine, quę infrà scripsi: placet enim mihi doctissimorum amicorum iudicium sequi, si meum mihi non satisfacit. χρὴ τοίνυν αὐτοὺς λουτροῖς πολλοῖς ποτίμων ὑδάτων παρηγορεῖν, διαφοροῦντας τε ἅμα τοὺς ἐν τῇ κεφαλῇ γινομένους ἀτμοὺς θερμοὺς, καὶ τὴν κρᾶσιν ὅλην ἐργαζομένους βελτίω. βλαβερὰ δὲ τούτοις, ἡ τῶν αὐτοφυῶν θερμῶν ὑδάτων χρῆσις. ὅσα μὲν γὰρ αὐτῶν θειώδη τε ἐστὶ, καὶ ἀσφαλτώδη τῷ θερμαίνειν ἐναντιώτατα ταῖς φύσει θερμαῖς κεφαλαῖς. ὅσα δὲ στυπτηριώδη, τῷ στεγνοῦν. μόνοις δὲ ἂν, εἴπερ ἄρα τοῖς γλυκέσι τῶν αὐτοφυῶν ὑδάτων ἀβλαβῶς χρῶντο. τοῦτο γὰρ ἀσφαλὲς εἰπεῖν, ὡς τό γέ τι καὶ ὠφελεῖσθαι παρ᾽ αὐτῶν, οὐχ ὁμοίως ἀσφαλές. οὐ γὰρ ἂν ἦν ἴσως θερμὰ, μὴ μετέχοντα τινὸς δυνάμεως φαρμακώδους θερμῆς. ἄμεινον δὲ τῇ πείρᾳ κρίνειν τὰ τοιαῦτα τῶν ὑδάτων, καὶ γὰρ καὶ σπανίως εὑρίσκεται, &c. hoc est: Oportet igitur ut ipsos multis balneis aquarum potabilium recreemus: simul discutientes calidos capitis uapores, & omne reddentes temperamentum ipsius melius. Aquarum autem, quæ calidæ scaturiunt, his nocuus est usus: nam quæcunque ipsarum & sulphureæ, & bituminosæ sunt, quia calefaciant, capitibus natura calidis aduersantur: quæ uerò aluminosæ, in eo quòd angustos reddunt corporis meatus, nocent. Solis autem (si certè illis utendum sit) dulcibus spontè natis innocuè uti licet: hoc enim tutum est dicere. Quòd autem utile aliquid ab ipsis proueniat, non similiter tutum est dicere: non enim fortasse calidæ essent, nisi haberent uim aliquam medi-

camenti calidam. præſtantius autem experientia quadã eiuſmodi aquas iudicare, etenim difficilè inueniuntur &c. Hæc enim non leuem mihi difficultatẽ faciunt, quòd uelle uideatur Galenus, ſpontè natas aquas ſimul & dulces eſſe, & medicatas: quod tamen fieri nõ poſſe manifeſtè apparet, cùm aquæ illæ quę uerè dulces ſunt, omni careant medicata qualitate, ut idem ait Galenus xj. curandi methodi, & primo de ſimpl. med. cap. iiij. & v. Præterea quòd aquæ, quæ ſponte calidæ naſcuntur, humectent, libro ſuperius citato ita oſtendit Galenus: Διὸ καὶ πρὸ τροφῆς δὶς καὶ τρὶς οὗτοι λουόμενοι, καὶ τοῖς αὐτοφυέσι θερμοῖς ὕδασι οὗτοι χρώμενοι μάλιστα ὠφελοῦνται, σκοπὸς γὰρ αὐτῶν ἐστὶν αὐτὰ μὲν τὰ μόρια τοῦ ζώου φυλάττειν ὑγρὰ &c. id eſt: Quamobrẽ etiam ante cibum ſi bis & ter loti, & aquis ſponte natis calidis uſi ſint, maximè iuuantur: in ipſis enim conſiderandum eſt, ut animalis partes humidas conſeruemus. Calidæ uerò eſſe nõ poſſe uidentur, niſi aliqua ſint uirtute medica præditæ: quæ ſi ſic ſe habebunt, omnes quidem ſiccabunt, non autem humectabunt, ut eſt in eiuſdem libri primo, & ad Glauc. cap. de curatione febris tertianæ. Niſi quis ad tollendã dubitationem hãc, ita reſpondeat: aquas quæ ſponte calidè naſcuntur, bifariam à nobis poſſe intelligi: illas uidelicet, quę ſulphuris, bituminiſue, aut huiuſmodi naturę participes ſunt: alias uerò, quæ etſi dulces & ſponte & calidæ emicẽt, medicatæ tamen non ſunt, aut modicè, propter nimiã cum illis aquæ dulcis copiam, quemadmodũ ait Ariſtoteles xvj. problemate xxiiij. particulæ: nam eiuſmodi aquas potabiles calidas in Magneſia oriri affirmat. Quæ quidem diſtinctio, ſi accuratè Galeni uerba conſiderentur, ex illis colligi poſſe uidebitur, cùm inquit: Nõ enim fortaſſe calidæ eſſent, niſi &c. quãuis huiuſmodi naturæ aquæ nécne inueniantur, Galenus dubitare uideatur. Quæ ſi tibi ſatisfecerint, & nobis pariter ſatisfeciſſe intelliges, quòd cùm aliorũ, tum in primis tuum multò pluris æſtimem iudiciũ, quàm noſtrum. Quòd autem aquæ calidæ ſponte ſcaturiant, quæ nullius uel minimę uirtutis ſint medicatæ participes, ut diximus, non omnino à ratione alienũ uidetur, ſi illud conceſſerimus, quòd corpus omne ex quatuor elementis generetur, & conſtet: quæ poſtea ſecundũ uniuſcuiuſq; illorum excellentiam, & patientis naturam, in uarijs terræ manifeſtentur locis, ut ea aqua eſt, de qua in præſens à nobis habetur ſermo. Si eam opinionẽ tuebimur, quæ elementa in miſtis actu eſſe adſtruit, ignem præterea ui ſiderũ luminis, & motus in uiſceribus terræ generari, & ita aquam calefieri poſſe, non à ratione fortaſſe alienum fuerit. Sed cũ non tantum percurrenda ſint maiora monumenta, uerùm accuratius penſitanda, propterea in hanc aliã dubitationem, quæ tamen ſuperiori proxima eſt, trahi uiſus ſum. Nequaquam mihi probabile uidetur, ut, cùm frigidæ, tum calidæ aquæ dulcis balnea ab antiquis, hiſq; optimis medicis tantopere celebrata & obſeruata, præſertim Hippocrate uerè medicorum omniũ principe, in tertio de uictu qui exhibetur in morbis acutis, & Galeno in pleriſq; locis methodi de curatione, & in libris de tuenda ualetudine, non ſolũ ad conſeruandam ſanitatem (ut nunc illorum delitias prætercam) ſed ad tollendos morbos parata, ita à nobis præcipuè Italis negligi debeant. Quapropter cũ tuendæ ualetudinis, aut ratio morbi id expoſcere uideatur, medicos omnes monerẽ, adhortarérq; (niſi Græcorum pariter atq; Arabum doctrinam contemnant) ut omnibus remis & uelis, ut in adagio eſt, balneis aquæ dulcis uti uelint, quòd ea multis morbis pręſentaneum eſſe nouerint auxilium, maximè ijs qui hectica, ephemera, ex obſtructione, putridáue laborãt febre, atq; ardente: ſed tum tamẽ, cũ declinare inceperit, & totum corpus antè inanitum fuerit. De quibus ſanè balneis optimè Gal. locutus eſt & in tertio κατὰ ἰατρείων. Quòd ſi coctionis ſigna apparuerint, multò magis cõferent. Cõferunt etiam (quãuis hæc ad te ſcribenda non eſſent, qui ea, quàm nos, certius ſcias: id autẽ fecimus, quòd præſens negotium poſcere uideretur) aquæ mediocriter calidæ & dulcis balnea febribus quæ ab exuſtione, frigore, & laſsitudinibus factæ ſunt, quæq; propter meatuum anguſtias factas, ſiue obſtructiones, ſiue clauſuras, atq; arctationes, ortæ ſunt: reſpirare ſiquidem per eas partes, & diſſolui calorem febrilem oportet: utilia enim ſunt (ut ſcis) huiuſmodi balnea ijs qui pleuritide, & peripneumonia laborant, dolorem mitigando, ac ſputa maturãdo, prius quidẽ repurgato corpore: ſic enim coctionem iuuant. Conducit etiam lauacrum hoc corpus calefaciens præſertim extrinſecus, ad alimenti digeſtionem, & digeſtorum appoſitionem. Si uerò antequam corpus inanitũ ſit, illis utamur, in uniuerſum id de balneis ſciendum eſt, ea membris affectis noxam parere, poſt uerò coctionem iuuare, ſomnum præterea conciliare, & per halitum humores digerere. Minimè uerò ignorandũ eſt, nihil eſſe quod æquè concoquat ea quæ concoqui poſſunt, & malos ſuccos diſcutiat, ut ſomnus à balneo. Et, ut diſtinctius loquar, prima balnei pars, ſiue domus, humores calefacere & liquare poteſt, & quæ inæqualia ſunt, æquare, & cutem laxare, & multa quæ ſub ea ſunt detenta inanire. Secunda eius pars, ubi quis in ſicco corporis affectu ea utitur, poteſt utiliter ſolidas partes madefacere. Tertia balnei pars poteſt, cùm aliquis frigida utitur, & totũ corpus refrigerare, & cutẽ denſare, & uires firmare. Quarta uerò, corpus per ſudores citra refrigerationis noxã inanire. Cùm igitur quiſpiam balneo uti uoluerit, in remiſsione febris eo utatur, corpore iã mediocriter tranſpirante, quòd omnia ex eo tum fuliginoſa excrementa, tum fumea educat. Animaduertendũ inſuper ut nullius uiſceris imbecillitas ſubſit, neq; horror dum adminiſtratur, incidat. Hęc, quęcunq; febris fuerit illa, in balnei uſu caueas oportet, ut ait Galenus x. & xj. curandi methodi. Non eſt itaq;, ut nunc fieri uideo, balneorum uſus ita negligẽdus, ſed potius magnifaciendus. Quòd uerò Conciliator differentia clxxiij. timeat in febrium putridarum declinationibus, illis uti, quia noſtri ſeculi homines ea ferre non poſsint, propter iam receptã eorum deſuetudinem, & quia etiam natura humana nũc profuſius & delicatius uiuat, quàm eo tẽpore, quo Galenus ea de balneis tradidit, id quidem falſum eſſe facilè conſtabit: quoniam ætate illa nullibi immoderatior uiuẽdi luxuries erat, & lautior, quàm Romæ, ut ait Galenus in primo curandi methodi libro, & multi alij tradidere autores. Quare iudicio meo fallitur Cõciliator, cùm ait, illius temporis homines glandibus, & ſimpliciſsimis cibis ueſci ſolitos: cùm neq; illud etiam certũ ſit de priſcis illis in Arcadia morantibus, ut ait Galen. in ſecundo lib. de alimẽt. facultatibus, quãuis ueterũ atq; Hippocratis ætate pauciſsimis homines cibis contenti eſſent, ac nihil ferè uel parum in ſalubri uictu peccarent, ut eſt in ij. de cauſis ſymp. & ij. de fract. qua de cauſa fortaſſe antiqui Aſclepiadæ ea medicinæ parte quæ diæteticæ, id eſt, cibaria appellatur, non admodum uſi ſunt, ut nunc Platonis Galeniq; ad Thraſyb. rationes omittã. His adde, quòd crudorũ ſuccorum moles maior nunc exiſtit quàm olim. Neq; propter iam abolitã lauandi conſuetudinem credendum eſt balnea antè dictis morbis non eſſe idonea: quia id nõ eſt balnei naturam & uim conſiderare, nec ea attendere quæ ab antiquis ſummo ſtudio, ſummáq; diligẽtia tradita ſunt, ſed plus nolle ſapere, quàm quod noſtra inſcitia & pertinacia nos perſuadet. Nam ſi id argumenti genus ualidũ eſſet, ſequeretur quoque, nemini, qui nunquam antea aliàs ægrotaſſet, medicamenta aliqua dãda eſſe: ſimiliter uinum, oua, & multa alia niſi ijs exhibenda eſſe, qui illa ſumere conſueuere: quod tamen nec à Cõciliatore, nec ullo ſani iudicij uiro recipiendũ eſſe non addubito. Concedimus tamen, ijs qui lauari aſſueti ſunt, & illud affectant, balneũ eſſe utilius: magni enim ponderis eſt conſuetudo, ut ait Hippo. in iij. de rat. uict. acut. morborum: tãtámq; uim habet in omnibus quæ ad medicinã ſpectant, ut ea aduẽtitia natura à maximis medicis fuerit appellata: uideatúrq; ipſe etiã Hippoc. inter maxime neceſſaria eam cõſtituere, eiq; ſecundã poſt naturã, uidelicet indicationis uim attribuere, quemadmodũ ſcriptum eſt in lib. de ijs quæ ad chirurgiã pertinent, tertio. De qua etiam conſuetudine multa quoq; à Galeno dici non ignoras, in libello de aſſuetudinibus. Illud item omnino falſum uideri poteſt, quod à Conciliatore & Sauonarola affirmatur, Italos ſcilicet magis, quàm Gallos, Germanos atq; Arabes, gulæ & uentri nũc deditos eſſe, & hac de cauſa etiã multò plus balnei uſu offendi, ut quotidiana cõſtat experientia. Nam ſi illud uerũ eſſet, Galeni tempore balnea magis improbãda fuiſſent: quia, ut ſuprà dictum eſt, tum uiuẽdi libido immoderatior fuerat quàm nũc: & ita Germanis, Gallis & Mauris plus obeſſent quàm nobis, quia maiore illis in cibis potibúsq; utantur licentia & intemperãtia. Ad aquarũ uerò medicatarum rationem tranſeuntes (nam & hoc mihi

*Hoc idẽ dicit in primo ad Glau. & 43. ſeptimæ ſectionis aphoriſmo, et Epid. 1.*

*Idẽ dicit in libro de maraſmo, ubi multa etiã de balneorũ uſu ſcribuntur.*

*Libr. de uictu priuat.*

*Primo de morb. uulg. comment. 3.*

mihi dicendū restat)nō possumus sanè non plurimum demirari illos,qui istiusmodi balnea adeò extollunt,ut de dulcis aquæ balneis nullā mentionē faciant,& multos qui uariis & grauissimis correpti sunt morbis, illis curari posse existiment,quos quidē nulla alia in pristinā ualetudinem restituere potuerunt auxilia,& ideo sacra ab antiquis esse appellata prædicant:aliam quidē ab ea quam Aristot.narrat in xxiiij.problematum particula rationem afferentes,quòd scilicet mirabiles quędam illis insint ad tollendos morbos proprietates:qua de causa magnifica,& sumptuosa in eorū honorē extructa fuerunt à ueteribus ædificia,ut Puteolis,Baiis,& alibi:eaque ut ait Plinius in libro naturalis historiæ xxxj. numerum deorum auxerunt,atque urbes condiderūt. Verūenimuero etsi demus multos mirabiles aduersus morbos effectus ex huiusmodi balneis cōtingere posse,& iam cōtigisse,omnes tamē eos qui medicinæ operam dāt,summopere adhortarer,ut cautius, & maiori cū præmeditatione de iis ægrotis consulere uelint balneis,siue natationis,siue irrigationis,siue potus causa, & præcipuè illis qui putridis,cuiuscunq; illæ sint generis,corripiūtur febribus:nā licet plus bilis exinaniant, quàm dulces,minus tamen prosunt, ut est in libro ad Glauc.suprà à nobis citato,cū omnis aqua,pter illā quę potabilis est,exiccet,ut ostensum est à Gal.in primo de simp.med.cap.vij.hisq; nō ea opus sit exiccatione,sed uiarū dilatatione & humectatione: cùmq; huiusmodi medicatæ aquæ magno sumentiū detrimento,ut ait Plinius lib.xxxj.cap.ij.nōnunquā intra corpus retineātur, multiq; deterius quàm antea se habuerint, alij uerò cū morte uitā commutauerint,quod quidē & nos cū Burmiis essemus,interdum euenisse uidimus,præcipuè iis qui eas aquas bibūt,postquā ex propriis fontib.haustę magno deinde itinere ad illos delatæ fuere:quamuis iis qui hydrope affecti sunt,& nonnullis aliis,huiusmodi aquis cū intus tum foris uti congruū,utileq; esse sciuerim,quemadmodū loco superius citato à Galeno expositum est,& eiusdem ix.Quare deploratos tantum aliquos,et nullis ferè aliis recuperādos auxiliis,ad naturales thermas mittēdos esse,rectè arbitror Michaëlē Sauonarolam in libello de balneis consuluisse,in quorū curatione uiolentissimū etiam remedium tētare expedit. Sed aquis quæ sponte nascuntur omissis,ut iterū ad aquę dulcis balnea reuertamur,ita rursus ad rationes nostras respondent medicorū pleriq;:esse quidem ea innumeris morbis apta & utilia,si tempestiuè illis utamur: & propterea summis uiris & potentibus,ut Agrippa, & multis aliis,magno apparatu & sumptu tū publicè, tum priuatè,magnificas fuisse extructas ædes,quarum uestigia & ruinę nostris quoq; temporibus Romæ passim uideri possunt.Quia uerò is nūc,qui olim priscis lauandi mos erat,penitus abolitus sit,nullæq;(quę est potissima eorū ratio)lotionibus domus idoneæ sint,quæ in quinq; partes à ueteribus diuidi cōsueuere(etsi à Galeno postea in x.curandi methodi in quatuor tantùm, prima(ut puto)quàm ἀποδυτήριον uocant,tanquam pauci momenti prætermissa,uel data,in qua balneis usuri sese exuebant)idcirco se illorū usum minimè laudare aiunt. Cum uerò omnis mala consuetudo prorsus nobis tollenda sit,quæ præsertim ualetudini nostræ noxia est:ædesq;,etsi non ita amplæ & superbę nobis,ut antiquis, paruo extrui possint negocio,ut iis constat,quibus aliquando in Germania,ut nobis,agere cōtigit(breuis est enim ad foliū uia,ut ab Hippocrate scriptum est in tertio de ratione uictus acutorum morborū)non uideo quid prohibeat,quo minus etiam ruri,& locis campestribus eæ extrui possint.Quare his rationibus solis aduersariorū argumenta facilè dilui posse arbitror. Optimum itaq; ac saluberrimum esse existimo (seruatis iis quæ ab Hippocrate ac Galeno narrātur in tertio de ratione uictus acutorū morborū, quamuis eo tempore balneorū fortasse inopia esset,ut ait Galenus in iij. κατὰ ἰατρεῖον libro,uel non tam frequens esset,ut nunc, illorū usus quemadmodum in ij.de causis sympt.proditū est) si dulcis aquæ balnea ad medicos reuocentur usus,non solùm cùm morbis afficimur,sed etiam cùm tuenda ualetudo est.Quòd si iis qui balneis admodū delectantur, & lauari consueti sunt,bis in die lauari permiseris,non errabis,semper tamen in memoria habens, ut opportunè id facias,neq; à cibo & potu statim balneis utaris, neque à balneo cibum præbeas.Si uerò coctionis signa ostendantur,tunc etiam si sæpius laueris,nihil delinque-

*Tertio de ratione uictus acut.*

ris,ut est in primo ad Glauc.cap.de curatione febris tertianæ,& ut ab aliis quoq; demonstratum est,qui de re medica unquam optimè senserūt.Quam opinionē abs te quoq; approbatā iri minimè dubito , multò melius esse existimāte domesticis & probatis in medendo uti remediis,quā feris,& damnatis : quemadmodū de illo medico nuperrimè mihi narratum fuit,qui cùm multa frustra expertus fuisset medicamenta tum simplicia,tū composita,in curatione sanguinis è thoracis uena ex humorum acrimonia erumpentis,tandē ad muscerdæ auxiliū confugit,cùm tamen huiusmodi medicamenta omnia ut acria,& abominanda , Galenus dānare consueuerit,præsertim in x.de simp.med.& in cap.de coagulo.Si uerò aduersarius aliquis positionē nostrā de balneis aquę dulcis sic iterū destruere aut saltem infirmare aggredietur,Galeni sententiā adducēs,quæ in tertiæ sectionis aphoris.xv.his uerbis scripta est:Inanitio autē quæ à balneis fit,parua est,& solā ferè cutem exinanit: quæ uerò per carnem,& partes solidiores dispersę sunt superfluitates,haud satis balneis discutiūtur:hoc respōso ei satis fieri poterit,Galenū ibi facta cōparatione balneorū ad soluentia pharmaca,sententiam illam protulisse.Vel dicas,quòd etsi balnea non satis educāt superfluitates,quæ per solidiores partes dispersæ sunt,non tamen propterea dicendū est balnea nō esse maximè admittēda,& in re medica(ut diximus) laudāda.Esset hîc quoq; illa alia,quòd iis quæ de balneis scripsimus finitima sit,consideranda,cū frictionum omniū,tum exercitationum ratio(balneū enim apotherapiæ pars est,ut in tertio de tuenda ualetudine apparet)quia in ea tradenda,ut maximè necessaria,antiqui multum insudauerint,ut est in libro de exercitatione paruæ pilę,& in cōsilio pueri epileptici,& alibi:nos uerò adeò eam negligere uideamur,ac si magni non esset in re medica emolumenti:sed eā in cōmodius tempus reiicere satius esse duximus. Adeò sanè negligi solet exercendi & fricandi studium,ut nullo discrimine,omni tempore exerceri,& fricari,bonum esse existimetur,& eandē esse omnium partium exercitationem:quod tamen falsum esse cōstabit,si medicorum ueterum scripta accuratius cōsiderare uoluerimus.Et quia in ea uersaris ciuitate, ubi maximè uigent studia, & aluntur ingenia, si quid habes,quod memoria dignū ducas,rescribas uelim:summopere enim scire desidero , quid sentiant nostræ ætatis medici.Saluta omnes amicos nostro nomine,quos dum Patauij essem,optimè cognoui. Vale,& me tuum esse,tibiq; semper deditissimum existima. Sexto Idus Decemb. M. D. XLI.

## ALOISIVS MVNDELLA MEDIcus,Reuerendo Angelo Castiliono Genuensi. De graui auditu. Epistola XX.

PRo necessitudinis nostræ præsertim , & officiorū coniūctione,mihi faciendum esse intelligo,ut uoluntati tuæ obtemperem,& quantum in me situ est,in eo,quod à me petis de rationibus curandæ ualetudinis tuæ,uideam ut plenè satisfaciam:quod si consequar , ualde mihi gratum : si minus , ingratum erit. Sed in Deo nostro Iesu Christo spero fore,ut incolumitati tuæ rectè consulam.Multi sunt anni,quemadmodū ex te audiui,cùm auris sinistrę morbo,qui surditas,siue grauis auditus appellatur,grauiter laborasti:cuius causæ,quas primitiuas uocāt atq; antecedentes(has enim primum indagabimus,deinde remedia perscribemus) quantum inuestigatione consequi potui,hę extiterunt: frigidi uenti uis,qui per cubiculi fenestram ad oppositā aurem penetrauerat:tum non obseruata sex rerum nō naturalium ratio:& humorum morbi,quem aliàs passus fuisti,ad hanc corporis partem facta permutatio,ut multis euenisse uidimus,qui eo morbo,quo prius correpti fuerant,liberati,alio statim in alia corporis parte laborarunt,ut illius usū aut penitus , aut aliqua ex parte priuati,reliquis tamen partibus rectè firmatis,uixerint : commutantur enim aliquando morbi,non tolluntur:quare deinde multi crudi & crassi succi ex huiusmodi praua uictus ratione geniti,neruos simul obstupefecerunt,& audiendi meatū obstruxerunt,ita,ut aër nullo modo amplius,aut minimum ad organum auditus deferri potuerit.Existimamus tamen humores illos pituitosos,quos diximus,à calidorum mixtione, præcipuè sanguineorum nō omnino alienos esse,si dominās consideremus tui corporis temperamentum,& ea quę

à medicis cōſiderari ſolent in dignoſcendis primarū hominum partium temperamentis. Si enim ſurditas hæc à ſola intemperie frigida,aut aliqua criſi,non tamen firmata proueniſſet, iam utique illa euanuiſſet:confeſtim enim huiuſmodi morbos calefacientia curant auxilia, & magna ex parte finiunt. Quibus accuratè examinatis,necnon calida & humida capitis intemperie,à qua poſtea multa,& frequens ad palatum,oculóſq; deſcendere conſueuit pituita(ſi quis enim rectè morbis mederi uult,is humani corporis particularū omniū exactiſsimam habeat cognitionē neceſſe eſt ) in primis ſtatuendum nobis eſt, ſurditates, quæ à primo natali die , ſiue multis iam annis inueteratæ ſunt,nullis curari poſſe remediis:quæ uerò non ita inueteratæ quidē, ſed diuturnæ,& ipſas curationem non recipere, aut certè difficillimam.Sed cùm tibi non omnino ablata ſit (ut ais) audiendi facultas , neq; ab origine ſurditas iſta confirmata ſit , ſed alteri (ut ſuprà ſcripſimus) partim ſucceſſerit ęgritudini,partim antea inceperit,humoribus,qui antea morbi huius cauſa fuerant, à natura ipſum iudicante ad ignobiliores corporis locos propulſis,de recuperando auditu tibi nō omnino deſperandū eſſe (quāuis difficulter admodū ille recipi poſsit ) exiſtimamus,ſi iis quę dicturi ſumus animū attendere uolueris:quod ſi feceris,ut ſpero,non ſolùm priſtinā auris recuperare poteris ualetudinem , ſed alteram etiam à tam graui & timendo tueri ſymptomate,in quod potiſsimum incidiſti, non ſeruata, ut par erat , diligenter uictus ratione, quod tibi deinceps ſummopere animaduertēdum eſt. Primùm itaq; eligendus eſt aër ſerenus, ac ſimplex : auſtrini flatus & caliginoſi euitādi, hi quòd caput grauēt & impleant,illi uerò auditū hebetent : omnia enim calida & humida huiuſmodi ſunt naturæ,tertiæ ſect.aph. v.Boreales quoq; & aquilonij uitari debent, quoniam iuxta Hippocratis & Galeni ſententiā,frigus neruis,neruoſiſq; omnibus obſit locis.At ſi cōtigerit ſpirantibus adhuc illis,te iter aliquò facere , ut aliquo utraſq; aures munias tegumento moneo,indito prius paruo goſapij ſeu lanæ ellychnio, cui incluſa ſint moſchi , aut caſtorei grana duo. Cauebis etiam, ne aqua læſæ auris , & alterius etiā ſubintret meatum,ſed diligenter,ut dixi, illum occluſum cuſtodies. Et ambas aures ſæpius ab omni ſorde expurgabis inſtrumēto aliquo molli corneo, aut aceto melléq; inuicem miſtis abſtergendo & ſiccando. Siquando uerò tibi opus fuerit,lixiuio ſanè,ita auribus occluſis,in quo lauri folia,rutæ, aut abſinthium & chamæmelon incocta fuerint, caput lauare expediet , illud poſtea leniter linteis fricando , præcedente tamen uniuerſi corporis inanitione:ne ſi antè perſrices & laues, uapores ad caput, auréſq; attrahātur magis, quàm diſcutiantur. Obſeruabis etiam ne ſtatim à cibo & potu laues , & ne poſt lotionē cōfeſtim comedas aut bibas: qui enim nuper bibit, huic caput repletur : qui uerò cibum ſumpſit,nō caput modò,uerùm & corpus totum alimentū ad ſe prius,quàm concoctū ſit, trahit. Poſt lotionem uerò protinus cibū,uel potum ſumere,caput replet,deuoratúmq; interdū ſuperfluitare facit,ut eſt in iij.de rat.uict.acut.Galeni.A cibis autē tibi maximè abſtinendum eſt,qui craſſos & uiſcoſos generant humores:præcipua enim cuiuſuis morbi curatio,ut ait Galenus in lib.qui de facilè parabilibus inſcribitur,in exacta uictus ratione conſiſtit.Hi autē ſunt cibi,quos cane peius & angue,ut in adagio eſt,fugere te oportet:Legumina omnia,caſeus omnis,recens & uetus,necnō quę ex eo,triticeáq; conficiuntur farina & lacte abſonia, lácq; ipſum,& lactaria omnia.Butyri etiam rarus fuerit uſus.Bulbi,quia flatum & craſſum ſuccum generāt, improbantur.Quoniā uerò fabæ,ſi à uentriculo cōcoquantur,boni ſucci ſunt,licet nulla decoctione flatum amittant,illis quandoq; uti concedimus,niſi uenerem ſuſpectam habeas:quamobrem etiā cepis abſtinebis. Piſces in uniuerſum damnātur,exceptis ſaxatilibus,ſeu qui circa ſcopulos uerſantur,ac modici ſunt excrementi,& mediæ ætatis.Commune enim id in cūctis animātibus te meminiſſe uelim,carnem etiamnum adoleſcētium longè præſtantiorē eſſe,quàm iam ætate declinātium:& eorū quæ utriq; communia ſunt ætati,in horum medio exiſtit:noxia uerò admodum eſt nouellorum,diuerſáq; ratione ualde uetulorū.Quin & plurimum refert quomodo præparentur:quippe aſſa,& in ſartagine frixa,ſicciora ſunt.In aqua dulci elixa humidius corpori alimentū præbent,ut eſt in iij.de alimentorum facultatibus Galeni libro:quare carpionibus & lucijs à nobis appellatis,ſale,oleóq; & porro conditis, ſeu craticula ſartaginéue coctis,interdū ueſci nō interdicimus,ſimiliter muria ſeruatis piſcibus:anguillæ uerò,tincæ,ſardæ,trottæ,cochleæ,ranæ,oſtreæ, & huiuſmodi omnia damnātur.Fructibus ferè omnibus quos arbores ferunt,tibi abſtinendum eſſe ſcias uelim:mali nanq; ſucci ſunt,exceptis tamē caſtaneis,quæ ſi in uentriculo concoquantur,efficaciter nutriunt:atq; eæ quidem craſsi,nūquam autē mali ſucci ſunt,quare & parcè illis utendū erit.Sed inter reliquos fructus,qui à tempeſtiuitate præcipua ὡραῖοι appellantur,& humorē uitioſum gignunt,ac ſi fortè in uētriculo corrumpantur, ſimiles ferè letalibus uenenis fiūt, ut mora,perſica,pruna,pepones,cucumeres.Cucurbita uerò non ita damnanda eſt : ſi tamen in uentriculo corrumpatur , ipſa etiam malū ſuccum gignit.Quòd ſi quādoq; fructibus his utendū erit,prima menſa illos deguſtabis,obſeruādo quòd hi,qui reponi poſſunt,nihil ſimile recentibus habeant:quódq; plurimū referat,utrum ad maturitatem perfectā fructus peruenerint.De caricis,ſi quis boni eas & mali ſucci eſſe dixerit,fortè inter ſe pugnantia dixiſſe uidebitur:nā ſi per uentrem & renes trāſierint, ſalubres eſſe cenſentur : ſin autem retardarint,peioris quoquo modo ſucci.Cum nucibus autem ſumptæ aut amygdalis,cibi probatiſsimi ſunt.Panis ex optima tritici farina,non tamē ex ſimilagine ſeu farinæ flore cōficiatur:ſit modico ſale conditus,ſit etiam recens.Ferculis uerò multis,ac ſæpius uti,non utile eſt.Vinū aqueū, quod Græci ὀλιγοφόρον uocant,ſit,& parum odoriferum, & parcè ſumptum:πολυφόρον enim,& potens,cerebrum petit,ac replet,& neruis nocet,præſertim ſi largius bibatur.Oleribus nonnunquā,ſed modicè utendū,quotquot non omnino crudam obtinent naturam,ſed ſuorum ipſorū,aliorúmq; cohibent ſuperfluitates:ut ſunt, porrum,apium,& ſmyrnium.Malua,beta,ſpinacia,rarò ſumenda ſunt:ſimiliter mâla , pyra,&,ut ſummatim dicam,quæcunque craſsi & glutinoſi humoris exiſtūt, aut alioqui peſsimi alimenti,ut fungi:quæq; concoctu difficilia ſunt,aut frequentius,aut plus ęquo ſumuntur, non huic ſolū morbo,uerūetiam cæteris omnibus nocere conſueuerunt:omnem enim exceſſum pernicioſiſſimū eſſe,nemo eſt qui neget,& eo magis cū ea re utimur,quæ periculoſa eſt,ut ait Galenus in lib.de uenę ſectione aduerſus Eraſiſtratū , & in conſilio pueri epileptici.Acetariis quæ ex capparibus parantur,uti non interdicimus:at æſtiuis tēporibus quæ ex cichorio,aut lactuca cōficiuntur,modicè tamē & rarò ſumptis,fœniculóq; aut eruca additis.Somno non multum indulgēdum eſt,ſed eo qui uires naturales conſeruet,quiq; diurnus non ſit,nec poſt cibū ſtatim:ſolet enim is,ſi huiuſmodi fuerit,pituitæ copiā generare,ut uidere eſt in animalibus iis quę hybernis temporibus in latibulis,& in cauernis terræ uiuunt:ita tamē ut in omnibus iis quę diximus,& dicturi ſumus,cōſuetudini aliquid condonādum ſit,cùm ea uelut altera natura habeatur:ſolēt enim plerique diuites luxurioſè uiuentes,die dormire,nocte uerò uigilare,ut ait Gal.in ſecundo prædict. cap.ſecundo. Exerceri uentre uacuo,utile eſt,alioqui malum,eo potiſsimum exercitationum genere,quod non corpus ſolum,uerumetiam animum recreare poteſt , ut uenationes,& huiuſmodi animaliū capturæ,laborem uoluptate recreationéque temperantes : adeò enim potentes ſunt iſti motus animi,ut multi morbis ſæpe ex delectatione liberati,& multi rurſus ex nimia cōturbatione mente capti ſint.Nullus eſt autē morbus tātus,ut uehementior animi ęgritudinibus eſſe poſsit:quapropter minimè ſunt eæ affectiones negligendæ,qualeſcunque tandem fuerint,ſed tantò diligentior iſtarum quàm corporis habenda ratio,quantò anima corpore præſtantior eſt:ſolent enim huiuſmodi animi motus,quos medici appellāt accidētia,multū prodeſſe ac nocere in curandis ægrotis.Idcirco triſtitiam & mentis torporem totis uiribus excuties:ſummóq; mane expurgatis omnibus tum capitis,tum aliarū corporis partium excremētis , linteo ſatis aſpero caput perfricabis : & auri ſonū aliquem,aut uocem ſatis uehementem inferre,tanquam propriam ipſius exercitationem,iuuat.Ciborum ſatietas ut noxia eſt,ita inedia ſuccos corrumpit , quēadmodum ſcripſit Galenus in libro de uenæ ſectione aduerſus Eraſiſtratæos. Cibus tamen,ut idem ait in iij. de compoſ.medic.ſecundum locos,tenuis ſit . Carnes

*Gale.in lib. de boni & mali ſucci cibis.*

*Gal.in lib. de exercitatione paruæ ſphæra.*

animan

Gal. in consil. pueri epilept. & in libro de attenuatis uict. rat. & primo de natu. humana.

animantium in aqua degentiũ uitandæ: sunt enim aquatica omnia plurimi excremẽti. Suillæ uerò licet probatissimũ sanguinem generẽt, quia tamen uiscosum generant ac pituitosum, & difficulter concoquuntur, non multum illis assuescere oportet, nec quæ sunt antiquorum boum. Hœdi, uituli, laudantur. Agni, tanquã humidissimi & pituitosi, improbatæ sunt carnis. Turdorum uerò, merularum, perdicum & phasianorum, plurimũ commendatæ sunt carnes, necnõ caponũ, pullorumq; gallinaceorum: quas, si citra nidorem quidem assatę fuerint, tibi magis conferre puto, quàm si aqua coctæ. In quorum numero etiam sunt oua gallinarum recentia sorbitioni apta, & simplici aqua cocta: quæ si indurata sint, difficulter admodum concoquuntur. Ad alia autem transeuntes remedia, quæ magis proximè huic cõueniũt morbo, sumpto quidem à magis cõmuni principio, iuxta Galeni doctrinã, optimũ esse existimamus, si media brachij uena è regione auri affectæ sita secta fuerit, exireq; permittatur sanguinis minimum unciæ sex: nam in uniuersum te sanguinei temperamenti esse constituimus: deinde serapia sex uel septem singula singulis diebus continuis secunda ante prandium hora sumantur, quę ex serapij acetosi simplicis semũcia, & mellis rosacei altera semũcia, & item ex succi endiuiæ altero tanto pondere, ex decocti uerò hyssopi, origani, & cichorij unciis tribus conficiantur. His sumptis matutino sequẽtis diei diluculo hoc deuorabis pharmacum, quod hoc modo fieri uolo, ut ex pilulis, quæ titulo de hiera à pharmacopolis usui reseruantur, & ex cochiis, & ex iis quæ aggregatiuæ appellantur, singulis inquam omnibus semidrachma sumatur, quæ ex melle rosaceo bene subacta in sex uel quinque catapotia diuidatur. Quæ ut deuoraueris, sequentibus diebus, ut prædictis, his aliis commodè uti poteris serapiis, sumendo uidelicet oxymellis simplicis unciam, & illius qui ex stœchade fit, semunciam, iniecta secundum cõsuetudinem tum betonicę, tum rutæ, tum utriusque simul decocti mensura: deinde huiuscemodi statim deuorãdo medicamentum, quod ex scrupulo pilularum, quæ uulgò fœtidæ inscribũtur, cochiæ, ex hiera compositæ, & aggregatiuæ, conficitur: quibus si etiam addideris rhabarbari selecti æquale pondus, consentaneũ fuerit: omnibus his oxymelitide exceptis, numero septem, uel etiã plura, uel pauciora, prout tibi placuerit, conficiantur catapotia. Satis autem corpore exinanito, iudicio nostro, hoc congruè uteris suffimento, quod in hunc apparabitur modum: Sume foliorum lauri, & rutæ, comæ absinthij, satureiæ, corticum radicum raphani, seu radiculæ, singulorum quantum manu capi potest: decoquãtur in pari uini, acetique mensura, & exhalantibus adhuc illis, alterum arundinis caput concauitati auris inferatur, alterum foramini, quod factum fuerit ollæ, in qua prædicta bullierint medicamenta simplicia operculo imposito: illud semper memoria seruando, soluentia quæ scripsimus pharmaca, & serapia etiam, aut eo pondere, quod dixi, aut etiam minori aliquãdo, si opus fuerit, & numero, nisi aliquis alius obstiterit casus, sæpius ac sæpius iteranda esse: & quæ auribus indũtur, ut ait Gale. in tertio de comp. med. secundum locos, mediocriter calida esse oportere: sunt enim illæ ualde acuti sensus. Poterit insuper puluisculus is, & huiusmodi medicamenta alia quæ à Græcis ἔῤῥινα appellantur, uẽtre uacuo in nares per calamum spiritu recipi, qui sumit castorei, piperis albi, sinapi, nucis moschatæ, singulorum scrupulum, ubi seorsum singula trita optimè, & commista fuerint. Si uerò sternutamento formæ liquidæ magis uti placuerit, illud tibi præstò erit, quod accipit succi radicũ betæ, cyclaminis, brassicæ, singulorum unciã, decocti sampsuchi uncias duas, piperis albi dimidiũ scrupuli. Horũ præterea medicamentorũ, quæ per os pituitam educũt, usum, & à Græcis ἀποφλεγματισμα τα nominantur, mirè tibi conducere existimamus: uerbi gratia, pyrethri, staphisagriæ, masticis, piperis albi, singulorum drachmam accipe, uuarum passarum semunciam: trita excipiantur succo radicum betæ, & formentur pastilli mansiles. Item sinapi, uuæ taminiæ, piperis albi, carpesij, si illud haberi potest, maceris, masticis, singulorum scrupulum, uuarum passarum acinis exemptis, uel ficuum pinguium carnis drachmas duas succo sampsuchi excipe, ac prædictorum modo utere: memor quòd huiusmodi apophlegmatismata non deglutiantur, sed deorsum mãdentẽ caput inclinare oportet, & ex interuallo hiare, ut humor qui colligitur effluat, & deinde aquam calidam ore diu continere, & ipsum colluere, si rosio multa excitetur. Aptè & ista auri instillantur læsæ: croci drachma, castorei tantundem, salis drachma, (quoniam nunc solo nitri gaudemus nomine) ueratri albi drachmæ quatuor: quibus aceto præstantissimo mixtis, auri instillato. Conuenit etiam fel capræ, rutæ succus cum melle, aut castoreum cũ oleo anethi: item ueratrum album cum æquali castorei, sed paulò maiore addita croci mensura, cum aceto instillantur, aut cum oleo amygdalarum amararũ, aut succo hyssopi, qualum etiam oleum in cepa coctum tepidum auri guttatim infundatur. Sed ne liquores isti iniecti corrũpantur, ideo inclinata aure post duarũ uel trium horarũ spatiũ, quàm instillata fuerint, exire permittes, auremq; lanæ mollis momento abstergẽdo siccabis. Si uerò & altera auris eodẽ symptomate affici inceperit quo sinistra afficitur, surditate uidelicet, eisdẽ penitus remediis, quæ suprà scripsimus, uti poteris, excepta uenæ sectione, quæ tunc fieri debet in curuatura brachij dextri, & auris, quæ dextræ similiter adhibetur perforatione & cauterio. Verũ ne in longũ nimis nostra trahatur oratio, & ne huc singula afferre uidear remedia, quãplurimis aliis quæ ab autoribus in hac curatione passim traduntur, supersedere satius duxi: poterũt enim ea à quolibet medico, cũ hæc non satis fuerint, facilè inueniri, & experiri. At uerò quoniã plura indies accidere consueuerũt, quę medici consilium mutari cõpellunt, & singula persequi non decet, nec fieri potest: quocirca priusquã ad huius aggrediaris morbi curationẽ, ut peritũ aliquem medicum cõsulas moneo, ut si quid à nobis minus quã par erat, aut abundantius dictũ, aut malè intellectũ fuerit, aut improuisò sese obtulerit, corrigi possit. Reliquũ modò est, ut cùm singula quæ scripsimus ad unguẽ perfeceris, neque perfectè ut desiderabas, curatus fueris, ut fonticulus cauterio, ubi colli principiũ incipit, aut post aurem læsam fiat, quod tibi multũ prodesse non dubitamus: aut forata media auris, funiculo aliquo ita traiecta lõgo tempore seruetur. Vale, & me, quod facis, in Christo ama, sæpiúsq; de te ac tuis rebus scribas, rogo: nihil enim mihi gratius cõtingere potest, quàm de prospera ualetudine tua intelligere, cùm amicorum habeã neminem, quem plus ac te amem & diligã. Pridie Idus Aprilis. M. D. XLII.

ALOISIUS MUNDELLA MEDICUS, *Hieronymo Feroldo medico.* Epist. XXI.

ET si, ut ait Gal. in primo de alimẽ. facultatib. optima sit doctrina, quæ uiua uoce hauritur, quòd audita & intellecta animo altius figantur, atq; hæreant impressa tenacius: his tamen nos plurimum etiã (quod neq; ipse inficiatur) debere existimo, qui certam scriptis aliqua de re scientiã mandarunt, quòd ea perennius durent, & præceptoribus destitutis fructus nõ pœnitendus percipiatur, & ad obliuionem senij maximè conducat, ut ipse Platonis autoritate ait, cuius doctrinę admodũ studiosum fuisse cõstat. Quos ut aliqua ex parte imiter, in hunc modũ nunc ad te scripsi, non quidẽ ut doctoris officio fungi uidear, sed potius ut ea quæ sentio, planius & dilucidius promere ualeã. Solẽt enim disputantiũ animi nullo certo loco consistere, sed magis huc atq; illuc cõmoueri: neq; illa ita bene intelligi quæ quęruntur, quã si sedatis cunctis animi affectibus ea uel scribantur, uel legantur: ocio enim & solitudine studiũ sapientiæ magis adiuuatur. His igitur de causis in hunc modũ tibi respondere malui, quàm uerbis tecum disceptare, nõ ut te aliquid edocerem: is enim sum, ut magis ipse docendus sim, quàm alios ego docere possim. Sed ut tibi notius fiat, quid ipse sentiã, tũ de medicamẽtorũ simplicium, tum de compositorum usu & medendi ratione, quãuis à me aliàs explicatũ fuerit, paucis accipe. Quoties enim medicorũ omniũ facilè principis, diuino Hippocrate excepto, pręceptum illud sanctissimum atque æternũ ἀξίωμα cõsidero, nõ mediocris sanè animi solicitudo & dolor me torquet, affligitq;, cũ inquit: Medico curæ maximè esse debere, ne inconsultè morbis medeatur, quoniam illud quod curandum suscipit, non ratione careat, sed creatarum rerum omnium nobilissimum & præstantissimum sit, ut est in primæ ipsius sectionis aphorismi primi expositione. Alia uerò ex eodẽ Galen. assumptio facit, ut continuè rimari & sciscitari non desinam, quò fideliter & rectè medicari possim.

Sexto de cõpos. med. secundũ loca. Secundo de anat. adm. Septimo curandi meth.

Nisi

*Lib. de renũ affectuũ dignotione & med.*

Niſi enim ſingulorum hominũ, quibus medemur, proprium temperamentũ accuratius cõſiderauerimus, & de eo maximam nõ habuerimus rationem, quod Gal. τὴν ἰδιοσυγκρασίαν appellat, & nobis incõprehenſibilem eſſe fatetur, in iij. curandi methodi libro, & illorũ partium naturas perfectè cognouerimus, & aliter quàm nunc fieri ſolet ſingula diligẽtius inueſtigando, nos medendo exercuerimus, ut à Galeno in plerisq; locis aſſeritur, haudquaquam fieri poſſe reor, ut planè nos ueri medici, ſed artis corruptoris potius nomen ſubeamus: proprietates ſiquidem nonnullæ prorſus dici non poſſunt, quædã uerò ægrè circa ægrotantiũ corpora oſtendi poſſunt, ſolis iis qui ſæpe eas uiderũt notę, ut eſt in ij. de cõp. med. ſecundũ loca. Neq; uerò illud quoq; minori indagine dignum uidetur, quantum quiſq; ſcilicet in morbis à συμμετρία, quam Plin. cõmenſurationem appellat, declinauerit, tantũ etiam medicamenta, per quæ curari debet, ad contrariũ deflectere oportere, ut ait Gale. in I. lib. de compoſitione medicamentorũ ſecundũ genus, & in ſecundo de morbis uulgaribus, & in eo qui de ratione uictus priuatorum inſcribitur.

*Primo de alim. fac.*

Perdifficilem etiam nobis artem medicam reddit, & liberalium artium omniũ ualde laborioſam, cùm uiriũ, tum humorum noxiorum, qui per pharmacũ pelli debent, exacta quantitatis cognitio, necnõ affectus qualitas, & ipſius quantitas.

*Tertio de cõp. med. ſecundum genus. & ſecũdo de comp. med. ſecundum loca.*

Etſi enim dicit Gale. & Hippo. xxiij. aphoriſmo primæ ſectionis, facilitatem tolerantiæ optimũ eſſe menſuræ humorum indicium, id dicit, cùm exinanitio facta eſt, non cùm fieri debet. Illud etiam facit ut à medendi exercitatione me abſtineam, quòd nihil in arte medica reperias, quod prodeſſe poſsit, niſi certa menſura uſurpetur, ut eſt in libro de miſsione ſanguinis aduerſus Eraſiſtratum.

*Vndecimo de alim. facultatibus.*

Reſtant adhuc alia duo ex iis quæ admouentur ægrotis, ut reliqua omittam, quæ me continua mentis agitatione perturbant, ſingulorũ ſcilicet ſimplicium medicamentorũ (ut eas nũc præteream, quas cum cibis homines habent) peculiares naturæ & proprietates. Nam medico ubi prædicta eo, quo fieri poteſt, modo innotuerunt, adhuc tamen illi inueſtiganda ſunt ſimpliciũ inter ſimplicia, itémq; eorum inter ſe & corpora noſtra, lis & concordia: quale illud eſt, quod de braſsicæ & uitis odio fertur, raphaníq; & uitis, necnon rutæ & fici amicitia. His adde cõplurium compoſitionum deſcriptiones à uariis autorib. traditas: quæ quidem ſi prius quàm præparentur, diligenter excutiantur, nequaquam eas à medẽdi officio amolimur, ſed cùm nobis opus eſt, his uti concedimus, atq; approbamus, præſertim quas Galenus ſua æquali trutina expendit:

*Idem in lib. de theriaca ad Piſonem.*

pluri b. enim de cauſis plurimorũ ſimpliciũ mixtio inuenta eſt, quæ à Galeno in libris de comp. med. ſecundum genus, clarius & latius explicantur. Sed cùm hæ compoſitiones ſimplicib. conſtent medicamentis, paucíque adeò nunc ſint, qui ea inuicem miſcentes pernoſcant, ut illi opus eſt medico qui ea componere ſtudet, quẽadmodũ à Gal. traditũ eſt in lib. vij. de cõp. medic. ſecundũ loca, & in libro de theriaca ad Piſonẽ, uaríæq; ſint illorum inter ſe (ut diximus) cõcordiæ & inimicitiæ, magnáq; corporum differentia, nõ omnino tutum eſſe, & rationabile duxerim, ut ita temerè illæ præparentur ad uſum, quẽadmodum ex ijs quæ paulò antè ſcripſimus ſatis conſtitiſſe arbitror. Quare nullum ſanæ mentis uirum, qui uel Græcorũ, uel Arabum ſcholis aſſuetus ſit, inficias ire puto, quin uno ſimplici medicamento, aut etiam, ſi id fieri poteſt, nullo, melius ſit morbos curare, quàm pluribus ſeorſum, aut inter ſe mixtis, & præcipuè ijs, quæ, ut Galeni uerbis utar, confuſis cribris hodie medicis maximo ſunt uſui, tanquàm aliæ celerius, alię tardius, potẽtiúsue, aut debilius agãt,

*Secundo de ratione uic. acut.*

ut inquit Auicenna Arabum princeps in libello cui titulus eſt, de medic. ſimpl. quæ uires cordi affecto afferũt, tract. ij. cap. vij. & xl. & in iiij. Fen primi, cap. iij. & iiij. In ſimplicibus præterea naturam eſſe apparet, in compoſitis uerò coniecturam ſæpius fallacem: nulli ſatis cuſtodita in mixturis concordia naturæ & repugnantia.

*Plinius lib. 22. capite 23. & libr. 24. ca. I.*

Rarum uerò reperias medicum, qui (ut Plinij teſtimoniũ contra iſtos præteream) ſuo arbitratu copioſas repentè parari non iubeat compoſitiones: quod tamẽ à Galeno reprobatũ eſt v. de comp. medic. ſecundũ genus, & libro de antidotis. An uerò probè agant hi, necne, omnibus in confeſſo eſſe exiſtimo; ſiquidem omnia cõfundunt, & nullã habent de ſimplicibus rationem, nullámq; de illorum temperamẽti gradibus ſcientiam, ſed cùm plurima congeſſerunt ſimplicia, & ueluti chaos quoddã ſtruxerunt, tunc mirabile opus ſe feciſſe exiſtimant ac prædicãt: qui ſi Galeni artẽ in cõponendis medicamentis, inq; his expendendis, & accuratius conſiderandis animaduertiſſent, quemadmodũ in nonnullis libri de medic. compoſ. ſecundũ partes, mixturis uidere eſt, nõ ita profectò inconſultè nouas fingerent cõpoſitiones.

*Primo de cõpo. med. ſecund. gen.*

*Secundo de cõp. med. ſecund. loc.*

Tametſi uerò Galenus interdum eiuſdẽ tẽperamenti ſimplicia miſceat, nõ illa quidem, ut illi, ſed prudenter miſcet, quadã ſcilicet alicuius illorum qualitate aut nimium aucta, aut remiſſa, aut etiã mala, inductus. Propterea quàm longè hi hallucinẽtur, nulla alia demonſtratione, aut probatione mihi opus eſſe arbitror. Caue tamẽ ſuſpiceris nos in uniuerſum propterea damnare quæ ab antiquis uel etiã recentioribus recta ratione confectæ ſunt cõpoſitiones, & præcipuè quas Galenus ipſe diligẽtiſsimè excuſsit ac præparauit, atq; expertus fuit: quoniã morbi cumplurimi, cũ incipiunt, compoſiti ſint, quemadmodũ vij. de ſimpl. med. cap. de coriandro, ab eodẽ oſtenditur: ſatis enim ab eo inuicẽ componendi ſimplicia medicamẽta explicatum eſt, ac probatum, & quomodo quãdoq; incompertis uti neceſsitas frequenter nos cogat, primo, ſecũdo, & ſeptimo lib. de comp. med. ſecundũ genus. Sed id à me dictũ eſſe ſcito, ut quæ maiores noſtri annotarunt, ſæpius in memoriam reuocẽtur, & accuratius à nobis conſiderentur, neq; ita audaciores ſimus, ut quidã ex noſtris, in nouis cõponendis medicamentis, illiſq; exhibẽdis: ſed quæ paucioribus, paratúq; facillimis cõponuntur, deligenda ſunt, ut ait Galen. ij. & iij. de cõp. medic. κατὰ γένη, cùm præſertim ars medica circa materiam, quæ cõtinuè fluit, uerſetur: eſt enim corpus humanum mutationibus obnoxium, neq; à cauſis internis tantùm, ſed etiam externis facilè mutatur, ut eſt in primæ ſectionis aphoriſmo primo, & artis medicę ca. lxxxiij. & lxxxv. Abſtinẽt uerò medicorum plerique hac ratione ſolùm à pharmacis, quę optimi quiq; autores longi temporis experientia ſatis probarunt, eóq; nobilia reddiderunt, ut ipſi melius quippiam præter maiores habere uideantur: quare utendum eſt medicamentis celebribus, quæ ab omnibus commendantur: & uniuſcuiuſque ſimplicis medicamenti temperamentum intelligendum, ne empiricorũ more homogenia ſolùm miſceamus: quod tamen quandoque etiam fecit Galenus, cùm cuiuſque ſimplicis medicamenti uires non cognoſceret.

*Secundo de comp. med. κατὰ γένη.*

*Tertio de comp. med. κατὰ γένη.*

Omnibus uerò iſti argumentationibus, noſtris & rationibus abundè ſatisfactum eſſe exiſtimant, cùm dicunt, ſe medicamentis his ſuos perfectè curaſſe ægrotos, neque temerè ea tentaſſe remedia, neque fruſtra uſque ad hunc ingraueſcentis ętatis ſuę terminum perueniſſe: ſed quia, ut hoc ſuum reſponſum tanquam facilè ad diluendum omittamus, de his ſatis dictum eſt, idcirco quod reliquum eſt orationis noſtræ paucis abſoluam, non ſolùm hac methodo nobis mederi, & conſuetis remediis uti, tutius fore (ut oſtendi) exiſtimans, ſed uno etiam, ſi fieri poteſt, ſimplici medicamento, quod quidem Galenus cõcedit in primo de comp. med. ſecundum genus, quàm multis, hiſq; incertis, & mixtis, præſertim ſi nulla ea fuerint ratione compoſita. Cui enim magis nõ arrideat clyſteriorum uſus, exercitationes opportunæ, frictiones, miſsio ſanguinis, ſiquidem uires ferant, & morbus expoſcat, & ea medicinæ pars, quam διαιτητικὴν appellant, quàm tot alia tum inuſitata, tum fera medendi remedia? Vt autem cæteris omiſsis, ea quæ diximus aliquo fide digno confirmentur teſtimonio, & corollario inſigniãtur, ita inquit Scribonius Largus medicus antiquiſsimus, & Galeno acceptus, ut Plinium præteream: Interdum enim ſimplicia efficaciora ſunt, quàm ex pluribus compoſita medicamenta. Hæc ille in epiſtola, quam Calliſto ſuo ſcribit: qui quidem etſi medicamentorum compoſitorum, de quibus tamen factum ſit periculũ certiſsimum, uſum laudet, quòd gloriam, diuitias, & pleraque alia ex his medici conſequantur, nihilominus non negat ille iuxta opuſculi ſui initiũ & finem, huiuſcemodi medicamenta omnia propter corporum diuerſam naturam, ætatúmue & temporũ, & locorum differentiam, in morbis pellendis interim melius deteriúsue reſpondere: eædem enim res nõ diſſimiliter diſpoſitis corporibus, non poſſunt eoſdem effectus exhibere. Etſi uerò Galenus tradit v. de tuẽda ualetudine, in lõgis morbis uarianda eſſe medicamenta, quòd longo tempore natura illis aſſuefacta, illorum

postea

poſtea alleuamẽtũ non ſentiat, id noſtræ nõ aduerſatur opinioni, ſi quæ diximus, accuratè cõſiderẽtur: ea enim obiectioni huic nũc ſatisfeciſſe uolumus. Quapropter ſi iſta nos in admirationẽ trahũt, & timorem, ac penè à medẽdi officio deterrent, nõ uideo cur hãc opinionem noſtrã nõ ſummè approbare debeas. Hæc enim ſingula (ſi quid amoris & beneuolẽtiæ uſpiã eſt) omnium, qui unquam medicinã exercuerunt atq; exercent, futuriq; ſunt ut eã aliquando exerceant, animos cõmouere par eſt. Si uerò fortaſſe dixeris, nos ita gerentes nec nobis, nec parẽtibus, aut amicis ullis opibus unquã prodeſſe poſſe: ſcias uelim, medico à uulgi erroribus, quãtũ in ſe eſt, cauendũ eſſe, & ſatis amplã rem illi partã eſſe, & honorẽ, ſi Deo, non homini, placere ſtuduerit. Tu uelim, ſi quid à me diſſentis, ad me reſcribas: ſcis enim quã facilè à meis cedere conſueuerim opinionibus, ſi inueniã meliores. Vale. Septimo Calend. Iunij. M. D. XXXIX.

## ALOISIVS MVNDELLA MARIO *Nizolio Brixellenſi. De medicamentis ſoluentibus. Epiſtola* XXII.

LIcet recentiorũ pleriq; hãc de ſoluẽtibus pharmacis materiã latius tradiderint, hæc tamen pauca, quæ nũc mihi occurrũt, quæq; ex antiquorum libris collegi, ad te ſcribere conſtitui, ut tibi ſatisfaciã, & cognoſcas quàm ſuſpectũ, quàm timoris plenum ſit, iis præſertim qui cruda adhuc exiſtẽte materia, & humorum putredine, febricitãt, medicamenta ſoluẽtia in morbi principio propinare.

*Lib. 1. tract. 7. cap. 1.*

Præteritis igitur Auenzoaris, Auerroę, Auicennæq; Arabum principis ſcriptis, in libello præcipuè cui titulus eſt, de medicamẽtis ſimplicibus quæ uires cordi affecto afferũt, tractatu ij. cap. ij. & prima Fen quarti libri, tractatu ij. cap. vij. & xl. & quarta Fen primi libri, cap. iij. & iiij. Græcorũ tantũ opinionem ſecutus, à qua prædicti autores nõ diſſentiunt, ſed eãdẽ penitus cõfirmant, quantũ fieri poteſt à ſoluentiũ pharmacorum uſu nobis abſtinẽdum eſſe dicimus, quòd ea ui & ſubſtãtia ſua hominum uitæ & ſaluti maximè aduerſentur: humorum enim coctionem, quòd corpus uehementer mouentes frãgant & ſiccent, non autẽ quieſcere permittãt, & humidum reddi, quibus maximè natura indiget ad ſuccos cõcoquẽdos (morbis illis omiſſis, circa quorũ principia nõnunquã, licet rarò, aluũ ſoluere oportet) & optimas criſes, ſi dẽtur, fieri impediũt, febricitãtiũmq; intemperiem adaugent, & uẽtrem, pręcipuè os ipſius male habens labefactãt, quod quidem maximè neruoſum & ſenſile eſt: quod omnibus ijs, & qui præſertim acuto laborãt morbo peculiare eſt,

*Secundo de ratione uic. acut. & in libro, de ijs quos purgare oportet.*

ut ait Gal. in primo & ſecũdo de criſi lib. cap. xj. & ſecũdo, & quarto de ratione uictus acutorũ morborum, & ipſum praua ſuccorũ copia opplent, qui poſtea defectionem animi inducũt, & malatiã efficiũt, illiq; aduerſantur, & humoris noxij, febríſq; uehementioris & maioris cauſæ exiſtunt, ſitimq; intolerabilem accẽdunt: omnia enim eiuſdem generis medicamẽta potentia calido ſunt temperamento, & acria prorſus, aphoriſmo ſuperius citato, & v. de ſimpl. med. cap. xvj.

*Octauo de comp. med. ſec. lo. & 9. de uſu part. Primæ ſect. apho. 23. Cel. lib. 5. cap. 1.*

Pharmaca inſuper ſoluentia hominũ naturæ nõ omnino ſunt terrori, eámq; ad tolerãda mala imbecilliorẽ reddũt, & corporis cõpages diſſoluũt, ſanguinẽ & carnes colliquãt, pręſertim ſi æſtiuis dentur tẽporibus: huius enim tẽporis, & medicamẽtorũ ſoluẽtium natura, pleriq; grauius laborant: quod potiſsimũ ex eo manifeſtiſsimũ eſt, quòd calor aëris ambiẽtis in partẽ trahat contrariã illi, in quã pharmacũ ducit humores, ut aphoriſmo v. & vij. quartæ ſectionis conſtat:

*Quarto de ratione uic. acut. & lib. de ijs quos purgare oportet. Secũdo Prorrhet. comm.*

adde etiã, quòd medicamẽta ſoluẽtia, ubi non agunt, quãdoq; in corruptionem ac uenenum exitiale uertuntur, ut ait Galenus in libello, de ijs quos purgare oportet, & in iij. de ſimpl. med. cap. xxiij. & xxv. Confirmãt etiã opinionẽ noſtrã ea, quæ in quarto de ratione uictus, quæ ſeruatur in morbis acutis, in hunc modũ ſcripta ſunt: Quicũq; autem inflammationes ſtatim in principiis morborũ ſoluere tentant, ab eo quidẽ quod intẽtũ eſt atq; inflammatum, nihil adimũt, quòd non cedat cruda adhuc paſsio: quæ uerò morbo reſiſtũt, & ſana ſunt, colliqueſcere faciunt: & quę ipſi repugnant uires, quæq; ægrotos potiſsimũ curant, ex his potius ceu macie quadã languent, & cõſumuntur, morbúſq; hoc modo pariter inualeſcit, & tabidum corpus effectũ conſternit, illúdq; inſanabile reddit: quòd à Galeno etiam in primo de criſi, & alibi monſtratum eſt, & euidentiſsimis rationibus cõprobatũ.

*Hoc idẽ ſcribit Hipp. in epiſt. & in libello de medic. purg.*

Ex dictorũ præterea pharmacorum uſu illa oriri ſolẽt nocumenta, quę ab eodẽ narrantur in viij τῆς θεραπευτικῆς μεθόδου, ubi de diariis febribus quæ ab humorum obſtructione fiũt, agit: necnon in ſecunda et tertia aphoriſmorũ ſectione, illius ix. huius uerò xv. aphoriſmo: ubi enim ſcriptum eſt, inanitionem quæ per καθαρτικὰ, hoc eſt, purgantia pharmaca fit, utilẽ eſſe ualde indigentibus, & ex longis interuallis. Et ſanè uirtus læditur à medicamentis quæ moderatè, nedũ quæ immodicè aluum ſoluunt, ut eſt in ix. curandi methodi. Illud quoq; ſciendum eſt, quamuis in ſecundo de comp. medi. ſecundum loca, uiam tradiderit, perdifficilè eſſe uiriũ, noxiorúmq; humorũ multitudinem & malitiam, qualis quantáq; ſit, exploratè expendere, itidẽ & medicamentorũ modum, atq; uſum:

*Secundo de ratione uic. acut.*

quæ quidẽ res, ut ait Gale. in primo ad Glauc. cap. illo, ubi de febriũ cõtinuarum agit indiciis, ad ſui explicationẽ uno indiget uerbo, ad uſum uerò permultis: ad cuius cognitionem nihil æquè iuuat ac crebra exercitatio. Difficile quoq; & illud eſt, perfectè cognoſcere quàm uariæ ſint ſingulorũ hominum, quibus aluũ ſoluere uolueris, naturæ & ꝓprietates: quas niſi noueris, magnas per pharmacũ in acutis præcipuè morbis offenſas paries, ut eſt in ſecundo de ratione uictus acuto. & in lib. de iis quos purgare oportet:

*Lib. de renũ aff. dign. & medic.*

metus enim eſt ne plus iuſto uacues, uel nullo pacto inanitionẽ moueas, uel ſi moueris, non tamen ſufficienter: quod non facilè, ut iis qui non febricitant, emendatur. Si uerò medicamenta permiſcebis ſimplicia, controuerſia fit, non quando aliud quidem bilem, aliud uerò pituitam deiicit, ſed quando aliud quidem protinus, aliud uerò longo à propinatione tempore purgationem mouere natũ ſit. Quare non ſolùm huiuſmodi uitanda ſunt medicamenta cùm morbus acutus eſt, ut pleuritis, dolore ad hypochondrium deſcendente, uerumetiam cùm febris uehementiſsima eſt, multò magis ab his abſtinendum eſt, ut eodẽ in loco affirmat Galenus. Difficilis profectò etiã eſt tẽporis occaſio, quemadmodum rectè ſcripſit Hippocra. propter continuè fluentẽ corporis noſtri materiam. Subſtantia enim partium neque quo ad quantitatem, eadem permanet, cùm multum quotidie ex ipſis defluat: neque quo ad qualitatem, cùm uariis alterationibus afficiatur: & ideo mutuo ſubſidio indiguit, quo & exinanita ſupplerentur, & alterata reſtituerentur. Adde etiam quòd medicamentum tum bilem flauam, tum atram, tum pituitam, tum ſeroſum excrementum detrahens exactè nouimus:

*Libr. de fœtuũ format.*

quæ uerò, ut ſuprà attigimus, exhiberi eius quantitas debeat, neſcimus: atque exhibitio talis poſtea corrigi nequit, quemadmodum Galenus ſcribit in libello de curatione quæ fit per ſanguinis miſsionem, & in ij. de ratione uictus acutorum.

*Sexto de morbis uulga. cõme. 5. Primo de elemẽ. Primo de ſem. 6. de tuend. ſanit. & lib. de arte medicinali, ubi de cauſis agitur.*

Ingens prætera in propinationibus pharmacorum periculum eſt, cùm uel non commouetur purgatio, uel quod in aluum attractum eſt, non facilè excernitur, uel cum dolore, morſibus, torminibus, refrigeratione, pulſuum ceſſatione, ac animi defectu exprimitur, uel cùm corpus uehementer perturbatur, interímq; paululum admodum uacuatur, aut inanitio modum excedit, neque medicus ſiſtendi liberam facultatem habet quandocunq; illi placuerit, ut uenæ inciſę fluxum, quem ſuperimpoſito digito mox ſiſtes: hoc enim ipſum tanquam malorum omnium extremũ in hac parte frequẽter contingere ſolet, quemadmodum aduerſus Eraſiſtratum ſcripſit Gal. in lib. de ſanguinis miſsione. Quòd ſi maiora his quæ ſcripſi ac plura uidere cupis quæ ad oblatum pharmacum ſequantur nocumenta, quíque his apti ſint, lege quæ tradita ſunt in libro, de iis quos purgare oportet. Quare arduum quippe eſt, ac perquã difficile, rectam dandi pharmaci conſtituiſſe regulam, & certam menſuræ illius idoneæ ad tollendum morbum rationem. Poſtremò Corn. Celſus nobili quidẽ ingenio uir, ſine cuius ope Romanè loqui (ut Pliniũ prætereã) medico ſanè haud facilè fuiſſet, lib. iiij. de uentris fluxus curatione, in hæc uerba ſcribit: Sed medicamentis uti, niſi in uehementibus malis, ſuperuacaneum eſt.

*Cap. 19.*

Equidem ſoluentiũ omniũ medicamentorũ natura, corporum quæ expurgantur naturis contraria eſt, &, ut quiſpiam dixerit letalis ac deleteria, & facultatem uexat, atq; cùm naturalia morboſis cauſis permiſta ſint, in recidendis cauſis nihilominus bonorum quàm uitioſorum detractio fit, ut eſt in libro de optima ſecta ad Thraſybulum. Non tantùm uerò horum, ſed eorum etiã quæ aluũ nõ ſoluunt, odor medicamentoſus natu-

ræ hu-

ræ humanæ contrarius eſt, quemadmodum à Gal. traditum eſt viij. de comp. mediç. ſecundum locos, & eiuſdem vj. Mulieres, præſertim opulẽtas & delicatas, medicamentoſa ſtomatica difficulter ferre, ab eodẽ ſcriptũ eſt, uirósque nonnullos delicatos, ſed malo natura ſtomacho præditos. Vt ſatis ex his conſtet, quàm improbè agant hi, qui ita ſoluentibus delectantur medicamentis, quíque huc atque illuc tota die per urbium uicos curſitantes, parum operæ ſtudiis impendunt, & ſæpe nullo ægrotorum eos euocante, nulláue alia neceſſitudine urgente, diluculo domo egrediuntur, & bonis infenſi moribus & doctrinæ, omnem bonorum peritorúmque admonitionem auerſantur, uni auaritiæ dediti, & uanæ ambitioni. Artem quidem longam eſſe dixit medicus antiquiſsimus, & propterea multa obſeruatione & inquiſitione nobis opus eſſe concedimus: ſed non eo labore immenſo atque aſsiduo, qui aratoris potius, quàm periti medici nomine dignus eſſet. Quis enim illorum (ut hęc pauca ſolùm attingam) in morbis curandis coctionem humorum, quis acceſſionum tempora expectat, & tantopere obſeruatum ab Hippocrate & Galeno naturæ iudicium? quis ætatem, conſuetudinem, & tempora, & hominum naturas conſiderat? quis partem affectam, & an ea in penitioribus locis ſita ſit, medicamentíque ſubſtantiam contemplatur? quæq; à Galeno ſcripta ſunt artis medicæ cap. lxxxix. & xcv. Quis ad morbi magnitudinem & genus, uiriúmque robur reſpicit, ut deinde futurum ſtatum præcognoſcat, & certam uictus rationem præſcribere ualeat? quæ quidem ſingula medico maximè neceſſaria ſunt. Quamuis autem multa ſint in medicina coniecturis digna, ſunt tamen illæ non inartificioſæ, & proximè ueritati accedunt, ut ait Galenus in prima aphoriſmorum ſectione, & in pleriſque aliis locis: tametſi ille poſtea certas nobis medendi tradiderit methodos. Quare non tantùm ea medicinæ pars, quæ ut difficillima habetur, ſic etiã clariſsima, quę ſcilicet morbis medetur, ſed aliæ duæ coniecturales appellari poterunt. Nihil uerò æquè artem medicã coniecturalem facit, ut inquit Galen. in lib. de ſanguinis miſsione quæ fit per uenæ ſectionẽ, ut cuiuſq; remedij quantitas, ſiue id ſit cibus, ſiue potus, ſiue medicamentũ. Sunt enim perpetua medicinæ præcepta: ſed actio, & medentiũ opera incertum euentum habens, coniectricem artem reddit. Itaq; dum hæc attentius conſidero, in hanc ſententiam adducor, ut tutius cum ægrotis agi poſſe putem, ſi rarentur & moderatione magna adhibita utantur illi huiuſmodi præcipuè medicamentis, quæ ualde humanas uires minuunt ac conſumunt, ídque maximè ſi ægrotum febris (ut dixi) corripuerit, ac grauiter affecerit, neq; cocti fuerint humores: niſi illos (quod raro tamen contingit) turgere, & modò ad hanc, modò ad illã corporis noſtri partẽ moueri ſentiamus: quod ab omnibus quos legerim, Græcis & Latinis, atq; Arabibus, factitatũ eſſe euidentius eſt, quàm ut amplius probari ſit neceſſe. Quãuis pleroſq; nõ deeſſe audiã, qui à bonis penitus auerſi diſciplinis, & à ueri cognitione, pertinaci tantũ innitentes opinioni ſuæ, & deprauatæ fundamẽtis medendi cõſuetudini, cõtrarias tueri poſitiones pro uiribus conentur, & ſtudeãt. Quòd ſi hæc illis nõ ſatiſfecerint, hac digna (opinor) cõtenti erũt Gale. autoritate, ij. de element. in hunc modũ ſcripta. Purgationes naturali facultate quadã ſemper familiare ac cõueniẽs attrahũt, cũ eſt copioſum: ſubinde uerò cũ eo aliud quippiã alliciũt: quoniã ubi omne bilis & pituitæ ſuperfluũ euacuarint (ſic enim uoco quod in uenis cõtinetur) ex ipſis poſtea propriũ ſolidarũ partium madorẽ ui & difficultate maxima trahũt, tum animal reſoluũt, corrumpunt, & uelut in elemẽta reducunt: uehementia autem attractionis alius quidã humor cõſequitur, qui natura illi qui uiolenter attractus eſt, proximus habetur. Hoc idẽ confirmat in libro de atra bile. Verũ quia illorũ animis quicquã adhuc dubitationis relictũ eſſe ſuſpicor, Platonẽ ita in Timęo loquentẽ audiãt uelim animúmq; aduertãt. Tertia cõmotionis ſpecies tũc demũ cũ ſumma cogit neceſsitas, utilis, aliter nullo modo. medicorũ illa purgatio eſt, quę pharmacis, id eſt, ſolutiuis medelis fieri ſolet: morbi enim, niſi periculoſiſsimi ſint, pharmacis irritãdi nõ ſunt: omnis nãq; morborũ cõſtitutio animaliũ naturæ quodãmodo ſimilis eſt. Sanè animalium cõpoſitio ab ipſo generationis exordio certis temporũ curriculis terminatur, idq; et genus uniuerſum patitur, & animal unũquodq; ab ortu fatale uiuẽdi ſpatiũ in ſeipſo, exceptis neceſſariis paſsionibus, continet. Etenim, &c. Quo factũ eſt, ut aliquãdo cõtra iſtos, & nõnullos alios ueritatis euerſores (poſtquã ita accreuit eorũ temeritas, & uitiũ) inuehi mihi neceſſe fuerit: nõ ſecus ac legũlatoribus fuit, qui poſtquã eò adaucta fuit improbitas, ut nihil nõ auderẽt homines, & dicerẽt, tũc noua ſupplicia diſquirere aggreſsi ſunt, quibus noxij plecterentur. Nihil uerò medico curæ magis eſſe debere exiſtimo, quã ut fideliter & tutò medeatur, ut ait Gal. in xiiij. curandi methodi, etiam ſi poſtea illum in aduerſa, uel infima fortuna uitam ducere contingat. Vale. Quarto Non. Febr. M. D. XXXIX.

*Primo ad Glau. de cura. febrium continuarũ.*

*Libro de ijs quos purgare oporteat.*

*Lib. de opt. ſecta ad Traſyb.*

ALOISIVS MVNDELLA HIERONY-*mo Fracaſtorio. S. Epiſtola* XXIII.

GRatæ mihi fuerũt literæ tuæ: gratiſsimę autẽ futuræ, ſi, ut ſperabã, opinionem tuã de curatione febriũ peſtilentiũ breuiter ſaltem cõplexę fuiſſent. Puto uerò id abs te factũ fuiſſe, ut ingeniũ meũ magis ac magis exerceatur in examinãdis & conſiderandis cũ antiquorũ tum recentiorũ libris: quod ſanè & facio, & me facturũ polliceor. Galenũ dignum eſſe quem cuncti imitentur, nemo noſtrûm (arbitror) eſt qui dubitet, ut qui omni ferè ex parte legentibus ſatisfaciat, quémq; omnes uno ore medicinæ principẽ eſſe fateãtur, ac prędicent. Quòd ſi quid falsò, aut imperfectè ab eo traditũ eſt, abolendũ prorſus, & caſtigandum eſſe, quis unquã ſanæ mentis iuerit inficias? Quapropter (ut aliàs etiam ſcripſi) ſummè ego illius methodos laudo atq; approbo, quòd nullũ adhuc peccatum in illis legẽdis & cõſiderandis inuenerim, quippe quæ rationi & experiẽtię, ut ualidiſsimis in medendo fundamẽtis, potiſsimũ innitantur. Tu ſi quid habes contra huius uiri dogmata, reſcribas obſecro: ſummopere enim illud ſcire deſidero. Nam ſiue Græci, ſiue Arabes, ſiue alij quicquam memoriæ mandauerint, parum quidẽ nobis curæ erit, modò ut rectè & optimè ſcriptum ſit: ſerui enim mihi illi eſſe uidẽtur, ut ait Gale. quicunq; ſe uel Hippocraticos, uel Praxagoricos, uel alios alterius ſectæ appellari uolunt. Diſcendũ quidẽ eſſe exiſtimo diuturno tẽpore, ſed nullius ſcriptis ſe temerè cõmittendũ, ſed ea optimè iudicanda. Libellũ uerò illũ tuum de cõtagione, quem in lucem mittere iã tribus annis præteritis promiſeras, ne diutius ſupprimas uelim, neq; amplius expectationẽ noſtram in aliud tẽpus reijcias: non tantũ enim nobis, ſed omnibus etiam alijs nati ſumus. Sabatij de tuis homocentricis ſententiã paucis ſanè perſtrictam uerbis, nunc ad te mitto, quòd non antea hac de re quicquam abs te intellexerim. Diſceſsit ille à nobis proximis diebus: attamen ſi ad ea quæ aduerſus tuas rationes adſtruit, quò tibi ſatisfacias, reſpondere cupis, literas mihi ad illum dabis: faciã enim ut quicquid eſt negocij illius, per eũ fuſius atq; apertius tibi innoteſcat, pro ſua in nos beneuolẽtia. Vale. Diui Frãciſci die, M. D. XLI.

*Libello de libris proprijs, & de ordine ſuorum librorum.*

*Lib. de dig. proprijs animi affe.*

ALOISII MVNDELLAE MEDICI *conſilium pro patriæ ſuæ laborantis curatione, ac præſeruatione. Epiſtola* XXIIII.

COnſideranti mihi ſæpe, Ciues optimi, tot ac tanta grauiſsima pericula, quæ capiti ueſtro ob multos errores & delicta ueſtra impendent, in quibus apertè uideo uos eſſe implicitos, facere nõ potui quin tãdẽ, maxima ueſtri miſeratione ac pietate cõmotus, hæc pauca ad uos ſcriberem. Vos uerò, ſi æquo animo rectè rẽ hãc cõſiderare uolueritis, nihil eſt quod admiremini, quòd hactenus his de rebus uos certiores non fecerim: cũ enim magis ac magis examino multorum in uniuerſis rebus iudicium, qui ſemper ſtudẽt ut aliorũ bonis ſiue animi ſiue fortunæ inuideant ac detrahant, totus mihi in uenis ſanguis congelaſcit, ac omnes meæ collabuntur uires. Verũ poſtquam terrenis his omnibus deſpectis cœleſtia cõtemplor, animus ad officia Chriſtiana ſic accẽditur, uiréſq; ita excitãtur, ut mihi potius, quàm alijs deeſſe uelim: quæ enim cuiquam utilitati fore intelligo, & dicere, & ſcribere, & facere nunquam nõ ſoleo: licet ſim aliquãdo tardior, nõ officij negligentia, ſed longa rerũ conſideratione: medici enim iudiciũ nunquam præceps eſſe debet ac dubium, ſed certum, prudẽs, atq; graue. Quare, puto, excuſationem hãc noſtrã, ut æquam omnibus futurã accipietis, & ſedato animo quę dicam obſeruabitis, ut ex imis ſa-

nè me

nè medullis noſtris deprompta, ob nimiū in uos amorem atque obſeruantiā, multorū & beneficiorū memoriam, quæ in me ſemper contuliſtis. Primùm itaque uelim ſciatis, illū non tantùm medicū appellari qui ægros curet, uerumetiam qui ſanos ab imminentibus malis præſeruet ac tueatur: quod quidem non minori laude dignū cenſeo, quàm ægrotantes ipſos priſtinæ reſtituere ualetudini: imò, ut ait Galenus, tempore & dignitate hæc curatiuam medicinæ partem antecedit. Idcirco ſummopere curandū eſt, ne tam multi morbi in ciuitate ueſtra recens gignantur, atque in longum protēdantur, & indies ſæuiores, quàm antea fuerant, reddantur, & plerique ſæpenumero homines, qui illis corripiūtur, morti tradantur, tam frequenti potiſsimū medicamentorum ſoluentiū uſu in febribus, aliiſq; morbis ex humorū putredine ortis, neque ullis adhuc apparentibus manifeſtæ concoctionis notis: ut nunc prætercam rhabarbari tam ſolenne ac celebratum ab omnibus remedium, cuius apud nonnullos noſtri temporis medicos mira adeò inualuit conſuetudo atque uſus, & tantæ eſt exiſtimationis, ut in omni morbi tempore & ſpecie, abſque ulla, aut certè minima illius conſideratione habita inconſultè, & abſque ullo de ægrotantibus diſcrimine facto, detur, modò catapotia ſiue pilulas ex eo concinnando, modò ipſum liquore aliquo macerando & exprimendo, modò ſerapiis ipſum admiſcendo, & aliis atq; aliis modis præparando. Quorum quidem ſerapiorū uſum eſſe inquiunt, ut partim uacuent, partim putridos humores concoquant. Quam ſanè illorū opinionē quoties magis ac magis conſidero, non poſſum nō ualde admirari, cùm natura hoc, quod illi exiſtimāt, nunquam agat, at ſemper operationibus ſuis aliquid perfectionis addit, donec ad ultimum deuenerit finem, in quo omnia & abſoluta ſunt & acquieſcūt: quemadmodum in ciborū concoctione, & in generatione embryonis, plantarū, & aliarum omnium rerum manifeſtum eſſe conſtat: non enim aut crus (exempli gratia) aut aliā quamlibet corporis partem perficit natura, ſed aliquid continuè illis ſemper adiicit, donec ultimā adepta fuerint perfectionē. Itidem in humorum cōcoctione fieri contingit: alioquin medico opus eſſet in ſingulis morbis ſæpius ac ſæpius aluum ſoluere, ſi hoc naturæ ingenitū eſſet, ut partem humorū aliam poſt aliam perfectè concoqueret: quod quidem neque Hippocrati neq; Galeno conſentaneum uidetur, cùm dicūt, Concocta eſſe medicāda &c. quia tūc ægritudo omnis iam ferè ex omni parte ablata eſt, quando cōcocti ſunt humores: non autem pro parte tantùm, quemadmodum hi uoluiſſe uidentur. Neque obſtant Galeni dicta in curatione quartanæ febris ad Glauc. cùm ait, ſæpius iterandam eſſe purgationem: uerba enim illa (meo quidē iudicio) ita intelligenda ſunt, quòd etſi ſæpius ſoluere uentrem debeamus, quoniam rebellis ſit humor melāchollicus, & purgationi ineptus, non tamen id, quod nonnulli exiſtimant, aſſerit Galenus eſſe faciendum, quādo adhuc crudi ſunt humores, ſed poſtquam cōcocti ſunt à natura: ſemper etenim ἀξίωμα illud, quod prędiximus, uerū eſſe conſtat in eo ſenſu, in quo ab Hippocrate ſcriptum eſſe ſcimus, & à Galeno deinde comprobatum. Fundant, arbitror, medici iſti opinionem ſuam hanc de rhabarbari exhibitione ſuper dictis Meſuæ, cùm ait, dari illud poſſe & pueris, & utero gerentibus, abſque nocumento. Verùm neſciunt hi (pace ſua dixerim) Meſuen nonnulla parū accuratè ſcripſiſſe: de quibus cōmodiore tempore diſſeremus, ſi longiores nobis annos uiuere Deus concedet: laudantes etiā, ut par eſt, quicquid boni idem dixerit autor. Equidem non medicos ſolùm, uerū omnes omnium ferè artium profeſſores, Chriſtiana lege ſemper excepta, quæ omni ex parte & abſoluta eſt & inculpata, in multis errare contingit, ex nimia fide, & autoritate, qua dogmata ſua proſequuntur & amplexantur: multò quidem melius facietes, ſi accuratè ea conſideraſſent atque expendiſſent, neque tantum illis tribuiſſent: multi enim ex hoc, in aliorum non leue detrimentum & perniciem, committuntur errores. Quis enim neſcit rhabarbarū, de quo in præſens à nobis habetur ſermo, exoluens pharmacū ab omnibus qui unquam de illo ſcripſere autoribus, & haberi, & longa cognitū eſſe experientia? atq; ut alia omnia ſoluentia medicamēta, non calidi ſolùm & ſicci eſſe temperamenti, febricitantibus contrarii, uerumetiā & nocumenta ſingula in ſe continere, quibus prædita ſunt cætera medicamenta, de quibus nunc non eſt dicēdi locus: at ſi quis illa pernoſcere cupit, poterit in epiſt. noſtra ad Marium Nizolium ſcripta, in qua ſingula illa recenſuimus, cùm opus erit, & legere, & uidere. Neque tamen nos inficias imus, rhabarbarū adſtringens eſſe, quantum ad qualitates manifeſtas pertinet: neq; praui odoris & ſaporis, ut pleraque ſunt exoluentia pharmaca: non propterea tamen cōuincitur, ita frequēter illud in morbis dari debere, ut antea diximus: neque tam celeberrimū eſſe medicamentū: etſi inter cætera purgantia propter qualitates notas minoris nocumenti eſſe cōcedimus. Quòd ſi hoc nos redarguerent argumento, dicentes, ſe cauſam uelle, quæ febrē gignit, auferre, & ita per accidens refrigerare: ita illis reſpōdebimus: id congruū non eſſe, neq; ægrotanti expediens: uerùm concoctis humoribus, & ab arte prius corpore præparato, quemadmodū & ab Hippoc. & à Gal. in pleriſque locis apertè oſtenſum eſt, eſſe exhibendum. Neq; ita, ut aiunt, per accidens refrigerare, imò potius ex agitatione illa in humoribus, dum uacuantur, intempeſtiuè facta, ex uiolenta attractione, quæ omnia conſequuntur medicamenta aluū deiicientia, corpus calefieri, & calorē febris augeri: etſi interdū febricitantes aliquo modo ſubleuari uideātur à purgatione facta, quæ quidem alleuatio fallax eſt, nec firma, cùm non potuerint humores omnes, qui febrē faciunt, uacuari, ob illorum ineptitudinem & cruditatem: imò qui relicti ſunt, maiorē ac deteriorē putredinis gradū, dictis de cauſis acquirunt, & ſæuioris mali cauſa fiunt. Quando igitur dicit Hippocrates, Concocta medicari &c. &, Apparentibus ſignis concoctionis, &c. ita intelligenda eſſe dicta illa exiſtimo, quòd debeant exquiſitè cocti eſſe humores, cùm putridis præſertim medemur febribus, priuſquā pharmaco uacuari debeant: nōn diminutè, quemadmodū nonnulli medicorū exiſtimant: id quod manifeſtè cognoſci poteſt, ſi quis accuratè Galeni ſcripta conſiderare & expēdere uoluerit, & in illius methodis exerceri. Poſtquam igitur à natura cocti fuerint humores, tūc illos aut per aluum, aut ſudorem, aut urinam, aut ſanguinis nariū meatus, aut ſenſum latētes perſpirationes, aut alias ſimiles excernit uias, adeò q; ſæpenumero nō opus eſt medico uti pharmaco aluum exoluēte, niſi cum natura aut ex illius imbecillitate, aut alia quauis de cauſa, quod debet, perficere non poteſt: quod quidem raro contingit. Quòd ſi cōtigerit, tunc fidelis ac peritus medicus naturæ opitulari debet, ac illius imbecillitati præſtò eſſe, cùm ipſa imperfectè agit, ne iterū in morbos incidāt ægrotātes, & deterius quàm antea ſe habeāt: cùm creatus ſit à Deo medicus, ut illam adiuuet ac tueatur, non autem ut offendat ac deſtruat. Non uobis nunc recēſebo, Ciues, nocumēta quæ comitantur medicamenta exoluentia, ut antea ſcripſi: ſed id tantùm dicā, omina illa unà cum rhabarbaro uentriculo noxia eſſe, & illum infirmare, unde poſtea ita imbecillus redditus, cibos concoquere non poteſt, quibus totum nutritur corpus, & in uita cōſeruatur: quare Galenus præcipit, ut maxima illius & iecinoris habeatur cura, in illis corroborandis, tanquam inſtrumentis ad uiuendum ſummè neceſſariis. Id tamen dicam, rhabarbarum, de quo primùm ſermo à nobis habitus eſt, uentriculum minus quàm alia pharmaca exoluentia infirmare, & hepar, propter adſtrictionē ipſam, qua prædictum eſt, & odoris ſuauitatē quampiam. Vidi ego ſæpenumero, Ciues optimi, ex tam frequēti rhabarbari uſu, potiſsimū in febribus ac dyſenteriis, pleroſque in prolixas febres incidiſſe, diarrhœas & lienterias, à quibus poſtea aut maxima cum difficultate liberari potuerūt, aut mortui ſunt. Si hæc iniqua conſuetudo pharmacorū exhibendorū apud pleroſque medicorū tum noſtrę, tum ſuperioris ætatis inualuit, ſiue propter incōſiderationē, ſiue propter ingenii hebetudinē, aut aliquā aliam ob cauſam, mihi ſanè uidetur non æquum eſſe, ut ſimul nos in tam prauos incidamus medēdi abuſus, & tātorū malorū cauſa eſſe uelimus, præſertim hoc noſtro æuo à bonis & doctis uiris tantopere deſiderato, in quo & liberaliū artiū ſplendor & cognitio in lucē prodire, & tenebras ab omniū oculis fugare cœpit. Facto igitur diligēti examine, & accurata de omnibus his cōſideratione, & ſanā nobis amplexandam eſſe doctrinā, neminē eſſe ita pertinacis ingenii puto, qui neget, & à conſueta & praua deſiſtendū medendi cōſuetudine. Si nimia habendi cupiditas & ambitio animos noſtros nō ureret, atque hi qui medicinam exercent, natura eſſent ingenui,

Lib. de fœtuum formatione.

nui,candidi,& ad bonas artes apti,non tot profectò ac tanti in medendo abuſus quotidie emergerẽt.Sed quoniã plerunque mens noſtra eſt à Muſis aliena, & agreſtis potius quàm ciuilis,& coacti ſæpe medicinę operã damus, aut honoris,aut diuitiarũ adipiſcendarum cauſa,non uirtutis,aut alios iuuandi gratia,hinc illæ lachrymæ(ut ita dicã)hinc tot à nobis in ægrotantes committuntur errores, & multi ex illis ob morborũ prolixitatem ad egeſtatẽ cõpulſi,& à medicis & à pharmacopolis expilati,tandẽ omni ſalutis ſpe deſtituti, ultimũ clauſerũt diẽ.Reſipiſcamus igitur, ô Medici, & noſtros iam corrigamus abuſus, neque in illis pertinaciter perſeuerantes, falſam uelimus tueri doctrinã, ignarum uulgus noſtris decipientes ſumptuoſis ueſtimentis, phaleratis mulis, ficta ſermonis grauitate, & huiuſmodi aliis infinitis penè adulandi modis,quibus medicorum uulgus ſcatet,nõ enim hoc noſtrum eſſe debet ſtudiũ, non ſcopi,ſed ut ſana doctrina,& uitæ integritate cunctis accepti ſimus. Quare, Ciues, iam tẽpus eſt ut hoſce pſeudomedicos , carnifices, & alienæ rei uſurpatores , niſi ſe emendauerint,è ueſtris propulſetis laribus, & illorũ loco,probos, peritos, & ueritatis amatores, ut diligatis atque ſequamini,memoria prouerbiũ illud tenentes, ſi cæcus cæcũ ducit,ambo in foueam cadũt. Si hominum cordibus,qui Medicinæ operã nauant,auaritia & inſcitia ſimul cũ ficta probitate nõ inſediſſet hac noſtra tempeſtate,cui dubium eſt,nunquam uiros, aut certè rarò ægrotare,aut ſi morbis afficerentur,facilè,& breui tempore ab illis liberari, ſi recta potiſsimũ uiuendi ratione in ſex rebus non naturalibus uti uellent? Sed tanta eſt nonnullis medicis diteſcendi cupiditas, ut pro doctrina & ſapientia utantur audacia & temeritate, in ægrotantiũ perniciẽ, & quaſi inſidioſi uenatores longè proſpectã uenantes prædam, pluris faciant diuitiarum copias quàm bonũ nomẽ:nec pudore perfunduntur,cùm laudẽ falſam potius pretio, quàm uerã uirtute parant. Quid enim,rogo,tam copioſas,& tam pretioſas dictare compoſitiones medicos cõpellit, niſi nimia lucri & gloriæ cupiditas, eáque inſatiabilis? quæ adeò animis noſtris inhæſit, ut nihil aliud magis cordi ſit, ꝙ ægrotantiũ domos depopulari, de illorũ ualetudine modicã aut nullam mentionem faciẽtes , ſed ut mala in populo emergant optantes, ac perſeuerent, contrà quidẽ boni medici ac ſancti officiũ ac pietatem. Quapropter,ſi cõſiliis noſtris obtemperare uolueritis, ſaluti ueſtræ optimè conſultũ erit. Sed quoniã ſophiſtarum doli ita hac noſtra inualuerunt ætate,dubito ne pro nihilo dicta noſtra habeantur & conſilia, & ita circumforaneis, pſeudomedicis, & ſophiſtis in pretio habitis, hi qui omni ſtudio, deſpectis terrenis, gloria uidelicet atque auaritia, artibus incũbunt liberalibus & moribus ingenuis, quíque nihil aliud curant quàm ut ueritatẽ amplexentur,ac ſaluti hominũ proſpiciãt, ab omni humana ope deſtituti,& contemptui habiti,uix ſibi acquirere poterint,quæ uictui neceſſaria fuerint : hoc ſolo contenti ac freti, ꝙ dum diuinis obtemperant mãdatis, conatíque fuerint pro uiribus patriæ ſuæ ſaluti proſpicere,& ueritate comperta medicorũ illorum fucos atque actus detegere,qui pudendo ſuiipſorum dedecore artẽ tam ſanctam, tam piam, & nobilem ac liberalem, támque neceſſariã, impio humanæ uitæ diſpendio conſpurcarũt, Deum ſibi pro tam fideli ac pio officio non defuturum. Nunc me non latet, perſecutores non paucos mihi parari, qui totis uiribus conabuntur opinionibus noſtris refragari, atque illas infringere : uerùm, quemadmodũ nõ alia de cauſa hęc chartis mãdauimus,quàm ut mortalibus cunctis auxilio eſſem, & Deum illi agnoſcerent bonorũ omnium datorem munificentiſsimũ, ita illum conceſſurum non dubito, ut cognita tandẽ ueritate ac comperta,doctrina medendi ſana & certa à cunctis approbetur,& falſa odio habeatur:quãuis hæc nõ niſi maxima cũ difficultate admitti ſoleant. Velim igitur (ut ad rem noſtrã reuertamur)ut quæ hactenus ſcripſimus,& poſthac etiã ſcribemus, ne memoria excidant, ſed animis ueſtris inhæreant.Cõſueuerunt ſanè nonnulli pharmacopolæ diacitoniten neſcio quod,& uuas paſſas,& ſaccharũ ex roſis confectũ præparare,ſcammonion aut diagridion admiſcentes,& rhabarbari dilutũ,quo paſſas abluunt : quibus medicamentis ita apparati, nullo diſcrimine,cũ opus eſt, utũtur ad molliendã aluum, ſeu potius deiiciendã : quas quidem compoſitiones minimè uitio dederim,ſi in tẽpore opportuno morbi ſpecie conſiderata,exhiberentur,imò & illas laudarẽ,cũ ægrotantium nonnulli ſint,quorũ uentriculus adeò medicamenta abhorret,ut medico ſępe opus ſit nõ minus prudentia,quàm doctrina uti in illis curandis,præſertim cũ diuites ſunt,ac molles.Si igitur tẽpore congruo ſumantur,ut dixi,& ſeruentur conditiones illæ quæ obſeruari ſolent in reliquis medicamẽtis aluum ſoluentibus, illas non parũ approbamus. Si autẽ ut tragemata quædam ac bellaria exhibeantur delicata, ſummopere illas improbo & uitupero, & illos ſimiliter,qui illis ita uti conſulunt:quoniã in hunc modũ ſumpta,malorum multorum cauſæ ſunt euidẽtes :quemadmodũ Aſcanio ægrotanti contigit, qui ſuperioribus diebus è graui conualuerat morbo:uerùm quia aluus nihil deiiciebat niſi clyſteris beneficio(ut pleriſque euenire ſolet quorũ corpora morbi exiccarunt)medici ſui conſilio ſæpe uuas paſſas, de quibus antea mentionẽ feci, ſumpſit, cũ rhabarbaro præparatas, & ita in ſæuiorẽ quàm antea incidit ægritudinẽ. Non diſsimile huic & Lutiolæ noſtræ cõtigit, quæ diacitonitẽ à cibo uti conſueuerat, ea de cauſa & ipſum apparatũ cum ſcammonio, ut aluum facilem redderet. Omitto pleroſque alios, quibus & eadẽ mala obtigiſſe haud ignoro, ſatis hæc duo in mediũ adducta exempla nobis eſſe exiſtimans.Plura adhuc mihi eſſent dicenda, uerùm ne nouã medendi uiam penitus introducere uidear, & quæ à recentioribus, & Arabũ pleriſque inuenta eſt, & in hunc uſque diem ſeruata,omnem ſubuertere,hęc pauca in præſens nobis ſufficiãt:in aliud commodius tempus non minora prædictis reſeruãda ſunt,quæ nunc mihi ſupprimere ſatius uiſum fuit,ne nimius inter medicos oboriatur rumor,& ne nimiũ acerbè maledictis nos inſequantur.Poſtquàm igitur in hos incidimus ſermones , opportunũ mihi uiſum fuit, uos etiam nõnullis aliis de rebus & erroribus admonitos reddere , ut prouidentia ueſtra & cõſilio illis unanimiter occurratis, eóſque è medio penitus ſuſtollatis. Audite itaque,Patres,diligenter id quod nunc uobis paro ſcribere,nõ quidem ut errores ueſtros omnes nunc uobis manifeſtos facere uelim, ſed quos ſummopere in ciuitate ueſtra dominari ſentio, & eſſe potiſsima ueſtræ ruinæ & perniciei cauſa : ut ita per me admoniti, ab iis abſtinere poſsitis,& ita longius conualeſcentes,& nobis & cæteris adiumento eſſe,ſemper gratias habentes immortales bonorum omnium datori maximo Chriſto Ieſu, illúmque exorantes,ut ueritatem uobis aperire dignetur : & poſtquã eam uobis infuderit,aliis quoque illam oſtendere ualeatis,illius nomen & liberalitatem,qui tenebras propulſauerit , extollentes. Primùm itaque dicemus,regionem illam & ciuitatem , quæ uariis temporũ mutationibus obnoxia eſt, eam etiã morbis magis exponi, quemadmodũ ſcripſit Hippoc. in libello de aẽre,locis & aquis,& rationi conſentaneũ eſt. Quare cùm patria noſtra ſeptentrionem uerſus ſita ſit, & uariis aẽris mutationibus ſuppoſita , idcirco ea & plurimis & diuerſis morbis corripi conſueuit,non potens,quemadmodũ nonnullæ aliæ , huiuſmodi repentinas ferre mutationes,& pręlia.Corrumpunt profectò hæ temporum diſcraſiæ & alterationes ſubitæ , ac deſtruunt animantiũ temperamenta:ſi enim quatuor humores,ex quibus corpora noſtra cõſtant ac compoſita ſunt,debitã non excederent menſuram,neq; elemẽtum unum aliud uinceret,non quidem dicere auderem nos ſemper uicturos , quemadmodum dicere conſueuerat philoſophus ille à Galeno deſcriptus in libello de maraſmo,& quòd homo ex inſcitia ſua ſeneſceret ac periret:ſed quòd abſq; ægritudine ulla feliciter uiuẽs , abſq; ullo corporis dolore , aut certè minimo , humido deficiente natiuo,quemadmodũ lucerna conſueuit cùm liquore proprio deſtituitur,tandẽ uitam finiret.Optimũ itaq; eſſe exiſtimo , cùm nihil magis uictui noſtro , quã aẽr,neceſſariũ ſit,ſi has, quas antea diximus , temporũ mutationes euitare poſsimus:quod ſatis facilè fieri poterit, ſi totis uiribus nos illis obſtare uoluerimus, domos nobis in primis accõmodas extruẽtes,quibus nos continentes,modò frigus, modò nimios ęſtus declinare poſsimus,ut ait Galenus. Vtile etiam fuerit,cùm ingẽtes pluuiæ,aut frigora regnauerint , aẽra cõtrariis commutare remediis, bonis uidelicet odoribus , & amplis ignibus, & aliis huiuſmodi ingeniis atque artibus , ueſtimentis cõmodis utentes.Itidem ſi uehemẽs nos peruſſerit ardor , illis utemur auxiliis , quæ calorem lenire poſsint, cùm cibis,tum potibus, tũ etiam indumentis,

quæ indigentiæ noſtræ ſatisfaciant, uictu utentes temperamenti frigidi, piſcibus, lactucis, uino albo & oligophoro, frigida cubiculum inſpergendo, roſis, ſalicis foliis, & aliis quæ ſedare calorē poſsint, feneſtras ſeptentrionem uerſus reſerando, unde uenti ſpirant frigidi. Et ita de ſicco atque humido, qualitatibus paſsiuis, dicendum eſt. Deinde, quoniā cibi & ipſi maximam partem obtinent humanæ uitæ præſeruationis & curationis, abſque illis fieri non poteſt ut in uita diu perſeueremus, quoniam ita ſublato alimento calor deſtitueretur natiuus: ideo ſummopere hortamur, ne cibis lentis & craſsis tantopere aſſueſcatis & oblectemini, cuiuſmodi ſunt caſeus, præcipuè uetus, & quæ ex eo conſtant pulmenta, & fercula ex paſta omnia abſque fermento maximè parata, & ex illis repletio, quibus inter cætera patria noſtra ſummopere ueſci cõſueuit: ſunt enim huiuſmodi cibi omnes morborū multorum potiſsima cauſa & origo, corporis meatus obſtruendo, è quibus deinde obſtructionibus diuerſæ humorum gignūtur putredines, non potente ita natiuo calore recreari ac foueri, ſed ſuffocari potius & extingui: quo quidem autore uapores multi & humores per antè dictos exhalant meatus, partim manifeſtè, partim occultè: à quibus deinde humorū corruptionibus uaria morborum oriūtur genera, & immatura tandem mors & inſperata, necnon bonorum diſsipatio: etſi erga medicorum ueſtrorum nonnullos parū liberales hactenus uos ſenſerim. Medicus tamen totis uiribus inniti debet, ut hominum corpora tranſpirabilia ſint, ne humorū oboriatur putredo: quod quidem ab Hippoc. præſertim ac Gal. deinceps in pleriſque monſtratum eſt locis, ac probatum: quod facile conſequi ſolet, ſi tenuis ſubſtantiæ utamur cibis ac potibus, non craſsis & lentis, quemadmodū paulò antea ſcripſimus. Verùm hoc multò peius priore malū accedit, quòd uos non tantùm prædicta uti uictus ratione conſpicio, ſed multa, ex illa praua uiuendi conſuetudine, repletione, illi commiſcēdo diuerſarū temperaturarū cibos, unde poſtea multæ in corpore oriuntur redundantiæ, ac prauę cruditates, oris fœtores, & humorum corruptiones peſsimæ, non potēte calore naturali, cuius ope iuſta perficitur in humoribus concoctio, pariter conuincere hanc tantam ac talem ciborū repletionem ac diuerſitatem, unde poſtea multæ atque inſuetæ generātur in corpore mutationes: & ex huiuſmodi eſculentorum multitudine ac uarietate magis ac magis incitata appetentia, largius comeditis quàm par eſſet, ſi uno ſolo contenti cibo ſaturati eſſetis. Quare etiam uobis ea de cauſa pariter conſtare arbitror, uinum quale à uobis tātopere celebrari audio, quòd meatus obſtruat, & noxium eſſe, ac maximè deteſtandum, quòd ſcilicet (ut apud uos fertur) cultello incidi poteſt, ob ſuam ſubſtantiam craſſam, auſteram ac ſtypticā, qua facile corporis obſtruuntur pori, quia non poſsit ea ſubſtantia illos, niſi admodum laborioſe, penetrare: neque ita facilè concoquatur, quemadmodum illud, quod mediocri conſtat eſſentia. Verùm id me magis dolore afficit, quod à nonnullis certè dici conſueuit: uinū potēs illud eſſe, quod optimi ingenii pueros atq; adoleſcētes procreat, & conſeruat: res ſanè non ciuili ac docto homine digna, ſed barbaro, & minimi iudicii, quíque in compotationibus potius uerſari conſueuit, quàm in ſtudiis ac liberalibus artibus. An neſcitis (liceat enim rogo hæc pauca, nimio ueſtri & patriæ amore perculſo) uinū potens Hippoc. & Galeno autore, cerebrum lædere, & hominem alienæ mētis compotē reddere, & uitiorū multorum cauſam eſſe? Etiam ſi nullum magni alicuius uiri teſtimonium unquam uobis oſtenderem, ſolis tamen quotidianis experimētis contenti, dictis noſtris fidem præſtare debebatis. Deſtruit quidem quale à nobis deſcriptū eſt uinum, natiuum calorem adoleſcētulorum, ac conſumit: quoniam id ſit ignē igni addere, & ita calore extraneo adaucto, innatum extingui, quemadmodum à maiore minor extinguitur flamma: qua ſanè de cauſa à Platone traditum eſt, & deinde à Galeno cõprobatū, ne pueris uinū ullo modo detur, priuſquam duodeuigeſimū pertranſierint annum: quo quidē præcepto ac lege & mulieres cõprehēdi debere exiſtimo, tanquā cerebri imbecillioris, quàm uiri, quemadmodū ab Ariſtot. proditū eſt, & ita coinquinari ab eo magis pronæ: qui mos apud pleraſq; nationes ut ſanctus ac ciuilis, in hunc uſq; diem religioſe obſeruatur. Neq; etiā laudo ꝙ hybernis temporibus uinum debile à uobis, ut fit, uſui habeatur, ſed potēs: contrà uerò, cùm calor regnat, Galeni conſulto & ratione illud cõfirmāte, imbecillū atq; oligophoron. Non pertranſierim (poſtquam de uino à nobis habitus eſt ſermo) & uina illa Cellatica à uobis tantopere celebrata, & reliqua omnia tenera & mordentia, quia non ſint ſatis cum uuis in labris cocta, quibus uos tanta cum delectatione uti conſueuiſtis: nam ſi mihi parêre, & cõſiliis noſtris uolueritis, ab illis tanquā nocentiſsimis pro uiribus abſtinebitis, priuſquam non bene expurgata ac defęcata, & limpida reddita fuerint: multis nanq; ea excremētis & flatibus corpus replent, atq; obſtruūt, quod eſt diuerſarū ægritudinū cauſa efficaciſsima, quemadmodū à Galeno in pleriſq; commentariorū ſuorum locis monſtratū, ac probatū eſt. Hîc de uinis omnino quidem finē facere mihi in animo propoſueram, ſed cùm plurimi ueſtrûm à me petiiſſent, nunquid uinis potētioribus uti in uniuerſum magis tutum ſit ac conueniens, quàm debilioribus, quòd à medicorum nonnullis imbecillia minus laudari intellexerint, ſilentio & id præterire nõ potui. Nam ſi uera ſunt quæ circunferri audio, non poſſum non admirari medicorū iſtorum opinionem, cùm ad quæſtionem illam, iudicio meo, ſi rectè reſpõderi debet, prius opus ſit ut diſtincta & exacta admodū utamur locutione: neque ita ex improuiſo & inconſideratè pronuntiandū, Vino potenti nobis eſſe utendū, ſed cùm opus eſt, & quibus cõuenit: imò cùm uino utimur, eo utendū eſt quod facile & concoqui, & corporis meatus reſerare, nõ autē obſtruere, poſsit. Qui uerò ſpiritales cibi ſint, ac uobis competāt, quoniam ad aliū pertinet ſcriptorem, ideo particulam hanc illi relinquemus: hoc tantùm uobis in memoriam reuocātes, ſpiritalia nutrimēta ſi uerè nos alere debeāt, neceſſe eſſe ut pura ſint, nec ueneficis ullis cibis permiſta, qualia ſunt hypocriſis, ambitio, auaritia, & huiuſmodi alia, pro certo ſcientes, animā ipſam nequaquam ali poſſe, niſi contēptui habitis cunctis aliis rebus, præter Chriſtum: ipſum ſolum toto amplectamur corde atque animo. Quapropter ſatis cõſtare arbitror, ex his ueſtris comeſſationibus ac potibus immodicis, corpus cum anima pariter contabeſcere, ac ſcurriles ſermones gigni, morbos innumeros, indignationes, furores, rixas, impudicitias, & ſomnia præter modum moleſta: quæ quidē, & uigiliæ, ſi commēſurata fuerint, ualde ab omnibus commēdantur medicis & philoſophis, quòd ea calorem foueant natiuū, atq; uiuificēt, tanquam uitæ noſtræ neceſſaria inſtrumenta. Sin autem modū exceſſerint, ut inutilia damnantur. Quorū omnium rationes huc à me non adducuntur, tanquā ex ſe ſatis manifeſtæ ſint, & ab omnibus ferè, qui de illis tradiderūt, commemoratæ. Atque ex hac mali origine emanaſſe puto, uos parū uel nihil exercitationibus oblectari, neſciētes eas, ſi moderatæ, ac cõgruo tempore factæ fuerint, ſummopere conferre ad diu tuendam ualetudinē, utpote quæ corpus recremētis expurgēt, ac calorē tueantur natiuū, & languentē excitent. Quòd autē exercitamenti genus à me magis laudetur, quoniam id & uarium & multiplex eſt, & aliud aliis corporis partibus competit, nunc uobis exponere non enitar: quódque noſtra nunc non ſit intētio, de exercitationis ſpecie diſſerere, ſed cõpendioſam & breuē uiuendi uiam tradere. Id uos tantū admonebo, paruæ ſphæræ exercitiū multò aliis ſalubrius eſſe ac conuenientius, quoniam omnes ferè totius corporis exerceat particulas: cuius laudes quoniam peculiari libello à Galeno traditæ ſunt, & illæ, cùm opus erit, à uobis legi poterunt, hîc ideo illas recenſere nolui, ne chartas implere potius uiderer, quàm aliquid boni tradere. Quietis uobis mentionē facere puto mihi minimè opus eſſe, quoniā uos otioſam uitā degere plus quàm conueniat, uideo: & utinam ea non paucos ex uobis ad multa perducat incõmoda, & paupertatem deniq;, nemini præter Chriſtum & illius amicos expetitam, ſed cùm alios premit atque urget, illaudatam. Hæc tamen pauca, ne quid noſtro, pro uiribus, deſit ſermoni, etiam ſubiungam: quieſcerę homini rationali à ſumpto cibo, donec in membris factæ fuerint concoctiones omnes, aut ſaltem primæ duæ, deinde exercitari, & bonum eſſe atque opportunum. Memoria mihi penè & illud quidem exciderat, non leuis quidem emolumenti exiſtimatum, ut ſcilicet à uobis cùm publicæ, tum priuatæ conſtruantur ciſternæ, ꝙ aquæ pluuiæ in aëre à uētis & à ſole exercitatæ & expurgatæ, magis quàm hæc noſtra fontana aqua, leues ſint, quæ haud longè ab urbe

ſcaturiens,in illam per canales teſtaceos operta perducitur,ſole illam minime percutiente,nec excoquente,ut cæteræ aquæ,quæ longiori itinere currentes exercẽtur, & à ſolis calore meliores redduntur.Poſtremò mihi dicendum reſtat de accidentibus animi,una & ipſa ex rebus non naturalibus, ita à medicis appellatis, non minimam & illis uim obtinentibus in morborum curatione, ac tuenda ualetudine, in quibus uos adeò ſubmerſi eſtis,peccatis uidelicet,atque animi perturbationibus plurimis, ut auſim firmiter aſſerere ac teſtari, nũquã uos ad certam corporis ualetudinẽ peruenturos, longéq; in ea duraturos,dum in his perſeuerare uolueritis: quoniã peccata & animi perturbationes ſemper unà cũ ſpiritu corpus noſtrũ intemperatũ reddũt,& ad inopinatã tandem utriuſque mortẽ conducunt. Verum enimuero quoniã,ut ait Gal. in vj.ſect.aph. xxviij.uſq; adeò aucta ſunt edulia temporibus noſtris, ut nihil eis addi poſſe uideatur:propterea iterũ repetere nõ grauabor, ut nõ ſolũ cibis ac poculis nõ nimiũ indulgere uelitis, ſed ut ſobriè ac frugaliter uiuẽtes, optimè cõualeſcatis,pro cõperto habentes,parſimoniã & ciborũ abſtinentiã potiſsimũ in cauſa eſſe ut longius & felicius uiuendo ualeatis, & ut ad mille bona opera & magnifica, atque ad animi generoſiſsimas contemplationes atque excellentiſsimas excitemini. Ob id tamen exiſtimetis nolim,me ad hæc uos intolerabilia ieiunia & inedias hortari, in quibus nonnulli noſtræ ætatis perſeuerantes,indubiè credũt Deo ſe rem gratam facere, ſi corpus adeò affecerint,ut laruæ potius quàm homines uideantur, cùm tamen reuera nec ſibi, nec Deo, nec aliis quicquã boni hoc modo conferant,ſed inutile hominũ genus ſeſe reddãt. Etſi ea de re memorare mihi minime opus ſit,quòd nimia uos in quotidianis ſympoſiis licẽtia uti conſueti eſtis. Si itaque, ut antea commonefecimus,recta uictus ratione contenti, conſiliis noſtris parẽre non recuſabitis,maximo (mihi credite) gaudio afficiemini,atque animi tranquillitate,& inter beatos ſpiritus conuerſari proculdubio exiſtimabitis longè à uobis expulſis tot prauis animi atque immundis corporis deſideriis & cogitationibus,quas inter uos regnare ac dominari audio. Quare omnino mihi opus fuit,cùm non omnino ferreus atque inhumanus ſim, de iis tam magnis & abſurdis uiuendi erroribus ueſtris, & dolere,& triſtari. Maximo itaque uobis eritis emolumẽto, ſi ſic & gratia Dei reſtituti,optimè cõualueritis, & aliis ciuibus,qui turpiter & incompoſitè uiuunt, alterũ nouæ ac beatæ uitę ſpeculũ & exemplar efficiemini,à quo deinde ciuilis ac morigerati uictus normam ſumere poterunt, indies ſeſe etiã atque etiam emendantes, atque operationes ſuas meliores ſemper reddentes. Hæc ſanè pauca,Ciues optimi,ad uos ſcribere mihi uiſum fuit, ut intelligatis me ueſtri eſſe ſtudioſum, nec meis ciuibus mihi chariores eſſe aliquos:nam etſi uobis non deſunt docti & cordati uiri, qui ſi quando opus ſit opitulari poſsint,& ualetudinẽ ueſtram tueri, ac morbos profligare,tamen ad me etiã pertinere arbitratus ſum, uobis aliquã mei erga uos amoris ſignificationem afferre noſtrarum cõpoſitionum commodis atque utilitatibus, & apud uos monumentũ & memoriã noſtri relinquere,ſi fortè accidat (quod puto) ut à patria aliò diſcedã, cùm hic ſatis nõ ſit commodus ſtudiorum ac laborum meorum locus. Valete, mei memores. Ex Brixia,Cal. Ian. M. D. XLIX.

ALOISIVS MVNDELLA MEdicus, *Martino Agathio Iureconſulto optimo.* Epiſtola XXV. De *acetariis & fermentillis.*

MAgnum eſt commodũ habere amicum familiarem, & uiuendi conſuetudine cõiunctum,cum quo tua conſilia communices, in cuius ſermone ac ſuauitate omnes curas, doloréſque deponas: id quod in amicitia tua ſenſi experientia. Habui enim te,à quo in animi mei perturbationibus & moleſtiis, prudens conſiliũ & conſolationẽ non mediocrẽ caperem, ac in quo acquieſcerẽ. Sed una in re rationes tuas minimè ſecutus ſum:quam rem nihil erat quod ualde mirareris,& hoc factũ meũ & coràm & per literas damnaras,cùm tẽpori & neceſsitati mihi parendũ fuerit. Quid enim erat,cur in rei familiaris anguſtiis,& in raritate & tenuitate lucri,& in multa honeſti uictus deſperatione, cognatos,patriã, atque amicos non derelinquerem?& foris nõ eſſe mallẽ, ubi laboribus meis fructũ cõgruum dari poſſe ſperarem,quàm domi,ubi uirtus ſæpenumero contẽnitur, & magna iuſtæ mercedis pars intercipitur?Nã, ut uerè dicã (etſi fortaſſe hæc alicui ab inſtituto noſtro aliena uidebuntur,qui tamen Galeni lectioni nõ ualde aſſuetus ſit, qui plerunque in huiuſmodi incidit ſermones) poſtquã Brixiæ medicũ agere cœpi, ſemper operã dedi,ut quibus poſſem modis omnibus utilis eſſem:uerũ quia ex ſudoribus meis tantũ capiebam commodi,quantũ ad parandũ uictum nõ ſatis eſſet, idcirco mirũ uideri non debet, ſi tũc à me facta ſit loci mutatio, & profectus ſim εἰς τὴν ἀλλοδαπὴν, ſperans ex huiuſmodi migratione cõmodè uiuere poſſe. Sed profectionis meę & illa cauſa fuit,quod nonnullorũ medicorũ maleuolentiæ atque obtrectationi cedere uolebã, qui cùm doctrinã meam in eo præſertim approbaſſent, quod me uix tranſactis adoleſcentiæ meæ annis in collegiũ ſuum legiſſent, in curationibus tamẽ,uel in curationũ conſultationibus,ſępe me collegã doloſè recuſabãt,nõ alia(puto) de cauſa, quàm quod maxima eſſet morum & doctrinæ inter nos diſsimilitudo. Neque enim facere poterã, quin ubicunque eſſem, ueritatẽ defenderẽ, ægrotantiũ ſaluti conſulerẽ, ciuibúſque meis, quibus poſſem modis,honeſtè inter illos uiuere cupiens, prodeſſem. Inter cætera me paucorũ uerborum medicũ eſſe, & philoſophum uocabant, quaſi in quo ſit philoſophandi, in eo non poſsit ac debeat eſſe medendi ratio:& doctrina in multiloquio eluceſcat:ſatiſque à Galeno in pleriſque locis monſtratũ non ſit, non poſſe optimũ medicum aliquẽ eſſe, qui à philoſophia alienus ſit, & nimia loquacitas & garrulitas damnata. Habes rationẽ profectionis & peregrinationis meæ. Ego autẽ, quantum in me eſt,faciã ut omnibus bene conſultũ uelim, & alienas rationes quibus poſsim modis adiuuẽ: & ut tibi præſertim,cuius amãdi plurimas cauſas habeo,iam ſatisfaciã, ingrediar ad ea dicẽda, quæ à me cùm in horto tuo deambularemus, deſiderare uiſus fuiſti. Acetaria potiſsimum ea appellamus olera,quæ ex aceto, ſale, oleóque cõdîta & apparata, primis menſis ſumi cõſueuerũt, ad extinctũ uel languentẽ excitandum appetitum reliquorum ciborum:ſumpta enim,uim ad ſoluendos & extergendos humores,ſi qui ſint in uentris ore,qui appetitũ ipſum obtuſum reddant,habent:unde illa ſumendi cibi auiditas & delectatio naſcitur. Sed ſub acetariorũ nomenclatura,multa quoq; alia cõprehendi ſolent,quàm olera:ut,cappares,cariotæ,bulbi,oua indurata,bouilla caro & ſuilla ſalita,citria,& huiuſmodi reliqua, eodem modo quo reliqua apparari cõſueuerũt,citriis,carnéq; ſalita exceptis:huic enim acetum tantùm addimus,illis uerò ſaccharũ, non quidẽ ut maiori quàm opus ſit, ciborum copia ſeſe impleant homines, ſed ut ciborũ appetentia(ut paulò antè dixi) inuitetur. Quoniam uerò Hermolaus in caſtigationibus Plinianis illos manifeſtè reprehendit, qui acetaria ab aceto dici putant, cùm ab accipiẽdo nomen flectatur, quoniã horti igne nõ indigeant,ſintq; res expedita & parata,tanti uiri cenſuram non reprehendam ut iniuſtam:non enim,Galeni cõſulto,tam uocum,quàm rerũ rationes & naturas quęrere ſoleo. Cuiuſmodi autem temperamenti illa ſint (quod de me te quæſiuiſſe memini) & an illa tibi conueniant nécne, ad ea quæ infrà dicentur, animũ attende. Acetaria,poſtquam uocabulũ id neotericũ ab omnibus iam ferè receptum eſſe uideo,in primis diuerſi temperamẽti eſſe ſcito, ſecundum uariam rerum, ex quibus conficiuntur & conſtant, naturam: & propterea nec unica reſponſione à me tibi ſatisfieri poſſe,ſed longè optimũ eſſe, uniuſcuiuſq; illorum propriam nouiſſe uim, propriáque hominũ,qui illis utuntur,temperamẽta,& peculiares naturas. *Galen. ij. de alim. facult.* Quare,cùm uentriculo ſis natura imbecillo ac frigido,cerebróq; humido ualde, ut non multùm acetariis iis aſſueſcas moneo,quæ frigida conſtant temperatione,ut lactuca,endiuia,& huiuſmodi:niſi æſtiuis caloribus ad extinguendã ſitim,biliſq; feruorẽ, illis pręcipuè coctis uti uelis,in uniuerſum enim à crudis abſtinendum,Galeni Pauliq; teſtimonio, lactuca excepta,quæ interdũ,dum adhuc recens eſt,neq; in caulem prorupit,cruda edi poteſt. Hybernis uerò temporibus cappares aptius apparari poterunt,& bulbi, quoniam hi,ſicut cappares,appetitũ faciant,pituitã in uentriculo exiſtentẽ diſſecent atq; educãt, qua quidẽ ſæpenumero te uexari nouimus,neq; ſua qualitate tibi,quod euidẽs ſit,obeſſe poſsint. Quia tamen cappares,propter ipſorum humidã ſubſtantiã, per annũ aſſeruari nõ poſſunt,

nisi sale condiantur, idcirco tibi igne minimè amplius opus erit, cùm ita sale macerati, semicocti sint. Cætera omnia quæ coqui aut assari apta sunt, ut aqua aut cineribus coquantur, facies: quoniã ita facilius à uentriculo conficiantur, nec tantum excrementi generent, atque si cruda sumantur. Cari quoq; radice modicè quidem uti poteris, quòd prauum succũ generet si largius sumatur. Olei uerò non multũ acetariis immitti oportet, contra communẽ quidem præparandi consuetudinẽ: quòd rerum omnium, quæ multũ unguinis participant, natura sit, uentriculi os relaxare, & appetentiam restinguere, non incitare, ut ea faciũt quæ incìdunt & attenuãt. Cognito igitur rei ipsius quæ apparatur, necnon illius qui eam sumit, temperamẽto, & natura, facile deinde unusquisque scire poterit, an acetariorũ usus damnãdus sit, an approbãdus, sibique prosit uel noceat. Nos sanè cur tantùm, ut à plerisque fieri audio, acetaria damnari debeant, nescimus, nulla prius nec de illis, nec de iis qui ea assumunt, distinctione habita: cùm satis manifestũ sit, si cibi uel medicamenti loco eorũ nonnulla exhibeantur, multis & utilia esse & conferre, consideratis illorũ uiribus & qualitatibus. Hoc tamen prius diligẽter æstimato, quòd cùm febricitantibus præsertim dantur, ut olei salisque admistione abstineamus, saccharũ tantùm pro eis immittentes, uel illis modicè utentes, quòd febricitantibus utraque suo aduersentur calore. Quibus hunc in modum à nobis explicatis, dubitatiunculis tuis iam satisfactum esse arbitror. Quòd uerò (postquam de his incidit sermo) acetariorum usus antiquis innotuerit, quódq; ad reuocandam appetentiã, cibique fastidium propulsandum in primordio cœnæ dari consueuerint, ex illorũ scriptis patet, quamuis diuersa à nostra apparandi ratione. Apitium quidem autorem de re culinaria antiquissimum & celeberrimũ, similiter ut nos cariotas præparasse non ignoramus, oleo uidelicet, sale, & aceto: sed alia multa, ut lactucã, intybum, & asparagos, alio quidẽ à nostro apparatu: quemadmodũ etiam Galenum fecisse constat, qui ari radicem aqua elixam, cum sinapi aut aceto & garo cõdit, lactucámq; ex aliquibus obsoniis, præsertim iis quæ ex caseo constãt: & capparim ex oxymelite, uel oxelæo. Verùm id consideratione dignũ uidetur, huiusmodi generis omnia ferè à Galeno, cæterisq; ueterũ scriptoribus garo potissimum, aceto oleóq; condiri, cùm tamen garum apud ipsos maximo in pretio, maximáq; in æstimatione habitũ fuerit, nobiléq; à Martiale appellatum: licet Galenus ij. de alim. facult. cap. de brassica, pro eo sale uti uideatur. Vniuersa præterea olera coctionẽ nõ experta, deterioris alimenti sunt, quàm elixa, multóq; magis superflua abundant humiditate: syluestria uerò uitiosum omnino succum procreant, Pauli autoritate. Illud te admonendum censeo, acetũ quanto acrius fuerit, tanto minus frigidæ naturæ esse: cuius si pertimueris acorem & mordacitatẽ, sacchari paululũ, aut uuarum passarum in eo coctarum admiscere poteris, non autẽ sapæ, quemadmodũ abs te sæpe usurpari intellexi, ꝙ hæc obstructionis causa sit, illæ uerò cum hoc quòd obstructionẽ hepatis tollunt, uentriculũ temperẽt, aceti uehementiam etiam restinguant. Quòd si lactucæ aut similium frigus tibi suspectũ fuerit, ea permiscenda erunt quæ illud temperent, ut est eruca, fœniculus, & huiusmodi: aut etiam ex aromatis quippiam, hyemali potissimũ tempore. His adde, quòd lactuca interdum à medicis ab omni cibo, ad accersendum somnũ, non appetitũ, exhiberi solet: quoniam in hunc modum accepta, illius frigus atque humor citius cerebro communicetur, soporẽ prouocet, ac quietẽ generet. Etsi uerò non omnino à medico alienũ sit, ea quæ ad coquum attinent, scire, & alios docere, quòd nõ parum id ad tuendam ualetudinem, & pellendos ualeat morbos: quia tamen, quàm mirè & uariè apparari soleant acetaria, tum ex me, tum ex aliis tibi iam innotuisse puto, propterea de his amplius ad te scribere superuacaneum fuerit. Illud miramur, acetariis nullum ab antiquis scriptoribus, Græcis præsertim, quod hactenus uiderim, peculiare nomẽ impositũ fuisse, quibus, ut ait Gal. maxima erat in usurpandis & imponendis rerum uocabulis licẽtia. Sed de his satis. Nunc ad aliam, de hepatis natura dubitationẽ accedemus. Hepar, cuiuscũq; animãtis fuerit, seu cicuris, seu syluestris, illaudabilis & damnati alimenti esse, ab omnibus, qui rectè unquam de re medica scripserunt, abunde satis monstratum est. Nihil enim aliud est hepatis substantia, quàm sanguinis coagulatio quædam. Sanguinẽ uerò improbi succi esse, si edatur, constat. Sed tamen si quando tibi animus esset aliquo hepatis genere uesci, gallinarũ hepar, in primis uerò iuuencularum, & earum pullorum, caponúmque optimè nutritorum, necnon anserum, anatúmue, uitulæque, & laudatæ suis probauerim, non quidem ut bonum, sed ut minus noxium, quàm aliorum animãtium: si modò non minus illud ad ignem indurescat, & ultra quàm conueniat coquatur. Cæterorum uero animantiũ hepate abstinebis, siue asso, siue elixo. Nam etsi perdicis caro, columbi, turturis, & aliorum multorũ animantium probati sit nutrimenti, non tamen dicendum est illorum hepar eiusdem esse cum illis succi: quoniam non in plantis solùm, uerumetiam animãtibus diuersæ naturæ partes sunt: colla enim, pedes, intestina, & eorũ cerebella, licet reliquum animantis corpus probi sit alimenti, difficilius tamen hæc coquuntur, & pituitosum generãt humorẽ. Quare cur senex ille tuæ familiæ olim præfectus medicus, cùm ex putrescentibus in uenis humoribus cõtinuè febricitares, adeò hepatis usum in cibis extulerit & commẽdarit, equidem nescio, cùm nullæ rationes, nulláque autorum, qui probati sint, extent testimonia, quæ hanc uictus rationẽ & usum probent. Cui dubitationi proxima est & illa alia de Fermentillis à nobis uocatis quæstio, an scilicet putrida febre affectis conueniãt, necne. Equidem nil peius esse existimo, quàm sese aliorũ præceptis addicere, nec ea quæ ab illis traduntur, quoquo modo expendere & considerare uelle, sed quæcunque illa sint, pro receptis ac doctis habere. Nam quid aliud, obsecro, Fermentilli sunt, quàm triticeæ farinæ massa quæpiam, aqua frigida solùm, ut audio, absque ulla fermenti portione, in hunc quem uides modum concinnata? nulla ex parte quidem à laganis, & huiusmodi aliis cibis qui ex farina conficiuntur aqua subacta, nisi figura tãtùm differens. Imò si diligentius inuestigabimus, deterioris ꝗ̃ lagana alimenti esse constabit, cùm ex fermento hæc addito conficiantur, sine uerò eo hi, de quibus modo diximus, fermentilli, ita (puto) appellati, quòd absque aliqua fermenti præparentur mistione: quemadmodum etiã bellum, Parca, & huiusmodi alia: crassæ uerò sunt, tenacis & obstruẽtis naturæ, cuiusmodi quidem non indigent cibis dicta febricitantium corpora, sed contrariis potius, quæ scilicet dissecent, attenuent, atque aperiant, siue cibi, siue medicamenta illa fuerint. Habes quid de tuis sentiam dubitatiunculis: nunc ad maiora me accingam negocia & studia. Tu interim uale, & nos, ut facis, ama. Calend. Iun. M. D. XLIIII.

*Vndecimo de fract.*

*Galen. 2. de alim. facul.*

ALOISIVS MVNDELLA MEDI*cus, Ioanni Alberto Tertio Iureconsulto suo* S. D. *Epist.* XXVI. De *Casiæ flore.*

AVdio nonnullos ex ciuibus nostris sæpenumero cõquestos esse, ac graues in populum de me rumores sparsisse, quòd florem casiæ, quem uocãt, nunc mistũ, nunc simplicẽ & solum ægrotis hauriẽdum aut deuorandum statuerim, præsertim iis qui nimias in emendis medicamentis ferre non possunt expensas: &, quod multò magis miror, illos adduci non posse ut credant, hunc casiæ florẽ uspiam inueniri: uel si inuenitur, non uidere sese cur tam iis qui obscuro, quàm qui claro genere orti sunt, promiscuè exhibeam. Quæ res facit, ut huiusmodi hominũ ineptias rideam, & de uitæ eorũ rationibus doleam. Nam quid, quæso, ad eos pertinet de nostris uelle iudicium ferre compositionibus & medicamentis, & de his tam arroganter pronuntiare, cùm nunquam in medendo sese exercuerint, aut saltem medicinæ operã dederint, aut libros, qui medicamẽtorum simpliciũ uires ac formas docent, uiderint? Sed ut sibi & omnibus ueritatis studiosis à me satisfiat, pauca de re nunc differam. Pro rerum uarietate, uaria quoque florum ratio esse solet. Nam in uino & aliis liquoribus & succis, florem de sententia Galeni appellamus partem eam, quæ in his, dum ebulliunt, supernatat, & postquã ebullire desierint, ad fundũ dolii deuoluitur, & in imo residet. Nam quod uerè uinum dicitur, in uasis medio remanet: quod supernatat, flos: quod residet, fæx appellatur: In arboribus uerò & fruticibus & herbis, florem dicimus primam illam germinis explicationẽ, quæ fructus ipsos antecedit, & est quasi fœtus prænuntia. Sed in casia, quemadmodum in farina, flos dicitur pars ea, quæ melior & lautior est: id est, caro ipsa, quæ in cer-

*Quarto de simpl. med. facult.*

niculo illo orichalceo extracta, quo pharmacopolæ utuntur, purior & syncerior omnibus illis ossibus & mẽbranis ligneis, & illis quasi parietibus, quib. ipsa inhæserat, reiectis, in uasculũ subiectũ excipitur, ut κιασαυθος, ἀλοσαύθος, & huiusmodi. Patet igitur, hunc casiæ florem, nõ liquorẽ, aut succum, aut lachrymã, aut florem, sed magis propriè carnẽ dicendũ esse: quem quidẽ pro medicamento ægrotantibus, cùm opus est, ad aluũ bonam faciendã, & citandã, exhibendum censemus, amotis omnibus ferè iis, quæ in ipsa sunt terreæ naturæ particulis, utpote ad lubricandã aluum minimè facientibus, sed potius resistentibus, & aduersis. Etsi nonnulli sint, qui contrariũ omnino asserant, dicentes & has particulas aluo suppressæ utiles esse: quoniã ita apparatũ, minorique põdere potũ aut uoratum, efficacius quàm casia non purgata, nec in hunc modũ cõcinnata, humores qui in uentriculo resident atque intestinis, seruatis æquis inter utrasque portionibus, ducere credendũ sit: quòd ita secretis terreis illis & siccis partibus ab humectis, quæ alioqui (ut paulò antè dixi) non minimo esse possunt impedimẽto, reliquæ ipsius casiæ substantiæ ad mouendã aluũ peraccommodæ, proposito nostro magis inseruiant, faciliúsque & libentius de ægrotis sumãtur: quàm si maiori pondere nõ mundata detur, neque etiã maior inde extorqueatur pecunia, si floris, & impuræ casię omnẽ æquè expendemus uim & mensurã, necnon partiũ quæ in utrisque sunt temperamentũ & substantiã, modò concinnatores fidos & probos ad illam percolandã nacti simus, eáque sub cœnã uel prandium, prout magis ægrotanti cõmodabit, sumatur, ut etiã ait Gal. de prunis. Nam si cibũ multò post illius sumptionẽ tardaueris, aut somnus statim intercedat, ut fieri solet cùm alia exhibentur soluentia medicamenta, minimè quidẽ aut parũ aluum mollit, ꝙ eo tẽpore quo uentriculus cibi penuria affligitur, à calore ipsius naturali, ob indigentiã, in corporis nutrimentũ & substantiã conuertatur: etsi aliqua medicamentosa ui, quæ tamen minima est, si ad pleraq; alia comparaueris medicamenta, prædita est: ingratus enim omniũ huiusmodi medicamentorũ uentriculo est odor, atq; inimicus, ut ait Gale. v. de comp. med. secundũ genus. Confutatis itaque duobus falsò quidẽ me increpantium atque accusantium argumentis, ad id nunc quod reliquũ est me accingam. Quòd plebeis, & summis clarísq; uiris promiscuè hoc medicamẽtum dederim, aut dari iusserim, id causæ fuit, quòd talem me erga pauperes & infirmos prębere semper consueuerim, qualem in nobiles ac potentes: nec uni magis quàm alteri in medendo seruire paratus sim, sed eadem diligentia (quod tamen arduum fortasse alicui uidebitur) eodémque amore prosequar, & curem, Christi Dei nostri exẽplo, qui omniũ æquè, modò mandatis suis obsequi uelint, affectus sanat, atque omnes diligit, nec magis in unũ, quàm in alium, propensum se esse ostẽdit. Falsum quoque & illud est quod de me dicũt, quòd scilicet tam imbecillis & delicatis, quàm fortibus & agresti natura uiris, casiæ florẽ dederim, aut aliis medicis dandũ esse cõsuluerim: sed pro diuerso hominum genere & inæquali, diuersum & inæquale pondus & mensura casię à me semper data fuit. Neque ex hoc propterea negamus, quin alia ciuilis uiri, quàm aratoris, natura sit, ut Galenus in plerisque locis affirmat, satísque ex se manifestum est: imò proculdubio concedimus & nos, huiusmodi robustos homines maiorẽ tum medicamẽtorũ mẽsurã, tum uim tolerare, quàm imbecillos & molles. Sed tamen non ideo dicendũ est, quòd cùm alicui aluum facilẽ reddere uolumus qui ualidarum sit uiriũ, ut sunt fossores, nautæ, & uenatores, quòd huic medicamentum soluens dari debeat, ut medicorũ nonnullos dicere audio, sed cùm tẽpus illud postulat, quicũq; ille fuerit, seu humili, seu nobili genere natus; seu forti, seu debili natura, ei & mollienda aluus est, & soluẽda. Atq; cùm Gal. dicit, robustiora corpora ualidũ, mollia minus ualidũ poscere medicamentum, hoc modo intelligenda sunt atque exponenda ipsius uerba, quòd eo tempore quo exhiberi debet medicamentum, minori pondere, minorique uehementia præditũ delicatis detur, quàm duris corporibus, maiori uerò & pondere & ui iis, quæ robusta sunt. Vtinã charitas Christiana nobiscũ habitaret, utinã nos mutuo amore prosequeremur: ita enim neq; ullæ discordiæ aut odia, sed perpetuæ amicitiæ nostros cõciliarẽt animos. Sed quoniã ea longè à cordibus nostris recessit, omniáq; in peius ruere nõ cessant, & nõ nisi quædã uana illius religio & superstitio à nobis excolitur & ueneratur, itáque lege cautũ est humana, ut qui se nobilẽ appellari uelit, illi omnino necesse sit, ut neque ipse, aut parentes eius, aut etiã ataui, ulli unquã sedentariæ uacauerint arti, aut etiam uacent, sed ociosam uitã degat, ac delicatè uiuat: alioqui nec clarũ illũ ullo modo esse posse, nec illis fungi honoribus & dignitatibus, quibus cæteri omnes, quos isti appellãt nobiles: deniq; & priuata utatur tum uictus, tũ uestitus ratione; pro sua, suæque familiæ sustentatione: ciuitate, meo quidẽ iudicio, Christiana indignũ. Quoniam igitur Christus rex regũ, & generis claritate cæteros omnes præcellẽs, fabrilẽ artẽ pertractare nõ ueritus est, fabriq; filius nũcupari, ciuilibus ergo nõ potietur honoribus? sacris nõ adscribetur collegiis? urbis dignitatibus ullis non gaudebit? Quare resipiscendũ iam est, & puluis ex oculis nostris excutiendus, neq; amplius dicendũ, pauperes & ignobiles alio & alio curandos esse quàm diuites & nobiles modo, ut medicorũ nonnulli, & alii diuersi generis uiri existimant ac prædicãt, quòd charitas atque amor longè ab illorum absit cogitationibus. Sed iã unde digressa est, nostra reuertatur oratio: satis enim euagati sumus, rei consequentia quadã adducti, & longius fortasse quàm par erat. Scimus quippe nos, à Galeno in libro qui inscribitur, de uictu priuatorũ, & alibi, alios tum cibos, tum potus, & omnẽ deniq; uictus rationem, secundũ uaria hominũ genera, regiones, naturas, exercitamenta, consuetudines, tẽpora, & huiusmodi alia, traditã esse, necnon in sexto de cõp. med. secundum loca, alia pro delicatis & diuitibus, alia pro agrestibus & impotẽtibus medicamẽta illũ nos edocuisse: ꝙ non quisq; eodẽmet uti cibo debeat, nec tantis abũdet pecuniis, quæ sibi sufficiãt ad emẽda hæc sumptuosa medicamẽta & pretiosa: non autẽ quòd non iisdem iuuentur inopes remediis, quibus & potẽtes, si illis uti concessum esset, modò eodẽ morbo afficiãtur, eodémque temperamẽto sint, & natura. Quapropter diuitum ego interesse puto, & medicorum illorum qui amplis pariter affluunt rebus & bonis, ut quemadmodũ Deus in illos, ita & ipsi erga indigentes & miseros, in emẽdis iis pręsertim cibis & medicamentis, quę ob angustiam rei familiaris sibi cõparare non possunt, ut cõualescant, liberalitatem ostendant: omnes enim ita illorum extollerent in laborantes atq; inopes pietatẽ, quẽadmodum etiam consuetũ erat antiquis illis summis uiris, de quibus meminit Galenus in libr. de antidotis. Sed ad rẽ. Nõ igitur is casiæ flos tantùm, sed cętera quoq; medicamẽta, tã in usum & cõmoditatem pauperũ, quàm diuitũ, inuenta esse fatendum erit, & quæcunq; alia, quę in nostrum beneficiũ & salutem summus rerum omniũ opifex, summa sua prouidẽtia & potestate creauit, nobísque elargitus est. Adde, ꝙ probabilius multò est, pauperculos hosce homines à medicamentis his, & cibis etiam, quibus nobiles & diuites sæpenumero utuntur, multò magis iuuari (id quod nos sæpe experti sumus: quoniã natura quæ tam dura paupertate iam oppressa morbo succubuit, facilius adiumentũ sentiat) quàm illos, qui cõtinuè ferè & cibis & medicamentis utuntur exquisitis, quòd illis assueti haud amplius illorum sentiant cõmoditatem & uim: qua de causa scripsit Galenus, in morbis longis uarianda esse medicamẽta. Neq; etiam illud uerũ est, quòd omnino qui nobilis est, etiã delicatus sit: & rursus, quòd robustus omnis dici debeat, qui ignobilis & inops sit, ut satis cuilibet cõsideranti manifestum esse puto: plerosq; enim nobiles noui, qui ad bella, uenationes, & fortes exercitationes, muniáq; maxima obeũda apti erãt, quibus nõnulli priuati homines & populares minimè assuescere poterãt, ob illorũ corporis imbecillitatẽ nimiam, & debilem naturã: quibus utiq; alia instituenda erit cùm uictus, tum medicamentorũ ratio, quàm illis qui uerè delicati sunt & molles, siue ex infima, siue ex clara progenie nati fuerint. Considerandæ utiq; sunt hominũ naturæ & proprietates, consuetudines, tẽpora, regiones, & eorũ quibus incumbũt exercitamenta, ut recta illis uictus à medico instituatur ratio, ut paulò antè scriptum est: sed tamen non propterea sequitur, quòd cùm aluum leuare uolumus, illam soluere debeamus, ut illi dicũt, qui cùm aliquem robustioris naturæ præ manibus curandũ suscipiunt, ut agricolam, aut nautã, illicò, præsertim cùm morbus inchoat, pharmacum exhibere quod aluũ soluat, nõ dubitant: talem afferẽtes pro se rationem, quòd

alio

*Sexto de cõpos. medi. secundũ loca, & ij. de cõp. med. secundum genus.*

*Lib. de nat. hum.*

*Quinto de tuend. san.*

alio & alio modo debiles, quàm fortes, nobiles quàm idiotas, curare congruũ ſit. Verùm nõ animaduertũt hi, nuſquã ab aliquo perito medico hãc illorũ doctrinã traditã eſſe aut inuentã, aut rationi cõſentaneã eſſe, ꝙ ſcilicet cũ nobis opus eſt aliquo medicamẽto ad emolliendã aluũ, eo quod ſoluat, uti debeamus, quiſquis ille fuerit, ſeu ruricola, ſeu ciuis, ſeu mollis, ſeu robuſtus: niſi cuipiã adeò natura aluus inobediens ſit medicamentis mollientibus, ut cogatur interdũ medicus medicamẽto uti exoluẽte, pro eo quod aluũ lenit, ut quandoque nobis contigit, ac aliis contigiſſe exiſtimo, qui multũ in re medica exercitati ſunt: quæ tamen curatio nõ ſecũdum rationẽ, ſed coacta dicetur. Cõcedimus quippe nos (ut antea diximus) corpora ualida & fortia ſolidioris ſubſtantiæ cibos & potus expetere, eóſque facilius cõcoquere, quàm imbecilla: ſimiliter cùm maiora tum uehementiora tolerare poſſe medicamenta, contrà uerò debilia, in quorũ numero ſunt & eunuchi & mulieres: nõ tamen immutandã eſſe methodũ, quæ nos docet, quãdo aluus eſt exoneranda aut ſoluenda. His igitur de cauſis caſiæ florẽ ægrotantibus noſtris uel pauperculis dedi, quòd hæc certa & uera curandi uia mihi uiſa ſit: nõ autẽ illa ab iis inuenta, qui ꝙ delicatè ac ſumptuoſe uiuãt, ſe optimos medicos eſſe exiſtimẽt, & nobiles. Vale. Ex Brixia, XVII. Cal. Nouemb. M. D. XLIII.

ALOISIVS MVNDELLA MEDIcus, *Hieronymo Feroldo medico* S. *Epiſt.* XXVII.

NOn ego ſanè, ut ais, medicos illos accuſo aut improbo, qui à recta loquẽdi norma, aliqua in parte deficiunt, & barbara utuntur uoce, cũ aliqua de re ab eis, præſertim medicinali, ſermo apud alios habetur (quos certè neſcias latinè ne, an alio quouis potius loquantur imperito idiomate, niſi rem diligentius animaduertere uolueris, adeò ab incunabulis uſque ad hanc prouectiorẽ ætatẽ, huiuſmodi aſſueti ſunt dicendi imperitia, & triuiali potius, quàm uerè latino homine dignis uocabulis) modò per illorũ uerba ſenſus atque intellectus eius rei qua de loquuntur, mihi innoteſcãt: ſed ꝙ (ut infrà oſtendam) à ueris medendi ſcopis longè aberrant. Scis enim, ut diuũ Auguſtinũ, Hieronymũ, & pleroſque alios magni nominis uiros cũ Platone prætereã, quàm maxima de nominibus à medicis ſui temporis cũ Galeno habita fuerit controuerſia & diſſenſio, & ab eo tamen in pleriſque locis neglecta, dũmodo rerum eſſentiã, qua de lis & controuerſia inter ipſos erat, cognouerit atque intellexerit. Neque te latêre debet, qui aliũ carpere uoluerit, omni eum culpa uacare debere. Propterea, cùm ego potius pluribus de cauſis à uiris doctis meritò damnandus ſim & reprehendendus, nemini mirum uideri debet, ſi æquo & patienti animo aliquorũ barbariem & inſcitiã fero, qui mecum ad ægrotos conueniunt, modò ipſis utilia, & philoſopho digna ab illis in mediũ adducantur: ſemper enim maxima in æſtimatione ac ueneratione habui, habebóque dum uiuã, Collegii noſtri uiros graues, omnéſq; alios quoſcũque, qui poſthabita cùm lucri, tum glorię cupiditate, uerè medicinã, aut aliã ſanam doctrinã, artémque profitentur liberalẽ. Quamuis quãplures etiã alię afferri poſſent ad hoc propoſitum maximè facientes rationes, & multa pro iſtorũ hominum excuſatione & defenſione argumenta: quæ quoniam perſpicacis ingenii uiro facile innoteſcere poſſunt, & à Ioanne Pico ad Hermolaum ſcripta ſigillatim optimè adducũtur, ut à me in præſens omittantur, rationi conſentaneũ uiſum fuit, ne tempus terere, & quæ aliorum ſunt, mihi adſcribere uidear: & quia etiam à te, cùm libuerit, & legi, & uideri poterunt. Quare non hæc iſtorũ falſa (ut dixi) & abſurda elocutio me in admirationẽ trahit, ſed ꝙ interdũ à medicorum nonnullis ea afferri audio, ut abſque auribus quidẽ, & omni ſenſu deſtitutus iam eſſe cuperem, nõ quidẽ ut ſuprà ſcripſimus, propter illorũ ſolœciſmos, aut craſſam Mineruã tantùm, ſed ꝙ non eo amore ac pietate, ut par eſt, prolata, & à nobili & ingenui animi uiro medico longè aliena, ſæpius inculcari uideantur: & quod multò peius eſt, interdũ in huiuſmodi noſtris Collegiis, ſeu potius cõciliabulis, ut uniuerſæ ferè iam ciuitati noſtræ innotuit, quæ nequaquam, aut certè parũ ad ægroti ſalutem conferant, & ad uerã medicinã attineãt (prò dedecus maximum) inueſtigari conſueuerint: id quod tamen à pio, ac Galenicæ diſciplinæ imitatori, longè diſſidet uiro, cùm hoc ſit contra bonos mores, & Chriſti ueritatem: ſitque potius languentes ipſos opprimere, non autẽ releuare, & ad uiuũ uſque, ut aiunt, reſecare, ac ſine ulla pœna, ut ait Plin. interficere. Summopere quidẽ laudo, ut à medicis, qui periti ſint, ac pariter probi, collegia ſiue conſulta pro ægrotis habeantur: nõ autem qui ſua peruerſa doctrina, & malitia, praua dogmata in aliorũ animos inſpergant, & peſtiferum uirus euomant in ægrotantium perniciem, & ut ſua tueantur dicta contra ſanam aduerſariorũ ſuorum doctrinam, & probata experimenta, quíque potius ad lucrum, quàm ad ægrotantiũ reſpiciant ſalutem. Digladiari certè hos nonnunquã inter ſe putares, non quidẽ pro inquirenda alicuius rei dubiæ certitudine, quæ ad ægrotũ conferat, ſed quacũque etiã leui de re altercari, adeò corrupta eſt illorum mens, & à recto rationis tramite longè aliena, & pertinaciæ uitio obnoxia. Sanctiſsimum quippe, ac iuxtà æquiſsimũ eſſet, chariſsime compater, ſi Galeni ueſtigia perſequi totis uiribus niteremur, & Chriſti doctrinam amplexari, maiórque à nobis de ægrotantium ſalute & ſociorũ proſperitate, quàm de diuitiis & honorũ ambitione à nobis cura haberetur. Quis enim neſcit (probos enim & doctos, qui in ciuitate noſtra, ac uſquam alibi morãtur, ſemper excipio) à pleriſque medicorũ, ægrotantiũ ſalutem atque interitũ pro ludibrio haberi, ſi ea, quæ ab ipſis indies committuntur, accuratè ac diligenter conſiderare uolueris? Hæc ſanè apud me uera & ſana eſſet, omnibúsque imitanda eloquentia: hoc eſſet Romanè loqui, & cum Chriſto uiuere ac mori, ſi huiuſmodi uerborum lenociniis & uitiis omiſsis, Chriſti ac Galeni doctrinã certiſsimã quidem, omníque dubitatione carentem, pro uiribus, non dicto quidem, ſed facto aſſequi ſtuderemus. Conticere ſanè non poſſum, quod mihi ſuperioribus diebus reſponſum fuit à quopiã non cõtemnendæ autoritatis medico, qui cùm unà cũ nonnullis aliis ad ægrum quendã, quem præ manibus ipſe curandum ſuſceperam, accerſitus fuiſſet, rectéq; omnia à me hactenus acta uidiſſet, ut aliquid tamen noui & ipſe agere uideretur, pharmacũ exoluens ægrotanti propinari ſequenti laudauit die: quod cùm omnes uno ore, qui iſtuc cõueneramus, recuſaſſemus, ad nos cõuerſus ille, inquit: Turpiſsimum quippe eſſet, tot medicos huc acceſsiſſe, nec aliquid noui apportaſſe. Cuius cùm præualuiſſet ſententia (erat enim & ætate & æſtimatione in uulgus cæteris maior) ab exhibito pharmaco in peius ſemper ægrotus lapſus eſt, ut nobis deinde difficillimum fuerit illum perſanaſſe. Sed miſſa hæc faciamus (rei enim conſequentia quadam, hæc pauca orationi noſtræ addere coactus fui) & quæ nobis adhuc dicenda reſtant, aggrediamur. Arguis tu quidem nos, quòd cùm ad ægrotum aliquem uocatus, aut ſuperuocatus accedo, ut cum ex noſtri ordinis aliquo conſilium habeam, de illius morbi eſſentia, & cauſis quæ illum generauerint, necnon de prognoſticatione, ac denique de morbi curatione, interdum ſermone uernaculo noſtro & materno, rem hanc omnem breui quidem expediam & percurram: hi uerò contrà, prolixo admodum, & Romano, aut potius ſcholaſtico, & eo qui communiter ab omnibus ferè qui medicinam exercent ac profitentur, publicè haberi ſolet: quoniam hoc ſit aliis iniuriam inferre, & alios contemnere. Equidem per Chriſtum iuro, me neminem illorũ, aut alium quenquam odio aliquo, niſi fortaſſe indignatione leui quadam, inſecutum fuiſſe, ſed ab aliis potius, contra omne ius & æquitatem, non parua affectũ fuiſſe iniuria. Nam qualis ſemper erga omnes illos in primis fuerim, & ſim, poſtquam Brixiam appuli, cùm ſcire uoles, opera mea de me euidens dabunt teſtimonium: quales uerò alii in nos fuerint, & ſint, (nonnullis exceptis, qui me ſemper, nullis noſtris interuenientibus meritis, nimio ſanè amore dilexerunt) ſi neſcis, cũ libuerit, te eorum inuidiã atque odiũ, nactus temporis occaſionẽ, affatim & ad unguẽ edocebo. Vtinã reſipiſcãt illi: utinam liuore omni abiecto, fraterno me amplexentur amore, quo ſcilicet eos ſemper amplexatus ſum & amplector. Fateor me iandiu in animo coſtituiſſe, quibuſcunque, qui mala mihi imprecãtur, & nomini noſtro detrahũt, bona ſemper illis pro uirili parte mea, & retribuere, & optare, & in ſimplicitate uitæ cum domino Ieſu Chriſto ambulare. Quod uerò tale loquendi genus mihi magis arrideat, ſi quæris, hæc ratio eſt: quòd & uernaculum ſit, & patriũ, & ab omnibus noſtris, qui medicinæ operam dant, facile percipiatur: quódq; ſi Romanè

exquiſitè, ut certè uirũ grauem decet, ac medicũ, quiſpiam loqui uoluerit, nõ ita omnibus, quibus cũ illi futurus eſt ſermo, notus fiet: deinde, ꝙ à multis, qui ingenio, doctrina & grauitate pollẽt nõ mediocri, multùm id probatũ ſit, ac cõſuetum: poſtremò, ut ægrotantium neceſſariis, qui colloquiis noſtris ſæpenumero interſunt, ſermones noſtri clarè innoteſcãt. Vtimur uerò nos preſſo, & eo quidẽ qui ægros iuuare poſsit, ſermone: nõ autem multa uerborũ ambage, & ſuperſtitioſa admodum loquela, quæ rhetorẽ potius & uaniloquum uirũ oſtendat, quàm grauem & prudentem, quæq; languentibus nihil cõducat, cùm hi remediis, non autẽ eloquentia, nec garrulitate curẽtur. Quòd ſi tibi fortaſſe, ac nonnullis aliis, hic noſter dicendi modus breuitate ſua diſplicet, magis puto & Hippocrates tibi minimè cordi erit, & omnes alij qui laconiſmis gaudẽt, & Gal. etiã, qui antiquã breuitatem maximè laudat: quod tamen qua tu id ratione facias, nõ uideo, modò ægrotantibus à me, & ipſorũ ſaluti optimè cõſultum ſit. Quare is me dicendi modus magis oblectat, quàm ille alius non, ut optarem, ornatus, ſed ineruditus potius, & pleriſq; doctis inſuetus: nolo enim, ut ait Comicus, ſi fieri poteſt, garrire doctus eſſe, & ineptus dicere. Quòd ſi fortaſſe quiſpiã aliqua, ut ea omnibus innoteſcant, in lucẽ mittere uoluerit, hunc quidẽ, iudicio meo, ꝙ Romana lingua Galliæ, Hiſpaniæ, Germaniæ, & pleriſq; aliis regionibus unà cum Italia cõmunis ſit, cui dubium? non materna quidem hac noſtra & uulgari lingua ſcripturum opinor, ſed ne uitio ipſi detur, Romana, ut facile ab omnibus intelligãtur. Has tu rationes noſtras ſi cõfutaueris, atq; argumenta, nõ Latinè tantũ, ſed Atticè & alio quouis dicendi genere, ſi opus erit, cũ omnibus loqui conabor: ſin autem illa præualuerint, in noſtram ſententiam manibus pedibúſq;, ut in ueteri adagio eſt, deſcẽdere cũ aliis medicis omnibus noſtris, quibus hæc noſtra diſplicet oratio, non erubeſces: quemadmodum etiã uos omnes feciſſe optimè noris, cùm ad diui Franciſci ædem unà de more conuocati, Collegij noſtri agitaremus negotia. Vale. Ex Brixia, quarto Idus Septembris. M. D. XLV.

ALOISIVS MVNDELLA MEDICVS, *Antonio Mercãdono medico* S. D. *Epiſt.* XXVIII. *An prægnanti continua febre laboranti, brachij uenam incidere conueniat.*

EA quæ mihi ſuperioribus propoſueras diebus, cũ pleriq; noſtri ordinis uiri in ædẽ diui Antonij unà conueniſſent, præſtantiſsime uir, ita accuratè explicata & diſcuſſa fuere aduerſus illos, qui aliter quàm tu ſentiebant, ut tũ mihi opportunũ uiſum fuerit, nullum tibi aliud reſponſum dare, cũ abs te abundè illorũ argumentis ſatisfactũ eſſet: atq; etiam, ne me uni magis quàm alteri parti ſauere oſtenderẽ, cùm æquè in utranq; propenſus ſim. Verùm quia nunquam mentiri licet, ſed abſq; ullo humanarũ rerũ reſpectu, ueritas ſemper propalanda eſt, cùm aliquis ex nobis illã inquirit: idcirco cùm nemini ueſtrûm nũc præſens ſim, æquũ ac rationabile uidetur, ut depoſito omni animi affectu, petitioni tuæ, ut debeo, pro uiribus ſatisfaciam, ut ueritas per me, quantũ fieri poteſt, omnibus innoteſcat. Ne igitur amplius te ſuſpenſum teneã, ſed mentem meam tibi aperiã, rem prius ordine exponã, deinde argumentis cõtra nos iactis reſpondebo. Quæſtio talis fuit: Nunquid bonũ ac rationabile ſit factũ, & Galeni doctrinæ conſentaneũ, pręgnanti florentis ætatis, boniq; habitus, & cõtinua febre laborãti (quod ſæpenumero accidere cõſueuit) brachij uenã ſecare. Cui dubitationi ac petitioni hoc modo in uniuerſum reſpõderi poſſe exiſtimo (meliori tamẽ iudicio, quàm noſtrũ ſit, ſicut in cęteris omnibus meis opinionibus, libẽter aſſentiar) nõ eſſe qdẽ tutũ nec cõuenire, febricitãti huic ſanguinẽ haurire, ne illa in periculũ incurrat faciẽdi abortus, ut manifeſtè cõſtare unicuiq; arbitror, propter hanc uenæ inciſionẽ, quæ nutrimẽtũ fœtui ſubducit; ita enim periculũ eſt, ne uiribus ſuis deſtituatur ad interitũ. Argumentũ uerò illud quod ab aduerſantibus cõtra nos adducitur, parũ quidem efficax mihi eſſe uidetur, ſed apparens potius, ac probabile, nõ neceſſariũ, cùm dicunt, aliquas utero gerentes interdũ inueniri, quæ iuſtã & ſufficientẽ cibi portionem fœtui ſubminiſtrantes, ſingulis tamen mẽſibus purgari nõ ceſſant, fœtúmq; ita incolumem ad conſtitutum à natura tempus perducere, qua quidẽ ſimilitudine atq; argumento iſti pertinaciter affirmant, mulieri huic ſuperius dictæ omnino debere ſanguinẽ mitti, ac poſſe, naturã in hac parte imitando, quæ cùm ab humorũ multitudine aut malitia ſe opprimi ſentit, fœtus non oblita, tantũ ſanguinis retinet, quantũ ſatis eſt ad illum nutriendũ: reliquum uerò quod ſupereſt ac lædit ipſum, propulſat. Verùm nõ animaduertunt hi, ſimilitudinem hãc propoſito huic non conuenienter applicari: quoniã natura, quæ ſagax eſt ac ſolers, ſuperfluũ tãtùm ac nocuũ uacuat ſanguinẽ, quẽ medicus educere nõ poteſt: quia bonũ à malo ſecernere neſcit, neq; ſi ſciret, illũ, quando opus eſſet, uacuare poſſet, quoniã inſtrumẽtis caret ad illud exequendũ accõmodis: ſed bonum ſimul ac malũ, utile atq; inutile extraheret, quæ res euidentis damni cauſa exiſteret: quod non ſolum ab Hippocrate noſtro in ſuo iuſiurando fieri prohibetur, qui ab omnibus noſtræ artis profeſſoribus uelut alterũ oraculũ certiſsimum habetur, ſed etiã lege diuina cautũ eſt, ne quis aliquem medicus unquã mortis periculo exponat: id quod facile cõtingere poſſet, ſi prægnanti prædictæ ſanguis mitteretur, ea quidem quãtitatę, qua febrem tolli non abſq; ratione ſperandũ eſſet. Quod autẽ diximus ſatis cõſtare poterit, ſi accuratè cõſiderare uoluerimus, cur Galenus omnino pueris qui decimumquartum annum adhuc nõ attigerint, ſanguinem mitti non debere pręcipiat, & tamẽ è naribus interdũ notabilem quantitatem exire cõſtet: quemadmodũ & nos non multis abhinc diebus uidimus in quodã pauperũ puerorum cœnobio, in quo uni ex illis, ſingulis hebdomadibus è naribus ſanguis exibat ad pondus unciarũ ſex, & tamẽ puer ille (erat enim annorũ decem, uel circiter) integra fruebatur ualetudine: quod & prægnãtibus nonnullis cõtingere poſſe cõcedimus, uidelicet ut optimè fœtus ſe habeat, & mẽſtrua quãdoq; purgatio appareat. Adde etiã, ꝙ ſcimus nos prægnantium cõplures à febre liberatas fuiſſe, quibus moderatè quidẽ ſecta fuit uena: quã tamen nõ ſecari conſulerẽ, ſi aliis remediis prægnãtẽ, à morbo abſolui medico ſpes eſſet. Rei enim totius difficultas hæc eſt, ne ex ſanguinis miſsione fœtui alimentũ ſurripiatur: quod quia exactè à medico, ut à natura, ſciri nõ poteſt, niſi cõiecturis nõnullis, propterea dicerẽ Hippocra. ſententiã illam protuliſſe, quintæ ſect. aphor. Mulier utero gerẽs ſanguine miſſo ex uena abortit, &c. uolens medicũ ſumma præmeditatione uti debere, ac ſummo cõſilio, priuſquã ad ſecandã uenã accedat: quod ſanè & ego magnopere cõſiderandũ eſſe exiſtimo, ne fœtus, ut dixi, ſuo deſtituatur nutrimento, & tandẽ mulier abortũ faciat. Quòd ſi nos iterũ hoc argumento urgebunt, dicentes, fieri poſſe ut aliquæ interdũ prægnantes inueniantur, quæ ita bona corporis habitudine & uirium fortitudine præditæ ſint, ut ſanguinis miſsionẽ facile ferre poſsint, & etiã fœtui ſufficiẽs præbere alimentũ: reſpondemus, id quidẽ interdũ contingere poſſe, ſed illud certò ſcire, medico difficile admodũ eſſe, niſi (ut dixi) cõiectura quadam artificiali. Quapropter ſcripſit Hippocrates, ꝙ ſi mulieri utero gerẽti ſanguis mittatur, abortit, màgis uerò ſi fœtus ſit maior. quod nec minus illi accidit, propter ſanguinis de uena ſua effuſionẽ, quẽadmodũ narrat Gal. in expoſitione illius aphoriſmi. Cũ uerò poſtea qui tuis & meis aduerſabãtur rationib. quærũt, An natura intelligat ac cognoſcat: dicimus nos, ꝙ ſic, & eo quidẽ modo, quo Ariſtoteles ſcribit de multis animalibus, quæ neſcio quodam naturæ motu incitata, ueluti cerui, pantheræ, canes, & pleraq; alia, cumprimum ſe à morbo aliquo inuadi ſentiũt, abſq; aliquo alio medici auxilio, ſed ab ipſa omniũ rerũ magiſtra natura edocta, protinus herba quadam ab ipſis inuenta & comeſta, priſtinæ reſtituantur ualetudini. Et ita de ſtirpibus dicendũ, quibus ſi diuerſos appoſueris liquores, familiares ſibi attrahũt, & extraneos à ſe repellunt, ut ait Galenus ij. de elementis, ex Hippoc. & Plat. autoritate. Quid ipſa modò ſit natura, quoniã & à Galeno & à multis aliis ſummis uiris & philoſophis traditum eſt, neque præſentis ſit inſtituti, de hac nulla à nobis fiet mentio, ſed in aliud opportunius tempus relinquetur, ſi opus erit, dicendum. Reſtat ut illud etiam diluam aduerſariorum argumentum, cùm aiunt, Galenum in libro de ſanguinis miſsione, duos nobis ſecandæ uenæ ſcopos tradidiſſe: quorum unus eſt, uires ægrotãtis, alter uerò, illius ætas: qui cùm adfuerint, medico tunc licere uenam incidere. Cùm igitur prægnans

*Nono de animalibus, capite 6.*

*Idẽ dicit in fragmẽto de ſubſt. uirtu. nat.*

ſuprà

ſuprà à nobis deſcripta florẽtis ſit ætatis, & ualidarum uiriũ,conſentaneum rationi uidetur huic cùm opus eſt, mittendũ ſanguinẽ eſſe. Verùm hi,ni fallor, nõ animaduertunt Galeni quidem ſententiã ueram eſſe,ſed ad confirmandam opinionẽ ſuam nihil cõtra nos facere: quia non de prægnante locutũ fuiſſe Galenũ, nemini ſani iudicii uiro dubitãdũ eſt, cùm fœtus nec uiribus, nec ætate adhuc ualeat: imò ſi prægnanti ſecetur uena, ſuo ipſe conuenienti deſtituatur alimento,quod per matris uaſa illi communicatur.Cùm itaq; ſatis me ſententiã tuam approbaſſe atq; explicuiſſe, necnon quæ aliorum ſunt confutaſſe putem, huic diſputationi noſtræ finẽ imponere,& ad alia tranſire congruũ fuerit. Poſtquam igitur in huiuſmodi de medicina ſermones incidimus, inuicémq; à nobis illi collati ſunt ac diſcuſsi,gratiſsimũ mihi fuerit ex te ſcire, quid de dubitatiunculis his noſtris ſentias, tum quia te uirum doctum cognoui, & Galeni doctrinæ ſtudioſum, tum quia etiã ueritatis amantiſsimum (quod maximi in arte noſtra emolumẽti eſſe exiſtimo) te præbes,& ea contẽnere uideris,quæ non medicorũ plerique tantùm ac philoſophorũ, non quidem noſtri temporis, quoniã hi unà cum literarũ ſtudiis diuitias aucupantur, ſed maior hominũ pars ſummũ bonum eſſe pro certo reputat, honores uidelicet ac lucra: quorũ nimio amore allecti,non autẽ uirtutis,ut æquiſſimũ eſſet, necnon ut ſibi & aliis cõmodo eſſe poſsint, ſtudiis incumbunt atq; inſudant. Quid plura? cùm multa hodie bona multi peragant homines, & ipſum ſemper in ore Chriſtum habeant ac prædicent,non quidem boni ullius aut Chriſti amore,ſed ut huiuſmodi captionis genere gloriã in populo & diuitias conſequantur. Sed iſtas hominum laruas iam omittamus, Deum pro ipſis exorantes, ut illorũ errores in melius uertat, & ad rem noſtrã propius accedamus. Tale autem eſt,de quo abs te certiores fieri cupimus, quando ſcilicet medico innoteſcere poſsit,quòd ægrotãtium corpora medicamentis ab ipſo exhibitis præparata ſint, ac uacuationi humorũ apta, non ſolùm craſſorum ac tenaciũ, ſed tenuium & liquidorum:quoniam etſi Galenus ſatis bene & copioſè explicet ſentẽtiam illam Hippoc.quæ ſic incipit: Corpora cùm quis purgare uoluerit &c.nõ tamẽ ipſe,nec in ea libri parte,nec alibi(quod ſciam) nos docet, quando, & quibus ſignis illud à medico cognoſci poſsit,uidelicet,quòd corpora purgationi apta reddita ſint à medico, ſiue fluida. Niſi fortaſſe pro dubitationis huius ſolutione quiſpiam diceret, tunc corpus fluidum redditũ eſſe à medico, cùm manifeſta apparet in urinis concoctio à natura facta:quo apparẽte ſigno, tunc purgationẽ fieri debere manifeſtum eſſe:nec amplius indigere medici auxilio pro corporis ad purgationem humorũ præparatione, quàm eo, quo hactenus ille uſus eſt. Qua quidẽ artificioſa cõiectura Galenus ſatis medico eſſe exiſtimauit,nec alia indigere explicatione. Quocirca tu, quem ardentiſsimum ueritatis iampridem (ni fallor) cognoui,necnon,ut dixi, obſcuros Galeni ſenſus aperiendi ualde cupidũ, pergratum feceris, ſi mihi germanam illius loci interpretationẽ, & Galeno dignã,manifeſtaueris. Non graue etiam tibi fuerit mihi oſtẽdere, quando humores concocti ſunt in morbis, qui geniti ſunt à ſuccis,qui extra uenas & iecur reſident, ut medico palàm innoteſcere poſsit tempus eductioni eorum commodum. Quòd ſi apertè id,aut obſcurè, ex Galeni uerbis ſciri non poteſt, tua ſaltẽ opinio ea de re non me lateat rogo, ut beneficiorũ cumulus abs te, ſic permittente Deo,in me collatorũ,ita accreſcat,ut magis ac magis indies in illius laudes prorumpere compellar,quòd me magis, quàmplurimos alios, tot ac tantis ditauerit bonis. Scio coniecturas aliquas eſſe, & has non inartificioſas, quæ fortaſſe hanc poſſent tollere dubitationẽ: utpote in his, qui coxẽdicis dolore laborant, ſi delituerit dolor,& æger melius ſe habere uideatur: & etiam ſi urinæ color,ſubſtantia,& quæ in illa continentur, ſalutem portendere uiſa fuerint:licet hæc potiſsimum indicia ſint morborũ, qui in uenis & hepate conſiſtũt, non tamen & in aliis morbis contemnenda. Ad hæc,nõ moleſtum etiã fuerit ad nos ſcribere, quis ſit proprius illorum Galeni uerborum ſenſus, cùm inquit:Sciendum eſt autem ſanguiſugas haud eum,qui in profundo eſt, ſanguinem trahere, ſed tantùm quo caro imbuta eſt exugere. Quoniam tam magnam interdũ ſanguinis quantitatem uiderim ab ipſarũ morſicationibus emanaſſe, ut æger uſque ad animi defectionẽ peruenerit. Niſi fortaſſe, quod uerius puto, ea Galeni mens ſit, quòd hirudines tantùm ſanguinem uacuant non exiſtentẽ in profundo corporis,hoc eſt,dum ipſæ cuti adhærent,nõ autem poſtquàm amotæ ſunt: quod rationi conſentaneũ uidetur,neque à Galeno alienũ: quoniam (ut diximus) tam magnã ſanguinis copiam exinde fluxiſſe credendũ non eſt, niſi & de profundis partibus corporis deriuaſſet,& ita animi deliquium induxiſſet. Quorũ omnium excuſsionẽ & ſolutionem, abs te ſummo ſcire expecto deſiderio. Multa alia mihi animo propoſuerã ad te ſcribenda,uerùm ne tædio afficereris,in opportunius tempus illa reieci. Id tãtùm dicam, me ſummopere optare, ut omnes in medicina propoſitiones, remedia ſingula, & præcepta,ſinguláq; noſtra in medendo opera, optimè atque accuratè examinentur & diſcutiantur, ut ita ueritas omnibus innoteſcat, omnéſq; intelligãt, medicinã certã ac ſtabilẽ artẽ eſſe,ualidiſq; innixã fundamentis,non autẽ inconſtantẽ ac dubiã. Ex hoc etenim fonte pro certo ſcio pleroſq; non leues emanaſſe errores, & pericula grauia ipſis imminere ægrotis, ita quicquid ſiue Græci,ſiue Arabes ſcripſerint autores,tanquã irreuocabile ac certiſsimũ admittendo, ac ſi diuino illi ſpiritu afflati, nunquã errare poſsint: qui ſemper à nobis cum patre & filio ſimul exorãdus eſt,ut mentes noſtras illuſtrare dignetur,pro ſua in humanũ genus pietate ingenti,ac miſeratione. Vale, & nos ama. Ex Brixia, tertio Nonas Nouemb. M. D. XLIIII.

*Lib. de hirudinibus reuulſ. cucur. & ſcarif.*

ALOISIVS MVNDELLA MEdicus Paulo Magnolo S. D. Epiſtola XXIX.

*An oua recentia, aut quouis modo præparata, in acutis morbis ſint exhibenda.*

QVod in magnis & medendi & ſcribendi occupationibus, & caloris æſtiui offenſionibus, facere non licuit, nunc mihi in occupationũ ceſſatione, & æſtus remiſsione,faciẽdũ putaui,ut ad ea, de quibus me cõſuluiſti,ſcriptis,quemadmodũ petiiſti,reſpondere,quid ipſe ſentiam.In morbis igitur acutis,qui ab humoribus calidis generantur, & præſertim in pleuritide, oui recentis uſus,ſi uel per ſe tantùm, uel ex pulli gallinacei iure, aut ex aqua butyróue, & aceti modico cõtundatur & apparetur,à me nõ cõmẽdatur, ſiue pro cibo,ſiue pro medicamẽto ſumas. Atq; ut hoc à me fiat, in cauſa eſt primùm Galeni autoritas, dicentis, quòd ſi quis propter inflammationẽ, uel febres, quæ à morbis acutis ſunt inſeparabiles, ueretur effatu dignum afferre alimentũ, hoc ipſum morbo in ſuo uigore conſiſtente magis uerebitur facere, q tunc maximæ inflãmationes exiſtant: & etiã quòd melius eſt naturã permittere uacare circa morbi coctionẽ,& nõ ipſam diſtrahere ad cibos cõficiendos &c. Deinde ratione ipſa:nam ſi iuſta & debita ciborum abſtinentia, & ſanguinis ſubtractione comminuitur apoſtema, non dubiũ eſt quin ſanguinis abundantia, quæ ex oui eſu generatur,necnõ ipſius nutrimẽti appoſitione atq; agglutinatione, quod magnũ eſſe conſtat ipſa experientia & omniũ cõfeſsione, multùm augeatur: quod eſt contra communẽ medendi regulam & methodum. Neq; uerò refert, ſi iuxta iudiciũ tuũ,uel ex pulli gallinacei iure, uel ex aqua ſimplici,butyro & modico aceti temperata & modificata, ouũ in cibo uſurpetur: eam enim uim & naturã habet, præcipuè ipſius uitellus,ut plus quàm cõueniat,etiã hoc modo præparatũ & miſtum, nutriat, & propterea ægrotantibus his potius noceat, quàm proſit, potiſsimum cùm morbus in ſuo uigore conſiſtit, in quo tenuiſsimo uictu nobis uti neceſſe eſt,uidelicet,ſi uires ferãt, omnimoda inedia,ſolius melicrati exhibitione, & pauco ptiſanæ,ſucco omnino,quando is in primis quatuor futurus eſt diebus,ut ait Galen.loco ſuprà à nobis citato. In hac tamẽ examinatione noſtra atq; excuſsione,ſemper memoria teneri uelim,quemadmodũ & in aliis omnibus,Senis noſtri ſententiã illam aureã,uidelicet,Condonandũ eſſe aliquid regioni,ætati, conſuetudini &c. Verùm nõ ideo tamẽ ita ægrotis indulgendũ eſt,neque ita largè aliquid iis atq; immodicè dandum, ut illud ualde officere poſsit:exempli gratia, ſi modicũ panis in aqua prius infuſi,& cocti ex butyro & ſaccharo,pleuritidem patiẽti exhiberetur: niſi tamẽ pleuritis primis quatuor diebus ut diſcuteretur ſperandũ eſſet: pleuritis nanque etſi morbus eſt acutus, non omnis tamen æquè in ſuo uigore conſiſtit, ſed alia citius,alia tardius ad illũ peruenit, prout humor, qui ipſam generat, tenuior ac craſſior

*Sect.1.aph. 7.& 8.*

*Primæ ſect. aphor.12.*

ſior exiſtit, iuxta quem uictus ratio à medico præſcribi debet: nõ enim æquè omni pleuritidi cibus offerendus eſt,ſed uni magis,aliæ minus,cõſiderata uigoris ſui celeritate ac tarditate, uiriũmq; robore. Et ideo cùm noſtri tẽporis homines copioſiore ſe repleant cibo ac potu, quàm Hippocratis ætate,in qua quidem magis ſobriè, inculpatius ac diutius uiuebãt, ut à Galeno relatũ accepimus,puto non à ratione omnino alienũ eſſe,ſi (ut ſuperius diximus) non ita tenuiſsimo,ut ait Hippocr. uictu uterentur,habita prius in omnibus diligenti examinatione.Verùm pro tenuiſsimo uictu,& eo etiam quo nos,cõſuetudini aliquid concedentes, uti permiſimus, ouis recentibus, ſiue more tuo contuſis ac præparatis, uelle uti,id præter rationem, & antiquorum mentem, atq; admodum ſuſpectum, & timoris plenũ mihi eſſe uidetur, & eò magis, cùm nulla fiat à te de pleuritidis, ac aliorum,morborũ,de quibus in præſens diſſerimus, temporibus atq; eſſentia mentio.Quapropter non approbo(ut dixi(in huiuſmodi morbis acutis, & præſertim pleuritide,tale cibi ac nutrimenti genus, cùm maximè nobis præſtò ſint alterius naturæ alimenta, maioriſq; utilitatis, quæ nobis facile & optimè auxilio eſſe poſsint,& nullam ægrotis his uel minimã offenſam,& de qua medico curandũ ſit,afferant:quemadmodũ ptiſana, melicraton, panis dilutus in aqua, & huiuſmodi alia.Nam medico non conuenire arbitror, ut ęgrotãtes iſtos periculis exponat: quoniam hoc morbi tempore (ut antea dictum eſt,& Galeni teſtimonio confirmatũ) paucíſsimo cibo & nutrimento nobis opus ſit, & eo tantummodo,qui uires cõſeruare poſsit.Verùm ne abſceſſus augeatur,ſed coquatur diſcutiatúrque, totis uiribus ſtudendum eſt: quod quidem minimè fieri poterit,tua iſta,quam ſcribis, uictus ratione: quãuis ſi ouũ id ex aqua,butyro & aceto præparetur, rationabilius uidetur minoris nocumenti eſſe debere,quàm ſi ſimpliciter hauriatur,quoniã ita quodammodo imminuatur ipſius uis à prædictis liquoribus: ſed tamen neque iſto modo apparatum,eo morbi tempore exhiberi conſulo atq; approbo, ob ante à me adductas, & quæ inferiùs etiã adducentur rationes.Et ideo cùm inquis,uitellum oui nõ eſſe multum calidi temperamenti,ſed ad æquale potius accedere, & amicũ naturæ eſſe, minimíq; excremẽti,eiúsq; non multũ extranei:nõ propterea tamen ſequitur,quòd in pleuritide,niſi declinãte illa,exhiberi debeat, ut ſuprà ſatis à nobis probatũ eſt atq; diſcuſſum: quoniã non propter hoc tollitur,quin uelociter & optimè nutriat,& plus nutrimenti afferat,quàm conueniat:& ita calor febrilis atq; inflammatio augeatur. Deinde, quòd oui album, ſi ad abſceſſum peruenerit,ipſum ui propria in eo exiſtẽte,glutinare poſsit, hoc quoq;(pace tua)falſum eſſe uidetur:quoniã hoc morbi tẽpore nullo nobis remedio opus eſt, quod ipſum glutinare poſsit abſceſſum, ſed eo tantùm, quod ipſum apertum conſeruet, ipſúmq;, præſertim expuendo,purget: puto enim te à nullo probatæ autoritatis uiro audiuiſſe,aut legiſſe,medicamenta quæ pleuriticũ abſceſſum conſolident,adhibita eſſe,aut ut adhiberentur conſuluiſſe:quoniã id natura ipſa ex ſe facilè,ut illum expurgauerit,poſtea efficiat, quemadmodũ unuſquiſq; experientia doctus apertè cognoſcere poteſt. Quinimò arbitramur huiuſmodi medicamenta quæ glutinare ulcus poſſunt,obeſſe magis quàm prodeſſe,ita excreationem,& apoſtematis purgationem prohibẽdo: qua de cauſa etiam pectori foris, quæ reprimant, imponenda non ſunt,Galeni præcepto,ne ex harum rerum impoſitione ſputũ retineatur.Qua quidem ratione nec minus ea quæ refrigerant arcenda ſunt,utpote quæ ſputum ſiſtant,atq; impediant, ſiue intus,ſiue foris adhibeantur: ſimiliter & pleraque alia refrigerantia & adſtringentia medicamẽta,quæ cõmuniter à medicis uſurpari ſolent: uerbi gratia, ſerapiũ uiolaceum,de granatis, de myxis, & huiuſmodi, cùm præſertim craſſum & tenax ſputũ extiterit, ac cum labore à patiente ipſo educatur. Non enim quæ refrigerãt,ſed quæ calefaciunt moderatè,nobis utilia ſunt,cùm abſceſſum cõcoquere,aperire,mundare,aut etiam diſcutere uolumus. Quare,ut ais,oui album non ſolùm alicuius uſus non erit in pleuritidis curatione,ſed nocumenti potius. Neque præterea uideo, quomodo,ut dicis,acetũ uim inflammationẽ diſcutiendi habeat, ſed contrariã potius, utpote quòd magis refrigeret,quàm calfaciat,ac repercutiat,neruíſq; & locis neruoſis aduerſetur:cũ hoc tamen concedimus,humores ipſum craſſos ac tenaces incidere, & ita ut ſputo educãtur,magis aptos reddere poſſe,& pleuritidi innoxium eſſe, ſi parũ ex eo ſumatur ex melle aut ſaccharo, præſertim ſi tenax ſit ſputũ,ac difficile educatur. Quare ob antea dictas à me rationes, huiuſmodi cibi genus quod abs te ita ualde laudari audio, atq; in pleuritide exhiberi,niſi(ut dixi) cùm morbus declinat,congruum mihi uidetur.Sciendũ præterea,morbo acuto laboranti ouum recens nõ interdici, ut pleriq; exiſtimãt, quòd multum calidi ſit temperamenti,ſed quia citò & plurimum nutriat:quo quidẽ auxilij genere in morbis à materia calida factis minimè nobis opus eſt, cùm propter uigoris celeritatẽ,tum quia febrilis calor ita nimirũ augeatur: niſi aliqua alia de cauſa illud exhibere cogeremur.Neq; id tibi admirationi eſſe debet, ꝙ nõnullos uideris medicos, quibus ex hac tua uictus ratione res feliciter euenerit: nõ enim te latêre puto,pleroſq; gregales uiros medici tantùm habitũ, non formã habentes, licet multis abutãtur remediis,& incertis, nihilominus tamen interdũ caſu quopiã contra omne ius, amiſſam recuperaſſe ualetudinem, nõ ſuo quidẽ ingenio aut arte, ſuíſque opportunè adhibitis remediis, ſed aut propter ualidã eorũ,quibus ſua dederunt medicamẽta,naturam, quæ plures quidẽ illorũ corrigit errores, ita eos ui ſua cælans, ac ſuperans, aut aliqua alia,ut interdum fit,occaſione.Quare neq; hac ueſtra alia ratione atq; argumento,mihi uidetur aliquẽ perſuaderi debere,in huiuſmodi morbis acutis, præcipuè pleuritide, de qua in præſens potiſsimũ habetur ſermo,ad dandũ ouum ſiue recens ſimpliciter,ſiue,ut dicis,præparatum, niſi, ut ſuprà expoſuimus,ea declinante.Si enim tuum hoc argumenti genus certũ ac ualidum eſſet,quod iam nõ à medicis ſolùm,ſed à pleriſq; aliis pro uero ac ſtabili haberi ſolet,tot ac tanta ſæpenumero ſequerentur abſurda,atque à ueritate aliena, ut ſi ea ſigillatim tibi recẽſere uellem,ne totus quidẽ mihi ſufficeret dies. Id tantùm mihi dixiſſe ſat fuerit,ſi iſta argumentandi ratio ita imperfectè atq; conciſe à te prolata, firma indubitatáque eſſet, nunquam uerum à falſo ab aliquo dignoſci poſſet, ſiue in medicina,ſiue philoſophia,aut quacunq; alia arte & diſciplina admodũ fuerit exercitatus. Cùm uerò dicis, neque tamen id probas,ex hac tua cibãdi ratione multa ſequi commoda,neque illa in ſe mala continere quæ oxymel & ptiſana poſsidet: reſpondemus, id nequaquam uerum eſſe,ſi bene à nobis antè iacta fundamenta perpendere uolueris: atque nocumentum illud,licet minimum, quod ptiſana atque oxymel ſecum apportant,facile à perito & prudente emẽdari medico,quẽadmodum conſideranti ſatis arbitror. Hæc noſtra eſt de iis ſententia, quæ ex me ſcire atque optare uiſus fuiſti, ſcripto quidem, non uerbo tantùm exarata, & ad te miſſa, ut tibi gratificarer, & ueritas in lucem pro uiribus emergeret. Vale. Pridie Nonas Octobris. M. D. XLIIII.

5. de locis affect. cap. 2.

## ALOISII MVNDELLAE MEDICI *consilium pro domino Ioanne Paulo de Lulmo, febri continua, colli uesicæ ulcere, & calculi renum uitio, unà cum coli dolore, alióque malo symptomate laborante.* Epistola XXX.

VT petitioni ſuæ ſatisfacerem, duabus potiſsimũ de cauſis adductus fui,uir præſtantiſsime, ad cuius manus hæc noſtra peruentura ſunt ſcripta, etſi multis aliis in rebus occupatus eſſem: primũ, propter ingenij ſui aptitudinem, qua in pertractandis uariis, iiſque humanæ uitæ admodũ neceſſariis negociis, multos alios antecellere uidetur:deinde etiam propter charitatis ac pietatis in omnes officiũ.In primis itaque conſtituo,egregiũ hunc uirum annum agere trigeſimũoctauum: deinde, naturale ac præternaturale primarũ ſui corporis partium temperamentum, hepatis potiſsimum,cordis, & renũ, ab æquali ad calidum & ſiccum uergere: cerebri uerò ultrà quàm conueniat, ad humidum,non multùm tamen ad calidũ:uẽtriculi uerò temperamentum & frigidius, & humidius eſſe ſtatuimus, ut omnium horũ notæ ſane quàm euidentes, ſatis maniſeſtè oſtẽdunt, quas ſi huc adducere uellẽ, ualde profectò dubitarẽ ne plus æquo longior eſſem, & ita purgatis legẽtium auribus obeſſem, neque ulla in re ægrotanti prodeſſem: ut interim peculiares illius naturæ proprietates prætercam, quas Galenus ἰδιοσυγκρασίας

appellat,

appellat, quoniã ex tam breui temporis ſpatio haudquaquam mihi innoteſcere potuerunt, & tamẽ medico ſummè neceſſariæ ſunt, qui quidẽ rectè & tutò morbis mederi, & ualetudinẽ tueri uelit. His itaque breui in hunc modũ à nobis explicatis, rationi conſentaneũ uidetur, ut morbi, ſiue morborũ potius eſſentia, qui hunc affligunt, inueſtigetur: quos iudicio noſtro triplices eſſe cõſtat, Febris uidelicet cõtinua, à bile potiſsimũ, quam notham uocant, in uenis exiſtente, genita: deinde colli ueſicæ ulcus, necnon calculi renũ uitium unà cum quodam coli dolore illum ualde acriter infeſtante, à pituitæ humore in uentriculo genitæ, & illò tranſmiſſæ, orto: quibus inſuper annectitur ſymptoma admodũ timendum ac uerendũ, dolor ſcilicet ſæuiſsimus, qui ſæpenumero cum frequenti urinæ mictu illũ, quinquẽnio iam elapſo, ut ab eo intellexi, affligit. Veſicæ ulcus ineſſe, ut febrẽ nunc omittam, tanquã ex ſe manifeſtã, nobis indicat dolor aſsiduus ferè in ea corporis parte, quæ inter podicẽ & teſticulos poſita eſt, πορινεῶν uocant, ſed præcipuè dum mingit ægrotus, ab urinæ acrimonia per ulceris partes tranſeuntis, excitatur: quæ fortaſſe etiã ulceris cauſa iſtius eſſe potuit non leuis, cũ loci illius ad patiendũ aptitudine, ita fortè ab initio ſuæ creationis imbecillis factæ. Quæ diximus præterea confirmãt etiam urinæ fæces, quæ ſedimenta uocant, eæque graueolentes, in matulæ fundo apparentes, ſanioſum humorem quẽdã magis minúsue repræſentãtes, prout ulcus ipſum modò augetur, modò conſolidatur: unde mingendi uoluntas frequẽs illi oboritur: urina, ulceris partes abſtergente, & ita ad excretionem ſuiipſius irritante. In renibus calculos adeſſe, uidetur oſtendere frequens lapillorum mictus, & dolor qui in illa dorſi parte, ubi renes ſiti ſunt, interdũ ſentitur, dum per meatus, quos Græci οὐρητῆρας appellant, propulſantur, ac in ueſicã deſcendũt: non autẽ dum per colum ut in pleriſque fieri conſueuit: quoniã, ut arbitror, in hoc uiro colis meatus ſatis amplus à natura creatus ſit: qui tamen lapilli cùm non ad rubeum tendant colorem, ueluti ſunt illi alii qui in renibus gignuntur, neque illius ſubſtantiæ ſint & figuræ, ſuſpicio mihi oborta eſt non leuis, in ueſicáne, an in renibus hi potius gignantur: ut alia omittam indicia, quæ nos docent diſcrimen inter utroſque ponere. Niſi fortè dicendũ ſit, & renum & ueſicæ lapide hunc uirũ laborare: quod quidem fieri poſſe, neminem puto ambigere, cùm nonnulla etiam ſigna alia hanc noſtram confirment opinionẽ, ut eſt præcipuè urinæ color albus, & ſedimentnm ipſius album, rarúsque arenularum mictus, qui fit poſt longam aut uehementem equitationẽ, & labores dorſi, præſertim nimios. Dolor uerò in inteſtinis inferioribus, à uentriculi frigiditate plurimam pituitæ humoris copiam generantis, & ad illas uentris partes tranſmittentis, ſeipſum manifeſtè oſtendit, necnon flatus, qui aſsiduè in aluo cùm infra ſupráq; eructãtur, ſentiuntur, cùm humor ille à calore perfectè diſcuti nõ potuerit, ſed in uapores tantùm conuerti, qui poſtea colicum dolorẽ efficiunt. Differentias coli, & renum dolores, tanquam à Galeno & aliis ſatis exactè traditas & explicatas, & doctis uiris cognitas, in præſenti omittendas duximus. Quare iudicauimus ab his ferè omnibus morbis hunc nobilẽ uirum, Dei beneficio, à quo cũcta emanãt bona, abſolui debere ac poſſe (niſi aliquo ipſius aut medici impediatur errore) licet maxima cũ difficultate, cùm præſertim medicamẽtorũ uis, quæ per os ſumuntur, penè extincta ſit, poſtquã ad ueſicam peruenerit. Pro quorũ curatione, ut omnia legenti clarius innoteſcant, primùm uenam nigrã brachij dextri ſecari iuſſimus, hauriendo circiter ſanguinis uncias octo, utpote quæ ſingulis his morbis, & ſymptomati etiam auxiliari poſsit. Deinde leuata aluo ex caſiæ, quem uocant, flore, aniſi, & glycyrrhizæ portiũcula altera addita, quam ſæpius etiã ad tuendam ualetudinẽ ſumeret hortati ſumus, tale datum fuit ſerapiũ, quod ex cichorii paratur ſucco, cũ decocti unciis tribus, quod ex ſeminibus melonum, endiuiæ radice, adianto, glycyrrhiza, & hordeo componitur: nam ab iis quæ ualde urinã cient, abſtinere opportunũ duximus, ne maior urinæ & humorum copia ad renes & ulcus ipſum deriuetur, & ita cùm dolor tum ulcus augeatur. Cùm uerò dolor uehemens atq; aſsiduus ferè ipſum affligeret, ac moleſtia ingenti afficeret, clyſteres ex caſia, oleo chamæmelino, butyro & melle roſaceo immitti iuſsimus, & ex huiuſmodi aliis, quæ cùm coli, tum ueſicæ dolori, propter loci propinquitatem, & quia etiam talis naturæ ſunt, adiumento eſſe poſsint, excremẽta & humores extrahendo, & ita dolorem ſedando. Conceſsimus etiã interdum, dolore admodum urgente, lac humanũ, maluæ decoctum, & huiuſmodi medicamenta alia, quæ lenire dolorem poſsint, in colem per metrenchyta iniici: à quo tamẽ remedii genere, quantum fieri poſsit, abſtinendum conſuluimus, ne ex hac ſiphonis immiſsione, aliquod maius, ut interdum eueniſſe animaduertimus, nocumentum ſequeretur, quemadmodum (ut alios prætercam) duobus ex noſtris ciuibus proximis diebus contigiſſe ſcimus, Auguſtino Nicolinæ, & Bartholomæo Palatio, quibus, ut argentea ſyringa ſiue fiſtula per uirgam immiſſa fuit, & exiuiſſet notabilis ſanguinis quantitas, ex artificis imperitia, & quòd difficile ſit etiam experto rectè & abſque ulla loci læſione illam intromittere, paucis ex illo diebus uitam cum morte cõmutarunt. Quare medico tutius eſſe exiſtimo alia experiri remedia, prius quàm ad hoc auxilii genus accedat. Propter uerò febrẽ putridam & coli dolorẽ, à lactis exhibitione abſtinuimus. Femori & uentri ea applicita ſunt cataplaſmata, fotus & inunctiones, quæ & ardori urinæ occurrere, & flatus diſcutere poſsint. Et quoniam dolor renes etiam uexabat, illi à nobis ſæpius inuncti ſunt ex lacte, ut facilius ita lapis deſcẽdere poſsit, & dolor mitior fieri: quæ tamen remedia à nobis non eſſent applicita Galeni conſulto, niſi totum corpus prius euacuatum fuiſſet. Victus ratio talis à nobis inſtituta fuit, quæ craſſos & bilioſos etiam humores generare non poſsit, quòd calculi in illis maximè generentur corporibus, in quibus ſuccorũ craſsities cum ardenti calore eſt coniuncta. Vinúmque inclinante iam febre rubeum, non auſterum tamen nec potens illi exhibitum fuit, quoniam uentriculus album natura auerſaretur. Et ad tuẽdam ſanitatem, ut ab equitatione, coitu intempeſtiuo, & exercitatione nimia, & à ſomno diurno abſtineret, diximus: necnon ab acutis, ſalſis, acribúsque & craſsis, potiſsimum caſeo, & qui ex triticea farina præſertim abſque fermento parantur cibis: iram, triſtitiam, & omnia denique quæ humores exacuere poſſunt accidentia pro uiribus euitans: quorum omnium quoniam ingẽs eſt ſylua, & doctis abundè cognita, ideo ab illorum commemoratione deſtiti. Quia tamẽ naturali quodam inſtinctu unuſquiſque ſanitate frui optat inculpata: & quia etiam ea eſt pietas Chriſtiana & euangelica, ut ope noſtra indigẽtibus illis alacri animo ſuccurramus, idcirco ab hoc egregio uiro ſæpius rogatus, ut ſi quod auxilium pro ulceris curatione uſquam inueniri poſſet, totis uiribus, totóq; ingenio diſquirerem, nec labori ullo parcerem in eo inueſtigando: diu mecum ipſe cogitaui, cùm recentiorum tum antiquorum ſcripta conſiderans, & in hanc opinionem tandem, illi ſummopere obtemperare cupiẽs, pluribus, ut antea dixi, de cauſis, adductus fui. Cùm uiderem ex tot ac tantis, à medicorum pleriſque, & à me multis iam annis adhibitis remediis & medicamentis, ueſicæ colli ulcus adhuc conſolidatum non fuiſſe, cùm eorum quæ per os ſumuntur uires, priuſquam ad ueſicam delatæ ſint, infractæ admodum, & nullius ferè momenti & efficaciæ redditæ ſint, & ex balneis Gauderii etiã conſulto cuiuſdam medici ſumptis, maximũ aliàs ſubiiſſe damnũ & periculũ: adductus inquã fui, ut ligni Guaiaci decoctũ laudarẽ, cui tamen cichorii & glycyrrhizæ tantillũ additũ ſit, ac inſimul bullitũ: quo quidem medicamẽti genere nõ leue ſubſecuturum auxilium, & omnimodam fortaſſe ſanitatẽ ſpero: quam utinam illi omnipotens Deus pro ſua erga humanũ genus miſeratione, impertiri dignetur. Nam etſi dolor magna ex parte ſublatus ſit, & urinæ ſedimenta ſatis concocta appareant, nõ tamẽ hunc perfectè conualuiſſe conſtat: & timendũ etiam eſt, ne ulceratæ partes ab urinæ illinc pertranſeuntis ſalſedine irritatæ, iterũ augeantur, & dolor & ulcus aucta reuertantur. Huius autem ligni uires & facultates, ut omnibus iam manifeſtas, intactas prætcrire ſatius exiſtimaui. Sed quoniã in ſingulis morbis, qui ad curandũ ex ſui natura difficiles ſunt, optimũ duco peritiorum multorum, & qui probi ſint, ſubire iudicium, quò ita & ægrotantibus & medicis melius ſatiſfiat, illi nos conſuluimus, & plurimũ hortati ſumus, ut opinioni huic noſtræ, de decocti huius ligni exhibitione præcipuè, aliorũ quoq; in arte medica exercitatorũ & eruditorũ accederet opinio: quod in omnib. morbis qui non facile curantur, ut à nobis ſemper fiat, & ægrotantium

tantium ſaluti, & medicorum conſcientiæ optimũ eſſe duco: quæ ſi ab illis comprobabitur, mihi ſanè non leue fuerit alleuamentum, & gaudium, atq; ægrotanti in eo ſuſcipiendo ſecuritas maxima, atq; utilitas: ſim minus, melioribus ac ipſis ac tutioribus excogitatis & inuentis remediis, gratiæ illis à nobis immortales habebuntur, qui nos illa docuerint, atq; oſtenderint. Vale, Ex Brixia, VII. Idus Ian. M. D. XLV.

ALOISIVS MVNDELLA MEDICVS, Horatio ſuo S. Epiſt. XXXI. *in qua curationis ægrotanti cuidam exhibitæ rationem exponit.*

LVcium fratrem tuum, ut debui, dilexi plurimum: erat enim ualde dignus, qui plurimum ab omnibus diligeretur: & propterea tantum diligentiæ & ſtudij adhibui, quãtum certè potui, ut diutius uiueret, & nobis frui liceret: ſed fati neceſsitas, quam Græci εἱμαρμένην dicunt, rationes noſtras conturbauit: illum enim ui pertinacis morbi conſumptum, nobis citius quàm uolebamus, eripuit. Sed in tanto mœrore, quem ex illius obitu neceſſe fuit nobis capere, ea res magnã affert conſolationẽ, quòd eius ſaluti pro uiribus meis nunquã defui, pro ueritate inueſtiganda acriter cum ſociis pugnãs. Sed ut clarius ſenſum & rationes meas intelligas, uiſum eſt mihi narrationem totius rei per ordinem ſcribendo perſequi. In magno & mirabili inclinãtis æſtatis calore & ſiccitate, cùm ruri ageret, in febrim tertianam, ut aiunt, notham incidit frater tuus, quadrageſimum ferè annum agens, & à medico eius familiæ præfecto mihi relatum fuit: ſed incidit ob prauam ſuperioris uictus rationem, & immodicum aëris nos ambientis æſtũ, qui eam uim habuit, ut natiuum excuteret calorem, & humorum putredinem generaret, unde febris poſtea illius quem dixi typi orta fuit: à quo quidẽ morbo, Deo in primis auſpice, liber factus, curriculo in urbem uectus, euaſit, nihil à mandatis medici ſui aberrans, qui quidem, meo iudicio, in illius curatione, ut audiui, nulla ex parte ab optimis deflexit Galeni medendi methodis. Sed cùm poſtea modico interiecto tẽporis interuallo, alij denuò cùm in uenis, tum extra uenas bilioſi quidẽ, ſed certa pituitæ copia admixti putreſcerẽt humores, duplici tertiana, cõtinuáq; altera febre corripi uiſus fuit, ut utriuſq; indicia ſatis manifeſtè oſtendebant: quare alius ad priorẽ medicus accerſitus, pro illarum curatione iterum internã brachij dextri uenam ſecari iuſſerunt, quam medici cauam, Hippocrates uerò à uiſcere unde egreditur, iecorariam appellat, ita quòd circiter uigintiquatuor ſanguinis unciæ omnino extractæ fuerunt, cõnumerando & illam ſanguinis quantitatem, quæ initio præcedentis hunc morbi hauſta fuerat: quoniam ſummopere id remedij genus cùm uires, tum ætas, & morbus expoſcere uidebantur: nam in uniuerſum temperamẽti erat natura calidi & humidi, humorúmq; pars maxima, qui febrem faciebant, in uenis exiſtebat. Videntes uerò illi imminutam quidem febrem fuiſſe, ſed non omnino ſublatam, commodũ utiléq; illis uiſum fuit mannæ, quam cœleſtem rorem, ſiue aëriũ uocant, unciarum trium pondus ægrotãti, ut mea quidem fert ſententia, non abſq; ratione dare, ut ſi qui humores in uentriculo & uenis meſenteriacis contenti eſſent, qui deinde per uniuerſum corpus delati febrem augerent ac fouerent, tanquam morbi antecedentes cauſæ, ab eo uacuarentur medicamento, quod cùm nõ paruam bilis, pituitæq; portionem uacuaſſet, nec tamen febris minueretur, ſed magis indies augeretur, & continuè illum affligeret, opportunum tum ægro, tum illius cognatis uiſum fuit, me atq; alterum duobus illis prioribus medicis adiungere, ut quatuor in medẽdi ſocietate eſſemus, ne quid pro reparanda eius ſalute intẽtatum relinqueretur. Qui quidẽ accedentes, ipſum inuenimus cõtinua febre laborantẽ, à bile potiſsimũ notha in uenis putreſcente, licet uno magis quàm altero die urgeri uideretur, prout bilioſus humor magis inſurgebat, ac ſuæ putredinis manifeſtiora dabat indicia. Quæ cùm ita eſſent, maculæ per uniuerſam dorſi regionem rubrũ colorem trahentes conſpicuè apparuerunt, quas Græci ἐξανθήματα, nos uerò puſtulas appellamus, ad ultimum uſq; uitæ ſuæ diem perſeuerantes. Comitabãtur eũ hæc potiſsimum ſymptomata: procliuis quędam in ſomnũ delatio, quã Galenus καταφορὰν uocat, ob cerebri uires imminutas, & imbecilles redditas, nõ ualentis uapores diſcutere, qui à uentriculo & aliunde etiam ipſi communicabantur: unde & interdum falſa & abſurda animo percipiebat, atq; loquebatur: & quæ per clyſteres in anum fuerant infuſa, non reddebantur, propter memoriæ iacturam, & inteſtinorũ uim expultricẽ iam deperditam. Facies illi erat diuerſa à naturali ſua ſimilitudine, nõ tantùm ob caloris externi uim & malitiam conſumentis ac cõmutantis eam, quàm ob morbi longitudinem. In hunc modum itaq; laborante hoc nobili uiro, humoribus, ut dixi, in uenis putreſcentibus, prauáq; infectis qualitate & malitia, uno omnes conſenſu iudicauimus maximo eũ in mortis diſcrimine uerſari, tum quia etiã ægrotus iſte ſatis quietè ſe habebat, quales eſſe ſolent qui peſtilenti laborant febre, tũ quia etiã parotidum ſpecies quædam apparere uiſæ fuerant, ſed paulò poſt illarũ ortum deliteſcere: quæ ſingula non leuem nobis dubitandi de ægri ſalute occaſionẽ præbebant, cùm natura per huiuſmodi diuerticula tentaſſet, nec tamen ſe exonerare potuiſſet ab iis, quæ morbum faciebant, humoribus. Morbi uerò augmẽtum iam aduentaſſe, quoad materiæ morbũ generantis, quæ in uenis erat, cõcoctionem, quæ manifeſtè, licet imperfectè, in urinis apparebat, dubitandũ non erat: quòd illæ eſſent coloris ad rufum uergentis, & ſubſtantiæ mediocris inter craſſum & tenue, cum ſedimento, ut eo utar uocabulo, illius ferè coloris, interdúmq; hypoſtaſi, ſiue, ut rectius loquar, eneoremate in medio uaſis exiſtente: quare non omnino uitæ futuræ ſpes nobis ſublata eſſe uidebatur. Idcirco ſi quid ad morbũ hunc profligandũ eſſet, optimè à nobis conſideratũ fuit: habitáq; in primis, & exquiſitè iniuncta uictus ratione, tanquã neceſſariò curationem antecedente, & cui maximè innitendum ſit, quòd ea ſola ſæpenumero morbos curare poſſit, à ſociis noſtris cephalicæ uenæ ſectio, quæ eſt in brachio dextro, laudata fuit, timentibus ne phrenitis huic morbo aſſociaretur, propter quaſdã, ut antea dixi, aberrantes cogitationes, & mentis deliria leuia: quibus cùm hæc futuræ phrenitidis apud me non eſſent efficaces notæ, cùm & rarò, & leuiter ægrũ inuaderent, cephalicæ uenę ſectionẽ potius deteſtari cœpi, quàm approbare, non uidens tantũ ex hoc nobis, ut illi arbitrabantur, impendere periculum. Altera ratio, quæ me inducebat ut uena capitis nõ tunderetur, talis erat, quòd ea ſecta, humores ad cutis extrema tendentes, retrocedentes auerteret ad corporis intimas partes, cõtra Hippocratis præceptũ, dicentis: Quò natura uergit &c. ita enim natura ab officio ſuo impeditur optimo, dũ quærit quæ lædunt ad cutem expellere. Etſi enim ſanguinis miſsio ad corporis extrinſecas partes trahat, non tamẽ ad uniuerſas, & ad eas, ad quas natura tendere tẽtauit: ſed eam ab actione ſua diuertens, ad determinatã brachij partem trahit, ut manifeſto conſtat experimento, & à me latius in epiſtola ad Fracaſtoriũ ſcripta diſcuſſum fuit: tum etiam quia huius magnifici uiri uires admodum imbecillæ redditæ uidebantur, & morbo potius ſuccũbere, quàm ſeſe attollere poſſe, & reuiuiſcere. Nam etſi pulſus interdum elatus uidebatur, hoc non erat fortitudinis uitalium uiriũ indicium, ſed febrilis caloris, tantùm cùm efferueſcebat arteriã attollentis: quæ ſi ualidius cõprimebatur, nulla ſæpenumero ſentiri poterat diaſtole. Verùm cùm tres illi ex altera parte eſſent, atque in ſecanda uena unanimes, neque ulla alia contra nos adduceretur ratio aut ſententia, ſed potius Curtij autoritas ab uno illorum pro nobis citaretur, qui apparentibus morbillis (ut eo utar uocabulo) nequaquam uenam incidere permittebat: quia tamen maior erat illorum numerus, illorum uicit autoritas, nõ quia ſuę noſtras uiciſſent rationes: & ita circiter tres aut quatuor hauſtæ fuerunt ſanguinis unciæ: ſatis conſcientiæ meæ factum eſſe exiſtimans, ſi, qualiſcunque illa fuerit, meam in mediũ protulerim ſentẽtiam, ac probauerim. Qua quidem uenæ ſectione facta, neq; æger quicquam à morbo leuari uiſus fuit, ſed in eodem ſtatu permanere. Quare ut humorum malitiæ, & eorum præter modũ auctæ prauæ qualitati aduerſaremur, necnon ut corpus eductioni eorũ aptũ redderemus, tale à nobis propoſitum fuit ſerapium, quod ex cichorij & oxylapathi paratur ſucco, unà cum acetoſæ ſimplici, & eo quod ex duabus cõponitur radicibus, cũ unciis tribus decocti, illius uirtutis & efficaciæ, & boli armeni ſcrupulo, addendo etiã, ut ſociis obtemperarẽ, ſcordij particulam, quoniã ipſe nõ haberẽ probatũ autorem aliquẽ, nec ab ipſis etiã citaretur aliquis, qui illud tantopere (ut dicebant)

bant laudet atque extollat:neque id Galenus ex ſua,ſed aliorum affirmet ſententia, ſed ita creditum eſſe dicat quòd humorum ſcilicet aduerſetur putredini:pluráque nobis adſint remedia illius naturæ, quæ facilius multò nobis & tutius parari poſſunt. Viſum præterea mihi fuit ( ut ea omnia omittã,de quibus inter nos conuenimus ) ptiſanæ cremorẽ,ſiue ptiſanã integrã, quia ægrotantis guſtui ſuccus uideretur ingratus, optimè huic morbo cõuenire, ſiue ut cibus, ſiue ut medicamentum ſumatur,illius commoda & utilitates ab Hippocr. & à Galeno poſitas conſiderando: cui & Homoboni Cremonẽſis medici conſultũ mirificè adſtipulari uiſus fuit. Quia tamẽ ex uocatis ad curationem hãc medicis ætate maior, & in ciuitate noſtra alicuius nominis, ægrotantis uẽtriculum ad frigidũ declinans temperamentũ, ſe ſuſpectũ habere dixit, ob id à ptiſanæ exhibitiõe abſtinere tutius eſſe arbitratus eſt,ne iuxta Auicennam(ut illius uerbis utar) acetoſetur in ſtomacho:nõ animaduertens, ad tãtum hunc ægrum frigidum uẽtriculi temperamentum nõ declinare,ut id cibi genus tolerare nequeat,potiſsimum ex iure pulli, & modica ſacchari iniecta portiũcula cõfectum. Vbi obiter illud etiã memoria teneri uelim,illam Auicẽnæ ſententiã de ptiſanæ cremore, à Galeno acceptam eſſe in primo libro ad Glauc. cap.de curatione febrium continuarum abſq; accidentibus,cùm dicit,ptiſanæ ſuccum iis,quibus non aceſcit, exhiberi oportere. Quare ea de ptiſana & hordei aqua opinio,quòd ſcilicet in uẽtriculo aceſcat, ut à pleriſque fieri audio,nõ ita abſolutè promulganda eſt. Cùm uerò ęgrotantis uires indies admodũ labefactari, & morbo ſuccumbere,neq; ullis à nobis rectè adhibitis remediis inſtaurari poſſe uiderẽtur,ego diu mecũ animo uoluẽs, ſiquid per nos inueniri poſſet, quod huic nobili uiro opem afferret,nullũ uino præſtantius,imbecillo quidẽ, aut opportunius excogitari poſſe exiſtimaui:& ita uini albi optimè aqua tẽperati portiuncula mirificè à me laudata fuit. Quod quidẽ remedii genus à nobis cõmemoratũ, etſi à duobus aliis ſociis noſtris cõprobatum fuiſſet, quia tamẽ ſenioris animus medici in cõtrariam inclinabat partẽ, ex toto prætermiſſum fuit: licet, quia ægrotãtis uires indies magis ac magis in peius labi uidebãtur,ſemp ab alio ſocio noſtro,ut p̃ſentaneũ remediũ affuturũ,in memoriã reuocaretur. Rationes quæ me cõuincebãt,ut uinũ, quale ſuprà à nobis deſcriptũ fuit, exhiberẽ(ut interim breuitatis gratia omittã quę à Cõciliatore pro nobis adducuntur,differ.clxxij) tales fuerãt,quòd uno omniũ ore iã orbi augmentũ aduẽtaſſet, ex indiciis manifeſtè in urina apparẽtibus,ut antè à me relatũ fuit:tũ quia humores concoquere,& omnes excretiones mouere, & uelocius quàm omne aliud uires inſtaurare poſſet: quæ ſi deſtituerentur, omnis medici actio unà cũ ipſis corruere dubitandum nõ erat:ut alia omittã uini iuuamenta,à Galeno & Paulo latius cõmemorata. Sed fac nullam in urina apparuiſſe cõcoctionis notã, nónne ad uiriũ cuſtodiã, quæ manifeſtè imbecilles ualde,& imminutæ redditæ erãt,dilutũ uinũ ad illas reparandas offerremus, ſi Galeni præſertim, Pauliq; & aliorum ſanam doctrinã utiq; non aſpernabimur, qui febricitantibus ex humorum cruditate in ſyncopen incurrẽtibus panẽ ex uino diluto cõuenienter offerebãt, niſi aliqua phlegmone aut iecur, aut uentriculus laboraret? Senior uerò ille aduerſarius noſter contra nos tãtùm Galeni ſententiam afferebat, licet mutilã, & omni ex parte conciſam & imperfectam, &, iudicio noſtro, male intellectã:quam cùm exurgens è toro, incompoſitis quidem uerbis & iracũdis pleno ore recitaſſet,putãs ex hoc omnino lauream reportaſſe,multa præterea addidit nobis præſtò eſſe, quæ fugientes uires remorari poſſent, abſque uini nocumentis,quemadmodum ſunt oua recentia,carnes contuſę,& illarum deſtillatio, & huiuſmodi alia: cùm tamen nec quæ uini nocumẽta eſſent,afferret,quale à nobis deſcriptũ fuit. Quem cùm ſumma cum manſuetudine adhortatus fuiſſem,ut modeſtius quæ ſentiret exponeret, nec tamen ullo modo meis monitis acquieſcere uellet, ira percitus, quòd ab eo petiiſſem ut ſuas afferret rationes, cur uinum exhibẽdum nõ eſſet,alioquin me nolle ſuis dictis ſtare,cùm ipſe teſtimonia in oppoſitũ admodum efficacia haberẽ, & ratiões ualidas. Tandẽ cùm illum ullis nec uerbis nec precib.inducere poſſem,ut ab huiuſmodi deſiſteret iracũdo ſermone,nec graui homine digno, ut illius importunitati obtemperarẽ,& à uini ſumptione abſtineret, decretũ fuit: itaq; infelix æger poſt triduũ,eo magis ac magis recrudeſcẽte, morbo deuictus, animã efflauit in Domino. Cùm ego uerò iis, qui pręſentes aderant diſputationi noſtræ, particulã hanc de uini exhibitione, & nõnulla alia, ea qua poſſem diligẽtia me ſcripturum pollicitus eſſem,nõ potui,ut promiſsis ſtarẽ,pro defenſione mea,nõ hęc pauca tibi exarare:non quidẽ ut aliorum dicta carperẽ,ſed ut ſcires nos cùm ratione, tũ maiorũ noſtrorum autoritate,Lucio fratri omnino uinum dari conſuluiſſe,neſciẽtes quòd in minori tempore, & melius deiectas inſtaurare uires poſsit, ſi uini commoda,quæ affert bibitũ,& uſum accuratè perpendere uoluerimus. Neq; hoc alicui à ratione alienũ uideri debet, tum propter multa,tum quòd Galeno is fuerat mos & cõſuetudo, ut cũ ad ægrotos unà cum aliis conuenerat medicis, quæ male acta & adducta fuerant reprehẽderet, quemadmodum illius libros euoluẽti multis in locis intueri licet:quod & humani, & Chriſtiani uiri officium eſſe puto,non maleuoli, & à diuina aberrantis lege. Sententia uerò illa ab aduerſario noſtro contra nos adducta,ſi quis eam diligenter conſiderare uoluerit,nõ omittens interim quę à Galeno paulò antè ſcripta ſunt, & quæ ſequuntur reliqua, minimè, quin uinum ægrotanti huic daremus, nos conuincũt, ſed potius in fauorem noſtrũ fuiſſe citata uidetur. Galeni uerba hæc ſunt: ἀλλ᾽ ὅταν ἀνθίσταται τὸ μέγεθος τοῦ πυρετοῦ, καθάπερ ἤδη τῶν συνόχων, οὔτ᾽ οἴνῳ χρηστέον, οὔτε λουτρῷ, οὔτε ἀλείμμασιν ἀραιωτικοῖς, ἀλλὰ τὸ ψυχρὸν ὕδωρ ἐν τούτοις τοῖς πυρετοῖς πινόμενον, ὡς ἔμπροσθεν εἴπομεν, ἐπιτηδειότατον, εἰ μὴ καὶ τοῦτο κωλύει τι τῶν εἰρημένων. Id eſt: ſed quando magnitudo febris aduerſatur quẽadmodũ in ſynochis, neque uino utendum, neque balneo, neq; unctionibus rarefacientibus, ſed aqua frigida in his febribus bibita, ut antea diximus aptiſsima eſt, niſi & hoc prohibeat aliquid dictorum. Quæ quidem uerba ſi quis tranquillo animo & æqua iudicii ſui lance expẽdere uoluerit,opinionem noſtram de uini exhibitione, manifeſtè,ut ſatis patêre arbitror,unicuiq; etiã non exacti iudicii uiro comprobare uidẽtur,nõ euertere. Poſtquã enim Galenus febriũ cõtinuarũ,quas συνόχους appellant, eò quòd nunquam intermittunt, curãdi uiam nobis tradere cœpit medicamentis iis,quæ,uacuato prius corpore, corpus moderatè calefaciũt, & cutis meatus, quos Græci πόρους dicũt,& urinam mouẽt,ſicut eſt ptiſanæ cremor, oxymeli, apomeli, apii radix, & huiuſmodi:poſtmodum balnei aquæ dulcis temperati uſum, & uini aquoſi potum laudauit, quòd omnes promoueãt uacuatiões. Sed cùm Galenus hæc duo poſtrema remedia in febribus cõtinuis ex humorũ putredine ortis approbaſſet,hęque non eodem modo corpus affligãt,ſed una magis quàm alia, ſua caloris uehemẽtia & magnitudine:ſtatim ſubiũxit,ne quis maleuolus,quorum infinitus eſt numerus,eã redarguere poſſet: Sed cùm magnitudo febris,& illius ardor illa prohibeãt, quòd magis ex his accẽderetur calor extraneus & putredinalis, non uino,ſed frigido utendum potu,non quidem ut ea quæ cauſæ aut putredini humorum febrem facienti aduerſetur,ſed febris ardori & uehementię:quando enim cauſæ,quando putredini,quando febri primùm occurrendum ſit, in ſequẽti nos monet Galenus ſermone, uirium ſemper robur ante omnia ob oculos habendum medico proponens,ad quod ſemper omnis illius actio dirigenda eſt: quæ ſi ualidæ fuerint, morbo ſeſe opponent, uniuerſas corporis facultates corroborabunt, & quæ putreſcentia ſunt,ſanitati reſtituent:quibus ita cõfirmatis & reſtitutis,nõ abſque ratione deinde, & balneo uti, aut uino, & iis etiam quæ corpus rarefaciant, poterimus,cùm ſcilicet coctionis notæ apparuerint, ut idem Galenus in eodẽ loco ſcribit, dicens: μετρίου δὲ ὑπάρχοντος τοῦ πυρετοῦ, καὶ τῶν δυνάμεων οὐσῶν οὐκ ἰσχυρῶν, ἅμα τοῖς τῆς πέψεως σημείοις, ὠφελεῖ τοὺς τοιούτους, τά τε βαλανεῖα, καὶ ἡ τοῦ οἴνου πόσις, ὅσα τε τῶν ἀλειμμάτων ἐστὶ μανωτικά. hoc eſt: Mediocri autẽ febre exiſtente,& uiribus non ualidis,ſimul cum coctionis notis,tales iuuant & balnea,& uini potus,& quæcunque ex unctionibus rarefaciunt. Et frigidę potio his nocet,& lotio:quibus autẽ frigidæ potus utilis ſit,præſentis ſpeculationis noſtræ non eſt inquirere, tum quia etiam in eo libro ſatis à Galeno explicatũ ſit, ac diſcuſſum. Quare hanc Galeni ſententiam nobis potius fauere,ac partes noſtras tueri,quàm aduerſari,ſatis manifeſtum uidetur. Illi uerò rationi ab aduerſario contra nos adductæ,cùm ait,multa nobis præſtò eſſe, quæ labefactatas uires inſtaurare poſsint, abſque uino, ut oua re-

cens nata, & pleraque alia, in hunc modum nos reſpondemus: nihil quod æque uelociter uires roboret inueniri, ac uinum: quo auxilii genere nihil nobis præſtantius eſſe, nihil commodius, atque opportunius exiſtimauimus, ut ſuprà ſatis probatum eſſe puto, ad morbi huius curationem. Cùm multæ præterea redderentur urinæ, dixi naturæ opitulandum eſſe, cùm rectè utique ageret, iniungendo ea quæ ciendi urinam uim haberent, ut ſunt quatuor ſemina frigida, aut etiam ea quæ certam participant caliditatem, ut aſparagi regii, & apii radix, & huiuſmodi. Cui reſponſum fuit, cùm ea quæ ſudorem cieant ægroto huic ſcripta ſint, ſatis ea ſufficere debere: nec alioquin aliis opus eſſe medicamentis urinam cientibus, ſiquidem quæ ſudorem euocent, urinam etiam moueant: quod tamen non ego omnino uerum eſſe aſſeruerim, cùm pleraque ſint, ut aſparagi, quæ urinam promoueant, non ſudorem, ut quidem hactenus uidere potui: & econtra, alia quæ utraque prædita ſint facultate. Cùm igitur ex urinarum indiciis (nam de cæteris eorum coctionis notis nihil in præſens ad nos dicere attinet, cùm morbum hunc generantes humores in uenis præſertim, non autem uentriculo & pectore contineantur) augmenti morbi tempus aduentaſſe (ut antea diximus) unuſquiſque noſtrûm proculdubio affirmaſſet, atque pulſus etiam quoquo modo ſubmerſus ex uirium imbecillitate naturaliter uideretur, licet febrili calore interdum elatus: deinde etiam cùm uirtus, ſiue facultas ea quæ motui præeſt uoluntario, manifeſtè imbecillior facta deprehenderetur, ſuſpicióque eſſet maxima ne aliqui in corpore iſto latitarent humores, qui poſtea malitia & multitudine hominem interficerent, nec aliud uino magis celebre atque efficax haberem remedium, quod his opitulari poſſet: idcirco, ut uinum dilutum, quale eſt quod album ſtolidum à nobis uocatur, eò quòd imbecillum ſit & fatuum, quales ſunt ſtolidi, qui uana & inſipida loquuntur, ægrotanti huic daremus, hæc ſingula me adhortabantur & cogebant: ut omittam quòd trigeſimus iam præterierat dies, ex quo hic nobilis uir ægrotare uiſus fuerat. Tandem cùm aduerſarius noſter rationibus & autoritatibus à nobis in medium adductis acquieſcere nollet, remittere illum ad opuſculum noſtrum ſatius uiſum fuit, ad eam uidelicet epiſtolam quam Mariotto Equiti inſcripſi, in qua cumulatiſſimè de uini exhibitione tradidi, quæ & huic ſatisfeciſſe exiſtimabam, non quidem ut lucubrationes & labores noſtros iactarem, ut malè à quibuſdam interpretatum fuiſſe audio, ſed quia non eſſet hîc diſputandi, nec concertandi locus, ſed remedia & rectè & citò adhibendi. Neque puto alicui ſani iudicii uiro ex hoc exiſtimandum eſſe, me uelle apud homines gloriam aucupari, aut ambitionem, cùm antea ſæpe, quæ uulgus medicorum (abſit ſuſpicio dicto) maxima in æſtimatione habet, contempſerim, ut ſatis manifeſtum eſſe arbitror, ſi quis me intus (ut aiunt) & in cute nouerit, & actiones meas, poſito quocunque animi affectu, diligenter animaduertere uoluerit. Scio etiam pleroſque ex noſtris non deeſſe, qui, quòd iſta ſcripſerim, licet uera ſint, me tamen aliorum nomini detraxiſſe dicant, cùm multi in urbe noſtra ſint, ac alibi, qui melius hæc, quàm ego, & ſciant, & intelligant. Verùm cùm ea pluribus aliis de cauſis literis mandauerim, non ut aliquos redarguerem, quas nunc recenſere mihi opus non eſt, cùm ipſe inter medicos minimus ſim, hoc illorum obiectum in nos parui eſſe momenti non dubitauerim. Sed abeant iſta, ne quis fortaſſe male in nos animatus, ex his etiam uerbis ſuſpicetur me popularem auram captare uelle: uideántque ii, qui me accuſabant, ne inuidia aut odio aliquo agitati, iſta de me in populum ſpargant, ut honori noſtro detrahant: puténtque, ſi quid in me aut alio quouis emicat, non nobis illud adſcribendum eſſe, ut plerique male inſtructi arbitrantur, ſed IESV CHRISTO Deo optimo noſtro, à quo cũcta emanãt bona: cui laus, imperiũ, & honor, in omne æuũ. Vale. Ex Brixia, tertio Nonas Septẽb. M. D. XLVI.

ALOISIVS MVNDELLA MEDICVS

*Martino Agathio Iureconſulto compatri ſuo* S. EPISTOLA XXXII. *Coriandrorum, malorum punicorum, ac ſerapij uiolacei uſus an febricitantib. conueniat. De ſanguinis item miſsione nonnulla.*

QVoniam breuitas temporis, ac uariæ occupationes, quibus quotidie impedior, nunc mihi non permittunt reſpondere ad omnia quæ quæris, nec ſtudeo tibi mihique multitudine ſcriptorum nimiam afferre moleſtiam, ad quædam tantùm nunc reſpondebo, in cæteris omnibus aliàs ſatisfacturus, cùm temporis opportunitatem nactus fuero. Et primùm ad ea, quæ à me petiiſti de coriandro, ita reſpondebo, quòd in febribus, cuiuſcunque generis illæ ſint, ſiue in ſpiritibus tantùm accenſæ, ſiue in humoribus, ſiue uniuerſum occupent corpus, coriandrorum quouis modo apparatorum uſus minimè conuenit: quoniam cùm ſiccę atque adſtringentis ſint facultatis, corporis perſpirationem impediunt, qua maximè indigent putrida laborantes febre, ut uapores exhalent, atque ab obſtructionibus liberentur, quæ ex coriandrorum uſu non auferuntur, ſed magis augentur, etiamſi ſaccharo condita fuerint, cùm craſſæ (ut dixi) ac ſtypticæ ſint naturæ: niſi quapiam alia de cauſa aut ſymptomate fortaſſe cuipiam illa exhibere cogeremur, non quidem febris ratione, ſed ſymptomatis: ut ſi eſſet uomitus, diarrhœa, aut aliud ſimile contingens ſymptoma. Neque, diu licet inquirenti mihi, unquam innoteſcere potuit, quid multos præſentis ac ſuperioris ætatis medicos in hunc compulerit errorem, ac prauam medendi conſuetudinem, niſi maxima in re medica negligentia, ac modica illius conſideratio, aut, ut uerius loquar, peſsimæ adulationes, quæ adeò hoc noſtro inualuerunt æuo, ut certè credant medici atque ægrotantes ſimul, non poſſe ullo modo quempiam curari, niſi praui huius uitii interuentu. Itidem de mâlis punicis ſentiendum, quæ cùm ſint adſtringentis naturæ, & ipſa febricitantibus aduerſantur, & cauſam quæ febrem facit, fouent. Verùm ſi quiſpiam mihi obiiceret, Galenum *Decimo curan.meth.*
in febribus putridis illa concedere: ita, reor, reſponderi poterit: non quidem ratione febris Galenum ea approbaſſe, ſed bilioſi uentriculi ratione, quemadmodum locum illum conſideranti patêre arbitror. Propterea neque illos multùm laudo, qui dulcia punica pleuriticis exhibent, aut etiam ſerapium ex illorum ſucco confectum, quòd non omni deſtituta ſint adſtringendi facultate, quæ pleuritidi aduerſatur: quoniã dilatatione potius corporis meatuum, ac reſeratione, quàm obſtructione indigeat: niſi fortaſſe ex illis ſit compoſitum mâlis, quæ nullis, uel minimis prædita ſunt nucleis. Vnde etiam ea ratione non adeò tutum erit, ut pleriſque conſuetum eſt, ſerapio uiolaceo in hac ægritudine uti: non quidem propter adſtringendi ullam, quæ in eo ſit, uim, ſed propter obſtructionem, quæ ex uiolarum temperamento frigido oritur, quo excreatus impeditur ac retardatur, quod potiſsima morbi longitudinis, & mortis fortaſſe cauſa eſſe poteſt: niſi pleuritidem bilioſus ualde potiſsimum procreaſſet ſuccus, quo caſu adueniente, particula quapiam illius ſerapii uti non abs re eſſe exiſtimo, unà cum aliis ſputum educentibus *Lib.3.capite de dyſenteria.*
medicamentis. Neque etiam Alexandri Tralliani ſententiam multùm approbo, cùm ait: Nuclei mâli punici uentrem ſanorum adſtringunt, ægrorum uerò minimè: quoniam (quod quidem pace tanti uiri dictum ſit) ſi mâla punica ſui natura adſtringentia ſunt, non uideo quomodo non ſemper adſtringere debeant, quoties ſanis aut ægrotis exhibentur. Putes tamen nolim hanc nos rem tanti facere, ut cùm quis horum mâlorum quippiam ægrotanti dederit, quò illi quapiam in re leui blandiatur, aut quadam alia ſimili de cauſa, non illum exiſtimem poſſe à morbis liberari, ut nonnullos ex noſtris dicere audio, qui cùm ægrotantibus dixerint, mâla punica nequaquam eſſe exhibenda, putant ſe arcanum quippiam in medicina reuelaſſe, nulli niſi ipſis ſolis cognitum. Deinde dicimus, male cum illis agi medicis, qui cataplaſmata & ſimilia remedia patienti particulæ ſuperimpoſita refrigerari permittunt: gratia exempli, in pleuritide, & huiuſmodi aliis, quibus apoſtema, aut tumorem aliquem concoquere aut digerere ſtudent, aut etiam dolorem ſedare: illos pariter uituperantes, qui interdum prædicta non innouant cataplaſmata & remedia: quoniam niſi innouentur, plurimum de ui ſua amittant, neque ita laborantibus opitulentur, & medici uanam operam reddant. His adde, quòd ſi ſæpius renouentur, neque ſic præſidio laboranti erunt, quando tam breui tempore uires ſuas in morbum exercere non poſſunt, ut à Galeno ſcriptum eſt in libro de

comp.

comp.med.ſecundum loca,cap.de parotidibus:quemadmodum ſi(uerbi gratia)cataplaſma ſiue emplaſtrum quod pleuritidem patienti particulæ imponitur, frigeſcere ſineres: quoniã ita magis nocumento eſſet,quàm adiuuamẽto, & pleuritidis coctionem potius & digeſtionem,ac uaporum malorum exhalationem impediret,quàm adiuuaret:id quod caloris fit interuentu,non frigoris,quemadmodum in cõfeſſo omnibus eſt,qui in re naturali & medica exercitati ſunt. Alii uerò dubitationi tuæ ita reſpondemus,dicentes, ſacchari frequentẽ uſum in febribus à bile prouenientibus & acutis, à me non multum laudari, quòd illud temperamẽto ſit ſatis calido, & quod in bilem commutari facilè poſsit, qua poſtea febris augetur:ſed ſi aqua decocta contemperetur, interdum in ipſa infuſum dari poſſe exiſtimo, non abſque ratione,ad extinguendam ſitim,& ad aquæ læſionem moderandam: uerùm nõ tam copioſe,nec tam frequenter,ut à multis fieri & cõcedi animaduertimus: ita enim imminui ( ut dixi ) illius caliditatem autumo,

*Primo de alim.fac.*

quemadmodum de hordeo à Galeno traditũ eſt, quod nunc humectat, nunc exiccat, ſecũdum uarium præparationis modum.Hæc non alia de cauſa(reor)increbuit conſuetudo, quàm quia nimiæ ſunt ægrotantium deliciæ, qui nulla in re utili, quæ tamen illis aliquo modo ingrata ſit, medicorum ſuorũ mandatis obſequi uolũt, ſed cõtra omnẽ illorum ſalutẽ ac medici officium lautè nimis uiuentes, ac deſideriis ſuis indulgẽtes, curari uolunt. Vnde poſtea natum eſt, quòd pleriq; illorum qui certè à morbis liberarentur,non tantùm non curantur, ſed intempeſtiuè obire coguntur, ob ſuam ipſorum intemperantiam ac licentiam,qua in ſex rebus non naturalibus nimis liberè utuntur: quemadmodum illis etiã euenire conſueuit, qui ob eãdem quam diximus rationem nullo modo ferre poſſunt, ut decoctum aliquod ſerapiis admiſceatur,aut etiã aquæ deſtillatitiæ, ſed oui albumine, ut lucidiora fiant, non minimo ſui damno, permiſceri uolunt. Ex qua quidem immoderata uictus ratione factum eſt,ut plerique inculpata ſanitate fruentes,ſibi ac parentibus obnoxii ægrotent,& ęgrotantes pereant. Eſt etiam illud maximè animaduertendum, multos errores ſequi ſępe conſueuiſſe ex medici abſentia,cùm cuipiã ſecanda præſertim uena eſt,uel ob egrotantis timorem,uel artificis,qui uenam incidere debet, imperitiam: quapropter ſummopere medicos omnes adhortarer,ut operationi illi,ſi fieri poteſt,intereſſe uelint, quòd multo melius ſit paucis tutò ac fideliter medicari,quàm multis incertè ac negligenter.Non ignoro ægrotantium complurium erga medicos ſuos auaritiã atq; inurbanitatem abundare: ſed propterea nobis ab officio noſtro haudquaquam deſiſtendum, ſperantibus à domino IESV CHRISTO certam ac largã laborum omnium noſtrorum remunerationẽ. Profectò ſi nimia ægrotantium ac medicorum cupiditas animis non inſediſſet,maiora horũ opera quàm conſueuerunt circa laborãtes ſemp illuceſcerẽt, & illi citius ac felicius à morbis liberati conualeſcerent.Cùm enim quiſpiã laborum ſuorum condigna expectat præmia, magis ac magis ſanè illi accẽditur animus, & inſperata ferè operatur: cõtrà uerò cùm ſibi parem gratiam pro beneficii accepti munere referri dubitat, tunc omnes collabũtur uires,ac animus deficit,nec quicquã boni amplius agere poteſt.Nunc ad aliam dubitationem tuam accingor. Tempus ſerapiis ab ægrotãtibus ſumẽdis opportunũ, duabus ante cibationem horis eſſe puto,ut ęqua illorũ coctio fiat.Quòd ſi quiſpiam uẽtriculo fuerit imbecillo aut ualido,plus aut minus de tempore dicto & addi & minui poterit, ſecundum periti medici æſtimationem:

*Tertio de rat. uict. in morb.acut.*

quod ex Galeni dictis ſumi poteſt, cùm de oxymelitide ab eo ſermo habetur: etſi poſtea aquarum deſtillatarũ, aut decocti unciarum trium pondus additum fuerit,ut facilius, reor, per uenas & corporis meatus penetrare,& intrò ferri poſsit illorum facultas. Neq;, puto,dicendum eſt,ut à nonnullis ferri audio,hoc tempore data ſerapia magis uentriculum ſubuertere, quàm ſi cibo commiſceantur,cùm prandium aut cœna ſumitur:imò contrariũ potius ſequi ex hac propinatione:quoniã ſerapiorum multa guſtui ingrata ſunt, quare ſi cum cibis unà miſceantur, ut dictum eſt,uentriculus magis ita ad nauſeam & uomitum incitaretur, quàm ſi eo,quo nos diximus modo,& ut communis eſt omnium ferè conſuetudo medicorũ,propinarẽtur:& ita potiſsima cauſa eſſent,ut ægrotantes maximè afficerentur,non retento in uentriculo cibo,& ex inedia tabefacti perirent. Non deſtruunt ſanè hanc noſtram & maioris medicorum partis opinionem, ſi accuratè animaduertere uoluerimus,Galeni ſcripta in v.de ſimpl.medic.facultatib.quãdo nonnulla medicamẽta cibis mixta exhibet: quoniã ea non ſunt penitus medicamenta,ſed potius medicinę cibales,aut cibi medicati:neq; hoc nobis abſurdum eſſe debet,ſed rationi conſentaneum: uerbi gratia,ſi quis lactucam comederet, aut endiuiam, & huiuſmodi alia cibis admixta.Itidem dicimus de nonnullis aliis,quæ,ſi cui libitum eſſet, unà cum cibis mixta ſumere poſſet:ut eſt ſerapium,quod ex mâlorum punicorum,citrorùmue, & citoniorum paratur ſucco, & pleraque alia, quæ nequaquam guſtui ingrata ſunt, ſed potius ſuauia, & ipſum oblectant. Quo quidem reſponſo ſuperioribus diebus cuiuſpiam ex noſtris medicis argumentum diluimus, cui cùm ad ægrotum quendam tertiana notha affectum, ad quem prius ille acceſſerat, ſuperueniſſem, ab ægrotantis domeſticis accerſitus,ſermóq; inter nos haberetur de illius uictus ratione,egóque illi endiuiam excoctam aceto, & ſaccharo condîtam, ut ederet conceſsiſſem ac laudaſſem, protinus ille me redarguere atque increpare cœpit, ac ſi maximum quippiã ſcelus in medicina perpetraſſem, & Galeni manes flagellaſſem, dicens id præter illius mentem eſſe,& doctrinã. Verùm non animaduertit ille,Galeni quidem dicta uera eſſe de cibis qui diuerſæ ſint naturę, quos & ego ægrotãtibus, maximè in morbi principio, minimè dandos eſſe confirmo:nõ autẽ de iis,qui cibi ſunt medicati.

*Primo & 3. de rat. uict. acut.*

Quis enim, rogo, lactucã eo quo diximus modo apparatam, etiã in morbi principio, febricitanti illi non dederit, & hoc dixerit eſſe præter Galeni inſtitutum? Adde quòd interdum ita ægroti ſunt deiecta appetentia, ut cibos etiam parum deteriores illis offerre medico opus ſit, & tamẽ neque id Galeni doctrinæ aduerſatur. Hæc dixiſſe uolui propter nonnullos ex noſtris medicis, qui adeò diſceptant de qualibet etiã re leui,ut nullos alios putẽt,præter ipſos,bonas literas atq; artes liberales didiciſſe. Sed ad rem reuertamur. Quod de ſerapiis à nobis dictũ eſt, illa ſcilicet nõ eſſe cibis cõmiſcenda,itidẽ & de medicamentis ſoluentibus dicendum:quoniam ita calor natiuus difficilius ea ad opus ſuũ perduceret, quàm ſi ſola ſumerentur, cùm caloris uis ita à cibo infringatur: id quod & aliis,quę ſuprà commemorauimus,contingere medicamentis exiſtimandum eſt,ſi cibis admixta ſumantur. Deinde etiã,quia in cibi concoctione fieri poſſet,ut medicamenti portio quædam cibo permixta, ad intima corporis penetret, non leui ægrotantium detrimento. Cuius etiam opinionis & Auic.eſſe uidetur, & Raſis cap.de dolore hepatis.

*14.Fen.3.ca. 22.*

Neque hæc,ſi accuratè cõſideres,diſcrepant ab opiniõe noſtra, cùm diximus:interdũ medico & ęgrotanti expedire medicamẽta exoluentia cum pane miſcere,aut ſaccharo roſaceo,aut diacitonite,aut paſsis uuis,& huiuſmodi aliis:quoniam id à nobis cõceſſum eſt, cùm ægrotãtes aut propter odoris & ſaporis grauitatem & ingratitudinẽ, aut propter illorum delicias,aut nolunt,aut nequeunt prædicta ſumere medicamẽta:uerùm nõ ideo tamen nos dicimus, medico congruum eſſe ut ſemper hoc agat,ſed quoties neceſsitate urgente hac medendi ratione uti cogimur. Adde etiam, quòd à ſumptis ſerapiis dormiendum eſſe admonemus, ſi fieri poteſt, aliquo tẽporis ſpatio, quò & cõcoquantur facilius,& illorũ uis per uniuerſum diſpergatur corpus,& ægrotãti opituletur, ſciẽtes illa nõ eſſe propinanda, priuſquam coniectura aſſequi poſsimus,quòd præcedẽs concoctus ſit cibus, & ſecũda ſaltem perfecta ſit cõcoctio.Hîc ſane decreuerã noſtro ſermoni finem imponere, ſed cùm nos etiam atque etiam urgeas,hęc pauca quoque ſubiungere compellor, ut tibi ſatisfiat. Quòd noſtri temporis pleriſq; medicorum conſuetum ſit, ut in uenæ ſectione ſanguinem eouſque è uena exire permittant,præcipiántq;, donec appareat in eo coloris mutatio,equidem non poſſum non ualde admirari:quoniã exiſtẽte ſanguinis putredine in uenis, proculdubio exiſtimãdum eſt, ita in una illarũ parte eã exiſtere,quemadmodum & in qualibet alia,præſertim in febribus continuis:non autẽ quòd ubi ſecta uena eſt, iſtuc tantùm cõfluat,& præſens ſanguis ſit,qui infectus eſt,deinde incorruptus ſubſequatur,qui ex coloris mutatiõe ad bonum cognoſcitur: res quidem ab omni ratiõe aliena,nec credi digna. Huius erroris cauſam puto Galenum fuiſſe,in libro de ratiõe uict.acut.cùm dicit,in

curatione pleuritidis expectare medicum debere hanc sanguinis permutationem: quod in hoc & in alio simili casu uerum esse concedimus, atque affirmamus, sed generatim nequaquam, nec semper: quoniam existẽte in ea parte inflãmatione, per uenam proximiorem patiẽti particulæ uacuari potest: à cuius uacuatione alius deinde apparet sanguis non putrefactus. Ex quo quidem Galeni loco hos deinde puto propositionem illam uniuersalem sumpsisse, uidelicet, quòd in quacunque uenæ sectione expectari debeat coloris sanguinis mutatio, id quod ex prædicta ratione falsum esse notũ fecimus: etsi nonnullos esse sciam, qui cõtrarium omnino affirmẽt, séq; expertos esse asserant. Neq; etiam nostram reprobant opinionem Galeni uerba de curatiõe febris quartanæ, cùm ait: Etsi uena incisa, is qui fluit sanguis niger uideatur & crassus, præcipuè uerò in iis qui liene laborant huiusmodi uisitur, audacius mittendus est: quòd si flauus aut tenuis apparuerit, statim supprimendus. Venam uerò, &c. Cui argumento eadem responsione, quã suprà de pleuritide adduximus pro opinionis nostræ corroboratione, satisfieri poterit: quoniam etsi uerbis his uideatur Galenus apertè dicere, hanc sanguinis mutationem expectari debere, id tamẽ minimè uerum est, quoniam ibi Galeni intentio est sanguinem melancholicum uacuare, cuius receptaculum est lien: & propterea tanquam ex determinata corporis parte, brachii sinistri uenam secat, tanquam aliud esset apostema, ut de pleuritide diximus. Idcirco neque his rationibus mihi uidentur rectè fundasse opinionem suam medici isti in uenę sectione, cùm dicunt, semper expectandã esse sanguinis mutationem. Postremùm male illos agere ægrotos dicimus, qui cùm accersiri alium uel alios medicos pro illorum curatione præcipiunt, ut simul consiliũ habeant de morbi essentia, causis, & remediis adhibẽdis, primo ingressu & aspectu credunt indigentiæ suæ & petitioni satisfieri posse: nõ enim hoc medico quantũuis perito & in arte experto, ut unquã assequatur, fieri posse existimo: sed bis, ter, & amplius, si opus est, inuisendi sunt ægrotantes, & diligentissimè interrogandi: & prioris medici officium est, ut singula quæ hactenus acta sunt, aliis accuratè exponat. Caue igitur moneo, si sapis, ut, siquando tibi acciderit, quod tamẽ Deus auertat, ita derepente tuos medicos compellas, ut à plerisq; fieri consueuit, suum ferre iudicium, sed summa cum diligentia, consideratione, ac prouidentia roges, obsecro, ut hanc omnem rem non oscitanter perpendant, atque examinent. Reprehendendos & illos pariter esse nõ leuiter existimo, qui ægrotantibus magno in uitæ discrimine existẽtibus, aquã carnium destillatarũ singulis ferè horis exhibent, putantes ex huiusmodi propinatione ęgros instaurari, ac illorum uires refocillari, cùm potius hæ infringantur ac suffocentur, ex hac intempestiua cibi ingestione ac cruditate, cùm nõ possit tam breui temporis spatio iusta fieri cibi dati cõcoctio. Et quoniã iam tẽpus est ut ad ægrotãtes meæ curationi cõmissos accedã, ideo hîc colophone imposito, aliàs cæteris dubitatiũculis tuis, fauẽte Deo, pro uiribus satisfaciam. Vale amicorũ optime. Ex Brixia, XII. Cal. Ian. M.D.XLVII.

*Primo ad Glauc.*

## ALOISIVS MVNDELLA MEDICVS Ioanni Alberto Tertio Iureconsulto suo S. D. EPI. XXXIII. *Medicos præsagio frustratos excusat.*

CVm superioribus diebus ad aures nostras peruenisset, plerosque ex ciuibus nostris conqueri & dolere, ac medicorum quorundã nomini derogare, quòd cùm illi interfuissent curationi unius ex primoribus ciuitatis, qui tertiana notha laborabat, & ægrotantis domesticis prædixissent certam illius salutẽ futuram, sed cum quadam temporis intercapedine, deindéque mortuus esset, medicorum nõ leui ignominia: non potui non hæc pauca pro ueritatis defensiõe, & illorũ excusatione, ad te scribere. Quapropter prædictos medicos nostros, meo quidẽ iudicio, rectè ac doctè iudicasse, si me audies, intelliges: quemadmodum unicuique in re medica exercitato ac perito adeò manifestum esse scio, ut alioquin mihi opus nõ sit multa probatiõe ad illud persuadendum ac confirmandum, cùm tertianæ febris natura iuxta Hip. & Galeni sententiam, tandẽ salutem ægrotanti portendat. Verùm id te latêre nõ debet, sæpenumero ob delicta multa, quę ægrotantes cõmittunt, & qui illorum seruituti addicti sunt, & quòd medicorum sanis obtemperare nolunt consiliis, ut ait Galenus in lib. de const. artis medicinalis, morbi qui natura sua & breues & salubres sunt, longi & mortiferi euadũt, & eò magis, cùm qui laborãt, opulẽti sunt ac potẽtes: existimant enim horũ plerisq;, nec morbos, nec mortẽ, nec Deum ipsum quicquã in ipsos posse: quare scripsit Galenus, diuites quàm pauperes difficilius curari. Cùm itaque in pręedicto ciue complures, iique admodum praui geniti essent humores, ob intemperantiam, cui non solum dum conualesceret, sed etiam dum febricitaret indulgebat, ut in hac regione plerisque consuetũ est, occupantes uitalis facultatis principem partem, cor uidelicet, ipsum protinus perdiderũt: id quod aliis etiã contingere potest, non tãtùm ob succorum malitiã, sed etiã multitudinem, quẽadmodum unicuiq; in re physica & medica exercitato, facilè constare arbitror. Quòd autem hæc quæ nunc scribimus uera sint, Galenum, rogo, ita loquentẽ audias uelim: δύναται γὰρ ἐξαίφνης ἐπιῤῥυῆναι τι περιττὸν ὑγρὸν ἔνδον τοῦ σώματος, ἀλώμενον ἐπί τι μόριον ἀναγκαῖον εἰς τὴν ζωήν. ὥσπερ ἂν πάλιν ἕτερον ἐκ μέρους κυρίου μεταστῆναι εἰς ἄκυρον. ἀκολουθήσει δ' ἐξ ἀνάγκης τῷ μὲν εἰς τὸ κύριον ἐνεχθέντι μέρος ἔσχατος κίνδυνος, τῷ μεταστάντι δ' ἐξαιφνιδίως τε καὶ ἀπροσδοκήτως ἡ τοῦ κάμνοντος σωτηρία. τῶν μὲν &c. hoc est: Potest enim repentè humor aliquis superfluus intus in corpore detẽtus, in aliquam particulam uitæ necessariam influere, quẽadmodum contrà rursus alius ex particula prima in ignobilẽ. Sequitur autem necessariò extremum periculum, quòd in partem primam inuectum sit: quòd autẽ inexpectatè & repentè, laborantis salus est. Horum quidem &c. Qua uiri autoritate & testimonio satis mihi esse existimo ad demonstrandũ, non rectè illos medicos nostros calumniari, qui tertiana non quidem syncera laborantem, ab ea absolui debere, sed quadam temporis longitudine, iudicarunt, & tamen superueniẽte exacerbatione mortuus est. Summopere tamẽ medicos omnes adhortarer, ut hoc moniti exemplo, quãtum fieri potest, à uulgi calumniis & conuitiis sibi caueant, ac certum iudicium de morbi conditiõe semper in medium afferãt, ne artis nostrę dogmata suspecta reddantur, & tanquã falsa cõdemnentur. Verùm hoc modo & mors, & salus pro uiribus ægrotis prædicẽda est, uidelicet nisi aliquid aliud ex improuiso emerserit, quod prius à medico minimè considerandum uenerat. Posset etiam hîc alia aduersus istos ratio adduci pro medicorũ defensione, quę tamẽ nec medico nec philosopho digna uidetur: ne tamen & hæc deesset, illam adscribere uolui. Dicimus itaque, quòd etsi medicus aliquam affirmet ægritudinem curari posse, uel non curari, & illi remedia admoueat opportuna & optima, Deũ nihilominus interdũ permittere ægrum, qui mori debuerat iuxta medicorũ dogmata, ut conualescat, & econtra, cùm illius iudicia ab homine haudquaquam scrutari possint. Vnde etiã cùm Galenus dicit, non esse admouenda ægrotanti perituro remedia: quòd illud sit artem medicam & auxilia infamare, non omni ex parte uerum erit: adde etiam, quòd inhumanum, & pio medico indignum uidetur, atq; ab omni pietate prorsus alienum, morituros non uisitare, sed solis prognosticis relinquere: imò hac mihi de causa tunc magis inuisendi esse uidẽtur, cùm maiori indigeãt consolatione & adhortatione ad urgentia mala patiẽti animo toleranda. Sed cùm Galenus Christianæ fidei lumine careret, ac Mosis discipulos ut pertinaces irrideat, nemini mirandum est, si illam ita protulerit conclusionem. Quapropter excusatiõe digni mihi illi esse uidẽtur medici, neque nota infamię ulla inurendi (si tamen uera sunt quæ ab aliis, paucis ab hinc diebus mihi relata sunt) quòd prædixerint ægrotum illum conualiturum, de quo suprà commemorauimus. Equidem ęgrotantiũ plerosq; (ut antea dixi) periclitari nõ ignoro, tum quòd mandatis medicorum parêre nolunt, tum illorum culpa, qui cibos præparant, præsertim mulierum quarundam, quæ absq; ullo medici consilio, sponte sua multò plus cibi ægrotis suggerunt, quàm opus sit, idq; intempestiuè, modò Manus christi quam uocant cõpositionem, modò carniũ destillatarum aquã siue liquorẽ, & huiusmodi alia exhibẽtes, nulla de tempore, nec de mẽsura illius, neque de morbi & ægri natura, ui & consuetudine consideratione facta, ut interim cæcas ægrotantium omittam proprietates, quæ, & pleraque alia, nisi à medico accuratissima cum diligentia expendãtur & excutiantur, medici inscitiã potius ostendunt, quàm illorum qui ægris adsistunt negligentiã: quæ singula malorum multorum potissima causa sunt. Et ideo optimũ

*Lib. de cõst. artis med.*

esse

eſſe exiſtimo, ne quapiam in re, etiã leui, à periti & probi medici præceptis & conſultis aberrent ægroti, nihil addentes, aut etiam imminuentes, ſed omnia diligẽter obſeruent, nec ab illorum inſtituto ulla in re declinent. Si quod medicorũ eſt, tantùm curarent medici, non tot ac tam uariæ hominum ſpecies hac noſtra ætate artem medicam exercerent, non obſtetrices, non pharmacopolæ & tonſores, non circumforanei, non cuculati homines, nec mille alii infimę ſortis uiri & indocti, ac nulla ſana experiẽtia freti, unde poſtea plurima circa ægrotantes inſurgũt mala. Sed multò magis ægros ipſos admirari cogor, qui idiotarum ac perfidorum hominum mandatis obſequi malunt, quàm optimè de medicina meritorum: qui arrogantia & temeritate ſua, illorũ qui doctrina & experientia pollent, nomen opprimunt & obſcurãt. Fateor medicorum pleroſq; non rectè officio ſuo fungi, ſed negligentia, & minima pietate fulti erga ægrotos, illorum loculos tantùm expilare, ac in ſui cõmodum conuertere, nullam de aliorum damnis curam gerentes, ſed quę ſua ſunt tantùm curãtes, modò ad huius, modò ad illius cubiculum minima quidem prudẽtia & modeſtia accedendo, & pharmacopolia omnia ferè quæ in urbe ſunt, uiſitãdo, ut ſi quis miſer infirmus, aut ruſticus iſtuc appulerit, pecuniam extorqueant, fœdere inter ipſos & pharmacopolas inito, ut ambo ſimul maximo ægrotãtium damno (prò dedecus ingẽs) diteſcant: multa ex ſola inſpectiõe urinæ, & illius odore falſo, ac turpi lucro prædicentes, quæ tamen à morigerato, ciuili ac docto medico lõgè aliena ſunt: quibus ueri ſimulationibus & adulationibus pleriſque imponunt ægrotantibus, & uniuerſo ferè orbi, qui tamen & decipi uult, atq; offendi. Hi ſunt noſtri temporis medici, qui ab hominibus magna in æſtimatione habentur, ac ueneratiõe. hi ſunt qui pluribus medẽtes, plures culpa ſua occìdũt ante præfixũ uitę ſuæ diẽ. hi ſunt qui breui diuites fiũt, unà cum pharmacopolis ipſis, quòd plura medicamenta, & compoſitiões magni pretii, magno ægrotantium damno, frequenter dictent, ac præparari iubeant: quæ non aliò tendunt, quàm ut illorum nomẽ ab omnibus celebretur, ac magis lucrentur. Enimuerò ſi medici iſti Chriſtianè uiuere cõſueuiſſent, & Hippoc. & Galeni doctrinę ac conſiliis parêre, non tantis profectò uterentur medicamentis in illorum curationibus, neque tam pretioſis & peregrinis, ſed paucis, iiſque ex noſtris petitis & inuentis regionibus, ut in illorum cõmentariis legenti ſatis conſtare arbitror: neque tantis mederi ægrotis curarent, neq; ut hoc conſequãtur, cœlum & maria miſcerent, & mille alia perpetrarent mala, quæ artem noſtrã dedecorant atq; infamant: quoniã ſi quæ ad ęgrotantium ſalutem pertinent, ſingula interrogare decreuiſſent, ut eſt Hippocr. & Gal. conſilium, ac de omnibus, quę illis neceſſaria ſunt ut cõualeſcant, admonere, non tempus poſtea illis ſufficeret ad percurrẽdos omnes ferè ciuitatis uicos. Quare tutius medico eſſe exiſtimo, ac multò magis laude dignum, ut paucis rectè medeatur, quàm multis male. Neque timendũ eſt ex hoc, quòd noſtræ indigentiæ neceſſaria deſint, neq; noſtros alere poſsimus liberos: quoniã hic ſatis ſupérque diteſcit, qui ab omnibus probis ſumma in æſtimatione habetur, & celebratur: qui CHRISTVM lucratur, & Hippoc. doctrinam amplectitur, atque imitatur: quòd is diuitiarũ omniũ fons ſit inextinguibilis, &, ut in adagio eſt, bonorum omnium Taſſus. Sed iam tempus eſt, ut ad rem noſtram reuertamur. Si itaq; nobilis ęgrotus ille, de quo ſuprà mentionem fecimus, tertiana febre laborans periit, non quidem febris occaſiõe, quæ ad bonum finem perduci nata eſt, ſed pluribus aliis de cauſis, quas antea dixi, ultimum obiit diẽ, non propterea tamen eſt, quòd ciues noſtri admiratione ulla capi debeãt: quoniam & præteritis diebus alium, qui febre tertiana ſimplici correptus erat, in acceſsione ipſa mortuum fuiſſe certò ſcio: nõ quidem tertianæ puræ ui, quę ſalubris eſt, ſed quoniam febricitãs ipſe & ſenex ualde, & imbecillis erat: quod & alteri trãſacta æſtate cõtigiſſe nõ ignoro, qui in quartanæ exacerbatiõe & ipſe animam efflauit, eadem, quam dixi, de cauſa, qua tertiana laborãs periit. Quare etſi illorum medici ſalutem certè prædixiſſent, & tamen occubuiſſent exacerbatione accedente, nihilominus (ni fallor) non digni fuerunt illi ulla reprehenſiõe, quemadmodum & illi alii, quos ſuprà commemoraui. Quibus ſanè de cauſis iterum medicos omnes adhortarer, ut parati ac pręmeditati iudiciũ ſuũ ferant de ægrorum futura ſalute ac morte, ne ita & ſibi & medicinæ turpis ſint infamiæ, & aliorum medicorũ offenſionis occaſio. Quocirca & hæc pauca etiam non conticuero, huic propoſito noſtro non lõgè aliena, ſed potius congrua, ſi tamẽ uera ſunt quę ab aliis relata audiui, uidelicet in ciuitatibus nõnullis (noſtram excipio, in qua tale ne quippiam adhuc innotuerit, compertum non habeo) iſtius conditiõis medicos inueniri, qui neſcio quas compoſitiones ſcribentes, quibuſdam notis additis & characteribus, quos medici ſoli ipſorum autores, & pharmacopolæ quibus cum familiariter conuerſantur, intelligunt. Cũ quibus ſanè medicis & pharmacopolis rem melius agi exiſtimarem (etſi fortaſſe id bona potius fide faciant, quàm dolo malo) ſi compoſitiones has ſuas publicè, quemadmodum & cęteri omnes, ſcriberent & uenundarent, ne quiſpiam hoc ab illis fraudulenter factum eſſe dicat, ut hi & pharmacopolæ conuerſatione ſimul diteſcãt. Quòd ſi fortaſſe aut diuinus aliquis nũtius, aut aſsiduus in medicinæ ſtudiis labor, aut longa exercitatio, arcani quidpiam illis reuelauerit, optimum (puto) eſſet, ſi alios laborum ſuorũ participes redderent, palàm omnib. animi ſui bona & ſecreta inuulgantes, quoniam id ſit iuxta euangelicam & Chriſtianam doctrinam & pietatem. Hæc pauca huic noſtræ orationi ſubiungere uolui, quoniam (ſi rectè iudico) ea ſint non minimi in uita noſtra momenti, neq; ab inſtituto noſtro longè aliena, ut tandem ueri ac pii medici titulo inſigniamur, & ars medica tot maculis, probris ac uitiis amplius non contaminetur: ars ſanè maxima ueneratione digna, & quæ non à malignis, indoctis, auaris, adulatoribus, ac ruſticis exerceri meretur, ſed probis, ſynceris, doctis, munificis, ac nobilibus. Non dubito hos ſermones à me incaſſum iactari, neq; boni quicquam ex illis emergere, ſed maior hominum pars quod peius eſt eligens, ac ſophiſtarum nomen & doctrinam extollens, potius illorũ opera mori conſentiet, quàm aliorũ, qui uerè docti & probi ſunt, auxiliis conualeſcere: nihilominus facere non potui, quin hæc pauca nunc ad te ſcriberem: ne quiſpiam unquam ante CHRISTI tribunal & illius conſpectũ de me conqueri poſsit, quòd illorum errores, & ueritatẽ omnium illarum rerum, de quibus certitudinem habuerim, atque intellexerim, cunctis quoad potui, nota nõ fecerim, ut CHRISTI IESV nomen, ac charitas illius immenſa, ſemper à nobis decantetur atque extollatur, in gratiam medicorum omnium, qui uerè medicinam profitẽtur: & in illorum perniciem, qui ſuis prauis dogmatibus, ac prauo uitæ ſuæ genere, omne humanum genus corrumpunt atque illaqueant. Vale. Ex Brixia. Nonis Aug. M. D. XLVI.

## ALOISIVS MVNDELLA MEDICVS *Hyacintho nepoti ſuo* S. D. EPIST. XXXIIII.

*Fructus horæi an cum pane comedendi.*

VT plenè tibi ſatisfacere poſsim, Hyacinthe chariſsime, atque uti filius à me ſemper dilecte, primum mihi opus eſſe diſtinctione uti, ſcias uelim, priuſquàm ea de re, quam à me petiiſti, certior fias: quoniam cùm indiſtinctè loquimur, in audiẽtium animis certè confuſio oriri ſolet, ac multa animi perturbatio: & id quod diſtinguẽdo notum facere, & alios breuiter docere poſſumus, ſine diſtinctione maxima cum difficultate tradi poteſt. Et ideo cùm à me petis, an fructus cum pane comedi debeant nec ne, in primis à nobis inueſtigandũ eſt, de quibus fructibus futurus eſt ſermo: deinde quæſtioni reſpondendum. Quoniam igitur nonnulli ex fructibus ſunt, qui à Græcis ὡραῖοι, hoc eſt, tẽporarii, uel præcoces dicuntur, quia & citò ad maturitatem perueniunt, & citò corrumpuntur. ut ſunt cераſa dulcia, mora, perſica, pruna, & huiuſmodi: alii ſunt qui per totum ſeruãtur annum, quemadmodum auellanæ, iuglandes, caſtaneæ, pineæ. Sunt porrò & nonnulli alii qui nõ ita facile putreſcunt, ut quos primò cõmemorauimus, neque tanto tempore perdurant ut caſtaneæ, & illius generis alii fructus, quẽadmodũ ficus, uuæ, pyra, & pomorũ genera aliqua. Idcirco cùm à me petis, nunquid bonum ſit atque utile, panem cum fructibus permiſcere: huic quæſtiunculæ ita reſpondendum eſſe exiſtimo, in uniuerſum abſq; pane à nobis debere fructus comedi, de quibus à nobis primùm facta eſt mentio: quoniã illi facillimè putrefiunt, & ſubſtantiæ tenuioris & aqueæ ſunt: & quòd ciborum talis ordo ſit, ut liqui-

da ſemper cunctis aliis præponantur, Galeni præcepto: quod nequaquã fieri poſſet, ſi cibi alii liquidis permiſcerentur: imò parũ ante alios cibos eſſe ſumendos exiſtimarem, quò ita facilior ſit illorũ è corpore exitus, ne aliis cibis permixti, unà cum illis corrumpantur, & per uenas delati, maioris dãni cauſa ſint, quàm ſi ſoli parũ ante cibum ſumãtur. Multò autẽ melius eſſe puto, omnino ab illis abſtinere, neque illis ſe exponere periculis, quæ facillimè oriri poſſunt ex prædicta fructuũ comeſtione, ſi in corpore permanſerint, quemadmodum cõſideranti ſatis conſtare arbitror, neque alia noſtra indigere explicatione: multę enim putredines ex his, & humorum corruptiones, generari ſolent, quę deinde multos, uarios ac prauos gignere morbos cõſueuere, quẽadmodum Galenus ſe expertũ, ac grauiter morbis affectum fuiſſe refert ex horũ fructuum horęorũ nimia comeſtione. Quòd ſi prędictis fructib. ueſci uolueris, ut illos comedas, ſicuti antea diximus, moneo, & modicè, & ad extinguẽdam ſitim potius, & aëris calorẽ, quàm ut famem coërceas, & appetitui indulgeas. His adde, quòd qui fructuum horum uſum laudant, quòd uentrẽ molliãt, illorum opinionem nõ multùm approbo, cùm multa ſint quæ aluum facilẽ reddere poſsint, abſq; aliqua ſumẽtium noxa: quod de huiuſmodi fructibus minimè fatendum eſt: non enim ſemper conſueuerunt uẽtrem deiicere, ſed ſępe intus retenti, non leuis nocumẽti cauſa ſunt: quod pleraque aluum lubricam reddentia non efficiunt, ut ſunt caulium ius, ſerum lactis cum ſaccharo, uel abſque illo ſumptum, maluę, mercurialis, betæ cum oleo conditæ, & pleraq; alia. Quòd ſi noſter futurus ſit de iis ſermo, qui per totum ferè aſſeruãtur annum, neq; ita facilè putreſcunt: tunc dicendũ erit, quòd etſi cũ pane comedantur, non hi tamen ita putrefactioni, ut illi, apti ſunt, quòd horum ſubſtãtia magis terrea ſit, neque tantis abundet humoribus, qui putredinem poſtea generare poſsint. Medii uerò inter hos fructus, uidelicet ficus, uuæ, & huiuſmodi reliqui, ut ante alios cibos comedantur ſuadeo, eiſdem de cauſis quas ſuprà commemorauimus: quos tamẽ ſi cum pane comedas, non tanti nocumenti cauſam eſſe exiſtimo, cùm nec tãto abundent humore, nec putredini ita obnoxii ſint, ut quos primò recẽſuimus, temporarii, ſed ſubſtinẽtia cõſtẽt magis craſſa, & naturę humanę magis amica & familiari, propter quod etiam facilius cõſeruari poſſunt.

*Lib. primo al. 21. cap. de dyſent.*

Verùm ſi quis mihi obiiceret Alexandri Tralliani ſentẽtiam, quæ talis eſt: Oportet fructus pariter omnes non ſine admixto pane comedere: ita illi ego reſponderem, hoc ſolum in dyſenteria uerũ eſſe, & nõ generatim debere intelligi: quoniã proxime in eodẽ loco Alex. locutus fuerat de nõnullis fructibus qui cum pane in dyſenteria edi poſſunt, qui acerbi ſunt & adſtringẽtes, ut ſorba, corna, pyra immatura, citonia, uuę ollares, & huiuſmodi alii, quos (ni fallor) ut edantur cum pane, Alexandrum reor uoluiſſe, ut ita illorũ ſuccus magis cũ panis ſubſtãtia miſtus, per intima corporis penetrare poſsit, & aluum fluentem ſiſtere: non autem ſine pane, ne facilius eo comeſti modo, uentrem repentè ſubeant, & parũ aut nihil de natura ſua & facultate in inteſtinis relinquatur: aut quia fortè ita commixti non corrumpãtur, ſed panis illis ſit ueluti frænũ eorũ malitiæ. Si uerò quiſpiam Alexãdri dicta in uniuerſum uera eſſe, & omnino ita intelligenda dicat, quòd omnes fructus debeãt cum pane comedi: tũc pariter reſpõdebimus, illum uoluiſſe ut fructus omnes non ſine pane edãtur: quoniam ſi unà ſumatur, & remouere & prohibere illorum putredinẽ, quæ à nimio, quo repleti ſunt, humore prouenit. Quæ reſponſio quantum ueritati conſentanea ſit, cùm ab eo alioqui probata non ſit, neq; excuſſa, nõ ego ita illã cõcederẽ: ſed potius dicerẽ, multò melius eſſe fructus, potiſsimũ uerò qui multo præditi ſunt humore, & corruptioni parati, abſq; pane ſecũ admixto edi: ſed, ut ſuprà diximus, temporis aliqua mora inter ipſos & reliquos cibos interueniente, ut ceraſa, pruna matura, & huiuſmodi, ne cibum, qui illis admiſcetur, corrumpãt, & putridos deinde humores per uniuerſum corpus & uenas diſpergãt: quod ab aliis nõ tantũ humoris in ſe habentibus, qui ad putredinem aptus ſit, nõ ita prouenit, quẽadmodũ ab iis qui multo abundãt humore.

*22. part. probl. primo probl.*

Et propterea ſcripſit Ariſtoteles, poma à cibo edi debere, ne cùm ipſa grauia ſint, ſi primò ſumerentur, cibi particulã ſecum incoctam attraherent: quod nõ fieri dixit, ſi à cibis comedantur. Deinde in determinatione quæſtionis abs te propoſitæ, hac alia utemur diſtinctione. Fructus enim nunc ut cibi, nũc ut medicamentum ſumi ſolẽt. Si ut medicamentũ ſumantur, uidelicet, quòd mutẽt corpus, & aluum mollem reddant, tunc abſq; pane edi cõſulerem, aut aliorum ciborũ mixtione, ut ita melius ſuo fungi officio poſsint, & non ab aliis impediantur cibis, quemadmodũ ſcribit Gal. cap. de ſycaminis & moris, cùm ait, cibos illos qui deiectionem procurãt, & tarde pertranſeũt, ultimo loco ſumi debere: qui uerò uelociter ſubeunt aluum, & in uentriculo remanentes corrũpuntur, præ cæteris edi debere: etſi Gal. etiã primos fructus modò cũ pane, modò abſq; illo cõcedat. Itidẽ dico de fructibus illis, qui adſtringere uẽtrem à natura parati ſunt, quemadmodũ citonia, pyra, & huiuſmodi reliqua: qui ſi ante & poſt cibũ ſumãtur, diuerſos pariũt effectus, ut omnibus manifeſtum eſt.

*Secundo de alim. facul.*

*Octauo meth. & alibi.*

Animaduertendum tamẽ, quòd in alui fluxu, cùm adſtringẽtia exhibemus, nõ cogimur ſemper ea ante omnes cibos dare, ſed etiã quandoq; pro uentriculi corroboratione, cęteris adhibitis remediis, quę in tali curatiõe adhiberi cõſueuerũt, à reliquis omnibus alimentis, ut ita os uẽtriculi corroboratum prohibere poſsit, ne multi humores amplius ad uentrem deſcendant inferiorem, ut à Galeno, & aliis probatis interdum fieri cõſueuit autoribus. Et hęc pauca à me dicta ſint, ut prædictam conſequẽtia petitionẽ. Poſtremò dicimus, multò minus malũ eſſe, ſi, cùm homines fructus comedunt, non unà admiſcerent tot diuerſarum qualitatum ac ſubſtantiarum cibos. Ad tantã enim uiuendi libidinem hæc noſtra deuenit ætas, ut nõ una uictus ſpecie contenta ſit, ſed uix pluribus, ac natura diuerſis: unde poſtea appetitus noſter à nouitate cibi incitatus, multò plus ingerit, quàm cõueniat: ex quo deinde cruditates multæ, & humorum oriuntur putredines, ac morbi, qui poſtea maxima cũ difficultate curari poſſunt, & immatura ſæpe mors, mors quidem nõ corporis, ſed animę quoq;, ob immoderatum & turpe gulę deſiderium. Et quidem ſi res noſtras accuratè conſiderare uellemus, ſtirpes, bruta, maximo nobis eſſe deberent documento, quæ pręceptore nullo, aut doctore inſtructa, ſed nutrice omniũ doctiſsima natura, ac magiſtra, unico contenta ſunt alimẽto: quo ſobriè nutrita, rariſsimè in morbos incidunt, & ſi quando ab illis corripiuntur, facile ab illis liberantur, à cibi & potus, ut uidere unicuiq; licet, abſtinẽtia: neq; ulla medici ope, ſed ſolius ſapiẽtis naturæ beneficio adiuta & edocta: & ita ad ultimam uitæ ſuæ metam, ut ait Plato in Timæo, parum oppreſſa perueniunt: contrà quàm miſeri faciunt mortales, qui ratiõe ipſa ſimiles diuinis ſpiritibus creati ſunt, & tamen multò peius atq; infelicius quàm animãtia ipſa ſe gubernãtes, multis ſæpenumero infeſtãtur morbis, & tandẽ oneri grauati ſuccũbunt. Quod quidẽ unicũ exemplũ ſatis nobis eſſe deberet, ut recta uictus ratiõe utẽtes, Deo in primis accepti, nobiſipſis & aliis, longius uiuendo, adiumento eſſe poſsimus, cibos cum moderatione, & ordine ſumẽtes, quo ſummus humanarũ ac diuinarum rerũ opifex Deus regit ac conſeruat mundum: cuius nomẽ ſemper ab omnibus ante omnia decantetur, ac celebretur. Vale, CHRISTI mandatorũ memor, & proauorũ tuorũ nomẽ uirtutibus illuſtrius reddere ſemp cõtẽde. Ex Brixia, pridie nonas Octo. 1543.

ALOISIVS MVNDELLA MEDICVS, *Martino Agathio Iureconſulto compatri* S.D. EPISTOLA XXXV. *De iure carnium, ſiue hordei decocto, aut ſero lactis, poſt ſumptum pharmacum propinando: & pleraque alia ſcitu non indigna.*

SI medici tã alienæ ſalutis eſſent ſtudioſi, q̃ propriæ utilitatis ſunt cupidi, & animos ad propria ſtudia adiicerẽt, eáq; quæ ueros, nõ circũforaneos medicos decẽt, ſtudioſe & cupidè ſectarẽtur, certe in medẽdi ratiõe tot errores nõ cõmitterẽtur, neq; tot miſeri mortales immaturè interirẽt, aut diutinis morbis miſerabiliter laborarẽt. Sed qm̃ pauci ſunt ex medicis q officiũ ſequãtur, fit ut pauci ægrotãtiũ bonã ualetudinẽ recuperẽt, aut cõſeruẽt. Sed ego quantũ fieri põt, ab his prauis morib. abeſſe uolo, & tãtũ alienũ, quãtũ meũ cõmodũ curare paratus ſum, p̃ſertim ſi ſit cũ honeſtate cõiunctũ. Itaq; nec tibi deeſſe poſſum in iis, q̃ à me q̃ris, potiſsimũ in uſum & utilitatẽ tuã. *Scito igit*, ius carniũ, qđ omnibus ferè ægrotãtibus, q ſoluẽs aliqđ ſumũt medicamẽtũ, cõſuetũ eſt dari, aut aliquid ſimile, poſt duas ferè horas,

ras,quàm medicamentũ ſumpſerũt,nõ rectè dari,iuxta Galeni & Hippoc,præcepta & doctrinã:quoniã medicamenti uim frangit,& illius operationẽ impedit, expectationémque medici fruſtratur,& famam bonã imminuit.Calor enim natiuus,qui primus & potiſsimus autor eſt operationis medicamenti ægrotanti exhibiti,iure,aut ptiſana,aut alio huiuſmodi liquore impeditur,ne ſuum perficiat opus:quoniam ad tẽpus ſuum non ſint propinata: ex quo fit,ut pharmacum unà cum aliqua humorũ quãtitate educatur, priuſquam omnem ſuam perfecerit in attrahendis & uacuãdis humoribus actionem. Dandum itaque ius ſubitò eſt à ſumpto medicamento,nõ interpoſito temporis ſpatio aliquo,ſiue pti-

*Octauo met.*

ſana,ſiue hordei aqua,ſiue ſerum lactis,aut aliud ſimile: ne,ſi particula quæpiam medicamenti derelicta fuerit, id quod ſæpius contingere ſolet,aut in ore,aut gula,aut ſtomacho,uomitum excitet,aut animi deliquium,aut aliud timendũ ſymptoma inducat,& ita illius actionẽ, quæ à nobis expectatur,impediat:cũ medicamẽtorum omnium ſoluentium natura,humanæ aduerſetur naturæ,atque abominabilis ſit,tum etiam quia uentriculi os ſenſile ualde exiſtit:quæ nocumenta ſingula( puto )auferentur,ſi nulla interueniat mora inter pharmaci exhibitionem,& lactis ſeri,ſiue hordei decocti:quę quidem mihi magis placent,quàm carnium ius:cùm cibo tunc nobis minimè opus ſit,ſed abſterſione tãtùm & ablutione,modò & peculiares ægrotantiũ naturæ nõ obſtiterint.Cui ſanè iuri, ſiquidem omnino propinari debet, ſaccharum addi laudarẽ,ut magis illud abſtergat pharmaci reliquias,quæ in gutture detentæ ſunt. Ex immoderatis ſanè gloriæ & diuitiarum affectibus oriri conſueuit,quòd plerique medicorum nolentes bonis operam dare autoribus , poſteaquam corona ignorantiæ gymnaſtica caput præcinctum habuerint,& doctoris titulo inſigniti fuerint,dedignantur quicquam amplius addiſcere,& liberalium artium ſtudiis incumbere : licet & antea parum operæ illis impenderint,ſed potius ſeſe exercuerint in omni uitiorum genere , luxurioſe uiuendo,& non tantùm quæ ſua ſunt,ſed totius familiæ ſuæ bona diſsipando,exiſtimantes hoc eſſe ſcholaſticorum qui medicinæ,quique legibus ſtudẽt peculiare munus: quódque is maiorẽ gloriam cõſequatur, qui maiorem pecuniæ copiã conſumit,ac turpiter uiuit,minimã ſuorum ſtudiorum curã habens,quàm qui morigeratè,honeſtè,frugaliter uiuẽdo,in ſtudiis ſeſe aſsiduè exerceat: ut hoc uitæ genere ſibi immortale nomen, ac ueram ſapientiæ laureã patriæ ac parentibus cõparet.Vnde nihil eſt quòd mireris,ſi medicus ille tuus ptiſanę pręparationis neſciuerit modũ,nec ex quo hordeo parari debeat, glabróne,an alio,ſed ex farina hordei, eáque ſatis ueteraſcente,apparari iuſſerit , nihil de illius præparationis modo miniſtros admonens:fuit enim negligens,& parum honoris ſui ſtudioſus. Medicos quippe decet non tantùm quæ ad medicinã,ſed etiã quæ ad coquinariam artem pertinent pernoſcere,quæ quidem neceſſaria,& ægrotanti mirè cõducit,ut à Gal.in libris de alim.facult. oſtenſum eſt.De qua quidẽ ptiſana non ſolùm Hippoc. & Galenus tradidere , ſed multi alij ueteres ſcriptores, non ut medicina tãtùm,ſed ut delicatiſsimo atque utiliſsimo cibo:quæ ſanè omnino falſa exiſterẽt,ſi eo,quo ſuprà ſcripſi , præparetur modo. Ex quo ignorationis quaſi fonte emanaſſe credo,ut nonnulli ex noſtris promulgauerint,oua recẽtia febricitantibus omnino pernicioſa eſſe,neſcientes illorũ temperamẽtum ad calidum parum declinare.Verùm ſi uitellum maximè optimi nutrimenti eſſe aſſererent,& facilè & citò,ſi ſumatur recẽs & ſorbile,alere poſſe,hoc ſanè illis rationabiliter concedi non negarem,& ita ea de cauſa nõnullis non conuenire febricitantibus,quando medici conſilium eſt,minimum nutrimenti ægrotanti afferre,nõ autem quòd timenda ſit medico illorum caliditas , quemadmodũ illi exiſtimant.Quorum eadem eſt de columbarum temperamento opinio,quòd hæ febre affectis utilis cibus nõ ſint,ob illarum,ut ipſi dicunt,nimium calorem, præſertim quæ in turrib.nidificant, quòd( ni fallor )non adeò excrementis abundet iſtarũ caro,ut domeſticarum, & altilium, neque temperamẽto ſint adeò calido,ut febricitantib.poſsint,ut aiunt,nocere:ut interim illorũ omittam autoritatẽ,qui de natura ſua ſcripſerunt, præcipuè ſi eo morbi tẽpore dẽtur,quo expedit.Ad quæſtionem autem aliã de piſcibus,ita reſpõdemus , dicẽtes,nos ſæpenumero,quòd parũ ſtudiis operã demus, parum ſapientes uideri,& multa loqui , quæ minimè cordatum uirum oſtendunt,ſed indoctum: quemadmodum illud eſt,de quo à nobis in pręſens habetur ſermo.Piſces enim non eſſe frigidę & humidæ tẽperationis,neminem reor inueniri qui unquã iuerit inficias:imò qualitatum febricitantibus contrariarũ eſſe:quare ſi contraria cõtrariis curari debeant,ut certiſsimũ eſt Hippoc.& Galeni axioma,non ab re mihi eſſe uidetur,ſi interdum in febribus à bilioſo humore genitis,piſciũ aliquid cõcedatur,illorum maximè,qui non multis redundant excrementis, quales ſunt ex marinis nonnulli , & ex noſtris carpio, temelus,& lupus,mediæ potiſsimũ ætatis,qui in fluminib.exercitatus degit:etſi fortaſſe ratione cauſæ,quæ febrem facit,nõ ita febricitantibus utilis alicui ſupercilioſo uideri poſsit,dicẽti humiditatem putredinis cauſam exiſtere:nõ enim humiditas ſemper illam producit,ſed cùm exuperat,atque exhalare nõ permittitur.His adde, quòd uictus humidus omnibus febricitãtibus confert, Hippocr.& Gal.teſtimonio.Diximus antea,negligentiã noſtrã atque inſcitiã innumerabilium malorũ cauſam eſſe euidẽtiſsimã:uerùm ut palàm magis id tibi notum fiat , attentè quæſo audias uelim,quæ tibi iamiã oſtẽſurus ſum.Cõmunis ſanè omnibus ferè medicis conſuetudo & mos eſt,ut cũ febris aliquo modo declinare cœperit,ægrotãtibus exhibeant cõpoſitionẽ diarhodon appellatam,ad reſerandas corporis meatuum anguſtias, & ad uentriculũ corroborandum : cuius ſanè medicamenti uim ſi diligenter examinare uoluerimus, & ſimplicia ſingula ex quibus illud cõficitur medicamentum perpendere,febricitantibus & uentriculo noxiũ magis ( ni fallor )inueniemus,quàm amicum,cùm præſertim rhabarbarũ uentriculo aduerſetur,quemadmodũ cętera omnia pharmaca aluũ ſoluentia:etſi quantũ ad qualitates manifeſtas pertinet( ut aliàs ſcripſimus )illũ confirmare quodãmodo poſsit,quæ & amaræ & adſtringentes ſunt.Deinde conſideranda eſt ſpodij,margaritarum,& tragachãtæ natura,quã membrorũ noſtrorum poros obſtruere,nõ aperire poſſe conſtat.Multæ profectò medicamentorum cõpoſitiones noſtris tẽporibus à medicis uſui habẽtur,quæ multa ſimplicia in ſe continent,ſed aut adulterina ſunt,aut morbis,quibus cõpetere exiſtimatæ ſunt,aduerſantur, quemadmodũ ſi accuratè ſingulas illas diligẽs medicus examinare uoluerit, facile cognoſcere poterit,& depoſito quocunq; animi affectu,ſolius ueritatis amore & hominum beneficio commotus,ex animi ſentẽtia,quæ ſenſerit,nõ diffitebitur.Vnde & illa inuenta eſt cõpoſitio,quæ cõſtat ex ſaccharo,fiſticis,carnibus caponũ,perdicum,& huiuſmodi aliis:quæ cùm facilè putrefieri poſsit,æſtatis præſertim tẽpore,nõ minimo ægrotantiũ detrimento,quẽadmodum unicuiq; in re phyſica uel parũ perito ſatis manifeſtũ eſſe puto,quódque ea ex uariis cõſtet rebus: idcirco & hæc cõpoſitio à me non multùm probatur,etſi & nobile inuentũ,& exercitato medico dignum, alicui fortaſſe uideri poſsit.Neque etiã iiſdem de cauſis rectè mihi feciſſe uidetur tuus ille medicus antiquus,qui cùm oui albũ ſubſtantiæ craſſæ ſit ac lentæ,& ad concoquendum difficilis,febricitanti tibi nõ ſimplici tertiana illud conceſſerit,cùm humorẽ uiſcoſum generare,ac deinde corpus obſtruere,& febrẽ tandẽ augere poſsit.Sed admiratione magis dignũ mihi illud uiſum fuit,quod ab alio intellexi medico,qui cùm ſplene laborãti cuipiam medelam pręſtaret,haud quicquã ueritus eſt affirmare, quoniam aſsiduè & multùm mingebat,breui illum ab ægritudine euaſurũ:qui quantũ aberrauerit,& hallucinatus fuerit,à Gal.oſtenſum eſt,cùm ait,nullã eſſe uiam *Meth.13.* quæ ſplenem expurgare poſsit per urinæ meatus:quod quidẽ affirmare minimè auſus fuiſſet, ſi ſe in ſtudiis , & bonis literis aſsidue conuerſando exercuiſſet:ſed,ut ait Galenus , magis nobis acceptũ eſt ſequi ea,quæ uulgus ipſum decipiant,quàm bonos libros emere,illiſque incumbere.Non omittendũ & illud eſt,quod ex Bythino mecum ſermonẽ habente de ægrotante quopiã accepi, *Lib. de dig. proprijs animi affect.* qui cùm animaduerteret alui excrementa in qualitate ac quãtitate optimè ſe habere,& optimi illum eſſe intellectus & memoriæ,quod eſt facultatis animalis & naturalis cõſtãtiæ ſignũ,abſque dubitatione ulla affirmauit,eũ omnimodo cõualiturũ,cũ tamẽ notæ illæ nõ certã portẽdãt ſalutẽ,neq; mortẽ,ſi accuratè Gale.dicta animaduertere uoluerimus,quæ in pleriſque locis tradita ſunt:ſumitẽ enim uitalis facultatis roboris à pulſu pręſertim iudicatio,atq; imbecillitatis:non ab illis aliis,prout

tuus ille medicus existimabat, tuæ olim familiæ præfectus. Cōcedimus tamen & notas illas ab alui excrementis & ab animali facultate sumptas, non minimi esse argumenti ad conualescendū indicia, cùm cerebri & uentriculi uires ita bene se habere ostendant, membra quidem & ipsa maximi in nostro corpore emolumēti. Sed illud quod à nobis dicitur, tale est, quòd fieri potest ut aliquo tempore in nonnullis ægrotis facultas animalis & naturalis satis ualidæ sint, uitali tamen imbecilla existente, & interim ægri moriātur: & ecōtrà, quòd ambę facultates infractæ sint, uitali ualida apparēte, & tamen infirmi cōualescant. An uerò notæ quæ ab urina sumantur, magis certā ostendant salutem futuram, aut mortē, quàm illæ quæ à pulsu, quod à nonnullis quæri nō ignoro, aliàs disputabimus. Additū & illud est à medico illo in colloquiis inter nos habitis: uacuationis nomine tantùm illam intelligi, quæ ab exoluente oritur pharmaco: uerùm quantū ille unà cum plerisque medicorum à ueritatis aberret scopo, facillimè unicuique constabit, si me dicinę uberes cāpos percurrere uoluerit, pręcipuè quos Galenus excoluit: in quibus uacuationē propriè appellat, quæ per uenæ sectionē fit, quæ priusquam à medico celebretur, minimè opus est ut cōcoctionē expectet in humoribus à natura factā, neque ut corpus fluidum à medico reddatur, sed subitò, cùm ea ægrotans indiget, ætate & uiribus illud exigētibus ac conferentibus, exequenda est: cùm in hauriendo sanguine nō ea sequātur incōmoda, quæ sequi solent si medicamentum soluens exhibeatur priusquā concocti sint humores: quæ non propriè uacuatio, sed purgatio nuncupari debet; nisi quandoque nimia licentia abutentes, nomē illud usurpauerimus. Animaduertendū est etiā, hoc uerbo καθαίρειν hoc est, purgare, Galenū quandoque uti & pro abstergere, & pro eo quod est, aluū soluente pharmaco deiicere: quod nomē plerunque multos decepit, existimantes semper per purgare intelligi debere aluū soluere. Et illud sanè mihi non probatur, quod à medicorum nonnullis fieri cōsueuit, qui cumprimū ad ægrotantiū aliquē accedunt, statim omnimodā ciborum abstinentiā illi iniungunt. Nā quantum Galenus uituperet Diatritarios illos medicos, qui ut primùm ad ægrotos accesserant, protinus illis tridui inediam imperabant, non opus est mihi tanquam manifestum commemorare, ne potius in scribendo superuacuus sim, quàm legenti utilis. Nunc mihi illud dixisse satis fuerit, non omnibus ægrotantibus in primis diebus ciborum abstinentiam utilē esse, sed quibus status proximè futurus est: cōtrà uerò quibus longè, ne uires succumbant cùm status aduenerit, in quo tenuissimo uictu utendū erit, quemadmodū iis contingere cōsueuit, qui iter aliquod inituri sunt. Neque etiam illorū fraudem & malitiā celauerim, postquā de huiusmodi sophistis mihi incidit sermo, qui cùm ægrotantes uel sua uel aliorū culpa curare nequeunt, eos adhortantur è lecto surgere, domos exire, aëri se exponere, & exerceri, existimantes hæc omnia illis proficere, cùm tamen, iudicio nostro, id potius sit malum malo addere, quàm ægrotātes à morbo subleuare, nō existentib. illis ad huiusmodi negotia aptis, nec tolerare has repētinas artis mutationes & exercitia, cùm adhuc ipsorum uires

*Sextæ aph. sect. ap. 6.* ualde sint imbecillæ, nec morbū ualentes superare. Imò ut generalius dicā, humores ut cōcoquantur, quiete indigent, nō exercitatione, interim, ut ait Galenus, frictionibus utendo, aut huiusmodi aliis exercitationum speciebus, ut humorum redundantiæ ita euacuentur, non retineantur, & sint morborū aliorum causę: & sic deinde cū iam cōualuerit æger, paulatim ad cōsueta redeundum uitæ munia & exercitia. Sed multò peius illorum medicorum genus est, qui cùm nō possint eos, qui sese illorum curationi tradidere, pristinæ restituere ualetudini, nō uerecundantur illos aut ad balnea longinqua delegare, cōtra omne medendi ius, aut extra urbem in rus quodpiam, ut ita nō quidem sanitatem cōsequātur, sed ut se à tantis liberēt laboribus & occupationibus, quibus ars medica abundat: res sanè ab eo, qui piè, sanctè & legitimè medicinam exercet, longè aliena, sed agresti, impio, & inhumano homine digna, qui nulla in re CHRISTI mandatis obtēperat, & hominum salutem contemnit. Non recēsebo nunc pilularū exoluentium à cœna deuorationē, cùm caput purgare illi statuūt, ita dicentes: cū cibus adhuc in uentriculo existit, catapotiorū uim cum illius uaporibus permisceri, & facilius ad caput exhalare, & humores attrahere, qui cerebrū ipsum lædūt. Quæ sanè ratio pauci mihi esse momēti uidetur: nam & eadē ferè etiam esset argumenti uis in exhibendis omnibus aliis medicamētis, cùm hepar, splenem, & alia uacuare uolumus instrumenta, etsi non eadē sit uiarum amplitudo, atque uaporis natura sit in altū tendere: hos enim pariter & ad uenas deferri, etsi nō æquè ut ad caput, credendū est. Ex hac sanè catapotiorū deuoratione, necnon ciborū cum pharmaco & humorū, qui à medicamento attrahuntur, permixtione, cōmotionem quandam ac corporis perturbationē progigni debere potius existimauerim, quæ postea nō parum incōmodi & molestiarum ægrotāti afferat. In qua etiā permixtione fieri potest, ut medicamēti aliquid unà cum cibo per uenas deferatur, & ita esse posit nouarum passionum & symptomatū causa. Quòd si quis nostrā ita redargueret opinionem, dicens: Galenum etiam in xiiij. curandi meth. catapotia uespere exhibuisse sexagenario illi, qui tumefactā linguam habebat, ita illi responderi poterit: Galenum, etsi uesperè pilulas dederit, nō tamen à cœna dedisse, cùm fortasse senex ille nihil ciborum sumpserit. Vel dicas, quòd cùm Gale. adeò magnū futurum suffocationis periculū animaduerteret, nisi citò illi succurreret, quoniā materia turgeret, idcirco tūc remedio illo usus est in illius curatione. Scimus & alios ex Græcis scriptoribus catapotia eo tēpore dedisse, inter quos Paulus est: sed, ut aliàs diximus, defecerāt ualde illi ab optimis Galeni præceptis, & de Arabū doctrina, quę illorum ætate adhuc uigebat, nōnihil hauserūt: qui sanè Arabes quantum in nonnullis medendi methodis decipiantur, satis manifestum esse puto, si quis æquo animo illorū & Galeni dicta perpendere uoluerit. Esset & illorū superstitio uana annotanda, qui cùm serapia ægris à pharmacopolis parari iubent, pōdus unciarum quatuor cùm dimidia nō transcendunt, unà cū ipsis aquis destillatitiis. Neque etiam conticenda esset illorū consuetudo, qui pilulas numero pares nunquā exhiberent, quòd illud existiment maximum esse in medicina piaculū: quæ quāuis parum cordatum medicū ostendant, quia tamen leuis sunt cōsiderationis, nolui de his multa scribere, sed nonnihil attingere, ut scias, nos nō solùm in his quę minimi sunt momenti in medicina, sed etiā maximi, non rectè interdum agere, nec nostro rectè fungi officio. Plura adhuc mihi restāt annotāda pro tuis petitionibus, uerùm ad maiora, quàm hæc sint opera me tēpus inuitat, ac retrahit: quibus cùm ultimā manum imposuero, tunc ea quæ paro scribere, & tibi omnibúsque aliis (spero) innotescent. Vos autem, quicunque hæc nostra aliquando per otiū lecturi estis, rogo atque obsecro, ut quemadmodum medicorū neminē, neque alium mihi unquā meis scriptis lædere animus fuit, sed illorū tātum uitia, & prauum medendi modū carpere: ita illi cū nostris occurrerint erratis, fraterno amore ac ueritatis stimulo compulsi, nequicquam pertimescant nos de omnibus cōmonefacere & docere: quod si fecerint, ut spero, gratias quidē illis habebimus immortales: sint autē aliqua de causa desiderio nostro satisfacere noluerint, Deum optimum asiduis precibus rogabo, ut nouū ac sanctū charitatis spiritum in illis regeneret, atque accēdat, quò mortaliū uita iam tuta esse posit à tot hominū fraudibus, negligentiis, & imperitiis, quibus hæc nostra ætas omniū deterrima abūdat. Vale cōpater charissi. & nos amare perseuera. Ex Brixia, VII. Idus Iulij. M. D. XLVIII.

ALOISIVS MVNDELLA MEDIcus, *Martino Agathio Iureconsulto suo S. D. Epistola* XXXVI. *Quòd Galenus post Hippoc. omnib. Græcis medicis sit præferendus.*

QVòd superioribus diebus audiueris nescio quē exteræ quidē nationis, sed magni nominis medicum, adeò Paulū Aeginetā, Aëtium, & nōnullos alios Græcos medicos miris laudibus usq; ad astra extollere, me uerò uel nunquā, uel rarò de illis mentionē habere, nō est quòd admiratione ulla capiaris: quoniam liberū est unicuiq;, sectæ, quæ magis illi placuerit, fauere & inhærere. Verū quia nunquam illius opinionis fui, at semper summa cū diligētia & industria ueritatem inuestigaui, nō tātùm de iis quæ ad rem medicam pertinent, sed etiā ad quālibet disciplinarū aliam, nihil de cuiusuis sectæ nomine solicitus, aut doctrina: idcirco diuino adiutus fauore, sine quo nihil boni agere aut meditari possumus, etsi in asiduis uersemur cogitationib. & exercitationibus, apertè mihi uisus sum cognoscere, Galenum

lenum doctrinæ certæ ac ſanæ autorem extitiſſe, neque à rectis medicinæ ſcopis ac methodis aberraſſe, ſed medendi ueram artem nobis tradidiſſe ac manifeſtaſſe: & propterea cùm ipſe plus quàm quiuis alius ueritatem amplexatus fuerit, ac docuerit, tanquam qui de re medica optimè meritus, & ab omnibus laudari ac decantari dignus ſit, ſemper illũ & ſequor & extollo, & plus quã omnes alios medicinæ autores approbo, & mihi ante oculos imitandum propono, gratias ſemper Deo opt. max. habens, qui animos noſtros adeò illuſtrare dignatus ſit, ut ueritatem mihi apertè cognouiſſe uiſus ſim, & cognitã dilexiſſe, atque amplexatũ fuiſſe. Quòd igitur de prædictorum autorũ doctrina me rariſsimè ſermocinantem audiueris, neque medicũ illum approbauerim, id in cauſa extitiſſe intelliges, quòd, quoties Aëtium conſidero multò poſt Galeni tempora uixiſſe, congruum mihi uidebatur, (quemadmodũ Gal. de Attalo ſcribit) quòd cùm opus quodpiam componere uellet, atque in lucẽ edere aliquid quod Galenus non dixerit, aut ſi aliqua in re illi contradicere ſtatuiſſet, & rationes & experimenta illud cõfirmantia adduxiſſe oportuit, quæ ſuam ſtabilirent, & illius deſtruerẽt ſentẽtiam: id quod nullibi, quod ſciam, ab ipſo factum eſt, ſed nullis iactis fundamentis, aduerſus Galeni ſcripta nonnulla in mediũ affert, quæ ſanè, iudicio meo, nõ ut opus erat conſiderata & examinata fuerũt.

*Lib. de palp. & rigore.*

Cùm itaq; uita noſtra breui quidem tẽpore duret, & à multis interim corporis animique agitetur inquietudinibus, minimè nobis conuenire arbitror, ut in rebus uanis tẽpus conteram, & longa uerborũ ſerie utar, & quæ ab aliis ſcripta ſunt, ſæpius repetã.

*Quinto de ſimpl. medi. facul.*

Quare neq; multùm illum cõmendo, qui multa ſcribit, ſed illum qui lucubrationib. ſuis, longè ab aura populari ſemotus, omni ſtudio, aut parũ, aut etiã multũ ſcribendo, aliis prodeſſe quærit. Laudo Aëtij diligentiam, quòd ordine ſcripta ſua digeſſerit, morbos ferè ſingulos enarrans: ſed quòd remedia multa abſque ullo examine recenſuerit, nec methodum aliquam docuerit, qua auxiliorum bonitatem & malitiam cognoſcere poſsimus, illud mihi maximè diſplicet: quemadmodum à Galeno factum eſſe ſcimus, ex quo poſtea unuſquiſque ex ſe inueſtigare poteſt, quæ bonæ, quæq; malæ fuerint compoſitiones. Putes tamen nolim me Aëtij doctrinam omnino cõdemnare, & ita etiam aliorum autorum qui coęui fuerunt Arabum florenti ætati: ſed quia certè pauca nobis bona tradiderunt, quę prius à Galeno tradita non fuerint, hac de cauſa rarò à nobis de illis, & illorum doctrina habetur ſermo: & eò magis, quòd quoties illos uideo aliquid contra Galeni doctrinam ſcribere, quibus id argumentis agant, neſcio. Quare neq; medico expedire arbitror, qui prius Galeni ſcripta non uiderit, & in illis ſe plurimũ exercuerit, ut prædictis incumbat autoribus: ſcis enim quàm difficile ſit ex diſcentium animis inueteratas uſque à teneris annis amouere opiniones, quemadmodum noſtris temporibus in multis diſciplinarũ ſtudiis uidere licet: quo enim ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem teſta diu. Verùm te hoc argumentationis genere ſtatim uti ſentio: Si tibi (ut ais) ita ſcribendi breuitas grata eſt ac probatur, cur non Galeni uerboſi ſermones damnas? cùm anguſtiore oratione, & antiqua breuitate & ipſe uti potuiſſet, neque ſe & experimenta ſua, tam mirificè iactare, queadmodum in pleriſque ſuorum commentariorum locis apertè uideri poteſt. Cui obiectioni ita occurrendum eſſe exiſtimo: Galenus enim etſi ſuo dicendi genere nimis prolixus alicui fortaſſe uiſus fuerit, non illud tamen uerum eſt, ſed ſæpenumero conſequentia rei, de qua mentionem habet, adductus, nonnulla addere coactus fuit, quæ quidem non parum conferunt ad dictorum ſuorum corroborationem, & aliorum explanationem, quod Hippocr. non fuit neceſſe, nec aliis illius farinæ autoribus. Vel ſi longior eſt quàm fortaſſe ſobrio lectori conueniat, nõ tamen idcirco uituperari meretur, cùm legentem interim oblectet, & accommodatũ illud ſit ſuo ſermoni, pro illius explicatione & corroboratione. Poſſumus etiam aliter reſpondere, dicẽtes, cõcedendum eſſe aliquid hominis naturæ, & eius ſtylo Aſiatico. Deinde, cùm ſe gloriari & iactare Galenus uidetur, non hoc tamen uerùm eſſe conſtat: quia neque ambitionis, neque gloriæ deſiderio unquam capi uiſus eſt, quòd id turpiſsimũ ſit, & homine philoſophiæ ſtudiis addicto indignum: ſed ut falſas medicorum, qui eo inualuerant tempore, confutaret opiniones. Quis enim neſcit, Galenum (ſi quę dicit credere dignũ eſt) operibus ſuis ſuum imponere nomen noluiſſe, ne ſuperbiæ aut ambitionis alicuius nomine notaretur? quod uitij genus quantum ſtudeat Galenus è medicorum animis euellere, ſat notum eſſe puto illius libros legentibus. Quare id illi minimè adſcribendum eſt, qui ueritatem tantopere dilexit, ut omnia præ illius amore contempſerit: ſed gratiæ ei ab omnibus meritò habendæ ſunt immortales, quòd omnes liberales illuſtrauerit artes, præcipuè uerò medicam, & Chriſtianè uiuere nos docuerit: etſi longè ille à CHRISTO alienus fuerit, & illius diſcipulos contempſerit. Vel dicas non omnia omnes poſſe, ſed quandoq; bonum Homerum dormitare. Si quiſpiam uerò alius nobis obiiceret, Gal. dicens in componendis libris ſuis ordinem aliquẽ non obſeruaſſe, quemadmodũ Aëtius, Auicenna, & complures alij medicinæ autores, in enarrandis ſingulis ægritudinibus, cauſis, ſignis, & illarum remediis: facile huic occurri poterit. Non enim Galeni inſtitutum fuit huiuſmodi opera componere, uerùm ut amicis efflagitantibus gratum faceret, quemadmodum in omnibus ferè ſuorum librorum initiis uidere licet. Itidem de Paulo Aegineta dicendum: laudo enim compendij ſui propoſitũ, ſed non compendium ipſum, cùm in multis defecerit: neque, ut par erat, ſingula quæ Galen. ſcripſit utilia, in breuẽ formã redegerit. Neque etiam approbo, quòd, ſi quando aliquid cõtra Galeni mẽtem dicit, nullã & ipſe cõtradictionis cauſam adducit, quod doctis omnibus conſuetũ eſt uiris, cùm alios redarguere conantur. Exiſtimo ego (ut de Aëtio quoq; diximus) erroris huius id fuiſſe cauſam, quòd cũ Paulus Arabum temporib. & ipſe proximus fuerit, aliqua de illorũ fontibus hauſerit, non adeò expurgata, ut quæ de fontibus medicinæ Galeni defæcatiſsimis emanant: ſed illorum ſuauitate oblitus, limpida ſordidis commiſcuerit: quæ poſtea non ita legentibus grata fuerunt, neque accepta. Sunt præterea pauca admodũ ab eo autore tradita, de quib. Galenus non meminerit. Laudaui ſanè ſemper, ac laudo illius operis librũ ſextum, utpote (ni mea me fallit opinio) meliorẽ librorum ſuorum partem: quòd inhumanum ſit, propriis laudibus aliquẽ defraudare. Fatemur profectò, diuinum, non humanum eſſe, nunquam errare: uerùm non ideo tamen noſtra, neq; aliorũ errata unquam admittenda, ſed pro uiribus confutãda ac deteſtanda ſunt. Ad ea uerò quæ recentiores anatomici dicunt aduerſus Galenũ, his argumentis illum tueri conabimur. Seruus enim mihi ille eſſe uidetur, qui uni magis quàm alij ſe addicit ſectæ & diſciplinæ: contrà uerò is, qui ſanã doctrinam quęrit ac ueritatem, uerè liber ac ſapiẽs. Quare (ut dixi) Galenum, ut magis omnibus ueridicum, & doctum medicinæ autorem (ſolo Hippocra. excepto) ſequor, atque illius doctrinam amplector, & imitari ſtudeo, nihilominus & quę ab aliis bene tradita ſunt recipiens, & extollens. Cùm autem ea in quib. Galenum defeciſſe dicunt, accuratè examinauero, ac propriis oculis ita eſſe pro certo uidero, tunc & à me illius doctrina in ea parte refelletur, & quæ ab aliis tradita erũt ac manifeſtata, ut ueriora amplectar, ac probabo: ſemper enim non aliorum tantùm, ubi mihi illi innotuerint, in medicina errores fateri decreui, ſed etiam noſtros, cùm, ut ſuprà dixi, fieri non poſsit, ut unus omnia norit. Id tamen dicam, mirum mihi uideri, Galenum in tam multis, ut aiunt, de anatomia locis hallucinatum fuiſſe. Neque dubitandum eſt, quin multò melius ſit hominum corpora diſſecare, quàm ſimiarum, gallorum, & huiuſmodi aliorum animalium, quemadmodum Galeno conſuetum erat, cùm ea ſint, de quibus noſter futurus eſt ſermo, non autem alia animantia, quorum cum humanis corporibus in multis maxima eſt diſsimilitudo. Verum tamen eſt, quòd quanto hæc nobis magis ſimilia fuerint, ut ſimiæ, tanto magis etiam, quantum ad internas partes pertinet, conformia eſſe credendum eſt: etſi hoc in uniuerſum minimè uerum ſit, quemadmodum in ſuibus uideri licet, qui membra interna noſtris ualde ſimilia, externa uerò nulla in parte, ſed diſsimilia omnino habent. Neque propterea tamẽ puto Galenum in diſſecandis humanis corporibus nõ fuiſſe ualde exercitatum: ſed ſi plures ſimias diſſecuit, quàm corpora humana, id illum feciſſe ea de cauſa exiſtimo, prout ipſe etiam in libris de anat. adminiſt. fatetur, quòd illæ non ita abominabiles eſſent conſpectui ſuo, & quæ facilius & cõmodius haberi poſsint. Deinde animaduertẽdum eſt, corpora noſtra non æquè genita eſſe & conſtructa,

ſed

ſed diſcrimina multa inter ipſa exiſtere: quare excuſatione dignus uideri poterit,ſi quis error in illius dictis reperietur.Verùm de his nunc à nobis exacta non habebitur conſideratio,nec determinatio,ſed alibi commodiore loco & tẽpore diſceptabimus.Non parum autem admiratus ſum,quòd hic ueſter medicus, de quo ſuprà à me facta fuit mentio,à multis noſtræ ciuitatis ſummis uiris ad ſui curationẽ accerſitus,ut primũ ad illos acceſſit,minima de morbi,déq; ægrotãtis natura interrogatione facta,ac de aliis multis,quæ ualde digna ſunt accurata inueſtigatione,plurimas ille ſubitò ſcripſit compoſitiones & remedia,ac ſi prudentior & oculatior eſſet ipſa natura,quæ niſi impediatur,ægrotãtibus,nulla alia ope adiuta, ſuccurrit: quod ſanè neq; ab Hippoc.(Apollinem prætereo) neq; à Galeno, neque ab alio quouis quantũuis peritiſsimo medico factũ fuiſſet,niſi certã de ægrotantiũ & morborũ natura cognitionẽ habuiſſent: cùm medico,ut ipſi dicũt,neceſſe ſit ægrũ de quacũque etiam re leui interrogare,priuſquam debita admouere ſciat remedia. Quod & nõnullis medicorum, quos ego optimè noui,accidiſſe ſcio,qui etſi Lynceo perſpicaciores eſſent,nõ poterãt tamen in tam breui tẽporis ſpatio rectè officio ſuo fungi.Dubito ne id potius agant,ut uideãtur hominib.magis quã alij,& eruditi, & exercitati,& ut tandẽ diteſcant.Putant enim plerique nõ ſolum uulgariũ hominũ,ſed etiã qui in ciuitatib.aliqua habentur in æſtimatione,primo urinæ intuitu medicũ omnia prædicere debere,atque ægrotantẽ curare: id quod tamen nemini licere arbitror,quantũuis etiã in re medica experto,erudito,& optimi ingenij uiro.Ea ſanè noſtris temporibus inualuit cõſuetudo,ut cùm quiſpiã noſtrũ ad ægrotum accedẽs,plurimas nõ ſcribit cõpoſitiones, hunc nõ eſſe bonum medicum dicant:neſcientes id eſſe maximũ uitæ ſuæ,ac rei familiaris detrimentum. Nolim tamen putes ex his me uelle dicere,nõ poſſe aliquẽ medicum alio non eſſe in medendi arte præſtantiorem, & iuuenem etiã aliquẽ qui uerè exercitatus ſit ac doctus, & boni ingenij,alio antiquo,& bene fortunato,ſed rudi,reperiri:& quòd interdũ utile remediũ aliquod derepentè & componi & experiri nõ poſsit: quẽadmodũ etiam Galeno,& multis aliis magni nominis uiris conſuetum eſſe cõſtat:ſed id quod à nobis dicitur & probatur,tale eſt,medicum uidelicet officio ſuo probè fungi debere,& tum uerè medicũ appellari. At poſtquam in hos incidimus ſermones,non ab re fortaſſe fuerit,& de illo alio inter pleroſque medicorũ abuſu,ac praua conſuetudine medendi,idiotis etiã manifeſta aliqua cõmemorare.Conſueuerũt ſanè plerique noſtri temporis medici,cùm ad aliquẽ acceſſerint ægrotantẽ,iubere ut uena illi incidatur,quatuor aut quinque ſanguinis uncias ad ſummum hauriendo:deinde minoratiuũ ualidũ( ut ipſi dicunt )iniungunt:poſtea quatuor aut ſex ſerapia:à quibus ſtatim medicamentũ eradicatiuum, quod uocant,exhibẽt,ex multis quidem ac uariis compoſitum ſimplicibus pharmacis. Quibus remediis quomodocunq; à medico datis,ſi æger non cõualuerit,ut plerunque fit,cùm nõ opportunè hæc peracta ſint,iterum alia pręparãt ſerapia,aliis primis efficaciora,ac deinde aliud uehemẽtius pharmacũ,à quibus paſtillos neſcio quos aluum exoluẽtes,ſanguinis circiter uncias duas aut tres mittẽdo è uena inter auricularẽ & annularem digitum ſita. Tãdem,quia remediis his apertè cognoſcunt ægrũ à morbo liberari nõ potuiſſe,ſed in peiorẽ ſtatũ perduxiſſe, ad balnea ipſum tanquã ad ſacram anchorã infeliciter relegant:quibus ſi nõ conualuerit,deſperata omnino ſalus eſt:& ita hac uana excuſatione putant ſe ab omni infamia abſolui debere,cùm dicunt ſe quodlibet tentaſſe auxilij genus pro recuperanda ægrotantis ſalute,neque per ipſos ſtetiſſe quin conualuerit:ſed ita in fatis eſſe,ut & crucientur,ac moriantur.Verùm non uidẽt hi( quod tamen pace ſua dictũ ſit )hoc doctrinæ genus uulgarem magis præ ſe ferre medendi cognitionẽ quandam,& abuſum,quàm doctrinã & prudentiam.Quare ( ut dixi )mirandũ non eſt,ſi miſeri ægrotãtes peius quã antea ſeſe habeant,aut pereant:aut ſi cõualeſcunt,forte quadã & naturæ ualidæ beneficio potius,quàm medici,aut medicamentorũ datorũ,releuari credendum eſt. Quis enim neſcit ægrotãtium pleroſque ſola uictus ratione & abſtinentia conualuiſſe?alios,& hos non paucos,ſolis ſerapiis,uel aluum mollientibus medicamẽtis exhibitis?ſæpe enim ſolius naturæ ui curantur ægroti, nulla alia medici ope indigentes. Quòd ſi merito illius optimè nõ ſe habuerint,tũc medici auxilio nobis opus eſſe ſcias.Neque,ut uulgares omnes, exiſtimes, cùm ſerapia exhibita ſunt,quòd neceſſario ſoluens pharmacũ dare cogamur: ſæpe enim ægrotantis natura auxiliis iſtis adiuta,aut per ſudorem,aut ſanguinis narium fluorem,aut per ſenſum latentẽ perſpirationẽ,aut per aliam huiuſmodi uacuationẽ illos à morbo liberat. Equidem medicus ſæpenumero multis utitur remediis cùm nihil agit,ſed ſuo acri iudicio ſolùm morbi & ægrotantis uires perpendit,ac ſingulis quæ contingunt diligẽter examinatis,illũ ſex rebus non naturalibus optimè accommodat.Hæc ſanè quãdoque faciunt, Martine,ac pleriq; alij cùm noſtri,tum ægrotãtium errores,ut mihi interdum in animo propoſuerim,amplius nolle medicinam exercere,niſi diuinum lumen ab hoc propoſito me auocaret. Quis enim adeò mente captus eſt, ut non apertè fateatur,multò melius eſſe minima expenſa ægrotos curare, & domeſticis ac uulgo notis medicamentis, & iuxta Hippoc.& Galeni conſultum,quàm maximo rerum ſuarum ac uitæ ſuæ damno, peregrinis,incertis, ac ſumptuoſis pharmacis,prætérque antiquorũ mentem? etſi ægrotantium pleriq; bonorum ſuorũ ignari, magis alium laudent curandi & medendi modum. Si pruna perbellè matura & exiccata ante cibum ſumpta, lubricum uentrem reddunt,eáque minimo impendio ubiq; ferè inueniũtur,ſúntq; cunctis ferè ægrotis guſtui grata, & febris temperamento contraria,quis non magis illa libentius ſumat pro medicamẽto,quàm caſiam, & huiuſmodi alia pretioſa & peregrina medicamenta? quæ ſæpe & adulterina,& guſtui ingrata ſunt,ut eſt potiſsimum caſia,quæ quadam medicamẽtoſa qualitate prædita eſt,& plerunque ægrotãtium uentriculum ſubuertit,& tormina excitat.Si quis uerò nobis obiiciat,non ita aluum facilem reddere pruna,ut caſia,& huiuſmodi alia:hoc modo illi reſpondendũ eſſe puto, uidelicet,id quod dicitur, mihi non ſatis conſtare:imò & caſia, & mãna potiſsimũ, noſtram interdum fruſtrata eſt expectationem,cùm nihil,aut parũ certè aluus ab illis ſumptis ſe deiecerit.Quòd ſi timemus,ne pruna parũ aluum moueant,ſaccharũ illis,aut ſerũ capræ,aut etiam uaccæ addi poterit,aut melicraton,in quo macerãtur, & cum ipſo parum ante cibum ſumantur,ne natura cibo indiga illis utatur non ut medicamento,ſed ut cibo, quemadmodum nos docet Gal.fieri debere in omnib.medicamentis,quæ ad molliendã aluum nata ſunt. Quantum uerò Hiſpana ſiue Iberica, quæ nos Catelana nuncupamus,aliis meliora ſint ad leniendã aluum, ſatis manifeſtum eſſe puto:& ea quidẽ recẽtia magis,quàm exiccata,non habentia quicquã,etiam ſi immatura ſint,quod alui deiectionem impedire poſsit,ut aliæ,in quibus ſapor quidam auſterus,acidus,aut adſtringens etiã ineſt, præſertim ſi immatura fuerint.Dicimus etiã non omnes æquè indigere alui lenitione,ſed unum alio magis, aliũ minus:& aliũ natura aluo eſſe adſtricta,aliũ ad deiiciendum facili:quare ſuprà contra nos adducta ratio, pauci eſſe momenti uidebitur. Omitto quòd pleraq; alia ſimplicia mollire aluũ poſſunt,quę quoniam exercitato & perito medico manifeſta ſunt,idcirco in illis recẽſendis non multùm laboro,ſed prædicto poteris eſſe contentus exemplo,& ita nobis parata erit ſatis utilis compoſitio,guſtui grata,familiaris,ac minimi pretij,& fortaſſis ad leniendum uentrem magis efficax,quàm Diaprunis:niſi hoc nomine perterrefacti ægrotãtes,ac timore oppreſsi,exiſtimantes illud eſſe medicamentum quodpiam mirabile ac pretioſum,ita illis aluus magis lubrica reddatur( quemadmodũ ſæpenumero iis cõtingere ſolet, quibus ex improuiſo aliquod triſte ac prauum annunciatur ) quàm ui medicamenti ipſius, quod & ipſum ex prunis parari notum eſt, ſaccharo,& nõnullis aliis, quæ magis ſupprimere aluum apta ſint, quàm ipſam bonam reddere:ueluti ſpodium,ſandali,& nonnulla alia,ex quibus Diaprunis ipſum conficitur. Multa ſanè nomina multis impoſita ſunt compoſitionibus, quæ maximè uſui habentur, auaritia quadam potius, quàm utilitatis alicuius gratia. Nam ſi nomina rebus imponuntur ob rei ſignificatum, & facultates,quibus præditę ſunt,quid, quæſo,manus Chriſti appellare attinebat ſacchari fruſtulum percolatũ ex aqua uiolarũ,aut roſarũ,quaſi illud ſit,quod ab omni nos liberet morbo? id quod ſanè falſum eſt,ſi rẽ hanc exactè perpendere uoluerimus,nec minus ea,quæ ad noſtram pertinẽt ſalutẽ. Sed quid multa huiuſmodi commemorare laborẽ? cùm

*Secundo de alim. facul. cap. de prunis.*


plena

plena illis sint pharmacopolia omnia, quale est Electuarium regum, quod uocant, pilulæ imperiales, unguentum diuinum, & pleraque eiusdem generis alia, non ob aliud( puto )inuenta, quàm ut maiori pretio res uendatur, insignis tituli potius, quàm suæ uirtutis nomine: quasi nomina huiusmodi ægrotos à morbis liberent, non res. Quod uerò ad Matthæolum Senensem attinet, uirum alioqui de re medica optimè meritum, paucis sic habeto. Nos ubi de ranis mẽtionem fecimus, palustres ranas non diximus rubetis magis ueneni natura participare, prout ipse affirmare uisus est, neq; ullam fecimus inter ipsas comparationem, cùm rubetæ nullibi, quod sciam, pro cibo sumantur: sed ea fuit nostra sententia, & est, quòd ranarum nutrimentum in uniuersum inculpatum non sit, & præsertim quæ in stagnis & cœnosis habitant locis: minus malum uerò earum, quæ in puris & limpidis uersantur aquis. Quare Matthæolo gratias plurimas ago, quòd me erroris mei admonere existimauerit, cùm tamen, ni mea me fallit opinio, minimè culpandus sim. Vale, & si quid aliud à me scire desideras, scribe: nihil enim gratius mihi contingere potest, quàm tuis petitionibus satisfacere. Ex Brixia, decimo Calendas Februarij. M. D. XLVIII.

ALOISII MVNDELLAE EPIstolarum medicinalium

FINIS.

# ALOISIVS MVNDELLA MEDICVS, ANTOnio Musæ Brasauolæ, Illustrißimi Principis Herculis Estensis Ferrariæ ducis medico præstantißimo S. D.



OPVSCVLVM illud tuum utile admodum, & cunctis, qui medicam exercent facultatem, quique pharmaca componũt, pernecessariũ, superioribus diebus ad manus nostras peruenit, lectúmque studiosè est à nobis, ac tanta cum animi delectatione, ut nesciam an maiore unquã mihi legere quicquã, aut accipere cõtigerit, quippe quod & ægrorum ualetudini, & laboranti rei medicę summopere sit opitulaturum, tibi uerò immortale decus, ac gloriam allaturum. Ita enim doctè & feliciter uniuersa ferè simplicia expendisti medicamenta, atq; excussisti, eáq; illustrasti, quæ nunc in cõmuni usu habentur, ut te nõ alter magis idoneus ad negotium eiusmodi tractãdum inueniri poterit: quocirca & tibi, & nostræ ætati plurimum gratulor, ac præcipuè iis qui magno indies augendæ & excolendæ facultatis nostræ desiderio afficiuntur. Sed longè maximè Herculi tuo duci clarissimo, atque Principi gratulandum esse existimamus, qui tantũ ac talem medicum ad tuendam ualetudinem, aut, si quando in morbum incidat, ad eum tollendum curandúmue nactus fuerit. Quãobrem meritò ille te plurimi facit, atq; iis donat muneribus, quæ & ipsius liberalitate sint, & doctrina tua excellenti digna: quod ut facere pergat, Deum opt. maximum rogamus, ut & laboribus tuis sit egregiè consultum, & tu alacriore animo in rem medicam iuuandam possis incumbere. Cuius planè cognoscendæ restituendæque, cùm ipsi quoq; magno studio teneamur, persæpe fit, ut de ea & cum medicis, & cum aliis uiris doctis, aut corã, aut per literas agamus, quẽadmodũ nunc quoq; fecimus, te de rebus aliquot consulentes, de quibus ut nonnihil dubitaremus, factũ prę cipuè est lectione tuæ examinationis de simplicibus medicamentis: eóque ad te potissimum de his scribere, ac tuã sententiam quærere nõ ueriti sumus. Adeò enim bonarum artium percipiẽdarum amor & studium me audacem reddidit, ut uel præstantissimos uiros, quos etiam nunquam uiderim, per literas interdum alloqui non dubitem. Quare si tibi aut molesti sumus, aut confidentes uidemur, id studio nostro cognoscẽdi, rectéq; intelligendi tribuas, rogamus, bonique hãc cõsulas industriã ac cupiditatẽ, quę tibi quoque sit laudẽ allatura. Nunquam enim me palã fateri puduit, per quos profecissem: sed contrà semper existimaui, animi id esse ingenui, probique: dissimulare uerò quæ ab aliis didicisses, ingrati, atque illiberalis. Ac me iam id ex ea quam dixi causa audentẽ, cùm tuæ quoq; probitatis cãdor excitauit, tũ summa quędã( ut audio )humanitas, qua omnes tibi deuincire soles, atq; obstringere, & quę non modò Christianum hominem maximè decet, sed etiam medicum egregiè cõmendat. Mortalibus igitur cùm semper prodesse studueris, nũquam te puto cõmissurum ut ab isto optimo instituto defecisse uidearis, sed tam multis, támque feris monstris hac tẽpestate feracissimos ac saluberrimos medicinæ cãpos depopulantibus, tãquam noua Herculis proles ad hãc obeundam prouinciam è cœlo ad nos demissa, honestissimũ certamen suscipies, atque etiam alterum quodãmodo Augiæ stabulum repurgabis, prauásq; uulgi medicorum opiniones, quæ adhuc inualescere non cessant, & in peius quotidie pergunt ruere, penitus reuellendas curabis, præsertim de simplicium medicamẽtorũ facultate, quæ tanquã ignobilissima, & lõga cõsuetudine à maioribus nostris perinde neglecta, quasi medico, si eam probè tenuisset, fuerit dedecori futura, penitus exoleuit: & tamẽ eã quoq; illi maximè necessariam esse quis non uideat, si Galeni, Dioscoridisque cõmentariis operã dederit? Hoc igitur tu ages, & multas pharmacopolarum compositiones ut illegitimas & spurias ab illorum tabernis, quantum in te est, summouebis, legitimis in earum locum, & melioribus substitutis, quod tibi facilè esse existimo. Herculis enim tui ac Cęsaris illius, qui in Creta uiros herbarios alebat, patrocinio uel maximè adiutus, id, cùm uoles, exequi poteris, qui tibi, ut uideo, pro instauranda re medica semper se paratissimum præbet. Sed ut rem nostrã tandem aggrediamur, scito me Academiæ nostræ, cui si quicquã magis etiam in rebus negẽ, inurbanus profectò sim, atque ingratus, adhortatione ac iussu, pręcipuè Antonij Mercandoni, necnõ Hieronymi Feroldi, quorũ non minima est huius laboris pars, onus hoc meis quidem uiribus longè maius subiisse, hæc ad te scilicet scribendi, atque explicandi, quæ mihi nostrísque collegis superiorib. diebus examen tuorum simplicium considerantibus, dubitandi atque aliter sentiendi occasionem aliquam attulerunt. Neque uerò hoc à nobis ideo factũ putes, ut tibi aut tuo nomini ob id quicquã detractum esse uelimus, utque censores aduersus te nos agamus, uerùm ut quæ nobis mira animi uoluptate lucubrationes tuas perlegentibus scrupuli aliquid præbere uisa sunt, ea nobis cùm tempus opportunum nactus fueris, & explicare, & planiora facere digneris: ita enim & gloriã tibi iam partã augebis, & nos tibi reddes quã maximè obstrictos, qui tibi cùm nũc multũ debeamus, multò tamen plus, hoc si feceris, debebimmus, dabimúsq; operam, ne ingrati ac tanti beneficij immemores fuisse uideamur. Primus igitur scrupulus, qui in legendo Examine tuo nobis obuius fuit, fecitque ut ab opinione tua nonnihil discederemus, est, quòd ea cùm perpendissemus quæ de Rhabarbaro scripseras, nos aliter sentire, & in aliã partem animum inclinare, infrà notatæ compulerunt rationes, & autorum testimonia. Rhabarbarum enim, cuius hoc nostro seculo adeò celebre nomen existit, & frequens in medẽdo usus, ut etiam pueris nuperrimè in lucem editis, & mulieribus fœtum gerentibus, & aliis atque aliis morbis laborãtibus( ut interim de febricitãtibus, & dysenteria & alui profluuio uexatis taceam )sæpenumero præter rationem detur, in pluribus conuenire cõstat cum Dioscoridis & Galeni rhapontico qualitatibus: rha enim Dioscoridis nigrum est, centaurio magno simile, sed rufius, cuiusmodi nostrum quoque rhabarbarum: corticẽ enim ut illud ad nigrum declinãtem colorem habet, queadmodum uidere est in illis rhabarbari radicibus, à quibus dẽptus non est cortex, siue id natura, siue arte contingat: intus uerò rufum est. Fungosum quoque siue laxũ Arabum rhabarbarũ, sicuti & antiquorũ, secundũ Galeni descriptionẽ apparet, itidémq; leue, si totũ eius genus uniuerso reliquorũ simpliciũ, quorum radices usui sunt, generi cõparetur, seruata eorũ tamen iusta inter se portione: tametsi rhabarbarũ à medicis illud præstantius & melius esse iudicatur, quòd põderosum magis fuerit, alio scilicet rhabarbaro, non autẽ aliorũ radicibus simpliciũ( ut diximus ) comparatũ: quare simpliciter leue cẽsendũ est. Frustis uerò ipsius rhabarbari inter se cõparatis, illud magis probabitur, quod põdere suo alteri præstiterit: neq; hoc, si quis accuratè rẽ considerare uelit, opinioni nostræ repugnat. Quòd autẽ rhaponticũ Diosco. sine odore sit, Arabum

*Gale. in lib. de antid.*

*De rhabarbaro.*

*Plin. Rha co sto nigro simile esse scribit. Nam & cãdidum inuenitur. 1. de antid. lib.*

bum uerò rhabarbarũ,quod idem nos cum rhapontico eſſe arbitramur,aliqua odoris ſuauitate polleat,id rationes noſtras infirmare nõ poteſt: ratione enim frigidæ regionis,in qua prouenit rhaponticũ antiquorum, nullius odoris,cuius mẽtionẽ fecerint antiqui particeps eſt:contrà uerò quo cõmuniter utimur,ob ſoli in quo naſcitur tẽperiem calidã,odoratũ eſſe contingit,quemadmodũ & rationi cõſentaneũ eſt,& in multis aliis apparet,præſertim in Galeni Ciſtho Ladanum ferente,qui alius tamen genere nõ eſt quàm qui in calidis prouenit regionibus,licet illorũ alter in Aſia ortus,propter loci & aëris tẽperamentum ac proprietatem,frigidam ſumpſerit naturam, alter uerò frigore depoſito calidam & διαφορητικὴν hoc eſt,digerentẽ ſortitus ſit facultatem. Noſtrarũ præterea officinarũ rhabarbarũ adſtrictionem quandam præ ſe fert in guſtu cum ſubſtantiæ lentore, quemadmodum & Dioſcoridis rhaponticũ:&,ſi commãducatur,colorẽ ad croceum inclinantẽ reddit, quod & priſcorum rhaponticum pariter facit. Ventriculo & hepati confert,& ſtomachicis maximè accõmodatum eſt,quæ ſingula in rhapontico antiquorum eſſe conſtat. Poſtremò guſtui ſubacre ſentitur:cuius etiam qualitatis rha Gal. participem eſſe tradit. Sola modò nobis examinanda reſtat radicis figura,quę potius rapę effigiem repręſentat,aut ſimile quippiã,quàm longitudinis ullius, quæ rhapontico antiquorũ attribuitur:hoc enim radicem centaurio maiori ſimilẽ habere traditur,quæ quidem longa eſt,nõ orbiculata,neque globoſa, qualis noſtri rhabarbari exiſtit. Hæc uerò unica differẽtia quãuis alicuius ſit momenti,non tamen nos poſſe à ſententia abducere uidetur, facilè enim fieri poteſt, ut barbaræ nationes,hæque, à nobis longo regionũ interuallo diſtantes,& impoſtores callidiſsimi, quorũ fraude nunc referta ſunt emporia omnia,& priuatæ etiã mercatorũ tabernæ,ut ait Galenus in tertio de cõp.med.ſecundum genus,ad nos tranſmittant ita cõciſas,& uarias rhabarbari radices,eáſque ſic aptatas,& interdum etiã decoctas:nec has ſolũ,ſed alias quoq; & uariis modis adulteratas quãdoque importent. Ideóque hoc argumento Manardus( ut arbitror ) non ita magni æſtimato,lib.v. epiſto.v.ſcribit noſtrum rhabarbarũ non eſſe,quod antiqui rhaponticũ appellabãt:non tamẽ ab eo ſpecie,ſed loci tantum natura differre,& utrunq; aluum deiicere, quod ipſe de induſtria ſæpe ſit expertus:quanquã antiquorum rhaponticum debilius aluũ ſoluat,quàm noſtrate,propter loci temperiẽ calidam,qua uis pharmaci huius ad humores ducẽdos corroboratur:&propterea rhabarbarum,quo nos utimur,ad ſoluendã aluum ualidius eſſe. Quare Hermolaus quoq; uir apprimè doctus, & in mulis uerſatus,pręſertim in ſimpliciũ facultate,etſi medicum nõ egerit,ſcripſit,rhabarbarũ noſtri temporis efficacius eſſe ueterũ rhapontico , quibus nulla eius notitia erat:nã ætate Pauli Aeginetæ,qui inter recentiores quidem Græcos medicinæ autores cõnumerari debet,notitiam noſtri rhabarbari haberi cœpiſſe manifeſtum eſt,ut in vij.eiuſdẽ uidere eſt. Quibus argumentis ſatis cõſtare autumo , rhabarbarum quod recentiores uſui habẽt,cum rhapontico antiquorũ & qualitatibus & uiribus cõuenire,origine autẽ ſola differre,& radicis figura,& ui exoluẽte. Neque uerò admodũ incongruũ fuerit,ſi quis ueterũ rhapontici uice rhabarbaro noſtro uti uelit,quod quidẽ ob aſsignatas ſuprà à nobis rationes ſit efficacius:quã opinionẽ noſtram cõfirmat etiam Eurytius Cordus in Botanologico ſuo,quod nuperrimè ad nos peruenit:cõfirmat & Leonicenus, dicẽs Græcorum rhapõticum,Arabum rhabarbarũ eſſe:per Arabes fortè intelligens Serapionem,& Auicennam,de quibus ibidem mentionẽ fecerat,qui de rhabarbaro differẽtes, Dioſcoridis uerba de rhapontico ferè ad uerbum referunt,de illius tamen ui ad aluum ſoluendã nihil memoriæ mandantes,Dioſcoridem etiã in hac parte imitati, qui ipſe quoq; hanc rhapõtico facultatem nõ attribuit. Quare non uidentur ſuprà dicti Arabes noſtrum hoc rhabarbarum,aut certè omnẽ illius uim cognouiſſe,ſi quæ ab his de eo in ſuis traduntur locis,diligenter conſiderẽtur. Meſues uerò de rhabarbaro mentionẽ faciẽs, quod ex Indicis regionibus,nõ autem ex Ponto,ut priſcorum illud , ad nos affertur,uim,qua humores attrahit,aluúmq; ſoluit,inuentã addidit,alias ei ſimul facultątes attribuẽs,quas Dioſcorides rhapontico:ex hac coniectura innuens & ipſe inter ſe iſta nõ differre,ſed idem potius eſſe. Et quanquã Meſuæ autoritas nõ admodum

*Lib. de antidotis. 1.*

magnifaciẽda ſit,ut qui à Galeno & ueritate ipſa in multis deficiat,attamen non ab re uiſum fuit eam ut noſtræ opinioni ſuffragantem ,ſuperioribus noſtris annectere probationibus:quibus accedunt etiã Ioannis Ruellij,& aliorum ſentẽtiæ. Minimè uerò nobis etiã illud obſtat, Galenũ de huius pharmaci ui nihil cõmemoraſſe : quoniam vj.de ſimp.med.de ſoluentibus ſimplicium medicamentorũ facultatibus peculiariter tradere pollicetur, non autẽ hîc. Quòd ſi quandoque de his agit,id præter eius inſtitutum, propriúmque ſenſum eſſe cõſtat,additúmq; exẽpli cauſa,ut res illuſtrior reddatur. Poſtremò cùm Manardus dicat, rhaponticũ , quod ipſe expertus fuerat,minorẽ ſoluendi uim habere,quàm rhabarbarũ: cur tamen fieri non poſsit,ut illud,quo antiqui utebantur,nullarũ uirium ſoluentiũ ſit, neſcio,cùm diuerſa ſint in Ponto loca,inſulæ & urbes,in quibus eiuſdẽ generis ſimplex gigni poteſt,quod tamen nõ eaſdem uires obtineat,ut ſuprà de Ciſtho indicatũ eſt,& ab eodẽ Galeno in tertio de cauſis ſymptomatũ. Quàm uerò ingens fuerit ipſius Ponti latitudo,ex Plinij uerbis conſtat lib.xxv. cap.ij.& iiij.cap.xij.cùm dicit,eã eſſe uicies ſemel quinquaginta, M.Varronis & ueterũ ferè omniũ autoritate. Quæ à nobis citata ſunt ad noſtrã firmandam opinionem,quòd rhaponticũ antiquorum idẽ ſit cum noſtro rhabarbaro:cuius tamen rei, & reliquorũ omnium,de quib. deinceps mentionẽ facturi ſumus,tuum ſit & peritiorum iudiciũ. Id uerò optimũ eſſe exiſtimo,ſi,ut ait Gal. in tertio de comp.med.ſecundũ genus,materiã medicamentorum ſimplicium cognoſcamus,nõ ſemel aut bis inſpicientes,ſed frequenter:quoniam ſenſibilium rerum cognitio ſedula inſpectione confirmatur. & cætera,quæ ibi latius ab eo explicantur.

*Idem in lib. de antid. & de theriaca ad Piſ.*

*Cẽtaurium maius eſſe rhaponticũ.*

Quòd autẽ de rhapontico uulgari,ſiue quod nunc medicinæ,ſiue pharmacopolia ita nuncupãt,uẽdúntq;, ſuſpicari uiſus es,nobis nõ paruæ fuit admirationi,illud ſcilicet centaurium maius non eſſe: etenim illius apud Dioſcoridem deſcriptio,ita ad unguẽ ei quadrat,ut nulli alij magis:qua quidẽ deſcriptione Leonicenus , & eius olim diſcipulus Eurytius,Manardus,Ruellius,& pleriq; alij freti,rhaponticum dictum,centaurium eſſe aſſerere non dubitarũt. Imbecillis autem admodũ illa & inefficax guſtus ratio quæ hac de re te ancipitẽ reddit,nobis eſſe uidetur,ut cõtra quam reliquæ omnes inſurgant argumentationes,eámque facilè infringere ualeant. Satis enim manifeſtum eſſe puto,ſimplicia pleraque nõ modò guſtui à propriis & primis diuerſas,eáſque imminutas repręſentare uires poſſe & qualitates,uerũ externas nouáſque aliquãdo recipere ex uario alimẽti, aëriſque temperamento,uariáque eorũ permutatione & tralatione,utputa de montibus ad conualles,ſiccíſque locis ad humectos,& è contrario:quod tibi notius eſſe ſcio, quàm ut ulla probatione opus ſit,uel autorũ fide. Quãobrem & ab iſta tua opinione diſſentire cogimur, in omnibus tamen(ut diximus)ſemper rectius noſtro iudicium præferentes.

*De Chamæmali flore.*

Quæ uerò de chamæmali flore ſeni tuo indicaſti,cùm Dioſcorides eum folia magnitudine rutæ habere dicat, quoniam à ſenſu remota ſunt,& ueritate,idcirco iſti ſenis dubitationi aliter à te ſatisfactũ eſſe deſiderauerim: folia enim rutæ , etiamſi totum chamæmali florem ſumas( ut patet )ab eo longè diuerſa ſunt.

Neque,iudicio noſtro,id argumenti genus ualidũ eſt: Serapio in cap.de zambac,ſiue ſambac, ſiue Ieſmin,autores Gręcos nõ citat,ergo ipſi uiolam hanc nõ cognouerunt:quoniam quandoq; de aliquo ſimplici medicamento cõmemorat,de quo antiquiores quidem Græci mentionẽ habuerunt,& tamen eos ut illius rei ignaros præterit:quandoq; uerò illos citat,ut Gal. de corallo,cũ tamen nulla ſit in eorũ,quæ apud nos ſunt,cõmentariis memoria. Citius igitur exiſtimandũ eſt Ieſeminum uiolam Dioſcoridi innotuiſſe,cùm Ieſminũ ſiue Iaſminum unguentum deſcribat, ab ea uiola ſic cognominatum, quemadmodum etiam Hermolaus annotauit: tametſi nonnullas eſſe ſciam antiquorum compoſitiones, quæ ab aliquo ſimplici medicamento cognominari uidentur,in quas tamen nullum huiuſmodi immittitur.

Nobis pręterea in alio examinis tui loco uiſus es Meſuen nõ probè à Manardi cenſura uindicaſſe : quoniam omnes ferè codices Meſuę,qui uſquã impreſsi habẽtur, iſto ſolo,quẽ apud te eſſe ſcribis,excepto(narcoticã)uocẽ ubiq; ſcriptũ oſtẽdũt. Sed eſto,optimã,pro narcoticã legẽdũ eſſe( ut uideris aſſerere ) cõcedaſ,ueritati tamen

conſen

consentaneũ non est, uiolam nulli corporis particulæ posse officere: nisi fortasse per ea uerba intelligi uelis, ei scilicet quæ calore affecta sit parti. Secunda etiã expositio, qua Mesuen contra Manardũ à calumnia defendere studes, nobis non penitus satisfacit, quòd arbitrio tuo tantùm prolata, non rationibus ullis, aut testimoniis comprobata, à Mesuæ opinione dissentire uideatur.

*Rosam & Chamæmelon dolores etiam calidos lenire.*

Quòd rosa, & chamæmelon (ut inquis) dolores leniant, sed non calidos, falsum hoc (pace tua) esse nobis uidetur, si accuratè ea considerentur, quæ de rosaceo & chamæmelo in tertio de simpl. med. lib. cap. x. & in ij. de comp. med. secundum locos, de dolore capitis à causa calida, & solis ustione, à Galeno traduntur.

Quæ uerò à Ferrariensibus mulierculis rosella, à nostris madonina appellatur, & à pharmacopolis papaueris rubri nomine uenundatur, eãdem esse quam Dioscorides Anemonem uocat quodã in loco, ut animaduertimus, pro certo affirmasti: id quod etiã Simon Genuensis prius demõstrauerat, & Serapio comprobare uisus fuit. Sed alibi examinis tui folio xxxv. ipse, nisi alicuius uitio codex deprauatus est, diuersam esse ab anemone scribis: quod ualde admiratus sui: non enim tibi constas, nec in sententia permanes. Marcellus quidẽ & Ruellius tradunt papauer hoc rubrum non esse anemonem, sed papauer rhœas, & quod erraticũ dicitur. Hac igitur de causa cõtrouersiæ huius, quæ in uerbis tuis esse apparet, quæq; inter te, alióśq; autores existit, te admonendũ esse censuimus: eóq; magis, cũ anemone calidi sit tẽperamenti, si quis Galeni scripta in vj. de simpli. med. cap. de anemone, considerat, papauer uerò frigidi.

*De sparto.*

De Sparto quid Plinius dubitauerit, quídq; Ioã. Ruellius cõtra tuã, Manardíq; aduersus Mesuen opinionem annotauerit, nihil ad te scribendũ duximus, qui quidẽ illud prius quàm nos uideris: nostræ enim genistæ foliola quædam insunt, & phasiolorum modo folliculi absunt. Si qua autem inter te & eum controuersia est, eam tu dirimere potes pro tua prudentia, cui Principis tui opera plurima inuestigare licet, ac de eis certam posteris tradere notitiam.

*An Thymi flores epithymi loco sumi poßint.*

Consentaneum etiam fuisset te exposuisse, quo argumento adductus nostri thymi flores satureiæ quidem similis, pro epithymo sumendos existimaueris, tanquã atræ bili aduersantes. Constituto autem Dioscoridis & Galeni epithymo nos carere, restat tamen adhuc nobis inuestigandum, experiendúmue, tertiáne epithymi Pliniĳ species, pituitæ, biliq; deiiciendæ utilis sit: quoniam licet concesserimus, quantum ad eorum qualitates manifestas attinet, uno alterius uice uti posse, non ideo tamen sequitur thymum atram detrahere bilem posse, propterea quòd pharmaca soluẽdi uim sortita sunt, ut ait Gal. à tota substantia, non autem primis qualitatibus, & quæ nobis manifestæ sunt, ex quibus humorũ eam, quæ ab eis sumptis cõsequitur, inanitionem comprobare posſimus, ut in plerisque locis, & in capite de scolymo, Galenus affirmat. Consideratis igitur primis utriusque qualitatibus, aliud pro alio dari posse non negamus: sed an hæc tertia Pliniĳ species aluum soluat, adhuc incertus sum, necnon an ullus ex peritis id confirmet autoribus: & an thymi nostri flores nigro (ut inquis) humori aduersentur.

*De Medicamentis nuper inuẽtis.*

Libenter utiq; ex te audiremus, cur tãtopere delecteris recentioribus, siue nuperrimè inuentis medicamentis, quemadmodũ uideris, dum senam excutis: cùm tamen Hippoc. & Gale. lib. 1. de ratione uictus in morbis acutis, & in cõmentario de antidotis primo, illos qui paucioribus, iisq; certioris notitiæ utuntur, magis approbet, multęq; id nobis optimũ esse persuadeãt rationes, modò ea indigẽtię nostrę satisfaciãt. Neq; me clàm est multa in oppositũ adduci posse ad hãc dubitationẽ nostram soluendam: sed quàm rectè illa, equidẽ nescio.

*De Cuscuta.*

Cuscutã eam herbã esse, quæ à Plinio xvj. naturalis historiæ lib. cap. ultimo cadyta appellatur, ut ait Ruellius, quòd spinis & arboribus ut illa circũuoluatur, non ita ego facilè assentior, Plinio eam non aliter describente: nam plura sunt quę similiter arboribus circumuoluuntur, & tamen cuscuta non sunt dicenda, ut patet: quare tecum potius sentimus, nobis adhuc incertum esse, quid apud antiquos cuscuta fuerit.

*De sena.*

De sena quid Ruellius senserit, quoniã & à nobis latius aliàs, & ab Hieronymo Fracastorio medico huius rei peritiſsimo & singulari, qui nõ ita pridẽ me ea de re per literas certiorẽ fecit, refutatũ est, ne sæpius idem dicere uidear, ac tempus conterere, nũc tacitũ prætereibo, tuæq; potius, ut ueritati magis, & rationi consentaneæ opinioni assentiar. Nã, ut ait Fracastorius, arbuscula ea quam Ruellius in solis Galliis abũdare dicit, & coluteã esse, quòd herba potius sit, quàm frutex, & in Veronẽsi solo plurima proueniat, senam esse nõ posse existimat. Addit insuper, senam in tota Hetruria, si seratur, nasci, & Veronã usque mitti: uerũ quia ea inefficacis effectus sit, medicinæ usui interdictam esse. Ipsius autem senę folia, an siliquæ, quos recentiores folliculos uocãt, soluendæ aluo efficaciores sint, & an ullo alio medicamine addito ad malam senæ qualitatẽ (si qua tamen illi inest) aut corrigendã aut amoliendã nobis opus sit, tuũ fuerit iudiciũ. Id tamen dixerim, nullo nos malo animi affectu, cùm quid explorandũ est, incitari debere, at solo inuestigandæ ueritatis studio, & philosophiæ amore detineri. Tuis igitur & Manardi experimẽtis modicè innitentes, quippe quæ potius dubitationẽ nobis pariant, quàm rei, de qua nũc quęritur, rationẽ certã (cuiq; enim arbitratu suo, cùm aliquid probare, aut cõfutare in animo est, loqui licet: & permulta requirũtur ad certã habendã de aliquo soluente medicamento notitiã experimenta) altero uestrũ tanquã à ueri cognitione deficiẽte relicto, Manardũ pro nostra uirili parte ita tueri conabimur, Galenúmq;, & illius doctrinã sequentẽ Auerroẽm v. collec. in mediũ afferemus: hic enim plerisq; in locis scribit, amarũ per se sumptũ saporẽ stomacho aduersari: si uerò adstringens aliquid aut acerbũ addatur, & ei gratũ esse, & utile. Idem dicit styptica generaliter uentriculũ corroborare, illiq; salutaria esse, modò cum his mista non sit aliena quæpiam, & extranea qualitas: quemadmodũ in ca. de epimelide, lib. vj. de simp. med. ostendit. Cũ ergo Manardũ urges his uerbis (non omne amarũ uentriculum roborat) uerũ illud esse & nos fatęmur, si nulla alia qualitas illi admisceatur, quæ eius nocumentũ corrigat: sed si adstrictio additur, mirè illũ iuuat, illiq; uires adiicit: quẽadmodũ est absinthiũ, & huiusmodi, quod nõ solũ amarũ est, sed etiam adstringẽs, atq; acerbum, ut est in quarto de simpl. med. cap. xix. & eiusdem vj. cap. de abrotono. Cùm autem prædictis subiungis (aut adstrictionẽ habens) oportebat primũ quidẽ te explicuisse, quale illud sit, quod uentriculi uim haudquaquam instauret, sicut (exẽpli gratia) chalcanthum, & epimelis, qui licet austerus sit, uentriculo tamen ingratus est, & capitis dolorẽm mouet, siquidem ei admixta est aliena qualitas: deinde idoneis argumentis & rationibus cõprobare talia in sena existere incõmoda, propter quæ uentriculo noxia sit, qualia esse dicis in illis tuis adstringentibus permolestis, quod tamẽ non ostendisti, neq; ut par fuerat, probasti. Nõ enim satis est ad aliquod tollendũ (quæcunque ars fuerit illa) ἀξίωμα, argumentis multis contra illud uti: neque solùm aduersariorũ argumentationes refellendę sunt, uerumetiam quæ quis dicit, ea rationibus uariis & peritiorũ testimoniis confirmare, & certiora facere oportet.

*Sexto de cõpos. med. secundũ loca.*

*De Verbenaca.*

De Verbenaca siue crista gallinacea, etsi Diosc. tradit, rectã ad nõnulla ualere, ad quæ supina nõ ualet, non tamen eã maris & fœminæ appellatiõe distinxit, sed Plin. lib. xxv. ca. ix. qui etiã secundũ quosdã unũ omnino genus fecit, quoniã hierobotane utraq; easdem uires habeat: quæ tamẽ ratio nõ id cõcludit, quod illi existimabant, quia aliqua reperiũtur simplicia, quæ idẽ ualent, & tamen manifestę distincta sunt, ut inferius patebit.

*De Chamæpity.*

Quod ad Iuam siue Ibigam, ut Plin. hoc est Chamæpityn attinet, eam fortasse, quæ uera est, pharmacopolæ Ferrarienses habent: sed plurimum tamen dubitamus, ne nostri eam, quæ uera esse existimatur, uendant, cum Dioscoridis uerba, quibus illam describit, illi non conueniant: quocirca nobis hæc omnia etiã atq; etiam animaduertenda sunt.

*Sclareã non esse Baccharem.*

Mirum insuper nobis uidetur folio xxĳ. te nõ refutasse Simonis Genuensis opinionem, qui, quam uocant sclaream, siue herbam sancti Ioannis, cristam gallinaceam interpretatus fuerit, cum suprà folio xx. hoc nomen uerbenacæ rectæ ex Dioscorid. à Romanis inditum esse scripseris. Quòd autem sclarea baccharis non sit, duæ nos mouent coniecturæ: quarum prima est, quoniam sclareæ radices ueratro nigro disſimiles sunt: altera, quòd cinnamomi odorem non redolent, cuiusmodi esse debet baccharis radix. Quapropter Ruellius in Gallia baccharem sub nomenclatura chirotheca Mariæ cognitam, neque hanc sclaream esse dicit.

*De Chelidonio.*

Chelidonium uerò tremulos dentes cõfirmandi uim habere,nullibi hactenus uidimus,ſed bene eorum dolores ſedare & finire,ut eſt apud Dioſcoridem libr.iij. cap.xvij.

*De Polemonio.*

De Polemonij ſiue Giargæ uel rutæ caprariæ ſucco, quæ apud nos Caſtraca nominatur,quòd ais,myrrha, aloë & croco additis,puerorũ uermes interficere,ideo à nobis nõ ualde approbatur,quoniã eundẽ effectum abſq; dubio ſequi putandũ eſt ex ſolo aloës uel myrrhę uſu ad id ſummè accõmodato,quemadmodũ eorũ facultates inueſtiganti manifeſtũ eſt.Oportet autẽ eum, qui optimè docere uelit hunc ſuccũ utilẽ eſſe aduerſus puerorum lumbricos,oſtendere idipſum efficere poſſe nulla alia re admixta ipſius polemonij ſucco:nã ita demum cõſtabit eã uim illi ineſſe:quo argumentationis genere utitur etiã Galenus undecimo de ſimpl.medic. cap.de iecore lupi.Vt autẽ ab hac tua opinione diſſentiam,illud potiſsimũ in cauſa eſt,quòd ſuccus hic nullã guſtui amaritudinẽ repræſentat,neq; acidus,neq; acris ullus ei ineſt ſapor.Amara autem medicamẽta omnia, ut ait Galen.vij.de ſimp.med.cap.de crambe,aduerſus lumbricos idonea ſunt:niſi quiſpiã fortè dicat:ſuccum hunc non manifeſta,ſed cæca qualitate cõtra inteſtinorum animalia pollere,qua & uenenis reſiſtere fertur,ut Dioſco.tradit:etſi de hac polemonij ui occulta nihil Galenus,Paulus,& Aëtius,quod ſciam,memoriæ mandauerint,aut alij etiam probati autores.

*De Telephio.*

Tuum de Telephio iudiciũ,quòd Vſnen non ſit,tanquam ſanius approbamus magis,quàm Leoniceni uiri alioqui doctiſs.& cui poſteritas omnis multum debeat,in tractatu de morbo Gallico.Duæ nanq; ab eo in hac re diſſentire nos cogũt rationes:cùm quia Telephij folia ab ijs quæ uſnen referunt,ſpecie diuerſa ſunt,tum etiã quia telephium à Galeno in ſecũdo ferè ordine ponitur calidum,à Serapione uerò uſnen in quarto:neq; etiam,ut tuo utar arguendi modo,Serapio græcos citat autores,ut ferè ſemper conſueuit,cũ de aliquo ſimplici medicamento mentionẽ facit:quare ne idem ſit, contra Leoniceni ſententiam dubitamus.

*De Aparine.*

Aparine ſiue Lappa nõ à Dioſcoride(ni fallor)ſed ab Aëtio lib.xj.cap.v.philanthropos appellatur:quod tamen prius ac nos Hermolaus annotauit.

*De Matricaria.*

De Matricaria illa communi Brixianorũ uulgò Creſpula appellata,Manardi ſententia nobis magis approbatur,quàm tua:nanq; ipſius folia coriandri potius ſimilitudinẽ reddunt,quàm Bruſaculum,ita uulgaribus nuncupatũ,ſi & coriãdri folijs comparetur,& cæteris herbis,quibus coriandri folia ineſſe ſcribit Dioſcor.ut eſt ranunculi primũ genus ,quod ſylueſtre apium dicitur,quãuis latiora folia coriandro habeat:& dauci tertium genus,capnos ſiue fumaria,& adiantos,quæ ſingulę coriandri folia ſimilitudine reprę ſentant:quorum tamen folijs nequaquam ſimilia eſſe uidẽtur bruſaculi folia.Creſpulæ uerò noſtræ & cõmuni matricariæ,de qua Ioan.Manardus lib.viij.contra Marcellum locutus fuit,& lib.ix.epiſt.ij.Parthenij folia cõueniunt,& flos, & odor,qui ei grauis ineſt,& amarus ſapor.His igitur ita conſideratis,& præcipuè foliorũ ſimilitudine,Manardi & Hermolai opinio tãquam uerior nobis digna uiſa eſt quam ſequeremur,partheniũ ſcilicet matricariam uulgarẽ eſſe,nõ bruſaculum.Illud tantũ inueſtigãdum reſtat,an uis illa excretoria,quam Dioſcorides tribuit Parthenio,huic quoq; inſit,quam matricariã dicimus:de qua facultate etſi Gal.nullam fecerit mentionẽ, Paulus tamen Aegineta lib.vij.inter nigrum humorem ſoluentia eã connumerat:quod nobis ſumma cũ diligentia,& longa ſecundũ Galenũ experientia explorandum eſt,ut ea quoq; innoteſcat.Foliorum quidẽ parthenij deſcriptio matricariæ ipſi magis cõuenit,quàm bruſaculo,quæ cotula dicitur:neq; quicquam eſt in eo abſimile huic,ſola illa(ut dixi)ducendæ alui excepta facultate,quæ adhuc nobis exploranda ſupereſt.Pręterea idem eſt Galeno amaracus,quod partheniũ Dioſcor.ut patet Serapionis teſtimonio,qui capite de matricaria, Dioſco.caput refert de parthenio,& Gale.de amaraco. Ad hunc autẽ modum ſcribit Galen.tertio de cõp.med. ſecundũ genus,ubi de ſumptuoſis medicamẽtis meminit: τὸ δ᾽ ἀμάρακον ὡς οὐκ εὐῶδες ἐνενόησα μηδ᾽ ὅλως μιγνύειν. hoc eſt,Amaracũ autẽ tãquam nõ bene olentẽ cogitaui nequaquam miſcere.Quòd ſi amaracũ putaſſet hanc eſſe herbam quæ bruſaculum dicitur,non his uerbis utiq;, ſed alijs,uti conſueuit,uſus fuiſſet,illũmq; aliter deſcripſiſſet,cũ hæc non tantũ non ſit boni odoris,ſed fœtidiſsimi.Matricariæ quidẽ uulgari Dioſcorides ὀσμὴν ὑπόβρωμον, hoc eſt,grauiuſculum odorem aſcribit in capite de parthenio,ſed nõ adeò tamen grauẽ & abominandum,ut ei non conuenire poſsint Galeni uerba ſuprà à nobis citata.Huc accedit & modus tum græcè,tum latinè,& propriè loquentiũ,qui cùm de huiuſmodi ingratiſsimi odoris herbis,qualis eſt hæc cotula fœtida, mentionẽ faciunt, βαρυόσμους ἰσχυρῶς ἢ δυσώδεις καὶ δριμεῖς,id eſt,graue & acutè olentes eas appellant,quemadmodum eſt anagyris,& huiuſmodi:quo loquendi modo uti non cõſueuere in his quæ licet odorem quendã inſuauem habeant,nõ tamen grauẽ,auſterum,ac permoleſtum,ut in ruta,abſinthio ſeriphio,parthenide,& cæteris,quas odoris quidem uehemẽtis eſſe certum eſt, non tamen putidi:quãuis partheniden Plinius rectius non iniucundi eſſe ſcripſerit,non autem graueolentis. Ruellius quoq; teſtatur matricariã eſſe partheniũ.Cotulam autẽ parthenium eſſe non poſſe conſtat,cũ propter foliorum,ſi coriandro cõparetur,diſsimilitudinẽ, tum etiam quòd cotula nõ ſit amaritudinis particeps. Sed neq; Leonicenus affirmat partheniũ cotulam eſſe, ſed hoc à quibuſdam ita appellari dicit.Quapropter tu operam dabis , ut tuo iſto diligẽti ſtudio cõpertius aliquid hac de re medicinæ ſtudioſis tradas:nos ad reliquam inſtituti noſtri partem accedemus.

*Carduus ſimpliciter prolatus.*

Carduorum plura eſſe genera manifeſtũ eſt.Cũ uerò carduus ſimpliciter enunciatur, de Dioſcoridis ſcolymo intelligendũ eſſe animaduerterunt & Hermolaus & Ruellius,qui caput Dioſcoridis de ſcolymo,cardui nomenclatura inſcripſit.Reliqua cardui genera cũ certa uocum additione ſigillatim referuntur,quemadmodum dipſacus ſecundũ quoſdam Veneris carduus appellatur,ut Dioſcorides notat,qui dipſacus pharmacopolis eſt carduus communiter dictus,licet nõ propriè, nec rectè,cùm diuerſa ſint inter ſe eorum remedia,ſicut tu,& Ruellius,aliqua ex parte annotaſtis.

*De ſpica nardi.*

Spicam nardi quam hodie pharmacopolæ noſtri ſeruant,uerã ſpicam non eſſe,cum Manardo in Meſuæ cẽſuris,capite de rhabarbaro,ſentimus : ſed aut alteram duarũ eſſe,quæ ſcilicet in ima montis parte iuxta Gangen fluuium naſcitur,uiribus quàm ſit altera infirmior: aut Sampharitícæ genus aliàs improbatum,noſtram eſſe ſpicam,plurimis de rebus quæ legenti cõſiderandę relinquuntur,collata noſtri tẽporis ſpica ijs,quæ de uera ſpica à Dioſcoride traduntur.Et cũ dixeris tertiũ ſpicæ genus,quod in Syria & Cilicia prouenit,ad nos importari,iſtiúſq; ſpicã & caulem nobis Venetijs emendum eſſe,de hoc quoq; ut dubitemus,facit Dioſcoridis deſcriptio,qui tertium ſpicæ genus neq; caulem,neq; florem,neq; fructum ferre ſcribit,neq;(quod equidem legerim)illius ſpicæ meminit.Quinetiam radicum color cõuenire non uidetur:in ſpica enim quæ circunfertur,aureus exiſtit,in montana uerò nardo niger à Dioſcoride deſcribitur.Adde etiam,radicem nardi Indicæ ſpicam nardi appellari ex Galeno in primo de antidotis,à formæ ſimilitudine quam cũ non ſpicatis obtinet. Tu igitur diligentius ſingula reuocata ad trutinam cõſiderabis.

*Vide 9. de comp. med. sec.locos.*

*De Lupulo.*

De Lupulo,quem nonnulli ſalictariũ appellant,tibi ac Manardo aſſentiendum exiſtimamus,illũ ſcilicet calidæ eſſe naturæ:quod quidem ſi quis experiri uelit,ſenſui facilè innoteſcat:tametſi Ruellius hunc frigidi eſſe temperamenti ſcripſerit,quod tamẽ nulla ratione,aut experimento,aut ſaltem probabili aliquo argumento oſtendit.

*De thymbra.*

Sed cùm de thymbra,hoc eſt,ſatureia diſſertando, hortenſem ad omnia quibus expedit mala palàm efficaciorem eſſe dixeris,ſylueſtrem uerò in cibis meliorem,non minimæ nobis id admirationi fuit,cùm Dioſcorides primùm huic medicas attribuerit uires,deinde ſtatim ſubiunxerit,ſatiuam propter mitiorem eius acrimoniam cõmodius in cibos receptam:niſi fortaſſe hæc in typographum culpa reijciẽda ſit,quod ſanè nobis ſuſpicandum eſt.Dioſcoridis ſententiæ adſtipulatur Paulus Aëgineta libr.vij.cap. de thymbra , hortenſem quidem ſylueſtri in omnibus imbecilliorem eſſe affirmans,in cibis uerò magis laudabilem,ut etiam de omnibus alijs ex Gal.conſtat.Cùm uerò de hac herba nihil Gal.commemorauerit,quod quidẽ in uulgatis eius codicibus extet,ſuſpicamur in hac parte,ut in nõnullis alijs,imperfecta & corrupta eſſe,quæ penes nos ſunt

latinè

latinè aut etiam grçcè ipsius uolumina: quam suspicionem planè mihi confirmat Serapio, qui in capite de satureia Diosco. uerba referens, Gal. quoq; sententiam de eodem medicamento scribit, quam quidem credendũ est nequaquam citaturum fuisse, nisi eam ipse in Galeni cõmentariis scriptã uidisset. Paulus thymbram uiribus thymi ęmulam esse scribit: unde ipsius facultas inuestigari & cognosci potest, iuxta certas Galeni methodos ab ipso traditas in lib. I. de simp. medic. cũ experiri quis uult, cuius facultatis simplex aliquod medicamentum sit: non autem ut quidam ex nostris faciunt, mea quidẽ sententia, inter empiricos potius & idiotas connumerandi, quàm inter uerè medicos, ac doctos, qui cũ suã illam longam & uanam experientiam iactauerunt nulla ratione adhibita, eóq; & fallacem & inconstantem, quicquid alij ueritatis & scientiæ studiosi, hiq; optimi medici, pro cõmuni omnium usu certantes, in eorum deploratum medendi usum obiecerint, hoc uno experimentorum suorum responso dato, perbellè se confutasse arbitrantur, quòd scilicet probè res & feliciter, & ex uoto sibi euenerit. Ars enim Asclepiadis multa indiget contemplatione, & exquisita ac laboriosa in rebus exercitatione, ut ait Gale. in secundo de crisi, cap. ij. Nos uerò non Græcorum magis, quàm Arabum aut aliorũ doctrinã, & ingenia nobis imitanda proponimus, sed disciplinarũ rectam perceptionem, sed ueritatẽ ipsam.

*Stœben & Scabiosam uirib. differre.*

Post illa carmina de scabiosa herba à tuo sene recitata, cùm ais, si stœbes uires considerentur, eædem quodammodo cum scabiosæ sunt: nescimus profectò quid te mouerit ut id diceres, cùm pectoris humores uitiosos purgare, & apostemata aperire, & reliqua in illis quomodocunq; factis uersiculis cõtenta, uiribus, quas stœbe Disco. & Galen. attribuũt, aduersentur: eam enim tantummodo adstringere, ac dysentericis, & sanguinis eruptionib. prodesse, easque glutinare, & compescere tradunt: quæ quidem singulæ facultates liquidò scabiosæ uiribus contrariæ existunt. Magis autem ut admiraremur fecit, quòd scribis Dioscoridem, Galenúmq; stœbe, siue colymbade (ita enim eam uocat Gale. in lib. I. de antidotis) uires attribuere, quæ in istis uersiculis scabiosæ attribuuntur, cùm potius cõtrarium in propriis Dioscoridis & Galeni de stœbe locis palàm uidere liceat. Neq; Manardi iudicium tecũ sentientis lib. v. epist. iij. in præsens approbamus, per stœben scilicet scabiosam intelligendam esse.

*Persicaria sine maculis an sit hydropiper.*

Argumentum insuper illud, quo suspicaris Geum garyophyllatam esse, quia utraq; pectori, utraque lateris dolori prosit, & quòd Plin. radiculas illas boni esse odoris tradiderit, non magni profectò nobis momenti esse uidetur, cùm Plin. id non latius describat, & ratio illa à uiribus sumpta non admodum efficax sit, cùm herbæ complures pari facultate præditæ inter se cõuenire possint, quæ tamen nõ eædẽ, sed planè diuersæ sint. Quamuis enim Lathyris succum similem tithymalis habeat, & eodem modo soluat, non audet tamen Gal. lathyrim dicere tithymali speciem esse, vij. de simpl. med.

Non ualde nobis tua illa ratio probatur, qua affirmare uideris, persicariam sine lituris siue maculis, idem cùm hydropipere esse: eam autem quæ lituras habeat, hydropiper non esse, ob id uidelicet, quòd Diosco. tam celebrem notam in eius descriptione nõ omisisset: cùm hunc autorem illud idem in plerisque aliis simplicibus fecisse constet, quæ non omnino graphicè suis depinxit coloribus & lineamẽtis. Nos tamen hæc dicere existimes nolim, quòd ab ista tua de persicaria dissentiamus opinione, sed ut, quæ omnia nobis scrupulum uel minimum afferunt, abs te aliàs magis explicentur. Hac autem in re tibi suffragantur Simon Genuẽsis, Eurytius, nec Hermolaus reclamat: etsi Ruellius aduersari uideatur, hydropiper apud Gallos eupatorium, non uerum tamen esse pronuncians: quod cùm minimè uerũ sit de nostro cõmuni, & falso eupatorio, omnino existimandum est aliud ab illis pro uulgato eupaterio, quemadmodum etiam tu optimè annotasti, accipi. Sciendum præterea eupatoriũ à Galeno in quinto de cõpos. med. secundũ locos, dũ Archigenis remedia ad dolores dentium narrat, & in ij. de antidotis, πεντάφυλλον καὶ πενταπέταλον, id est, quinque folium à nonnullis appellari.

*De alsine.*

Dioscoridis caput de alsine, quæ à Galeno interdum Helxine nominatur, nos quoq; fatemur magis pauarinæ nobis dictę conuenire, quàm gnaphalio: & facultates quas ei attribuit, frigidi humidique temperamenti, eædem uidentur esse, quas pauarinæ cõtinuo usu inesse aduersus calidos affectus experimur: quare tibi potius assentimur, quàm iis qui hãc gnaphaliũ esse cõtendũt, cùm hoc, ut Diosco. & Gal. affirmant, adeò adstringere ualeat, ut & dysenteriæ mirè prosit, & aluum præclarè supprimat: quæ quidẽ uis à pauarinæ natura longè absit, nullã ea adstrictionẽ, sed potius accõmodatam aluo molliendæ uim habente. Ne omnino tamen nõ dubitemus, illud facit, quòd si teratur iuxta Diosco. lib. iiij. cap. lxxxix. cucumis odorem reddat, qui tamen in pauarina odor esse non apparet: quare in secundo eiusdem libro Hermolaus & Marcellus alsinen exponunt, non in quarto: in secundo uerò Diosco. lib. Ruellij & Marcelli tralatio non habet illa uerba, de cucumis odore, licet Hermolaus illa uerterit. Quoniam uerò tuæ & nostræ Ruellius subscribit opinioni, eius sententiam hìc adscribere uisum est. Sic itaq; ille primò respondet: Caput lib. quarti Dioscoridis de alsine, ubi uerba de cucumis odore habentur, spuriũ esse secundũ aliquos: caput autem lib. ij. prædictas excipere dictiones, quæ difficultatẽ aliquam super hac re facere uidẽtur. Deinde, ut etiã demus (inquit ille) adulterinũ caput illud nõ esse, hoc modo à nobis Diosco. intelligendus erit, quòd trita alsine cucumis odorẽ repræsentat, non quidem maturi, sed cũ musteus est, ac primum germinat: atq; ita duplici responso hãc soluit controuersiã. Neq; sanè in codice græco, qui penes nos extat, illa reperiuntur uerba, quòd cucumis odorem reddat. Ratio autẽ illa qua Aëtiũ uirũ doctum à calumnia tueri studes, nobis quidem nõ ualde placet: non enim adeò uehemens est in helxine adstrictio, ut manus uice, ut ipse asseris, supra imũ uentrem posita, eum possit cõprimere, atq; ita paulatim urinam expellere. Quapropter magis tutũ, & rationi cõsentaneũ, ut tu paulò suprà annotasti, esse existimamus, eã tãquam huic morbo nõ necessariã, & inutilem, uel fortè sæpius ægrotis obfuturã, negligere, etiamsi Aëtius ad urinã suppressam ea usus fuerit: animaduertimus enim quãdoq; Aëtium remedia nonnulla ab ipso ex aliis antiquioribus medicis exscripta, nullius uerę methodi consideratione habita, nec ratione addita collaudare, &, quod magis admirandũ est, quæ Gal. ipse damnauit, interdũ recipere & commẽdare: ut in uenæ manus sectione, in coriandri uiribus & hæmorrhoidib. sanandis, aliisque consueuit. De qua tamen Aëtij opinione, serm. xiiij. cap. v. ab eo prolata, ut Gale. methodis apertè reclamante, neq; in usu medico negligẽda, equidẽ libenter quid docti de ea senserint, audirẽ: nos enim inter tantæ autoritatis & iudicij uiros sententiã nostrã nõ ferre, neq; quicquam hac in re decernere, utpote quod perdifficile nimis ac temerariũ potius sit, neq; nostrarũ uiriũ põdus, satius esse existimamus. Sed ut ad Aëtiũ redeã, postquã de eo incidit sermo, argumentum illud, cùm ait, ex Hippocratis sententia xij. sextæ sectionis aphorismo, Omnes rescindi, & delerid hæmorrhoides ebere, nullámq; earum apertam & intactam dimitti, quoniam sanatio, integra est morbi & legitima solutio: quare omnes extirpandæ erunt, iusta uictus ratione, & opportuna cubiti sectione facta, quò optatũ adipiscamur finẽ, quod Galenus fieri una ex illis dimissa arbitratus fuit; nobis non multùm approbatur, tanquam nõ ita facilè Aëtio credentibus, neq; ipsi tantũ ut Galeno tribuẽtibus: quare Galeni potius sententiam, Pauliq; nobiscũ sentientis, pro uiribus tueri conabimur. Primùm igitur dicendum est, in Hippocratis codice, si ita, ut Aëtius uult, legatur, durum nimis illius sensum reddi, & qui legentem torqueat, cuique Delio natatore opus sit, ut scilicet per (asseruetur) uerbum, hoc est, si non certa uictus ratione utatur, nobis accipiendum sit. Postea cùm addit: Sanatio autem integra liberatio est: uerũ quidem illud esse fatemur, si de sanatione propriè dicta intellexerimus, non de ea quæ alicui, quocunq; fieri potest modo, contingit, quæq; ratione præcedẽtis ęgritudinis habita curatio appellari potest, quòd sanitas satis amplã habeat latitudinem, libr. de bono corporis habitu, & de artis medicæ constit. atq; ideo ex hæmorrhoidibus unã rationabilius fuerit seruare, quã omnes delere, ut in supra scriptæ aphorismi sectionis expositione scribit Gale. & qui in omnibus suis scriptis ferè Hippocratem reddere maximè studuit Celsus, ac imitari; in his enim morbi materia per eiuscemodi uias excerni solita est: quinetiã natura ipsa per cõuenientes illas sedis regiones multò melius ac cõmodius noxios per unã hęmorrhoidũ ser-

uatam ſecernet humores, quàm ullus medicinę profeſſor, etiam ſi omnium oculatiſsimus fuerit, per uenæ ſectionem, qua humores etiã boni malis cõmiſti educuntur. Huc adde, quòd facile, ac certè cõmodum eorũ exinanitioni tẽpus à nobis nõ ita cognoſci poteſt, ut à natura, cuius miniſtri atq; imitatores exiſtimus, ut ait Hippocrates, & cui pręcipuè morborũ omniũ curatio adſcribi debet. Verba uerò illa Aëtij (ſi una non adſeruetur) non rectè ac fideliter ab interprete in latinũ uerſa, unà cũ Iano Cornario arbitror, ſed (ſi unà aſſeruetur) legendum: aliter enim quid per illas uoces Aëtius intelligi uoluerit, nullo modo à nobis percipi poteſt, neq; cæteris cõueniunt eius dictis & ſentẽtiæ. Puto autem ego hoc factum, dum is Hippoc. uerba attentius cõſiderat, non Aëtij: quod in multis rebus occupatis interdũ accidere cõſueuit: idq; ex incuria potius, quàm inſcitia eueniſſe exiſtimamus. Qui uerò ex hac Hippocratis ſententia ano hirudines perſæpe applicant, ut extremũ illorum, quos ſanare nõ poſſunt, morborũ perfugium, ita exiſtimantes ſe à grauiſsimis uitæ periculis languentes quoſq; liberos reddere poſſe, iam perſpicuũ eſſe arbitror non rectè eos illius mentẽ percepiſſe: neq; remediũ id, ut prædicãt, tanti eſſe pręſidij, cũ longè maius & præſtantius ſequi auxiliũ rationabilius ſit ex inueterata & conſueta naturæ inanitione, quàm ex arte tẽtata: neq; hirudines ſanguinem attrahant, qui in profundo corporis eſt, ut ait Galenus in libello de hirudinibus. Tibi uerò, & ijs qui ingenio & iudicio plurimo pollẽt, hæc omnia examinãda relinquemus, & ad reliqua quę reſtant conſideranda, me accingam.

*Linguã ceruinam eſſe phyllitim.*

Tuæ & Eurytij nos quoq; citius ſubſcribimus ſententiæ, quàm Leoniceni & Manardi lib. viij. epiſt. iij. quòd lingua ceruina phyllitis ſit, non, ut illi exiſtimant, hemionitis, cũ Dioſcor. deſcriptio uobis magis quàm his fauere uideatur. Huc accedunt uermiculi illi adhærẽtes, quemadmodũ Manardus cõtra Marcellum notauit ſuprà citato libro, non autẽ penſiles, ut ille uerterat: de quibus in phyllitide mentio habetur, & nõ hemionitide, quòd hi in lingua ceruina manifeſtè appareant. Sed illud omniũ maximè hãc è medio litem dirimit, rémq; omnem aperit, quòd Galenus hemionitidẽ amarã tradit: at lingua ceruina nequaquam amara eſt, quare hæc non poterit eſſe hemionitis, ſed potius phyllitis. Probationes Ruellij cõtra hãc tuam noſtrámq; opinionẽ, tanquam faciles ad refellẽdum, omittimus: atq; experimẽta illa uulgaria, nulla quidẽ ratione confirmata (ut aliàs ſæpe oſtendimus) minimi apud nos ſunt momenti.

Etſi Hermolaus in Corollario, capite de arctio, ſcribat Brancam urſinã ueteribus incognitam, nos tamen tecum, Marcello, Ruellio, & Eurytio ſentimus, cùm illi ſingula conueniant, quæ etiam achantio.

*De Malobathro.*

Quoniam pleriq; autores affirmãt malobathro nos carere, neq; noſtræ illud officinæ ſeruant, pro eo ſpica nardi uti nos poſſe exiſtimamus, ſi ſyncera & perfecta ad nos importaretur, quando hæc ex Galeno malobathro ſimillimis polleat facultatibus.

*De Pepone, & Melopepone.*

Neq; hoc in loco nactus opportunitatẽ, illud prætererierim, tametſi fortaſſe tibi res uidebitur non magni facienda, cũ utraq; hæc de quibus à nobis futurus eſt ſermo, parum inter ſe differãt: Gale. in ſecundo de alim. facul. lib. duo ediddiſſe capita, nemo eſt qui dubitet, unũ de pepone, alterum de melopepone: diligẽtérq; cõſiderata eorum qualitate, & deſcriptione, poſterius caput hunc, quo nos Cenomani in cibis cõmuniter utimur, melonem uocatũ cõprehendere uoluiſſe: prius uerò caput, quod uulgò pepona appellatur, quemadmodum Hermolaus, & Marcellus quoq; tecũ ſentire uidentur: nonnihil tamẽ nos turbant Gal. uerba iuxta finẽ capitis de melopepone in hunc modũ exarata: Pars porrò intima, carni ſemen incluſum tangẽs, cùm in peponibus edendo nõ ſit, in melopeponibus paſsim ab hominib. comeditur, deiectioni nõ inutilis: quia, ut bene norunt hi, quibus familiaris eſt fructus huius cibus, peponæ pars carni eius contigua ſemẽ cõtinens, æquè nullo diſcrimine à nobis comeditur, ac reliqua pars, cortice tamen dẽpto, eóq; tenui. Neq; poteſt eſſe primũ illud caput (quemadmodũ ipſe etiã annotaſti) de pepone anguriæ uocatæ caput, cùm magis illã ſub cucumeris titulo collocari ęquum ſit. quare diligẽtius id cõſiderandũ. Sed cũ Paulus Aegineta primi lib. cap. lxxx. qui quidẽ à Galeno in ſecundo de alim. fac. ſingula accepit, peponẽ, tametſi melopepone non ita multũ dãnato, improbet, tanquam uitioſi ſucci, & uomitui aptum, & gignendæ choleræ, ſi nõ coquatur, & à uentriculo cõficiatur: mirum uidetur (etſi Polybus aliter ſentire uideatur) tã expetitum eſſe in cibis, ut auidè eũ omnes ſuo tempore eſitẽt, nullúmq; ipſius nocumentũ timeãt: niſi enim uelociter deorſum tẽdat, noua corruptione uitiatur, & in ſuccum letalibus uenenis ſimilẽ uertitur, ut eſt in lib. Galeni de cibis boni & mali ſucci. Vbi animaduertendum eſt, Andernacum locum hũc Pauli non rectè uertiſſe: ſic enim ille ait: ὁ δὲ πέπων ὅλως μὲν κακόχυμός τέ ἐστι, καὶ ψυχρὸς, καὶ ὑγρὸς, καὶ ἐμετικός. μὴ πεφθεὶς δὲ, καὶ χολέραν ἐργάζεται. hoc eſt, pepo quidem omnino mali ſucci eſt, & frigidus & humidus, & uomitui aptus: nõ coctus uerò choleram facit, (non bilẽ, ut ille tranſtulit.) χολέρα autẽ utriuſq; uentris ſubuerſio eſt, ſuperioris ſcilicet & inferioris. Quẽ quidem errorẽ prius ac nos Pſellus animaduertit lib. j. & ij. de ratione uictus, peponem antequam trãſmutetur, ad uomitum excitare dicẽs, pręſertim copioſius ſumptus, niſi quis modò boni ſucci aſſumat cibos. Idẽ confirmatur à Galeno in lib. de boni & mali ſucci cibis, peponẽ ſcilicet non boni ſucci eſſe: & licet Gale. ibi concedat ad calorem & ſiccitatẽ reſtinguendã, pepones, mora, ceraſa, cucumeres, & huiuſmodi, quæ uitioſi ſunt ſucci, parcius tamen eis utendũ eſſe iubet. Præterea χολέραν, ut ait Alexãder Trallianus lib. iij. cap. xiiij. nemo credat à Gręcis appellari ob bilis, ut uulgus putat, abundantiã, & cholerica nominari billioſa, ſed à multo bilioſæ materiæ fluxu, qui ſupernè & infernè fit, hoc eſt, inteſtina, uentrem, & os: priſcinámq; Græci χολάδας inteſtina laxiora, quòd in ea χόλη fundatur, appellant: & inde morbum cholericum &c. fortaſſe uerò χολάδες non à χόλη, ſed quòd laxa ſint, quaſi χαλάδες dicta ſunt.

*Secundo de alimẽ. facul. cap. de ſycaminis.*

*De Asbeſtino lino.*

Cùm Plinius libr. xix. cap. primo de asbeſtino lino abundè egerit, atq; quid eſſet docuerit, neſcimus quæ te ratio mouerit, ut illud ex amianto lapide fieri fueris arbitratus, cùm id nuſquam apud idoneum autorẽ te legiſſe ſcripſeris. Non enim ſequitur, licet lapis ille fuſo duci poſsit, ut propterea idem ſit cum asbeſtino lino.

*De Linaria.*

Eurytius & Ruellius linariam eandẽ eſſe cum oſyri affirmant: nos tamen cũ linariæ noſtræ copioſus ſit ualde foliorum numerus, eorúmq; ordo per totũ caulem diſperſus, colórq; illi niger abſit, non ita facilè autoribus his aſſentimus, ſed an illa ſit dubitamus, & in tuã potius ſententiam animus inclinat.

*De Coriandro.*

De coriandro autẽ non parum admirati ſumus, cũ id frigido conſtare temperamento ſcripſeris: quódq; magis Dioſcoridẽ tibi imitari placuerit (quem tamen etiã Ruellius ſequitur) quàm Auerroëm in v. Collect. Galenúmq; in primis latè differentẽ, coriandrum calidi eſſe temperamenti, atq; à refrigerãdi ui diſtare, vij. de ſimp. medic. Scis autẽ quanti faciendæ ſint in medendi opere certiſsimæ Galeni methodi, eiúſq; diligẽs inueſtigatio, præcipuè cùm quippiam ſibi examinandũ proponit. Quamobrem quid de hac Galeni in Dioſcoridem diſceptatione & cõfutatione ſenſeris, pro illius tuendis rationibus, quem in re iſta potius tibi imitandum duxiſti, quàm Galenum, ſectatoréſq; illius, notius facies, ſi quando, maioribus ſtudijs intermiſsis, his uacare continget. Cur autem Paulus & Aëtius de hac controuerſia nihil memoriæ mandauerint, dignũ conſideratione uidetur: quemadmodum & de nonnullis alijs.

*De Lupino.*

Etſi lupinus amaritudine per macerationem depoſita medicamentũ emplaſticũ efficitur, eiúſq; ita macerati alimentũ craſsi ſucci eſt, & coctioni reſiſtit, neq; facilè per aluum ſecernitur (quãquam non ſicut adſtringẽtia aluum cohibeat & cõpeſcat, ut ſcribit Gale. in vj. de ſimp. med. & in lib. de alim. facul.) dicendũ tamẽ nõ eſt, lupinum aqua maceratũ (quod tu affirmaſti) uentriculum corroborare: id enim adſtringentiũ medicamẽtorum muneris eſt, in quorũ quidem catalogo à doctis lupinus nõ cõnumeratur, quemadmodũ Galenus pleriſque in locis manifeſtè explicat, præſertim in cap. de memithe, de capno, de mâlis, in ſecundo de alim. fac.

*De Cicuta.*

Cicutæ genus à recẽtioribus nonnullis duplex poni non ignoras, cuius quidẽ alterum calidi tẽperamenti exiſtat, alterum uerò frigidi, ex ſimilitudine hallucinantibus. Myrrhis enim adeò cicutæ folia ſimilia habet, ut eam, decepti ſimilitudine, cicutę generi adſcripſerint, ut Hermolaus annotauit: cuius expoſitionem in Celſi locum lib. v. cap. vj. cicutã inter erodentia cõnumerantis, an de caule, qui calidus ſit, id intelligi debeat, nõ de folijs, quæ frigida ſint, aliàs diligentius inueſtigandum.

quod

quod tamen ſi uerũ eſſet, difficillimũ ad credendũ opinarer Galenũ (quem quidẽ ego omnia ſciuiſſe non exiſtimo, id enim à ueritate alienũ eſt, ſed ea induſtria, diligentia, doctrina & iudicio ualuiſſe, ut in re, quam ipſe pertractauerit, ei ſit, tanquã grauiſsimo teſti, & naturæ ſolertiſsimo indagatori, credendũ) de cicuta ut ſummè frigefaciente differentem, de his adeò inter ſe contrariis cicutæ partibus (quod quidem ego hactenus uiderim) nihil memoriæ prodidiſſe: non quidem quin fieri poſſe exiſtimem, ut in una planta diuerſarũ temperationum partes ſint, ut manifeſtè aſſerit Gal. in iij. de ſimp. med. in pleriſq; locis: ut, exempli gratia, medij radix, quę auſtera eſt, & fluxiones cohibet, ſemen uerò eius tenuiũ partium eſt, & incîdit, & menſes ciet: imò & in eodem ſemine, ut in eiuſdem ſexto de phaſiolo ſcribitur: quod cũ amarum ſit, & ſubacerbũ, excreationibus pectoris conducit, & iecur expurgat, & ſanguinem ſpuentes iuuare creditur: propter enim temperamenti nariũ diſcrimen, & miſtionem, contrariis etiam cõgruere uidetur morbis. Itidem & de centaurio magno, uitice, oxylapatho, cochleis marinis, & multis aliis cõſtat: quamuis de uitice hactenus nobis non planè conſtet, ſed potius Gale. in ij. de comp. med. ſecundũ loca, ſuſpectus admodum eſſe uidetur, aut aliter intelligendus, cùm ſenſui, & iis quæ ab ipſo de illius natura & ui tradita ſunt in vj. de ſimplic. med. apertè repugnare uideantur.

*Idem in lib. de theriaca ad Piſonem.*

*De Epimelide.*

Porrò ſi ſecunda meſpili Dioſcoridis ſpecies, ab aliquibus ſetanium appellata, ab aliis epimelis, noſtrum erit meſpilum, ut Marcel. & Manard. tecum ſentire uidentur, nóſque item non abnuimus, reſtabit tamen nobis adhuc incognitũ, quid epimelis Galeno fuerit, cùm ipſe in vij. de ſimp. med. memecylum arbuti, quæ à Græcis comarus dicitur, fructũ eſſe ſcribit, unedonem uerò epimelidis: de quibus ſanè & Plin. in libr. xv. cap. xxiiij. & in lib. xxiij. cap. viij. confuſe quidem locutum fuiſſe apparet, ut bene in I. de comp. med. ſecundum locos, Ianus Cornarius annotauit. Illud etiam nobis non conſtat, quónam in loco Galenus Paulúsque arbutum, ſiue comarum, quod idem eſt, rem ſanè à meſpili utroque genere diſtinctam, nomine uerò & effigie ſimilem, epimelidis uoce appellauerint, ut Manardus uoluit, cùm aliter potius ſentire uideantur: quod ſi quis nobis demonſtrauerit, ei nos magnam habebimus gratiam.

Perbellè ſanè etiam illæ tuæ nobis ſatisfaciunt rationes ad difficultatem de lente ſoluendam adductæ: cæterum cùm aliquid tibi & mihi approbandum, quod tuum & meum confirmet propoſitum, occurrit, illud ex Galeno tanquam omnium medicorum exemplari optimo, eóq; abſolutiſsimo, ac quodam in re medica Polycleti doryphoro potiſsimum ſumi, quoad nobis fieri poteſt, maximè cuperem, non ex iis qui pleraque nobis confuſe tradiderunt, & malè.

*De Orobo.*

Quod ad orobũ attinet, nos eũ exiſtimamus nequaquam eruiliã eſſe poſſe domeſticã, quæ Ianuario menſe ſeritur, & paxillis quibuſdã poſtea inhęrens, eóſq; ſcandens, fructũ parit, de qua locutus eſt Manard. lib. I. ſed eruiliam quæ Ferrariẽſibus Ruuione dicitur. Quicquid autẽ illud eſt, certũ eſt nullo modo orobi facultates eruiliæ cõuenire poſſe, cũ quia orobus grauedinoſus traditur à Dioſc. & ſanguinẽ per urinæ meatus, ſi, ut ille & Gal. aiunt, largius ſumatur, euocãs, tũ quia in cibis eius uſus damnatur, tanquã ingratiſsimus, amarúsq; eſt ſecundũ Gal. Satiua uerò eruilia Brixianis lingua ipſorum uulgari Rouaiot, noſtris autẽ Veronenſibus Bili appellata, neq; amara eſt, ſed potius dulcis, & ad cibũ homini non tantũ non damnata, ſed ſuauis, & quæ plurimũ comedentes oblectare poſsit. Sanguinẽ uerò per urinę ductus, quod quidem aut ego uiderim, aut aliũde acceperim, nunquam ciere uiſa eſt: neq; capiti grauitatem affert, ut ex iis qui ea creberrimè ueſci conſueuerunt, manifeſtũ eſt. Quare plurimũ hallucinãtur pharmacopolæ qui orobi uice eruiliam altilem ſeruãt, eámq; pro orobo uendunt. Pręterea quis unquã ſuſpicari poſſet in eruilia hac noſtra illã ſecundæ ſedis exiccationẽ ineſſe, quæ in orobo ad curandas gangręnas pollet? Cùm autẽ aphace, & uitia, uiribus non multũ inter ſe differant, ut etiam Manardus notauit epiſt. iij. lib. ix. Gal. teſtimonio in ij. de alim. facult, fretus, cúmq; aphace, ut eſt in vj. de ſimp. med. ſit non modicè exiccans, & modici caloris, orobus quoq; ſimiliter lib. eiuſdẽ viij. ad ſecundã uſq; ſiccandi perueniat ſedem, primámq; excalfaciendi iudicarem, orobo non inuento, minimè eſſe abſurdum aut aphace, aut uitia uti, conſideratis primis iſtorum qualitatibus, quemadmodũ ad gangręnas laudatur in ij. ad Glauconem; obſtructionibus autem aperiendis, quib. orobus expetitur, utilisq; eſt, utrũq; minimè eſſe accõmodatũ dicimus, ob adſtringẽdi uim, quæ ineſt utriq;.

*Ammi non habetur.*

Scribit Galenus ammi ſubamarum eſſe, neq; (ut ais) Dioſcorides album eſſe dicit.

Cur uerò cari exiguum ſemen eſſe iuxta Dioſcoridis ſententiam dixeris, nobis quidem incompertum eſt, cùm ille eiuſmodi eſſe minimè tradat, & Serapio craſſius eſſe fateatur cymino.

*Melanthiũ & Gith idẽ non eſſe.*

Quòd melãthiũ ſiue nigella, & Gith. in ſegetibus naſcens idẽ non ſint, quẽadmodũ ipſe affirmaſti, reclamat Ruellius, cui & nos magis accedimus, quã tibi: ait enim hæc inter ſe longo diſtare diſcrimine, & uulgare hoc gith ſiue pſeudomelanthiũ, à nobis ſermone uernaculo gloton appellatum, ideo nigellam eſſe nõ poſſe, quia ei ſenecionis folia non adſint, erucæ modò, ſed porracea potius, licet anguſta: & quia in capitulo mẽbranæ ſemen intercurſantes nõ exiſtũt, quales in melanthio eſſe ſcribitur. Hermolaus quoq; affirmat, quod in ſegetibus gignitur Githone uulgò nominatũ, nõ eſſe uerũ melanthiũ. A quibus autẽ Hermolaus & Ruellius, qui multa ab eo ſumpſit, acceperint nigellę folia fœniculi foliis eſſe ſimilia, quibúsue fundamẽtis innixi ſint, equidẽ nos latet, niſi illud ita eſſe certo cõprobauerint experimẽto.

*De Atriplice.*

Manardus de atriplice lib. ix. epiſt. iij. eadem ferè, quæ & tu annotaſſe uidetur, uulgò ſcilicet Trepexũ cognominari, ab aliis chryſolachanã. Spinaciã uerò ipſius ſpeciem eſſe ſuſpicatur: meminitq; Hermolai, qui nolit atriplicem eſſe ſpinaciã. Maximè autẽ in hoc differũt, quòd ſpinacia ſemen habet ſpinoſum & aculeatũ, unde nomen ſortita eſſe uideri poteſt: atriplex autẽ ſecus. Attamen ſi uires quas atriplici Gal. tribuit, accuratè cõſiderẽtur, eaſdẽ ferè ſpinaciæ cõuenire cõſtabit, utpote quæ & frigefacere, & humectare, & mollem aluum reddere poſsit, & adſtrictione careat: quæ ſingula de atriplice & malũa à Gal. & Dioſcoride traduntur.

*De Aſparagis.*

Decreueram ad te nihil de aſparagis altilibus ſiue regiis ſcribere, ſed cùm Hermolaus dixerit ueteribus eos incognitos fuiſſe, nõnulla de his quoq; ſcribere licitum eſt, cùm præſertim Galen. de aſparagis regiis in hortis prouenientibus mẽtionem faciat. Niſi fortaſſe Hermolaus non intelligit Hippocratẽ, & anterioris etiã ætatis autores, quoniã Plin. de aſparagis domeſticis manifeſtè locutus fuit, magno quæſtui & uſui olim in delitiis habitis: quem quidẽ Hermolaũ ſæpenumero legiſſe, ac conſideraſſe, notius eſt quàm ut probatione ulla opus ſit. Præterea etiã Dioſco. deſcriptio, qui σιώχρονος, hoc eſt, coæuus Plinio exiſtimatur, non magis ſatiuis quàm erraticis conuenit.

Scimus Hermolaum dicere, ſe non planè compertũ habere, an ſalix amerina idem quod agnos ſiue uitex ſit: Verùm quia nullis, quod ſuſpicatur, coniecturis aut rationibus probat, propterea cum Dioſcor. tecúmque ſentimus.

Notiſsimum eſt Gal. in v. de ſimp. medic. cap. xx. apiũ ad lactis generationẽ cõmendare: eóq; miror, dum ea quæ de apio ſcribis, percurro, quid Ruellium induxerit, ut prouentũ lactis in mammis eo extingui, & hoc cibo infantium nutrices interdici dicat, ſecundum Græcos.

*An Lachryma lithoſpermi ſpecies ſit.*

Quòd lachryma uulgò ita appellata, lithoſpermi ſpecies ſit ſecundum Dioſcoridem, Ruellius quoque tuam comprobat opinionem: cui tamen nobis maximè obſtare uidetur cùm foliorum diuerſitas, tum etiã quòd lithoſpermi tantùm unicam Dioſc. ſpeciem eſſe tradit: quamobrẽ lachryma non poterit eſſe lithoſpermi ſpecies, cùm aliam figuram folia habeant, neq; plures eius ſint ſpecies: quo argumento ipſe quoque ſuprà contra recentiores ponentes duplicem nigellam uſus fuiſti, quia illius nõ ſit niſi unum genus à Dioſcoride memoratum. Aut ergo Plinius aliud lithoſpermon pinxit, aut ſi idem deſcripſit, folia diuerſa expreſsit à Dioſco. foliis, & ita etiam ſola ſpecies reſtabit. Quantũ uerò attinet ad lachrymæ experimentum, quod ad tuam firmandã opinionem protuliſti, ſic reſpondemus: niſi quid longo uſu homini prodeſſe compertum ſit, haud facilè eſſe recipiendum ac laudandum, ſecundum Galenum. quare tuo illo experimento non ſatis oſtenditur, Dioſcoridis lithoſpermon id eſſe quod uulgò lachrymam appellamus. Galenus de hoc nihil meminit, quod quidem legerim, etſi Serapio illius uerba de lithoſpermo

attulerit.Paulus quoq; idem,quod Dioſcorides prodidit.An uerò Theophraſti dioſpyron Dioſcoridis & Plinij lithoſpermon ſit,quod Hermolaus in cap.de ceraſo ſuſpicatur(quo etiam in loco Theodorum taxat, qui tertio de hiſtoria plant.pro dioſpyro flammam Iouis uerterit)aliàs conſiderabimus.

*Plin. defenditur.*

In ſtaphide agria Pliniũ à crimine confundendi ſtirpes,quod te in eius libris deprehendiſſe ſcribis,uidemur poſſe defendere. Etſi enim is dicit lib.xxiij.capite primo,contra Celſum,eius tamen nomine ſuppreſſo, uuam taminiam à ſtaphide agria diſtingui,falſóq; eandem eſſe putari:quam mox tamen taminiã lib.xxvij. cap.xiij.phthiriaſi conferre tradit,quod etiam ſtaphidi agriæ inter alias eius uires attribuerat:ob id tamen dicendus nõ eſt ſtaphidis agriæ uires taminiæ uuę adſcribere,neq; eandẽ cum taminia eſſe exiſtimare:nõ enim omnes,aut certè plurimas,ſed tantummodo paucas, imò unicam ſtaphidis agriæ facultatum taminiæ aſsignat:neq;,ſi rectè conijcio,id eſt unius ſimplicis uires cum alterius uiribus confundere,& idẽ ambo illa eſſe exiſtimare,ut ſuprà etiã in Geo oſtendimus;quare nulla uideri debet in Plinij uerbis diſcordia,aut inconſtantia.Sed quoniam pleriq; recentiorũ grauiſsimi uaria de his tradiderũt,præſertim Hermolaus,Leonicenus,Cornarius & Marcellus,tuum hac de re,ut de reliquis,fuerit iudicium.Hoc tantũ dixerim,priuſquam in eruditorum albo quiſpiã ſcriptus,ſiue is ex antiquis fuerit,ſiue ex recentioribus,ignorãtię condẽnetur,etiã atq; etiam nobis conſiderandũ eſſe,quemadmodum Galenus de Philotimo & Praxagora ſcribit in iiij.de tuenda ualetudine libro,& iij.de diff.ſpirandi.

*De Characia.*

Ad probandum quòd characias tithymalus ſit,quæ uulgò cataputia appellatur,non lathyris,ut Manardus ſuper Meſuen in cap.de kerua,Leonicenus,Simon Genuenſis,Ruellius & pleriq; alij confirmant:quódq; ea quæ uulgò cataputia dicitur,maior ſit an minor,tibi efficacioribus uel maximè opus eſſe argumentis & teſtimonijs,quæ tuam approbẽt,necnon aliorũ refellant opinionem,exiſtimamus. Inualidis nanq; argumentis aduerſariorũ rationes confutaſſe mihi uiſus es,nec tuã, ut par erat,corroboraſſe:lathyrim enim ſecundũ prædictos autores minorem cataputiam eſſe,& à noſtris herbarijs Caſſuzo appellari cõſtat.Sed cũ duplex ſit cataputia,maior & minor,uiribúſq; utræq; eiſdem ferè inſigniantur characias & lathyris,& cum primis qualitatibus,& purgãdi ui conſentiant,ambæq; & pituitã & bilim detrahant,ut ex Dioſcoride patet,licet lathyris aquas educat,& characiæ radix aluum ſoluat,non lathyridis,utra harum fuerit quæ uulgaribus cataputia nominatur,non magni refert,cùm(ut dixi)æqualibus ambæ penè præſtent facultatibus : quare nobis in his amplius immorandũ non eſt,ſed ad cæteras Examinis partes accelerandum.

*Lib.de atra bile.*

*An ſementina ſit ſantonici ſemẽ.*

Aggrediemur igitur ad illud tuũ de ſementina argumentũ infirmandũ,quo uteris ad probãdũ hãc nõ eſſe ſantonici ſemen,quòd ſeriphij abſinthij ſemina maiora ſint quàm ſementinæ,& diuerſa:nõ enim ex eo colligitur,ſementinã non eſſe ſemẽ abſinthij ſantonici,quoniam non eadẽ res eſt abſinthiũ ſeriphiũ ſiue marinũ, cũ abſinthio ſantonico,quod in Gallia prouenit:quare nihil mirum,ſi eorũ ſemina diuerſa ſunt.Manardus lib.iij.epiſt.prima,ſantolinam,quæ & ſemẽtina appellatur,abſinthij ſantonici ſemẽ putauit,addítq; hoc ſantonicum à Dioſcor.abſinthiũ marinum dici,cũ tamẽ ſecundũ eundẽ duo ſint genera diuerſa,ſantonicũ,quod eſt tertiũ genus ita propriè nuncupatũ,& marinũ abſinthium,ſiue ſeriphiũ:quanquam & hoc à quibuſdã ſantonicum dici ſcribat.Vtrunq; autẽ ad eadem ualere ſcribit Dioſcor.tametſi Gale.ſeriphiũ ſtomacho inimicum eſſe tradat,& in reliquis ab eo differat,viij.& vj. de ſimp.med.circa principiũ.Ruellius,quam Galli borbontinã uocãt,quod tu etiã ſentis,nobis ſementinam dici monſtrat,& eſſe abſinthij ſeriphij ſemen,quemadmodum & Manardus.Quibus rationibus cõſtabit ſementinam ueteribus innotuiſſe,quoniam uidetur eſſe abſinthij ſeriphij ſemen,quod etiã à nonnullis ſantonicum appellatur.Ad hæc ſerapionis quoq; ſcripta citas: uerùm hæc uox(ſemẽtina)in noſtris quidem uulgatis codicibus non habetur:quare ſi in eo autore non eſt, Arabum ſentẽtiæ,id quod tu aſſeruiſti,probare nõ uidentur:ſed potius,ſi illæ diligẽtius cõſiderentur,kanabel,ſiue,ut Auicennas,cambil ſemen eſſe,non terrã,demonſtrant,uel ob id præcipuè,quia Serapio in herbarum ſeu ſeminum claſſe,nõ terrarum,illud cõnumerat.

Aëtio uerò nucem Indicam nos innotuiſſe ſcimus,ut eſt in quadam eius ſuffumigij muſcati compoſitione, lib.xvj.cap.cxxxiij.

*De Opobalſamo.*

Et mihi & reliquis medicinæ ſtudioſis collegis noſtris pergratũ faceres,ſi quãdo aliqua,eáq; animaduerſione digna,inter rei medicæ proceres exiſtit controuerſia,illam pro uirili parte tua tollere conareris,eóſq; concordes reddere ſtuderes,qualis præſens eſt de opobalſamo.Dioſco.enim illud maximè excalfacere tradidit:Gal.autẽ in vj.de ſimp.med.tanquam reprehẽſione dignos,qui tale quicquam de eo exiſtimãt,corrigit,utpote qui partium tenuitate ſint decepti.Habẽdæ porrò,ſi,quæ ſcribit,uera ſunt, Ioanni Ruellio gratiæ,qui poſtquam nos docuit,huic ſoli nõ eſſe credendũ notæ, quòd ſcilicet proprius balſami ſuccus in aquam proiectus fundũ petat,quoniam & alij liquores ita à pharmacopolis parãtur,ut & ipſi itidẽ in aquam deſcẽdãt: aliud deinde ſubiunxit,quo ſyncerũ opobalſamum ab adulterato dignoſcatur,quod eſt,ſi ferrũ uero balſami liquore perunctũ igni apponatur,ardere,fictitio uerò nequaquam.Quòd autẽ opobalſamũ uarijs adulteretur modis,ut etiã exercitatiſsimos lateat,ſcriptum eſt à Gale.in primo de antidotis libro.Scio quidẽ de prunis autorũ diuerſa ſententiũ diſcordiã te animaduertiſſe, aliáq; nonnulla,ut ſunt ea quæ in piperis examine annotaſti:uerũ cùm Dioſco.nigrũ albo acrius eſſe prodiderit,Gal.uerò contrà,Paulo & Aëtio illius opinionem cõfirmãtibus,tum in viij.de ſimp.med.tũ in ix.de cõp. med.ſecundũ locos,in philonij deſcriptione album piper nigro acrius exiſtere ſcripſerit,quia hoc ſuperaſſatum ſit,probationem experimẽto addens,quod in hac re primum eſſe ducit:idcirco earũ omnium dubitationum tuam in primis expectamus ſolutionem.

Quæ de garyophyllo in Galeno indicaſti,nos quidẽ unquam nec uidere,nec legere contigit,etſi Serapio illa citat,& ideo quónam è loco ſententiã illam ſumpſeris, nobis oſtendere nõ grauaberis,pro tua in omnes ſingulari beneuolentia:niſi Serapionem alios habuiſſe Galeni codices quàm nos dixeris.

*De prunis.*

Quod de prunis quoq; ſcripſiſti,paulò antè à nobis citatis dubitatiunculis nõ eſt diſsimile:uerũ ab opinione tua nobis,ut in nõnullis alijs,pro tuenda ueritate,recedere liceat,& ſenſum noſtrũ tibi aperire.Quod enim de Gale.arbitraris,nec æquũ eſſe,nec rationi conſentaneum uidetur,illũ ſcilicet nõ animaduertiſſe Dioſco.de exiccatis prunis locutũ fuiſſe,ſed putaſſe de recentibus & humectis ſenſiſſe,quòd ſcilicet illa aluũ non deijciãt. At Gal.mens eſt,Dioſcor.opinionẽ,ſiue de ſiccis,ſiue recentibus intelligẽda ſit,tãquam à uero alienã refellere, ac confutare,lib.vij.de ſimpl.med.Non igitur rectè,iudicio noſtro,Gale.hac in re non ſatis oculatũ & prouidum,& qui illud nõ probè animaduerterit,demiraris, quaſi Dioſcor.ſcripta ſæpius nõ uiderit,& ſingula diligenter accuratéq; pẽſitauerit,eorúmq; ſenſus etiã difficiles exactè non elicuerit atq; intellexerit:de illis enim prunis quæ ſicca ſunt,priuatim nobis præcepta tradẽda eſſe,& certiora exiſtimauit,de quibus antea Dioſc. ſcripſerat:quæ licet cæteris aluũ minus moueant,eã tamen mouere manifeſtis cõſtat & quotidianis experimentis,ut inquit Galen.quod idẽ cõprobare uidetur in ſecũdo de alim.fac.qui de prunis mentionẽ faciẽs,quaſdã paruas,duras,acerbas,& in cibo permoleſtas,mouendę aluo minimè idoneas excepit,ac ſi alia omnia id probè præſtare poſsint.Sed ne ſatis quidẽ nobis notũ eſt,quid per acrẽ in prunis guſtũ intellexeris:niſi fortè acidũ:aliter enim hoc,quod dicimus acre,nõ eſt prunorũ propriũ & peculiare,ſed aliorũ,quæ à prunorũ natura longè differũt,ut Gal.latè oſtẽdit in iiij.de ſimp.med. cap.xvij.& Plato in Timæo,Celſúsq; præſertim & Plin.

*Cydonitis cõpoſitio ueterib. haud ignota.*

Quòd ſcripſeris,eam ex cotoneis cõpoſitionem,quę cydonitis dicitur,ueteribus medicis incognitam fuiſſe, nobis non modicæ admirationis cauſa fuit,cũ Galenus in ſexto de tuend.ualetud.& in ij.de alimẽ.fac.& alibi hanc cõpoſitionem nos abundè edoceat,ex cotoneorum carne,alijſq; rebus pręparatam,quæ diacydonios uel cydonitis appellatur: niſi fortaſſe per illa uerba aliud intelligendũ eſſe exiſtimaſti:quod,quia nobis nõ cõſtitit,ideo hæc pauca quoq; hac de re annotauimus.

*Octauo de cõp.med.ſecun.loc.*

*De Sorbis.*

Galenum de ſorbis ſcribentẽ,quòd adſtringant,tam de maturis quàm immaturis intellexiſſe uerisimile eſt; alioqui

alioqui enim diſtinctius locutus fuiſſet, tanquā omniū, qui in re medica unquā ſcripſerint, diligētiſsimus. Quòd autem matura quoq; adſtringāt, ex guſtu apparet, quāquam immaturis minus, minus etiam meſpilis, Galeni teſtimonio: cui enim dubiū eſt, illum de ſorbis loquentem, de maturis intelligere uoluiſſe: prӕterea ſi corni fructus ab initio ſui ortus ad extremum uſq; acerbus perſeuerat, ut ipſe ait in iiij. de ſimpl. medi. cap. vij. nulla alia magna mutatione ſiue alteratione accedente, prӕter ipſius augmentum: ſorbus uerò maiorem adſtringendi uim obtineat, quàm meſpilus, idémq; cum meſpilo cornus poſsit: manifeſtum eſſe arbitror ſorba, cū maturuerint, adſtringendi munere omnino, ut ais, priuari dicendū non eſſe. Verùm cōcedimus, quӕ bellè maturuerint ſorba, immaturis minus adſtringere, ut pyra, rubi fructus, oliuӕ, & pleraq; alia, quӕ ſecundū eorū diuerſam ӕtatem, eorum etiā qualitates mutant. Si quis autē experientiam, & ſenſum conſulat, in explorandis ſaporum differentiis optimum ducem, ita, ut diximus, certiſsimum eſſe comperiet.

*Cubebas Galeni Carpeſium eſſe.*

Porrò aduerſus tuam & Leoniceni de cubebis opinionem, quòd illӕ nō ſint Galeni carpeſiū, ita ad tua argumēta reſpondēdū eſſe exiſtimamus, & potiſsimū ad illud ex Gal. ſumptum, cū ais: Galeni carpeſium feſtucas quaſdam eſſe, cubebas uerò fructus, ſiue baccas: quare carpeſium cubebӕ eſſe nō poterit. quo quidem fundamento, quod ualidiſsimū eſſe putaras, protinus tuam opinionem cōfirmaſſe tibi uiſus es, tametſi non admodū efficax nobis illud eſt: quoniā non eſt abſurdū, cubebas harū feſtucarū, hoc eſt, carpeſii eſſe fructus, ſiue baccas, quamuis in medendi uſu Galenus feſtucas magis approbauerit, in libro de antidotis: nam in eo, quē pro ſe Leonicenus adducit de theriaca ad Piſonē, quod ait, nos nō cōperimus: tametſi putādum eſt in ipſius codice extitiſſe, alioqui citaturum non fuiſſe, ut cui iure multum credi poſsit. Hermol. Gale. carpeſiū Arabum cubebas eſſe, Leonhartus quoq; Fuchſius in Paradoxis idē affirmat, & Ruellius Aëtiū & Actuariū uiros inter Grӕcos medicos doctos, tanquā certiora teſtimonia citās, ſibi utiq; patrocinantia. Ante iſtos uerò, quos proximè ſcripſi, recentiores Simon Genuenſis prodidit carpeſiū idem eſſe cum cubebis: qui tamen cùm de his agunt, de baccis, non feſtucis mētionem faciunt. Ianus Cornarius eadem ferè, quӕ tu etiam ſcripſiſti, hac de re ſentit: quare quӕ à nobis, ut tibi fiat ſatis, obſeruata ſunt, illi quoque accommodari poterunt.

*De Colocynthide.*

In colocynthidis mētione libet dicere, quod de te interdū ſuſpicati ſumus, morbo quodā animi (quod tamē bona tua uenia dictū ſit) in Manardū, ſeu potius ſtudiorū ӕmulatione te accēſum fuiſſe, quod uidere licet etiā in iis quӕ de colocynthide ſcribūtur: nō enim in ea Meſuen reprehēdit, ſed magis illius mētem Pauli autoritate cōfirmat. Verùm ſi quӕ de ea Dioſcorides tradit accuratè conſiderentur, nonnulla illi à Meſue adſcribi inueniemus, de quibus quidem nullam fecerit mentionem: uirētiſq; ſucco colocynthidis iſchiadicos utiliter perfricari, & à Gal. & Dioſc. ſcriptum eſſe, quod ille niſi ad exactam maturitatem peruenerit, fieri poſſe negat.

*De Piſtacijs.*

Sed quӕ de piſtaciis cōmemoraſti animaduertentes, ac ea qua te plurimum prӕſtare putamus, ſingulari doctrina, & ingenij bonitate cōfiſi, te obſecramus, ut nobis dicas, cur illa Alexander Trallianus libro iij. cap. de dyſenteria ex gelida hepatis intēperie facta, (niſi fortè locus ille typographi negligētia, aut interpretis inſcitia corruptus eſt: nō enim fidū aliquem nacti ſumus, neq; etiā apud nos codex ullus grӕcus eſt, ex quo, ſi quis in latino eſt error, deprehēdi poſsit) ita dānet, ut citiſsimè putredini obnoxia, & in bilioſos humores trāſmutabilia, & ſummè in morbo uitāda: cùm ad iecur refocillandum, & ad obſtructiones tollendas Galenus ea approbet in ij. de alim. fac. libro, & in viij. de ſimpl. medic. quӕ quidem plurimi facienda ſunt in medendi exercitatione: cúrq; uolueris (cùm tamen id non ſatis cōſtet) piſtacia excitandӕ ac ſubleuandӕ Veneri utilia eſſe, cū modici illa alimenti ſint, ut ait Gal. in ij. de alim. facult. neque flatum generare cōſtet, neq; humida eſſe, cuiuſmodi ſolent eſſe ea quӕ Venerem prouocant & incendunt. Generant ſiquidem cibi ſemen qui bene nutriunt, & totis ſubſtantiis familiares ſunt: medicamēta uerò quӕcunq; calida ſunt, & flatus non immunia, abſq; deſiccatione: ſimiliter dicendum de iis quӕ medicamenta ſimul & cibi ſunt. Supprimunt uerò contraria: etenim cùm ſeminis ſubſtantia ex bona ſuperfluitate generetur, ſitq; etiā flatus particeps, bene nutriant & inflēt neceſſe eſt, quӕcunq; ſemē aut procreare, aut prouocare poſſunt, ut eſt in quinto de ſimpl. medic. lib. cap. xxij. & in ſecundo de alim. facul. ubi licet στρόβιλος, hoc eſt, conus, uel coccalus, uel pinea nux inter ea connumeretur, quӕ huius generationi apta ſunt edulia, ſitq; boni, & craſsi, & nutrientis ſucci, nō tamē piſtacia hanc uim ſortita eſſe dicēdum eſt: niſi quiſpiā horū ſubſtantiā & naturā, à pinearū minimè uel parum differre uelit. Et licet Gal. eiuſdem vij. dixerit ſtrobilum cum humiditate quampiam habere acrimoniam, illud de iis dixit, qui toti uirides ſunt, & recentes, non ſicci, & antiqui, quemadmodum ſunt quibus communiter utimur.

*De Valeriana.*

Valerianӕ, quā Ferrariӕ habetis, notas phu Dioſcoridis cōuenire nō negamus: ſed mirum eſt Leonicenū ueſtrum & ipſum ciuē, & medicū diligētiſsimū, data opera de hac differentem, hӕc non animaduertiſſe, ſed ualerianam à nonnullis phu exiſtimari tantùm ſcripſiſſe, quod tamen tu citra omnem dubitationem affirmare non dubitaſti, magnitudine ſola excepta, qua à Dioſcoridis phu (ut ais) differre uidetur, illi quamuis in cӕteris notis ſimilis ſit, ac conueniat.

Et ſanè, ut ſuprà etiam ſcripſi, acrem ſaporem ex Galeni iiij. de ſimpl. medic. cap. xvij. alium & diuerſum eſſe ab eo, quem tu oxymirſine, ſiue ruſco attribuiſti, apparet: quare etiam hoc tibi, ut parui tamen momenti, ſignificatum uolui.

*De Ariſtolochia.*

Quòd ariſtolochia prӕgnantibus ſuccurrat, ut inquis, nulla quidē apud Dioſc. mentio facta eſt in ariſtolochiӕ capite: ſed eā puerperis prodeſſe, & uuluarum quӕ à puerperio ſuperſunt, oneribus, tum potam, tum ſubditam, non eſt negādum: etſi Plinius libro xxv. cap. viij. dicat, grauidas ariſtolochiӕ nomē dediſſe, quòd eſſet ipſis optima. Dioſcoridis uerba ſunt hӕc: ἀριστολοχία ὠνόμασται μὲν ἀπὸ τοῦ ἄριστα βοηθεῖν δοκεῖν ταῖς λοχοῖς. hoc eſt, ſi ad uerbū trāſferas, ariſtolochia appellata eſt quidē, quòd optimè auxiliari uideatur puerperis. Fortaſſe autē ut in hunc modū ſcriberes, cauſa fuit, quòd dum, an cyclaminos ariſtolochiӕ ſpecies eſſet contra Leonicenū diſceptares, id quod cyclamini peculiare eſt, ariſtolochiӕ attribuiſti: de cyclamino enim ſic ſcribit Dioſcor. ἔστι δὲ καὶ ὀξυτόκιον περιαπτομένη. id eſt, eſt uerò etiā medicamentum ad accelerādos partus, ſi parturiēti alligetur. Marcellus uertit, adalligata prӕgnātibus partus adiuuat. Cùm uerò Dioſcor. dixit, cyclaminon caulē ferre altitudine digitorum quatuor, hoc fortè de florum caule intelligi uoluit, nō foliorū: ſicuti etiā in narciſſo fecit: in cyclamino enim caulis foliis nudus aſſurgit. quare nō abſq; ratione Manardus aduerſus Meſuen inuehitur. Itē etſi Manardus dicit Gal. Auicennámq; nullam calidi aut ſicci temperamenti ſedem cyclamino adſcripſiſſe, nō tamē propterea dicendum eſt Meſuen improbare.

*De Dictamno.*

Vt autē credā ego quoq; quòd uera dictāno nos careamus, hoc facit, quòd nuſquā, niſi in Creta, prouenire Plin. dicat, etſi Ruellius in Gallia naſci, & zinziber hortenſe appellari ſcribit: niſi his tēporib. ut de aliis multis conſtat, quӕ in aliā patriā tralatӕ, ibi poſtea propagatӕ ſunt, & natales ſuos illud ſolū fecere, ita & de hac nunc uerū ſit dicere. Cū autē ſcribis folia ſimilia elleboro habere, pulegio fortaſſe cum Dioſco. & Gal. legēdum fuit.

*De Rhabarbaro.*

Conſentimus etiā nos & Meſuӕ & tibi cōtra Manardum de rhabarbari modo uſq; ad decimam drachmā, ſi probè illius uires conſiderētur, cùm apud multos hodie uideamus copioſas ſoluētiū pharmacorū mēſuras, & pōdere ſӕpenumero prӕdictū modum excidētia dari, & quidē felici illorum ſucceſſu, ſi rectè illa propinata fuerint: plurimi enim medicorū mihi negligere uidētur cùm pharmaca exhibent, & dies iudiciales, & morborū & exacerbationū tēpora: quibus neglectis atq; non obſeruatis, ſi Gal. credēdum eſt, perſpicuum fit, quantū ex his periculi miſeris impēdat ӕgrotis, etſi quandoq; iſti per ignorantiam id perficiunt quod expedit, & lucrentur, ut ait Gal. in xj. τῆς θεραπευτικῆς μεθόδου. Quarum tamē rerum cognitio non illorum eſt, qui quotidie & ſingulis fermè horis ad lucrū euolāt, de quibus latius Gal. in libello, Quòd optimus medicus idem ſit & philoſophus. Quocirca non adeò abſurdum, & à ratione alienum fuerit, ſi Meſues rhabarbari infuſi ſiue diluti potionē à drachma una & dimidia uſq; ad decimā quādoq;, prout perito medico expediēs uidebit, ſumi ſcripſerit.

*Rhabarbari effectus.*

Cùm autē dicis rhabarbarum comprimendo aluum

deiicere,ſi hanc ei uim tantũmodo,& primùm adſcribi debere intelligis, abſurdũ quidem illud nobis uidetur: nam ſi eius iuſta portio detur,humores multos procul dubio ſoluet,quos à uenis & corporis meatibus attrahere uerisimilius eſt,cæterorũ ſoluentium medicamentorum more. Atq; ideo,licet Meſues(exempli gratia)dixerit,quòd medicamenta aluum manentia cõprimendo,grauiora magis uſui medico ſint accõmoda,ut myrobalani,& raued,interpres ibi manifeſtè ait, ea attrahendo ſoluere,quaſi attractio primum ſit rhabarbari opus,expreſsio uerò eius ſecundum.

*De Dracunculo.*

Vellem etiam de dracunculo, de quo recentiores tandiu concertarunt,ſententiam tuã tuliſſes, quæ omnem fortaſſe dubitandi & diſceptãdi occaſionem inter nos diremiſſet.Marcellus enim & Manard.ſecundũ Dioſcoridis caput de dracũculo ſuperuacaneũ eſſe,neq; in antiquis codicibus inueniri aſſerunt: quibus & Serapio aſſentire uidetur,qui unũ tantũ Dioſc.caput de dracunculo citat,nõ duo: ſicq; plures qui hac de re inter ſe digladiabantur autores, facilè concordes fiunt, in primo Dioſc.cap.de maiore dracunculo mentionẽ factam eſſe dicẽtes,in capite uerò quod de aro inſcribitur, de ſecũda dracunculi ſpecie:quibus Ruellius quoq; patrocinatur.Quòd uerò Paulũ & Aẽtiũ citas, dracunculũ dicentes aut aron aluum ſoluere aut emollire, id ipſis profectò adſcribi non debuit,minus uerò Galeno & Dioſco. nõ enim has illi attribuunt facultates, ſed eorũ radices expurgandi uim, & humores incidendi obtinere ſcribunt,quod eſt,obſtructiones aperire, & ab eis uenarũ riuulos obſeſſos,liberos reddere:neq; Plinium alioqui doctiſsimum his aliis in medicina celeberrimis uiris nunc præferendum eſſe exiſtimo.

*De Macere.*

Macer non eſt radicis cortex, quemadmodũ hactenus uidere potui,ſed cortex tantũ ſimpliciter,non radicis,aut alterius rei,ut Hermolaus uoluiſſe uidetur: uerba enim illa Galeni,quæ citat, non Galeni, ſed Plinij eſſe omnibus manifeſtum eſt.quinimo Gale. ipſe in libello de ſubfiguratione empirica, macerem corticem arboris eſſe ab Arabia delatum, aluũmque conſtipare affirmat:necnon in vij.de ſimpl.med.

*De Polypodio.*

Poſtquam autem Polypodij ſubſtantiam & qualitates guſtauimus,non probè te Meſuen ab erroris iniuria uindicaſſe iudicauimus:non enim polypodiũ, ſiue filicula,ſi illam guſtes,ita uehemẽter calida(ut inquis)eſſe apparet:quare à Meſue opinione potius diſcedere cogor,Auerroiq; accedere. Neq; uerò modus aut ſtatera cuicunq; medico maximè neceſſaria, quibus quatuor qualitatũ ſedes expẽdat ac metiatur,ſibi deeſt,ipſiũmq; (ſi fas eſt dicere) perfectiſsimũ temperamentũ cognoſcat:quorum omniũ pernoſcẽdi notæ & indicia abundè à Galeno tradita ſunt in v.de ſimp.med.cap.ultimo, & primo de compoſ.med.ſecundum genus,cap.ij.

*De Peucedano.*

Præterea non ualde nobis ſatisfacit tua illa ratio,qua Hermolaum arguis ſuſpicantem peucedanũ, quo nos hac ætate utimur,non eſſe uerum Dioſc. peucedanum, propter ſucci defectum,& odoris grauitatem etſi in reliquis cõueniant differentijs:quoniam ſi(ut ais)illa ipſi ob ſenium fortaſſe cõtingũt,nobis licet ſynceras eáſq; recentes inuenire radices,experiríq; an illud uerum ſit, ut putas,necne. Quare alia quæ ad Hermolai dubitationem tollendam faciat,tibi excogitãda eſt ratio.Difficile etiam nobis illud ad credẽdum uidetur,aliquod ſimplex odoris grauitate præditum,ætate ad odorandum iucundum reddi,quale noſtrum eſt peucedanũ,quod nunc in officinis ſeruatur.

Non ab re quoq; uiſum eſt(poſtquam in harum rerum inueſtigationem incidimus)per hũc tibi libellum ſententiam noſtrã ſignificare,nõ minimum noſtri temporis pharmacopolarũ errorem,te demonſtrãte,aliud longè ab acoro diſcrepãs,quòd craſſos ſuccos gignat, pro extenuante & incidente,uendẽtium:quod & Manardus lib.vj.epiſt.iij.oſtendit,acorũ ſcilicet uulgarem, uerum non eſſe acorum à priſcis medicis deſcriptum.

*Acorũ Dioſcor.nõ eſſe Galangam.*

Quòd autẽ acorus Dioſcoridis nõ ſit galãga,ut aſſeris, hæc oſtendere uidentur argumenta.Dioſcorides enim acori radicẽ ſubalbidam eſſe tradit:etſi Plinius,quemadmodum etiã obſeruat Hermolaus,nigrã eſſe maluerit.Sed certè Plinij autoritatẽ Dioſcor.hac in re poſthabendam cenſemus,ut qui ex profeſſo de ſimpliciũ medicamentorum facultatibus & formis pertractare ſibi propoſuerit,nõ ex aliorũ opinionibus,ut in omnibus ferè Plinius conſueuit:quod unum maximè diſplicet in eo ſcriptore,cùm eũ lego:mallem enim pauciora ab illo recenſeri medicamenta,& quæ ipſe probè expertus fuiſſet,quàm ita multa in ſua commentaria congeri,ut etiã fecit Aẽtius:mallem inquam ſaltẽ aliqua,Gale.more,cõmendatione digna ab eo expendi,aliqua uerò ut medicinæ inutilia,adhibita ratione damnari:quod tamen ne Galenus quidẽ in omnibus,ut uellem,obſeruauit:quãuis longè diuerſa ſit Plinij & Galeni ratio,præſertim cùm ex quibuſdã cõmunioribus methodis traditis,unuſquiſq; facilè cognoſcere poſsit bonas à malis cõpoſitiones,quemadmodũ libros Galeni de cõp. medic.ſecundũ genus conſiderãti ſatis manifeſtum eſſe puto.Sed ſi in ὑπερβάτοις quandoq; nimis creber,ac tibi moleſtus ſum,ne id uitio uertas obſecro: omnẽ enim animi mei cogitationem,quoties illa mihi ſeſe offert, ut tibi expromam cogor.Nũc uerò ad galangæ radicẽ examinandã redeo:celeriter enim ad rem propoſitam reflectere,uiri eſt utiq; temperati.Ea igitur nõ ſubalbida eſt,ſed rufa,ad fuſcum colorẽ declinans.Acorus prę terea(quod tu intactum omiſeras,& tamen ualde ad hanc difficultatẽ augendã pertinet)amarus eſſe fertur, qui ſapor ne in galanga quidẽ uulgari eſſe apparet.Ad hæc ſe obſeruaſſe ait Ruellius,radices quaſdam quæ galangæ nomine circunferuntur,eſſe iunci radices aceto piperato adulteratas,ut ueræ galangæ acrimoniã impoſtores quidã mentiãtur:ſed impoſturam detegi cortice deraſo,qui hunc ſaporem ebiberat:nanq; interius nihil tale reſipere inuenitur. Deſcribit item Ruellius galangam officinarũ ab acoro diuerſam:quibus de cauſis eã nõ eſſe acorũ credidit,etſi galanga ad nõnullos morbos utilior ſit,quàm uulgaris acorus,de qua etiã idem memoraſſe uidetur,cũ ait,Indicam cyperum fortè eſſe radicẽ,quæ cum zinzibere inuenitur in officinis,dicta terra merita,qua auri colorem mentiuntur.

*De Calamo aromatico.*

Calamum aromaticum,qui in officinis pro calamo & habetur & uẽditur,non eſſe calamum odoratũ Dioſcor.rationibus quæ infrà à nobis dicentur,ſuſpicatur Manardus lib.vj.epiſt.iij.Leonhartus Fuchſius in Paradoxis,& Hermolaus,qui hunc acori uicarium fecit.Statuẽdum ergo eſt calami deſcriptionẽ,uel calami ipſius eſſe,uel radicis,uel utriuſq; apud Dioſc.Quòd autẽ huius tertij nõ ſit,ex eo colligi poteſt: quia iuxta ſcribendi autoris morem,non exprimit quæ caulis,nec quę radicis ſunt propria.Reſtat igitur alterius eſſe deſcriptionem:ſed radicis nõ eſt,primum quoniam illius Dioſcorides mentionem nõ facit:deinde,quia hæc radix quam pro calamo uẽditant,non uidetur rufa, quẽadmodum ſcitè etiam Manardus annotauit: acríſq; & amara eſt, uelut acorus.Poſtremò hæc radix nõ in aſſulas diſsilit, quod eſt,per lõgitudinem aſſulas paruas,dum frãgitur, non relinquit,quales à marmore elidũtur,ut Marcellus expoſuit:imò,ut Plinius ſcribit,ad modum raphani fracta remanet,quemadmodum palã uidere licet:de quibus fracturarum differẽtiis,& earum appellationibus, Gal.in vj.curãdi methodi latius meminit.His illud quoque addere non ab re eſt,nõ conſtare quomodo fiſtulæ aranearũ plenæ exiſtant in hac radice,quemadmodum in ea quæ eſt calami Dioſcoridis:quas araneas ſecundũ Plinium florem cognominant.Quòd uerò iſta huic cõuenire nequeãt radici uulgari, ſatis credo manifeſtum eſſe.Quòd ſi non eſt radicis deſcriptio,ſed calami,equidem non uideo quomodo deſcriptio calami apud Dioſcoridem,huic uulgari conuenire poſsit,tãquam ab eo longè aliena.Quare plurimum dubitamus,ne hic officinarum calamus,uerus ſit Dioſcoridis calamus,ſed magis(quantum ex iis quæ à planta ſua remota ſunt,& ut uenundatur,coniicere licet,necnõ ex guſtus qualitate, quæ acoro à Galeno attribuitur)ad acori radicem accedat,quemadmodum etiam Manardus,& alij nobiſcũ ſuſpicati ſunt.Quid uerò recentiores medicorum acorum tantopere extollant ad ægritudines neruorũ,equidem neſcio,cùm nihil à Galeno,Paulo,Aẽtio,quod hactenus uiderim,traditum ſit de huiuſmodi iuuamento: licet conſiderato illius temperamento,neruis prodeſſe putandum ſit.

*De dryopteri.*

Cùm ualde inter ſe dryopteris,& polypodium conueniant,locíſq; eiſdẽ proueniant,ſepticáq; eſſe dicatur à Galeno dryopteris,æquum erat hac de re pharmacopolam illum tuum facetiſsimum quidem ſenem admonere,ne in his legendis (graui ægrotorum diſcrimine) mira utriuſq; herbæ inter ſe ſimilitudine,in errorem facilè induceretur.

Quòd

*Turpet candidũ, pityusæ radicẽ esse.*

Quòd autẽ alterum turpet genus officinis notum, quod est pityusę radix, alypi radix non sit, ut Ruellius affirmare uidetur, nos tuæ potius quã cõtraria sentientium, fauemus opinioni: pro qua firmãda, Ruellij uerò & aliorum sentẽtiis confutandis, in primis dico pityusæ radicem, qua cõmuniter in re medica utimur, cãdidã esse, alypi uerò secũdum Diosc. subrubrã: alypi præterea tenuis, pityusæ, hoc est turpet, crassa, officinis nota, de qua Ruellius hic agit: atq; radice alypõ betę simile est, turpet cãdidum officinis cognitũ, dissimile: neq; ullus est eius radicis in medicina usus, sed seminis: pityusæ uerò radix in medẽdo utilis. Quibus de causis turpet cãdidum, pharmacopolis cognitum, non uidetur esse alypi radix secundum Ruellium, sed potius pityusæ.

Idem Ruellius (id enim quoq; dicemus, posteaquã de illo incidit sermo) nõ mihi satisfacit, duplicem arnabonis speciem tradẽs, oriẽtalem & Romanam: dum primam Pauli arnabonem esse putat, alterã uerò, quæ à seplasiariis, institoribus, & herbariis Romana appellatur, magnáq; ex parte usui habetur, Pauli mamiram esse suspicatur, descriptione illius cõsiderata, cùm Paulus nõ planè illã pinxerit, aut alius, quẽ ipse Ruell. citet, autor.

*De Hermodactylis.*

Pręterea cũ idem Ruellius dixisset, Actuarium in quadam sua compositione cognominare hermodactylos albos, & purpureos, quos behẽ albũ officinę nominãt: colchicónq; & ephemerõ hermodactyli genera esse apud recẽtiores (quod tamẽ Hermol. ante eũ annotauerat, hermodactylósq; aliud esse secundũ Paulum, quàm colchicon & ephemerõ, quemadmodũ ipse etiã & Manardus asseruistis. Deinde ait, à quibusdam ephemeron appellari lilium cõualliũ, seu liliũ grãdius: ob idq; se etiã idem esse putare, quia ephemeri Dioscoridis descriptio huic conueniat lilio: quod tamen si de nostro lilio conuallium dictũ sit, minimè uerum esse constat, quoniam hæc illi accõmodari nõ possit descriptio. Præterea Dioscorides ephemerõ lilio comparat, ergo idẽ esse non poterunt. Manardus in suis in Mesuẽ annotationib. de hermodactylis scribens, ea quæ tecum sentiãt, animaduertit: neq; illorum tutũ satis usum esse, propter eam quam habent cum colchico similitudinem. Sed profectò magna est quorundã hodie medicorum inscitia, qui uenenis pro remediis abutũtur, inq; his dãdis plus æquo audaces sunt, ac temerarij, quorũ medicina maioris mali periculum adfert, quàm cõmodi. An uerò hermodactyli, ex quibus Paulus & Aëtius catapotia ad podagram pręparãt, radices pẽtaphylli sint, siue ephemeri, nõ constare scribit Hermol. Sed cùm Paulus de hermodactylis seorsum ab his duobus tractet, superuacanea uidetur huiusmodi Hermolai dubitatio.

*De Veratro.*

Sed obsecro te, si omne ueratrũ cãdidum malum est, & strãgulat, estq; sumentib. perniciosum, cur insanis illis tuis dedisti ne correctũ quidem, ut scribis? non enim nobis qui sub CHRISTO militamus, licere existimamus, aut cõuenire, huiusmodi ulli propinare medicamẽta, quę delibutoriã uim habeãt, ac letalẽ, quibúsq; sumptis hominẽ periclitari putãdum sit: nisi iis fortasse qui ob graue aliquod facinus morti cõdemnati sunt. Equidem rationabilius reor & tutius esse, ut paulò antè dixi, & infrà etiam ostẽdam, ab huiusmodi nos abstinere medicamẽtis, quæcunq; ueneni naturæ cõmunicantia sunt, etiã si quãdoq; ab eorum sumptione ęgrotis res feliciter successerit, præsertim cũ aliter nobis ægrũ curare liceat: quamuis nõ ita nobis constet, ut ais, elleborũ album uenenũ dici debere, & ab eo abstinendũ esse, propterea quòd Diosc. lib. vj. inter uenena illũ cõnumeret, ac Pli. quoniã in eo libro Diosc. & de cantharidib. mentionem facit, quæ tamen ad ciẽdum lotium exhibẽtur: neq; etiam mihi ita manifestum sit, quòd nostri temporis homines magis imbecilli sint, quàm Hippocratis tempore.

*Lib. de Theriaca ad Pison. & alibi.*

De agarico Dioscoridis uerba considerantes, ut paulùm dubitaremus contigit, quòd agaricum quidem inter purgantia pharmaca, friabile, ut infirmius damnet: quanquam non simpliciter de omni agarico, sed de eo quod in Galatia Asiæ, & in Cilicia nascitur in cedris, hoc Dioscorides tradat, Paulus uerò in vij. lib. illum cõtrà commendet. Qua de re disserere unà cum cæteris dubitatiunculis tuum fuerit iudicium: quídq; Mesues in agarici maris descriptione, per uillos, siue fila, & longitudinem intelligi uoluerit, quãdo agarico fœminæ Dioscorides notas illas attribuerit.

*Auicennas in capite de Spodio malè defensus.*

Adhæc Auicennam tueri in cap. de spodio, perdifficile nobis quidem uidetur, ne dicã (ut eo uerbo utar) impossibile: quoniam spodium ipse, non antispodiũ describit. Quòd si dixeris, pro spodio ibi legẽdum esse antispodium, nihil egeris, quia Auicẽnas alphabetico ordine de simplicibus medicamẽtis tradidit: quocirca in litera S, ubi de spodio loquitur, nõ posse literã A, nec cõmodè nec rectè collocari, tãquã à sua sede longè remotam. Et ideo tua ista defensio ex uolũtate potius, quàm ex probabili argumẽto, pro tuẽdo Auicenna adduci uidetur. Nam si ita eum tueri uelimus, ipsum quidem ex omni ferè parte à priscis autoribus nõ dissentientẽ reddere haud difficile fuerit, & ab erroribus quãplurimis uindicare. Adde etiam quòd in descriptione antispodij Dioscori. non dixit, illud ex radicibus cannarũ cõbustis fieri, sed ex multis adstringẽtibus rebus, quæ tamen in capite illo non connumerauit Auicennas: quare à Dioscoridis doctrina potius dicendum est eum recedere. Si uerò sic iterũ instabis: Quemadmodũ Dioscorides antispodium suũ ex illis rebus exustis, ita Auicennã præparare: hæc quoque responsio inualida fuerit, quoniã hoc modo ex qualibet re usta, arbitrio nostro antispodium fieri posset: quod tamen absurdũ est, nec rationi cõsentaneum: imò decernere nobis necesse est, quæ ad faciendum illud utilia habeãtur, quibúsque ex rebus fieri debeat. Præterea si Auicennæ mẽs fuit, in hoc de spodio capite, de antispodio cõmemorare, quod tu ad defendendum eũ legentibus persuadere enixè studes, non uideo quónã modo eius tutus poterit esse usus adeò in medicina frequẽs ad cor instaurandũ, iuxta Auicẽnæ dogmata, cũ illi ad uires cordis refocillandas nullę ab optimis autorib. attributæ fuerint facultates: imò, si rectè considerentur, illi potius aduersæ inueniantur Auicennæ pariter ac ueterum antispodio. Quare Manardus iure optimo lib. xij. epist. v. Auicennam reprehendit.

*Carlinã non esse chamæleontem.*

Idem uerò de carlina tecum sentimus, cõtra Manardi opinionẽ in lib. iij. episto. iij. tuásq; & Leoniceni partes sequimur. Nã licet Leonicenus, quid carlina apud Diosco. sit, nõ expresserit, eam tamẽ è carduorũ genere esse ostẽdit, chamæleonti quidẽ simillimã. Ex quibus liquidò cõstat carlinam secundum Leonicenum nõ esse chamæleontem: etsi enim ualde illi adsimiletur, non tamen ob id sequitur, ut idẽ illa sint, sed quoquo modo diuersa: differũt enim idẽ, & simile, ut ait Galenus in tertio de simpl. med. cap. xxiiij. Si enim carlina idẽ esset cum chamæleonte nigro, ut Manardus affirmat, nõ esset profectò tam tutus carlinæ, quẽadmodum nũc uidere est, in Medicina usus, Galeno, Paulóq; & aliis chamæleontis nigri radicem inter uenena connumerantibus.

*De Myrobalani folijs.*

Studiosi & amantes ueritatis certè cùm simus, non omnino quæ de myrobalani foliis scripsisti, recipimus, quibus pro tuis uiribus autores inter se hac de re discordes conciliare studes. Non enim uerisimile est, simplex aliquod certa mihi similitudine & forma offerri, illi uerò alia & longè dissimili, ut euenit in myrobalani foliis, diuersis speciebus & figuris à Theophrasto, Dioscoride & Plinio descriptis. Multum enim differunt inter se horum simplicium formæ, quibus autores isti myrobalani folia comparant, non parum, ut scribis. Sed hæc & nonnulla alia ut leuiuscula à nobis annotata esse scias, exercitãdi ingenij nostri potius gratia, quã castigationis ullius. Scio enim multa esse in obseruationibus his, quæ conueniẽtius coram agi, uel sileri, quàm ad te scribi deberent.

*De Bryo.*

Manardi opinionẽ de bryo siue corallina magis laudauerim, quàm huic contrariam: Dioscoridis uidelicet bryon & Plinij eandem rem esse potius, quàm diuersam, tũ propter eas quas Manardus adducit rationes, tum etiam, quia, si hæc inter se distincta essent, mirum esset Plinium de hac Dioscoridis herba nusquam (quod sciam) pertractasse.

*Hermolao potrocinatur in secundo Mandragoræ genere.*

Et quia inhumanũ, & simultatis indicium esse existimamus, alicui præsertim probo & docto uiro certã erroris notã immeritò inurere, nollémq; aliquẽ in tã graue incidere facinus: idcirco non rectè Hermolaum notari ostẽdemus de secundo mãdragoræ genere, qui uelit (ut ais) illud esse, quod nũc melinzanã cognominamus, cũ magis cõtrarium apertè fateatur, atq; hãc ueteribus incognitam dicat: mandragoræ autem utriusque speciẽ ipsis notissimam fuisse constet. Quod ignorasse Hermolaũ suspicari, nedum de eo affirmare, cuiusdã potius maleuolẽtiæ uideri potest, quàm ęmulationis, aut hominis ueritatẽ inquirentis: quod nequaquã tibi ad-

scriben

ſcribendum eſſe exiſtimamus.

*De lepidio.* Manardus lib.ix.epiſt.tertia,lepidiũ, quod iberis dicitur,raphanũ eſſe oſtendit: affirmátq;, ſi de iberide intelligatur,de qua Dioſcorides lib.1.& Plin.xxv.cap.viij. hanc ſibi manifeſtam non eſſe:ſed ſi de alia, tunc iberidem raphani appellatione ſe optimè cognoſcere. Tu uerò contrà eos reprehendis, qui lepidium raphanum eſſe arbitrantur, tanquam non obſeruantes noſtri raphani folia ampla exiſtere, & foliis lauri ſimilia, iuxta Plinij ſentẽtiã:lepidium uerò herbam exiguam eſſe.Plurimum autem nos illi debere fatebimur, per quem nobis innoteſcet,an naſturtij folia,quibus Dioſc.in cap.de iberide, lepidium deſcribere uidetur (recentiores enim omnes,quos equidem legerim,illegitimum caput illud eſſe conſentiunt,uel alio loco reſtituendum)quæq; Galenus Damocratis teſtimonio in x. de compoſ. medic. ſecundum locos,cap.ij.naſturtij foliis ſimilia eſſe dixit, raphani foliis conueniant, ut res hæc ita nobis clarior fiat:cúrque Gal.ſuprà citato libro, & Aëtius xiiij.cap.ij. foliis naſturtij, lepidij iberis dicti folia comparauerint, floríſq; lactei eſſe ſcripſerint: Paulus uerò Aëgineta lib. iij.cap.lxxvij.de coxẽdicis curatione,foliis lauri dixerit lepidij folia cõſimilia eſſe:qui tamen duplex lepidij genus oſtẽdere uidetur:lepidiũ autẽ odore,guſtu,& uiribus naſturtio ſimile eſſe ſcribit Gal.in vij.de ſimp.med.

*De Euphorbio.* Conſideratis notis,quę à Galeno in tertio lib.de cõp. medic. ſecundum genus, in duobus locis, & in ix. de comp.medic.ſecundum partes, uero attribuuntur euphorbio, nulli dubium eſt noſtrum adulteratum eſſe, & ſubdititium.

*De Styrace.* Qui præterea in pleriſque habetur officinis, ſtyrax uerus non eſt,quoniam non mellis lentore conſtat, ſed friabilis eſt:neque grumos,ut ſyncerus, albicantes habet,neque pinguis eſt.

*De Sagapeno.* Meſues dicit ſagapenum odorem porri habere, non allij.Verùm cùm chalbane in ſagapenum degeneret, ut ait Galenus in lib.de antidotis primo, chalbanéq; grauis ſit odoris, huiuſmodi ſagapenum quod ex chalbane fit,odoris ſpeciem hircinam non exuit.

Quomodo autem Auicẽnas bellè defendi poſsit, nobis profectò non conſtat,cùm in capite de uiſco,eas illi facultates attribuerit,quas Dioſcorides ixiæ, quam uenenum eſſe manifeſtum eſt: cuius ſententiæ etiam eſt Leonicenus & Ruellius.

*De Manna thuris.* Atq; nõnihil mirati ſumus,quòd dixeris te nõ curare, mannámne thuris in medendi uſu habeas, an thus ipſum:quoniam Dioſco.eaſdẽ ei quas thuri, atq; etiam inefficaciores tribuat uires. Verũ cùm Gal. omnibus, mea quidem ſententia,qui unquam de medicamentorum facultatibus tradiderunt, præferendus, ſummóq; in precio habendus,propter illius exactã in inueſtigandis eorũ uiribus diligentiam,& ingenij uim,oſtenderit mannã ad nõnullos morbos accõmodatam magis, & utiliorem eſſe thure ipſo,in v.de cõp. med. ſecundũ genus,& iiij.de comp.med.ſecundũ locos,cap.iiij.& xiiij. curandi methodi,cùm mãna corticis arboris thus ferẽtis non parum ſecum admixtum habeat,qui thure ipſo euidentius adſtringit,& ſtrenuè deſiccat,ut eſt in vij. de ſimp.med.nõ uideo cur mannæ uſum nos ita negligere debeamus in medendi opere,ſi Galeno,& rationi ipſi credere fas eſt,etiam ſi Dioſcoridis diuerſam ab eo protulerit ſententiã,præcipuè in medicamentorũ ſimplicium facultate.Neq; tamen me clàm eſt,Galeno autore,circa libri quinti curandi methodi finem atq; initium,alterum pro altero aliquando uſurpari poſſe.

*Hoc idẽ dicit in 4.cõp. medi ſec.loc. & 5.de cõp. medic. ſecundum gen.in deſcriptione emplaſtri nigri ex duplici ariſtolochia.*

*De Manna cœleſti.* Quòd autẽ Gale.de manna cœleſti in tertio de alim. facul.cap.de melle,tãquam de re ſibi incognita tradat, id nequaquã nobis unquam perſuaderi potuit,quod tamen tu aſſerere nõ dubitaſti.quomodo enim Gal.tãquam de re ſibi probè nota,cuius notitiã non haberet, mentionẽ feciſſet?aut tã exactè illã deſcribere potuiſſet?quam quidẽ etiã ſe uidiſſe ſcribit:niſi fortè tu,ut nõnulli etiã alij,Galeno mãnã incognitã fuiſſe exiſtimaſti, quantũ ad ipſius uires attinet,ut quodãmodo innuere uideris.Sed cũ Gale.loco parum antè à nobis citato ſcribat,uarias mannã uires ſumere ex uarijs rebus ſupra quas cadit,manifeſtè conſtat mannæ facultates illi innotuiſſe : quẽadmodũ etiã Manardus in annotationibus,quas edidit in Meſuæ ſimplicia medicamẽta,cõtra Auerroëm annotaſſe uidetur.Quãuis hęc Gal.uerba non de mãna,ſed de melle potius,mihi dicta eſſe uideãtur,ſi accuratè,quæ ſequuntur,cõſiderẽtur.Atq; etiã ſatis debilis ratio illa nobis uidetur,quando mannã ideo ſaccharũ nõ eſſe affirmas,quòd mãna liquida ſit:ſuprà enim granuloſam illã eſſe ſcripſiſti.Et licet Dioſcor.de cinnabari tanquam ſibi incognita,aut quónã loci proueniat,aut quid ſit,tradat,non illã tamẽ proprijs oculis ſe uidiſſe dicit,quemadmodũ Gal.mãnã deſcribẽs.Hæc ſunt,quæ mannã Gale.cognitã fuiſſe arguunt,quæq; ad te ſcribenda habuimus,non quidẽ ut aliorũ laudẽ imminuamus,ut aliàs notum fecimus,ſed ut ad ea quæ bona,quæq; utilia ſunt peragẽda,ueritatẽq; ipſam inueſtigandã,promptiores magis indies euadamus,atq; ingenioli noſtri uires,ſi quæ ſunt,quandoq; ſeſe exerceãt. In eodẽ inſuper capite ſaccharũ mellis genus ſupra cannas cõcreti eſſe,à te ſcriptum animaduertimus: quæ tamen opinio nõ ex Dioſcor.uerbis(ut ais)colligitur magis,quàm hęc quòd in cannis cõcreſcat:ſic enim ille,εὑρισκόμενον ἐπὶ τῶν καλάμων. Nã præpoſitio illa ἐπὶ apud Gręcos ſi genitiuo caſui iungatur,tam ſupra,quàm ſub, ſignificare poteſt.neq; etiam ex Gale.cuius uerba hæc ſunt in cap.de melle, περιπήγνυται μὲν, ὥς φασι, καλάμοις,hoc eſt,plurimum creſcit calamis:hæc enim prępoſitio περὶ, interdũ uerbi,cui additur,ſignificationẽ auget,quemadmodũ per,apud nos:tota enim ſucci plena eſt canna illa,quod per dictionẽ περὶ expreſsit:quo etiam modo infrà te intellexiſſe cõſtat.

*De ſaccharo.* Sed quia de ſaccharo facta eſt mẽtio,nõnulla hìc de eo cõmemorare operępretiũ fore duxi.Primò itaq; dicimus Hermolaũ de noſtro ſaccharo tãquàm de antiquorũ ſaccharo meminiſſe: atq; cũ ſcribit: Saccharum σάκχαρ Græci uocãt,rarum, nec planè cognitum Galeni quoque ſęculo:horum uerborum ſenſum hũc fuiſſe puto,ſaccharum tũc nõ planè,hoc eſt, non manifeſtè,nec certè cognitum,ut nobis:& ideo,rarum,addidit.Neq; ob id negatur,quin idẽ ſit ſaccharũ noſtrum,& antiquorum,etſi Galeni tempore nõ adeò in uſu extiterit,ut noſtro.Manardus uerò libro ij.epiſt. ij.quẽ ad uerbum(ut quidẽ fatetur)ſecutus eſt Leonhartus Fuchſius in Paradoxis,ſaccharũ noſtrę ætatis ab antiquorũ ſaccharo diuerſum eſſe ſummo ſtudio probare nititur:in quã opinionem tu quoq; deſcẽdiſti. Quòd autẽ Galeno ſaccharũ innotuerit,ex eodẽ clarum fiet libro de ſimpl:medicina vij.& viij.curãdi methodi,quibus in locis apertè Galenus ſacchari mentionem facit: quem utiq; Hermolaum lectitaſſe procul dubio exiſtimandũ eſt. Te uerò à Manardi opinione hæc ſola(ut uideo)arcet differentia,quoniã ſuſpicatur ille ſaccharum, de quo ueteres mentionem fecerunt,ex rore frigore noctis condẽſato,deinde illuceſcẽte ſole,& eius calore indurato,fieri:tu uerò ex cannis ui ſolis extrahi, & poſtmodũ in quoſdam cogi globulos:quibus cãnis expreſſis fieri huius temporis ſaccharum,eiuſdémq; eſſe naturę cum antiquorum ſaccharo cõſtat.Leonicenus quidẽ manifeſtè aſſerit noſtrũ ſaccharum idem eſſe cum antiquorum ſaccharo:& eãdem ſentẽtiam confirmat Ruellius in libro primo,cap.xxiiij.ueteres laudãs,qui nihil intẽtatũ reliquerũt,præſertim Galenum,Plinium & Dioſcoridem,qui ſatis probè huic factũ eſſe putarũt,ſi mellis appellatione,noua uocum aucupia reſpuentes, mãnam complecterentur,nõ aliàs,quàm de ſaccharo fecerunt.uel forſitan,quia indignum erat ut de eo ab ipſis ſpeciatim fieret mentio,quòd fugacius eſſet eo melle, quod apes elaborauerint,quódq; citò collectũ emarceſcat,cũ mel ipſum apũ & diutiſsimè cõſeruetur,& corpora à marcore uindicet,ut ait Ruellius in libro paulò antè à nobis citato. Quòd autẽ ſaccharum citò collectũ emarceſcat,equidem neſcio quomodo hoc uerè dictũ ſit à Ruellio:ſatis enim notum eſt ipſum longo tempore incorruptũ manere,et pleraq; alia à putrefactione illæſa uindicare. Præterea extant etiam Matthæi Curtij probationes euidẽtiſsimæ,cõfutantis ſingula Manardi, & aliorũ contrarias tuẽtium ſententias argumẽta:quẽ uirum acerrimi iudicij eſſe,ac,ſi quis alius,purgatiſsimę naris in enucleandis rei medicæ difficultatibus,& ueritate ipſa detegenda,nemo eſt qui ignoret.Is igitur,cuius opinioni & nos ſubſcribimus,primò ait priſcos, Dioſc.ſcilicet ac Gal.ſaccharũ iam arte apparatũ,nõ autem dũ in cãnis adhuc exiſteret,cognouiſſe,quẽadmodum etiã nonnulla alia cognouerũt,quæ tamẽ propriis in locis,ubi gignerẽtur,aut quomodo fierẽt,non uiderunt,neq; de eis notitiam habuerũt. Quo cõſtituto fundamento,iam omnia quæ de ſaccharo ſcribit Dioſcorides,ſingula perbellè noſtro conuenire conſtabit. Quod enim artificium ſortitum eſt, & concretum & friabile,ut

le,ut ſal,eſt:ſaccharúmq; in cãnis adhuc permanẽs coagulatus quoq; liquor eſt,non tamẽ friabilis,cannis per mediũ ſciſsis.In India præterea prouenit etiã noſtrum, ut Varro,quem citaſti,affirmat: quanquam in plerisq; etiam aliis regionibus gigni cõſtat,quemadmodũ Hermolaus quoq; annotauit:neq; enim in Indico ſolo tãtùm gigni ſcripſit Dioſcorides,ſed plurimũ in India.Vel dicas,nõ omne natale ſacchari ſolum Dioſcoridi,quod fieri poteſt,innotuiſſe. In arundinibus & noſtræ ætatis ſaccharũ inuenitur,priuſquã illæ exprimãtur, quod deinde arte cõdenſatur, quemadmodum & Dioſcorides de antiquorũ ſaccharo tradidit.Verum quia cannarum perfectam neſciuerũt notitiã, ideo Galenus dixit, ut aiunt.Candidum etiam exiſtit huius ſeculi ſaccharũ, & in cãnis,& arte abſolutum,etſi de candore nihil ſcripſerit Dioſcorides:atq; facultates poſsidet, quas Gale. ſuo attribuit.Quare & nos cẽſemus ſaccharũ antiquorum,& quo nos utimur,uiribus & ſubſtãtia eiuſdẽ generis eſſe.Facilè igitur ex his Curtij probationibus atq; argumentis liquet,Manardi rationes contrarias refelli poſſe.Quãdo enim dicit,omnẽ mellis materiã rorẽ eſſe:ſi de melle apũ illud intellexerit,uerũ eſſe cõcedimus: ſi autẽ de ſaccharo,quod eſt alterius generis mel,falſum eſſe conſtat.De ſimilitudine illius cum ſale iam expeditum eſt.Et quia nullam candoris mentionem nec Dioſcorides nec Galen.fecerũt,idcirco de hac qualitate nobis minime curãdum eſt.Quòd ſi quid etiam Alexãdri ſentẽtiæ reſpõdendum eſt,tũ ad id,cùm ait, ſaccharum ui ſolis fieri,tũ ad reliqua quæ ex ipſo adferũtur,ita occurri poſſe puto:Alexandri teſtimoniũ & autoritatẽ tãti nõ eſſe,ut quę ab eo ſcribũtur,omnino recipiẽda ſint. Huc adde,non ſatis conſtare an liber ille problematum qui Alexãdro tribuitur,ipſius Alexandri ſit,an alterius, qui Alexandri nomine ab aliquo fuerit donatus, ut ita maiorẽ gratiã & præmiũ apud principes referret, quẽadmodum de pleriſq; medicorũ libris, Hippocratis titulo inuulgatis,Ptolomæi Aegypti regis tempore factũ fuiſſe narrat Galenus in iij.de morbis uulg.Præterea tũc in ſole coqui damus,poſteaquàm arte expreſſum fuit, ut noſtrũ:quod multis aliis etiam nunc euenit rebus.In Libano quoq; & felici Arabia,Indiáq;,plurimũ noſtratis ſacchari prouenire cõſtat,quemadmodum Varro & Strabo affirmãt:nũc autem præter Orientis regiones in aliis etiã orbis tractibus naſci manifeſtum eſt:quare ne origine quidẽ differũt.De figura & præparatione quæ ad ignem fit,abundè quod oportebat diximus. His tamen addẽdum uidetur,Manardi opinionẽ de ſaccharo, quòd ſcilicet frigore nocturno agglutinetur,dehinc calore ſolis obduretur ſupra cannas,aut,quæ tua eſt opinio,è cãnis ui ſolis prolectetur & extrahatur, & ſuper eaſdẽ condenſetur,confirmatã eſſe oportuiſſe euidenti aliqua ratione,aut idoneis argumẽtis ad perſuadẽdum: nihil enim ex ueterũ autoribus attuliſtis,nec cõiecturæ quidem ſignum ullum,quod fidem uel minimã hac de re nobis faceret:ſed ex animi inductione quadã potius & uoluntate dictũ uidetur,ſaccharũ uidelicet(ut diximus)ſuper cannas gigni,ibique inueniri.Atqui Dioſcorides,Galenus,Plinius,in cannis naſci affirmãt, uel ſaltẽ non negant,ut apertè ipſi quoq; ſentire uiſi eſtis. Quid igitur uos in hanc compulerit opinionem,ut ita de ſaccharo ſentiretis,nõ ſatis poſſumus intelligere:quídque ſaccharũ,quod cãdi uocãt,naturale appellaueritis:rem ſanè à priſcorum nemine(quod ſciam) aut recẽtiorum uiſam,ac ne ſcriptam quidem.Neq; uerò illud uos mouere debet,quod penè ad alia me accingẽtẽ ſubterfugerat,has ſacchari cãnas à Dioſco.nõ eſſe in genere cãnarũ cõnumeratas:nam illas eum nõ cognouiſſe ſcripſimus: ſuntq; cannæ illę nõ uerè & propriè cãnæ,quippe quæ medulla & carne plenę ſint,et ſola exteriore facie arundinibus ſimiles.Quòd autẽ Plinii ætate medicinæ dũtaxat uſui ſaccharũ fuerit,hoc nõ debet argumẽtũ magni ponderis uideri,quoniam tempore illo nõ ea ſacchari copia extabat,quæ noſtro deinde æuo paſsim ferè, & ad multos increuit uſus,ganeæ præſertim & luxui alimenta magis ſuppeditans,quàm medicinæ. Eò enim noſtræ tempeſtatis homines deuenerunt moribus & corrupta uiuendi conſuetudine, ut niſi & delicatè, & profusè uixerint, & quotidianis ferè & nocturnis ſeſe ingurgitauerint crapulis, & niſi quæ multa ad alia uitæ commoda protulit natura, in palati ſui iam omnia faſtidientis illecebras cõuerterint,amplius ſe uiuere poſſe deſperent.Quare,ut in ueteri prouerbio eſt, nunc uerè dici poſſet,Hinc illæ lachrymæ.Nam pleraq; ex huiuſmodi malo uiuendi abuſu pullulant morborũ genera,plurimæq; intẽperies hominib.ex humorum ſuperfluitate magis,quàm indigẽtia oboriũtur,ut ait Gal. in viij.de comp.med.ſecũdum loca. Huc adde,quòd ſi quis exacto uictu ſemper uſus fuerit,is omnino ſanum corpus obtinebit,ac recremẽtorũ expers,quẽadmodũ in libro de tumoribus præter naturam ſcriptũ eſt.Equidẽ niſi natura plurimos errores noſtros emẽdaret,male nobiſcũ ageretur:cùm lõgè aliter agricolæ ſua ſemina,ſuósq; fructus excolãt,ac regant,quàm noſtri tẽporis homines ſeſe ac ſuos diligãt natos ac gubernẽt.Multò enim magis nũc à ſalubri uictus ratione aberramus, quàm ſuperioris ſeculi homines: quocirca mirandum nõ eſt,ſi non ſolùm rigor antiquis incognitus erat,ſed etiã ſi multa & inuſitata in nos graſſantur mala,ut ait Gal.ſecundo de cauſis ſymptomatũ,& ſecundo prædictionum,cap.ij.& aphor.xxviij.ſextæ ſectionis.Sed inſtituti noſtri nõ eſt mores hominũ & luxuriam inſectari,quare oratio noſtra eò reuertatur,unde digreſſa eſt, dicamúſq; recẽtiorum ſaccharũ non tantũ pectori,ſed etiã ſtomacho utile eſſe & gratũ.Ac illud etiã nobis minime aduerſatur,neq; Dioſc.neq; Gal.modũ exprimẽdi cannas docuiſſe:nã Gal.ut ſuperius diximus non profitetur ſimpliciũ medicamentorũ formas,& eorũ præparationis modos pertractare,(quãquam id quãdoq; cũ exiſtimat expedire,faciat)ſed eorũ uires ac naturas demonſtrare manifeſtas.Dioſcorides uerò in cap.de melle,ad cuius calcem de ſaccharo agit,cũ mel utpote factitiũ arte multa indigeat priuſquã perfectum ſit,nõ propterea tamẽ nobis artẽ ullam de eo,aut rationẽ,qua ſit præparãdum,tradit:ut minimè mirum uideri debeat,ſi agens de ſaccharo,nullum eius cõficiendi rationem,artémue monſtrarit.Hac igitur de cauſa,quòd Dioſcorid. exprimendi ſacchari modum nos non docuerit,nõ exiſtimo antiquorum ſaccharum à noſtro diuerſum putari debere.Mihi quidem mirum uidetur,Varronis ætate ac Strabonis,qui Galenũ præceſſerunt, cognitũ ſaccharum noſtrum fuiſſe uos nõ inficiari,& à Galeni temporibus ad præſens uſq; ſeculum:& tamen dicere,Dioſcoridi & Galeno incognitum fuiſſe. Quòd autem noſtrum ſaccharum ut illud antiquorum per expreſsionẽ fiat,quemadmodum ex Varrone ac Strabone conſtat, notiſsimum eſt:quódque in calamis utrũque inueniatur. Quibus rationibus accurratè conſideratis, liquidum eſſe arbitror,ſaccharum à ueteribus traditũ,idem cum noſtro eſſe,tuáque & aliorum argumẽta eſſe confutata,aut multùm infirmata.Quòd uerò Leonicenum, cum magna quamuis honoris, ut par eſt, præfatione, erroris inſimulas,quia more Pauli per ſalem Indum,ſalem communem quo ad condiendos cibos quotidie utimur, intellexerit, ita ad id rectè ac uerè reſponderi poſſe reor: Paulum & Leonicenum nequaquam illud ſenſiſſe, quod ipſe illis adſcribere uiſus fuiſti:imò in eãdem prorſus ſententiam ambo conueniunt,ſalem Indũ colore & ſubſtantia ſali communi noſtro albo ſimilem eſſe:hoc tãtum intereſſe,quòd Indus guſtu mellitus eſt: non autem eũdem eſſe & noſtrum,& indum,ut tu eos dicere exiſtimaſti.Illos uerò Auicẽnæ interpretes reprehendit Leonicenus,qui quarto canonis,per ſalem Indũ, zuccharum candi uerterunt,arte ſcilicet factum,quemadmodum illi intellexerunt,non autem candi naturale, quod magis pro falſo haberi, quàm pro uero, rationi cõſentaneum eſt:quoniam candi illud arte factum candidum non ſit,quemadmodum ſal Indus,ſecundũ Auicennã,communi ſali comparatus,ſed potius ſubluteus: ſicq; Leoniceni uerba omni accuſationis anſa remota, & conſpicua magis erunt, & ſuum ſeruabunt candorem & integritatem.

*Vndecimo de uſu par.*

*De ſale Indo.*

Pręterea nõ probè illos agere ſuſpicamur, qui ſuccũ cucumeris aſinini ex ipſius radicibus faciunt(conſulto ſemper,& pluris in omnibus æſtimato peritiorũ iudicio,quàm noſtro) à quã à Dioſco.doctrina declinãtes: hic enim apertè oſtẽdit,è cucumeris fructu ſuccũ fieri debere,eúmq; cãdidi coloris eſſe.Sed tu cũ ſæpius cucumerẽ hunc cõpreſſeris,neq; unquã ſuccum albũ expreſſeris,è radicibus illius exprimi poſſe exiſtimaſti:quo facto,quàmprimũ cãdidus emanauit liquor.Nos autẽ dicẽdũ potius arbitramur,licet tibi illud euenerit, aliíſq; ut eueniat,fieri poſsit,rem tẽtãtibus,loturæ magis negligentia,& ineptitudine,aut pręparationis ignoratione cõtigiſſe,quàm cucumeris uitio, aut docentis inſcitia;

*De Cucumeris aſinini ſucco.*

tia:quemadmodũ de oleo tradit Gale,ij. de ſimpl. med. cap.xv. Paulus uerò Aegineta lib. iij. cap. lxxvij. & vij. cap. xx.ſycioniũ oleum ex elaterio, hoc eſt, cucumeris aſinini ſucco,aut eiuſdem radicibus cõponit: & Aëtius ſermone ix.cap.xxvij.ſycionij mentionem facit,in quo ſylueſtris cucumeris radix incocta ſit:quapropter tuus iſte modus conficiendi hunc ſuccum fortaſſe non omnino alienus à ratione fuerit.

*De Aloë.* Nunc autem Manardum tueri, & cum eo ueritatem, non incongruũ nobis arbitramur de aloë loquẽtibus, quam dicimus naturali facultate uenarũ ora aperiri nõ poſſe,cùm eã Gale.dyſentericis dederit, licet aliis mixtã medicamentis,vij.& ix.de cõp. med.ſecũdum loca, & v.meth.profluente ſanguine ex internis. Quòd ſi quando ſumpta aloë ſanguinem egeri uidemus, caſu id euenire maniſtè oſtendi poteſt.Hanc uerò ſuã de aloë opinionem Manardus pleriſq; in locis demõſtrauit, quam deinde Leonhartus Fuchſius in Paradoxis, & in apologia, quam nuperrimè uidimus per tranſennam, ualidiſsimè pro ueritate decertans,&cũ ratione,uehementiſsimè quidem defendit contra puteanum Gallum,qui aduerſas tueri partes omni ſtudio nitebatur, iactáque aduerſariorum fundamenta conuellere.Nam cum aloë ſiccet atq; adſtringat,ſitque mordicationis expers, & medicamentũ ἐκκοπρωτικὸν,hoc eſt,ſtercoris educẽdi uim habens,& uulnera glutinet ſecundũ Gal.in vj.de ſimpl. med.etſi uehemẽter amara eſt, ac noſtri corporis meatus expurgare, qui multis obſtructi ſint humoribus, queat,ob id tamen nequaquam uenarũ ora aperire exiſtimanda eſt:hæ nanq; duę uoces,aperire atq; purgare, inter ſe quidem non parum differre, cùm ex re ipſa apparet,tum ex iis quæ Gal.in v.de ſimpl.med.tradidit, ſi quis ea accuratè uelit cõſiderare. Quod uerò attinet ad alterum tuum argumentum, quòd ſæpenumero certis uideris experimentis à data aloë ſanguinem eductum fuiſſe,id caſu factum eſſe (ut ſuprà diximus) fatendum eſt,humoribus qui ab ea educuntur illud efficientibus, non aloës natura & ui.Nam cùm multis aliis ab aſſumpta aloë ſanguis non eductus fuerit, dicẽdum eſt aloen nequaquam uirtute inſita,uel peculiari ipſius qualitate id poſſe efficere:quoniam hæc ſanguinis excretio ad omnes, uel ſaltem complurimos, quibus data illa fuiſſet,conſequi debuiſſet. Neque uerò laudi medico dandum eſt,ſed inſcitiæ potius & indiligentię,qui cùm aliquæ illum latent medicamentorum facultates, ad cæcas illas & incognitas uires protinus cõfugit:alię enim prius diligenter inueſtigandę & noſcendæ earum ſunt, ſi quæ ſenſibus percipi poſsint,cauſæ. Cùm autem Manardus Meſuen reprehendit,aloëſq; potionem euitandam eſſe cenſet calidis temporibus: tu ad cõfutandam illius ſententiam, quæ tamen per nos poſtea (ni fallor) uera eſſe conſtabit,hoc argumento uteris,iuxta Hippocratis teſtimonium illud, Ventres uere & hyeme calidiſsimi ſunt natura.& reliqua quæ ſequũtur. Ergo cùm calor naturalis tũc & maior ſit,& uehemẽtior,aloëq; pariter ſecũdi ordinis remiſsè calefacientium ſit,& tertij quæ ſiccãt,in frigidis potius temporibus,ut Meſues ait,uitanda erit,quàm calidis,ut Manardus.Sed ad ſoluendũ & explicãdum huius difficultatis nodũ,quamuis perdifficilis ſit,& à uiro docto nexus,ſic reſponderi poſſe arbitramur:quòd etſi calorem naturalẽ eo anni tempore inualeſcere certũ eſt,uentréſq; natura calidiſsimos eſſe,Hippoc.tamen & Galenus indicio ſumpto à temporis natura & ſtatu,ſi tale tẽpus intemperatum fuerit,contraria illi eligũt,tam in tuenda ualetudine,quàm in morbis pellendis:ita ut hyeme,calida & ſicca adhiberi medicamenta præcipiãt:æſtate uerò,quę frigido & humido pręſtẽt temperamẽto,quemadmodum manifeſtè apparet viij.curandi methodi,& circa finem xvj.aphoriſmi primæ ſectionis,& in cõmentario ipſius Galeni ſuper Polybi librũ de uictu priuatorũ, & de tuenda ualetudine.Adde etiam quòd naturæ calidæ & ſiccæ aloë inimica eſt,eiq; nocet,quia in tempore ſimili adhibetur,ut ſcribit Galen.qui(ut in memoriã reuocem quæ ſuperius obſeruata ſunt)in nõnullis curandi methodi locis medicamẽto ex aloë ad ſiſtendas ſanguinis ex thoracis fracturis eruptiones,optimè quidem,& abſq; ullo timore intrò uſus eſt.Vel dicas,uentres hyeme calidiſsimos eſſe naturali calore,id eſt,temperatiſsimos:particulas autẽ refrigerari magis in hyeme,quibuſdam & uentrẽ ex itinere,aut ueſtiũ penuria, aut ſtudiorũ genere,aut huiuſmodi aliquo,&c.quæ à Gale.narrantur in primo de natura humana,cùm eam quæſtionẽ ſoluit,Cur eſt quòd pituita,quæ frigida & humida eſt cõſiſtentia,hyeme generetur iuxta Hippocratem,& uẽtres calidiſsimi ſint natura,&c. Quàm uerò inualida ſit illorũ reſponſio,qui cùm de lota aloë & non lota diſtinctionẽ in mediũ attulerint,credunt ſe omnibus aduerſariorum ſatisfeciſſe argumentis,ſatis ex Galen.patêre arbitror,& ex ijs quæ nobiſcũ ſentientes commemorarũt.Poſtremò libenter ex te ſciuerim,quę te ratio mouerit,ut per uerbũ,purgare,aperire intelligeres,cùm neq; Plinium,neq; alium ex Latinis medicis ſciam eo uocabulo,in ea qua tu uſus es ſignificatione, uſurpaſſe,ſatiſq; de hoc uerbo,aperire,déq; eius ſignificato à Gal.diſſertum ſit libri pop.morb.comment.ij. Niſi fortè ea dictione,ut cõmuni uocabulo ad omnia, quæ quouis modo animantis excrementi educũt medicamenta,uti uelis,ut ait Gale.in v.de ſimp.med.cap. xix.cùm tamẽ neq; hoc pacto etiã,quomodo te probè tueri poſsim,uideam.Quas quidem ob res Manardi opinio nobis magis placet, atq; extollitur, quàm tua,tãquam Galeni methodis ſubnixa,& ueritati magis cõſentanea.Cùm tamen Gal.dicat,in difficultatibus inteſtinorũ nos eligere ea oportere,quæ cũ adſtrictione nullam aliã ualidiorem qualitatem habeãt annexã, præſertim amaritudinem uel acorem,cùm huiuſmodi qualitates omnia ulcera irritare obſeruata ſint,idcirco fortaſſe tutius fuerit ab aloës nos exhibitione in difficultatibus inteſtinorum abſtinere,cùm plurima prædita ſit amaritudine,qua,ut ait Gale.ulcus irritare inteſtinorum poſsit.

*Tertiæ ſect. aphor.x.*

*Lib.de renũ affect. dign. & cur.*

*Lib.de ſubfig.empir.*

*De Lycio.* Lycium cùm Galeni teſtimonio,uires admodum diuerſas à prunis ſylueſtribus habeat,nõ probè illos agere autumo,qui ex huiuſmodi fructibus lycium parant: quibus tamen tu, ut rectè facientibus fauere uideris. Quamuis enim hæc pruna adſtringant,modicè tamen adſtringũt,ac multò minus quàm lycium, quod etiam diſcutit & abſtergit,ut ait Gale.in.vij.de ſimpl.med.& in iiij.de comp.med.ſecundum locos:& ad nõnulla eo utimur,quibus hæc pruna non conferunt.

*De Draconis ſanguine.* De Draconis ſanguine,tãquam de re quidẽ à pleriſq; cùm ueterũ tum recentiorum autoribus tradita,nec tamen perfectè expoſita,nihil eſt,quod te admonendum eſſe putẽ,niſi ut quæ Ianus Cornarius utriuſque literaturæ ſanè peritus,& medicinæ ſtudioſus,in Gale.libros de comp.med.ſecundũ locos annotauit,ea abs te optimè conſiderentur,atq; ubi illa examinaueris,ſentẽtiam tuam nobis cãdidus impertias,præſertim ea quæ in ix. Galeni de ſimp.medic.lib.ille explicat,necnon Aëtij xv. cap.xij.Satius enim nobis uiſum fuit in re tã ambigua, & de qua ſummi & noſtræ & præteritæ ætatis uiri nõ ſatis ſe expediuerunt,nihil dicere,ſed ſilẽtes aliorũ iudicium expectare.Vnum hoc tamen certum nobis ac decretum erit, ut nihil non exactè nobis in medendi uſu exploratum,ac perfectè cognitum,& præſertim ſi ueneni uel modica ſuſpicio ſubeſt,ægris uelimus eſſe dandum,præcipuè cùm ab ipſis uorãdum,aut quouis modo intus ſumendum eſt.

*De Myrrha & ſtacte.* Porrò ſi uera & pinguiſsima myrrha,ex qua ſtacten fieri certũ eſt,caremus,rationi cõſentaneum eſt, ſtacte etiã uera nos carere:fieri enim hãc ex pediaſimo & gabirea,quæ ſunt myrrhæ ſpecies,Dioſc.tradit.Styrax autẽ hic noſter liquidus, qui in pleriſq; officinis habetur, (ut nũc ea omittam quę de ſtyrace à Galeno narrãtur in primo de antidotis libro)ſtacte eſſe non poteſt,cũ nullam guſtui amaritudinem adferat,quemadmodum infrà ipſe etiam annotaſti:neq; mellis lentore cõſtet, ſed friabilis ſit:neq; grumos,ut ſyncerus,albicãtes habeat: neq; ita ut ſtacte uehemẽter odorifer ſit.Congruũ enim uidetur,cùm ſtacte pinguitudo myrrhæ ſit, myrrháq; amaritudinẽ præferat,& odorem uehemẽtem,ſtacten quoq; ambas illas qualitates penitus, uel certè multũ earum repræſentare.Adde etiam quòd ſtyrax liquidus ſubuiridis non eſt,quo colore prima omniũ troglodytica myrrha à Dioſcori. deſcribitur:cuius coloris quoq; ſtacten eſſe debere exiſtimamus.Ruellius præterea ſtyracen liquidum non eſſe ſtacten,ut medicorum uulgus opinatur,oſtendit:uerum infirmioribus quidem rationibus:non enim id quod aſſumpſit,confirmat,& contrarium deſtruit,ſed tãtum cauſam erroris Arabum,uicinitatem nominis fuiſſe dicit, uel quia duo ſtoracis (ſic enim loquuntur illi) genera,liquidi & ſicci ſtatuerunt,qui recẽtioribus calamita dicitur,cùm antiqui de

*Galen.myrrhã gratiſs. eſſe odoris dicit primo de antidotis libr.& .7.de ſimp.medic. non grauis, ut Dioſc.*

uno

uno tantùm genere agant. Quare Ruellius (si rectè dispicio) quod refellendum susceperat, his non confutat rationibus, styracem scilicet liquidũ nõ esse stacten. Quocirca opinio illa, cui fauere uideris, quòd styrax hic noster liquidus uulgaris, stacte sit, nõ ualde nobis probatur, nisi & stactes ueræ saporẽ, odorẽ, colorémq; (ut scripsi) manifestè reddiderit. Quàm rectè uerò agant hi (è quorũ numero est etiã Hieronymus Eugubius) qui eo, quod belzuinum uocãt, myrrhæ loco utuntur, uiderint ipsi: certum enim est (ut alia omittam) omnis illud amaritudinis expers esse. Illud quoq; maximè animaduertendum est, ne myrrhæ loco opocalpason, quod in ea generatur, medicamentis quæ intus sumuntur iniiciamus: multos enim interiisse nouimus nostris temporibus, quòd letale sit opocalpason intrinsecus datum, ut ait Galenus in primo de antidotis libro.

*Opocalpason myrrhæ loco non sumendum.*

*De Ammoniaco officinarum.*

Quinetiam ut suspicemur officinarũ ammoniacum adulteratũ esse, frusta illa faciunt, quæ in modum massæ cuiuspiam composita à pharmacopolis ostẽduntur, nõ ad thuris similitudinẽ in grumos concreta, & in minutas glebas (ut Dioscorides scribit) coacta. Nisi fortasse Dioscoridis uerba ita intelligenda sint, quòd particulæ illæ ex quibus ammoniacum, quale in officinis nostris habetur, diuersitate quadam, quæ in eo est, thuri comparatum, illius similitudinem repræsentet. Sed hæc argumenti huius solutio (ut uerum fatear) ingenium magis, quàm ueritatem ostendit.

*De Sarcocolla.*

De Sarcocolla quoq; nũc aliquid dicamus: cùm enim illam examinas, nobis quidem non iure Mesuen à Manardi castigatione & censura tueri uisus es. Manardo enim ea de re loqui consilium fuit, quæ facultatem habet corpora pinguitudine replẽdi: quod Mesuen etiam innuere satis constat, quando dicit (usus eius corpora impinguat) nõ autẽ quòd ex euentu hoc fiat. Ratio autẽ quæ facit ut hoc uerũ esse existimemus, hæc est: Mesuen, si sarcocolla corpora pinguescere intellexisset, hócq; illi ex casu, non propriè inesse, non tam cõfusè & imperfectè sententiam illam prolaturũ fuisse, sed quandoq;, nõ continuè euenire, ut per eam corpora pinguescerẽt. Sed ne Dioscorides hanc illi quidem uim & facultatem tribuit, quemadmodũ Manard. etiã animaduertit. Si ergo sarcocolla soluit, stomachum uellicat ac turbat, Mesue testimonio, quónam modo ex natura propria corpus pingue reddere poterit? Quapropter non absq; ratione Manardus Mesuen censura dignum putauit. Quòd si dixeris, casu quopiam eam pinguedinẽ producere, dum à corpore amouet, quod illi, quo minus pinguescat, impedimento est: hæc sanè ratio Mesuen ab erroris insimulatione non excusat, qui propriè, nõ fortuitò, sarcocollæ hanc uim inesse uoluit, quemadmodum Manardus quoq; antea intellexerat.

Nonnulla etiam hîc nostrum in te studium ac beneuolẽtia, & sciendæ ueritatis desiderium, adscribere nos hortantur. Lectis enim illis tuis quæ sunt inter resinã & gummi differẽtiis, uariisq; earum cum rebus aliis atq; aliis permistionibus, protinus nobis in mentem uenerunt quæ à Gal. in lib. de comp. med. κατὰ γένη, & potissimum primo scribuntur, in compositione quæ Album Heræ inscribitur, et in plerisque aliis locis, ubi manifestè oleum cum thure admiscet, quod gummi esse constat. Item terebinthinã (cuius tamen tu quoq; mistionẽ fieri posse abnegasti) cum aqua. Quæ quidem tuis aduersari uidentur assertionibus. His adde, quòd cùm terebinthinam aqua coctam ex Cypro placentarum modo Venetias importari scripseris, iis quæ suprà dixeras nonnihil etiam repugnare uidetur. Tibi autẽ hæc nũc in memoriam reuocanda duxi, ut ea iterum sub incudẽ redacta, & diligentius excussa, amplius innotescant. Nisi fortè (quod uerius puto) intellexisti, oleum (exempli gratia) cum thure, uel aqua, non quidẽ nullatenus, sed nõ facilè cõmisceri posse, quẽadmodũ etiã scripsit Gale. in secũdo de simp. med. cap. xv. ubi ceræ & resinæ abluẽdæ modũ docet, quippe quòd sit diuersæ ab illis naturæ, quod Plinium quoq; intellexisse existimandũ est. Scis præterea quàm celebris sit apud Gal. hydrelæi cõpositio. Et quoniam resinam larignam uiribus terebinthinæ similẽ esse dixit Galen. in primo libro de cõp. med. secundũ genus, ea si uelimus uti in affectibus qui foris corpori contingunt, ad quos terebinthina desideratur, non (opinor) absurdũ fuerit. Cùm autem Gale. scribat quasdam nõ habere adstrictionẽ resinas, quæ post terebinthinã abs te traduntur, nobis quidem aliquantulum sunt suspectæ; ingenuè nanq; fatemur nos nescire unde documentum illud sumpseris, quibúsue innitaris fundamentis, quòd cyparissina scilicet resina, aliæq; cũ ea facultatis eiusdẽ, corpus emolliant, cùm à nonnullis nobis cauere opus sit, cum corpus molle reddere uolumus, Galeni præcepto in vij. de comp. medic. secundum genus.

*Lib. 24. ca. 1.*

*Octauo de simpli. medi.*

*De Sandaracha.*

Pro tua autem cõtra Leonhartum Fuchsium, medicũ alioqui doctum, defensione, qui arbitratur sandarachã uulgò dictam uernicem, non esse arboris gũmi, ita eius refellere tentabimus argumenta. Nam licet Arabes non descripserint arborem ex qua uernix emanat, non propterea tamen sequitur, quin iuniperi arboris gũmi esse possit, aut lachryma: quia Diosco. etiam sæpius non delineat arborum effigies, quarum partes sunt ea, de quibus tradit. Neque obstat quòd Plinius iuniperi gũmi ad nihil utile esse scripserit: quoniam Plinij tempore illius gummi uires fortè adhuc ignotæ erãt, uel saltem ipsi Plinio, quæ deinde posteriorib. seculis pleraq; scrutãtibus innotuerũt, quemadmodum de nonnullis quoq; aliis, quorũ facultates incognitæ erant, planè constat, quanquam res ipsæ sensui essent manifestæ. Quinetiam illud dici potest, Plinium, cùm ea scripsit, gũmi iuniperi quod in Coryco mõte Ciliciæ gignitur intellexisse, ut ipse quidem ait; non autem omne iuniperi gummi. Et quia etiã cedrum iunipero uiribus similem facit, quod & Marcellus uiderat: ideo cùm de uno tradidit, de altero etiam se tradidisse arbitratum fuisse. Simili modo dicendum Galenum sub capite de gummi communiter inscripto, & iuniperi gummi comprehendisse. Quibus fundamentis & rationib. hoc gummi uernix appellatum res esse poterit ab Erythace siue Cerintho sandaracha, & metallica diuersa, quæ sandyx à Galeno appellatur. Et licet Dioscorides sandaracham ex mulso purulẽta excreantibus dari moneat, ego tamẽ cũ Gal. sentiens dare nõ auderẽ, nec aliis dandam esse cõsulerem, cùm præsentissimũ & ab eodem Dioscoride uenenum esse scribatur: & ea quæ intrò sumuntur, naturæ animalis familiaria esse debeãt, siue medicamenta, siue cibi sint. Sed hoc loco uix mihi à gemitu temperare possum, cùm uideã tam multa, tam uaria, tam pestifera uenena cùm ueterum, tum recenti hominum scelere inuenta in cõmunem perniciẽ, ad quæ utinã uel Dioscorides ipse, uel Galenus, uel alius quiuis medicinæ professor remedia tradidisset, aut certè hac aliquis ætate traderet. Tradita quidẽ esse à Dioscoride, Paulo, alíisq; contra uaria uenenorum genera fatemur auxilia quædam, & præcautiones, sed cõmunes: et quæ paruæ efficaciæ & nunc sint momenti, adeò effera, & potentissima toxica, & prioribus inaudita seculis, hominum nostri temporis ingenium et malitia excogitarunt, aduersus quæ si quis studeat opem ferre (ut ea nũc prætereaam, quæ extrinsecus, ut audio, corpori admota exitialem uim & exitium adferre recẽs comperta sunt, corpore nullatenus à naturali statu ĩmutato, neq; easdẽ notas habẽte, quas Galenus connumerat, cùm quispiã uenenum sumpserit, inter id distinguẽtes & corruptos humores, qui ueneni speciẽ reddũt, & in corpore quandoque oriri contingit) frustra se laborare intelligat. Nequaquã enim Deus ad hos usus deleteria creauit uenena, sed ut aliis medicamentis admixta (quoad medico integrum est) uel etiam per se præparata, morbis remedio esse queant, & aliorum simpliciũ aut animaliũ perniciosorum præsentissimum alexiparmacum. Digni siquidem sunt grauissimo supplicio, qui talia perpetrãt, sed magis qui ea aut docent, aut scribunt. Cur autẽ deleteria longo post eorũ sumptionẽ tempore interimant, crassa potissimum illorũ, terreáq; essentia est: quæ uerò tenuis sunt, quandoque cum excrementis excernuntur priusquam corpus afficiatur: quandoq; bona ciborum fortuna, & potuũ, aut præsentis medici auxilio nihil lædunt, quemadmodũ scripsit Galenus loco superius citato. Sed iam tempus est, unde digressus fueram, redire. Ruellius igitur & ipse his coniecturis Arabum sandaracham iuniperi lachrymã esse probare annittitur: cuius indicio est odor attritu & suffitu iuniperum redolens, quódq; accensa statim deflagrat: & si natura eius amplius tẽtare libeat, admota igni succenditur, alitq; flammã odore iuniperum repræsentantẽ, quæ postmodum in gummi rursum lentescat. Hæc Ruellius. Cornarius uerò in commentariis quos ædidit in Galeni libros de cõpo. med. secũdum locos, succinum siue electrum quod à Glessariis defertur, sandaracham uernicem appellatã esse existimat: cuius tamẽ opinionem Simon Genuensis

*Lib. 13. capi. 12.*

*Lib. 24. ca. 8.*

*Lib. 5.*

*Galen. 4. cur. meth.*

*Sexto de locis aff. ca. 5. & lib. de cibis boni & mali succi.*

*Tertio de simpli. medi. capi. 22.*

*Galen. 10. de simpli. medi. iuxta princip. & lib. de medi. simpli. fac. capi. 6.*

antea confutauerat. Et quanquã (ut diximus) Fuchſius duas tantùm eſſe ſandarachas uelit, metallicam, & quæ in aluearijs inuenitur, rithacen ſiue ceranthemon dictã, nihil tamẽ obſtat quin præter has etiã tertia eſſe poſsit, nempe ab Arabibus indicata, ut ſatis planum fecimus. Ac ne illud quidem quod ſcripſeras, uerũ eſſe comperimus, Arabes, quos citat Serapio, ſandarachę, quæ gummi arboris eſt, eaſdem uires et naturas attribuiſſe, quas Dioſcorides metallicę adſcribit. Serapio enim cùm tantùm eã in prima caloris ſede poſuerit, in alijs eius qualitatibus illi conſimilem eſſe non dixit, ſed diſsimilẽ potius: niſi tu fortaſſe diuerſæ à noſtra impreſsionis codicem nactus ſis, uel aliter uerſum.

*Paulus defenditur in electri commemoratione.*

Viſum etiam eſt nobis in hac electri cõmemoratione Paulum Aeginetam à calũnia uindicare, quam haud iure quidẽ Leonhartus Fuchſius ei tribuit. Non enim uerũ eſt quod ait ille, Paulũ in capi. de electro ſenſiſſe, electrũ ſcilicet populi gummi eſſe: hæc enim Paulus non ut certa, ſed tanquam dubitationis plena protulit: cuius hæc eſt illius definitio: ἤλεκτρον τὸ τῆς αἰγείρου δάκρυον φασὶ κατὰ τὸν Ἠριδανὸν ποταμὸν ἀποχεόμενον καὶ πηγνύμενον χρυσοειδές. hoc eſt, electrum populi nigræ lachrymam dicunt, iuxta Eridanũ emanantem, & dureſcentem, auream. Quibus uerbis ſatis conſtare arbitror, Paulum non affirmare electrum populi lachrymam eſſe, ſed de ſententia aliorũ illa protuliſſe, ſibiq; quid illud ſit incertum eſſe. qui quidem error, ut conſtat, Paulo adſcribi non poteſt, etſi poteſt inſcitia: quoniam falſam illam definitionem cùm ex alijs protulerit, nullam ipſe tamen ueram attulit, ex qua lector, quid eſſet electrũ, poſſet cognoſcere. Cuius etiam inſcitiæ eſt Dioſc. lib. ij. capi. lxxiij. cùm dicit electrũ non eſſe lyncis urinam concretam in modum lapidis, neq; tamen quid ſit oſtẽdat. Quamobrem curato uno Pauli uulnere, altero eum obligare coactus ſum. Sed nimirũ, cùm unum hominem omnia ſcire fieri nõ poſsit, hicq; error pluribus etiam magnis uiris cõmunis ſit: quoniã nunquam decipi diuinum potius ſit quàm humanum. Neque in ea definitiõe Paulus, ut ſcribis, populum albã nominat, ut patet, aut Galenus, ſed nigram.

*De charabe.*

Ruellius, cùm ſcribit officinarum charabe eſſe Arabũ charabe (quamuis hæc non ad te ſpectent) ambiguitatis nõnihil attulit, quoniam officinæ noſtræ gummi nõ habent arboris populi, quod Arabum charabe eſt, ſed aliam rem longè ab ea diuerſam: niſi fortaſſe Galliarum pharmacopolæ illam obſeruent, quod an uerum ſit, ipſe uiderit.

Idem Ruellius quid per Benimũ intellexerit, ſiue ben Iudæum, quod laſeris Syriaci genus eſſe affirmat, & ex Iudęa illius parente mitti, non ſatis exploratum habeo: niſi fortè belzuinũ nobis dictum eſſe uelit: ſed cùm belzuinum gratum nobis reddat odorem, uiroſum uerò laſer, quod ex Syria defertur, Ruellij uerborum ſenſus ſic etiam à ueritate alienus uidetur: niſi & quod odoratum, & quod graui odore præditum eſt, utrunque ex Syria importatur.

*De uiſco.*

Quæ de uiſco à te narrãtur, ea quoque, ut ambigam, faciunt: nanque uiſcum ſoli aptum, ſic à nobis appellatum, ab alijs damaſcenum, ad nos allatũ (ut ſcribis) non uidetur fieri ex illius acinis fruticis, aut arboris, quę buxi folio uiret ſecundum Dioſcoridem, ſed ex myxis potius, ſiue alijs rebus, ut Hermolaus notat. Quod autem hoc uerum ſit, ex eo apparet, quoniam uulgare hoc uiſcum nec acrimoniam, nec amaritudinem ullam habere uidetur, quas Galenus et Dioſcorides ſuo ineſſe uiſco ſcribunt, ſed dulcedinem potius: eóque humores ex intimis corporis partibus attrahendi & digerendi uires non habebit.

*De Stomomate.*

Stomama, ſi Galeno, nonnulliſque alijs auſcultamus, aliud ab æris ſquama eſſe apertè conſtabit, quam tamẽ tu eãdẽ eſſe uis cũ ſtomomate: nã quæ ix. de ſimpl. med. ab ipſo ſcribuntur, ea potius ſtomoma ſquamam ferri, quàm æris eſſe cõprobant: ſimiliter & iiij. de cõp. med. ſecũdũ genus, & eiuſdem vj. uidetur ab æris ſquama id diſtinxiſſe. Itidẽ & in tertio in pũctura nerui docet euitanda eſſe quæ adſtringant metallica medicamẽta: quæ uerò abſtergant, ſicut ſquama æris, uſui eſſe: at ſtomomatis ſquama uehemẽtius adſtringit, quàm ſquama ferri.

*Galen. 9. de comp. medi. ſec. genus in cap. de ſquamis. & 4. de comp. medi. ſec. locos.*

Quare ſtomoma nõ uidetur eſſe æris ſquama, pręcipuè eius tenuior pars, ſecũdum Gal. Paulus quoq; de tribus ſquamis tanquam diuerſis tradit, æris, ferri, & ferri ſtomomatis, hoc eſt, ferri ad aliquem uſum formati, & per chalybem roborati: cuius rei etiã meminit Ianus Cornarius in commẽtarijs Galeni de comp. med. ſecundum locos, ubi & Dioſcoridis uerba de ſtomomate, noſtro quidem iudicio, probè caſtigat, eáq; explicat, & de hac materia latius agit, Pliniúmq; erroris ſui admonet, qui medicos ſuæ ætatis harum de rerum ignoratiõe & ipſe acerrimè arguerat.

*De perũctionib. ex argẽto uiuo.*

Et quoniam res eſt à nobis in uſu medico non negligẽda, quin noſtra plurimũ intereſſe arbitror: ideo quid abs te tantopere commendentur ex argẽto uiuo perunctiones, quę admixtis alijs medicamẽtis nonnullis gallico morbo, quem uocant, affectis pręparari conſueuêre, plurimùm nobis dubitandum uenit: multæ enim rationes, & quæ has comitantur ſymptomata, ut contrarium potius ſentiamus nos mouẽt: quæ quoniam ſatis ex ſe manifeſta ſunt, & ab alijs noſtrę profeſsionis uiris & doctis alijs explicata, illa ego nunc præterire uolui: nam etſi quædam ſunt, quæ ſi intus ſumãtur, pernicioſa ſunt non hominibus tantùm, ſed pleriſq; etiam beſtijs, foris uerò illita præſidio ſunt, ut de nerio, ſiue rhododaphne ſcribit Gale. & de opocalpaſo in prĩo de antidotis libro, cõtrariũ tamẽ ad argẽti uiui inũctiones ſequitur.

*Octauo de ſimpli. medi.*

*De Argento uiuo.*

Argẽtum uiuum potui datũ, uel quouis modo intra corpus ſumptũ, letaliũ uirium eſſe, omnib. qui Dioſcoridẽ, Paulum, Pliniúmq; & ipſos Arabes legerint, adeò in cõfeſſo eſt, ut nulla demonſtratiõe opus ſit, aut aliorum qui illud cõfirment teſtimonio. An uerò id grauitate ſua fiat, an eroſiõe, ut Galenus, an alia qualitate (de quibus Conciliator differentia C L I. agit) nunc minimè nobis curandum eſt: ſatis enim fuerit uenefica ui argentum uiuum præditum eſſe, neque ullo unquam tẽpore ſiue ægrotis, ſiue ualentibus uiris opẽ ferre: ideóq; neq; uorari, neque bibi debere: ſecus quidem ac nõnulli circunforanei & carnifices faciũt, qui catapotia ex eodem argento cõfecta ad morbi gallici curationem, graui ſumentiũ periculo, dare conſueuêre, tanquã de ſalute ſua, eo ſumpto, illos periclitari manifeſtũ non ſit: non enim nunc magni intereſſe puto (ut dixi) qua id qualitate agat, ſcire, modò famoſum eſſe deleterium cõſtet. Quòd autem hoc nullam habeat dubitationem, oſtendit Dioſcorides, quando dicit, argentũ uiuũ omnem aliã materiam in qua occluſum fuerit, excedere, eámq; abſumere, argẽtea, uitrea, plumbeáq; exceptis: quo argumenti genere uſus eſt etiam Gal. ad cognoſcendum an helxine abſtergat. Quare ex his, alia praua qualitate, quàm pondere ipſo, euidẽs detrimentum inferre uidetur. Præterea à ſumpto argento uiuo eadem ſequũtur ſymptomata, quæ ab argenti ſpuma, ut Dioſcorides, Paulus & Aëtius ſcribunt: ſed illa magni plena timoris exiſtunt & diſcriminis, & extremè noxia & pernicialia. Quapropter argentum uiuum homini haudquaquã dãdum eſſe ſatis manifeſtum eſſe exiſtimo. Adde etiã quòd paulò antè aurũ tritum à te in uſu medico damnari propter naturã exitialem animaduertimus, cùm nihil aliud aurũ ſit (ut ais) quàm argentum uiuum purum à natura condenſatum, puriſsimam ſulphuris partem manifeſtè retinens: quocirca argentum uiuum multò magis humanæ naturæ pernicioſum erit. Galenus poſtremùm hydrargyrum recenſet inter illa, quæ uenena exiſtunt, quorúmq; uel modica portio, ſi ſumatur, maximum omnino periculum inferat & detrimentum. Si uerò quiſpiam dixerit, quod etiam Auicennas animaduerterat, Galenum in ix. de ſimp. medic. ſcripſiſſe, nullum ſe de hydrargyro feciſſe periculum, quòd interimat, ſi intus ſumatur, uel foris admoueatur: ita illi reſpondendum eſſe arbitramur: Galenum in iiij. de naturali hydrargyro locutũ fuiſſe, in ix. uerò de factitio: quamuis de hoc quòd uenenum nõ ſit, ipſe nullam adhuc certitudinẽ habeam. Quibus ſic explicatis, equidem neſcio cur argẽtum uiuum puerulis illis tuis interdũ propinare auſus fueris, etiam ſi poſt eius ſumptionẽ bene felicitérq; ceſſerit: quod caſui cuipiam profectò potius adſcribendum eſt, quàm experimento cum ratione. Non enim uerè affirmare poſſumus, etſi ſex uel ſeptem homines pharmaco aliquo purgatos uiderimus, quòd omnes poſthac ſimiliter purgabuntur: ſed rei naturã ſequi oportet, quemadmodum Galenus Hippocratem feciſſe ſcribit. Vidi nempe ego XII. adhinc anno, cùm in Burmijs eſſem, ubi ſalutares aquæ non longè ab ortu Abduæ fluminis ſcaturiunt, plurima & grauiſsima ex hac argenti uiui potione ſubſecuta fuiſſe incõmoda. Eò enim cùm Gallus quidã fortefortuna ſe cõtuliſſet, medicinámq; palàm profiteretur, (hac etenim cæterarum artium omnium nullam com

*Libri 6. de morb. uulg. comment. 6.*

*6. de ſimpli. med.*

*Quarto de ſimpli. medi. cap. 18. & 5. eiuſdẽ ca. 18.*

*Tertiæ ſect. aphor. 10.*

Iam cõplurimi hodie homines magis temerè exercent, cùm tamen difficilima ſit, & accuratiſsimè tractanda) pleroſque ex illis pagis ad eum tanquam ad Aeſculapij nuntium concurrere uideres. Is nanq; cõpoſitione quadam ex arte quidẽ ſua cõfecta ægrotos omnes potiſsimum de ſalute ſua deſperãtes perfectè curare abſq; dubio pollicebatur, quæ maximam argenti huius portionem exciperet, aurúq; tantillum, & quæ præterea circulatores iſti pro recõditis theſauris maximè obſeruant. Sed quid plura? cùm innumeri, qui pharmacum id ſumpſerunt, quod behezar ille appellare ſolitus fuerat, uitã cum morte cõmutauerint, alij multò quàm antea peius ſe habuerint, perpauci uerò, qui quidem robuſtioris naturæ fuerant, & mali tolerantioris, caſu quopiam euaſerint: dura enim corpora in uniuerſum ualentium medicamentorũ uim perferre poſſunt, ut ait Galenus in ix. de ſimp.med. ubi de terra Samia loquitur: quib. cùm aliquando deinde accerſitus ſuperueniſſem, ut alterius errata, quantum in me eſſet, corrigerem, adeò praua animaduerti ab eiuſmodi ſumpto pernicioſo medicamẽto inuaſiſſe ſymptomata, necnon extremas alui & uentriculi inanitiones, & ſyncopas, ſiue animi defectiones, ut non maiores, nec grauiores unquam uiderim. Quamobrem, mea quidem ſententia, cõſultius fuerit in ſingulis morbis ab argenti uiui propinatione nos abſtinere, quàm nulla ratione ægrotos periclitari uelle: quãdo inter uitæ mala nihil grauius ſit uenenato medicamento.

*Tertio de ſimp.med. Secundo de natura humana: & 3. de morbis uulga. & alibi.*

*De lapide Cyaneo.*

De lapide cyaneo, quem nunc gemmarij uulgò uenditãt, quémq; ſæpius certis ſignis ſcalptum annulis aureis includunt, ut eundem eſſe cõcedamus, quemadmodum ſcribis (quãuis ab illo officinarũ, & colore & ſubſtantia differat) cum cyaneo de quo mentionẽ fecerunt antiquiores medici, quíq; de horũ, qui ulcerant & erodunt, medicamentorum genere, ſecundũ Dioſcoridẽ & Galenũ, ipſumq; etiam Auicẽnam, exiſtit, necnon uehementis & timendę purgationis, ut ait Auerroẽs, atq; in æris, Dioſcoride autore, uel, ut alij aſſerunt, aurifodinis inuenitur: equidem non poſſum non multùm admirari, quòd Meſues, & pleriq; alij noſtræ ætatis medici, cõtra omnem rationẽ Arabũ ſectæ magis ſtudioſi, quàm Græcorũ, adeò temerarij & audaces fuerint, ut eo, cùm opus eſt, in medendo familiariſsimè uti nequaquã pertimuerint, potionibus eũ aut catapotiis, & huiuſmodi admiſcendo, ſiue naturalis ille, ſiue arte factus fuerit. Nõ ob id igitur quòd ueteres nihil de eius purgandi ui ſcripſerint, Leonicenus uoluit eo utendum non eſſe, uerùm quia putrefaciendi uim & corrodẽdi habeat: cui ſententię & Leonhartus Fuchſius accedit. Atque cùm Galenus armeniacum ſiue armenium leuiſsimæ eſſe acrimoniæ ſcribat, cyaneum uerò acri facultate prẹditũ, quomodo utrique eaſdem habeãt uires, & eas quidem armenius fortiores (ut ais) neſcio. Veri autem cyanei experimentũ eſſe dicit Plinius, ut in carbone flagret. Cæterũ cùm Manardus & cyanei, & armenij lapidum facultates, quas illis Dioſcorides & Gale. attribuerunt, ut ueras confirmaſſet, deinde ſubiunxit, hæc omnia intelligẽda eſſe, dũ foris admouẽtur. Quare quid hunc uirum alioqui peritum, & de rebus medicis optimè meritũ, in talẽ adegerit opinionẽ, profectò fugit me ratio, cùm potius medicamentum iſtud ſi intus ſumatur, efficacius eſſe debeat, & promptius uires ſuas exercere magis ſit rationi conſentaneum, utpote quod facilius à calore noſtri corporis naturali ad illud exequendum iuuetur, propter loci præcordiorum uicinitatem, quæ utique calidiora ſunt, quàm quæ foris ſunt partes, propter multa impedimẽta, quę, ſi pharmacum id extrà applicetur, fieri poteſt ut eueniant, illiúsq; facultates obtundant & remorentur. Quãuis autem uir iſte uſque ad drachmarum duarum pondus cyanei lapidis pollinẽ ſe dediſſe fateatur, rémq; ſibi optimè ſucceſsiſſe, alióſq;, qui eum pro certo ſe expertos fuiſſe affirmarint, etſi minoris multò mẽſuræ: certisq; aliis medicamentis admiſtũ, & elotum cognouerim, horũ tamẽ experimẽta nõ ita facilè recipiẽda, atq; approbãda eſſe duxerim, tum quia à Galeni & Dioſcoridis opinione longè aliena ſunt, tum aliis de cauſis: & maximè cũ cyanei uice mitioribus uti liceat medicamẽtis, & minimè in medendi uſu ſuſpectis. Ex lotione quidem & uſtione minus mordẽs reddi medicamentum concedimus, ut de chalcitide narrat Gal. Verùm etſi hoc loci & alibi dicit, ex illo abluendi modo medicamentũ mordacitatis expers euadere, & edomari, & interire, nõ omnino tamẽ ea carere ſcribit, imò ex uſtione ſubtilius reddi: ut de gallis combuſtis, necnon fuligine, cineréue cõſtat. Et quamuis acria, ſi urantur, multùm caloris amittant, quæ uerò huiuſmodi non ſunt, aſſumãt, combuſtorum tamen omnium nullum planè eſt frigidum: relinquitur enim in illis uelut ἐμπύρευμα τι, hoc eſt, ignis quoddam fomentum: ita enim Ariſtoteles appellabat, quod per ablutiones in aqua remanet: imò quorum dura & craſſa ante uſtionem fuerat eſſentia, ea depoſita, cõtrariam adſciſcunt facultatem, quam uocant digerentem. Adde etiam, ſi quæ Manardus de hoc lapide ſcripſit, uera eſſent, mirum quidẽ uideri Galenum de illis non tradidiſſe, medicorũ quippe ſapientiſsimũ: quo quidẽ argumenti genere quandoq; nos uſi ſumus, nõ certè ut ualidiſsimo, ſed ut alicuius momenti & efficaciæ, uiri diligentia ſumma, & eruditione, cõſideratis. His etiam amplius ſubnectere nobis uiſum eſt, ea quæ Meſues ex Alexãdro Tralliano adducit, nequaquã uera eſſe, ſed falſa: lapidem ſcilicet Armenium efficaciorẽ in ſoluendo eſſe, quàm ſit lapis lazuli (ut eius uerbis utar) choleram nigram: ſi modò non deprauatus, aut imperfectus eſt Alexandri codex: nullam enim ibi de lapide cyaneo ſiue lazuli mẽtionem habet Trallianus: ſed Armenum in eductione humoris nigri comparãs elleboro, mirificè illum extollit: etſi etiam ſcio Auicennam in capite de azul idem aſſerere, quod Meſues Alexandro adſcripſerat, qui tamẽ cum Serapione ſic ait: Virtus eius eſt ſicut illius, cui adhæret aurum, hoc eſt chryſocolla, debilior parum, & eſt putrefactiuus, & in ipſo eſt aduſtio & exulceratio. Dioſcorides quoq; cõfirmare uidetur lapidis cyanei uires efficaciores eſſe quàm Armeni, ſi accuratè illius uerba conſiderentur. Scimus quippe nonnulla à ueteribus in medẽdi uſu tutò uſurpari uenena, modò (ut dixi) certa illa arte pręparenť, uel ex aliorũ medicamentorũ mixtione illorum uires & malitia corrigatur. Cantharis enim (exẽpli cauſa) ſi, quibus oportet, moderatè admiſceatur, & modicè ſumatur, præter quòd ueſicam nihil offendit, etiã renes expurgat, efficacioráq; reddit medicamenta, quæ ad mouendam urinã componũtur. Similiter crocus, ſtyrax, myrrha, & papaueris ſuccus, ſi largius ſumatur, dementem facit, moderatè autem aliis admiſta adiuuãt. Verùm nõ propterea tamen dicimus omnibus utendum eſſe uenenis, ſed tantum notis, ac optimè expertis, & approbatis.

*Quinto Collect.*

*Lib.33.capi. ultimo.*

*Quarto de comp. medi. ſec.loca. Tertio cur. meth. & 2. de ſimp.medic.capi.15. & 4.de compoſ. medi.ſecundum genus, multis in locis: & 7. de ſimp. med.*

*Galen.9.de ſimpli.medi. capi.de metallis, & de pumice.*

*Vndecimo de ſimplici medi.cap.de oſtreis.*

*Libro 1.capi.22.*

*Quarto & 5.de ſimpli. medic. capi. 18.*

*De ſanguine draconis.*

Leonhartus Fuchſius duplex ſanguinis draconis officinarum genus eſſe oſtẽdit. Primum quidem cum Leoniceno ueram cinnabarim eſſe exiſtimat: alterum uerò quod colore atrum eſt, & in orbem circumactum, ſed tamen cõpreſſum monſtratur, arboris lachrymã eſſe, quam ipſe itidem deſcripſit. Sanguis autem draconis, quẽadmodũ ipſe etiã annotaſti, qui à pharmacopolis noſtris exponitur orbiculari figura preſſus, terra eſſe apparet. Alter quem eædem habent officinæ, gũmi magis uel lachrymæ naturæ adſimilatur, quàm cuipiã metallicæ rei: niſi fortaſſe, qui in quãplurimis officinis habetur, ſyncerus ille non eſt, ſecundũ Plinium inuentu rarus, & de quo Leonicenus mentionem fecerat, quódq; Georgius Agricola in Bermanno metallicum eſſe adfirmat. Hoc ego quidem uerè aſſerere poſſum, metallicum illum celebratiſsimum me nunquam uidiſſe: quapropter tu attentius, quàm nos, iterum, & diligentius, de eo ut cognoſcas operam dabis.

*De Antimonio.*

Notam, qua antimonium à plũbo differre ſcripſiſti, illud uidelicet teri, non fundi, plumbúmq; ſolum fundi, non eſſe uerum, ab iis qui eis creberrimè utuntur, accepimus: antimonium enim facilè fundi, quanquam non ita ut plumbum, pro comperto habent.

*Sapphyrum ſculptilem eſſe.*

Neq; quòd ſapphyri ſcalpi non poſsint, certum eſt: nos enim unũ habemus ſigno Imperatoris Galbæ doctè excauatum. Difficillimè uerò, quòd duriſsimi ſint, illos & adamantem ſcalpi dicimus, & quidem lapide ſmiride ſolo, eóq; minutiſsimè trito, aut adamãtinis ſegmentis, aut alio adamante cuſpidatam figurã habente: quemadmodum iis qui quotidie Venetiis gemmas aptant & expoliũt, notiſsimum eſt. Audiuimúſq; aliàs Leonem x. pont. max. Adamãtem, qui quidem ſapphyro durior exiſtimatur, digito ſæpius geſtare ſolitũ, muſcæ in eo effigie mirabili artificio exculpta, quã nobiliſſimus artifex de induſtria cælauerat, ut quendam ab eo punctum, ſiue glaciem (ita enim gemmarij appellant) ſuo excellenti ingenio demeret, quò ſic Adamãti decor & pretium accreſceret. Cuius quidem ingenium nõ minus laude dignum exiſtimo, ac illius opificis qui in an-

nulo Phaëtonta quatuor equis inuectũ ſculpſit, de quo Galenus meminit lib.xvij.de uſu partium.

*De Aſphalto.*

In conſiderationem nunc aſphaltum uocantes, dicimus, non abſq; ratione nos pro bitumine, pice ſicca uti poſſe, quamuis alterum naturale ſit, alterum arte fiat, quemadmodum Galenũ, alióſq; legenti autores abundè cõſtat: quoniam eiſdem illa inſigniantur uiribus, nec ſubſtantię ſimilitudine inter ſe diſcrepẽt: bitumen enim calidum eſt, & ſiccum in ſecundo ordine, atq; ad glutinanda uulnera utile: ad quæ etiam ſingula pix ſicca ualet. Cùm igitur bitumen Iudaicũ omnia alia eiuſdẽ generis præclarè excellat, necnon quibus admouetur optimè proſit, ſi id haberi poteſt, quando uſus & res poſtulat, eo uti cõmodius eſſe exiſtimamus, modò ſyncerũ inueniatur, nec ulli alij rei permiſtum. Sed cùm propter illam, qui in Syria ſunt humati, hominum partem quæ ſecũ admiſcetur, inualidius neceſſariò, ac deterius multò (ut infrà apparebit) reddatur, longè melius nobis fuerit, eo omiſſo, aut pice ſicca uti, cùm eiſdẽ ferè (ut dixi) polleant facultatibus, aut petroleo, quod ex agro Siculo ad nos importatur, & bituminis uice uenit, ac pro eo in uſu medico habetur (hoc enim inter bituminis genera connumerat Dioſcorides) quàm Arabum mumia, quæ licet ex bitumine, & aliis rebus cõfecta ſit, credendum tamen eſt uitium potius attraxiſſe ab humani corporis ſitu, & putrefactione, & proprias uires aut omnino, aut multum earum perdidiſſe, quàm nouas ex eo & (quod iſti putant) ad medicinam præſtantiores acquiſiuiſſe, neq; ita potẽtem eſſe, ut antea, in exiccando. Satius igitur fuerit ac conſultius, puro bitumine uti, uel eo deficiente, ſuprà ſcriptis ſimplicibus, quàm mumia illa humano generi plurimum abominanda: quam ut deteſtabilem unà cum Leonharto Fuchſio ab officinis arcendam, & omnino potionibus interdicendam eſſe proculdubio cenſemus, iuxta Galeni ſententiam, cùm innumera nobis alia non deſint ad eoſdem morbos, ad quos illa utimur, ſalutaria remedia. Et quanquam Arabum autores, quiq; illorum doctrinam ſequuntur, ad ruptos, & è ſublimi præcipitatos, cruentáq; expuẽtes, eam uſqueadeò cõmendent, ut nulli compoſitioni, quę his conueniat morbis, non permiſceant: ego tamen potius, & quidem abſque ulla dubitatione, ſi eiuſmodi remedio utendum ſit, malim abiecta hominum pinguedine, cæteris uti, quæ mumiam ipſa quoq; componũt. Ea enim propter, non autem ob pinguetudinem illam corruptam, in his morbis mumia pręſtantior iudicanda eſt: myrrhámq; & aloën & bitumen, propter hunc putridum (ut antea oſtendimus) defunctorum hominum humorem, ad uſus medicos imbecilliora fieri, ac corrumpi: humorem enim, præſertimq; iſtiuſmodi, putrefaciendi corpora potius uim obtinere exiſtimãdum eſt, quàm aut roborãdi, aut conſolidandi. Quare tutius fuerit, ac rationabilius, ab hoc dando medicamẽto abſtinere, pręcipuè cùm contrarium, atq; ſperabamus, facilè euenire poſsit. His accedit quòd Auicennas mumiam deſcribens, de hac mixtura, & humana mortuorum pinguitudine, nullam fecerit mentionẽ, at de Dioſcoridis piſſaſphalto diſputauerit: de quibus, quia à Leonharto Fuchſio latius traditũ, amplius à nobis diſſerendum non eſt.

*Decimo de ſimpl. medi.*

*De Chalcantho & Chalcite.*

Cùm chalcãthum & chalcitis uirium ſimilitudine inter ſe conueniant, & eiſdem qualitatib. præſtent, cur altero uice alterius uti non liceat, nobis quidem nõ ſatis liquet: cuius tamen rei contrariũ tu ſentire uiſus es præter Galeni etiam methodum.

*De terra Lemnia.*

Quæ de terræ Lemniæ differẽtiis abs te prodita ſunt, in his uellem (ut congruũ fuerat) diſtinctè magis & exactè locutus eſſes, ut planiorem earũ doctrinam & certiorem haberemus: ea enim quæ terræ Lemniæ, hoc eſt, ſacræ conueniunt, ueræ rubricæ attribuiſti, cùm tamen inter ſe diſtinguantur: & ideo bolũ hunc Armenũ orientalem nunc ita à nobis appellatum, iis comparãdo quæ iam terræ Samię adſcripſeras, eundem terram ſacrã eſſe ſuſpicatus es: quod à Leoniceni opiniõe, quę nobis certior apparet, longè diſtat. Sed cũ pòſt animaduertiſſes terrã ſacram à Galeno fuluo colore pingi, non rubente, quẽadmodũ nunc eſt uocatus bolus Armenus, imò illã rubentis eſſe coloris, quali inſigniri fertur rubrica terra, quæ ſecunda terræ Lemniæ ſpecies eſt: ideo ſuperiorib. tuis ſcriptis addidiſti, bolũ Armenũ nũc appellatũ orientalem, eſſe terrã Lẽniam, aut rubricam Lemniã: quia pro certo bolus hic terra ſigillata eſſe non poteſt, ut patet, cùm nõ fuluus exiſtat, uelut illa à Galeno deſcribitur: ſatis enim notabili interuallo fuluus & ruber color inter ſe diſcrepãt. Plinius fortaſſe ut in hũc modũ de his commentareris tibi occaſionem præbuit, qui ſanè hac in re, noſtro & aliorũ iudicio, reprehenſione potius (ſi tamẽ hæc de tanto uiro fari licet) quã laude dignus exiſtimatur, iuréq; à Leoniceno argui & caſtigari. Terræ uerò Lemniæ (ut ais) ſabulũ miſceri, nec Galen. quod ſciã, nec alius ſcripſit. Ac ne hoc quidẽ mihi ſilentio prætereũdũ uidetur, Lẽniã terrã ita ab inſtitoribus adulterari, ut nemo ueram à falſa fucatáq; poſsit dignoſcere, quemadmodum multa alia ab adulteratis dignoſci difficillima.

*Nono de ſimpli.medi.*

*Lib.1.de antidotis.*

*De nitro.*

Equidem (ut de nitro nonnulla à nobis afferantur) tuam ſemper atq; Hermolai cõprobauimus opinionẽ. Dicimus igitur tria hęc ſecundũ Gale. diſtingui, ut etiam notauit Hermolaus: litrum, ſpuma nitri, quæ & aphronitrum appellatur, & aphonitrum: etſi uicinitas nominum, & librariorũ incuria interdum faciãt, ut plerique codices uitientur. Nitrum itaq; & litrũ idem ſunt, ſicut & aphronitrũ cum aphrolitro: ſimiliter aphonitrũ, & aphrolitrũ pro eadem re accipiũtur: tametſi id ſubtilius eſt, amarius, magiſq; abſtergens, quã ſpuma nitri. Poſtea uerò quàm ad manus noſtras peruenerunt Iani Cornarij cõmentaria in Galeni libros de comp. medi. ſecundum locos, profectò Galeni uerba magis quadrare uidentur, ſi ita, ut ille monet, caſtigentur. Duo enim hæc, nitrum & litrum, diuerſa inter ſe eſſe oſtendere nititur: attamen quoniam nullum, à quo illud ſumpſerit, autorem citat, qui de his ſeorſum, tanquam diuerſis tradat, eiúſq; cõfirmet opinionẽ, nobis ex iudicio tantùm, & ingenio ipſius, dictum illud uidetur, atq; inuentũ: unius enim Græci codicis fide & exemplo (quod quidem ſatis magnum eſſe argumentũ non negamus) omnia Galeni uerba permutat: cui etſi non omnino, magna tamẽ ex parte credẽdum uidetur. Vtcũq; igitur lectio illa reſtituatur, cùm nitro ſiue litro, & cæteris illorũ differentiis nos carere à cunctis receptũ ſit, omniáq; eiuſdẽ ferè naturæ ſint, ad ſalſedinem & amaritudinem declinãtia, & ſecundum plus & minus tantummodo inter ſe diſcrepantia, non magni res fuerit momenti, altero (ſi quando res poſtulat) alterius uice uti, & ad medicos uſus illa indifferẽter adhibere: niſi quòd illa adſtringẽdi facultatem non agnoſcunt, ut ſal. Quòd autem nitrum, quo nunc ad tormenta bellica utuntur, & ſalnitrum uocant, diuerſum ſit ab antiquorum nitro, putant omnes, à quibus ne nos quidem diſſentimus. Verùm noſtrum quoq; ſalnitrum antiquis cognitum fuiſſe, nonnihil ut ſuſpicemur, facit Plato in Timæo, qui ex terra fuſili ait lapidem fieri colore nigro, & ſimiliter ex commixtione quadam, & humoris priuatione, de tenuioribus terræ partibus fieri nitrum & ſalem. Tu locum diligentius cõſiderabis, conſideratúmque aperies. Scimus etiam Plinium in capi. de nitro, ad illius calcem, ſalis nitri mẽtionem feciſſe: ſed loco illius uerbum, nitri, reponendum eſſe ſuſpicor.

*Quarto de ſimpli.medi. ca.19.& 20. & eiuſdem 9. capite de aphrolitro.*

*Lib.1.*

*Nono & 11. de ſim.medi.*

*Quarto de ſimpli.medi. ca.29.& 20.*

*Secundo de compo.med. ſec.genus.*

*Lib.31.*

*De Pompholyge.*

Indubitatum & illud eſſe cõfirmamus, pompholygenos, ſiue tutia, quam uocãt, pro ſpodio uti poſſe ac debere, ubi neceſſe eſt, in iis qui foris corpori contingunt affectibus, nõ intus: hæc enim nequaquàm interiorib. exhibẽtur, ut ſunt ærugo, põpholyx, cadmia, & huiuſmodi. Quare cũ Iano Cornario ſuſpicor Galeni locũ in vij. lib. de comp. med. ſecundum locos, cap. ultimo, ubi ad orthopnœam, in quã miſy inditur, compoſitionem inſtituit, corruptũ eſſe, & miſy loco, aut aniſi, aut ſimile quippiam ſubſtituendum: niſi fortaſſe aliorum medicamentorũ adiectiõe uim eius mitigari, & coërceri poſſe dicendum ſit: refranguntur enim medicamentorũ ualidorum uires imbecilliorũ miſtione. Et quia omnes ferè medici propinqui ætati Auicennæ ſpodio ad affectus, qui intra corpus ſunt, utuntur, in his affectib. licet tale ſpodiũ inutile uideatur, malum profectò fuerit, & præter rationem, pro eo re metallica uti, tutia uidelicet, ſiue alio eiuſdẽ generis medicamento. Quare exactius uellẽ hac de re diſſeruiſſes, ne reb. parũ diſcretis, quæ uel exactiſsimè diſtingui deberẽt, ægroti de ſalute ſua in diſcrimen ueniãt, nõ leui medicorũ ignominia: quoniã (ut dixi) hæc pharmaca non aliter uſui medico habentur, niſi neceſsitudine extrà corpori inſpergantur, uel aliquo modo applicentur, iuxta Galeni methodum in libro paulò antè à nobis citato.

*Quarto cur.meth.*

*Primo de cõpo.medi.ſec. locos.*

*De Monocerotis cornu.*

De Monocerotis cornu latius profectò te locutum fuiſſe optarem, utpote de quo etiã in re medica nobis

curæ

curæ eſſe debeat: quando uſqueadeò hoc noſtro æuo medicorum inualuit conſuetudo, ut quibuſcũq; adoleſcentulis uermium iniuria, & prauis eorũ uexatis ſymptomatis, necnon iis qui uenenum hauſerunt, aut à cane rabido, aliíſue animalibus uirulentis percuſsi ſunt, morbíſue aliis grauiſsimis impliciti, illicò illorũ iuſſu, nulla de eo cõſideratione habita, bibẽdũ detur: quibus autem rationib. moti, teſtimoniíſue doctorũ hominũ, aut laudabilib. experimentis id agant, equidẽ, quod uerè affirmare poſsim, nõ habeo. Aelianus quidem, & Plinius, uel ſi quis etiam eſt præter hos alius, Monocerotis effigiem graphicè pinxerũt: de illius autem cornu uiribus, quatenus ad medicũ attineat, nec ipſi, nec quiſpiã alius (grauis modò fuerit ſciẽtia & autoritate uir) quicquam poſteris memorandũ reliquit. Mihi quidẽ unquã (ut uerum fatear) nec audire quenquam, nec legere contigit, qui de illius cornu mirabili, quam prædicant, poteſtate aliquid ſcriptum reliquerit. Quòd uerò ais ſubnigrũ hoc eſſe, uel ſubcineritium, nos illud non comperimus, uerùm nigrũ eſſe iuxta Plinij ſententiã. Quapropter tu, qui apud Principẽ agis, eúmq; (ut audio) nouarum rerum cupidine ardẽtiſsimum, probè feceris, cùm nactus ille fuerit Monocerotis cornu recẽs, non autem quale hodie ad medicos uſus uſurpari uidemus, longinquitate temporis in admodum ſanè à cornea diuerſam naturam conuerſum, ac, ſi quas habere credendum eſt, nullarum uirium (uetuſta enim medicamenta, ut ſunt liquores, ſucci, flores, folia, fructus, radices, ſemina, non modò omnino fugere conuenit, ſed & metallica, quandoquidem & ipſa longo tẽporis ſpatio uires ſuas amittunt) ſi certam, de eo prius peracto iuxta Galeni doctrinam experimento, poſteritati tradideris notitiã, ne tot exteris petitis regionibus, tandiu miſerrimi decipiãtur ægroti: quod tibi ut æquiſsimam rem petenti, illum nõ abnegaturũ ſcio. Adeò enim nũc hominum genus uniuerſum, quãcunq; orbis partem uel remotiſsimã perluſtraueris, circunforaneis, iíſq; uberrimis medicamentis ſcatet, atq; incertis & noxiis remediis, magicíſq; artibus & prȩſtigiaturis, & diuinandi uariis modis, qui quidem à ſpeculatione medica longè diſtant, ut nullam artem medicina inconſtãtiorem eſſe, uerè ſcripſerit Plinius, nec Romana maieſtate dignam. Quæ quidem & à Galeno abundè quoque deteſtata ſunt, & his uerbis in primo de ratione uictus acutorum morborum explicata: Controuerſia enim iuſtam ignorãtiæ ſuſpicionem oſtendit, cõcordia uerò magnam cognitionis ſpem demonſtrat, & diſcipulos non ſolùm allicit, ſed credulos reddit: & eam diſciplinã idiotæ quoq; uerißimã exiſtimant, in quorũ numero mathematicæ ſunt, &c. Sed ut illa ab omnib. ſummo, ut par eſt, in honore habeatur, quæ præcipuè Hippocrates & Gal. tradiderũt, & ſi qui ſunt illius ordinis uiri, ea ut ſana certáq; nobis ſequẽda ſunt, & hactenus experimentis credendum, quatenus certa ſunt & conſtantia. Medicos autem in primis uitæ probitate cȩteros antecellere oportet, necnon ſingulari doctrina prȩditos eſſe: tum ſi qua uel caſu, uel peritiorũ hominum induſtria & cura, ut pleraque alia in lucẽ recens emergunt remedia, ea quidẽ priuſquam aut ægris, aut aliis ad tuendam ualetudinem dentur, aut etiã foris corpori admoueantur, certa cum ratione & diligentia examinãda ſunt: quod ut facias, nõ ſolùm in eo, de quo nunc noſtra eſt oratio, ſed etiam in pleriſq; aliis medicamentis, plurimũ te rogo atq; obſecro, quæ licet (ut ſcis) incerta ſint, & ambigua, mirificè tamen à noſtræ ætatis medicis, tanquam omniũ maximè præſentanea, & cõmendantur & deſiderantur: neque ulla eſt ferè eorũ cõpoſitio, in quam recens aliquod huiuſmodi, nec probè expertum medicamentum non addatur, contra quidẽ Galeni ſententiã in primo lib. de ratione uictus acutorũ morborum, explicatam, necnon in primo eiuſdem de antidotis. Sed ad inſtitutum noſtrum iam redeundum, & quod reliquum eſt peragendum.

*Primo de compo. med. ſecũdũ loca.*

*Decimo de ſimpli. medi.*

*Pinguedo & adeps quo differant.*

Differt à pinguedine adeps, quòd ea craſsior ſit: & propterea in uniuerſum naturam animantibus magis terrenam habẽtibus adeps generatur, ueluti humidam pinguitudo: proinde ea ad ignẽ poſita liqueſcit, nec facilè, ubi liquata fuerit, rurſus denſatur ac cogitur: adeps uerò non ita facilè liquatur, & fuſus uelociſsimè glaciatur & coaleſcit, multóque apparet pinguedine durior: quanquam utraq; inter ſe quandoque confundantur, alterúmq; pro altero ſumatur, ut ait Galenus xj. de ſimpli. med. nõ omnino tecum de pinguedine ſentiens, qui eam non glaciari ſcripſiſti. Sed id ut leuiſsimum à nobis profectò prætereundum erat, quódq; annotatiunculis noſtris finem imponere iam tempus ſit.

Reſtat tamen, poſtquã in pinguedinis mentionẽ incidimus, ut hic quoq; nonnulla attingamus hac de communi omnium penè medicorum inueterata conſuetudine, &, ſi uera dicere fas eſt, abuſu potius inualeſcente. Nam cùm Galenus in leniendis ac ſedandis dolorib. & ut ſubſtantiæ partium tenuitate magis penetrabilẽ, anſerinum adipem cæterarum præferat uolucrum adipibus, deinde gallinaceum, ut cõpluribus in locis patet, præſertim in ſecũdo ad Glauconem, ubi de ſcirrhis agit: & in libris de comp. medi. ſecundũ genus: in quadrupedum uerò genere leoninum, & qui deinde ex pardo ſumitur (nam in uniuerſum tenuioris eſſentiæ adeps eſt agreſtium animãtium & uolatilium: horum uerò quæ in urbibus otioſè aluntur, adeps humidior & craſsior eſt: ſunt enim animalia domeſtica humidiora) quid iſti adeò anatum adipẽ laudauerint, ac aliis prætulerint, ut ſummam huic utilitatem & gloriam detuliſſe uideantur, equidem huius rei cauſam non uideo: quídq; iidem aliorum adipes quadrupedũ, leonis ac pardi uice ſubſtituerunt: niſi quis fortè horũ controuerſiã cõponens, prædictorum adipum naturas non multùm inter ſe diſtare dixerit: aut quòd leonis ac pardi adeps difficilis inuentu ſit: quódq; omniũ natura, quæ difficulter parari poſſunt, fugienda eſt. Caprarũ uerò adeps, ut illud quoque obiter dicam, præſertim hircorum, quia ſiccior & durior eſt, in dyſentericis per clyſterem infunditur, non quòd mordicationem ſedet, ut pleriq; etiamnum arbitrantur. Neq; etiã illud prætẽriuerim, caporũ adipẽ eandem habere facultatem cum gallinarum: caſtratũ enim animal ſemper redditur fœminæ ſimile, & iis qui ætatis ſunt minoris. Cæterùm cùm bonæ diſciplinæ, bonique mores mortalibus dati ſint, ut uiatici uice nobis ſint ad minuendos uitæ noſtræ labores & moleſtias, & comites ſuauiſsimæ, utq; aliis exemplo & emolumento eſſe poſsimus, iſti cõtrà peruerſe medentes, illarũ uice, pertinaciam ignorantiámq; ſuperbiæ coniunctam ita amplectuntur, ut nihil aliud magis diligant, atq; extollant. Poſtquã enim in his contra omnẽ quidem rationem reſpondere fortuna uiſa eſt, omnia, prȩter lucrandi ſtudiũ & gloriã, odio habẽt, cæteróſq; qui cùm ueterum, tum recentiorũ claris lucubrationib. cõtinuè & ſedulò operam nauant, tanquam medicinæ ignaros negligũt, ac ſi multa ſcire, & in optimis artibus optimè uerſatũ eſſe, medico decorum non ſit. Sed iſtis, ſolo doctoris titulo, eóq; ſæpenumero magno pretio empto, illuſtribus factis, non uirtutibus, & falſo cõtaminatis honore omiſſis, congruũ uidetur ea quæ à Galeno adducuntur cõtra Xenocratẽ, cõmemorare, qui de partibus noſtri corporis quid in re medica poſſent, locutus fuerat: quoniam earum quaſdã quærere legibus ſit uetitũ, quaſdã uerò, quòd fœdus ſit illarũ uſus, & abominabilis, & illis uti medicinæ egeſtatem indicet, ut eſt in iij. de comp. medi. ſecundũ loca. Is itaq; nõ longè à principio libri decimi, cap. de ſanguine ſuillo, in hunc modum ſcribit: Putantes ſanguinem humanũ aliquid poſſe (quod & de pinguedine intellexiſſe uerisimile eſt) primũ id illi experiri debent in ſuillo: quòd ſi ne tãtillum quidem promiſsis reſpondeat, nõ erit cur in humano experimentum facere oporteat. additq;, ſimilia quippe efficere poſſe ſimilia, experti ſumus. Neq; uerò uideo, cur tu ad tuendã tuam opinionem Alexãdri Benedicti teſtimonio uſus fueris, Galeni uerò in ſupraſcriptis locis, Pliniíq; de latina lingua & medẽdi arte optimè meriti, de his omnibus latè diſſerentium autoritatem intactam prætermiſeris.

*Octauo cur. meth.*

*Tertio de cõpoſ. medi. ſecund. genus.*

*Galen. 10. de ſimpli. medi.*

*Galen. 11. de ſimpli. medi. & 1. de ſem.*

*Gal. 9. & 10. de ſimp. medic.*

*Decimo de ſimpli. medi.*

*Lib. naturalis hiſtoriæ 28. cap. 1.*

Ne illud quidem, cùm de oleis agis, nobis planè ſatiſfacit, quando oleum roſatum appellas, quod Dioſcorides unguentũ: conſtat enim ea iuxta Dioſcoridis & Galeni ſententiam inter ſe differre. Hic nanq; in ij. de ſimpl. med. cap. xxvij. & eiuſdẽ vj. cap. de oleo, & iiij. de cõpo. med. ſecundũ genus, in unguenti Primionis deſcriptione diſcrimen unguenti & olei tradens, ait, oleum eſſe, quod abſq; odoramentis ſiue aromatis præparatur & conficitur: quòd ſi illis admiſceantur, unguentũ ſiue hedyſma appellari: quod tamẽ tu aut non animaduertiſti, aut tanquam leue ad ſcribendum, non curaſti.

Poſtremùm cùm Gale. eos mentiri affirmet, qui lapides in ſpongiis repertos, et illos etiã qui Iudaici ſiue Syriaci appellãtur, ut ipſe ait in x. de cõp. med. ſecundũ locos, ueſicæ lapidem uim cõminuẽdi habere dicunt, ſed

Gale. 9. de simpli. medi. Auerroës 5. Collect.

tantùm eos qui in renibus sunt frangere: non modicè hac de re admirati fuimus, te Serapionis testimonium citare, eiúsque sentẽtiam magis approbare, necnon Aëtij sermone 2. capi. 10. qui eum thecoliton appellat, quàm ipsius Galeni, præstantissimi quidẽ, & principis in medendi exercitatione uiri, cuíque in omnibus magna adhiberi fides debeat, præsertim in iis, quæ ipse se expertum fuisse affirmat. Hæc sunt optime uir, quæ nostro & Collegarum nostrorum nomine ad te scribenda habui, quę tu ea fronte, atque eo animi candore accipies, & leges, quib. nos tuum medicamentorũ simplicium Examen legimus. Tibi autem persuadeas uelim, nos omnes tua causa uelle omnia, ac cupere: & paratos esse tibi morẽ gerere, si quãdo aut opera, aut re nostra uti uoles: quem quidem ut peritum & diligentem rei medicæ instauratorem obseruamus plurimùm, ac ueneramur. Si quid uerò aliud noui in re nostra tuum pepererit ingenium (quod proculdubio fore existimamus) eius nos, quicquid illud fuerit, ut nobiscum cõmunices, te etiam atque etiam rogamus: nam & nobis gratissimum facies, tibique maiore quàm antea beneficio adstringes. Et licet quantum potui cauerim ne te uel tantillum læderem: si quod tamẽ uerbum fortè offenderis a me incautè prolatum, quod liuoris aut aculei aliquid habere uideatur, ut illud prorsus confodias ac tollas, tanquam à nobis alienum, nostri scito esse instituti. Vale, & nos ama.

Ex Brixia, tertio Calendas. Ianuarij.

M. D. XXXVIII.

# IOAN. BAPTISTAE THEODOSII MEDICI BONONIENSIS EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER.

## EPIST. I. AD IOANNEM MAnardum uirum doctißimum, in qua agit de natura aloës, & quid sentiat de Auicennæ & Mesuæ scriptis.



DE meo studio erga doctrinam existimationémque tuã, Manarde doctissime, credo te iampridem cognouisse, tum ex meis ad te datis, tum etiam ex aliorũ uirorum doctissimorum literis quibuscũ ego quotidie colloquor. Visum tamẽ est & has ad te dare, quo simul & superioris silentij culpã deprecarer, & cumulatiore munere te demererer. In prima fronte tuarum epistolarum flagitas, ut lucubrationes meas edere incipiam: Et quid de Auicennæ ac Mesuæ scriptis sentiam, in medium proferam. Rem amplam & magnã petis. Nam in colligendo nec usque adeò superstitiosi fuimus, ut auderemus reprehendere, nisi quod manifestarium aliquẽ errorem pręse ferret: neque rursum ita temerarij, ut quod à uiris bonis probatum, etsi aliquanto à recta ratiõe recedat, accusaremus. Illud enim est cornicum oculos, quod dici solet, configere: hoc uerò ambitionis. Minime mirũ debet tibi uideri, si nolo hac in re præcipitare iudiciũ meũ. Noui enim ego quàm fœdè illi hallucinati sint, qui ea, quæ antiquitas magno consensu approbarit, damnare ac rescindere, conuellerée que conati sunt: unũ autẽ illud libere eloquar, me multas bonas horas in nõ adeò bonis autoribus cõtriuisse, quas si bonis dedissem, possem iã apud me liberius gloriari, nullum esse doctrinæ genus, in quo nõ exactũ iudiciũ conferre queam. Permultum enim refert, quibus à teneris annis assuescas. An iniuriã temporum, an præceptorũ nostrorum negligentiã incusem, penitus ignoro. Vtrũque enim per se maximũ detrimẽtum studiosis hominibus attulisse uidemus. Vt interim sileã, multis iam seculis medicos bona ac præcipua parte medicinæ neglecta, omnẽ operã in quæstionũ argutiis cõtriuisse. Quàm alienum autẽ sit à uera medicina, bonos floccipendere, ac malos imitari, clarum est: idque hi faciũt, qui Galenũ relinquũt, & Auicẽnæ sese totos dedũt, ac reliquæ barbariei scholæ. Adeò sunt enim inuisi mihi, ut nihil non indoctũ putem, quod cõmune cum illis sit. Natura autem & studia trahũt me ad ueritatis cupiditatẽ: quã qui pro uirili parte student imitari, iam maiorẽ meliorémque medicinę partem adepti sunt. Atque hęc maxime in eos dicta existimari uelim, qui Auicennã, & eius farinæ autores ἰσοθέους credunt, ac si falli & fallere nesciant. In fœtura mea, ut rem ipsam aggrediar, plura Auicennæ loca adsignaui, in quibus nõ solũ à seipso, uerũ etiã à Galeno, à Rasi, ab aliisque infinitis doctrina claris uiris dissidet: neque hoc in simplicibus medicamẽtis tantũ, sed & in sensibus medicinalibus. hæcque ob id dico, ut intelligant, quàm facile & procliuũ sit homini labi, atque errare. Equidẽ si quis nesciat, erroris & ignorãtiæ nobis est cognata necessitas, quę nos, uelimus nolimus, perpetuò comitatur. Ille autem qui rerum summam & regit & gubernat, fons luminis totius, ipsa sapiẽtia æterna, errare nescit: in hominib. autẽ, cùm errorẽ unà cũ lacte nutricis imbiberint, is melior et dici et haberi dicitur, qui minimè impingit. Fit autẽ ut minimè impingamus, si Dei opt. maximique bñficio freti, totũ nostræ uitæ tẽpus in optimos quosque autores collocauerimus: de quorũ numero plures sunt, tum recentiorũ, tum ueterum, queadmodũ ex ueteribus est Hippocrates, Gale. Paulus, Aëtius, Orobasius: ex recẽtioribus uerò sunt, Gentilis, Nicolaus Flor. Bartholomęus Montagnana, Iacob. de partibus, & alij infiniti, quorũ hîc catalogum præter institutum esset recensere. In hoc autem numero etiã haberi possent Auicenna & Mesue, si fideliter tralati essent, aut si exemplaria huius, qua scripsere, lingua extarẽt. Subit mihi uereri hos prodigiosa quadam mendositate scatere, cùm nemo sit qui lapsa restituat, & nihil unde restituantur. De primo igitur errore Mesuę accipe, & hinc diiudices: si quis statim portu egrediẽs in nauẽ impegit, quã sit periculosum in Syrtibus atque Euripis nauigare. Mesue de purgatorio medicamẽto loquẽs, dicit nõ ideo purgari humorẽ coctũ, quòd sit ei simile. In quo dicto, apertè Galeno contradicit in 3. de simplicib. medicamẽtis, ubi dicit, purgatoria medicamẽta esse attractis humorib. similia, sed tamẽ fortiora quodãmodo, propterea trahere, & nõ trahi. His siquidẽ uerbis argumẽtatio diluitur, quã subobscurè Mesue innuit. Est autẽ hæc: Si similitudo esset causa quare medicamẽtum humorẽ traheret: ita humor traheret medicinã, sicuti medicina trahit humorem. Huic obiectioni scite & eleganter ut reliquis omnib. respondet Gale. quare cũ sint similia, hoc potius trahit, & illud trahitur. Id ex similibus trahere dicit, quòd sit potẽtius. Quare si Mesue prudẽs & sciẽs à Gale. recessit, debuisset sanè uel hãc Galeni opinionẽ refellisse, uel nouã aliquã huic cõtrariã adduxisse. Quid hîc tuũ exactũ, Manarde, iudiciũ iudicabit? nõ respondebis (hoc certò scio) quẽadmodũ solẽt illi, qui diuinũ hunc uirũ, locũ hunc in Galeno & multa alia nõ uidisse affirmãt, nulla alia ratiõe, si quid est negligẽtia omissum, aut oscitãtius scriptũ, inscitiã refellẽtes suam, quàm nõ uidi. Verũ si exactiori iudicio rẽ examinare uoluerimus, inuenimus quòd Galeni hanc opinionẽ omnino reprobat, affirmátque pharmacũ nõ ratione similitudinis attrahere, uel uirtute ab inferiorib. sibi insita: sed attrahere dote cœlesti, seu uirtute cœli sibi impressa regulãte influxionẽ eius. His enĩ uerbis clarũ est, ipsum Gale. opinionẽ reiecisse. Ait enim ipse Mesue: Dicimus quòd medicina laxatiua nõ est à re cõplexionali, sed quòd talis, & neque ut contrariũ in cõtrariũ, quia contrariũ, sed quia tale: & neque quia simile attractiuũ uel eradicatiuũ, sed quia tale: & neque quia leue, aut graue: & neque quia calidũ, aut frigidum. Et declarans subiungit: dotatũ est autẽ dupliciter, ut aiunt, uirtute scilicet elementaria & cœlesti. Huic quidẽ cõmuni, huic uerò propria. Solutiuũ autem non quia calidum, nec quia frigidũ, sed quia dotatum uirtute cœlesti. Et in hoc adducit Platonẽ testem, qui dicit: Dotauit res quidẽ natura proprietatib. dein probat, quòd nõ à simili nec

à con

à contrario pharmacia ſoluat. Dicit, nonnulli inconuenīens opinati ſunt, quia ſimile nimirū ſit è cōtrario. Quia ſimile à ſuo ſimili nō patitur, etiam fortiori in ſolutiuis. Sed contraria ſe inuicem fugant, non attrahunt. Et ſic φαρμακία non attrahit humorem, quia ſimilis uel contraria. Apertum ibi habes argumentum quòd Meſue data opera nititur Galeni opinionem refellere. Et ne credas hoc eſſe commentum meum, conſule Iacobum de partibus ſuper Fen quarta, primi Auicen. cap. 4. de regulis communibus uomitui & ſolutioni uentris, & qualiter trahat id, quod uentrem ſoluit & uomere facit. Adducit ſeriem huius textus clariori ac longiori expoſitione, quàm ego ſcripſerim. Quòd ſi mihi obiicis, Meſues uerba hunc ſenſum habere non poſſunt: reſpondebo ita, obiter hanc Galeni opinionem tetigiſſe. Cui ſententiæ etiam Aboalin aſtipulatur, quem ſæpius adducit, clarius in capite paulo antè tacto hanc Galeni opinionem reprobaſſe. Ait enim & uidetur, quòd Galenus ſentiat inter attrahentem medicinam & humorem attractum eſſe conuenientiam in ſubſtantia, & propter hoc attrahit ipſum. Sed uix adduci poſſum ut credam: quia ſi attractio fieret cum conuenientia, ferrum hoc pacto attraheret ferrum cùm ipſum ſuperaret, & aurum attraheret aurum, cùm ipſum quantitate ſua ſuperaret. Et ſi Gentilis conetur in hoc dicto ſaluare Galeni opinionem, dando diſtinctionem de eſſe ſimile in ſubſtantia, ubi dicit, quòd medicina eſt ſimilis humori quem attrahit in forma phyſica, & quæ dici poteſt ſubſtantia. Et ſic fit attractio, ubi dicit quòd Meſue attribuit hoc formæ occultæ datæ à corporibus cœleſtibus. Auicenna autem ingenue fatetur ſe in hoc ex diametro, ut aiunt, diſſentire cum Galeno. Ibidem etiam Iacobus de partibus hoc ad uerbum. Auicenna uerò reprehendens Galenum, inquit, id minime fieri poſſe, quòd inter attrahentem medicinam, & attractum humorem ſit conuenientia in ſubſtantia, propter quam attrahit ipſum. Quia ſi attractio fieret propter conuenientiam in ſubſtantia, ferrum attraheret ferrum, quando ſuperaret ipſum quantitate, aut mole ſua. Atque ſtatim adducit textum Galeni ex 3. Simplicium medicam. ſeriatim, & etiam diſtinguit ipſe de duplici ſimilitudine ſeu conuenientia. Quam diſtinctionem prudens omitto, ne epiſtolæ modum excedam. Poſt hæc idem ille Iacobus de partibus ſubiungit textum Meſuæ ſigillatim, nihilque non agit ut hanc defendat opinionem, & eum mira quadam diligentia, ut haud ita multo antè diximus, exponit, cùm inquit, poſt omnia hæc, quòd Auerrois ſuper hac materia ueluti anceps uacillare uiſus eſt. & allegat uerba ex V. Collig. quæ apud Ariſtot. 7. Phyſicorum inueniuntur: & repetit in dictis ipſius Auerrois delirationes quatuor, (utitur eo ipſo uerbo Iacobus de partibus) quas ne uolumen quidem comprehenderet, ne dicam epiſtola. Ideo eas ſilentio prætereundas eſſe duxi. Commentator etiam Meſuę affirmat, ipſum in hac opinione Galenum perquàm diligentiſsime legiſſe, cùm inquit: Meſue refellit Galeni opinionem tanquam falſam & erroris plenam, quam uiſus eſt ponere in iij. Simplic. medicament. ubi etiam ipſe diſtinguit de duplici ſimilitudine, ſcilicet in qualitatibus manifeſtis, & hoc modo nulla eſt ſimilitudo inter medicinā attrahentem & humorē attractū. Sicut cartamus & turbith euacuāt phlegma, quę in nulla qualitate manifeſta conueniūt, alia in ſimilitudine occulta, ſiue forma ſpecifica, de qua Gale. intellexit, & ſic conatur ſaluare Galenū. Nicolaus etiā in 2. tract. 1. ſupra 2. cap. 11. de teſtificatis medicinarū ſoluturā Galenum in ea ipſa diſtinctione defendit. Et Gale. diſſerit de hac re in 3. Simplic. medi. ſed paucis omnino, & ſuccinctius quàm par erat, aut conueniebat in tali re. Neq; quicquam certi afferri in hac re poſſe affirmat: qua quidē in re ſola Galenum penè ſui diſsimilem cōperimus. Siquidē in omnibus ſuis libris medicinalib. ornatè ſplendidéque cum ſumma autoritate res ipſas pertractat, ut nihil deſiderari queat, præterquàm in libello, qui Ars medicinalis inſcribitur, ut teſtatur Leonicenus. Matthæus uerò de Gradibus, ex Galeni autoritate eodē cap. inquit, cartamū & ſemen urticę habere cū phlegmate cōuenientiam, quia id euacuāt: non tamen aliam rationem adducit, niſi conuenientiam. Quæ quidem res excitauit nobis poſtea tot uirorū doctiſsimorum maximos diſtinctionū quæſtionúmque ſinus, ut Galeni hanc opinionē defenderent ac ſaluarent. Galenus in Aphor. 22. primæ part. digeſta medicari, &c. dicit, quòd quælibet laxatiua attrahit ſibi ſimilia, nec aliud. Et Aphor. 27. ſecūdæ part. Qui bene ſe habent corpore, &c. Neque ibi copioſa oratione huius rei mentionem facit, ubi Iacobus Foroiulienſis dubitat quomodo medicina attrahat per uiā ſimilitudinis: & dicit, ſimilitudinē capi triplici nomine, quò reperiat anſam, ut illud dictū Galeni anceps & dubiū intelligatur. Et cōcludūt ipſe & Hugo Senenſis poſt multa, eſſe quandā proportionabilitatem inter medicinā & humorē, quæ reducitur ad formā ſpecificā. Et quę eſt illa? Dos cœleſtis. Quā ſubobſcurè & breuiter Meſue, ut Galeni opinionem refelleret, tetigit, quia iamdudū uiderat Auicennā, quem omnino imitatur, clarè latéq; reieciſſe: nō quia Galenum non uidiſſet, quæ eius opinio eſſet 3. τεχνῆς, cōment. 60. ubi etiam plus quàm cōmentator argumēta, ut ipſe ſibi uiſus eſt, ualidiſsima adducit: & maximè de hoc ſuo cartamo, & ſemine urticæ, in quibus nullā eſſe cū phlegmate ſimilitudinē, neq; in qualitatibus actiuis, neq; in paſsiuis, neq; in aliis accidentibus: quare nec in ſubſtantia, ergo nec per ſimilitudinē, nec quòd unū fortius attrahat alterū, uti Galenus ſenſit. Rationes infinitas ipſius ut longas, & huic rei nō adeò cōuenientes ſuperſedendas duxi. Poſt exploſam Galeni opinionē, ut ſibi uidetur, adducit Meſuæ opinionē, quam ex oraculo Apollinis credit profectam, ſynceram: & ita ſyncerā, ut omnes præ unica hac contēnat, de Cētaurio: in quo dicit Meſue Galeni libros ſe nunquā uidiſſe: uel ſi uiderit, quod mihi probabilius uidetur, ueluti per tranſennam uidiſſe. Siquidem maius cum minori cōfundit, & minus in omni re præfert: cùm tamē multis in reb. maius à Galeno celebretur, & minoris radix penitus dicatur inutilis. Ego in hoc ca. Meſuen, ubi de minori et maiori tractat cētaurio: & minus maiori præſtare dicit, uenia dignum iudico. Nam uiderat Galeni, opinor, libellum de laudib. centaurij, legerátque uim ac uirtutem ipſius, quā Galen. ſe ab Apollonio ſene Romæ didiciſſe fatetur, quæ ad infinita corporis mala cōducit. Et de minori centaurio dicit ſe feciſſe mentionem ad Paternianū, in eo ipſo capite, ubi de minori & maiori agit: ibiq; uis minoris celebratur, eámq; cū Meſue extollit & laudat, ac modis omnibus maiori præfert. De maiore autem dicit in hunc ſenſum: Radix maioris tantùm, & nihil aliud, ad uſum medicinalem ſalutaris: minoris autē folia. & nō radix, ſalubria. Quāuis Gal. de ſimplici medicina capita ſeparata de minori & maiori centaurio faciat, tamen Meſue, qui breuitati ubiq; ſtuduit, nō uaſtitatē dicēdi affectauit, quemadmodum Galenus: tantummodo de his caput unum fecit, & minoris laudes non maioris recenſuit. Et ſi fortè aliquid quod minori cōuenit, maiori aſcribat, & ecōtrà, de hoc nullus mirari debet. Siquidem fortaſſe Dioſcoridem nō bene tralatū uiderat, etſi capita de utroq; faciat diuiſa. Neq; enim refert, ſiue centaurium, ſiue centauream dicas. Plinius enim lib. 25. capi. 6. centauream appellat. Dioſcorides uerò centaurium, in quo nōnulla, quæ minori centaureo conueniebāt, maiori aſcripta ſunt: Et multa, quæ nullam ſignificationem habent, addita ſunt. Quòd enim in maiore fel terræ legebāt, ex minore maiori additum eſt. Nam fel terræ minori cōuenit, ut ex Plinio clarum ſit, capite de centaurea. Quod & Marcellus ibidem diligēter notauit. Theodorus Gaza autē id nō animaduertit, uir alioqui in linguis exercitatiſsimus, in nono Theophraſti lib. capi. 14 de quinquefolia, ſiue de quinquepeta, necnō de Rubia, fidicula, quęq;, et quot annos ſeruētur illæſa. Elateriū omniū medicamentorū duriſsimū, quomodo radices duriores fiāt, oſtēdit. Fel autē terræ decē uel duodecim annis durat: pinguis, ſpiſſáq; admodū eſt. Putauit ipſe hæc de minori centaurio à Theophraſto ſcribi, cuius radix nullius omnino in re medica uſus eſt. Sed maioris radix, quæ ſpiſſa eſt, & pinguis, ut de ea teſtātur et Dioſcorides, & Plinius, ſicut minoris tenuis. Cōfundit ita maius cū minori. Et tantū abeſt, ut rectè dixit Leonicenus in Epiſtola quadā ad Hermolaum Barbarū: quòd radix cētaurij minoris fel terræ dici poſſit, quòd multo rectius mel terrę dici debeat. Nā autoritate Dioſcoridis radix hęc ſubdulcis eſt: & qui eā norūt, hoc teſtantur. Quæ quidē radix ut plures uiri exactiſsimi iudicij aſſeuerant, neque Meſuæ, nec noſtris cognita eſt temporibus: nec Macer, nec Simon Ianuēſis eam cognouerūt. Fatetur ingenuè Cōciliator, & omnes quotquot poſt ipſum fuerūt medici, literis prodidere, eam ſe non nouiſſe, ut autor eſt libri, cui titulus eſt, Luminare maius. Et Leonicenus huius eſt opinionis, quāquam in

quodam loco Leonicenus uidetur aſſerere, Conciliatorem eam cognouiſſe, atque ea ſæpius in re medica uſum eſſe, non tamen ſub nomine centaurii maioris, moréque ſophiſtarum dixit centaurium maius à medicis noſci, minus uerò non noſci. Quemadmodum agnoſcunt epatorium, non tamen agnoſcunt eupatorium, conſultóque quo nomine uulgò à noſtris uocetur, celare uoluit. De epatorio infrà, de morbo gallico nodum aperuit, de centaurio autem nondum, quod ſciam, aperuit. Atque magis excuſatos habet medicos in centaurio, quàm in epatorio. Siquidem epatorium graphicè, & ſuis, ut aiunt, coloribus à Dioſc. ac Plinio depingitur. At centaurium etſi in Italia producatur, non tamē in multis locis, ut epatorium. Idem dixit de rheupontico, ſi medici interrogentur, ubi, apud Dioſcoridem, Plinium, Galenum, aut Serapionem, aut Auicennam de hac radice, quæ rheubarbaro colore tantùm ſimilis eſt: figura uerò atque natura, ac ſolo diuerſa, quæ non ſolum in Ponto, unde nomen adepta eſt, naſcitur, ſed & in Italia, & in pluribus aliis locis, aliquid legerint: Reſpondebunt, nimirum de cępis, cùm de alliis interrogati ſint, ut prouerbio dicitur: quia ætate noſtra ignota, quam promiſit aliquando indicaturum ſe, licet tum debuiſſet indicaſſe rem tantam, támque neceſſariam hoc ſeculo noſtro. Sed dubitare mihi ſubit, eum fortaſſe aliqua falſa opinione ductum, rheuponticum pro centaurio habuiſſe. Siquidem utrunque ad uſum medicinæ adhibetur. De centaurio ſuprà dictum eſt. De rheupōtico dixit noſtra tempeſtate, ad ea ipſa mala, ad quæ & rheubarbarū, ſed geminato pondere adhiberi: utrunque in Italia, & extra Italiam, ut ipſe ait, prouenire. Et utrunque noſtræ ætatis medicis ignotum. Scio equidem ratione hoc conuinci non poſſe. Et centaurium, hoc in omnibus ferè cum rheupontici radice cōuenire, ut à Dioſcoride & Plinio teſtatur. Eſt enim rheuponticum radix uaſta, ut illa centaurii, admodum ponderoſa, recens, dura & ſicca, longitudine ad bina cubita, & ſucco plena, ſubdulci, ut ſæpius guſtaui, rubeſcens, cuius pariter & ſuccus rubeſcit. Hæc omnia in rheupōtico quadrāt, ſi modò rheuponticum habet folia, & caulem, & capita inſtar papauerum, ut ſcribit Dioſc. & Plinius. De quo, uti ſpero, breui certior ero, quia pharmacopolæ ſingulis annis ferè magnam huc copiam deferunt. Et cùm uolunt experiri, radices eſſe recentiſsimas, eas incîdunt, & ſuccum exprimunt, quem uerum ſanguinem appellant, & apud nos non magni fit. Soleo hoc ego uti frequentiſsimè ad rupta & diuulſa ſputa, & cruenta. Eſt iis quoque, qui è ſublimi cadūt, ſalutaris. Et cùm pauperes expenſa rheubarbari ferre non poſſunt, hoc pro illo propino. Paruam omnino, aut penè nullam in eo purgandi uim comperi, ita ut nonnunquam quinque uel ſex drachmas eius in decoctionibus adhibere ſoleam, nec in parte ulla aliarum medicinarum ſolutiuarum pondus diminuo. Cuperem ſummopere tum in his, tum etiam in aliis rebus iudicium exactū tuum audire. Nā nemo hac noſtra ætate eſt cui magis tribuā, quiq; diligentius tum ueterū, tū etiam recentiorū monumēta euoluerit, Sed plura q̄ uolebam de centaurio pro Meſue in mediū attuli, hoc eſt in iudicium doctorū. At utinā nō etiam in diſcrimen. Auicennā ipſum, quē ſecutus eſt Meſue in multis ſimplicibus medicamentis, ſuo etiā gladio iugulare poſſemus. Dicā tamen modeſtè in uirū, ut Matth. de gradib. cap. de uomitu, cū de narcoticis loquitur, ubi Auicēna quaſi omnes medicinas ſtupefactiuas uidetur admittere, incipiēdo à debilioribus, procedēdo ad opiū uſq;, modò rectificatas: ſed uituperat ſemē iuſquiami, dicēs uim prouocādi uomitum habere. Raſis uerò quinto cōtinentis in ſimili intētione laudat iuſquiamum ſuper alia narcotica. Pari modo Galenus 8. medic. compoſ. ſecundū locos, cap. de paſsionibus ſtomachi ſecundū Aſclepiadē. Et primo de ſubuerſione, facit compoſitionē ſecundū Aſclepiadē cū iuſquiamo, & dimittit alia narcotica. Quāuis Matthęus adducat caput de nauſea & ſingultu, & quòd non ſit in ultimo. Auicēna de uomitu & caliditate in principio capitis ordinat pilulas cū iuſquiamo, ubi Matthæus ſummopere admiratur. Licet nec Gentilis, nec Iacobus de partibus aliquid de hac cōtradictione dicāt. Subiungit poſtea cū rubore cū Simone Ianuenſi. Nec uereor ibi dicere, Auicennā nō ſolū in hoc, ſed etiā in multis aliis medicinis ſimplicibus hallucinatū eſſe, & aliquas penitus ignoraſſe, licet ad inferendas cōcluſiones per media rationabilia fuerit uir exactiſsimi iudicij, & acerrimi ingenij. In multis igitur ſimplicibus medicamentis Auicennā & Meſuen perperā iudicaſſe, teſtatur etiam Leonicenus. Quòd autē ſcribis ipſum nō fuiſſe bonū Galeni fautorē, ſiquidē picrā, tripheram, multáque alia Galeno aſcribit, quæ apud Galenū nō reperiuntur: hîc in tuā ſententiam pedibus eo. Nam de picra quā ex autoritate Gale. Meſue deſcribit, nō parua eſt cōtrouerſia, quod & Cōmētator differit ipſo loco à picra deſcripta à Gale. 7. θεραπευτικῶν. & in 2. & 8. decem tractatuū. Quanquā in his picrarum deſcriptionibus ſumma inter doctores cōtrouerſia ſit, ut teſtatur Nicolaus in quinto de complexione ſtomachi nō parua cū materia. Et Matthęus de gradib. in cap. de dolore & apoſtemate ſtomachi. Quia Gale. ponit ſex ſimplicia medicamēta. Auicenna uerò, Meſue, Nicolaus, & alij ponūt octo, nō cōnumerādo aloēn. Intātū, quòd autor ille, cui titulus eſt Luminare maius, ait ſe omnino in hoc dubitare, niſi fortaſſe error ſcriptoris ingruerit. Nam Matthæus hac in parte accuſandus mihi non uidetur in expoſitione picræ traditæ ibi à Raſi, diuerſę ab illa Galeni, quia aſsignat diuerſitatū cauſam, & quomodo intelligi oporteat. Si ergo Meſue multa de picra adſcribit Galeno, quæ Galeni non ſunt, ſicut & Raſi adſcribit ſuccū coloquintidos, quæ nō reperitur in Raſi: Secutus eſt Auicennam, qui deſcribit quinto Canone tres picræ deſcriptiones, ſecūdū Galenū, diuerſas omnino ab ipſis Galeni. Nec inuenit Matthæus, ubi earū Galenus mētionem fecerit. Auicēna quoq; impoſuit Galeno curā amici ſui Aſclitici, de qua dicit Nicolus, ſe non inuenire ubi Galenus eam poſuerit. Et ſi Gentilis ſuper illo paſſu dicat, hoc poni in libro de cura particularium ægritudinum, qui iam non extat, quod ſciam. Cuperem ſcire à te ſummopere, qui opera Galeni Græca uidiſti, an inter eius opera extet. Iacobus de partibus, qui Galeni opera penè omnia ad unguem, ut dici ſolet, tenuit, ingenuè fatetur, hanc apud Galenum curam non legiſſe, neque extare, & miratur tamen, quomodo æger poſſet ſuſtinere commodè tot abſtinentias, purgationes crebras, & maximè cum eſſet debilis, & ſenex. Dixit etiam Nicolus in 6. capi. de ſpermate in uiro & muliere, quòd Auicenna impoſuit Ariſto. de ſpermate nonnulla, quæ non ſunt Ariſtotelis. Infinita quoque medicamina reperiuntur in Auicenna, quæ ipſe dixit in Antidotario ſuo ſcripſiſſe, uel in aliis locis, quæ nullibi apud Auicennam reperiuntur. Sunt quoque multa ab ipſo dicta & ſcripta, quæ ex diametro ſibi diſſentiunt, nedum Galeno. Nolim hîc iactantior uideri, quàm conueniat bono & ſtudioſo uiro: tamen non potui inter legendum quædam non animaduertere, de quibus propediem ad te ſcribā. Quòd autem ſcribis, Meſuen non eſſe bonum Galenicum, non magni eſt momenti. Sed non eſſe bonum medicum, maximi eſt diſcriminis. Verùm tota fermè medicorum ſchola ab hoc unico humanæ uitæ remedia petit. quod clarū eſt maximè ex his quæ de aloē in medium attuliſti, uidelicet aperire uenas, & ſanguinem ciere: quod, ut interim Plinij autoritatem taceam, etiam Dioſcorides & Galenus, ratio quoque & experiētia teſtantur: quòd ſanguinem ſiſtat, etiam ſi per ſcreatū emittatur. Quare ſi aliquando ſedis uenas aperire uidetur, ex accidenti hoc fit, quoniam excrementa id agentia ad ea loca mouet, quæ uenas recludunt. Sicuti alia quoque facere medicamenta uidemus, ut teſtatur Galen. Aphor. 47. libri ſexti. Mixtam item melli minus purgare. Cuius contrarium ſcribit Galenus, & ratione, & experientia eſt comprobatum. Verùm hæc non ſunt eius errata, ſed Auicennæ: cuius ductu & ipſe hallucinatus eſt. Permagni enim intereſt, quibus cum conuerſeris. Nec adduci poſſum, ut credam, Auicennæ uel Meſues autoritate ibi conuinci Plinium & Dioſcoridem, & experiētia, quod magis eſt, Galenum. Inquit enim Dioſcorides, pondere cochleariorum duorum cum frigida aqua, aut lactis ſero pota ſanguinis excretiones compeſcit. Hæc clauſula in textu Dioſcoridis ſic habet: Quamuis in Commentariis Marcellus dubitat, an legendum ſit, cum lacte, an, cum eius aqua. Apertè etiam apud Plinium legitur lib. 27. cap. 4. ubi dicit aloēn ad ſanguinis excretionem cum aqua frigida, uel cum aceto adhiberi. Si autem obiicias, quòd ibidem Plinius exhibet ad ſtomachi diſſolutionem cum aqua tepida, uel frigida, aut res ipſa poſtulat, ſecutus Dioſcoridem, qui cum aqua frigida pro purgando ſtomacho: dico Plinium intelligere hoc ad ſtomachi diſſolutionē, & nō ad purgationem, & ad

ſolutio

ſolutionem: quia quando aloën propinat ad ſolutionem, non admiſcet aquam frigidam, nec tepidam. Docet enim uſus, in multis, & principaliter aluum ſoluere, cùm penè ſit ſola medicamentorum, quæ per ſe id præſtet. Confirmat etiam ſtomachum, adeò ut ulla alia uis infeſtet contraria, propinatur drachma. Quod Plin. pro ſtomacho purgando ſolam aloën exhibet non ad ſanguinis excretiones. Rectius ergo in Dioſc. aptatur aqua cum aloë ad ſanguinis excretionem, quàm ad ſtomachum purgandum. Et ſi dixeris Plinium exhibere aloën ad ſanguinem undecunque fluentem per ſe: (dicit enim: uulnerum ſanguinem & undecunque fluentem ſiſtit, per ſe uel ex aceto:) dico quòd intellexit de ſanguine fluente ab extrà, quia hunc ſanguinis fluxum undecunque ſiſtit per ſe, non ab intra. Quòd uerum ſit, patet ex proceſſu textus Plinii, ubi eam miris laudibus extollit, ad perducendas cicatrices, ad inſpergendum exulceratis genitalibus, ad rimas ſedis, ad condylomata, nonnunquam cum uino, aliquando cum paſſo: ſæpe ſiccam per ſe, ut poſtulat mitiganda curatio, aut coërcenda. Et ſi textus genuina germanáque interpretatione intelliguntur, nec Meſue, neque Auicenna Dioſcoridi & Plinio contradicunt. Imò concordes ſunt de eo cum ipſis & Galenus. Nec difficile erit, adducere rationem, quomodo in aloë ſit uenarum aperiendi uis, & conglutinandi uulnerum: ſicut dixit Meſue de centaurea, de qua dubitauit Hermes in aloë. Quarum non unam, ſed plures eſſe uirtutes multi teſtantur, & apertè ex multis Galeni locis colligitur. Harum una eſt uirtus ſtyptica, quam non negant Auicenna & Meſue. Et hac fluxum ſanguinis reſtringit, & in primis exterius adhibita: idque nemo unquam ſanus negauit. Interius autem aſſumpta aloë, uenarum orificia aperire affirmant Auicenna & Meſue, ſi ſine fręno corrigente aſſumatur. Sin autem cum fręno adſtringente & cohibente eius uim aperitiuam exhibeatur, ut facit Dioſc. & Plinius: tunc Meſue & Auicenna non dicunt aloën uenas aperire. Cohibentia autem, & conſtringentia in aloë uirtutem aperitiuam, quæ in eo ultra ſtypticen reperitur: ſunt aqua frigida, aut lac, aut acetum, cum quib. ad ſanguiguinis excretionem Plinius & Dioſc. exhibere ſolebant. Hæc autem iam dicta, uirtutem in aloë aperitiuam compeſcunt & mitigant, & ſtypticen corroborant. Quòd autem aqua frigida ſit, ex his clarum fit. Galenus 1. de tuenda ſan. cap. 5. in quo docet ſpecificare curam de fluxu ſanguinis propter fixuram: & primò quando fluxus eſt ad exteriora, & pòſt ad interiora. De lacte clarum ſit ex Galeni eodem libro, cap. 12. in quo docet curare uulnus in canalibus pulmonis. De aceto uerò eodem lib. cap. 8. in quo agit de cura uulnerum pectoris: quamuis liberè contradicat Auerrois Galeno de aceto. Cuius controuerſiæ ponunt Commentatores concordiam: & inter omnes Matthæus de gradib. clarius cæteris in cap. de ſputo ſanguinis. Hæc ergo per ſe conueniunt in ſanguinis ſcreatione: etſi cũ aloë exhibeatur, uirtus eius aperitiua remittitur, & ſtyptica augetur, & ſic ad ſanguinis ſcreationem cõuenit. Multa enim medicamenta per ſe non conueniunt in una ægritudine: cũ autem cum aliquo alio adiunguntur, maximè conueniũt. Sicut nobis apparet ex tryphera magna Nicolai, quæ cum diuerſis ſibi iunctis ad diuerſa adhibetur mala. Quemadmodum exhibet Raſis, capite de melancholia, pilulas cũ decoctione, quæ ſine ea in caſu non conuenirent ratione ſiccitatis, ut ſuper illo paſſu notãt Commentatores. Præterea Nicolus Florentinus in capite de Lethargia, ſuper illo medicamine confecto cum caſtoreo & diagridio, quod exhibetur in caſu ab Alexandro, ab Auicenna, à Raſi, à Meſue. Iacobus de Partibus, & clarius omnibus Matthæus de gradib. indicant, quòd aliquod nõ ſolutiuum, ſolutiuum fit ex mixtione alicuius ſolutiui, ut patet in illo medicamine. Nam caſtoreũ per ſe nõ eſt ſolutiuum, ſed alteratiuum. calidũ in fine tertĳ autoritate Auicennæ 2. Can. nec alicubi reperitur eſſe ſolutiuum: nihilominus illuſtres illi autores ponunt in caſu eſſe ſolutiuum, & eductiuũ phlegmatis: & hoc propter mixtionẽ ſcãmoneę colligitur, & quòd ex mixtione non ſolutiua cũ aliquo ſolutiuo, corrumpitur forma ſpecifica ſolutiua ad ſoluendũ. Nam ſcammoneæ propria uirtus per ſe euacuat cholerã, & non phlegma principaliter: & tamen in cõpoſitione electuarĳ Indi. nã illic ſcãmonea nõ educit choleram, quia mixta cum ea corrumpunt proprietatem eiu. Et in eodem Canone dicit Auicenna, quòd in cõpoſitione medicinarum addunt quædam quæ corrũpunt, aliquando quæ minuunt, aliquando uerò quę augent. Nam ſi ponuntur anacardi in Therica, corrũpitur uirtus eius. Imò dicit Gentilis, quòd ex ſimplicibus non ſolutiuis ſit ſolutiuum, & econtra. Hæc Matthæus. Hoc idem adducit ille in cap. de Colica & iliaca, ubi Raſis in materia frigida euacuãda propinat electuariũ de galia, in quo nihil ſolutiui ingreditur, præter ſcammoneã, quæ trahitur ad euacuandum phlegma ab aromatibus calefacientibus ipſam, & nõ choleram. & idem debet dici de aloë. Imò Iacobus de Partib. ſuper illo medicamine de caſtoreo haud ita multo antè dicto dat exẽplum de aloë, quæ trahit ex ſe primò choleram: tamen in hiera picra propter ſpecies ipſam calefaciẽtes in illa mixtione trahitur ad euacuandũ phlegma. Primò itidẽ facit in pilulis elephãginis. Si ergo aloë ex mixtione ſpecierum calidarũ amittit formam ſpecificam euacuãdi humorẽ propriũ, ita etiam cum mixtione rerum frigidarũ, qualis eſt aqua frigida, lac, & acetum, amittit uim aperiendi ſanguinẽ & ſtypticẽ fortificat: nam aloë eſt medicina ex diuerſis naturis, ſicut multæ aliæ, cõpoſita: ut eſt apud Galenum de ſimplici medic. capi. 1. diſtinct. tertiæ, in quo agit, qualiter una medicina ſimplex poteſt cõponi ex diuerſis naturis. Ait enim: quãuis unaquæque omniũ medicinarũ, cuius uia hæc eſt, ſit in ſpeculo oculi una ſimplex, ſingularis tamen in natura ſua plerũque eſt cõpoſita. Fortaſsis ſunt in ea uirtutes contrariæ, ſicut uirtus ſoluẽdi, & uirtus cõſtringẽdi, & uirtus ratificandi, & ſpiſſandi, conglutinandi, abſtergendi. Et in eodẽ capite dat exemplũ de lacte, de caule, de lente, & de multis aliis. Et poſtea addit: & hæc ſunt quę ſæpius numero admiramur, & putamus quòd hæc ſint ignota, uidelicet qualiter res pontici ſaporis ſoluunt ſicut aloë, & cortices eius, & æs uſtũ: & dicũt quòd hæc omnia magis deberẽt conſtringere aluũ, quàm ſoluere, & fluidũ facere. Et cùm uidẽt cum citonio miſceri ſcammoneã, & ſoluere, non mirantur de hoc, quãuis citoniũ ſit ſtypticum. Quæ quidẽ omnia per ſe clara & manifeſta ſunt, modò ea diligẽti quadã perſcrutatiõe intuecantur. Mirantur quòd in aloë eſt compoſita uirtus. Quod ſi fieri poſſet, ut illud quod ſoluendi uim, ab illo quod non ſoluẽdi uim habet, diuideremus: quẽadmodũ in lacte & caule id facere poſſumus, et in multis aliis rebus, iam nõ amplius miraremur: licet aliquid ſeparemus in aloë, quando abluimus lotione multa, fit aut ſoluẽs uẽtrem, aut omnino nõ ſoluens. Et hæc Gale. Si ergo ex lotione aloë redditur nõ ſolutiua, ſed ſtyptica magis: quia pars ſolutiua conſumitur: pari modo ex miſtione abluẽtium & infrigidãtium, ut dixere Dioſcorides & Plinius, aloë redditur non ſoluẽs, nec uenas aperiẽs, ſed ſtyptica magis, & hoc modo cõfert ſputo ſanguinis. Tu autem non uis aloën aperire uenas ullo modo poſſe, nec ſanguinem ciere. Et ſi aliquando ſedis uenas aperire uidetur, id ais ex accidenti fieri. Ego ſuper hoc nõ parum dubito. Ait enim Galenus 4. de ſimplici medicina, cap. 2. diſtinct. 4. in quo docet cognoſcere medicinæ uirtutẽ, inquirere complexionẽ ſaporis amari & acuti, & eorum operationẽ: & de proprietate omnium rerum amararum eſt, ut quãdo adduntur corpori humano, ut faciãt in eo penitus rem ſimilem ei quam faciunt in ulceribus deforis. Et illud fit, quoniã lauandi, abſtergendi, & mundificandi, incidendiq; humores craſſos ui prædita ſunt. Et hac ratione prouocãt mẽſtrua, & ad ſpuendã ſaniem conducũt de pectore & pulmone. Poſtremò ſi in eo eſt phlegma craſſum, coagulatúmque quodammodo, aut ſanies, aut aliud his ſimile, mundificat illa. Hæc Galenus in hũc ferè ſenſum loco paulò antè citato, multáq; alia, quæ huius loci atq; inſtituti etſi ſunt, omitto tamen, ne epiſtolæ limites excedam. Adducitq; Galenus ſeipſum de tuend. ſanit. Et ſi reſpondet, hoc nõ de aloë intelligere oportere, quoniã pars ſtyptica in eo prępualet: & quòd non ſit admodum amarus: oppono tibi ualidiſsimum clypeũ Galeni in 6. de ſimplici medicina, in capi. de aloë, ubi dicit in aloë eſſe conſtrictionem & amaritudinem ſimul: licet conſtrictio ſit minor, amaritudo uerò magna. Ecce quòd apertè dicit amaritudinẽ præſtare. Item in libro de ſimplicib. medic. ad Paternianum in capi. de aloë, dicit eſſe amariſsimã, & habere duplicẽ effectũ. Si enim bibatur & deglutiatur, uẽtrem ſoluere, & purgare putredinem, cholerã & phlegma educere. Alter uerò effectus, ſi corpus cum eo extrà illiniatur, efficaciter ſtringit. Non recenſet effectus, quos interius operatur.

Non

Non dicit Galenus ipſam undequaque fluentem reſtringere, ſed bene extrinſecus, quod Auicenna & Meſue etiam concedunt. Quòd autem hæc ſit opinio Galeni, à qua nec Auicenna, nec Meſue diſcrepant, facile monſtrari poteſt. Siquidem 5. de ſanitate tuend. cap. 4. in quo agit de regeneratione carnis, poſt reſtinctionem fluxus, inter alia medicamenta præcipue laudat & extollit illud, ſic dicens: Laudabilior tamen in his medicinis omnibus eſt illa, qua utimur in ſanguine de pelliculis cerebri fluente. Id eſt: thus cuiuſdam ponderis exiſtens, & aloês medii, quæ pulverizata, & cum albumine oui temperata, donec ad ſpiſsitudinem mellis deuenerint, & in pelle leporina inducta, ſemper uulnus imponitur. Et cùm plura in hunc protulerit ſenſum Galenus, quodammodo ſeipſum excuſans, dixit ſe nullum præſtantius medicamen reperire potuiſſe: miratúrque ſi quis præſtantius inuenire conatur. Auicenna poſtea 2. tertii de cura fluxus ſanguinis narium ponit idem, & dicit ſummopere conducere ad fluxum ſanguinis ex ruptura arteriarum. Vide quomodo Auic. Meſue & Galenus ſunt concordes. & in eo ipſo c. 2. de ſan. tu. utitur aloë ad reſtrictionem ſanguinis extrinſecus: in 7. Miamir. cap. 2. de eductione ſeu expuitione ſanguinis multa remedia intrà exhibet, & tamen in nullo aloën ponit. Et ſi exhiberet aloën, non ſimplicem exhiberet, ſed ut Dioſcorides & Plinius: ut dictum eſt in libro de paratu facil. medica. Et in lib. ſecretorum utitur ad fluxum ſanguinis aloën, ſed extrà, ut paulo antè recenſuimus ex autoritate Galeni, de tuend. ſanitate. Sic abundè clarè conſtat, aloën extrà ſanguinem ſiſtere, cùm ex prædictis iam locis, tum etiam ex libro de uirtutib. animalib. cap. 2. qualiter intelligatur potentia ſeu uirtus, ubi dicit: propter hoc tot potentias dicimus habere ſubſtantiam, quot & actus: utputa, aloën purgatiuam potentiam habere, & roboratiuam ſtomachi & uulnerum, ſanguinolenta conglutinatiuam, & humidis palpebratis ſiccatiuam. Non utique prædictorũ actuum ſingula aliquo alio faciente, præter ipſam aloën. Hæc eſt enim, quæ illa efficit: & propterea quòd poteſt illa facere, tot dicta eſt potẽtias habere, quot & actus. Eoſdem actus alios iterum ibidem recenſet, nec ſanguinem undecunque fluentem ſiſtere dixit. Quod ſanè ſilentio non prætериiſſet, imò aliis omnib. eius dotibus præponendum erat, ſi tali uirtute prædita eſſet. Quòd autem dicis aloën aperire uenas, id fit, quòd excrementa ad ea loca mouet, quæ uenas recludunt: ſicuti ex aliis quoque fieri medicinis ſcribit Galenus Aphor. 47. ſexti libri. Equidem Galenus in illo loco non uult hoc dicere, quòd uidelicet excrementa ad anum uenientia ob aloën & alias medicinas uenas ſedis aperiant: ſed dicit quòd ex acredine atræ bilis in illo quem pro exemplo adducit, uenæ illæ aperiebantur. Ponit enim ibi Galenus exempla multorum qui in ægritudines incurrebant, niſi ipſe uel φλεβοτομίᾳ, uel uentris ſolutione occurriſſet. Adducam uerba Galeni, ſecundum tralationem Leoniceni, quo res dilucidior fiat, licet antiquus interpres idem dicat. Quidam ſingulis annis incidebat in melancholiã, niſi ſe purgaſſet. & eſt res mira uiſu, quomodo morbo iam inchoante, ſtatim homo præſenſit primam eius generationẽ. & ego uocatus purgo humores atros, & ſtatim ceſſat melancholia. Et quòd ſcilicet & ſuperfluitates expelluntur, & quòd ex acritudine eorum quæ excernuntur, paulatim aperitur os uenæ, quã uocant αἱμοῤῥοΐδα, & per eam etiam pars ſanguinis uitioſi excernitur, cõſueti antea euacuari: quo retento, ſuperuenit melancholia. Ecce quòd dicit ex acritudine atræ bilis, & non ex fęcibus deductis, uenas illas aperiri. Idẽ Laurentius Laurentianus in ſua tralatione dicit: materiæ acror excernitur: & eam ob rem mariſcæ dehiſcunt, & ſenſim paruus ſanguis excutitur. Galenus igitur uenas aperiri ex acredine atræ bilis, & non ex fęcibus dicit. Quod & omnes tralationes habent. Quòd autem hæc ſit Galeni intentio, uide Hugonem Senẽſem, uirum doctiſsimum, in illo paſſu, ubi dicit, Secũdum iuuamentum erat, quòd propter humores acutos egredientes, & tranſeuntes per anum, aperiebantur ſibi orificia uenarum hæmorrhoidalium, à quibus fluebat peſsimus ſanguis, & niger. Ex quo infertur, quòd non ab omni medicina fit apertio harum uenarum, nec ab omni humore. Si enim educerentur humores phlegmatici non acuti, in quibus non eſſet acror uel mordacitas, ex quibus ora uenarum recluduntur à medicina educente, talis operatio non ſequeretur.

Et ne uideatur cõmentum hoc ex Galeno, à me depictũ, Auicenna Galenum ſecutus, fuit eiuſdẽ opinionis, quòd ſcilicet aloë interius aſſumpta, niſi ſit cum ea fręnum aliquod, uenas aperiat, & maximè non lota: exterius uerò aſtringat etiam ſola. Adduco Auicennæ autoritatem, cui uiro refragari nõ poteſt, quia eã habet ex Galeno, capite primo, ſecũdi libri, in quo tractat de complexionibus medicinarum ſingularium. Et ubi multa excerpta à Galeno, ut diximus, de medicinis uirtutum contrariarũ, ex libro Simplicis medicinæ: & adducit exemplum de cępe, tactum ab eo in primo libro, ſcilicet in ſecunda primę cap. 18. cui titulus eſt, Sermo uniuerſalis de cauſis quæ cauſaliter corpori accidunt, & non ſunt neceſſariæ, neque impedientes. ubi ponit quòd rerum corpori aduenientium, quædam mutant ipſum mutatione lædente, quando applicantur extrà, & non tali mutatione interius ſumptę, ſicut cępę & allia. Extra enim cutem exulcerant, interius ſunt cibus non nocens conſuetis. Aliæ ſunt iſtis contrariæ, ut ceruſſa. & reddit rationem, quam non adduco breuitatis cauſa. Vbi Iacobus de partibus addidit exemplum de aloë, & inquit: Et ſimiliter aloë ſæpe interius ſumpta, ſine fręno aperit uenas, apertione ſanguinem manare faciente. Et exterius additum, ſiſtit ſanguinis fluxum, & incarnat ulcera, & poſtea per longum proceſſum uerificat operationem medicinarum, cum Galeni autoritatibus.

## ATHANASIO MEDICO FLOrentino excellentiſsimo, de peſte & theriaca. Epiſtola II.

CVM in Flaminiam, quam nunc Romandiolam uocant, in curam integerrimi ſimul ac humaniſſimi uiri Raphaëlis Guaſconi, totius Flaminiæ Quæſtoris ueniſſem, téq; & Ludouico de ſancto Monte uiro doctiſsi. præſentib. nihil mihi potius fuit, quàm ut uobiſcum de communibus noſtris ſtudiis, & in primis de peſtilẽtia confabularer, quæ tum mira uaſtitate non ſolum Flaminiam, ſed etiam totam Italiam, & infinitas alias nationes internecino genere morbi depopulabatur: memini poſt multos ſtudiorum noſtrorum ſermones, nos conqueſtos eſſe de breuitate uitæ, & multis calamitatibus. Verè dicebas, breuis eſt uita noſtra, & multis obnoxia malis. Nam humana uita, ſi corpus tantũmodo ſpectes, nihil poteſt eſſe fragilius, nihil inanius, nihil denique fugacius. Aliqui ſimulatq; nati protinus euaneſcunt, alij paulo diutius durant. Et, ut inquit Plinius, incertum ac fragile nimirum eſt hoc munus naturæ. Siquidem uitæ partem meliorem morti ſimilem degimus, annos non paucos in infantia exigimus, qui penè ſenſu carent: plures in ſenecta, hoc eſt, in morbo ipſo. Accelerant tot periculorum genera, tot morbi, tot curæ, tot metus. Quibus curis non afficitur animus? Quibus morbis non corripitur corpus? ut interim peſtilentiæ ſæuiſsimum morbum ſileam, quæ tot millia hominum pauculis menſibus interemit. Ibi ego tum interrogaui uos, an ab illis illuſtribus medicis Florentinis, qui & doctrina & ingenij perſpicacitate alios longè anteire uidentur, aliquod præſentaneum remedium huic ſęuiſsimo malo inuentum fuerit. Reſpondiſti, nihil quod certò huius teterrimæ peſti conferat, repertum eſſe, licet multi multa in medium adduxerint, atque extrema conati, extremáq; mala paſsi. Et, tu aiunt Græci, ἔτρεχέ τις, μὴ βρεχθείη, καὶ εἰς βόθρον ἀπεπνίγη. Affirmabã & ego, nihil adhuc extare apud medicos, quod ſalutem ueram polliceretur: tamen arbitrabar inueniri poſſe aliquam præſentaneam antidotum, ſi medicina è tenebris, quod dici ſolet, cimmeriis, in lucem prodiret, ut à paucis iam annis incepit. Quod facile fieret, ſi non horrida bella inſtarent, ut hactenus uidimus: etſi libri tum Græci, tum Arabici fideliter tralati eſſent. Nam his fidem integrè adhibere non poſſumus: & potiſsimum Dioſcoridi, licet uiri multi non uſqueadeò contẽnendi, multã operã & diligentiã collocarint, ut eum nobis elegantẽ redderent, & ſuum genuinũ nitorem redolentem. Equidẽ & ego nõ mediocriter in eo laboraui, uehemẽtiúſq; laboraturum polliceor, Dei benignitate. In hoc enim, ut uerum fatear, multum me adiuuit Theophraſti opera, nõ parum etiam Plinij: reliquíque uiri omni genere doctrinæ ornati, ut Galenus, Auicenna, Meſue, Serapio, Macer, Gentilis, Simon Ianuenſis, Pandectarum autor,

qui

qui dicitur circa inſtans, Nicolus Florentinus: magiſque hic adiuuiſſet, ſi octauus ſermo, in quo de Simplicibus egerat, extitiſſet. Ad hos etiam accedunt, Bartholomæus Montagnana, Iacobus de Partibus, & autor qui inſcribitur, Luminare maius. Profectò, quantum ipſe iudicio poſſum conſequi, nemo horum diligentius de Simplicibus ſcripſit, quàm ipſe Dioſcorides. & neminem quoque potius imitarer in medendis uenenoſis his morbis, quàm Dioſcoridem ipſum, ſi modò nobis cognita eſſent ea quæ ſcripſit. Longè nobis utiliora eſſent, quàm remedia ea, quæ ab extremis Garamantis, aut etiam à felici illa Arabia, petuntur. Ex his enim iam dictis autoribus, & potiſsimum ex Dioſcoride, plura decerpſi, quæ ſummopere in hac dira ac crudeli epidimia contulerunt: quorum partem magnam tibi detuli, partem uerò iam ſcribam, ubi primum de Arſenico ex officina tua recenſuero. Dicebas enim plures ſupra cor apponere Arſenicum, ut ſe à peſte præſeruarent. Inter quos Adrianus pontifex ſummus. Cúmque te & Ludouicum interrogaſſem, qua ratione hoc conferre arbitraremini. Reſpondiſti, nullam aliam rationem adduci poſſe, niſi fortaſſe huic inſit aliqua ſpecifica proprietas, quæ eſt commune ignorantiæ aſylum. Dico ego, nullam huiuſmodi proprietatem in ἀῤῥενικῷ inueniri à bonis medicis. Duæ enim ſpecies tantum à Dioſcoride, ab Auicenna uerò tres ponuntur, uidelicet album, citrinum, & rubeum. Album eſt ἀρσενικὸν ἢ ἀῤῥενικὸν, criſtallinum: citrinum eſt rezagal, ſeu arſinagal. Album autem auripigmentum uſuale. In nulla igitur harum ſpecierum proprietatem, qua alteri ueneno poſsit prodeſſe, legi. Etſi ſciam problema unum, ex nouem illis pulcherrimis in 4. circa uenenorum materiam à Nicolo Florentino tactis, eſſe, An aliquod uenenum ſit Bezaar ueneni: ubi ſoluit quòd ſic, tam ſui ipſius, quàm etiam alterius: ſui ipſius, ut ſcorpio: ipſe enim contritus & ſuperpoſitus puncturæ ſcorpionis, medetur puncturæ eius uenenoſæ. Et ſimiliter ueſpæ, ſiue crabrones, & plura alia, ut in particularibus uenenis differit. Reſpectu autem alterius ueneni, multa uenenoſa ſunt bezaralia, ut patet de carne tyri, quæ poſita in theriaca, cunctis obſtat uenenis, & multa alia quæ nihil ad rem noſtram facere uidentur. Ego autem aliam ineſſe rationem arbitror: quæ ſi non ſatisfecerit doctiſsimis ueſtris auribus, cuperem meliorem à uobis reddi. Eſtque ea mea ratio: admouetur arſenicum cordi, ut paulatim uenenis aſſuefiat, ne poſtea à tā impetuoſo peſtis ueneno, cuius proprietas eſt, eueſtigiò cor petere, ſubitò corripiatur. Dixit enim Hipp. 2. apho. 50. ex multo tempore cōſueta, & ſi fuerint deteriora inſuetis, minus moleſtare conſueuerunt. Oportet igitur ad inconſueta tranſire. Qui Aphoriſmus ſecundum Nicolum in 1. cap. 2. de diuiſione naturæ, & quomodo conſuetudo eſt natura, & quomodo operatur in corpore, uerificatur de conſuetudine cuiuſcunque rei non naturalis uel eis annexa. Et ſi fuerit mala in quantitate, ſeu in qualitate, ſeu in modo artificioſo, uel hora adminiſtrationis illius rei aſſuetæ. Si fortè dixeris hoc nō poſſe intelligi pro diſpoſitione & habilitate ad uenenoſa, cōſule Iacobū Foroiulē. ſuper Aphoriſmo, qui uidetur interpretari hūc Aphor. de aſſuefactione etiā cōtra proprietatē occultā, corpori diſproportionatam. Et adducit exēplū, abhorrētē acrumina, quæ ſi comediſſet, ad ſanguinē uſq; euomuiſſet, & tamē uult, quòd ex frequenti uſu poſsit acquiri habilitas, ut minus noceat. Et ſubiūgit: & patet probabilis modus, quo puella illa de qua fit mētio ſexta quarti, fuit ueneno nutrita. Et in lib. de Secretis ab Ariſtotele imaginādo ex frequēti uſu derelictā fuiſſe habilitatē facile tolerādi alterationē ab huiuſmodi ueneno prouenientem. Hugo quoq; Senēſis, uir doctiſsimus, ſuper hoc Aphoriſ. mouēs quæſtionē, utrū cōſueta multo tēpore minus incōſuetis moleſtēt, deducit quartā cōcluſionē. Sic quarta cōcluſio: Fieri poteſt, diſpoſitionē uenenoſam ex cōſuetudine non uenenoſam fieri. Iſtud clarū eſt, de puella nutrita napello, ſexta quarti. & de muliere iuſquiamo, quinto de ſimplici medicina. Et dicit: Ex hoc ſequitur, quòd nō repugnat per paulatinā aſſuefactionē aliquā diſpoſitionē acquiſitā morti feram ſtare cū latitudine ſanitatis, ut patet de tali proprietate ita uenenoſa: nā puella illa tantū fuit uenenoſa, ut cum ea coeuntes, interficerentur. Nicolus autem Florentinus hæc omnia exactè & diligenter in 4. tractatu, capite quinto, Ad ſciendum ſi uenenum poteſt effici nutrimentum corpori, reſpectu cuius eſt uenenum, ubi ponit opinionē Auerrois, qui tenet optimam, & illam reprobat: & ponit modum, quo uenenum nutrire poteſt, quem dimitto, ne uolumen, ſed epiſtolam ſcribere uidear. Dicit etiam quòd Aethiopes quando uolebant interficere, nutriebant puellas pulchras napello, ut illecti ad illarum concubitum morerentur. Et ponit alia exempla, quæ prudens omitto. Dicit tamen nutritos ueneno cognoſci, quia tactu herbas uirentes exiccant, & gallinas & alia uolatilia ſputo interimunt. Quòd autem Ludouicus medicus hoc militare & caſtrenſe obiicit pro ueneno interius aſſumpto, nō autem pro ueneno exterius adhibito, nihil id refert, quia uenenum exterius approximatum facile hominem interimit. Santes de Ardoynis, qui librum pulcherrimū de uenenis edidit, ponit caput, quod eſt principiū quinti Tractatus, de modis quibus uenena exterius admota corpus humanum interimunt, uidelicet per poroſitates penetrando ad uenas & arterias, ex eis rectà ad cor, ut contigit militi, cuius haſta ex tactu baſiliſci mediantibus uaporibus, manus & totum corpus fuere mortificata. Primum uidemus in peſte, ex cōtactu ueſtium infectorum homines facilimè infici. Nónne autores etiā affirmāt, infici poſſe homines ex tactu ephippiorū, habenarúmque? Quemadmodum Nicolus quarta tract. 4. cap. 2. de ſpeciebus uenenorum in generali, ubi dicit, reperiri quædam uenena adeò ſubtilia, ut penetrēt per poroſitates ad cor uſq;, etiam ſi non tangāt corpus animalis. Idem hoc legitur, & quidem clariſsimè, in illa magna Petri Cararij, quæ impreſſa eſt poſt tractatū Cōciliatoris, de uenenis quæſtione, utrum uenenum poſsit dari ad terminū, ubi poſuit diuerſitatem uenenorū, dixit: ex his omnibus clarū eſt, quòd reges et principes peti ueneno poſſunt. Et hoc eſt quod dicitur & legitur, aliquos ueneno extinctos eſſe in ſella equi, & aliquos propter aliquod uenenum clauſum in aliquo anulo, & in thalamo, & ſæpenumero moriūtur: cuius mortis cauſa eſt ignota pluribus: ſapientibus tamē nequaquā ignota, quia rerum proprietatem & uirtutem agnouerunt. Quæris quę mea ſit harum rerum ſententia. Reſpondeo, in eandem ſentētiam me pedibus ire, cum Sante de Ardoynis, ubi ait ex autoritate Hippocratis, & Galeni, & Auicennæ, & cæterorū illuſtrium autorum: quòd ab eo quod eſt conſuetū, nō fit paſsio. Hinc uidemus eos, qui in peſte diu uerſati ſunt, quòd illæſi euadunt. Sicut apud nos uidere licet in ueſpillonibus, & in chirurgis, qui glandulas epidimiales ſecurè incidunt, & pertractant, tangúntque ac ſi nulla eſſet in eis uenenoſitas, & alios inficiunt, ipſi illæſi gaudent. Memini quoque uos in mentionem incidiſſe theriacæ, quæ præſentanea antidotus penè creditur, & præſertim ab optimis quibuſque medicis plurimi fit: & eo magis cùm perfecta fideliterque confecta eſt. Me autem parum illi tribuere fidem reſpondebam: ſiquidem eam plurimis, nolim dicere omnibus uirtutibus, quas illi medici antiqui adſcripſere, carere comperi: non quòd de doctrina tua, quæ clara, & penè diuina eſt, & illuſtrium medicorum, ambigam: ſed cùm nonnulla penitus ignota, quædam manca, quædam uerò ad nos non deferuntur, quæ ad compoſitionem pertinent. Quare ægrè adduci poſſum, ut credam eam in peſte & ueneno ualere. quod facilè experientia & ratione comprobari poteſt. Eius præſtantiam ponit Auicenna, & alij plures: ut in gallo ſylueſtri uenenato, & in illo qui ſumpſit opium, uel catarticum: profectò ſi experitur ad illa, in quibus maximè debet experiri, ut eius uis & præſtantia agnoſcatur, apparebit in illis nihil perficere. Et ego in plurimis uenenatis columbis expertus ſum, quibus tantum perfeci, ac ſi non dediſſem. Et ideo uidens eam parum præſtare, quod plures de ea polliciti ſunt, abſtinui ab eius uſu. Equidem & hoc anno cùm ſęuiſsimè ingrueret peſtis in Fauentina Flaminiæ urbe, & cū ad plures ægros uocatus eſſem, non ſolum abſtinui ab uſu theriacæ, ſed etiam admonere alios medicos, ut ab illa abſtinerent, non deſtiti. Illi autem cum ſyrupo ſæpe pilulam ex theriaca propinarunt: quod non ſolum non adferre adiumentum hominibus, ſed etiam detrimentum ingens, affirmabam. Cúmq; meam hac de re rationē audiſſent, omnes facilè in meā ſententiam ierunt. Et ne ſolus ſapere, quod uerè deſipere eſt, uidear, adducam huius rei teſtes, uiros clariſsimos recentiores. Et ne quoque uidear quēquā honore defraudare. Eſt enim, ut inquit Plinius, benignum, & plenum ingenui pudoris, fateri per quos

profece

proſeceris. Noxii profectò animi, & infelicis ingenii eſt, deprehendi in furto malle, quàm mutuari. Santes de Ardoynis in 1. tract. de uenenis ponit errores ſeptem, qui in conſtructione theriacæ committuntur: ignorantiam autem ſimplicium prætermiſit, quia cum reliquis barbaris uerſatur in tenebris. Primum autem errorem dicit, propterea quòd trochiſci uiperarum, qui cōmuniter theriacam ingrediuntur, carnes uiperarum continent, quæ ſunt ferè baſes in uigore theriacæ. Sed quid ſit uipera, & quomodo uulgò dicatur, non dixit. Secundus error, quia non communiter balſamum, ſed oleum balſaminum artificialiter ex multis factum. Et dicit quòd Andromachus, Galenus, Auicenna, Serapio, Raſis, & reliqui medici intelligunt de uero balſamo, de quo Vergil. Quid tibi odorato referam ſudantia ligno Balſama? Si tamen haberi non poteſt, ſicuti uerè non poteſt, debet poni oleum in quo poſiti eſſent palmites arboris balſami, recenter abſciſsi ineūte uere, & oleum per dies 40. ad ſolem ponere, uel bullire ad ignem in eis, ut docet Meſue in tract. de oleis, alióſq; errores de terebinthina, de terra ſigillata, & de maiore quantitate mellis, quàm par ſit, & de uino odorifero, quod dicit debere eſſe Sireum, quod Græci ἕψημα, uulgò uerò ſapam dulcem, & trium annorum, & multa alia, quę lōgū eſſet recēſere. Autor cui titulus eſt Luminare maius, in deſcriptione 1. Auic. quæ eſt Andronici, dicit theriacam non habere uirtutem, quam autores illi adſcribunt, quia componentes eam decipiuntur in multis ſimplicibus, quia non habent certitudinem rerum. Qui, etſi ipſe expers erroris non fuerit, cognouit tamen in Auicenna & Gentili perplures errores. & ut ueniam ad errores maiores, occurrit mihi primus craſſus thyri, in quo omnes Arabes, Auicenna uidelicet, Serapio, & cæteri: & ſi non ipſi, ſaltem eorum interpretes. Qui poſtea error Gentili Nicolo Florent. errandi feneſtram aperuit. Crediderunt enim theriacam à θύρι ſerpente, quem dicūt reperiri in Aegypto, uel Syria, cùm tamen nullum ſit animal quod thirus dicatur, nec θηριακὴ à θυρὶ dicitur, ſed dicitur ἀπὸ τῶν θηρίων, id eſt, à feris uel beſtiis: nec thirus eſt nomē animalis, ſed nomē generis, & generis nomen ſpeciei attribuerunt. Et ubi tralatum eſt caro thiri, debebāt interpretari carnē echidnæ, id eſt uiperæ: quæ uiperæ etiā in Italia reperiūtur, cōducúntq; aduerſus ferarum uenena: & ſunt illæ quæ in hac cōpoſitione debent poni; non autem illi trochiſci, qui apportātur à longinquis partibus, quos nec medici, nec ſeplaſiarii cognoſcunt. Et ratione carnium uiperarum aduerſus uenena dantur. Cùm autem hactenus non appoſuerint in cōpoſitione ea, quæ maximè conueniūt, nemini mirū uideri debet, ſi parū adiumenti attulerit. Et iſtæ uiperæ ſunt, quæ uulgò ſcorſoni uel maraſsi dicuntur. Hunc errorem cognouit Franciſcus Caballus Brixienſis, qui propria commentaria de hac re edidit, contra omnes interpretes Arabum, & contra aggregatorem de Dondis. Et contra Nicolum Florentinum, contra Albertum, contra Conciliatorem, quem iocoſe & feſtiuè deridet, qui ſubinde literis ſuis nomina græca infert, & ut ſibi uiſus eſt pulchrè didiciſſe literas græcas, tamen in uocabulo θὴρ hallucinatus eſt, neſciens θὴρ καὶ θήριον, feram uocari, & nomen eſſe commune: non autem animal. Hunc ipſum errorē & Leonicenus, qui noſtri temporis & græcè & latinè omnium peritiſsimus fuit, in opere, in quo agit de erroribus Plinij & aliorum medicorum, euidentiſsimis rationibus oſtēdit, ubi dicit Auicennam & Gentilem putantes eſſe ſerpētem diuerſum à uipera. Et hactenus de uipera. Qua igitur uipera uſi ſitis in ueſtra compoſitione, quam uehementer contuliſſe dicebatis: gratiſsimum mihi feceritis, ſi me breui certiorem reddideritis. Idem Leonicenus reprehendit Auicennam, qui inter omnes theriacæ compoſitiones primam Andromachi approbet, adeò ut nihil ei addendū, nihil quoque demēdum exiſtimet. Eandem quoque in multis à uera Andromachi deſcriptione differentē, quinto ſui uoluminis libro notauit. Bis enim in eadem centauream repetit, & pētaphyllon prætermittit: quod tamen ab Andromacho inſeritur, ut patet ex Paulo eam deſcribente. Quem Auicēna ſequitur, & pro rheupontico poſito in theriaca ab Andromacho & Paulo, Auicenna habet rheubarbarū in eadem doſi. Pro rheubarbaro autē noſtræ ætatis medici rheupontico, doſi duplicata utūtur. Quomodo autem ſaluabitur Auicenna, dicens, nihil eſſe mutandum in compoſitione? Gentilis de hac uarietate nihil dixit, qui tantum diligens fuit in componendis Andromachi & Auicennæ deſcriptionibus, ut Macedonicum ab Andromacho poſitum in deſcriptione, ab Auicenna prætermiſſum cognouerit. Tamen Gentilis ſecutus eſt potius uulgarem opinionē de petroſelino & Macedonico, quā Dioſcoridis & Galeni opinionem. Exiſtimauit enim petroſelinum eſſe, quod ubique pro petroſelino in hortis naſcitur: pro Macedonico uerò apij ſpeciem, quam macerones uulgo appellamus. Sed Galenus & Dioſcorides aliter ſentiunt. Quid autem uos acceperitis, perlibenter audirem. Vide quæſo, ſi in tam parua re hallucinamur, quid facimus putas, in balſamo & malobathro, quæ longè pretioſiſsima ſunt, & à longinquis locis deferuntur. Caremus & malobathro, & folio eius. Luminare maius dicit neminem cognouiſſe, qui his regionibus hoc uiderit. Eſt quidē pretioſiſsimum, ſed mercatores pro uero folio uendunt folia gariophyllorum. Marcellus Florētinus conqueritur uehementer, quòd malobathrum non cognoſcimus. Item myrrha bona caremus. Si contulerimus myrrham uſualem cum illa quam deſcribit Dioſcorides, in nullo conueniunt, niſi fortè in odore. Dioſcorides uult eam eſſe odoriferam: quod & ſacræ literæ canunt, Sicut myrrha electa odorē dediſti ſuauitatis. Vſualis uerò noſtra nec ipſa admodum boni odoris eſt. Hinc eſt quòd illæ pilulæ Rufi, quæ tantopere ab omnibus in peſte commendantur, non ſunt adeò efficaces, quia bona & electa deeſt myrrha. Verum amomum, uidelicet racemoſum & botruoſum, ut ſcribit Dioſcorides, neſcio ſi Italia hactenus uidit. Sed plura omitto, ne uos obtundam. Caſiā aromatiten, id eſt ligneā, non fiſtularem, antiquis ignotam, conformē cum ſcriptis Dioſcoridis & Galeni, non habemus. Nardum Indicam, quis nos non habere dubitat? quæ cùm debeat eſſe odoratiſsima, & quæ debeat linguam exiccare, odoris ſuauitate diu permanente, ut ſcriptū eſt apud Dioſcoridem: apud nos odoris ſuauitate caret, & ſaporis eſt omnino ingrati. Pro florib. ſchœni feſtucæ ad nos deferūtur. De lemnio ſigillo, quod terram ſigillatam uocant: illa quæ paſsim uenditur, nec facie, nec uiribus ueræ ſimilis eſt, cùm etiam Galeni temporibus adulterabatur, ut uix dignoſci à legitima et genuina potuerit. Quid dicam de errore craſſo circa ſcordion, pro quo omnes ponūt allium agreſte, quod nullo modo conuenit in hac compoſitione, nominis uicinitate decepti. Nam σκόροδον allium ſignificat, ut eſt uidere in capi. de alliis apud Dioſc. σκόρδιον uero in 3. apud eundem differt à ſcorodo, id eſt allio: itē ab ophioſcorodo, id eſt, allio ſylueſtri. Scordion uerò herba eſt, quæ folia triſagini ſimilia habet, quę ob id poni debet in theriaca, quia, teſte Galeno, uenenis ferarum & mortiferis pharmacis medetur, & tantam eſſe eius uirtutem, clariſsimi autores poſuerunt, ut quæcunq; ſupra illam herbā corpora in prælio ceciderant, diutius incorrupta remanerent. Hermolaus in Corollario in capite de allio hunc errorem agnouit: & in hoc inſcitiam medicorum deridet. Et Leonicenus hunc errorem agnouit. Si uellem omnia quæ in hac nobiliſsima compoſitione perperam ponuntur, recenſere, ut thlaſpeos, pro quo Auicēna poſuit ſiſeleos, & doſes uariatas, me in ſcribendo, & te in legendo defatigarem. Hæc ſunt, quæ tibi pollicitus ſum ſcribere de mea theriaca, ut tu cum illis tuis medicis peritiſsimis iudicium adferas, hæcq; eis oſtendas, etiā atque etiā te rogo, & potiſsimum doctioribus, & quónam pacto in compoſitione ueſtrę theriacæ proceſſeritis. Quòd ſi mihi perſuaſeritis, omnia ratione & rectè ordinata eſſe, quod minimè credo, in ueſtram ſententiam pedibus ibo. Quòd autem in hac opiniōe firmus perſeuerarim, autoritas Galeni efficit, cùm inquit, quòd unius medicaminis adulterati negligētia, poteſt totam theriacæ compoſitionem corrūpere. Porrò, qui poſſumus ſperare, Athanaſi doctiſsime, eam perfectè confici poſſe? ubi maxima pars medicaminū, quę in ipſa ingrediuntur, ignoratur. Fidem præſtiti: pollicitus enim fueram poſt biduum tibi ſcripturum. Vale, & me ama, uti ſoles. Cúmq; hæc mea uiris illis tuis doctiſsimis mōſtraueris, me demū illis ſummopere cōmēda. Quòd ſi mea apud illos parū probabūtur, meliora adducāt, & parebo, ut ueritas eluceſcat. In noſtro albo eſt amicus Socrates, ſed amicior ueritas, pro qua omnis noſtra uis atq; contētio debet eſſe. Cognoui ego ueſtra ſtudia in eam ipſam adipiſcendā & inquirendā. Multū poteſtis nos in ea adiuuare, quia ingenio, ætate atq; doctrina floretis.

EPISTOLA

## EPISTOLA III. IN QVA DE *uirtute Citrach diſſeritur.*

NVdiuſtertius, cùm de calculi paſsione inter nos colloquebamur, memini te multa ſalutaria huic morbo in mediū attuliſſe: tamen inter omnia uidebaris ſaluberrimum confiteri Citrach, ſeu Ceterach, & potiſsimum, ſi cum nonnullis aliis medicamentis, quæ eius robur augeant, quemadmodum Chimiſtæ faciunt, diſtillatū fuerit. Rogabásque ut tibi literis ſignificarem, ſi quid apud Pliniū, & Dioſcoridem, & alios ueteres, de eo memoriæ proditum eſſet. Euolui libros, ut mea conſuetudo eſt: nam poſterior dies, ut dicitur prouerbio, prioris magiſtra ſemper eſt. Citrach igitur noſtrū, ut mea fert opinio, eſt aſplenō, quam & ſcolopendrion & ſpleniō uocat Dioſcorides in 3. à Marcello, Hermolao Barbaro, & Ruellio aſplenion, quod etiā ſcolopendra uocatur. Aiunt enim uenenato inſecto folia ſimilia habere, plura ab una radice prodeūtia ſimul. Et quod naſcitur in petris, parietibus opacis, lapidibúsque fluminū, ſine caule, ſine flore, ſine ſemine, polypodii herbæ inciſurarū inſtar. Ex inferiore parte aſpera & flaueſcens, ſuperiore autē uiridis. Ruellius dicit & Hermolaus eadem, niſi quòd addunt, folia hirſuta eſſe. Hæc profectò deſcriptio noſtro citrach optimè conuenit, & ut aiunt, graphicè, ſi quis eam ſub oculos ponat. Theophraſtus 9. libro Hiſtoriæ plantarū, huius facit mētionem, & hemioniō eam appellat. Quamuis Theodorus eam mulā uerterit herbā, quòd muli ea libenter ueſcantur. Plin. lib. 27. cap. 5. uocat aſplenum. Sunt qui hemionion uocāt foliis trientalibus multis, radice limoſa, ſicut filicis: naſcitur in petris. Hæc fermè & Dioſcorides. Hoc ergo aſplenon, ſeu hemionion, ut arbitror, fuit antiquorū uerum ſcolopendron, ſeu ſcolopendra, quod nunc dicitur citrach, uulgò herba dorata, ſeu argentina. Serapion Mauritanus pro aſpleno habet ſcolopēdriā. Et quæ de aſpleno dicit Dioſcorides, eadem Serapion de ſcolopendria. Autor, cui titulus eſt Luminare maius, in 5. etiam ea ferè quæ iam recēſuimus, de ſcolopēdria dixit. Et profectò ſi uir ille uidiſſet Dioſcoridem Marcelli, uel Barbari in medicamentorū ſimpliciū doctrina: nam plura cognouit, quæ ab aliis ſurda aure præterita, ut hoc aſplenon non eſſe linguam ceruinam, quæ pro ſcolopendria à multis falſo uſurpatur, quia ut ipſe refert, in illo ſyrupo ingreditur & ſcolopendria & lingua ceruina. Sed quidnam ſit lingua ceruina non cognouit. Nicolaus Leonicenus uir nunquam ſatis laudatus, qui primus lucernam prætulit, qua poſsit iſta terra barbaries, quæ omnes penè artes & diſciplinas infecit, explodi, & ultra Sauromatas relegari: in libro de Plinii & aliorū medicorū erroribus dixit linguam ceruinam non eſſe aſplenon, ſeu uerum Græcorū ſcolopendrium. Sed altera potius ab eiſdem Græcis hemionios nominata, illi quidem uiribus proxima, ſed figura multum diſcrepans: de qua Dioſcorides in 3. agit poſt caput de Aſpleno. Et quia Plinius, Dioſcorides, & optimi quique Græcorū de hoc Hemionio multa dixere, ut de aſpleno, quod ſcilicet non caulem, non florem, non ſemen fert: & quod naſcitur in petroſis locis, uiréſq; nonnullas aſpleno ſimiles attribuēre, quas & ſcolopēdrio: ideo arbitrati ſunt eam eſſe linguam ceruinam (quæ uerè hemionitis eſt) eſſe uerum Græcorum ſcolopendrium, quod non eſt. Quid autem ſit uerum aſplenon uel ſcolopendrium, Leonicenus nō tetigit. Marcellus Florentinus uir alioquin doctiſsimus uidetur affirmare aſplenon eſſe linguā ceruinam in illo capite, ut ex multis poteſt colligi argumentis, ab eo ibi adductis. Condonandum eſt erratum uiro multis nominibus claro, at nō medico. Hæc ſunt, uir doctiſsime, quę de citrach dicerem. Si quid aliud eſt in quo tibi mea induſtria efficere poſsit hoc amplius, iube, & factum puta, méque, ut ſemper feciſti ama.

## EPISTOLA IIII. QVA DOCTISſimè diſputatur de multis medicamentis ſimplicibus à recentioribus inuentis, quæ ueteribus fuerunt incognita.

GRatæ mihi tuæ literæ fuerunt, quibus accuratè perſcripſiſti omnia quæ ad rem medicam pertinere arbitratus es. Inquis enim te dubitare an ueteres exactiorem curam ac diligentiam in medicãdo exercuerint, an recentiores. Reſpondeo facillimum eſſe inuentis addere. Nam plura ſunt noſtro iam ſeculo in re medica pretioſiſsima, quæ ueteribus ignota fuerūt. Veluti Moſchus, de quo nec apud Dioſcoridem, neq; apud Plinium quicquam reperitur. Et ſi in primo Dioſcorides de muſco fecerit mentionē, non tamen de moſchi pretioſiſsimo odoris genere. Sed eſt apud Serapionē caput de uſura, in quo eadem, quæ de muſco à Dioſcoride dicta ſunt, reperiuntur. Iubetum quoq; in principiū cenſu, æſtimationéq; maxima habitum, ignotum tamē ueteribus fuiſſe conſtat. Quod Hermolaus credit zibetū dici, quod ex mure peregrino excipitur, quod recētiores Græci *ζαπέτιον* uocant. Camphora quoque apud nos celebris, antiquis uerò ignota. Et ſi camphoræ Aëtius faciat mentionē, tamen pro unguentis ponit. Apud alios autem nō reperitur. Eius farinæ ſunt ambra, caſia etiam fiſtula, manna, qua ad leniendos nobilium uentres utimur. Et radix illa barbara pretioſiſsima, quæ in tam frequenti, noſtro ſeculo, uſu, antiquis uel incognita, uel in nullo pretio habebatur. Quid dicam de ſaccharo adeò parcè ab antiquis & laudato & uſurpato? uel ſi mauis tantùm in medicina eo utebantur & quantitate nucis auellanæ, teſte Plinio. Quod cum noſtro ſaccharo nullo pacto conuenire poteſt. Arundo enim ſacchari Dioſcoridi & Plinio penitus ignota fuit. Non enim ſilentio talis arundinum ſpecies prætereūda eſt. Erat autē ſaccharon antiquorū uelut ſpecies mellis, quod ſuper frondes coagulabatur, quod ex Arabia & India ferebatur, ut inquit Plin. Et ob nimiam ſolis excandeſcētiam obdurerat, ſicut apud nos candum uocatū, igne percoctū. Noſtrum enim antiquis incognitū fuiſſe uidetur. Poſteriora uerò ſecula etiam hoc pretioſiſsimū naturæ munus commune fecerunt. Multa quoq; apud ueteres erāt pretioſiſsima, quæ nobis penitus ignota ſunt: quale eſt ſilphion quod Romani laſer uel laſerpitiū dicunt, de quo, ſi Theophraſto, Dioſcoridi, Plinio, Straboni, Columellę, & aliis, qui de eo ſcripſerunt, credimus: non eſt hoc laſerpitium arbuſcula balſami uilius, nec liquor eius laſerpitii liquore inutilior, ut etiam Marcellus Florent. uir doctiſsimus teſtatur, cuius uſus omnib. adeo frequens, ut ad intinctus, iuſculáque, ut garo, ita & laſerpitii aceto, uterentur: commendabatúrque odore & ſapore in omnibus fermè cibis, erátque tum pauperū, tum diuitum cibo frequentiſsimū, omnibúsq; tum notum, ſicuti nunc incognitū omnibus. Ex hac radice & caulibus ſcarificatis liquor manat, qui penè myrrham illam bonam redolet. Cùm dico myrrham, nolim illam uulgarē intelligas, quæ pro optimo odorē teterrimum edit, ſed uerā, de qua mentionē facit Serapio. Plantā hanc aniuden appellat, ſuccúmq; eius à medicis clariſsimis celebratum uidemus, & in primis à Galeno in multis locis opon cyrenaicon dictum, aſſam appellat. & ſic uerſum eſt nomen hoc in aſam fœtidam, cùm ſuccus hic odoratiſsimus ſit. Fecerunt aſſam duplicē, aromaticam uidelicet, & fœtidam. Et aromaticam, inquit Simon Ianuēſis, & alii quoque plures, nunquā noſtris ſeculis cognitam fuiſſe: meo autem iudicio aſſa aromatica nihil aliud eſt quàm laſer aromaticus, quo cùm careamus, nomen ad aſſam fœtidā, qua nō caremus, à barbaris & negligētibus medicis deductū eſt, quę tetro & ingrato ſuo odore tantum à laſere & ſucco cyrenaico differt, quantum aromatica à fœtidis. Atque hæc fœda errata, ubi uita humana in ſummū diſcrimen uocatur, ſurda aure præterimus, ut aiunt. Hac quoque incuria malobathrū, ſeu eius folium perditum eſt. Sic quoque caſsia aromatite uera caremus: cùm Auicenna dicat in ſecūdo capite bonam eſſe, uirtute & præſtātia ſimilem cinnamomo, & quod bona creſcit ſuper arbore cinnamomi. Galenus etiam 6. tuendæ ſanitatis cùm cinnamomū habere non poterat, utebatur caſsia in dupla quātitate. Et de Simplicibus ad Paternianum, & in opuſculo de ſuccidaneis. Bono etiā cinnamomo caremus, ſi ea, quæ à Galeno de eo dicuntur diligenter perpenderimus. Sed in his diutius immorandum eſſe non arbitror: ſiquidem uolumen non epiſtolam conficerē: ſexcenta enim ſunt nobis ignota, quæ antiquis omnia pretioſiſsima erāt, ſicut ſchœnō, anthō, ſcordion, lemnia, myrrha, ireon, thlaſpi, aſpalathos. Et ex notis uitioſa multa à nobis habentur: dixique tibi me in hac parte laboraſſe, omnéſque Dioſcorides euoluiſſe, ut ipſum cum barbaris noſtris medicis conciliarem: diu, crede mihi, hoc ſaxum moui, & parū hactenus promoui: tanta eſt uocabulorum diuerſitas, quòd uix concordari poſſunt. Plura reperi in quibus conueniunt,

multáque reperi in quibus ex diametro, quod dici ſolet diſſentiunt. Mecum omnino conſtitui opus perficere, ſi Deus mihi uitam prorogarit. Sed nunc ægrorū curæ, & publicę lectiones, quibus ſum mirū in modū diſtrictus, impediunt. Ad hæc interrogaſti me an apud Dioſcoridē legerim de flore quem uulgus ieſſeminū uocat. Reſpondi me ſæpius legiſſe, & hæc ſunt quæ legi. Dioſcorides in primo, cap. 8. ſecundū tralationem Marcelli mentionem facit de Iaſimini unguēti cōfectione. Hermolaus uerò tranſtulit Iaſme. Ruellius de Iaſmino dicens, apud Perſas fit, quod Iaſminum cognominatur ex albis floribus uiolæ. ex quo facile comprehendi poteſt, quòd florem quem omnes ieſeminum uocant, colore candido, uiolis figura non diſsimilē, uiolam antiqui uocabant, & in uiolarū genere numerabant, ut ex uiolarum deſcriptione Dioſcoridis cōprehēdere poſſumus. Genus hoc uiolæ albæ potiſsimū omnibus nunc notū, ita ut opere topiario umbratiles parietes odore ſuauiſsimo fragrans, ueſtiat. Serapiō facit caput de ieſemin & ſambach, unde fit oleū ſambacinū, quod fit ex floribus ſambaci, id eſt, ieſmini ſeu geſſemini: & ſic recentiores oēs. Seruitor in lib. 2. capite de modo colligendi herbas medicinales, ait Zābuc, id eſt, ieſemini. Itē Chriſtoph. de Barziziis in cura cephaleæ ait. Etiā Raſis laudat epithema ex oleo ſambacino, & fit ex floribus ſambaci ſeu geſſemini. Auicēna quoque in 5. tractat. de collyriis, facit collyriū ex ſucco ſambaci. Serapion ponit ſpecies tres, candidū, luteum, quem citrinū uocant, & cœruleū. Italia nunc nō modo candidū, ſed etiā citrinū habet. De quibus omnib. Dioſcorides in 3. ubi de uiolis agit diligentiſsimè tractauit. Cuius capituli titulus in Marcello eſt de uiolis, quas λευκόϊα appellāt. In Hermolao Barb. titulus eſt λευκόϊον. Ruellius uerò de uiola alba, ubi in floribus ponunt differentias illas, quas & Serapion poſuit in ieſemin. Galenus quoque de Simplici medicina lib. 7. ait λευκόϊα, id eſt, ieſeminū. Hęc ſunt, integerrime domine & Mecœnas, quę apud ueteres & recentiores de ieſemino colligere potui. Tu uerò, qui non ſolū in re medica, ſed in omni doctrinarū genere apprime edoctus, & quotidie cū uiris doctiſsimis uerſaris, facile his addere poteris. Proinde eo animo te uelim eſſe, quaſi tui cauſa me omnes ſubire labores facile credas, nihílque eſſe, quod tibi gratiſsimum eſſe ſciam, tam difficile, quod non facile mihi fiat. Vale, & me ama.

## EPISTOLA V. AD NOBILISSImum *& doctiſsimum Alexandrū de Manzolis, de herbis trientalibus, dodrantalibus & quincuncialibus, déque lithoſpermate & menſuris.*

EFflagitaſti ſingulari quadam humanitate, qua omnes huius urbis primates facilè excellere uideris, an apud medicos legerim herbas triētales, dodrantales, & quincunciales, & quid ſit lithoſperma, quod à Plinio quincuncialis herba dicitur lib. 27. cap. 11. Reſpondi etiā tibi, me apud Plinium & Dioſcoridē huiuſmodi uoces legiſſe & annotaſſe, quæ ad magnitudinem herbarū referuntur. Cùm primum ex diui Martini feriis à publico profitendi munere mihi uacare licuit, incepi Dioſcoridē euoluere & Plinium, ut te certiorem redderem. Dioſcorides lib. 2. cap. de Thlaſpi dicit ipſum habere folia anguſta, digitali longitudine, cum caule tenui duorum dodrantū altitudine, ut uertit Marcellus. Herm. Barbarus uertit caule ſemipedali. Ruellius uerò ſeſquipedali: uerū Gręcus codex ſic habet, καυλὸν διλεπτόν. In tertio uerò libro de minore Centaurio uertit Marcellus, caulem habet altitudine ſupra dodrantē. Herm. uerò Barb. caule digitorum quatuor altitudine. Ruellius, Caule palmā excedente. Codex autē Gręcus, καυλὸν ἔχουσα ὑπὲρ σπιθαμήν. In eodem libro de Tuſsilagine habet, καυλὸν σπιθαμιαῖον. In capite de glycyſide, quam & pæoniā uocant: Caulis duorū ferè dodrantum altitudine. Et in eodem capite dixit Dioſcorides, Maris radix eſt digitali ferè craſsitudine, longitudine dodrantali. ubi Gręcus textus habet, καυλὸς ὡς δισπιθαμιαῖος, id eſt, caulis ueluti duorū ſpithaminū. Item in capite de Anthemide, quam noſtri uulgò camomillā uocāt. Idē dicitur in 4. in cap. de medio herba, & de peplo herba, cuius coma dodrātalis dicitur à Marcello, & à Ruellio. Multa loca ex autoribus poſſem adducere: ſed hæc abūdè ſatis demōſtrāt dodrans hoc ad magnitudinē referri. Et ſi hi uiri, uidelicet, Dioſcoridis interpretes doctiſsimi, hāc ſpithameā menſurā ad palmeā unus, alter uerò ad pedalem referat. Et ex hoc rei difficultas non parua demonſtratur. Guilielmus Budæus in ſuo de aſſe libro, aſſerit neminem intra octingētos annos ac plures fortaſſe, intellexiſſe. Ratio tamen horū uocabulorum eſt, ut omne corpus, & res omnis denique in aſſem, eiúsque partes diuidi poſsint. Poſtquam igitur menſores aſſem, librā, & pondo idem ſignificare affirmant, ad palmā & pedem pro quantitate cōtinua diuidēda, deduxerūt. Prætermiſſa igitur in unciā & digitos, pedē in duodenas uncias partiti ſunt: dicúntque ſemiſſem pro ſex pollicibus, & ut duos palmos continet, qui ex quatuor digitis ſimul iunctis conſtituuntur menſura octo digitorū. Pes enim 4. palmos continet, quorum quilibet ex quatuor digitis coniunctis conſtat. In quo poſtea aſsis partes reperiūtur, triēs, quadrans, deunx, & reliquæ. In hac igitur diuiſione erit dodrās, tres palmos cōtinens, ex quibus duodecim digitorū menſura denotatur, quæ Græcis, σπιθαμὴ dicitur: unde dodrantalis menſura toties repetita apud Dioſcoridem. σπιθαμὴ autē uti apud Pliniū eſt 7. lib. cap. 2. non excedit ternos dodrantes. Dicit enim: ſuper hos extrema in parte montiū Spithamęi pygmęi narrātur ternas ſpithamas longitudine, hoc eſt ternos dodrantes non excedentes. Menſura autē hæc uariè à uiris doctis uſurpatur, unde aliqui palmeā ſeu palmarem, alii cubitalem appellant. Sed reuera quantū ipſe iudicio aſſequi poſſum, res ipſa à Marcello Florentino exactiſsimè excuſſa eſt. Dicit enim de panace Aſclepio in 3. declarans quid ſit ſpithami. Eſt autem ſpithami græcis, quod dodrans latinis, autore Plinio lib. 7. capit. 2. Et ſi in aliquibus ſit in 2. ſpatij huius longitudo, quod capit humana manus à ſummo pollice ad minimum uſq; digitum extenſa: quę menſura quoniam in tres quartas humani pedis partes incurrit, dodrans dicta eſt. Sic ueteres Romani nouem in libra uncias uocarunt. Variat autem Plinius, & qui Plinium ſecuti ſunt in hac menſura, nunc pedalem, nunc uerò ſemipedalem, & aliquando palmarem uocantes. Quæ etſi uideatur deſcripto à nobis dodrāti & Spithamæ congruere, nihilominus ea utendum nō eſt, ne concurrat cum antiquo palmo, quæ quatuor digitorum in hominis manu coniunctorū ſine pollice menſura eſt, quæ ſepties repetita cubitum Romanum conſtituit, qui ex uiginti & quatuor huiuſmodi digitis conficiebatur. Idē in capite de trixagine dixit. In huius menſura ab Hermolao Barbaro non leuiter diſcrepamus. Ille enim quatuor digitorum eam altitudine deſcribit: Nos autem, ut ſolemus, ubi Spithamæ legitur, tantum, quantum tota hominis explicita manus patet, intelligimus. Id enim eam ſignificare obſeruauimus uocem. Quatuor uerò digiti, quos ille in Spithama numerat, palmi menſura ſunt, quæ longe minor quàm dodrans eſt, qua uoce priuatim Plinius Græcā παλαιστὴν in 7. manifeſtè uertit, in capite de Phalaride herba dixit. Quod autem nos diximus duorum palmorum longitudine eam eſſe, à Dioſcoride dicitur διπάλαιστα, id eſt, bipalmes, ſicut Hermol. Barbar. uertit nullo diſcrimine inter Palæſten & Spithamen Græcorum, utrunque enim ille palmum uocat. Nos autem quoniam non eſt eadem menſura, ultimam illam Spithamen dodrantem, aut quantū à ſummo pollice ad extremum minimum digitum patet extenſa manu diximus. Priorem uerò illam nūc palmum dicimus, autore Iulio Polluce, & Vitruuio, quorum alter in 2. ὀνομαστικῆς παλαιστὴν his uerbis deſcribit: τῶν δὲ μέτρων ἐστὶ μὲν καὶ δάκτυλος. δοχμὴ δὲ συγκλεισθέντες οἱ τέσσαρες δάκτυλοι καὶ δακτυλοδόχμη, τὸ δὲ αὐτὸ παλαιστὴς θηλυκῶς καὶ παλαιστὸς ἀρσενικῶς. id eſt, in menſuris etiā digitus eſt. δοχμὴ autem coniuncti ſimul cohærentéſque quatuor digiti dicuntur, quod & δακτυλοδόχμη dicitur. idem & palæſtis genere fœminino & maſculino dicitur. Ex quibus ratiocinari licet, παλαιστὴν Græcis nihil aliud ſonare, quàm ſimul cōiunctos & cohærētes quatuor digitos. Quam menſuram Vitruuius 3. Architecturæ ſuæ libro palmum manifeſtè uocat, clarius etiam in capite de Tuſsilagine. Marcellus hoc ſophiſma ſoluit, cuius interpretatio non admodū cōuenit cum illa Hermolai Barbar. & Ruellij, ut ſuprà demonſtratum eſt. Dixit enim: uidebimur fortaſſe aliquibus, ut ſæpe aliàs fecimus, altitudinem caulis in Tuſsilagine prolixius deſcripſiſſe, & cū Græcorum σπιθαμῇ Latinorum dodrans reſpondeat, dodrantali altitudine ſimpliciter dici potuiſſe. Sed nos certitudini conſulentes, ſermonis anguſtias,

ſtias, nec ſatis certam dodrantis menſuram fugimus: neque enim omnes dodrantem in quãtitatis menſura nouerunt, quo in diuidendo aſſe Iureconſulti utuntur, & qui in Columella dodrantales ſulcos, & in autoribus innumeris dodrantalem quantitatem aliquam audierunt, dubitare ſolent, quanta ea ſit. Neque enim dodrans, ut pes, cubitúsque per ſe certam habent menſuræ rationem: ſed alterius quãtitatis dodrans, uerbi gratia pedis, cubiti, aliarúmq; huiuſcemodi quantitatum. Capit autẽ dodrans totius alicuius tres quartas partes, qualis nouenarius numerus in duodenario eſt: licétq; ad plures quantitates dodrans referri poſsit hac ratione, certam tamen ex legibus inſtitutis antiquorũ menſuram habebat, quæ trium palmorum, id eſt, digitorum duodecim numerum caperet, quę pedis, cuius ſexdecim digitorum, id eſt, quatuor palmorum menſura erat, tres quartæ partes ſunt, oportétq; in σπιθαμῇ Græcorum, Romani pedis dodrãtem intelligere. Nam ſi cubiti dodrantem intellexeris, Latina ea uox non reſpondebit Græcorum σπιθαμῇ. Eſſe autem σπιθαμὴν diuaricatæ in extremos digitos manus ſpatium, Pollux his uerbis manifeſtè oſtendit, εἰ δὲ τοὺς δακτύλους ἀποτείνας ἀπὸ τοῦ μεγάλου πρὸς τὸν μικρότατον μετρεῖς σπιθαμὴ τὸ μέτρον. id eſt, Si autem protenſis digitis à maiore ad minimum metiris, ſpithame menſura hæc eſt. Idem cubiti menſuram deſcripſit quantum à flexura cubiti uſque ad ſummum medium digitum patet. Credimus nos extrinſecam cubiti flexuram intelligendam, ſic enim Romanorum cubito certius reſpondet. Hæc ad uerbum Marcellus: ex quibus facile intelligitur quid ſit altitudo dodrantalis, triẽtalis, & quincuncialis, quàm rara horũ uerborum apud autores fiat mentio: tantum de dodrantali, qua creberrime utitur Plinius, & trientalibus aliquando foliis, quincũcialis uerò herbæ meminit cùm de lithoſpermo herba diſſerit. Miratus ſum, & quidem non mediocriter, quòd Hermolaus Barbarus tam in aſpleno quàm etiam in lithoſpermate uerba Plinii in ſuo corollario adducit, nec ullam claritatis lucem in his præfert. Budæus autem declarat hanc quincuncialem non minorem ſemipede & ſeptenum fermè digitorũ. De ſpithama autem dodrantali cum Marcello non conuenit, nec de dochme, quod mirum eſt, aliquid, ut uidere potui, tangit. Nec Galenus, nec Paulus Aegineta aliquid de hoc dixerunt. Sed ſatis, ut opinor, ſupérque de hoc diſſeruimus. Ad hæc interrogaſti, quid eſſet lithoſperma, apud Serapionem cap. de Milio ſolis, poſuítque Dioſcorides proprium caput de lithoſpermo herba, de foliis, de lapidoſóque ſemine eius & magnitudine, & uirtute: & quæ Dioſcorides lithoſpermo attribuit, ea Serapio milio ſolis adſcribit. Quòd ſi exactiori iudicio ea quæ de milio ſolis dicuntur, perpẽderimus, uidemus ea omnino conuenire: cuius ſententiæ etiam eſt Simon Ianuenſis, & Luminare maius. Nec tibi uiro doctiſsimo & in literis cultiſsimis enutrito hoc ſatis facit. Et fortaſſe autores hi, quos tibi huius rei teſtes adduco, ſtomachum tibi mouent. Siquidem Serapio hic Mauritanus, quicquid de ſimplicium medicamentorum natura tractauit, ex Dioſcoride in primis & Galeno excerpſit. Et Marcellus ubi aliquis ſcyrpus, uel ſcrupulus eum angit, fit plerunque id in uocabulis illis barbaris, ubi omnino delio opus ſit natatore, quibus Serapion in ſuis ſimplicibus medicinis utitur, diuerſis ab ipſis Dioſcoridis & Plinii, & Latinorum, Græcorúmque omnium, quæ non ſunt nota niſi medicis, diu in Auicẽna, & aliis Arabibus autoribus uerſatis. In quo albo non fuit Marcellus. Autor, cui titulus eſt, Luminare maius, inter barbaros uir multæ lectionis, & diligentiſsimus in medicamentorum ſimplicium perſcrutanda natura, ſi Dioſcoridem Latinum uidiſſet, omnes qui de hac re Latine ſcripſerũt facile anteiſſet. Etſi in multis hallucinatus ſit, quia homo erat, & illo tempore literæ penè extinctæ, tamen multa utilia aperuit. Quòd ſi quis iam eſſet, ut noſtrum hoc feliciſsimum ſeculum plures habet, qui ſtudiorum omnium cauſa tantum ſubire uellet laboris, quòd Dioſcoridem, Plinium, Theophraſtum cum iſtis Barbaris conferret, & ita Græca & Arabica uerba latiniſsimis donaret, Deum immortalem, quàm laudandus, quàm ſuſpiciendus, extollendus, decantandúsque ille eſſet. O nouum atque inauditum iter ad immortalitatem. Quid enim poteſt eſſe utilius, quàm pauculorum menſium labore tot ſecula demereri? an non magnum eſt, cùm unus quàmplurimis prodeſt? antiquitas mihi aliud exiſtimabat eſſe Deum quàm prodeſſe mortalibus: unde frugum, uini, legum autores, & quicunque ad uitæ commoditatẽ aliquid attuliſſent, eos pro diis habebat antiquitas. Neque uſqueadeo à ſcopo errabat, ut mea fert opinio: Nam nihil æquè ad benefaciendum allicit, quàm cùm beneficii memoria celebratur. Hoc enim plures ad labores intolerabiles ſuſcipiendos excitat: uirtus ubique in arduo eſt, difficiliſque uidetur uia, quæ ad illam ducit. Xenophontius ille Hercules nõ per ignauiã & deſidiam, ſed per labores & induſtriam ad uirtutem ſibi fecit aditum. Quanquam ne labor quidem ullus in hac re præſtanda, tam arduus eſſe poteſt, qui idoneos à tam utili inſtituto debeat deterrere. Verùm nihil eſt tam durum & arduum, quod induſtria, ſtudio, & diligentia non acquiratur. Etenim uel hoc nomine naturæ non parum debemus, quòd nihil humanæ naturæ negatum uoluit: ideò nihil deeſt hoc ſeculo, quàm aliquis, qui uelit maximè conſultum reipublicæ literariæ. Ego Manardum uirum noſtri temporis Græcè & Latinè doctiſsimum ad hoc munus capeſſendum hortari non deſtiti, utpote quem huic rei aptum, & ſe etiam dignam prouinciam iudicaui. Hæc cura hactenus ſeplaſiariis commiſſa, qui ut ſunt nulla rerum experientia prædití, ita lucro turpiſsimo dediti. Manardus noluit onus ſubire, mihíque ſæpius per literas locutus eſt, perſuaſit ut hanc mihi ſumerem prouinciam. Parui equidem piis admonitionibus & quidem libenter. Incepi omnes Dioſcoridis interpretes euoluere, cum omnibus Latinis & Barbaris autoribus, quos de hac re tractaſſe noueram: plura contuli, in multis conuenire, in plurimis quoque diſſentire, uidentur. Quid dicam? res eſt infiniti laboris, ſed quæ induſtria & uigilantia molleſcat, & minuatur. Quòd cum ita ſit, turpiter deſperatur, quod fieri poteſt. Illud etiã nonnihil eſt, quòd licet uirtus per ſe ſit expetenda, neſcio tamen quónam pacto ad illam libentius properamus, ſi qua ſpes præmii in arduum nitentibus proponatur, quæ quò maior eſt, eò magis nos ad illam aſſequendam inuitat. Illud uelim omnes ſtudioſos ſecum conſiderare, ſe non ſibiipſis ſolùm natos eſſe, ſed toti rei literariæ. Ob id ἐγκύκλιον παιδείαν uocamus bonas artes & diſciplinas, quaſi unà ſimul coniunctas, ut una ab alia ſeparari non poſſe uideatur, nec uni ſola ſeruire, ſed omnibus debeat. In quibus, ſi nobis nõ defuerimus, longè tutiſsimè uerſabimur, his laudem, his honorem, his exiſtimationem, uirtutem denique, & à uirtute ipſa immortalitatem acquirimus. Quis enim unquam clarior fuit illo qui primus medicam artem illuſtrauit? Quàm multis profuit ille? quantum ſuis? quantum uniuerſæ patriæ? quanta denique cum laude & celebritate in hoc ſeculo uixerit, clarum omnibus eſt. Nunquam me, ut redeam ad inſtitutum, ſuſcepti laboris pœnituit, donec Bononiam ſatis magno & amplo conductus ſtipendio, ad munus θεραπευτικῆς publicè profitendi. Quid autem ad huiuſmodi prouinciam requiratur, compertum habeo, alioqui negotiis diſtrictus, partim lectioni, partim conſulendo ægris tempus conſumitur: ita à ſuſcepto labore ſuperſedendum duxi, non lubens quidem, ſed coactus. Quòd ſi Deus ſua benignitate me incolumen, ſuperſtitémque adhuc aliquot annos ſeruare dignabitur, hos totos publicæ utilitati, qua poterimus induſtria, ac diligentia dabimus. Scribent fortaſſe alii meliore euentu, elegantioréque ſtylo, quia fortaſſe plus illi poterũt, ſed qui minori autorum auxilio, quam ipſe rem aggreſſus ſum, ſit de ea reſcribere auſus, quod ſciam, fuit nemo. Vale, & tuis literis mihi ſponte currenti addere calcaria non deſine. Nam, ut inquit poëta: Excitat auditor ſtudium, laudatáque uirtus Creſcit, & immenſum gloria calcar habet. Receptui literis meis canam, donec lectio publica bellum cecinerit. Vale, & cura ut ualeas, erit id mihi tam gratũ, ut uel hoc nomine uelim tibi omni tempore adeſſe & prodeſſe. Nam te incolumi facilè ſperabimus bonas literas rectè ſe habituras: cui me etiam atque etiam commendo. Bononiæ.

## EPISTOLA VI. AD IOANnem de Ariarijs, *conſilium pro quodam Comitiali morbo laborante.*

QVæſitum eſt, quænã ſit ægritudo nobiliſsimi iuuenis. N. temperaturę calidæ & humidæ, humida tamen calidã ſuperante, & quænã poſsit eſſe

cura:qui aliquando uexatur in nocte, manuũ uidelicet crebra & frequens mobilitas, cum totius corporis tremore,cũ oculis cõniuentibus & tremulis,cũ ſpuma circa os, & cũ faciei colore nigro. Hæc omnia ſymptomata in hoc iuuene euenire mihi famulus ſecũ habitans, in nocte uidiſſe retulit, & per paruũ tẽpus durãt, & poſtquam reſipiſcere uiſus eſt, totus attonitus & ſtupidus, tanquã uitæ neſcius,uidetur.Imò per diem totũ ſequentem uelut graui ueterno torpẽtẽ ſe ſentire aſſerit:& res in deterius progredi uidetur: ſiquidẽ crebrius, ſæuiúsq; nũc exagitari ab hoc ſæuo morbo,quàm antea per multos annos,quibus hac lue laborauit, ſentit. In hoc ergo nobiliſsimo iuuene omniũ ſenſuũ,tam exteriorũ quàm interiorũ operationes omnes lædi uidentur, & quanuis plures ſint morbi à Medicis numerati, à quibus tales operationes lædantur,ſicut patet de apoplexia,congelatione,lethargo,ueterno,ſeu ſubeth,quę eſt penè inexpugnabilis neceſsitas dormiendi, matricis præfocatione, & ſyncope:mihi tamen uidetur quòd diſpoſitio hæc, niſi ad paroxyſmos epilepticos, ſeu comitiales redigi non poſsit:& ſi ſint morbi proximi,cũ idem locus in utroque patiatur, & idẽ humor in cauſa ſit, frigidus ſcilicet,& craſſus,ut Galenus ait 3.ſuper aphor.Quicunque iuuenes morbo comitiali laborant,mutatione maximè ætatis,& temporũ, & locorũ, & uictuũ quoque liberantur.In apoplexia autem auferuntur operationes ſenſus,& motus,ſed non eſt paroxyſmalis,ſicut eſt hæc diſpoſitio:ſi autem fortis fuerit,interficit:debilis autẽ in paralyſim tranſit. in hoc autẽ morbo nihil tale accidit. In ueternoſa diſpoſitione non accidit priuatio ſenſuum & motuum,imò auditus & uiſus remanet,licet ſegnis, niſi fortè ſomno inexpugnabili præcedẽte. In lethargo adſunt ſigna apoſtematis puppis cerebri, quod lethargicum nominatur. Nec etiã hic noſter iuuenis lentè febrit,& continuè,ſicut lethargici,neque eſt læſio in operationibus potẽtiæ memoratiuę ante paroxyſmi inſultum,nec poſt eius reſolutionẽ, ſicut in lethargo. Neque etiam congelatũ appellare poſſumus:ſiquidem congelati oculos fixos & apertos tenent:hic autem cõniuentes & mobiles oculos in paroxyſmo habet.Et in congelatis fixa & immobilis corporis totius & mẽbrorum figura, ut in tempore inſultus erat, remanet, ibi totius corporis concuſsio,& non parua. A ſyncope differt, in qua facies eſt uelut hominis mortui,ſanguine & ſpiritu ad cor cõfugientibus,cũ pulſu paruo,& ſæpe uermiculari:in hoc caſu noſtro nihil ſimile apparet. Vteri uerò ſtrãgulatus cùm in uiro nõ eueniat,diſcrimẽ ſcribere nõ oportet.Eſt igitur huius egregij iuuenis morbus hic Comitialis, & quia nullius morbi cura exactè perfici poteſt,niſi ex accidenti, cuius eſſentia non bene explorata fuerit,ideò ab eius definitione exordiendum eſt.Comitialis igitur morbus,teſte Galeno 3.de locis affectis,conuulſio eſt omnium corporis partiũ,non continua, ut in emproſthotono & opiſthotono, & tetano, id eſt neruorum rigore,uidere eſt,ſed quę accidit ex temporũ interuallis, cũ ſenſuum, & principalium operationũ, rationis ſcilicet & memoriæ,oblæſione, ex craſſo magna parte humore uentres cerebri obſtruẽte, & tranſitum ſpirituum prohibẽte,principio neruorum ſeipſum agitante,ut quod ſibi noxium eſt excutiat.Et cùm ſub conuulſione, tanquã ſub genere continetur, liquidò apparet,ut ſit uitioſus, & deprauatus motus: quod intelligi poteſt ex Galeno, 5. de cauſis ſymptomatum, ad quæ medicus diligenter aduertere debet, an in morbo hoc motus deprauatos cerebrum per conſenſum quẽdam, uel ex primario affectu patiatur. Ego autem ex conſenſu maximè arbitror, concurrente etiam cerebri debilitate & humiditate ſuperflua:tamen quia aſsiduè & uehementes non accidunt conuulſiones, ſed per interualla menſium trium,aliquando breuibus quibuſdam ſaltuoſis motibus in nocte concutitur, & potiſsimũ, ſi in cœna uaria ciborum quantitate uſus fuerit, & uentriculus cruditate laboret: ex hoc ueriſimile eſt, qualitatem; uel uapores ad cerebrũ mitti, qui cerebrum percutientes hoc ſymptoma generãt, quod ſymptoma exactius loquendo à morbo in compoſitione fieri poteſt, uidelicet ex meatuum obſtructione à craſſa materia genita, uel ex cerebri uentriculorum parietibus ad inuicem cõcidentibus, ex quo adhæſu ſpirituum tranſitus prohibetur.unde poſtea per totũ diem ſequentẽ,ueluti ſtupore quodã percuſſus,uiuit, & eſt uitæ neſcius ipſe ſuę, ex læſione magna in principe parte derelicta. Commune eſt omni epilepſiæ ut cerebrum patiatur, teſte Galeno & Aëtio.De prognoſtico nihil dicam,niſi quod Hippocrates & Galenus dixerunt, quinta partic. aphor.7 Quibuſcunque morbi comitiales fiunt,&c.Iuuenis hic egregius annum agit uigeſimum, & quòd in deterius continuè labetur, niſi exacto uiuendi regimine continuè utatur, in hac ultima periodo euidentiſsimè apparuit.Nam ſæuius afflictus eſt, ita ut mordicus portiunculas linguæ ſibi abſciderit. Nolo igitur deſiſtere, quin ſuccurram ſaluti huius elegantiſsimi iuuenis ob mores ſingulares,& doctrinã eius eximiã, quãtũ ars medicinalis efficere poteſt,ut ſi curari nõ poterit,à ſæuioribus tamẽ & crebrioribus periodis præſeruetur. A rebus igitur,quas Medici nõ naturales uocãt,quarũ auxilio ſi rectè adminiſtratæ fuerint, omnes morbos expellunt, incipiemus. Aërem,& locũ uẽtoſum,nubiloſum,humidum,apud ualles, & aquarum decurſus poſitum effugiat, & ſtet in camera tempore frigido cum igne, & ſuffitus fiat in camera cũ garyophyllis, ligno aloës, & galla muſchata: Teneat pannũ coccineum, quẽ uulgo de grana uocant,ſuper ſtomachum,& calefiat in mane cum ſuffitu garyophyllorũ. Si etiã pro capitis tegmine eſſet huiuſmet coloris, conferret.Tegmen infectum ex Iſatide, uulgò enim glaſtum ſeu guadum uocant, non conuenit: ſed ex cocco qui tingendo eſt, mirabiliter in caſu hoc conueniet, corpúsque bene munitum, mundis & nitidis ueſtibus ſemper habeat. De cibis obſeruentur ſequentes canones. Primus: nunquam comedere debet,niſi cùm appetitus hominem inuitauerit,& cùm inceſsit,illico comedendum eſt: quia tolerare famem,ſtomachum putridis replet humoribus:tertia primi cap.7. 2 Et ſi ualida ſit fames,ad ſaturitatem nunquam comedere debet, imò à menſa exurgat, cum cibi adhuc appetitu laceſſente. 3 Faſtidio ſtomachi infeſtante,non prius comedendum eſt, quàm ex toto tranſierit. 4 Subtiles cibi craſsis præmittantur. 5 Cibi menſura talis eſto, ne ſtomachum grauet, & potus ne fluctuet. Cibos omnes frigidos & humidos, & obſtructionem cauſantes,& uiſcidos effugiat,uelut paſtiles cibos,piſces omnes,præterquàm ſaxatiles commẽdatos à Galeno in conſilio pueri epileptici. Iacobus autem de partibus admittit piſces ſicciores, & leuiores, albæ carnis, ſquamarum multarum, ut ſoletæ, rogeti,uendoſiæ, lucij, percæ. Carnes omnium uolucrum, præter aquaticarum laudat Galenus: quadrupedum uerò magnorum uituperat, hœdos admittit,& ſic pullorum, caponum, gallinarum, perdicũ, phaſianorum, turturum, alaudarũ, capreoli ſyiueſtris, apri ſylueſtris, & lepuſculorum, & omnium auium nemoralium carnibus uti poterit. Iurulenta & multum pinguia effugiat,& cibaria acuta. acria,uelut allia,cepæ,bulbi,porrum, raphanus, & ſtaphilinum, & rapum: & breuiter Galenus cuncta comeſtibilem habentia radicẽ prohibet: interdum tamen raphano uti concedit: Vitella ouorum, iura cicerum, far, rizum conueniunt,& cum ſaccharo,& pauco ſucci amygdalorum dulciũ:in prandio ſolùm, non in cœna laudo. Fugiat olera frigida, lactucam, endiuiam, blitonem & blitim,atriplicem, cucurbitam, cucumeres, ſpinachiam, braſsicam, apium, & petroſelinum: & ſi Galenus horum omnium uſum non interdicit aſsiduum,ſed per interualla concedit, ſicut lactucam,atriplicem, blitum, & betam, & endiuiã per interualla, ſed dimittere melius eſt: Saluia, hyſſopus, roſmarinus, conueniunt. Peponibus tamen cùm ſint inter omnes fructus gratiſsimi, modeſtè uti poterit,& paſsis,& uua penſili,& pineis,fiſticis, & ficubus ſiccis,& amygdalis dulcibus. Pyrum poſt cibum,& aſſum concedimus. Lac & caſeum, & quæ ex eis præparantur, euitet. Oleum oliuarum bene conditionatum conceditur. De conditis cydonium poſt cibum aſſum cum zuccharo, uel diacydonion conueniet. Oliuas cõditas toleramus: legumina omnia, præſertim eorum ſubſtantia, uitanda ſunt. Capparibus utatur cum oxymelite. Panis ſit ex optimo tritico bene fermentatus, duorum uel trium dierum. Cœna ſemper ſit leuior prandio in caſu huiuſmodi. Et ſi ſciam Auicennam & Galenum in hoc morbo diſſentire:quandoquidem Galenus pleniorem cœnam prandio, Auicenna uerò leuiorem cœnam prandio concedit. Cui autem ſententiæ adhærendum ſit,aliàs fortaſſe trutina diligentiore diſputabitur. In hoc autem iuuene nobili, cùm in nocte hoc ſæuiſsimo morbo agitetur,cœna ſit multo leuior prãdio.

Potus

Potus debet eſſe uinum album, ſubtile,trãſparens, non fumoſum, ſed aromaticum, & ſtomacho conueniens: quòd ſi permiſceretur cum aqua decoctionis pæoniæ & corallorũ rub. eſſet conuenientior: & pæonia & coralli parũ terantur,& in aqua coquãtur: & ſi hæc aqua cum melle, modo quo mulſa præparari ſolet, condiretur,uini loco conueniret. Semper poſt cibum aliquid de diacotoneo,uel coriãdris ſaccharo opertis, aſſumat. Exercitium fiat ante cibum,& ſit modeſtũ, in quo partes inferiores magis,quàm ſuperiores laborẽt. Somnus diſtet à cibo per duas horas, & ſit ſeptem uel octo horarum, & in nocte. Omni die curetur ut uenter eat, ſi non ſponte, arte ſaltem. Coitus in ſolutis, à religione noſtra omnino prohibetur. Secundum uerò Galenum, per interualla utilis,ita ut neque reſolutio aliqua ſentiatur, & ipſe homo ſeipſo quodammodo leuior factus, ac melius ſpirare uideatur. Pro re autem medicinali ſcopus primus eſt,ut corpus uniuerſum prius,deinde cerebrũ purgetur:& ſi quid noxii humoris in eo generetur, ad alia membra trahatur ignobiliora, & curſus humoris,uel uaporis mali ad cerebrũ tranſmiſsi à uentriculo, intercipiatur,demum cerebrũ roborandum eſt. Prima igitur intentio eſt, corporis euacuatio, quæ licet uariis ingeniis fieri poſsit, præcipua tamẽ eſt purgatio, & uenæ ſectio. Et à uenæ ſectione ſemper incipiendum, ubi ambarũ fuerit neceſsitas:& nunc inſtãte autumno,laudo ipſam fiendã ex uena iecoraria ad ſanguinis extractionem ſemilibræ:die autem ſequenti capiat has pilulas poſt cœnam per horas duas: Recipe pilu.de hiera ſimpl.agarici trochiſ.ana ſcrup.1.aurearum ſcrup.2.cum aqua betonicæ,fiant pil.num.5. Die uerò ſequenti primo mane capiat hunc potum,& ſuperdormiat per horam,& cõtinuè ſic per ſeptem dies perſeueret. Recipe oxymelitis ſimpl.unc.1. ſem. mell. roſ. col.unc. ſem. decoctionis hyſſopi, & radicis pæoniæ unc.4. Poſtea capiat hæc catapotia ſummo mane, & ſuperdormiat per horam,& tardet cibũ per ſeptẽ horas: Rec.pil.cochiarum aurearum ana ſcrup.1. agarici trochiſcati ſcrup.2. granorum pæoniæ num.1.cum aqua hyſſopi, fiant pil. num.5. His actis iterum redeat ad eoſdem ſyrupos,mutãdo oxymel ſimplex in compoſitũ, & iterum aſſumat eademmet catapotia,ſimili modo & ordine: tertio itidem faciat,& permutetur oxymel cõpoſitũ,in oxymel ſcylliticũ,addendo in pilulis,ſi nõ bene eduxerunt. Facta iſta trina purgatione, quæ in uere & autumno fienda eſt,per ſex uel ſeptem dies dimittat omnia,& utatur hoc condito: Recipe pyrethri unc.ſemis.mellis deſpumati unc.2.ſemis. miſceatur, & hora eundi dormitũ de hoc aſſumat ſcrup.2. Mane uerò per horas quatuor ante cibũ capiat ſcrup.4. His actis & hyeme ineũte,aliquando poterit aſſumere drach.1.leuis tamen ponderis pilularũ Alexandri ſummo manè,quæ recipiũt Aloës,ſcammonii, bdellii, ellebori nigri, colocynthidis, epithymi ana ſcrup.1.euphorbii,nitri ana ſcrup.ſemis.cõfice cum ſucco braſsicæ:his non ſemel,ſed aliquando uti poterit ut omnibus quindecim diebus ante lunæ coitũ, & pleniluniũ. His peractis inſurgit alia intẽtio,cerebri ſcilicet purgatio, quæ cum caputpurgiis fieri poterit, ex ſucci blitis depurati,ſucci cyclaminis unc.1.s.aquæ decoctionis maioranæ cum melle decoctæ unc.2.nigellæ puluериſatæ drach.s.miſce, & trahatur per nares, ore prius aqua pleno in mane,& actu calidũ attrahatur. Aliquando etiã poterit loco caputpurgii in mane ante cibũ, uti hoc maſticatorio: Rec.maſtic. elect.grana.7. pyrethri parũ,et expuatur quod ad os de humiditate attrahitur. Interdum etiã loco iſtorũ poterit uti decocto hyſſopi, pæoniæ,pulegii,pro gargariſmate cum pauco aceti ſcyllitici, & hæc ante prandiũ per duas horas fieri debent. Poſt hæc laudo ut ſæpe accipiat mithridatici drac.1.per horas 8.ante cibum in nocte,& aliquando aſſumere de hoc electuario: quia in chronicis non in una ſtandũ eſt medicina,quia ab eo quod ſimile factũ eſt,non patitur natura,ut dicit princeps:& hoc electuariũ mirabile eſt, quo ego ſæpius uſus ſum, & iuuamentum uidi, de quo Bartholomęus Montagnana Deum teſtatur millies epilepticos liberatos fuiſſe, exhibendo de eo drach.3. ante cibũ per horas quinq;: Recipe pyrethri,ſtœcadis,coſti, ana drach.10.agarici drach.5. carui, ſeminis anethi, aſſæ fœtidæ,ariſtolochiæ rotundæ ana drach.2. ſemis, ſucci ſcyllæ,mellis electi ana lib.1. & unc.2.coquantur mel & ſuccus ſcyllæ lento igne uſq; ad bonã uiſcoſitatẽ,deinde ſuperadditis ſpeciebus fiat electuariũ:& quãdo de hoc aſſumit,nihil aliud capiat: hoc idem & de reliquis fiat. Sæpe etiã deglutire granũ unũ thuris maſculi hora eundi dormitũ confert,& cùm neceſſariũ ſit,ſuperfluitates, quę in uẽtre,& capite generãtur,bonũ eſt habere quaſdam pilulas, quæ ſint in uſu continuo per totũ annum, pręterquàm in temporibus ualde calidis & ualde frigidis. Superiores autẽ ſuprà ſcriptæ, erunt pro purgationibus, quæ fiendæ ſunt cum delectu uere & autumno. Hæ autẽ erunt ſecuriores pro continuo uſu, & laudo ꝙ omni hebdomada bis ſcrup.4. aſſumãtur poſt cœnam. Et ſi uẽter fuerit ſtypticus,omnibus duobus diebus unã grãdiuſculã,quatenus tamẽ poſsit deglutiri. Pilulæ ſunt tales: Recipe pilularũ aleſanginarũ deſcriptione Meſue drac.2.pulpę colocynthidis drach.1.agarici electi ſcru.4. ſalis indi,granorũ pæoniæ,ligni aloës, ſiſeleos ana ſcru. 2.pulueris cranii humani maſculi ſcrup.1.cum aqua maioranæ,fiat magdaleon. Laudo ut ſupra cordis regionẽ hunc ſacculum deferat: Recipe ſpecierum electuarii de gemmis,ſpecierũ electuarii lætificantis Almanſoris,ana drach.2.macis drac.1.origani, ligni aloës, granorũ pæoniæ, ſtoracis, calamitæ ana drach.ſemis. pulueriſentur omnia ſigillatim,& ſimul conſuantur in ſyndone,& feratur ſuper mamillam ſiniſtram,& ſudor ſi fortè adhæſerit, abſtergatur. Purgato toto corpore & cerebro, ſuccedit alia intentio,ſcilicet humorũ diuerſio ad membra ignobilia, quę dupliciter fieri debet,ſcilicet auerſione ad lõginquiora,& deriuatione ad propinqua. Auertemus autẽ apponẽdo cucurbitulas ſuper nates & ſub poplite, quæ ſi ſanguinis copiam attrahere uidebũtur, eas ſcarificare non erit inutile, dorſo & hypochondriis ſine ſcarificatione. Extremorũ ablutio cum hyſſopo,ruta,ſaluia, radicibus pæoniæ, & eius grauis ana m.1.ſtoracis,calamitæ,ligni aloës ana drach.3. ex omnibus fiat in aqua pro extremorũ ablutione. Clyſma ex eadẽ decoctione conueniet, apponendo ſecum unam ex hieris magnis cum ſaccharo rub.uitello oui,& ſale,& oleo rutaceo. Balani ſiue glandes, quæ ſuppoſitoria appellãtur, cũ ſpeciebus hierę: apponendo ſal gẽma cum melle. Hirudines uenis ani appoſitæ maximè in autũno ſupponere laudo,extrahẽdo uſq; ad ſanguinis unc.5.& nunc conueniẽt,ſi uenam brachii ſecare noluerit. Ligationes quoq; fortes extremorum tempore inſultus,& frictiones cum ſale & aceto circa crura conueniunt. Si etiam ſub genu dextro per digitos quatuor fiat per cauſticum apertio,quæ uulgò fontinella dicitur, & diutius teneatur aperta,non erit inconueniẽs. Vomitus ſiue à cibo, ſiue ante cum oxymelle ſcilicet factus, erit quoq; cõueniens. Deriuatio fit ad propinqua,ſicut cum cucurbitulis ceruici appoſitis,cum frixionibus,incipiẽdo à manibus & brachiis, pòſt ad pectus & uentrẽ, ultimò ad crura,ſemper ad inferiora trahendo,& longiori tẽpore in his immorando:ultimò ad caput perfricãdũ ueniendum, & hæc capitis frictio, deriuatio ſola propriè appellari poteſt,aliæ magis reuulſiones. Succedit alia intẽtio roborãdi cerebri. Inter alia eſt ſcyllæ pharmacũ,in quo tantopere confidebat Gal. ut ſpatio quadraginta dierũ Cęciliani filiũ epilepticũ ſe ſanaturũ pollicitus fuerit: ualet enim ad malam qualitatẽ è cerebro tollẽdam, & robur addendũ, maximè ſi ſecundũ Galeni modum præparetur,qui talis eſt: Scyllam in tenues partes manibus attritã in uas ex quo mel eſt detractũ,iniicito,deinde anguſto operculo claudito, & extrinſecus pellẽ toti uaſi circundans obturato,in locum uerſus meridiẽ ſpectantem reponito,bene tamen à ſeptentrionalibus uentis, ne ab illis perfletur caueto: ea anni hora hoc facito, qua canis exoriri ab omnibus græcis putatur: Eſt autẽ tempus dierũ quadraginta. Sæpe ſitũ eius commutato, ut æqualiter incaleſcat. Poſt uerò id tempus aperiens, in uaſe ſcyllæ ſubſtantiam coctæ ſimilem reperies,effluxiſſe ab ea ſuccum reperies, quem optimo melli miſcebis. Eius autẽ deinde cochleare unum plenũ indigentibus præbeo, pueris autem paruũ, adultis uerò magnũ, corpúſq; ipſius ſcyllæ exactè terens, & melli pariter miſcens,eadem menſura dabis,ut tamen ſcias, ſecũdæ hoc notæ & poteſtatis eſſe. Sed cum hoc pharmacum nunc cõfici non ualeat,loco eius,quouſq; mel ſcylliticũ Galeni poſsit præparari, utemur oxymelle ſcyllitico, capiendo omnibus tribus diebus duo cochlearia de eo, quòd confectũ habetur. Nolo autem ut de hoc quotidie aſſumat, quia neruis non innocuum eſt,ut dicit Galenus. Ex his autem, quæ extrinſecus applicantur, quædam naribus, quædam auribus, quædam uertici, quædam collo

ſuſpēduntur.Naribus quidem ruta,præcipuè ſylueſtris, hyſſopus,ſamſuchus,lauri folia,et baccę,nux myriſtica. Auribus balſami liquor, ſi haberi poteſt, ſi non, oleum balſaminum per artem chymicā ex uariis ſpeciebus extractum,uel oleum liliaceum. Vertici cerotum ex uiſco quercino,quod lignū crucis appellat Auicēna,& puluere pæoniæ, hyſſopo, mace, garyophyllis,& ſandaraca & pauco reſinæ cōficiatur, & ponatur in uertice,ubi ſuturæ capitis coniungūtur, & ſit maioris latitudinis hoſtiæ magnæ. Tum ad ſinapiſmum deueniēdum eſt,quo non proficiente,ad cauteriū. Sinapiſmus confici poteſt hoc modo:Recipe ſinapis drach.ij.euphorbii, nitri, ſtaphiſagriæ ana ſcrup.ij.fermenti in acerrimo aceto macerati unc.ij.ſubtiliſsimè omnia pulueriſentur,& reducantur ad formam linimenti, & ex eo ſricetur tota capitis ſuperficies,quouſque rubeſcat, & pòſt poterit iterum cerotum apponi. Circa collum radix pæoniæ, præſertim maris, ex altiſsimis montibus effoſſa, ab omnibus commendatur.Ego autem ſecum grana ſua appendi iubeo,quæ in rara petia ligentur,ut ſtomachum attingāt. Conſulueram homini ne tot tormētis afficeretur,ut efflorеſcente uere, facta exquiſitiſsima purgatione ad balnea Patauina ſe conferret,& per aliquot dies potaret de aqua ebani, deinde duciam ſanctæ Helenæ aſſumeret, uel ad balnea ſancti Philippi in Comitatu Senarū ſe conferret,epotata prius per aliquot dies de aqua Aquarii, quæ eſt in comitatu Rhegiēſi, quam uolebam ut prius in hac urbe potaret, deinde ad ſanctum Philippum ſe conferret, ſed renuit. Laudo ut anno futuro omnino remedium hoc non dimittat,ex quo leuamen non paruum ſubſecuturum arbitror. Quod omnipotens Deus pietate ſua concedere dignetur.Bononiæ Idibus Septēbris,anno ab orbe redempto M. D. XXXVIII.

## EPISTOLA VII. QVID SIT *panis elotus, ad Gaſparem Aggerenſem, ac de panis generibus.*

EGo in magnis caloribus ad IIII. Non.Iun.quo die è Flaminia Bononiam ueni,accepi tuas literas, integerrime uir, ex quibus intellexi te è podagra laborare.Ego officii mei eſſe duxi,te inuiſere,& ſi æſtu & itinere quodammodo defatigatus.Tanta enim ſunt merita erga me tua, quòd nullo pacto id prætermittere potui. Cùmque ad te ueniſſem, offendi te aliquanto morbo ſubleuatum,lætatus,ut debui.Ibi tu ſtatim de re medica,ut ſoles,diſſerere cœpiſti, & quodammodo huius ætatis medicis ſubiraſci,quòd incuria & negligentia eorum multa pretioſa ab antiquis inuēta, peſſum iri paſſi eſſent. Vtinam omnes nobiles hoc tempore, eo ipſo animo eſſent,qui tecum in communem literarum utilitatem conſpirarent:facile ſperarem, non ſolum rem medicam,ſed etiam cæteras facultates,breui,priſtino candori reſtitui,atq; è tenebris, quod aiunt,cimmeriis,ubi diu ſepultæ fuerunt,in clariſsimam lucem prodi. Dubitare etiam uidebaris,quid eſſet panis elotus apud Galenum.Reſpondi ego tum ex tēpore,non eſſe nouam panis ſpeciem medicis ignotam, ſed panem in aqua ablutum,quo ſæpe medici in febribus, & in apoſtematibus intrinſecis, in quibus apertionem antequam maturuerint ex acritudine fermēti extimeſcunt, utuntur. Tu autem arbitrabaris, panem elotū eſſe panem aquaticum apud Plinium:uulgò autem buſſetum appellari.Ego autem cùmprimum domum redii , Galeni locum primo libro de alimentorum facultatibus, ubi de pane eloto loquitur, diligentius inſpexi. Ait enim ibi: Qui eluendi panis rationem excogitarunt, imbecillioris ſanè nutrimenti cibum, ſed eum ipſum quātum licet, maximè ab obſtruendi noxa immunē inuenerūt. Et ſi quid tamen, minimum quidem habet, hic panis craſsitatis glutiniſque: ut qui ex terreſtri ac graui, aëreus leuíſque ſit factus.Eiúſque leuitatem ſi ſtatera ipſa perpendas,offendas, tum quòd in aqua non ſubmergitur, ſed inſtar ſuberis ſupernatat. Sic enim habet tralatio latina caſtiſsimè è gręco codice uſurpata.Et ut res clarius innoteſcat, ex omnibus panis ſpeciebus à Galeno & ab aliis enarratis, conſtabit panem elotum non eſſe ſpeciem unam ab aliis in modo præparādi diuerſam. Poſtquam igitur Galenus ibidem ſecreuit optimum triticum,quod generoſum 2. ad Glauc.appellauit, quod & ponderoſum & prædenſæ ſubſtantiæ, ut uix confringi queat, & ponderis grauioris, ut dixi, & coloris flaui, & poſteaquam molitum,farina eſt copioſa & multa cribro excreta.Malum autem à laudatiſsimo tritico, quod ignobile appellat, diuerſum in omnibus eſſe ait. Poſtea uerò Galenus panis genera quinque conſtituit: duo autem tanquam extrema:primum quod furfuraceum appellat,qui conficitur poſt ſecretam cribro farinam tenuem,quam ſiliginem appellāt:ex reliquo panis hic furfuraceus dictus, conficitur,infirmum corpori præſtās alimentum,& facile per uentrem excernitur. Ex ſiligine fit panis nitidus & ſynceriſſ.cui in nutriendo Dioſcori. Paulus,& reliqui ueteres medici primas partes attribuunt, & eſt genus extremum in optimis. Et panis hic apud diuites noſtris temporibus fit. Quem quoque ampliore fermento ſaturare, eúmque maximè ſubigere, nec illicò poſt inditum fermentū coqui debet. Furfuraceis uerò paucum fermētum,leuis elaboratio, breuéque interuallum ſufficit. Inter furfuraceos & ſynceriſsimos,qui ſiliginei ab omnibus doctiſſ.appellantur, ſunt mundi,ſyncomiſti, ſordidi, genera tria intermedia, & in his diſcrimen pro nobili & ignobili tritici natura non medicore eſt.Ex nobili tritico præſtantior panis,ex leui uerò deterior.Poſt ſiligineum proximus eſt mundus panis ſimilaceus,à ſimila, quæ ſimilago etiam promiſcuè dicitur à Plinio & reliquis:imbecillioris nutrimenti quàm ſiligineus. Similago hæc in panificio ab omnib. laudata eſt: ex qua panis cādidiſſ. & omnino opiparus fieri ſolebat. Fit autē hęc fracto potius quàm trito frumento, mola ſuſpenſa, ex qua craſsiores excernebantur furfures.Subſtantia uerò media alba,& quodammodo grumoſa totius furfuris expers, σεμίδαλις Græcis, Latinis uerò ſimilago,uel ſimila dicta eſt:ſed quia rationibus patrisfamiliâs nō côducebat,uſus eius abolitus eſt. Tertiū genus panis eſt apud eundem Galenū,qui αὐτόπυρος ἢ συγκόμιστος appellatur,qui ex confuſanea farina,furfure nequaquā à candido excreto cōflatur. Grææ uoces exactius reſpondent: αὐτόπυρος enim dicitur,quaſi ὅλος αὐτὸς ὁ πυρός. id eſt, totū ipſum triticū,nulla ſui parte adempta in panificium accedit. συγκόμιστος enim, quoniā in eum συγκομίζεται, id eſt, conuellitur, ſeu cōfertur ſimul furfur utriculi & ſimila: utriculos autem uocat ibi Galenus ſurfur tenuius,quaſi pulueris trituræ ſimile.In aliquib.Italiæ partib.redūdago dicitur,uulgò romicellum,uel tritellū uocāt.Quartū genus eſt,panis ſordidus à Galeno dictus: poſtremum eſt furfuracei genus,quod ſordido minus nutrit, ſed citius per aluum deſcendit.Gal.etiā 2.lib.ad Glauc.quādo de abſceſsibus loquitur, ponit ferè eaſdē panis ſpecies. De cibis boni & mali ſucci dixit: Cibi nanq; approbati ſucci ſunt ex frumentaceorū genere,panes mundiſsimi, probéq; cōfecti, adhibita prius maceratione, debitáq; fermētatione, addito etiam ſale,& in clibano decocti, mox furnacei. Ex his autē liquidò cōſtat,panē elotū nō eſſe unā ſpeciē de numeratis à Galeno, nec à quopiā ueterum,nec recentiorū doctorū.Paulus Galeni ſimia,qui more apū,ſucculentiora ex uaſtiſsimis eius cāpis collegit,in 1.lib. de panibus loquēs,ait.Siligineus uerò panis omniū firmiſsimus eſt: poſt hunc ſimilagineus.Deinde cui nihil ademptū eſt,quē συγκόμιστον Græci appellāt.Sordidus,hoc eſt frumentaceus panis,alimoniæ quidē minus,ceu firmiſsimus præbet, promptius per aluū deiicitur. Amylus,hoc eſt ex amyla farina factus minimi alimenti eſt,nō aliter q̃ qui lotus in cibis: & hic eſt panis Galeni elotus, quē eſſe nutrimēti imbecillioris aſſerit Paulus.Cor.Celſ.Rom.ſermonis candidiſſ.autor,in 2. lib.cap.18. Qui cibi potionéſue ualentis,aut mediæ,aut imbecillæ materiæ ſint,inquit, firmius eſt triticū quàm miliū: idipſum uerò quā ordeū ex tritico firmiſsima ſiligo, deinde ſimila: poſtremò cui nihil ademptum eſt, quod Græcis αὐτόπυρος, infirmior eſt, & ex polline infirmiſsimus cibarius panis.Et per pollinē (ut obiter quoque hoc declarē)puluerē ſubtiliſsimū intelligit, hęrentē circa molas & parietes,cū triticū mola teritur,uulgò aliquibus briſellum,ab aliis uerò uolatia nuncupatur. Et hanc pauperrimi in annonæ caritate à molitoribus emunt,& ſicut eſt pretij uiliſsimi,ita minimè ualētis materiæ,de qua etiā fit mentio apud Plinium lib.18. cap.10. ubi ait,Similago ex tritico fit laudatiſsima.Ex Africo uiſitur è modiis redire ſemodios, & pollinis ſextarios quinque. Poſtea Celſus ibidem ſubnectit: Et cùm panificia omnia firmiſsima ſint,elota tamen quædam genera frumenti: ut alica, oryza, ptiſana,uel ex iiſdem facta ſorbitio,uel pulticula,& aqua quoque madens panis,imbecillimis annumerari poteſt: Hæc Celſus. Ex

cuius

cuius ſerie uerborum intelligitur, panem ipſum debere eſſe lotum in aqua, non quòd fiat ex tritico madefacto uel abluto, ut nonnulli coniectari uolunt. Et ita Galenus per panem elotum intelligit panem in aqua infuſum, & in eadem madidum. Galen. primo ad Glauc. in febribus continuis panem hunc in aqua madidum exhibet. Nec Gal. de pane eloto loquens, dicit elotionis modum, ſed uirtutes exprimit, ut in codice Græco apparet, cuius titulus eſt περὶ πλυτοῦ ἄρτου ἑρμηνείας, id eſt, de panis madidi interpretatione. Modum autē ablutionis ponit Auicenna 2. canonis, & eaſdē ei uirtutes attribuit. Eloti uerò panis conficiendi modus ſecundū Galenum hic eſt. Medulla panis pridie decocti in aqua calida infundatur, & aqua ſupernatans abiiciatur, & renouari poteſt bis uel ter, quouſque fermētum & ſalſedo ab eo remoueatur, & hic panis in pondere fit leuior, & minus obſtruit: & facilius digeritur, & calefactis conuenit, & ubi apoſtemata ſunt intrinſeca, de quorum apertione ante tēpus extimeſcimus. Nicolus Florentinus in 2. de cibis febricitantium ſumptis à granis, ponit multiplicē ablutionis modū & uirtutes eius. Auuerrois 5. Colliget eum laudat, & eodē modo abluendū eſſe dicit. Petrus Hiſpanus in cōmētariis ſuper Iſaac de diætis particularibus, quærit an panis lotus in aqua, morbis cōpetat. Et reſpōdet quòd ſic, quia redditur frigidus & humidus. Et caliditas acquiſita in pane ex fermento & ſale reprimitur, & efficitur cibus medicinalis, cum aqua roſata loco aquæ cōmunis, & eſt melior. Panis ergo optimus, ut apud nos fit, ſi in aqua calida infundatur, & bis uel ter poſt moram competentem permutetur, leuior redditur, & facilius concoquitur. Sed hic ſcrupulus nō mediocris obiici poſſet, quomodo ex aqua hoc emolumenti euenire poſsit in pane. Hipp. 3. de ratione uictus in morbis acutis: Nullum aquæ beneficium niſi in acutis morbis. ubi quoq; dixit quòd ὑποχονδρίοις infeſta eſt, & lienē auget, & tardè meat. ubi Gale. dixit: tardè & difficulter aqua quamuis optima concoquitur, atque deſcendit. Scirpū ſoluit Ariſtot. 2. problema. 15. ubi quærit, quam ob cauſam farina aqua ſubacta melius coeat, quā oleo, quod quidē tenacius eſt. Reſpondet & inquit, quia aqua tenuior eſt oleo, ut uſquequaque ſubire, emollireq; ualeat. Hoc idem facit aqua calida in pane, ſubtilitate ſua ad intima uſque penetrando, ipſum leuiorē rariorémq; reddit: unde panis rarior & ſpongioſus factus, facilius concoquitur, ut dicit Auerrois cantico 126. præter hoc quòd ipſum refrigerat, &c. Sic panis Plinii aquaticus talis erat, quia multa aqua elaboratus, leuis & ſpongioſus reddebatur, ſicut eſt, qui uulgò apud nos fit, & buffetus nuncupatur. Differt enim & nō parum, ut ait Hip. de priſca medicina, an plurima aqua, an pauca panis ſubactus fuerit. Hip. enim & Gale. intellexerunt aquam ex ſe non nutrire, ut alii potus faciunt: ſed nutrimento commixta ſubtilitate ſua ipſum per totū corpus citius penetrare facit, ſicut in caſu noſtro. Quod autē Galenus, ſi ſtatera pendas, non nutrire, quandoquidem antiqui tritici nobilitatem & ignobilitatem deprehendebant, prout plura aut pauciora pondo panis redderet. Et medici panes quo leuiores, eò meliores eſſe aſſerunt. Quo in numero erit panis hic elotus, poſtquā erit exiccatus, & leuitatem ſuam non ſolum per ſtateram deprehendemus, ſed quia in aquæ ſuperficie more ſuberis ſupernatabit. Etſi omnis panis fermentatus in aqua ſupernatabit, non tamen æquè leuiter, ſicut elotus & exiccatus. Eſt & alia ſpecies panis, qui nauticus dicitur apud Plinīū 22. quem dicit ſiſtere aluum: & pro bis cocto capi arbitror, quo nautæ utuntur. Qui uetus atque ſiccus à Dioſcoride, ad uſum medicinæ inuentus creditur, quem Græci διφθὸν καὶ δίπυρον, καὶ διπυρίτην appellāt. Ad aquam inter cutē utilis exiſtimatur. Hæc ſunt quæ mihi occurrerunt de pane eloto, quæ ſi tibi ſatisfecerint, mihi gratiſsimum erit: ſin minus, propediem meliora dare conabimur. Tu interim hæc ſi parum correcta & ab re eſſe putas, obeliſco uel etiam aſteriſco cōfodito. Vale urbis totius decus, & ſtudioſos, ut ſoles, amato & amplexare. Ex ædibus noſtris, M. D. XXXVII.

## EPISTOLA VIII. DE ARTEriarum *dilatatione & motu ad Virgilium Gerardum medicum* Bononienſem *clariſſ.*

CVm de lectione tua, quam publicè ſumma laude & frequentiſsimo auditorio profiteris, mentionem feciſſemus, Virgili doctiſsime, (éſtque ea Galeni de ſymptomatum cauſis,) dicebas plura illic offendi, quæ deprauata & corrupta omnino ſunt, & potiſsimum hūc in 5. locū, ubi agit de palpitatione. Cœpi rem diligentius mecū agere: uolui atque reuolui Galeni textus, deprehendi uerbū unū tantum deeſſe, quod non negligentia interpretis, ut ipſe iudico, omiſſum, ſed potius incuria chalcographi. Siquidem nemo tam inſigniter lapſus eſſet, etiā ſi uix à primo limine, ut prouerbium habet, ſalutaſſet, & primoribus labiis deguſtaſſet græcas literas. Textus autem qui in tralatione Copi habentur, ſic ſe habent: Cauſam ſymptomatis ab his quæ maximè perſpicua ſunt, uenari oportet: idque ubi genę, aut tempora, aut frons, aut maxillæ palpitant. uidetur enim in iis cutis & attolli & difflari, haud aliter quàm arteriæ diſtinguuntur. Poſt hæc Gale. locum ſcirpo ſubnectit his uerbis: Quod igitur de iis quærebatur, num à ſeipſis diſtinctæ conuellant ad ſeſe ob diſtinctionem, id quod eas replet, quemadmodum fabrorum folles impleti utris inſtar diſtenduntur. Deſideratur in textu hoc ſolum uerbum, uel, ſiue, an: ut ſic dicat: An utris inſtar diſtenduntur: & in barbara translatione habetur, ut ſenſus neceſsitas & græcus textus oſtendunt. Græci autem ſermonis textus ſic habet: ὁρᾶται γὰρ ἐν αὐτοῖς, ἐξαιρόμενον καὶ διαφυσώμενον τὸ δέρμα, καθ' ὃν αἱ ἀρτηρίαι διαστέλλονται τρόπον. ὅπερ ἦν ἐπὶ ἐκείνων ἐζήτητο, πότερον ἐξ αὐτῶν διαστελλόμεναι συνεπισπῶνται τῇ διαστολῇ τὸ πληροῦσον, αἱ φῦσαι τῶν χαλκέων, ἢ πληρούμεναι δίκην ἀσκῶν διαστέλλονται, τοῦτο χρὴ κἀπὶ τῶν παλλομένων μορίων διορίσασθαι πρῶτον. id eſt: uidetur enim in his, uidelicet membris, in quibus fit palpitatio, & attollens & diſtendens ſe cutis: quemadmodum arteriæ diſtenduntur. Quod igitur in iis quæſitum eſt, an ex ſeipſis diſtentæ contrahant uel attrahant per diaſtolen, id quod eas implebit, quemadmodum folles fabrorum: an impletæ utrium inſtar diſtenduntur, hoc eſt, quod de palpitantibus partibus definire oportet. Id autem quod de iis arteriis quæſitum eſt, difficilis & antiqua quæſtio eſt, quam tangit Galenus contra Eraſiſtratum, aſſerentem arterias dilatari, propterea quòd à ſpiritu à corde ad eas tranſmiſſo replentur. Galenus autem illi contradicit: neque enim arteriæ ideo implentur, propterea quòd dilatantur: uerùm quòd dilatantur, ideo implentur. Atq; hoc equidem & ſæpe & paſsim, tum à nobis ipſis, tum eorum qui ante nos præceſſerūt, plurimis eſt demonſtratum. Arterias ita ut cor ſeipſas mouere, uiciſſim ſe attollentes, ſubmittentéſque: idque ea ipſa ui, quam ſcilicet à corde ortam per tunicas eorū tranſmitti diximus. Hæc Galenus περὶ χρείας σφυγμῶν, id eſt, de uſu pulſuum, ſecundum tralationem Linacri, qui tractatus prius barbarè ex Arabico in Latinum traductus ſub titulo de iuuamento pulſuum. Galenus igitur cùm dixiſſet, palpitationem habere depreſsionem & eleuationem more arteriarum, ſubiunxit textum illum difficilē, quaſi per accidens, cōtinentem quæſtionem antiquam & difficilem, in qua dubitauerūt antiqui, utrum cor & arteriæ repleantur quia dilatantur, ut fabrorum folles, qui eò replentur, quia dilatantur: an dilatentur quia replentur, ut utres, qui eò dilatantur quia replentur. Galenus hoc dubium non perſpicuè, ſed obiter tetigit, quia non erat eius neque loci neque inſtituti. Sed in eo libro, quem de uſu pulſuum inſcripſit, ut ſuprà mentionē fecimus, diſſoluit. Cùm igitur Galenus declaraſſet, quòd in eleuatione & depreſsione palpitatio cū arteriarū motione cōuenire uidebatur, ſubiungit in quibus diſsideat: quippe arterias utpote ſemper & ſecundum naturā pulſantes, uериſimile eſt, ab inſita quadam facultate moueri, id autem de palpitantibus partibus minimè dici debet. Quippe oportet id ſemper ipſis adeſſe. Alias quoque differentias ſubnectit, quæ ex ſe faciles ſunt. De cōtrouerſia autem dilatationis arteriarum antiqua, ibidem ſatis obſcurè à Galeno explicata, Truſianus monachus pluſquàm commentator 2. Artis medicinalis diſſerit, commento 35. Et contra Galeni opinionē arguit, ſecundum Ariſtotelis opinionem: tenétq; eas dilatari ex ſanguine intumeſcente in corde & arteriis, & idcirco maiorē locum occupare. Et ſic arterias dilatari neceſſe eſt: & nō, ut arbitratur Galenus repleri quia dilatantur: & ſic conſecutione ad uacuum replentur. Scis enim Galenum 3. de facult. naturalibus duas attractionis ſpecies ponere, unā quæ fit conſecutione ad uacuū, alteram ex qualitatis affinitate. Aliter uerò in folle: aliter ferrū ab Herculeo lapide attrahitur. Et utranque ab arteriis fieri, ibidem Galenus aſſerit. Quam rem

plus quàm cõment. 3. τεχνῆς, ſubtiliſsimè pertractat cõment. 60. De attractione autem à calido, quæ ſecũdum Auicennam & Galenum reducitur ad eam quæ eſt à uacuo, cum exemplo flammæ in licinio, & nõ ab eo aliter excutitur. Iacobus de part. in primo de anatomia ahorti. & 4. cap. 5. de inanitione uentris & regulis eius, huius attractionis ſpecies elegãtiſsimè etiam tetigit ſecundũ Galenum: ſed ne moleſtior, quã utilis uidear, eas ſuperſedebo. Interim ſi in re aliqua hæſitaueris, adde calcaria mihi non adeo libenter currenti. Spero enim tũ ex Græco, tum ex Latino exemplari, tum etiam ex uiris doctiſſimis, ut ex plus quàm Cõmentatore, Dyno, Gentili, Nicolo, Iacobo de partibus, qui aliquando Galeni locos totos explicant, me omnes nodos ac ſcrupulos (modo ne & Græcus codex mendoſitate ſua nobis imponat) facile explicaturum. Quamuis barbari à nonnullis uocantur, ſcio tamen, ſi eos tibi textus adduxero, non mouere ſtomachum, cùm ſenſum Galeni genuinum & reconditum illuſtrent. In translatione enim barbara ſenſus facilior. Mouent profecto mihi ſtomachum grãmaticelli uerius quàm medici, qui hos uiros diligentiſsimos, quòd non affectatè loquuntur, uilipẽdunt, inſtar faſtidientis ſtomachi pulpamentum nullum niſi garo & laſere cõditum delibare ualentis. Ventriculum enim illum approbo, in quo nec bubula cruditatem, nec ructum acidum excitet: prauam itidẽ in eo eſſe temperiẽ, in quo piſces ſaxatiles fumidum ructum excitãt, ut rectè Galen. 1. de aliment. facul. aſſerit. Itidem mihi ij toto cœlo errare uidentur, qui ſola oratione elegãti delectantur: ij non ſecus facere mihi uidentur, quàm qui fœnum in nullo pretio æſtimant, quòd iam flores deſierũt eſſe uirides. Nõ ſecus atq; hi, qui in muliere uenuſtatem natiuam contemnunt, niſi cincinnis, fucis & calamiſtris ſit oblita. Quis autem hæc laudabit in uirgine? At quis non abhorrebit? Verùm, ut mea fert opinio, ij rectè ſentire mihi uidentur, qui omne genus autorũ perluſtrant: quod autem optimum putant, id ſibi decerpunt, apum inſtar, quæ omnes flores guſtant, de optimis tamẽ decerpũt. Vale, Academiæ noſtræ decus, & perge gymnaſium noſtrum ſtudio & induſtria tua excolere.

EPIST. IX. AD D. BENEDICTVM *Bontempum, quæſtionum iudicem ſummum, cõſilium de calculi dolore, & ſtomachi debilitate.*

SAepius mecum de aduerſa ualetudine tua conqueſtus, rogaſti ut aliquem tibi uiuẽdi ſcopum traderem, quò minus cruciatibus allabereris, & diligentius reip. negotiis inuigilare liceret. Cùm autem tibi incredibile quoddam pietatis officium, & omnia ſumma ac ſingularia ſtudia debeam, uelim tibi ita perſuadeas, nullam rem eſſe minimã, quæ ad te pertineat, quæ mihi non charior ſit, quàm omnes meæ. Scio etiam ego quàm omnium malorum tum animi, tum etiam corporis debeant eſſe immunes, qui publica munia ſuſcipiunt. Accipe igitur uir ornatiſs. uiuẽdi modum, quem ſi ſequeris, ut confido, breui à mala illa tua diſpoſitione liberaberis. Diſpoſitiones autem quæ te ſubinde exagitant, hæ ſunt. Calculi dolor, renum frequens laſsitudo, uentriculi ſolito maior imbecillitas, ex qua plures humores craſsi pituitoſique, & ſpiritus flatuoſi generantur, qui ſæpe partes corporis diuerſas petentes, dolores & tenſiones excitent uehementes. Cauſam arbitraris humorem à capite defluẽtem in ſtomachum, ex huius aëris acuitate non tibi aſſueti, ex quo languens & dilabens propemodum refrigeratur, & humectatur: unde deiectiones ſolito frequentiores, nõ cum modica phlegmatis mixtione contingunt, ex qua tanquam ex materia utpote lenta & tenaci, calculis gignendis, cum renum caliditate temperiem excedente, occaſio datur. Hæ enim cauſæ ad lapidis generationem, teſte Galeno, & Auicenna concurrunt. Debilitas autem ſtomachi eſt ferè cauſa omnium harum paſsionum. Quòd ſi Auicennæ credimus, debilitas ſtomachi eſt cauſa omnium ægritudinum corporis, cùm ſit ueluti coquus totius corporis, qui infectus & debilis cibos malis qualitatibus inficit, ex quibus debile & imbecillum redditur. Et cum eo quoque appetitus defectio & prauitas aſſociatur, ut in capite proprio teſtatur Auicenna. Debilitas autem hæc ortũ habet à complexione frigida & humida ſtomachi cum materia, ut ex debili concoctione cibi, & proſtrata ſiti patet. Et quia ab humidis abhorret, & cibum minorando, iuuamentum acquirit, colligere poſſumus quòd phlegmatis copia generatur, quę eſt cauſa quòd concoctionis debilitas augetur. In quibus calor debilis agens flatus excitat, qui te uehementer infeſtãt. Galenus 6. de Symptomatũ cauſis: Reliquum eſt, ut de uaporante ſpiritu, quem flatum quoque nominant, dicamus: nam & is in uentriculi ſpatiis oriri ſolet, quum uel humores pituitoſi ibi contenti, uel cibi ab imbecilli calore in uapores reſoluuntur: calor autẽ in cibos agẽs, ſi parum ualidus fuerit, ut eos quodammodo diſſoluit, ita non penitus conficit. Deinde ſic flatus, ſeu ſpiritus exoritur, ut uno uerbo abſoluam, quemadmodum in externis rebus uidemus: ut frigidiſsima conſtitutio maximè flante borea aërem ſereniorem reddit, ac calidiſſima per æſtatem conſtitutio ambiẽtem nos aërem purum efficit: mediæ uerò conſtitutiones nebulas pariũt. Ita in animantibus accidit: neque enim calor per extremam imbecillitatem, neq; cùm uehementes ſunt ei uires, ſed cùm medium inter has affectiones obtinet, flatum gignere ſolet. Hæc eadem Ariſt. Meteo. de cauſis uentorum. Hic ergo flatus his cauſis generatus diuerſa in te accidentia parit: ſi ſubtilis fuerit, & ſuperiora petat, inflationes & eructationes parit: ſi autem craſſus fuerit, uerſúsque inteſtina propellatur, dolores ibidem & grauitatem uehementem excitabit. Sin autem multus & mediocris in ſpatio ſtomachi retẽtus, ipſum inflabit cum doloribus haud mediocribus. Interdũ etiam diaphragmati, hypochondriis & pectori communicatur. Hæc eadem materia aliquando cum parte cholerica mixta ex ipſis intenſa caliditate genita ad iuncturas deſcendens podagricum dolorem generare ſolet. Exordiri igitur placuit à ſex rebus, quas Medici non naturales uocarunt. Nam, quemadmodum inquit Galenus in arte medicinali, ab ipſis corpus humanum neceſſariò alterari, neque ratione aliqua uitari poſſe. Siquidem aërem nos ambientem admittere, comedere, bibere, uigilare & dormire neceſſum eſſe. Enſibus autem & feris exitialibus obuiare non adeo neceſſum. Prima igitur cura ſit ac ſumma diligentia, ut nebuloſum, uentoſum, & pluuioſum aërem euites. Habitatio quoque uento calido aliquantulum & ſicco uergat (is autem uentus eſt Eurus ob ortu flans, quaſi ἀπὸ τῆς ἠοῦς ῥέων, quẽ Græci ἀπηλιώτην, Latini Subſolanum uocant) hyeme: quòd ſi natura id fieri nequit, arte comparandum. Aeſtate autem ſit aër ad temperiem, ſi reperiri poteſt. Suffumigia autem Thymiamatum nobilibus aſſuetorum pro ſtatu temporum renouetur. Idem in ueſtibus fiat, in quibus ſuper ſtomachum pannum cocco baphica, id eſt, grano tinctorio infectum, Cheſmes uocant Arabes, geſtare conuenit. Si etiam capitis pileolum frigidis temporibus ſubductitio hoc panno conſitum geſtaueris, ſummopere conueniet ad hunc ſubtilem Bononienſem aërem. Non autem ſit ex tinctura glaſti, uulgo guadi, quia nocet capiti. Id quoque ſummopere cauendum, ne ueſtes renes comprimant, neque multum calefaciant. Exercitium ſit moderatum, quia calorẽ naturalem & ſpiritus auget, & ſuperfluitates digeſtionũ ferè omnium reſoluit. Vehemens motus & exercitium non conuenit, partim quòd corpus tuæ præſtantiæ facilè reſoluit, & humores ad iuncturas fluere facit. Sit igitur exercitium equeſtre potius, quàm pedeſtre. Dáque imprimis operam ne renes calefiant, neq; te ſtrictè cingas. Frictiones quoque ſunt ſuſpectæ, ne materia ad pedes labatur. Affectus animi, quoad eius fieri poteſt, moderãdi, quia eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines, ut ait poëta: quos ultra, citráque neſcit conſiſtere rectum. Fugiẽda igitur ira, triſtitia, furor, odium, timor & inuidia: ſimul hæc omnia uitanda, quia alterant corpora noſtra, & à naturali ſtatu auertunt. Somnus ſit capite bene eleuato duas horas à cœna, nõ ſupino corpore, ſed ſuper latus primò dextrum, mox ſiniſtrum, & aduſq; horarum 8. ſpatium protendatur. Vitato ſomnũ diurnum, & ſupinum, quia calefacit renes. Non deſunt autem qui eum in actu curatiuo laudant: in præſeruatiuo uerò omnino uituperant. In cibo & potu adſit modeſtia quædam, & frugalitas Socratica, ne quotidie ad medicinas confugere cogamur. Primum omniũ obſeruandũ, ne comedamus niſi appetitu irritante: tũ enim cùm adeſt, illico edendum eſt: quia famem tolerare, ſtomachum replet malis humoribus, ut teſtatur Auic. tertia primi. Neq; ad ſacietatẽ edendum: conducibilius enim eſt paulò abſtinere, quàm nimium repleri.

Oportet

Oportet etiam cibos ſubtiliores primò,ſolidiores uerò poſt, ſumere. Tantus autem cibus ſit, ut qui ſtomachum non grauet, & potus, qui in ſtomacho non natet. Vitari adhæc debent cibi omnes difficilis digeſtionis,ſicut antiquus panis,craſſus,& azymus.Carnes animalium & olera,plantas,craſſum nutrimentum habentia,cane peius & angue odio proſequere, ut caules, tubera,fungi. Cibi quoq; oppilãtes,ut caſeus & paſtilia, item uiſcoſi ut anguillæ,tinchæ,& omnium animalium neruoſę partes uitanda:& omnium animalium interiora. Vitare etiã conuenit cibos acutos, calidos, ualidos, ueluti ſunt ſalitæ carnes, cæpe, allium, porrũ. Quidam raphanum & porri parum admittunt. Fugito quoque communes diureticorum uſus,ut ſemina apii, petroſelini, baucíæ domeſticæ & ſylueſtris. Et medici ſæpe in hoc errant,qui in præſeruatione pura in cibis continuè exhibent hæc diuretica aperitiua, quæ ſecum trahunt materias ad renes, & ipſos ueluti ſuperfluitatum lacunas efficiunt, & ſic eos debilitant. Et ante omnia canon hic obſeruandus erit à te. Antonius Guarnerius inter Medicos recentiores haud ignobilis, hiſtoriam de Marchione Montisferrati recẽſet, antequam ad eius curam accederet: Medici ut à calculo præſeruarent, eum ſub calculoſa paſsione detinebant:propterea quòd in continuo uſu calida diuretica,& uina plena atque potentia ſubtiliáque propinabant,quæ lymphari ex decoctione radicũ apii, fœniculi, petroſelini, aſparagi, bruſci, & cũ ſemine etiã fœniculi, petroſelini,aniſi,aſparagi, & in ieiunio ſępe etiam de eadem decoctione cyathum unum propinabãt. Ex qua materia multa phlegmatica ad renes trahebatur,quæ poſtea lapillorum naturam induebat.Sępe etiam in febres ex huiuſmodi ſupercalefactione incidebat.Dico hoc,ut malo præuidere poſsis,& huiuſmodi medicos fugere:nam ex talium uſu in frequentiores calculos incideres,& omnino oleum igni, quod aiunt,adderes, & etiam crebrius ſolito articularẽ morbum incurreres. Quæ autem ad uias urinales materias deducunt, hæc etiã ad iuncturas materias præcipitant. Hanc quæſtionem Matthæus de Gradibus in cap. de dolore iuncturarum, & de paralyſi diſputat, & tenet quòd ſic: & hoc experientia apparet. Hinc uulgò dicitur,a mal di fiancho gotta in campo.Diuretica igitur in pura præſeruatione nõ conueniunt,uel raro. Sin autem materiam eſſe in renibus congeſtam ſentimus, ex qua calculum generari ſuſpicio ſit,tunc præmiſſa uẽtris euacuatione ad diuretica moderatè migrandum erit. Cognoſces autem hęc ex renum grauitate,ex dolore dorſi, ex diſpoſitionibus urinæ permutatis. Hæc prolixius de diureticis,quàm conueniat. Panis igitur ſit ex puriſsima farina,nõ recens admodum, nec uetus:ſed duorum uel trium dierum ad ſummum, bene fermentatus, non ſine ſale. Carnes quæ maximè conueniunt,ſunt pullorum,perdicũ,phaſianorum,pullorum columborũ,auicularum nemoralium:ex quadrupedibus, hœdi, uituli lactentis , agni annalis caſtrati iuuenis, gazelli, ericii, quæ proprietatem in hoc habẽt,& cuniculi & lepores, apríque tolerari poſſunt. De oleribus conuenit fœniculum recẽs,petroſelinum,endiuia,cicorea, bletes, ſpinachia,olus Iamenũ,cucurbita, borago, lactuca : ius caulium commendatur,teneritas lupulorum & aſparagorum,ſaluia, betonica, creſſones, ſiue naſturtium, & frigida cum calidis temperanda ſunt. Et in temporibus frigidis,aromatibus,quæ haud ita multo pòſt dicã,aſpergenda ſunt:& potius cocta quàm cruda. Fructus non admodum ſalutares:conueniunt tamen ceraſa tum dulcia, tum auſtera, & gũmi eorum cum uino diſſolutum & bibitum, colorem commendat, & calculoſis ſalutare,teſtibus Galeno & Dioſcoride.Pruna matura,aliquot ante cibum ficus,& ſicci & humidi,ſunt guturi,renibus & ueſicæ, ſi Dioſcoridi credimus,amici. Vua quæ pependit aliquandiu, quia maior pars humoris exaruit, ſtomacho grata eſt: proritat enim appetitum, & quibus infirmum eſt corpus, utilis. Sed quia caput & ueſicã infeſtare creditur, ut ait Dioſcorides, parciùs ea uti conuenit. Paſſulæ non aſpernãdæ,gutturi enim,faucibus,tuſsi & ueſicæ ſalutares. Auellanæ & amygdala recentes utcunque bonæ. In hoc numero haberi etiam poſſunt perſica matura cum uino infuſa. Et pepones optimi conueniunt. Poma non multùm dulcia tolerantur. Pyra non conueniunt : quòd ſi capere delectat, pars lapidoſa proiiciatur. Pinei & fiſtici probantur 18.3.de cura lapidis. Sorbæ, meſpili & caſtaneæ, malí ſucci ſunt: cum pauco tamen piperis, raro tamen, tolerantur. Cotonea condîta poſt cibum conueniunt. Citranguli & limones conceduntur : & quia limones ſtomacho nocẽt, ideo ſuccus eorum cum aromatibus, quæ poſtea dicemus,conuenit. Oliuæ condîtę ſtomacho gratæ,& cappares. Caſeus & butyrum non laudantur, lac conceditur : imò lacte ouillo nihil conducibilius in debilitate renum, teſte Auicenna. Et poteſt dari cum modico ſaccharo, quando renum ſentitur debilitas. De condîtis autem nunc commodum ſeſe offert. Nuces condîtæ ſalutares. Item iringion condîtum, & zinziber condîtum in tempore frigido ex uſu ſunt. In tempore autem calido zuccharum roſaceum,uiolaceum,& borago.Limones condîti, & cortex citri condîtus. Sapores acetoſi cum aromatibus, ut inferius, cum ſucco limonum,in quo eſt incredibilis uirtus frangendi lapidem. De omphacio,qui ex acerbis uuis expreſſus ſuccus eſt,uulgo agreſta, multi abhorrent in caſu calculi,quia ui aſtringendi pollet. Sed Iacobus de partibus admonet, non admodum eſſe pertimeſcendum, quia cum ſale cõdîtur. Et ideo nõ habet uim adſtringendi ratione ſalis. Aceti uſus mihi probatur:ſi tamen paſſulæ præbullierint,ne tantũ neruis officiat, & cum aromatibus in tempore frigido frangi poterit. Aromata, quibus uti conuenit in ferculis,maximè in tempore frigido, hæc ſunt: Recipe cinnamomi electi unc.1.piperis, zinziberis, aniſorũ ana drach.3. croci drach.1. Sacchari pro dimidia,& fiãt ſpecies ſubtiles. Potus ſit uinũ album, uel ſubrubeum aromaticum, non aqueum, ſed mediocri uinoſitate, non fumoſum, & ſi ſit nimis potens,frangito eius potentiam bona & pura aqua. Ponito in uaſculo bullientis muſti ſacculum aniſorum, ut unà ſimul in tempore uindemiæ bulliant : & eius uini cyathum unum ante cibum bibito : conducit enim omnibus tuis diſpoſitionibus. Coitus omnis extra matrimoniũ illicitus. Quare contradicunt legi diuinæ medici,qui eum extra matrimonium cõcedunt. Sit autem nec nimis rarus, nec nimis frequens. Hunc autem graphicè præſcribunt ætas, uires , uirtus , & conſuetudo. Epicurus autem,ut in reliquis rebus,ita maximè in hoc reiiciendus. Is autem concubitus laudatur, ubi tantum interualli intercedit, ut nulla reſolutio ſequatur, & certam quandam alacritatem ſentiat , & ſpirandi leuitatem:ſolet enim, ut etiam hoc obiter attingã, rarus corpus excitare, & frequens ſoluere. Quantum autem ad res medicinales attinet,duplici intentione potiſsimum indigemus. Prima,quæ prohibeat materiam lapidis ne generetur. Et, ſi fortè materiæ pars genita fuerit, & ad renes fluxerit, diuertatur & euacuetur. Laudo ut primo ineunte uere capias hoc minoratiuum: Rec.floris caſ.no.tra.unc.1.agarici trochiſcati ſcru.2.incorporetur agaricus cum caſsia : & cum puluere liquiritiæ & aniſorum & ſaccharo : fiat bolus, & capiatur hora eundi cubitum, & poſtea prandeat hora ſibi conſueta. Pòſt per ſeptem uel nouem dies continuos capito hunc ſyrupum: Recipe oxymel,ſimpl.mell.roſ.col.ſyr. de lupulis ana unc. ſemis. Aquarum betonicæ , boraginis, cicoreæ,capillorum uen.ana unc.1. poſtea ebibito hanc potionem in aurora, & ſuperdormiat per horam. Et poſt horas quinque capiat unc.4. brodii pulli cum unc. ſemis ſacchari duarum coctarum:illinc ad horam prandeat. Potio hæc eſt: Recipe caſiæ pinguis drach.6.diacathol.drach.3. elect. de dactyl.ſcrup. 4. cum decoctione ſenæ , polypodii paſſul. liquir. ordei , ſebeſten , aniſorũ. Seminum communium, ſem.altheæ.capil.uen.& flor.cordial. & fiat potus cum ſyrupo uiol.unc.1. Hæc purgatio confert etiam autumno. Sequenti uerò die capito parum ſacchari roſacei. Deinde fiat clyſtere ablutiuum , cum brodio pulli , decoct. ordei & aniſorum cum ſaccharo & uitello oui. Optimi medicorum quique laudant uſum caſsiæ omni menſe , & maximè in temporibus calidis in bolo,hoc modo: Recipe floris caſ. unc. 1. cum ſaccharo, aniſi & pulueris liquiritiæ:fiat bolus,quo ſumpto ſuperbibat cyathum 1. aquæ lactis caprini, quæ facit declinare materias à uiis renum ad inteſtina, teſte Auicenna:& confert quoque humoribus aduſtis, qui te mirum in modum infeſtare ſolent. Aliqui edunt caſsiam ex canna excerptam ad drach.5. uel ſex, cum aniſo & ſaccharo, & hoc ſæpius. Laudo etiam ut ſæpe per interualla, & potiſsimũ in mediis temporibus, capias tres de his globulis ſub horam cubitus ; nam à capite euacuant, & uentriculum

lum

lum corroborant,& materias ab eo expellunt. Recipe pillularum maſticinarum drach. 2. Rheubarbar. electi drach. 1. ſpicæ ſcrupul. 1. gran. pæoniæ numero 3. cum aqua betonicæ: fiant ex drachm. 1. pilulæ 5.& ſunt ſine cuſtodia. Poſt autem purgationem pro roborando uentriculo, & phlegmate eius diſſoluendo, & quòd arenoſa ſedimina reſpicit, laudo huius confectionis uſum, ante cibum per horas 4. Recipe ſpecierum diatrionpipereon, diābræ, diarodonis abbatis ana drach. 1. fiſticorum inciſorum,& in aqua abſinthij infuſorum per noctem,unc. 1. cum ſaccharo diſſoluto, cum aqua capillorum ueneris & altheæ, fiat confectio in morſellis, quorum quilibet ſit drach. 3. & de hoc bis uel ter in hebdomade capere potes, & maximè in frigidis temporibus.Et loco huius capere potes tria grana maſticis electi, aliquando parum zinziberis conditi, & ſuperbibere digitos duos potentis uini. Maluaticum, quod à ueteribus ſecūdum quoſdam monobaſia uocabatur, corrupto uocabulo maluaſia, non probatur Bartholomæo Mōtagnanæ, quia dicit cum gipſo præparari. Verùm in temporibus frigidis non ab re fuerit aliquando capere drach. 1. mitridati. & differre cibum per horas 7. unum cochleare ſyrupi de corticibus citri non mihi diſplicet loco horum. Cùm autem petis lectum, expedit nonnunquam capere granum unum thuris albi gūmoſi. Aliqui habent pro ſecreto, deglutire 4. uel 5. grana piperis integra ante cibum: epati non obſunt, quia non ad ipſum uſque penetrant. Maſticatorium quoque poſt purgationes ex maſtice,ut conſueuiſti, ex uſu erit, & cum hoc granum unum uel duo piperis ponere. Iacobus de Partibus, Auicennæ expoſitor diligentiſs. hoc modo componebat maſticatoria, commiſcēdo parum terebinthinæ, & ceræ albæ cum maſtice, & dicit eſſe ſecuriora. Extrinſecus unctiones adduntur, quæ fiunt cum maſticileo, nardileo, & ſuperaſperge parum huius pulueris: Rec.roſ.rub.coralliorum rub. macis,maſticis,ligni aloës,garyophyllorum ana ſcrup. 1.miſce & fiat puluis. Potes autem uti & hoc puluere, qui capiti ſalutaris eſt, ſi ſincipitis commiſſuræ ſeminatur cùm lectum petis. Recipe pulegij,calamenti, corticis citri,maioranæ,ſandaracæ,corall.rub. ſtycados ana ſcrup. 1. fiat puluis. Galenus autē de expertis ait, portare ſupra ſtomachum corallum rubeum maximè conuenire. Raſis autem & alij clari medici, laudarunt ſmaragdum auro ligatum, & in manu geſtatum. Secunda autem intentio habenda eſt ad materiam fluxam ad renes, quod cognoſcitur ex grauitate in illis partibus percepta, item ex urina non fluente, ut fluere ſolet. Primò poſſumus exhibere clyſtere ex decoctione maluæ, mercurialis,parietariæ,aniſorum,camomillæ,radicum altheæ, furfuris ligati in petia, capiendo de ea unc. 14. caſiæ no. tra. de canna, non de illa quæ in apothecis præparata, Benedictæ ana unc. ſemis. olei camomillæ, amygdal.dul. ana unc.1. ſemis.zuc.rub.unc.1.uitel. oui, numero 1. ſalis drachm.1. fiat clyſtere. Poſt hoc clyſtere die ſequenti capito bolum caſsiæ, ut ſuprà demonſtratum eſt. Deinde per aliquot dies capere aquam conuenit de cetherach, Aſplenō Dioſcoridi dicitur, cum aqua γλυκυῤῥίζης, quam liquiritiam uocant,uidelicet de qualibet drach.2.cum unc. 1. oxymellis compoſiti. γλυκυῤῥίζαν deſcripſit Dioſcorides lib. 3. conducere uitiis pectoris & iecoris, ueſicæ itidem ſcabritiis, renúmque, cùm urinæ malo aliquo doloribus ſupprimuntur, in quo uſu cum paſſo bibitur. Si fortè ardor in urina ſentitur, aqua maluæ poterit apponi:ſi fortè non exiret materia in renibus contenta, uel lapillus,aquam floris geniſtæ, quā geneſtram uocant,propinare conuenit.Nuclei quoque perſicorum ſex uel octo comeſti ſuperbibendo parum uini ſubtilis,uel loco perſicorum tot amygdalas amaras capere potes. Proſunt enim calculoſis & urinæ anguſtiis, teſte Dioſcoride. Idem facit decoctum graminis, uel aqua eius: frangit enim lapidem, & lapidoſæ ueſicæ conuenit.Quòd ſi fortè fortuna adhuc ſenſus lapilli aliquis perſeueraret, iterum laudarem aſſumptionem caſsiæ, ut ſuprà dictum eſt, & ſuprabibendo unc. 3.olei amygdal. dulcium nouiter expreſsi. Item ad ſupradictum clyſtere & ad aquas ſupradictas redire expedit. Brodium cicerum rub, cum ſaccharo ualet. Sic etiam parum pulueris aneti, fœniculi & aniſorum, aſplenique conuenit. Sin autem dolor adeſſet in renibus, unde ſuſpicio præſentis lapilli oritur, Galenus & Auicenna ponunt præſentaneam potionem, pro dolore ſedando,& lapillo expellendo,quam ſæpe expertus, & nunquam deceptus ſum. Reci. foliorum altheæ m. 1. s. butyri recentis unc. 3. mel. lib. 5. bul.in lib. 5. aquæ, ad conſumptionem tertiæ partis, & de hac bibatur calida more ſyruporum. Item terebinthina laudatur in caſu, ſed ſtomacho tuo parum gratam fore exiſtimo. Aliquādo bibere parum ſeminis urticæ ſiccati ſummopere conducit. Zoar ſcriptum reliquit, ſi quis urticas comederit crebro cùm carnibus ſuis, lapillo nunquam uexari, quod & Nicolus mirum in modum commendat. In hac enim cura nihil æquè conducit atque uomitus, quem aliqui theſaurum uocant huius curæ: qui quidem fieri poteſt cū aqua decoctionis aneti & oxymelle, ſed ſcio te his non delectari. Fomentationes quoque nòn ab re erunt, cum ſpongia infuſa in decoctione camomillæ, parietariæ, ſenationum, aniſorum, altheæ, meliloti, carui, ameos, caulium, raphanorum. Facta iſta fomentatione, poteris addere unctionem circa renes,& pectinem cum oleo amygdalarum amararum,ſcorpionum, liliorum, & ſit calida. Et ſupraponito lanam illotam calidam. Multi pulueres ad calculi curam cōueniunt,ut ex lapide ſpongiæ,& Iudaico,ſanguine hircino: oſſa meſpilorum cōtrita cōmendantur, de qua re miratur Iacobus de Partibus. 18. 3.de comminuentibus lapidem,ubi Auicēna:in Zaror,id eſt, in meſpilo eſt uirtus comminuēdi lapidem: cùm in 2. dixerit, ipſum conſtringere & urinam retinere.Sed Iacobus deceptus eſt textu antiquo:in correctione autem Arabica negatiue legitur,quòd ſcilicet urinam non retinet, imò eam cit,ut re ipſa comprobatur.Et Nicolus Florentinus in frangendo lapide eos commendat. Hæc autē ex barbaris medicis & ex Latinis excerpta ſufficere arbitror, ſi nonnulla ſolùm ex Dioſcoride pro coronide, & ueluti auctarium quoddam ſubiunxero, ut ſi fortè ex Serapione offenſus es, his ueluti mellitis ſtomachum paululum reficias. Quamuis ego ex numero eorū non ſim, qui barbaros omnes explodēdos ſentiam, ſi rectè cum medicorum fontibus conſentiunt. Morbi enim remediis,ut inquit Celſus,& nō eloquentia curantur.Nec latinos medicos poſthabendos arbitror, ſed magis eos cum barbaris conferendos, & barbaros cum ipſis, eſſe ſemper exiſtimaui,ita ut optimum ab omnibus & utile ad ſalutem humani corporis eliciatur. Sunt autem hi duo propemodum coniuncti, ita ut ſeparari alter ab altero nō poſsit:nam ſubinde alter alterius auxilio eget. Latini & eloquentes medici,quàm ſint frigidi in curandis morbis,nemo ignorat. Barbari uerò quàm hallucinentur in ſcribēdo & balbutiāt, res ipſa loquitur. Dioſcorides in primo de Cypero, qui odoratus anguloſúsque iuncus eſt,ait uim calefaciēdi,meatus aperiendi, & urinā calculoſósq; expellēdi habere.Hydropicis quoq; ſalutaris. Bdellium quoque,eodem teſte,calculos potu frangit, & urinas cit. Poteſt etiā exhiberi in pilulis per ſe drach.ſemis. De pilulis autem, de quibus ſuprà mentionem fecimus,pro qualibet uice. Cortex radicis lauri exiccatus & in puluerē redactus, in uino hauſtus pondere drach.s. calculos frāgit. Idem de gūmi ceraſiorum & prunorū dicit, cum drach. 1. propinatur. Item ſiſeris radix decocta commēdatur ſapore,idonea ſtomacho, urinam ciet & uenerem.Idem Plin.in 20.capit.5. de Staphylino ſiue paſtinaca, & gigidio. Et de ſiſere multi iudicant eſſe radicē, quā nunc carotam uocamus. Quòd autē ego omnino in hoc ambigo, facit Plinij autoritas, ubi de ſiſere loquitur.Siſer & ipſum Tyberius princeps nobilitauit,flagitās ſingulis annis à Germania:ineſt longitudine neruus,qui in decoctis extrahitur, amaritudinis tamen magna ex parte relicta, quæ in mulſo & in cibis temperata,gratiam quandā acquirit.Neruus talis uulgo hic modò carota uocatur:utcunq; res ſit,Bartholomæus Montagnana inter recentiores uir doctiſs. conſilio 15.& 137.& 90.& 260. Carotæ calidæ ſunt in primo, aperiēdi ui pollent,& ſtomacho ſalutares. Et phlegma in ſtomacho expellunt cōdîtæ cum careno,id eſt, ſapa, & aromatibus,& aceto.Idem Dioſcorides de ſio dixit, quòd coctum crudúmq; in cibo datum calculos frangeret,& urinā cieret. Serapio pro ſio ſanation capit, & creſſonē. Hermolaus autē non uult ſium eſſe creſſonē, ſed lauer.De Ammi, quod ameos à barbaris dicitur, dixit,ſi bibitur cum uino,contra tormina ualet, & anguſtias urinæ. Idem facit eius herbæ pulueris drach. s. De aneſo,quē Romani aniſum dicunt,inquit ciere urinam, & oris halitum iucundiorem reddere, inflationibúsq;

resist

reſiſtere, ac uenerē proritare. Ego uerò eos in puluerem ſubtiliſsimū redigo, & cochleare unum in mane propino. Artemiſia quoq; in hac re præſtans: nam urinā prouocat, & calculos frangit: mulieres noſtræ hac in ferculis utuntur, nec guſtui eſt ingrata. Anthemis, quam noſtri camomillam uocant, miram quandam uim ſi decocto eius inſideas, habere creditur: nam menſes, fœtus, urinam, & calculos educit: ileoſis & inflatis ſalutaris. Quinetiā decocti omne genus ueſicæ malis adhibetur: calculis tamen rectius & utilius id adhibetur, quod rubeum florē habet, & quod undiq; cæteris maius. Vides quantū tuis diſpoſitionibus, ſi poſt euacuationes decocto huius antemidis cum pauco ſaccharo, ut natura nō tantū abhorreat, cōueniat. De glycyſide, quam pæoniā uocant, radicéque eius ſicca ſcribit Dioſcorides menſes ciere amygdalę quantitate epota. bibitur in uino etiam contra dolores alui: felle ſuffuſis prodeſt. Conducit etiā renū, ueſicæ doloribus, & urinæ difficultati. Lithoſpermum ſemē, quod Serapion milium ſolis uocat, in uino albo potū ueſicæ calculos frāgit, & urinam cit, & eſt in communi uſu, & de eo ad drach. I. uſq; dari poteſt. Bartholomæus de Montagnana mirū in modū confidebat in hoc ſemine, & in ſemine aſplenii æqua portione in uino propinato. Ad præſeruandū à calculo altheæ radicis decoctū, cū uino bibitur cōtra urinæ ſuppreſsiones & anguſtias, calculos, cruditates, dolores coxendicis, tremores, inteſtinorū tormina, & ruptiones. Chamæpitys, quæ & iua uocatur, exhibetur iocinoroſis, anguſtiis urinæ, & renū malis. Ex eadē aliqui cum melle globulos conficiunt, nōnulli cum terebinthina. Et pro ſecreto habent in doloribus iuncturarū & articulorum. Alii utuntur foliorū eius puluere in uino ſcrup. ij. & propinant. Vetonica, quæ & betonica dicitur, ad idem ualet, ad quod chamæpitys. Item graminis decocto, uel radicis in torminibus & urinæ difficultatibus utimur, & ad recrementa ueſicæ frangēda, quæ temporis proceſſu indurantur in calculos. Tu tamen aliquando decocto, uel aqua per ſublimationem elicita, uti potes. Vrticæ ſemē cum paſſo potū uenerē ſtimulat. Folia in cibo aſſumpta inflationibus reſiſtunt, & urinā mouent. Duas uel tres comas in brodio decoctas, aliquando capere potes. Adiantos, quem capillū Veneris appellant, huius herbæ decoctū ſuſpirioſis præſentanea antidotus creditur. Bibitur & in anguſtiis ſpiritus, & ſuffuſis felle, lienoſis, difficulter urinātibus, & calculoſis, aqua eius ſublimata eſt in uſu, qua etiā tu uti potes. Lachryma quæ concreſcit gumi inſtar in uitium truncis, cum uino pota calculos pellit. Idem facit lapis Iudaicus & lapis ſpongiæ, teſte Dioſcoride. Et hæc ſunt, uir præſtantiſsime, quæ ex Dioſcoride & aliis uiris doctrina claris domeſtica & ſecura colligere uolui. His contentus, finem hic ſcribendi faciam. Varia adduxi in medium, quia in morbis chronicis, uaria experiri conuenit, nec una tantū medicina utendum, ſed permutandum, ne, ut ait Auicenna, natura uni aſſuefiat, & ab ea non patiatur. De thermis nihil ſcribam, quia noui animum tuum. Vale, & Deum opt. max. precare, ut hæc omnia uotis tuis reſpondeāt, uti & ego ſpero futurum, ſi hæc ordine & uigilantia proſequeris.

EPIST. X. SESSAE PHILOSOpho *& medico doctiſs. Remedium in raucedinem uocis, pro quodam iuuene.*

ET ſi ab ineunte ætate ſemper mihi uiſus es incredibili quodam humanitatis ſtudio flagrare, ut tibi nihil unquam tam charū fuerit, quàm plurimis prodeſſe: ratus illud eſſe ſecuriſsimum ad uirtutem iter, adiuuare mortalem. Neq; tibi ſatis uidetur in philoſophia & re medica probè inſtructum & ornatū eſſe, niſi accedat humanitas ſumma. Petiiſti igitur à me ſi quod præſentaneum pro uocis raucedine remediū, qua nobiliſsimum quendam amicum tuum iamdiu laboraſſe aſſeris, haberem: & quod optimū mihi uidetur, in ſcriptis tuo intuitu redigere nō grauarer. Ego uerò tuis petitionibus iuſtis nullatenus refragare nec uolo, nec poſſum: breuibus igitur accipe. Affirmas raucedinem hanc ex intemperie calida & ſicca cauſam habere. Hoc quoque in confeſſo eſt apud omnes medicos, qui in eius cura fuere, quorum ſententiæ facile aſſentior. Siquidē uox alteratur ob uehemētiam calidi & ſicci in uocali organo, id eſt, τραχεία ἀρτηρία, ut teſtatur Auicenna 10. 3. de morbis organi uocis. Galenus autem in ſeptimo de uſu partium corporis humani dicit, tunicam τραχείας ἀρτηρίας moderatè ſiccam eſſe, melius enim ſonant ſicca quàm humectata: ſicut etiam quæ omnino ſicca ſunt, deterius ſonant, quàm moderatè ſicca. In omnibus enim ardentiſsimis febribus pharynge & arteria uehementer ſiccatis uoces fieri uidemus, quas κλαγγώδεις, hoc eſt, clangoſas, teſte Hippocrate, quales etiam fiunt in animalibus, quæ longum admodum habent collum & ſiccas cartilagines, ſicut grues, de quibus Homerus, Clangentes uolant in Oceani fluctibus. Quòd malam admodum uocem reddat ſiccius organū, ex 2. libro Artis medicinalis colligi poteſt. De uoce autem affecta Galenus in tractatu de uoce, & 4. de locis affectis agit. Huius autem mali curam paucis accipe: uolui enim, quæ potiora ſecurioráque mihi uiſa ſunt, ad te perſcribere. Nihil agam de ſex rebus non naturalibus, quia nihil in his neglectum eſſe à medicis ſcio. Cibi tamen ſint lenientes & humectantes, ſicuti ſunt uitelli ouorum, carnes bonæ, & iura earum, & lac & butyrum recens. Amylum ſummopere mihi placet: lenit enim faucium mala, cùm hoc miſcetur lacti & obſoniis, inquit Dioſcorides. Laudarem ut ſæpe hoc in brodio uterentur. Et cùm carnes odio nobis ſunt, præſtat eo in lacte coctum ſaccharo ueſci. Nec ab re fuerit, ſi aqua hordeacea decocta cùm γλυκυῤῥίζης, id eſt, liquiritia. Aequè admodum ſalutaris eſt faucibus aſperis & uitiis pectoris, teſte Dioſcoride: cùm cubitū petit, utatur. capiat autem de ea unc. v. cum pauco pulueris penidiarum, & perſeueret per multos dies. Si fortaſſe ſtomacho officeret, primo mane pòſt capiat parum mellis roſ. col. ad confortandam digeſtionem, & frigidas materias abſtergendas. Oleum amygdalarū dul. commendatur, in loco olei oliuarum, ſit tamen recens. Laudo ius caulium, blitonum, ſpinaciarum, bletarum, atriplicis, ſi in iure carnium laudabilium decoquātur, uel in aqua cum oleo amygdal. dul. & paſſulis. Ficus quoque pingues utiles ſunt: nam raucedini nō ſolum ex humiditate, ſed etiam ex ſiccitate ortæ, medentur, & faucibus. Dragantū, gummi arabicum, mucilago pſilii, & ſeminum citoniorum, crebrò tenenda ſub lingua cum his pilulis: Recipe, Seminum melonis, cucurbitæ, portulacæ & citoniorū, ſucci liquiritiæ, amyli, draganti, ſeminis papaueris al. cum cando & penidiis, & cum iuleb uiolato, & mucilagine pſilii, & draganti. præparentur & fiant pilulæ. Item grana pini præparata, & amygdalæ recentes conueniunt. Item ſaccharum quod candum uocāt, ex iuleb uiolato cum primis ſalutare. Grana ſebeſten madefacta in decocto iubebarum, & in ore retenta, uocem clangoſam corrigunt. In temporibus frigidis maſticare maximè conuenit. At unum illud non prætcribo, quòd balneum aquæ dulcis tempore calido ſalutare probatur Auicennæ & Galeno. Et quia credo ſæpe humiditatem à cerebro debilitato ad τραχεῖαν ἀρτηρίαν deſtillare, & imprimis in hyeme & frigidis temporibus: laudarem per interualla ſæpe aſſumere pilulas ſine quibus, cùm parte agarici trochiſcati hora eundi dormitū. Et aliquādo bolū caſſiæ cum penidiis, & puluere liquiritiæ ſub horā ſomni. Licet euacuationes, ſi malum à ſiccitate ortum habeat, non conuenire uideantur, ut paulò antè retuli: nihilominus cùm intellexero leuamen aliquod ex cauterio in uertice facto, ſubſecutum, arbitror ſæpe materias deſtillare, quę accidentaliter, non ſubſtantificè humectās, ægritudinem ipſam confoueat. Et ideò in hoc caſu euacuationes leues cōuenire poterunt. Et loch pini, & diapenidion ſine ſp. cum parte mannæ electæ: & electuaria de farfara. & ſi maior humiditas in temporibus ualde frigidis ſentiretur, diairis parum cum lectum petit, cum modico aquæ hyſſopi ſumptū ſummopere ſalutare. Hæc pauca, Seſſa mi, ad te uolui perſcribere, licet neceſſarium non ſit: tamen ut tuo candori morem gererem, nec laborem, neque negotium ſubterfugere uolui. Quæ ſi minus docto & terſo tuo ingenio ſatisfecerint, excuſabo me cum Galeno, qui in cōſilio pueri epileptici facile poſſe decipi aſſerit, ſiquidem nec præſens unquam fuerat, nec eum uiderat, id & mihi nunc accidit. Vale, & me ama.

EPISTOLA XI. LVDOVICO *Panizeo Mantuano medico de ſtranguria & iſchuria.*

Pergratum

PErgratum mihi fuit, humaniſsime uir, quòd ad me conſilium à doctiſsimis uiris habitum de aduerſa ualetudine illuſtriſsimi Federici Gonzagæ Mantuæ ducis miſeris. Scribis illic uocatos eſſe ad te Hieronymum Bablonetam, Ioannem Baptiſtã Papienſem, & Ioannem Antonium Faccinũ, uiros & in re medica, & in philoſophia ſummos. Atq; ibi diu de ſtranguria & iſchuria, quibus laborat dux Federicus, diſſeruiſſe, neque hactenus conueniſſe. Petis ut & meum addam calculum, & liberè ingenuéq; eloquar quid ſentiam. Anceps animi ſatis ſum profecto, Ludouice doctiſſime, unde potiſsimum exordiar. Difficilimum mihi uidetur in ea re iudicare, in qua omnia rectè & ſyncerè iudicata ſunt. Nam eadẽ dicas neceſſe eſt, aut etiam deteriora. Age quoniã ita tibi placuit, & mea eſſe aliquid putas, morem geram tibi, ea tamen lege & cõditione, ut, ſi nimis audax uideor, tuę efflagitationi adſcribatur. Primum igitur legi conſilium & relegi, ea ipſa qua potui diligentia pro temporis interuallo. Nuncius abitum properabat. Difficile eſt ea iudicare quæ nunquam uidiſti, nunquam etiam cognouiſti, ut teſtatur Galenus in conſilio pueri epileptici. Oportet ſiquidem medicum non ſolùm communem hominum naturam, ſed uniuſcuiuſque propriam exactè cognoſcere. Conueniſtis igitur omnes uno ore in hoc, obſtructionem in collo ueſicæ fieri à pituita craſſa, lentáque, ex qua urinæ fluxus impeditur. Tu, cum collega tuo, quantum ipſe ex ſcriptis ueſtris colligere poſſum, exiſtimas pituitam hanc craſsiorem ex calido excoquente: alij uerò duo, ex frigido cõgelante eſſe acquiſitam. Tu & collega tuus (abſit inuidia uerbo) argumentis euidentiſsimis, & rationibus argutiſsimis, tótque doctorum tum recentium, tũ ueterum medicorum autoritatibus opinionẽ ueſtram demonſtraſtis, ut linealibus demonſtrationibus, quibus nullæ aliæ ſunt ſolidiores, confirmata eſſe uideatur: argumento ſumpto ab ægri temperatura calida & humida, in qua omnes eſtis unanimes & concordes, & à lapſu facili in febres, poſt quas ſæpe hoc ſymptoma patitur ex urina craſſa, quę acuitate uaſa uitrea diſrumpit, & tetrum ſæpe odorem redolet, & nonnunquã ſanioſa apparet cum ſubſidentia arenoſa: idq; accidit ex ira, ex qua frequenter hãc paſsionẽ incurrit: fæces nigricantes odorem rei aduſtæ præ ſe ferentes. Aetas adolendi, quando paſsio hæc cœpit. Regimen præteritum, quod ut plurimum ad calidum declinauit, & maximè cũ uinis plenis & potentibus, & cibis cum aromatibus conditis hoc comprobant. Etſi etiam frigidis uſus fuerit, nõ tamen ut temperaturam frigefecerint. Pharmaca etiam calida, quibus frequenter uſus eſt, ut materiam à uiis urinæ diuerteret, in hoc nõ parũ concurrere uidẽtur. Adde ꝙ hæc paſsio ortũ habuit à calidis, uidelicet, ex mẽtha, uitice, quem agnum caſtum appellant, propter gonorrhœam aſſumptis: & poſt hoc medicamẽ ſtatim in urinæ retentionem incidit, retento ſemine genitali, à calido pharmaco. Sitis uehemens quæ hominem infeſtat, hoc etiam comprobat. Excoriationes quoque in pene, abſceſſus in oſſeo, qui corroſionem non paruam cauſans in pene, ex qua urina exibat, hæc omnia ſimul, & unumquodq; per ſe caliditatem indicant. His ſiquidem omnibus ordine recenſitis, autoritatibus, rationibúſq; à te adductis facilè optimos & expertiſsimos quoſque in tuam ſententiam allicias. Et ut ſummam rerum finiã, aliorum omnia argumenta citra penè controuerſiam, qui à phlegmate collum ueſicæ obſtruente, & à frigido congelari affirmant, refelliſti. Reſtat tamen nodus non uſqueadeo cõtemnendus, in quem collegæ tui pedem, tanquam in aheneum murum, figere uidentur: de materia frigida ſemel exeunte ueluti granũ grandinis: quẽ bene enodare uiſus es. Siquidem ſemel uel bis tantummodo hoc accidit, & hoc per accidẽs, & non per ſe euenire arbitraris. Ideo exiſtimas cauendum eſſe iuxta præceptum Auicennæ, ne impreſsio accidentalis nos decipiat, quia ſi hoc per ſe fuiſſet, ut bene Galenus in 1. de ſimplic. medicamentorum facultatibus aſſerit, quod ex ſua facultate frigidum eſt, & non ex accidente, id à principio uſque refrigerat. Nec obſtare hoc uidetur, ſi nonnunquam phlegma uitreum frigidũ in caſu appareat, cùm tu etiam & collega tuus partem cũ illo phlegmate quod à calido craſſum effectum eſt, poſſe commiſceri arbitramini, & ego in ueſtram ſententiam pedibus eo: & maximè in illuſtriſsimo duce, quando ſymptomate laborat, apparere poteſt. Siquidem dolor, & membri, in quo phlegmone ſedet, calor etiam ſi totum corpus ab excrementis purum ſit, fluxionis cauſa fiunt, inquit Galenus in Methodo med. Cùm ergo paſsionis tempore dolor urgeat, facile membra fortia (quamuis hæc naturæ lex malè pietati conformis ſit) motu uiolento ad debilia excrementa ſua tranſmittunt: & cùm phlegma hoc uitreum, quod in nomine ſecundum nos apparet, ad locum doloris tranſmitti poſsit, in tempore nullam trahens moram, nec caliditatem aliquam extraneam, poterit cum ſua naturali frigiditate excerni: & hac ratione arbitrari poterimus, maiorem partẽ huius phlegmatis obſtruentis ſupercalefactam fuiſſe à iocinoris caliditate, ex qua craſsitiem naturali ſua maiorem adeptum eſt. Partem uerò defluere, quòd nullam πέψιν à calido acquiſiuerit, & ex naturali ſua temperatura frigiditatem non mediocrem & craſsitiem obtinebit. Arbitror igitur lentorem & craſsitiem phlegma à calore in hoc principe magis quàm à frigido congelante conſequi. Siquidem bene Iacobus de partibus diſſerit, cùm loquitur in uitreo phlegmate à frigido inſpiſſato: dixit fieri in decrepitis & calore deſtitutis, & in phlegmaticis, & maximè in inteſtinis, & in colo præſertim. Nos autem ſumus in ętate iuuenili & calida, & ſi à membris ſuperioribus, & præſertim à capite, ut uos cenſetis, materia hæc defluit, quiſnam excogitare poterit, hęc in tali temperatura, & æſtate, & ætate contingere poſſe? & nec cerebrum uiuentis ad tantam frigiditatem deuenire poteſt, ut cõgelandi uim habeat: cùm autoritate Galeni de uſu partiũ, calidius ſit aëre æſtiuo. Iacobus quoque de partibus cùm diſſerit de phlegmate põtico, qui ſapor à Latinis acerbus dicitur, inquit raro phlegma tale in corpore reperiri, cùm in humano corpore frigus raro excreſcere poſsit, quòd uim congelandi habeat, & faciendi ponticum. Non tamen id eſt impoſsibile, cùm nonnulli glaciem in ſtomacho ſentire affirment. Hoc illud nonnulli de cerebro & inteſtinis aſſerunt. Galenus quoq; 5. de uſu partium, cùm agit de ſuperfluitate phlegmatica, quæ in uentre & in inteſtinis neceſſariò generatur, &c. dixit, phlegma hoc eſſe à natura uiſcoſum, multo autem uiſcoſius in huiuſmodi diſpoſitionibus ex diuturna mora in adeo calida regione eſt redditum. Et in uentriculo ob aliquod frigidum ciborum genus potuit generari. de atra bile dixit Galenus pituitoſum humorem ex cibis phlegmaticis in uentriculo generari, ſicut etiam in 5. De uſu partium aſſerit, in uẽtre & inteſtinis phlegmata generari, quæ & craſſa & uiſcoſa ſunt: ideo egent eorum, quæ diuidendi, incidẽdi, abſtergendi, expurgandi ui polleant. Hoc enim auxilij mox à principio ipſis natura prouidit, uidelicet acrem & abſterſorium & purgatorium hunc humorem, quem oportebat omnino euacuari à corpore, non ad inteſtinum, quod eſt prope anum. Sed ad primam ἔκφυσιν, ut nullum inferiorum inteſtinorum externo unquam indigeret auxilio, & quando demum bene diſpenſantur ea quæ ſunt in animali, expurgatur tota ab eo quotidie phlegmatica ſuperfluitas. Cur autem non ad uentrẽ implantauit eius pori aliquam partem, cùm non paucas & ipſe generet eiuſmodi ſuperfluitates? Hinc magis opinor, miraberis eius prouidentiam. Pòſt autem oſtendit hoc naturæ benignitate factum eſſe, ſiquidem cholera ad uentrem exactiore ſenſu, quàm ieiunum, prædito, mitteretur cibus, & antequam concoctus eſſet, expelleretur. Et ad purgandum uẽtris phlegma bene antiqui medici cum aliis documentis ad ſanitatem tuendã pertinentibus, uomitum ſingulo menſe fieri conſulebant. Nonnulli uerò bis fieri expedire putabant. Quod à uobis in illo illuſtriſsimo principe non iniuria fieri uideo. Non mirum igitur ſi portio aliqua huius phlegmatis in uentriculo geniti ad partes imbecilles detruſa actu frigida per urinam excreta eſt: cùm Galenus in multis locis hoc phlegma, & potiſsimum quod ὑαλοειδὴς ab ipſo nuncupatur, id eſt, formam uitri liquefacti referẽs, actu frigidum ſentiatur, ut clarè in 2. de temperamentis, ubi dixit differre quæ per ſe calida ſunt ab his, quę per accidens. Euomũtur enim non raro abũdè frigida, & quod magis mirãdum eſt, quódque Hippocrates notauit, pituita ipſa quamuis iam ſuccus ſit, atque ex cibis in uentre iam concoctis nata, nihilominus frigida tangentibus ſentitur. Nec in modo dũ in uentre exiſtit, ſed poſtquam à uenis ipſis, purgantis cuiuſdam medicamenti ui eſt detracta, tametſi tenaciſsima ſit, ac per uim ducatur. Attamen ne ipſa quidem tractus uiolentia calefieri poteſt.

poteſt.Clarius etiā hoc in 2. de locis affectis, ubi de ſua famoſa colica loquitur. Quòd uerò hic humor ſit frigidiſsimus, iam à Praxagora dictum eſt, qui ob hoc ipſi uitrei nomē impoſuit.Id enim haud obſcurè percipitur ſenſu tactus,tum ipſorū,qui illum excernunt,tum aliorum ſi quis ipſum cōfeſtim tangere uoluerit: ſed dignū utiq; admiratione eſt,quomodo frigidus excidere poſſit,neque ab excretionis uiolentia, cùm excidit calidus euadat. Non mirum igitur, ſi cum hoc excalfacto phlegmate craſsioréq; ob caliditatem reddito,portio nonnunquā crudi uel mucilaginoſi uel uitrei ob imbecillitatem digeſtionis ex cibis admodū phlegmaticis energia frigida excernitur.Et profectò hæc illuſtriū medicorum rationibus cōſentanea ſunt, quæ paucis nullis additis uerborū lenociniis,ut tibi morē gererē, perſtringere uolui, cùm uos uiri doctiſsimi, ita terſe, ita ornatè in caſu proceſsiſtis,ut nihil addi, neque minui, à me, neq; alio quantūuis doctiſsimo medico,poſsit. An autem illa ratio ſuper autoritate Auicen.cap.2.quartæ primi.& Gal.7.methodi,de æquali temperie infrigidādi & calefaciendi,in quo non eſt par ſecuritas, omnino concludat,apud me ambiguū fuit. Et præſertim ſi Hugonis Senenſis opinionem ſequamur, quæ cùm tu ſæpius citaueris, ipſum ego quoq; non grauabor adducere, ubi uoluit quòd plus poteſt corpus temperatū labi ad frigidum ſtante uita,quàm ad calidū. Quamuis ego hominis ſententiā dum publicè illum profiterer non admodum probarim.Porrò in nephreticis & ueſicę uitiis millies uidi,in quorū urinis ſubſidētia quædam phlegmatica alba & admodū ſanioſa,quę aliquando cum ardore,aliquādo ſine,ſecundū quòd pars aliqua bilioſa commiſcebatur, quæ acritatem cauſabat uel ex putredine acquiſita:unde proiecta parte aquoſa per longū ſpatiū materia illa unita ueluti gluten inſtar terebinthinæ deſcendebat, & nunc in cura habeo duos tali morbo laborantes,uidelicet, D.Ioānem Antoniū de nobili familia Albergatorū,uirum doctrina ſingulari,moribúsque integerrimis. In his enim plerunque ardor cōmiſcetur, quod etiā me ſumma admiratiōe afficit in caſu noſtro, cum à materia calida, ſecundū formā dico,à qua potiſſimum prouenit actio,non ſit ardor & exulceratio. Et ſi tu,& meo quidem iudicio rectè, dicas hoc eſſe, quia mēbra illa pinguedine & carne ueluti clypeo ſeptemplici loricata,ut tuo,& Iacobi de partibus utar uocabulo,ab ardore & ulceribus ſe tutentur.Sed cū uaſa diſrūpat uitrea in quibus excipitur extra,quomodo intra cū ſit acutior carnē & pinguedinē non corrodat? Niſi cito paroxyſmus hic reſoluatur, & ratione paruæ moræ nō fiat impreſsio,ut de ſole in æquinoctiali dicitur. Quantū autē perduret paroxyſmus, ex his nō potui colligere.De cura autē ex quo intētiones tantū uniuerſales tactæ ſunt, quæ ex eſſentia morbi diuerſimodè cognita eliciuntur, nihil aliud dicam. Libentiſsimè enim interfuiſſem,ut olores alternatim cōcinentes audire potuiſſem.Credis me inter uos tātas potuiſſe cōponere lites? fortè aliquid nō iniucundum adduxiſſem.Deo optimo maximo ago gratias,quòd huiuſmodi curæ ſemper mihi ex animi ſententia ſucceſſere. Et ſi quid ibi defecit, in decrepitis defecit, hoc eſt in natura ipſa: noſti enim ſenectam eſſe ipſum morbū. Verū adduxiſti quędam ibi, quæ ſunt incognita,optarim mihi ea dari aliquanto, ſi fieri poſſet,clariora,nempe de uerucaria, quæ à Græcis aſportatur, & de radice centaureæ tantopere laudata. Gal.de his quæ ignorabat nec quicquā edidit, imò deridet Xenocratē,quòd quædā uetita,quædam incognita,quæ paratu impoſsibilia pro morbis curandis, ſcriptum reliquit.De radice hac centaurij crediderim illum doctorem excellentiſsimū intellexiſſe de maiori cētaurio:ſiquidem minoris folia utilia probantur & non radix.Maioris autem radix & non folia cōmendatur.Sed quid ſit hoc maius centauriū à medicis ferè omnibus noſtri ſeculi ignorari credo,ut inquit Nicolaus Leonicenus,nulli in re medica poſtponēdus, & præceptor mihi ſummopere uenerandus, qui reprehēdit Theodorū Gazam interpretantē radicē eius fel terrę. Tantū enim abeſt,inquit ipſe,quòd fel terrę dici poſsit, ut multò rectius mel terræ dici mereatur:nam eius radix eſt ſubdulcis,& Cōciliator aſſerit ſuo tempore maius incognitū. Leonicenus autem qui primus in illuſtranda medicina à tetra barbarie lucernam prætulit,inquit,ſe arbitrari à Cōciliatore, & ab aliis ſæpius ad opera medicinę adhibitum,ſed non nomine centaurij. qualis autem herba ſit apud nos, dixit ſe conſultò & data opera uelle cęlare,nec quid ſit patefacere uoluit. Sed ipſe coniectura quadā mihi uideor aſſequi,quid uir ille apud Dioſcoridem & Galenum arbitraretur eſſe centaurium:ſed cùm nec ego unquam eius folia & radicē uiderim,hoc quoque ſilentio prætereo. Hæc pauca uolanti calamo tibi ſcribere uolui:interim mihi hoc proponens,fructū amicitiæ noſtrę eſſe cōmunem omniū ſtudioſorum utilitatem, qua nihil eſt utilius, præſertim in his ſtudiis, quæ ad ſalutem hominum pertinent. Neſcio ſanè an maiori nos rei deuincire poſsimus. Noui te his rebus maximè deditum eſſe,quæ laudem & gloriam parant cum utilitate ægrorum, quibus nos toti dati ſumus. Quibus uerò & ego profiteor, atque polliceor eximium ac ſingulare meum ſtudium in omni genere officij. Vale.

EPIST. XII. IOANNES BAPTISTA *Theodoſius, ad amicum ſuum, in qua agit de uera doſi ueratri.*

ACcepi literas tuas III.Non.April. ex quibus intellexi quàm uigilanti animo ſolicitè inueſtigas rerum omnium proprietatem,naturam,& uſum: primùm inquis te ſummopere admirari,cur Paulus Aegineta, in cura morbi comitialis ueratri 3.8. doſin poſuerit:cùm hæc boui uel elephanti potius, quàm homini conueniat.Equidem capio magnam uoluptatem, cùm tibi,cuius mihi amicitia non ſolum ampla,ſed etiam iucunda eſt,ea cordi eſſe ſentiam, quę ad communem ſpectant ſalutem. Atque quicquid tibi laudis in his ac aliis rebus debetur, (debentur autem plurimæ) ad me quoque non infima pars redit. Nam aliquandiu mihi operam dediſti,probauíque in te,adhuc puero,non minus mores, quàm ingenium, quò contigit,ut iam inde filij locum ſis apud me propemodum adeptus. Quare cùm ſemper mihi erudiendus fueris,nūc uerò maximè cùm ad communia ſtudia ſpires.Noſti enim Athenis olim in execrationibus habitum fuiſſe, erranti non monſtrare uiam.Error minor apud eundem Paulum qui eſt in lib. 7.maiorem hunc reprehendit, ubi non tranſcendit doſin ueratri 3. 1.ibi autem exhibet octo 3. cū æquali portione alipiadis,piperis & baccarum lauri,quæ res profectò non parum me mirari cogit, id hactenus nulla in parte ab aliquibus etiam emunctiſsimæ naris hominibus animaduerſum eſſe, & eo magis cùm exhibeatur cum dulcore,qui eſt in coloquintide,uel ut rectius ſcribitur colocynthide, ut uiolentius uſque ad extremum ſanguinem educat. Hoc interpreti Alexandro dubium fuit,ubi hoc medicamen ponitur modo per drach. uel ſcrup.doſin ponit, cùm quælibet doſis etiam ſimilis ſit pernitioſiſsima.Ideò textus debet hoc modo legi: Baccarum lauri ſiliquas octo, & ſic de uetratro, & de aliis in compoſito poſitis. Quod me mouet ut ſiliquam legendum eſſe putem,quia in textu græco apud Alexandrum loquendo de hoc medicamine loco 3. habet ceratios: ceratium enim apud Græcos ſiliquam Latinis ſonat,& ceratia 18. drachmam conficiunt,ut apud Galenum de ponderibus & menſuris legitur: & hoc modo 3. s. ἐλλεβόρου λευκοῦ non ingreditur, ſi ponuntur 8. ceratia,id eſt,ſiliquæ octo. Quòd ſi eſſent nouem ceratia, doſis eſſet 3. s. & hoc totum medicamen pondus 3. 2. non capiet, & nullo pacto doſis hæc erit ſuperflua,& præſertim in diuturno morbo, in quo potenti pharmaco utendum erit,ut ex ſerie textus colligitur. Cauſa autem huius impudētis erroris potuit eſſe, quia drachmę nota apud Græcos non diſsimilem ſimilitudinem habet cum nota ceratij, ut apud eundem Galenum uidere eſt. Duæ autem coniunctæ atque altera parte in angulum connexæ lineæ, ueluti duo cornua rectam drachmam,conſtituunt hoc modo < .Si uerò recta linea addatur, & cornu inferius ſecetur, ceratium conſtituitur ℞. Cùm ergo lapſus à ceratio ad drachmam ſit facilis,non mirum eſt ſi ex incuria ſcriptorum error hic irruerit.Sed hoc modo textum legendo nulla ſubeſt menda, & medicamen ſecuriſsimum erit. Similes errores ſexcentos colligere poſſemus, ſi notas pōderum apud antiquos obſeruatas cum recentioribus conferre uellemus. Extat apud Galenum nodus de itriis, à paucis hactenus intellectus. Per itria intelligere uoluit Galenus quædam placentarum genera, quæ ex farre conficiebantur, & in ſacrificiis deorum litabant:quæ Latinis liba dicuntur, & in uſu hominum frequentiſsimo erant. Vnde Ouidius, Libáque dem pro te nil

exorantia diuos. Et Virgilius: Et adorea liba per herbã ſubijciunt epulis. Erant enim placentę ex farre & melle, etſi ſine melle cõficiebantur: ſed concoctioni aptiores cum melle, ut elegantiſsimè Galenus primo de alimentis. Hæc mihi de tuis dubijs occurrêre: ſi tibi ſatisfecerint, Deo optimo gratias habeto, ſin minus imbecillitati meæ adſcribito. Gratiſsimum quoq; mihi fuit, quòd tibi res in medendo feliciter, atq; ex animi tui ſentẽtia ſuccedit: optarímq; idem omnibus qui ſub me meruerunt, & in caſtris meis excubias egerunt, euenire. Non enim id mirum eſt, quia noui ingenium tuum, mores, diligẽtiam, deniq; doctrinam tuam ſyncerã. Verùm & id mihi occurrit de itrijs. Marcellus apud Dioſcoridem in capite de papauere erratico inquit eſſe genus placentæ, quæ ab antiquis ἴτρια. Sic enim Athenæus 14. lib. Διονυσοφιτῶν inquit: ἴτριον πεμμάτιον λεπτὸν διὰ σησάμου καὶ μέλιτος γινόμενον. id eſt, itrium eſt tenuius placenta additis ſeſamo & melle cõfecta. etſi ἴτριον ſumen ſignificat. Sed ſcio te de ἰτρίϊς quærere, de quo Galenus primo de alimẽtis. Vale, & me ama.

## EPIST. XIII. IOANNES BAptiſta Theodoſius, *ad amicum de fluxu & ulcere matricis.*

DEcreueram penè ad abſentes non amplius mittere conſilia, quia facilè decipimur, & decipimus quoq;. Quid enim de urina tantùm iudices, ſi non adſunt medici, qui rectè caſum perſcribant, aut accidentia rectè enumerent? Vicit tamen beneuolentia atq; humanitas tua. Age, quæ ſentiã paucis accipe. Hæc mulier, ut ex relatis colligere potui, patitur fluxum humiditatum matricis, & ulcera in matrice, à materia acuta, mordaci, corrodẽte. Quæ, ne dicam omnia unà ſimul, ſed unumquodq; per ſe difficilimum curatu eſt, & cùm perſeuerant ſępe deducunt ad cancrum, qui poſtea curari non poteſt. Igitur à uictus ratione exordiri primùm conuenit. Vtatur igitur imprimis cibis laudabilibus, boníq; nutrimenti. Abſtineat à ſalſis, acutis, piperatis, frixis, alliatis, & ſimilibus. Carnes pullorum conueniunt, uitulorum, agnorum annalium, & auium uolatilium, & oua laudantur cum pauco agreſtæ. Caueat ab acetoſis, uinum ſit pauciferum.

Primò corpus purgare conuenit, ſyrupis tamen his digeſtione facta. Capiat ergo per nouem dies hunc ſyrupum. Recipe ſyrupi de lupulis, mellis roſacei colati ana unc. 1. aquarum, fumi terræ, boraginis, artemiſiæ, lupulorum, ana unc. 1. Finitis nouem ſyrupis & digeſtione apparente in urina, capiat hanc potionem cum ea quæ conuenit cuſtodia. Recipe agarici trochiſcati 3. 2. bulliat una ebullitione in decoctione paſſularum liquiritiæ, ſebeſten, cartami, ſeminum plantaginis, polypodij, & florum cord. facta in aqua artemiſiæ & fumiterræ. Deinde fiat bona expreſsio & colatura, cum qua diſſolue diaſene lenitiui, diacathol. ana unc. ſemis. electuarij hamech drac. 3. ſyrupi de pomis unc. 1. & fiat potus, aſſumatur in aurora, & ſupradormiat per horã, & poſt quinq; horas capiat parum brodij macri cum unc. s. ſachari, illinc ad horam prandeat. Die uerò ſequẽti capiat unc. s. ſach. roſ. Interim per interualla capiat ſępe, ſicut in ſpatio octo dierum, ſcrup. 3. s. de pilulis maſticinis reformatis cum ſucco artemiſiæ. In alijs uerò diebus aſſumat medium cochlear huius pulueris cum uino rubeo. Recipe coral. rub. raſuræ eboris, cornu cerui uſti donec albeſcat, maſticis ana drach. 2. miſce & fiat puluis: & in uino prius bullierit parum roſarum myrtilorũ & artemiſiæ. Phlebotomia cõſentiente ætate & floreſcente nunc uere, ex baſilica dex. brachij non diſplicet. Si dolor adeſſet, imprimis is ſedandus cum lacte mulieris, & ouorum albuminibus intus cũ bombace impoſitis. Poſtea mundificetur locus, incipiendo primo à leuioribus, ſicut cum ſero caprino tepido benè abluendo intus & extra. poſtea ad aquam hordei migrandum, in qua bullierint liquiritia & folia oliuarum ſylueſtrium. Si uerò hoc nõ ſufficit, addatur in decoctione mel cum pauco aluminis. Si uerò dolor & ardor excitaretur, remouetur cum ſucco plantaginis miſto cum lacte mulieris. Facta iſta ablutione ponatur in matrice pila ex bombice cum terebinthina, quia bene mundificat. Et ſi non poſſet bene cum ijs mundari, quia fœtor malus & uirulentia exibit, diſſoluatur parũ unguenti Aegyptiaci in decoctione prædicta, & abluatur perfectè. Et oportet ut medicus aperiat & introſpiciat. facta mundificatione utatur hoc unguento conſolidatiuo. Rec. draganti, gummi arabici infuſorum in aqua plantaginis, centhæ, olibani, ſanguinis draconis ana drac. 1. lithargyrij drac. s. ol. roſ. unc. 1. ceræ q. ſ. Et ſi ulcus eſt in profundo, & non poſsit liniri cũ hoc unguento, diſſoluatur in decoctione roſarum, myrti, nucis cipreſſi, & ariſtolochiæ, & inijciatur in matricem. Et ſic cũ bona uictus ratione per plures dies procedatur. Etſi aqua lactis caprini uteretur, non mihi diſplicet per aliquot dies. Adueniẽte calido tẽpore poterit aſſumere aquam de uilla quæ eſt in agro Lucano, uel aquã Caldarij, quæ eſt in agro Veronenſi, & ex eadem ſe balneare. Et hanc curam is, qui omnes ſanat languores, dignetur perficere. Bononiæ die 28. Mart. 1535.

## EPIST. XIIII. AD NOBILEM *& optimæ ſpei iuuenem.* N. *Fucharum Auguſtanum podagra & arthritide laborantem.*

IVuenis hic optimæ ſpei ex nobili Fucharorum Germaniæ familia ortus, Italiam, doctámq; Bononiam ingenij excolendi gratia, petijt. Iam per aliquot dies aduerſa ualetudine detentus, quò minus rei literariæ operam dare potuit, triſtatur, conqueritúrq; de temporis iactura magis, quàm de dolore, nimirum cognoſcens, quàm irreparabilis rei huius iactura ſit. Qui quidem cum tumore non exiguo intenſus in pede ſiniſtro iam aliquot dies iuuenem hunc infeſtauit, necnon in eiuſdẽ lateris ſpatula & brachio dolor exagitauit. Quæſitũ eſt igitur, quo nomine morbus hic à medicis nuncupetur, & quæ eius ſit origo. Et cùm præternaturales diſpoſitiones cognoſci non facile poſsint, niſi naturalis prius cognita fuerit, teſte Galeno & Auicenna: Arbitror igitur, quantum ex aſpectu ipſius colligere potui, etſi eum in naturali diſpoſitione exiſtentem antea non agnouerim, humidiore temperatura & frigidiore ſymmetra declinante, ſubdominãte calido. Inquit enim Galenus 2. artis medicinalis: ſi humidior atq; frigidior tẽperatura parũ utraq; augeatur, corpus molle, album, & pilis nudum reddit. quæ omnia in hoc ingenuo iuuene mihi primo aſpectu apparuerũt. Et ſi ſanitatis tẽpore arbitrer colorẽ in facie ex albo & rubro, remiſſe tamen, renidere, qui frigiditatem non multũ excedere demonſtrat. Reſpondeo igitur ſigillatim ad ea quæ ſuper caſu iſto deſiderantur. Morbus igitur hic ſibi peculiaris eſt, & ut ex Galeno 10. tractat. & ab Auicẽna 22. 3. podagrica & arthetica affectio nuncupatur, & elegantiſsimè ab Aëtio lib. 12. Differt autẽ podagra ab arthritide nõ toto genere, ſed affectis locis: in omnibus enim eſt articulorum debilitas, diuturna cum fluxione, quæ quidem ſi in pedibus decumbit, podagra uocatur: ſi uerò in aliquo coxarum uertebro, ἰσχία, hoc eſt coxendicũ morbus nominatur. Si uerò in multis corporis articulis innititur, ἀρθρῖτις, id eſt morbus articularis, ſeu ἀρθριτικὴ paſsio, nominatur. In pede autem huius nobilis tumor & dolor non mediocris inſedit, qui podagricus appellari poteſt. In brachio autem & ſcapulis ſimiliter, qui artheticus morbus nominatur. Cauſa autẽ omniũ horum morborum, ut Galenus loco iam dicto dicit, eſt humorum abundantia, comprehẽdens iuncturas, quæ cùm humore oppletę fuerint, eas extendi neceſſe eſt, ex qua extenſione non paruus dolor excitatur. Humores autem nonnunquam ſanguinei, nonnunquam pituitoſi, aliquando etiam cholerici, ſæpe etiam ex utroque mixti, plurimum autem pituitoſi ſunt. Cũ autem pituita diuturniorẽ morã in iuncturis traxerit, in calloſam ſæpe duriciem permutatur, quę poſtea inſanabilis redditur: & de hac eleganter poëta ille: Soluere nodoſam neſcit medicina podagrã. Cauſas autem uniuerſales eleganter deſcripſit Aëtius, inquiens: Generant autẽ hanc affectionem cruditates coaceruatæ & ebrietates, atq; his adhuc amplius immoderati rei ueneræ uſus. Itẽ & deambulationes cõcitatiores, quàm pro more, & ſtationes diutius productę, & excretiones plus iuſto ſuppreſſæ, conſuetiq; exercitij feriæ. Plurimum uerò aptitudines à parẽtibus in filios ac poſteros transferũtur. &, ut ſummatim omnia dicã, crudorũ humorũ copia hu-

ius

ius mali causa est. Sic quoq; Paulus Aegin. lib. 3. cap. 78. Auicenna autem causas efficientes, causas patientes, causas instrumentales & procatarcticas sigillatim enumerat. Quas, ne plus iusto tædiosus sim, prætermitto. Arbitror igitur in hoc nobili cruditates generari, tum ex frigiditate, tum etiam ex nimio cibo: & humiditate capitis & uentriculi, quæ coaceruatæ cum aliqua portione biliosa ad iuncturas defluunt, tanquam ad membra naturaliter debilia, & causant tales passiones. Videtur enim in hoc naturã esse nouercam, quòd membra fortia superfluitates ad debilia transmittant. Iuncturæ enim huius adolescentis natura debiles sunt. Nam hæreditarium quodammodo est, cùm parentes huic morbo obnoxij fuerint, ut inquit Auicenna secunda primi & 22.3. Quòd autem à pituita commixta cum portione bilis, parua tamen, proueniat, dolores hi & tumores ostendunt. Longitudo ipsorum cum tumore notabili in principio cum aliquali calore & rubore, quo dissoluto restat tumor cum albedine in loco. Materia hæc à capite temperaturæ humidioris partim ad iuncturas defluit, quæ suapte natura grauitatis causa apta est descendere, & in locis debilioribus figi. Catarrhus enim à capite per neruos & uenas & arterias descendens dolores artheticos generat. Pars etiã à uẽtriculo frigidiore, cuius proprietas est multũ appetere, ut in casu hoc, minus uerò concoquere, quæ etiam ad debiliora membra transmittitur: cruditatem in uentriculo fouet aquæ potius continuus, Abstemius enim est. Ex his autem apparet ægritudinem hanc uerendam esse, cùm non sit ætati proportionata, ut inquit, 2. Aphor. Hipp. Et si in hoc adolescentiæ tempore, in quo uirtus est fortis hanc passionem incurrit, in ætatis postea progressu timendum erit, ne sęuius exagitetur, & in duriores callos incurrat, qui postea curari non possunt.

Pro præseruatione ne quotannis hanc passionem incurrat, quia podagrica & maniaca, uere & autumno mouentur, ut inquit Hip. Necessum erit uti primũ optima uictus ratione: & sex illas res non naturales perq; diligenter obseruare postea in medicinalibus. Primũ aër nebulosus, uentosus, & maximè frigidus euitãdus: & ea quę ad aërem pertinẽt, ut uestes. Eas igitur habeat bene corpus suum calefacientes, cum pellibus agninis, & uulpinis in suo tempore. Caput suum, à quo magna pars ægritudinis dependet, sit bene munitum. Exercitium immoderatum uitandum est: sed modestum & ante cibum summopere conducit. Somnus sit nocturnus & octo horarum, uel ad nouem usque, una hora uel duabus à cibo: primus quoque super latere dextro, mox super sinistrum, ultimo iterum ad latus dextrum redeat. Affectus animi immoderati fugiẽdi: solent enim illi, si modum excesserint, ut inquit Galenus, corpus à sua naturali dispositione auertere.

Cibus moderatus, bonique succi sit, nunquam ad satietatem comedat. Quia si plus quàm concoqui possit, assumitur, cruditates hinc crebræ & infinitæ oboriuntur. Nunquam comedendum nisi appetitus inuitet, & pori cibo bene cocto. Potus autem quia uinum non bibit, aqua est sibi naturalis potus. Et cùm timeamus, ne ex eius potu uentriculus offendatur, & inde plures generentur cruditates, quæ maximè morbi causa sunt: ideo laudarem ut in ea mellis parum ebulliret, & cum pauco cinnamomi, uidelicet tẽpore frigido, apponendo mellis unc. 1. pro qualibet aquæ libra. In mediis uerò temporibus partem tertiam diminuere. In calidis duas tertias demere, & secum coriandrorum pręparatorum cochleare unum bullire. Quæritur ibi an melius eum habiturum speraremus si uino assuefieret. Respondeo, subitam mutationem omnem maximè nocere. Sunt quoque quædam complexiones, quæ à natura abhorrent à uino, quædam uerò cõsuetudine. Sed ut mea fert opinio, longè perfectior concoctio celebraretur in uentriculo, & non tot cruditates generarentur, si modico uino uteretur. Quòd si dolores ingruunt, præcipiunt Auicenna & omnes medici, tempore primi paroxysmi abstinendum esse à uino, quousque morbus inclinet. Sed profectò difficile est naturalia permutare. Aqua igitur mihi summopere cum melle placeret. Panis sit ex optimo tritico, bene fermentatus & salitus. Azymos fugiat, & quicunque ex pastillis nõ fermentatis conficiuntur. Caro laudabilis est uitulina, hœdina, gallinarum, caponum, perdicum, phasianorum, coturnicum, columborum iuuenum, turdorũ, merulorum, & auiũ nemoralium, conducunt. Reliquas fugiant. Assæ hę iam dictæ quàm elixæ salubriores. Oua conueniunt. Lactis usum nõ laudo, nisi rarò, & temporibus calidis. Caseus obest, antiquus tamen & is moderatissimus admittitur. Pisces saxatiles & aquarum currentium salubres, & marini, ut rogeti, gurnadi, soleta, uuiaria, merlengo, macrello, plaicia, quarello, lucio, perchia, uendosia, & cancri. Hos pisces ex laudabilioribus recenset Iacobus de Partibus. Assi tamen cum optimo oleo potiores quàm elixi, & conditi cum aromatibus, alioquin frigidos & pituitosos humores, qui maximè huic morbo nocerent, generarent. Magis quoq; in hoc malo oleũ quàm butyrum. Legumina omnia uitanda, præter brodiũ cicerum rubeorum, cũ oleo & rore marino & saluia conditum. Oriza placet. Caules non perfectè cocti admittuntur: spinachia, bleta, portulaca, cucumeres. Endiuia non conueniunt. In temporib. autem calidis, ne nimis stricta & parca ei diæta præscribatur, lactuca & endiuia poterit, parcè tamen, uti, mixtis cum mentha & petroselino. Et si nimiæ humiditatis suspicio sit, addatur piperis modicũ. Et in aceto, quo utitur, sint bullitæ passulæ. Cappares etiam aliquando comeduntur cũ passulis, & parum piperis cum aceto & oleo. Inter fructus prima gloria ficus recentiores, siccæ, uuæ pensiles, & aliqua cerasa dulcia. Pepones moderatè sumpti conceduntur, si parum uini potentis superbibat. Auellanæ, amygdalæ recẽtes, granata dulcia, nõ admodũ obsunt. Reliquorum fructuũ nullus usus. Radices uitandæ, allio tamen in ferculis cocto aliquando uti potest, & carotis tempore suo. Et raphano etiam, sed ante cibum. Species pro cibo erunt ex cinnamomo, mace, gingibere, pipere, croco, in tẽporibus frigidis, in calidis ex cinnamomo & croco solùm. Quantũ autem ad pharmaca attinet pro præseruatione, conuenit ineunte uere & autumno purgari, iuxta dictũ Hip. 6. Aphor. Quibuscunq; uenæ sectio, aut purgatio cũ medicamento conuenit, hos uere purgare uel uenam incidere oportet. ubi dixit Gal. multos, qui quotannis à podagra & articulari morbo corripiebantur, tali purgatione præseruasse. Clarius quoq; hoc dixit in lib. quos, & quib. purgare oporteat. Sectionem uenæ dimittã, quia non mihi uidetur cõuenire. Laudo igitur ut circa finẽ Aprilis purgetur hoc modo. Et si catapotia nõnulla iam assumpserit, capiẽdo nouem de his syrupis digestiuis: ℞. syr. de sticad. sine speb. oxymellis cõpositi, mel. ros. col. ana unc. s. aquarũ iuæ, cicoreæ, lupul. ana unc. 1. misce, nec in casu de oxymelle timendum est, cũ materia sit crassa, & si fortè timeretur de aceto, dico quòd correctum prodest, & non obest. Post 8. uel nouem syrupos capiat in aurora hanc potionem, & per horam superdormiat, & post 5. horas capiat cyathum brodij pulli macri, cũ unc. s. sacch. quod duarum coctarũ dicitur, dein ad horam prandere præstat. mane uerò sequenti capiat unc. s. sacch. ros. per horas quatuor ante cibum. Est autem hæc potio: ℞. agarici trochiscati drach. 1. s. bulliat una ebullitione in decoc. passularum, liquiritij, cartami, senæ, polypodij, stichados, iuæ, & flor. cordialium, & fiat expressio: cum qua dissolue diacathol. diacasiæ ana unc. s. elect. Indi drach. 2. s. syrupi uiol. unc. 1. & fiat potus. Post hæc mense Maio consulo, ut se ad balnea naturalia conferat, quæ multa in Italia huic malo reperiuntur salubria, ut sunt balnea sancti Philippi & Petrolei in Agro Senensi, in agro Lucano balneum de Torseno, & sanctę Mariæ in agro Foroliuiensi: hoc quidem est balneum securissimum, ad quod sexcentos ego iam agros transmisi, & semper mihi res ex animi sententia successit. Est & aliud balneum in comitatu Parauino sanctæ Helenæ. Et in his omnibus sunt ἐμβροχαί, quas uulgò ducias uocant, huic nostro instituto conuenientes. Et sic ad unam istarum poterit in mense Maio futuro se conferre. Mihi autem placet Ducia sanctæ Mariæ in Bagno: laudóque ut ibi capiat Ducias ad dies sexaginta. Primùm conuenit ducia debilis, hoc est per mediam horam stet sub ea. Secundo augendo tempus perseueret ad horam, & sic paulatim à debilioribus ad fortiores ascendat, & cùm duciam in capitis parte anteriori, quam βρέγμα uocant, octo dies acceperit, capiat etiam post in occipitio totidem dies. Et postquàm autem sex uel septem dies eam semel assumpserit, ingrediatur aliquando in balneum, & totum ita corpus balneando. Interim uictus ratione utendum, ut hospites illius loci præscribunt in iis rebus probè instructi. Et si aluus nõ cita est,

uti expedit clyſterib.communibus,ut alij faciunt.Eſtq; apud ſanctam Mariã in Bagno fons ſalientis aquæ,de qua biduum poterit bibere,ut fieri ſolet de aquis Thermalibus.Et hoc poſtquàm aſſumpſerit ducias per 30. dies,uel plus uel minus ſecundũ tolerantiam.Sin autẽ ad Thermas ſanctæ Helenæ ſe conferat, bis bibat de aqua Ebani antequam ponat ſe ſub duciam,bibendo uſq; ad cyathos decẽ pro qualibet uice,modo quo alij potabunt. Sed ut uerũ fatear,balneum Petrioli,& ſancti Philippi,mihi nõ admodum probatur.Poſt has uerò ducias ad Bononiam ſe conferre poteſt,cũ modeſta ſemper uictus ratione,& in ſex rebus nõ naturalibus, ut ſuprà demonſtratum eſt.Conſulo autem ut ſingulis mẽſib.capiat drach.1.harum pilularum:aſſairet drach. 3.Agarici trochiſcati drac.2.Rhabar.el.drach.1.s.ſquinãti ſcrup.1.coloquintidæ interioris ſcrup.2.pæoniæ gra. 5.cum aqua iuæ fiant pil.numero 5.ex omni drachma. ex his autem 5.capiat cũ petit lectum,prӕterquàm in temporib.admodum calidis & frigidis.Tempore autẽ hyemis laudo ut ſingulis hebdomadis bis capiat ſcrupul.2.boni mithridati poſt cœnã,per ſex horas,aliquãdo loco mithridati capere conuenit bolum huius cõfectionis caſtaneæ inſtar:Rec.conſeruæ iuæ,conſeruæ ſticados ana unc.1.Et hoc per horas quatuor ante cibum. Mithridati uerò per horas 7.ante cibũ.In temporibus autem calidis utatur hac confectione:Rec.ſach.ſaluiati, conſeruæ anthos, ſacchari roſ.ana unc.1.miſce.Laudo etiam,ut nonnũquam cũ lectum petit, capiat granum unum thuris maſculi electi,& quando uno medicamine utitur,reliquis abſtineat. Item laudo ut ſæpe poſt pilularum aſſumptionem cùm dormitum ſe recipit,faciat poni parum de puluere,in ſincipite & parum fricari cum digito,in mane uerò cum pectine remoueatur. Rec.pulegij,ſandaracę,macis,coral.rub.roſ.rub.garyophyl.ana ʒ.1.miſce,& fiat puluis. Nonnunquam etiã poſt purgationes ſalutare omnino eſt abluere pedes et genua & brachia cũ hac decoctione calida:Rec.camomillæ, ſticados,roſ.rub.ſaluiæ,ana m.1.ſalis m.2.miſce, & bul.in una ſitula aquę,& ex ea fiat ablutio,& exiccatio.Facta exiccatione fiat unctio leuis,ex hoc oleo:Rec. olei oliuarum,& ſi eſſet omphacinũ præſtantius eſſet, unc.3.ſalis cõmunis unc.s.miſce & incorpora,& poſtea pone per ſex dies ad ſolẽ,& ex eo fiat unctio, & ſit calida.De quo remedio Aëtius in 12.inquit:operæpretium porrò eſt noſſe,quòd omnes,qui ſe præſeruare uolunt,ne in podagram cadant,& potiſsimũ ij,qui humida & frigida natura ſunt,maximè proſunt ſalis cum oleo quàm tenuiſsimè triti & aſtricti,nõ quidem tempore inflammationis,& doloribus inſtantibus,ſed cũ hæc remittunt:& hęc ad hanc affectionem ſufficere arbitror pro præſeruatione.De dolore autem & tumore, quo nuper moleſtatus fuit,cùm bene ſe iam habet,miſſa hæc facio:interim ſciat maximos quoſq; morbos uictus ratione medicari,& præſeruari. Quare hanc ego illi in primis commendo.

## EPIST. XV. AD FRANCIſcum *Paninum medicum doctiß.quæ exactißimè de tribus corporis humani facultatibus differit.*

SI ſerius literis tuis,quàm par fuit,aut quàm uelles & ego optarim,reſpondi:in cauſa fuere lectiones θεραπευτικῆς, quas publicè,ut ſcis, profiteor:& diſputationes quotidianæ,quibus arrectis aurib.tu etiã ſæpius interfuiſti,ut interim ſileam ægrorũ curas,quibus ita aſtringimur,ut uix reſpirare liceat.Cũ primum autem his negotijs aliquantulũ,non dicam liberati,ſed leuati fuerimus,literis tuis reſpondebo plenius.Nunc paucis his contentus ſis.proponis enim in fronte tuarum epiſtolarũ nodum quendam Herculeum,an facultatum trium corpus noſtrũ regentium,quas Plato animas appellabat,una amiſſa,neceſſe ſit etiam reliquas unà perire,quod Galenus modò apertiſsimè affirmare uidetur,modò autẽ aliter ſentire,uel paulò obſcurius loqui.Galeni igitur opinio,meo iudicio,eſt,quòd una harum ex toto amiſſa aliæ pereant.In nono autem medendi methodi inquit.Gubernant animal,ut in lib.de Hippoc.& Platonis dogmatis demonſtratũ eſt,tres diuerſi inter ſe generis facultates,toti corpori ex ſuo quodam fonte quæq; diſtributæ:eas Plato animas uocat, propriam uniuſcuiuſq; ſubſtãtiam inueniens.Eſt enim earum quędam ad nutriendũ animal neceſſaria,ac ſtirpibus communis iecur ueluti pro fonte habet.Canales uerò ab hoc in totum corpus ſparſos ipſas uenas:hanc ſeu appetitricem,ſeu naturalem,ſeu altricem appelles, nihil intereſt:ueluti nec ſi animã,aut facultatem uoces. Altera uerò,quæ non ſolũ in ſtirpibus,aut uita præditis,ſed etiam ut animalibus,nobis eſt inſita.Hæc ſedem in corde habet,ipſo quoque inſiti caloris ceu fonte,à quo canales arteriæ ſunt, uocatúrq; hæc multis ſanè nominibus:nam & facultas ſeu uirtus uitalis,& facultas ſeu uirtus animoſa dicitur.Tertia autem ratiocinatrix in cerebro domiciliũ habet.Ea uoluntarijs actionibus unà cũ ſenſibus præſidet:utitur & hæc particulis,ceu canalibus,nempe ipſis neruis,ſenſum motúmq; per hos in totũ animal tranſmittit.Ergo has facultates illæſas ſeruare,nihil aliud eſt quàm uitam ſeruare, ut quoq; demonſtratum eſt,una earũ amiſſa neceſſe eſſe reliquas quoq; unà ſimul perire.Hæc Galeni uerba clariſsimè nodum diſſoluunt.Vbi autem aliter ſentire uidetur Galenus,credo te dicere locum in 5.de locis cap.1. ubi inquit:Eſt autem in alijs quoq; demonſtratũ libris, cor innati caloris ueluti fontẽ eſſe, neq; animal omnino mori poſſe ni cor afficiatur.Quũ itaq; tres ſint partes principes,quibus gubernatur animal.Quippe præter cordis principatum,oſtenſum eſt,præter ſenſum & motum uniuerſis particulis corporis à cerebro ſuppeditari.Iecur uerò nutricis facultatis eſſe principiũ,ſemper mors immodicas ſequitur cordis intemperies:ſimul enim cũ ipſo omnes uitiantur partes.Quum enim ut oſtendimus,ipſę peculiari cordis temperie actiones ſuas perficiant:hac igitur intereunte,actiones quoque ipſarum perire neceſſe eſt.Ac proinde cerebri quoq; & iecoris:horum uerò temperie deperdita,non oportet ſimul cordis actionem perire.Si enim neq; ſentiendi, neq; mouendi ab electione facultatem animal habuerit,neq; nutritur,ueluti in latẽtibus euenit animalibus: nihilominus uiuere ipſum poſſe,quoad cor manſerit illæſum,haudquaquam negandũ eſt.Quippe uidemus ſæpenumero multis deinceps diebus,alios neq; intelligere,neq; ſentire,neq; etiam moueri,at nihilominus uiuere:Quemadmodũ quis ob uirium hepatis imbecillitatem ſine alimento permanens,diutius etiam ſufficere poteſt.At ſi cor reſpiratione priuatur,hominem illico perire neceſſe eſt.Hæc Galeni uerba ut ambigeres, arbitror,fecere,ac ſi inuicem repugnẽt.Nam paulò obſcurius,& diuerſius ſonant hæc,quàm illa in 9.metho. med.Sed ut defendam Galenũ,ne ſibijpſi contradicere uideatur,ſcito Galenũ ſic uoluiſſe dicere:Ex malo cordis affectu facultates cerebri & iecoris citius perire, quàm facultatẽ cordis ex malo cerebri & iecoris affectu:quæ ſi & ipſa ex his affectis pereat,non tamen ſic illico peribit,ut cerebri & ipſius uirtutes,quę ſtatim læſo corde deficiunt.Quòd autem cordis functio læſa uelocius cerebri facultate pereat,in eodem loco dicit Galenus,uitiato tãtummodo ſuperno principio,ut in uehementi ἀποπληξία laborantes ſubitò moriuntur.Et hoc potiſsimum cũ muſculorum actio thoracem mouentium omnino pereat,unde reſpiratio ipſa aufertur,& cordis temperamentũ ſoluitur.quò fit tandem,ut animalis ipſius neceſſariò ſequatur interitus.Atq; hac ratione per uehemẽtes ſuperni principij læſiones animalia perire uidemus,ſed non ſic ſtatim,ut ex cordis læſione,quod uerbũ tandem in cerebri affectu poſitum declarat.Idem de iecoris affectu,ex quo cordis temperamentum tollitur,ſed ſpatio diuturniore,cenſendũ eſt. Ait enim: Aliter porrò euenit, ubi iecur affectum eſt, quod tum ob inediam moriantur,uerũ per longa temporis interualla in huiuſmodi affectibus uitam protelare poſſunt.Ex his Gale.uerbis ſenſus clariſsimus abſq; ulla penitus dubitatione,apparet,una harũ uirtutum amiſſa,alias quoq; perire neceſſe eſt,ſed non æqualiter. Hę enim principes partes,ut ſe mutuo defendãt,multo pręſidio egent,ut eleganter differit Galenus de fœtuum formatione. Cor quippe(hoc enim ſolum animal regere nonnulli exiſtimarunt,)ubi reſpiratione fuerit priuatum,& ipſum moueri deſiſtit, & cum ipſo totum etiam animal interit. Priuatur autem reſpiratione nõ ſolum in his,qui laqueo ſuffocantur,aut ex inflammatione faucium obſtructo ſpirandi meatu,uerum etiam neruis,qui thoracem mouent,uel præciſione uel colliſione,

liſione, uel laqueo oppreſsis: qui omnes à dorſi medulla, quemadmodū ipſa à cerebro, originem habēt. Sicut igitur cerebrum ad ſeruandum cor cōducibile eſt, neruis uerò thoracem agitando, quo diſtento inſpiratio, contracto uerò reſpiratio fit. Eodem modo cor ipſum uſum quendam cerebro præſtat. Atq; his utriſq; iecur. Hæc Galenus. Et ſi ab eo ipſo ſæpius, & potiſsimum in lib. de placitis Hip. & Plato. unum ex his principiis ope alterius non egere, demōſtratum ſit, id de propriis functionibus obeundis intelligendū eſt, nō autem de uita diutius ſeruanda. Quandoquidem Galeni in illo libro intentio eſt omnino contra Ariſtotelem, & Theophraſtum, qui arbitrabantur omnes, quæ animal gubernāt, facultates à ſolo corde procedere. Tria enim ſunt in homine principia, non unum tantùm, ut Plato diſſerebat, uidelicet, cordis, cerebri & epatis, quæ nos regūt, quod euidentiſsimis rationibus probat, quibus nullo modo refragari poteſt. Vult enim à corde eſſe principium pulſuum & innati caloris. Cerebrum uerò animæ domicilium, & ſenſus & motus & rationis. Iecur uerò altricis facultatis principium, & ſanguinis per totum corpus diſtribuendi, & concupiſcibilem uim in eo poſitam eſſe. Neq; in his functionibus una alterius auxilij eget. Si enim, ut in ſecūdo probat, cor denudaueris, & ipſum manu apprehendas, & comprimas, ac collidas, non tamen ob id ſpiratione, aut uoce, aut aliqua motus uoluntarij functione priuari uidebis animal, nec etiam ſi è corpore auulſum fuerit. Conſpicitur equidem hoc in multis ſacrificiis, quæ de more peragi conſueuerunt, in quibus interdum uictima erepto corde, ariſque impoſito, cū reſpirare & clamare, tum etiam fugere uiſa eſt, quoad per ſanguinis profluuium conciderit, licet quatuor uaſis magnis diuulſis, citò fiat ut ſanguine exinanita intereat: Quādiu autem uixerit reſpirat, & uocem edit & currit. Ex his Galeni uerbis elici poteſt, functiones uocis & motus, quæ à cerebro producuntur permanere, corde non permanente. Non igitur à corde omnes corporis, ut Ariſtoteles arbitrabatur, operationes proueniunt, ſicuti etiam de cerebri operationibus probat. Si enim cerebrum detractis oſsibus aperis, & aliquem ex eius uentriculis comprimis, ſtatim efficies ut animal non ſolum mutum, ſpirationéque orbum, ſed etiam omnibus prorſus ſenſibus, motionibus uoluntariis priuatum collabatur: Sicut in tauris quotidie uidere licet, quibus dorſi medulla, qua ad primam colli uertebram exortus eius atq; initium eſt, abſcinditur: ſubitò illi nedum currere, ſed ne latum, quod aiunt, digitum, amplius progredi poſſunt, cùm unica inciſione illa & reſpiratio, & uox quarum origo à ſuperioribus partibus defluebat, cōtinuò euaneſcat. In quibus tamē uidere eſt cor cum arteriis omnibus poſt ictū aliquando adhuc pulſare: quia pulſus illius principium, à cerebro non eſt. Poſt hæc Galen. contra Ariſtotelem inquit. Quemadmodum enim motiones hæ genere diuerſæ ſunt, ita neutra alterius principio eget. Eſtq; cor proculdubio pulſuum, cerebrum uerò uoluntarij motus fons atq; origo. Neq; ulla ratio afferri poteſt, quæ omniū in animanti functionum atque officiorum unum tantùm eſſe initium cogat. Hæc eſt, Franciſce doctiſsime, nodi tui mea enodatio: qui ſi apertè diſſolutus eſt, Deo habeo gratiam: ſin minus, imbecillitati meę, & multis negotiis, quibus ſubinde aſtringor, aſcribito. Et uale.

## EPISTOLA XVI. AD ANGElum N. *philoſophum & medicum.*

### De *ratione pulſuum.*

IN Laruarum feriis, Angele doctiſsime, cùm me ſtudioſiſsimi diſcipuli quotidianis precationibus inſtigarent, ut illis aliquid de ratione pulſuum legerem, equidem diu ſum reluctatus, quod cùm iam laboribus & ſtudiis meis aliquam reſpirationem impetraram, mox in grauiores me inuoluerem. Nam ut inquit ille, quod caret alterna requie durabile non eſt. Dicebam quoque autores utriuſque linguæ clariſsimos multa, quæ ad hanc rem pertinerent, diligentiſsimè ſcripta poſteris reliquiſſe. Sed quantò ego uehementius ueniam deprecabar, tāto illi magis inſtabant. Verùm ut pleniori obſequio demererer amantiſsimos mei, negotiū ſuſcepi, & ſi eadem dicam oportet, aut fortaſſe etiā deteriora. Elegi librum Galeni de pulſibus, qui inſcribitur περὶ σφυγμῶν πρὸς τοὺς εἰσαγομένους, id eſt, de pulſibus ad tyrones. Et cùm in principio occurriſſet autoritas illa celebris, igitur omnes inter ſe arteriæ & cor habent eandem pulſandi rationem: pro cuius dicti explanatione recitaui opiniones recentiorum medicorum: primo, pluſquam Commētatoris, qui nititur probare omnes arterias expandi corde conſtricto, & cogi eo aperto, præter arteriam uenalem, quæ cordi conſimilis mouetur: & hoc in 2. Artis medicinalis commēto 35. ponitur, & 40. & Galenum taxat aſſerentem omnes arterias pulmonis, dilatato pulmone dilatari. Poſt hāc opinionem adduxi Nicolum in 4. de anatomia pulmonis, & cordis, reſpondentem rationibus monachi. Nec præterij opinionem Conciliatoris tenentis arterias omnes corde compreſſo, dilatari, & econtra diff. 80. & adducit Galeni autoritatem in compendio pulſuum: quem librum, ut ingenuè fatear, non credo eſſe Galeni: & ſi eſſet Galeni, omnino ſui eſſet diſsimilis, ut ex pluribus eius dictis, quibus nullo modo refragari poteſt, demōſtraui. Quæ omnia cùm audiſſes, & diligenti quadam indagine apud Galenum perluſtraſſes, rogaſti me, ut dubium hoc apud medicos nodo quouis Herculano indiſſolubilius, in ſcriptis, ſicuti uiua uoce declararā, redigerem. Statim arrepto calamo petitioni tuæ obſecundare, ut debeo, cœpi. Singularis enim tua in me beneuolentia, & ingenij acumen effecerūt, ut tibi parêrem: primò igitur opinionem, quam Gale. eſſe arbitror, in medium adducam, & aliorum quoq;, qui huic aſtipulantur, ut Ariſtotelis: & rationibus efficaciſsimis eam corroborabo. Deinde eorum qui aduerſam tenent, & eorum rationes, quibus hanc Gal. opinionē conantur diluere, recenſebo. Dixi autem quā Gal. eſſe arbitror, propterea quòd hæc Gal. res dubia uiſa eſt. In 7. enim de adminiſtration. anatomicis, docens quomodo in animali uiuente cor detegendum ſit, non perforato thorace, & quorſum hoc conducat quærens, dicit primū ut quali modo cor pulſet clarè cōſpiciamus, & num quādo attollitur, thoracē feriat, pectoris regionē accedēs, an tempore, quo dimittitur. Secundū eſt, ut magna in animali arteria detecta, ſicut illā me quę apud inguina habetur, nudare conſpexiſtis, exactè conſideremus, utrū quādo cor attollitur, arteria ſubmittatur, & quādo cor demittitur, ipſa attollatur. An ambæ eodē tēpore & ſubmittantur & eleuentur. Tertium ut digitis uel etiā forcipe cor accipientes, quēadmodum ego factitare conſueui, quòd facilè ipſum digitis exiliret: intueamur ergo quali nam ſymptomate animans corripiatur: & ex his Galeni uerbis ipſum in his hæſitaſſe facilè quilibet deprehendere poteſt. Quod tamen in hanc uidelicet opinionem arterias ad cordis motum eodem modo moueri, plura eius loca clarè oſtendunt: ſecundo enim de præſagitione ex pulſibus, in cap. quid ſignificēt pulſus, qui in una diſtentione duos habent ictus: uoluit cordis facultatem pari impetu diſtendi & contrahi ad functiones, ſi corpus fuerit in ſua naturali diſpoſitione. Et idem de arteriis aſſerit. Si uerò à naturali diſpoſitione uariāt, ita cor & arteriæ uariant. in 3. de præſagitione, in cap. cor calidius & arterias frigidiores, qui ſequantur pulſus, inquit: Nunc de arteriis diſputemus, cùm aliter, atque cor, affectæ ſint. Cùm illud inquam iuſto calidius ſit, arteriæ frigidiores: quòd autem humores contineant frigidos nondum putreſcentes, aut ſi qua polleat alia frigiditas, his tamen neceſſe eſt ex ſuo proprio affectu frigidis eſſe, ac calefieri à corde. Quia uerò & facultatem quæ ipſas moueat à corde mutuantur, unáq; eſt contentio, quæ unà cum corde diſtendat arterias atque contrahat, quiddam neceſſe eſt motui cordis conueniat cū motu ſingularum arteriarum, & aliquid inter eos interſit. Nam motuum prima exordia in idem incident tempus, ſiquidem ab illo facultatem citra omnem offenſionem recipiant. At magnitudinem, & celeritatem, & uehementiam, non æquè ex utraque obtinebunt. Sed cor tunc ſingulis arteriis maiorem, celeriorem & uehementiorem pulſum habebit. Etenim motus illi principium à corde habent. Ratione uerò ſui motus ſingulæ prout cordi conſentiant: cōſentiunt autem quæ ſimili ſunt temperamento, quomodocunque cor agat. Quæ diſsimili, quatenus ex illo immutatus fuerit. Quocirca arteria frigida, poteſt à corde calefacta, nec paruum pulſum, qui frigidę eſt, edere, nec magnum qui calidæ, ſed inter utrunque medium, qui moderatus eſt & naturalis. Quod dico clarè intelliges, ſi altera manu eodem tempore cor, altera uerò aliquam arteriam

tangas:principium enim motuum unà aduertes fieri. Sed diſsidebunt magnitudine,celeritate & uehementia. Hæc Galenus. Ex quibus clarè apparet,cor cum arterijs eodem modo contrahi & diſtendi,dummodo animal ſit citra offenſionem.In differentijs pulſuum ſecundo in definitione Bachij, probat Galenus Bachij opinionem confirmans,arterias diſtendi & contrahi ſimul cum corde: & dicit Eraſiſtratios falsò Bachium accuſaſſe,id aſſerentem quod res ipſa demonſtrat:ubi ponit,cùm animal ægrotat,non ſimul omnes arterias pulſare.Eraſiſtratus autem contrarium opinabatur,ut paulò pòſt demonſtrabimus.idē de dignoſcendis pulſibus in 2.in cap.cui titulum fecit optima natura moderatum pulſum habet.Ad quem exceſſuum alij collati & defectuum nominibus appellantur.At exordiēda hoc modo dubitatio eſt,dicendúmq; nō poſſe omnes,quæ in corpore ſunt,arterias neq; eſſe æquales inter,ſe,neq; æqualiter diſtendi.Quî enim poteſt dorſi arteria arterijs colli,uel inguinum par eſſe,uel eius diſtentio illarum diſtentionibus? Atq; multò minus arterijs ulnarum atq; poplitum.Atq; minus arterijs temporum,digitorúmq;.Nō poteſt itaq; pulſus unus in quātitate diſtentionis moderatus eſſe,ne etiam ſi optima ſit natura,ſed motu & robore,cæteríſq; generibus unus eſſe per omnes arterias poteſt:Aliæ tardius,uehementius, languidius,durius,mollius, crebrius, rariúſq; pulſare: ſed ſimilem,tum inter ſe mutuo,tum cū corde motum omnes neceſſum eſt,habeant.Magnitudine uerò,ut eorum differunt corpora,ita diſtentiones uarias par eſt ut habeant,ut Galenus etiam de uſu pulſuum dixit.At Auicenna,quia inquit uiſcus cor eſt,ex quo naſcuntur procedúntq; arteriæ,atq; etiam eundem cum illo motum cuſtodiunt:itaq; incommoda motus eadem ſentiunt.Et in eodem tractatu dixit:Huius autem duplicis & compoſiti motus arteriarum, quem nunc pulſum appellamus,autor & origo eſt cor,ſicuti tum à nobis, tum alijs quoque ante nos quàmplurimis eſt proditum.Non tamen ad eū modum,quo Eraſiſtratus exiſtimauit,ſed ſicut Herophilus & Hippocrates,& fermè philoſophorum & medicorum ueterum probatiſsimi quiq;.Nam ſi in ipſo cordis corpore uis illa,unde contrahitur & dilatatur,ea quæ oſculis ſuis appropinquāt trahit,cùm contrahitur expellit: ſic & arteriæ cùm ſe aperiunt, ad ſe undiq; trahunt:& cū contrahuntur,in omnem partem expellunt.Hi motus autem quomodo fiant,paulò pòſt clarius demonſtrabitur,ſi prius quid Herophilus,& Eraſiſtratus hac in re ſenſerint ex Galeni lib.4.de different.pulſuum declarauero:ex quorum opinionibus ſenſus difficultatis noſtræ aptè demonſtratur,in cap.cui titulus eſt,Pulſuum uariæ differentiæ. Alia præterea maior diſſenſio medicis antiquis de arterijs fuit:Nam eas quidem ſua ſponte dicebant pulſare, ac cor ea ui moueri:ex qua ſchola etiā Praxagoras fuit. Alij uerò pulſare quidem,(nam ipſarum diſtendi tunicam parum contrahíq;,non ſecus ac cor)ſed facultatem non habere,qua hoc agunt,innatam,ſed cordi referri acceptam:in qua opinione Herophilus.Eraſiſtratus uerò neutrum probat:contendit enim pulſare contra,ut cor,arterias: illud enim cùm diſtenditur,repleri eo,quòd comitatur uacuatum.Arterias,cū replentur, diſtendi:Repleri autem immiſſo à corde ſpiritu,dicunt. Simul itaq; fieri utrunq;, neceſſe eſt,diſtentionem & repletionem earum.Verùm alteram antecedere, alternationem cauſæ obtinentem,in corde diſtentionē,repletionem in arterijs,ut cernitur & in externis rebus. Folles fabrorum quia diſtenduntur,proinde replētur: ſacci,culei,utres,quòd impleantur, idcirco diſtenduntur.Hęc ibi Galenus de Eraſiſtrati opinione ad uerbum, quam in multis locis reprobauit,præſertim de uſu pulſuum in longum.Poſt rationes contra Eraſiſtratum tactas,ſubinfert,ueluti corollarium,opinionem ſuam lepidiſsimè & dilucidiſsimè declarans. Neq; enim eo quòd implentur arteriæ,idcirco dilatantur,uerū ex eo quòd dilatātur idcirco implentur.Atq; hoc quidem & ſæpe & paſsim,tum à nobis ipſis,tum ab illis,qui nos præceſſerunt plurimis eſt demonſtratum, arterias ita ut cor ſeipſas mouere,uiciſsim ſe attollētes,ſubmittentéſq;,idq; eadem qua ipſum ui,quam ſcilicet à corde ortam per tunicas earum tranſmitti diximus.In 3.etiā de potētijs naturalibus,& 7.de placitis Hippo.& Plat. mētionem fecit.De hac Eraſiſtrati opinione,quam tanquam falſam reprobauit,quæ uolebat quòd corde dilatato arteriæ cōtrahantur,& econtra.In principio autem ſeptimi de placitis Hippocra.& Platonis,numerauit duplex genus arteriarum:primum quod à ſiniſtro cordis uentriculo propagatū,à quo ueluti à caudice totius corporis arteriæ deſcendunt,quæ omnes tum ſibi inuicem,tum cordi pulſandi modo reſpōdent.Omnes hæ Galeni autoritates concludunt,quòd corde dilatato arteriæ dilatentur,& conſtricto conſtringantur.Galeni quoq; autoritas 3.de ſymptomatum cauſis hanc noſtram opinionem affirmat. Cuius opinionis prior fuit Ariſtot.in libello de morte & uita,qui dixit:Et uenę quoq; omnes ſimul pulſant,eò quòd à corde omnes oriuntur.Cùm itaq; cor ſemper moueatur,& illæ ſemper & ſimul unà mouentur,quando & cor mouetur. Haliabas quoq; 7. Theoricæ idem teſtatur, & Hali.2. μακροτεχνῆς apertiſsimè hoc aſſerit,multíq; alij uiri peritiſsimi huiuſce fuere opinionis.Ratione quoq; id confirmari poteſt,experientiáq; conſtat,cor,latus pectoris percutere quando dilatatur,quomodo tēpore pulſus ex dilatatione arterię in brachio ſentitur,ut in ſeipſo quilibet facile experiri poteſt.Quod autem pluſquàm Commēt.& Cōciliator,& recentiores alij dicunt,cor, pectus percutere dum conſtringitur,friuolum eſt.Ideo enim cor dilatatur quòd ſanguine & ſpiritu incaleſcente,humidóq; in tumorem eleuato extenditur in omnē διάμετρον cor:quod in peni ex concupiſcentia exurgente,& in ueſica & ſpongia,aqua plena,facilè conſpicitur.Cor igitur & ſpiritibus & ſanguine ab ipſo excocto,& excrementoſæ fuliginis copia tumeſcens,partim ex calidi,partim ex animæ potentia,iuxta omnem diametrum extenditur,quò magis refrigerari queat.Si igitur quando aperitur,ſurgit & longius efficitur,conſentaneum eſt eo tempore mamillam percutere,quo & arteria ipſa attollitur.Primùm aër ab omnibus arterijs attractus,non poteſt in cor,dum conſtringuntur, impelli.Cor enim à primis & proximioribus attrahit arterijs,ut declarabitur,quæ expulſo in cor aëre,ſtatim conſtringi debent.Aër uerò,qui in poſtremis & medijs à tergo remanet,quomodo ad cor mitti poteſt? cū iter in maximis prope cor arterijs ſit occluſum.Vel dicere oportet aërē in extremis arterijs,utpote prope cutim exiſtentem prius in cor mitti,feriente aëre,qui in magnis prope cor arterijs exiſtit.quod omnino ridiculum & abſurdum.Primùm parum uериſimile eſt aërem totum ab omnibus arterijs corporis tractū in cor immitti,cùm tanto non egeat.Eſt enim magna aëris copia,quam nec capere poteſt,nec tāta indiget.Sed ſecundum opinionem recentiorū malè attractus poterit & cor ipſum & calorem proprium refrigerare.Siquidē in dilatatione à corde arteriæ attrahunt ſanguinem,ſpiritum,aërem in corde ſupercalefactum,& factum inutilem pro refrigerio,& attrahunt ab exterioribus aërem frigidum,qui commiſcebitur cum ſanguine,ſpiritu,& aëre inutili calidioribus, quàm ſit aër attractus frigidus,ex quo incumbente magna refrigerij neceſsitate, non poteſt attractus aër frigidus ſatisfacere. Præterea ubi calidus extrà pellendus,in cor frigidus immitēdus, ſimul ſint commixti:ubi erit talis animæ uirtus diſcretiua,quę more animalium utile ab inutili ſeparans,hoc extrà,illud uerò intrà pellit? Folles uerò fabrorum & aërem calidum & frigidum attractū eodem modo expellent? primùm,nónne alterum alter impediet? uerùm difficilimū erit cauſam aſsignare in febribus pulſus diuerſitatem,quòd ſcilicet in putridis συστολὴ ſit maior διαστολῆ. in ἑκτικα uerò & ἐφημέρα econtra,ut tradunt Galenus & Auicenna.Quomodo maior copia fuliginum ex maiori ſyſtole excipi poterit,in minore diaſtole? & ecōtra de aëre frigido:uerior quoq; & magis rationi & experientiæ conſona Ariſtotelis opinio,quòd ſcilicet dilatato corde dilatentur arteriæ,& conſtricto conſtringantur,quàm recentiorum opinio,quæ huic omnino contraria eſt.Videtur tamen Galeni & Ariſtotelis opinio nonnullis ſubobſcura eſſe,quomodo aër in cor poſsit immitti,niſi ex arteriarū preſſura fortiter impellētium ipſum in cor,& corde conſtricto fumidus aër ab arterijs dilatatis excipiatur.Hoc dilucidè declarat Galen.in lib.de uſu pulſuum poſt textum hunc,haud ita multò ante ab ipſo declaratum.Poſtquam dixit arterias dilatari & non ſtringi cordis modo,non ut arbitrabatur Eraſiſtratus, ſed ut Herophilus,Hippoc.& probatiſsimi quiq; philoſophorum & medicorū:Subiūgit,dum cor dilatatur attrahit quæcunq; proxima ſunt oſculis ſuis,

ſuis,& cùm contrahitur expellit. Sic & arteriæ cùm ſe aperiunt,ad ſe undique attrahunt, cùm contrahuntur in omnem partem expellunt. Et quia modus hic Galeno uiſus eſt ſubobſcurus, uolens illum manifeſtiorem reddere,inquit:Quid autem hoc uult,quòd undique & in omnem partem dixi,adhuc clarius faciam.& ſic modum declarare incipit,inquiens: Numeroſi in arteriis meatus, partim ueluti ſpiramenta in earum ſunt tunicis,partim oſculorum ſpecie in inteſtina & uētriculum & externam hanc cutim finiuntur. Quinetiam continuatæ tum ſibi,tum uerò cordi maximis ſcilicet meatibus,uel potius uniuerſis ſuis capacitatibus ſunt: uenis uerò non perinde magnis,ſed his quorum communes de una in alteram tranſitus ſenſum noſtrum effugiunt: pòſt probat hoc Galenus ex arteriis in animalibus uulneratis,à quibus totus ſanguis animalis euacuatur, tū is qui in arteriis eſt,tum quoque qui in uenis eſt,ut ipſe ſępe fecit periculum.Et ſic probat uenam eſſe opinionē de communibus tum uenarum tū arteriarum oſculis, & de communi ab una in alteram tranſitu.Quippe per hos tranſitus arteriæ dilatatæ ex uenis trahunt,contractæ uerò in eas regerunt.Sicuti nimirum per ora quæ in cutem finiuntur,quicquid halituoſi fumidiq; excremēti habent id excernunt.Recipiunt autem ex circundato aëre nō exiguam in ſe portionem.Atq; id eſt quod Hippocrates foras intróq; ſpirabile totum corpus dixit.pari modo ex uentre & inteſtinis tum attrahunt,tum rurſus expellunt.Itidem & per tenues meatus,quos ueluti ſpiramenta per totas habent tunicas,ex circumpoſitis ſpatiis uiciſsim trahūt atq; expellunt. Opinio igitur Galeni ſic intellecta rationi conformis,quā non intellexere recētiores,putantes aërem trahi ad cor ſolùm ex ore & naribus,& à partibus cutis exterioribus tanquā per canalem cōtinuum,qui in nulla parte poſsit ſtillare,utpote in quo nihil foraminulenti inſit,& per tractus ab arteriis pedū rectà ad cor pellatur, quod falſum eſt.Siquidem arteriæ pedū non tantum propter cor,ſed propter ſeipſas,ut calor earū refrigeretur,tum ut à fumidis fuliginibus emundentur:quòd autē propter ſe contrahantur & attollantur, phlegmon in pede exiſtēs comprobat, in quo maior contractio & eleuatio ſentitur quàm in corde:cor ergo attrahit à uicinioribus partibus,& ſic illæ propinquę ab aliis uicinis,& ita fit expulſio fumi excremētoſi.Nō enim totus per os & nares & extremitates cutis ſimul expellitur.Sed in proximiores partes à corde,& arteriis,& fit per tenues meatus ueluti per ſpiramenta quædam & riuulos flexuoſos.Et hoc ſimul fieri à corde & ab arteriis quilibet qui hæc Galeni loca uel ſummis labris tetigerit,facilè intelliget.Imò Galenus 8.de anatomicis aggreſsionibus exprimēto probat aliquid ſpiritus ex pulmone in thoracem tranſmitti,per ueſicam orificium habentem, quæ orificio facto inter coſtas thoracis appoſita,ita graphicè ut circulus ueſicæ ſit ęqualis labro uulneris,ut ſpiritus nō poſsit aliò niſi in ueſicam tranſire,& euidēter cognoſcimus in expirationibus ſpiritum in ueſicam aduenire.Quod autem decepit Conciliatorem,fuit Galeni textus ex compendio pulſuum,qui Galeno adſcribitur,ex quo colligitur quòd dilatato corde,conſtringantur arteriæ,& ecōtra.Vnde auſus fuit dicere differentia 80.Galenū ſibi ipſi contradicere.Siquidem uiderat alios Galeni textus contrariū inſinuantes:ſed danda eſt uenia homini alioquin doctiſsimo,& inter omnes maximæ lectionis. Neque hoc ignorantiæ ſuæ adſcribēdum,ſed iniquis temporibus,in quę incidit.Erant enim illa tēpora in quibus non ſolū Galeni opera non tralata erāt,ſed autorum bonorū ſi quid erat penè interierat.Et nonnulla adeò deprauata,adeò mutila,& manca,adeóq; obſcura ut Δηλίου κολυμβήτου indigeant,& facilius quis ſphingis αἰνίγματα reſoluiſſet. Libellus autem,qui inſcribitur compēdium pulſuum,non eſt Galeni:nam hactenus inter Gręcos libros non inuētus.Etſi maximè ſciam Galenum de libris propriis poſt omnes pulſuum libros,quos nunc apud nos latinitate donatos habemus,dixiſſe in hūc ſenſum.Porrò quoq; libellum ſexdecim librorum ſupradictorum compendium ſcripſi,& præter hos omnes,octo libros de pulſuum tractatione Archigenis,unúmq; uſus eorū complectentur:compēdium autem hoc non habetur, nec de pulſuum tractatione Archigenis extat. Hoc autē compendium,quod in translationibus barbaris Galeni habetur,non poteſt eſſe 16.illorum lib.compēdium, ſiquidem uix uerbulum pro libro contineret, cùm ſit breuiſsimū, nec ſchedulas duas in duabus paginis expleat, præter quòd multa Galeno contraria continet. Imò Galenus ipſe de propriis libris cùm loquitur de libris pulſuum dixit, nonnullos quæſiſſe, cur febricitantium pulſus non proprio nominaretur nomine. In compendiolo reperitur de pulſu febricitantiū,quòd Galenus dicit ad introducendos non feciſſe, nec de cauſis pulſuum: & rationem reddit, quam dimitto. Arbitror igitur hanc Galeni fuiſſe opinionem. Quicquid dicant recentiores liberum erit. Ego autem ex Galeno hoc collegi: ſi quis uerò rectius ſenſerit, & obelo à me malè dicta confoderit, gratiſsimum mihi erit, paratúſque ſemper ero παλινῳδεῖν. Vale, & me ama.

## EPIST. XVII. AD MAGNIFIcum *Rectorem quid ſit uerticelus,polypus,cochlea,ſpondylus, &c.*

LEgi Rector magnifice,literas tuas doctas & iucūdas,in quibus petis à me,ut dubia quædam tibi declarem.Fuit certè id mihi uehementer gratum, quòd tu homo ſingulari ingenio, elegantíque doctrina,tantum mihi tribuas,quantum nec mereor,nec poſtulo.Intelligas,nihil à me tibi unquam poſſe denegari, licet nemo hodie ſit in terris me uno occupatior,in quibus,ipſe noſti.Sed negotiis his meis accedit per negotia tua nonnihil leuaminis.Primùm ſcribis te ambigere,quid ſibi Galenus uoluerit in 2.particul.Aphoriſ.18. cùm inquit,eorum quæ uniuerſim & celeriter nutriūt, ueloces quoq; fiunt excretiones,enumerando ea quæ tardè nutriūt, poſt carnem bubulam,& cochleas enumerat uerticelos marinos.Quid ſint uerticeli marini,aſſeris profeſſorē publicum alioquin uirum doctiſsimū ingenuè confeſſum eſſe,ſe neſcire.Sciſcitaris igitur à me quid ſit.Conſului ego ſtatim Græcum textum,qui ſic habet,καὶ κοχλίαι καὶ σπόνδυλοι θαλάττιοι:quæ Leonicenus tranſtulit,& cochleæ & uerticeli marini. Spondylus enim Galeni uerbum eſt,& eſt ſpecies polyporum,ut inquit Plinius 32.naturalis hiſtoriæ cap.ultimo, cuius titulus eſt,animalium omnium in mari degentium centum ſeptuaginta ſeptem genera eſſe.Numerans polyporū genera dicit,pectines,pectūculos,purpuros,percides,pinnam, pinnotheras,rhombum,ſcarum,ſoleam,ſargum, ſcyllam,quam etiam Gale.in eodem loco eſſe eiuſdem ordinis inquit.Et ſpondylum in his ſpeciebus cum multis aliis recenſet.Polypi autem ingenium ſcripſit diligentiſsimè Plin.lib.9.cap.29. Præterea Lucianus in ſermone Menelai & Protei:ſcribúntq; colorem mutare maximè in metu. Nam perſequentibus piſcatoribus petris affigit ſeſe,& cuicunque petræ adhæſerit, eius colorē corpore imitatur, uidelicet ne queat deprehēdi.Plutarchus in libello, cui titulus, quomodo ſint adoleſcentibus audiendi poëtæ, teſtatur polypum eſu eſſe ſuauiſsimum,& eſculentum, cæterum ſomnia parit triſtia,ac prodigioſa,unde huius eſum interdicebāt iis,qui cuperent ex inſomniis præſcire futura,quemadmodum etiā fabarum. Inquit autem Plinius loco iam dicto plura polyporum eſſe genera,terrenum uidelicet,& marinum. Sed terreni polypi maiores ſunt,& omnes brachiis,pedibus,manibúſq; utuntur,& uſus eius in medicina maximè.In tertianis ab eodem Plinio commendantur.Galenus autem de ſpondylo 3.de alimentorum facultatibus in capite περὶ τῶν ὀστρακοδέρμων ζώων,id eſt,de animalibus teſtatis ait, quoniam quidē id quo totum animalis cuiuſq; corpus,ceu adnato quopiam ueſtimento tegitur,cutis appellatur,eiq; buccinorū,purpuræ,oſtreorum,hiatulæ,& quęcunq; huiuſmodi ſunt cognomentum proportione reſpondet.Ideo hæc animalia oſtracoderma gręcis dicuntur.Nam teſtę omnino aut lapidi ſimile eſt operimentū illud,quo foris obducuntur.Omnibus porrò illis commune eſt,ut ſalſum in carne contineāt ſuccū,aluum ducentē:id uerò magis,illud uerò minus,ut natura datū eſt,pro qualitatis uel quātitatis modo.Siquidē oſtrea inter alia teſtacea molliſsima conſtāt carne. At paruæ chamulæ, uertibula, ſolenes, purpurę,buccina, omniáque huiuſmodi dura carne compacta ſunt.Non ergo abs re oſtrea aluum ſubducunt effi-

cacius,noſtrũ autem corpus imbecillius nutriũt. Quotieſcunq; autem græcus textus habet ſpondylon,latinus è Leoniceno uerſus uertibula uel uerticellos. Gandauus autem uertit uertibula. Sed fortaſſe autem dices, quid uerticellis cum ſpondylo? In hac autẽ Leonicenus tralatione ſummopere cõmendatur,quia & græcę & latinæ linguæ doctiſsimus fuit,& primus qui in illuſtrãda medicina à tetra barbarie, lucernam prætulit. Dico hominem optimè uertiſſe,ſicut Hermolaus & Marcellus in primo Dioſc. in cap. de rhamno hoc uerbũ ſimili uocabulo latinitate donarunt. Nam illa uox apud Græcos uertebras in animaliũ ſpina poſitas, eodem nomine dictas,denotat,quæ latinis uerticelli ſunt:ſic ob ſimilem figurã cum ſpondylis dorſi huius polypi rectè uerticellos tranſtulit Leonicenus, etiam ob ſimilitudinem uerticellorũ,quibus mulieres in fuſis utũtur. Rectè ergo uertit ad Gale.ſententiã. Cæterũ Paul. Aegin. de corio teſtaceo præditis dicit:chamæ præterea & purpuræ ſpõdyli,buccinæ,cochleæ,& reliqua. Torinus ille, qui nec cornu petit,nec pedibus ſpargit harenã, dereliquit uocabulum,ſicut multa alia. Ex hoc ſpõdyli optima apud antiquos fiebant ſalſamenta, ut Athenæus autor eſt. A ſpõdylo,qui pro uertebra capitur, nomen id ad multa translatũ eſt,ut herba ſpondylion à Dioſco. in 3. uocata, quæ phalangiũ & aſterion dicitur propter phalangiorum nonnullas ſpecies,quę in medio uentre os habent: ſicut uertebræ in medio foramen habent. In polypo à me uiſo foramen rotundum loco oris in medio uentre extabat. Et ſpondylus piſcis in medio uentris os habet. Non iniuria igitur tale nomen translatum ex ſpondylo quod uertebra eſt,ad hanc ſpeciẽ polypi:& hæc de dubio primo. Quantum autem ad ſecundum dubium attinet,hæc proponis. Quomodo nix & glacies ſanguinẽ fluere faciant,teſte Hipp. 5. Aphor. ubi inquit infrigidata recalefacienda eſſe,exceptis his quæ ſanguinem profundant. Et iterum in his frigido utendũ eſſe unde fluit ſanguis,aut fluxurus eſt,ubi dixit Galenus quòd hucuſque de aqua mentionem fecit Hippocrates frigida,pro ſanguinis fluxu ſiſtendo. In hoc autem Aphoriſmo frigida, uidelicet ſicut nix loquitur de frigidioribus ſicut eſt glacies, aut nix,aut ſuper niue infrigidata, quæ ſunt partibus thoracis inimiciſsima, cùm & tuſſes moueant, & uaſis diſruptis ſanguinem ſæpius manare faciant, & ex capite diſtillationibus offendant thoracem atque pulmonem. Nam has quoque inducit nix, uel glacies cerebrum refrigerantes. Has cauſas etiam Auicẽ. lo. 3. de tuſsis cauſa & ſputi ſanguinis tetigit, ubi uoluit quòd ex frigore cõſtringente & dilatationem prohibẽte poſsit cauſari uenarum ſciſsio,ex qua poſtea ſanguinis ſputũ euenit,cùm ſanguis in uenis quaſi congelatus retineatur,& ad membra non tranſmittatur. Vult ergo Hippocrates quòd aër admodum frigidus, & aqua admodũ frigida, & omnis potus infrigidatus ſuper niuem ſint pectori infenſiſsima,ita quòd cõſtringendo uenas prohibent dilatari,& ſic poſſunt eſſe cauſa diſruptionis uenarum. Et hoc per accidens faciũt, per ſe autem frigida, ad membra è quibus ſanguis fluit appoſita ipſum retinent. Et hoc modo Hippocrates à contradictione uindicatur. De tertio autem dubio hæc proponis,Leonicenum nõ ſatis latinè interpretatum eſſe Aphoriſmũ: Si mulieri utero gerenti purgationes exeant,impoſsibile eſt fœtum eſſe ſanum. In codice meo nulla ibi uidetur eſſe menda. Quòd ſi quid erroris commiſſum eſt, incuria chalcographorũ commiſſum,& non autoris. Hæc uolui ad te, Gymnaſii moderator integerrime, ægre,ſed tamen ut contigit. His pro tua humanitate cõtentus eris,donec meliora dabimus. Vale.

## EPIST. XVIII. DE MENſium retẽtione,& morbo κίσσα.

INtegerrime domine, accepi literas, quibus petis puellæ tuæ conſuli. Ego autẽ qui nihil humani alienum à me puto,& qui natus ſum plurimis,& optimis quibuſq;,omnibúſq; cupio adeſſe,& deeſſe nunquam,pareo. Scribis puellę tuæ menſes nunquam erupiſſe,cùm tamen tempus debitum præterierit. Cauſam ego arbitror eſſe humorum craſſorum & uiſcidorum copiam,cũ obſtructione uenarum,aucta ex ceræ,terræ,cimoléæq; eſu ob appetitum prauum,qui crebrò infeſtare ſolet prægnantes,quę appetunt lutum & carbones:quæ ægritudo ἀπὸ τῆς κίττης nomen ſortitur,id eſt, picare. Eſt enim κίσσα ἢ κίττα nomen auis, Latinis pica, quæ hoc morbo ſæpe ſolet laborare, ut Galenus & Paulus Aegineta teſtantur. Prima igitur curarũ ſit in cibis,uitet omnia uiſcoſa,ut ſunt cibi de paſta, lacte, piſces,legumina,carnes antiquas & duras:& cibis facilis digeſtionis & boni ſucci uti conuenit, & uino ſubtili & paucifero. Primum igitur ineunte uere hac capiat purgationem ſummo mane: Recipe pilularum de hiera, cum agarico ſcrup. 2. pilularum fœtidarum drach. s. cum aqua artemiſiæ:fiant pilulæ numero 5. cum optimo regimine. Sequenti uerò capiat hunc ſyrupum per nouem dies: Recipe oxymel. compoſ. ſyrupi de artemiſia ana unc. 1. Et ſecum ponantur decoctionis infrà ſcriptæ unc. 4. Recipe chamępityos,chamædryos,origani,roris marini,calamenti, mentaſtri, ſaluiæ ana m. 1. Radicum bruſci,aſparagi,apij,petroſelini,fœniculi,endiuiæ, rubeæ tinctorum, Valerianæ ana unc. 1. s. granorum iuniperi unc. 2. ſeminis urticæ,ſeminis aniſorum, ſeminis fœnic. ana unc. s. faſellorum rubeorum,cicerum rub. ana p. 1. decoquantur omnia in ſ. q. aquæ ad conſumptionem tertiæ partis,& ſeruetur & utatur cum ſyrupo. Poſtquam autem nouem ebiberit ſyrupos,capiat has pilulas: Recipe pilularum fœtidarum drach. 1. cum aqua artemiſiæ. fiant pil. numero 5. Si tempus nimis calidum eſſet,poteſt capere hanc potionem: Recipe caſ. no. tra. unc. 1. elect. indi drach. 3. s. cum decoctione paſſularum liquiritiæ, artemiſiæ, capilli Vene. aniſorum:fiat potus,cui adde ſyrupi de 5. radicibus unc. 1. & capiatur ut medicinæ potabiles. Sequenti uerò die capiat parum zucch. roſacei cum brodio bullito cũ hordeo. Tertio uerò uel quarto die poſt laudo ut fiat balneum,cum his rebus decoctũ,in quo ſedeat ad umbilicum uſque: Recipe Altheæ,id eſt,mal uauiſci,artemiſiæ ana m. 6. calamenti, origani, matricariæ,mentaſtri,pulegij,praſsij,foliorum lauendulæ,mercurialis,roriſmarini, ozimi, id eſt, baſiliconis, florum ſambuci ana m. 3. Radicum Valerianæ cum foliis m. 4. ex omnibus fiat decoctio in aqua communi in magno aheno. Et bis in die ante cibum ingrediatur hoc balneum calidum, & in eo per mediam horam,poſtea per tres partes, ultimò per horam moretur: ita tamen ut non infeſtetur,aut in animi deliquium cadat. Et corpus ſit tectum panno lineo, capite extrà exiſtente. Interim dum balneat adſit pediſſequa fricans coxas & crura deorſum trahendo, & habeat ſacculum lineum plenum artemiſia, quem in balneo teneat ſupra femur. Ligentur etiam loca ſupra genua & infra. Et prope talos. Et ſi grauaretur bis in die ingredi in balneum, poteſt facere fomentationem cum illo ſacculo pleno artemiſia, infuſa in illa decoctione ſupra femur. Interim dum eſt in balneo fiant fricationes & ligaturæ,& ponantur uentoſæ ſuper coxas, ſuper ſuras crurum, ſub poplitibus. Interim omni mane per horas quatuor ante cibum capiat cochleare unum pulueris infraſcripti in uino potenti albo, tantæ quantitatis ut poſsit in eo ſubmergi, & in uino illo prius bulliat parum artemiſiæ. puluis hic eſt: Recipe cinnamomi electi, pulegij, origani, calamenti,ariſtolochiæ longæ & rotundæ, aſſari, corticum radicum caparorum, ireos ſicci ana drachmas tres,croci drachmas 2. miſce,& fiat puluis ſubtilis. Galenus undecimo de ſimplicium medicamentorum facultate in capite de Caſtoreo dixit: Sed & menſibus detentis ubi per uenam quæ in talo eſt, modicè euacuaueris ſummopere conducere oblato caſtoreo unà cum pulegio aut calamintho: ſemper hoc medicamen expertus ſum purgationes ciere abſq; ulla læſione, poſsit etiam ipſi propinari drach. 1. s. huius medicaminis in uino,facta tamen prius uenæ ſectione in talo de ſaphena dextra. & fiat hæc uenę ſectio ante lunę coitum per tres horas, extrahẽdo uncias tres ſanguinis, ſequenti uerò die tantundem ſanguinis demat è talo ſiniſtro. Laudarem quoque poſt retentionem pedum in aqua calida & frictionem, ut unà mulier de ſuis ſuprà uenam apparentem propè talum digitos 4. apponeret hirudinem, linito prius loco cum ſanguine pulli, uel alterius animalis, ut hæreat,& permittat tantum attrahere ut per ſe cadat:& hoc ſuper dextro uno die, & ſuper ſiniſtro altero, & ſic procedatis per aliquot dies. Quòd ſi res parum ex animi

ſenten-

ſententia ſucceſſerit, alia aggrediamur uia. Spero tamen omnia feliciter ſucceſſura.

## EPISTOLA XIX. AD GEORgium *Pallatium Lucanum medicum, de aue Trigulo, ſiue Motacilla, ſeu Troglodyte, Aloë, Melca, coloſtro, Rhois ſucco.*

ACcepi plures à te literas, eodem ferme exemplo, ex quibus intellexi, te à doctiſsimis illis uiris Ferrarienſibus Doctoreo cultu honorificentiſsimè inſignitum eſſe. Sciebam enim id futurum, ſiquidem illud tuum pręclarum ingenium, doctrinam ſingularem, aſsiduam in literis curam & diligentiam, tales dignitatis & laudis fructus ferre ſciebam. Qua quidem in re, & lætor & gaudeo, tibiq; gratulor, interimq; Deum opti. maximúmq; precor ut fœliciter res tuas dirigat. Feciſti mihi pergratum, quòd ad me de collegio doctiſsimorũ uirorum, quod habitum eſt de illo nobili, in ardore urinæ perſcripſiſti. Nam id adeò graphicè, adeóq;, ut dici ſolet, ſuis coloribus depinxiſti, qui mihi eos præſentes colloqui uidere uidebar. An ille nobilis lapidem in ueſica habeat non planè àudeo affirmare, quia ipſum non uidi, neq; tetigi. Rationes autem tuæ, quas euidentiſsimas adducis non eſſe lapidem in ueſica, mihi uerisimiles uidentur. Medicamina, quòd ſcire cupis, quę illi propinarunt, ſi lapis fuit, mihi ſummopere probantur. De aue trigulo, ſeu traguliridico, quæ cauda tremula à nõnullis medicis Latinis, ab aliquibus uerò motacilla, Germanice ut mihi quidam Germani rei medices ſtudioſiſſimi retulerunt, uuaſſer ſteltzen uocatur, quæ tantopere in frangendo lapidem commendatur, an aliquid in Dioſcori. legerim, ſcire cupis: inquis enim te nihil apud Dioſcoridem inueniſſe. Verùm an Dioſcorides quicquã de hac dixerit, hactenus ignoro, neq; memini me unquam apud Dioſcoridem legiſſe. uelim illum exoratũ, qui tibi hanc citauit, ut locum mõſtraret, ut interim ab eo doctiores abiremus. Legi tamen in Dioſcori. libro 2. de oſsifrago aue, eius uẽtriculus paulatim in potu hauſtus ueſicæ calculos fertur per urinam pellere. Oſsifragus autem numeratur inter ſpecies aquilæ, ut teſtatur Plinius libro decimo, cap. tertio, non autem inter aues minimas numeratur. Et Dioſcorides oſsifrago uirtutem calculos pellendi aliorum opinione attribuit. Auicularum autem naturas omnes, qui de ea locuti ſunt, ad hoc conducere uidentur affirmare. Legi equidem apud plures alios medicos, quos etiam tu in medium attuliſti, de hac auicula, uidelicet apud N. Floren. in 5. de cura lapidis per potionem: item apud Serapionẽ. Apud Auicennam 18. 3. apud Bartholo. Montag. in conſilio 182. ubi enumerat ſimplicia medicamenta, quæ ui confringendi lapidis pollent. Adducit inter ea etiam caudã tremulam, propterea quòd caudam continue mouet. Autor cui titulũ indidêre, luminare maius, nõ dico illud quod præeſt diei, in fine ſui operis huius mentionem fecit, liber non uſq; adeò pœnitẽdus. Item Aëtius lib. 11. cap. 11. cui titulus eſt communia remedia ueſicæ & renum calculoſorum, dixit enim: ſunt & alia quæ aliam naturam habẽt, & per hãc ipſam prædicta efficacia pręditа ſunt. Quali ſanè pręſtat paſſer troglodytes appellatus. Eſt autem paſſerculus minimus iuxta ſepes & muros uictũ quæritans, & iuxta piſcinas, eſtq; hoc animalculũ omnium auicularum minimũ, ea excepta quæ regulus uocatur. Similis autem eſt regulo in multis, pręterq; quòd in fronte auricolores pennas nõ habet. Eſt & troglodytes paſſer paulò maior regulo, & nigrior, caudáq; ſemper ſubrecta & albo colore, magíſq; garrulus, quã regulus eſt. Et ſanè iuxta ſumnium alæ lineamẽtum cinerei amplius coloris: breues item uolatus facit. Naturalẽ autem uim omnino admiratione dignam habet. Itaq; ſale conditus & crudus in cibo acceptus morbũ perfectè ſanat. Et noui quoſdam ob eius uſum nunquam amplius ab affectione uexatos. Aëtius modum condiendi & uſus diuerſos docet, quos ne epiſtolæ modũ excedã, prætermitto, ſatis eſt indicaſſe locũ. Paul. Aegineta lib. 3. cap. 45. de renum, ueſicęq; affectibus, & primitus de calculorum morbo quæ λιθίασις nominatur, de hac auicula ſic: Troglodytes præterea auis ex his quæ cum primis maximè adminiculo ſunt, eſſe cenſetur. Eſt autem hæc paſſerculorum inter omnes auiculas minima, ſolo eo, cui baſilici nomen eſt inditum, dempto. Poſtea deſcribẽs formam & colorem auiculæ, quemadmodum Aëtius fecit, dicit quòd iugiter comeſta cum ſale cõcretos calculos lotio expellit, atque deinceps ne renaſcantur prohibet, & poſtea ponit modum eius combuſtionis & uſum. Ego autem nũquam uſus ſum hoc medicamine, cùm paratu faciliora in manibus ſint. Et ſtatim adiũgis in tuis literis, quid ego potiſsimum uſus fuerim. Hic locus dicendi non eſt, quia fortaſſe longiore epiſtola agerem. De illo Marino Brocardo, qui te admonuit, Auicennam in re medica ſectandum eſſe, & non Galenum, propterea quòd qui cum Galeno medentur non curatores, ſed occiſores potius dici merentur. Non eſt quòd iam ſcribam quid ego ſentiam, ſcio te memoria tenere ea, quæ in illa magna epiſtola de Florẽtinis medicis ſcripſerim. Sunt nonnulli qui ſe Galenicos iactent, & Galenum ſolum ſectantur. Nec deſunt qui Auicennam & Arabes ſolos amplectuntur. Sunt præterea alij qui & Græcos & Arabes & Latinos cura ac uigilantia ſumma legunt, & acri iudicio iudicant quæque. Atque ij mihi rectè ſapere uidentur. Equidem Galenum uirum fuiſſe ſummum in re medica, & in omni doctrinarũ genere, non negarim. Nec ego alios ob id contemnendos cenſeo. Sũt fructus alij aliis delicatiores, meliores, ſalubrioréſque. Sunt arbores nonnullæ cæteris proceriores, robuſtioréſque: at interim arbuta, non contemnenda. Ariſtoteles cùm ad extremum uitæ ſpatium ægrotaret, ac iam deſperata ſalus eſſet, coiuiſſe ad eum diſcipulos, atque rogaſſe, quandoquidem ipſe in periculo uitæ foret, & humana fragilia atque incerta, tam inde eum ſibi in doctrina præficeret, quem ipſe maximè omnium probaſſet. Tum Ariſtoteles cùm ante obitum id ſe facturum polliceretur, haud multò pòſt uinum ſe cupere, inquit, aut Lesbium, aut Rhodium, iuſſitque utriuſque poculum ſibi adferri. Cúmque illa uiciſsim delibaſſet, Lesbium, inquit, hoc perquàm ſuaue eſt & amœnum, Rhodiũ & hoc probandum & bonũ. Quo quidem facto nemini dubium fuit, quos cæteris anteferri cuperet, ſiquidem unus arte atq; ingenio alterum antecellit: alter iucunditate & facilitate. De aloë autem deridebat eos, qui aſſerebant ora uenarum recludere. Non ſic omnes deridendos arbitror. Etenim in hoc albo eſt Dioſcorid. Plin. & Galen. De Dioſcoride & Plinio in confeſſo eſt interius exhibitum. Quòd hactenus mihi non ſit uerisimile. Extra autem additum ingenue fateor id fieri, & etiam uiri alij percelebres hoc cõfeſsi ſunt, ut Gale. in 5. methodi, ubi componit illud medicamẽtum omnium optimum ex thure, aloë. quo etiã ad cerebri membranarum αἱμοῤῥαγίας tutiſsimè utebatur. Et de ſimplicium medicamentorum facultatibus ponit ipſum ſanare ulcera & uulnera etiam conglutinare, & mox in ano & pudendo ſciſſuras: & in libro κατὰ γένη, in plurimis locis. Sed cùm primum epiſtolas Manardi uidere licuit, euolui quidem eas & per quàm diligenter. Laudo opus magnæ doctrinæ, magnęque lectionis, ſed quòd in multis locis non ſolum recentioribus, ſed & antiquis ſoleat contradicere. Dioſcorides & Plinius nunquam ſolent aloën per ſe exhibere ad ſanguinẽ reſiſtendum, ſed uel cum frigida, uel aceto, quæ uirtutem eius aperiendi compeſcant, & adſtringẽdi augeãt. Nam aloë ipſum ſecundum Galenum 3. de ſimplic. medica. facultatibus, & etiam ſecundum Aëtium & Paulum, non unius facultatis. Nam ſi multum abluatur, uirtus ſolutiua magna ex parte amittitur: adſtrictoria uerò inualeſcit. Non mirum ergo ſi aſſumptum interius etiam cum frigida, uel aceto ſanguinem compeſcere poteſt. Quod autem hoc uerum ſit, dixit Galenus 5. methodi, ubi loquitur de cura fluxus ſanguinis, fieri per refrigerationẽ tum totius corporis, tum uerò præcipuè ipſius partis afflictæ. Hac enim ratione etiam frigida pota ſæpe αἱμοῤῥαγίας ſuppreſsit. Idem facit frigida foris infuſa, & poſca, & uinum acerbum, quod στρύφνον dicitur, aliáque omnia, quæ adſtringendi & extremè refrigerandi uim habent. Auicenna autem & Meſue intelligunt per ſe aſſumptum interius uenarum ora recludere, ſed cum fræno adſtringente datum, ſanguinem ſiſtere. Ex commixtis enim uirtus aloës poteſt mutari, & cùm ſecundum antiquos & recentiores omnes prius educit bilioſum humorẽ, ſi cum aromatibus, ut in catapotiis aleſangineis & picra apparet, admiſceatur, prius deducit humores pituitoſos. Hoc idem euenit in ſcammonio, &

nio,&

nio, & multis aliis. Nam in confectione de argulia à Rasi in capite de colica, & iliaca, solutiuũ aliud à scammonio non ingreditur, quod bilem primo detrahit, ibi autem prius educit. De hac & de omnibus aliis, in quibus Mesuen de re medica optime meritum, reprehendit, quid ego de his sentiam, liberius iudicaui in aliis locis. Adhæc quæris quid per Melcam Galenus in 7. Meth. intelligat, quod erat genus edulij ad refrigerandum & humectandum. Et quod in niue infrigidabatur. Cum illis, qui arbitrantur esse id, quod uulgò caput lactis, inter opera Ganeæ pretiosissimum crediderim aphrogala dici, de quo ibidem post Melcam Galenus meminit: concutitur enim lac quousque spumescat, & cum sacchàro conditur, nostra tempestate. Galeni autem tempore, quia saccharum nondum erat in usu, sine sacchàro faciebant. Sed ego per Melcam crediderim Galenum intelligere lac concretum, quod apud nos in iuncis defertur, unde lac iuncatum dicitur, & refrigeratur, si non in niue, quia nostro tempore non fit, sed in aqua frigidissima imponitur, uel in puteum: usus eius est in cerealibus, dubiis, opiparisque cœnis: & suprasparsis anisis sacchàro opertis. De Melca & aphrogala meminit Galenus de cibis boni & mali succi. Vetus tralatio uertit iũcatum, nec eam adducere erubesco, cùm etiam Manardus adducendo loca Galeni, aliquando asserat sensum Galeni fidelius in his translationibus, quàm in nouis, declaratum esse. Autor etiam qui Galeni libros de diebus decretoriis Latinũ fecit, itidem in quibusdam locis dicit. Si mihi obiicias lac hoc concretũ colostrum appellari, ut hoc παρέργως epistolæ accedat à Bartholomæo Montagnana consilio 3. & consilio 248. dixit colastra, id est, iuncata. & consil. 299. dico hominem esse falsum in ui uerbi. Nam colastra autore Plinio lib. 28. cap. 9. colostrum seu colostra est prima à partu spõgiosa densitas lactis, quod est maximè noxiũ. Hinc quod in mulieribus & cęteris animalibus primum mulgetur ne infans illud exhauriat cauendum, & si per imprudentiam obstetricum fortè fortuna hoc exugat, incurrit in morbum, quem colostrationem uocant, unde pueri colastrati dicuntur. Ad hæc percontaris quid per succum rhois ibidem Galenus intelligat. Respondeo Galenum intelligere arbusculam quandam, quam Græci & Romani Rhun appellant, de quo Dioscorides in primo in translatione Marcelli habet de Rhu obsoniorum quod pro sale obsoniis inspergebant. Hermol. Barb. habet Rhus. Ruellius de Rhoe, in Græco περὶ ῥοός. A Plinio, Aëtio, & Paulo similiter Rhus dicitur. Frequens est hæc planta apud nos, ideóque coriaria dicta, quòd spissandis, densandisque coriis ea utantur. Semen habet racemosum, in obscuro rubescens, admodum austeræ qualitatis, sicut & succus, ut ponit Galen. s. de simplic. med. facultat. cui titulus in Latina translatione est rhus. Et cùm succus habeat austeram hanc qualitatem, non immeritò Galenus eo loco contra illos medicos clamat, qui cum multum austeris ad habitum μαρασμῷ similem ægrum illum produxerant. Apud Auicennam & Serapionem est cap. de sumach. Sed ut cum maiore fœnore hæc epistola tibi reddatur, audi in quas latebras & pericula miseri medici ex unius uocabuli inscitia incidãt. In 8. simplic. medic. in barbara tralatione pro rhu ponitur rubea tinctorum, error quidem insignis. Sunt diuersæ naturæ. Et de rubea tinctorum clarè egerat in 6. simplic. medic. & in 8. de Rhu. Hic error hallucinari fecit & Matthæum de Gradib. uirum alioquin diligentissimum, in cap. de opilatione iecoris, quòd nescit quid in hac re sit dicendũ, nisi quòd textus sit corruptus. Habes igitur quid sit succus Rhois. frequens est apud Galenũ, ut 2. ad Glauconem de causis inflammationis, ubi ipse rhu utitur cum corticibus malorum punicorum. Vale, méque excellentissimo Augubio, & D. Cepulæ meo, si adest commendare ne graueris.

## EPIST. XX. AD DOMInum *Ludouicum Bosium de Mutiliana, de mala complexione calida epatis.*

DIspositio huius nobilis uiri est mala complexio calida epatis sanguinem adurẽs, qui postea ita adustus per corpus delatus, pustulas asperas & duras generat, & potissimum uere efflorescente. Et nisi summam curam atq; diligẽtiam adhibeamus, posset hominem ad sæuiorem morbum perducere. Prima igitur cura sit in potu & cibo, quæ aliquantulum uergi debent ad frigidum & humidum. omnia salsa, acuta, acria, aromatáq; uitare conuenit. Carnes sint boni succi & nutrimenti, ut uitulinæ, castratorum, hœdorum, agninę, & omnium uolatilium boni nutrimenti. Pisces saxatiles nõ admodum mali. Inter olera, lactuca, endiuia, cicorea, spinachia, atriplices. Et acetosa laudantur, utatur lupulis in omphacio, id est, agresta sæpius. Vinũ pauciferum commendatur, unctuosa uitanda. Inq; sex aliijs rebus non naturalibus, quoad eius fieri potest moderatissimè se gerat: nam in his ferè salus corporis natura constituta est: atq; libri omnes de tuenda sanitate ociosis tantùm scripti sunt. Secanda uena iecoraria, ineunte uere unc. v. demito. Etsi dispositio hæc aliquantulum se remiserit, insistendum bonæ uictus rationi, quia securius hac curamus, quàm reliquis rebus. Quòd si persistat, secanda uena, & purgandum corpus, quia hæc maxime uere ineunte conueniunt, ut dicit Hippocra. 1. Aphor. ubi Galenus multos à simili & sæuiore labe prę seruasse asserit cum uenæ sectione, & purgatione. Purgatio autem poterit esse talis: Recipe flor. cas. drach. x. diasenæ lenitiui dracha. 3. cum sacch. albo fiat bolus: Hunc in mane deuoret ordine & modo sibi cognito, postea utatur per nouem dies tali syrupo: Recipe syrupi de lupulis de fumoterræ ana unc. 1. Aquæ fumi terræ, endiuiæ ana unc. 2. his absorptis capiat hanc potionem: Recipe diasenæ diacassiæ ana drach. 6. elect. hamech drachmas 3. cum decocto passularum, liquiritiæ, ordei, sebesten, senæ & polypodij, & seminum min. frigid. & florum cordialium: fiat potus cum mucari ros. unc. 1. ante auroram capiatur, per horã supradormiat. post horas 5. capere conuenit drach. 5. aquæ ordei cum unc. s. sacch. post hoc iterum dormiat horam. Mane uerò sequenti capiat sacch. rosati unc. s. & in autumno itidem faciat. Post autem ueris purgationem expediret summopere si post medium mensem Maij biberet aquã sancti Marini per nouem uel decem dies, & postea se conferat ad balneum aquę in comitatu Pisano. Pro ista autem cutis asperitate laudo ut faciat decoctum ex ordeo, althea, malua, sem. radicũ, furfure, ex uiolis, fumoterræ & radicum bardanæ. Deinde ungat cum hoc linimento: Recipe lithargyrij, cerusę ana unc. s. tutiæ drach. 3. cum oleo rosato & aceto, fiat linimentum in mortario plumbeo, & diu ducatur. Si fortasse nimis duresceret, fiat unguentum hoc quo ungat se: Recipe olei uiolati mucilaginis, radicum altheæ, ana unc. 1. s. cum parum ceræ. fiat linimentum, interim in temporibus mediis aliquando ciere conuenit aluum cum casia ex fistulis comesta, uel in bolum reducta. Pro ciliis & superciliis à quibus pili cadere uidentur, ob materiam acutam ad oculos fluentem, ungat sæpe hoc linimento quando petit cubitum: Recipe Tutiæ bene præparatæ in aqua rosata unc. s. Axungię porci recentis sine sale unc. 1. amyli drach. 6. agitentur diu in mortario, & deducatur ad formam unguenti, & abluat septies cum aqua solatri & rosarum. Interim oleo myrtino cùm lectum petit inungat barbam, supercilia & loca, ubi cadunt pili. Mane uerò abluatur hac ablutione: Recipe fœnigræci m. 1. foliorum myrtil. granorum myrtilorum ana m. 1. aloẽs, laudani ana drachmas tres. bulliãt in aqua & uino ana lib. iij. ad consumptionem tertiæ partis, deinde coletur & usui seruetur.

## EPIST. XXI. AD DOMINVM *Gabrielem de la lata. de tumore carcinoso in mamillis, consilium.*

ROgasti me, antistes summe, ut de quodam nobilissimæ cognatæ tuæ tumore, qui mamillam obsedit, cõsulerem, & quid esse arbitrarer, & quodnam præsentaneum remedium crederem: dicebas tumorem cum duritie iamdudum incepisse, indies magis ac magis ingruere, uariisq; coloribus sæpe permutari, modò subrubentibus, modò liuentibus, & quòd nullã exactam mihi morbi cognitionem ostendere potueris, nihil ego perfecti ei possum consulere. Sed quantum ex dictis tuis possum colligere, existimo morbum hunc esse carcinosum: qui etsi, ut dixit Galenus 2. ad Glauconem capite de cãcris, in omnibus partibus fieri posit, in mamillis tamen mulierum peculiarius & sæ-

pius

pius euenire. Et omnes ex atræ bilis superfluitate generantur, & in mulieribus potissimũ, quibus menses suppressi sunt, de quo morbo Gale. medicorũ princeps dixit, in mamillis sæpe uidimus tumorẽ forma & figura cancro animali similem. Nam quemadmodũ in isto pedes ex utraq; sunt corporis parte, ita in hoc morbo distenduntur uenę, ac figuram omnino cancro similẽ repræsentant. Hunc morbum sæpe initio & antequam altius radices fixerat, sanauimus. Sed ubi in immẽsam creuerit molem, ferro, manúque eliciendus erit. Itaque in omni huius generis curatione is modus optimus est, totum quà circunstat tumorẽ pręter naturam, qui partibus sanis adhæret, abscindere. Sed ob uasorũ magnitudinem, cùm pręsertim fuerint arteriæ, & fluxus ingentis sanguinis immineret periculum. Quòd si laqueis eas partes circundas, passiones magnæ insequuntur. Sin autem morbi huius radices exurere statuas, neq; hîc summum deest periculum, cúmq; in locis sit admodũ sensibilibus, & mortalibus fit adustio. Hũc igitur morbũ, ut diximus, in principio sanauimus, & tum potissimũ, cùm atræ bilis humor non admodum crassus uidebatur existere. In hunc sensum Galenus. Imminet ibi in hoc morbo maximum periculum quia altius egit radices. Et ne hæc nobilissima domina ad desperationem deueniat, utar Galeni præcepto 6. Aphoris. 38. Cancros occultos omnes, melius est non curare: curati enim citò pereunt. Non curati uerò longius tempus perdurant. Inquit enim: cura cancri duplex, una, ut omnia agamus, quatenus particula patiens ad sanitatem perducatur. Sed cùm hæc in casu nostro tuta non sit, eam ex toto dimittemus. Secunda autem, adhibere prouidẽtiam, quæ passioni conueniat, hoc est ipsam mollire & mitiorem reddere. Et ne in maiorem molem augeatur, quantum fieri potest, prohibere. Hoc autem fieri poterit, ut dicit idem Galenus in eodem Aphoris. lib. 47. Quibuscunque uenæ sectio uel purgatio cum medicamento conuenit, uere purgare, & scindere uenam conuenit uere & autumno. Ibidem inquit Galenus multos sola purgatione à quàmplurimis ægritudinibus à se seruatos. Sic & mulierem quandam singulis annis uere inchoante euacuaui, tumorem aliquando in mamillis patientem forti ac frequenti medicamento atram bilem purgante, & eam ad pristinam sanitatem perduxi. Et quando negligebat purgationem, dolorem profundum sentiebat, & illico curabat me accersiri, ut illam euacuarẽ. Quod huic præsenti Dominę facere non audeo, cùm proprie nesciam qualis humor peccet: tamẽ ut opportunum erit, omnia ordinabo. Primò omni hebdomada utatur his pilulis cùm cubitum petit. Recipe pilularũ de fumo terrę, de hiera cum agarico ana drach. s. & cũ elec. Indo fiãt pilu. numero 5. & si non bene educerẽt, fiat dosis maior. Deinde omni die ungat tumorem hoc linimento ad prohibendum augmentum & ulcerationem. Recipe cerussæ lotæ, tutiæ lotæ ana unc. 1. boli armeni orientalis drachmas 6. pulueris florũ rorismarini unc. s. Lithargyrij auri & argentei ana drach. 10. pinguedinis anatis unc. 1. cum oleo rosato & camomil. & succo plantaginis. fiat linimẽtum in mortario plumbeo, & in eo ducatur per diem cum pistillo de plumbo. Etiam herba quæ à Dioscoride irion seu erismon, & à Gale. in 6. de simpli. med. facult. sed uulgò uocatur sancti Alberti, seu alberga & ubiq; crescit. Eius herbæ folia superponi debẽt, & post illinitionem factam cum unguento iam dicto, eius herbæ succo locus illiniendus est. Alij decoquunt eius herbæ folia in aqua & melle, & instar emplastri apponũt, & est secretum mirabile. De uictus ratione nihil dicã, quia scio ipsam præceptis illustrium medicorum obsecundare. Ad exactiorem uerò morbi cognitionem scire uelim, an in circuitu huius tumoris appareat multitudo uenarum cum colore fusco, nigro, ad subrubeum tendente. Deinde scire cuperem, si in principio hoc apostema fuit rotundum, paruum, cum colore fusco & caliditate, & si cum dolore & siti, an citò uel tardè cœpit augẽre se: & si dolor qui sentiebatur in loco tumoris, fuit inflammatiuus & mordificatiuus: & scire uelim quę sit eius complexio, & ætas, an menses defecerint. An causam aliquam nouit, unde hoc morbi sibi contraxerit. Et cũ hæc mihi cognita fuerint, morbus manifestior erit, & facilior curatu. Quòd si domina hæc esset cholericæ complexionis melancholiæ dominio, uix possum arbitrari, quin etiam pars humoris melancholici sit, tamen breui rupturũ confido cum magna saniei copia. Quod si fiet, ut ego credo, non ab re etiam erunt, quę suprà scripta sunt, potissimúmque ea quæ de irione herba dicta sunt, & de unguẽto, quia id efficaciter custodit à putredine, quam non paruam ibi esse existimo, cùm tandiu putrida materia illic detenta sit. Quare operæpretium fore existimaui ulcus leniri oportere & mundificari cũ mundificatiuo, in quo ingrediantur succi apij, plantaginis & solatri: pòst uerò ablui cum hac ablutione. Recipe pulueris cancrorum fluuialium ustorum unc. 1. Myrobalanorum citrinorum, balaustiarum, tutiæ pluries ablutæ cum aqua fontis ana 3. 3. aluminis 3. 2. pistentur omnia, & bulliant in aqua mellis, colato, & aliquando apostema abluatur. Et Deus benignitate sua, qui omnes sanat languores, hæc ad salutem nobilis huius mulieris dirigere dignetur.

## EPIST. XXII. AD DOMINVM

*Leonardum à Publicijs reuerendi ordinis Franciscani generalem de malis pustulis consilium.*

Dici non potest, domine & frater, quantum mœroris ex literis tuis acceperim: plerunque enim mihi euenire solet, iniquo planè fato, hac in parte nato, ut à quibus summa sperem, non nisi tristia & acerba audiam. Nati quidem miserijs & calamitatibus multis, & quo magis mundo & eius illecebris renunciauimus, tanto acerbius molestamur. Secum hoc fert mortalium conditio iniqua & fragilis. Sed hac in re dolore & mœstitia nihil efficitur. Remedijs utendum, & tanto uigilantius, quanto maioris momenti res est. Patres illi tui ordinis omnes uno ore, unóque consensu te Antistitem elegerunt, ut Christi negocia ageres: nam res Christianæ potissimum hoc tempore egent uiris probis, doctis, & integris, ne omnino ruant & concidant: Nosti quod munus teneas, nimirum ut euangelio adsis, ut Christum crucifixum erigas, ut eius crucem sustentes pietate, humilitate, castitate, probitate, integritate morum, & huiusmodi. Et cùm primum hæc noscere cœpisti, adest morbus, adest tribulatio, adest afflictio morbi: solet ita aliquando Christus probare suos: probatur igne aurum: probantur Christiani tribulationibus. Hæc tibi excutienda relinquo, qui nosti, quid Christianum deceat. Ego quomodo morbus propellatur curabo, tu uerò quo animo feratur. Est igitur morbus hic tuus, quantum ex casu colligere potui, de genere malarum pustularum. ἀραβικῶς essere uel seire uocatur. Græci ἐπινυκτίδα uocant. Quod autem Græcis sunt ἵδρωα, Latinis quibusdam sudamina, Plinio papulæ sudorum. Sunt autem sudamina, teste Galeno in 3. Aphoris. 21. in quo enumerantur ægritudines, quæ æstate ueniunt, è genere pustularum in summa erumpentium corporis parte, quæ instar ulcerum cutem exasperant. Proueniunt autem quemadmodum & ostẽdi, propter multos sudores, qui uel biliosiores, uel omnino mordaciores existunt. Mordent enim cutem & pruriginosam efficiunt, & per modum ulcerum exasperant. Hactenus Galenus. Quæ omnia in te ut scribis, reperiuntur, post sudorem maximũ, quem tota uita tua non similẽ passus fueras, hæ pustulæ erupêre nullo competenti auxilio, nec per uenę sectionẽ, nec pharmacię ullo genere adhibito. Res deinceps in deterius lapsa est: itaq; hunc morbum de genere malarũ pustularum & difficilis curę, & qui magis nocte inquietat, appellamus: partim quòd quotidie serpit, magis exulcerat, & tumentem carnem reddit, more lepræ, ut scribis. Quẽ ego intus & incute noui, fateórq; hunc esse grauem & curatu difficillimum, at qui arte & ingenio boni medici uincatur. Quare si me uteris consultore, cùm primum licuerit per aëris temperiem, ad nos te cõferas consulo, atq; tum, re diligentius pensiculata, quid facto opus sit, inter nos conueniemus. At interim hæc uictus ratio obseruabitur. Primum igitur ab omni cibo acuto, salso, calido, & qui choleram & melancholiam generat abstinendũ: ueluti sunt aromata omnia, sicut piper, zingiber, cinnamomum, crocus, ciminum, & similia: caseus antiquus, & caro salita, & pisces saliti, caules, raphanus, porri, allia, legumina omnia. Hinc sequi-

ſequitur, quòd abſtinere conuenit ab omnibus cibis, quibus uteris quadrageſima, & ab iis, quos è paſta præparant.

Carnes autem hę & cibi tibi ſalutares, ſcilicet animalium iuuenum, pullorum, auium nemoralium, uituli caſtrati, agni annalis, & hœdi, piſces ex fluentibus & bonis aquis, cancri fluuiales, lactuca, endiuia, ſcariola, acetoſa, cicorea, creſſones fontales, ſpinachia, blitis, borago, caſeus recēs ſine ſale, lac, & lacticinia ſine ſale: ptiſanæq; uſus ſit frequens & longus in ſero, in modum ferculi. Potus ſit, uinum album pauciferū lymphatum: uſus omphacij, aceti paſſulati, non contemnendus: butyrum non laudo, oleum uerò bonum mihi placet.

Quantum autem attinet ad medicamina, annua purgatio laudatur: rectificare quoque cōuenit ſuperfluam epatis caliditatem adurentem ſanguinem, & alios humores, ex quibus hæc peſsima impetigo generatur, alioquin fruſtra omnia alia, quæ extra apponuntur, ut balnea, & linimenta adhiberentur. Laudo ineunte uere hanc purgationem: ℞. floris caſ. no. tra. drach. 10. elect. hamech drach. 1. s. cum zuccharo. q. s. fiat bolus, capito mane pro minoratiuo: pòſt capito per 9. dies cōtinuos hos ſyrupos. ℞. ſyr. de fumo terræ, ſyr. de lupulis ana unc. 1. aquarum fumi ter. de endi. boraginis, acetoſæ ana unciam 1. miſce. poſt hos capito hanc potionem:

℞. flor. caſ. no. tra. diacathol. ana unc. s. elect. hamech drach. 2. s. cum decoct. paſſularum, liquiritiæ, ordei, ſebeſten, prunorum, tamarindorum, ſenæ, polypod. florum cordial. facta in ſero caprino uel bubulo. & fiat potus, in quo addatur mucari roſarum unc. 1. capito in gallicinio, & ſuperdormiat horā. poſt quinque horas capito unc. 5. aquæ hordei cum pauco zuch. tepida, poſt horam prādeto. Eſſet & neceſſaria autumnalis purgatio, de qua aut ſcribam aliàs, aut ipſe ad nos uenies. A præſenti autem hora ad uer uſque, ſeri caprini uſus, uel bubuli commendatur, quod hoc modo præparari conuenit: ℞. lib. 1. ſeri caprini, paſſularum unc. s. ſummitatū fumiterræ, ſicci uel uiridis, ut haberi poteſt, ſenę, polypodij unc. s. bulliant bona ebullitione, & colentur, & cum pauco ſacchari, bibito ſummo mane: in tempore quo lupi ſalictarij quos uulgò lupulos uocant, & roſæ uirides erumpunt, de his apponimus ſecum: & omni hebdomada capere conuenit bis uel ter, ſecundum quòd bene uel male educit. Sin autem hoc modo non educeret, apponito ſecum unc. 1. s. mucari roſarum. Conuenit etiam aliquando capere pilulam 1. de fumo terræ, ante & poſt potum huius ſeri, ſalutare eſt fruſtum caſsiæ fiſtulæ, nempe ex arundine excerptū cū ſero, uel abſque, ut uēter ſit lubricus, & materia hæc expurgetur. Cū autē aluus bene ſoluta eſt, pręſtat ſequēti die capere unc. 5. brodij pulli decocti cū hordeo, un. s. zuch. roſ. optimi facti ex ſacch. albiſs. & roſis rub. non ex eo qui cōmuniter apud ſeplaſiarios uenundatur. deuorare etiā expedit pilulā omni hebdomada unā mane. Et poſt horas tres cape unc. 4. aquę fumiterrę. ſyrupi de pomis unc. 1. Pilulæ hæ ſunt: ℞. aloēs bene loti ʒ. 2. lapidis lazuli bene abluti & pręparati ʒ. s. agarici trochiſcati ʒ. 1. ellebori nigri ſcrup. s. pæoniæ grana 2. cū ſucco roſarū: fiant pilulæ 9. ex omni drachma. Aliquando etiā ante cœnā edito parū caſiæ ex canna extractę. Et ſi fortè ex aliquo horū medicamentorum ſequeretur noxa aliqua uel agitatio, quod non arbitror, rarius ſumatur, uel dimittatur id, quod nocere uidetur. Et cū ſummis morbis, teſte Hippoc. remedia ſumma cōueniant: poſt purgationem ergo in uere diligētiſsimè factam, ſaluberrima erit potio aquæ thermalis, quæ uulgò dicitur de uilla, in agro Lucano, quam per mēſem Iunium capito. Poſt uerò in menſe Iulio uolo ut te recipias ad balneū Piſanum ad corpus balneandum. Et his duobus ſummis remedijs ſpero te priſtinæ ſanitati reddi, quò poſt ea lætus ad publica munia Chriſtiana redeas. Interim propter ardorē ſæuientem balneū hoc poterit aliquantulum furorē eius remittere. Recipe hordei m. 3. maluarum, fumiterræ ana m. 2. furfuris tantundem, radicū lapatij acuti, ſi haberi poſſunt m. 2. bulliant in ſ. q. aquæ, & ea calida fiat in loco pruriginoſo balneum, & poſt exiccetur, & ungatur roſato deſcriptione Meſuæ. Hoc quoq; unguentū erit optimum: Recipe Terebinthinæ lib. s. butyri recētis unc. 4. uitelli ouorum numero 3. lithargyrij, ſarcocollæ, pulueris radicis lapatij acuti ana unc. 1. ſucci limonum unc. 1. ſalis bene triti unc. 1. diſſoluantur butyrum & terebinthina, & pòſt addātur pulueres: & cùm incorporata fuerint omnia, addātur ſucci fumiterræ, ſucci lapatij acuti, ſucci roſarum ana unc. 4. & bulliant omnia ad conſumptionem ſuccorum, & cū tepuerit unguentum addantur uitelli ouorum. & hæc arbitror ſufficere. Tu interim pijs precibus à ſummo illo medico ſanitatem pete, & his nō neglectis. Nam iuua temet, inquiunt, tunc ipſe te Deus iuuabit. Bononiæ Idibus Nouemb. uolante calamo.

## EPIST. XXIII. AD GEORGIVM *Granciottum Lucenſem medicum & philoſophum, qua agit de ſtrangulatu uteri, de lacte, ſanguine, ſpermate.*

Literas tuas mihi gratiſsimas, ad nos ſine Theſeo rediens Cœpula noſter, uir ſingulari doctrina, & morum integritate ſumma, reddidit: quibus ſi ſerius, quàm exoptabas, reſponſum eſt, in cauſa fuere lectiones publicæ, quibus totus, ut noſti, addictus, ut ne latum, quod aiunt, unguē diuerti liceat. Nam is pręſens annus frequentiſsimus omnium uidetur. Nā doctiſsimi idémq; ſtudioſiſsimi ex omnibus regionib. uiri huc uenêre ad capiendū ingenij cultum, qui totis uiribus, omniq; conatu eò tendunt, ut aliquando ad ſuos redeant ornatiores. Hi ſiquidem pēſum à me ex aſſe exigunt quotidianum. Extant præterea publicæ diſputationes, quibus quotidie ferè intereſſe oportet. Hactenus excuſaui me erga tuam humanitatem, quam excuſationem libenter te admittere ſcio. Petis igitur à me, ut quid de caſu nobilis huius matronæ ſentiam, perſcribā. Eſtq; is ſtrangulatus uteri. Qui quidem ſtrangulatus ſi ex ſemine retento accidit, ſæuiora infert accidentia, quā ſi à menſibus ſuppreſsis eueniret, ut clarum eſt apud Galenū de locis aff. lib. 6. cap. 5. de uteri affectibus, & apud Auicennam 21. tertij. de præſocatione matricis. & apud Aëtium lib. xvj. de uteri ſuffocatione, capi. lxx. & apud omnes alios medicos. Et Augubius & Marinus uiri doctiſsimi affirmant hoc eſſe propter maiorem putredinem ſemini corrupto, quàm ſanguini mēſtruali contingentem. Et tunc Marinus ad te & ad alios, qui ibi tum eratis, conuerſus, ſcitu dignum dubiū hoc mouit: proterea quòd unaquæq; res quò nobilior & perfectior, ſi putruerit, ex ea ſæuiora prouenient accidentia, quàm ex minus perfecta putreſcente: quod quidem dubium tunc ſoluere noluit, pollicitus propediem enodaturū. Augubius uerò uolens ſoluere, uti ſcribis, hoc eſſe propter maiorem reſiſtētiam paſsi, & maiorem actionem agentis, dixit: quod uerbum tibi & ſociis non arriſit. Petis igitur pluribus à me, ut tibi, quid in hac re ſentiam, ſcribam. Ego autem qui tibi quicquam nec poſſum nec uolo denegare propter tuam ſingularem doctrinam, & amorem non uulgarem, quo me ſemper proſecutus es, paucis tamen quid ſentiam, aperiam, diſtrictus negociorum totis plauſtris, etſi ſciam non meum eſſe inter doctiſsimos uiros tantas componere lites. Tria igitur ſunt, omiſsis ambagibus, in corpore noſtro nobiliſsima, & dum in ſua naturali diſpoſitione fuerint, perfectiſsima. In pręternaturalem uerò quoquomodo delapſa, extremè noxia reperiuntur: ſanguis, uidelicet, lac, & ſperma. Sanguis igitur eſt humor benignus, & filius dilectus naturę, quem ſemper natura in ſuperpurgationibus, quas ὑπερκαθάρσεις Græci uocant, ut teſtatur Gal. 3. de ſimpl. medic. facultatibus, cap. 26. ad extremum reſeruat, utpote qui ſit naturæ ſuccus familiariſsimus. Cùm autem ex propriis uaſis exierit, & in aliquam cauitatē præter naturam effunditur, neceſſe eſt ſuppurari, ut inquit Hippocr. 6. aphor. 20. Et ex hac putrefactione tantā acquirit malitiā, ut uapor ab eo eleuatus redolens qualitatem uenenoſam uerſus membra principalia & nobilia, ſyncopim, anguſtiam, anhelitus paruitatem, extremitatum frigiditatem, & ſudorem frigidum efficiat. Ita ut Galenus etiam admiratur 6. de locis aff. cap. 4. de ueſicæ affect. inquit enim: Quod ad grumos uocatos, non ſolum eos qui in ueſica, ſed multo magis illos quoq;, qui in inteſtinis, uentriculo, atq; thorace nonnunquam continentur, animi defectio, & color fœdus ſequi ſolet: pulſus uerò paruus, obſcurus, frequens apparet: & laborans cum anxietate reſoluitur, quemadmodum in magnis ſępe accidere ſolet uulneribus: ut mirari aliquis

poſſet

possset,quænã sit eius euẽtus causa,quippe cũ omnium, quæ in corpore sunt, sanguis nobis maximè familiaris, quomodo ex uasis suis effusus, tantorũ malorũ sit causa,ut putredo partiũ, marcor ipsum sequi posit. Equidem uidemus ubi uesicę meatũ grumus obstruxerit eadem sequi accidẽtia:postea Gal.curã ponit,nec problema soluit. Causam igitur esse arbitror, quia sanguis, ut dicit Viaticus in 7. est omnibus humoribus natura temperatior & magis sapidus,& humanæ tẽperaturæ uicinior & familiarior, & nutrimẽti totius corporis autor. Si fortefortuna is causa aliqua instinctus temperamẽtũ suũ excedat, corrũpitur tanquã ui quadam coactus, ut dixi. Et cùm mutatio omnis in cõtrarium ineat, omnes eius optimæ qualitates in pessimas mutabũtur. Et quæ naturaliter optima sunt cõtraria ratione præternaturaliter lapsa,pessima erunt. Argumẽto est cadauer humanũ, & omnes ex corpore hominis superfluitates exeuntes : quæ inter omnia alia corpora,& omnes superfluitates maximè fœtent.Cùm autẽ homo omniũ animaliũ & corporũ & stirpiũ sit princeps & tẽperatissimus; ut testatur Gal.2.& 3.de tẽperamẽtis:& Deus ille opt.Max. & natura , homini tẽperamẽtũ perfectius omniũ eorũ, quæ in toto mũdo sunt,teste Auicenna,donauit: lac etiã præstãtissimus succus omniũ quæ eduntur,teste Gal.& Aëtio,fertur : dummodo naturale & nõ morbidum sit. Quippe uitiosum lac tantũ abest,ut ad succi bonitatem cõducat,ut malo succo utẽtes impleat. Attamẽ si cõcrescat,& in grumos cõuertatur,sæuiora inducit accidẽtia, quàm sanguis in grumos cõuersus:ita, ut in tractatu de uenenis sit caput de lacte coagulato apud Paulum lib.5. cap.57.quod frequẽtẽ facit coagulationẽ.Et Aëtius 13.de uenenis loquẽs cap.75.de lacte in grumos coacto,ut interim Latinos & Arabes taceã,qui idem sentiũt. Eadem ratione cùm sit nobilius & exactius coctum quàm sanguis,non mirũ est,si cùm morbidã qualitatẽ acquisiuerit,sæuiora symptomata producit.Est enim eius generatio ex sanguine exactissimè cocto. Sanguis enim is ex quo lac generatur, prius in uenis & arteriis fuit elaboratus : poterat enim ex uena maxima,quæ ex epate per phrenas ascẽdit,aliquam ἀπόφυσιν ad mamillas,cùm eis esset proxima, facere : sed eam prius ad cor reduxit, & per totũ thoracẽ leuauit,& per longã uiam,ut ait Gal.7. de usu partiũ,sanguinẽ ad mamillas, ut in uenis & arteriis plurimũ concoqueretur,transmisit.Cùm igitur exactiore elaboratione lac quàm sanguis cõcoquatur, habiliorem adhuc substãtiam ipso sanguine ad putredinẽ acquisiuit. Est enim ex his quæ celerrimè transmutãtur propter modũ suæ substantiæ, ut à calore non sibi proportionato,facile putrescat,quãuis in se sit optime substantiæ:ut ponit Auicẽna de causis putredinis.unde Galenus lib.10. de simplic.medic. facult.ait : Porrò cùm lac omnium facilimè alteretur,præsertim si ambiens fuerit calidus admodum, de facultate sua multũ amittit. & 7. methodi, in cura cuiusdã exiccati ait : Ab huiusmodi lauacro statim asininum exhibui lac,sed inducta in ipsam qua iacebat,domũ asina. Quippe sic mihi persuaseram maxime celeriter hominem sanandum,si fieri posset,ut ipse asinã sugeret : sin autem id facere grauaretur, expedire ut quàm minimo tempore in aëre lac moraretur, propterea quòd facilimè mutatur:utiq; genitalis seminis ritu,quod nec ipsum aliquandiu extra propria uasa, si modo suas uires seruabit, morari patitur, sed uel in ipsius maris partibus cõtineri,uel ipsius fœminæ situm esse postulat.Et hæc Galeni autoritas ueluti uehiculo ad modum tuũ de spermate trahi potest,quòd facilius sanguine & lacte putrescit : & uitiato semine maior noxa corpori euenit,quàm ex sanguine menstruo:ita ut strangulatus non paruos pariat in mulieribus,ut sæpe medici hæsitent an uiuãt,nécne:& periculũ de hoc facere coguntur,naribus subiiciendo carptas lanas,uel floculos, uel speculũ tersum ad nares, uel poculũ aquæ orì uẽtriculi apponendo, ut exactè deprehendant num spiritus aliquis adsit, ut ait Gal.6. de locis affectis cap.5. Causam autẽ tanti mali esse arbitror, quia sperma est superfluitas utilis & ultimi alimẽti,qua nõ indiget indiuiduum, nisi ratione speciei, & superfluit coctioni quartæ quæ fit in capilaribus uenis, per quas alimentũ ad membra resudat.Manifestũ igitur est quòd omnis superfluitas ut superfluitas est,excerni debet,& hoc in omni coctione, tam quæ fit in uentriculo, epate & uenis, & nisi excernantur morbos letales pariũt. Simili modo hæc superfluitas morbos magis letales ducit, quoniam sperma ipsum ex sanguine exquisitè prius elaborato miro naturæ artificio, dum in naturali sua & genuina qualitate constiterat, pro specie conseruãda, de qua natura nõ minus solicita fuit, quàm de indiuiduo,productum est. Et ideo est maximè naturæ amicũ:cùm autẽ præter naturã quoquomodo factũ fuerit, est ei maximè inimicũ. Sicut & homo mortuus est magis homini uiuo inimicus,quàm mortuus equus.Cùm autẽ sit superfluitas nobilior,quàm ulla alia excrementosa,quæ omnes,si sanitas seruari debet, excernẽdæ sunt:Multo magis necessariũ hanc spermaticã excerni, aliàs corrũpitur, & uenenosam qualitatẽ acquirit. Nobilissimũ enim eius temperamẽtum facile alterabile & corruptibile ex eius humiditate,& maximè in mulieribus,in quibus est humidius & frigidius:etsi etiã in uiris,ut ait Gal.euenire possit. Cùm igitur portatũ & imperflabile,sicut omnia humida,in corpore fuerit,nec excernitur calor extraneus, naturalẽ resoluens,ipsum occupabit,& qualitatẽ uenenosam,ut aiunt uno ore omnes medici,acquirit:omnia enim optimi temperamenti cùm putruerint fœtidiora &deteriora euadũt:oppositionis rationẽ declarat ouũ, sanguis,lac,& cadauer humanũ. Quibus autẽ persuaderi non potest exiguũ semẽ in una parte corporis cõtentum tantorũ accidentiũ quæ uniuerso corpori eueniũt esse causam,ĳ omnino immemores omniũ,quę quotidie eueniũt,uidentur:uerũ ab ictu phalãgii totũ corpus affici uidetur, exiguo ueneno per minimũ foramẽ iniecto.Sed lõgè maiori admiratione dignus est scorpionis ictus, quòd breui admodũ tempore grauissima infert accidentia:cùm tamen non nisi exiguũ quid ueneni iniectum sit, nullo etiã foramine appetente. Non mirũ est igitur si superfluitas hæc non excreta & putrescens huiusmodi mala excitet,cùm absolutè pro tuenda ualetudine corporis optime sani in omni ætate,nõ conueniat, ut eleganter disserit Gal.2. de sanit.tuẽda. Cibus enim & potus, exercitium, somnus pro tuẽda ualetudine omni ætati sunt cõmunia. Venus autẽ ætati tantum florescentiũ est:quæ enim hanc pręcedunt ætates,uel sequuntur, aut planè non effundunt, aut certè infœcũdum aut male fœcundũ effundunt.In ætate florente hæc superfluitas in uiris & mulieribus gignitur, quæ nisi ui exercitii, uel inedia,uel per hęmorrhoïdas,uel per aliquã euacuationẽ corporis notabilẽ consumatur, eam excernere oportet,alioquin retenta putrescens, hominẽ opprimere facilè potest.Materia etiam necessitate pungẽte & stimulante cũ spiritu multo calido,respirare desiderante,cùm concupiscentia exardente ad excretionẽ, in qua natura maximã uoluptatẽ indidit, ut species perpetuò incorrupta maneat. Hæc sunt mi Georgi quæ mihi in re hac tua scribẽda occurrêre. Est enim res difficilis & scitu dignissima,in qua etiam Aristoteles & Galenus dissidẽt: & ubi his maximis uiris non bene conuenit, non facile inuenitur ueritas. Primus nodus est,si sperma est quædam superfluitas quartæ digestionis. Secũdus,si sperma dicitur æquiuocè,uel uniuocè de uirili & muliebri. Tertius si utraque spermata sint agens & passum, seu materia fœtus, uel sperma uirile sit solum agẽs, & sperma fœminæ sit cum sanguine menstruo solum materia fœtus. Quartus, si plurimum spermatis descendat ex cerebro, de uenis, quæ sunt retro aures, uel partim descendat ab omnibus tribus membris principalibus, & partim resudet à cæteris mẽbris aliquid ipsius. Quintus si natorum assimilatio cum suis parentibus, quia spermatis moles deciditur ab omnibus membris. Est & alius nodus,cùm medici omnes pro cõperto habeãt uaporem ex spermate corrupto sæuiora accidẽtia producere, & aliquãdo ad syncopin cùm ad cor uenerit,& epilepsiam cùm ad cerebrum, & strangulationẽ,quàm menstruũ,cur est si sperma interius sumatur, quòd non lædit, sicut sanguis menstruus? Nam si menstrua interius sumantur,non secus atq; uenenum corpus lædunt. Hæc quoq; more illius uiri doctissimi pensitanda relinquam. Ad secundum dubium an Galenus taxandus sit in cap. de uteri affectibus, quemadmodum asserebat ille doctor, cùm tamen causam esse uel sperma corruptum & retentũ,& sanguis menstruus: cùm tamen alii humores possint & in causa esse,& sæpe sunt. Et quòd Augubius dixerit accidentia excitata ab aliis humoribus reducuntur ad accidentia excitata à spermate & à sanguine menstruo retentis, quæ responsio tibi non satisfecit : quæris à me quid hac in re sentiam. Ego autem dico,Galenum tanquam diminutum,ut asserebant

nulla nota taxandum eſſe: ſiquidem egit de ſtrangulatus uteri notis cauſis. Vterus enim membrũ eſt ad quod uenæ multæ ex magna uena terminantur, ut ſanguis ſuperfluus, mẽſtruus ſcilicet, per hoc membrum excernatur. Et hæc excretio naturaliter in ætate conuenienti debet eſſe in omni muliere: ad eadem uaſa ſeminaria tendunt, ut genitum ſemen per idẽ membrum excernatur. Cùm autẽ ſanguis ſuo tempore, & nõ immodicè fluat, ualens erit mulier, ut inquit Hipp. Hic enim fluxus ſanguinis in muliere naturalis eſt ſolus: & omnis alius ſanguinis fluxus, hoc excepto, eſt pręternaturalis, teſte Galeno. Cùm autẽ retinetur & ſanguis & ſemen, fit retentio præter naturã. Et hoc modo corrumpuntur & cauſant noxã, quam paulo antè tetigimus. Alii autẽ ab iſtis uenis humores naturaliter ad uterum non deſcendunt, cùm in ſanis talis fluxus non requiratur, & plurimum non reperitur niſi in lapſis & pituitoſis, teſte eodẽ Galeno. Et eodem modo poſſunt ad alia membra defluere & putreſcere & apoſtemata generare, ſicut in matrice. Verùm propter magnã uteri cauitatem & uenarũ multitudinem ad eam uenientem magis in ipſam in muliere cacochyma, quàm ad alia membra defluunt, & cùm defluxerint, & putruerint, non æquè ſæua accidentia generãtur, atque ſanguis menſtruus, & ſemen ipſum. Imò rarò alii humores ſtrangulatus inducunt. Et ſi ulcera, ῥαγάδας, apoſtemata cauſent, ſuffocationem tamen non uidemus. Dicere etiã poſſumus Galenũ non prætermiſiſſe præter ſanguinem menſtruũ, & ſemẽ, alios humores in cauſa affectuum uteri fore, quod & tu optimè & doctiſsimè tetigiſti in epiſtola tua. In fine enim capituli inquit: Sed accidit interdũ fœminis muliebre uocatum profluuiũ, uel utero haudquaquam affecto, cùm uidelicet uniuerſum corpus per ipſum expurgatur, quemadmodum per renes interdũ quoque euacuatur. Id uerò potiſsimum fit ſi mulier ſit laxis carnibus & pituitoſa. huiuſmodi autem mulieribus intacto quidẽ utero, ſed uniuerſo corpori adhibitis remediis ſanauimus. Atque id quod excernitur nõnunquã rubra ſanies eſt, interdũ aquoſa aut ſubpallida. & in hoc muliebri profluuio aliorũ humorũ cauſas tetigit Gal. Etſi uetus tralatio hoc in loco corrupta ſit & uitiata: nam loco muliebris fluxus, legitur ſanguinis fluxus. Græcus enim textus habet ῥοῦς γυναικεῖος, id eſt, fluxus muliebris, & nõ fluxus ſanguinis. Hæc ad te uolui etſi ἀκρίβως, ἀλλὰ πρὸς τὸν φίλον ἄνδρα. Quare etſi pauca, quia occupatus, tamen mihi gratiſsimum feceris, ſi intellexero has literas tantũ, quantum ſcribens confidebã, apud te ualuiſſe, hoc eſt in promouenda re tua. Raptim Bononiæ, 17. Calend. Martiis.

## EPISTOLA XXIIII. AD CArolũ Maluetium, *qua agit de iis, qui eminus nihil uident. & quid ſit aliar.*

DIſpoſitio huius nobilis iuuenis ab Auicẽna aliar uocatur, quia malè eminus uidet, & cominus bene, & melius in ſero quàm de mane. Cauſę ponuntur ab Auicen. 3. tertii. de debilitate uiſus. & à Gal. 4. de morbis. In hoc iuuene cauſa eſt ſubtilitas & paucitas ſpiritus uiſiui non tolerantis lumen intenſum, in nocte magis unitur & melius uidet. Et cùm diſpoſitio in deterius indies, Mãdrabuli more, ut aiunt, labatur, (hoc ſibi contraxit mali, à mala quadã ægritudine, in qua ferè uiſum amiſit) principiis obſtare conuenit, dum uirtus, dúmque ætas adſunt. Et in primis à uictus ratione exordiendũ, & ſex rebus non naturalibus. Primũ uitandus aër nebuloſus, uẽtoſus, pluuioſus, itémque nocturnus. Deambulatio quoque ſub ſole fugienda. Victus ſit caro uitulorũ, hœdorũ, agnorum annalium, caſtratorũ, pullorũ, columborũ iuuenum, perdicũ, phaſianorum, turturum, auium nemoraliũ: ſalitæ uerò porcinæ, bouinæ, cane peius & angue odiẽdę. Piſces omnes mali ſunt, exceptis albis de fontibus uiuis & ſaxatilibus: oua recentia ſalubria. Caſeus & lac obſunt. Legumina omnia mala, præter brodiũ cicerum rubeorũ. Fructus partim boni, partim uerò mali ſunt. Boni ſunt ficus, uuæ maturę, pepones optimi, & pruna Damaſcena ante cibũ conueniunt. Rarus ſit aut potius nullus caſtanearũ uſus, & auellanarum. Pyrum aſſum à cibo ſtomachũ confortat. Olera ſiquidem non admodum probantur. Rapæ tamen conuenire uidentur, ſint tamen prius elixæ & abiecta prima aqua. Fœniculus recens commendatur, uerbena & betonica, celidonia, ruta, origanũ, maiorana, hyſſopus: bona hæc omnia, modo parcus ſit & modeſtus uſus, propter caliditatem. Caules lactucę, baſilicon, cæpe, porra, allia, raphanos uitare conuenit, & omnes paſtillos. Parum comedendũ, & potiſsimum in cœna, imò orexi adhuc ſtãte à mẽſa ſurgendũ. Poſt uerò cibũ inprimis laudatur diacitonitẽ, uel duo cochlearia coriandrorũ ſaccharo opertorũ: & ſint ex minutis non ex maioribus. Semina raparũ & fœniculi ſaccharo operta ſalutaria. his uti expedit ſemper à cibo, ſicut & coriandris. Vinũ album odoriferum, pauciferum, & non admodum potens ſalubre. Exercitium ſit ante cibum, & conueniens, donec ſentiat mẽbra calefieri. Aluus ſit ſoluta omni mane. Caput pectine eburneo poliẽdũ eſt, & oculi abluendi ſæpe in mane. In mane quãdo ſurgit è lecto, cũ urina propria caput ablui poteſt, omnibus 10. diebus, & in lixiuio tempore æſtatis bulliant roſæ, myrtili & camomilla. In hyeme addẽda maiorana, folia lauri, & ſtycados. Coitus modeſtiſsimus ſalutaris: nam uenus immodica oculis maximè inimica. Quantum autem ad medicamina attinet, maximè ex re erit ſemper in 15. diebus his uti pilulis: Rec. pilularum lucis deſcrip. Meſ. pil. ſine quibus, agarici trochiſc. ana drach. 2. cum aqua eufragiæ fiant pilulæ 5. ex omni drachma. capiat 5. quãdo lectũ petit, exceptis temporibus calidis. Expedit quoque bis uel ter in hebdomada capere unã myrobalanum conditã ex chebulis, & cùm eam comederit, diu nucleum interiorem in ore teneat. Nux myriſtica, quam muſcatam uocãt, huic diſpoſitioni ſalutaris, ſi fruſtum huius in ore teneat ſæpe per horam ante prandium, & omnibus temporibus. Eufragia maſticata in mane ſummopere prodeſt. Poſtquam uerò ſupradictas pilulas deuorarit, bis uel ter gargarizare expedit cum parum aceti ſquillitici. Species quibus uti conuenit in cibis, hæ ſunt: Recipe ſileris montani, coriandrorum præparatorum, fœniculi in aceto prius macerati, & poſt exiccati, eufragiæ, betonicæ, yſopi ana drach. 1. ſacchari ad pondus omnium, & fiant ſpecies. Aqua pro ablutione oculorum: Recipe roſ. rub. herbæ fœniculi, eufragiæ, betonicæ, rutæ, ana m. 2. incidantur, & ad balneum Mariæ uocatum eliciatur aqua, ex qua oculi madefieri & ablui debẽt. Et in tempore calido partem unam huius aquæ: & roſatæ alteram partem capere præſtat. Item quando lectum petit in diebus quibus non capit pilulas, ſed poſtquam eas aſſumpſerit, imprimis ſalutaris eſt auellanæ inſtar de conſerua eufragiæ tempore frigido. Remiſſa autem aëris inclementia, addendum tantundem de ueſtro ſaccharo roſato. Vere nouo alia aggrediundum uia. Quare interim his, quæ iam ſcripſimus, uti conuenit. Spero rem ex uotis ſucceſſuram, Dei benignitate, quæ nunquam ſuos deſerit. Vale & me ama.

## EPISTOLA XXV. QVA CONſulit *matricis malo mederi ex retentis menſtruis orto.*

LEgi tuas literas, Doctor præſtantiſsime, quibus agis de dolore cuiuſdam nobilis matronæ, quæ diu fluxum ſanguinis menſtrui paſſa eſt, tandem ſedato & conſtricto eo, ſæuus ſubſecutus eſt dolor ex fluxu ab utero cuiuſdam materiæ pituitoſæ adeo ſalſæ ut orificium matricis corrodat. Et in urina eius materia quædam adhærens, uiſcida, glutinoſa, ut nullis uiribus auelli queat. Præſidia petis, & rogas, ſi materia hæc reſtringatur, an periculum aliquod grauius immineat, uidelicet, ne defluat ad aliquod membrum principale, & error poſterior priori longè maior euadat. Conſulerem ego ut ante omnia corpus purgaretur, his inquam, quæ educunt humorem pituitoſum mixtum cum ſalſedine cauſante talem ardorem. Primum exhiberem hanc potionem: Recipe ſenæ, polypodij ana drach. 3. paſſularũ unc. s. ſebaſten numero x. hordei p. s. cartami drachm. 2. florum cordial. drach. 1. s. bulliãt omnia ſecundum artem, in ſero caprino uel bubulo. & decoctionis capiat unc. 6. & plus, uel minus ſecundum quod educit. Et ſi uolueris magis educere adde mucari roſarum unc. 1. uſque ad unc. 1. s. Et ita perſeuerarem per aliquot dies cum hoc digeſtiuo, & euacuatiuo, & ſi nimis educeret dimitterem per aliquot dies & digererem cum ſyr. de lupulis, & melle roſ. ana unc. 1. Aquarum fumiterrę lupul. boraginis, ana unc. 1. s. & poſt hos ſyrupos aliquot dies aſſumptos infunderem drach. 1. s.

Rheub.electi in dictam decoct.secũdum artem factam, & nonnunquam exhiberem pilulæ masticinæ scrup.2. Rheub.el.3. 5.cum aqua fumiter.fiant pil.numero 5. Circa locum uterer unguento rosato abluto cum aqua rosata, aliquando cum lacte, nonnunquam cum oleo rosato omphacino cum albuminibus ouorum & mucilagine psilii secum mixta ad formam linimenti. Per os autem, in diebus quibus nihil capit, consulerem bolum huius confectionis factis purgationibus. Rec. sacchari rosati optimi unc. 1. coral. rub. cornucerui usti, donec albescat, charabę, masticis, ana scrup.1.cum syrupo Myrtino fiat elect. & capiat quatuor horas ante cibum in mane. Vltimò poteris uterũ fomentare cum decoctione rosarum, myrtilorum & eius foliorũ ana m.1.nucum cypressi contusarum m. 1. Etsi ardor non adest, poterit fieri cum uino odorato styptico: si uerò ardor adest, cum aqua sola. Quòd si uehemẽs adsit dolor, ut plerunque fieri solet, ita quòd non potest dormire, non abre fuerit deuorare pilulam granorum 8. de cynoglossa per tres horas post cibum. Si fluxus esset immodicus cum dolore intenso, conuenit exhibere Philonii Persici sacch.ros.ana drach.s.horas septem ante cibum. Si autem uides icoras exire cum fœtore, periculũ erit ne uterus exulceretur: & tunc alio atque alio ordine procedendum. Et si quid est hoc amplius, quod tibi mea ars efficere possit, iube, & meum erit iussa capessere semper. Literæ, quas paucis ante diebus ad me dedisse scribis, non sunt ad me delatæ. Quare posthac uidebis, ne eas temere cõmittas: & dabis operam, ut omni cura, solicitudine, diligentia, doctrina, atque in primis cũ timore Dei, medici officium exerceas. Vale, & me ama.

## EPISTOLA XXVI. AD MAgnificum *Rectorem collegij Hispani, consilium pro debili uentriculi concoctione.*

DIspositio huius egregii uiri est debilis uentriculi concoctio, frigidi & humidi tẽperamenti, unde cùm plus appetat, quàm concoquere possit, sicuti est sui proprietas, teste Galeno 2.artis medicinalis, multæ crudæ in eo materiæ cõgestæ coaceruantur, quæ grauedinem illam in eo generant, ex quibus uapores eleuati ad oculos, te à studio, cui maximè addictus, retrahunt. Sicuti Gal.3.de locis affectis elegantissimè disseruit. Ait enim accidere nonnunquam, ut efficiens causa pertransiens nõ firmum in particula faciat effectum. Quem Archigenes umbram affectus uocare consueuit, ueluti cùm suffusioni similia quædam oculi imaginantur, collecto in ore uentriculi tenui excremento: unde uapores quidam subleuati, dein circunuenti à uisifica facultate, similes imagines mouent, quales per suffusiones apparere consueuerunt: atque id potissimum eueniт, quibus uisifica facultas maximè sentit. Pro hac dispositione remouenda, relinquo sex res non naturales, propterea quòd habes egregium uirũ D.Dominicum & in Theorica & in Therapeutica probe instructum, tanquam in omni scientiarum genere, socium: qui te in his, quemadmodum etiam in cæteris, poterit erudire & instruere, ne sanitatis metas transilias. Laudo tamen ut sit modus quidam, & is parcus in cibis & potu, ita ut semper à mensa discedas cum appetitu. Sitque cœna prandio leuior, & magis parca. Hæc enim debet esse omnibus literis incumbentibus, peculiaris obseruatio, ut celebrata perfectè concoctione, in aurora, quæ maximè amica Musis est, surgere queant. Laudo insuper ut singulis hebdomadis ante cœnam per horam capias scrup.4.pilularum alephanginarum. Et si senseris caput esse graue, capito loco harum drach.1.pilularum de hiera cum agarico, quia suspicio ne noxa contracta sit in capite ex hoc diuturno morbo, qui etiam si sit per consensum ab ipso uentriculo ad caput, in processu tamen temporis uerendum est, ne sit partim etiam per essentiam in capite. Aliis autem diebus quibus non assumis pilulas, capito 4. horas ante cibũ rotulam unam ex hac confectione, & bibito statim digitum uini maluatici. Extra autem circa os uentriculi, & totum uentriculum talem inunctionem facito: Recipe olei Masticilei, olei Nardilei ana unc.1.misce, & hoc calido unge uentriculum: postea superaspergito parũ huius pulueris, & cum manu calida bene permisceto cum oleo: Recipe garyophyll.masticis, nucis myristicæ, quam muscatã uocant, rosarum rub.coral.rub.macis ana scrup.1.misce, & fiat puluis. Confectio autem, cuius pauld antè meminimus, hæc est: Recipe specierũ diambræ, specierũ diagalangæ, ana drach.1.cum saccharo, fiat cõfectio solida in rotulis. Et aliquando in loco huius confectionis poteris uti in mane tria grana masticis electi, eáque deglutire: mirabiliter enim stomachum confortant, ut inquit Dioscorides, & post eum omnes alii. Et omnes quotquot fuere clari medici. Cùm autem petis lectũ, per interualla uti cõuenit grano olibani masculi. Exiccat enim humiditatem capitis & stomachi, & memoriæ cõfert, expeditque id facere omni hebdomada semel post purgationem. In aliis uerò diebus quando uadis dormitum, poteris capere castaneæ instar de conserua florum roris marini. Laudo etiam quòd omnibus decem diebus capias drach.1.mithridati horas 4. post cœnam, & cibum postea procrastinabis nouẽ horas. Summopere etiam commendo ut loco confectionis aliquoties capias radicem unam zingib.conditi & optimi, stomachum uehementer confortat, & memoriam reparat. Aduertendum tamẽ semper est, quòd si remediũ unum capitur, ut reliqua dimittantur. In longis autem ægritudinibus non in una standum est medicina, quia ab iis, quæ multum consueuit natura non patitur, ut testatur Auic.4.primi. Lixiuium autem pro ablutione capitis confortatiuum & memoriæ conferens. Dicunt autem esse ex cinere sarmentorum, uel quercus. postea dicunt hæc ebullire: Recipe acori, sticados, foliorum lauri, rorismarini, iuæ, saluiæ, ana m.1.ex isto lauato caput. post uerò ablutionem aquæ uitæ modico syncipút fundito. pòst autem aspergito puluere: Recipe pulegii, calamenti, garyophyllorum, sandaracæ, macis, sticados, mẽthæ siccæ, samsuchi ana drach. s. fiat puluis subtilis, & superponito parũ stupæ canabinæ. Aliis etiã diebus cùm lectũ petis pone de dicto puluere βρέγματι, etiam si caput non abluis. Est autem hæc ablutio aptior in hyeme. In æstate uerò rosæ rub. coriandri, & myrtilli debẽt apponi in maiori dosi, quàm cęteræ herbæ calidæ. Atque hæc sufficere spero. Quòd si aliud acciderit, quod dii meliora, habebis me paratum. Vale.

## EPISTOLA XXVII. QVA *tractat exactißimè Galeni opinionem in Aphorismo illo, Vita breuis, ars uerò longa. déque applicatione hirudinum.*

CVm uehemẽter literas expectarem, quotidie aliquando uenerunt & quidem tardissimè. Nam cùm maximam cœpissem lætitiam ex superioribus tuis omnibus literis, tum uerò iucũdissimæ hæ tuæ mihi fuere, quia diu desideratæ & doctissimæ uenere, in quibus de studiis tuis Patauinis nonnulla significasti. Solent enim professores publici æmulo quodam desiderio de Gymnasiis aliis quàm libentissime audire. Primum equidem scribis te ab excellentissimo D.Benedicto Victorio expositionem primi Aphorismi Hipp. audiuisse, ubi uoluit omnibus uiris, die noctúque, medicam artem acquirere uolentibus elaborandũ esse, alioquin Sisyphi lapidem tractaturos, ut aiunt. Quia ars est longa, & uita breuis. Tu autem hanc Galeni & Hippoc. opinionem non esse arbitraris, ut in commentariis clare intelligitur. Sed, inquis, Hippocratem potius uoluisse reddere rationem, cur aphoristico processu has sententias scribere uoluerit. Nam hæc scribendi forma tum, cùm sit utilissima, breuissimis etiam uerbis artem longam edocet. Necꝫ uoluisset Hippocrates studiosos à re medica deterrere. Hunc tuum sensum Galeni commentaria approbant, Ras. Rabi, Moses, in prooemio suorum Aphoris. & Nicolus. Vita enim hominis non est breuis si per disciplinam ars medica acquiratur. Secus autem per inuentionem crediderim tum uirum illum doctissimum hoc dixisse, ut exhortaretur ad doctrinam discipulos suos capessendam, ne inutiliter tempus detererent. De tenui autem uictu & exquisito in acutis non conueniente, ais ipsum dixisse de acutis absolutè, quæ in 14. diebus terminantur. Tu autem hoc non approbas, sed ais Hippocratem intelligere de acutis tropicis, in quibus talis uictus non conuenit. Ego assentior tibi, & Nicolus quoque in nostram sentẽtiam pedibus it. In acutis autem absolutè usque ad 14. Galenus sæpe cum exquisito uictu procedebat, nisi cùm uirtutis imbecillitas suspecta fuisset. Sed hæc parui sunt momenti.

Redeo ad maiora. Credidit Victorius omnia Galeni, de periodicatione, mœnia expugnaſſe, quæ in fine ſecundi de differen. febriū dicit. Ais quoque hominem profecto ingenioſum & optimi iudicii dixiſſe, Galenū aſsignando cauſas illo loco periodicationis, cauſas quidē aſsignaſſe reditus paroxyſmorū, ſed non aſſecutū eſſe cauſam reditus paroxyſmi ſecundū determinatam periodum. Et argumento hoc contra Galenum probabat: quod ego ſecundum uerum argumenti autorem ſubſcribā, Gētilem uidelicet: Quilibet effectus finitus habet pro cauſa immediata adæquata cauſam finitam & terminatā, ſed paroxyſmatio cholerę de tertio in tertiū, & ſpecialiter phlegmatis de die in diē eſt effectus finitus determinatus: ergo habet cauſam finitam & determinatam. Sed uirtus membri mandantis uel recipiētis, & diſpoſitiones humorum manifeſtæ tam in qualitate, quàm in quantitate ſunt in infinitum uariabiles: ergo tales diſpoſitiones nō ſunt illius effectus cauſa adęquata & immediata. Et ſic prętet illas nihil poteſt poni, niſi occulta proprietas talium humorum, cauſa talis periodicationis. maior eſt clara, minor patet, quia in infinitū poteſt uirtus membrorum debilitari, & in infinitū materia minui. Hoc argumento credidit Doctor ille egregius contra Galenū demonſtraſſe, & inſolutum reliquit argumentum. Tu autem, poſtquam è ſuggeſtu deſcendit, conatus es toto pectore Galeni partes tutari. Et uerè reſponſio tua ualida & Galeni autoritate fulcita. Miratúſque ſum uehementer, quòd in hoc ueſtro tam florentiſsimo Gymnaſio nemo fuit, qui locum hunc contra Galenum eſſe non deprehenderit, & argumentū cuius ſit, non uiderit. Dictum eſt Gentilis in quæſtionibus extrauagantibus in 22. & 27. Et prima quarti cap. de putredine dubio 27. an ſanguis poſsit facere periodicam febrē. & dubio 28. Dixit enim, & iam apparet tibi, quòd quando Galenus credidit inueſtigare cauſas periodicationis, non inueſtigauit niſi cauſas receſsionis febris & reuerſionis, quæ diuerſificātur ſecundum diuerſitatem materiæ & particularū. Sed cauſas determinatæ periodicationis choleræ uel phlegmatis uel melancholiæ nō eſt perſecutus, & reliqua. Sed diffuſius in quęſtionibus. In ſumma uoluit ut ipſe in eodem capite de putredine dubio 8. recitatis aliorum opinionibus, quòd cauſa horum periodorum eſt proprietas materiæ relatæ ad calorem naturalem, quæ proprietas ſequitur materiam horum humorum cum determinata quantitate & loco. Hanc Gentilis opinionem latiſsimè & ſubtiliſsimè Hugo Senen. tangit, adducítque ſeptem rationes Gentilis in forma, inter quas ponitur argumentum à Doctore tuo tactum: & eſt tertium in ordine. Et ſequendo opinionem Galeni, reſpondet omnibus argumentis Gentilis, & ſi uideris reſponſionē, cognoſces eam non adeo ualidam eſſe. Ioan. Arculanus in eodem cap. hanc quoque opinionem tangit, & rationes ſimiliter in forma ponit. Thomas de Garbo in fine 2. de differen. feb. adducit quoque opinionem Gentilis contra Galenum. Opinionem autē Galeni nemo facile oppugnabit. Cui ſententiæ etiam Iacobus de Partibus. Nicolus, pluſquam Commētator, & omnes uiri doctiſsimi, prætermittentes hanc Gentilis ſpecificam proprietatem, aſtipulantur. Scribis porrò D. Frāciſcum Frigemellicam in lectionibus ſuis damnaſſe modum extrahendi ſanguinis per hirudines αἱμοῤῥοΐσι applicatas, tum propter earum uenenoſitatem & frigiditatem, & quòd nō attrahunt niſi ſanguinem ſubtilem. Et medici ora mariſcarum aperientes ſanguinem craſſum extrahere intendunt, unde uoto fruſtrātur. Et ſi aperiendi ſunt, conuenit magis eas aperire cum φλεβοτομῷ, quàm cum hirudinibus. Cum autem & ego ſim in albo, qui multis annis multíſque in ægris hoc modo uſus ſim, nō adduci poſſum ut hoc credam. Primò uenenoſitas non obſtat: ſiquidem, teſte Galeno, captæ & per unum diem aſſeruatę, paucóque ſanguine paſtæ, uenenum omne exprimitur, quanto magis per menſes & furfur & ſaccharum, & per crebam aquæ mutationem expurgatæ immunes reddūtur? Ad hæc ſi ſanguiſugæ ex immundo fonte cum aqua epotę non inferunt ueneni noxam aliquam, ut ponit Galenus 4. de locis affectis, quanto minus purgatæ exterius appoſitæ. Galenus autem non cognouit aliquem ex uenenoſo aliquo ſymptomate hirudinem, cùm integra ualetudine fruebatur, potaſſe, niſi uiſo in ſputo cruore. Si dixeris, iubet Galenus poſtquam eas appoſueris, & poſtea detraxeris, uenenum earum cucurbitula detrahere: Noſtri tonſores hoc faciunt, utpote qui teneant patientes, poſtquam ceciderunt hirudines, ſuper aqua calida, ut diutius ſanguis effluat. Frigiditas etiam earum obeſſe non poteſt, ſiquidē prius potu aquę calidæ locum calefaciunt, & interim dum hærent cum pannis calidiſsimis adſunt. Cum autem ciciderint cum aqua calida. Quòd autem aſſerit ſanguinem ſubtilē attrahere, cum Galeno ingenue confiteor, ſi applicantur in manibus, pedibus & cuti, ubi oſcilla uenarum parua ſunt. Sed ſi αἱμοῤῥοΐδων capitibus affiguntur, uideo ipſas ſanguinem atrum & craſſum educere, quo huiuſcemodi uenæ plenæ ſunt, ut teſtatur Galenus 6. Aphor. 11. atra bile uexatos, & αἱμοῤῥοΐδες ſuperuenictes bonum. Hæ enim uenæ ſanguinem craſſum ſolent euacuare, humore plenum melancholico, talem habente in ſanguine cōſiſtentiam, qualis eſt in uinis fęx. Quare nihil mirum eſt, ſi atræ bili & renum affectibus conferunt αἱμοῤῥοΐδες, ut quæ humorem fęci ſimilem euacuare natura aptę ſint. Et in Aphor. 12. Si igitur hirudines oſcillis αἱμοῤῥοΐδων applicatæ ea aperiant, neceſſe eſt ſanguinem quoque uitioſum euacuari, ut inquit Gale. 6. Aphor. 46. non ſubtilem, cùm in eis nō ſit niſi craſſus. Si fortaſſe extractus per hirudines aliquando ſubtilis & rubeus apparet, ſicuti & ego ſæpius numero uidi: arbitrabar hoc euenire ex miniſtri inſcitia, qui ad ora uenarum eas non applicuerit, ſed potius in ani circuitu, ad eius circulum. Neceſſe eſt anum inuerſare, & cum cucurbitulis αἱμοῤῥοΐδας extrà, ut eas uideas, extrahere, quod ſanè non omnibus tonſoribus notum eſt. Cognoſco autem miniſtrum rectè egiſſe, quoties hirudine cum forcipe inciſa, ſanguinem multum effundit. Sin autem rubeus & ſubtilis eſt, ſcio tonſorem erraſſe. Poſt autem craſſum extractum, ſubtilem denuo ſubſequi, non ab re erit. Quare uſus hic, iudicio meo, haud aſpernandus eſt, quo annis iam plus minus quadraginta uſus ſum, & plerunque ex animi ſententia ſucceſsit. Et ſi Galenus hoc modo non uteretur, facilè ſuſpicari poſſemus eas à recentioribus inuentas eſſe. Multa in Methodo medendi & ſaluberrima reperiūtur: nonnulla & poſt Galenum reperta, quæ ſi ipſe nūc uideret, & uti poſſet, laudaret modum & libenter uteretur: ſicut dicit de medendi modo, cum uehementiſſimè exiccantibus Eudemi in capitis uulneribus, à quo plures ſeruatos uidit, quàm ab his qui blandis medicamentis procedebant: & quamuis talibus medicamentis nunquam aliquem alium uti uidiſſet, nec ipſe auſus fuit uti, aggreſſus tamē & ipſe hunc modū fuiſſet, poſtquam rem feliciter ſuccedere uidit, ſi in Aſia perpetuò manſiſſet, ut ipſe de ſe teſtatur in fine ſexti libri metho. med. Sed cùm Romæ ageret, urbis morem ſecutus eſt. Modum tamen Eudemi magis approbat, tanquam tutiorem. Quod ego nec laudo nec uitupero. Tutior tamen eſt hic noſter, quo recentiores utuntur. Matthæus autem de Gradibus, ſolus fermè inter recentiores minimè in aliis rebus aſpernandus, in hoc non laudatur quòd eas cum phlebotomo aperuit, utpote quòd ſæpe perducat hominem ad fiſtulas, ſicut ipſe fatetur uidiſſe. Adde quòd noſtris temporibus à uiris doctiſsimis in ęgritudinibus multis phlebotomia indigentibus, ætate autem prohibente, cum ſanguiſugis, uenas, quas ſecare intēdebant, applicitis, proceſſum eſt. Et ego huic opinioni aſtipulor, & Arculanus. Contraham hic uela, nec nimis ſpatioſum ingrediar mare. Volui tantū hæc pauca non ut uiros doctiſsimos reprehendam, ſed ut eos ad Galeni lectionem inſtigem. Vale.

## EPISTOLA XXVIII. AD MOnachum quendam *hæmorrhoidibus laborantem.*

ET religione & doctrina uenerādus pater de Monte Barucio annos fermè 12. αἱμοῤῥόϊσι laborauit. Ex quarum continuo fluxu iocinoris imbecillitas ſumma ſubſecuta eſt, unde ſuſpicio imminet intercutis morbi: quare breuibus quid ſentiā explicabo. Etenim præſidia morborum, non in uerbis, ſed in re ipſa ſita ſunt. Primū uti conuenit drach. 1. s. Soldanæ, quæ Arabibus canchilæ uocatur, Dioſcoridi uerò braſsica marina cum Rhabarb. ſcrup. 2. ſpicæ ſcrupu. s. his in pulueram redactis, capito cum tantillo uino, in quo diſſolui poſsint: & id capito 7. diebus, & tardetur cibus 6. horas. In aliis uerò diebus capere expedit electuarium quod fit à Galen. 8. lib. miamir. id eſt, de medicamentorum

torum compoſitione ſecundū loca, pro debilitate epatis, & appellatur electuarium de Riſodea in barbara tralatione, in latina uerò Andromachi compoſitiones à cyphi dictæ cyphoëdes, ad iecorarios & omnia thoracis uitia. Ab Auicenna uerò 14.3.tract.2.cap.3. de cura debilitatis epatis appellatur electuarium de paſſulis, & eius uirtutem ſigillatim Galenus & Auic.exponunt. capito caſtaneæ inſtar horis 4.ante cibum cum pauco boni uini odoriferi & aromatici. In cæteris uerò pareto conſilio præſentis medici. Plura ſcripſiſſem ſi temporis anguſtia permiſiſſet. Vale, & da operam ut ualeas: ualebis autem ſi medico parueris.

## EPISTOLA XXIX. AD NObilem uirum Vincentium ab Vrſis. *Conſilium pro macilento & extenuato cum ſtypticitate uentris, & ſtomachi frigiditate.*

SCribis mihi de morbo fratris tui chariſsimi: inquis enim eum eſſe macilētum cum uentris ſtypticitate, & ſtomachi. Malum equidem hoc haud aſpernandum, & curatu etiam difficile, quia hoc ex ægritudine longa ortum habuit, & à caliditate & ſiccitate. Cum autem illi fratri tuo nō minus quàm liberis meis debeā, tum propter ſummā eius doctrinam, tum etiam propter merita in me & meos non uulgaria: non labori parcam, quò ipſi, ſi fieri poteſt, aliqua arte humana & induſtria ſuccurratur. Humanum enim eſt humanis caſibus ingemiſcere, & humanis ſubuenire, quia in hoc nati, in hoc educati ſumus, ut multis auxiliemur. Prima igitur curarum & præcipua in uictus ratione ponēda eſſet: Sed quia uerſatur in aula, & liber de tuenda ſanitate non aulicis ſcriptus eſt, ſed his ſolum qui ſuæ ſpontis ſunt, nec multis negotiis diſtrahuntur, ut teſtatur Galenus libro ſexto de tuenda ualetudine. Carnibus igitur uti conuenit elixis potius quàm aſsis, excepta ſuilla, quam aſſari expedit. Sint autem uituli, hœdi caſtrati, annualis agni. Leporis autem & capreoli rarior ſit uſus. Volatilis caro etiam ſalutaris, ut pulli, caponum, gallinę, columborum pulli, perdicum, phaſianorum, auium in nemoribus uiuentium. Alias uerò carnes præſtat uitare. Piſces de aquis currentibus, ut fluuiales, fontales, & marini ſolidæ carnis, & cōdiantur cum aromatibus, & hoc potiſsimum hyberno tempore, ſalubre. Oua & omnia ferè quæ ex lacte fiunt utcunque laudantur, ut caſeus recens. Fercula ex bleta, ſpinachiis, maluis, mercuriali, atriplicibus & cucurbitis ſuis temporibus conueniunt. Brodium ex caulibus & eorum cauliculis non perfecte coctis, ſumme cōueniunt, ſi cum pauco ſacchari & oleo cōmuni perfecto uel ex amygdalis dulcibus expreſſo, & cum aromatibus condiantur omnia hæc fercula. Ex oleribus, peponibus optimis in tēpore ſuo moderate capere conuenit. Item ex fructibus, ceraſis dulcibus uti poteſt, capparibus & oliuis. Ex acetariis cicorea, endiuia, lactuca, ſalutares, hyeme cocta ſint. Cibi uiſcoſi, & qui obſtructiones inducunt, & difficiles digeſtu, ſunt uitandi. Laudarem cōtinue & etiam diu uſum ptiſanæ hordeaceæ in ſero loco ferculi, in qua parū cinnamomi electi apponeretur. In hoc enim ferculo fiduciam non mediocrem habeo. ex uſu eius corpus pingueſcere & humectari poteſt, & uenter quoque facilius fluere: & poteſt fieri in brodio carnis bonæ. nonnunquam uerò in aqua cum 5.uel 6. amygdalis, & cum peponum ſeminibus in ea contritis, & ſaccharo addito, & cinnamomo. In tēpore etiam frigido ſi cochleare unum mellis optimi in eius coctura adhibebitur, non ab re erit. Inquit enim hic frater tuus ſe multis remediis uſum eſſe, quæ nihil profuere, ſicut paſſulis & brodiis. Ne hoc moleſtetur, quoniam ex longo horum uſu poterit ſubleuari. Laudo igitur brodium ex pullis & ex caulibus ſemicoctis cum oleo optimo, quibus adde unc.s.ſacchari communis. Summopere mihi placeret, ut interdum coquerentur quinque pruna damaſcena in aqua mellis, & de illo decocto caperet circiter unc. 5. horam ante cibum. poſtea in principio prandii comederet eadem pruna cum pane, uel ſine pane. Aliquando etiam brodium pulli capiet horam ante cœnam uel prandium, cum ſaccharo & pauco tartaro de bono uino. & modo uno, modo uerò alio remedio uti præſtat. Sæpe etiam calefacere tres ficus bonos & in eorum meditullio ponere parum pulueris hyſopi, uel pulueris ſeminis urticæ, & eos ante prandium comedere expedit. Et hoc elect. eſt pręſtans ſi ante cibum cochleare comederit per horam: Recipe ſucci paſſularum, ſucci prunorum, ſucci ſebeſtē, ſucci pulpę caſiæ ana unc. s. ſenæ, polypodii. ana 3.iij. epithimi 3.j.s. cinnamomi, aniſorū, tartari de bono uino albo ana 3.j. cum penidiis & ſaccharo diſſoluto cum aqua uiol. fiat elect. & ſi ex uno cochleari non ſoluitur uenter, paulatim eius doſim augeat. Vſum fortium medicamentorum non laudo: quia ex uſu longo eorum uirtus debilitatur, & male cedit. interdum etiam conuenit uti puluere ſenæ in brodio. De pilulis autem credo ipſum ſæpe uſum eſſe, ideo nihil de his dicam. Si autem uellet capere aliquando pilulas tres de aloë lota, & ſuperbibere parum aquæ cicoreæ horam ante cœnam, expediret ſummopere. Ego ſæpius feci pro his qui amaritudinem aloës non abhorrent, fieri decoctū ex unc.1.aloës & unc. vij. mellis electi, in libra 1.s.aquæ fontis, & ex eo capere in mane per interualla unc. 3. uſque ad iiij. & tardare cibum per horas v. optime educit, & eſt medicina ἐκκοπρωτικά. Clyſteria etiam mihi non diſplicent, modo præcedant ſemper aſſumptionem lenientium, ne obſtructa ſit uia, alioquin uenter non flueret. Clyſtere autem hoc modo fit: Recipe ſummitatum caulium, maluarum, altheę, blitis, mercurialis ana m.1. fœnugræci, ſeminis lini ana m. 1.s. ficus pingues numero x. fiat decoct. conueniens, de qua capiantur unc. 16. butyri unc.1. zuch. rub. unc. 1. s. mellis uiolati unc. 1. s. olei communis unc. s. uitellum oui numero 1. ſalis drachmā 1.s. & fiat clyſtere. Sed ante clyſtere herbæ dictæ decoctionis bene contritæ poſt coctionem poſſunt teneri ſupra uentrem calidæ, per duas horas: pòſt uerò fiat clyſtere. & aliquando id fieri poteſt ſine clyſteri. Amoto hoc fiat hæc unctio cum hac mixtura: Recipe ſucci radicum ebuli, fellis bouis, ana unc. s. aloës 3. s. ſalis gemmæ drach. 1 butyri unc.1.s. ex omnibus fiat mixtura & ungatur uenter, maxime circa umbilicum, & ſit unctio calida, & adiuuabit uentris excretionē. & ſi addatur 3.s. ſcammoneæ, melius operabitur. His ſpero dei benignitate melius habiturum, modo rerum omnium ordinem & modum teneat, uidelicet, in cibo & potu, ſomno, uigiliis, exercitio, quiete, animi affectibus, & uenere, quæ in primis inimica huiuſmodi naturis eſt. Vale.

## EPISTOLA XXX. AD ANdream Alciatum, *qua quid ſit ſtellio interpretatur, quid contuſum.*

DVm in his ſaturnalibus Bernardus Berguntius, uir ut in iuriſprudentia & aliarum diſciplinarum peritia, ita & morum integritate præſtantiſſ. ad conuiuium nos uocaſſet, quod uerè conuiuium & non ſympoſion optimo iure appellari debet. In illo enim quæcunque lepidiſsimus liber M. Varronis ex ſatyris Menipeis, qui inſcribitur, Neſcis quid ſerus ueſper uehat: de apto uidelicet conuiuarum numero, déque ipſius conuiuii habitu, cultúque eleganti pręcepit, continebantur. De multiplici ſcientiarum doctrina hinc inde ſermo habitus eſt. Inter alios, tu Andrea Alciate, multiiugis diſciplinis prędite, qui noſtræ ætatis & ueterum iuriſperitorum gloriā exornas, cui accommodari poteſt illud, quod de Varrone ſcripſit Terentianus, uir doctiſsimus undecunque, tuo admodum diuino ingenio uberrimos tanquā ex Tantali fonte latices cōuiuis proponebas. Et quod raris à diis conceſſum eſt, in te cumulatiſsimè congeſtū eſſe facile quiuis dignoſcere poteſt. Qui enim iuris eruditione florent, eloquentiā cū ea minime cōiunxere: tu autē utranque adeo coniūxiſti, ut in qua magis excellas, dubitetur. Aderat & Cornelius diui Frāciſci miles miratu dignus. Primo tāta uox tam paruo in corpuſculo, tam pertinax ſpiritus, ut continuis diebus ad publicas lectiones ſufficere, quod nulli alii ex publicis profeſſoribus conceſſum eſt, ualeat. Deinde ab ipſo in una quaſi pfecta muſices ſciētia modulatus editur ſonus, & nūc celeri & cōtinuo ſpiritu trahitur in longū, nūc inflexus uariatur, nūc conciſus diſtinguitur, promittitur, reuocatur, plenus, grauis, creber, extētus, ſummus, medius, imus. breuitérque dum in ſuggeſtu declamat, omnia tam paruulis in faucibus, quę tot exquiſitis tibiarū tormētis ars hominū excogitauit, reſonāt ſenſu

theologorum & philoſophorum, omnia perfectiſsimè felici ingenio, fœcunda memoria in medium adducit, & doctiſsime interpretatur. Dum ergo hinc inde de literis ſermo uarius haberetur, dixiſti te plures medicos doctrina claros conſuluiſſe, quid ſtellio apud medicos eſſet. neſcire aiebas, unde pœna ſtellionatus qua puniebantur, qui aliquid capitale commiſiſſent, tracta eſſet: neque hactenus offendiſſe quenquã, qui tibi in hoc ſatisfeciſſet. Dixi me uelle ſuper hoc conſulere autores: & quid de hoc ſentiam accipe. Hermolaus Barbarus uir multæ lectionis, inter omnes noſtri ſeculi doctiſsimus in capite de ſalamandra, hæc ſcripta reliquit, inquiens: Similis Aſcalabotæ ſalamandra eſt, lacerta uenenaria, Græcis ἀσκαλαβώτης & κόλλοτον καὶ γαλεώτης, noſtris uerò ſtellio. Horum trãſmarini pleni lentigine, ſtridoris acerbi. In tantum ſcorpionibus, quibus uefcuntur, aduerſi, ut uiſis protinus torporem inferant frigidi ſudoris. Tales in Italia nõ ſunt, uiuunt enim rore, ut chamæleones, præterea & araneis. Qui autem ſtelliones appellantur, ut Marcellinus inquit, in nouis domibus cernuntur, fortaſſe ii, quos Romanum uulgus tarãtulas uocat, albas, innocuas, & puſillis lacertis ſimiles. Sunt & Apulorum tarantulæ in agris phalangiorum fortaſsis generis ueneni præſentanei, commota ſtatim eius mente, quem percuſſerint. Auxiliari omnino cantu eis muſicáque ratione conſuetudo regionis eſt. A ſtellione fraudulentiſſimo animali ſtellionatus crimen, & ſtellatura, Spartianus in Peſcennii nigri uita: Quos, inquit, conſtiterit accepiſſe ſtellaturam. & alibi: Tribunos qui ſtellaturas, inquit, militibus tuliſſent capitali pœna affectos. Inuidentiſsimum hoc animal intelligitur, quoniam ſenectutis ſuæ membranam deuoret, gnarus propter morbos comitiales impeti eam. Hinc ſtellare uerbum pro inuidere. Hæc Hermolaus. Ex cuius uerbis huiuſce nodi diſſolutio facilior, quàm ex Galeno, Aëtio, & Paulo de ſtellione loquentibus, apparet. Hoc reptile uenenatũ animal, quod tarantula uocatur à Leoniceno, uúltque ſub genere phalãgiorum apud Græcos, apud Arabes uerò ſub Rutela contineri. Reprehẽditque Plinium in phalangiorum myrmecio in caſtigationibus, & lapſu memoriæ eueniſſe arbitratur. Leonicenus uerò putat eſſe ex defectu eruditionis Græcæ, quia in uigeſimonono plura quàm oportuerit phalangiorum genera enumerauit. & dixit φαλάγγιον Italiæ ignotum, & plurium generum: unum formicæ ſimile, ſed multo minus, ruffo capite, & reliqua. Paucos tamen uerſus infra, ueluti dicti prioris immemor, idẽ genus repetiit, ita ſcribens, Myrmecion formicę ſimili capite, aluo nigra, guttis diſtinguentibus. Non differre autem hoc à ſuperiori, qui Græcos autores, & præcipuè Nicandrum, atque Galenum, & inter recentiores Aëtium de generibus phalangiorum ſcribentes, legerit, minime dubitabit. De hac autem tarantula uulgare prouerbiũ circumfertur, quòd ab ea ictus nequeat uno cõſiſtere loco. Huic malo unica medicina ſalutaris inuẽta, ut ictus uario & multiplici cãtu tibicinũ, aut citharœdorũ, aliorúmue muſicorũ promulceatur. Et morſi ad tibiæ modulos ſaltãt, ſonúmq; ſequuntur, nec à ſaliendi modulis aberrant. Imò qui antea ſaltatoriæ artis rudes & expertes erant, ſciunt dare motus compoſitos. Vt ex Aeliani hiſtoria à Petro Gylio latinitate donata, uidere licet. Alii dicunt ſtellionẽ à ſtella dictum eſſe, quoniam quibuſdã guttis lucentibus in modum ſtellarum, & quibuſdam circulis depictus eſt, & à Græcis ἀσκαλαβώτης, quòd Græcis ἀσκαλὸς circulus eſt, Romani uerò uulgò tarantula uocant. Ab hoc animali ſtellionatus crimen apud iuriſprudentes nomen accepit. Cuius cognitio, ut Vlpianus ſentit, ad pręſidem ſpectat, cum uidelicet dolo ac fraude aliquid agitur: ut ſi quis rem aliàs obligatã diſsimulata obligatione per calliditatem diſtraxerit: aut ſi quis merces ſuppoſuerit, uel corruperit, aut ſi impoſturam fecerit, cuius nulla pœna ordinaria eſt, ſed extraordinaria plectitur. Cauſa autem nominis ſecundum hæc fuit, quòd qui huiuſmodi criminis rei ſint, aſtu & dolo uelut quodam ſtellionis medicamento homines fallunt. Fit enim ex ſtellionibus, ut inquit Plinius libro 29. capite 4. malum medicamẽtum. Nam cum mortuus eſt in uino, faciem eorum qui biberint lentigine obducit, ob hoc in unguento necant eum inſidiantes pellicum formæ, remediúmque eſt oui luteum, mel & nitrum. Sed hæc, quam iam dicam nominis cauſam, mihi magis arridet, quæ eſt apud Plinium libro trigeſimo, capite decimo. Quoniam nullum animal fraudulentius inſidiari homini tradunt, ideo nomen hoc uerſum eſt in maledictum, & quoties inſidiatorem aliquem ſignificare uolumus, ſtellionem nominamus, à quo crimen ſtellionatus à ueteribus eſt deductum. Scit ſtellio quoque animalculum nihil precioſius pellicula ſua ad morbum comitialẽ inueniri, ideo eam ſimulatque exuit, deuorat. propter hoc obſeruant cubile eius æſtate, quod eſt in locis oſtiorũ, feneſtrarúmque ac cameris uel ſepulchris. ibi uere incipiente, caueas ex fiſsis harundinibus textas apponunt, quarum illi anguſtiis gaudentes, quo ſe facilius exuant per eas egrediuntur. quapropter dimiſſa tunica remeare non poſſunt, & ita coguntur eam relinquere. Eſt & alia ſpecies, quæ frequens eſt in Apulia, de qua dictum eſt. Plura ex Ariſtote. animalium libro 8. de diuiſione araneorum & phalangiorum adducere poſſem, quæ huic noſtræ rei ſeruiunt: ſed hæc ſufficere arbitror. Cæterum incidit quoque mentio, an cibus, quo in ægrotantibus noſtræ tempeſtatis utimur, quem contuſum uocamus, etiam apud Galenum reperiatur. Ioannes Andreas Albius uir ingenii ſingularis, & qui Galeni doctrina inprimis delectatur, aſſerebat contuſum nõ inueniri apud Galenum. Ego uerò contra aſſerebam contuſum reperiri apud Galenum, in primo ad Glauc. in cura tertianæ febris, & fieri ex ſuilla carne, qua ſi nos uteremur in febrientibus derideremur. Albius autem contendebat non reperiri, & quiduis audebat in pignus uocare. ita tandem, te iudice rem uolebat decerni. & ut facilius decernere queas audi Galenum, ubi de cibis febris tertianæ loquitur. τῶν συῶν τοὺς πόδας τε καὶ τοὺς ἐγκεφάλους, τῶν μικροτέρων δὲ εἰ καὶ τῆς σαρκὸς δοίης τακερᾶς οὐδὲν βλάψεις. id eſt, ut Leonicenus tranſtulit: ſuum pedes & cerebra, paruorum uerò ſi etiam dederis carnem liquefactam, nihil nocebis. Manardus quoquo huic meæ opinioni aſtipulatur, qui in epiſtola ad Comachenſem epiſcopum de contuſa carne loquens, ſic ſcribit: Nec uerendum quòd nimis nutriat, quia, quod contuſum uocamus, ut aliàs probaui, parari aliquo modo poteſt, ut minus nutriat, quàm ptiſana. Nec abhorret hic cibus à Galeni doctrina, quando & ipſe procellorum carnes liquefactas tertianariis cõcedit. Hæc Manardus. Tuo igitur acri iudicio hæc decernenda relinquo. Vale. Bononiæ pridie Calend. Ian. anno M. D. XXXVIII.

## EPISTOLA XXXI. AD ANTOnium Siculum medicum & philoſophum, *qua demonſtrat quibus notis in urina materia peccans deprehendatur.*

QVæris à me, quibus notis in urina medicus materiam peccãtem in uenis uel extra uenas, ſubtilem & craſſam cognoſcere ualeat. Dico hoc plurimis notis cognoſci poſſe ex temperamento ægri. Scis enim ex Galeni 2. artis medicinalis, in bilioſo temperamento bilioſos generari ſuccos, in pituitoſo pituitoſos, etſi de melãcholico nihil dixerit: quia fortaſſe ut Auicen. & Iacob. de partibus tangunt, Galenus dubius fuit an à calore temperato ut uoluit, an ab excedente melancholicus ſuccus generaretur. ſed hoc tanquã parergon dimittamus. Primum igitur temperamentum erit, in quo ſucci ſimiles plerunque generantur, & ſi omnes in quolibet temperamento generari poſsint, pluries tamen ſibi ſimiles. Aliud ſignum occurrit aduertendum, ex quo licet, ut dicit Galenus 4. de tuenda ſanit. de mali ſucci ſpecie coniecturam accipere: qui enim in otio degunt, hi pituitoſum aceruare ſuccũ ſolẽt: quos multus labor exercet, hi bilioſum uel melãcholicum, illum æſtate, hunc uerò autumno gignunt. Quinetiam an diuturni labores fuerint, inſpiciendũ eſt: quanto enim fuerint longiores, tanto ſunt ad generandum atram bilem habiliores & procliuiores: præterea qui cum ſudore obeuntur, hi craſsius excrementum faciũt: qui uerò ſine ſudore peraguntur, magis tenue: regimen autem præteritũ ad hoc ſubſcribit, an. ſ. tale fuerit, ut humores bilioſos, uel pituitoſos produxerit. Conſiderandum ad hæc etiã erit non ſolum de urinæ multitudine & qualitate, ſed etiam de ſudoris qualitate: is nanque partim eſt acidus, partim ſalſus, aut planè uirus olet. Sæpe etiam amarus apparet, qualis utique è

morbo regio laborantibus emittitur. Eius uerò dignotio etiam citra gustũ facilis est ex solo colore, quippe pallidus pro eiusmodi bilis ratione apparet. Sæpe tamẽ post ualidissimos labores, & uehementem æstum planè flauus conspicitur, aliquando medius, atque ambobus mixtus cernitur, ueluti quodãmodo ex pallido flauus ὠχρόξανθον Græci dicunt. Ad eundem modum & ipse bilis humor se habet, quando hunc quoque in uomitu, deiectionéque, aut pallidum, aut flauum, aut ex utroq; compositum licet tueri. qualiscunque uerò is in corpore habetur, tale necesse est appareat serum: uerum sudor quidem succorum, qui in uniuerso corpore abundant, signum & nota est: urina uerò eorum tantũ qui in uasis continentur. Considerare primũ quoq; urinæ tum consistentiam, tum colorem conuenit: & neque ea quæ in ea pendent aut subsidunt negligere oportet, sed omnia perpẽdere: cuiusmodi enim sanguis sit qui in uasis continetur, ea planè ostẽdunt: quoniam si is biliosus sit, serum quoque eius biliosum esse oportebit, idque pro utriusque bilis ratione: simili modo pituitosum, si is sit pituitosus. ergo ubi crudus planè is est, utique tenuis & aquosa urina cernitur, nihilq; quod sidat, nec quod pendeat in se habens: & ex his omnibus notis facile cognoscere poterit medicus an succi subtiles, uel crassi peccent. Cur autem post syrupos, ut dicis, urinæ turbari uidentur, ante autẽ minimè? Ratio est, quia ex syrupis fit deobstructio, humorum subtiliatio, uiscidorũ incisio, ex quo humores cum sero magis commiscẽtur, & cùm eo facilius emittuntur: & cùm coctio non perfecta sit, perturbatio in urina fit. Asserit enim Gale. in 4. de tuen. san. cùm urina emingitur puráq; fit, protinus uerò turbatur, iam crudi succi concoctionem aggredi naturam docet: uerùm omnium quæ turbãtur generalis nota est urinarum, ipsius crassi à liquidiore separatio, aut propere aut tarde facta. Hæc eadem à Galeno in tractatu de urinis colligi possunt: ex quibus nodus tuus facile dissolui potest: docet enim quomodo succos peccãtes an crassi, an subtiles peccent, ex colore cognoscere ualeamus: & quæ ex tenui reddita est turbida, indicat naturam iam primo aggressam coctionẽ: ex primo etiam crisium cap. 12. omnia tibi se agnoscenda offerunt, quæ omnia tibi scio esse gratissima itidémq; notissima. Sciscitaris præterea quæ species mãnæ apud nos sit in usu: scito mannam quam masticinam uocant, quæ admodum more masticis duriuscula est, & eius colorẽ refert, & ex oriente ad nos defertur. Alia species quæ calabrina appellatur, est etiam apud nos in usu: & meo iudicio uirtuosior masticina. sed ego libentius calabrina utor quàm masticina: rarior tamen est, ideo non tantum ea utimur, quàm masticina. Tu autem qui es in illis regionibus ubi copia colligitur, securè ea uti potes, quod nos facere non possumus, ob raritatem & pretii magnitudinem. Vale, & me ama.

EPISTOLA XXXII. AD NI*colaum* Leu*am* Lucen*sem iurisconsultum peritissimum.* De *urinæ stillicidio consilium.*

ROgasti me, uir præstantissime, ut urinæ stillicidii causam, ea ipsa qua possem diligentia describerem. Inquis, omni ferè te hora ad micturitionem cogi, & urinam subtilem esse, albam, & sine ardore, & sic semper fuisse. Quòd si aliquando conaris eam retinere, sentire quosdã flatus excremẽtosos, fuliginosósq; à partibus uesicæ eleuari, ex quo uentriculus inflari uidetur, & magis ascendens diaphragma comprimit, tussim excitat, & cerebrum ascendens motus quosdã uertiginosos causare uidetur, cùm catarrhi defluxu, & deiectione crebriore: & urina missa, omnia hęc symptomata statim cessant. Quęris igitur ut horum omnium symptomatum causam tibi perscribam, & aliquam præsentaneam antidotũ. Quia omnia quæ hactenus huic malo medendo adhibuisti, esse irrita & uana reperta: imò multorum illustrium medicorum usum esse ais consiliis, & rem indies Mandrabuli more, ut habet prouerbium succedere. Ego autem is sum qui tibi uiro doctissimo & integerrimo quicquam nec uolo, nec debeo, nec possum denegare. Hæc igitur pauca accipe, quæ fortasse tibi magna erunt: scias tamen uelim omnes uiarum urinæ morbos, cum cognitu, tum curatu esse difficiles: & cùm diutius inueterarint etiam difficilimos, & potissimum cùm huiusmodi symptomatibus coniunguntur, fieri. Et ut uerum fatear, talia symptomata de tali flatu fuliginoso & excrementoso à pauca urina retenta, nunquam ego antea uidi euenisse, nec apud medicos legi, idcirco horum problematum ratio non facile reddi potest. Natura igitur animalium cõseruationi intenta, ut diu animal cõseruari possit à dissolutione continua, quæ ab innato & insito calore semper fit, ut tota corporis moles quæ in fluore est perpetuo, tardius dissoluatur, non animalibus modo, uerum etiam stirpibus insitas quasdam uires deficientis ac desiderati semper appetentes, ab initio statim indidit. Non enim uesci, bibere, aut respirare à quoquam unquam didicimus, ut inquit Galenus, sed statim à principio facultates in nobis habemus, quæ omnia hæc citra docentem perficiant. Cibo igitur quicquid siccioris substantiæ effluxit, restituimus, potionibus quicquid humidioris. Nec aliter iustum caloris insiti modum quàm cibo potionéq; seruare possumus, ex quibus excrementa non pauca, non apta corpus animalis nutrire, resecantur: quibus etiam natura instrumenta dedit in quæ recipiantur & ex eis uoluptate afficiantur, & statuto tempore instituit ut in eis retineantur & expellantur, alioqui rectè animal ualere non posset, siccioris & terrestrioris partis, quam fęces appellamus, intestina instituit: serosæ autem partis non aptæ ad corpus nutriendum, uesicam. Igitur intestina plura, inuoluta & reuoluta, sublimis Deus creauit, ut diutius pars fæcialis in eis retineretur: ut si quid succi aptũ nutrire corpus in parte fæciali contineretur, disperso multiplici uenarum numero in intestinis ipsis exugeretur: tum etiam ut cibus non citò deflueret, & ne ad frequentiorem deiiciendi occupationem detineretur: unde continuus cibi appetitus sequeretur, sicut in animalibus unum solum intestinum habentibus euenit. Si autem hoc in homine eueniret, ἄμουσον καὶ ἀφιλόσοφον, id est, alienum à musis, & à philosophia, ut uerbo Galeni utar. Sic etiam natura uesicam amplam fabricauit, ut urinæ serosæ capax sit, & eam usque ad tempus excernendi debitum retineat: & sicut in fine intestini recti ultimi inter alios, nonnullos musculos constrictiuos, ut fęces per tempus aliquod retineri possunt. Galenus autem libro 6. de locis affect. de uesicæ affectibus inquit: Quippe uesicæ officium unicum est, uidelicet, ut comprehẽdat. At musculus qui urinæ meatum in circuitu ambit, in origine ceruicis uesicæ extensus est, cuius opus ab electione excitatur; utpote qui ambiens ceruicem uesicæ, eam ita exactè constringit, ut nihil humoris ex uesica in meatum ingredi queat. Atque similem quoque actionem & utilitatem habet musculus, qui recti intestini partem extremam ambit: proinde ipsis resolutis, neque urinã uesica, nec stercora aluus retinere potest: sed præter uoluntatem paucis omnino interuallis utraq; excernuntur. Hæc Gal. in multis locis. Et ideo, ut iam dictum, si musculi hi functione ob uitiũ aliquod propria priuantur, homo à negotiis suis distrahitur, sicut tibi euenire asseris: quandoquidẽ ob hanc micturitionem te perpetuo angentem ad publicas concertationes, ut moris iurisperitorum, in quo albo maxime tu numerandus, congredi non audes. Interrogas igitur quæ sit causa huius tui stillicidii: & in nocte profundo somno correptus ne gutta quidem exit. Causa igitur est stillicidii, quia acuta est & mordax, stimulans ante tempus debitũ expulsiuã. Sed cùm in tua non sit, nec unquã fuerit ardor, nec dolor, merito acuitatis hæc retinẽdæ urinæ impotentia prouenire nõ potest. Aut potest prouenire merito uasorum urinæ deseruiẽtium, sicuti epatis, renum, pororum uritidum, quos ureteras uocant: sed in his mẽbris non apparet affectus aliquis, nec inflammatio, nec caliditas superflua, (etsi renes à symmetria ad calidum declinant) ita ut possint esse causa attractionis urinæ in maiori quãtitate quàm conueniat: sed nec hoc potest esse in causa: quia assumpta illa uestra aqua lucana, quæ mirabiliter caliditatem epatis & renum minuit, nullum apparuit adiumentum, & remissa caliditate mictio frequentior subsecuta. Asseris etiam quantitatem urinæ si tota colligeretur, non esse superfluæ quantitatis, ultrà quàm sit conueniens, secũdum potus assumpti proportionem: si enim hoc eueniret à superflua renum caliditate, ut in mictu superfluo & διαβητικῇ passione, maior esset quantitas

urinæ, & præter modum corpus aresceret, quod in te non apparet. Nec hoc euenire potest propter causam in principiis, sicut in congelatis & paralyticis euenit. Causa igitur est aut in uesica ipsa, aut in eius collo. In uesica autem ipsa arbitror esse malitiam temperamẽti frigidi & humidi, quæ uirtutem retentricem debilitat, ita ut sæpe compellatur ueluti sarcina onerata, onus deponere: nõ quòd sit in ea scabies nec ulcus, nec apostema, cum urina non fœteat, nec sanguis, nec arena, nec sanies in urina apparuerit: sed potius subtilis, clara ueluti aqua fontis. Arbitror igitur huius dispositionis causam esse relaxationem in musculo colli uesicæ non potente debito tempore sicut suo incumbit officio, urinam retinere: ut ani musculo in retẽtione fæcum, ex causa dicenda, sæpe accidit, ut in te apparet: sed in ani musculo non tãta est relaxatio, ueluti in lacerto uesicæ, ideo crebrius meiere quàm deiicere. Aegritudo igitur tua, ut mea fert opinio, est mala uesicę & colli complexio, potissimum frigida & humida, cum materia per essentiam existens in ipsis membris. Per essentiam igitur seu ex primigenio affectu laborare assero, quia nocumentum essentiale est in musculo impediẽs eius operationem, quòd non potest, ut maximè debet suo fungi officio debito tempore urinam retinere, & eam debito expellere. sensibilis igitur læsio operationis eius hoc discernit: & cũ hoc nocumentũ perpetuo in hoc membro permaneat, & fixum, non credendum est posse esse nisi per essentiã in ipso membro. Quòd autẽ hæc sit materia frigida & humida, ex urina alba, aquosa, sine citrinitate, sine ardore, & nullo calore in illis membris percepto, ex causa antecedente, quã tu suspicaris fuisse in causa ex habitatione cuiusdã cubiculi humidi, in quo per plures annos gnauiter studuisti. Nec casus, nec offensio ulla præcessit, sicut in illis, quos Galenus memorat 6. de locis aff. Talis igitur est morbus, ad quem sequũtur symptomata prædicta, quoties urinam retinere conaris, eueniũt propterea quòd membra regalia & nobilia, ut dicit Auicenna 19. tertiĳ de ægritudinbus uesicæ, quãdoque communicant & cõpatiuntur uesicæ ægrotanti in ægritudinibus & doloribus suis, & quod cerebrum ex apostemate calido uesicæ, dolet, & quandoq; incurrit uertiginem propter communitatem cerebri cũ uesica: & hoc fit à malis uaporibus, & corruptis fumis petentibus cerebrum, mediantibus neruis iustæ magnitudinis in uesica receptis ex spinali medulla, unde exeunt. Epar quoq; hydropen, uitio frigoris uesicæ, frequẽter incurrere dicitur, quoties à frigore impedita sufficiẽter urinalem aquositatem non capit: & licet de corde mentionem non faciat, Iacobus tamen de Partibus in commento, uerificat etiam cor uitio uesicæ compati posse. Galenus quoque de locis affectis cap. 4. de uesicæ affectibus asserit de sanguine in grumos concreto, quod animi defectio, color fœdus, pulsus paruus, & laborans ipse cum anxietate resoluitur, quemadmodum in magnis uulneribus accidere solet, ita ut mirari aliquis possit, quænam sit huius euẽtus causa. Quippe cum omniũ quæ in corpore sunt sanguis nobis maximè sit familiaris, quomodo ex uasis suis effusus tantorum malorum autorem se prębeat, ut putredo partium marcor ipsum sequi possit? Hæc Galenus. Causam autem horum accidentium non reddit: quare Nicolus in 5. de sanguine in uesica congelato ipsam reddit, quam breuitatis gratia relinquo. Sic igitur cum præter tempus tibi cõsuetum inuito retinetur, quidam flatus crudi excrementosi, putredine participantes eleuantur & uentriculum extendunt, & διαφράγμα comprimunt, & cerebri meningas pungentes ipsum offendunt, & sicut in uaporibus calidis hoc facile uidetur, idem in frigidis euenire potest. Nõ enim minori sæuitia hi possunt offendere quàm calidi, & uenenositatẽ etiam acquirere. Nicol. enim in 4. disputat, an uenenum calidũ sit frigido deterius. Et has esse morbi tui causas & accidentias arbitror. In somno autem asseris urinam retineri. mirum hoc non est. Somnus omnes sistit euacuationes, siue naturales, siue præternaturales, excepto sudore, & eo magis cum, ut asseris, profunde dormias, & in die ex motu urina excitatur. De cura autem, cum omnia ferè medicamenta ex frequenti usu, tibi sint inuisa, quod nihil hactenus profuerunt: Tamen etiam meum addam calculum. Primum igitur danda est opera ut omne genus ferè fructuum, & ciborum frigidorum & humidorum uites: & uti conuenit iis, qui exiccant cum calefactione, ut sinapi, pipere, & zinzib. nuce muscata, cinnamomo, carnib. assis, & uino bono uetusto: parce quidem utenda sunt ea, & potissimum uinum, quod rubeum esse debet & aromaticum. Ficus sicci maximè cõmendantur. oua & passulæ cum pipere aspersæ, & mentha quoque laudatur. De medicinalibus, thus masculum cõuenit. Laudarem ut sæpe hora eundi cubitum tria grana electi thuris deglutires: & in mane caperes instar castaneæ de hoc electuario: Recipe glandium infusarum in aceto prius bene exiccatarum, ita ut torrefiant, thuris, masticis, ciperi, cinnamomi, cardamomi, boli armeni oriẽtalis, xiloaloẽs ana drach. 1. cum melle fiat electuarium. De linimentis, cataplasmatibus, & id genus similibus nihil scribam, cum tibi sint notissima, & sæpe iis usus sis. Sed cùm summis morbis summa conueniant remedia, laudarem ut te ad aquas thermales reciperes, non quòd suadeã ut eas bibas, sed quòd ἐμβροχὴν, quam aliqui duciam uocant, & corpus in his aliquãdo laues, ad thermas, inquam, quæ ex sulphure & alumine participant, ut sunt tuæ Lucanæ, quæ de Torseno uocãtur. Habes etiam aquas petrioli, & sancti Philippi, quæ fortiores sunt. Semper tamen epar & renes linimentis tibi notissimis, ne nimis incalescant tueri memineris. Et confido ex usu harum, si præceptis medicorum administratæ fuerint, mundificato prius, ut par est, corpore, leuamen nõ paruum subsecuturum. Hæc tibi existimaui summopere conferre, quæ Deus opt. max. qui solus uere languores curat, ad uota tua dirigere dignetur. Bononiæ 4. Cal. Febr.

## EPISTOLA XXXIII. AD COMItem *Galeazium de Fontana late. De præseruatione ac cura podagræ.*

QVæsisti à me, Comes illustris, an humana industria ac arte fieri possit, ut aliqua remedia præsentanea huic morbo permolesta & graui podagrico, inueniri possint: quo minus omni anno uelut postliminio, redeat. Grauiter equidem te hoc primum anno infestare cœpit. Ego quantum tibi debeam, testantur beneficia in me tua. Quare cũ iam mea opera indigeas, uelim equidẽ, ut in alio me utereris. En adsum opitulante manu. Cura igitur huius morbi, ne inualescat, & radices altius figat, non adeo difficilis erit, cùm audiam morbum non esse hæreditariũ, & tu consiliis medicorum parêre non graueris. Nec desunt medici qui dicant etiam si sit morbus hæreditarius posse sanari, modò caueant ne superfluitates generentur, ut etiam ait Galenus sexto Aphorismo: Eunuchi podagra non laborant, nec calui fiunt. Primum igitur danda est opera, ut aẽr pluuiosus, nebulosus, frigidus admodum & calidus, uẽtúsq; borealis, & maximè post austrum, uitetur. Exercitium, & si iuncturis maximè prosit, si uehemens est, nocet: sit igitur moderatum: nec pedes itinere, nec equitatione, nec stando defatigari debent. Fiat ergo ante cibum citra lassitudinẽ, pòst parũ quiesce, & pòst cibus sumẽdus. Pedes ablui non debẽt cum aqua dulci, quia præparat ad podagras. Si tamen à sordibus emundandi sunt, & ablutio sit necessaria, cum lixiuio debili in quo rosæ rubeæ ebullierint cum pauco sale, sitque non admodum calida & in tempore, quo non infestatur à dolore. Concubitus numeratur fermè in numero exercitĳ: is enim exercendus nõ est, nisi stimulante natura, nec statim à cibo, sed per sex horas post uel septem. parcus etiam is sit: quia maximè huic morbo contrarius, & imprimis in principio morbi.

Animi affectus, ut ira, tristitia, furor, solicitudo, & anxietas, obsunt. Somnus uigiliis utilior, is autem esse debet horarum 7. uel 8. nocturnus maximè, diurnus uerò uitandus, nisi cõsuetudine coacti, & uigiliæ noctem occupassent. Cibi potúsq; moderatus sit usus, nimia repletio obest, nec prodest nimia abstinentia. Ciborum diuersitas ut palatũ delectat, ita sanitati nocet. Panis sit utcunq; coctus, crustã tamen deponito. Iuscula aperitiua uitẽtur, ut cicerum, faseolorum, caulium, & calidarum herbarũ: uitato aromata, ut piper, zingiber, crocus, in hyeme parũ cinnamomi poterit tolerari, nõ aliis temporibus. Fuge quoq; acria, ut acetum: quod si cũ passulis ebullierit, & non acre, conceditur. Agresta, &

succus

ſuccus granatorum pro ferculis alterandis in æſtate laudantur, modò parcus & non frequens ſit uſus. A porris, alliis, cæpis, & raphanis, tanquam à uitæ pernicie, abſtineto. Pari modo uinum potens & album fugiendum. Sit autem uinum rubeum non potens nec dulce, ſed quod parum ad auſterum uergat, & cum aqua decocta diluatur. A fructibus putreſcibilibus, aquoſis, abſtineto, ut ceraſa, poma, pyra, & perſica. Pruna autẽ Damaſcena & alia laudantur ante cibum. Item poma, pyra, citonia, non mala ſunt. Pepones quoque modica quantitate conceduntur: ſic cucurbitæ, uuæ & ficus. Inter piſces prima gloria petroſi, albi, ſquamoſi, de aquis currentibus. Fercula milii, panici, farris, rizíque laudantur. Oua quoque in aqua cocta cum agreſta ſalutaria. Paſtilia omnia, caſeos & id genus fuge. Et ut ſummatim dicam, audi Galenum in caſu loquentem in 6. Aphor. 28. Eunuchi nec podagra neque caluitio corripiuntur. Corpus à ſuperfluitatibus immune eſſe oportet. Vacuũ autem & immune à ſuperfluitate erit, ſi mediocri utatur exercitio, & bene cibum cõcoxerit: unde deſidiæ & crapulæ ſummopere nocent: uina fortia & immoderata quoq; ſubſtantiam neruorum offendunt, ſicut & coitus. Quantum autem ad medicamenta attinet & euacuationes, φλεβοτομία conueniret, ſed corporis macies ad quam ægritudo tua te duxit, non patitur, & ea quæ paucis antè diebus facta eſt, etiam nonnihil obſtat, alioqui non ab re fuiſſet. Purgationem laudo omni anno, ineunte uere, etiam ſi autumno fit eò præſtantior. Digerendam materiam arbitror hoc ſyrupo: Recipe ſyr. roſati, ſyr. de endiuia, mel. roſ. col. ana unc. s. Aquarum end. borag. acetoſæ, ana unc. 1. miſce. poſt 9. ſyrup. capito has pilulas: Rec. myrobalan. citrin. drach. 4. aloës lothæ, Rheubarb. el. ana drach. 2. Agarici trochiſcati drach. 2. maſticis drach. 1. cum electuario roſato Meſuæ fiat maſſa, de qua capiatur drach. 1. & ſuperbibito ſtatim aquæ endiuiæ unc. 2. ſemis. mucari roſarum unc. 1. s. & obſeruato regimen ut in medicinis ſolutiuis. Et ante pilularum aſſumptionem laudo ut loco dolenti, uel qui dolere ſolebat, ſuperponas petiam infuſam in oleo roſato omphacino, & ſequenti die capito ante cibum parum de zuccharo roſ. & bugloſſato. De his autem pilulis operæpretium erit ut capias omni ſeptimana drach. 1. uel plus uel etiam minus, ut res ipſa requirat. Breuior eſſe uolui, quia ſpero his te ſanum fieri & diu permãſurum. Quàm tibi, tuiſque ſim deditus, iamdudum te compertum habuiſſe ſcio. Vale. Bononiæ Calendis Aprilis. Anno M. D. XXXVIII.

## EPISTOLA XXXIIII. AD *Franciſcum Guizardinum auditus grauitate laborantem.*

VIdi literas tuas, quas mihi per ueredarios miſiſti, in quibus ais tinnitum & diminutum auditus ſenſum in aure dextra ſentire, & indies magis ac magis inualeſcere: & auxilia hactenus à medicis adhibita penitus nihil contuliſſe. Doleo equidem, ut debui, debeo autem plurimum, ſed quia res non admodum antiqua eſt, non poſſum non bene ſperare. Petis à me ἰμβροχὴν ſiue duciam, quam tibi, cùm hic Bononiæ urbis habenas prudentiſsimè moderabaris, ita ut nemo unquam prudentius, pro oculorum lachrymis exhibueram, & breui ſpatio Dei benignitate te priſtinæ ualetudini reſtitueram. En tibi eam, ſed inprimis corpus purgandum & præparandum eſt. Et præſcribenda uictus ratio, & rerũ omniũ non naturalium. Exordiri igitur inprimis ab aëre conuenit: is ſi frigidus, nebuloſus, & uentoſus eſt, maximopere obeſt: nam obtundit ſenſus, & corpora replet. Cibis quoq; optimis & boni ſucci uti conuenit. Somnus ſit ſeptem uel octo horarum, nec ſtatim à cibo, ſed poſt horas duas. Meridianus uerò ſomnus, tanquam aconitum fugiendus. Obſeruandum quoq; antequam auri quid imponatur, ut ſit terſa, ac munda à ſuperfluitate, quæ in ea ſolet generari, cum panno inuoluto & bene intorto madefacto in aqua mellis, in qua origanum decoctum ſit: & ſemper aqua ſit tepida, ſicut omnia quæ auri imponi debent. Poſtea autem mundari conuenit cum licinio intincto in aqua mellis, in qua parum colocynthidis ſit decoctũ. Vltimò cum auriſcalpio ex auro. Conuenit quoque purgatio omni anno totius corporis: & ſemper in 10. uel 12. diebus capere tres harum pilularum poſt cœnã horas duas: Recipe pilularum de hiera cum agarico, pilularum aurearum ana drach. 2. cum aqua maioranæ fiant pilulæ numero 15. addendo pæoniæ gra. 3. & deaurentur ſi placet. In mane uerò capere potes unc. 3. aquæ endiuiæ, mucari roſarum unciam unam, & uſq; ad unc. 2. ſi pilulæ uerò non uentrem ſoluent, & hoc potiſsimum fieri debet, ſi aliqua aëris caliditas uigeret. In intenſa uerò caliditate non laudo uſum earum. Si autem caliditas inſtaret, & neceſſe eſſet euacuare propter duciam, loco pilularum cõuenit hic bolus, ſimiliter poſt cœnam per tres horas capiendus: Recipe floris caſsiæ drach. 10. agarici trochiſcati ſcrup. 4. cum zuch. albiſſ. & puluere liquiritiæ fiat bolus. Et in mane ſimiliter aqua endiuiæ cum mucaro capi poterit. His peractis, ſcilicet corpore & capite optimè purgato, & obſeruata bona uictus ratione, ad localia migrare conuenit. Ego in ſimili caſu iubeo tabellam paruã & ſubtilem politam de cupreſſo calefieri, & ſupraſpergi facio parum de puluere origani & maioranæ, & colocynthidis, & auri applicari in mane & ſero ante cibum & hora eundi cubitum, & aſſumpta cœna parca ſic debet teneri quamdiu durat eius caliditas: deinde una gutta de pice ſublimata infundi in aure debet: poterit etiam fieri talis liquor in caſu potẽs, inſtillando pluries in die, & ſemper aurem emundando: Recipe olei amygdal. amararum, olei liliorum alborum ana unc. 3. origani, maioranæ, pulpæ colocynthidos, aloës ana drach. s. muſci, ambræ, laudani, macis, ſtoracis, calamitæ ana ſcrup. s. caſtore: gran. 3. pul. ſubtiliſſ. pul. da. & ponantur in ampulla uitrea bene obturata, & bulliant in urna plena aqua ad modum balnei Mariæ, per horam cum dimidia: deinde uſus ſit ut dictũ eſt, & ſi his non alleuiabitur auditus, ad duciam deueniendum erit. Et quia ad balnea naturalia non facilis eſt acceſſus, & commodius etiam fit in domo propria, ſicuti aliàs expertus es: nec cœli inclementia tantùm metuenda. Deſcriptio eius talis eſt: Recipe roſarum rub. florum nenuf. florum lambruſci, balauſtiarum, ſumach, coriandrorum, myrtilorum cum foliis ana m. 3. Gallarum, nucũ cupreſsi, ſticados arabici, ſticados montani, acori, roris marini cum floribus, foliorũ lauri cum granis, ſaluiæ domeſticæ & ſylueſtris, aſſari, ana m. 2. uerbenacæ, maioranæ, menthæ ana m. 3. ſenæ, betonicæ, ſerpilli, pulegii, ſatureiæ, calamẽti, yſſopi, florum camomill. meliloti, meliſſæ, hypericonis, origani, mentaſtri, iuæ, chamædryos, chamępityos, artheticæ paralyſis, euſragiæ, florũ ſambuci, radicum pæoniæ, cyperi, granorum iuniperi, abrotani, abſinthii, corticum citri & aranciorum, ſileris montani, matriſiluæ ana m. 2. s. Aluminis rochæ lib. s. ſulphuris lib. 3. s. ſalis communis lib. 1. bulliant omnia in tribus corbis aquæ in qua 10. fruſta chalybis candẽtis prius extincta ſint, & fiat ducia ſecundum ritum, & erit pro tribus uicibus: & facta ducia leuiter ſynciput madefiat cum pauco aquę uitæ, & ſuperſpergito parũ huius pulueris: Recipe ſandaracæ, coral. rub. roſ. rub. garyophyl. ligni aloës, macis, thuris, laudani ana drach. s. fiat puluis, & parũ ſtupæ canabinæ potes ſuperponere: conueniet etiam is puluis ſi hora cubitus ſpargas parum ſuper ſynciput. Quòd ſi aëris inclementia eſſet, uel æſtus, ducia fieri non debet. Laudo etiã ut in frigidis temporibus poſt pilularũ aſſumptionem aliquando capias ſequenti nocte drach. 1. de theriaca, cùm Florentiæ optima conficiatur. His ſpero tibi conſulturum: ideo non plura uolui ſcribere, cùm plura potuiſſem. Vale.

## EPISTOLA XXXV. DE *febre putrida coniuncta cum hectica conſilium.*

CVm iam concluſum ſit D. Hieronymum Torantellũ laborare febre putrida coniuncta cũ hectica ab illis eximiis medicis, ex opinione eorũ, ut ex his, quæ ab ipſis mihi ſcripta ſunt, & ex nuntii dictis colligere potui, eorũ opinioni ſubſcribo, unde cura redditur difficillima, ut in omni febre compoſita ſolet accidere. Cùm igitur circa putridã diutius laboratũ ſit, habitudinali non neglecta, & ſalus non fuerit ſubſecuta, ſapientem non debemus infamare ex quo cum ratione proceſsit, nec ægrum præmiſſo præſagio dimittere, ne

ex toto

ex toto à ſpe remoueatur. Circa uictus rationem procederem cum contuſo, ſorbili ptiſana, lactucis, deſtillato ad fructum & humidũ alterato, modò de uno, modò de alio. In Chronicis enim non cum una medicina ſtandum eſt, quia ab una natura aſſuefit, & poſtea ab ea non patitur, & inungerem thoracem, ſpinã, omnes iuncturas hoc linimento: Recipe olei uiol. olei de papauere, olei amygdal. dul. recenter expreſsi lotorum in aqua recenti ſæpius, pinguedinis gallinæ recentis ablutæ, mucilaginis, pſilij & ſeminum maluę ana unc. 1. cum cera fiat linimentum, & unctio fiat cum cotto bis, uel ſaltem ſemel in die & leuiter, & ſæpius exhiberem de hoc eclegmate: Recipe zucchari uiolati cãdi, diacodionis cum zucch. ana unc. 1. ſeminum commun. frigidorum drach. 6. ſandalorum omnium ſcrup. 2. cum iuleb uiolato fiat eclegma. & quia ſiti maximè affligitur, laudarem ut pluries caperet de huiuſmodi aquis, & quantum uellet, dummodo in uentriculo cõcoqueret, & caperet per horas 3. uel 4. à cibo diſtantes, & proſequeretur in uſu earum cũ pauco zuccharo iuleb uiolati: Rec. aquarum limaciarum, tuſsilaginis, quam farfaram uel ungulam caballinam uocant, end. boraginis ana lib. 1. abſinthij lib. s. & hac ſitim extinguat. Ego enim ex potu harum uidi multos, qui iam ad tabẽ deuenerant reuixiſſe, nec facile eſt quantitatem quã aſſumebant exprimere. Clyſteres & ſi etiam deiiceret, alternis ſaltem diebus fieri laudarem, ex brodio ſacchar. & 2. ouorum uitellis, ex lacte etiam ſæpius. nec obſtat. Hipp. Aph. uulgatiſs. Lac dare febricitãtibus, &c. cùm in clyſteribus hoc dictum locum non habeat, imo etiam ſi per os exhiberetur in caſu maximè macredinis exiſtente, & putrida non multum intenſa laudarem, quod Hipp. etiã conſentit, ſiquidem multò plus proficere poſſet quàm obeſſe, ut Nicolus etiã exponit: & ego in tali caſu exhibere nõ uereor, tali tamẽ modo ne in nidorem cõuertatur, & ſi ab ubere iuuenculæ tẽperamenti pituitoſi exugeretur, eſſet præſtantius. Si autẽ à muliere nollet ſugere, aſinæ lac propinarẽ, quã ordeo, rubi foliis & lactucis nutriri curarem, & aſinã more Gale. in cubiculum ducerem, ut cum ſuo naturali calore biberetur, emulcto lacte in uaſe poſito in aqua calida, abſterſa prius, cũ pauco cotti parte pingui, quam Græci γραῦς appellant, & parũ ſacchari in uaſis fundo ponerẽ. Circa cor, epar, renes, epithẽmata & unctiones non dimitterem: ſi ſplẽ etiam tumuerit, & eius cura obliuioni non tradatur: uentriculi cura habeatur cũ his quæ ipſum adſtrictione aromatica cõfirment. Circa ulcus in ficteri apertum teneatur, ita tamen ut moleſtia magna non afficiatur: hæc ſummus Deus qui ſolus languores ſanat, ad ſalutẽ hominis ſua pietate dirigere dignetur: & cum uiris doctiſsimis ſermo habeatur, paucis cõtentus eſſe uolui. Excellens Doctor iterum uidi ea quæ in eodem caſu D. Hieronymi, à me expoſtulas, ſit ne aliquod notabile remediũ, quod in hoc caſu poſsit ſalubriter addi, præter ea quæ à me ſcripta & à te facta ſunt, laudarem ut uteretur aqua lactis caprini cũ infuſione florum recentium ſambuci, & capra nutrita ſit ex hordeo, ex foliis ſalicis, ex ſummitatibus rubi, lactuca, endiuia. Hoc enim remediũ febrientibus febre putrida & hectica maximè conueniens eſt, & mineram gaudij generat, & exhibeatur ea doſi, quæ unam uel binas deiectiones uentris faciat. In cæteris autem eodemmet modo procedendum, ut facis arbitror. Et ſi fortè ad lactis exhibitionem tibi etiam aliquando procedendum uidebitur, laudo ut aſella ducatur ad cubiculum uſque, & mulgeatur in uaſculo ſtante in aqua calida, & ſtatim cum cotto bene mundo pars butyroſa auferatur, & cum ſua genuina caliditate addendo parum ſacchari, ne in ſtomacho aceſcat, uel parum mellis electi more Galen. exhibeatur. Et Deus, qui ſolus omnes languores ſanat, hæc ad ſalutem hominis dirigere dignetur. Vale, & me ama. Bononiæ XXI. Aprilis. Anno M. D. XXXVII.

## EPISTOLA XXXVII. PRO VOCE, *pro robore uentriculi, & atra bile, conſilium.*

Reuerendus hic pater tria petit, quæ ei ſummopere neceſſaria ſunt, uocem ſcilicet ad cõciones habendas idoneam, uentriculi robur, cautionémq; aduerſus atram bilem, qua quandoque affligi uidetur, ut prouinciam ſibi iniunctam, uiſitandi uidelicet ſuæ ſodalitatis fratres, exequi ualeat: quibus rebus opem laturus diuino implorato auxilio ea notabo quæ in hos uſus conducere mihi uidebuntur. Inter quæ prima hæc eſt potio quæ uere & autumno ter quatérue accepta, magno erit in omnibus, quæ petit præſidio. Potio: Recipe polypodij ana 3. 1. cnici uulgo cartami uocati. s. aniſi ana unc. 1. croci, cinnamomi ana ſcrupul. 1. Contunde & bulliant in libr. s. aquæ borag. ad tertiæ partis conſumptionem, & in decoctione diſſolue caſsiæ n. unc. s. uel drachmas 6. iuxta alui uel lubricitatẽ, uel aſtrictionem: ad eadem ualebunt hæ pilu. Recipe pilu. maſticinarum ſcrupul. 2. agarici ſcrupu. 1. croci gran. 5. cum aqua meliſſæ, fiant pilu. 5. Poterit ergo modò potione, modò pilu. uti, nec ſolum uere & autumno, ſed aliis quoque temporibus præterquam in magno æſtu. Peculiariter ad uocem ualet hoc elect. paulatim deglutitum: Recipe ſucci braſsicæ puri unc. 2. penidiarum unc. 1. oxymell. ſcyllitici q. s. fiat elect. Item grana cubebæ maſticata, myrrha electa ſub lingua retenta, ſemen altheæ ore retẽtum, gutta aceti ſcyllitici deglutita. Porrum uel allium cocta, cum melle comeſta. Ad ſtomachum: Picra Galeni modo parata ante cibum per horam deglutita quantitate duarum drach. fruſtulum maſtich. ieiuno deglutitum, choclear ſyrupi de mẽtha, uel de corticibus citri, cerotum ex partibus duabus maſtiches, & una parte ladani cum modico ueræ terebinthinæ uentriculo admotum. Melancholiæ: Vinũ in quo meliſſophyllon, quę & apiaria herba & meliſſa dicitur cum borag. manſerit antequam bibat per duas horas. Sacculus ſupra cor geſtatus plenus his rebus: Recipe ſamſuchi, ocymi ana unc. s. gariophyl. drach. 1. macis roſarũ ana drach. 2. fiat puluis. elect. ex ſaccharo roſato, boraginata ana unc. 1. diamuſchi drach. 1. Petit præterea quinam cibi ex his quorũ uſum regula cui ſe uoto aſtrinxit, quæ certè quantum ad hoc arctiſsima eſt, permittit, ſint illi minus nocui. Non enim quadrupedum tantum, & auium eſt illi uſus interdictus, ſed etiam eorum, quæ ex iis quoquo pacto naſcuntur: lactis uidelicet & ouorum. Ex tribus igitur ciborum generibus, quæ illis permittũtur ſubſcribam ea, quæ minus nocua uidentur, his affectibus, quos ſuperius memorauimus. ſunt hæc genera. Piſces: Petræi maritimi, petræi aquæ dulcis, parui uel fluminum, uel fontium, auratæ, paſſeres, triglia, quę muli & barbones, rhombi, ſoleæ, gobij, echini marini, clupeæ, carpiones, canidani, lampredæ, lucij, trutta, ſcardua, regina. Ex ſalſis illi edi poſſunt, qui naturaliter non admodum ſicci ſunt, reliqui dimittendi, ſicuti & teſtati, & cruſtacei. Vt autem etiã quos nomine non agnoſcit uitare poſsit, ſciat uitãdos magnos, & quos ſequens pagina demonſtrat. Olera quibus uti poteſt, lactuca, endiuia, bugloſſus, borago, atriplex, ſpinachia, acetoſa, aſparagi, petroſelinum, mentha, cappares, pulegium, origanum, ſaluia, roſmarinus, betonica, calẽdula, fœniculus, anethum, aniſum, cerefolium, beta, ſerpillum, paſtinaca alba & rubra. Fructus terræ: Ordeum, far, ius cicerum, iuſcula ex farina: uocẽ firmant ſaccharo condita, amylum, panis elotus, oryza, miliũ: omnia hæc dulci oliuo condiri poſſunt, uoci tamen magis conducent, ſi uel amygdalorum lacte uel oleo eorũ recenti condiantur, quod & de oleribus putandũ eſt. Phaſelis quoq; interdum ueſci poterit, ſicuti & cicercula cum odoratis herbis coctis: lens cum hordeo, cucurbita, melopepones. Piſces uitãdi duræ carnis, ualde pingues, tenaces, mali odoris, & qui citò ab aẽre uel putreſcunt, uel ualde alterantur, ſintque omnes elixi, uel ſine uſtione aſſati, non fricti, & cũ odoratis herbis uel aromatibus conditi. Olera: Porra, allia, & cepæ cocta, ius braſsicæ cum ſaccharo. Bonum autem erit ut frigida calidis miſceantur, ſuperantibus hyeme calidis, æſtate frigidis. Fructus arborum: ficus uel recentes, uel ſiccæ, caricæ uocatæ, paſſulæ, amygdala & per ſe, & cũ caricis, pinei fructus cum paſſulis, granata medij saporis, quæ dulcacida uocantur, citri cortices, præſertim cõditi, ceraſia parua acida, oliuę conditæ, pyra, cotonia, mala cocta cum ſaccharo uel melle, pruna præcipuè ſicca, perſica condita, piſtacia, auellanæ. Hæc inter piſces olera, & fructus elegi, quibus uenerandus hic pater nõ quidem innocuè, ſed cum minore noxa ueſci poſsit, in quibus etiam ferè hunc ordinem ſeruaui, ut à minus malis incipiens, ſic ad peiora paulatim deſcenderit. Faxit autem Deus opti. maxi. ut cum his uox ſonora ſeruetur, niger

humor

humor reprimatur, & uentriculus simul cum reliquis corporis membris incolumis custodiatur. Ex ædibus nostris, Ferrariæ. M. D. XXXVII.

## EPISTOLA XXXVII. AMICO *cuidam hypochondriaca & flatuosa dispositione laboranti consilium.*

Egregie doctor, tãquam fili charissime & honest. Vidi quæ docte & eleganter in casu Aemilii nobilis amici cõmunis scripsisti circa sanguinem mittendum: Ego autem ex saluatella sinistra exhaurirẽ sanguinem, & maiorem & minorem eius quantitatem, prout magis & minus incisa uena uitiosus apparebit: Scio enim quòd præsens, more Galen. eris. Crediderim hanc uenæ sectionem conuenire, & ex ea iuuamentum consequi debere, ut bene tetigisti Gal. autoritate, & etiã melãcholicos hoc remedio præseruabat, ut super apho. Quibuscunque uenæ sectio, &c. Et si abhorreret sectionem uenæ huius, sedis uenas aperire curarem. De aquis medicatis balnei Porrettini quæritur, an iterũ sint exhibendæ, ex quo leuamen nõ apparuit ex eius potu. Laudarem ut illam, quam Aquarii appellant assumeret, & in hac nõ est formidanda talis & tanta caliditas, & siccitas, ut in Porretana, cùm in gradu sit remissior, & si iuuamentum aliquod aptum est sequi in casu, ex hac sequi debet. Cruditates enim nõ paruæ in homine abundantes has expostulant, & si fortè siccitas uideatur obstare, quominus exhibeatur, scis quòd sacræ appellantur, & quòd proprietate magis quàm qualitate conferunt. Adde, nullum penitus remedium ex toto adeò prodest, ut ex parte non possit obesse, & hæc in breuibus festinante nuncio mea est opinio, & scias me tibi addictum esse, & me homini commendatum facias. Bononiæ XVII. Maii, M. D. XXXVII.

## EPISTOLA XXXVIII. QVA *agit de difficultate mingendi consilium.*

Legi consilia illustris domini Bernardini de Tono, qui difficulter ac frequenter micturit, & cum ardore in capite uirgæ non paruo lotium emittit, in quo subsidẽs uiscidum, crassum & tenax admodum terebinthinæ residet. Et cùm in horum altero causæ talium affectuum doctissimè declararentur, regiménque non solum quo ad res non naturales, sed etiam medicinales docte, late, & elegãter perscriptum sit, ita ut nihil addi, detrahiue posse uideatur, idcirco nihil de hoc mihi dicendum uidetur, nisi quòd in diureticorum intentione in hoc casu non conuenio, & si adsit textus unus principis de cura ardoris urinæ, qui intentionem urinæ prouocandæ innuere uidetur, & adducitur in consilio ab illo excellentissimo doctore, uidelicet. Et si non fuerint ulcera, neque sanies, tunc melior cura eius erit, exuberatio urinæ, consequenter extrahendo superfluitates cum solutione subtili, secundum quod sciuisti in cap. de ægritudine renum. Ex hac Auicennæ autoritate plures ex recentioribus medicis in casu ardoris urinæ diuretica administrant. Sed profectò hæc non fuit Auicẽnæ intentio, siquidem in textu illo mẽda est pudenda, & debet hoc modo legi, ut in correctione Arabica uideri potest. Hoc enim modo legi debet: & si non fuerint ulcera, neq; sanies, tunc melior cura eius erit, diuertere urinam, cum euacuatione superfluitatum facta cum solutione subtili, secundum quod sciuisti in cap. ægritudinis uesicæ. Ex hoc textu correcto in casu ardoris urinæ, nullus medicus urinæ prouocationẽ, sed potius diuersionem elicere potest: in eadem etiam Fen in cura diabetis iubet diuretica esse uitanda. Hoc idem ex Galeno elici potest in quàmpluribus locis, præsertim in 7. methodi medendi, ubi à particulis patientibus indicationẽ assumendam de euacuatione fienda demonstrat. inquit enim: Non enim ratio solum, uerumetiam usus ipse indicat, aliam alii parti euacuationem congruere: siquidem ex his quibus oculi phlegmone tentari cœperant, nonnullos sola euacuatione per aluum uno die sanatos uidisti: quam rem si quis in iecinore cum phlegmone laborare incipit, tentet, maximam excitabit phlegmonem, æquè ut si cùm in renibus aut uesica incipit, quæ urinas cient exhibeat, aut si cùm uterus phlegmone laboret menses deuocet. Siquidem longissimè à tentata fluxione parte auellere, nequaquã ad eam trahere conuenit. Hac itaque ratione nec si uentrem, aut intestina phlegmone iã occupare occeperit, medicamine quod aluum deiiciat uti cõueniat: eandem cum iis indicationem & uterus sortitur, sicuti cum urinæ uasis pudenda: at uomitu uti pudibundis laborantibus in diuersa reuellens auxilium est, Græci ἀντισπαστικὸν uocãt. Eadem ratione in omnibus quæ circa caput accidunt purgatio ad contrarium auertit: siqua uerò circa fauces, & palatum aut linguam, aut denique in ore phlegmone laborare cœperint, in his omnibus cauenda sunt, quæ pituitã per os euocant, apophlegmatismos uocant: quippe cùm id simile sit ac si deiicere aluum intestinis ægrotantibus uelis, aut urinas mouere, cùm renibus aut uesicæ sit ægre. Si fortè dixerit hanc Galeni autoritatem loqui de particulis phlegmone tantum laborantibus, dixerim ego ipsum intelligere de omni affectu morbido, quo particula laboret, sicut in casu nostro est urinæ ardor, & excoriatio in collo uesicæ & meatu pudibundi te iudice existens, ut ex processu longo Galeni liquidò uideri potest: hi enim duo affectus morbidi cùm magis urgeant, sunt ad quos medicus se primo opponere debet. Cùm enim dolorem semper inferant, sunt causa, ut ad uesicam phlegma illud salsum defluat, & tot nocumenta exinde sequantur. Hanc opinionem autem de diureticis uitandis in cura ardoris urinæ in suis consiliis in cap. de ardore urinæ doctissimè Matth. de grad. autoritatibus illustrium medicorum, & rationibus disputauit, uoluitque quòd etiam in corpore mundo, & in puro ardore urinæ, nec diuretica, nec urinæ multiplicatiua conuenire possent: & licet ut ipse dicit in dicto ardore minuatur urinæ acuitas, ex ampliori humidi insipidi quantitate cum urina mista ex diureticis etiam frigidis oblatis, attamen cùm urina multiplicetur quæ semper acuta est, etiam in sua naturali dispositione existens, est causa micturitionis, & debilitatis illorum membrorum, & maioris doloris, si non ratione qualitatis urinæ, saltem ratione maioris multitudinis: & adducit talem textum Rasis decimo continentis. Dico noscas, quòd superabundantia prouocationis urinæ, infert ulcera in uesica & urina, & proprie in complexione calida: & paulò antè posuerat curam difficulter mingendi ex uehementi ardore urinæ, & ex ulcere in collo uesicæ absque oppilatione & apostemate, ubi uoluit in utraque dispositione, quòd minuatur urina quantum possibile fuerit. Siquidem excitatur dolor penes mictum, cùm patiens mingere conatur, & sic sibi uidebitur pressuram pati, quæ mictum prohibeat. Cùm ergo in casu nostro adsint ardor & ulcera, ne augeantur, urinæ profluuium uitandum est. Conciliator quoque differentia 105. idem sentire uidetur. Et hi medici, si uidissent textum Auicennæ correctum, necessarium non fuisset tot glossematibus textum Auicennæ extorquere. Aëtius quoque in 11. cap. 21. ferè de ischuria, id est, urinæ suppressione: si uerò crassi humores in causa fuerint, fomentis, & insessionibus ac cataplasmatis cura concredenda est: ab his uerò quæ urinam cient, in totum abstinendum, ueluti in loco de difficultate emittendi urinam est relatum. Dixerat enim in illo: A reliquis autem quæ urinam cient, quamdiu febres perstiterint, abstinendum est: moti enim ex febrili calore humores totius corporis, per ea, quæ efficacius urinam cient, ad uesicam prius afflictam deducuntur, opinionem &c. Ego autem in his casibus qui infiniti ad manus meas peruenere, nunquam cum diureticis processi, sed cum lenientibus diuertentibus materiã à uiis urinæ ad secessum, sicut cum aqua lactis, quæ ab omnibus medicis summe commendatur, & cassia & manna, & syrupis de muscilaginibus, cum pauca diureticorum uirtute, & lacte & consimilibus, quæ in cõsilio numerant. Et plurimi ex eis sanati sunt, dummodo multis ad ulcera, & excoriationes ex defluxu urinæ acutæ non deuenissent. Hæc enim ulcera ab Aëtio in membris neruosis existentia, utpote insanabilia uocantur, & prius à Galeno in 6. Aphorism. aph. 6. Renum & uesicæ uitia in senioribus difficulter sanantur: asseruit enim non solum in senioribus, sed etiam in aliis ætatibus hæc uitia difficile sanari posse, propterea quòd renum & uesicæ opus indesinens est: quiete enim opus est, si quid sanari debeat: & quia superfluitas aëris apta est irritare, siue ulcus, siue inflammatio, siue aliqua alia passio in ipsis constiterit. Sed cùm in secundo consilio exclusis omnibus aliis medicinalibus intentionibus, tam in parte

parte medicinæ diætetica, quàm pharmaceutica ſolum quæratur utrum balnea porrettana conferāt huic morbo. Et ſi uiſum fuerit, quod debeāt conferre, utrum antiqua uel noua, & an per ſe, uel cum aliis aquis medicatis cōmixta poſsint aſſumi: & ſi aſſumi debent, in quo tempore. Ego autem ex longa experientia noui, nedum aquam porrettanam conferre poſſe in caſu noſtro, ſed plurimū obeſſe, ut ſæpius in multis ſenibus, qui eius celebri ſama commoti, eam aſſumere uoluerunt, & aliorum medicorū conſilio nocumenta nō parua contigiſſe uidi: idcirco & nec antiquam, nec nouam aquā conuenire arbitror. In ſimili enim caſu, & in ſenibus, & in aliis, in quibus medicinalia nō conferebant, & ad medicatas aquas deueniēdum erat, quia ſummis morbis ſumma remedia diligentiſsimè conueniunt, has propinabam. Primò enim per tres, uel quinq; dies aquam de aquario exhibebam, quæ non in tanto caliditatis gradu, ut porrettana eleuatur, & per eam uias communes inteſtinorū, & urinæ à materiebus in illis exiſtentibus optimè mūdificabam, & poſt primam eius exhibitionem uel ſecundā in primo cyatho apponebā cochlear unum ſacchari duarū coctarū: & ſi forte complexio hominis fuiſſet multum cholerica, loco aquæ aquarij exhibebam illam de uilla in comitatu Lucano, in qua nō eſt periculum, ut ex ea ardor urinę, ſicut in illa de aquario, intendatur: & poſt hanc aquā quinquies uel ſepties aſſumptam, aquam de Brandula propinabā, & in eius exhibitione diutius procedebam, ita ut ſæpe per quindecim dies, & aliquando per uiginti exhibuerim, & ſæpe etiam ultra, quouſq; uidiſſem ardorem remitti, & perfectam & integram illius materiei uiſcidæ mundificationem: aliquando autem in eius exhibitione diem interponebam, & clyſtere eo die cum brodio & parte eiuſdem aquæ, & ſaccharo rubro, & ſale confici iubebam, & hoc modo procedēdo ſenes plures curaui, qui per annum integrum morbū hunc non ſenſere, & aliqui per plures, ita quòd ſæpius aphor. Hipp. prędictum non uerū eſſe dixerim. Vidi etiam plures, qui in eūdemmet morbum poſt annum reciderint, nec ſanari potuerunt. Hæc tamen ſi quæ apud medicos reperiuntur, ex quibus ægritudo uel curari, uel leuior fieri poſsit, remedia potiſsima ſunt. Et ſupra mille his affectibus laborantes in manus meas peruenere, quorū multi ſanati ſunt: alij ferè omnes, ſi non ſanati fuere, iuuamen nō paruum ſimili modo procedendo ſenſere: præſuppoſita tamen ſemper ante potum aquæ totius corporis purgatione exactiſsima, & debito ordine in eis aquis exhibendis omnibus medicis notiſsimo obſeruato. Si æger has aquas aſſumere decreuerit, ex quibus leuamen nō paruum conſequuturū arbitror, facto mecū per nuncium ſuū uerbo, has geminas tranſmittendas curabo: nam in noſtra urbe eæ, & aliæ omnes noſtræ regionis uenales exiſtunt, & infiniti eas quotannis aſſumūt, felici ut plurimū ſucceſſu. Quæ ſi non contulerint, in caſibus deploratis nos eſſe arbitrandū eſt, & ad deum, ut inquit Galenus de renū affect. dignotione & medicatione, cōfugiendum eſt. Galenus tamen has noſtras Italiæ medicatas aquas nō cognouit: ſed hoc de remediis medicinalibus dixit. Hæc puto ſufficere, quæ cunctipotens Deus ad ſalutem huius magnifici uiri dirigere dignetur. Bononiæ, die uigeſimotertio Maij. M. D. XXXVII.

EPIST. XXXIX. PRO REVERENdo doctore domino Petro Paulo Pariſio conſilium. *Regimen iter agentium per terram, & de uertigine.*

NEſcio an plus gaudij uir undecunq; doctiſsi. an triſtitiæ ex hoc ampliſsimo gradu à ſummo pōtifice tibi conceſſo, mihi contigerit: gaudeo primum locum uirtutis tuæ amplificandæ & augēdæ obtigiſſe, ſi tamē cumulo ampliſsimo quicquam addi poteſt: doleo autem exinde me mutua tua & benigna cōuerſatione priuari, & hoc almo Bononienſi gymnaſio compatior, ſiquidem uereor, ne nobilium multorū numerus, qui celeberrima fama tua attracti, ut uberrimos latices ex fontibus tuis exundantibus haurirent, Bononiam ſe conferebant, ad alia ſtudia ſe conferant. Ego autem, cùm in numero profitentium publice annumerer, ſummopere cuperē, ut multiplice nobilium ſcholariū frequentia hoc ſtudiū effloreſceret, & ne extinctæ tanquam corpus non utile dextræ, langueſceret, ſed ut incolumem te Romam conducere & diutius feliciter ſupereſſe, quod dij ſaxint, ualeas. Scito quia iter agens, ut dixit Auicenna tertia primi de regimine iter agentiū, ſollicitus ne ęgrotet eſſe debet: idcirco cibus eorum debet eſſe bonæ ſubſtantiæ & quātitatis paucæ: olera omnia dimittendo, & fructus, & quæcunque generant humorem: his tamen temporibus lactucis uel endiuia in acetariis & modicè uti poteris. Præterea equitare non debes cibo aſſumpto, ne in ſtomacho cibus corrūpatur: tempúsque cibum aſſumendi erit poſtquam ad hoſpitium uentum fuerit. Parum tamē ſacchari roſacei antequam itineri te accingas, capere præſtat. Et in his temporibus in horis frigidioribus ſicut in mane, & ueſpere equitandum erit, aliis uerò temporibus quieſcendum, & hoc modo ad iter accingi debet uiator. De ſuſpicione uerò uertiginis quam aliàs incurriſti, non eſt timendum, dummodo in uictus ratione eam obſerues normam, quam tibi propoſui, tam quo ad cibum & potum, quàm ad laborem corporis & animæ & ſtudiorum, à quibus etiam ægrotus abſtinere te non uales: & cùm per συμπαθείαν, id eſt compaſsionem à ſtomacho proueniat, facilè curari poterit, utpote qui cibū optimè conficere & eius ſuperfluitates reſoluere non ualeat: literarum enim cupidi plurimū teſte Celſo huic uitio obnoxij ſunt. Si fortè, quod futurum nō arbitror, uertigo hæc accideret & nauſea adeſſet, laudo ut uitrū unum aquæ decoctę & tedipę capias cum unc. 1. s. oxymellis ſi tempus eſſet frigidum: ſi uerò tempus calidū, loco oxymellitidis capiatis unc. 2. acetoſæ: quo aſſumpto & parumper retēto, euomatis naturam irritando cum digito gargareonem ſtimulando, & illo die parce uel nihil comedatis, & capiatis drach. 1. ex his pilulis ante cœnam per horam: Recipe aloës loti drachm. 2. maſticis, agarici trochiſcati ana drachm. 2. s. rheubarba. electi drachm. 2. cum melle roſato. ex omni drach. fiant p. 2. Interim uictus ratio tenuis cuſtodiatur cum cibis facilis digeſtionis & paucarum ſuperfluitatum, ut in alio inſultus tempore obſeruaſtis: ſequenti die capiatis rotulam unam aromatici roſati drach. 3. ante prādium per tres horas, & cochlear unū uini aromatici ſuperbibatis. Circa ſtomachum fiat talis inunctio calida: Recipe olei nardilei maſticilei ana unc. 1. roſarum rub. corallorū rub. garyophyllati, maſticis, macis, lini aloës ana ſcrup. s. cum pauco ceræ. fiat linimentum: interim ſi tempus eſſet frigidum caperem drach. 1. mithridati, in media nocte mihi placeret, & hæc ſi fortè paroxyſmus aduentaret peragenda ſunt. In cura autem præſeruatiua uictus ratio regularis eſt obſeruanda ut obſeruare ſoles, interim per interualla ſæpe unam ex his pilulis ante cœnam capere poteris: ſi uenter uerò ex una non ſoluatur, alteram atque alteram capere poteris. Præterquā in temporibus ualde calidis & ualde frigidis: poſtea uerò aliis diebus ſæpe capere rotulam unam de aromatico roſato ut ſuprà dictum eſt, aliquando deglutire tria grana maſticis electi ante prandium per horas quatuor, erit ualde conueniens. Hora uerò eundi dormitum capere unum granum thuris electi conueniet: exiccat enim ſtomachi & capitis humiditates, & cerebrum confortat, & memoriam reparat. Pro aromatico roſato decēs erit duo bona cochlearia ſyrupi de mētha, uel de corticibus citri, quod magis mihi placet, capere, tanquam remedium magis elegans, & cum hoc bonum oris odorem facit: non enim in una ſtandum eſt medicina ne natura adeo aſſuefiat, ut ab ea non patiatur: aliquando permittere naturam ſine aliquo remedio quieſcere rationabile eſt. In temporibus frigidis in mane antequam ad negotia maxima peragenda te exponas, radiculam zinziberis condîti capere opportunum erit, aliquando unam eringionis condîti, uel parum de cortice citri condîti. In temporibus mediis capere unam mirobalanum chebulam condîtam conueniet. In calidis nonnunquam de illo roſaceo ſaccharo Neapolitano. Si fortè caliditas intenſa aëris ambientis inſtaret, quæ in te non paruam induceret ſupercalefactionem, poteris ſuperbibere poſt ſaccharū roſaceum parum aquæ endiuiæ & boraginis. Interim ſcito Auic. 10. tertij. de caſu uirtutis ſubito, ponere res octo quibus conſeruatur & augetur, quę in cordis tui pericardia inſculpta eſſe debent. Prima eſt cibus leuis euchymus faciliter & citò digeſtus, qui ſanguinem ſubtilem & ſpiritus generans, robur cordis eleuat. Secunda eſt ſubtile uinum conueniens ad confortandum cor & multi-

plican

plicādum uitales ſpiritus. Tertia eſt odores ſuauiter fragrantes, qui ſpiritus refouēt, & cerebro & cordi robur & ſolamen continuò præſtant. Quarta eſt tranquillitas animi & corporis, & loci habitati procul à tumultu. Quinta eſt gaudium moderatè receptum, quod facere ſolet ætatem floridam, ſicut triſtis ſpiritus deſiccat oſſa. Sexta eſt dimiſsio uel euitatio rerum cōtriſtantium, & mouentium rixas, iras, & iurgia, quæ ſanguinem, ſpiritum & animum conturbant. Septima eſt reuocatio, uel approximatio, uel aſsiſtentia frequēs & aſsidua rerum amabilium ſine exceſſu ueneris, & gaudij nimij. Octaua eſt habitatio cum gratis & dilectis ſine ſuſpicione propoſiti nocendi. Adde pro nona beneficium uentris, & parſimoniā ciborum & potuum: & mediusfidius affirmare audeo, quòd nullū regimen, nulla medicina præſtantius iſto eſt ad ſane uiuēdum, & ad propagandum uitam & terminum periodi hominis. Et qui regimen hoc obſeruare ſciunt, fruſtra ad Indos tranſeunt pro medicaminibus, quæ iuuentam prorogant, & retardant ſenectam, maxime bene nati, in quo numero es reponendus. Hæc igitur ſufficere arbitror pro diuturna ſanitate tua conſeruanda, quam, ut ſpero, cunctipotēs Deus diutius conſeruare ex inclyta tua & rariſſ. uirtute, & optimorum morum tuorum cumulo dignabitur, & ad altiora te prouehere, & rubri dignitate galeri decorari. Vale igitur, & tui Theodoſii, qui te amat, colit & ueneratur, quique autoritatem tuam indies maiorem fieri exoptat, memor eſto: cúmque ad reuerendiſsimum dominum meum Carolū de Ceſis acceſſeris, me meúmque Ioſeph ei nō uulgari commendatione commendare digneris rogo. Bononiæ trigeſimo Maij, 1537.

## EPISTOLA XL. PRO MVLIEre *quæ concipere non poteſt, conſilium.*

CAſus huius nobilis mulieris annorū uigintiquatuor, iam per annos nouem uiro coniuncta non potuit concipere, & indies menſes diminuuntur, ita ut ferè ex toto compreſsi ſint: cōiungitur ſtomachi debilitas cum appetitus proſtratione, & ſomnus in ipſa diminutus eſt: & cùm medici illius regionis, Flandriæ ſcilicet, propoſuerint ei aquam Porretanam aſſumendam eſſe, coniunx ſuus uoluit medicos Bononienſes ſuper hac exhibenda conſulere, & hoc onus mihi iunctū eſt. Ego autem quid ſentiam libere exſcribam, & ſi ſciam me facile decipi poſſe, ſicut de ſeipſo Galenus dixit in conſilio pueri epileptici, ſiquidem illum non agnoſcebat, nec unquam uiderat, hoc mihi facilius euenire poteſt: hanc enim non agnoui, nec unquam uidi, nec morbi, nec ſymptomatum cauſam aliquis bene perſcripſit. Galenus tamen à Dionyſio ſuo rei medicę perito, de morbo & eius cauſa inſtructus fuit: cōiunx autem huius nobilis mulieris nullam penitus rei cauſam ſignificauit, niſi quòd ab utero prouenitū, & quòd eius conſtitutio eſt pituitoſa & bilioſa, pugnātes temperies non diſcernens. Et cùm cauſæ & ſigna diminutionis & retentionis menſtruorum poſsint eſſe plures, ut apud Galenum habetur 6. de locis aff. cap. 5. de uteri affectibus. & 3. de ſymptomatum cauſis. & 5. aphor. aph. 57. ſi meſtrua plura fiant, accidunt morbi: & ſi non fiant accidunt morbi. & ab Auicenna 21. 3. crediderim, obſtructionem uel in uenis deferentibus ſanguinem ad uterum, uel in uenis ipſius uteri, ex qua ſequitur faſtidium, ita ut nulla ſit cibi cupiditas, quæ ſolet ad menſtrua reſtricta ſequi, & uirium debilitas, ut ponit Gale. in locis præfatis, ex quo arbitrandum eſt multas cruditates in muliere generari, quæ poſſunt eſſe cauſa omniū accidentium, quibus dicunt mulierem laborare. Hęc tamen dicta ſint per modum hæſitantis non decernentis, cùm nec cauſa nec ſignum ullum de re hac ſcriptum ſit. Ad curā autem ueniendo ubi quæritur an aqua Porretana conueniat, arbitror ipſam conuenire: quandoquidem inter omnes eius proprietates hæc ſit ſingulariſsima, quòd ſcilicet multis uteri affectibus conuenit, cùm ſit & urinæ & menſtruorum prouocatiua, ita ut multas mulieres ſteriles fœcundas reddiderit, & in appetitus proſtratione ſit mirabilis, & mirabiles effectus producat, qui uidentur eſſe contrarij, idcirco ſacra à multis nominatur. De modo autem eam exhibendi nihil eſt quòd dicam, cùm illis medicis ſit notiſsimus. Vnum tamen nō prætereibo, quòd in eius aſſumptione non laboret, & ſi etiam ſe laſſari ſenſerit, alternis diebus eam capiat, die autē quietis clyſma fiat, partim ex brodio, partim ex illa aqua & zucchāro rubeo, & uitello oui, & pauco ſalis. Si etiā ex ea nō ſenſerit laſsitudinem, laudo ut hunc modum obſeruet, ſcilicet eam alternis diebus aſſumendi, & ſi forte per uentrē magis exibit, in primo cyatho apponat unū magnum cochlear zucchari duarū coctarū, & hoc cùm ter uel quater aſſumpſerit: & in primo die laudo ut in primo cyatho apponat unū cochlear ſalis albi ſubtiliſſimè triti. Et ſi abūdat nimia humiditate, quòd etiā ter in primo cyatho de dicto ſale apponat, regulę uictus ordo: eius quātitas capienda illis doctiſsimis medicis notiſsima eſt, idcirco de his nihil dicam. Laudo tamen ut totam hanc quantitatem trāſmiſſam aſſumat, incipiendo à menſura boccalium duorum cum dimidio, procedendo uſque ad tria cum dimidio, & ad quatuor ſingulo mane. Appello autem boccale, menſuram illam, qua caupones in diuerſoriis publicè uinum hoſpitibus uendunt: Boccale autē apud nos eſt ponderis librarū trium & unciarum quatuor. Aſſumpta hac aqua, obſeruetur per totidem dies idē regimen uictus, & ordo. In ſomno & in aliis ſex rebus non naturalibus, prout obſeruabatur tempore aſſumptionis aquę, & fercula eius coquantur etiam tempore aſſumptionis aquæ in aqua communi, non thermali. In reliquo uerò tempore extra cuſtodiam, abſtineat à cibis uiſcoſis, craſsis, & difficilis concoctionis. Et ſi menſes his peractis nō fluxerint, exiſtentibus ſignis plethoriæ, ſaphena dextri pedis per duos uel tres dies, ante tempus quo debent menſtrua erumpere, ſecetur: tantum ſanguinis extrahendo, quantum medico præſenti uidebitur. Poſtea uerò inſtante tempore eruptionis, aſſumat ſcrup. 4. pilul. de hiera ſimplici Galeni ante cœnam per horam. Interim ſupra genua & infra genua fiant ligaturæ cum inſtita forti ante cibum, & uentoſæ apponantur ſupra coxas in parte domeſtica. Deinde prædictis non ualentibus, fiat hoc encatiſma. Recipe artemiſiæ recentis m. 6. radicum apij recentium, pulegij, calamenti, origani ana m. 3. ſauinæ recentis m. 4. ariſtolochiæ rotundæ, rutæ, ſaturegiæ, radicum enulæ, & iridis, & arthanitæ, cucumeris aſinini ana m. 1. s. bulliant omnia in lib. 120. aquę communis ad conſumptionem medietatis, & ex parte eius decoctionis calefactæ mulier pannis inuoluta matricem ſuffumiget, & poſt fumigium ſedeat uſque ad umbilicum in dicta decoctione per tertiam partem horæ, uel mediam ſecundum quod tolerare poterit. Exeunte autem hac domina ex balneo, loca pubis, & collum matricis interius inūgatur cū oleo amygdal. amararū diſſoluto cum pauco adipis gallinæ anſeris & anatis, cum tribus muſchi granis ſecum commixtis. Deinde ſupponatur hoc naſcale ſiue peſſulum: Recipe coſti, croci, laudani, ſauinæ, artemiſiæ, ſeminis iuniperi, ellebori albi, ana ſcrupulos 2. cum terebinthina & laudano quantum ſufficit, cum 4. muſchi granis. fiant peſſuli, quorum unus quotidie ſupponatur in matrice, & hoc ante tempus menſium per tres uel quatuor dies, & etiam quando erumpunt, apponantur. His non proficientibus medicamen Galeni, quod ipſe de medicamentorum ſimpli. facultatibus libro undecimo ſcripſit, per os propinandum arbitrarer. In capite de caſtoreo ait enim: Sed & menſibus retentis, ubi per uenam, quæ in talo eſt, modice euacuaſſem, oblato caſtoreo, unà cum pulegio, aut calamintho, ſemper hoc medicamē expertus ſum purgationem ciere, abſque ut hominem læderet. Præterea locos morātes eiicit, eáque omnia ex melicrato potum efficit. Galenus autem doſim non ponit caſtorei, ſed de eo poſſumus dare ſcrup. 2. uſque ad drach. 1. cum drach. 1. pulegij aut calaminthi cum aqua mellis. Et hæc adminiſtranda ſunt in temporibus nō calidis. Item utatur in omnibus ſuis cibariis his aromatibus: Recipe gingiberis, croci, ſeminum aniſorum, ſeminis apij, ſeminis petroſelini ana drachma 1. zucchari ad pondus omnium. Et hæc cum Dei laude puto ſufficere, quæ omnia cunctipotens Deus ſua pietate ad ſalutem eius dirigere dignetur. Bononiæ 4. Iulij, 1537.

## EPISTOLA XLI. EXCELLENTISSImo *artium & med. Doctori domino magiſtro Andreæ turrino de piſcia. Pro ſuperiori muliere.*

TAnta uoluptate literæ tuæ me affecerūt, ut etiam nulla alia re magis iam pluribus diebus oblectari potuerim. Sæpius de te poſtquam in Galliam

te contuliſti, interrogaui pręſertim Petrum Strozam an bene ualeres, qui in Gallia pluribus diebus ægrotauit, nec perfecte curari potuit, pòſt ex recidiua ſæuiore in manibus meis conualuit: gauiſúsque ſum te bene ualere, résque tuas ad uota ſuccedere, & ut indies felicius ſuccedãt exopto. Cúmque his diebus pręteritis de quadam nobili muliere in Flandria exiſtente in qua menſes erant ſuppreſsi, à mercatore conſultus fuiſſem, an aqua porretana conueniret, opinionem meam ſcripſi, credo ipſam te uiſurum, quam magis per modum hæſitantis quàm decernentis in ſcriptis redegi. Nunc autem cùm tuam opinionem in ſcriptis redactam uiderim, me non male ſenſiſſe circa mulieris ægritudinẽ cognoui. Scripſiſti enim docte, eleganter ſicut in omnibus aliis ſoles caſum huius nobilis mulieris, at cùm primum uidi literas tuas nuncio dixi à doctiſsimo & experto medico eſſe exaratas, ita ut ope alterius medici opus nõ ſit: rogatus tamen ut circa hanc ægritudinem opinionem meam in ſcriptis redigerem, nõ potui onus hoc amicis imperantibus ſubterfugere. Videbis enim quæ ego ſcripſerim, ſi quid tibi uidetur addẽdum addas, immutes & minuas, quæ male dicta ſunt obeliſco confodito. Dixi me arbitrari aquam porretanam conuenire in hac muliere & quomodo exhibenda ſit, uiſo iudicio tuo de ægritudinis cauſa, magis conuenire iudicio, quæ exhibenda erit modis & ordinibus tibi notiſsimis, ſicut & pro parte ſcripſi, neſciens hanc nobilem mulierem eſſe in manib. tuæ excellentiæ: & cùm hæſites an prius porretana uel Lucana ſit exhibenda, ego prius porretanã exhiberem, dein Lucanã, ut ſi fortè aliqua caliditas à ſymmetria declinans ex potu porretanæ derelicta fuerit, à Lucana remittatur. & ego hoc modo ſoleo procedere. Cùm enim euacuaueris, ſupereſt ut confortes: lucana enim eſt uelut confortatiua, reſpectu porretanæ, & caliditatis ſuperfluæ remiſsiua: & hoc in pluribus hunc modum expertus uidi contuliſſe. Poſt hæc ſi alia tibi agenda uidebuntur, opinionem meam uidebis quam non ambigo à tua non difformem fore, & ut tibi uidebitur procedas, porretanam tranſmittent, neſcio an lucana apud uos reperiatur. Cæterum mi Andrea quoties exoptaui coràm te alloqui, mutuáſque audire & reddere uoces, de his quæ coram Clemente Pontifice omnium maximo ego & Curtius diſputabamus: euenit enim nobis, ſcilicet, tibi & mihi ſicut Caſſandrę, quę tales caſus uaticinabatur, ſed nũquam credita Teucris, euentus rei demonſtrauit. Sed ſic erat in fatis decretum. Vale igitur & me ama, ſciáſque me tibi addictum & autoratũ etiam, ut nulli magis. Valeo etiam ego, & cum Dei auxilio ſors optimè mihi arriſit, quoad ſcholã therapeutices quam profiteor, & ad curas ægrotantium.

## EPISTOLA XLII. PRO PVERO *ex cauſa frig. & hum. multis malis affectibus laborante conſilium.*

OBlatus eſt Alemani de illuſtri Saluiatorum familia infantis caſus, qui pluribus malis affectibus laborat. Primò etenim eius temperamentum declinat ad frigidum & humidum, ex quo color totius corporis pallidus redditur, ita ut ad cachexiam tendere uideatur, & multæ in eo cruditates generantur. Affectus eſt debilitas uirtutis motiuæ, ita ut cùm menſium iam 17. ſit non poſsit ullo pacto ſe mouere, nec ſtare, & cùm in ulnis à nutrice defertur, uix caput poteſt erectũ tenere. Symptoma aliud omnium ſæuiſsimum eſt uertebrarum trium in coſtis nothis ad exteriora declinatio, & eſt modus gibboſitatis, & in modũ arcus coſtæ etiam incuruari uidentur, & cùm plures horum affectuum poſsint eſſe cauſæ, ut ponit Galenus 6. Aphoriſ. Quicunque gibbi, &c. & 4. de locis aff. cap. 5. de ſpinalis medullæ affectibus. & 22.3. de gibboſitate: Auic. medicus autem qui docte & exacte caſuum nobis exſcripſit cauſam, mollitiem ligamentorum coſtarum ex materia frigida & humida à capite defluente, & ab epatis frigiditate & humiditate tantummodo eſſe arbitratur. & hoc met nos etiam credimus, ex quo nobis apparet magna curationis difficultas, ſicut etiam medico infantem curanti uidetur, non poterit enim pati famem ſitimque, quæ neceſſaria ſunt corporibus humidas carnes habẽtibus, cùm propter malam totius temperiem humiditatem ſuperfluam generantem, tum quia difficile oſſa luxata, & præſertim uertebrarum & coſtarum torſiones ad formam propriam reducantur. Puerorum facilior eſt reditus, dummodo uellent pati medicum luxata diſtendere, & rectiſsimè, ut inquit Hippo. concinnare. Nam ut eleganter dixit Galenus de conſtitutione artis medicæ, in hoc morborum genere in quo particulæ maiores minoréſque redduntur, per contraria, ut dictum eſt, curatio adhibebitur: at in altero genere, quo naturalem figuram excedunt, quoniam plures ſunt particulares differentiæ, ſuum cuiuſque contrarium inuenire debemus, exempli gratia, ſi pars aliqua gibboſior ac prius euadit, in contrarium ſtatum reducenda eſt premendo & repellendo, quæ uerò intro compreſſa eſt, ac ueluti reſima in exteriorem partem reducere conuenit, hæc autem in infante non facile adminiſtrari poſſunt, propter uagitus & fletũ: & in hoc indiget ope chirurgica, ex quo difficilis cura efficitur. Procuratione autem primo ad nutricis regimen ueniendum eſt, quia ſi ægrotauerit infans, rectificetur lac matris. Curandum eſt ut lac ſit conueniens, ſicut uolunt Galenus 1. de tuendis ualetudinib. & Auicenna tertia. 1. de Regimine lactãtis, & nutrix habeat conditiones ab ipſis poſitas, & lac ſimili modo: ſed in caſu modo curandum eſt, ne lac ſit ſeroſum, & ad aliqualem craſsitiẽ uergat, & à ſymmetria declinet per calidũ & ſiccum, ut ſit contrarium diſcraſię, & hoc fieri debet, cum cibis caliditate & ſiccitate participantibus, quales ponuntur ab Aëtio in 2. & à Paulo in 1. & omnibus nota ſunt. Interim panis ſit bene fermentatus, & ſale præparatus: & ſi parum furfuraceus eſſet magis cõueniret: in cibis utatur aromatibus, ſicut galãga, cinnamomo, zinzibere & ſimilibus. & uinum non ſit oligophorõ, id eſt, pauciferum, ſed aromaticum & ſuaue, cibos multiplices medici illis in cura exiſtẽtes præponent. Interim ſi per interualla nutrix uteretur catapotiis, quæ ex aloë, maſtice, agarico & Rhabarbaro conficiuntur, eſſet cõueniens & concoquere materias, ſi quæ ſint in eius corpore quæ diſcraſiam infantis fouere ualeant, & deinde euacuare cum eiſdem pilulis. Si tamen nutrix hoc agere noluerit, quandoquidem plures reperiantur, quæ hæc agere nolint: habent enim tales Hippocra. in mente Aphoriſ. ſana habẽtes corpora medicamentis uti difficile eſt. Sed prudentes illi medici dirigent, qua poterũt dexteritate nutricis regimen. Circa puerum cùm intrinſece medicinalia nulla poſsint adhiberi, in his lenitiuis clyſmatibus & glandibus ex melle cum pauco muris ſtercore confectis erimus contenti, ſi tamen uenter non plene eat. & hæc erit euacuationis in puero norma: parum etiã Rhabarbari in ſubtiliſsimum puluerem redacti, & cum lacte nutricis met exhibiti eſſet præſentaneum auxilium. Nos enim in infantibus minoris ætatis exhibemus, & ſæpe ſic exhibere ſoleo à ſcrup. 1. uſque ad drach. s. & clyſmatibus utimur. Auic. autem in infante duorum mẽſium clyſma adhibet, hoc dicimus propterea, quòd ſunt plures mulieres quæ in tali ætate nolunt medicos quicquam tale adminiſtrare: his prius peractis laudamus cauterium in ceruice ubi ſpinalis medulla capiti cõiungitur, & actuale, ut appellant Chirurgici, & teneatur diutius apertum. laudamus etiam, fiat uel embrocatio ſupra caput, uel ablutio ſecundum quod nutrix in puero conſueuit fiat. In qua decoctione ſeu lixiuio quo ablui ſolet puer, parum chamæpityos, id eſt, iuæ, & parum glyciſidis, quam pæoniam appellant, & ſaluiæ, & foliorum lauri, & ſticados arabici, & roſarum rubearum, & libanotidis: apponere etiam partem de aquis medicatis exiſtentibus in agro Lucano, ſicut eſt illa de Torſeno, eſſe conueniens arbitramur. Si etiam totum corpus ſemel in hebdomada abluatur ad totius temperamentum non parum conferet. Si ex his non conualuerit puer, & in eius capite non adſint ulcuſcula, quę in capitibus multorum infantium ſolent oriri, ut plurimum cruſtoſa, lactumen mulieres uocant, quæ pertinent ad ἀχῶρας uel ἐξανθήματα antiquorum, ex quibus uirulenta aquoſitas ſolet exire, leui ueſicatorio pars capitis poſterior exulceretur parum, & cum butyro & caulis folio diutius teneatur apertum. Circa uertebras extrà eminentes laudamus ut locus fomentetur cum nucibus & foliis cupreſsi, in quibus eſt adſtrictio, reſolutio & confortatio, & cum foliis lauri, calamo aromatico, enula, & roſis & malicorio, & lauri baccis. & hoc quotidie fieri poteſt, deinde apponere circa locum ceratũ ex oxycrocio armeniaco, cum pauco pulueris ireos. Interim ſpinã dorſi inun-

gere cum oleo rutaceo, liliaceo, uulpino, & ſimilibus conueniet. Vltimo autem multi adhibent cauterium circa ſpinas exeuntes. Puer prӕterea teneatur in cubiculo, cuius aër tendat ad calidũ & ſiccum, & cum ſuffumigio ex thymiamatibus, ut ſtorace garyophyllis, ligno aloës, myrrha, thure & auiculis de Cypro: uentriculũ quoque oleo nardileo & maſtileo perungendum uolumus. Laudamus etiam ut ſupra uerticem palpitantem, qui à Grȩcis bregma dicitur, apponatur de puluere iſto: ex pulegĳ, calamenti, corticum citri, macis, roſarum rub. coral. rub. ſandaracӕ, pӕoniӕ an. drach. s. miſce, & ſubtilis fiat puluis. poſſet etiam fieri in cerati forma cum pauco reſinӕ & uiſci quercini, & eodem loco applicari. Placet etiam nobis ut circumferat medicamenta aliqua quӕ collo appenduntur, & à Grӕcis περίαπτα appellantur, ut eſt uidere apud Gale. in 2. de compoſitione medicamentorum in loca, autoritate Archigenis, quӕ ex quodam mirabili naturȩ conſenſu hominibus incognito operari dicuntur. Poterunt enim hӕc omnia in puluerem redigi, & in ſyndone retorta imponi, & collo applicari. Puluis hic eſt: Rec. macis, gallӕ muſcatȩ, ſtoracis, calamitӕ, radicis pӕoniӕ, & ſeminũ eius, uerbenacӕ, ligni aloës, origani, pulegĳ, florũ roriſmarini, maioranȩ, ana drac. 1. miſce, & appendãtur ad collum, & ex parte etiam pulueris huius reſeruata ſuffumigentur panni infantis. Et hӕc ſufficere arbitramur, quӕ cunctipotens ad ueram pueri ſalutem miſericordia ſua dirigere dignetur: & hȩc noſtra fuit opinio, ſimul & excellentiſsimi & doctiſsimi medici Antonĳ M. Beti, qui caſum hunc mecum examinauit, & in his intentionibus fuimus unanimes, & concordes. Vale.

## EPISTOLA XLIII. COLLEGIVM *factum per medicos Bononien. octo numero erant.*

PRo magnif. equite Saxono uariis morbis laborante, in quo prӕſens ego caſum recenſui cùm in cura diutius fuiſſem. Quum una ſit ars quȩ corpori hominis tuendo dicata ſit, teſte Galeno in 1. de tuenda ualetudine, cuius primӕ ac maximӕ partes duȩ ſunt, quarum alteram ſanitatis tuendӕ, alteram morbi profligandi facultatem appelles: etenim contraria inter ſe officia ſunt, ſiquidem illi tueri, huic immutare ſtatũ corporis, eſt propoſitum. In caſu igitur noſtro corporis morboſi ſtatus eſt permutãdus, & ad ſymmetriã ſibi naturalem deducendus à nobis eſt, quod impoſsibile erit, niſi qualis fuerit corporis in naturali ſtatu commoderatio, ſuffragante arte medica à nobis cognita fuerit: etenim ars hӕc medica cùm ſit una de genere artium factiuarum, ut de conſtit. artis med. tangit Galenus, non tamen ſimpliciter, ut ӕdificatoria, fabrilis, textoria: ſed ueluti quӕ collapſas ӕdes reſtaurat, & laceras ueſtes reſarcit: ſic medicina ſingulas corporis partes ex diſſectionibus anatomicis diligenter ſpeculata, eas uitiatas emendare docet, ſiue ſimilares, ſeu inſtrumentariӕ fuerint. Proinde in omnibus laborantibus immoderatione ad moderationem motu oppoſito ſuccurrere docet. Neceſſe erit igitur ſymmetriã eius naturalẽ prius agnoſcere, & hoc Galenus in arte medi. docet. Prius enim ponit naturales membrorum principalium & totius temperamenta in 2. & ſi fortè in uitium aliquod dilabantur, ſeu fuerint in malitia complexionis ſeu cõpoſitionis, poſtea corrigere docet in 3. niſi enim naturalis membri complexio ſcita fuerit, eius prӕternaturalis ſciri non poterit, ut ponit Auicenna 4.1. cap. 1. & Galenus 1. ad Glauc. & clarius de conſtit. artis medic. dixit, quia cuiuſque ſimplicis particulӕ naturam cognoſcere neceſsitas poſtulat, ſi modò harum integritatem conſeruare, ac uitium corrigere uoluerimus. Nam ſi domus uel tegulȩ, uel lateres crudi uel cocti offenſam aliquam acceperint, ignorare non debet artifex, quomodo alios eiuſdem generis confringere, ac uitiatos auferre conueniat, pro quibus integros nihilq; paſſos ſubſtituere debet, nec domum reſtituere collapſam poteſt, niſi ſtructuram priorem cognouerit, & cellas, horrea, porticus, colũnas, fornices, cubicula, cœnacula, coquinas, gynecium. Complexio igitur naturalis cuiuslibet membri eſt prius agnoſcenda: Infinitӕ enim ſunt eiuſmodi autoritates hoc ſuadentes, quas breuitatis cauſa dimitto. Bilioſa eſt talis complexio, caliditas cordis quӕ ex arteriarum magnitudine comprobatur, & ſimiliter ex uenarum amplitudine, & per totum corpus caliditas percepta demonſtrat. Siccitas quoque eiſdem membris adiungitur: pinguedine enim caret, & exilis eſt totius corporis caro, & dura: & his duobus membris conuenientibus in craſi, tota temperies ab his nominanda eſt, ut rectè Galenus 2. artis medicinalis notat. Caliditas nõ parua cerebri, quӕ ex caluitio & excrementis bilioſis huic opinioni ſubſcribit: & ſimiliter renes, de quarum caliditate intenſa ſӕpius cõqueſtus: itaque oportuit cum ſumme refrigerantibus diutius procedere. pater, fratres quoque huiuſce temperaturӕ fuerunt. & hӕc de re naturali. De re prӕternaturali, Nobilis hic eques patitur malam complexionem prӕternaturalem, malam compoſitionem & ſolutam cõtinuitatem, ſeu mauis dicere morbum cõſimilem, morbum officialem, & morbum communẽ: intelligendo per morbum conſimilem omnem malam complexionem lӕdentem ſenſibiliter operationes: per morbum officialem intelligendo omnem malam compoſitionem impediẽtem membra officialia ſeu inſtrumẽtaria à muniis ſuis conſuetis: per morbum communem intelligendo ſolutionem continui, communem membris ſimilaribus & organicis. poteſt enim eſſe in ſimilaribus ut in carne, & non in inſtrumentariis. poteſt etiam eſſe in inſtrumentariis ſolũ, ſicut eſt luxatio. poteſt eſſe in utriſque ſimul. Primum autẽ hoc argumento probari poteſt, quia iam per plures dies & annos febrit febre continua, & huius rei gratia iam uiginti diebus peractis me accerſiri fecit, & conqueſtus mecum eſt, quotidie circa ueſperas incaleſcere, & nõ parum: & hunc calorem quaſi per totam noctem procedere, quouſque ſudor copioſus erumpat, & tunc credit ſe ad integritatem deuenire: ſed iudicio meo non corpus integrum redditur, quamuis ipſe hoc arbitretur, pulſus hominis magnus uelox ſemper reperitur, poſt ſudorem quietiorem ipſum reperio, & hanc febrem eſſe de genere continuarum proportionalium quӕ ex cholera procedũt abſque horrificis horripilationibus, ut utar uerbo Galeni in 1. Hippocratis de morbis uulgaribus lib. in 3. commentario. ubi clarius quàm in lib. de differ. feb. tractat de febribus cholericis, declarans quӕ ſit tertiana exquiſita, tertiana ſimplex, tertiana producta, ſemitertiana, & tertiana cõtinua, cum horrore & ſine horrore, nec alibi apud Galenum diſtinctionem clariorem reperies. Arbitror igitur pati unam febrem continuam proportionalem pendentem à cholera participante craſsitie, quӕ expellitur quotidie à magnis uenis ad paruas, quod cholerica ſit caliditas acuta, urina citrina, & hominis bilioſa temperies, & ӕgritudines illi conſuetӕ, cholericӕ ſcilicet, oſtendunt. Sed dubium non paruum nunquid ſit una febris, uel potius duӕ ſint hominem affligentes. Suſpicor enim ultra putridam adeſſe ſpeciem habitudinalis, & ſi non habitudinalis putrida eſt quȩ decreſcit & non reſoluitur, & timendum eſt ne ad habitudinalem omnino corpus deducat, & uereor ne ſit iam in ueſtibulis hecticӕ uel in 1. ſpecie, quȩ eſt difficillima cognitu, ut inquit Gal. 1. de diff. feb. cap. 7. de dignotione hecticarũ. & potiſsimũ ſi coniungatur cum febre putrida, ſicut ibidem ponit Gal. in exemplo cuiuſdam mulieris, in qua acceſsiones non die ſed nocte etiam manifeſtӕ fiebant: latebat enim tabida febris omnes medicos, quibus cura demandata erat, ut qui arbitrarentur neque principium aliquod ſenſibile nec augmẽtum eſſe in febribus hecticis: ut de maraſmo idem dicit: ſed ſtatim Galenus cognouit acceſsiones eſſe ex putrida febre, quȩ ſӕpius cum rore & uaporoſa expiratione reſoluebatur, & tabida reſtabat. Hunc caſum ſimilẽ eſſe in noſtro equite arbitror, hӕc febris quӕ poſt ſudorẽ reſtat, uniformis nõ poteſt niſi hectica uel phlegmatica eſſe. Phlegmatica enim nõ poteſt eſſe, quia Gal. in 1. ad Glauc. aſſeruit non uidiſſe iuuenẽ bilioſum capi à febre phlegmatica. & quamuis ſit difficile dignoſcere phlegmaticã ab hectica, ut dicit Hugo Senenſ. uir noſtrȩ tẽpeſtatis inter omnes medicos doctiſsimus, qui laborauit unà cũ clariſsimis medicis diu in Angelo Hebrӕo de Senis, qui cõſumptus per annũ laborauerat febre, & multi arbitrabãtur eſſe habitudinalem febrem, cũ pòſt permutãdo cibũ diuerſis horis cognouerũt eſſe phlegmaticam, & ſic cum calefacientibus, & euacuantibus phlegmatica groſſum ipſum curauerũt. Plura autem ſigna faciunt me hӕſitare febrẽ hanc eſſe habitudinalem cum putrida coniunctam: primò etenim poſt ſudorem illum credit ſe eſſe infebrientem, & ſe febrire non ſentit,

cum tamen non leuiter febriat, quia mala intemperies facta eſt æqualis, & non eſt amplius fiens ut de inęquali intemperie. Secundum ſignum eſt quia uidemus florem coloris uitalem eſſe in facie extinctum, & habere oculos concauos, & tempora demiſſa, caliditas per totum corpus, & potiſsimum remiſſa putrida circa arterias perſeuerans morbi hoc denotat. Addo quòd pater eius & fratres tabidi, & ſi alij ſecum cõiuncti eſſent, defecerũt. In urina etiam pinguedo aliqua ſupernatãs ſępe à me uiſa eſt, ut his meis ſcholaribus, qui me ad praxim concomitantur, patefeci, & quãdoque ſpiſſa, quandoque tenuis, aliquando citrina ualde, aliquando etiam decolor, ſicut illa quæ mingitur tempore acceſsionum, quod peculiare in principio acceſsionum & febriũ cum horrore inſultantium. In pulſu quoque eſt durities aliqua, & ſemper uelocitas, non autem ſemper magnitudo, ſed apparet cum putrida hominẽ exagitat. à iuuantibus etiam de febre hac indicium non mediocre elicio, duobus iam annis me in uere & autũno accerſiri fecit, & ſemper cũ facie quaſi Hippocratica reperio & febre manifeſta, ſicut iam circa dies 20. fecit, ego ordinaui aquas per opus chymicum elicitas ex limaciis, tuſsilagine quæ farfara appellatur, fumaria, & cichoreo, & per mẽſem de his exhibeo cum pauco rhodomellis, & pòſt propino unc. 3. mãnæ in brodio pulli hordeato, & reperio auxilium non mediocre, ita ut febris mitior reddatur. color quoque faciei uiuacior efficitur, ſicut nũc apparere poteſt, quãdoquidem cum me uocauit deterius ſe habebat, aſſumptis iam per multos dies his aquis, teſte ipſo melius habet. Teſtes quoque ſunt ingenioſi & docti ſcholares, qui hoc uiderũt quotidie hominem uiſitando. poſtea per totidem dies facio ipſum iure pulli cum hordeo alterati ſummo mane cũ ſaccharo albiſsimo potari, & hoc regimine humectante, refrigerantéq; ad uiuidiorem corporis habitũ reducitur. Crediderim tamen non ex toto iam per annum ad integritatem corpus perueniſſe, & hæc eſt opinio mea de morbo conſimili quo laborat. de morbo officiali quo in ambobus affligitur magnis pedibus, dicendum eſt. Cõtractionem enim quandam ſpaſmoſam quæ impedit motum progreſsiuum ut non poſsit pedem in terram ullo modo planum ſiſtere, & ſi conaretur, uix extremitatibus digitorum poteſt terram attingere, ſuſtentantibus hominem duobus ſeruis utrinque. patitur, & habet crura diuaricata aridiora & tenuiora, & decens earum magnitudo non ſeruatur in multis etiam locis, in ſuris præſertim, in quibus tumores nonnulli duri & tẽſi, & hoc eſt cauſa cur non poſsit ullo modo progredi, & ambulare. & hic nobilis quærit auxilium ab ex. ſi fortè reperiri poſsit auxilium aliquod, ut pedibus ſe portet ipſe ſuis nullo dextram ſubeunte bacillo, quia dixit, ſe mori mallequàm ſic uiuere. Cauſam impotentiæ motus arbitror eſſe propter effectum in genere muſculoſo mouente crus, ut optime declarat Galenus 7. meth. in principio. Reuertamur igitur ad morbum qui omnium primus eſt: nempe cui in ſimilaribus, ſcilicet primum animantis functiones referuntur acceptæ, ſiquidem monſtratum eſt in aliis operibus, quemadmodum inſtrumentalium quanque partium aliquid agere dicamus, ueluti oculos uidere, crura ambulare: eſt enim ſicuti id quod eſt pręcipuum actionis crurum, non cruris totius, ſed muſculoſi in eo generis, ſicut uiſio non totius oculi, ſed cryſtallini in eo humoris, ac in reliquis quibuſq; organis ad portionem, cum ſcilicet muſculi tendones nerui malis humiditatibus & uiſcidis humoribus, & ut rectius dicam nodis ſeu gummis more ſpaſmi de repletione tenſione ſpaſmoſa dolorem non paruum inferente, infecti ſint, propter quam nullo pacto poſſunt ad ambulandum extendi. Sicut in chordis & neruis euenit cum ſupra modum replentur, aut exiccãtur, ut Gal. ponit 5. de morbis, & 3. de locis affectis. ſuper quos ulcera fraudulenta, & plura ſerpunt & ſæuiunt, & cauſant in motu dolorem cõuulſiuum. Addo etiam penuriam ſpirituũ animalium quæ ſunt inſtrumẽta motus, qui pauci ad hæc membra deueniunt. Ex mala autem complexione febrili pauci generantur ſpiritus in toto, ex quibus minor quãtitas, quàm par ſit, & neceſſarium membris his trãſmittitur, nec illa quantitas poteſt à calore debili membri de articulari, ut ſit inſtrumentum pro motu conueniens. Spiritus enim eſt primum inſtrumentum animæ ad ſenſum, & motũ, 7. de placitis. Sicut enim motus uiget in membris pręſentia ſpiritus motiui, ita ex eius penuria motus deperditur, qui indiget bona ſpirituum quãtitate, cum conſiſtat in actione & quidem magna, quæ habet totum corpus deferre: & cũ hic exiguus ſpiritus ad membra hæc defertur, antequam poſsit à debili calore natiuo ad motũ cõcinnari ex multis uulneribus, & amplis, & cauis, maiore ex parte difflatur & reſoluitur, ut nulla pars penè pro motu fiendo reſtet. Et cũ ex uulnere euacuatus ſpiritus fuerit, illico animal emoritur. Idem Gale. 7. de placitis. Et hæc de morbis inſtrumẽtariis. Diximus etiam nobilem hunc equitẽ pati multiplicem continui ſolutionem. Paſſus enim eſt multis iam annis ulcera κακοήθη, in coxis, ſuris, pernis, & in toto magno pede, quę tamen ſanantur, ſed uno tumore euulſo ſimili frõdeſcit talpa metallo, non deficit alter, non aureus, ſed ferreus: gummæ enim & nodi ſunt uiſcidi, qui molleſcunt, & in his eſt quoddam uelox & atrox uirus, acutum, ſoluens & aperiens cutim, ex qua exit uirulenta materia & ſubtilis pro parte, & ſanies pòſt gũmoſa, uiſcida, lẽtore tenaci participans. De ulceribus autem dimitto quæcunque dicuntur ab Auicenna 2. 1. cap. 2. de ægritudinibus continuatis. & quęcũque dixit quarta primi in ſermone uniuerſali de ulceribus, & quod cauſa eſt debilitas uirtutis membri non potentis concoquere nutrimentum ſuum in ſubſtantiam nutriti corporis, unde generatur pus, calore extraneo conuertente nutrimentum in ſaniem, ut poteſt colligi ex Galeno in fine primi prædictionum, & in 5. de ſimplicium med. facult. cap. 5. ubi ponit alterationem naturalem, id eſt, mediam & præternaturalem. mediam, quæ ſupra rationes comitatur, dixit fieri à calore ingenito, non tamen penitus ſuperante calorem extraneum. Erit igitur partim naturalis, partim præternaturalis. Prætereo multas ulcerum diuiſiones quæ hic adduci poſſent, quòd aliqua ſint immunda, aliqua ſordida, κακοήθη, id eſt, male morigerata uel maligna, quòd aliqua φαγεδαίνας, νομάδεις, ἕρπητας ἐσθιομένους, σφακέλους eſſe uidemus. Sunt & ulcera telephia, chironia, quę ab his medicis cum maligna eſſent curata fuere. Ego autem potius credo eſſe ex morbo Gallico, qui primum ab Hiſpanis ortum habuit, breuiſsime de aliis ulceribus præterij. Hoc mihi argumento eſt quod medicis confeſſus eſt ſe primum in mẽtula ulcus habuiſſe. Et omnes medici qui de hoc morbo tractarũt, aiunt in obſcœnis locis primum corporis oriri, deinde in totum corpus diffundi, unde nõnulli pudendagram Romanorum nomenclaturam ſecuti, uocant, in mentagra puſtulæ primum has partes inficiunt, longè difficilius ſanitatem recipiẽtes, quàm quæ eodem loco, ſed alia ex cauſa eueniunt. Illinc ad caput & faciem ſerpunt, ſicut fuit in hoc noſtro ægro, quia à peni ad caput ſe recepere, quibus curatis ad partes corporis imas prorupere, ad coxas, ad crura, in quibus tumores multi excitati ſemper fuere, & adhuc ſunt à materia admodum craſſa ſimili gummis, ad ſuppurationem tendente, & in his tumoribus quidam ἰχῶρες reperiuntur aduſti, apertionem accelerantes: ſanies hæc maligna eſt, ita ut mirum ſit quod oſſa non corrodat & uitiet, & ubi cicatricem contraxit, alio atque alio loco erumpit. & ſic Chirurgis & medicis imponit: quia cum iam in portu rem eſſe & in uado, ut dicitur prouerbio, credunt, tum demum maxime remigiis incumbere conuenit. Hæc quoque ulcera poſſunt poni in capite de Steatomatibus, atheromatibus & melliceridibus, quod eſt, ſeuationibus, pultationibus, quia quaſi materia ex his exit, & mellifauiis: ſic enim tranſtulit Bernardus Fælicianus Venetus in 6. Pauli cap. 36. Et ſunt abſceſſus pituitoſi, & dolorem inferũt, acrem humorem & corrodentem continent, neque propria membrana ſeu tunica includuntur. Quin etiam inter ſe hæc diſtant: Nam in ſeuatione ſeui humor ineſt, in pultatione frumentaceæ pultis, in mellifauio mellis: prout appellatio præ ſe fert, ſimilis eſt ratio. Aëtius in decimoquinto de his capite ſeptimo & octauo. ſed interpres non reddidit nomina Latina, ſicut interpres Pauli. De prognoſtico, niſi multæ medicorum autoritates obſtarent, & præſertim Celſi in 2. de indiciis mortis: ait enim, Illud interrogari me poſſe ab aliquo ſcio, ſi certa futuræ mortis indicia ſunt, quomodo interdum à Medicis deſerti cõualeſcunt, quoſdámque fama prodiderit in ipſis funeribus reuixiſſe. Poſt reſponſionem unam hoc moderatius ſubiiciens dixit, coniecturalem artem eſſe medicinam, rationem coniecturæ talem eſſe, ut cum ſæpe aliquando reſponderit, interdum tamen fallat nos. Si quid itaque in milleſimo corpore aliquando decipit, id

notam

notam non habet, cùm per innumerabiles homines respondeat: idque non in his tantum, quæ pestifera sunt, dico, sed in his quoque quæ salutaria, siquidem spes interdum frustratur, & moritur aliquis, de quo medicus primo securus fuerat. Neque id euitare potest humana imbecillitas, in tanta corporum uarietate, sed tamen est medicinæ fides, quæ sępius ægris prodest. Neque tamen ignorare oportet in acutis morbis fallaces esse notas mortis & salutis. Galenus etiam in principio de tuenda sanitate de adolescentulo, qui tussiendo crassam & uiscosam tunicã ex interna parte gutturis reiiciebat, dixit euasisse, quod non admodum sperabat. Nonne etiam in quarto de pulmonis affectibus recitat de quatuor, qui in manibus suis omnes periere, quamuis totis uiribus conabatur eos curare. Et in uno per annum in cura processit, & in principio unus nihil mali habere uidebatur, ut ipse ait, omnes tamen mortui sunt more tabidorum. Dixit etiam in tertio Commentariorum Hippocratis in morbis uulgaribus, ubi ponuntur 14. tales, ex quibus 7. sunt mortui. Aliqui tamen præter expectationem sanati. Si ergo in manibus Galeni nonnulli præter spem sanabantur, nonnulli uerò præter expectationem moriebantur, hic quoque eques saluari poterit: quod Deus pietate sua concedere dignetur: curam tamen fore difficilimam prognosticor. prima ratio quę mouet est, quia uereor ne hic morbus sit hæreditarius: pater tabificus decessit: duo quoque fratres sui, ut retulerunt medici de patre, & uno fratre. Alter autem frater tabidus, capiẽdo tabem non solum pro corporis consumptione totius, sed proprie de illa intelligendo quam Gręci phthisin uel phthoin appellant, cum pulmonis ulcere, & cum sputo sanguinis, uaseque rupto in pulmone, & ex illo sanguinis sputo secuta est saniei exputitio, & ex ista phthisin, & ulcus escaram contraxit, & quotãnis cadebat, & aliquando bis uel ter in anno, & semper incurrebat in sputum sanguinis. In cuius cura excellentissimus & nunquam satis laudandus medicus Benedictus Victorius, & ego plures menses fuimus, casus quoque exscriptus à primariis Italiæ medicis fuit, qui etiam sua auxilia frustra porrexere. Tãdem uoluit ad balnea Lucana se conferre, cùm uideret remedia parum proficere. Ego autem prognosticatus sum omnino illũ in balneis interiturũ, & ita euenit. Mater quoque ex sputo sanguinis defecit, admirationéque dignum uisum est nobis medicis, qui in cura illius fuimus, quòd nõ ex sputo sanguinis in tabem irruit, pręter omnium fermè spem & opinionem, Dei benignitate, sanata est: & hæc de matre parergὡς uolui adducere. Addo quòd obnoxius est tabi si uera sunt Galeni signa in plurimis locis, sed maxime in primo commentario in primum Hippocratis de morbis uulgaribus, ubi inquit: Tabidos enim appellãt medici, qui morbo tabifico, quem Græci phthisin uocant obnoxĳ sunt. Huic autem malo imprimis ĳ obnoxĳ sunt, qui angusto sunt pectore, & restricto thorace, ut à tergo in morem alarũ promineant operta scoptula, unde etiam ὡς πτερυγώδεις, id est, quasi alatos Græci uocant. Quibus facile caput impletur, quódque spiritus organis multas destillationes demittit, hi facile tabescunt. Hæ autẽ malæ dotes in hoc nobili reperiuntur. Secunda ratio est, siquidem morbis contrariis in unum conuenientibus difficilis redditur cura, nec facile reperitur auxiliũ, quod uni prosit, & alteri nõ obsit. Inquit Galenus in Method. med. libro 2. cap. 2. ulcera hæc fraudulenta, exiccantia exposcerent, febrilis uerò intemperies humectantia. Tertia ratio est ex Galeno in 2. Commenta. in primum Hippocratis de morbis uulgaribus, ubi inquit: In corpore bene se habente cõcoctio optima fit, & pauca excrementa generantur: calor enim naturalis semper concoquit, sanguinem generat, alimentum distribuit, nutrimẽtum agglutinat, unit & assimilat, & superflua excrementa potenter excernit. Oppositum autem euenit in particula debiliore, sicut in pedibus magnis huius egregĳ uiri conuenit. Multæ enim generantur superfluitates quæ difficilè expelluntur. & ibi retentæ putrescunt, putridæ noua ulcera regenerant. Galenus 2. ad Glauc. ait: Summatim autem hæc te cognoscere oportet, quòd siue ulcus sit sponte, siue ex accidenti, siue ex uulnere factum fuerit, exiccari desiderat, medicamento ut inquit Hippocrates, non aspero, & non mordente, neque uehementer irritante, præterquam ubi malignum & cum putrilagine fuerit, talia enim acriora expetunt medicamina, & quæ uires ignis habeant, quale est mysi, & calcites, & arsenicum, & calx, sandaraca: hæc enim non aliter atque ignis adurunt. Et Galenus de Marasmo. Monstratum est in libro de potentiis naturalibus, nutrimentum à singulis particulis attrahi, quæ cùm imbecillæ ex marasmo fuerint, & nutrimenta iccirco quotidie graciliora propter siccitatem fiunt, ideo ulcera frequentiora generantur. Accedit quòd membra fortia omnes suas superfluitates ad hæc debiliora trãsmittũt, & quodammodo tyrannidem exercent, sicut in maiori mundo euenit, in quibus reges principes, illi uerò comites, & hi subinde nobiles, nobiles autem mercatores, atque illi demum artifices & plebeculam depilant. Et hęc est causa reditus morbi, ut Galenus testatur in fine 2. de different. feb. Quarta uerò ratio sumpta est ex Galeno in 3. commẽtario primi Hippocratis de morbis uulgaribus in principio, quæ potissima est, arguẽs curam esse difficilimã. Inquit Hippocrates: Morbos dignoscimus edocti ex nostri omnium natura, & cuiusque propria ex morbo, ægro, ex cœli statu, ex consuetudine, ex uictus ratione, uitæ genere, ætate: ex oblatis, ex offerente & ex reliquis. Galenus ex oblatis dixit, si ægro oblata fuerint, ut decens erat. Et si medicus clarus aliquis fuerit in cura qui prudenter processerit, & non conualuerit æger, debemus arbitrari morbum κακοήθη esse, cum omnia recte administrãtur, & morbus non fit tamen minor. in cura huius nobilis uiri fuerunt medici excellentes, uidelicet Ludouicus Leo uir nostri seculi præclarissimus, B. Victorius Fauentinus nemini secundus. In hoc albo non audeo me connumerare, tamen etsi quid mihi assumo, uideor mihi id meo iure quodammodo uendicare, quia longo rerum usu nonnihil assecutus sum, nempe annos plus minus 40. in re medica cum primatibus Italiæ medicis & in perpetuis studiis uersatus. & si non inter claros, saltem inter ueteranos milites annumerãdus sum. Excellẽtes quoque medici chirurgici in cura eius fuere, & non conualuit. In manibus etiam empiricorum plurium fuit & cursorum, & precationibus, exorcismatibus plures usi sunt, & oportuit me sæpe illorum errores corrigere. Quinta ratio de difficultate curæ sumitur ab oblatis à natura, cùm iam per annum mariscæ sponte sanguinem & moderate sæpe effuderint, non tamen ex hoc sanguinis profluuio releuatur: sciunt enim ex uobis omnes, quòd talis sanguis ex mariscis exiens, solet præseruare ab ægritudinibus melancholicis, & etiam curare, ut clare patet in historia Galeni in illo qui singulis annis melancholiam incurrebat, ut testatur in aphoris. 47. quibuscunque uenæ sectio, &c. Quantum autem ad medicamenta attinet, paucis rem ipsam accipite. Nam si uellem omnia enumerare quæcunque acta sunt circa hunc nobilem uirum, tum à medicis tũ etiam à chirurgis, ante diem clauso uesper componet olympo, uidelicet electuaria sapida, & amara decocta, aquas per opus chymisticum elicitas, catapotia, pastillos, eclegmata, suffu. cerata, captaplasmata, linimenta, olea. Tandem redeo ad unum uel duo remedia, ad quæ me resoluo. Annis præteritis consuluit D. Benedictum Victorium, qui post multa, ad alterum duorum remediorum se restrinxit, uel quòd se reciperet ad balneum Pisanum, uel quòd decoctum Indicum caperet. De his uerò duobus me consuluit, quódnam sibi deberet eligere. Ambo ego laudaui tanquam præstantissima & summa, quia extremis & maximis morbis, extrema remedia conueniunt. Consului tamen ut decoctum caperet, & ipse etiam ad id capiendum hilarior demonstrabatur, iussi parare ea, quæ necessaria esse uidebantur, ita quòd iam iam incipiendum erat: sed, ut multa diuinitus, & non pauca inter os & offam, accidere, ut dicitur, solẽt, omne dimisit, symptomate quodam impeditus. De balneo autem dixi me esse ancipitem. Et quid tandem consulerem? dissuasi omnibus neruis, tum etiam fratris casum illi proposui, qui se illic cõtulit, & bibit aquam illam ferream, ἐμβροχὰς tamen mitiores sumpsit, ex his nedum adiutus, sed magis etiam læsus. Nam ambæ hæ aquæ eiusdem naturæ sunt, siquidem ferreæ. Accedit, quòd in morbo Gallico semper huiusmodi aquæ nocent. Et si compertum habeam in ulceribus summopere conferre, & in excorticatis, ut erat diuus Bartholomæus, sicuti in multis à me transmissis expertus sum. sed in Gallica lue nõ confert, & ob id uerebar ne sideratus accederet, sideratior rediret. Et potissimum cũ tendones & nerui in cru

in cruribus carne nudati apparerent, frigidum enim neruis inimicum. & ita illo tempore ad decoctum Indicum me reſolui, & nũc etiam tanquam ad ἀλεξιφάρμακον, quod Deus ineffabili ſua pietate nobis patefecit pro hoc morbo miſerrimo. Quamuis non ignorem hæc linimenta cum Mercurio, & ſuffumigia, quæ ad hæc ſolent conferre: Attamen decoctum hoc pro nobilibus ab omnibus magis approbatur. Et ita medici illuſtres conſentiunt, ſicut ab huiuſmodi linimentis & ſuffumigiis diſſentiũt, quæ per manus tonſorum & muliercularum ſolent adminiſtrari. Iſte etiam æger abhorret quodammodo nomen Mercurij, & quãtumcunque bene corrigatur, Mercurius ſemper erit, tanquam Aethiops ſemper Aethiops eſt, etiam poſt ſexcenta balnea, & ſicuti de lupo dicitur, quem etſi cicurem reddideris, tamen ſemper lupus erit. Hæc enim remedia erant in uſu in mala ſerpigine, & malo mortuo apud antiquiores: & de eis dicunt quod faciunt exire materiam per os. Illud autem decoctum Indicum mihi uidetur eſſe probandum, etſi mihi uiſum fuerit non ex toto conuenire: ut uobiſcum ingenue fatear, quid ſentiam: uolebam ego leui & optime morigerato ſæuiora ulcera ſuffumigio mitigare, poſtea apponere parum de ceroto illo Ioannis de Vigo, in morbo Gallico optime compoſito, ita ut non uiderim præſtantius pro malo illo teterrimo. Ingenui enim eſt animi fateri per quos profeceris. Suffumigio admodum ſecuro etiam in ore exulcerato uſque ad deſperationem, quo ego & magiſter Ludouicus in arte chirurgica apprime edoctus, in quodam nobili & ſene uſi ſumus, qui paucis pòſt diebus priſtinæ ſaluti eſt datus: hoc tamen non decreueram, niſi uidiſſem hoc decoctum Indicum non admodum proficere. Si quis tamen mihi obiiciat, quomodo hoc decoctum conueniat cum morbo calido & ſicco, dicam ratione ulcerum ſordidorum primo conuenire, quia decoctum mundificat ulcera hæc ratione ſiccitatis ſuæ, & cum huiuſcemodi ulcera non ſolũ manifeſta qualitate, ſed occulta maligna & quaſi uenenoſa participent, hoc decoctum tanquam alexipharmacon huius uenenoſitatis ipſam materiam reſoluit, & epar confortat, ex cuius ſuperflua caliditate aduſtio fit in humoribus, qui poſtea ſupercalefacti ad loca debilia trãſmittuntur, & ſimul cum humoribus crudis in concauitatem aliquam figuntur, & tumorem præternaturalem eleuant, & putreſcunt, ſuppurantúrque: pars illa ſubtilior uirulenta ſua mordacitate & acuitate cutim ſubtiliat & aperit, & exit illa pars ſubtilior, pars gũmata paulatim ſubtiliatur, & lẽtorẽ amittit, & inſtar filoſæ ſaniei ſenſim egreditur. & hæc aqua ad hoc ualet. Febri etiam non nocet, cum ponant recentiores medici eam etiam maraſmum curare. Secundum, cum morbus remediis cõmunibus non poteſt curari, & ſummis morbis ſumma remedia conueniant, nullum extat remedium magis præſentaneum hoc decocto, nec eſt præſentius auxilium, quódque minus lædat, & cum hæc ulcera febrem foueant, ſiquidem ſanies uideatur eſſe cauſa augmenti febris. Dum enim conficitur, febris eſt intentior, cum confectum & exit, tum mitior redditur febris. Ad hæc ergo ulcera tanquam ad magis urgentia uacandum eſt.

## EPISTOLA HAEC EST FLOrentinorum medicorum, qua conſilium petunt ſuper duabus tertianis à Ioanne Baptiſta Theodoſio.

DOminus Aloiſius Guizardinus ætatis annorum 50. complexionis ſanguineæ à ſubdominio cholericę, ut patet iuxta membrorum principalium complexionem, patitur duas tertianas à cholera uitellina non admodum craſſa, cuius initium fuit die Lunę, & prima cum frigore in mane, ſecunda uerò die Martis in ſero ſine frigore. Die Mercurij mane cum frigore circa horam quindecimam. Die Iouis ueſperi hora prima noctis ſine frigore. Die Veneris uerò cum frigore circa horam decimamtertiam. Die Sabbati ſero hora prima noctis. Die dominica hora undecima cum frigore. In prima die admodum debilitatus propter fumos, qui eleuabantur ad caput & ad cor, & ſemper in principio paroxyſmi de mane habet duas, uel tres euacuationes ex materia cholerica ualde putrida. & ſemper iſte paroxyſmus qui inuadit cum frigore, eſt deterior altero, adeo quòd hic ultimus proſtrauit omnino uirtutem. Quantum autem ad curam attinet, proceſſum eſt cum ſyrupis cordialibus & ſubtiliatiuis ad Saturni uſque diem. Die uerò Saturni propinauimus illi medicinam rei ipſi conuenientem, quæ utcunque ſine moleſtia euacuauit humorem peccantem. Nihilominus die ſequenti, quæ fuit ſolis, deterius habere uidetur. Circa autem febres nunc procedimus cum ſyrupis cordialibus, cum electuariis, cúmque epithimatibus circa cor, circa epar, & circa teſticulos & cum dięta cõuenienti. Verum hoc ſero hora ſecunda noctis, uidetur melius ſe habere circa uirtutem & ſomnum: uiſum eſt nobis uno ore, unóque conſenſu ad te ſcribere, ut uiri huius miſertus, noſtráq; cauſa, nobis conſilium tuum & auxilium mittas rogamus. ſigna, malignitatis debilitas uirtutis eſt. Subito urina aliquando parum turbida, & cum parua digeſtione, colore aliquando ad magnam rubedinem, aliquando ad citrinitatem. Egeſtiones uerò corruptæ, coloratæ & fœtidæ. Hæc omnia nobis uidentur ſatis periculoſa, & quia quoque metuimus craſtinum paroxyſmum, propterea principiis obſtandum, quia ſero medicina paratur, duximus. Tu pro tua humanitate non grauaberis manum tuam ſalutarem porrigere, quia multæ manus onus leuius reddunt. Raptim Florentiæ die ſolis hora tertia noctis, die decimooctauo, anno 1532.

## EPISTOLA XLIIII. RESPONſio Ioannis Baptiſtæ Theodoſii ad medicos Florentinos.

CAſum hunc tam diligenter, támque docte non ſolum expoſuiſtis, ſed etiam curaſtis, ut nullo opus ſit alio conſilio & remedio: uerum ut morem geram domino & mecœnati, cui non minus debeo, quàm parenti, paucula quædam ex tempore ſcribam. Scribitis primum hominem pati duas tertianas interpolatas, à materia cholerica uitellina & maligna. & una eſt cũ frigore, altera uerò ſine frigore. Quomodo poteſt hoc fieri? Difficile equidem, meo iudicio, imaginari, quamuis non me prætereat, interpolatam poſſe eſſe ſine rigore, ſicut continuam cum rigore, ſed hoc rariſsimum eſt, & ita rarum, quòd non uidetur in hoc caſu noſtro eſſe. ſiquidem materia ponitur maligna, nec extra uaſa excerni poteſt ſine ſenſibili læſione. Dubitaui igitur an illa, quæ ſine frigore cum materia peccaret intra uaſa, ſit una proportionalis habens excreſcentiam de tertio in tertium, quæ remittitur: ſed non uenit nunc ad epirepſiam, ut Aeginetæ uerbo utar, id eſt ad omnimodam infebricitationem. Altera poſtea ſit ex materia extra uaſa expulſa, & ſit interpolata ex materia ſæuiore, & diuerſa: liquidò apparet ex ſcriptis duas eſſe mineras. Tum quia una eſt ſæuior altera, tum quoque quia una eſt cum excretione materiæ putridæ, altera uerò non. In una uirtus terretur, in altera non. Hæc arguunt materias diuerſas in diuerſis locis peccare, quo ſtante cogitabam, nec etiam erit inconueniens, ſi tota materia extra uaſa peccet, ratione materiæ antecedentis applicationem hirudinum ad mariſcas non ab re fore, tum quia mente uacillat in morbi rigore. Melãcholicis & phreneticis hæmorrhoides innatæ bonũ, inquit Hippocrates. ubi noſter Nicolus dixit medicos admonens, quòd ſi ſponte non fluant, arte prouocandæ, tum quia ibi complexio ſanguinea à prædominio ponitur, nec ætas obſtat. Siquidem robuſtos ſenes & ſeptuagenarios Galenus phlebotomabat, & princeps etiam, quãuis in capitulo de phlebotomia non expreſſerit numerum annorum. In canticis tamen conceſsit in his phlebotomias uſque ad annum 75. Sed aliquis dicet uirtutem debilem obſtare, quia ut recte Gal. in ſectione uenæ dixit duos eſſe potiſsimos ſcopos, quibus medicus inniti debet pro uena ſecãda, ſcilicet, uirtutis robur, & magnitudo morbi. Etenim morbi magnitudo maniſeſtiſsima, non autem robur uirtutis, cui maxime inniti debemus, ſed hoc diligẽtiſsimo examine penſitandum eſt. Ego autẽ ex literis mihi ſcriptis intellexi hãc uirtutis debilitatẽ potiſsimum pendere ex multitudine materię coniunctæ cũ malignitate, & ad hoc me inducit ꝙ ſcribitis nullo paroxyſmo ſęuiore pulſum intercedere poſt quinque percuſsiones, & hoc arguit naturã agitari &

uexari

uexari, & eſt inæqualitas ſecundum ordinem. Et dicit Paulus quòd hoc arguit, ut barbare dicitur, uniformis difformis. Corroborat hoc quòd magnitudo eſt conſtans, nec multo inclinante morbo reſtituitur: hãc inæqualitatem procedere ex multitudine materiæ, facile ex his, quæ ab Auicenna dicũtur, in cap. de his quæ proueniunt ex cauſis contẽtiuis pulſus, poteſt colligi, ubi dicit, & diuerſitatis quidem cauſa, cum perſeuerãtia uirtutis eſt grauitas materię. ibi & humoris cum debilitate uirtutis eſt pugna cauſæ & ægritudinis, ex cauſis quoque diuerſitatis eſt uenarum repletio ex ſanguine: Sed quod huic eſt ſimile remouet minuitio. hactenus Auicenna. Ibi non eſt cibi grauitas, ergo humoris, quòd calor in materias graues agens, modo exurgit, modo deprimit, & maxime cum materię non ſunt ſubtiles, ſicuti non ſunt, quod ex longitudine paroxyſmi ſe extẽtis uſq; ad horas 24. probatur. ſed ſi hæc inæqualitas eſt cum debilitate uirtutis, arguemus pugnã materię morbi contra naturam, & naturæ contra morbum, ſicut in duellantibus uidemus nunc unum, nunc uerò alterum inualeſcere. Si hęc diuerſitas eſt ex repletione uenarum, quia calor & ſpiritus propter ſuperfluã materiæ repletionem per arteriam uniformiter diffundi non poteſt, magis id tutum habemus. Conſulite Iacobum de par. & uidebitis illum non diſcrepantẽ à dictis noſtris. Scribitis quoq; quòd primo paroxyſmo multum debilitatus fuerit, & debilitas non potuit eſſe niſi ex multitudine materiæ. Quia in primo die, ut dicit Gale. uirtus ex repletione non poteſt debilitari, niſi eſſet fulgur cadens de cœlo. Cum igitur hæc debilitas in illo ſæuiore paroxyſmo eueniẽs ſit principium ex multitudine cũ malignitate coniuncta, tale remedium à me præſentaneũ ſępe expertum eſt, materiam uidelicet exonerando malignam, & multitudinem minuendo, dummodo uirtus non ſit proſtrata, ut omnino hanc euacuationem tolerare non poſsit: quæ fit iuxta tenorem uirtutis in die & hora quietiore. Nec multum timemus apertionem mariſcarum, niſi quando extremè uirtus ex reſolutione fit exoluta. Addo quòd urina rubea & turbida aliquando ut ſcribitis, ſuadet. & quãuis iam proceſſum ſit in ægritudine, ſtantibus tamẽ indicationib. de uirtute, de morbi magnitudine, de urina non diſſuadẽte (ſed prius maxime duob. ſcopis) remedium facere nõ extimeſcerem, quia pauca exinanitio ſanguinis in caſu non poſſet nocere. & ut inquit Hugo ſubtilis in illa quæſt. an imprægnantib. ſit pharmacia an phlebotomia: ſi reperiuntur medicinæ benedictæ ſecurę, reperiuntur etiam phlebotomiæ ſecuræ & leues. Nec debet obſtare proceſſus ægritudinis: quia ut inquit Galenus & Auic. non eſt attendendus in phlebotomia, ut quidã ridiculoſe dicunt, numerus dierum, imò poſt uigeſimum & 40. diẽ apparentibus indiciis. ſed hęc dicta ſunt potius quodammodo hæſitando, quàm conſulendo. Ego poſt ſyrupos cordiales, electuaria, & epithimata, quibus recte utimini, ſoleo facere hanc unctionem in materia uenenoſa circa cor. Recipe unguẽti de nenuph. citrini unc. s. ſucci limonũ, acetoſitatis citri ana drach. s. theriacæ fermẽtatæ, quam perfectã apud uos eſſe arbitror ℥. j. olei ſcorpionum ℥. iij. aceti ℥ s. camphoræ, croci ana grana v. miſce pro linimento poſt epithimata in materia maligna, hoc ſæpe uti ſoleo, etiam aliquando exhibere conuenit in mane ante ſyrupum pilulam unã. Recipe trochiſci de camphora, uel pone in ſyrupo grana iiij. camphoræ. Quantum autem ualeat in malignis febrib. habetur 3. techni. Succum autem limonum non omitterem in doſi, quò uentriculus nõ lædatur. & maxime uterer aqua carnis cuius uſus eſt apud uos frequens. pòſt etiam utẽdum puluere cordiali in cibis. Recipe ſpec. cordialium pro cibo ℥. ij. pulueris ex cornu cerui uſti donec albeſcat drach. 1. raſuræ eboris drach. s. miſce. utor etiã in decoctione aquę puluere cornu cerui uſti, neque ob hoc guſtui minus grata redditur. Hæc pauca ſcribere uolui, non ut dubitarem de doctrina ueſtra & diligentia erga ægrum, ſed ut oſtẽderem meum amorem in uos, & officium in familiam hanc. Bononiæ 20. Auguſti. 1532.

## EPIST. XLV. DOMINO FRANciſco Guizardino, *Flaminiæ præſidi, conſilium pro calculo.*

NOn mediocris cura atq; ſolicitudo te angit, præſes integerrime, quòd pauculis iam diebus aduerſa fuiſti ualetudine, qua ſtatim ſuſpicatus es te in διαβητικὸν uel calculoſam paſsionem prolapſurum. propterea quòd urina te ſæpius ſolito infeſtabat, & in fundo eius arenoſa ſedimina aliquãdo uidebantur. iuxta illud Hippocratis 4. aphor. quibuſcunque in urinis arenoſa ſubſiſtãt ſedimina, his ueſica aut renes lithiaſin habẽt. Velim tamen ego tibi perſuadeas, te nullo horũ morborum paſſurum, ſi ea ipſa uictus ratione uſus fueris, quam tibi paucis pręſcripſero. Sed antequam ad regimen deueniamus, pauca præfari libet. Primum ſciendum eſt quòd de præſeruatione loqui poſſumus dupliciter, uno modo loquendo de præſeruatione abſolute à generatiuis lapidũ ſcilicet prohibẽdo, ne materia apta pro lapidis generatione multiplicetur in corpore, & multiplicata ad renes cõuertatur & ibi lapidem creet. Aliquando uerò ſermo eſt de præſeruatione nõ ſimpliciter, ſed de prohibitiõe eius quod aggregatum eſt circa renes de materia proportionata ne induretur ibidẽ, & ſi eſt arena facta non augmentetur lapis. Primũ præſeruationẽ tibi neceſſariã arbitror fore: ſiquidem lapis nullus in renibus genitus eſt, cum nullus dolor adhuc perceptus ſit in renibus, nec aliàs hunc morbum paſſus es. Nec obſtat quòd arenoſa ſedimina in urina appareant, cum ſit ſignum coniecturatiuum, non autem certum: quãdoquidem ab alia cauſa euenire poſſunt, ſicut in te eueniunt à ſuperflua renum caliditate per accidens in te nuper inducta. Quòd autem ibi caliditas accidentalis naturali caliditate maior apparet ex urina magis ſolito citrina, & ex maiori coitus appetitu, quàm aliàs, nulla alia cauſa extrinſeca uel intrinſeca interueniente, cum tamen potius deberet remitti aliqualiter ratione ætatis. Cauſa autem huius ſupercalefactionis fuit exercitium ſuperfluum pedibus factum, in quo ferè omnes tecum uenientes laſsi & defatigati. ſtatio pedes, ut dicit Auer. adducit ad laſsitudinem renum & inflammationem. & ſic caliditas hæc aucta attraxit maiorem aquoſitatẽ ſolito, quia caliditas ſuperflua eſt de principaliſſimis cauſis multitudinis urinæ & διαβήτη. Nam nocet renibus debilitando uirtutem renum contentiuam, dilatando etiam meatus, & orificia pororum aperiendo. & hæc eſt cauſa mictus frequentioris ſolito, ſtimulante etiam aliquali urinæ acuitate. Hæc eadem caliditas liquefaciendo aliquid de renum pinguedine eſt cauſa, ut in urina nonnunquam, licet raro unctuoſitas ad modũ telæ araneæ appareat, quæ non eſt uerenda. Et ſi 2. prognoſt. in ægris & febriẽtibus talis unctuoſitas uituperetur, quia ſignificat corpus ægri liquefieri: ſermo ille intelligitur quando à diſſolutione totius corporis procedit, non autem à renibus ſolum, ſicut in te eſt, ut diligentiſsimè diſſerit Nicolus in 2. ex autoritate Hippo. & Galeni. nec de mictu frequentiore eſt uerendum, ſiquidem remiſſa renũ ſuperflua caliditate, quod facile fiet, remittetur & urinæ frequentia, & ſi quid eſt pinguedinis renum diſſolutio. Adde quòd diabetis euẽtus rariſſimus eſt. Nam ut Galenus ait 6. de locis aff. hanc paſsionem raro uidemus. nam in toto tempore meo non uidi eam niſi bis euenire. quę uerba ſunt ſcripta à Rabi Moyſe 8. partic. aphor. ſuorum dicente: & ſimiliter ego non uidi eam contingere in occidente, neque audiui ab aliquo meorum doctorum antiquorum, quòd eam uiderint. addit: ſed tamẽ hoc uidi in Aegypto aliquos patiẽtes huiuſmodi ægritudinem infra decem annos plus quàm uiginti. Et fortè accidit ex potu aquę Nili ſaporoſæ, quam frequenter bibunt. ex quo dixit Matthæus de Grad. apparet inſufficientia malorum medicorũ noſtri temporis, qui ſæpe intitulãt fluxũ multæ urinæ, & abũdantiam eius in Italia eſſe diabeticam paſsionem, quæ paſsio multitudinis urinæ ſæpe apparet in noſtratibus: ſed non debet dici diabetes. In diabete enim adeſt ſitis uehemens, & egreditur aqua ſicut aſſumitur. omnis enim diabetes eſt multitudo urinæ, non tamen omnis multitudo urinæ eſt diabetes. ego quoq; in toto tẽpore uitæ meæ, tantũ uerã uidi diabeten in duabus mulieribus. quare de diabete nihil uerẽdum eſt. Apparet etiã quòd uẽter tuus magis ſolito in præſentia ſtypticus eſt, iuxta aphor. ultimum quartæ partic. Hipp. urina multa facta noctu modicum ſeceſſum ſignificat, & è cõuerſo. quia diſtributo uẽtris humore ad uias urinæ, ut ibidem inquit Gale. alui deiectionem minorem fieri neceſſum eſt. Hanc etiam renum ſuperfluam caliditatem augent cordis & epatis caliditates. Hæc enim mẽbra à temperamẽto per calidũ & humidum declinãt, parũ tamẽ, ut ex ſignis poſitis à Galeno in arte medicinali facile pro-

bari poteſt. De corde patet ex promptitudine ad negotia peragenda, quæ innumera in momento oculi peragis, ex uelocitate ad iram, ex pulſu magno & molli & ueloci & frequenti, & thoracis amplitudine, quæ omnia in te apparent. Epatis etiam complexio ſimiliter ad calidum & humidum declinat, ut patet ex amplitudine uenarum, habitúsq; calidior & humidior hoc manifeſtat. ex quo patet quòd complexio tua totius à tẽperamento parum ad calidum & humidum declinat. Quia ut bene inquit ibi Galenus, totius corporis habitus epatis & cordis naturam ſequitur. Et eo magis ſi cerebri temperatura, uti facit, cum eis conueniat. Hæc igitur omnia caliditatem renum per accidens nunc auctam intendunt. In quibus multæ materiæ uiſcoſæ aptæ in arenas conuerti ad ipſos tranſmiſſæ aduſtæ fuerunt. Conueniunt omnes medici quòd cauſa agens lapillos in renibus eſt intenſa caliditas, & cauſa materialis eſt materia phlegmatica uiſcoſa, in quam caliditas agens conſumit humidum ſubtile, & eius uiſcoſum conuertit in lapidẽ & arenulas. Iſtę tuæ materiæ aduſtæ non ſunt deciſæ à lapide, quia fricatæ inter digitos facile diſſoluuntur. pars harum uitro urinali adhæret, quod non euenit in arenulis deciſis à lapide, uel lapidem generantibus. pars enim harum eſt ab humorum aduſtione, quæ ualde cum urina & hypoſtaſi commiſcetur, & adhæret parietibus uitri. & hæc eſt differentia inter arenulas generantes lapidem, & factas ex humorum aduſtione, nõ ſolum in renib. ſed etiam in uenis & in toto: & tales arenulæ ſæpe coniunguntur in complexionibus, etiã à pueritia, ſicut de ſeipſo teſtatur Matth. de Gradi. Crediderim tamen quòd in proceſſu temporis ſi debita cuſtodia non adhiberetur, te facile in lapillos renum incurſurum, nõ autem ueſicæ, quia prognoſticum de paratis ad lapidem ex parte ætatis eſt, quòd in pueris & adoleſcentibus facilior fit generatio lapidis in ueſica. In iis autem qui iam ſunt prouectioris ætatis, & in ſenib. in renibus. Item in pinguibus magis lapis renum, in macilentibus uerò frequentior in ueſica. Non quòd te ponam in numero pinguium, cùm debita & cõpetens ſit carnoſitas tua: ſed hęc poſui quia ſunt prognoſtica, quæ in hac materia tanguntur. Ideo cõfidere decet, nam facile te ab hoc malo præſeruabo ſi mihi parueris, & ſi pater tuus, ut mihi retuliſti, hoc morbo laborarit, Dicunt medici ægritudinem hanc tranſire ad filios. Quòd ſi pater paruiſſet conſiliis medicorum doctorum, facile præſeruaſſet ſe ab hoc malo, quemadmodum te facturum confido. Nam non minima ſanitatis pars conſiſtit in præſeruatiuis, quibus pater tuus non eſt uſus, ſed curatione quando eum dolor infeſtabat, aliàs non. Et Matth. de Gradib. hoc prognoſticum ita declarat, ne exiſtimes me talem gloſam fabricaſſe. Vt igitur res Dei benignitate ad uota ſuccedat, ad regimen præſeruatiuum me recipiam, loquendo primùm de præſeruatione abſolute. Et quia, ut declaratum eſt, calculus generatus in renibus ex duobus immediate pendere uidetur: ex materia uidelicet phlegmatica uiſcoſa, & in partibus tenacitatem habente, tanquam ex una cauſa ut materiali: & ex caliditate renũ naturali uel accidentali adurente tanquam ex efficiente: pro præſeruatione igitur tria potiſsimum facienda ſunt. Primum eſt prohibere quæcunque in materiam generandi lapidis facile conuerti poſſunt. Secundum eſt prouidere, & ſi ut quodammodo neceſſariò talis materia in ſtomacho uel epate generetur, ad renes non trahatur, ſed ad inteſtina. Tertium eſt, remouere ſiue remittere caliditatem, quæ eſt cauſa effectiua lapidis. Solent medici optimi quoque à ſex rebus, quas non naturales uocant, exordiri tanquam à ſcopo. nam in his ferè ſanitas totius conſiſtit. Sit igitur cibus moderatus, ita ut ſemper à menſa ſurgas non omnino ſatur. Cauendum poſtea à cibis craſsis & maxime à phlegmaticis, à pane antiquo azymo, à cibis ex paſta cõfectis, & à ſalſis, à carne pingui, ut porcina, bouina, uaccina. A partibus animaliũ phlegmaticis, ut ab inteſtinis, cerebris. Epar tamen pullorum & gallinarum & teſticuli commendantur. Carnium prima gloria eſt uitulorum, hœdorum, agnorum annalium, caſtratorúmque iuuenum, capreolorum, leporũ, phaſianorum, perdicum, coturnicum, pullorum, columbarúmque pullorum, turdorum, alaudarum, motacillarum, & aliarum auicularum paruarum. Aues omnes paluſtres & in aquis degentes nocent. Vitentur etiam piſces craſsi & uiſcoſi & ſquamis carentes. Parui tamen & petroſi, & lupi uiuarum aquarum, & ex maritimis auratæ & rumbi laudantur.

Lac & omnia ex lacte fugienda. Audi tamen quid dicat Bartholomæus Montag. inter medicos recentiores ſummus, in cõſilio 175. de mala complexione calida & ſicca renum cum pręſentia materiarum phlegmaticarũ in eis & multitudine arenarum, cum fixione doloris in ſpondylibus renum, & aliquãdo in extremitate membri genitalis, & cum diſpoſitione ad lapidem in eis, dixit: De partibus autem animalium & quæ ſumuntur ab eis, ſunt omnia genera lactis conuenientia, præter ouinum. hoc autem non conuenit niſi in debilitate renum. Auic. 18.3. cap. 6. Laudat etiam lac caprinum, & ſerum lactis, & recoctam. Coloſtra uerò non conuenit, niſi fuerit ex duabus ſpecieb. prædictis confecta. Butyri autem nullus aut rarus ſit uſus. Præſtantius eſt oleum de oliuis bene maturis. Caſeus lapidem in ueſica generat, & omnia ſalſa, & oppilationem meri & inuiſcationis materierum. ſin autem conſuetus fuerit, poterit uti, moderate tamen & rarò. Eligatur tamen caſeus ætate anni unius, odore ſuauis, non omnino ſalſedine priuatus, nullam corruptionem putredinis habens in ſubſtantia, ſitque frãgibilis ſubſtantiæ, ita ut cùm inciditur, excludatur ab eo uiſcoſitas. Herbis his uti conuenit, uidelicet, fœniculum, petroſelinum, endiuia, cicorea, bletes, ſparagi, ſpinachia, olus iamenum, cucurbita, borago. Matth. de Grad. uituperat lactucam, conſilio 61. de calculo & dolore renum, ubi loquitur de præſeruatione dicens, cauendum eſſe ab oleribus frigidis & humidis, & adducit lactucam timens de humore generato ex eis apto conuerti in lapidem. Sed hoc non uerendum eſt in lactuca, cum non adeò malum generet ſuccum, teſte Galeno de alimentis, qua ipſe iuuenis utebatur ad remittendam choleram, quæ in ſtomacho eius generabatur: in prouecta ætate uerò coctam ipſam comedebat propter dentium defectum, etſi humor genitus ex ea ſit frigidus & humidus, non tamen ex eo eſt aptitudo ad generandum lapidem, quia eius humiditas caret uiſcoſitate, ſine qua lapis generari non poteſt. Sit ergo uſus parcus & non admodum frequens propter renum caliditatem, & libidinis etiam imaginationes in ſomno cõpeſcit, ut ait Dioſcorides: Ius caulium commẽdatur, itidem teneritas lupulorum & ſparagorum. Omnia autem olera immenſæ caliditatis fugienda. Vtendum brodiis, quæ uim ciendi alui habeant. Elixa magis quàm aſſa conueniunt. De fructibus melones, ficus & amygdalæ ſalutares, & paſſulæ. Pruna matura in principio menſæ, & aliqua ceraſa & dulcia & pontica, & potiſsimum eorum medullæ, quia ſingularem quandam proprietatem renes mundificandi habent. Vuæ albæ bene maturæ conceduntur ab omnibus, quamuis Auicenna dixerit in fine capituli quòd nocent ueſicæ. Item aliquando uti potes pomis non multum dulcedinem habentibus, & perſicis bene maturis. Pyra non laudo, niſi fuerint dulcia, & ſubſtantia lapidoſa interior excludatur. fugienda ſorba, meſpila, caſtaneæ. Grana tamen pini & feſticorum commendantur, quibus ineſt proprietas diminuendi lapidis. Omnia quoque condîta nocent cum pipere, zinzib. & ſpeciebus ſimilibus. Pro ſaporibus Barthol. Montag. laudat acetum & ſuccum citrangulorum, & limonum. Agreſtæ nullus uſus propter eius ſtypticitatem, ut teſtantur Dioſco. & Serapio. Laudantur oliuæ conditæ & iringi. Aromatum parcus & rariſsimus ſit uſus. cinnamomum tamen non admodum reiicitur, aniſum, & crocus, galanga, & zinziber. Vinum ſit album uel ſubrubeum, tanquam magis aperitiuum, odore aromaticum, & mediocre. Exercitium ſit optime digeſtione completa, moderatum tamen, nec ſit ita laborioſum, ſicut aliàs factum eſt. Habitatio ſit orientalis, ſiue ſeptentrionalis, & in tempore frigido tendat ad caliditatem, in calido autem ad frigiditatem. Veſtes ſint ad decorum & honeſtum, non nimium lumbos ſtringentes. Pari modo fugienda ea ſunt, quæ calfaciunt lumbos, ut concubitus frequens, qui ſummopere nocet, & nunquam fiat niſi ſtimulante natura. Somno indulgendum aliquid, nocturno tamen, propter digeſtionem, quæ perfectior in ſomno fit, is in latere dextro orditur, pòſt ad ſiniſtrum, demum ad dextrum denuo. Supinus inimicus renibus, quia ſuperfluitates ad ſpinam trahit ut ait Auicenna 2. 1. capit. de his, quæ eueniunt ex ſomno & uigilia. Dormiendum eſt capite eleuato, &

corpore

corpore utcunque cooperto. Affectus animi qui nos, uelimus, nolimus, aliquando molestant, quoad eius fieri potest, moderandi: moderantur autem fortitudine animi, patientia, exemplis fortium uirorum, & similibus. Sed quia ob multa accidentia, non omnia ad unguem obseruari possunt: & si fortasse materia aliqua fuerit generata, dãda est opera, ut quod generatum ad intestina trahatur, & non ad renes: ideò iubent clari medici alternis diebus fieri clysteria, uel saltem bis in hebdomada, quæ hoc modo fieri consueuerunt: Recipe maluæ, mercurialis, radicum altheæ, fœniculi, anisorum ana, parum furfuris ligati in petia p. s. facta decoctione & colatura debitæ quantitatis addatur casiæ fist. no. tra. unc. I. mell. ros. unc. I. s. benedictæ unc. s. olei camomillæ, uiolati ana unc. s. uitelli oui numero I. cum pauco sale fiat clystere. Sed ne uideamur continuè morbis obnoxii frequentando officinas pharmacopolarum, ego iubeo fieri talia clysteria domestica his qui lenitione uentris egent: Rec. brodii pinguis, quo utitur in ferculis lib. 15. olei oliuarum unc. iij. rob uini, quod uulgo sapa appellatur, unc. iiij. uitell. oui numero unum, salis parum, & fiat clyst. non paruæ hoc uirtutis est, & aliquando plus operatur, quàm medicinalia. posset fortaſsis aliquis mihi obiicere, dosim esse maiorem, quàm iubeant Medici exhibere in lapide, quibus respondendum, quòd canon ille intelligitur stante renali dolore. Cúmque unum horum clystere acceperis, sequenti die bolus hic capiendus: Rec. cas. pinguis no. tractæ per setacium drach. x. cum puluere anisorum, liquiritiæ & parum zuch. & fiat bolus. capiat summo mane & superdormiat parum. & si mauis eam in potione, dissoluatur cum decoctione liquiritiæ, & passularum, & anisorum. aliqui eo utuntur omni hebdomade, alii omnibus 15. diebus, nonnulli uerò omni mense. Quidam habent pro secreto terebinthinam, & ego eam pluribus exhibui in dolore renum & iuncturarum, & nunquam sum spe frustratus, uerum est quòd eam omnes abominantur in deglutiendo. Aliqui uerò inuoluunt eam nebulis madefactis in uino, & eam sic deuorant, nonnulli in zuccharo. Aliqui dissoluunt eam in uino calido & ita bibunt. dosis est unc. I. uel drach. x. Lenit uentrem, & mundificat renes & uesicam. potest capi omnibus 15. diebus, uel omni hebdomade, & maxime in tempore frigido. in calido autem tempore omnino abstinendum est ab ea. Quidam utuntur pilulis alephanginis omni hebdomade, præmisso tamen clystere drach. I. ante cœnam horam. & si non educunt, acuunt eas cum gran. I. diagridii. Alii uerò utuntur pilulis de hiera scilicet, aliqui pilulis communibus, & ego has summe laudarem si bona myrrha ad nos ueniret. nam quæ loco myrrhæ uenundatur peſsime olet, & omnino bonæ myrrhæ diſsimilis. Quidam porrò utuntur pilulis aloëticis in frequenti usu. & ex his sequi posset præter uentris lenitionem αἱμοῤῥοΐδων apertio, tibi aliàs peculiaris, quam salutarem tibi fore hoc autumnali tempore arbitror, & eam nũc procurandam opportunum esse crediderim, conferet urinæ multitudini, quia una euacuatione facta & aucta, altera diminuitur, ut inquit Nicolus in 2. de multitudine urinæ, exponendo Hipp. Aphor. urina multa modicum secessum significat. & econtra: nam mundificatio materiæ quæ potest lapillum facere, dixit Nicolus in præseruat. à generatione lapidis, aut fit per φλεβοτομίαν, aut φαρμακείαν uentris solutiuam, aut uomitiuam. De φλεβοτομίας dixit Galenus 10. quantitatis, qui habuerit in uenis suis sanguinem crassum & multum, incipe & minue exterioris partis genu uenam & saphenam. & Dioscorides: quem uideris habentem uenas latas & abundantem sanguine, minue eum de uena interioris genu. Sed si patiens fuerit albus, delicati corporis, pinguis, procede cum uomitu & regimine attenuatiuo & exercitio. In illo autem primo, scilicet in abundante sanguine noli attenuare regimen ualde, sed humecta eum pro uirili, & infrigida, quoniã in eo generatur lapis ex parte caliditatis. In homine autem pingui generatur ex parte humorum crassorum. Ex hoc textu tibi φλεβοτομία conueniret, quæ facta in uenis notatis ab eis supplet utilitatem αἱμοῤῥοΐδων, & eas prouocat, quæ maior esset ex ipsis prouocatis. Barthol. Montag. in doloribus renum à mala complexione humorali arenulis & lapide, laudat apertionem αἱμοῤῥοΐδων, & dicit hoc fore instrumentum curationis huius dispositionis, cons. 9. & cons. 14. de dolore renum interpolate affligente cum multis aliis accidentibus, dicit: non esse dubitandum ex restrictione fluxus αἱμοῤῥοΐδος tales dispositiones euenisse, & iubet eas aperiri. & in cons. 18. de laſsitudine renum dolorosa, & totius spinæ idem præcipit. Et in cõs. 75. in quo tractat de oppilatione renum idem tangit. Item in cons. 90. in quo agit de nocumento digestionis & appetitus in stomacho cum subuersione & nausea, & cum abscisione fluxus hæmorrhoidalis consueti. Idem præcipit & in cons. 182. de δυσουρία, στραγγουρία cum ardore urinæ. dixit in hominibus aptis, & propriè in quibus abundat sanguis crassus, aut materia adusta, aperiuntur eorũ hæmorrhoides, & in multis aliis locis. Aperiuntur autem fricando eas cum foliis ficus, aut cum panno aspero, aut fricando eas cum radice artanithæ recentis, aut radice ireos recentis, aut cum suppositorio fellis tauri. Ego facio autem decoctionem cum althea, & radicib. liliorum alborum, & radicib. ireos, & malua & bismalua, in quam calidam pono ægrum. & sic mollificatæ cum fricatione parua facile aperiuntur. aut facio eas extrahi post fomentationem cum decoctione iam dicta, & sic sino eas fluere donec satis euacuatæ uidentur. atque id facile cognoscitur ab ægro, si eas antea passus, & à quolibet etiam bimestri medico. Sed in consuetis pati plerunque natura regulat illam euacuationem. Sin autem superfluit, infinita sunt remedia: elegans imprimis hoc est pro nobilibus, quando αἱμοῤῥαγία nimium flueret, usus myrobalanorum citrinorum conditorum, & cum hoc omnes confortant. Dixit Nicolus Florent. cæpæ longæ rubeæ, quas uulgo maligias, infusæ in oleo, sunt enim acutiores aliis cæpis, & suppositæ eas aperiunt, & maxime post fomentationem facilis erit earum apertio, si decreueris. Et hæc de hæmorrhoidibus longius fortasse quàm uolui, aut quàm rei ipsi conueniret. Iubent medici fieri oportere omni anno purgationem ineunte uere. ideò laudarem ut assumeres pro minoratiuo summo mane drach. x. caſsiæ no. tra. de canna cum puluere anisorum, & zuch. & superbibere uitrum unum aquæ casei. postea bibere per aliquot dies mane duos cyathos aquæ casei. unum cum unc. ij. succi fumiter. alterum uerò sine, & statim comedere unum bonum cochleare anisorum confectorum, & serum hoc calidum bibatur. Sumpto hoc sero per 9. dies, iterum assumere hanc potionem: Rec. agarici trochisc. scrup. iiij. bulliant una ebullitione in decoctione passularum, liquiritiæ, seminum communium anisorum, & fiat expreſsio & colatura. & postea Rec. cas. no. tra. de canna per setatium drach. viiij. elect. de succo ros. drach. I. s. elect. de dactylis 3. ij. dissoluantur cum sero caprino, & cum expreſsione agarici, & mell. ros. col. unc. I. fiat potus. Hæc potio tamen erit uarianda secundum dispositionem corporis eo tempore existentem. Et hæc potio sumatur per horam ante diem, & superdormiendum per horam. post horas 5. scutellam unam aquæ hordei capito cum unc. s. zuch. duarum coctarum. post assumptionem aquæ, cibus tardandus est per horam. Quòd si syrupos mauis, ordinandi sunt ut res ipsa postulat. Quòd si materia aliqua fluxa fuerit ad renes, prouidendum ne in renib. figatur & retineatur, ne ibi induretur & lapidem induat. quod cognoscitur si urina cum sedimine arenoso, & cum trumbis & mucis phlegmaticis mixta fuerit, uel cum ardorem aliqualem causet, uel quòd non poſsit retineri, & quòd in partibus dorsalibus sentiatur dolor uel grauitas, tum conuenit eam expellere cum διουρητικοῖς incipiendo à debilibus, quæ deo duce sufficient, & non erit necessarium uenire ad fortia. Et tunc omnes imprimis, facto clysteri laudant uomitum pro thesauro curæ, qui potest fieri in paratis, & facile uomẽtib. cum unc. duabus oxymellis. s. & unc. sex aquæ calidæ. Fortiora uomitiua mihi non placent, & fiendus est post cibum. Postea sequenti die capiatur caſsiæ no. tra. per setatium drach. undecim. dissoluatur cum decoct. liquir. anisorum facta in aqua scolopendriæ, & seminum communium, & gran. alchekengi, & fiat potus. sequenti die capiat brodium cicerum rub. & liquir. & radicis petrosel. cum pauco zuch. uidelicet uncias vij. de dicto brodio, & de hoc potes uti per 5. dies. Nunc uolo adnectere, quæ secundum Dioscoridem simplicia morbis renum conferant, ne tu omni genere bonarum literarum imbutus, qui medicorum nostrorum hoc barbaro sermone offensus, cognoscas etiam apud nos medicinam

tersam

terſam & elegantem eſſe, quamuis ab omnibus ferè ob ignorantiam ſpretam. Sed Barbara hæc non ſunt aſpernanda, ita nec Latina poſtponenda, dummodo in eis uera morborum remedia contineantur. Nam morbi remediis non eloquentia curantur, ut inquit Celſus. Quod utinam foret, & non de humani generis uicibus condolendum eſſet, quod in ſe, ut inquit Angelus Politianus, graſſari impune tamdiu triſtem hanc ignorantiam patiatur, atque ab his interdum uitæ ſpem pretio emat, unde mors certiſsima proficiſcatur. Sed hæc dimittenda ſunt, & remediis notis & ſecuris utendum. ſpero tamen quòd medicina abſterſis mille errorib. radio ueritatis illuſtrata, ueris propediem amatoribus oſtendat. Dioſcor. dixit de cypero inter alias eius laudes, meatus aperiens, urinam & calculos expellens: ſed quid ſit adhuc neſcimus. Cyperus enim quo aromatarii utuntur inodorus, Dioſcorides ſumme odorum poſuit. De Cardamomo dixit inter alias eius præſtantias, renum morbis & urinę difficultati mederi: & ſumptum pondere drach. I. cum urticæ radice, & lauri calculos rumpit: ſed nec hoc, quo iam utimur, cum illo Dioſcoridis conuenit, etſi Foroiulienſes copiam huius ſe habere iactent. Item de oleo amygdal. amararũ dixit: Quibus renes laborant, quibus urina difficile tranſeat, calculos curat. Sed hoc oleum ab omnibus commendatur, & dulce eſt in uſu frequenti cum quis calculo laborat: ol. amygdal. dul. no. tract. ſumẽdo uſque ad unc. iiij. uel v. cum caſia eſt medicina præſentanea, quæ ab Auicenna commendatur, & omnes recentiores, & ego quoque utor libenter in actu laborantibus dolore calculi renum. eſt enim præſens, ſecurúmque remedium. De lauro dixit: cortex radicis frangit calculos. Idem de ceraſiis, quæ ceraſa barbari appellant, dixit: Ceraſia, & ipſa cum uirent, aluum molliunt, eadem ſiccata aluum ſiſtunt. Ceraſorum gũmi prodeſt tuſsi ueteri ſumptum in mixta, id eſt, in diluta uini potione. Creditur & gratiorem colorem moliri, claritatémque oculorum, ciborúmque appetentiam. Calculoſis prodeſſe cum uino potum. In hoc noto remedio Serap. & barbari omnes conueniunt. Idem de gũmi prunorum in uino ſumpto dixit. Commẽdat etiam amygdalas amaras in uitiis renum cum aqua ſumptas. De Lapatho, quod à Serapiõe & aliis acetoſa dicitur. Radices eius coctæ in uino, morbo regio auxiliantur, calculos confringunt. De ſio odorato dixit Dioſcorid. coctum & crudum ciere calculos. Aliqui credunt quòd ſit herba uulgo dicta creſſo, ſiue creſſones. Serapio eam credit eſſe ſenationem, falſo tamen. Senation eſt inodorum: & pro creſſonibus capitur, olus promiſcuum & acetarium. Et in uſu frequenti eſt ſpecies Sii inodorati, & capitur pro creſſonibus. Quid ſit ſium odoratum, apud Dioſcorid. habetur, uulgò adhuc non eſt notum. Item de ſiſymbrio, & eſt mẽtha aquatica, dicit ſemen in uino στραγγουρίας, id eſt, urinæ ſtillicidia, potu medicari, & calculos ciere. Idem de Artemiſia inter alias eius præſtantes uires dicit, itémque ad ſecundas, & partus, conſtrictionibus uuluæ aperiendis, urinis eiiciẽdis. Quin etiam herba ipſa, imo uentri copioſior emplaſtri inſtar applicata menſes elicit, & in hoc conueniunt omnes medici, & eſt herba ſingulariſsima, & omnibus nota, qua mulieres ſteriles, & quæ parce menſtruant utuntur in ferculis, uel in decoctione in uino, uel faciunt uiuarollos, quos uulgo tortellos uocant: tamen ex uiridi potius quàm ſicca, nec guſtui ingrata. Idem Dioſcorides de Aſpleno quæ à noſtris ſcolopendria dicitur, & eſt penè nota, ut aiunt, lippis & tonſoribus, folia eius στραγγουρίᾳ conferunt, ſingultum & morbum regium ſedant, ueſicæ calculos frangunt. Item in capite de Anthemide, quam noſtri camomillam uocant omnibus notiſsimam, dicit, loquendo de foliis & floribus: menſtrua epota & inſidendo expellunt, item partus & urinam, calculóſque. Item in capite de Glycyſide, quam noſtri pæoniam uocant, quòd grana eius x. pota in uino ſunt contra calculos incipiente ſtrãguria. Item in capite de lithoſperma, quod noſtri milium ſolis uocant, dicit: poteſt ſemen in uino albo potum calculos frangere & urinam ciere. In capite de Althea, cui nomen à pręſtantia uirtus inditum eſt Altha, id eſt, pharmacum remedium, dicit: decoctum eius radicis in uino difficile meientibus eſt efficax. Item calculoſis, ut ab omnibus medicis proditum eſt. imò laborantibus dolore calculi, decoctum foliorum Altheæ cum butyro & melle eſt præſentanea antidotus. Notiſsima herba, & in frequenti uſu. Item in capite de Saxifraga, quam noſtri ſaxifragiani uocant: in uino pota prodeſt habentibus febres, & ad ſtrangurias, & ſingultus, calculos ueſicæ frangendos, urinas trahendas. Item de gramine dixit: decocto radicis in torminibus, & urinæ difficultatibus, utimur, & ad recrementa ueſicæ frangenda, quæ demum indurantur in calculos. Et in capite de Adianto, id eſt capillo ueneris, dicit calculum frangere, & in hoc conuenit omnibus medicis, quòd capillus uen. eſt temperatæ caliditatis, & cum hoc eſt aperitiuus in 2. ut ex Serap. & Auerr. colligi poteſt. Et eſt Montagnanæ domeſticum & gratum remedium, exhibendo de aqua eius ſublimata ab unc. iiij. uſque ad v. Idem de uinifera uite dixit cum zuccharo, uel aliquo ſyrupo appropriato: Lachryma uitium, quæ uelut gũmi concreſcit in caudice, pota cum uino calculos pellit. De lapide Iudaico dixit, diſſolutus ſuper cote ad magnitudinem ciceris cum aqua calida, & potus urinæ difficultatibus auxiliatur, calculóſque in ueſica frangit. De hac etiam Galenus ait, ſæpius ſe expertum eſſe uim eius eſſe miram in frangendis calculis, & ueſicæ malis. De γλυκυῤῥίζα, quæ uulgo liquiritia dicitur, inquit: ſuccus eius prodeſt æſtuanti ſtomacho, pectoris uitiis & iocinoris, ueſicæ itidem ſcabritiis, renúmque, cum urinæ malo aliquo, doloribus, in quo ſuccus cum paſſo bibitur, pro dolore renum, ut ſuprà de hac dictum eſt. De caſsia lignea dixit ad renum dolores cõferre. & de cinnamomo, quòd ad renum dolores, & urinæ difficultates expetitur, ſi tamen uerum cinnamomum habemus. Volui hæc annectere ut intelligas nobis remedia non deeſſe aduerſus hoc malũ, etſi ſæuiſsimum eſſet: quod Deus ſua benignitate auertat. Vale. Bononiæ ex ædibus noſtris, pridie Non. April. Anno ab orbe redempto. 1537.

## EPIST. XLVI. QVA AGIT DE *proſtrato appetitu, & corporis laßitudine, conſilium.*

CAſus huius ingenui adoleſcentis eſt appetitus proſtratio, ſiue abolita appetentia, ut Galenus ait, cum laſsitudine maxima, ex qua ad motum redditur quodammodo impotens, & cum totius corporis colore liuido, & nauſea. Cauſa autem, ut arbitror, eſt phlegma plurimum uiſcoſum contentum in ſtomacho. quare natura refugit à cibo, ut dicit Auicen. 13.3. de deſtruct. appetitus & debilitate eius, ex quo accidit inflatio & extenſio & nauſea: & ſic arbitror ab humiditate multa ſopitum, ſiue ob oppilationẽ à materia tali cadente in neruo reuerſiuo oris ſtomachi, per quem deſcendere debet animalis ſpiritus à ſexto pari neruorum cerebri, qui appetitum excitare, ſeu ex ſuperflua materia frigida & humida exiſtente in toto ſtomacho, ſolet. Et cum poſt aſſumptionem aquæ Poretanæ deterius ſe habuerit, uti mihi retulit, cauſam eſſe reor, quia non potuit educere phlegmata illa uitrea, ſed commouere & partim diſſoluere, quibus diſſolutis pars defluxit ad Meſeraicas & alias uenas, unde earum digeſtio debilitata eſt, maiórque obſtructio generata. Ex quibus color liuidus cauſatur, quum ſanguis bonus non generetur: color enim ſimilis humoribus effloreſcit. Et cum ſanguis & ſpiritus non ut neceſſarium eſt, ob obſtructionem tranſmittantur, membra ad motum redduntur inepta & pigra. Auicenna in proſtrato appetitu memorat plura ſimplicia, quibus appetitus ſolet excitari. Primò cappares præparati, & cum aceto & oleo oliuarum comedendo de eis 10. uel 12. ante cibum. Eſt & mentha cocta in cibis. Item cæpe decoctum cum carnibus uel in acetario, uel etiam pauco piperis. Sunt & oliuæ conditæ, de quibus 5. uel 6. mane ante alios cibos edat. Item piper integrum deuorando grana 4. aut 5. Sunt & garyophylli ſi duo edas. Porrò & galanga huius farinæ eſt, de qua edat inſtar unguis magnitudinis: uel puluere utatur in ferculis. Eſt & ſuccus pomorum citrinorum, & ſuccus granatorum, qui tamen temperari debent cum ſpeciebus ordinatis, & etiam aceto, ne lædant ſtomachum. Mel quoque roſatum ſæpe & paulatim aſſumptum, maſtix deglutitum, zingiber conditum uel puluerizatum. Myrobalani bellirici laudãtur. Si fortè uomitus ſuperueniret, expediret eũ prouocare cum ſcutella brodii, & unc. ij. oxymellis. ſ. Laudarem quoque ut caperet ſingulis decem diebus unc. I. hieræ Galeni ſummo mane, & poſt horas ſex prandeat. Capi

poteſt

potest cum nebulis siue hostiis ob amaritudinē, datur contra iliosos, putres, marcidósq; humores, qui os uētriculi obsederunt. remedio est item iis, quorum pallor faciem decolorauit, uertiginosis, caliginosis. Excrementa mediocriter mouet, ad iecur usque progrediens. Calido iecori nocet, quod in hoc iuuene nequaquam uerendum: at stomachum iuuat. Laudo quoque ut capiat pilulas alephanginas aliquando, ante cœnam horam. Capere etiam nonnunquam expedit Rotulam de confectione diambræ tres horas ante prandium, & medium cyathum optimi uini superbibat. Aromaticum rosatum, & diagalangæ ad hoc conducunt. Item in tempore humido præstat capere aliquando unc. I. mell. ros. cum modico uini maluatici ante prandium uel cœnam parum. uel zinzib. uiridis confecti. Et quando utitur una medicina, relinquat alias omnes. Item post duas uel tres euacuationes laudarem ut nocte antè caperet drach. I. mithridat. & post sex horas prandeat, idque bis in hebdomada fieri expedit. Consulo quoque ut aliquando parum aceti squillitici capiat: id enim confortat gingiuas laxas & putridas, confirmat dentes mobiles, sanat fœtorem oris & stomachi, iuuat concoctionem, & in uniuersum eius usus corpus confortat, cui accidit laxitas & mollificatio, & colorem bonum reddit. Vti cōuenit in cibis hoc puluere. Rec. cinnamomi el. drac. I. s. nucis muscatæ. zinzib. galangæ, garyophyl. croci ana drach. I. pellicularum stomachorum gallinarum interiorum bene præparat. & ablutarum cum uino optimo unc. I. s. zuc. ad pondus omnium. Fiat quoque unctio, facta euacuatione, omni mane pro stomacho calida. Recipe olei masticilei, nardilei, absinthij ana unc. I. uini boni unc. I. s. bulliant omnia ad consumptionem uini, & in fine addatur ros. rub. coral. rub. garyophyl. cinnamomi, nucis musc. ligni aloës ana scrup. I. cū modico ceræ fiat linimentum. Vti etiam conuenit hoc cerato pro stomacho. Recipe masticis resinæ ana unc. I. mēthæ, garyophyl. gallæ muscatæ, storacis, calamitæ, absinthii ana unc. I. cum laudano & cera fiat ceratum. & addatur mumiæ ʒ. s. His consulo utendum, donec nobis se dederit uer: tum uerò, secundum eius dispositionem procedemus. Vale. 4. Nonis Octobris 1536.

## EPIST. XLVII. AN CAPVT *ablui debeat, necne, consilium.*

CVm de nonnullis naturæ abditissimis rebus, illustrissime princeps, sicut soles cum literatis & probis uiris, qui ad te, tanquam ad asylum, confluūt, post publicas & laboriosas huius prouinciæ occupationes, quas singulari prudentia, scientia, ac integritate mirabili, summa animi fortitudine, iustitia inuiolabili, rerum omnium experientia, acri iudicio moderaris & gubernas, loqueremur: Inter reliqua de abluendi capitis consuetudine sermo incidit. Asserui igitur tibi capitis abluendi consuetudinem maxime in cerebri humidi complexione obseruandam esse. Siquidem inter reliquas capillorum & aliorum pilorum utilitates à medicis literis proditas, hæc præsertim ponitur. Superfluitatum scilicet interiorum expulsio, quæ si retinerentur, propter capitis & capillorum, quæ per ablutionem abstergitur, immunditiam, non parum nocerent, ut optime differit Nicolus Floren. in 7. cap. de pilis, & per conuenientem capitis ablutionem talis immunditia remouetur. Idcirco Auicēna de cura ophthalmias dixit non esse conueniens permittere pilos tam capitis, quàm barbæ prolongari, quoniam prohibent resolutiones uaporum & fumorum à partibus capitis, oppilātes poros à quibus fumidi egredi debent, & retinētes sorditiem terrestrem crassam, oppilatiuam circa suas radices, nisi bene mundi à sorditie teneantur. super quo dixit Nicolus Florent. Sunt aliqui soliti portare capillos non comatos, imò intricatos, ueluti uellera adinuicem implicatos, & in cute ipsorum capitum sordes multæ congregantur prohibentes transpirationem, quæ prohibita multum nocet, siquidem generat ægritudines oculorum, & capitis. Adde quòd medici in infinitis capitis dispositionib. ablutiones diuersas instituunt, quas longum esset recensere. Quare opinionem illius illustris medici, qui tibi capitis abluendi consuetudinem laudauit, approbandam censeo. De memoria dicam quod Plin. in 7. Memoria necessarium maxime uitæ bonum, cuius præcipua fuerit non facile dictu est. Neque aliud est æque fragile in homine, morborum & casus iniurias, atque etiam metus sentiens, aliàs particulatim, aliàs uniuersa. ictus lapide oblitus est literas tantum. ex præalto tecto lapsus, matris, affinium & propinquorum cœpit obliuionem. Alius ægrotus seruorum etiam, sui uerò nominis oblitus est Messala Coruin. orator. Ecce quàm fragilis sit omnium pretiosissimus thesaurus hominis. rari enim reperiuntur, qui felici ingenio, & fœcunda memoria dotati à natura sint. siquidem ingenium subtilem & mollem cerebri substantiam indicat, memoria uerò permanentem, ut notat Galen. in arte medic. Pauci ingenio & singulari memoria uigent: qui in uno excellunt, in alio uerò deficere uidentur, nisi quos æquus amauit Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera uirtus. in quo albo absolutissimum illud naturæ opus, imò uerius miraculum Franciscus Guizardinus frater tuus uir perhumano diuinóque ingenio, memoria fœcundissima. Pro memoria igitur conseruanda uel augenda, uel etiam recuperanda, si forte fortuna læsa fuerit, multi multa, & potissimum Nicolus Florent. in 3. cap. de læsionib. operationum uirtutis memoratiuæ. Dimitto, quæ ad regimen sex rerum non naturalium, pertinent. Siquidem in his, sicut in cæteris rebus omnibus te modestissimum semper cognoui. Ponitur ab eo lixiuium, quo bis uel semel in hebdomade uti conuenit. Recipe senæ, rosarum, florum camomillæ, acori, sticados, foliorum lauri, nucum cypressi, saluiæ, iuæ, baccarum hederæ partes æquales. Hæc possunt bulliri in lixiuio & in hyeme caput abluere. In æstate uerò poterit sticados remouere & rosas multiplicare, & addere uiolas, & aliqua myrti grana, & thuris, & minus calida uti.

Item laudatur zinziber conditum, quia reparat memoriam, & proprie sumptum omni die mane, & hoc in temporibus non calidis. Iacobus de partib. Auic. expositor in cap. de cura specierum correptionis memoriæ ponit sex medicamenta de efficaciorib. & melioribus oppressæ memoriæ à phlegmatico humore. Primum inquit expertum est acorus nutritus in melle coctus & reseruatus, sicut condiuntur nuces & radices unà cum pyris in composta quadragesimæ: est acorus radix gladioli, quæ recens & munda multis foraminibus perforari debet, ut mel magis penetret. Secunda medicina est piper longum, quod macropipereon appellatur, similiter nutritum puta in melle coctum & reseruatum: & hæ medicinæ multis experimentis inuentæ sunt conseruare robur memoriæ, & dabis pro una dosi quaq; die de quauis pondus ʒ. I. Tertium, est medicamentum expertum, quod in forma pulueris sic cōficitur. Rec. olibani, cyperi, piperis, croci, myrrhæ ana ʒ. ij. terantur subtiliter, & per cribrum ducito. fiat puluis, de quo omni die detur una drachma, uel mane dum surgit, uel sero in ingressu lecti. Quartum etiam expertum. Recipe cimini, piperis ana ʒ. ij. sacchari albi ʒ. iij. terantur & fiat puluis, & cape drach. I. omni die ut prius. Quintum expertum. Recipe olibani drach. I. & grana ij. s. piperis scrup. I. & grana ij. s. terantur, & fiat puluis, qui mane bibatur totus pro una dosi per plures auroras cum unc. iij. aquæ mellis. Sextum expertum. Recipe cimini drach. V. piperis ʒ. I. acori, cyperi, myrobal. nigrorum ana unc. ij. mellis, anacardi drach. I. mellis communis unc. iij. & drach. ij. terenda terantur, & cum melle incorporentur, & fiat conditum in pixide. dosis mane omni die drach. ij. Item limatura eboris conducit obliuioni, si parum de ea in uino sumitur. Granum I. thuris masculi cùm lectum petis maxime conducit. Laudant medici in materia hac humida primum euacuationes fieri, quia materia humida plerunque est causa debilitatis memoriæ. Myrobalani, chebuli cōditi laudantur ad hæc, & ad roborandum intellectum, & iuuentutem conseruant. Laudatur & confectio anacardina, sed ob eius immensam caliditatem, dimittendam censeo.

## EPIST. XLVIII. QVA AGIT *de uesicæ & renum malorum signis.*

HIs diebus elapsis, doctissime Andrea, Franciscus Vandinus uir summa doctrina, magnísque rebus gestis huc transiens aliquot hîc dies mecum moratus est, déque nephretico affectu, quo tum maxime laborabat conquestus est: uoluitque ut eius urinam uiderem: rogauitque ut literis

meis

meis tibi ( cùm iamdiu mutuam inter nos beneuolentiam agnouerit ) opinionem meam hac de re ſignificarem. Ego autē, ut uotis hominis alioqui optime de me meriti ſatisfacerē potius, quàm ut aliquid tibi uiro ſingulari doctrina hiſq; in rebus exercitatiſsimo conſulerem, non potui non facere, quin ſcriberem, tum propter hominis multa in me merita, tum etiam ob mutua inter nos officia. Viſa igitur hominis urina pingui, in qua fila quædam tenacia & alba erant & longa inſtar pilorum, & quædam furfurea miſcebantur, nonnunquam uerò ſedimen arenoſum adeſſe, ſtatim iudicaui ægritudinem hominis, ſeu ut rectius loquar, ægritudinem fore, iuxta aphor. 77. quarta ſect. Quibus in urina craſſa furfurea quædam ſimul exeunt, his ueſica ſcabie laborat. & aphor. 76. Quibus in urina craſſa exiſtente carunculæ paruæ, aut ueluti capilli unà exeunt, his à renibus excernitur. Et aphor. 79. Quibus in urinis arenoſa ſubſiſtunt, his ueſica aut renes calculo laborant. De ſcabie ueſicæ ambigi non poteſt, tum ex dolore in pectine, quo ipſe infeſtabatur, tum ex colore: quamuis in renibus etiam dolorem ſentiat, qui etiam poteſt in ſcabie renum cauſari, imò aliquãdo magnificatur, ut teſtatur Auic. 18. tertii de ſcabie renum. Color autem ſquamarũ albarum denotat quòd à ueſica & non in renibus eueniunt: rubeæ enim ſi à renibus eſſent, exirent: & ſi à uenis ut Galenus ait in commento, euenire poſsint, ſicut cùm ſanguis, qui in ipſis continetur à febre ardente peruritur. Aptior autem ad hoc eſt quicunque humor in eis craſsior exiſtit, & magis qui ueluti fęx ſanguinis eſt, quem ſolemus humorem melancholicum nominare. Sed hæc à uenis prouenire non poſſunt, cùm in reliquis bene ſe habeat, nec hominis temperatura tali in uenis morbo obnoxia eſt. Et ſignum diſtinctiuum quando à ueſica, uel à uenis proueniunt clare ponitur à Nicolo in 5. de ſcabie ueſicæ: ex quo facile colligitur, quod à ueſica non à uenis: quia quando à ueſica, urina fœtet & apparet pruritus circa radicem uirgæ, quæ ſigna etiam poſita ſunt ab Auicenna decimonono tertii de ſcabie ueſicæ. De filis autem oblongis ad modum pilorum, arbitror materiam eſſe pituitoſam lentam, in qua calor agens, eam coagulat: & exiens per meatus ſtrictiores acquirit illam figuram oblongam cum aliquali ſubtilitate, & tamen non multa. Siquidem renum meatus ob diuturniorem in eis paſsionem relaxati & ſemiaperti ſunt, ideo non cùm multa ſubtilitate exeunt: & non ſunt de ſubſtantia renum, cùm ad albedinem tendant: ſed ex corruptis humoribus genitis in renibus. Licet non repugnet eos generari & in uenis, & ſunt accidēs, quia exiens mutatum, & ſunt ex toto genere præter naturam ex parte eiuſdem materię. Sedimen arenoſum generatur præſertim ex parte magis apta aduri & retineri à nimio calore renum: Nam uirtus agens eſt caliditas egreſſa ab ęqualitate, 18. tertii. & ſic ex his malis affectibus colligitur curam eſſe difficilem, quia renum & ueſicæ uitia in ſenioribus difficulter ſanantur. iuxta 6. aphor. Cauſam Galenus in commento aſsignat propter ſuperfluitates acres irritantes & non permittētes uerã fieri conſolidationē, ſeu fuerint apoſtemata, ſeu ulcera, ſeu alius aliquis affectus in cauſa fuerit. Et ſi Hippocrates dicat hoc euenire ſenioribus, uerificatur etiã in omni ætate: ita ut Raſis teſtetur ſe nemině uidiſſe poſt annum quinquageſimum primum ab his paſsionibus liberatum. Nicolus de dolore renum dixit poſt annos quadraginta non ſanari: uerificatur tamen ſi prædicta paſsio in iuuentute inceperit, & adhibitis remediis conuenientibus in illa ætate, in qua uirtus erat fortior, non curata fuit. Et hæc paucula pro ægritudinis eſſentia ſufficere arbitror, de qua ſi plura quæris uidere, conſule Galenum primo de potentiis naturalibus capite decimotertio. & ſexto de tuenda ſanitate. & ſecundo de locis affectis. Sed cùm ſummis morbis, ſumma quoque remedia perquàm diligenter adhibenda ſunt, omnia prætermittam, tanquam tibi & reliquis medicis notiſsima. Veniam iam nunc ad id quod à me efflagitabat, an aliqua uidelicet aqua thermalis ei conueniret, & maxime illa de uilla in agro Lucano: cui dixi, meo iudicio, illam aquam non ab re fore, cùm ſit mineræ ferreæ, cuius uis & præſtantia eſt complexionem humidam remouere, & membra laxa confortare, unire, abluere & mundificare, ut teſtatur Auicenna ſecunda primi, de diſpoſitionibus aquæ, ubi uoluit quòd ipſa interioribus conueniat. Experientia quoque ſæpe compertum eſt, & potiſsimum à te & à medicis illis, qui huius aquæ proprietatem cognouiſtis. Hæc ad te uolui perſcribere, ut pollicitus fueram, non quòd mea opera ac diligentia hac in re egeas, nam omnia tuo iudicio atque doctrinæ remitto. Interim fac ualeas, & tibi perſuade neminem mihi te eſſe chariorem. Aduentum tuum hic maximo deſiderio expectamus. Cura ne diutius fruſtremur ſpe. Vale.

EPIST. XLIX. QVA QVAERItur, *an phreneticus cum alienatione ab apoſtemate facto in cerebro, poßit ſanari.*

QVæritur nunquid factus aliquis phreneticus cum alienatione ex apoſtemate facto in cerebro uel in membranis cerebri, cuius cauſa primitiua fuit percuſsio, ex qua ægritudine defecit, potuerit poſtquam incepit alienare, ad uerum rationis diſcurſum redire. Reſpondeo quòd facto apoſtemate cum alienatiōe non poteſt redire ad uerum rationis iudiciũ: fortaſſe in non uera phrenıſi, in qua non eſt apoſtema factum, ſed pendet à fumis malis ex febre eleuatis: poteſt habere interualla aliqua, in quibus non tantum alienat, & non continuo, ſicut facit in uera pendente ab apoſtemate facto: in non uera autem poteſt remitti pro interuallo temporis, ſicut febris remittitur: in uera autem quia materia eſt firma & fixa non procedit interpollando, ut diligentiſsime diſſerit Nicolus Floren. ex autoritate Auicennæ in capite de phreneſi: quia ut recte dicit Auicenna in capite de carabite, ſiue phreneſi, quando apoſtema eſt in parte anteriore cerebri, corrumpi imaginationem, & colligunt uillos ex ueſtibus & paleas, & id genus alia, & imaginantur aliquas phantaſias, quæ non ſunt. Si uerò apoſtema fuerit in medio cerebri corrumpit cogitationem, & turbatur in eo quod agit, & loquitur cum alienatione plurima. Si uerò fuerit in parte poſteriori, obliuiſcitur eius quod uidet, & quandoque petit aliquid, & cùm illi id præſentatur non amplius recordatur: & quandoque petit peluim ut mingat, & datæ obliuiſcitur. Si autem apoſtema comprehendat partes omnes cerebri, apparent omnia hæc ſigna. Hæc Auicenna. Et ita facto apoſtemate in cerebro uel in panniculis eius cum alienatione, non credo interualla rationis potuiſſe contingere.

EPISTOLA L. ERVDITISSIMO *uiro Alexandro Mangiolo de Lampyride.*

PEtiiſti à me de lampyride, an quicquam medici clari de hoc animalculo ſcripſerint, an eius etiam aliquis in re medica ſit uſus. Lampyris inter genera ſcarabeorum, & papilionum annumerari ſolet. Plin. lib. 11. cap. 27. loquendo de generibus ſcarabeorum: & 18. cap. 26. inquit: Lucent ignium modo noctu laterum & clunium colore lampyrides, nunc pennarum hiatu reſulgentes, nunc uerò compreſſu obumbratæ, non ante matura pabula, aut deſecta conſpicuæ. Cuius animalis ſtellantes uolatus maturitatis hordei ſignum ruſticis præbent, mira benignitate naturæ. A Græcis λάμπυρις dicitur, Latinis uerò cicindela appellatur. Ab hac lichnus penſilis, quē lampadē uocant, uulgò cicindela appellatur, quæ nocte tota ſeruatur, & accenſa lampyridis inſtar lucet: apud medicos noctiluca, uel nitedula, uel incendula uocatur. Nullas eius uires in re medica reperi, niſi apud Nicolum Florentinum & Raſim x. continentis in cura lapidis cantaridas, cicadas, noctilucas ualere. Nullam aliam earum uim, quòd ſciam, memini me legiſſe. Ferunt quoque nonnulli, ſi chymiſtico opere excoquantur, aquam ignium modo lucentem extrahi, ex qua characteres aurei depingi poſſunt. Ariſtoteles pyrolampides appellat, id eſt cicindelas, à clunium fulgore nomine indito.

EPIST. LI. ANTONIO DE AL*bergatis humanißimo iuxta ac doctißimo uiro de matricaria herba.*

SCire cupis an matricaria idem ſit quod artemiſia. Nam eius opinionis fuit Marcellus Florent. Dioſcoridis interpres diligentiſsimus in 3. cap. de artemiſia. Arbitrantúrque recentiores à matrice matricariam dici, eo quòd matricis malis conueniat, quæ Græcis γυναικεῖα appellantur, ſicut & artemiſia. Quæris ut te decet, hoc eſt, ut conuenit uiro rerum abditarum ſtudioſo. Ideo ut tibi morem gererem

ſtatim

ſtatim euoluere cœpi omne genus autorum, uidelicet, Dioſcoridem, Plinium, Galenū, Marcellum, Paulum Aeginetam, Hermolaum Barbarū: neq; id nominis apud uetuſtiores reperire potui. Apud Serapionē autem, & in pandecta, & alios recentiores inuenitur. Arbitror matricariam non eſſe arthemiſiam, nec ſecundum antiquos, nec ſecundum iuniores medicos, cùm ſæpe in eodem medicamine utraque ponatur. Nicolus Flor. in 6. cap. de retentione menſtruorum in cōpoſitione ſyrupi de arthemiſia utranque ponit. An autem ſit apud Dioſc. non facilè dixerim, illud tamē ingenue fatebor, ſub hoc nomine non reperiri apud Dioſcoridem, ſed ſub nomine partheniĳ: & huius opinionis fuit Serapion, in cap. de matricaria, ubi inquit, & formam & uires parthenio ſimilem eſſe: & Auicen. in 2. Vchuen.i. matricaria, ualet ad muliebria mala, ut de arthemiſia dicitur. Huius opinionis fuit etiam autor, qui luminare maius inſcribitur, qui profecto etſi pro ſeplaſiariis confectus eſſe uideatur, non etiam doctis & emunctiſsimæ naris uiris eſt aſpernandus: uult matricariam eſſe, quam Inſubres uulgò criſpulam uocant. Bartholomæus Montag. in conſilio 261. putat matricariam eſſe, quam uulgò marellam dicimus. Hermol. in 3. corol. dicit multos putare hoc parthenion eſſe matricariam. Nec obſtant multa alia ſimplicia cum apud Plinium, tum apud Dioſcoridem hoc nomine partheniĳ, ſicut de helxine, linozoſti, arthemiſia, chamæmelo: quandoquidem ſub ſe plures habeat ſpecies, tres enim Pandectarius & Barbarus ponunt, nec hoc nomen matricariæ apud ueteres medicos repertum eſt, ſed ſolum apud recentiores, qui huius partheniĳ ſpecies plures inuenere, indito à matricibus nomine, ut rectè Marcellus arbitratur. Nec mirum ſi Plinius ipſe uetuſtatis autor, deceptus eſt, confundens parthenium herbam, quæ alio nomine muralium dicitur, cum parthenio altera quæ uocatur etiam chamæmelon, cum tamen differant. Quamuis Pandulphus Colenutius Plinium defendere conetur, de qua re hic differere, non eſt inſtituti noſtri. Arthemiſia autem eſt eius ſpecies, quæ etiam in alias diuiditur, ut licet uidere apud Dioſcorid. 3. & apud Plin. lib. 25. cap. 7. quæ parthenis antea uocabatur. Hinc occaſio data eſt multis, qui tot partheniĳ ſpecies non nouerant, ut hanc arthemiſiam matricariam appellarent. Hanc autem arthemiſiam inuenit prima & oſtendit Arthemiſia uxor Mauſoli, quæ antea parthenis uocabatur. Sunt qui arthemiſiam ab Arthemide cognominatam putent, quoniam priuatim medicatur fœminarum malis. Hæc & alia plura Plinius, quæ breuitatis cauſa relinquo. Hæc autem Arthemiſia, ut etiam ponit Marcellus, in multo nominum ambitu & honore quondam Arthemiſia parthenis, id eſt, uirginis primo dicta, quòd uirgo dea illi nomen dederit. Mox βασιλικὸν λάχανον, id eſt regium olus, multáque eius nomina in hiſtoria refert, ut etiam dicat ab aliquibus matricariam, olus omnibus notum, appellari. Parthenium octo ſub ſe habere ſpecies, uidelicet matricariam primam à Neotericis ſic dictam nouitium uocabulum. Tanacetum pro ſecunda ſpecie, quam poſteriores medici apium ruſticum, matricariam mediam, arthemiſiam domeſticam, & herbam ſanctæ Mariæ appellant. Tertia eſt anthemis, quæ chamæmelon, multáque alia nomina habet, ut apud Dioſcor. in 5. & Plin. 22. cap. 21. Theophraſtus quoque de hac anthemide lib. 7. cap. 13. meminit, & quid ei ſit peculiare, in fine capitis. Quarta ſpecies eſt, quæ cotula fœtida appellatur, eſt & non fœtida, eſt & linozoſtis, quæ mercurialis herba dicitur, quā Ameron uir inuenit. Eſt & ſeptima ſpecies partheniĳ, parietaria uulgò dicta, ſeu paritaria, helxine à Dioſcor. in 4. de qua apud Marcellum multa ſcitu digniſsima ſcribuntur. Eſtque ultimā partheniĳ ſpecies arthemiſia noſtra, de qua ſuprà. Clarum igitur eſt matricariam pro partheniĳ ſpecie uſurpari, & parthenium eſſe diuerſam ab arthemiſia, cum Galen. de ſimplicium medicamentorum facultate, & Paulus Aegi. cum Dioſc. faciant capita de parthenio.

## EPIST. LII. IVDICIVM DE *balneo ſancti Marini Ioannis Baptiſtæ Theodoſij.*

AQua hæc mineram habet à prædominio ferream, pauco & ſulphure & ſale participante, quo efficitur ut ui ferri habeat uirtutē ſtringendi, membra confortandi & exiccandi humiditates in eis exiſtentes. Ex parte autem ſalis & ſulphuris ſoluit & educit humores, aperitque oppilationes, propterea ſtomachum ab omnibus mundat ſuperfluitatibus & humoribus, ſpiritúsque cōfortat, & eius uirtutes unit, malásque complexiones potiſsimúmque humidas alterando & humiditatem eius exiccando, quia ſic eius digeſtionem iuuat. Omnem δυσκρασίαν membrorum naturalium, materialem, uel immaterialem, frigidam, uel calidam, ſed præcipuè calidam remouet, tum euacuando humiditates, tum alterando & exiccando, quia confert oppilationibus eorum, & morbis cutaneis, tum morborum ſalſorum & aduſtorum propter ſtomachi digeſtiuæ uirtutis debilitatem & corruptionem, uel epatis malam complexionem calidam, uel ſplenis debilitatem attractiuam: ſicut eſt ſcabies, lepra, icteritia. Fluxum menſtruorum utraque remouet, tum euacuando humores, tum etiam confortando membra generatiua eorum, ipſorúmq; receptiua, unde ſic ſterilibus à cauſa frigida uel calida conducit. Catarrhoſis cauſa membrorum inferiorum ſcilicet propter κακοχυμίαν eorum confert. Nam educēdo humores prohibet eorum uaporationem ad caput, ex quibus fit ῥευματισμὸς ipſis frigiditate in eo condenſatis. Et ut paucis rerum ſummam expediam, experientia comprobaui in uirtutibus & minera ſimilem penè eſſe balnei de Villa noua in agro Lucano, differens ſolum in hoc, quia aqua balnei Villæ nouæ plus ſulphuris habet, quod etiam ſua caliditas actualis manifeſtat. Hæc enim aliqualiter calida ad actum, uel ſaltem in caliditate temperata exiſtit. Cur autem ſola caliditas uirtute ſulphuris producatur, ex ſententia Ariſtotel. libro de proprietate elementorum ſub his uerbis declaratur: cauſa caliditatis aquarum fit, quia ipſæ currunt per mineras ſulphureas. & alibi inquit, quòd cauſa ardens Vulcani montis eſt, quia aqua currit per mineras ſulphureas ipſius, unde rationabiliter aqua in tali loco & fumat & ignem emittit. Aqua autem de ſancto Marino eſt actu frigida, ſaporem ferri admodum apertum habet, paucum autem ſalis & ſulphuris: unde propter hæc apparet uirtutes habere contrarias, ſcilicet ſtypticam, confortatiuā & exiccatiuam ratione ferri, & aperitiuam ratione ſalis & ſulphuris, quæ uirtutes in ea exiſtentes quando bibitur à uirtute corporis diſcretiua ſeparātur, ut dicit Auic. 2. can. cap. 4. in calce illius capituli, quas uirtutes etiam contrarias uidemus in aqua Poretæ, & in multis oleribus, ut endiuia, caulibus: in eis enim eſt uirtus calida et frigida, prędominante tamen calida, qua fit apertio. Idem quoque reperimus in camphora, quæ à prædominio frigida eſt admodum, & tamen ratione multi ſui odoris oportet cōfiteri in ea eſſe partes calidas, ut dicit Dynus in ſecundo canone capite tertio: odor enim nō fit niſi ex fumali euaporatione, ut dicit Ariſtoteles in lib. de ſenſu & ſenſato: talis autem euaporatio non fit niſi à calore. Hęc autem dicta ſunt ſecūdum opinionem eorum qui tenent ferrum eſſe frigidum & ſiccum, cuius opinionis eſt Sauonorola in tractatu de balneis, in capite de ferro: & Matthæus de Gradibus. Sed qui tenent ferrum eſſe calidum, ut Cōciliator primo problematum, problem. 34. dicerēt omnes uirtutes illas eſſe à ferro in quo prædominantur partes terreſtres & ſiccę cū ſubdominio partium calidarum. Nam ut dicit Conciliator eodem loco, apud autores nondum conuenit de complexione ferri, quia ipſam ponit calidam ſua opinione. Cùm autem in balnei aqua ſancti Marini ſint illæ uirtutes cōtrariæ, ſcilicet ſtyptica & aperitiua, oportet concedere, uel in ea eſſe aliqualem participationem rei calidæ, ſcilicet ſalis uel ſulphuris, uel ferrum eſſe calidum: oportet autem rem illam calidam admixtam paucā eſſe & remiſſam, quoniam neque ſapore, neque odore, neq; calore, neque tactu apparet talis rei calidæ, ſcilicet ſulphuris & ſalis participatio. Hæc autem aqua bibitur actu frigida in quantitate ſecundum diuerſitatē ſtomachi, tolerantiámque & eorum debilitatem. Quod ſi bibatur actu tepefacta ad ignem in uaſis uitreis, tunc efficacius confert ſtomachis debilibus in mala complexione frigida & humida, uirtutem eius digeſtiuam & retētiuam impediente, & etiam ſic pota citius & efficacius uentrem ſoluit: poſt cuius potionem oportet uti exercitio maiori uel minori ſecundum uirtutis tolerantiam: & æger ſe muniat pannis, cauendo à frigiditate aëris, qua fit pororum cutis clauſio, qua clauſione ſana & infirma cor-

pora læduntur,ut ait Auicenna prima quarti cap.6.de rigore & horripilatione in calce capituli. Debiles autem bibant interpolatis,ſcilicet de tertia in tertiam uel ſaltem duobus diebus continuis, quieſcendo die tertia:in qua ſi fieret clyſtere abſterſiuum,optimum eſſet, ſicut eſt mos in balneo Porretano,quem modum laudant,dicentes,bibẽtes aquam porretæ eam bibant interpolatis diebus,in die autem quietis non dimittant clyſtere,quoniam ipſo maius fit iuuamentũ,quàm potatione aquæ.Et certe ex uſu clyſteriorũ experientia uidemus à corpore egredi maximam quantitatem phlegmatis,aliquando uitrei,aliquando mucilaginei inteſtinis adhærentis, quæ lubricitate aquæ non poſſunt educi.Et propter dicta,ſcito aquam illam potam extrahere arenulas à renibus & ueſica, & ſimiliter cunctis morbis ab oppilatione coarctatoria in dictis locis cauſata. Oportet præterea in potatione dictæ aquæ cõſiderare,quæ ponit Auicenna quarta primi.can.2.de regulis ſeruãdis in exhibitione ſolutiuorũ,& pro parte colligitur ab Hippocrate ſecundo aphoriſmo: multum & repente euacuare aut replere,calefacere,aut infrigidare fallax eſt & naturæ inimicum,paulatim uerò certum.Sunt quidam qui dicunt aquam ſancti Marini eſſe omnino ferream,nullam participationem ſalis aut ſulphuris habere:unde propter illud fit uentris ſolutio à uirtute ferri frigida per uiam compreſsionis mẽbrorum,nõ autem à ſale & ſulphure ſecum permixtis. Qui modus eductionis fit in ſpongia plena aqua,manu compreſſa.Sed quomodo per talem uirtutẽ ſtypticã oppilatio aperiri poteſt?ſicuti quotidie uidemus ex uſu illius aquæ,ictericos,& epatis ſpleniſq; oppilationes patientes ſanatos eſſe.Quapropter oportet concedere quæ dicta ſunt de ea,ut ſcilicet ſit in ea uirtus frigida & calida,qua à uirtute diſcretiua ſeparatur.Aperire enim eſt operatio caliditatis,conſtringere autẽ frigiditatis,ut dicit Meſue cap.1.de cõſolidatione medicamẽt. & Auicen.20.can.cap.4.& Ariſt.de generat.2.& Cor.& Galenus in multis locis.

## EPIST. LIII. AN CANNABIS *ſatiua aërem inficere poßit.Ad Magnatem quendam.*

QVæris à me,illuſtriſsime princeps,an cannabis ſatiua aërem inficiat.Ego quicquid ex autoribus medicinæ tam antiquis,quàm recentioribus colligere potui,perſcribam ad te.Dioſcor.libr.3. duo capita de cannabe ſcripſit,unum ſcilicet de ſylueſtri,aliud de ſatiua.De ſylueſtri dicit quòd lenit inflammationes, tumores diſcutit, lapidoſas durities, quas Græci poros uocant,diſſicit elixa cãnabis radix emplaſtri inſtar impoſita:quinetiam texendis funibus apta. De ſatiuo dixit,ſemen eius maiore copia ſumptum genitale ſemen extinguere,& ex ea uiridi ſuccum expreſſum contra aurium dolores utiliter inſtillari,uerùm ingratum odorem eam habere refert.Plin.lib.19.cap.9.meminit quando ſeritur,& quando uellitur,& de eius generibus.ubi inter alia dicit,ſemen eius in Italia cibus.In 2.poſtea lib.cap.23.dicit,cannabis primum in ſyluis nata eſt nigriore folio & aſperiore.Semen eius extinguere genituram uirorum dicitur,ſuccus ex eo uermiculos aurium,& quodcunq; intrauerit,eĳcit,ſed cum dolore capitis,tantáq; uis ei eſt,ut aquæ infuſa eam coagulare dicatur.Radix cõtractos articulos emollit in aqua cocta.Item podagras & ſimiles impetus.Hæc de cãnabe in Dioſcoride & Plinio,ex quibus nihil quòd aëris corruptionem faciat,colligere potui, ſed graueolentiã tantùm.Scio tamen multos,imò ferè omnes noſtri ſeculi medicos eis paruam,uel nullam fidem adhibere: quia ut in ueteri prouerbio habetur,nihil graculo cum fidib.nihilq; cum amaricino ſui.Veniam ad Barbaros, cum quibus malunt in multis errare,quàm cum antiquis recte ſentire.Galenus Medicorum princeps,quem ob malas eius translationes,(de Latinis non loquor: paucę enim admodum ſunt,)primo de alimẽtis cap.de cannabis ſemine dicit,quoſdam ipſum contuſum cum alĳs tragematibus,id eſt,bellarĳs ſecundæ menſæ potus gratia comedere.Item in 7.ſimplicium medicamentorum dicit, cannabis ſeu cannapis deſtructiuum eſt uentoſitatis.eadémq; ibidem refert,quæ de ſatiua cannabi Dioſcor.Auicenna quoq; capita duo de ea poſuit, unum de cannabe,aliud uerò de eius ſemine,quod appellat ſehedenegi,ubi recenſet omnes eius qualitates, & quòd aërem inficiat nihil omnino dicit.Sodam tamen,id eſt,dolorem capitis inferre ait,propter uehemẽtiam calefactionis,& uaporationis ipſius dicit.ex quo in ſuburbĳs ciuitatum nobilium multa ſatio non laudanda eſt,quia uaporatio illa nobilium deambulationem deturbat.Serapio quoq; eius uſum in medicamentis laudat,& inquit:ſemen eius comeſtum excitat ſperma.Meſue quoq; inquit conducere ſemen ad uulnera. huic ſententiæ penè omnes recentiores medici aſtipulantur.neq; tamen aliquid de peſtiferis aiunt,uel quòd inficiat aërem:putrefit tamen aqua, in qua cannabis ipſa & linum ad emolliendum infunditur.Quod medici in exemplum in peſtiferis adducunt,quia ex malis aquæ corruptæ ex lini & cannabis uaporibus aër facile corrumpi poteſt.Ex omnium ergo medicorum opinione colligi poteſt,aërem non corrumpi ubi cannabis & linum ſeritur & alitur,ſecus tamen ubi emollitur.Si quis tamen me tanquam malum dialecticum arguere uoluerit,ſiquidẽ locus ab autoritate negatiuus, ut more dialecticorum loquar,in medicina non ualet. ei ego reſpondebo:Si talis qualitas in cannabe reperta eſſet,non ab omnibus medicis prætermiſſa fuiſſet, cùm nocumenta eius leuiora deſcribant. Temerarium enim eſſet in re tanti momenti,& tot medicos tali inſcitia taxare.Sed relictis autoritatibus,ſi cannabis aërẽ inficeret,hoc non eſſet niſi mala ſua qualitate aperta uel occulta. Occulta hactenus à nemine cognita. Ab aperta autem non eſt facile ſignare. Siquidem in tertio gradu ſiccitatis & caliditatis accedit,ex quo calefacit & admodum exiccat.Multa alia in hoc pariter gradu reperiuntur,quæ nullo modo aërem inficiunt:niſi aliquis hoc ex graui eius odore euenire arbitretur.Sed nõ eſt ueriſimile.Multa etiam grauiter olent,quæ non aërẽ tamen inficiunt. Coriandrorum enim uſus ſaluberrimus,ut Græcis placuit.Cimices,quos folia eius & caules olent,nomen fecere:inſectum enim Græci corin uocant,ideo olentem eius plantam corion nominauerũt, quæ & coriandrum dicitur.Adde quòd eius grauis & ingratus odor in ſicca qualitate fundatus eſt,quæ putredini reſiſtit.Summa enim curationis peſtiferarum, ut uerbo Auicennæ utar, eſt exiccatio,id eſt,regimen exiccans:ſiccitate enim ſua aëris putrefactioni reſiſtit, ad quam grauis eius odor inclinare poſſet.Poſſet fortaſſe quiſpiam malã & occultam qualitatem in cãnabe arguere,quia herbas alias enecat,ut experiẽtia compertum eſt, imò eam ferentes gramen ab ea penitus extirpari aſſerunt,quod diligentiſsima cultura extirpari non poteſt.Obĳciam eis Theophraſtum,ut Dioſcor. & Plinium interim ſileam in primo de cauſis plantarum cap.de plantarum ſocietate,item amicitia & inimicitia earum.eundémq; in quinto de pernitie, quæ uicinitate iuxta ſatorum,aut cõtagione ſponte ſe aſſociantium affertur.Item quę herbæ alias interimant.ubi enumerat herbas multas alias enecantes,quas ne te nimia quadam diligẽtia obtundam,dimittam.Hæc mea eſt de cannabi ſententia,quam prope urbes & in diuitum prædĳs multum ſeri non laudo,quia æſtiuo tempore ſi in his locis refrigerĳ gratia exercitium fieri contigerit à nobilibus,eius graueolentia capita eorum calefacere & offendere,& aërem alterare poterit.Earum autem emollitio prope urbes nequaquam fieri debet. Quod cum Fiberio res meas compoſueris,tibi gratias ago & habeo.Gratiſsimum quoq; eſſet ſi Briotto uerbum perſcripſeris,ut ex mutuo publico, quod exigitur,portiunculam mihi largiri curet,antequam tenues euaneſcat in auras.In hoc enim uno feſtiuum illud Catonis dictum in Albidium competit,qui patrimonium uniuerſum luxu abſumpſerat, unis exceptis ædibûs, quæ incendio conflagrarunt:proteruiam,inquit,fecit, propterea quòd ea quæ comeſſe non poterat,quaſi cõbuſsiſſet,ut in ſacris multis ſolitum erat.ſicuti Moſen de agno Paſcali egiſſe legitur,quod ſcio te facturũ. Vale Bononiæ Calendis Febr. Anno 1536.

## EPIST. LIIII. QVA DERIdet *barbariem ſequentes,& de ſpiritu complantato,ad amicum quendam.*

Dum

DVm in lectione publica, uir doctiſsime, locum illum Auicennæ, ubi aſſerit tria in corpore humano eſſe, in quibus febris accendi poteſt, uidelicet membra, ſpiritus & humores, & ex eis tria febrium prima genera produci, exponerem: dubiúmq; à me illud an humores & ſpiritus uiuerent excuſſum fuiſſet, duplicémque ſpiritus modum, ſcilicet complantatum in cordis ſubſtantia, qui fons & origo caloris naturalis eſt, de quo Auicen. 2. 3. de humoribus uniuerſalibus in cura cordis dixit. Subſtantia propter quam cor creatum eſt, eſt ſpiritus effuſus in ipſo, & reliqua: aliúmque eſſe ſpiritus modum, ſcilicet, fluentis à corde & ex puriore ſanguinis & ſubtiliore parte geniti inſtar ſcintillæ ignis per arterias ad membra uiuificanda tranſeuntis, primúmque actu animatum, ſecundum potentia, aſſeruiſſémque Iacobum de Partibus, prima primi de ſubiectis medicinæ, ubi Auicenna dixit membra & ſpiritus eſſe ſanitatis, & ægritudinis ſubiecta prima, hanc diſtinctionem adducere: dixiſti, eámque non eſſe ex Galeni intentione. Qua de re non parum lætatus ſum, cùm agnouerim te uirum doctiſſimum ueram & genuinam Galeni doctrinam ſectari, barbariémque hanc teterrimam odio proſequi. Vtinam reliqui artis medicinæ profeſſores tecum ſentirent, ſperarem equidem antiquam illam ueram & caſtam medicinam, quæ iam placidum caput exerere occepit, abſterſa caligine omni, leuigata facie ſeſe ſpecioſam ueris amatoribus oſtenſuram. Sunt multi adeo inique affecti noſtro ſeculo, qui malint cum barbaris male ſentire, quàm cum bonis & perfectis autoribus optime ſapere. Ego autem dabo operam ut bonos in poſterum autores ſequar, hoc eſt, ut Galeni doctrinam, quoad eius fieri poteſt, aſſequar. Quod ſi aliquando in lectionibus meis barbarorum teſtimonio utor, id neceſsitate quadam coactus facio: ſiquidem nonnulli medicinæ candidati, qui me audiunt, ruſticis his eduliis hactenus enutriti, ſacchareos & nectareos ueræ doctrinæ cibos, reſpuunt. Ita ut ſi illos mellifluis tantummodo enutrire cogerer, in ἀτροφίαν fortaſſe inciderent. Et noſti quoque, ut aiunt, difficilimum eſſe uetulum canem aſſueſcere loris: ſenſim igitur eos ad cultiores literas prouehere conor, Galeni translationes Latinas, pro his qui has ſectantur, qui multi ſunt, eaſdémque barbaras pro ſuis ſectatoribus adducendo. Et Dioſcoridem & Paulum Aeginet. Si ergo audiſti me hoc uerbo uti, ſcilicet ſpiritus complantati, hoc fuit in cauſa, hac ipſa diſtinctione utitur & ipſe Dynus, & Gentilis ſuper illo loco & conſilio diff. 59. etſi Gentilis aliter ſentiat quàm Dynus, & alij. Ne igitur amplius, quo ad uerum bonarum literarum cultorem loquor, in barbaris obruamur: dixi me, etſi non ſub tali uerbo, complantatum ſcilicet, reperiatur, diſtinctionem hanc conformem tamen eſſe Gal. arbitrari. ipſe enim ſuper Aphor. uentres, dixit: Tria autem erant corpora, quæ primæ noſtræ naturæ ſubſtantiam compleuerunt, ſpiritus, ſanguis, & aërea humiditas, ex qua in primo ortu, ueluti in libro de ſeminibus diximus, fiunt partes animalis ſolidiores, mox uerò augmentum in iſtis perficitur. Ecce ſpiritum de quo ſuprà, qui eſt uelut calor natiuus omnium operum naturalium cauſa. Neq; enim ut ibidem dicit Galen. aliud quicquam animal ab initio afformauit, ſicuti neque rurſus adauxit, aut uſque ad mortem enutriuit, præterquàm iſte calor innatus, de quo nunc contenditur. Quòd autem Galen. intelligat per calorem innatum ſeu natiuum hunc ſpiritum, à barbaris complantatum, qui afformauit, auxit, nutriuit à principio uſque ad mortem animal: audi ipſum Galen. clariſsimè lib. 5. de ſimpl. med. facultatibus aſſerentem cap. 8. quòd pus mouentia, etiam emplaſtica eſſe conueniat, cùm dixit, plurimum calidi ſpiritus in pueris contineri, qui omnes eorum naturales actiones adauget: ſubiungit hoc multos latere, & cùm hoc ignorent, Hipp. ſubinde accuſare non uerentur, quòd dixerit creſcentia plurimũ habere caloris innati: ſed non oportet tanti uiri dicta perperam intelligere. Quod autem dixit innatum, calorem intelligi uoluit, quem in quoquo animantium ſpiritum nominamus, de quo & Ariſto. ſcriptum reliquit. Verùm nihil prohibet ſanguineam ſubſtãtiam, ſimúlq; aëream unà cum ſpiritu calidum ſubaudire innatum: at Stoici hunc ipſum ſpiritum animę eſſe ſubſtantiam autumant. Nos ſanè de animæ ſubſtantia non proferre nunc eſt animus, quia ſuperuacaneum id eſſe arbitramur. Quanquam iam ante ſpiritum innatum, etiam ſi non ſit animæ eſſentia, ſaltem primum eſſe eius inſtrumentum in commentariis de Hippoc. & Plat. decretis, abunde ſatis demonſtratum eſt, & certe dicimus eum ſpiritum in omnibus animatis contineri partibus: hactenus Galenus. Idem quoq; affirmat in meth. meden. cap. 1. cùm inquit. At natura quidem & ars, & artifex materiarum interuentu agunt: natura uerò per ſeipſam & ex his tribus partibus conſtat, ex ſpiritus ſubſtantia, & ex earum quæ uerè dicuntur ſolida ſubſtãtia, quam ex ſemine genitam demonſtrauimus, & tertia ab his carnoſa. Singula autem dictorum trium propriam, pro natura ſua, tum qualitatem tum quãtitatem habent, & quoquo modo in his tribus permaneant, tum qualitas tum quantitas declarat. & in cap. 3. eiuſdem libri repetit. & in libro definitionum, hoc etiam aſſerit. Et ſi non me prætereat Ioan. Manardum uirum doctiſsimum aperte affirmare, eum definitionum librum nõ eſſe Galeni, ubi inquit, ſpiritum eſſe natiuum calorem in corde, & non intellexit niſi de iſto complantato, cuius etiã apud Ariſtote. fit mentio in libro de cauſa motus animalium, ſub eodem uocabulo dixit quòd principium in motibus animalium eſt in corde, & ſpiritus complantatus eſt in ipſo. Spiritus eſt mouens organicum. De motione autem animalium ſic diſſerit: omnia autem animalia uidentur tum ſpiritum habere, tum robur ab eo capere. Quæ autem connati ſpiritus conſeruatio ſit in aliis dictum eſt locis, is autem ad animale principium ſimili ſe uidetur habere modo, ut in flexionibus punctum, quod mouet ipſum immobile. quoniam autem principium aliis quidem in corde, aliis uerò in parte, proportione reſpõdente, quapropter connatus ſpiritus eò loci apparet. Hic Ariſtot. clare apparet connatum appellare ſpiritum illum quem barbari hi complantatum dixere. Auerr. quoque 2. colliget idem ſentire uidetur. Quiſpiam fortaſſe dixerit hęc ueriſsima eſſe de ſpiritu, ſed tam innato, quàm etiam influenti, & ideo diſtinctionem ſuperuacaneam fore arbitrari: ſed profectò hoc dici non poteſt, cùm Galen. in quàmplurimis locis de influẽte loquatur diuerſo ab hoc innato. De uirtutibus enim noſtrum corpus diſpenſantibus dixit: Spiritus autem qui ſecundum arterias & cor uitalis eſt & nuncupatur, qui uerò ſecundum cerebrum animalis, non ceu exiſtens animæ ſubſtantia, ſed ut primum eius organum habitantis in cerebro, quicunque ſit ſecundum ſubſtantiam: ſicut autem ſpiritus uitalis ſecundum arterias & cor generatur, materiam habens generationis ex inſpiratione & humorum uapore: ita animalis ex uitali amplius elaborato. Idcirco natura retiformem illam telam ueluti labyrinthum fabrefecit. cur autem ibi de naturali non fecerit mentionem, alio loco ſeſe dicendum dabit. Ecce quàm uaria de his ſpiritibus à Galeno dicantur: primus complantatus afformat, nutrit, adauget, & in primo ortu omnium membrorum generationum opera perficit. Vitalis uerò & animalis poſt membrorũ generationẽ, ex parte humorũ ſubtiliori generatur. De utilitate reſpirationis cap. 5. de eiſdẽ ſcilicet uitali & animali quomodo generẽtur & nutriãtur latius exequitur, & de iuuamento anhelitus cap. 2. & meth. med. in cura ſyncopali cap. 11. Ergo animalis ſpiritus cerebrũ ueluti fontẽ eſſe, clare oſtẽdimus, qui partim ex inſpirãdo, partim ex eo, quòd reticularis plexus ſuppeditat, irrigatur atq; alitur. Vitalis uerò ſpiritus nõ æquè euidens demõſtratio erit: ſed tamẽ in corde cũ arteriis cõtineri exiſtimare alienũ à ratione nõ eſt, eundémq; nutritũ maxime quidem ex inſpirando, ſed tamen & ex ſanguine. quòd ſi naturalis quoq; aliquis ſpiritus eſt, utiq; is quoq; in iecore & uenis cõtinebitur. Diuerſa ergo de ſpiritu innato, quẽ complantatum barbari uocãt, & de influente, ſcilicet uitali, animali, & naturali: & ſic barbarorũ diſtinctio fortaſſe nõ omnino aſpernãda eſt. In 3. etiã de potẽtiis naturalibus hunc ſpiritũ influentem leuiſsimũ eſſe inter omnia quæ ſunt in corpore noſtro aſſeruit: ſecundo uapores, tertio autem ſanguis ſubtilior. De ſpiritu autem innato honorifica ab Hippo. in lib. de natura fœtus, fit mentio. Atque in primo de differentiis febrium cap. 8. Galen. ortum eius duplicem poſuit. & 2. de criſibus.

EPIST. LV. DOMINO CAROLO *Tartagno, an lapis Lazuli conueniat diſpoſitioni catarrhali.*

DVm hîc mecum, uir humaniſsime, de quadã mala catarrhi diſpoſitione conqueſtus eſſes, uſum lapidis lazuli, pro ſublimi quodam remedio, & tanquam ab Apollinis oraculo profecto, à quodam doctiſs. medico laudatum fuiſſe, memini te aſſeruiſſe. Meámq; de hac re ſententiam audire cupiebas. Ego, ut libere loquerer, dixi lapidem lazuli in tali catarrhali diſpoſitione à nullo medico commendari, eúmq; tum in hac, tum etiã in omni alia diſpoſitione dimittendũ potius, quàm in uſu habẽdum tibi perſuaſi. & quæ me ratio moueat, accipe. Nic. Leonicenus uir utraq; lingua doctiſsimus, in hanc meam ſententiam pedib. it, & inquit, lapidem hunc nõ minus eſſe noxium & lethalem, quàm minium, quod à nonnullis cinnabaris uocatur, Græcis μίλτον. Neq; enim quicquam apud Græcos de hoc lapide legitur, quòd atram bilẽ educat aut alios humores, ut de eo Meſue ſcriptum reliquit. Dioſcor. qui in ſimplicib. medicinis palmã obtinet, & Galc. 6. de ſimplici medicina, nihil de hoc lapide, cũ omnium penè lapidum genera proſecuti ſint per quam diligenter, ſcriptũ reliquerunt. ſed quod iuniores medici de lapide lazuli dicunt, Dioſcor. de lapide armeno dixit. & ſic unũ pro altero uſurpatum uidetur. Nam & Meſue ipſe licet armenum à lazulo diſtinguat, nõ tamẽ uirib. admodum differentes diſtinguit. Serap. itẽ de lazulo ſcribens, eandem uim habere dicit, quam habet armenus. Euidẽs argumentum Serap. eundẽ exiſtimaſſe eſſe lapidem, qui Armenus à ſolo, ſiue à loco in quo gignitur, & lazulus à colore cęruleo, quem Arabes lazul appellant. Auicen. quoq; duo uidetur habere capita, in 2. tamen quęcunq; de lazulo in medium protulit, ea omnia Græci, & potiſsimum Dioſcor. & Gal. de armeno dixere. Clarũ ideo omnib. eſt, Auicen. ac Serap. per lapidem lazuli, armenum ſignificaſſe. Magis tamen Serap. meo iudicio, laudandus eſt. Auicen. porrò pauca quædã de lapide laz. & de eius ui. ſ. quòd eradicatiua uirtute, ac putrefactiua polleat, quæ à Græcis de armeno nõ ſcribuntur. Sed de altero potius metallo, quod à Græcis κυάνεον, Romani cæruleum dicunt, mirari debemus, ſiquidem Auicẽ. in his lapidibus, ſicut in pleriſq; alijs, rerum differẽtias & proprietates miſcuit, ne dicam confudit: quæ plura apud ipſum reperiuntur, non hîc excutienda, ſed ſuo loco, cùm ſeſe dederit occaſio, dicemus. Hoc unum iam dicam, quod Auicenna parum ſibi conſtare uidetur, in hoc quod dicit lapidem Lazuli uim eradicandi habere. Si habet uim eradicatiuam, quomodo nutrit & producit capillos? ex proprietate quæ in eo eſt, quos uis eradicatiua extirpat. Quòd ſi etiam ſit putrefactiuus, ut ipſe ait: nam omnia, quæ putrefaciẽdi uim habere creduntur, à Galeno & cæteris uiris uenena eſſe æſtimata: Qua ratione pilulæ lap. lazuli non ſine uitæ periculo dantur. Hac igitur ratione tibi uſu lapidis lazuli, & armeni interdixi. & ne ſolus in hac opinione perſtare uidear, multos alios doctiſsimos medicos mihi aſſentiẽtes reperi. Simon Ian. non uulgaris, de ſimplicibus medicamentis autor, inquit: Non poſſum in medium adferre diuerſitates quas uidi huius lapidis, ita quòd non certificor de eius eſſe. Platearius in eodem cap. agit de lap. lazuli, & de lap. Armeno, & ambos in eodem gradu ponit, exceſsúmq; eorum ab autorib. non poni aſſerit Bartholo. Montag. medicus ſua ætate celeberrimus conſ. 302. lap. lazuli uſum periculoſum exiſtimat, quia ſæpe alchimiſticus cũ quibuſdam rebus uenenoſis factus eſt, in quo medicus decipitur. Antonius Guainerius lap. lazuli non ablutum uenenũ inquit eſſe, in lib. de uenenis. Matthæus de Gradib. uir nunquam ſatis laudandus, autoritate Rabi reijcit uſum lapidis laz. & armeni propter fortitudinem eorum. Et Auenzoar. de eis dubitauit. Idcirco laudat uſum aliarum medicinarum, magis ſecurarũ, ut epithimi, polypodij, ſenæ, mirobal. & huiuſcemodi. Multa de hoc dici poſſent, ſed hæc ſufficere arbitror: uolóq;, ut hæc tuo medico oſtendas, ut in meam ſententiã ueniat, aut meliora oſtendat. Nõ eo inficias Meſuen, & Auicen. his lapidib. multa tribuiſſe: ſed uelim te quoq; ſcire, tum in his, tum quoq; in alijs ſimplicibus medicinis hallucinatos eſſe, pace tamen illorum id dictum uelim. Homines fuere, & falli & fallere potuerunt. Vale. Idibus Martijs, Anno 1537.

## EPIST. LVI. BERNARDINO SCALtio. *qua diligentiſsimè diſſerit de citrina, & rubea cholera.*

SI uales bene eſt, ego quidem ualeo. Quæris à me, humaniſsime uir, an cholera generata in epate, quæ coloris rubri dicitur ab omnibus medicis, ſicuti eſt: pars eius poſtea tendens ad κύστιν fellis, & pars ad inteſtina ſit coloris citrini, & non rubei. an ſit illa ipſa quæ rubea generata fuerat in epate, & ſi eadem eſt, cur modo citrina, modo rubea nominetur. Dubiũ hoc à Nicolo noſtro nõ eſt tactum: ſicut te planiſsimè perſuaſum habere, certò ſcio. Si enim ab eo tactum fuiſſet, non me cõſuluiſſes, quia eius lucubrationes quàm diligentiſsimè euoluiſti. Ex Iacobo autem de partibus ſuper prima primi Auicen. cap. 1. ſolutionẽ colligere poſſumus, ubi Auicenna dicit, quòd choleræ naturalis color eſt rubeus, clarus, & quò calidior cholera, eò rubicundior eſt eius color. Dicit Iacob. de Part. quòd cholera rubea, ſeu citrina, quam frequenter Galenus ξανθὴν, id eſt, flauam appellat, à diuerſis diuerſe nominatur, iuxta illud Galen. de criſi. & medici nominant hanc choleram, ac ſi dicas claram, rubeam: uel citrinam uocant, quod eſt ruffam tinctam, uergẽs parum ad rubedinem. nam citrinum eſt ruffum ſubtile, ſimile citro. ibidẽ mouet quæſtionem utrum color choleræ ſit rubeus, ut dicit Auicenna, & arguit quòd non: quia color hic ſanguini competit, & quòd ut in icteritia inficit cutim citrino colore. calor enim corporis citrinus choleræ dominium denotat: rubeus uerò ſanguinis. Quare dicit aduertendum eſſe, quòd cholera naturalis non ſemper apparet unius coloris, ſed uariatur ſecundũ calorẽ eius & digeſtionem maiorem uel minorem, iuxta illud Galeni primo de criſi. Et aliquando uidebis cholerã propinquiorem colori ruffo tincto. Aliquãdo uerò magis accedere ad colorem rubeũ clarum. aliquando etiam uidetur eius color ruffus ſubtilis. & eſt differentia inter ruffum tinctum, & rubeum clarum: quia ruffus tinctus eſt propinquior albo, & rubeus clarus eſt propinquior terſo & ſplendido. & rubeus clarus quandoq; dicitur de croceo in ultimo gradu citrinitatis, qui, ut ait Auicen. aſsimilatur capillis ſafrani, & quando dicitur de rubeo terſo ſplendẽte, qualis eſt color ſanguinis arterialis: & ſic hoc primo modo cholera eſt rubea clara. unde dixit Auicẽ. quòd in omnibus in quibus eſt color croco ſimilis, ibi eſt ſignificatio dominij cholerę rubeę. & ſic cholera eſt propinquior colori claro, ſanguis uerò rubeo non claro. & hoc de ſanguine uenali & nõ arteriali. Aliáq; ſubiungit, quæ breuitatis cauſa prætereo. Ex his facilè dubitationi tuæ ſatisfieri arbitrior. Pro colore autem ruffo & ſubruffo ſignificante dominium choleræ, cõſule Nicolum in 2. de ſignis complexionum diſtemperat. de ſigno ſumpto à colore corporis. & ut res tibi facilior appareat, uide Auicennã de ſignificationibus colorum urinæ, ubi numerat gradus 7. citrinitatis, prout color citrinus largè acceptus ſub ſe continet, colorem palearem, citrinum proprie dictum flauum, ruffum citrangularem, igneum ſimilem tincturæ croci in aqua triti, & croceum ſimilem capillis croci, quem clarum rubeum uocamus, & hoc ſecundum omnium expoſitorum in hoc loco opinionem. Non ergo abſurdum eſt choleram nominibus uarijs appellari. Nam eſt aliquando lutei coloris, aliquando crocei & rubentis, ſicut in croco. Habet enim crocus natiuum ſuũ colorem, qui in capillamentis ſuis intra florem adhuc uirentibus & ſiccatis rubet. Habet & luteum cum dilutis humore aliquo capillamentis ijſdem lateſcit. Et hos colores una appellatione Græci κροκώδεις ſiue κροκίζοντας dicunt. fitque in Dioſcor. ſæpenumero ut uox illa croceum, pro id, quod rubet, uſurpetur, ut in maiore dracunculo, quem ſemen in ſummo caule ferre Dioſco. ait, racemoſum, & cùm matureſcit, κροκίζοντα, id eſt, croceũ. Qui color niſi à capillamentis croci rubentibus accipiatur falſus erit: puniceo enim colore tunc dracunculi ſemen rubet. Aliquando κροκώδεις uocat, quòd non rubet, ſed diluti aqua croci colore eſt, ut in commanducato rhapontico, & rhabar. acoro, caltha, uioliſque his uidetur, quæ primæ uer nunciantes, plures uno ramulo pendent, & colore maturæ. Neque nobis opus erit alijs teſtimonijs, quum res ipſa per ſe clara eſſe uideatur. Vale.

## EPIST. LVII. LAVRENTIO *Cyrillo de ſtupore, conſilium.*

Etſi

ETSI, Laurẽti doctiſsime, propter illam tuam diſpoſitionem artheticam pluribus excellẽtiſsimis medicis te curandum diu multúmque exhibueris, qui eam ipſam adhibuerunt diligentiam, quam oportet: non potui tamen non acquieſcere petitionibus tuis, ídque propter multa in me officia, & incredibilem quandam erga omnes humanitatem. Diſpoſitio igitur tua ſtupor dici debet, qui nunc in ſua ratione formali proprie acceptus inducit nocumentum, in operatione ſenſus tactus, ut patet 2.3. Auicen. cap. 3. de ſtupore. & idem in cap. de tremore. Stupor igitur eſt morbus officialis authore Auicen. inducens nocumentum in ſenſu tactus, ſcilicet aut deſtructionem aut diminutionem, ſicut in te apparet debilis ſenſus tactus in extremitatibus digitorum manus, & in pedibus, & in tibiis & coxis manifeſte, ita quòd debiliter, diminute & dure ſentis ſenſibilia occurrentia: operatio enim tactus, ut dixit Auerr. 3. collig. aut corrumpitur omnino, ſicut in mẽbro paralytico, aut diminuitur ſicut in ſtupore, aut permutatur in malam qualitatem, ſicut in ſenſu doloris: cuius equidem ſtuporis cauſæ quàmplures ab autoribus deſcribuntur. Et primo extrinſecus dimittendo ſicut exceſsiua frigiditas, ſuperflua caliditas, morſus ſcorpionis aquatici, medicinæ opiatæ, coartatio membri, ligatura fortis, & huiuſmodi, quarum nulla in te fuit. De intrinſecis autem omnes cauſæ aſsignantur quę in originibus neruorum, ſeu in neruis ipſis, per quos ſpiritus ad membra deferuntur, oppilationem facere poſſunt, ſicut ſanguis ſua quantitate, melancholia ſua groſsitie, cholera ſi craſſa eſſet ſicut uitellina, phlegma ſua uiſcoſitate, ſicut in te liquidò apparet ex facie alba, & urina alba & ſpiſſa, ex craſis totius complexione. Multitudinem igitur materierum phlegmaticarũ quæ differantur in partibus renum & uniuerſaliter in omnibus uenis ramificatis à uena chyli deſcendentib. quæ tranſeunt per domeſticas coxarum partes, cauſam arbitror eſſe, quæ inquam materiæ multiplicatæ implent neruos deſcendentes ad inferiores partes: & proprie omnes, qui oriuntur à 19. & 20. ſpondilibus, uſque ad finem caudæ: per quos quidem neruos ſecundum magnam partem eorum defertur ſpiritus ſenſibilis & motiuus ad omnia membra ſenſus & motus, quibus mouentur & ſentiunt omnes partes inferiores, ut ancha & totus magnus pes, & omnes partes femoris, quæ tam interius quàm exterius ſenſui & motui deputata ſunt. Si igitur contingit materias prædictas ſua multitudine & uiſcoſitate, ſicut certe in te cõtingit, oppilare uias neruorum ſenſus, diminuetur ſenſatio in prædictis membris, & ſi oppilẽtur nerui motiui, lædetur motus prædictorum membrorum: & ſi in utriſque ſimul contingit fieri oppilationem, lædẽtur prædicta membra in ſenſu & motu. Quare ex his clarum eſt, ſtuporem tuum qui eſt nocumentum in diminutione tactus accidere propter oppilationem in prædictis mẽbris ſeu neruis euenientem. Neq; ſtupor iſte prouenire poteſt ab oppilatione attenuatoria, cùm in te non præceſſerint ægritudines uel accidentia conſumptiua humiditatis ſubſtãtificæ, quæ ſunt oppilationis attenuatoriæ cauſa. Neque etiam in te apoſtema aliquod magnũ uel durum, quod fecerit oppilationes coartatorias, apparuit. Sunt ergo oppilationes in te prædictæ prouenientes à materia phlegmatica multa, uel uiſcoſa, prohibentes tranſitum ſpirituum animalium, ut prædictum eſt. Ex prædictis ſolui poteſt problema hoc: Cur aliquando nocumentum apparet magis in ſenſu quàm in motu, aut econtra: aliquando uerò in ſenſu & motu ſimul. & etiã ex prædicto fundamento apparet ſolutio, cur membra tua inferiora laſſa ſunt, & non caleſiunt conuenienter, quia materiæ frigidæ in eis abundantes non bene digeruntur. Item apparet cur membra illa ſtupida à ſenſu tactus percipiuntur grauia & ponderoſa, quia præſentia ſpirituum membra leuia reddit, abſentia uerò grauia. Item apparet cur penis, ab erectione, quæ ante hunc ſtuporem erigebatur, deſinat nunc erigi, & ſi materia ſeminalis exiret eſſet fluida & aquoſa, nec eſſet ſemen prolificum, ſed in qualitatibus primis & ſecundis diſtemperatum, & carens debita ſpirituum quantitate: & cur in te non eſt appetitus coitus, quia à ſpermate uidetur deficere cauſa pruritiua, quæ multum ad uenerem proritat. Quare concluditur, quòd hæc diſpoſitio non eſt negligenda, quia ſtupor ſi nõ curatur, nunciat paralyſim, tertia primi de his quæ pronoſticant ægritudines futuras. & ſecunda tertij cap. proprio, & nono Almanſ. cap. proprio. Quod autem attinet ad uictus rationem, & ad ſex res non naturales, ad calidum & ſiccum uergere debet, & primo aër habitationis ſit calidus & ſiccus naturaliter, uel arte comparandus. fugiendus eſt aër frigidus & humidus, & concurſus uentorum, boreę. ſ. & auſtri. cubiculũ debet calefieri in hyeme cum lignis ſiccis, & cum rebus odoriferis, ponẽdo interius plurimum de maiorana ſicca, & de corticibus citri. cauẽdum ab aëre nebuloſo & craſſo & fœtido, & membra ſtupida debent teneri calida cũ pellibus uulpinis. etiã tempore noctis laudantur pelles taſsi & uulpinæ. Exercitiũ fiat ieiuno ſtomacho, & maxime factis purgationibus, laborando in ambulatione, dixit Auic. de curis cõuenientibus ſtupori, id eſt, ſtupido membro. & exercitiũ illius membri & aſsiduus eius motus, quia per ipſum uiuificatur calor eius & reſoluitur materia, et aperitur oppilatio cauſata in neruo uenientе ad ipſum membrum. Panis ſit bene fermentatus, & plus ſalis habens quàm panis cõmunis, & ſic duorũ uel triũ dierũ. Caro perdicum conuenit, phaſianorum, turturum, auiũ minutarũ, uituli, hœdi, & caſtrati, aſſatæ potius, quàm elixæ. humidæ & pingues non conducũt, tamen ſi cum roremarino, ſerpillo, mentha, ſaluia cõdiuntur, præſtãt. Omnia cerebra mala, præterquàm leporis: illud enim aſſum conuenit, ideo danda opera ut ſæpe comedãtur. Dixit Zoar, comedere columbas ſylueſtres eſt præſentanea antidotus relaxationi omnium membrorum, & illis qui repunt poſt ſe crura & pedes, & ſalutares priuationi ſenſus & motus: & etiam odorare anhelitum columbarũ, & quod de uaporibus & corporibus earũ diſſoluitur: morari etiam in habitationibus columbarum, modo ne odorem ſtercoris recipiant, ſalutare. Piſces huic tuæ ægritudini ferè omnes magis obſunt, quàm proſint. parui tamen ſquamoſi minus nocẽt, aſsi & frixi cũ pipere, zinz. cinnam. ſaluia. Lac & caſeus nõ conueniũt: caſeus tamẽ ſalitus, magnus, in parua quantitate concedatur. uitelli ouorum gallinarũ recentium cõditi cum aromatibus, conferunt. Butyri uſum dimittito, oleum oliuæ bonum pręſtat. Omnia fercula ex paſta mala: ſed ferculum ſit panis tritus cum uitellis ouorum, brodium cicerum, panicum, milium, riſum, & herbæ odoriferæ, ut mentha, origanum, ſaluia, petroſel, fœniculum. aromatum frequẽs ſit uſus in hyeme, pauciora in æſtate. Item ad ſoluendum uentrem fit ferculum cum urtica, & pauco hyſopo. De radicibus toleratur radix petroſelini, paſtinaca, carota, radix fœniculi, enulæ, iringorum: reliquas fuge. Ex fructibus conueniunt grana pini præparata, quibus utere confectis cum zucharo uel ſine zucharo, amygdala dul. & amara, auellanæ, maxime aſſatæ & cum pipere: & ficus ſiccę ſunt bonæ, & paſſulæ. Fructus autem humidi dimittantur, ſicut ceraſa, pyra, poma: ſed cucurbitę, citrulli, et angurię conceduntur gratia ſolutionis uẽtris ante cibũ. Item uuæ penſiles & ficus recentes, bene maturæ, & aliquid de melonibus optimis: & in æſtate pruna dulcia bene matura, caſtaneæ nullus uſus. Cappares ſunt ſalutares, præcipue cum cinnamomo, aut pipere & uino cocto, & parum uini granatorũ. Acetum omne malum, præter paſſulatum, moderatè tamen utitor. Fuge acetoſa. Saccharum & mel è re tua ſunt. & hæc quoq; ſalutaria, fœniculũ, aniſum, ciminũ, piper, zinziber, cubebæ, cinnamomũ, macis, galãga, garyophylli, crocus, cardamomum, amomũ, lignũ aloës, ſiler montanus coniunctim uel ſeparatim, & in condimentis, & in omni alia re adminiſtrata. Potus iam deſcribendus eſt: medici omnes interdixere huic malo uino. quòd ſi conſuetudine aſsidua ita receptum eſt, ut iam uitari ſine magno malo nõ poſsit, eligendũ eſt uinũ rubeum antiquũ, quod poteſt lymphari cum tertia uel quarta parte aquę roriſmarini, fitque hoc pacto fortaſſe inſipidum, & palato ingratum: ideo bibito ſemper ante prandiũ & cœnam digitos 4. huius aquæ deſtillatæ, aut decoctionis ſi magis placet decoctio. Aqua mellis eſt melior potus cũ pauco cinnamomi in æſtate, & eſt guſtui gratus: in hyeme uerò cũ maiore quãtitate cinnamomi & pauco zinzibere & pipere, ita tamen ut guſtui reddatur delectabilis. In mẽſa tamen & maxime poſt purgationẽ bibere mediũ cyathũ uini albi ſubtilis antiqui odoriferati, non eſt incõueniẽs. In omni autẽ potu & cibo cauendũ eſt à repletione. ſitire interdũ, ac fameſcere ſalutare eſſe prodidere medici. Quòd ſi abſtinere non potes à uino, laudo

uinum ſaluiatum. A cœna horis duabus dormiendum: ſit autē ſeptem horarum, capite utcunq; eleuato in loco calidi aëris & ſicci, cum bonis & mundis tegminibus. Dandáq; eſt opera ut uenter ſit lenis, & quotidie excernat. Confert ad hoc comedere quinq; ficus ſiccas calefactas ante cibum, aut ferculū de urtica & hyſopo ut dictum eſt: aut bibere ℥.2. hyſopi ſiccæ pulueriʒatæ cum modico aquę mellis. Auicenna inquit omnia, propter quæ mouentur ſpiritus, & calefaciunt corpus, & exiccāt ſuperfluitates eſſe cōuenientia, dummodo ſubſtantifica reſolutio & ſpirituū cōſumptio non fiat maior, quàm ſuperfluitatum exiccatio. A uenereo uſu omnino abſtinendū: quia ſpiritus reſoluit & infrigidat.

Quantum autē ad medicamēta attinet, laudo ut bis in anno, uere ſcilicet & autumno, fiat purgatio ordinaria, aſſumptis ſæpe per totum annum, præterquam in admodum calidis & frigidis tēporibus, de pilulis illis quæ dantur ſine cuſtodia, ut infrà dicetur. Primo ebibendi ſunt ſeptem iſtorum ſyr. ſ. Recipe ſyr. de ſticados unc. 1. ſyr. de thimi unc. s. aquæ maioranæ, ſaluiæ, iuæ ana unc. 1. aromatiʒetur cum pauco ʒinʒibere & cinnamomo, & ebibito calidū in gallicinijs, & ſuperdormito duas horas. octauo uerò die capito has pilulas horam ante diē, & ſuperdormias per horam: Recipe pilularum fœtidarum ſcrup. 2. agarici trochiſcati ℥. s. cū aqua maiorana fiant p. numero 5. poſt aſſumptionē pilularum 5. horis capito ſcutellam brodij cum pauco zuchari duarū coctarum. poſt horam prandeto. Si forte fortuna inter aſſumendum ſyrupos aluus ſtricta eſſet, ut ſæpe fit, ſumito de ſero pilulam unam ſine cuſtodia ante cœnam per horā, & poſtea de mane ſyr. Poſt hanc purgationem ego laudo ut per quinq; dies in aurora capias ℥. 5. aquæ roriſmarini. quòd ſi parū grata erit guſtui, adde parū zucchari duarum coctarum cū tribus granis pyrethri, hoc enim eſt pręſtantiſsimi iuuamenti in his ægritudinibus. Dixit enim Barth. Mōtag. id eſſe ſæpe à ſe expertum. pilulæ autem ſine cuſtodia ſunt hę, de quibus ſumito omni menſe bis, quando petis lectum:

Rec. pul. hieræ picræ unc. 1. agarici trochiſcati, piperis nigri ana unc. s. cū aqua maioranæ fiant pil. pro ℥. s. doſis erit ℥. 1. Poſt has purgationes mihi uidetur conducibile hoc maſticatorium per aliquot dies, & duret horā, expuendo phlegma. fit autē hoc modo: Rec. maſticis electi unc. 1. piperis ℥. 1. pulueriʒato & incorporato cū terebinthina & cera alba. fiāt formæ ſimiles auellanis, & maſticetur una de mane ſtomacho ieiuno. Haud ab re erit uti aliquādo caputpurgijs, uidelicet: Recipe aquæ maioranæ q. ſ. in uola manus calida, & trahito per nares ſurſum quātum poteſt, & imple os aqua, & fiat hoc in una hora quater. & fiat aliquādo caputpur. aliquando uerò maſticatorium. & poſtea utitor in calido etiam tēpore acoro cōdito ex deſcriptione Meſ. cap. de cōditis, per tres horas ante prandium capiēdo de eo unc. s. Aliquando uerò de iring. conditis qui optime in his regionibus cōdiuntur. nonnunquàm etiā ʒuch. ſaluiato, aut confecto de iua cū melle in modum cōſeruæ. quod ponit Nicol. in 7. de pręſeruat. adol. iuncturarum. Sed ʒucharum illud ſaluiatū mihi ſummopere placet, & poteſt fieri ſicut fit ʒucharū roſatum, & poteſt etiā fieri cum melle, præterquàm in calido tēpore, in quo debet confici cū ʒucharo. A medio uerò ſeptembri uſq; ad tēpus calidū utitor diacoro, ſumendo cochleare unū pro uice ante prandiū per duas horas. Poſt hæc omnia mihi operæpretium eſſe uidetur, ut fiat uaporatio ad crura ſtupida, accipiēdo fruſtū lapidis molaris igniti, et ſuperfundēdo cyathos 2. uini albi ſubtilis antiqui optimi, & euaporentur mēbra inferiora ex illo fumo calido. poſtea bene cooperiantur, exiccentur & ungantur hoc linimento calido: Rec. olei de coſto, de ruta ana unc. 3. euphor. caſtorei, pyrethri, triumpiperū ana unc. 1. & cōquaſſentur in mortario. poſtea pellis uulpina erit inſtar caligæ circa loca peruncta. poſt duas uerò horas abſterge unguentū cum ſpongia infuſa in decoct. harū rerum: Recipe florum artemiſiæ, matricariæ, meliloti, camomillæ ana unc. s. hyſopi, calamenti, pulegij, origani ana m. 3. ſticados m. 4. coquantur omnia in ſitulis 4. aquæ ad conſump. quartæ partis. & in ea calida ſpongia infundatur, & fomententur loca ſtupida, exiccētur, & iterum ungantur cū ſupraſcripto unguento, & muniantur pellibus uulpinis. Item maximè quoq; conducit ſemel in ſeptimana in tēporibus frigidis mitrhidati drach. 1. s. cū unc. 2. aquæ mellis. & eo die nihil aliud capito, & poſt quinq; horas prandeto. Et in ijſdem tēporibus aliquando, quādo nihil aliud ſumere uis, laudarē ſummopere ut caperes mel. roſ. col. unc. 1. s. cum medio cochlearis aquæ uitę unà mixtis. De terebinthina non feci mentionē, quia audio te eam expertū eſſe, & nihil profeciſſe. Pari modo de balneis iudicas, & inquis ex balneo ſanctæ Mariæ in Bagno potius nocumentum quàm adiumentū ſubſecutū. Et te decreuiſſe nullū amplius petere balneū, etiamſi moriendum tibi ſit. Velim audires Bartholomæum Montag. uirum doctiſsimum conſ. 259. de ſtupore in maiore parte pedis magni. Primo igitur præmitto, quòd uir iſte cum magna cautela & diligentia procedit in accipiendo balnea de petriolo uel ſimilia, ad quæ ego audio ipſum tranſtuliſſe ſe frequenter. Neq; enim ego ita large commēdo ea, eò quia frequenter reſoluunt materierum ſubtiliores partes, & alias dimittunt, quæ poſtea magis ſolæ nocent. & faciunt etiā materias fluere ad membra. Verum quoq; eſt quòd balnea, quæ huiuſmodi ægritudinibus apta ſunt, in decem uel duodecim diebus non poſſunt eradicare materias, quæ omnino inſitæ ſunt neruis orientibus à nucha, ideo cōſultius eſt abſtinere, quàm non recte incepta perficere. Quare in his ſumma cura ac diligentia procedendum, ut Barthol. Montag. inquit. De quibus alio loco & tempore diſſeremus. Vale, Bononiæ ex ædibus noſtris VII. Calēd. Octob. anno ab incarnata mundi ſalute, M. D. XXXVIII.

## EPIST. LVIII. AD AMICVM *quendam, de ſuſpicione ueneni exhibiti.*

QVæris an ſuſpicio aliqua uenenati poculi fuerit in morte uxoris Iacobi Carlini. Ego, ut ingenue fatear, nihil certi tibi affirmare poſſum. Siquidem ad eius curā uocatus, offendi mulierē omnino deploratæ ſpei, & ita deploratæ, ut uiſo uel habitu eius mecum cœperim dicere, iam actū eſt de uita eius. & iuxta Galeni ſentētiā, Morituri ſolis prognoſticis relinquēdi ſunt, ne euentus rei malus noſtro adſcribatur errori. Nec urinam, nec excrementa, nec materiam per uomitum excretā mihi uidere contigit. idcirco mortis facto prognoſtico, quæ iam omnino, ut dixi, pro foribus erat, caſum diligentius mihi inueſtigandū non neceſſarium duxi. uidebam enim caſum & deo primum & naturæ committendum eſſe, & nullis alijs remedijs agendū. Narrarunt tamen mihi uomitū nigrum & peſſimum præceſsiſſe, humorémq; qui ab Hippocrate in ſuis aphoriſmis fel nigrū nuncupatur, in principio morbi exijſſe, & talem exitum ipſe Hippocrates appellat mortale. Et ego ſæpe talem uidi, & mors ſemper ſubſecuta eſt, & omnino malignā fuiſſe materiam rei euentus comprobauit. An autē naturaliter hæc materia in corpore genita fuerit, nec ne, etiam quòd fuerit uenenoſa, medicus etſi peritiſsimus certò ſcire non poteſt, uel ſi exterius aliquid uenenoſi propinatū fuerit. uidemus enim materias uenenoſas in corpore naturaliter generari, ut in febribus peſtiferis apparet, quæ per ſeipſas effectus tanquam uenenum lethale propinatum, operantur. Quod ſentio, ita me deus amet, ſcripſi. ſcripſi autem id, quod res eſt. Vale.

## EPIST. LIX. QVA AGIT DE *melancholia, conſilium.*

AVditis omnibus, quæ in caſu huius nobiliſsimi uiri relata ſunt, iudicamus ipſum laborare melancholia, quia timor & triſtitia in eo præualuerunt, & ſuſpectæ cogitationes. Conſiderata igitur diligenter hominis complexione ſanguinea, cū ſubdominio melancholiæ, ut præſtantes illi phyſici aſſerunt, qui hominis naturā cognouerunt, & cum ſucceſſerit ad retentionem hæmorrhoidalis ſanguinis, iuxta ſententiā Auicennæ quarta primi, cap. 3. cúmq; uentris cōſtrictio quæ fluere ſolebat, hæreditare fecerit aliquam ægritudinem, illius euacuationis reuerſio plerunq; ipſam medicabitur, ſicut ab eo quem conſtrictio ſaniei auriū, aut mucorum nariū uertiginem poſsidere fecerit, eius reuerſio ipſam remouebit. ubi Iacobus de partib. hoc uerificat, de omni fluxu inueterato, & maxime de hęmorrhoidali iuxta dictum Hippocra. 6. aphoriſ. A diuturnis ſanato hæmorrhoidibus, ſi una non ſeruatur, periculum eſt aquam intercutē uel tabem aduenire. De Mania

ſumus

ſumus in caſu. Iudico igitur maximè è re ęgri fore, ſi omni uere & autumno purgetur, iuxta Hippocra. aphoriſ. Quibuſcunq; uenæ ſectio, uel purgatio, cum medicamento conuenit, hos uere purgare uel uenam incidere oportet. Vbi Galenus hæc ad uerbum dixit, quæ in caſu noſtro conueniũt. Aliquis ſingulis annis incidit in melancholiam niſi purgetur. Eſt res mirabilis dictu, quomodo morbo iam inchoante ſtatim homo præſentit primam eius generationem, & ego aduocatus purgo humores atros, & ceſſat protinus melancholia. Et huic homini ex purgatione hæc optima eueniunt, quòd ſcilicet & ſuperfluitates expelluntur, & quòd ex acritudine eorum, quæ excernũtur, paulatim aperitur os uenę, quam uocant hæmorrhoida, & per eam etiam excernitur pars aliqua ſanguinis uitioſi conſueti euacuari: quo retento ſuperuenit melancholia. Purgo igitur ipſum nõ uere tantum, ſed etiam autumno. & quemadmodum dixi, ſi ex contẽptu aliquãdo purgationem omiſerit, & morbum non anticipauerit, caſus præſentit paſsionis. Hæc Galenus, quæ huic noſtro inſtituto nõ ſunt aliena. Laudo igitur quòd in autumno iſto purgetur cum ſyr. myrachiali, deſcripto à Gulielmo Placentino in cap. de melancholia, cum quo fatetur multos curaſſe, & ualet non modo in melancholia facta ex ſanguine, ut in caſu, ſed in omni alia: & ego uſus ſum eo, & miram quandã eius ſemper reperi uirtutem. Remitto phyſicum ægri ad locum iam citatum.

Facta igitur purgatione, laudarem hæmorrhoidarũ apertionem cũ ſanguiſugis, ad extractionem ſanguinis unc. 7. uel etiam 9. & ſic erit hæc radix curæ. Nec extimeſcere oportet phlebotomiam in huius caſu. Imò in uere facerem aliam ex baſilica, uel nigra in tali corpore: quia ubi melancholia non eſt ſeparata à ſanguine, competit ſemper. Imò Auicenna uult quòd in omni melancholia cõpetat phlebotomia, præterquàm in duobus caſibus. Primo ubi uirtus debilis, ſecũdo ubi paucus eſſet in corpore ſanguis, poſtea purgarem cũ ſupradicto ſyrupo, & poſt hęmorrhoidas aperirẽ, & qui uult uidere ſi cõuenit hæc uenę ſectio, & de qua uena uideat inter alios Matthæum de Gradibus, qui peracute de his diſſerit in cap. de melancholia, attẽdendo ſemper ad ſanguinis colorem inciſa uena, ſi niger & ater uitioſus eſt, tutò tum demitto. Si rubeus, reſtringatur, ut Galenus & Auicẽna in pluribus locis teſtantur. An autem phlebotomia ante pharmaciam facienda, uel utra pręcedere debeat, cõſule Dynum Florentinum quarta primi cap. 20. queſtione 16. ſuper illo commento, Non eſt autẽ inconueniens, ut ille in quo melãcholia ſuperabundat minuatur, poſtea medicina ſolutiua euacuetur. Et medicus uidens quę ibi Dynus Florẽtinus dixit, et ex copia mali humoris & melancholici, ſciet optimè opus dirigere, & hæc pauca uolãti calamo. Reliqua particularia illuſtribus medicis aſsiſtentib. qui ægri ingeniũ nouerũt, relinquo: ut de humectatione fienda, in qua prima dãda eſt opera, ut pingues & carnoſi fiant, quia tunc illico ſani erunt, ut in 9. Alman. & de localibus circa caput, &c. Medicinam autem qua purgari eum conuenit, hic ſcribam, quò & in hoc meum addidiſſe calculũ uidear. Ergo poſt multos acceptos ſyrupos, Reci. diaſenæ lenitiui diacathol. ana unc. s. electuarĳ hamech drach. 3. cum decoctione paſſularum, liquiritiæ, ſebeſten, ſenæ, polypodĳ, epithimi, & florum cordialium, factæ in aqua fumiterræ & boraginis. fiat potus, in quo addatur ſyrupi uiolati unc. 1. Item recipe zucch. rub. unc. s. hanc potionem ſumat in aurora & ſuperdormiat horam & non plus: poſt quinque horas capiat ſcutellam unam brodĳ macri cum iam dicto zucharo, illic ad horam prandeat. De balneo aquæ dulcis ad humectandum poſt purgationem non admodum damno. An autem balneum hoc contulerit nec ne in caſu iſto, cõſule Matth. de Gradib. circa expoſitionem textus. Reliqua, quæ ad curam etiam pertinere uidentur, ut de uictus ratione, de embrochis, diligenti medico permitto. Vale.

## EPIST. LX. AD CARDInalem *ſanctorum quatuor breuis narratio curationis factæ à ſe.*

QVantum laboris ſuſceperim, ampliſsime reipublicæ Romanæ patrone, idémq; cardo fortiſſime, ut tibi candidiſsimum Iulianum tuũ priſtinæ ſaluti reſtituerem, malo per alios ad amplitudinem tuam, quàm per me deferri. Sæuus omnino morbus fuit & pertinax, ſymptomata grauiſsima & lethalia, profectò animus meminiſſe horret, quanta fuerit uirtutis debilitas & proſtratio, potiſsimum in tertia febris acceſsione, ita quòd horarum ſedecim interuallo pulſum uix percipere potuerim, cum ſudore frigidiſsimo inſtar niuis & glaciei, per totum corpus manante, ita quòd in tanta ſalutis deſperatione, ſæpe moribundos penè oculos ad me uerteret. ô inquiens, felicis animæ, &c. Erat autẽ hic ſudor diaphoreticus, id eſt, mortis nuntius non incertus. Accedebat, quòd æger quodammodo perterritus & omnino exanimatus erat. Quibus me curis & ſolicitudinibus tũ diſtrictum fuiſſe credis? Appropinquabat 4. paroxyſmus in tam debilitato corpore. ibi tum copiæ noſtræ in arctiſsimo loco conſtitutæ erant, & ut dici ſolet, à tergo lupi, ante uerò præcipitium. Ibi ego quantum arte & induſtria, diligẽtia, uigilantiáque effici potuit, effeci. Arriſit aliquantulũ nobis fortuna. & ecce, cùm iam in portu nauigare putamus, in alto inter ſæuiſsimas undas & impetuoſiſsimas procellas uerſamur. Nam dum ſuburbanum petit, incidit in recidiuam, quæ etſi tam uehemens, uti prior, non fuerit, periculoſa tamen. tenebatur maximè æger deſiderio patriæ. nobis uerò eum adhuc febrientẽ mouere non uiſum eſt. Remiſit tandem ſe morbus, dei benignitate, & noſtra opera. Accinxit ſe itineri, me comitẽ petit, ego uerò, etſi maximis occupatus negociis, & iam ſenio confectus, propter tua in me officia, & eius humanitatẽ, nullo modo deeſſe potui. Comitatus ſum eum ad Ariminum uſq;. Et ibi nos ſpes fefellit, ita quòd eundem mihi fuit ad Lauretum uſq;. Bono ibi ego animo eſſe cœpi, quòd uirtus ægri de alleuato corpore uehementer nũciaret. Quòd autem Iulianus tuus uiuit, habenda eſt gratia ſuperis. Nos in eo curando tantum diligentiæ adhibuimus, quantum ne is quidem, qui eũ genuit, adhibiturus fuiſſet. Quod feci, debui. Reliqua ex Lippo Giſilerio audies, qui te numinis loco ſuſpicit ac ueneratur. Laureti 18. Octob. anno M. D. XXXVIII. T. R. amplitudinis deditiſsimus ſeruus Ioan. Bap.

## EPIST. LXI. DE IMBECILLItate *uentriculorum cerebri, & gonorrhœa, ac balneis, conſilium.*

PRoponitur corpus neutrum, duplici mala diſpoſitione paratum longos & difficiles morbos ægrotare. Quapropter præſeruandum, quàm maximè fieri poteſt, arbitramur. Eſt autem præſeruatio, eius diſpoſitionis, qua aptum eſt affici corpus, ablatio. Oportet igitur de eis auferendis ab iiſdem ipſis conſilium petere: idque quales nam ſint, quantæque perſcrutando. Eſt ergo prima imbecillitas, uentriculorum cerebri repletio, calidi & humidi ad ſiccitatem uergentis. Primum coniicio, quoniam impedita eſt actio ſtudendi, atque ut ipſe retulit, hebes factum eſt ingenium, ita ut animi uires (ut conſueuit) intendere non poſsit, ex quo læſum eſſe anteriorem uentriculum dignoſcimus, poſteriorem autem affici deprehendimus, ex uirtutis motiuæ defatigatione, qua factum eſt, ut in toto corpore ſentiatur ingens laſsitudo. Id autem fieri ex materia intima, demonſtrat inſolens grauitas in cap. calidum & humidum peccare, perſuadet naturalis eius capitis temperies, ex multis proprĳs ſignis conſpicua, atque etiam quòd (eo referẽte) multa gignitur in capite ſuperfluitas. At uerò qui calor ad ſiccitatem uergat, oſtendũt oculos carpentes lachrymę, & humida, ac inſipida quędam deſtillatio diuturna, iam acutior ad ſenſum facta, atq; adeò ut quandoq; palatũ feriat, ac (ut ita dicam) titillet. Huius rei cauſam & aërem Bononienſem credere poſſumus, cui non aſſueuit, & præſentem anni cõſtitutionem, utpote quæ ingẽti caliditate diuturnam hyemem ſuſcepit, & (quod longè ueriſimilius eſt) excalfactum hepar, accedente uere, ſuperiores partes præter ſolitum repleuit, ut ex ſenſata caliditate & ex uultus rubedine declaratur, ſimul & eius uentriculi debilitas, de qua nunc maximè conqueritur, per ſympathiam male cerebrum affecit, cauſa quidem & ex naturali temperatura,

quam semper uidere fuit, ex debili concoctione, & ex mala epatis complexione, quam sequitur obstructio apparens ex grauitate, & ex urinis crudioribus, quàm par est eius temperiei, & huiusmodi animi decursui, tum etiam ex indecenti uictus genere, in quo plurimũ peccamus omnes. Ex his habemus non ingentem esse lapsum præternaturalem, quandoquidem & cum innata complexione conuenit, & nondum ægritudinem gignit: siquidem à consuetis operibus impeditur, & eo quidem impedimento, ut neutrũ corpus efficiat, si Galeno credendum, libello de artis medicæ cõstitutione, atq; etiã eius expositionibus super tertio artis paruæ.

Secunda huius imbecillitas est seminis profluuium, quod cũ diu perseuerarit in præsentia magis hominem angit, excrescente uiscerũ caliditate, præcipue renũ, hãc enim sedem affectã ostendunt à præternaturali caliditate, in ipso preputio acuta et mordax sensatio, mediocris urinæ permixtio, & cæterarũ omniũ partiũ incolumitas, quo fit ut facile sit existimare, ingente uirtute expulsiua, quæ ex mẽbri genitalis erectione conijcitur, semen eijci: corruptũ autẽ & male olens, quoniam nimia caliditate ad seminaria uasa præternaturalis quantitas attrahitur, quæ supra modũ inculcata putrescit, & hoc pacto naturã stimulans expellitur. Hæc igitur erant de qualitate huius affectus differenda. Quantitas autem, quoniam à naturali uiscerum tẽperie non longè distat, atq; etiã pati aliàs ab eadem causa, hac anni parte consueuit, scilicet ab aëre natiuo Florentiæ: à quo cũ per septennium absens uixerit, nunquam & nusquam est huiusmodi incõmodo correptus: cũ inquam ita sit, eodẽ pacto determinabitur insalubritatis huius excessus, quo de priore mala dispositione iudicauimus. superest utriusq; curationẽ effingere quàm breuissime fieri poterit. Itaque ea eligenda sunt quæ iecur renésque exobstruant, secũdò refrigerent, tertiò corroborent: debent autem hæc esse non admodũ uehementia in refrigerando uti prædiximus. Hæc autem efficere potest unicum præsidium quod ipse exoptat, scilicet balneum de uilla, quandoquidem placide refrigerat, humectátq;, non tamẽ sine aliqua adstrictione, cuiusmodi epar optat medicamenta, & in dispositionibus renum summopere laudatur. quod si non satis esset ad hasce discrasias tollendas, quod equidem præter spem & rationem esset, ad id quod uehementius afficit transeũdum, scilicet ad balnea de aquis in comitatu Pisarum: interim cessante causa, cessabit etiã destillationis effectus, qui si minus id fiat, etiam ducias aliquas experietur, ad exiccandum caput, licet præ caliditate non conueniant, scilicet supponetur tepidioribus: solum relinquitur, ut stomachi imbecillitas corrigatur. fiet autem idipsum à noxiis cibis cauendo, tum ceroto applicito: atq; etiam si aliqua assumat corroborantia uentriculum, quemadmodum saccharum rosaceũ, uel etiam usq; ad aromaticum, & post cibum diacitoniten. Hæc de materia presidiorum. restat huius materiæ qualitatẽ, id est, adhibendi modũ, quantitatem, & tempus præscribere. Principio semel corpus ipsum purgabitur, exhibitis incidẽtibus & aperientibus oppilationem, postea uerò euacuãtibus materias existentes in uijs ductuum. nam cõsueuerunt afferre balnea, intestinis tormina, uẽtriculo cruditatem, & epati obstructionem, nisi patentes uias repererint. Enimuero hoc ipsum Bononiæ potius faciendum existimo, ne causæ prædictæ neutralitatis, labore itineris adauctæ, quod facile fit, fortasse ægritudinem aliquam excitarent. Secundo cerotum stomachale applicabitur. Demum balneum ingredietur. Cúmq; exibit post abstersionem sufficientem pelle indutus, & membra caliditate fouẽs, ad ipsum fontem accedet, ubi aquam potabit. quod si eam fastidierit, euomátq;, nihil mali subsequetur, donec stomachus præ consuetudine eam nõ abhorreat. postea uerò seipsum domum recipiẽs, & in cubiculo per horam quiescens, ut ne refrigeretur corpus animaduertet. postea surgens leuiter ambulabit, nec tamẽ laboriose exercitabitur, ut mos est uulgarib. qui credunt laborando aquam epotã digerere: ne tamẽ omnino concoquatur, leuiter deambulandum est: atq; ut nunquam defatigandũ corpus est, ita neq; dormiendum post horam censeo. in balneo uerò usq; ad collum submergetur, primum remotiore loco ab ipso fonte, postea propinquiore, atq; semper cibo digesto quoad eius fieri potest. Quantitas est ut primo die quatuor cyathos bibat uel quinque, cæteris uerò crescat prout magis uel minus operabitur mouendo corpus & urinam. Illud tamẽ integrum seruetur ut cibum non assumat priusquam crudã mingere desinat, atq; urina flauescat. potabit autem solũ matutinis temporibus post balneum ut diximus. Deniq; opus est ut hoc eodẽ tempore quo bibitur, bis in die lauet (ut ferè omnium moris est) & hoc pacto eousq; perseuerabit, ut hæ malę dispositiones finiantur: quod fiet aquam quidem bibendo 8. uel. 10. diebus, etiam usq; ad 15. lauando autẽ usq; ad 30. quandoquidẽ res est incolumis & iocunda satis, atq; hominum corpora corroborat. incipiat autem Iunio mense incipiente. quòd si hæc catarrhum adhuc distillãtem reliquerint, ducias 10, uel. 11. assumas, eásq; tepidiores, caput calidum tenendo, ut omnes faciunt, & aërem serotinum euitando. interim semper memoria tenere oportet, uitã in cibo & potu exquisitam expostulari, neq; in balneo, neq; die dormiendum. Tum uerò demum si uentriculus debilis fiat admodũ, post urinam concoctam ante cibum per horam assumat aromatici ros. drac. 1. teneat enim in formulis oportet, quæ pondus contineant singulæ drachmæ unius. Cerotum autem cõtinuò debet super stomacho retinere, usquequo bonam digestionem sentiat. quod si quãdoq; aut uentriculũ excalfaceret, aut aggrauaret, dimittere potest, dummodo cũ in balneo erit apponatur: quandoq; autem reformetur de nouo, quandoq; cum solo oleo camomælino, secundũ quod magis minúsue exiccabitur. Hæc sunt quæ oportebat Nobiliss. hunc ualetudinariũ præcipuè cauere, & diligenter obseruare in aquæ medicatæ potu & balneo, quibus Deus omnipotens annuat, & felix faustúmque faciat.

## EPIST. LXII. DE CVIVSdam nobilis curatione *consilium.*

LEcto & examinato consilio D. Sebastiani Piscini diligẽtissime exarato & doctissimè, quo ad morbi causas & signa examine excusso, superest purgationis modum ponere, primò materiam minorando cum hoc lenitiuo: Recipe floris casiæ drach. 11. cum zucch. & puluere liquiritiæ. Fiat bolus, & capiatur ut moris est. Post capiat 7. uel 9. ex his syrupis: Reci. syrupi uiolati unc. 1 de lupulis unc. s. aquę lupulorum, boraginis, fumit. ana unc. 1. misc. Postea assumat hoc pharmacum eradicatiuum: Recipe diasebesten, floris casiæ ana unc. s. elect. rosati drach. 3. cum decoctione passul. liqui. sebesten, seminum communium maiorum & minorũ. Facta decoctione in aqua lactis caprini fiat potus cum syru. uiol. unc. 1. capiatur in gallicinijs, & superdormiat per horam. post horas quinq; bibat uitrũ unum aquæ ordei cum pauco zucchari duarum coctarum. post horam capiat prandium. In principio mensis Iunij uadat ad balneum uillæ dictũ in agro Lucano, & de hac aqua bibat, prout astantes in hoc periti sibi iniũgent. Et postquam per dies quatuor biberit, abluat corpus in dictis aquis, & cum his remediis cõtinuatis per aliquos dies sperandum est hominem optimè curatũ iri, quod Deus pietate sua concedere dignetur. Si quid tamẽ superesset agendum, ad balneum de aquis in comitatu Pisano se conferat, & in eo se balneet. Cerotum tenendum supra stomachum: Recipe specierum unguenti stomatici drach. 2. cum resina & laudano 9. s. fiat cerotum, si forte hæ species preparatæ non haberẽtur, cum mastice, laudano & resina 9. s. fiat cerotum triangulare. Circa cibũ & potum hospitibus credendum peritissimis.

## EPIST. LXIII. IVLIO BOTRICArio Bononiensi, pro calculo *consilium.*

CVm sæpius à me, uir præstantissime, quid de dispositione tua sentiam, & si quod pro præseruatione morbi remedium habeam, ad te mittam, petieris: nolui, propter singularem tuam humanitatem, & mutuam inter nos beneuolentiam onus deprecari. Dabis tamen ueniam occupationibus nostris, si uel tardius ad te, uel breuius, quàm res ipsa exigat, perscripserim. Dispositio igitur tua, ut hinc exordiar, dolor renalis, uel si mauis dolor calculi, uel calculosa passio appellatur, ab arenulis & lapillis à superflua caliditate renũ genitis, orta. Hoc autẽ clarissimè infinita signa ostẽdunt,

dunt.Primũ quidem ſignũ fuit uelocitas euẽtus doloris in loco renis ſiniſtri,qui tibi accidit. Repente enim dolor renum eueniens lapidis renum,aut uiarum urinę,ſignum eſt euidentiſsimum.Gal.loc.aff.6.cap.3.Secundũ, fuit mictus urinæ arenoſæ poſt ſubtilem & tenuem,iuxta illud Hippocr.4.Aphoriſ. Quibus in urina arenoſa ſubſunt ſedimina,horum ueſica aut renes calculo laborãt.Lapilli enim iuſtæ magnitudinis,ex medicamine lapidem educente,in urina tua apparuerunt.Et quamuis difficile ſit diſcernere inter arenalem & colicum,& ita difficile,ut quoq; Galenus in proprio corporis dolore deceptus ſit:tamen quando hæc ſigna apparent, non eſt dubio locus,ut teſtatur Gale.in loc.aff.lib.6. Quando lapidis ſuſpicio ſubeſt, medicamen quod lapidem frangat,propinamus. Et hoc duplex commodum afferre uidetur:Vnum,quia affectum locum indicat:alterum,quia eſt medicamen eius.unde ſi poſt medic.arenas uidemus exire, paſsionem in renibus eſſe conſtabit.Et tum magis de eius medicina dãdum.in hunc ſenſum loquitur Galenus.Tertium ſignum,quia habitudo tua eſt pinguis,& carnoſitate pluſquam mediocri. Ille autem cui plurimum euenit lapis renum eſt pinguis:ueſicæ uerò,extenuatus.18.3.de lapide renum quarto.poteſt declarari à cauſa efficiente generati lapidis renum egreſſa ab ęqualitate,ut in eodem capite teſtatur Auicẽna. Talis autem caliditas in hoc uiro reperitur. Quartũ ſignum eſt doloris renum demonſtratiuum,cui refragari non poteſt,frequens mictus urinarum,& cùm emittuntur lapilli uel arenulę,exiſtente dolore,dolor remittitur. Quintum eſt,quia hic dolor tempore uacuitatis augetur, tempore autem repletionis minuitur. Sed quia hoc ſignum ſummam habet difficultatem,neq; ita ad rem noſtram facere uidetur,ob id prætermittẽdum duxi.Sextum ſignficans lapillum in renibus,eſt fixio doloris in poſteriore parte ſpinæ,ac ſi ibi eſſet clauus affixus.Septimum, etſi propè in urina apparent arenulæ, hunc dolorem præcedit grauatiuus dolor in dorſo,& difficultas urinandi.Octauum ſignum apparet ex medicamentis aperientibus,ad quæ ſequitur leuamẽ quoddam.Si autem dolor ab alia cauſa procedit,ut ab hepate & uentoſitate,tum non alleuiaretur ex talib.medicamentis.Nonum ſignum quod hãc paſsionem ſequitur eſt uehemens appetitus urinandi,qui in te manifeſtus fuit,& cum dolore percepto in capite uirgæ,& guttatim emittitur urina,ſicut à patiente ſtranguriam.Ex his ſignis facile poſſumus deprehẽdere,qui dolor tuus fuerit.Et dico quòd fuit renalis,quia omnia hæc ferè ſigna in te apertè fuere:nunc uerò de cauſa aliquid dicendum uidetur.Calculus igitur generatur in renibus potiſsimũ ex duabus rebus. Primum ex materia phlegmatica,uiſcoſa & partim tenacitatem habente,tanquam ex una naturali cauſa,& ex caliditate renum naturali uel accidentali intenſa adurente tãquam ex efficiente.Pro præſeruatione igitur ab hoc dolore,quod obuiis(ut dici ſolet)ulnis à me expectare uideris. Tria principalia facienda ſunt,unum eſt,ut materiam aptam & proportionatam ad hanc paſsionem prohibeamus.Secundum prouidere,ut ſi quę materia talis generatur in ſtomacho uel hepate,ad renes non trahatur. Tertium,eſt habenda ratio ut non intendatur caliditas in renib.ſed potius remittatur.In cibis primo uitanda ſunt omnia lacticinia, paſtilia,carnes antiquę,neruoſæ,ligamẽtales,& panniculares:fugiendus panis azymus,uel diminutè coctus, etiam nõ multum combuſtus.Legumina omnia obeſſe creduntur,brodia tamen decocti fœniculi uel petroſelini conceduntur.Carnes ſalitæ,& omnia alia ſalita fugienda.Item omnes res ſtypticę naturæ uitandę ſunt,ut ſorbę,pyra,citonia,meſpila.Cibaria acuta fugiẽda,quia humores exiccant,& incinerant,ut allium,cepæ,bulbi, porri & ſimilia,niſi in eis eſſet uirtus attritionis & cõminutionis lapillorum & arenarum, ut uterq; raphanus,& in capparib.& ſimilibus:à ſuilla carne abſtinẽdum,& à partib.animalium phlegmaticis,ut ab inteſtinis animaliũ,cerebro,& huiuſmodi.Carnes igitur ſint faciles,ut uituli,hœdorum,gallinarum, caponum,phaſianorum,perdicum,turturũ.Aues autem omnes montanæ conueniũt,reliquæ uitandæ.Vitãdi & piſces groſſi,uiſcoſi,& ſine ſquamis,ut anguillæ & tinchæ.De oleribus frigida,ut bletes,ſpinachiæ,lactucę,borago,teneritas lupulorum & ſparagorũ,cicorea,carota,ſummitates carui & carduorum,cum modico fœniculi,petroſelini,boragine,ſaluia & huiuſmodi tẽperari debẽt. Caules,rapas,napos præſtat condiri cum aromatib. A portulaca uerò abſtinendum.Inter fructus amygdala,paſſæ,fiſtici,& aliquæ auellanæ : ficus & recentes & ſiccæ conueniunt.Pepones etiam boni concedi poſſunt,licet ab antiquis medicis non laudẽtur.Ceraſa & pruna,pauca tamen,ante cibum conceduntur,& nonnunquã melones.Vinum non debet eſſe craſſum,nec dulce,nec põticum,nec etiam multũ ſubtile & diureticum in cibo,ut multi faciunt,quoniam cũ eodẽ pars cibi indigeſti trahitur ad hepar,& tandem ad renes ſubiicitur,ut materia generetur lapidis.Sed ſit non ſubtile,multum albũ, odoris aromatici & ſaporis,non fumoſum,ſed debile, permixtũ aqua bona clariſsima.Eſt & hoc tanquã utiliſsimum obſeruandũ,ut nõ ſumatur cibus,niſi adſit naturalis edendi appetitus,& huic quoq; nunquã faciendum eſt ſatis.Exercitium ſit 4.uel 5.horis à cibo, ſitq; is moderatus,& non laborioſus,ne cibus indigeſtus ad membra trahatur,& tũc etiã renes maximè ſupercalefiũt,quod potiſsimũ generat lapidem in renibus.Exercitium quoque debet fieri ſtomacho ieiuno,& cauendum ne ueſtes calidæ nimiũ calefaciãt dorſum,ne hinc renum caliditas intendatur.Ideo quoq; dãda eſt opera ne ſupinus iaceas,& id maxime in lecto molli. Ad hæc abſtinendum ab omnibus quæ renes calfaciũt & inflãmant,ut ab aromatibus,uinis plenis & potẽtibus,porris,alliis.Item ab ira & nimia ſolicitudine,ab immoderato concubitu,& maxime poſt repletionẽ. Ex tali igitur regimine regulariter non debet abũdare materia lapidis.Sed cùm propter uarias hominum occupationes & negocia,non poſſunt ad unguẽ obſeruari,ideo ponẽdũ eſt ſpecialius,quo mediãte ſi fortè generaretur materia pro lapide proportionata in corpore,nõ poſsit in lapidem conuerti.& hoc duplici nomine perficitur.Primum ut dicta materia ad diuerſum trahatur & per inteſtina educatur.Secundum,ſi quæ materia fuerit in renibus congeſta,cum leuib.eam inde euacuare, ne multo tempore ibi conſeruetur & putrefiat.Poſtea conforten tur renes ne recipiant,& ipſorum complexio alteretur ad contrarium.Primo conſulo ut ſingulo menſe bis uel ſaltem ſemel capiat potum hunc: Reci.flor.caſ.no. tra. drach.x.cum decoct.liquir.capil.uener.& ſeminum cõmunium frigidorum.fiat potus,& ſi fortè in hac forma non placet,bolus ex flore ſolum cum zuccha.& pauco puluer.liquir. Aliqui laudant,& meo iudicio nunquam ſatis laudandum,comedere caſiam in canna,ut tu ſoles facere,cũ aniſis accipiendo fruſtum caſ.pinguis unc.2.s. uſq; ad 3.& eam comedere horis duabus ante cibum. In tempore uerò quo ſerum caprinũ haberi poteſt,comedito fruſtũ caſ.& ſtatim bibe cyathum 1.ſeri caprini calidi,ſed in mane ſumatur,& non ſuperdormiatur.& hoc remedium eſt præſtantiſ.& naturæ amicum,ut teſtatur Auic.et id quod melius ſoluit,eſt aqua caſei & caſia fiſt.& de uirtute & præſtantia aquæ caſei inquit:& in aqua caſei eſt declinatio materiei ad inteſtina,& ablutio & abſterſio,& infrigidatio,& maturatio,et rectificatio,&c.Et conuenit ardori urinæ,quo laboraſti paucis antè diebus.Et ut dixit Raſis 10.Si fuerit dolor uehemens cum ſyncopi in diſpoſitione ſurda de narcoticis uiolentis.Sed dicit pauló pòſt:ſed laxandus eſt aluus, ſupple prius quàm dolor tantum augeatur,ad inducẽdum declinationem humoris ad inteſtina cum aqua caſei,dando uncias 8.de ea:quoniam dicta aqua caſei per naturam non mouetur ad renes, imò declinat à renibus ad inteſtina.conuenit igitur tibi, quia mundificat renes.Conuenit etiam aliquando ſumere in loco dictæ aquę unc.6.hydromellis calidi,uel de aqua decoctionis cicerum rubeorum,capiendo unc.6.cum zucch.uel ſumendo de terebinthina clara horis 4.ante cibum unc. s.uel unc.1.mundificat enim uiſcera & abſtergit renes, & eſt præſens antidotũ.& multi hoc utuntur pro myſterio quodã ſemel in mẽſe,excepto tempore calido,in hoc caſu,& in ęgritudinib.neruoſis. Sed quia uſus medicamentorũ multis ingratus eſt,ad diuertendas tales materias per ſeceſſum multi utũtur clyſterib.Vel ſuppoſitoriis factis cũ melle & ſpeciebus benedictę.ualet etiã clyſtere cõmune,in quo ponũtur aliqua humectãtia & pinguia,& uias renum dilatantia,& imprimis cũ timemus quòd aliqua materia fluxerit ad renes,uel ad uias proximas:ut:Reci.maluæ,biſmaluæ, mercurialis, radicum altheæ,fœnicu.eupatorij, furfuris ana parum. Seminis lini,fœnugręci, maratri ana unc.s.decoct.in q.s, aquæ, & coletur,& colaturæ adde caſ.fiſt. no. tra. de

canna

canna unc.1.mel.roſ.unc.1.s.olei camom.unc.3. pinguedinis gallinæ uel butyri recentis unc.1. s. cum modico ſalis: fiat clyſter. Hæc clyſteria conuenirent etiam exiſtente actuali dolore. Sed in hoc habēda eſt ratio, quòd in pura præuiſione nō exiſtente dolore in maiore quantitate, ut lib. 2. s. Vbi autem adeſt dolor, minora longe debent eſſe clyſteria, uidelicet lib.1. Et hoc ne ſua multitudine repleant inteſtina, coartent uias uel meatus, per quas debet tranſire lapis ad ueſicam. Præſtans etiam remedium eſt omni menſe ſemel, præterquam in calido tempore comedere 10. nucleos perſicarum ſtatim extractos ab oſsibus, & ſuperbibendum, unc.3. uini albi boni & ſubtilis. Sed ſi, quod Deus auertat, lapis in renibus generaretur, & natura tentante exitum & expulſionem, fieret dolor acutiſsimus calculoſus, ut aliquando fit, maximè cū tranſit lapis per poros uritides, fienda ſunt remedia quædam extra & intra. Danda eſt opera, ut hoc tempore recte omnia fiāt, ut uictus, qui tum ſubtilior eſſe debet. Et in hoc caſu cōferunt oua ſorbilia, brodiū pingue cū pauco cinnam. quia eſt cibus et medicina. Brodium cicer. rub. Laudo cū hoc quod ante cibum ſumatur, & eſt uſuale unc. s. aniſorum confect. Ex oleribus poſſunt concedi quæ ſunt diuretica, ut ſenationes, aliàs creſſones, macerones, ſiſimbrium cocta & cruda comeſta, et ſuccus parietarię terreſtris potus ieiuno ſtomacho ſummopere renes à dicta materia, & ab arenulis mundificat. Et ſimiliter paſtinacæ, ſed exiſtente intenſo dolore res facilis digeſt. & multi nutrimēti exhibere debemus ſolum. Quantū autem ad medicamina, fiat primo clyſtere paucæ quantitatis, poſt clyſt. fiat uomitiuum leue. ℞.unc.2.oxymellis.ſ.cū aqua ſimplici tepida. Aliqui faciunt cum decoc. anethi & oxymelle.ſ. poſt 3.uel 4.horas ante cibum ſumendum eſt hoc lenitiuum. ℞.flor.caſ.no.tra.unc.1.& cum zuch. fiat bolus, & poſt ipſam immediate capiat unc.3.uel 4. olei amyg. dul.calidi recenter extracti. Aliqui cōmiſcent oleum cū ipſa caſia. ſed prior modus magis guſtui arridet, & uehementiſsime iuuat leniendo & præparando uias ad dilatationē, & mundificat etiam materias, quæ ſunt in uiis communib. per ſeceſſum diuertēdo, & hoc ſolummodo ſtante dolore conuenit: quia ſtante dolore deſuper nunquam propinare debemus ſolutiuum forte. ſed hæc lenitio conuenit, & clyſteria quæ aliquādo fienda ſunt cum aliquali uirtute medic. educentiū de materia proxima renibus. Poſt hæc poſſunt exhiberi leuia prouocātia & dolores ſedātia, quia fortia prouocātia præſente dolore non conueniunt, ut eſt decoctio radicum maluæ, parietariæ, & ſem. cōmuniū cū floribus maluæ & liquir. quæ poteſt dulcorari cum iuleb uiolato, & cū ſimilib. in his enim ſemper maius adiumentū reperies, quàm in fortib. diureticis, quæ nō cōueniūt niſi dolore ſedato. Laudauit Auicen. hunc potum. ℞. decoct. maluæ campeſtris, uel altheæ unc.8. butyri recentis unc.1. mell. roſ.col.unc.1.s.miſce, frangit hoc lapidem, & prouocat urinam, & lenit iter eius, quòd exit cū facilitate, & hoc ego reperi ferè ſemper pręſtantiſsimum. Pari modo his debent clyſteria ſingulis diebus parua quātitate exhiberi, in quibus ſit uis humectandi, & mollificādi & dilatandi ex decoct. ſcilicet, camomil. meliloti, fœnugræci, ſe.lini, capill.uen. parietariæ, & parum ſaxiſragiæ cū butyro.q.s. uel pingued. gallinæ cū ol.amygd.dul.uel amar.cū caſ.fiſt.& ubi complicaretur uentoſitas cum oleo anethino, & etiam oleo ſcorpionū, quia lapidem hoc frangit, & uias renū aperit. Extrà autē fiāt unguenta, ut: Rec.olei amygd.dul.& amarorum, ſcorpionum, pinguedinis galli ana unc.s. inunctio etiā ex butyro ſolo ualet, & ex hyſopo humida. Hoc in caſu fieri poſſunt uaporationes cum filtro ex aqua decoct. parietariæ, ſenationum, fœnugręci, ſe.lini, camomil. caulium carui, et poſt fomentationes fiat unctio ut ſuprà. & ſi fomentatio non ſuffi. fiat balneū, in quo ſedeat, & aqua nō tranſcēdat umbilicum, & pectus non nimiū calefiat. & nō balneādum eſt, donec cibus à ſtomacho deſcēderit, nec diutius in eo cōmorandum quàm 4. partē horæ. poteſt etiam fieri emplaſtrū ex parietaria m.ij.ſenationū m.1. bul. in uino albo ſubtili & potenti, & facta expreſsione cribellentur dictæ herbæ, cū quib. ponito dicta olea ut ſuprà, & fiat emplaſtrum, calidū applicetur. fiat etiā emplaſtrum ex farinis fœnugręci, ſe.lini cum decoct. camomil. altheæ, & ſuprà dictis oleis. In hoc caſu cauendum eſt à ſacculis exiccatiuis, quibus cōmuniter patritij utuntur ex milio & ſale & huiuſmodi. Conducunt etiam cucurbitulæ appoſitæ non ſemper loco doloris, ſed anterius uerſus ueſicam, nam cū his ſæpe trahitur lapis ad ueſicā. His actis, tum ſi opus fuerit fortia diuretica applicari poſſunt. In quo caſu ualet exhibere drac. 2. dialaccæ. uel, & eſt etiam fortius, drach.1.s.litontrion. Valet etiam accipere de elect. Iuſtini quæ omnia ſumantur in mane ſtomacho uacuo, cum unc.2. uel 3. uini albi odoriferi, uel cum aqua raphani, & ſaxifragiæ ſimul: uel cum aqua apij uel meliloti, decoct. granorū iuniperi, uel milij ſolis, & eſt forte. in hoc enim morbo cōminuere, & incidere oportet cum medicinis tali uirtute præditis. Et quia hoc fieri non poteſt, niſi tales medicinæ ad renes ducantur, ideo in eis intrant diuretica. Verùm ſi tales etiā medicinæ non permanerēt notabili tēpore, quia actio non fit niſi in tēpore, ideo malè operātur, qui tantummodo adhibēt medicinas lapidis frangitiuas, ut lapidem Iudaicū, uel ſanguinem hirci, & ſimilia. Sed ſi non delectaretur electuarijs, poteſt aſſumere puluerem infraſcriptum cū modico uino albo ſubtili, ut: Rec. ariſtol. lon. alchechēgi, radicis ſaxifrag. ana ſcrupul.1. miſce, & fiat puluis, & capito totū. poteſt etiā cōfici cum melle inſtar. elect. & tunc doſis erit ʒ.2. Nonnulli ſcriptum reliquerūt, ſi quis utitur folijs urticæ cū carnib. liberum fore à lapidis generatione. Quod ſi quempiam tæderet capere electuaria, poteſt uti ſyrupis longis, qui in hoc caſu ualent, ad lapidem ſubtiliandum & minuendū, & ad educendū: Rec. ſaxifragiæ, enulæ campanæ, radicum raphani, parietarię, fœniculi, petroſelini ana m.s. artemiſię, pētaphyllonis, ſcolopēdriæ, hyſopi, calamenti, diptanni ana m.1. aniſi, maratri, carui, milij ſolis, nucleorum ceraſorum ana unc.1. cinnamomi, caſ. lig. ana ʒ.2. ſquinanti, ſpicæ nardi celticæ ana ʒ.1. uuarum paſ. mundat. ſe. maluæ & melonum ana unc.1. liquir. ʒ.2. mellis, zucch. ana lib.5. uini al. ſubtilis et pleni lib.1. fiat ſyr. ſecundum artem, & propinato ſtomacho uacuo & mundato. Plura alia poſſem adducere, ſed puto hæc ſufficere ad laudem Dei, qui pietate ſua dirigere dignetur omnia ad ſalutem. Vale. Bononiæ ex ædibus noſtris IIII. Non. Mart. Anno M. D. XXXVII.

EPIST. LXIIII. AD REVEREND. DD. TT. SS. *Quatuor Coronatorum presbyterum Card. de Puccijs maiorem pœnitentiarium digniſsimum, Dominum meum colendiſs. Ioan. Bap. Theodo. Medici conſilium pro ulceribus calidis crurium.*

SI medicinæ dignitas, cuius inuentio Diis tribuitur, ampliſsime Antiſtes, talis ſemper fuit, ut eius profeſſores Diis quoq; proximos ſalutem hominibus præſtando reddiderit, proximiores uerò principes Diis ipſis arbitrandi, qui integritate morum, dignitate, ingenij felicitate, uirtutibus ampliſsimis, doctrina ſingulari raráq; dicendi arte, & eloquentia, prudētia diuina pro reipub. Chriſt. ſumma regenda, à Deo decorati ſunt. Et cùm tot magnarum rerum fluctibus inuolutus & obrutus ſis, fit ut ſæpius animus, mens, & corpus defatigētur, unde fit quòd ſucci poſtea ex ſolicitudinibus, uigiliis, ſpeculationibus generati, etiam cholericam naturam induant, ut eſt T.D. temperatura: quæ poſtea cholera ad infimas partes per uirtutem expultricē depulſa, ulcera illa fraudulenta & dolorifica generat, ut mihi T. R. D. expoſuit, & monſtrauit. Nec admirari debemus quòd in ipſis dolores ſint ſæui, cum humor ſit cholericus, nō ſine aduſtione erodēs, & mordax, & pręſertim ſuper neruos & tendones circa malleolos pedum. Nūc autem cùm ferè ſint ſolidata & priſtinā ſanitatē induerint, uereris ne redeant. Vel ſi materia hæc, quæ diutius euacuari ſolita eſt. retineatur turgendo in ſuperioribus ſæuiores pariat effectus. Ego autem cùm dixiſſem materiam hanc per uiam conuenientiorē euacuādam, aperiendo uidelicet locum ſub genu per palmi diſtantiam, ut in infinitis quotidie fit: ſed T.R.D. uidetur remedium hoc horreſcere, ex quo feliciſsimæ memoriæ decus illud cardinei gradus eximium patruus tuus ægrotaret, & natura ad partes illas materias non demitteret, & quòd hoc remedium ſecurum & tutū erat. Si tamē omnino nolueris hoc agere, ſaltē materias ſolitas per has partes euacuari patitor, moderata uictus ratione, exercitio, & crebra alia ſubductione. Alioquin imminebit

pericu

periculum,ne uno ulcere curato bina ſuccedãt,&,ut dicitur prouerbio,hydrã ſecabis,hoc eſt,uno capite abſciſo renaſcentur duo:uel hæc materia in altiorib.detenta,ſeueriora pariat accidentia,& neceſſariũ ſit uias ſtrictas reſerare.Dixit Auic.4.1.cap.3.cũ uentris conſtrictio, qui fluere ſolebat,aliquam ægritudinem poſsidere fecerit.Illius euacuationis reuerſio plerũq; medebitur ipſi, ſicut ab eo,quem conſtrictio ſaniei aurium,aut mucorum narium uertiginem induxerit,eius reuerſio ipſam remouebit.Hæc Auic.ubi Iacobus de partibus expoſitor doctiſsimus, & in Therapeutica parte medicinæ expertiſsimus,hæc dixit:Attẽde quòd fluxus inueteratus,& iam cõſuetudinarius effectus,ſeu uentris,ſeu mẽſtruorum,ſeu hæmorrhoidarũ, ſeu nariũ,uel auriũ,uel oris,uel ulcerum,aut fiſtularũ,corpus mundificat à ſuperfluitatib.plurimis:& licet tandẽ debilitet ipſum,diu tamen prȩſeruat à pluribus ȩgritudinibus,prȩcipuè utẽtes malo regimine.Et ſi citò reſtringatur ſine rectificatione regiminis & purgatione corporis aliũde,corpus inde ægrotat:iuxta illud Hippoc.6.aphor.12.à diuturnis ſanato hæmorrhoidibus,ſi non una ſeruetur, periculũ imminet de intercute, uel tabe, uel mania. Videmus enim experientia ipſa,quòd ſanati de fiſtulis antiquis, uel citò intereũt,uel grauius incurrunt incommodum. Retento igitur indiſcrete aliquo tali fluxu inueterato, et inde orto morbo,reuocetur fluxus,et ſanabitur morbus,ſi nondum fuerit habituatus: Nam remota cauſa, remouetur effectus. Hæc ſunt quæ Iacobus de part. medicus inter omnes recẽtiores experientia & doctrina ſingulari de his diſſeruit.Ex quibus elici poteſt,quali regimine ſit utendum,ne materia hæc cholerica generetur & generata non aduratur,& ſi fortè portio generabitur,crebra alui ſubductione eam curare debemus. Nicolus Florẽt.in 5.tracta.8 cap.58.de hæmorrhoidibus adducens hunc Hippocra.aphoriſ.eadem pericula affirmat,niſi uel natura,uel ars ſubueniat medica.Subueniet autem ſi humor ſolitus fluere frequẽter euacuetur.Subdit poſtea:euacuatio autem eius humoris fieri poteſt phlebotomia & uentris ſolutione.De phlebotomia autem in caſu noſtro fortaſſe medici multi nõ conſentiũt, cum materia hæc non ſit ſanguinea,ſicut eſt in caſu hæmorrhoidarum retentarum,ſed potius cholerica acuta & ſubtilis, in qua phlebotomia non uidetur cõuenire, tum quia ȩtas obſtare multis apparebit.Ego autem reſtricto hoc ulcerum fluxu ineunte uere phlebotomiam euentatiuam,nõ dico euacuatiuam,facerẽ iuxta aphoriſ.48.particulæ ſextæ.Quibuſcunq; uenȩ ſectio,uel purgatio cum medicamento conuenit, hos uerȩ purgare, uel uenam incidere conuenit.Vbi Galenus multos præſeruauit,podagra,apoplexia,morbo comitiali,cancro, elephantiaſi, melancholia.Et ſi non omnes,phlebotomia & uentris ſolutione.Sed phlebotomia cum plenitudinis ſigna indicabant, uel purgatione ſi humorum corruptio requirebat. In caſu noſtro phlebotomiam parcam euentatiuã ex uena iecoraria, quæ efferueſcentiam humorum refrigerare poteſt,non eſſe ab re arbitrarer.ibidem Galenus elephan.incipientem & uenæ ſectione & purgatione ſanauit.Nec ætas hæc,quæ eſt primi,ſenij uiridis adhuc & florens cũ mediocri plenitudine reſpuit:tutius enim ſenex,ut recte dixit Celſus,robuſtus quàm iuuenis imbecillis phlebotomari poteſt. In hoc tamẽ,aſtãti uiro doctrina & experiẽtia in re medica peritiſsimo,& præſertim qui nouit temperaturam T.D.remitto,& in omnibus aliis. De purgatione autem huius humoris anxium & cogitabundum uidi amplitudinem tuam. Sunt nonnulli qui catapotiis purgari cenſent,alij uerò renuunt.Ego autem in hoc hyemali tempore uſum earum omnibus decem diebus, uel ſaltem quindecim non extimeſcerem. Sicuti ſunt pilulæ de tribus cum rheobarbaro addito, curarémque ut aloë eſſet bene ablutum, & diutius nutritum cum aqua endiuiæ & ſucco, & ſimiliter eas ſucco roſarum conficerem,& de eis caperem 3. 1. uel magis uel minus ſecundum uentris diſpoſitionem.Et ſi ſuſpicio eſſet,ne hepar excalfieret, quod reuera uerendum non eſt cum per accidens infrigidẽt, exhiberem poſt eas apozema ex aqua endiuiæ unc. 2. fumiterræ unc. 1. iuleb uiolati unc.1.uel tale quid, quod eius caliditatem remitteret, uel hordeaceam aquam, uel ius hordeatum. Sequenti uerò die laudarem ut caperet ſacchari roſati illius perfectiſsimè facti, de quo mentionem feci,unc.s.uel parum minus. Aliquando etiam laudarem aſſumptionem infuſionis roſarum, quæ ſibi uiſa eſt proficua,ut unc. 2. s. cum rheubarbari electi drach. 1. s. infuſi in aqua endiuiæ,& parum ſumiterræ cum granis 5.ſquinanti bene expreſsi ſecundum artem ſeplaſiariis notiſsimam: & ſimul miſcerem, addendo & minuendo ut præſenti medico uidebitur.Apponerem etiam in tẽporibus frigidis & humidis ipſum tritum cum ſquinanto, ut ſcrupul. 2. magis placeret. Quandoquidem,ſi quæ pars bilis craſſæ in corpore genita foret, ſicut facilè credendum his temporibus generari,melius educeretur.In aliis uerò temporibus eo infuſo & expreſſo uterer. In his autem ſæpe poſt euacuationem uſus ſacchari illius roſacei. In aliis multis magnis uiris uidi frequentem uſum caſiæ,de qua nonnulli omnibus duobus diebus uel tribus, uel ſaltem ſingulis hebdomadis capiunt fruſtum longitudinis palmæ,& ſuccum ex ipſo præfracto ſugunt,& poſtea capiunt dimidiatum cochleare aniſorum ſaccharo opertorum, & poſt horæ quartam partem prandent. Aliqui uerò illico prandent. Nonnulli capiunt bolum unc.1.cum ſaccharo & pauco pulueris liquiritiæ & aniſorum,ſi fortè tormina excitaret. Sed hoc modo capiendo uſus debet eſſe rarior, omnibus uidelicet 10. uel 15.diebus, & eſt res imprimis ſalutaris. Et niſi proprietas occulta obſtaret, ad huius materiæ mundificationem eſſet conueniens. Manna etiam in caſu cum aqua ediuiæ diſſolutæ conueniret, & ſic per hyemen hanc totam per interualla horum aliquem uſum laudo.Vere uerò ineunte ſummopere laudarem uſum aquæ lactis caprini, quæ in caſu eſt præſtantiſsima extracto butyro, caſeo, & recocta, quam Meſue ſummopere laudat, & ſi dixerit eſſe calidæ complexionis, non conſentit cum Galeno medicorum principe,4.de ſimplicium medicamentorum facultatibus : eſt frigidæ & humidæ complexionis, & uterer per plures dies, aliquando intermittendo, & iterum ad eam capiendam accederem, ut dicit Dioſcori. in 2. Quos ſine acrimonia purgare uoluerimus, quales erunt atra bile laborantes, comitiali, lepra, elephantiaſi, & toto corpore papularum eruptionibus : & in his poterunt infundi aliquæ lupulorum, fumiterræ ſummitates, ſenæ, taraxacon, roſarum, & tamarindorum, & florum cordialium parum, & paſſularũ facta expreſsione bibere 3.6. & dulcorari cum pauco ſacchari albiſsimi. Soleo ego exhibere uitrum unum cum his rebus infuſis, poſtea uitrum eiuſdem ſimplicis aliud ſtatim ab illa infuſione. Si uolumus magis ipſum refrigerare,addi poterunt pruna aliqua Damaſcena, & parum oxiphœniciorum.i.tamarindorum. Cum per 15.dies hoc modo proceſſum fuerit,aluus erit ſoluendus cum drachm.1.s. rheubar.infuſi in eadem lactis aqua,in qua prius cortices myrobal.citrin.ſ3.3.ebullierint cum parte de prædictis rebus,& bene exprimantur omnia,& cum unc. 1.infuſionis roſarum dulcoretur, aduertendo ſemper quòd infuſio illa uirtuoſior magis & minus,fiat ſecundum quòd uenter eſt lubricus.Laudo etiam uſum myrobal.citrin.& ſint de perfectis,omni die unũ uel duos, tribus horis ante prandium. Inducunt iuuentutem,& bonum colorem præſtant, & bonum oris odorem, confortant & mũdificant ſtomachũ,cor,& epar,extinguunt choleram:hoc euacuabitur materia illa,quæ ulcera parit,nec periculũ ullũ de ſæuiori ægritudine.Vnũ hoc non prætermittã,quòd capere poſt cibũ cochleare unum de granis malorũ punicorũ ſaporis medij ualde conueniet.De ratione uictus nihil perſcribã,medici tui conſilio & doctrina fretus,qui omnia ſua prudẽtia moderabitur.Aeſtate poſtea adueniente,ut cõplexio bilis generatiua ex toto remoueatur,dictũ fuit de aqua Lucani agri.Sed cũ complexio T.D.ab aquis thermalibus lædi uideatur,nõ ideo hic faciã mentionem ut eam potu ſumam.Sed balneare in agro Piſano maxime è re T.D. fore arbitror:nam confert omni diſcraſiæ calidæ,& caliditatem renũ & epatis remittit,& omne genus ulcerum ſanat,dummodo non ſint Gallica,quibus à natura ſummopere inimicatur:& ego ex hoc balneo uidi effectus mirabiles,& his crediderim remediis D.T.priſtinam ſanitatem recuperaturam, nec eſſe timendum de aliqua alia ægritudine. De foliis illis à quibus leuamen mirificum conſecuta eſt D.T.quæ dicit forte fortuna inuenta,ſciat uelim eſſe medicamen illud in illa diſpoſitione approbatum · ſunt enim rubi folia, de quibus Dioſco.in 4.ubi dixit quòd ſanant oris ulcera, quæ

aphthæ

aphthæ Græcis dicũtur cõmanducata:ſanãt quoq; herpetes,qui à flaua bile erodente in cute generantur, teſte Paulo. Si uerò cum alio humore concretus,& acrimoniam acquiſiuerit,magis exulcerat,uſq; ad partes ſubiectas,& tunc herpes corrodens. Galen.etiam lib.6. medicamen.ſimplicium dicit, rubi folia ſi mandantur oris ulcera ſanare, & folia eius uulnera glutinare: eſt enim earum temperies partim ex terrea frigida eſſentia & aquea.De eodẽ Paulus Aegineta libro nono uim aſtringendi habere & ſiccandi non mediocrem, & uulnera conglutinare,& omnes deſtillationes cõpeſcere,eiuſq; ſummitates in unguento populeone,& unguento alabaſtri ingrediuntur. Hæc pauca curſim, raptimque ex ociolo à lectionibus publicis & diſputationibus circularibus,& munere medendi, quibus nunc omnibus arcte diſtringor,ſuffurata,pro præſeruatione ſua incolumi ſufficere arbitror. Si parcior fui quàm uellem, aut quàm par ſit,in cauſa fuit celer eius diſceſſus, & quod tarde ſeriem ægritudinis & ſemel tantum mihi expoſuit.Si quis adhuc ſcirpus ſupererit enodandus,R. D. T. proponere curet,& eum ego pro uiribus exoluere conabor. Quandoquidem nihil mihi gratius contingere nec acceptius poſſet, quàm eidem inſeruire, & omnibus ſuis neceſsitudine coniunctis, quibus ſum addictus ſummopere & dicatus, exoratámque eam uelim, ut me in cliẽtelam ſeruorum ſuorum adſcribere dignetur, & me commendatum habeat oro atque exoro. Quam Deus optimus maximus diu feliciterque conſeruare dignetur.Bononiæ ex ædibus noſtris XVI. Calend.Septemb. M. D. XXXVIII.

EPIST. LXV. AD EQVITEM AVratum quendam, *qua epilepſiæ remedia deſcribuntur. Licet hæc epiſtola ſiue conſilium non uideatur autoris,quod facile deprehendimus ex ſtylo:tamen quia rem exactè & ad unguem,ut aiunt, deſcribit, quæ ad comitialem morbum facere uidetur, eam his ſubiunximus.*

GEneroſe eques & domine mi obſeruandiſsime, non longo ſermone utar, ſed ſolùm quæ mihi uidentur neceſſaria tangam,& pro actu præſeruatiuo & curatiuo.Primò ponitur regimen breue curatiuum dum patitur epilepſiam tẽpore paroxyſmi,& procedatur cum diuerſionibus membrorum inferiorum, & confricationibus fortibus, & maximè circa extremitates pedum cum ſale groſſo in petia ligato, & in aceto forti infrixo, & uentoſæ etiam applicentur ſine ſcarificatione in ſpatulis, deſcendendo & iterando diætas uentoſas uſque ad nates:& ſi paroxyſmus prolongetur,remotis uentoſis fiat fortis fricatio cum ſale dicto, cui parum auripigmenti permiſceatur, adeo quòd in locis ubi aderant uentoſæ doloroſæ fiant fricationes: collyria etiam longa cùm ſpeciebus hieræ & ſalis gemma,cum melle ſecundum artem conficiantur, & in longo paroxyſmo adminiſtrentur,& ſimiliter in actu paroxyſmi,faſciculum rutę circa nares applicetur, & ſi de ſylueſtri ruta habeatur,ſingularem habet proprietatem in ſubleuatione à paroxyſmo.Similiter in naſum inſuffletur de huiuſmodi puluere: Recipe elleborí albi drach.1.caſtorei,panis porcini,foliĳ origani,ligni aloës ana ſcrupul.1.miſce,& fiat pul.ſubtilis.& ſimiliter ſi pulp.caſtorei cum ſucco rutæ & maxime ſylueſtris permiſceatur & naribus imponatur.fiat quoque ſuffumigium cũ aſpalto uel aſſa fœtida, maxime ſtante paroxyſmo forti,& ſimiliter aperto ore liniatur palatum cum modico confectionis anacardinæ,& ſtrepitus omnis generis auribus fiant.Luminaria quoq; magna erecto capite apertis palpebris ſubito offerantur. hæc dum in actu paroxyſmi patiens exiſtat,ſi aliqua ex iſtis adminiſtrentur,ſubito à paroxyſmo excitabitur, & ſi experimentũ Matthæi de Gradibus adminiſtretur quod habuit in ruſtico Taſicho,maximè laudo,ſcilicet exhibendo rutam ſylueſtrem tritam epilentic.in paroxyſmo & extra paroxyſmũ. Clyſtere quoq; conueniẽs in forti paroxyſmo: Recipe corticum radicum fœniculi,radicis ireos, radicis peonię ana unc.2.ariſtolochię ro.unc.1.interiorum ſquillæ unc.s.utriuſq; rutæ,abſinthĳ,polĳ montani ana m.1.ſticados,rutæ ana 3.2.bulliant in aqua debitę quantitatis uſq; ad quantitatem 3. partis.poſtea addatur colaturæ lib. 1.s. hieralogodion unc.s.hieræ picræ 3.6.olei rutati unc. 3. ſalis gemmæ 3.1. miſc.pro clyſterio. Serapio laudat uomitum in paroxyſmo,ſed Raſis primo continentis oppoſitum aſſerit: uerum Serapio de leui uomitiuo & de corpore apto uomitui uomitum approbat,quod etiam Raſis nõ negaret.hæc ſufficiant quãtum ad actum curatiuum dum epilenticus in paroxyſmo exiſtat. Et cùm epilepſia in nobili iuuene ſit per eſſentiam in cerebro,& depẽdeat à materia phlegmatica,regimen in ſex rebus non naturalibus ſit declinans ad ſiccum.& primo circa aërem fugiat groſſum & humidum,maximè ad ſiccum declinantem:ſit luminoſus,clarus,ſuauis odoris,nõ tamen nimis intenſi:nam ſecũdum principem quãdoq; odores boni.ſ. intenſi prouocant epilepſiam:& in hyeme rectificetur aër cum ſtorace,hyſopo,maiorana,ruta:& dum fit hæc ſuffumigatio patiens actu non exiſtat,ſed primo feneſtræ claudantur & deinde aperiantur,& rectificetur aër antequàm æger intret. Et adueniente tempore ueris laudarem ut iuuenis equitando ad uaria loca & regiones accederet:nam uidi hoc experientia in quodã nobili Bononię.in ſimili permutatione ab epilepſia fuiſſe curatum. Somnus meridianus & lõgus uitetur,& tardetur ſomnus à cibo per duas horas,& capite bene eleuato,& extremis bene coopertis dormiatur,& non excitetur à ſomno repentinè,ut cũ uoce forti uel ſono tubarum, uel aliquo huiuſmodi: nam talia quandoq; ducũt ad paroxyſmum. Exercitium ante cibum per horam temperatum,eſt cõueniens naturæ: uelox & laborioſum eſt nocẽs:exercitiũ quoq; membrorum inferiorum in diuertẽdo materias & uapores in dorſum laudatur:& ideo cauendũ eſt,ne fiant fricationes capitis & lotiones & pectinationes fortes,niſi præcedentibus fricationibus inferiorũ,uel ſimul cũ illis factis.Circa cibum paucitas cibi ſit,& maximè cœna ſit breuis:in morbis cerebralib.pauca debetur cœna.Vitet carnes craſſas & quadrupedum maxime,& ſuper omnia humida uiſcoſa. Magis laudantur aſſata quàm elixata:eligantur carnes naturaliter ſiccæ,ut auium montanarum: pipiones etiam alati abſciſis capitibus conueniunt:uitentur omnes carnes aquaticæ & omnes piſces:uitelli ouorum laudantur,& brodia cicerum: turtures & phaſiani ſunt ad hanc intentionem carnes ſingulares: ex carnibus quadrupedum ualent carnes capreolorum iuuenum,& cuniculorum ſylueſtrium, & leporum iuuenũ:& licet à Conciliatore carnes hœdinę laudentur,quoniam ad ſiccum declinant cum facilitate digeſtionis,tamen ab aliquibus uituperantur,eo quòd ſunt animalia quæ incidunt in epilepſiam:uitet omnes carnes ualde pingues,& omnia exceſsiue uncta. Acetum non adminiſtretur niſi in modica quantitate, uitet tamen omnes herbas frigidas & humidas: ſingulariter adminiſtretur hyſopus decoctus ſiccus uel uiridis in ferculis, & in omni modo adminiſtrationis uidetur maxime iuuare.Nam multi ex frequenti uſu à totius ægritudinis malitia fuere liberati, authoritate Alexandri: roſmarinus etiam cum modico fœniculi multum à Serapione laudatur. Similiter ſaluia conueniens eſt, fugiat porros, allia, paſtinachias: fugiat omnes ferè fructus præter pineas, fiſticos, & auellanas toſtas,cum aliquibus ficubus. Circa potum magis laudarem aquam mellis in hyeme,& zucchari in æſtate cum modico aquæ decoctionis hyſopi, uel ſaluiæ, uel nucis muſchatę,uel cubebis, & huiuſmodi.Verùm Auicenna laudat uinum modicum antiquum & aliqualiter declinans ad ponticum: quod maxime uerificatur in corpore bene mundificato & euacuato à multitudine humorum: uerùm ſicut dicebam tuæ dominationi, uinum artificialiter conficeretur cum radice pæoniæ recenti & cum ſaluia, faciendo nunc decoctionem in muſto bene ſpumando, & tale uinum adminiſtretur bene clarificatum: & obſeruetur dictũ Serapionis,cum dixit:Nam cautela ab hac ægritudine eſt bonitas multa regiminis.& hæc ſufficiant quantum ad regimen in ſex rebus non naturalibus. Ad medicinalia deueniendo oportet ſæpe pharmacetur,cum his tamen quæ uirtutem non multum debilitant,& inter euacuationem ſemper præmittantur digeſtiua alterantia materiam, & cõgrua cum proprietate quam habẽt confortantia cerebrum:unde eligantur ſemper medicinæ quæ proprietate ualent contra epilepſiam & non nocent. Digeſtiuum igitur conueniens in materia

phlegmatica: Recipe oxymellis squillitici, mel.rosa.co. ana drach.6.uel administretur syrupus de stycados cum oxymelie squillitico, cum aquis appropriatis, scilicet, betonicæ, rutæ, maioranæ, saluiæ, pęonię, & aromatisetur cum nuce muschata & cinnamomo: & si aqua decoctionis hysopi, sileleos, uel aristolochię ro. pęoniæ, achori, assæ, origani, stycados arabici, ualet ad hãc intentionem permiscendo cum dicta decoctione mel.ro.co. uerùm si materia phlegmatica esset subtilis, ualet decoctio absinthij uel aquę eius cum dictis syrupis, & si pyrethrum condiretur, sicut & gingiber cõditur, uel sicut sechacul.i.rintij apud nos esset medicina singularis. unde Rasis laudat pyrethrum pulueriſatũ, et si detur omni die cochlear unũ cum eadẽ quantitate mellis. Valet & electuariũ de pyrethro Me. & hęc digerentia sunt & cerebrum confortantia. & summarie colligendo & repetendo, hæc sunt quæ à proprietate ualẽt, pęonia, & maximè recẽs, & semẽ eius, pyrethrũ, sileleos, aristoloch.a ro. scolopendria, polium montanum, squilla, uel aqua eius uel decoctio eius, decoctio absinthij, nux muschata. quum uolumus facere decoctiões, electuaria, pulueres, syrupos, hæc talia administranda sunt, quæ omnia subiacẽt iudicio boni medici. Pro solutiuis ex quo agaricus medicina singularis est in epilepsia autoritate Ras. primo continẽtis capite 5. Ideo semper ponerem in pilulis aliquid de agarico trochiscato, utputa: Recipe agarici trochiscati, pilularum de hiera simp. ana drach.s. fiant pilulę numero 5. uel Recipe pilularum de hiera cõtracta agarici trochiscati ana drac.s. uel Recipe pilularũ alefanginarũ, agarici trochiscati ana drach.s. fiant pilulę numero 5. & semper pilulæ reformentur cum succo allij uel caulıũ, ut uirtus pilularũ ad caput dirigatur. & dentur hę pilulę in introitu lecti nulla uel modica cœna pręcedente. Verum & si pilulæ cochię ab omnibus laudentur administrarem pilulas cochias quæ à Me. ponuntur in cap. de soda. non auderem uti fortioribus medicinis pro frequenti usu. Verum fiat lenitio uentris & diuersio pro deorsum cũ cœnemate & fricationibus inferiorum. Fiant quoq; purgatiões particulares pro emotorici cerebri, ut cũ gargarismatibus & masticatoriis & caputpurgiis ex attractiuis appropriatis: uerũ hęc non administrentur nisi post purgationes multiplicatas cum pilulis. masticatoria cõmunia fiant ex pyrethro, mastice & cera: & sic mane ieiuno stomacho sæpe teneatur intra dentes bene masticando & spuendo. Caputpurgiũ cõmune fiat ex succo rutæ depuratæ cum pul. pæoniæ. uerũ dum talis succus per nares attrahitur, os aqua repleatur, ne succus ad partes gutturis descendat. & si in naribus insuffletur, cũ modico de muscho & de nigella & cũ modico assæ singulariter ualet. Gargarisma administretur ex cucubis, mastice & pyrethro, faciẽdo decoctionem in aqua ad consumptionẽ medietatis, & inde coletur, & fiat gargarisma. saculi administrẽtur ex nuce mus. sandaraca, ruta, pæonia, maiorana, & supra cõmissurã capitis coronalẽ & sagittalẽ apponãtur. Ex his etiã quæ ualẽt fiat pul. talis. Recipe galitrici drac.s. uisci quercini drac.1. tormentillæ drach.1.s. fiat pul. & exhibeatur drac.1.s. usq; ad drac.2. pro uice. cornu etiã cerui pro hac intentione multum laudatur. Deueniamus ad ultimata, in quibus multum confido in curãdo epilepsim, extrahens materias de profundo capitis ad cutim, inducens in capita asaphatim & morpheam. & ponitur tale emplastrum secũdum magnam partem capitis, & proprie supra cõmissuram capitis coronalem & sagittalẽ capite raso. Recipe armoniaci unc.2. fermenti unc.1. sinapi sub. puluerati unc.s. cantaridarũ sine capite & pede drach.s. pæoniæ drac.2. fiat emp. secundum ar. & dimittatur super loco donec rubefiat et uesicas faciat & crustas, quę cum sale remoueãtur & cum pinguedine milui fiat unctio, & postea iterũ emplastrum apponatur. & sic totiens fiat, nunc cum uno, nunc cum alio donec crusta in capite generetur, & sic procedatur per duos aut tres menses, et sic hoc administretur. Alterum remedium est & potens ut fiat cauterium actuale uel potentiale, licet actuale sit magis conueniens in commissura coronali usq; ad ossis superficiem, uel fiat etiam cauteriũ post aures uel in nucha, & sic ulcus diu teneatur apertum. Laudarem etiam laqueum factum in collo, sicut dicebã tuæ dominationi, & per annum tenere apertum, dum habebo puluerem pro radicis cardi benedicti, mittam per nuntium fidum. Hæc sufficiãt: & plurimum me dominationi tuæ commendo.

## EPIST. LXVI. REVERENDO PATRI *Paulo ordinis diui Francisci generali podogra laboranti, consilium.*

SI diuina medicinæ scientia à summo Deo mortalibus tradita est, ut hac omnibus hominibus etsi abiectissimę sortis subueniretur, quanto magis uiris & doctrina & sanctimonia claris subuenire conuenit? Oblatus est mihi nuper casus tuus, reuerẽde pater, qui quidem satis grauis & periculosus mihi uisus est. Artetica est non modo in pedibus, genubus & manib. sed etiam in digitis pedũ, ex materia gipsea, quæ instar lapidis fixa est in membris. Ingruit maximum periculũ ne etiam indies in deterius prolabatur, & ita hominem ad impotentem motum deducat. Quare quę mihi salutaria, ne corpus in deterius ruat, uisa sunt, & ab illustrissimis medicis comprobata, ad te lubens quidẽ perscribam. Dolores igitur hi, te bis in anno inuadunt, uidelicet, uere & autumno. Iuxta dictum Hipp.6. aphor. Dolores podagrici uere & autumno magna ex parte mouentur. Ad præseruandum igitur ab his doloribus corpus, ultra eas res, quas medici non naturales uocãt, necessaria est omnino Galeni obseruatio, quã describit 6. aphor. Quibuscunq; uenæ sectio uel purgatio cum medicamento conuenit, hos uere purgare uel uenam incidere oportet. Clarũ fit ex Galeni uerbis, quod in eis qui adhuc sani, sed ægri futuri sunt nisi euacuentur, nũc sermo habetur Hippocratis: hos enim oportet ut anticipemus, euacuando uere ineunte, uel per uenæ sectionẽ, si plenitudo adsit, uel per purgationem, si corruptio humorum adesse uidetur. Nos itaq; hoc pacto plures sanos conseruauimus, qui longo ante tempore singulis annis morbis capiebãtur. Sed & podagram & morbũ articularem iam incipientem, & nondum poros circa articulos facientem ex tali euacuatione multis iã annis fieri prohibuimus. Hæc Galenus: in quo loco multos alios morbos à quibus ex tali purgatione plures præseruatos cõmemorat. Sed quia de uenæ sectione mentionem fecimus, in hoc nostro casu nihil amplius dicã, siquidem non conuenire arbitror, tum quia tu eam quodammodo abhorres, licet te sæpissime hic morbus affligat, ut mihi sæpe retulisti, & crebram phlebotomiã eam ob causam times, & nõ iniuria: quia dictum est uerius longè quàm elegantius, qui in iuuentute phlebotomiam exercẽt, senectutem deflebunt: etsi iuuenes bene tolerare eam possunt, senectutẽ tamen perducit ad malas ægritudines, sicut est apoplexia, paralysis, & eo magis quia tu in ætate iuuentutis constitutus nõ es, sed potius primorum senum. Adde, materia hæc causans hos dolores, est cruda, crassa, à sanguine remota, in qua phlebotomia non conuenit, ut ponit Galen. in capi. de phlebotomia, & Auicenna in eodem. Quòd autem materia hæc sit cruda & crassa phlegmatica, multa indicia sunt, primum quòd tua complexio semper abundat pituita quadam crassa & in digitis pedum hęc gypseata, longitudo dolorum quoq; quoties affligit indicat materiã esse crassam & lentã, ut inquit Galen. super illo aphor. 6. part. Quibuscunq; morbi podagrici fiunt, hi sedata in quadraginta diebus inflammatione, finiunt: sed dolores tui ultra aliquando 50. dies extendunt se, & dolores non multi intensi tempore insultus arguunt materiam esse frigidã, sine rubore, ardore, & calore notabili. Medemur autẽ, ut hinc exordiar, his malis partim uictus ratione, partim medicamentis. Sit igitur habitatio tua non terræ uicina nec frigida, neque humida, nec boreæ siue aquiloni obnoxia, sed sit calida & bene clausa. caput noctu bene tectum & à frigore munitum. Exercitium pedibus fiat modestissimum, quia uelox & uehemens summopere obest. stare quoq; nocet, quia materiam ad iuncturas currere facit. Somni interuallũ à cibo sit ad minimum sesquihoræ, capite & iuncturis bene coopertis. Cibus sit facilis & modestus ut hominem religiosum decet. uitãda repletio. capito tum primum cibum, cùm eum ad inferiora descendisse senseris, & stomachum subleuatum. Vitanda ciborum uaria genera, quia uarij cibi & animum & corpus effœminant. uitãdi cibi frigidi omnes & humidi, ut bletę, spinachię, portulacæ, lactucæ, cucurbitæ, citrulli, cucumeres, anguriæ. potes tamen aliquãdo sumere parum de his, modo sint præparatæ cum calidis, uelut fœniculo, petros. anetho, dauco, mentha, saluia, rorismarino, origano & similib. Hęc omnia conueniẽti calefactione & exiccatione sunt

prædita,ita quòd prohibent fluxum materiarũ ad iuncturas, cauendo tamen à petroſelino & fœniculo. Vitanda bubula caro & uetula,& magnis piſcib.abſtinendum.Panis azymus obeſt,& nõ bene coctus,& caſeus antiquus.fugito omnes cibos uiſcoſos,craſſos et oppilationi aptos,ut ſunt de paſta.Item cutaneæ partes animalium & cerebrũ, nocent. Vitato quoque cibos,qui craſſum generant ſanguinẽ,& phlegma,ut leguminum omne genus,& eorũ omnia brodia,quia nimium aperiunt,& tempore ſanitatis & ægritudinis. Non tamen deſunt,qui laudant brodium cicerũ rubeorum,& phaſeolorum & caulium ſemicoctarum , quia prouocant urinam.& pari modo laudant herbas calidas aperientes,ut baucias,ciminum,aſparagos,aniſum:quæ etſi liquefaciant humores ut per uias urinæ educantur, facilius tamen à natura ad membra debilia ut ad iuncturas tranſmittuntur.quamuis ſint aliqui textus apparentes, qui uidentur dicere oppoſitum , quos citat Matth.de Grad.inter medicos recentiores uir doctiſsimus 22.3.& ſuper 9.Almanſo.in cap.Paralyſeos,& in conſilio 60.pro quodam principe qui patiebatur diſpoſitionem doloroſam,nõ ſolum pedum & manuum,ſed ferè omnium iuncturarum,& in ſentẽtiam hominis ego pedibus eo. Et propter hanc rationem non laudo aquas thermales calidas aperitiuas,ut ſunt ferè omnes thermæ in Italia, quæ pro potu à medicis exhibentur. Quia ſi quis ſola podagra laboraret,et biberet aquam aliquam thermarum,incideret in chiragram & genuagram,uel etiã cubitagram,ut ego ſæpius uidi accidere.uitanda ergo aperitiua.De ſpeciebus uitanda cinnamũ, piper,& crocus, acria omnia. Tamen acetum paſſulatum aliquando uti poteſt.Agreſta quoq; & ſuccus granatorum cibis alterandis æſtate nõ obſunt,modo temperatè utantur.Fructus hi nocẽt,ceraſa,pruna:tamen ſi bona & bene matura,minus nocẽt.poma,pyra,citonia cocta cũ pauco zuch.non uituperantur.pari modo parciſsimus melonum uſus.Carnes hœdi,pulli,uituli,caſtratorum,perdices,phaſiani,turtures,& aliæ aues nemorales & paruę. Piſces ſaxoſi & fluuiales nõ uituperantur.uiſcoſi,lubricíq; phlegma & frigiditatẽ generãt. Fercula ex riſo ſint, milio,panico,& farre.Oua in æſtate cũ agreſta alterata conducunt. Plura hic dicẽda eſſent,ſed quia Chriſtianorum uictus debet eſſe ſimplex & parcus , omnia nõ recenſebo.Vino abſtinere operępretium erit.multi ſanati ſunt bibendo in hyeme de aqua mellis cum pauco cinnamomi.Habenda tamen eſt ratio ſemper temporis.In æſtate aqua feruenti cum zuccharo uti conuenit.quòd ſi ſtomachi læſio hinc ſequeretur,adde in bullitione maſticis grana tria.Quod ſi natura ab his abhorret,ut ſępe fit,& ad uinum redeundum erit, ſit uinum rubeum nõ plenum,lymphatum cum aqua decocta.& capere in aqua mellis parum uini non erit ab re.Embrochin ex balneo ſanctæ Mariæ pro capite, & lutum ex balneo diui Bartho.pro materia in iuncturis ingipſata,laudarẽ,maximè ſi rectè & opportune fierẽt. Quantum autem ad medicamina attinet,laudo ut ſingulis annis ineũte uere antequam materia fluere incipiat,uel circa medium Februarij fiat purgatio talis:Rec.ſyrup.roſati ex infuſione roſarum ſiccarum,mellis roſ.col.ana unc.1.aquarũ abſinthij,lupulorũ,iuæ ana unc.1.aſſumptis 5.uel 7.ex his ſyrupis capito has pilulas:Recipe myrobal.citrinorum drach.2.Rheubarb. el. drach.s.aloës loti drach.1.ſemis. ſcãmoneæ coctæ in pomo drac.s.Roſ.rub.maſticis ana ſcrup.2.cum ſucco roſa.fiat magdaleon,& de eo capito drach.1.plus uel minus ſecũdũ quod educit,& ex qualibet drach.fiant pil.3.uel 5.& capito ſecundum ordinẽ. & dum medicinæ ſolutiuę exhibentur,laudo ut ad crura quaſi ad mediũ uerſus pedes apponantur aliqua confortantia & ſtyptica,quæ prohibeant fluxum materiæ ad pedes,quoniã materiæ agitatæ à pharmaco poſſent ad pedes defluere paratos recipere, & ex ſanis fierent ægri.Ad hoc conducit talis decoctio: Reci.abſinthij,roſarum,gallarũ ana p.1.fiat decoc.in uino nigro,& poſtea infundatur petia & tepidam cruribus ligato.& ſi aliquis obiiciet quòd materiæ non poterunt à iuncturis educi : reſpondendum quòd in præſeruatione non eſt intentio euacuandi à iuncturis,cum ibi non ſit materia lædens,nec dolor actu, nec ſunt exhibendæ medicinæ in præſeruatione euacuãtes à iuncturis. Nec pil.de hermodactylis in tali caſu cõueniũt,ſed bene in actu curatiuo,idcirco male faciũt,qui eiſdẽ ſolutiuis in actu præſeruatiuo , ſicut ſunt pilulæ de hermodactylis,& pilulæ fœtidæ utũtur,& cætera.Vt diligẽter notauit Matthæus de Gradibus,cõſilio octuageſimo nono.Dãda eſt opera quoq; ut ſi natura nauſearet ante aſſumptionẽ medicinæ,ut illi ſuccurras hoc uomitiuo:Recipe decoc.anethi leuiter decocti uncias 7.oxymel.ſ.uncias duas.miſce & propinato tepidum,& haud ita multo pòſt cum pẽna adiuuetur uomitus,uel cum digito titillãdo in gutture. Aduerte quoq;,ut ſi hæmorroides inflarent,aperiendas cenſeo,& unc.4.ſanguinis demendum cenſeo. Laudo quoq; ut de infraſcriptis pil.ſumas bis uel ſemel in mẽſe,prętérquam in calidis admodum & frigidis tẽporib. Reci.pil.de hier.ſ.gal.3.2.agar.trochiſcati drac.1.cũ aqua iuæ fiat paſta pilularum.doſis erit drach.1.Sequitur nũc intentio confortandi membra per ea quæ exterius & interius ſumuntur.Interius capere potes drac.1.mithridati,& ieiunato poſt aſſumptionem ſex horis.Et ſi ſenties caliditatẽ aliquam ex ipſo mithridato , addito ſecũ tantundem zuch.ſaluiati,cõſeruæ florum,roris marini unc.s.de ea capito ut ſupra.In hyeme etiam ſæpe uti cõuenit conſerua ſaluiæ in melle,cõſerua iuæ,conſerua roris marini,& coniunctim & ſeparatim, & quo ſæpius, eò melius,tres horas ante cibũ. Puluis hic infraſcriptus ualet in omni tempore,ſi mane ſumatur cochleare unũ, in hyeme cũ aqua mellis,in æſtate cum aqua zuch.uel aqua endiuiæ:Reci.oſsium humanorum de extremitatibus iũcturarum pedum:lotorum & exiccatorum , & pulueri zatorum in uino nigro drach.1.iuæ aromaticæ unc.s.liquiritiæ raſæ,zucch.albi ana unc s.miſce,& fiat puluis ſubtilis.Laudo etiam ad ſtomachi uigorẽ,quod aliquando deglutias granum 1.maſticis electi , & hoc ſæpe per horam unam ante prandium.pari modo thuris granum 1.cum petis lectũ.Conducit etiã ſummopere deglutire nonnunquam ſex grana carpobalſami,uel cubebarum. In cibis autem uti conuenit ſæpe mentha, cinnamomo,cũ mace et gariophyllis ſimul unà mixtis. Myrobalanorũ conditorũ laudo uſum.Alia ſimilis purgatio in autumno faciẽda eſt.primũ digeratur materia hoc ſyrupo:Reci.ſyr.roſati,ſyr.de ſtycados ſine ſpecieb. ana drac.6.Aquarum lupulorum,iuæ ana unc.1.s.miſce. poſt 7.uel 9.ſyrupos capito prædictas pilulas , ſed aliquãto fortiores in doſi quàm in uere.Terebinthina etiã eſt in frequenti uſu,& à multis mirum in modũ cõmendata.Per exterius mẽbra confortantur poſt factas euacuationes:cum lotionibus circa pedes,genua,& crura. Recip.abſinthij,camomillæ ana m.1.ſalis unc.2.bulliant omnia in duabus partibus uini nigri,& una parte aquę ferratæ ad conſumptionem medietatis.& bis in menſe fiat ablutio,& maximè aſſumptis pilulis , interpoſito tamen uno die.unctio etiam olei oliuarum antiqui pro unctione proderit:ut,Reci.ol.unc.6.Salis bene triti unc. 1. & miſce bene in mortario , & eo calido ungito loca debilia & iuncturas.Oleum omphacinũ maxime conducit.Aduertẽdum quoq; eſt quòd in tempore autũni medicinæ tam euacuatiuæ quàm confortatiuæ debent eſſe in maiori doſi quàm uere & ę tate.Ablutio in aqua marina & thermalibus , ferreis,aluminoſis , & ſulphureis commendatur.Alij laudant caligas ex pellibus uulpinis aut abaonis,id eſt,taſsi,tempore frigido.Cauteria ſumme laudantur infrà genu per 4.digitos,& tenere ea aperta.& mihi quoq; probantur. Et hæc de præſeruatione ſufficiant.Si fortè,quod deus auertat,dolor periodicus te inuaderet , tempore inſultus,laudo diętã ſubtilem:abſtinendum à carnibus,& à uino omnino.Poſtea laudo ut uomitus prouocetur rebus ut ſuprà.poſtea capere hunc ſyr.Rec.ſyr.roſati mellis roſ.col.ſyr.de ſtycados.ſ.ſpe.ana unc.s.Aquarum urticæ,lupulorũ,ſaluię ana unc.1.miſce.Aſſumptis quinq; ex his ſyrupis,capito has pilulas:Reci.pil.de hermodact.maioribus ſcrup. 2.agarici trochiſcati ſcrup.1.cum aqua ſaluiæ fiant pilu.num.5.Pro dolore laudo primo ſuccidã lanam ex optima oue,& calefiat cum oleo roſato ſecum infuſo,& ponatur calida ſuper iuncturas. Alia medicina eſt ex pinguedine anatis & duobus uitellis ouorũ cum oleo roſato & ceræ modico reductis ad formã linimenti.oleũ lumbricorum factum ex oleo roſ.cõducit ualde,& abluatur in optimo uino.Aliud linimentum factum ex fœnugræco.ſ.lini,camomillæ & oleo roſa.melle,cũ pauco aceti in formam emplaſtri,ſecundum artem.Folia ulmi cũ uino calefacta loco dolenti & tumenti appoſita conducũt.Oleum in quo decocta eſt uipera ſanat perfectè. Oleum uulpinũ decoctionis uulpis uiuæ commẽdatur. Mucilago pſilij cum ol.roſ.& camomil.eſt pręſtantiſsimum

mum. Laudatur etiam panis infusus in lacte uaccino cũ oleo rosato, camomillino, & casia, et duob. uitellis ouorum cum pauco croci, & hoc emplastrum ualet ad materiam pro parte fluxam, & partim fluxuram. Item ponatur fœnum græcum in uase cum aqua & pauco aceto, & coquatur quousq; dissoluatur in decoctione, & ponito mellis q.s. Aliqui laudant folia oliuæ bullita in proprio oleo, & fiat unctio ex eo calida. & dicũt quòd in omni tempore conducit. Item in principio quando dolor est uehemens capito uitella ouorũ cum oleo rosato, & pauco croci pro linimento. Non curo plura pro dolore, cum non fiat uehementissimus. Hæc sufficiũt & maximè si usus fueris præseruatione ut scripsimus, nec uolui deuenire ad aliqua opiata. Pro resolutiõe ponam præstantissimũ remedium in declinatione, uitella ouorum cocta dura in igne, & extensa super petiam cum croco superasperso. Item stercus uaccinũ cum oleo camomillæ dissolutum nõ parui est momenti. Et quia dolores hi solent redire, inuenerunt medici medicamentũ perfectè sanans si per annum integrum obseruetur. Est autẽ hoc: Recipe Rheupontici unc.1. agar. unc.2. petroselini Macedonici unc.4. meu unc.5. hypericon unc.6. gẽtianæ unc.7. aristoloch. unc.8. centaurij unc.9. Dosis est semper scrup.2. hoc pacto. incipito mense Ianuario per quinq; dies, & omni die scrup.2. in Februario totidẽ & tantundẽ. in Martio, per duos dies eandem quantitatẽ, continue hoc semper fiat. in Aprili duob. dieb. continuis. in Maio tribus diebus. in Iunio uno solo die, in Iulio duobus diebus, in Augusto uno die. Septembri duobus diebus, Octobri duobus, Nouembri duobus dieb. Decembri duobus diebus. Quicunque hoc sumit abstineat à suilla toto anno, leporina, fungis, sinapi & caulibus. Lauet sibi sæpe pedes aqua marina, si haberi potest: si non habere potest, fiat hoc pacto, ut Plinius scriptum reliquit in epistola ad amicos de medicina. Duo enim salis sextarij in 4. aquæ sextarios missi temporatissimum marinum liquorẽ facient: & pedes cum oleo & sale ungito. Abstineto quoq; à leguminibus, & imprimis à fabis. & non comedat capita piscium, nec cancros, nec ostreas, nec alios pisces, exceptis fluuiatilibus, & squamosis. Bononiæ pridie Nonis Ianuariis. Anno M. D. XXXVII.

## EPIST. LXVII. PRO AEGRITVDIne *melancholia innominata.*

OCcupationibus multorum negotiorum detentus, Reueren. præposite, non potui casum tuum ægritudinémq; satis difficilem scriptis mãdare, quæ qualisq; esset, & illam sic esse rationibus & signis ostendere, & causam seu ægritudinis materiam, & eius locum, etsi in capite per essentiam aut communitatem esset ut mens mea erat, enarrare: quæ potius mihi honori quàm tibi utilitati nemo est qui ignoret, cum eadẽ præcise remedia, quæ narrato casu, ad unguẽ perscripto & chartis mandato erant paranda pro tui salute, & scriptis mandanda, eo in mente mea reseruato parabuntur, literis mandabuntur: forsan Andreas Catanius compatriota tuus artium & medicinæ doctor excellentissimus, cum quo te iubente casum contuli, quo bene examinato & discusso in eadẽ sententiam uenimus in nullo discrepantes, narrabit essentiam ęgritudinis, causam, signa, locum, accidẽtia, cui maior temporis occasio fortasse concessa fuit: quanquam in casu capitulato remansimus, ut unusquisque aliqua scriberet remedia, quæ pro tui salute uiderentur utiliora & magis experta. Accipe igitur hæc paucula à me in similibus casibus experta, quæ ut tibi, sicut quibusdam aliis, conferant, & perfectam salutem deducãt omnipotentem Deum precor, rogo, ac deprecor. Habebis medicum excellẽtissimum Ioannem Thebaldum, pace aliorum dixerim omnium medicorum, qui Romãdiolam ac Marchiam inhabitãt, literis, experientia primarium, censorem remediorum nostrorum, qui ea diriget, administrabit, addendo, minuendo & pro libito suo alterãdo, ut melius & conducibilius ei uidebitur pro salute tua. In quo plurimũ confidere debes & potes. In primis itaq; digerendam materiã iudico tali digestiuo per multos dies assumẽdo: Reci. polypodij unc.4. buglossę, melissę ana m.1. ciperi, capparorũ, acori, assari ana unc.1. senæ, epithimi ana unc.2. seminis lactucæ, scariolæ, endiuiæ ana unc.2. pistentur omnia grosso modo præter epithimum & senæ, quæ dimittantur sicut sunt, & bulliant omnia alia pistata in libris 4. aquæ fluuial. donec consumpta sit medietas, & tunc in fine addantur senę & epith. & non bulliant, & dimittatur aqua cũ reb. in ea bullitis quasi infrigidari. & cùm aqua tepida fuerit, fricẽtur ea quæ sunt in aqua manib. fortiter, & quum fricata fuerint colentur, & in colatura illa addãtur lib.1. mel. ros. cum foliis, & iterum reducatur ad ignem, & permittatur aliquantulum bullire, postea iterum coletur & reponatur. Dentur de hoc syrup. calido omni mane stomacho ieiuno unc.3. cum unc.3. aquę decoctionis epithimi & mel. ros. co. usq; ad dies 7. uel. 9. Deinde recipiat hãc decoctionem: Rec. myrob. Ind. unc.1.s. pistentur & bulliant cum unc.2. prunorum siccorũ in unc.6. aquæ fluuialis, donec medietas sit comsumpta, deinde coletur, & de illa colatura sumatur q.s. ad dissoluendum unc.1.s. mãnæ masticinę electæ, & fiat potus, quem assumat mane in aurora, & parũ dormiat super eo. Aliam medicinam qua uti debetis scribã post acceptionem reiteratam digestiuorum suprascriptorũ, quia uariandę sunt medicinę in ægritudine chronica, ne natura uni assuescat medicamento, ut Auicen. in capi. de asmate. Nec uolo me extẽdere in autoritatibus, sed solum in paucis remediis rationalibus, & experientia comprobatis, in quibus maximè confidẽdum dixit Damascen. in aph. Medicina seu potio talis est: Reci. ellebori nigri scru.1. diagridij gran.3. pulerizẽtur & dimittantur per unam noctẽ in unc.1.s. Rob uini .i. sapę. mannæ masticinæ electæ unc.1. Deinde fiat eorum expressio quæ cum pręscripta mãna dissoluatur cum decoctione, prunorum q.s. & fiat potus, et detur ut suprà. nec debet esse graue postquam natura quieuit ad aliquot dies sic procedere interpolatè digerendo & euacuando, ut suprà dictum est. Deinceps confortãdum est cor, cerebrũ, & totum corpus hoc elect. subscripto, de quo assumatis mane & sero ante cibum ad quantitatem nucis: Rec. Serici combusti unc.s. corall. rub. drac.2. ossis de corde cerui drach.1. margaritarum non perforatarum, cardamomi ana drac.2.s. pinearũ mundatarum unc.3. hysopi, liq. ana drac.2. nucis muschatę, gariofil. folij, piperis longi, cubebarũ, galangæ ana scrup.2. cinnam. drach.2. macis drach.s. croci scrup.1. zuch. lib.3. coquantur simul & fiat elect. Post cuius elect. assumptionem bibat parũ uini albi odoriferi aliqualiter lymphati cum aqua fluuiali cocta. Sępe utatur syrup. sabor regis, unà cum aqua buglossæ ad libitum bibendo. Laudarem euacuationẽ per hæmorrhoidales uenas, ni territus ex alia iãdudũ facta euacuatione per uias illas quã sibi putat nocuisse, quod non credo, abhorret illam. Quam si non uult admittere, cum uidet eum robustum & carnosum, & secũdum uenas satis repletum, admittat post duas euacuationes factas, modo & forma superius descriptis phlebotomiam uenarum pedis, & maximè saluatellæ sinistri pedis. Consuescat assumere & bibere brodia gallinarum, carnium castrati iuuenis, similiter hœdi & pullorũ, & uitella ouorum. item & decoctionẽ ex farina ordei cũ ouis & sine ouis, ad libitum. Condiat omnia sua cibaria cum infrascripto puluere: Reci. cardamomi drach.2. Melechetæ, cubebæ ana drach.1. cinnamomi electi unc.s. macis scrup.s. croci gran.5. nucis musc. gariofil. folij ana scrup.1. Terantur & cribrentur, & fiat puluis. Bibat uinum album odoriferum, clarum, aquatum, cum tertia parte aquæ fluuialis coctæ, claræ. Hæc scripsi tanquam magis eligibilia in casu Reuerendi præpositi, quæ etiam physico clarissimo, qui ea approximare habet, nota sunt, sicut aliàs in simili casu simul uerba fecimus.

## EPIST. LXVIII. AD ZENOBIVM *Bartholinum patritium Florenti. de impotentia quadam uigilandi, & demacrandi modo.*

OBlata est nobis dispositio satis uerenda Mag. Patritij Florentini Zenobij Bartholini, quædã scilicet grauis somnolentia, qua cõtinue afficitur, & quasi ueterno quodam assiduè torquetur, non tamẽ profunde dormit, cum facilè excitetur, intérq; dormiẽdum difficile & crebrò spirat, cum difficultate non mediocri, brachiorum, & totius corporis magno conatu & motu, inspirationem attrahit, et cum magno deinde stertore expirat. Dolorem item spatularum ineunte die torquetur, incedénsque lumbos dolet, ut uix ad cẽtum passus progredi possit. Lingua item crassior facta est, quam cum labore mouet, ut uix sua uerba exprimere ualeat. Hæ sunt nobilissimi huius uiri dispositiones, de quibus quæritur causa & remedium, si quod fortę re-

periri poteſt.Et quia ut rectè inquit Gal.primo ad Glau. & tertio meth.med.naturam cuiuslibet ægri conſiderandam eſſe,quam ſi Gal.ipſe ad unguem explorare potuiſſet,talẽ qualis Aeſculapius fuit,ſe arbitratus fuiſſet. de ea primo inquirẽdum eſſet.Sed quoniam doctor ille excellentiſsimus:qui primus caſum ſcripſit,non minus doctè quàm eleganter temperaturam hominis atque naturam deſcripſit,nihil amplius de hac dicẽdum arbitror,& eo magis,quia hominẽ nõ agnouit.quos enim Galen.in ſanitate non cognouit,hos non uiſus eſt rectè iudicare potuiſſe,ut bene tangit Nicolus Florentinus in ſecundo de conſiderandis à medico antequam ferãt iudicium in prognoſticãdo.Prætermiſſa ergo naturali,& pręternaturali hominis temperatura,ueniemus ad cauſas ſomni diuturni,facile ſolubilis,explicãdas.Quomodo autẽ ſomnus poſsit eſſe prolixus,leuis,ſeu non profundus,declaratur à Gentili prima tertij capi.de ſubeth, & ſomno ex Gale.& Auic.autoritate.hócq; dupliciter fieri poſſe oſtenditur, uno modo quòd ſit coniunctus quibuſdam accidentib.ſimilib.accidẽtib.uigilarium,ut cum locutione,& motu & apertione quandoque palpebrarũ,& hoc poſsibile eſſe ex Galen.in libello de comate. Alio quòd ſit ſomnus purus,& perpetuus:& cũ homo clamat,uel tangit dormiẽtem,ſtatim euigilatur. & hoc eſt poſsibile, quia poteſt aliqua materia uaporoſa rara facere ſomnũ,quæ ſit multa,ſaltem per uiã renouationis,ſucceſsiuę euaporationis ad caput.Cũ ergo homo dormit propter talem materiam,non profunde dormit, quia materia ſtatim ceſſat ab oppilatione & obtuſione quam facit,cùm ſit ſubtilis & rara, & leuis: ſed tamen longo tempore paratus eſt dormire propter multam & ſucceſsiuam euaporationem.E diuerſo autẽ apparet, qualiter poteſt eſſe ſomnus profundus, non prolixus,quia põt eſſe materia frigida, humida,craſſa, ſed pauca,nullis accidẽtib.uigiliæ admixus:ideò poteſt cauſare ſomnum profundum & breuem, quod etiã innuit Dioſcor.4.lib.ca.de Mandrag.dicens:Dormit enim qui eã comedit,omni ſenſu,tribus aut 4.horis,ex quo eam hauſit,carens.utuntur & hoc medici ſecturi,uiſturiue aliquid.Serap.quocq; idem refert.Eſt ergo ægritudo huius nobilis uiri ferè ſimilis ægritudini quæ dicitur à principe 1.tertij de ſubeth aſſahari .Nicolus autẽ facit cap.de impotentia uigilãdi:quomodo autem ſit poſsibile quòd coniungantur ſubeth & uigilia,cùm ipſa priuatiuè opponãtur,Gent.optime declarat ibidem ca.de ſubeth.Nicol.etiam eadem quæ Gent.recẽſet.Gale.in introduct.pulſuum hanc paſsionem tangere uidetur,tex. 32.dicens.Eſt alia quędam paſsio quam mediam lethargię & phreneſeos oportet nominare,quaſi neutra carũ exiſtat.multoties enim claudũt oculos, & dormire uidentur,& ſtertunt,& reliqua,quæ ad longum habẽtur in tertio illo,quæ caſui noſtro congruũt. De alio autem accidenti commixto cum huiuſmodi ſomnolẽtia,inſpiratione,ſcilicet,difficulter attracta cũ magno brachiorũ & totius corporis conatu, & expiratione cum magno ſtertore,ſicut in præfocato euenire uidetur,non difficile eſt cauſam aſsignare.hæc enim indiſpoſitio cauſatur à uaporibus eleuatis à multitudine humorum dominantium in hoc corpore,maximè à ſanguine,quo plurimũ abundat,& eſt ueluti incubi ſpecies:quæ ut plurimũ fit à uaporibus ſanguineis & phlegmaticis,in quo ſpiritus anguſtiatur,& uox interſecatur,ut dicit Auic.Eſt igitur cauſa coniuncta,uapor exiſtens in parte poſteriori cerebri oppilans,cito reſolubilis, cùm non ſit multum denſus,qui tamen prohibet ſpiritum libere ad interiora deſcendere:unde fit ut membra debitis ſuis motibus careant, quia tunc,cùm pectus ad uarias dimenſiones moueri nequeat & dilatari, diaphragma cõſtringitur, & ab ipſo pulmo,à pulmone uerò cor.qua ex cauſa,cũ cor debite dilatari non poſsit,inſurgit conatus naturæ ad hãc iniuriam propulſandam.hanc pugnam optime deſcripſit Verg.ſub his uerſibus,quos nõ grauabor ſcribere,ſiquidem Io.Arcul.medicus excellentiſsi.eos non dedignatus eſt adducere in cap.de incubo.

Ac ueluti in ſomnis,oculos cum languida preſsit
Nocte quies,nequicquam auidos extendere curſus
Velle uidemur,& in mediis conatibus ægri
Succidimus,non lingua ualet,non corpore notæ
Sufficiunt uires,nec uox nec uerba ſequuntur.

In uigiliis autem hoc nõ euenit.cauſam tangit Gent. in cap.proprio.Barth.Montag.uir doctiſs.in conſ.10.loquendo de conturbatione in ſomno,dixit:altera uerò materiei pars in cerebro retenta,quibuſdam acutis uaporib.uel humoribus commixta,ſpiritus inficiens,eſt cauſa nocumenti in operationib.interiorum uirtutum euenientis,& eſt etiam cauſa conturbationis & corruptionis in ſomno prouenientis.qualẽ enim impreſsionem receperunt ſpiritus,talẽ repræſentant organis ſenſuum interiorũ.quare non eſt difficile uidere ex his,cur quandoq; in ſomno murmurat,& cõqueritur. De aliis autem accidentibus,dolore ſcilicet ſpatularum & lumborum facile eſt aſsignare cauſam, diſtillationem ſcilicet humoris à capite ad has partes.Ex quib.apparet,ꝙ nobilis iſte paratus eſt ad multas ægritudines,niſi cito ſuccurratur,ad paralyſim.ſ.ſi materia repſerit ad ſpõdylos & nucham,ad ſynanchiã,& ad ægritudines denicq;, quarũ anteceſſor eſt incub. apoplexiam.ſ.epilepſiam, uel maniã.linguæ etiam tumefactio,à materia à capite defluente procedit,attrahẽte etiam membri illius caliditate.Veniendo igitur ad curã,prætermittendo ſex rerum non naturalium regimen,de quo in conſ.1.optime dictum eſt.Laudo ut eo utatur regimine,quod probat Gal.in lib.de attenuãte diæta,cum multotiẽs in ſola illa (ut ipſe inquit)deſiſtant,nullo amplius pharmaco indigẽtes,chronicæ ægritudines.& quia in ſummè repletis imminet periculũ de morte ſubita,ut inquit Gal.ſuper aph.in exercitantib.hunc igitur bonũ habitum ſoluere oportet,quia non poterit in eodem quieſcere,ut inquit Hipp.& hoc cum phlebotomia,ex quo ex ipſa facta in eo,optime ſemper ſe habuit.fiat ergo ſecundum uirtutis tenorem,& maxime omni uere,iuxta Hippo.dictũ, Quibuſcunq; phlebotomia aut pharmacia cõfert, hos uere phlebotomare,&c.Cum ergo corpus hoc ſit ſummopere carnoſum,& athleticum, phlebotomia maximè conferet.Venæ enim ſectio,ut inquit ibi Gale.commune præſidium eſt earum quæ ex plenitudine fiunt, diſpoſitionum, præcipuè ex ſanguinis multitudine,ſicut in noſtro caſu.& fortè ſi fieret Autumno & uere nõ eſſet inutilis,conuenientibus conditionib.tactis à principe.Si quis uerò obiiciat nocumẽta prouenire nõ parua ex crebriori ſanguinis miſsione,Reſpondebo non in huiuſmodi corporib.illa intelligenda eſſe,ſed in corporib.frigidis,ut dixit Io.Damaſc.Nam corpora hęc etiam in ſenio conſtituta euacuãda ſunt per ſanguinis miſsionem,ſicut optimè tangit Gale.in libello ſuo de phlebotomia.dicit enim: ſeptuagenarios igitur phlebotomabis.eis quos dixi pulſibus præſentibus, cum diſpoſitio iuſſerit.Sunt enim ſecundum ætatẽ hanc quidam multi ſanguinis,cum robore uirtutis ſimul,quemadmodum alij ſicci,pauci ſanguinis,facilè nigreſcẽtis,cùm percuſſa eſt particula.Non attẽdas igitur in numero ſolo annorum,quẽadmodum nõnulli faciunt,ſed in corporis habitudine.& ſexagenarij quidã non adhuc tolerant phlebot.ſeptuagen.uerò tolerant.Auic.etiam ferè eadem de phlebo.ſenum recenſet,quamuis annorũ numerum,ſicuti Gale.non expreſſerit.Io.etiã Damaſc.in ſuis aph.uidetur concedere phlebo.plures in uno anno fieri poſſe. Dicit enim quib.in iuuẽtute quater in anno tantũ phlebotomari conſuetudo fuerit,horum in anno 40.ad ter phlebotomia reducenda,in 50.aut 60.ad ſemel conferendum:ulterius uerò omittendũ ex toto.& proſequitur: ſenes à 40.anno cephalicam uenam,à 50.medianã,à 60. baſilicam incidere deſinant.quamuis Dynus Floren.uir doctiſsi.cap.de phleb.in exp.Auic.textum Ioã.Damaſc. aliter adducat,in nume.36.dicta quæſtione,nam ille Io. Damaſc.in ſuis aph.ponit,quòd ſenes incidere deſinunt uenam cephalicam à ſexaginta annis,mediã à ſeptuaginta,baſilicam autẽ à 75.in caſu ergo noſtro,tuto phlebotomia fieri poterit ex baſilica,etiã ſi in 70.anno eſſet cõſtitutus.Tutius quoque fieri poteſt in hoc nobili cõſtituto in anno 45.nam non ſolùm in ætate primorum ſenum,ſed etiam ultra illam ætatem cõuenit.iccirco nõ ſolum ſemel in anno,ſed etiam bis fieri poteſt. Cur autẽ Io.Damaſc.prius præcipiat phleb.ex cephal.dimittendam,ſecundò autem ex mediana,tertiò ex baſil. Dynus ibidem rationem reddit,quam breuitatis cauſa dimitto.Laudo præterea ut etiam nobilis iſte utatur arte demacrandi obœſos,quam tradit Gale.14.de meth.med. necnon prius & clarius 6.de tuenda ualetudine, cum exemplo demacrati ab ipſo.& libro etiã de temperaturis.& Gal.cura & exẽplum propoſito noſtro facit,quia caſus Gal.fuit in carnoſo non in pingui:quapropter appellat eum craſſum & euſarcum,id eſt,bene carnoſum illum quem demacrauit.et huius opinionis eſt Iacobus

de part.

de pattibus,exp onẽs locum Gale.ab ipſo adductum.id ſit tenuãte uictu,minuta nutrimẽti in corpus digeſtione,quod aſsidua uentris deiectione cõficitur:aucta uerò per habitum,digeſtione,ſeu euaporatione.quæ cum acuta exercitatione in hoc uiro augeri nõ poſsit,id prçſtandum eſt frictionibus mollibus , & cum unguentis, quæ euaporandi uim habeãt,& laxum corpus efficiãt. omnis etiam cogitatio,ſi non adſit,adiungẽda uidetur. medicamentis quoq; interdum utendũ,quæ magnam diſsipandi uim habeant ac facultatem,quæque eo ipſo loco à Galeno connumerantur,& ſimilibus,quæ etiam in oleo quo ungitur incocta eſſe cõueniet.Cibus quoq; non ſtatim poſt frictionem exhibendus,ſed ſomno aliquanto interpoſito.balneandus itidem ante cibũ ſæpe, quæ quidem ex Gal.retulit Auic.3.primi,ca.de extenuatione craſsi,dicens:ipſius regimen eſt ut deſcenſus cibi à ſtomacho eius & inteſtinis,ſit uelox, ne compleatur meſeraicarum ſuctio in ipſo,& ut cibum ſumat,qui ſit magnæ quantitatis,& pauci nutrimenti,& frequenter balneetur antequam comedat,& exercitium feſtinum, & olea reſoluentia:et de electuariis,tryphera minor,& elect.de lacca,& theriaca,& ut ieiunans bibat acetum, & almyurum,& nos nominabimus hoc in decorationis dictione.ſ.fen.7.quarti.De cibis tamẽ utatur tendentibus ad ſiccum cum temperie caliditatis,uel ad frigiditatem ratione diſcraſiæ calidæ & humidæ,& uino utatur paucifero,et parce bibat,cauendo à potentiorib.uinis.& ſi princeps ſeptima quarti dicat:uinum potẽs in ieiunio bibitum extenuat rem:hoc non habet locum in carnoſis,ſed in pinguib.frigidis. Poſt omnem cibũ utatur aliquo uaporum compreſsiuo , ſicut diacitonite cũ zuccharo,& coriandis prçparatis cum pauco zuccharo,& aliquàdo cochleari uno granorũ paucæ uel nullæ acetoſitatis,ne difficultati anhelitus noceãt.Pro amplio ri etiam huius rei doctrina,tam circa regimẽ ſex rerum non naturaliũ,quàm medicamentorũ,facerent ea,quæ diffuſe relata ſunt à Matthæo de Grad.uiro inter recentiores doctiſsi.& expertiſsi.in conſilio 109. quæ pro R. D.Iacobo Bonromeo epiſcopo Papienſi & comite,pro macrefactione inducenda cõpoſuit,ubi ample de omni genere ciborum caſu conueniẽte agitur,& de medicamentis omnibus tam euacuatiuis , quàm exiccatiuis, cum pulueribus & cõfectionib.& cum exterius adhibitis.ego hominem adducere uolui,eſt enim , ut inquit Plin.animi ingenui,uelle profiteri per quos profeceris: ingrati uerò,malle in furto deprehendi,quàm mutuum reddere.Laudat etiã Matth.ipſe in cap.de hæmorrhoid. ſcoriã ferri præparatã cum modico uino ad humiditates ſuperfluas exiccandas,ad aperiendũ,ad demacrandum.modus præparationis habetur apud Meſ.& Mat. ipſe de hoc in capite de ulcerib.aurium,& in cap.de debilitate ſtom.recẽſet,& breuius quàm Meſ. Quomodo autem ſcoria ferri & eius limatura aperiant , cũ ferrum ſtypticæ ponatur tẽperaturæ,Matth.ipſe in ca.de dolore epatis ex oppil.declarat. Nicolus in 7.de extenuatione pinguis præcipuè laudat ſandaracam , & hæc duo ſunt ſecura remedia. Sed quia ſummis morbis ſumma exquiſitè remedia adhibenda ſunt,& maximè quia æger iamdiu perſeuerauit,cum forti remedio obuiãdum eſt,& ſuccurrendo primo membris mandãtibus,cum aquis thermalibus uim ſolutiuã habẽtibus , quæ in genere caliditatis nõ multum eleuarentur,quæ ferro,ſale, uel ſulphure,participarent,ſicut balneum de groſſo uiterbij,& ſicut balneum Caldenarum in agro Senarũ,& multa alia quæ reperiuntur in Italia. Et licet balnea hæc ratione ferri fortè pectori nocere alicui uidebuntur,tamen conuenient,quia plus participant ſulphure quàm ferro,quod probat uirtus ſolutiua in ipſis exiſtens.Sed ſi timor adſit,poterit uti aqua thermali alia nõ participante minera ferrea,ſicut illa de Ebano , de aquario , & etiã illa Porretana,quæ demacratos impinguat & pingues macrefacit.& quamuis uideantur calefacere,infrigidant tamen per accidẽs euacuando , ut dicitur de ſcamonea.Poſt potũ,poſſet ducia pro capite exhiberi,quç alumine & ſulphure participat , quæ duciæ ſunt multiplices in Italia,& illæ ſancti Philippi,& Petrioli in agro Senarum ſunt famoſç,ſed ſunt fortè nimis potẽtes:propter quod à debilioribus eſſet inchoandum,ſicuti præcipit Michaël Sauonius in caſu de balneo,et bene:& ob hoc,ducia illa ſanctæ Mariç in balneo,in agro foroliuiẽſi,quia non tantum eleuatur in caliditate,eſſet præſtantior.Illa etiam ſanctæ Helenæ in agro Patauino nõ eſſet inutilis,& ibi etiam eſſet aqua Ebani pro potu.dum duciam aſſumeret,poſſet balneari per totũ corpus in eadem aqua,poſtquam per aliquot dies duciam aſſumpſiſſet,& balnea hæc cõmendantur ab omnibus med. præcipuç à Nicolo in 7.loco allegato.ex balneo nanque hoc nõ ſolum fieret euaporatio multarum ſuperfluitatum,in caſu neceſſaria,ſed etiam ſudoris fieret prouocatio,quo plurimum ſolebat abundare:quo reſtricto peius ſe habuit,idcirco ipſum in prouocãdo debemus eſſe ſoliciti.dixit enim Auicenna 4.primi,cap.3.cúmq; uẽtris conſtrictio,qui fluere ſolebat,aliquam çgritudinẽ poſſidere fecerit,illius euacuatiõis reuerſio , plurimum ipſi medebitur.qui textus ſanè intelligitur de omni euacuatione conſueta reſtricta,quia quẽadmodum dixit Meſ. ad cuius eſſe ſequitur aliquid,ab eius abeſſe ſequitur deſtructio illius. De lingua tumefacta,uidetur morbus ille de quo Galen.primo de diff.morborum.Dicit enim, Vidimus linguam cuiuſdam mirum in modum auctã, idq; citra omnem ſenſum doloris,ut neq; ardema,neq; ſcyrrus,neq; phlegmone uideri poſsit. nam neq; excauata eſt premente digito,neq; ſenſum amiſit , neq; dolebat. ſed & hic affectus incrementum erat quoddam partium,ita ut ipſa partis eſſentia ab omni noxa uideretur immunis.Hoc etiam retulit 14.de meth.med.ubi pluribus uerbis curam adiecit,cum pilulis ſibi conſuetis , ex aloẽ , ſcamo.& colocynthide confectis, purgatione.Locali autẽ remedio,cum ſucco lactucç particulæ afflictæ impoſito,quod ex inſomnio ægri poſtea probatum eſt,prorſus eum ſanauit. eandem met hiſt.& curationem,Auic.6.tertij cap.de cura apoſtematũ linguæ, Gale.auth.recenſet ; etſi credam hæc remedia non fore neceſſaria,quia remota morbi cauſa tam membri mittentis quàm recipientis,morbus quoq; linguç ſine ullo remedio facto remouebitur.Et quia ſuperius dictũ eſt, medicinas extenuatorias conuenire,ſi libebit ex libro Dioſc.tanquam ex fonte eas haurire,poteris cum hiſce mederi , iride illyrica , hyſopo , pulegio,panace heraclea,artemiſia,chamçmelo,lapide hæmatite.cũ in ſomnum prociduũ expergefacies peucedano naribus ſubdito.ſpondylion etiam,id eſt,uerticularis herba,nõ minimi erit in hac diſpoſitione ſomnolenta præſidij. Hæc pauca habui Andrea Paſchalis mi,quæ in conſiliũ amici tui nobiliſsimi,quaſi extemporaliter ſcriberem. Parcas igitur quæſo,ſi parcius quàm exoptabas , & ego debebam,& cupiebam , in caſu hoc ſcriptum eſt. non enim licuit ſuppellectilem meam,id eſt,libros meos euoluere.multorum enim nobilium curis adeò diſtringor , ut neq; interſpirãdi ſæpe tempus detur.Vale,ſi quid aliud occurrat,iube,impera ; tibi enim addictus ſum , & autoratus,ut nulli magis. Vale.

FINIS EPISTOLARVM MEDI-
*cinalium* Ioannis Baptiſtæ
*Theodoſij.*

# IOAN. LANGII LEMBERGII, PRINCIPVM PALATINORVM RHENI &c. MEDICI, MEDICINALIVM EPISTOLARVM MISCELLANEA.

## PRAEFATIO, QVA LECTOri suam scribendi epistolas Medicinales occasionem recenset.

ELAPSIS iam plus minus triginta, candide Lector, annis, quũ relictis cultioribus Encyclopediç Musis, quas tũ Lipsiç profitebar, animum ad paulò seuerius Mediciną studium appulissem, & ne (quod Seneca inertis esse ingenij testatur) relictis fontibus riuulos sectari uiderer, dũ diuini Hippocratis, ac fidi eius interpretis Galeni, opera diurna nocturnáque lucubratione perlustrarem, reperi Galenum à suis de salubri uictus ratione præceptis, Germanos, his seueris uerbis, ne dicam conuiciis, excludere: Apud Germanos, inquit, ne nutriri quidem infantes contenderim, qui nuper editos infantulos, etiam ab utero adhuc calentes, in flumen egelidum deferunt. uerùm, inquit, nos neque Germanis, neque aliis agrestibus aut barbaris hominibus, hæc prodimus: non magis equidem quàm ursis, apris, leonibus, aut aliis id genus brutis: sed Grçcis, & iis qui tametsi genere sint barbari, Grçcorum tamen æmulantur studia. Cæterum quum Germanos uirilis animi fortitudine, ac corporis robore Græcis uel præstare, uel saltem non impares esse, ingeniíque præclaris dotibus ad bonas capessendas literas nullis nationibus esse secundos, probè scirem: arbitrabar Galenum his uerbis saltem barbarũ in educandis infantulis Germanorũ morem incessere, quos Strabo & diuus Gregorius Nazianzenus tradunt, exploraturos an fœtus legitimo thoro conceptus sit, infantem fasciis constrictum, in Rheni fluentis alueũ præcipitare: qui si pessum iuerit, pro notho ac spurio repudiatur: si uerò sospes emerserit, pro legitimo educatur. Vnde Nicobolus ad patrem ita scribit.

*Cur Galenus Medicinã Germanis non scripsit, lib. 1. de salubribus.*

*Agrestis infantulorũ Germaniæ educatio.*

*Strabo in Geograph.*

*In Epigrãmati. Gregro. Nazianzeni.*

- εἰ δὲ λιλαίεαι
τερποίμην, παίδων με τεῶν ἄπο τηλόθι ῥίψον,
ὡς νόθον, ὀυγγύ⁊ ἔῃνε λιγιδίυτα ῥέεθροις.

Id est: Si uerò malis
Delecter, è liberis me tuis procul abiice,
Velut spurium, nobilis Rheni probatum fluentis.

At postquam ex Bononia, sacro tum bonarũ artium, tum medicinæ ac iurisprudentię Musæo, in Germaniam redieram, comperi quosdam Medicos, mira artis ostentatione elatos, ex solius putridi lotij inspectione, uelut uatidicas ex crystallo anus, de substãtia & interna morbi causa temerè pronunciare ausos: ac de ægrotantis salute uel exitio, tanquam ex Delphica Apollinis tripode, uaticinari, ne dicam perfricta fronte nugari in discernẽdis uerò morborum causis, ac ex horũ indicationibus, in recta curationis methodo instituenda, quam Hippocrates & Galenus docuerunt, adeò cæcutire & aberrare, ut Galenum illis nõ sua medendi præcepta scripsisse, nec ea hos logiatros uel saltem per transennam uidisse, rectè iurares. Comperi quoque de Medicorum sorte, aliud crudele Chirurgicorum uulgus, omnium literarum ignarum, ac prorsus ἀναλφάβητον, qui nec ullis instrumentis luxata membra instaurare norunt: quæ si forsan quouis uiolento impulsu, uel carnificis industria, fortè fortuna instaurauerint, tum uideas, quanta tyrannide, & contra omnem ueterum methodum, etiam sine glossocomio (quod nec unquam uiderunt) membra reducta quotidie adeò contorquere atque diuellere pergant, ut non rarò rursus de suo acetabulo excidant. Certè hac ratione eos non luxata, sed intolerabilem dolorẽ instaurare, rectius affirmares. Quid multis? Certè id quod de adulatoribus quidam dixit, in eos rectè detorqueri potest: Prçstare incidere coruos, quàm huius farinæ Chirurgis uitam, uel corpus committere.

*Temerariũ Medicorum ex urina uaticinium.*

*Chirurgicorum imperitia & crudelitas.*

*De glossocomio Hipp. lib. 2. de Fracturis.*

*Nam corui solum mortuos lancinant, sed Chirurgici uiuos.*

Atqui quum ignorãtia nihil sit audacius, longè atrocius illorum uideas facinus, qui cum linguam ægrotantis febrili causonis ardore arescentem & fuscam cõspexerint, quem morbum ob linguę fuscedinem, in qua morbi causam subsistere arbitrantur, die breun appellant: hic neglecta febris ægrum interempturæ cura, tædet & pudet me referre, quàm malè olentibus medicamentis scabriciem linguæ detergere ac humectare singulis horis, non extincta febre, frustra satagunt: hic stercoris equini diluto, alter è cõtusis cancris cremore, linguam eluit: & panno rubro, & aspero quidem, nõ tam defæcat quàm excorticat. Mehercle, si Poëtis credere fas est, uultures apud inferos Titij amatoris iecur nõ ita diuellunt, ut isti balatrones linguam febricitantium cõtinuo affrictu lancinant, & emacerant. At, bone Deus, si stulta illorũ in phlegmonis erysipelatodis, uel in ipsius erysipelatis puri curatione consilia, seuerus ille morum censor Cato, aut Crassus ille ἀγέλαστος (qui semel tantum in uita, dum spinosos duris labris asinum edentem carduos uidisset, risisse fertur) audirẽt, certè à risu sibi temperare non possent, etiamsi labra mordicùs apprehenderent. Nam si alicui macula uel exanthema rubeum eruperit, etiam citra febrẽ, quæ cum erysipelate & bubone sępe coincidere solet, quod ipsi à colore rothlauff indigitant: confestim ægro in perpetuum humectationi, lauacris, capitisque lotioni interdicunt. Vnde crebrò habebis quosdã proceres impexis capillis obuios, qui in uiginti annis caput non abluerint: & ægros ita sordidos, qui in tota uniuersali ęgritudinis periodo nec manus lauerint, nec recens lota, quantumuis sicca, linteamina sibi substrauerint. At si quis in cubiti gibbero, uel genu, aut quouis alio neruoso corporis articulo, cæsim uel punctim sauciatus fuerit, & tandem ob doloris acuitatem phlegmon uulnus, ex humorum affluxu, obsederit, læsúsque febre ita æstuet, ut calor naturalis uigórque membri humorum alluuium concoquere non possint: quum ex uulnere pro uera sanie alba & lactea, aquosum ἰχῶρα sero lactis simillimum emanare uiderint, mox exclamant, esse genuini ex articulo humoris effluuium, quem gliduuasser appellãt: quum in omnibus totius corporeæ molis articulis non tantũ subsit humoris, quantũ uno die & nocte ex tali uulnere apostemoso effluit. At hic non curata prius (quod recta Methodus exigit) uulneris phlegmone, nec habita febris ratione ulla, insignem uideas illorum in sistendo ichoris profluuio amentiam. hic, unguentum de baccis populi nigræ, in sartagine feruefactum, uulneri infundit: ille exemptis de equorum ephippio capreolarum pilis, ulceris osculum obstruit, quo fit ut humor ille crudus subter cutem totum membrum perreptet, neruósque putrefaciat, & musculorum thoros excedat. Non dissimili dementia in pulueris ex halinitropyrij extinctione desipiunt, quo sphærulas ex ære cyprio uel ferro conflatas machinis pyrobolis in hostes eiaculamus, quorum nulla ratione effic̃ta remedia, in Epistolis nostris satis supérque confutauimus. At illorum execrabilis in curanda occulta cranei fractura error, est isto longè periculosior; quòd, si cute illæsa, ictu lapidis, uel teli obtusi, aut ex alto & præcipiti loco casu, ita disruptum aut fissum fuerit, ut per cranei rimulas ichor sanguinis super cerebri panniculos destillauerit, nisi cute ad X characteris effigiem dissecta, craneum trepano ἀβαπτίστῳ perforaueris, ut influxi humoris uapores exhalare, ac noxia suppurationis recrementa cerebrum eructare possit: certè necesse est, prohibita transpiratione, humores intra craneũ computrescere, & ægrum conuulsione aut sphacelo perire. Hæc quidem, quum sint omnium bonarũ artium ignari, & hirundinibus indociliores, doceri non possint: necesse est inexpiabili horum inscitia, præcipuè in bellis, multa homi

*Exitialis Chirurgicorũ in causonis cura error.*

*Der Empiricorũ breun.*

*Empiricorum in cura erysipelatis, id est, rothlauffs, amentia.*

*Chirurgicorum in curandis articulorũ cũ phlegmone uulneribus temeritas.*

*Der ungelertẽ uuundartzetẽ falsch gliduuasser.*

*Der scherer puluerleschung.*

*Chirurgicorum in curãda cranei fractura, ignorãtia.*

*Quid sit cerebri sphacelus, Hipp. li. 7. Aphor. 50.*

*Multa milia hominũ, Empiricorum temeritate quotannis perire.*

ta hominum milia perire quotannis. Proinde, candide Lector, sanctè deierare ausim, non rarò, quum inter milites causon uel dysenteria grassatur, ut nuper bis in Vngaria accidit, aut si febris aliqua Epidemialis, qualis sudor ille Anglicus, incrudescit, plures Empiricorum temeritate, quàm morbo, aut hostis gladio interimi. Tuam, Lector, obtestor fidem, dic quæso, quot hominum milia credis illum sceleratum chirurgicum occidisse, sua nephanda curandæ febris illius sudorulentæ Methodo, quam in morbi ignoti principio, temerario ausu, inuulgauerat? Numerus omnem fidem superat. urbs Parisiorum populosissima non tot alit incolas. Quis non ab imo pectore ingemisceret, Medicinam, tam sacrosanctum Dei donum, auaritia & ignorantia pseudomedicorum in hominum perniciem conuerti? salutare summi Dei donum anus uatidicas, sycophantas quoque, & agyrtas, suis imposturis, arte Magica & idololatriæ superititionibus ac incantamentis, ita prophanare & conspurcare, ut nulla sit artium, quæ tot impiis scateat superstitionibus? Quis pius bonúsque æquo feret animo? Certè nullus: nisi præfecti aut magistratus δωροφάγοι, qui accepta turpi pecuniola, hæc Medicinæ monstra, & Iudæos perfidos, in perniciem subditorum alunt, fouent, & tuentur: quibus solis fas est, subditorum marsupia fœnore exhaurire: & corpora Christianorum per medicamenta inexperta, uita, uel sanitate saltem spoliare: & sollicitos ægrorum animos, eorum incantamentis & sceleratis superstitionibus, à ueri Dei cultu, qui omnium sanat languores, ad idololatriam, perfida recuperandæ sanitatis spe, deflectere. Misertus itaque ægrorum, quos è tonstrina Chirurgici cauticis eorum medicamentis, & crudeli luxata instaurandi carnificina adeò efflictim emacerant, ut subiecti quæstionibus carnificis torturam leuius ferrent: quos denique indocti & barbari ex pagis & monachorum cœnobiis, ac Iudæorum synagoga, pseudomedici, sua imperitia & ignotis medicamentorum uiribus, ita impunè conniuente magistratu, perimunt, ut hos quispiam in Germania funesto & lugubri infinitorum mortalium fato libitinam exercere rectè dixerit: ut igitur miseros hos ægros ab illorum carnificina & fraudulentis imposturis asserere possem, quamuis negotiorum cumulo penè obrutus, & ęrumnosis ægrorum curis multifariam districtus has quas uides Medicinales epistolas obiter conscripsi, in quibus quosdam his triobolaribus Medicis, quorum tota ars ex urinæ indicio dependet, ignotos morbos, rectámque curandi methodum declarare statui: & perniciosas ueteratorum in medendo fraudes, quibus loculos decumbentium exhauriunt, mortémque ægrotantium intempestiuam accelerant, detegere: & nihil illorum obtrectationes, conuicia, aut calumnias ueritus, me illorum inuidię libenter exponere, quæ mihi uirtutis studiíque calcar erit. Verùm confido, ad tam pios & reipublicę utiles ac necessarios conatus, operam, fauorem & studium Medicorũ, qui candidè & syncerè docti sunt, non defuturum: qui singulari eorum, & satis dudum spectata eruditione, qua medicinam barbarorum & sophistarum magis conspurcatam, plurimùm illustrarũt, etiam hanc meam operam non promouere modò, sed enixè adiuuare poterunt. Vale.

*Empiricorũ temeritas plures in sudore Anglico quàm morbus interemit.*

*Sincera Medicina, Magia, superstitione & idololatria defœdata.*

*Magistratus δωροφάγος, id est, munerum deuorator.*

*Pseudomedici, monachi, & parochiani, medẽdo libitinam exercent & promouent.*

*Inuidia, studij & uirtutis calcar & incitabulum.*

*Autoris in doctos Medicos confidentia.*

## IN PSEVDOMEDICOS, QVI *suis imposturis Medicinam defœdant. Epistola I.*

NVdiustertius ad cœnam mihi in horto tuo condictam libens accesi, in qua cum non modò animi conuiuarum omnifaria florum, herbarum & fructuum amœnitate, Musicésque harmonia refocillarentur, sed & corporis uires lauto ferculaorum apparatu reficerentur, ac dum secundæ mensæ bellaria afferentur: tum Aristarchus, conuiuiorum commoda dicturus, Non temerè (inquit) Homerus, meus ille amasius, toties conuiuia in Troiano bello inter Heroas celebrata commemorat: & Lycurgus, ut Laconum iuuentus in publico sobriè conuiuaretur, edixit. Est sanè conuiuium commilitonum homelia alacritatis animi pabulum, amicitiæ philtrum, & beneuolentiæ parens. Ob idque Brachmanas Indorum philosophos, antequã cubitum cõcederent, ex phiala Tantali, quæ ex eius statua iugi liquoris scaturigine referta semper fuit, instaurandæ amicitiæ gratia bibisse fertur. Itaque ut uno uerbo (inquit Aristarchus) dicam, conuiuium sobriè institutum, præsens animi corporisque esse pharmacum testabor. Quánam igitur quæso medela, affectus animi edaces, morbis corporis grauiores, melius quàm φιλοτησίας poculis curabis? proinde ait Zeno philosophus, ut lupini amari crebra aquarum aspergine macerati, dulcescunt: sic animus uino irrigatus mitescit. & Galenus, λύπας ἀπασίας καὶ δυσθυμίας κουφίζει οἶνος πινόμενος: Tristitiam & mœrorem uinum sobriè bibitum alleuiat omnem. Præterea ut ellychnium lampadis olei fomento conseruatur: sic genuinus humani corporis calor, humiditas, & uires, quę continua & occulta corporis exhalatione fatiscũt, salubri potus & cibi pabulo conseruantur: quibus uel maximè inculpata corporis sanitas cõstat, qua nihil præstantius excogitari potest, quam nec cũ omnibus Crœsi diuitiis, uel auriferi Tagi arenis commutare posis. Cuius pæana & laudem Amphion Sicyonius poëta his uersibus scitè decantauit.

*Philostrat. lib. 3. & Hieronymus cõtra Iouinian.*

*Galenus in li. Animam corporis sequi tẽperaturam.*

*Sanitatis encomium.*

Μετὰ σοῦ μάκαιρα ὑγεία τέθηλε πάντα,
καὶ λάμπει χαρίτων ἔαρ, σέθεν δὲ χωρὶς
οὔτις εὐδαίμων. Id est:

O beata sanitas, te præsente amœnum
Gratiis uer floret, absque te nemo beatus.

*Athen. lib. ultimo Dipnosoph.*

In confesso igitur est, sanitatẽ salubri cõuiuiorũ diæta cõseruari, & Medicorũ pharmaciis defectã instaurari. Ob id Herophilus φάρμακα, inquit, καὶ τὸν χρώμενον ὀρθῶς συνετὸν σχῇ, οἷον περ θεῶν χεῖρες εἰσι. Id est: Pharmaca, si qs illis utẽs rectè prudens contigerit, auxiliares sunt deorũ manus. Quare ô coepulones perchari, inquit Aristarchus, ut tantis támq; præclaris conuiuiorũ donis rectè frueremini, nũquã à cõuiuiis uestris deberet abesse Medicus, qui salubrem uictus rationem, & obsoniorum uires uobis præscriberet: quo munere, suo more, Langius in hoc conuiuio præclare defunctus est. Tandem ego: O Aristarche, respondi, non me, nec alios Medicinæ peritos huius uel officij uel laboris tęderet, si non uulgus, pseudomedicorũ imposturis perculsus, à consiliis Medicorũ ita absterreretur, ut non prius, quàm iam animam efflaturus, cum morte conflictetur, medicos consulat. Istos sanè personatis tragœdiarum histrionibus simillimos Hippocrates rectè asseruit. Nam ut illi habitu, gestibus, uestitúque personam regis aut heroum referunt, quos non esse constat: sic illi pseudomedici ueste holoserica, annulis, rubróq; pileo decori, falsa & ficta artis ostentatione apud ignobile uulgus, indoctósque proceres, titulum personámque Medici sibi uendicant: quam si illis exutis ademeris, sub illorum persona aut Iudæum perfidum, aut monachum apostatam, uel omnium bonarum artium ignarum parochianum, agyrtas, ardelionem, aut anus incantatrices, ac id genus farinæ hominum, latére deprehendes, qui nihil non audent, quò ab afflictis ægris per fas & nefas pecuniam emungant. O sceleratum pecuniæ aucupium, quid non mortalia pectora cogis audere? Hi sacrosanctam Medicinam, præclarum summi Dei donum, temerariis ex urina de morbis uaticiniis, ac nefariis superstitionũ nugis & incantationibus, conspurcare nõ erubescunt. His accedit tandem Magia, quæ astrologiam & medicinam in suum asciuit consortium: quos non obsecro morbos curare, quæ denique præstigia & intempestates, herbarum, radicum, lapidúmque uiribus, sub stato lunæ & stellarum ortu adaptatarum, sese non efficere posse promittant? His fascinare, his dæmones cogere, his denique irata deorum numina litari posse, perfricta fronte nugantur. Si Gygis quæris annulum, quo rex ille se inuisibilẽ reddidit: promissus quidem, sed citra fidem, non deerit. His Magiæ nugis Medicina adeò defœdata est, ut nulla sit artium, quæ adeò confertim erroribus & superstitionibus scateat, ac illa nobis cœlitùs data Medicina. Hercules certè minori labore Augis purgauit stabulum, quàm aliquis, quantumuis doctus, Medicinam à tot mendis elueret & expurgaret. His dictis, Symposiarcha unà cum omnibus conuiuis petebat, ut id laboris subirem: sed ob quas causas id facere distulerim, sequens explicabit Epistola.

*Pharmaca deorũ manus. Gale. lib. 6. de Comp. phar. κατὰ τόπους.*

*Scita pseudomedicorum cum tragœdiarũ personis cõparatio. Hipp. in Lege sua.*

*Medicina Magiæ permixta. Pli. li. 30. ca. 1. et lib. 29. cap. 1. & li. 28. capi. 2. Philostrat. lib. 7. in uita Apollonij. Nicodemus in suo Euangelio. Orpheus in libel. de Lapidib. et Thebi. philosophus.*

*De Gygis regis Lydorum annulo, Plato lib. 2. de iusto. Philostr. in uita Apollonij.*

EPISTOLA SECVNDA DOcet, quàm difficile ſit, Medicinam ab erroribus & ſuperſtitionibus uindicare.

GRauiter quidem, mi Franciſce, proximis tuis literis expoſtulaſti mecum, quid ita præter promiſſa cunctarer, Medicinam ab erroribus & impoſturis & ſuperſtitionibus uindicare. Fateor quidem, id me facturum, in Sympoſio quodam recepiſſe: ſed cum promiſſa præſtare uellem, non experta prius operis difficultas, me ob has cauſas deterruit. Primùm quòd bona pars Medicorum in falſis barbarorum opinionibus adeò conſenuerit, ut ſcyrrum quamuis durum citius digeras, quàm inueteratas illorū opiniones, à puero conceptas, ex animo eriperes. Quo ſanè ſemel odore teſta recens imbuta fuerit, hunc non facilè elues. ἔστι δ', ait Gal. οὐδεμία βαφὴ δυσσοποιὸς οὕτως, ὡς τὸ τῶν ἄνευ λογισμοῦ πρὸς τὰ μοχθηρὰ δογμάτα πάθος, οὐ γάρ ἐστι μεταπεῖσαι τοὺς ἐν αὐτοῖς τραφέντας: Nulla eſt tinctura adeò inelubilis, ut ad falſa, citra rationis iudicium, dogmata, animi affectio: quæ in his educatis, diſſuadere non poteris. Non temerè Timotheus, celebris Muſicus, à diſcipulis prius malè inſtructis, geminam poſtulabat mercedem, quum geminum docendi & dediſcendi laborem ſubire cogeretur: quàm Medicus æquius à diſcipulis Medicinæ, perperam inſtructis, efflagitaret. Nam quum Medicina omnifaria ingenuarum artium eruditione, longæua rerum experientia confirmata, conſtet: Muſica uerò ſola concinna uocum & numerorum harmonia & proportione perficiatur: quis non fatebitur, Medicum, dum rectè docet, falſa corrigit, biſque quaterque plus laboris, ne dicam periculi, quàm muſicum ſufferre? Nemo planè negabit, niſi rationis impos. Deinde quum magiſtratus & proceres, acceptam à Iudæis & reliquis Medicis ἀδοξοσόφοις parua pecunia, liberè in corpore ſubditorum graſſari, eóſque non tondere, ſed deglubere permittant: hac magiſtratuum indulgentia effectum eſt, ut nulla ſit lex (teſte Plinio) quæ capitalem Medicorum inſcitiam puniat: ſolique Medico hominem occidere, & Iudæis in corporibus Chriſtianorum experimenta per mortes agere, impunè liceat. Hac impunitate freti monachi apoſtatæ, agyrtæ, ambubaiarum collegia, balatrones, anus incantatrices, denique carnifices, & qui paterna abligurierint bona, inſtar Aeſchinis Socratici, ex arte Myrepſica alimoniam quærentes, in hanc ſacram Medicinæ profeſsionem gregatim irrepſerunt: quam ſuis incantationibus, ſuperſtitionum præſtigiis & nugis, adeò defœdarunt, ut nulla ſit artium quæ ex illorum ignorantia tot ſit ſuperſtitionibus & erroribus referta. Cuinam, obſecro te, Aeſculapius, uel ipſe Medicinæ inuentor Apollo, tantas ingenii ſuppeditabit uires, ut illorum aniles opiniones, magicáſque ſuperſtitiones & errores homicidii ſanguine pollutos, extirpare poſſet? arenas maris citius enumerares, quàm illorum inſcitiam denſa ignorantię caligine obſeptā emendares. οὕτω γὰρ, inquit Galenus, δυσσωποιόν τι πρᾶγμα ἐστὶν ἀμαθία σφόδρα, καὶ μᾶλλον ὅταν ἀλαζονίᾳ μιχθῇ: Adeò ineluibile uitium eſt ignorantia magna, præcipuè ſi arrogantiæ permixta fuerit. His ſanè ſciolis arrogantiores eſſe ſcio nullos, qui ita de ſuis glorictur remediis, ac ſua adulatione ignobile ineſcare uulgus, ſuámque ignorantiam inceſſus grauitate, annulorum oſtentatione, ueſtium faſtu celare poſsint. His rectè cum Phauorino dicere poſsis: Pallium & barbam uideo, Medicum philoſophum non uideo. Poſtremò, quæſo te, qua ratione illorum morbo aut ignorantiæ medeberis? qui ex compoſito eam celant? Vadimonium deſerere (crede mihi) minoris æſtimant, quàm ignorantiam ingenuè fateri, id quod maximè illorum inſcitiam prodit. Quo enim quiſque eſt doctior, eo minus errorem fateri eum pudet. Nam & Hippocrates, ille medicorum coryphęus, ſe ſuturis cranei deceptum fuiſſe, fateri non erubuit: More (inquit Cornelius Celſus) magnorum uirorum, fiduciam & peritiam magnarum rerum habentiū. Nam leuia ingenia, quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt. Magno ingenio, multáque nihilominus habituro: conuenit etiam ſimplex ueri erroris confeſsio. Nam his, cum ſint in barbarorum ſectis educati, totiúſque philoſophiæ expertes, ignorantia ita aciem mentis & rectum rationis iudicium perſtrinxit, ut ſuam ignorantiam agnoſcere non poſsint, & in ueri cognitione planè cæcutiant. ψευδεῖς γὰρ δόξαι προκαταλαμβάνουσαι τὰς ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων, οὐ μόνον κωφοὺς, ἀλλὰ καὶ τυφλοὺς ἐργάσονται. Id eſt, Falſę opiniones obſidentes animas hominum, eos non modò ſurdos, ſed & cæcos reddunt. Hæc dum in animum reuoco, promiſsi me pœnitet. Tamen beneuolentia doctorum uirorum fretus, cotis uice fungar: & ſi promiſſa non præſtitero, erit tamen aliquid prodire tenus, ſi non datur ultrà: & uiri boni, uoluntate mea ſaturabuntur.

*Prima deprauatæ Medicinæ ratio.*
*Gal. in li. 1. de cog. & cura paſſ. animæ.*
*Lib. 1. de diſpnœa.*
*Quintilianus.*
*Altera deprauatæ Medicinæ ratio.*
*Plin. lib. 29. cap. 1.*
*De Aeſchine Socratico Athenæus in fine lib. 3.*
*Gale. hæc lib. 13. Therapeuticæ aut Methodi.*
*Tertia deprauatæ Medici. ratio difficilis correctionis.*
*Doctos non pudet fateri errorem.*
*Corn. Celſus libro 8. 4. cap.*
*Quintilianus libro 3.*
*Galenus in principio lib. 8. de Compoſi. phar. κατὰ τόπους.*

DE CHIRVRGICORVM IN curanda uulnerum apoſtematione imperitia. Epiſtola III.

*Corn. Celſus in Prolog. li. 1.*

TVis igitur admonitus literis, uela uentis committam, tu uerò oram ſoluenti felix auſpicium precare: auſpicaturus à uetuſtiſsima Medicinæ parte Chirurgia, quam primùm Aeſculapius, deinde eius filij Machaon & Podalirius, ac Chiron Achillis pręceptor, Troiani belli temporibus magno mortalium commodo domi foriſque in bello profeſsi ſunt: quæ cùm multarum rerum peritiam, tum maximè humani corporis conſtitutionis notitiam requirit: ſine qua nullus luxata inſtaurare, fracta coadunare, uenam aut apoſtema rectè incidere poteſt. Ob id poſt Hippocratem Herophilus & Eraſiſtratus, tanto ſtudio humani corporis fabricam ſcrutati ſunt, ut latrones morti addictos à regibus ex carcere impetratos, uiuos inciderint, quo uitali adhuc micante in corpore ſpiritu, illius organorum actiones, officia, colligantias, & conſtitutiones exactè dignoſcerent. At noſtri ſeculi Chirurgici, quum ſemel uitulum aut porcellum lanium exenterare uiderint, totius anatomiæ imperiti, non uerentur ineffabili quadā tyrannide in corpora hominum urendo & ſecando graſſari: quod cùm in aliis morbis, tum maximè in curanda uulnerum phlegmone, eorum imperitiam uidere licet. Nam ſi quādo forte fortuna caput aut finis muſculorum, tendo, circa articulos, arbitrarij motus organa ligamentis circūſepta, punctim uel cæſim læſa fuerint, tum ob dolorem & humorum colluuionem uulnus phlegmone inflāmatur: qua niſi prius rectè curata, fruſtra uulneri medeberis: & mēbrum læſum non tabeſcet modò cancræna, aut ſphacelo putreſcens emorietur, ſed & putridos per arterias & uenas ad cor & cerebrum exhalans uapores, & patiens inſomnis delirabit, & tandem ſpaſmo conficietur. Cæterùm cum nemo incognita curare poſsit, operepretium erit, ſingula apoſtemationis uulnerum accidētia pathognomonica ex Damocrate referre:

*Viuorū & mortuorū Anatomiæ neceſsitas.*

ὅταν μυὸς τρωθέντος, ἢ νεύρων τινῶν
ἢ καὶ νυγέντος ὑμένος ὀστέου
μετὰ τὴν τετάρτην ἡμέραν πύκνοι πόνοι,
καὶ φλεγμοναὶ, πυρετοὶ μετὰ συμπτωμάτων,
πολλῆς ἀγρυπνίας, παρακοπῆς, δίψους σφοδροῦ,
κατὰ γλώττης γίνηται πρόσθεσις,
κατ' ἡμέραν ῥέποντα πρὸς τὰ χείρονα
ἰχὼρ τρυγώδης, λεπτὸς, ἐρυθρὰ τραύματα,
ταῦτ' ἐγγὺς αὐτῶν πάντα ἔχοντα σώματα
ὀργὰς, διατάσεις, φλεγμονὰς, οἰδήματα.

Quamuis bona pars Medicorum cauſam phlegmonis uulnerum in corporis cacochymiam referunt, Damocrates tamen (me iudice) rectius in dolorem refert, qui ex muſculorum neruis & tendinibus uulneratis oboritur circa articulos, ſenſus & arbitrarij motus organa: quæ cum ferè nulla carne ſint cooperta, acutius ſentiunt, & ob id maiori dolore, quàm epigaſtrij muſculi carnoſi affliguntur: qui uelut cucurbitula omnifariam humorum alluuiem ad uulnus pellicit, quo tandem uulnus intumeſcens, tertio, aut plurimum quinto die phlegmone & aliis ſymptomatibus corripitur. Ob id Hippocrates libro 4. de Morbis inquit: Vlcera ſi curentur, maximè in diebus imparibus inflammantur. uenit enim tum humor ad omnes uenas, cum criſi turbatur: uenę autem repletæ, dolorem & calorem toti corpori inducunt. Proinde rectè tradit Damocrates, poſt quartum diem non ferendos dolores

*Vis doloris attractiua.*

lores in neruorum articulorúmque uulneribus, cum grauissimis symptomatibus incrudescere: qui dolores quum humorum affluxum ad uulnus proritent, quibus uenæ arteriæque circa articulorum musculos infarciantur: quid obstare poterit, quin doloris exacerbatione & sanguinis alluuio uulnus rubore, œdemate & phlegmone turgeat, & putredinis dolorisque æstu adeò efferueat, ut putridus ille calor per uenas & arterias cordi præcordiisque communicatus, tandem febrem continuam incendat, & linguam continua siti & ariditate emaceret? Nec cerebrum ab illius contagione intactum manet: quippe cum musculorum nerui à cerebro & eius medulla propagentur, necesse est id, lege consortii, musculorum & neruorum apostemationi compati. Quare dum morbus & dolor ingrauescit, patiens uigilia & delirio affligitur, & tandem spasmo diuellitur. quæ cuncta Galen. de Prænotionibus ex pulsu, lib. 4. his uerbis scitè complexus est, quæ, quum Græca Latinis plus energiæ & lepôris habeant, hic inserere placuit: οὐδὲν (ait) θαυμαστὸν οὐδὲ, διότι τοῖς κατὰ γαστέρα τινὰ ἢ θώρακα μυσὶ φλεγμήνασι πυρετοὶ ἑτοίμως ἔσονται. καὶ διὰ τοῦτο καὶ οἱ σφυγμοὶ μεγάλοι γίγνονται, καὶ ταχεῖς καὶ πυκνοί. τῶν δ' ἐν πήχει καὶ κνήμῃ μυῶν φλεγμηνάντων, καὶ μάλιστα καθ' ὃ μέρος αὐτῶν ἀπωφύκασιν οἱ τένοντες, ἑτοίμων μὲν ἀλῶναι καὶ σπασμῷ, ῥᾷστα δ' οἱ σφυγμοὶ τείνονταί τε καὶ σκληρύνονται. σαρκώδεις μὲν γὰρ οἱ περὶ τὸν θώρακα καὶ γαστέρα, νευρώδεις δ' ἱκανῶς οἱ τ' ἐν χερσὶ καὶ ποσί. ἔτι δὲ μᾶλλον εἴ τινων φλεγμαίνει τῶν κατὰ χεῖρας ἄκρας ἢ πόδας, ἑτοίμως μὲν σφυγμὸς αὐτοῖς γίνεται σκληρὸς, ἑτοίμως δὲ σπῶνται. Expositam satis clarè arbitror apostemati uulneris naturam, & symptomata, illorúmque causas: ex quibus Medicus physicus facilè totius curæ & remediorum indicationes depromere potest. Circa quæ mira Chirurgicorum imperitia manifestatur. nam quum (teste Galeno) in curando uulnere nihil sit prius, quàm prouidere ne phlegmone corripiatur: hi non modò quid phlegmon sit ignorant, sed nec musculorum aut tendinum aut articulorum compaginem & situm nouerunt. Nec principio neruorum, ne spasmo corripiatur, prouident: nec febris, qua totum corpus tabescit, rationem habent, quum uulneratis merum bibere uinum, cibariisque aromatum conditura præparatis liberè uesci permittant: nec uulneris apostemationem agnoscunt, donec pro sanie bene cocta liquorem fæculentum, oleagineum, & instar seri lactis tenuem ubertim emanare uiderint, quem Damocrates perbelle appellat ἰχῶρα τρυγώδην λεπτόν, Cornel. uerò Celsus hydropem & meliteram appellat: Est, inquit, quædam sanies, quæ uel hydrops, uel melitera appellatur. hydrops tenuis, subalbidus, ex malo ulcere exit: maximè ubi neruo læso, inflammatio subsecuta est. Melitera, crassior & glutinosior, subalbida, mellique albo subsimilis fertur: hæc quoque ex malis ulceribus, ubi nerui circa articulos læsi sunt, & inter hæc loca maximè ex genibus profluit. Quem liquorem, aut si mauis ἰχῶρα, nostrates Chirurgici ineptissimo uocabulo Aquam articulorum appellant, & esse arbitrantur: licet ex omnibus sane articulis, totius corporeæ molis, non tantum liquoris eliceres, quantum uel una die & nocte ichoris ex uulnere apostemato profluit. At nostrates scioli, hunc esse arbitrantur articulorum mucilaginem, quem natura (teste Hippocrate) illis indidit, ne continuo motu exiccarentur, & ut illius muci lubricitate facilius & sine offensa promouerentur. Audi obsecro illorum dementiam. Ne igitur talis ichor, quem ipsi congenitum articulis humorem arbitrantur, effluat incassum: pilis capreolarum, quibus ephippia equorum infarciūtur, osculum uulneris, apposito spleniorum fasciculo obstruunt: quo fit, cū sanies illa effluere non possit, ut subtercutanea totum perreptet membrum. tandem hoc semiputridum, obstructis uitalis spiritus meatibus, sphacelo emoritur. Dicere me pudet, sed dicam, quod hisce oculis uidi: Ambergæ chirurgum, unguentum populeonis in patella feruefactum, bulliens adhuc, uulneris osculo infundentem. à quo quum remedij rationem sciscitarer, Malis mala curari oportere, respondit. Tum patiens effusis lacrymis: Certè, inquit, tua remedia non mala tantum, sed pessima esse sentio. cui ego post biduum, abscisso serra brachio medebar. Hi si scirent, calorem naturalem, omnis humorum concoctionis in corpore, & saniei in ulceribus digestionis esse opificem, facilè intelligerent, qua ratione tanta crudorum humorum copia, ex inflammatis articulorum & neruorum uulneribus efflueret. Nam perinde ac in corpore hominis morituri, ulcera effœto calore naturali, nulla sanie bona madida, liuescunt: sic in his uulneratorum corporibus, in quibus congenitus corpori & membro calor, febris & phlegmonis æstu obrutus languet, nullam bonam posse produci saniem fateberis: quam sublata uulneris phlegmone & febre facilè produceret, ut tandem uulnus facilè curare possis. Sed quę sit uera curandi uulnerum inflammationis methodus, referre, Epistolæ compendium non fert: quam Hippocrates, & fidus illius interpres, cùm passim alibi, tum in libro quarto de Articulis, ac lib. 3. & 4. ac sexto Methodi, te docebunt: quam etiam in Consiliis nostris propediem publicandis leges. Vale, & de his boni consule quæso.

*Gal. li. 6. methodi id tradit.*

*Pollux lib. 4. hæc eadem.*

*Gale. in lib. de Tumoribus præter naturam. Cor. Celsus lib. 5. ca. 26. de saniei speciebus.*

*Chirurgicorū gliduuasser.*

*Lib. de Locis in homine, & de fracturis ossium.*

*Ridicula & perniciosa in uulnerū apostematione Chirurgicorū medicamenta.*

*Vlcera morituri cur sicca liuescunt.*

*Cor. Celsus libro 5.*

## IN CVRA CAVSONIS CHIrurgicorum temeritas. Epistola IIII.

NVper tuis literis Baro generose petiisti, ut quisnā fuisset morbus, qui duce Friderico comite Palatino (in cuius castris uterque nostrùm merebat) contra Machometicæ factionis Imperatorem in bellum profecto, in exercitu Romani Imperij ita populatim grassatus esset, ut ferè plures eo tum morbo quàm hostis gladio perierint, tibi iterum in bellum profecturo declararem. Quum itaque commilitoni amico mos gerendus sit, te celare non possum, fuisse alteram causonis speciem, ueteribus Medicis melius quàm nostratibus cognitam. Cuius prima species, si aëris sicca calidáque constitutio χολοποιὰ præcesserit, tunc ab ortu Pleiadum usque ad solstitium æstiuale magno mortalium exitio ingrauescit. cuius interna causa fertur cholera sanguini commixta, in maioribúsque circa cor, epar, uentriculum, ac non rarò circa pulmonem in uenis putrescens, feruentem illam febrem ab urendo καῦσον dictam, parit: cuius æstu lingua adusta nigrescit, patientémque sæuissimis symptomatibus, nempe cephalalgia, delirio, hæmorrhagia, phrenitide, & tandem uentris torminibus, & diarrhœa emacerat: & magis internè circa præcordia, siti intolerabili, quàm in extremis æstuat. At altera notha eius species hyberna, plurimum ab æquinoctio autumnali usque ad Pleiadum occasum, si australis aëris constitutio præcesserit, ingrauescit: cuius humore & frigore cholera, eius in uenis fomes, pituitæ permixta mitescit, ac longè præfatis mitiora symptomata parit, curatúque altera est longè facilior: & cum huius febris causa procatharica sit aëris constitutio, qui teste Hippocrate, communis est Epidemialium morborum causa, & hanc esse Epidemiæ aut Endematis morbum, contagionis lue infectum, quis inficiabitur? Nemo. Hic est ille morbus, qui autumni tempore in Pannonia milites præteritis annis toties debellauit, & crebrò populatim in Rheni accolas sæuit: quem uulgus ab accidente modò cephalalgiam, modò ob nigricantis linguæ colorem, fuscedinem ineptissimè appellant.

*Prima causonis species æstiua.*

*Hippoc. & Gale. lib. 1. & 2. Epidem. & lib. 1. de Morb. ac. lib. 4. Reg. acut. lib. 5. de Locis affectis. Gale. Diocles. Charist. ad Antig. regem.*

*Altera causonis species brumalis & hyberna.*

*Hipp. lib. 2. de Natura ho. et Gale. eius interpres lib. 1. Epidē. & lib. 2. de Dieta acutorum.*

Sed cur quotannis hoc morbo tot hominum millia pereunt, in promptu causa est. Nam dum hæc Epidemialis febris lues sæuit, tum præcipuè in castris, non naturæ & morbi peritus Medicus, sed indoctissimus quisque chirurgicus, qui nec causam nec substantiam morbi nouit, accersitur. Itaque in sola huius morbi cura millies chirurgicorum imperitia plures, quàm hostis gladio interimi, sanctè deierare ausim. Qui cum causam morbi & necis in fusco linguæ colore subsistere arbitrentur, quàm (Deus alme) fœda excogitant remedia, quibus linguam expoliant? Hic expresso de cancris succo, os patientis colluit: alter dissoluto equorum stercore, illius colatura linguam ægroti eluit. Taceo quòd nefas esse ducunt, alio quàm fusci aut rubei coloris panno, aut alio quàm prunorum fusci coloris ligno, linguam abstergere: ac si specialis in coloris similitudine subsisteret sympathia. O stulti, quando accidens, neglecta illius & morbi causa, curare satagitis: umbram quoque corporis creta dealbare frustra laborabitis. Hæc illorum temeritas, sanè eos prodit ignorare, quis sit in complicatis affectibus,

*Der ungelerten felthscherer bhreune.*

*Delira chirurgicorum in cura causonis remedia et imperitia.*

*Gal. lib. 3. Methodi, hos tres curationis scopos uberius declarat.*

quos

*Primus curandæ causonis scopus.*

quos Græci διαθέσεις appellant, curationis methodus, & indicationum ordo ac scopus: quorum primus à causa affectuum & morbi sumitur interna, quæ sui ablationem per contrarium indicat. Constat autem, morbum esse suorum symptomatum causam. Proinde febris illa feruens, cuius ardor salivalem linguæ humiditatem, qua ex adenibus irrigatur, exiccat, & atra incensi sanguinis fuligine linguam obfuscat, nigredinis linguæ causam esse, fateri oportet. quam nisi extinxeris, citius Aethiopem dealbabis, quàm linguam, nisi prius ablata febre, ab hac nigredine uindicaueris: qua non solum in causone, sed in quouis interno epatis erysipelate & inflammatione inficitur. Vnde Galenus γλῶσσα, inquit, μελαίνεται διὰ τὴν ἄμετρον θερμασίαν, ὥσπερ τοῖς ἡλιοθεροῦσι τὸ δέρμα. Alter uerò curationis scopus, eius sine quo non, habet. Sic puritas ac repletio in cura sordidi & caui ulceris, rationem eius sine quo non habet: nisi id à sordibus primùm expurgaueris, & deinde carne bona impleueris, frustra ulceris consolidationem molieris: & nisi prius ablata phlegmone, uulneri inflammato frustra medeberis. Tertius uerò curationis ordinum scopus, urgentium & accelerantium, curámque ad se attrahentium affectuum rationem habet: unde homini præcipuè imminet periculum, hic curam primùm ad se allicit: ut si ex puncto musculi capite immedicabilis conuulsio oborta fuerit, nerui per transuersum incisio, & in uenæ aut arteriæ hæmorrhagia, totius uasis per transuersum præcisio, curam uulneris anteuertit. Pariter, si luxatio cum ulcere, præcipuè phlegmone obsesso, in aliquo maiorum articulorum inciderit, uulnus sanamus: & luxationem intactam relinquere, periculum conuulsionis nos urget: sic syncopis & lipotomia primas curationis partes sibi despondent. Atqui cùm lingua in censu naturalium uitæ membrorum non sit, eius discoloratio nec causæ eius sine quo non, uel urgentis, rationem habere potest. Quippe cùm non equis modò, sed hominibus periuris linguam clauis affigere trunco, illiúsque primam præscindere partem, non in Germania tantum, uerùm & Bononiæ & in Hispaniis citra noxam uidi: & Galenus lib. 1. de differentiis morborum refert, quendam in magna corporis conuulsione primam linguæ partem mordicùs abscidisse, & demorsam citra sanitatis offensam deglutisse. At id æquè animaduersione dignum, quum in huius febris cura, post leuem alui deiectionem, & phlebotomiam, nulla in præcordiis existente phlegmone, præcipuè si concoctionis signa apparuerint, pauló liberaliori aquæ frigidæ, prius tamen, ne circa præcordia moretur, decoctæ potu, nullum sit præsentius remedium: ipsi uerò tanta siti ægros temerè macerant, qua nec maiorem sitibundus ille Tantalus apud inferos ferre cogitur. Quid multis? Præstaret incidere coruos, quàm se tam imperitis committere Medicis. illi in cadauer insensibile sæuiunt, at isti in uiuos grassantur: quos homicidii reos peragere meritò magistratus deberet. Verùm cum curandi causonis rectam methodum præter Arabes medicos, Hippocrates libro 3. Epidimiarum, & libro 4. de Ratione uictus in morbis acutis, Galenus in methodo, & eius simia Paulus Aegineta doctè conscripserint, præter Epistolæ decorum foret, eam hic repetere. Vale.

*De hac nigredine linguæ Gal. li. 4. de Diæta ac. & lib. 5. de Locis affect. lib. 1. Epid lib. 8. de doctrin. Hippocr. & Plat.*

*Alter generalis curationis scopus.*

*Tertius curationis scopus, & indicationum præstantia.*

*Cor. Cels. li. 5. & Hippocr. li. de Artic. & libro 3. de Fracturis, & medici uulnerarii officio.*

## IN CVRANDA CAECA *cranei fractura, cæca chirurgicorum amentia. Epistola V.*

*Historia de symptomatib. fracturæ cranei occultæ.*

SCribis, mi Auerbachi, amicorum optime, nuper oborto inter aulicos dissidio, equitem quendam Francisci tui affinis caput, iactu lapidis satis ponderosi sauciasse: quo ictus in terram postratus, aliorum subsidio eleuatus, quum domum rediisset, nares & aures illi cruentasse. Et quamuis uulnus quantitatem fabæ uix excederet, chirurgúsque tātillum uulnus ne pili quidem faceret, tertio tamen die choleram patientem euomuisse, oculos eius caligasse, linguáque balbutiente, pedes obtorpuisse, & corpus sensim febre lenta incaluisse: chirurgicum uerò horum omnium causam non in uulnus, sed pauló liberaliorem uini compotationem retulisse. Deinde uerò quinto die ingrauescēte febre, patientem epilepsiæ spasmo correptum, & toto sinistro correptum, & toto sinistro corporis latere resoluto, soporitero ueterno obtorpuisse, nec sibi tum mente constitisse: at tandem septimo die planè delirantem, subitò sideratum, obiisse: chirurgúmque eum non ob malam uulneris affectionem, sed apoplexia perditum, passim proclamasse: uerùm defuncti hæredes autorem uulneris, compedibus adhuc detētum, homicidii accusatum in ius uocasse. At reus pro tribunali causam dicturus, uulnus non fuisse mortis causam, chirurgum testatus est. Hæredes uerò chirurgum id dicere, ut fortasse suæ curationis imperitiam celaret, asseuerasse. Et quum Iurisconsultus non tantum de partu decemmestri, sed & de lethalis conditione uulneris Medicos doctos consulendos statuisset, affines interempti, ab Empirico medicos physicos appellasse. Proinde petis, senatus nomine, ut meum de causa mortis tui affinis iudicium declarare uelim. Et cum Senatus de me sit bene meritus, id laboris detrectare non possum: simúlque ut is intelligat quantum intersit reipublicæ, doctos habere & alere Medicos, rem pauló altius repetam. Multifarias esse in capitis uulneribus & contusionibus fracturarum cranei differētias & nomina, medici docti nouerunt: quarum una, quæ cæteris est periculosior, Cæca appellatur, quòd detrimenta eius, uisui non sint palàm obuia, nisi cute prius transuersis instar X literæ lineis incisa, locum cranei affectum detexeris, ad pericraneum usque. Quæ ut plurimum accidit, quum quis ab alto in caput ceciderit, aut id pauimento aut parieti cadens alliserit, aut lapide, fuste, telóue quouis obtuso ictum, conquassatúmue fuerit. quo fit, ut cute adhuc integra, uel parum uulnerata, caluaria, cerebri & sensus organorum conclaue, ictu depressa, ad cerebrū subsideat, illiúsq; membranam suturis cranei adhærētem, eiúsq; neruos comprimat. quo fit, ut lingua & mēbra arbitrarii motus organa, ad quæ nerui coarctati à cerebro uergūt, & spiritum animalem deferunt, παραλύσει torpeant, & ęger obmutescat, donec incisa cute caluaria tripodis instrumenti terebra attracta, eleuatáq; fuerit. At si caluaria casu uel quauis plaga conquassata & rupta dehiscit, tum nullo uel angusto existente cutis uulnere, sanguinis ἰχὼρ & sanies supra cerebri duriorē pelliculam defluit per rimas fracti cranei: quorū alluuione cerebrū & eius panniculus, asperitate partiū fracti cranei lęsus, phlegmone corripitur: & eo magis, si intus capitis cōcussione uena rupta sanguinem profuderit, qui extra sua uasa effusus, repentè coagulatur, & putrescens uirulentis suis uaporibus, cerebrum, illiúsq; arterias replet, & spiritū animalem sua cōtagione inficit & alterat. inde fit, ut febris incrudescat, patiénsq; deliret: & spasmo epilepsiæ crebrò conuulsus, stomachus lege consortii lęsus, cholerā euomat: patiénsq; obmutescens, tandem sideratus moriatur. Proinde rectè ait in Aphoris. Hippocrates: Quibuscunque cerebrum pręciditur, his necesse febrem & bilis uomitū accidere. Et lib. de Morbis 1. Si percussi, inquit, cerebrum conquassatū dolebit, percussus obmutescet, nec uidere nec audire poterit: si uerò uulneratum fuerit, febrem & cholerę uomitum superuenire, ac aliquā corporis partem siderari ac perire necesse est. Hæc fracti cranei symptomata si inciderint, spes uitæ in angusto erit: nisi tempestiuè cute incisa, depressa discooperti cranei ossa tripodis terebra eleuaueris, exasperata poliueris, fracta exemeris, ruptáque trepano ἀβαπτίστῳ perforata lenticulari scabro excideris, ut tandem per ampliatum caluariæ foramen, cerebrum, saniem & eius serum ἰχῶρα expurgare, & putridi uapores exhalare posint. Horum symptomatū causas, simúlque curandi methodum, Hippocrates Laconica sui uernaculi idiomatis breuitate ita explicuit: ἢν δὲ τὸ ὀστέον ῥαγῇ, καὶ ῥογμὴ ἐγγένηται, ἐπικίνδυνον τοῦτο πρίειν ὡς μὴ κατὰ τὴν ῥογμὴν τοῦ ὀστέου ἰχὼρ ῥέον, τὴν μήνιγγα σήπῃ. ὥστε γὰρ κατὰ στενὸν μὲν ἐσιὼν, ἐξιὼν δὲ, λυπέει, καὶ μαίνεσθαι ποιεῖ, τὸν ἄνθρωπον τοῦτον χρὴ ποιεῖν, ὡς ἔξοδος ᾖ τῷ ἰχῶρι, μὴ μοῦνον ἔσοδος, εὐρὺς διαπριστεὺς. καὶ φαρμάκοισι χρῆσθαι, ὅσσα ἐφ' ἑωυτὰ τὸ ὑγρὸν ἕλκουσιν, καὶ λούειν. His uerbis monet, os fracti cranei serra incidere, & foramen dilatare, ut humores, ne his cerebri pellicula putrescat, effluere possint, & hos pharmacis attractoriis eliciendos. Hac ego olim curationis methodo in Nouoforensi Noricorum ciuitate usus, dū puer lanii trimus ex superiori domus tabulato prospiciēs, pronus in stratum cecidisset, & in delapsu caput parieti prominenti allisisset: qui quum in domum

*Iurisconsulti in plerisque causis Medicorum iudicio egent.*

*De differentiis fractu. cranei, Celsus lib. 8. cap. 4. Gale. in Diffini. lib. 6. Methodi. lib. 2. de Causis morborum.*

*Cæcæ cranei fracturæ*

*Sanguinem extra sua uasa effusum, intra corpus coagulari, & putrescere, testatur Galenus lib. 6. de Locis affectis. Hippocra. lib. 1. de Morbis. & libro 6. Aphor. 19.*

*Altera occultæ cranei fracturæ descriptio, & species.*

*Symptomata & cōmunia fracti cranei, describit Corn. Cels. lib. 8. cap. 4. Galen. lib. 6. Methodi. Hip. in lib. de capitis uulneribus.*

*Historia pueri in fractura cranei per Langium curati.*

in domum patris semianimis deferretur, primum bilem euomuit, & spasmo epilepsiæ bis conuulsus, obmutuit, & tam brachio quàm crure sinistri lateris resolutus, commate deprehensus iacebat. ex quibus signis facilè conijcere potui, offensam per cranium ad cerebrum usque penetrasse. Quare altero die mox caput concussum, primùm in occipite non longè à suturæ interuallo, & utroque latere aperui, unde quotidie cruor saniei permixtus, ubertim profluebat: & cum per hæc caput expurgatum fuisset, puer (uel hodie superstes) citra omnem membrorum & loquelæ offensam, Deo auspice, conualuit. Quandoquidem ex commemoratis à te accidentibus constat, cæcam cranei fracturam uulneri capitis, non illæso cerebri panniculo, unà cum phlegmone coniunctam fuisse: quam si medicus prædicta ratione ab diuino Hippocrate tradita, & à Galeno summopere probata, curare neglexerit: tum nec percussorem, nec Medicum culpæ mortis immunes statuo: nempe quum uulneris autor morti occasionem dederit, uulneris uerò curator mortis remedia neglexerit: unde occasio mortis facta est deterior, quam suis remediis extirpare, non erat impossibile. Ex his iudex, quis, & qualem commeruerit pœnam, facilè decernere potest. At si licet ridicula, attamen uera, seriis miscere, quid mihi nuper contigerit, paucis commemorabo. Nuper cum quibusdam empiricis in conuiuium accersitus, & ut id genus hominum est gloriabundum, singulis sua chirurgiæ instrumenta partim Augustæ, partim Nurbegæ, ex Norico ferro & calybe facta, commendantibus: tum ego ab illis sciscitabar, Ecquis illorum trepanum ἀβάπτιστον, cuius Galenus meminit, haberet, aut uidisset unquam? Obstupescebant omnes, attentique ora aperta tenebant. tandem unus ait: Langi doctor, frustra quæris in Germania abaptista. Non enim chirurgicorum instrumenta nobiscum, sed campanæ & pueri baptisantur. Tum ego subridens, aiebam: Me Romæ, uiuente Leone pontifice, apud Vigonem Iulii ex Liguria pontificis chirurgicum, trepana ἀβάπτιστα non uidisse modò: sed etiam qua ratione, ne in perforatura cranei panniculum cerebri offenderent, aut pungerent, indemersibilia conficerentur, didicisse. Tum cæteri, Romæ ea ob præsentiam Pontificis facilè baptizari posse annuebant. Ego uerò, quum risum continere non possem, illis ualedixi. Hæc Senatum tuum, ob pleraque in me collata beneficia, celare nolui. Vlae.

*De trepano abaptisto Gal. lib. 6. Methodi. Corn. Cels. lib. 8. cap. 3. & 4.*

## DE FVNGIS, QVI FRACTO *craneo & alijs ulceribus adnascuntur. Epistola* VI.

PEtiisti à me certior fieri, quare fungos in uulneribus capitis nascentes, non inter fractæ caluariæ symptomata enumerauerim, quum tamen Galenus in 1. libro de locis affectis, eos non obticuerit, dum ex agnatis (ut ait) aliquādo locus affectus quoque cognoscitur. Agnata enim substantiæ proprietate participant, quemadmodum in capitis fractura fungi, quādo membrana cerebri, μήνιγξ Græcis dicta, læsa fuerit, & patitur. Simul quoque oras, ut quales hi fungi sint, tibi declarem. Nihil certè tam arduum, modò sit nostræ opis, noui, in quo non libenter tibi obsecundarem: ob id & in hoc libens tua iussa capessam. Primū quòd fungorum non memini, id à me dedita opera factum scito. Non enim apertæ cranei fracturæ & ulceris symptomata, sed cæcæ & occultæ accidentia recēsere libuit: in qua raró, uel ferè nunquam fungi nascuntur. Quemadmodum sanè in stipitibus arborum, humores semiputridi per corticem extuberātes, in fungos coalescunt: sic uulnerato cranio, humores cerebri affluūt, qui (teste Alexādro Aphrodiseo) ossis frigore condensati, in speciem fungi concrescunt: qui in superiori parte ampliusculi, infrà uerò prætenues, pro ratione loci perficiūtur. Vnde Galenus libro Epidem. tertio ait: τὸ πάχος τῶν χυμῶν τὰς τοιαύτας ἐπιφύσεις ἐργαζομένου, καλοῦσι δ᾽ αὐτὰς οἱ πολλοὶ μύκητας: id est, Densitate humorum tales in uulneribus adnascentias efficiente, quos multi fungos appellāt: quos quum nostrates chirurgici in capitis uulneribus enatos uidēt, substantiam cerebri esse arbitrati, aut ægros tanquam deploratos relinquunt: aut si forte fortuna eos curauerint, uulnera cerebri sese curasse, tantillúmque de cerebro frustum exemisse gloriantur. Quid igitur sint fungi, & qua ratione in ulceribus quoque nascantur, te intelligere puto. Vale.

*Galeni de Locis affectis, locus obscurus declaratur, de fungis capitis.*

*De fungis in uulneribus capitis nascentib. Alexander Aphrod. libro 2. Problemate 86. & Gal. in tertium Epide. Hippocra.*

## OCVLI DISCISSI VISV *illæso, curatio. Epistola* VII.

MAgnopere petis, ut qua methodo oculum ciuis Ambergensis cultello dissectum, uisu illæso curauerim, tibi enarrem: quod ut acciderit, paucis ita accipe. Ciuis erat Ambergæ, cui nomen Neudegker. hic debita exacturus, in quendam pagum peregrè ibat, & dum cultello oblongo, rapū ex agro proximo euulsum excorticaret, & ob itineris lubricitatē pedibus uacillaret, pronus cum oculo in cultellum cadens, oculum ab inferiori palpebra ad superciliū usque per medium diffecuit. Chirurgici uerò accersiti, ne putredo intra craneum serperet, oculum excidere statuerant. id ciuis citra mei absentis cōsilium fieri nolebat. Vesperi uerò, quum domum ab ægro, quem in oppido Sulczpach inuiseram, rediissem, uidi oculum ad oui galinei magnitudinem intumuisse. quare quamprimum, ne oculus ob dolorem & humoris alluuium phlegmone corriperetur, eum unguento de alastabro illeui: & albumen oui, addito caphuræ momento, cum oleo & aqua rosarum dissolutum, & othoniis exceptum, supra oculum appli cui: quibus tumor desidebat, & tandem oculi recens uulnus, citra phlegmonem & suppurationem consolidaui. Nosti sanè, quàm frugiferum sit in omnium uulnerum phlegmone coërcenda, unguentum illud, quod ex alabastritide marmore, frigidæ & siccæ constitutionis, Beneuenutus Hierosolymitanus, in libro de oculorum morbis, conficere docet. Similem uerò dissecti oculi curam, Galenus de causis symptomatum libro quarto, his admiratur uerbis: Equidē uidi incredibile quidpiam, quod antea nunquam uidere consueueram. Puer cum iuxta pupillam stylo pungeretur, effluente protinus humore albugineo, imminuta est pupilla, ac ceratoides tunica omnino corrugata uidebatur: qui mox curatus, uisum recuperauit, instaurato scilicet paulatim humore, qui antea effluxerat. Sed huiusmodi euentus raró uidentur. Et noster quoque patiens uisum recuperauit plenariè, uno relicto symptomate, quod temulentis quoq; accidere solet: omnia uisa gemina esse illi apparebant. Pupilla sanè oculi ad inferiorem palpebram agglutinati, depressior altera stabat. Crystalloides quippe humor, si ad superiora uel ad inferiora declinat, tum (inquit Galenus) quicquid cernitur, id duplum uidetur. Sed tandem oculus frequenti motu, quem illi indixeram, ab inferna relaxatus palpebra, à geminati uisus fallacia liberabatur. Hæc non eo nomine tibi petenti scribo, ut mihi honorem, quem Deo acceptum refero, arrogare uelim: sed ut nostrates chirurgicos admoneā, quo rationali methodo uulnera curare discant. Vale.

*Historia oculi uulnerati à Lāgio curati.*

*Vnguēti de alabastro utilitas.*

*Historia oculi uulnerati, curati, à Galeno.*

*Causam geminati uisus, refert Alexan. Aphro. Plutarchus et Aristo. in Problema. sect. 31. & Galen. de utilita. partic. libr. 10.*

*Aliā curā docet Albucasis parte 2. capi. 14. & 15.*

## CHIRVRGI QVARE PHLEbotomatos sanguinem sorbere cogunt. *Epistola* VIII.

ALiam uerò æquæ temerariam chirurgicorum inscitiam te celare non possum: qui cum musculos temporum, frontis, genę, aut maxillarum, ab intercutaneo aëre distentos, contremiscere uident, illic mox hominis animam & uitam latere, ueluti ergastulo inclusam, proclamant. Pariter quoque, quamuis nulla corporis per pharmaca euacuatio, sit magis ipsa phlebotomia periculi expers: attamen cum secta uena sanguinem in lebete, ob flatulentum inclusum spiritum, contremiscere uident, uitam cum sanguine effusam suspicantur: quem ob id repentè, antequam tepescat, patientem absorbere cogunt. O audax chirurgicorū ignorantia, qui nesciunt, aërem, uitalis & animalis spiritus fomentū, non modò per arterias cerebri, pulmonis & cordis cauernas, sed per occultā quoq; inspirationē & poros, uniuersos corporis artus perreptare. qui ob arteriarum cū uenis coadstomosim, sanguini quoq; per-

*Causas palmi describit Gale. li. 5. de Causis symptomatū, et libro 4. de Differētiis pulsuū, & libro 3. de Prænotione ex pulsu.*

miscere

misceretur: quem etiam ex flatulento & uiscoso humore non in musculis modò, & omnibus quæ distendi possunt membris (nempe uentriculo, intestinis, iocinore, liene, septo transuerso, ac in ipso puerperarum utero) crebrò generari accidit, cuius tremulo motu matrix agitata, fœtum in utero moueri puerperæ falsò suspicantur. Hunc inquam tremulum non in musculis & aliis membris tantum, sed præcipuè in corde motum, Græci Palmum appellant. Proinde Galenus inquit, ὥστε ἀνάγκη τὴν ἐργαζομένην τοὺς παλμοὺς αἰτίαν, ἀερώδη τινὰ οὐσίαν ὑπάρχειν. Et certè si magna paruis conferre fas est, quemadmodum uentus uisceribus terræ inclusus, erupturus terram tremulo conquassat motu: sic aër flatulentus musculorum, aliarúmque corporis partium, quæ distendi possunt, uelamine circunseptus, eas palmo concutit, donec per distentum uelamen eruperit. Huius causam quum uulgares illi chirurgi ignorent, illic subesse animam arbitrantur. Quare ne ab illis decipiaris, & sanguinem pro anima impurum deglutire cogaris, hæc te celare nolui. Vale. Cæterùm quum phlebotomiæ à nobis facta sit mentio, non intempestiuum arbitror, & hoc de chirurgicorum imperitia, uelut κολοφῶνα adiicere, qui uenam incidendam exploraturi, primùm frigido ex populi baccis unguento inungunt: quod potius sanguinem ingrossare ac regere, quàm ad uenam allicere potest. At ueteres rectius, oleo tantum membrum incidendæ uenæ irrigatum fricabant, ut eius tepore sanguinem fluxilē redderēt. unde Galenus inquit: ὡς φλεβοτομουμένοις ἐπιστάζομενοι ἔλαιον, εὔρουν ἐργάζεται τὸ αἷμα. Vidésne obsecro, quantum interest, aliquid ratione duce, quàm sola imitatione fretum, facere? quod simiarum est peculiare, quibus illi iure conferuntur, nihilo illis sapientiores, quum ferè omnia citra rationis iudicium agunt. Iterum uale.

*De cordis palmo, Galenus lib. 5. de locis affectis, ca. 1.*

*Temerè chirurgos unguē. populi uenam incidēdam inungere.*

*Veteres uenā incidendā oleo unxisse.*

*Gal. lib. 2. de Simplici medi. & libro 3. de Complexionibus.*

## VVLNERA EIACVLATORIIS igne * tormentis facta, citra methodum à chirurgis temerè curari. Epistola IX.

** Brauasolus hæc tormenta ex Græco appellat pyrobolos.*

ENixè desiderasti, ut tibi in bellum contra Mahometicæ factionis principem profecturo, aliquem uulnerariæ Medicinæ peritum mitterem, qui præcipuè uulnera eiaculatoriis igne tormentis illata, ac ardorem pulueris, cuius impetu missiles ex ære aut plumbo tormentorum globi eiaculantur, probè extinguere in uulneribus nosceret. Talis certè chirurgi operam libens conducerem, quem in bello ἄνδρα πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων cum Homero æstimo: quales in Troianæ urbis oppugnatione fuerunt, Podalirius, Machaon, & Chiron Centaurus. Verùm quum hæc noua sint bellica, à Germanis, & mihi finitimis Bohemis reperta tormenta (nisi quis illis honorem inuidens, horum autorem olim Salmonea fuisse contendat, qui, teste Virgilio, flammas Iouis & sonitus imitatus Olympi, demens, Nimbos & non imitabile fulmen cœli, ære simulauit) & nouam quoque requirant curam, à ueteribus speciatim non prius edoctam: ea, me iudice, in censum uulneris ex contusione facti rectè referre, ac illorum methodo, prius tamen ærea extracta glande, curare quis posset, quam Hippocrates more Laconum breuiter ita complexus est: ἤν τις δ' ὑπὸ τοῦ βέλους θλασθῇ τι, καὶ διακόψῃ σάρξ, ταύτην ἰατρεύειν, ὅπως διαπύος ὡς τάχιστα γίνηται, ἧττόν τε φλεγμαίνει. καὶ ἀνάγκη τὰς σάρκας τὰς θλασθείσας καὶ κοπείσας, πῦον γενομένας ἐκτακῆναι, ἔπειτα βλαστάνειν νέας σάρκας. Nam quæcunque uulnera cæsim uel punctim telo acuto præcipuè in carnosa corporis parte facta, recens solis emplastris enhæmis & exiccatoriis, citra putrefactionem curari possunt, ob id etiam minus ardent. At quæ contusa sunt, primùm putrescere, quod nō sine ardore fit, oportet. quorum curationem ob id, ut quàm celerrimè, præuia aliquali putrefactione, ad suppurationem promoueantur, exigere Hippocrates hic asseruit. At uulgares nostri seculi chirurgici, differentias & naturas uulnerum ignorantes, illorum curam nulla rationis methodo temerè aggredi audent: quorum uniuersum curationis scopum in extinguendo uulneris puluerisque pyrij ardore consistere arbitrantur, quem ex puluere tormentorum incendiario (qui ex sulphure, carbonibus tiliæ, ac halinitro conficitur, cuius uix festuca aliqua cum glande missili uulneri ingeritur) oriri suspicantur: qui tam exigua, aut ferè nulla uirtute caustica participat, ut eo non scabiē modò, sed ulcera sordida & cacoethica abstergere & consolidare uiderim. Taceo quòd nitrum, & eius spumam aphronitrum, ueteres Medici contra uentris tormina cum cymino, & buprestis, fungorum, ac taurini sanguinis uirus, in aqua dulci aut posca ebibendum dederint. Sed nostrates uulnerariæ medicinæ seplasiarij, nihil prius ducunt, quàm hūc puluerem halinitri quamprimū ex uulneribus eluere. quare hic urinā pueri infantis, alter serum lactis caprini uulneri instillat. At si ex Galeno didicissent, oleum quod sit salis expers, & aqua stillaticij rosarum liquoris lotum, ardorem ex thapsię, urticæ, aut squillæ applicatione factum, sedare: putredinem quoque in ulceribus, sine qua contusa curari non possunt, promouere, id in principio rectius infunderent. externè uerò ea quæ humorum alluuionem & phlegmonem fieri prohiberent, quamprimum applicarent: & deinde reliqua quæ ad uulneris suppurationem & abstersionem, incarnationem & consolidationem fieri uulneris ratio postulat, ritè exequerentur. Talem si nactus fuero Medicum (qui nobiscum Cygno nigro est rarior) quamprimum ad te mittam. Et tuum erit officium, ut illum suo merito stipendio & honore digneris. Nam frustra merere in castris, & gratis mederi, par censetur esse uitium. Vale.

*Cor. Cel. li. 1. & 7. in proœmijs.*

*Methodum curandi uulnera contusionis, docet Gale. lib. 5. Methodi. Hip. in libello de Vlceribus.*

*De Nitro hæc Dioscorides libro 5. cap. 85. & Plin. lib. 31. cap. 10. Gale. de Simpli. medic. lib. 4.*

*Gal. de oleo dulci hæc. lib. 2. de Simpli. medicina.*

## QVARE VVLNERA IN TEMporibus periculosa, & uenarum sectio steriles facit. Epistola X.

SCiscitaris, quāobrem alias caluariæ uenas citra noxam incîdi, eas uerò iuxta aures sectas, steriles facere, ac uulneratos in tēporibus, spasmo, apoplexia, delirio & febre corripi, Hippocrates tradiderit. Causa omnibus quidē Anatomiæ peritis, facilè est obuia. Verùm chirurgicos tuos, illius ignaros testaris: eam tibi causam explicare non cunctabor. Et ut simul intelligas, problema tuū plus in recessu habere, quàm fronte promittat, causæ scrutinium ab humani seminis natura & scaturigine paulò altius repetitum auspicabor. Sperma quidem Greci definiunt esse πνεῦμα ἔνθερμον ἐν ὑγρῷ, ἐξ ἑαυτοῦ κινούμενον, καὶ δυνάμενον τοιοῦτο γεννᾶν, οἷον ἀφ' οὗ καὶ ἀφίθη: id est, Sperma est spiritus calidus in humido, per se mobilis, potēs tale generare, quale est à quo emittitur. Hic certè humani embryonis & fœtus in utero matris primarium principium & opifex rectè fertur: cuius substantiam, quāuis Philosophorū Medicorúmque schola ab utili & reliquo totius corporeæ molis & membrorum alimento, in uisceribus exactè concocto, unà cū spiritibus decidi affirmet: & Lucretius poëta id quoque fateatur, dum ait libro quarto:

Semen, adulta ætas quum primùm roborat artus,
Per membra atque artus decedit corpore toto:

Potior tamen eius pars triplici spiritu turgens, ac cœlesti uirtutis informatiuę energia imbuta, à cerebro, corde, epate, & spinali medulla, genuina testiculorum uirtute attractiua, per uasa seminaria, uenæ chylis & arteriæ magnæ, instar capreolorum uitis intortas propagines: ex lumborum quoque uenulis, in testiū anfractus, chremasteras & epidemiadas attracta, quum in sinuosis illarum anfractibus exactius coctum & dealbatum semen fuerit, tandem in Veneris conflictu, per uarici formes parastatas, uelut per tubulos & elices, in canalem penis defertur, ac tandem in matricis loculos effunditur. in quibus uirtutis informatiuę adminiculo, ex utriusque parētis semine, & materno per acetabula in uterum attracto sanguine, fœtus ad parentum similitudinem effingit: eósque parentum, ac nō rarò proauorum næuis, cicatricibus, & stigmatibus, aut cogitationis simulacris, desideratæque rei figuris insignit. Nec mirum. nam perinde ac magnes suam uirtutem per cohærētes ordine acus in quartam & ultra effundit: sic natura uirtutem animę informatiuam de semine in semen diffundit. Hinc accidit, ut crebrò auorum notæ in nepotibus elucescāt, post plures affinitatis gradus. Redditur enim (ait Aristoteles) post plura genera similitudo: ut in Helide, quæ cum Aethiope cōcubuerat, non filiam Aethiopi colore similem enixa est, sed natus ex filia Aethiops erat.

*Hipp. de lib. de Sperm. de capi. uul. de aëre et aqua. Auicen. 10. tertij, cap. 2. Galen. in libro Desinitionum.*

*Lucretius Epicureus lib. 4.*

*De istis uasis spermaticis omnibus, exactè Gale. lib. 14. de utilit. particul.*

*Admirāda uirtutis informatiuæ energia.*

*Aßimilationis prolis uera causa formalis.*

*Quare nepotes auis & non parētibus, aliquādo aßimilētur.*

*Aristo. lib. 1. de gener. animal. ca. 18. Pli. lib. 7. capi. 12. Lucretius libro 4.*

erat. Sic Niceus poëta Byzantius, à candido utriusq; parentis colore in auum Aethiopem degenerauit. Quod Lucretius perbellè his uersibus testatur, libro quarto:

Fit quoque, ut interdum similes existere auorum
Possint, & referant proauorum sæpe figuras,
Propterea: quia multimodis primordia multi
Mista, suo celant in corpore sæpe parentes.

Et ne causam similitudinis, tantum in attentam mentis cogitationem referas, en in Cydone insula plurima Medica malus nascitur, quæ poma Priapo simillima ferunt: harum semina in aliud solum sata, cùm in arborem adoleuerint, quædam poma mentulæ hominis simillima proferunt: alia uerò in naturalem citrii mali similitudinem rursum degenerant. Quam in producenda prole & fructibus uarietatem, dum causa materialis uirtutis informatiuæ actioni resistit, accidere arbitror. Has admirandas prolifici seminis uires, uirtutis informatiuæ participes, Citieus Zenon Stoicus erudita breuitate in sua spermatis definitione singulas complexus est, his uerbis: *σπέρμα ἐστὶν ἀνθρώπου πνεῦμα, ὃ μεθίησιν ἄνθρωπος μεθ' ὑγροῦ, ψυχῆς μέρους ἅρπαγμα, καὶ σύμμιγμα τοῦ τῶν προγόνων γένους, οἷόν τε αὐτὸ ἦν, καὶ αὐτὸ συμμιχθὲν ἀπεκρίθη.* Id est: Sperma est hominis spiritus, quem cum humido emittit, partis animæ spolium, & generis proauorum permixtio: quale enim ipsum erat, tale permixtum excernitur. Accipis iam, Zenonem, semen, ob eius uirtutem informatiuam per se nobilem, esse partem animæ testari. Quod ob id etiam esse animatum, bona philosophorum pars affirmat. Et uelut anima per uniuersos corporis artus dispersa, ipsa tamen cerebrum uelut Palladis arcem præcipuè incolit: sic & uirtus informatiua cœlestis animæ dos, in plantarum & animalium singula membra diffusa, in cerebro præcipuè residet. Vnde huius & prolifici seminis potiorem partem à cerebro, & spinali medulla, per uenas & arterias temporum ac lumborum ad seminaria defluere uasa indiciũ est, quòd coëuntes in spermatis effusione oculis nictãt, & quòd coitu cerebrum exiccatur. Vnde qui salaces sunt, citius caluescunt. Hinc illud in triumpho Iulii Cæsaris scomma proclamatum fuit: Romani seruate uxores, mœchum caluum adducimus. Et cuidam petulãtissimo histrioni, dissecto post funus capite, exigua cerebri portiuncula reperta fertur. Quare spadones, cùm coitu cerebrum eorum non exiccetur, ac pueros non conualescere, Hippocrates rectè diffiniuit: & boues ectomi, id est, castrati, maiora ferunt cornua. inde & passerum cerebrum, cùm simile nutriat suum simile, ad salacitatem conferre, plerisque persuasum est. Rectè igitur Hippocrates ait, quibus prope aures uenæ inciduntur, eos in ueneris actu quidem sperma effundere, uerùm modicum, imbecille, & sterile. Nam, inquit, plurima seminis pars à capite per uenas iuxta aures in spinalem medullã defluit: quibus cicatrice obductis, genituræ meatus obstruitur. Et proceres Scytharum, incisis iuxta aures uenis sterilescere affirmat. Et illud Galenum, fidum Hippocratis interpretem, ignorasse, Auicenna mihi nõ persuadebit. Cæterùm illud magis admiratione dignũ, quod idem Hippocrates prodit, secta quæ per tempora fertur uena, & uulneratos in temporibus, apoplexia, spasmo, ac soporifero caro, delirio, & febre corripi. Qui uerò temporum cranei, ex ossibus, musculis, neruis, uenis & arteriis carotidibus constitutionem nouerit: hic planè cognoscet, quare tam grauia symptomata uulnera tẽporum excipiant: quorum ossa frontis ossibus, cuneoformi ac iugali inserta, ab utroque caluariæ latere, quia sua canicie & macilentia ætatis annos produnt, tempora dicta sunt. Vnde nec temerè Homerus, homines à temporum canicie, *πολιοκροτάφους* appellat. Vt autem causam symptomatũ exactius intelligas, scire primùm debes, musculum cæteris longè præstantiorem in cauitate temporum reconditum, ab ossibus uertici ac fronti supra aures finitimis, illorúmque additamẽtis & osse cuneiformi, Græcè *σφηνοειδὲς* dicto, & iugali, cum breui, sed robusto tendine, in maxillæ inferioris processum propagari: cui Massiter musculus, ab iugali osse prognatus, in ore delitescens, tam arctè implicatur, ut ægrè utrunque secernere possis. Et ut illi suo officio, dilatandi & coarctandi os & maxillam, probè fungerentur, Natura, industrius humani corporis opifex, musculo temporali robustas tertii & quinti paris neruorum cerebri, quinque propagines inseruit: & ut plus roboris illi accederet, tertii paris neruorum cerebri propaginem & surculum circa os temporum, instar capreolorum uitis inuolucri intorsit: unde tantum roboris maxillæ & mento accreuit, ut nuper in Augustanis comitiis uiderim, quendam histrionem Italum *σχοινοβάτην* funambulum, trabem 20. pedum oblongam, mento impositam, nullà apprehendentem manu, sed tantùm in æquilibrio pendulam, prorsum ac retrorsum, manibus in coxas suffultis, gestasse. & alterũ in Schlesia, uas aliquot metretarum cereuisiæ capax, mordicus apprehẽsum, ultra caput post tergum proiicere uidi. Quid igitur mirum, tam insigni temporum musculo, quo nullus cerebro propinquior & neruosior, punctim uel cæsim læso uel contuso, patientem conuulsione, delirio, apoplexia, & febre affici, aut èx altero latere relaxari? An oblitus es, puellam in gynecæio nostro, pugno fatui ad tempora afflictam: quæ multis inde epilepsiæ paroxysmis conuulsa, tandem ægrè meo consilio & opera cõualuit? Quid tibi commemorem? Nam & tu, qui aderas, probè nosti, equitem in Noricorum Nouoforo, à stabulario iactu lapidis in temporibus, leuiter cute ad pericranium usque uulnerata, satiatum: ad cuius curam septimo die ego accersebar. quum uerò rationem, ac sinistri lateris brachium & crus labascere, & lingua ægrũ titubare uiderem, & chirurgum nulla opportunè applicuisse remedia, breui moriturum prædixi: qui tandẽ 14. die conuulsus obiit. Stabularius uerò prognostico meo cautior factus, ne manus carnificis incideret, fuga sibi consuluit. Operæ quoque pretium est hîc obseruare, quàm insignes arteriæ *καρωτίδας*, soporalis surculi & externæ uenæ iugularis *σφαγίτιδας* dictæ soboles, per ossa temporum uario plexu dispersæ cerebrum & eius panniculos propagentur, per quas, uelut elices ad cerebri & spiritus animalis alimoniam, defæcacior sanguis & spiritus uitalis copia in cerebrum defertur: quibus oblæsis, uel contusis, quid mirum, patientem cataphora, uertigine, aut soporifero caro corripi? Vnde hæ arteriæ Græcè Carotides, & tempora in uernacula lingua Schloff appellantur: quibus rectius medicus peritus medicamina soporifera, quàm fronti illiniret. Hic solers spectanda est indoctæ naturæ industria, quæ ne quid temporales musculi detrimenti paterentur, eos omnifariis ossibus, & illorum agnatis processibus, uelut lapidoso aggere uallauit. Hæc sanè, cùm alia caluariæ ossa, quæ densam cerebri membranam cooperiunt, poris fungosa & squamiformi ac serratili suturarum compage, ad cerebri expurgationem cauernosa affinxerit: temporum uerò ossa, ut externis incommodis obsisterent, ferè lapidea dotauit duritie: temporalésque musculos, tam præclari officii organa, osse cuneiformi & iugali (quod Pollux *ζύγωμα* appellat) duro, medulla experte, ad patiendum obstinace sepiuit, quorum additamenta uulgus medicorum ossa paris appellat: quum id scire, non modò chirurgicorum, sed & iudicium (ut quæ uulnera sint lethalia, statuere possint) intersit, te celare nolui. Vale. Nec certè ante & post Troianum bellum, ulla apud Græcos fuit bene instituta respublica, quæ non suos ex ærario publico conductos habuisset chirurgos. Ita sacerdos Aesculapii in Pergamo, Galenum nostrum curandis gladiatoribus præfecit. At nostros imperitos chirurgos, agnita illorum imperitia uix Libithinæ, ad efferenda uulneratorum cadauera præfecissent. Haud uerò isthæc in eos contentionis studio dico, sed ut mea lucubratio, sementem frugi produceret, repastinandus erat ager, ne zizania luxuriaret. Reliquum erit Medicorum, quos Celsus physicos appellat, errorum sementa, quæ plus æquo altius radices egerunt, euerruncare.

*Pereruditа Zenonis Stoici de spermate definitio. Gal. lib. Diffinitionum.*

*De uirtute informatiua. Galen. in fine lib. de forma. fœtus.*

*Qua ratione genitura ex cerebro & spinali medulla ad uasa spermatica fertur, Hippoc. lib. de Naturis ossium docet.*

*Quare eunuchi & pueri nõ caluescant, Hipp. & Gal. lib. 6. aphor. 28. docent.*

*De uenis iuxta aures dissectis. Hæc Hippo. in libel. de Aëre. & in libr. de Spermate.*

*Auicẽna in Galenum calumnia. fen. 20. tertij cap. 3.*

*Hæc Hipp. lib. de cap. uulneribus. & 2. de Articul. Gale. lib. 2. de Vtili. parti.*

*Alexã. Aphro. lib. 1. Proble. 1.*

*Tẽporalis musculi propago. Gal. li. 4. Anato. Hipp. lib. 3. & 4. Prædi. & li. 2. de Articulis.*

*Alii à quarto pari neruorum deriuari asserunt hos neruorum surculos.*

*Histriõis Schœnobatis robur in gestanda trabe, Augustæ.*

*Gale. lib. 11. de utilita. partic. & libro 4. de Prænot. ex pul.*

*Puella pugno ad tempora cæsa, facta epileptica.*

*Eques lapide in temporibus leuiter uulneratus obijt.*

*Temporum uenæ iugulares, & arteriæ soporales.*

*Hæc symptomata oblæsis tẽporibus accidere. Gal. lib. 2. de Vtil. parti. & de Prænot. ex pul. lib. 4. & in Hipp. Prædictio. lib. 2. & 3. & de Articulis libro 2.*

*Solers indoctæ naturæ industria.*

*De osse Zygomate Pollux libro 2. Gal. li. 2. Hipp. de Articul. & lib. 2. de Vtil. part.*

*In Prologo libri 1.*

## DE MEDICIS QVI SOLA VRINA *indice, de morbi substantia temerè pronunciant.*

### *Epistola* XI.

Miraris mi compater, quì fiat, ut Medicorum Germaniæ nomen apud exteros minus celebre sit, nec ab indigenis magnifiat: quum tamen, Deo auspice, Germania omnifariæ eruditionis fœcunda ingeniis, liberalium artium studiis maximè floreat (adeò ut olim generosus ille Picus, Mirandulæ, stemmate & eruditione uerè admirandus Comes, Tiberim defluxisse in Rhenũ testatus sit) sola uerò medicina despecta iaceat. Causas, mi compater, in meo de Republica symposio

*De parte medicinæ diagnoſtica Gale. lib.1. Hipp. de Vul. medici officio. Gal. li.2. Therapeu.*

recenſui quamplurimas,quarũ illa eſt præcipua: quòd primaria medicinæ pars διαγνωστικὴ, uel Simæotica, quæ ex ſuis ſignis & hypotheſibus morbi naturam, cauſas & ſubſtantiam docet cognoſcere,uel ignoratur,aut ob deſidiam negligitur, dum uulgus medicorum ex ſolo fraudulento putidi lotii indicio,morbi eſſentiam diſcernere ſtudet. Atqui apud omnes medicos in confeſſo eſt, principium inueniendę curationis morborum methodi eſſe, morbi & loci affecti cognitionem, quæ non ex urinæ tantum indicio dubio, ſed (ut Galenus ait) ἐκ τοῦ πεπονθότος τόπου ἐστὶ, καὶ τῆς ἐν αὐτῷ διαθέσεως: id eſt, Morbi cognitio ex loci affecti,& illius in ipſo præter naturam diatheſi uel diſpoſitione habetur.

*Hæc Gal. li.4. de Prænot. ex pulſu.*

*Quid ſit diatheſis, Gal. de Cura per uenæ ſect. li.1. Meth. & 2.*

quæ cũ ſit interna morbi cauſa, uel ipſe morbus, actionem lædens, nil mirum, utriuſque ſigna cognitionis eſſe ambobus communia. Sic morbus & locus affectus ex ipſius ſubſtantiæ partibus, & contentis, adhærentibus, actione læſa,& morbi ſymptomatis dignoſcitur.

*Ex quibus habeatur morbi & affecti loci cognitio.*

Ex ſubſtantiæ loci paſsi partibus: ut bronchion arteriæ tracheæ, tuſsi eiectum, pulmonis exulceratione & phthiſim indicat. A contentis certè: ut ſi chylus aut ſtercus per uulnus excernitur, uentriculum aut inteſtina uulnerata eſſe coniicies. Adnaſcentia quoque morbum & locum paſſum indicant. Nam ſi fracto craneo fungi, quos μυκήτας uocant, protuberant, membranam, cerebri inuolucrum, affectam eſſe teſtantur.

*De fungis in fract. cranei, Galen. lib.1. de Loc. affect. & lib.3. Epidem. Hip. Gal. lib.1. de Criſi. de Diabete hæc nomina, & de loc. aff. li.6. cap.3.*

Nec minus actionis læſio, eius organum affectum,& morbum ipſum prodit, ut urinę retentio, ureterarum obſtructionẽ, aut illius indigeſtæ profluuium, quod ad matulam hydropem appellant, renes affectos prodit. Accedunt ad hæc locupletiſsimi morborum teſtes, illa inſeparabilia morborum accidẽtia, ob id Pathognomonica dicta, quorum morbus cauſa eſt: ut pungitiuus laterum cum febre dolor, non pleuritida morbum modò, ſed & membranam coſtas ſubcingentem eſſe phlegmone affectã arguit.

*De ſymptomatis pathognomonicis, Gale. li. de Artis cõſt. & libro 6. de Cau. ſymp. ac libro 1. Hip. de Medici uul. officio. & libro 4. Reg. acutorũ.*

His quoque perplexas ex arteriarũ pulſibus dignotiones, potius quàm in certa urinæ indicia adiunges: quæ non in uniuerſum reiicimus: nec tantum illis, quantum medici impoſtores, deferimus. Quanta uerò diligentia medici ueteres in morborum cognitione deſudauerint, uel ex hoc coniicere poteris: qui, ut humoris peccantis naturam deprehenderent, * ſudores in balneis ſtrigili exceptos,& auriũ ſordes, deguſtabant: non minus quàm ueterinarii Medici, equorum ſtercora, quos ob id Comicorum lepidiſsimus Ariſtophanes σκατοφάγους appellat.

** De ſudoris, auris, ſordium, & linguæ coloris indicio, hæc Hipp. li.5. Epidem. & Gale. libro 3. de Locis affect.*

*Ariſtophanis in Pluto locus.*

Quid ſi autore Hippocrate, corporis & linguę colorem certius humorum in corpore & uiſceribus diſpoſitionem, quàm urinam indicare probarem? quæ, non uiſo ægro, uulgus Medicorum obſeruare non poteſt. Nam ut croceus in arquato morbo corporis color, fellis obſtructi humorem in corpus redundare: ſic plumbeus pallidi corporis & faciei liuor, epar aut ſplenem affectum eſſe, urina certius teſtatur: quos ueteres medici à colore plumbi Molibdochrotos appellabant.

*De linguæ colore, & guſtu, hæc Hipp. li.5. Epidem.*

Nec minus id linguæ color, guſtúſque pręſtare poteſt. Nam qualis in uentriculo aut uenis redundat humor, dum turget, tali illius ſapore & colore lingua imbuitur. Quare doctè uenerandus ille ex Choo ſenex inquit, γλῶσσα οὖρον σημαίνει: Lingua, qualis ſit urina,& alii humores, ſignificat. Quod ſi pertinacius mecum cõtendere uelles, en Galenum, ut communem medicorum præceptorem & iudicem appello: qui lib.4. Salubriũ, his uerbis litem dirimet: ὁ μὲν ἱδρὼς τῶν κατὰ ὅλον τὸ σῶμα πλεοναζόντων χυμῶν ἐστι γνώρισμα. τὸ δ' οὖρον ἐκείνων μόνων, ὅσοι περ ἂν ἐν τοῖς ἀγγείοις περιέχονται.

*Sudor plus quàm urina de humorib. indicat.*

Quamuis hæc ſint primariæ partis medicinæ diagnoſticæ, ſine qua altera pars Therapeutica ſubſiſtere non poteſt, prima elementa, tanquam grauiſsimis conuicti teſtibus, tamen non cedunt, nec iſta obſeruant: ſed ſolius urinę indicio freti, domi uelut Alexandrinorum medici deſides in ſolio, uelut ſacerdos Apollinis ex tripode, aut anus fatidica ex cryſtallo, non uiſo ægro, ſed tantum inſpecto lotii uitro: bone Deus quàm ambiguè, quàm perplexè, de ægrotantis morbo, ſalute & morte pronunciare, & perfricta fronte (ob uile lucrum, quo ſcortum non mereret) nugari non erubeſcũt.

*De Alexãdriæ Medicorũ deſidia Gal. li.2. de Natura hominis. lib.6. Epidem. & paſsim alibi.*

Quanta hîc (obſecro te cãdide Lector) opus eſt amphibologia, ne in nugis deprehendantur? quod ſi ab anu afferente lotium deprehenſi fuerint, hic iam dic tu Quintiliane colorem. Sed forſan parum eſſet ex lotio nugari, ſi non ex libro remedia, de quibus nunquam periculum fecerunt, ægrotis non uiſis, dictarent: quibus uetus illud adagium, ἐκ βιβλίου κυβερνήτης, id eſt, ex libro nauta, rectè obieceris.

*Galeni adagiũ in ſola lectione citra experientiam doctos: ex libro nauta.*

At Hippocrates, & auiti de genere Aſclepiadicorum medici, nõ ad oſtentationem docti, non ex lotio de morbi ſubſtantia ſtatuerũt, niſi aliquando de ſubſtantia renum, aut ueſicæ, aut in illis contenta, per urethra unà profluxiſſent: ſed ex illius colore, ſubſtantia, & hypoſtaſi & enneoremate, uirtutis naturalis in pręcordiis robur, epatis affectionem, & humorum in toto uaſorum uenoſo genere concoctionem obſeruarunt: ut in febrilibus morbis illorum tempora ſcrutari, futurámque criſim, an ſalubris aut exitialis ſit futura, præſagire, & purgandi per pharmaca tempus deſignare poſſent.

*Quid urina in morbis indicet, & quid in ea obſeruandum.*

Id quod Galenus, fidus Hippocratis interpres, medicos iuniores his uerbis monet: ἐνδείκνυται γὰρ τὸ οὖρον διάθεσιν μορίων ἥπατος καὶ νεφρῶν καὶ κύστεως, καὶ τῶν τὸ αἷμα περιεχόντων ἀγγείων ῥώμην τε καὶ ἀρρωστίαν ἐπὶ τοὺς χυμοὺς γεννώσης δυνάμεως. τῶν δὲ κατὰ τὸν ἐγκέφαλον, θώρακά τε, καὶ πνεύμονα παθῶν, ἀλλὰ συμπτώματα ἐστὶ καὶ σημεῖα.

*Hæc Galen. in principio 2. libri Prædictionum Hipp. & libro 2. Prognoſti. & lib.1. de Criſi.*

Accipíſne iam, alia eſſe morborum, qui circa cerebrum, thoracem, pulmonem, articulos, adde & inteſtina ſubſiſtunt, quàm ex lotio, cognitionis accidentia & ſigna? quæ omnia ab ægro prudens medicus percontando explorare debet. Rectè prætera Damaſcenus in Aphoriſmis ait: De ægritudinibus non facilè proferas iudicium, nec urinam habeas, niſi poſtquam ęgrum uideris in præſenti. & de ſingulis eum interrogaueris, & examinaueris. Cui Raſis medicus Arabs his uerbis perbellè in Aphoriſmis ſuis aſtipulatur: Decet magiſtrum, ægrũ interrogare, ut cauſam ægritudinis interiorem cognoſcat, ut poſtmodum rationale iudicium præſtare poſsit: nec erubeſcat ægrum interrogare, ut ſciat an ægritudo intra uel extra uenas ſubſiſtat.

*Damaſcenus in ſuis Aphoriſ. et Raſis Arabs lib.6. Aphoriſ.*

At noſtrates ex ſchola Alexandrinorum medici ſedentarĳ, ne à uulgo inſcitiæ arguantur, qui medicos ex lotio omnia noſſe credit: de morborum cauſis & ſymptomatis ægrum percontati erubeſcunt: ac ut ſe temerario inertis uulgi iudicio accommodent, de morbis ex urinæ indicio nugari non uerentur. O utinam illis ueritas eſſet populari aura potior: & à Perſio moniti, ſi quid turbida Roma eleuaret, illius iudicio non accederent: & quàm fraudulentum, nugax & pernitioſum ſit de morbis omnibus ex urina iudicium, ab neotericis medicis & impoſtoribus cum execrando mortalium exitio introductum, plebem ingenuè docerent, & faterentur: tum morborum naturas ex illorum cauſis, actione læſa, & ſignis pathognomonicis diligẽtius ſcrutarentur: tunc certè plures curarent, celebriúſque illorum nomẽ apud ſuos ciues & exteros in auras efferretur.

*Perſius Satyra 1.*

Simúlq; à medicinæ profeſsione agyrtæ, circulatores, monachi apoſtatæ, perfidi & Chriſtianis infeſti Iudæi, indoctíq; parochiarum ſacrificuli, chymiſtæ, & id genus nebulonum (anus quoque fatidicas ferè præteriiſſem) exploderẽtur: qui cum nec prima Philoſophiæ naturalis aut medicinę rudimenta didicerint, impunè per hominum mortes experimenta agunt: quo nihil reipublicæ utilius cõtingere poſſet, quàm ut tandem Chriſtianorum populus ab illorum impoſtorum latrocinio & tyrannide uindicaretur, qui uulgo ignota urinæ obſeruatione ſuam celant ignorantiam, & nomen medici ſibi uendicantes, in medicinæ profeſsionem, ut fuci in aliena apum aluearia, irrepſerunt. Ex his tibi patêre cauſas arbitror, ob quas medicina, & illius profeſſores, ſub noſtro cœlo non magnifiant. Vale.

## AN PHARMACA HVMORES *in morbis concoquant.* Epiſtola XII.

Ex proxima Epiſtola te abundè intellexiſſe arbitror, quàm neceſſaria ſit ex lotio & aliis ſignis, pręcipuè in febrilibus morbis, digeſtionis humorum cognitio: quam niſi medicus dedita opera obſeruauerit, nec morborum purgationiſque tempora noſſet, aut in acutis morbis diætam conſtituere, aut ſalubres præſagire criſes poterit. Non certè fruſtra diuinus ille Hippocrates, Digeſta medicari oportere, non cruda, niſi turgeant, edixit. Verùm quum Arabum ſchola humorum concoctionem medicis potionibus, quibus eorum libri referti ſunt, quos Syrupos appellant, Ethruſcorum uerò ſchola naturæ uiribus acceptam referat: petis, ut meum de hac contentione iudicium tibi declarem,

*Hipp. lib.1. Aphoriſ. & lib. 2. Epide.*

*Triplicē quoque digestionē, nō adeò diuersam ab hac distinctione, describit Galenus lib.5.de Simpli. medicina.*

*De hac Arist. lib. 4. Meteororum. & libro 1.ac 2.de Historia plātarum.*

*Hæc Auerrois,5.Colliget.cap.14. & Gentilis in quæst.deactua tione medici. Gale.lib.1.de Alimētis.*

*Lucret.l.4.& 5.Plin.lib.10. cap.23. & 72. Aristo.li.1.de Hist.plāt.Gale.li.3.de Simpli.medic.*

*Alexā.in Prolog.lib.1. Proble. Auerrois 5.Colliget.ca.14. Christoph. Marcel.lib.1. de Anima.ca.49.Pli.l.8.c.57*

*Quaratiōe uenena & pharmaca alimētū fiant, Theophra.lib.9.de Histo.plāt.ca.18.Plin.li.10. capit.72.*

*Quare uentriculus numismata concoquit, quæ feruētis aquæ calor uentriculo calidior liquefacere non potest: Theophrastus in libr. de Igne,causam in caloris siccitatem & subtilitatē refert.*

*De Thrasia & Eudemo hæc Theophr. lib.9.de Hist. plan.ca.18.*

*De uirgine hac napello nutrita, Arist.in li. de Regimine principum,& Auerrois in Proœ. tertii physicorū. Gale.li.3.de Nat. simpl.*

*Quæ digestionem stomachi & cruditatis promouēt,recēset Galenus li.1.Epi. Hipp. & in lib.de Salubribus,& Meth.*

declarem.qua petione non tantum mihi es iniurius,sed etiam præter æquum,me senem, iam rude donandum, qui à cunalibus contentionum litigia abhorruerim, nimis oneras. Cæterùm quia & in hac de humorum digestionis contentione,tota prognosticationis & curationis morborum methodus & artificium consistit, & ut me doctioribus explorandæ ueritatis in re tam magni momenti calcar adhibeam, iterum tibi morem geram. Primùm omnium scito, trinam esse humorum in uisceribus, uasis ac membris humani corporis digestionem: quarum prima est merè numialis, animæ uegetatricis soboles, alimentum uirtute caloris naturalis, & congenita membrorum temperie & proprietate in aliam substantiam alteratione transmutans: quæ non solius congeniti caloris & à corde influxi auxilio., sed ingenita quoque solidorum & similarium membrorū temperatura & proprietate perficitur. quæ quum in diuersis corporibus & animalibus sit diuersa, inde accidit,ut alimentum sit illis quoque diuersum. Vnde hic casum,alius uinum,non cōcoquit & abhorret: coturnices & capræ elleboro, & sturni cicuta, quam Auerrois napellum uocat, uescuntur. De qua re Lucretius poëta Epicureus,ita doctè cecinit:

> Est utique serpens,hominis quæ tacta saliuis
> Disperit,ac sese mandendo conficit ipsa.
> Præterea nobis ueratrum est acre uenenum,
> At capris adipes & coturnicibus auget.
> Quippe uidere licet pinguescere sæpe cicuta
> Barbigeras pecudes,homini quæ est acre uenenum.

Quod si sola caloris uirtute concoctio fieret,leo struthione longè calidior,aurum,ferrum, & æs quoque digereret:quæ quamuis ignis calore sint inexpugnabilia, struthiones tamen ex his conflata numismata in horto ducis Ferrariæ deglutire & concoquere uidi: & mures, quum metallorum scobem adeò appetant,metalla cōcoquere,&his nutriri meritò suspicabimur.quos Theophrastus in Syaro insula, expulsis incolis, ferrum quoque arrosisse tradit:quos,arrosis Lauinii argenteis clypeis,Marsicum portendisse bellum:& magnam ad Chalybas,in ferrariis officinis fecisse iacturam, constat.Ob hoc in aurariis metallis, ob auri scrutinium aluos eorū non rarò excidunt. Sed quis hæc solo calore, quæ uix igne domari possunt,in corporibus animalium confici posse credet:nisi congenita totius membrorum substātiæ hæc coquendi proprietas suberit: cui & edendi cōsuetudo quoque non paruum concoctioni momentū addit.Si enim lenta & moderata primùm uescendi uenena & pharmaca consuetudo accesserit, ea quoque in corporibus humanis digeri,& in alimonium conuerti, nemo mirabitur: quum nihil nutriat, quod non prius naturæ uiribus concoctum sit. Sic Thrasias pharmacopola,& plerique in Græcia pastores,integros elleborī manipulos citra noxam deuorarunt, & concoxerūt: cuius frequētes potiones, ob pharmaci assuetudinem, Eudemum illum Chium,nec uomitu, nec alui deiectione purgare poterant. Nosti, puellam præsentissimo napelli ueneno nutritam, & puellari uenere decoram, ab rege Indorum Alexandro Magno,dolo,muneri datā. cuius scintillantes & serpentum more nictātes oculos quum Aristoteles,illius præceptor,uidisset:Caue tibi ab hac,inquit,ô Alexander: hac nempe tibi exitium paratur.Nec iudicio Aristotelis defuit euentus.nam plerique proci uirginis commercio intoxicati interierunt.Nemo tamen expertus inficiabitur,ea quæ substantiam & copiam caloris congeniti,& non qualitatem, nisi defectā, adaugent,stomachi quoque concoctionem promouere:de quo genere sunt aromata deglutita, fomentationes,cataplasmata,exercitia, & frictiones ac balnea, & id genus temperati caloris fomēta: ut catellus aut puer senili stomacho accumbens.Sic Dauid septuagenarius, quum senili frigore torperet,nec pellibus coopertus incalesceret, Medicorum consilio persuasus, spectati decoris puellæ Sunamiti Abysagh castè in eius amplexibus condormiuit,ut eius calore stomachi robur foueretur:quibus constat,calorem naturalem & à corde infusum, non modò esse spirituum, naturalis & uitalis uehiculum,sed præcipuum concoctionis organum, & uirtutum animæ instrumentum, ut Aristoteles lib.2. de Anima testatur,text.com.xxxiij. Est & alia in morbis

*De pueris & catellis, hæc Galc.lib.5.de Simp.med.& in Therap.*
*De Dauide hæc Iosephus li.7.Antiquitatum.cap.15. & Regū 3.cap.1.ac diuus Hieronymus parte tertia Tract.3.epistola 7. Secundæ digestionis descriptio.*

dicta cruditatis humorum digestio, quæ ut prima in cōseruatione sanitatis,sic ista in morborum cura à medico est summopere obseruanda: in qua alimentum in potentia,ob genuini caloris imbecillitatem, aut complexionis uiscerum intemperiem, aut eius inaptitudinem,in humores putredini obnoxios concoquitur,qui tandem morborum alimenta fiunt: quorum digestio (ut Galenus ait) est alteratio, cessare faciens putredinem,remanente substantia: quam calor naturalis, primarius omnis concoctionis opifex,in benignum corporis alimentum conuertit, & uirtutis discretiuæ adminiculo benignam à putrido aut corrupto secernit: quod tandem natura per crisim,aut si ea defecerit, Medicus per pharmaca expurgat. In hac sanè humorum concoctione Medicus naturæ auxiliares manus cum diæta & pharmacis ferre potest,ut putrefactionis causa(quæ,teste Aristotele,est in humido caloris naturalis, ab extranea caliditate destructio) facilè extirpetur, & cesset putredo.nam si calor naturalis à præternaturali dissoluitur,diæta & medicina frigorifera illi subueniet: si cruditate aut frigore languet, calidorū usu fouebitur: si copia humorum aut crapula obruitur, abstinentia & exercitio exonerabitur. Si uerò uiscerum imbecillitas & intemperies concoctioni obstiterit, Medicus alterantibus & corroborantibus opem feret. Quod si ob prohibitam insensilem per poros transpirationem, & internam uiscerum ac uasorum obstructionem (quę nō raræ sunt putredinis causæ) calor putredinalis efferbuerit,frictionibus, sudoriferis, & deoppilatiuis Medicus naturæ subueniet. Et quamuis hæc non sint contemnenda concoctionis humorum subsidia, & putredinis remedia:nisi tamen calor naturalis præualuerit, pharmaca ne tantillum quidem efficient.& ob id pharmacorum exedentium actiones in cadaueribus torpēt, nec piper inspersum ea calefaciet, & ulcera morituri, quibus cooperta emplastris, nulla sanie madida, liuescere uidemus:adeò nihil pharmaca citra naturæ uires pollent. Quare hanc quoque humorum concoctionem non pharmacopolarum syrupis, ut Medicorū uulgus credit, sed naturæ acceptam referimus: quæ si euicerit,ut in abscessibus & tuberculis, pus album, leue & concretum producit: sic in humoribus uenarum & arteriarum hypostasim quæ in urina subsidet, leuem & candidam, puri concocto similem producit. quæ præter alia est præcipuum digestionis & recuperādæ per crisim sanitatis signū. Vnde Hippocrates, πεπασμοὶ ait, ταχυτῆτα κρίσιος,καὶ ἀσφάλειαν ὑγιεινῶν σημαίνουσι. Et rectè quidem ueteres concoctionem humorum,quæ in conceptaculis uenarum fit, apostematum digestioni contulerunt:in quibus nullam medicaminibus saniem cōctam producere poteris, nisi prius affecti mēbri inflammationem & intemperaturam sustuleris, & apostematis materia concoctioni apta fuerit:id est, à calore naturali euincibilis. Quare cancræna,elephantiasis, ulcera,& ipse cancer, nullis medicamentis ad maturationis suppurationem promoueri possūnt: quæ ob id non curari,nisi sectione aut ustione, rectè Hippocrates admonuit. Sic quoque si in uenoso uasorum genere aut uisceribus internis extraneus calor aut humorum cruditas caloris naturalis uires superauerit,aut materia morbi concoctioni reluctatur, ut in elephantiasi, nullā exactam humorum digestionem, uel in urina laudabilem hypostasim produci uidemus. Tertia uerò digestio est, humorum ad excretionem præparatio, quæ maximè ante purgationem,operam Medici requirit,ut suis ex thymo,pulegio,ysopo,origano,& aliis melicrato incoctis potionibus, humores crassos attenuet,lentos incidat,ac uiscerum & uenarum obstructiones aperiat. Nam ut Hippocrates ait: corpora cum quis purgare uoluerit, oportet fluida facere. Hæc de digestione te latēre nolui. Vale,& hanc postremā digestionis speciem artis industriæ debemus, quam Medici herbarū, radicum, & id genus medicamentorum simplicium decoctis, quæ Zulapia Actuarius indigitat,moliuntur. Iterum uale.

*Hāc digestionē Gal.li.5.de Simplici medi. tertiā humorū alterationem appellat.*

*Gale.in 3.Microtechni,digestiōis definitio.*

*De putredinis speciebus lege Gale. li.1. de Diffe. feb. cap.7.& 8.*

*De uirtute discretiua conuenientis ab incōuenienti, Auerrois secūdo Colliget,cap.7.& 9. & 3. Colli. cap.16.*

*Putrefactionis definitionē ponit Aristot. li. 4.Meteororū.*

*Putredinis causæ & remedia.*

*Signa morituri ex ulceribus.*

*Digestio est opus naturæ, non artis,aut syruporum.*

*Similē hypostasis & puris generationē declarat Gal.li. 1.de Differ. febriū.c.7.& li. 1.Hip.de Frac. ossis.*

*De signis digestionis Gal. in fine li.4.de Præ not.ex pul. & passim in li.1. & 2.de Crisi. Hip.li. 1. Epi.*

*Quare cancer & elephātiasis ulcera nō suppurentur, nec curentur. Id in Apho. Hip.monet.*

*Huius digestionis præparatoriæ meminit Gal.lib.4. Salub.& li.6. Epidē.Hippo. & li.1.Aphor. penultimo.Auicēna li.1. Fen. 1.doct.6.ca.3.*

*Tertia digestionis species. Hipp. lib. 1. aphor.penult.*

## DE CALORIS NATVRALIS *substantia & differentijs.* Epist. XIII.

Conquereris,mi cōpater, præcipua de causis naturalibus & naturæ operibus problemata, ideo esse obscuriora,q̄ cum frequens in illis fiat caloris naturalis & uirtutis informatiuę mentio,nulla tamē

de illorũ ſubſtãtia & nominibus cõſtãs in philoſophorũ & medicorũ ſcholis ſit aſſertio. Hoc certè ideo fieri arbitror, cũ calor ille, unà cũ prolifici ſeminis uirtute informatiua, ſint præcipua in obeundis naturæ operibus animæ organa, quòd de animæ ſubſtãtia, quam ſe ignorare Galenus fatetur, inter philoſophos non conueniat, neceſſe ſit & illos in rerum definitione & nominibus, quæ (teſte Platone) à genuina proprietate rebus imponuntur, diſsidere. Vnde Hippocrates & Gale. hunc calorem modò ſpiritum congenitum, animam, naturã, modò corporis temperaturam, nõ rarò quoque uirtutem informatiuam appellant. Proinde ut hunc ſcrupulum tibi eximam, paucis caloris ſpecies & uirtutis informatiuæ naturam tibi declarabo. Et eſt ſanè calor qualitas tactu perceptibilis, cœleſti & animarum uirtute moderata, actionum naturalium opifex & organum. Ac quidam eſt ſimplex, alius uerò compoſitus. Simplex uerò in elemẽtalem & cœleſtem diuiditur: Elementalis uerò, qui eſt edax ignis feruor, cũ ſit ſubſtantia λεπτομερέστατος, in cuncta eius obiecta penitius graſſatur, eáque uel in ſubſtantiam ſuam commutat, uel depaſcitur. Quare ſolus de elementorum numero ignis nutriri & augeri creditur, qui niſi admixtione innati & cœleſtis caloris mitigaretur, & ab animæ uirtutibus coërceretur, alimoniam cunctarum rerum naturalium inſumeret, quem ideo rectè Ariſtoteles concoctionis & nutritionis cauſam aut organum eſſe negat, nullúmque ex eo animal nutriri uel produci affirmat. Pleraque tamen animalia in igne uiuere poſſe, ſed non ex eo naſci, de Animalium hiſtoria ſcriptoribus cõdonamus, ut pyrauſtam, pennatum quadrupes in ærariis Cypri fornacibus per medium ignem uolare & oberrare; ſalamandram quoque lacertam cute ſquamíſque carentem, impunè in igne uerſari & uiuere non negamus, quem uirulento ſuo frigore temperat uel extinguit. Vnde Andræas Græcus inquit: κἂν τῷ αὐτῆς ἢ χεῖρα ἢ ἐσθῆτα χρίσῃς, ἀβλαβὴς ἔσται ἐκ πυρός. id eſt: Si ſalamandræ ſanguine manus aut ueſtes inunxeris, igne non adurentur. Vnde uulgus ex ſalamandræ pennis, quas nullas habet, mappas incõbuſtiles fieri nugatur: quæ ex amiantho lapide netili, alumini ſciſſili ſimillimo, conficiuntur, quarum ſordes ignis illæſa mapparum ſubſtantia abſtergit & expurgat. Alius eſt ſimplex ille cœleſtis calor, qui ſiderum motu & lumine omnia corpora concauo lunæ orbi ſubiecta penetrat, uiuificat, & fœcunda facit. Huius affluxu uer & æſtas frugum & florũ amœnitate, uelut copiæ cornu exuberãt: inſecta quoque, muſcæ, angues, ranæ, hirũdines, quę brumali frigore ſemimortua rimis tabularũ, medullis ſambuci, cauernis littorũ, ac intra arborum caudices ſeſe illatebrarunt, en reuiuiſcunt. At rurſas illius & ſolis à tropico cancri ad Antichthones diſceſſu, cuncta ſqualẽt & marceſcunt. Hic ille eſt uiuificus calor, qui cœleſtia cum terrenis ineffabili ſympathia & cognatione cõnectit, admirationéque dignos effectus producit. Oriente nempe canicula, mare æſtuat, feruent & fluctuant in uaſis uina. A pleiadũ occaſu, ipſo brumali die, pulegium ſuſpenſum in tectis & coronis floret, murium iecora & fibrę augentur, folia in oleis ac populo, pleraque malorum ſemina in pomorum meditullio ſeſe circumagunt, fides citharæ id temporis alieno ictu reſonant. Quid referam, pro lunari luminis motu, decremẽto & augmẽto, oſtreas, cancros, conchilia, & id genus oſtracodermorum, adde & ipſa animalium cerebra, ælurorũ oculos, & ipſum cæpe humeſcere, uel augeri, aut tabeſcere? Quum nautæ nouerint, lunæ motu maris æſtus & refluxus gubernari. Rectè Lucilius inquit: Luna alit oſtrea, implet echynos, muribus fibras & iecur addit. Minus ſanè iſta mirabitur, qui herbam heliotropium, uenerãdam ſolis pediſſequam, ad illius motum conuerti, eiúſque flores ſole oriente expandi, & ſole occiduo rurſum plicari & conſtringi obſeruauerit. Hæc cuncta cœleſti ſiderum calori, qui diuinum ſolis & ſtellarum uirtutis fertile eſt uehiculum, accepta referre oportet. Et ſi Cleãthi creditur, nec æthereus ille ignis ſuo fomento caret: cuius cauſa, Oceanus ideo ſub torrida cœli zona & zodiaco ſitus eſt, ut quum ſol cęteris ſtellis erraticis comitatus, illius circuli latitudinẽ oberret, ex ſubiecto oceani humore habeat alimoniam. Illius ergò poëtæ Oceanum & Thetim, deorum & ſtellarum finxere parentes. Et Homerus, teſte Macrobio, diuinarum omnium inuentionum fons & origo, finxit, Aethiopes oceani accolas, ac cœleſtium epularum reges, Iouem cum cæteris diis ad epulas inuitaſſe.

*Gal. fatetur ſe animæ ſubſtantiam ignorare, lib. de For. fœtus. & lib. 7. de Vtil. part.*

*Gale. in lib. de Rigore, & de Maraſmo, libro 1. Aphor. 14. & 15.*

*Caloris ſimplicis diuiſio, & elemẽtalis definitio.*

*Ariſt. lib. 1. de Gene. animal. cap. 3. Auer. 12. Metaphyſ. Com. 18.*

*De pyrauſta & ſalamãdra hæc Ariſt. li. 5. de Natu. animal. ca. 19. & Plin. li. 10. ca. 67. & lib. 11. cap. 35. Theophr. in lib. de Igne.*

*Hæc Nicandri interpres in Alexiphar.*

*De amiãtho hæc Dioſco. li. 5. ca. 100. Pli. lib. 36. cap. 19. & li. 19. ca. 1.*

*Caloris cœleſtis & ætherei definitio.*

*De hac cœleſti rerum natural. cum ſiderib. ſympathia Ariſt. ſectione 10. Proble. 11. Cicero lib. 2. Diuinat. Plin. li. 2. cap. 40. & 41. Gellius lib. 9. cap. 7. & libro 20. cap. 7.*

*De calore cœleſti accuratiſsimè ſcribit Franciſcus Picus lib. Prænotionũ. 5. cap. 5.*

*De ætherei ignis aut caloris alimento, hæc Cicero li. 2. de Natura deorum.*

*Macrob. de Somnio Scipion. lib. 2. Lucret. lib. 5. Pli. li. 2. ca. 9. et 10. Aethiopes deorum hoſpites. Homerus paſſim, & lib. 1. Odyſſ.*

Tertius uerò calor compoſitus, complexionalis, naturalis quoque dicitur, qui in generatione mixti, ex mutua elementorum actione, & primogeniarum qualitatum, pro ſuſcipienda forma ſubſtantiali, retractione reſultat: ſeminibus, plantis, & humido radicali, in omnibus animalium mẽbris, præcipuè ex ſanguine concretis, inſitus. nec niſi mortua, ut in cancræna, deſerit: qui, ut ignis in lampade oleo, ſic ille in membris humido congenito, ſanguine, ſpiritu, & cordis calore fouetur: qui quum ſit actionum naturaliũ inſtrumentum, & ferè coadiutor per animæ uegetatricis uires, de potentia in opera concoctionis & nutritionis producitur, quas ex primis ſpermatibus concipit, & his (ut ferrum magnetis uirtute) imbuitur. quem Hippocrates paſsim ἔμφυτον θερμὸν, id eſt, calorem innatum & congenitum appellat, qui (ut Galenus ad Glauconem, & nonnulli philoſophi ac medici ſummi arbitrati ſunt) fortaſsis ſubſtantia uirtutum exiſtit, aut ſaltẽ primarium & maximè neceſſarium ipſarum inſtrumẽtum. Et in Epidemiis ait, hunc τῆς ζωτικῆς δυνάμεως οὐσίαν, εἶναι τὸ ἔμφυτον θερμόν. Atqui Galenus de ſubſtãtia animæ dubius, hunc calorem congenitum modò animam, aut naturam, ſiue corporis temperaturam, ac non rarò ſpiritum appellat. Vt in 5. libro de Simplicium pharmacorum uirtute, ait: Oportet nos cognoſcere congenitum calorem ab Hippocrate dici, id quod in unoquoque animali ſpiritum nominamus. Nihil quoque obſtat, ſanguineam & aëream ſubſtantiã, unà cum ſpiritu congenitum calorem dici, quem Stoici ſubſtantiam animę eſſe arbitrantur. Habes hic, mi compater, compendiariam triplicis caloris, ignei, cœleſtis, & congeniti, quem naturalem & in corporibus uiuentium animalem quoque appellamus, explicationem: quorum differentias Cicero magis ab effectu, quàm à ſubſtantia, aut ratione formali, in libro ſecũdo de Natura deorum explicat: cuius uerba, ut ſummi philoſophi atq; oratoris, in ſcholis medicorum non uereor adducere. Ergo, inquit Cleãthes, quum ſol igneus ſit, Oceaníque alatur humoribus, quia nullus ignis ſine paſtu aliquo poſsit permanere: neceſſe eſt, ut ei ſimilis ſit igni, ſcilicet elementali, quem adhibemus ad uſum, aut ad uictum: aut ei qui corporibus animantium continetur. Atqui hic noſter ignis, quem uſus uitæ requirit, confector eſt & conſumptor, idémque, quocunque inuaſit, cuncta diſturbat ac diſsipat. Contrà ille corporeus & uitalis & ſalutaris omnia cõſeruat, alit, auget, ſuſtinet, ſenſúq; afficit: cui ſolis calor ſimillimus eſt, quum is quoque efficiat, ut omnia floreant, & in ſuo quæque genere pubeſcant. Hæc ex Cleanthis philoſophi ſententia Cicero repetit, & probat. Verùm præter naturalem & congenitum calorem, ut Gale. de Formatione fœtus refert, eſt alius in corporibus animalium calor, cuius uehiculũ eſt ſpiritus uitalis ex defæcatiori ſanguine in ſiniſtro cordis uentriculo genitus, cuius in animalibus cor eſſe fons & clibanus rectè aſſeritur. Nam perinde ac ſolis lumine & tepore, reliqua ſidera cuncta illuſtrantur & calent: ſic hoc cordis calore, qui per arterias omnibus mẽbris & præcordiis influit, ea fouentur & incaleſcunt, quo congenitus membrorum calor uiget & conſeruatur: quod uel ex hoc cõiicere potes: quamprimùm cor narcoticorũ frigore alget, reliqua cuncta corporis mẽbra torpent & frigent. Quare & hic actualis à corde influens calor appellatur, qui innatum calorem membrorum de potentia ad actum excitat, & manifeſta & occulta corporis per arterias & pulmonem inſpiratione conſeruatur, ac utraque corporis expiratione, à fuligine expurgatur: quare & aëris ſerenitas, ad illius & ingeniorum ac ſanitatis uigorẽ magnopere cõfert. Hęc cum noueris, facilè à contrario, quid ſit calor præternaturalis, aduentitius, & putredinalis, ſtatuere poteris.

Reliquũ eſſet, ut te quoque, quid de uirtute informatiua philoſophi ac medici ſtatuerint, & ego ſentiã, certiorem redderem. Verùm quum nuncium, qui domum accelerat, diutius detinere non poſsim, id quod recepi me facturum, proximis literis expediam. Vale.

*Tertia caloris ſpecies.*

*De caloris naturalis ſubſtãtia, uerba Galeni ex 2. libro ad Glauc. & ex 6. Epid.*

*Ex Cicerone, caloris ignei, animalis, & cœleſtis differentiæ.*

*Quartus calor a corde influens dictus.*

## DE VIRTVTE INFORMATIVA.

### Epiſtola XIIII.

DVm ex Bononia, omnium bonarũ artium Muſæo, uiſurus Venetias Ferrariam proficiſcerer, ac mœnia illius urbis, quæ tum inſtaurabant, perluſtrarem, en forte fortuna uenit mihi obuiam Leonice-

nus

nus, uir de inſtaurata medicina benemeritus, quam à multis Arabum erroribus & barbarie uindicauit: quē quum plurima ſalute impertiiſſem, ſimúlque orarem, ut ſi qua Hippocratis aut Galeni opera latinitate donaſſet, illorum me redderet participē. tum Leonicenus (ut literis ſemper coniuncta eſt humanitas) benignè reſpōdit: Mi Langi, tuam ſalutationē beneuolo amplector animo, & uiciſsim quoque te ſaluere iubeo & opto: modò uerò nihil te dignum ſub Chalcographorum incude habeo. Sed nolo te latêre, inter noſtrates Medicos, Cæſarem Neapolitanum, & Franciſcum Caballum, de uirtute informatiua eſſe eruditam altercationē, de qua olim cum Marſilio Ficino ex Platonis Academia multa diſſerui: & quandoquidem de eius ſubſtantia inter Ariſtotelem, Galenum, & Auicennam eſt ingens diſsidium, de illa modò Commentarium parturio, propediem editurus. Hæc ille. Quod ſi de hac Marſilii & Leoniceni ſcripta prodiiſſent, ne uelut anſer inter olores obſtrepere uiderer, conſultò tacerem. Cæterùm, quum boni uiri officium, promiſſa præſtare, requirat: meam de hac re tam ardua opinionem te non celabo. Virtus ſanè informatiua eſt, ſpiritus in aërea ſeminis ſubſtantia contentus, uirtutibus animæ uegetatricis imbutus: ſuo calore uiuifico, ſolis & ſtellarum calori proportionalis.

*De uirtute informatiua Auicenna. lib. 1. Fen. 1. doctri. 6. cap. 2.*

*Virtutis informatiuæ definitio.*

Tria nempe in ſeminis ſubſtantia continentur: Spiritus, quo eius ſubſtantia turget & ſpumeſcit (ideo non temere Venus Aphroditis dicta, ex ſpuma æquoris nata fertur) deinde calor congenitus, utriuſque parentis ſemen ad embryonis plaſma & fabricam præparans, & concoquens: hunc cum calore ſpiritum Ariſtoteles in libello de Mundo, his uerbis eruditè deſcribit, ἡ δὲ ἐν φυτοῖς καὶ ζώοις, καὶ διὰ πάντων διήκουσα ἔμψυχός τε καὶ γόνιμος οὐσία, πνεῦμα λέγεται. Poſtremò uirtus animæ uegetatricis, quam Stoici, Plato & Hippocrates naturam appellant, quæ materiam embryonis unà cum cœleſtis caloris influxu effingit & delineat. Hæc ſanè in ſubſtantia ſeminis contineri Ariſtoteles, ingens naturæ lumen dictus (qui tamen, ut ſepia effuſo atro ſanguine, ne à piſcatoribus capiatur, ſe abſcondit: ita is arcana naturæ pleraq; perplexa breuitate obſcurat) cùm alibi, tum præcipuè in lib. 2. de Generatione animalium tradit, dum ait: Ineſt in ſemine omnium, quod facit, ut fœcunda ſint ſemina, uidelicet quod calor uocatur: idque non ignis, nō talis facultas aliqua eſt: ſed ſpiritus qui in ſemine ſpumoſóq; corpore cōtinetur: & natura, quę in eo ſpiritu ineſt, proportione reſpondens elemēto ſtellarum. Naturā uerò in ſeminali ſpiritu nil aliud eſſe ferunt Academici, quàm animam uegetatiuam ab anima mūdi, mediante calore ſolis & ſtellarum, rationibus ſeminalibus dotata, & illuſtrata, ſecundum quas ex ſpermate pro idęa uniuſcuiuſque ſpeciei ſobolem effingit, & format. Proinde Plotinus, fidus Platonis interpres, naturam hanc ab anima mundi profluere, illiúſque eſſe actum eſſentialem, & uitam ab ea dependentē, libro tertiæ Enneadis octauo aſſerit. & Themiſtius hanc uirtutem informatiuam eſſe animam in ſemine potentia animato incluſam, affirmat. Proinde ut anima mundi, ab æterna mente, omnium rerū opifice, idęis & rationibus ſeminalibus decorata, ſuo æthereo ſpiritu, totius uiſcera mundi penetrans & fœcundans: non ex ſpermatibus modò, ſed de excrementis quoque (quæ etiam uitali principio & ſpiritu participare, Ariſtoteles lib. 2. & 3. de Generatione animalium perhibet) ſecundum intellectuales diuinæ mentis idęas, animalia effingit & procreat: ſic in Microcoſmo anima hominis diuinæ mentis ac cœleſtis animæ & ſtellarum uirtutis particeps, ex ſpermate, congenito animalis calore, & ſpiritu, ad ſuſcipiendam formā præparato, ſobolem pro illius ſpeciei ratione & idęa format & producit. Sic quoque motores orbium & ſiderum intelligentiæ, ſub concauo orbis lunæ cooperante æthereo ſiderum calore & ſpiritu, etiam citra ſemen, in terra & æquore animalia, & illorum (ut conchiliorum, ſerpentum & cancrorum, & quorundam piſcium) effigies in petris effingit: ac ligna querna, & alia robora, præuia alteratione, & ſtipites terra obrutas in lapides, cotes, & trabes lapideas transformat. Ex foliis braſsicæ, rore madidis, erucas: ex his tandem papiliones: ex lignis, uermes, coſſos, & tabanos: ac ex fimo ſcarabeos producit: & ex limo Nili mures naſci, Diodorus tradit. Et quod omnem ſuperat admirationem, ex iumentorum corpore terra obruto, apes: ex corpore equorum exanimato, ueſpas ac crabrones; ex aſinorum uerò, ſcarabeos, admiranda quadam metamorphoſi procreat. Vnde Ouid.

*Venus ex ſpuma nata, Aphroditis dicta.*

*Ariſtotelis ſolertia.*

*Auguſtinus Ariſtotelem naturæ lumen appellat.*

*Verborū Ariſtotelis de ſemine, ex lib. 2. de Gene. animal. cap. 3. declaratio.*

*Natura in ſemine quid ſit, Druſianus tertio Microtechni, Commē. 29. Plotinus li. 8. tertiæ Enneadis.*

*Plotinus de natura formatiua quid ſentiat.*

*Themiſtius hæc in Cōmēt. de Anima & 12. Metaphyſicæ.*

*Animæ mūdi actiones.*

*Macrobius li. 1. de Sōnio Scipionis, Cicero de Vniuerſo, Plato in Tim.*

*De idæis hæc doctè Euſebius, de Præpar. Euang. li. 11. cap. 10. & Auguſtinus li. 83. Quæſtionū.*

*Effigies animalium unde.*

*Ligna cōuerſa in lapides.*

*Erucæ.*

*Papiliones.*

*Coßi.*

*Tabani.*

*Scarabei.*

*De hac ſpontanea animalium generatione Ariſtot. lib. 5. de Hiſt. anim. cap. 19. Pli. lib. 11. cap. 31. & ultra li. 9. ca. 58. Macrob. li. 7. Satur. circa finē.*

Cognita, inquit, res uſu: de putri uiſcere tauri
Florilegæ naſcuntur apes. Et,
Preſſus humo bellator equus, crabronis origo eſt.

Cui nam hæc niſi cœleſti animæ mundi & ſiderum uirtuti accepta referre oportet? Vnde Ariſtoteles tertio de Generatione animalium, cap. 10. Platonis præceptoris ſui dogma aſſerere coactus: Generantur, inquit, in terra humoréque animalia, & plantę: quoniam humor in terra, ſpiritus in humore, calor animalis in uniuerſo ineſt, ita ut quodammodo plena ſint animæ omnia. Huius ſpiritum poëtæ Iouis nomine dignantur. Ob id Aratus, μεσταὶ δὲ (ait) Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαί: Iouis omnia plena. Hæc cuncta Virgilius, diuino afflatus furore, his carnibus complexus eſt:

*De apum procreatione hæc Virgi. 4. Georgi. Pli. li. 11. ca. 10. & Ouidius li. 15. Metamo. Hiero. parte 3. Epiſto. 32. & interpres Nicādri in Alexipharmacis.*

Principiò cœlum ac terras, campóſque liquentes,
Lucentémque globum Lunæ Titaniáque aſtra,
Spiritus intus alit, totámque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet:
Inde hominum pecudúmque genus, uitæq; uolucrū,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus.
Igneus eſt ollis uigor, & cœleſtis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant.

*Ariſtot. in lib. de Mundo, eadē aßerit, & Virgi. Aeneid. 6. & 4. Georg. Macrob. lib. 1. de Somnio Scipionis.*

Accipiſne modò, à diuina mente, primo omnium rerum principio & opifice, animam mundi ſuis idæis decoratam emanare, & ab ea ſtellarum ſiderúmque intelligentias procreari? quarum uirtutes per æthereum ſpiritum & calorem, uelut uirtus magnetis ferro, ſeminibus & animabus noſtris illabuntur: quarum adminiculo natura ſiue anima cuncta effingit, format, & producit: niſi materiæ indiſpoſitio obſtiterit, tum mōſtra producuntur. Et certè, quod eſt animæ rationali mens, id eſſe uirtutem informatiuam animæ uegetatrici, ab orbium motoribus & aſtris cœlitùs datam & cōmunicatam, aſſerimus. & ut mens in architecti intellectu ædificii exemplar fingit, ita uirtus illa informatrix in anima & ſeminibus pro natura cuiuſque ſpeciei animalium & plantarum idæas producit. Deinde Galenus iurè libro 3. 6. & 7. de Vtilitate particularum, ſapientiſsimæ naturæ, quamuis indoctæ, ac diuinæ mentis in humani fœtus fabrica, opera admiratur & celebrat.

*Plato in Timæo copioſius hæc.*

Et his, promiſſa me præſtitiſſe arbitror. Si plura requiris, poteris Platonem, & eius interpretem Plotinum conſulere: qui in Timæo, cuilibet animarum generi peculiare aſtrum attributum eſſe affirmat. Vale.

*Sic polus ſeptentrionalis eſt peculiare aſtrum magnetis.*

## DE CAVSA MORBORVM CONiuncta, & duplici illorum conſtitutione, uel diſpoſitione. Epiſtola XV.

SCiſcitaris à me, an morbus à cauſa ſui coniuncta differat, & an Galenus quoque illam inter cauſas morborum enumerauerit. Hæc certè te, ut tantum mihi faceſſas negocium, quærere ſuſpicor: quum hæc ſolum ſit de uerbis, uelut de lana caprina, altercatio, te indigna. Tamen ne deſiderio tuo in tantilla re defuiſſe uidear, rem ſic paucis accipe. Morbus quidem eſt διάθεσις, id eſt, diſpoſitio quædam in animalis corpore, illius primò lædens operationem. At cauſa coniuncta, quam Græci uocant συνεκτικὸν αἴτιον ἐστὶν, ὃ παρὸν μὲν παρέστι καὶ τὸ νόσημα, καὶ ἐξαιρουμένου, λύεται. id eſt, Continens cauſa eſt, qua præſente morbus adeſt, & ea ablata, diſſoluitur. Quæ quum de morborum diatheſi quoque uerè prædicari poſsint, & quorum definitio eſt eadem, illorum quoque ſubſtantiam non differre, in confeſſo ſit: morbum quoque & cauſam coniunctam idem eſſe fatebimur. & quum actiones læſæ, ac alia morborum ſymptomata, ſint illius ſoboles: hanc quoque cauſæ rationem habere affirmabimus. Vnde ueteres nonnulli Medici, qui actionem læſam non ſymptoma, ſed morbum eſſe ſtatuerunt, diatheſim operationes corporis primò lædentem, coniunctam eſſe morborum cauſam decreuerunt. Sic Gal. lib. de Cauſis ſymptomatum quarto, neruorum à uiſcoſis humorib. obſtructionem, aut illorum à torpedinis ſpiritu aut alio infrigidationem, aut coarctationem, ob quam ſpiritus à cerebro in neruos defluere non poſsit, eſſe coniūctā ſtuporis cauſam clarè teſtatur. & in ueſtibulo primi de Pulſuum cauſis libri inquit: φέρον γὰρ δὴ τὸ γένος τῶν αἰτιῶν, οὐκ ἐν σφυγμοῖς μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν ἄλλοις ἅπασιν, ἓν μὲν τὸ πρῶτον τε καὶ κυριώτατον, ὃ δὴ καὶ συνεκτικὸν καλοῦσιν, ἀπὸ τοῦ συνέχειν αὐτῶν τὴν οὐσίαν, ὠνομασμένον.

*Morbi definitio a Galeno lib. 2. de Nat. ho. & de Dif. morborum poſita.*

*Gal. in lib. de Medic. & definitionib. Medicis, ac Auic. can. 1.*

*Galen. quibus in locis ponat cauſam cōiunctam.*

*Cauſam quoque tremoris coniunctā, ponit Galen. in principio li. 3. Epid. Hippoc. Gal. li. 1. Methodi copioſè hæc tract. Idē de Cōſti. Med. Morbum cauſam ſymptomatum nominat.*

id est, Tertium genus causarum, non in pulsibus solum, sed in omnibus aliis, unū est primū & principalissimū, quod continens appellant, à cōtinendo ipsorum essentiam nominatum. Et in tertio Paruæ artis lib. Dispositio ea, inquit, quæ primum operationes naturales lædit, quam quidem ipsam dicimus esse morbi essentiam, uel (ut uetus translatio habet) causam. Quid multis? Lege Gal. in 30. Aphor. 7. lib. Comm. & clarè intelliges Gal. spumosi excrementi in diarrhœa, à cerebri in uentriculum defluxu facta, spiritum flatulentū, causam illius coniunctam statuere. Ex his confectum esse arbitror, diathesin morbiferam ac causam continentem, eandē esse morbi essentiam, non ab Auicenna modò, sed à Galeno passim sic appellatam: quia respectu symptomatum, quæ sunt illius progenies, causæ rationem habeat. Cæterùm cum hæc de nominibus altercatio curam morborū non uariet, plus conduxisset scrutari, an morborū cura in ablatione causæ præcedentis, quam Græci προηγουμένην appellant, aut in extirpatione causæ continentis, quam συνεκτικὴν nominant, subsisteret. Hæc sanè ut dignoscere possis, scire operęprețium est, geminas esse morborum cōstitutiones. Vnam, quorum essentia in facto esse subsistit, non amplius à causa præcedente dependens, quæ διάθεσιν immediatè lædentem actiones, in corpore producit. Hanc Galenus libro de Locis affectis primo, propriam dispositionem uocat, quæ separata causa, quæ ipsam fecit, permanere potest. De hac perinde à causa procathartica, nulla sumitur remediorū indicatio, quoniam euanuit. Altera est morborum constitutio, quorum esse adhuc à generatione causæ præcedentis & efficientis dependet. Vt uirus ex canis rabiosi morsu conceptum, ac per corporis molem diffusum, per aliquot menses, aut annos quoque: uelut quædam pharmaca δηλητήρια, diu delitescit, donec uiscerum & cordis naturam sensim infecerit, tum subitò rabies illa canina in hydrophobis emergit. Pariter quoque menstrui sanguinis impuritas, quo uiscera embryonis cōcreta sunt, ut puriori eius parte fœtus alatur, aliquot annos intra uiscera latet, donec eius contagione, ebullitione in sanguine facta, exāthemata, quæ Arabes uariolas & morbillos uocant, producat. In tali morborum genere & constitutione, præcipuè remediorum indicationes à causa antecedente sumunt: qua ablata, morbus quoque cum suis symptomatibus unà aufertur. Vt si quem dolor capitis ob biliosum humorem in uentriculo contentum infestauerit: aut si quis collecto in ore uentriculi tenui excremento, ad cerebrum euaporante, scotomia laborauerit: uentriculo ab his per uomitum expurgato, hæc cessant. Hæc ideo tibi significaui, ut potius causarum cognitioni, quàm de nominibus altercationi animum adiicias. Vale.

*De hac morborum constitutione Gal. 3. Paruæ artis libro, tex. Com. 32. & libro 2. Aphor. 22.*

*De rabie canis Dioscor. lib. 6. cap. 36. Gal. de chir. ad Piso. & lib. 2. prædictionū Hippoc. & in tertium Hippoc. Epid. librum.*

*De uariolis & morbillis, hæc Auicenna li. 4. Fen. 1. Tracta. 4. cap. 6.*

*De dolore capitis & scotomia hæc Gal. lib. 1. de Locis affect.*

## AN IN CVRA EXANTHEMATVM *puerorum, & scabiei, ac morbi Gallici, & bubonibus, & erysipelate, phlebotomia aut purgatio competat.* Epistola XVI.

*Eandem quæstionē tractat Cōciliator differentia 180.*

PRoximis tuis literis significasti, nudiustertius, an in curandis puerorū, morbi Gallici, scabiei, exanthematibus, & in ipsa erysipelate, phlebotomia & pharmacum alui deiectorium competeret, ingētem inter uestræ urbis medicos obortam fuisse altercationem: quam ex superiori Epistola, de causa morborū coniuncta, & duplici illorum constitutione, ad te scripta, facilè dirimere potuisses: in qua sanè intellexisti, hos morbos, quorū essentia non amplius à causa præcedente dependet, nec amplius eorum materia in alto corporis, sanguini permixta, præcordiis aut uenis insidet, sed ad externam corporis molem naturæ uiribus integrè protrusa est, nec phlebotomia nec pharmaco purgatorio egere: nisi aliqua illius portio, aut cōtra naturam διάθεσις, in corpore adhuc reliqua fuerit. Vnde uenerandus ille medicorum coryphæus Hippocrates rectè monuit: Quæ iudicantur, & integrè iudicata sunt, neque mouere, neq; renouare aliquid, siue medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere oportere. Has uerò integras humoris noxij excretiones in his morbis plurimum accidere uidemus, quæ cum sanguinis ebullitione oriuntur: ut est febris bubonum, ephemera, sudor Anglicus, erysipelas, puerorum exanthemata: & hanc sanguinis ebullitionem, ut in succis & musto ob aquosa & cruda excrementa, uel putrescentia, fieri constat.

*Hippo. lib. 1. Aphor. 20.*

*Gale. lib. 4. de Simpli. medi. causas ebullitionis succorū & sanguinis ponit.*

Nam quum in omnium rerum naturalium succis, tria excrementorum genera contineantur: unum terrestre, quod in uino fæx est: aliud aëreum, quod dicto quoque in uinis flori respondet: tertium aquosum & crudum, quod tempore aut calore ferueſcens, in humoribus & succis ebullitionem facit. Sic quum puerorum uiscera materno sanguine concreta & enutrita, qui ob desidem mulierum uitam, & caloris imbecillitatem, plus æquo aquosior, minùsque concoctus existit: quis non illius contagione & sordibus tenerum pueri corpus conspurcari, & superfluitatibus redundare credat? Quæ cum in massa sanguinis, aut præcordiis, calore febrili incaluerint, tum eas natura, uelut mustum ebulliens fæces, ad externa corporis eructat, unde exanthemata fiunt. Sic quoque sanguis in epate, aut uenis, utriusque choleræ putredine efferuescens, illius sordes ad ambitum corporis expellit. Vnde in inguinibus bubones, in aliis membris erysipelata, serpigines, anthraces, & phlegmones oboriuntur. Et cum corpus per crisim à noxiis humoribus integrè expurgatum fuerit, quòd urina sanguinis serum, sanorum lotio similis facta indicat: tum frustra phlebotomia aut pharmaco sanguinem purgaremus: & tum potius præfata morborum exanthemata ac reliquiæ & symptomata, facilè externis remediis aut fomentationibus curarentur. Quemadmodum in illa diuturna peste, quæ Romæ Galeni temporibus sæuiit: His, inquit, qui mortē euasuri erant, pustulæ quas exanthemata uocant, nigræ toto corpore confertim erumpebant: erátque intuenti perspicuū, reliquias eas esse sanguinis, qui in febre putruerat: quas uelut cinerem quempiā, natura ad cutim trusisset, sicut alia ex superuacuis nonnulla protrudit. Verùm, inquit, medicamentis ad eiusmodi exanthemata opus nō fuit, cum sua sponte siderent. Sic quoque ego scabiem & crurium œdemata, cùm post aliarum febrium, tum pręcipuè quartanæ febris crisim oborta, sponte exolescere, citra omne medicamentorum subsidium, plus centies uidi. Quod si tum phlebotomia facta fuisset, aut pharmacum exhibitum, ingens fuisset periculum, ne per eas uenas, per quas materia morbi expulsa fuerat, rursum ad interna uiscera retraheretur. Nam & stomachus famelicus alimoniam uisceribus & mēbris transmissam, per easdē uias repetere, aliósque humores è uisceribus in sinum suum allicere potest. At quum illa fœda cutis asperitas, uulgò scabies dicta, ex impuro sanguine cholerico, uel adusto, aut fęculento salsi phlegmatis liquore, permixto oriatur (qualem epar ob suā discrasiā, uel non raro ex esculentis & potulentis mali succi producit) quem natura non confertim, sed sensim cum corporis alimento citra sanguinis ebullitionem ad corporis membra dispergit, & illa sua contagione inficit & alterat: unde fit, ut eius successiua regeneratio non modò ab epatis discrasia, uelut ab interna causa antecedēte, sed non raro quoq; ab obstructione splenis, cuius officium est sanguinem expurgare: & à membrorum cōtagione quoque dependeat: proinde hic opus est, ut nō modò incisa uena, & crebra alui deiectione sanguis expurgetur, sed & ut epatis quoque intemperatura, splenísque obstructio detergatur, corrigatúrque. Et tandem corpore prius sic bene expurgato, operæ precium erit, ut externam quoque corporis molem potionibus ex theriaca sudoriferis, aut balneis, thermísue sulphureis, aut unguentis ex hydrargyrio confectis, exicces: & ab hac concepta contagionis lue, membra externa quoque uindices. Quandoquidem uerò recentis morbi Gallici pustulæ, cū scabiei præcipuè feræ exanthematibus, magnam habeant affinitatem, quam communia utrisq; remedia arguunt: ac præter externas contagionis causas, ambo ab interna corrupti sanguinis & humorum præcordiorum infectione & sordibus dependeāt: quis obsecro, etiam post expulsas ad corporis superficiem pustulas, sanguinis per phlebotomiā & pharmaca euacuationē, in utriusq; cura, plurimum momēti habere inficiabitur? Certè nemo. Cæterùm uix ullā scio esse ægritudinem, in qua mulieres decoris faciei, ne ea cauis exanthematum uestigiis deturpetur, maiorem rationem habeant. Proinde peculiare est illarū in hoc morbo problema, de quo nondum inter Medicos conuenit, an exanthemata acu aurea argenteáue sint aperienda. Atqui quum hoc problema ad ueterem Medicinæ artem κοσμητικὴν dictam spectet, quæ naturalem corporis pulchritudinem conseruare docet, æquū censeo, ut

*De sanguine materno Gal. in lib. de Venæ sectione cont. Eras. med.*

*Exanthemata & ulcera unde fiant.*

*Vrina exactæ crisis signum, Gal. lib. 4. Salubriū, & passim.*

*De exanthematibus pestilētialibus, hæc Galen. libr. 5. Metho. & in libel. de Atra bile.*

*Scabies post quartanā, & alias febres salubris.*

*Hanc humorū per pharmaca retractionem Gale. lib. 3. de Viribus natural. fatetur.*

*De orificiis uenarū per quæ corpus purgatur, Alexand. Aph. lib. 2. Proble. 54.*

*Generationis scabiei causæ.*

*Hanc pustularū & scabiei, exanthematúmque curā Gal. in secundū Epidemia. Hipp. li. Commen. 6. abūdè docet.*

*Pleraque scabiei & morbo Gallico remedia esse cōmunia.*

*De cosmetica medicina, Ga. lib. de Compositione medic. secūdum loca.*

ſeo, ut medicus quid facto opus ſit doceat. Proinde ſi ſanies in exanthematibus liuida, aquoſa, & indigeſta apparuerit, & ea ex aëris contagione peſtifera, quam crebrò anteuertunt, pullulauerit, tunc ob acredinem & uirulentiam humorum, ut illorũ uirus exhalet, & ne excedant, aperienda cenſeo: ita tamen, ne illorum cruſtula, quam Græci ἐφελκίδα uocant, unà auferatur. At ſi ſanies ſpiſſa, alba & bene concocta fuerit, ſatius eſſe arbitror, ea intacta relinquere. Nam in huiuſmodi ſaniei generatione carnem quoque ſuccreſcere, qua puſtularum ueſtigia explentur, nouimus. Ea uerò remedia Coſmeticæ artis, quæ Auicenna in hoc morbo refert, plus ad puſtularum exiccationem quàm ad illorũ delenda ueſtigia conferunt. Quòd ſi faciei decorem conſeruare uolueris, poſtquam cruſtæ ſponte deciderint, faciem cum decoctione lupinorum, aut aqua diſtillationis florum fabarum manè & ueſperi abluito, uel liquore tartari uſti ſtillaticio irrigato, & ſpe non fruſtraberis. Vale, & animæ pulchritudinem corporis uenuſtati coniungere ſtude.

*Auicenna lib. 4. Fen. 7. Tract. 2. cap. 5.*

## AN PHLEBOTOMIA SIT *pharmacis purgatiuis præmittenda.* *Epiſtola* XVII.

SEdata nuper contentione, nempe an materia morbi ad ambitum corporis expulſa, uenæ ſectio & pharmaca excretoria competerent: interim audio, aliam eſſe altercationem inter ueſtros Hæmophobos, Eraſiſtrati & Arabum ſectatores, medicos, obortam, qui ob ebullitionem choleræ, omnẽ uerentur uenæ ſectionem: nempe in morborum cura, qui tam per phlebotomiam quàm pharmaca, euacuationem requirant, utra præcedere debeat. Verùm quandoquidem diſcordia medicorum eſt pernicies ægrorum, concordia uerò illorum ſalus, hanc quoque contentionem dirimere ſtudebo. Conſtat ſanè, quòd in omni repletione uenoſi uaſorum generis, præcipuè plethorica, ſi primùm inciſa uena corpus euacuauerimus, tũ pharmacum poſtea datum inueniet uenas & corporis meatus non ita refertos, nec obſtructos, ut pharmaci uires, natura duce, impeditè totam corporis molem penetrare poſsint, & mira facilitate noxios educere humores. Si uerò uaſa fuerint ſanguine, aliiſue humoribus repleta, tum obſtructis circa epar & meſenterium uenis, pharmacum non ferenda alui tormina, cruciatus, & animi deliquia excitabit, ac uenulas diuellet, nihil quoque effatu dignum educet. Proinde Hippocrates in omnibus ferè morbis acutis, in quibus humores non turgent, in phlegmone aliiſue internis uiſcerũ tumoribus & apoſtematibus, & in quibus morbis omnes humores ęque ſeruata eorum proportione augentur, uirtute, & ætate ægroti conſentientibus, curam à uenæ ſectione auſpicatur. At ſi tantum unus ex illis humoribus præter ſanguinem redundauerit, aut cõputruit, aut exigua fuerit ſanguinis boni ſubſtantia, aliorum humorum copia ſuperata, tum primùm ab alui deiectione euacuationẽ molitur. Vnde Galenus, fidus illius interpres in libro de medicina facilè parabili, in cura Iſchiadicæ paſsionis inquit: ἀ μὲν πολὺς ἔιη ὁ ἐνοχλῶν χυμὸς, καθάρσει πρῶτον χρηστέον τοῦ λυποῦντος χυμοῦ. εἰ δὲ πληθωρικὸν ἔιη τὸ σῶμα, πρώτης ἁπάντων παραλαμβανομένης φλεβοτομίας. Id eſt, In cura doloris coxendicum, ſi multus fuerit infeſtans humor, purgatione primùm utendum erit humoris affligentis: ſi uerò plethoricum fuerit corpus, primum omnium ſuſcipienda eſt phlebotomia. Illud uerò tacitè non eſt prætereundum, cum melancholia, uelut fęx in uino, in fundo uaſorum ſubſideat, & ob eius groſsitiem in expurgatione humorum pharmacis ſit contumax: Galenum prudenter curam cancri ac elephantiaſis & ulcerũ malignorum à phlebotomia exordiri. Proinde in libro de medicamentorum compoſitione κατὰ γένη, gloriatur ſe curam ulceris cacoëthici in crure, uaricibus atra bile refertis circũſepti, à uenæ ſectione inchoaſſe, poſtea pharmaco quoque melancholiam purgaſſet, andem uarices per tranſuerſum inciſiſſe: ac ſic ulcus, aliis immedicabile, feliciter conſolidaſſe. Harum uerò euulſionẽ, quamuis ſtans animo interrito, ac non contractis ſuperciliis, C. Marius in uno crure tuliſſe fertur: illarũ tamen curam morbo uidelicet grauiorem, in altero crure pati detrectauit. In huius altercationis diſcuſsione, unà cum Auicẽna, pharmaca ea nominamus, quæ uulgus medicorũ electiuè purgare aſſerit. De quorum numero ſunt, uterque elleborus, & ſeſamoides, thurbeth, eſula, meſereõ, aut coccognidium & ſcamonea, quorum uirus ultra epar per uniuerſum corpus diſpergitur. At aliorum quę benedicta & lenitiua uocant, qualis eſt manna, terebinthina, caſsia, thamar Indorũ, reubarb. epithymus, ſene, & id ſalubrium pharmacorũ genus, ac denique clyſteria ex his lenitiuis & medicinarum obſtructiones aperientium, & humores uiſcoſos incidentium decocto confecta: horum inquam uſum ad eluendas uentriculi & inteſtinorum ſordes & excrementa, ne his uirtus pharmaci obruatur, & ratione uacui, in uenas phlebotomia exhauſtas, ſuccedant: ut his quoque obſtructi uenarum meſenterii meatus aperiantur, ante phlebotomiam & pharmaca fortia nõ repudiamus. Nec alio nomine apud ueteres Medicos, ante fortia ſolutiua, & ex ellebore aut narciſsi cepe, uomitiua pharmaca, uſus ſyrneſmorum inoleuit, qui erant mediocres ex melicrato & aliis lenientibus & abſtergentibus euacuationes, quas noſtri ſeculi Medici minoratiuas appellãt: horum tamen omnium recta adminiſtratio ex prudentis medici iudicio coniecturali dependet: id quod frequenti uſu & rationis exercitio in explorandis morborũ cauſis & curis tibi comparare poteris. Vale.

*Eadem docet Ga. li. 4. Salu. & autor libelli de Affectuũ in renibus dignotione.*

*Hipp. hæc li. 4. Reg. acutor. & Gal. lib. 2. Aph. 8. docent.*

*Hæc quoque eadem tradit Auicẽna quarta primi, ca. 5.*

*Phlebotomiã morbis ex melancholia competere teſtatur Gale. lib. 2. ad Glauco. & de Atra bile.*

*De hac ulceris curatione plura Gal. lib. 4. de Cõpoſi. medic. & in lib. de Atra bile.*

*Varices ſectione & euulſione curatæ.*

*De C. Mario. qui ſepties cõſul fuit, Pli. li. 11. cap. 45. & Plutarchus in Apoph. Auicenna Fen quarta primi, ca. 5.*

*De ſyrneſmis hæc Gale. in 2. Hip. de Articulis librum.*

*Minoratiuæ euacuationes erant apud ueteres quoque humorum ad excretionẽ præparatoria, ſicut apud Alexandrum & Actuariũ nõnulla apoxemata.*

*Prudẽs medici iudicium uſu & ratione cõſtat.*

## AN CVRANDAE PESTIS ME- *thodus tam per phlebotomiam quàm pharmaca euacuationem exigat, & quæ ſit alteri præmittenda.* *Epiſtola* XVIII.

VErum id eſſe ingenuè fateri cogor, omnes encyclopediæ artes, uelut circulo quodã adeò cohærere, ut altera ſine alterius ope ſubſiſtere nõ poſſit. Ita quoque fateor, Medicinę artis problemata, uelut anulos in aurea Platonis cathena, adeò eſſe connexa, ut alterũ ſine altero ægrè moueri poſsit, quin alia quoque attingantur. Nam cum nuper in ueſtra Academia diſceptatũ fuiſſet, phlebotomiáne in cura morborum, qui utraque euacuatione egeant, ſit pharmacis pręmittenda: en mox altera illi affinis ſubrepſit quæſtio, nempe, An ratio curandæ peſtiferæ febris putredinalis, ante uel poſt alexipharmaci uſum utranque exigat euacuationem, & quæ alteri ſit præferenda. Cum hęc duo problemata quorum declaratio ex eiſdem ferè indicationibus prodit, ita cohæreant, ut alterum ab altero ægrè diuelli poſsit, æquum cenſeo, ut iſte quoque in circulo problematũ nodus rectè explicetur. Cõſtat igitur, non modò plethoram & cacochymiam, ſed potius ipſam morbi magnitudinem tam phlebotomiam quàm purgationem & indicare, & expoſcere. Morbus uerò quiuis trifariam magnus uel leuis dicitur: uel ob afflicti uiſceris præſtantiam, ut cordis, cerebri, diaphragmatis, præcordiorúmque phlegmones, & abſceſſus ac uulnera: deinde ob affectus magnitudinem, quam ſymptomatum ſæuitia, uelut ſyncopis, delıriũ, & alia eiuſdem farinæ accidentia indicant: poſtremò, ob eius malignitatem uel uirulentiam, cuius materia (ut in cancro, atra bilis) in uirulentis abſceſsibus & gangræna, & aliis, eſt concoctioni contumax, ac κακοηθέστατος. Atqui cũ hæc febris peſtifera, primum cor infeſtet, ueneni contagione particeps, horrendis ſymptomatibus, delirio, bubone, & anthrace æſtuet, ac triplici ratione non magnus modò, ſed maiorum maximus iure dictus, utranque certè, phlebotomiæ & per pharmaca euacuationem expoſcere uidetur. Atqui hoc diui Hippocratis & Galeni præceptum in omnium magnarum ęgritudinum cura non eſt perpetuum. Nam ſi quis uenenoſorum animalium, quæ Græci, ἰόβολα dicunt, phalangii ſcilicet, ſcorpionis ictu, aut aſpidis, caniſue rabioſi morſu, uel telo uirulento externè intoxicatus fuerit, tum horum curationis tantum duplicem indicationem Galenus & Damocrates ſtatuunt, uel uirus euacuando, uel alterando. Euacuationem uerò non pharmaco uel phlebotomia, ſed eorum medicaminum ope fieri ſtatuunt, quæ ſua ui calorifica uirus attrahant & eliciant: uelut ſunt cucurbitulæ, aut cornua, quibus ueteres illarum uice utebantur. alij labiis uulneri admotis uirus exugebant: alij locum affectum cauteriis adurebant, & exiccabant, aut carnem uulneris excidebant. Vnde Damocrates poëta Medicus rectè cecinit:

Διὸ καὶ θεραπείας ἐστὶν ὁμογενὴς τρόπος
καὶ γὰρ ἤδη τούτοις σάρκα τὴν τετρωμένην

*De aurea Platonis cathena Macrobius li. 1. de Somnio Scip. Plato in Ione. Lucretius lib. 2.*

*De magnitudine morborũ hæc Gale. li. 4. & 7. Methodi. & in lib. de Artis medi. conſt.*

*Hanc curandi toxica methodũ ſcribit Gale. li. 13. Meth. & li. 2. de Antidotis.*

*Lege Actuariũ de compoſitione diacarcini.*

*Damocrati uerſus de uirulenti uulneris cura.*

*ταχέως περικόπτειν σμιλίῳ δεῖ, καὶ πυρὶ*
*συνεχῶς ἐπιβάλλειν, εἰ δυνατὸν, τοῖς τραύμασιν,*
*τοῖς δριμέσιν τε φαρμάκοις, καὶ καυστικοῖς*
*τηρεῖν τὸ τραῦμα πλείονας χρόνους πλατύ.*

Altera uerò curandi uenena methodi indicatio, in alteratione consistit. Alterabis uerò his medicamentis, quæ uel qualitate uel tota substantia sunt ueneno contraria: quorum ingentem syluam Dioscorides libro 6. Nicander, Galen. de Theriaca ad Pisonem, ac Corn. Celsus lib. 5. recenset. Has duas curandi uirulentos morbos & toxica rationes, dum pestiferis medemur febribus, quamprimùm obseruandas consulo: quippe quum omne uenenũ ex sua genuina proprietate quãprimùm cor, fontem & domicilium uitæ, petat, ac tum derepẽtè per uniuersa corporis uiscera & molẽ dispergitur: quid obsecro magis necessarium, aut commodius comminisci poteris, quàm ut primùm omnium cordi cum his alexipharmacis, quæ qualitate aut tota substantia huic exitiali pestis ueneno repugnant, subsidium & opẽ feras? in quorum catalogo pręter theriacam Nicandri, & Mithridati compositionem, & pleraq; à neotericis excogitata antidota, inter simplicia smaragdum, radicem angelicam, zedoariam, scordium, & eringium, ac petasites, primas habere experior. Bolus ex Armenia quum sit nobis ignotus, ei quo utimur notho nihil confido. Sanè pręter hæc non minus tribuo ex succo pomorum citri, limonum, arantiorum, mali punici, oxilapathi, iuiule cum aceto & zuccaro decoctis, quæ sua qualitate & cõgenita proprietate uenenis & pestifero huic morbo resistunt, cordis quoq; robur fouent, quod epithematibus odoriferis externè applicatis cõseruare ne cũcteris. At si circa emunctoria cerebri, cordis aut epatis, id est, iuxta aures parotis, sub axillis abscessus, in inguinum adenibus bubo, uirtute expulsiua cooperante erupērit, aut interim carbunculus in brachiis aut cruribus efferbuerit, tum festinanter uelut in uulneribus uirulentis medicamenta quæ uirus extrahant, ad locum affectum applicato: nempe cucurbitulas, aut emplastrum ex fermẽto, theriaca, farina sinapi & cepe sub cineribus cocto confectum: additis opoponacis ac galbani gummis aceto acerrimo dissolutis, imponito, & abscessum ante maturationẽ scarifica, aut aperi, uel cauterio adurito. Si uerò patiens ignem ueretur, tum cauterium potẽtiale ex cantharidibus & fermẽto confectum, aut contusam ex oleo flammulæ radicem applicato: quæ sua uirtute calorifera & ardente, non tantũ noxios humores attrahunt, sed etiam nõ raro factas ex his collectiones aperiũt. An uerò præter hæc, huius morbi noxij humores phlebotomia aut pharmacis sint euacuandi, hic adhuc sub iudice lis est. Verùm cum morbi causa intra uenas sanguini commixta contineatur, quid uetat, decima uel duodecima ab assumpto alexipharmaco, & finito sudore, hora, refectis antè uiribus, uenam in eodem latere sub abscessu uel anthrace, in cõpetenti membri loco, ætate & uiribus suffragantibus, incidere? quũ phlebotomia non tantum infectos humores educat, sed & obstructiones aperiat, feruorémque febris remittat. Nec est quòd uerearis humorum ad interna reuulsionem, quum abscessus ualidis medicamẽtis attractoriis sint cooperti, quæ reuulsioni resistũt. Vnde Galenus noster, & illius ipsissima simia Paulus ex Aegina, curam anthracis à sectione uenæ usque ad animi deliquium, exclusiuè tamen, inchoare suadent: quod nec ego improbo. An uerò in cura huius febris fortia purgationis pharmaca æquè competant, non certè facilè dixerim: quippe quum ea humores noxios magis conturbent, & per corpus dispergant, & rursum per uiscera ad intestina reuellant, robúrque corporis dissoluant, & uenenosa quoque qualitate participent, ac non raro dysenteriam, uentrisque fluorem proritare soleant, qui alioqui huius febris peculiare & utplurimum lethale est symptoma: quo omnes ferè in illa diuturna Romanæ urbis peste correptos, quos bolus Armenus non iuuit, interiisse, Galenus lib. 3. de Morbis uulgaribus testatur. Proinde Cornel. Celsus: Desiderat, inquit, etiam propriã animaduersionem in febribus pestilentiæ casus: in hac minime utile est, fame aut medicamentis uti, aut aluum ducere. Si uerò uires sinunt, sanguinem mittere optimũ est, præcipuè si cũ dolore febris est. Cæterùm si aluus obstructa, sua excrementa non deiecerit, quis obsecro clysteris lenitiui usum dissuadebit? Nemo. Et si morbus statum excesserit, ut reliquiæ morbi extirpentur, medicamen purgatoriũ ex rheubarbaro, agarico, siliqua Aegyptia, aut rore Syriaco, uel thamare Indorum, obesse non poterit: perinde ac illa fortia, diagridium, colocynthis, thurbet, elleborus albus, lapis lasuli, ac Mercurius ille præcipitatus, quum uenenum redoleant, prodesse non possunt. Iam tu probè nosti, me multos, de quibus etiam conclamatum erat, in hac pestifera lue hac methodo curasse: primùm, si aluus aliquot dies ante morbi initium parum uel nihil excreuerat, tum glande imposita, aut leui enemate eam exoneraui: postea alexipharmacum sudoriferum exhibui, quod pro ratione ætatis & uirium, sudorem duas uel tres aut plures etiã horas promoueret. Cordi epithema applicui: & si abscessus uel anthrax eruperat, confestim emplastra quæ uirus attraherent & emungerent, accommodaui. Tandẽ à sudore hora sexta uel septima, refectis tamen prius aliquo iusculo uiribus, uenam opportunam secui: at mox ab alexipharmaco, aliis singulis diebus manè & uesperi potagia alterãtia, quæ sua qualitate & tota substantia ueneno morbi resisterent, exhibui, & cor quoq; cõfortarent: qualia sunt quæ ex succo citriorum, limonum, arantiorum, acetosæ & iuiulæ, cum momento aceti & zuccaro decocta cõficiuntur. At in morbi declinatione, si appetitus edendi languebat, ut corpus tutò nutriri posset, sanguinẽ à reliquiis contagionis pharmacis pauló antè cõmemoratis expurgaui. Postremò chirurgis, ne ulceris aut carbunculi consolidationem præcipitarent: cocis uerò, ut præscripto tempore commoda esculenta & potulenta ægro suppeditarent, edixi. Qua curationis ratione ingens ægrorum numerus, Deo optimo auspice, conualuit: qui te ab hac sæua contagionis lue saluum uelit. Vale.

*De hac ueneni proprietate Galenus libro 1. de spermate plura.*

*Gentilis de nostro bolo Armeno idem suspicatur.*

*Eadem suadet Corn. Celsus. lib. 5. cap. 28.*

*Fluxus uentris, pestis symptoma. Gale. lib. 3. Epid. & li. 5. ac 10. Methodi.*

*Lib. 3. ca. 7.*

*Epilogus dictorum.*

## DE CAVSIS SVDORIS BRITANNIci, *& quid sit apud Galenum febris Typhodes.*

### *Epistola* XIX.

PRoximis ad affinem meum literis problemata medicæ artis, ob causarum naturalium condependentiam, arctissimo quodam nexu, uelut annulos in aurea Platonis cathena, cohęrere testabar: quo ænigmate diuinus ille Academiæ antistes, causas rerum naturales indissolubili lege consortij condependere significauit. At modò, quum rem pensiculatius obseruo, ea medicorum problemata Lernee paludis serpenti mihi simillima uidentur, cui quũ Hercules unum desecuisset caput, confestim aliud subnascebatur: sic modò, uno dissoluto problemate, en mox aliud, de sudorifera illa Britannorum febre, suboritur: nempe, an sit pestilentiali homogenia, & sub illa sudorulenta febre, quã Gal. typhodea & helodea appellat, contineatur. Iste sanè morbus, qui Britannicus, ob regionis humiditatẽ, diu fuit ἐνδημος, id est uernaculus, & certæ nationi peculiaris: quum uerò in Europa peregrinari & populariter à septentrione uersus nos grassari tentasset, plerisque Europæ populis factus est epidemialis, & nostrorum delictorum uindex. Tria sunt certè flagella, fames, gladius, & pestis: quibus iusto Dei Israël iudicio pœnas peccatorum luimus. Peste uerò nullum seuerius, quo mandati sui præuaricatores acerbius afflixit olim. Quũ Dauid contra Mosaicæ legis edictum, Ioab ducem, populum Israël censere iussisset, 70 uirorum millia triduò peste perierũt. Nec cessauit pestis, donec Dauid rex delicti sibi conscius, constructo in area Iebusæi altari, cilicio indutus, pronus cadens in terram, supplex culpam deprecaretur. Ita olim quoq;, ut nunc, si quid delirabãt reges, plectebantur Achiui. Id quod ethnici quoque uerum esse cognouerunt. Nam & Apollo, ob raptã Chrysis sacerdotis sui filiam Astynomen, suis pestiferis spiculis totum Græcorum exercitum confecisset: nisi Calchas uates Agamemnoni, ut Chryseida patri redderet, & ea iratum Apollinis numen litare suasisset. Ita pariter omnes primariam pestis causam in peccata nostra referunt, quam Deus, nostris offensus criminibus, noxio siderum influxu, & temporum alteratione, sub cõcauo orbis lunæ excitat. Proinde secundarias pestis causas, uitiatas ab influxu siderum, & putrida ex barathris, lacubus, cadaueribus, exhalatiõe, aëris & aquę qualitates, aut substantias, rectè medici statuũt: quibus quum carere nõ possimus, illorum usu primaria corporis nostri elementa, humores, & spiritus quoque infici fateamur oportet. Ita has esse duas pestiferarum cõtagionum causas cõmunes, & ea ratione in genere causarum

*Quid sit morbus endemus, Galenus li. 1. Epid. & lib. 1. Reg. acut.*

*Primaria pestis causa.*

*De Dauide et peste, hæc 2. Reg. cap. 24. 1. Paralip. ca. 21. Ioseph. li. 7. Anti. cap. 13.*

*De hac Græcorũ peste Homer. Iliad. 1.*

*Secũdaria pestis causa.*

sarū esse homogeneas, confitemur. At quandoquidem sunt uariæ temporum anni & elementorum alterationis species, epidemiales morbos specie distinctos nemo negabit.

*Has pestis causas Lucret. libro 6. describit.*

Quæ uerò specialis sit externa & interna sudoris Britānici causa, id sudor planè indicat: qui si præter syncopim aut uires corporis defectas, præcipuè manè acciderit, repletionis uasorū testis est locuples.

*De sudoris indicio hæc Hippoc. li. 4. Aph. 41.*

Cuius præter crapulam, inter externas causas, australis temporum constitutio, causa est præcipua. Auster sanè uentus, miro tepore humidus, à meridie per deserta Libyæ, uenenosis animalibus referta, quorum contagione infectus spirat. Vnde Statius Papinius:

*Stat. li. 5. Syl.*

An (inquit) imbrifero Lybiæ sudauerit austro. & Ouidius poëta eo antiquior:

*Ouid. 1. Metamorph.*

Meridies, ait, nubibus assiduis, pluuióque madescit ab austro. qui suo tepido humore corpora animalium adeò replet, & aggrauat, ut eo spirante minus esuriant animātes.

*De austro idē Pli. li. 2. ca. 49.*

Et coturnices (ait Aristoteles) cum ceciderint, si serenum aut aquilonium tēpus sit, sociantur, & prosperè degunt: sed si austrinum, molestè, propterea quòd parum uolant. Humidus enim grauísque auster est, Græcè ab humiditate Notus appellatus: Arboribus (ut Virgilius cecinit) satisque Notus pecorique sinister.

*De coturnicib. hæc Arist. lib. 8. de Nat. anim. cap. 12.*

*Virgil. libro 1. Georg.*

Sunt enim Austri, ait in Problematibus Aristoteles, suapte natura humidi, calidique: qua temporis constitutione febris committitur, quæ non nisi per excessum ambarum qualitatum illarū oriri soleat.

*Hæc Aristot. sect. 1. Problema. 23.*

Rectè igitur Hippocrates febres sudoriferas tum maximè oriri definit, cum æstas austrinis flatibus maduerit, ὅταν, ait, θέρος γίνηται ἦρι ὅμοιον, ἱδρῶτας ἐν τοῖσι πυρετοῖσι προσδέχεσθαι χρή. id est, Quando æstas sit similis ueri, tum sudores multos in febribus expectari oportet. Et Gale. in Prognostica Hippocratis ait, ἐν αὐχμοῖσιν ἀμυδροῖς πυρετοὶ ἀνιδρῶτες τὰ πλεῖστα, τοῖς δὲ ἐπὶ ψεκάσιν ἱδρωτικώτεροι γίνονται. id est, Per æstus squalidos & siccos, febres ferè sine sudore eueniunt: per imbres uerò, longè magis sudorulentæ fiunt.

*Hipp. libr. 3. Apho. 6. Gale. lib. 3. de differen. anhel. & lib. 2. Progno.*

*Febriū bimēbris diuisio.*

Proinde Galenus in Apologia contra Lycum, febrem bifariam diuidit: quasdam exactè siccas, quales sunt exquisiti causones, & alii febriles ardores, in quibus uehemens sitis, lingua sicca, cutis ut corium dura, & ingens in toto patientis corpore squalor & situs apparet. alias uerò ait esse exquisitè humidas, in quibus ægri à primo die confertim sudant, & in sudoribus aut mediocriter aut nihil alleuiantur. quas Galenus τυφώδεις, & ob sudoris madorem ἀπὸ τοῦ ἕλεος, ἢ ἑλώδεος, id est, à palude, ἑλώδεας nominat.

*Febris typhodeos meminit Gal. li. 1. Aph. 12. & libro 7. Aph. 41.*

*Quid sit febris typhodes.*

Typhodes uerò, à Typhoëo gigante, qui Iouis fulmine ictus, sub ardenti Aethna sepultus, cum uētorum turbine sulphureas eructat flammas & saxa. Aut potius à typhone uento typhodes dicta, qui densa nube inclusus, præceps in terram elisus, puluerem soli turbine uertit, arbores euellit, ac obuia quæque pessundat: cuius exhalatio nubē erumpens, fulgure micat, ac nubes in largum imbrem resoluitur.

*De typhoëo gigante Ouid. 4. Fast. Luca. li. 5. Manil. li. 2. cap. 16. Strabo lib. 5.*

Nam post has ecnephiæ, typhonis, ac præsteris uentorum procellas, repentinæ ingrauescere solent pluuiæ. Sic in illa Britannici sudoris febre humores & ἰχὼρ sanguinis, uelut in nube uapor, uenis inclusus, quamprimum natura, morbi iudex, noxios humores ab incorruptis sequestrauit, tum uelut post typhonis procellas imber, sic hi febrili calore efferuescentes, cum sudore cōfertim per cutem erumpunt.

*De typhone uento Aristot. libro 3. Meteor. & Proble. sectione 2. Pli. li. 2. ca. 50. Lucr. libro 6. Manil. lib. 2. cap. 16.*

Nemo igitur cordatus, hanc Britānici sudoris luem, febris typhoideos esse speciem negabit: ueteribus, ut creditur non adeò ignotam, uel inexpertam. Accipísne iam, præter astra, austrinos quoque flatus (quos diuus Hieronymus pluuiarū pincernas appellat) quibus anno à Christo ex illibata uirgine nato 1528. quo primùm in Germania hæc sudoris contagio incrudescebat, tota illius anni æstas maduit, esse huius febris causas? quæ præter crapulam etiam uenas & arterias humore replebant: quarum repletio obstructionem parit, obstructio putredinem gignit, quæ febrem incendit.

*Epilogus Epistolæ.*

Quare si quis hanc febrem appellet ephemeram putridam, nihil moror. Cum enim huic, & pestilentiæ uulgari, externæ causæ sint communes, easdē quoque illis prophylacticas esse cautelas arbitror. Quod uerò ad curam illius attinet, natura citra Medici auxilium huic morbo per crisim medetur: nec est quod Medicus agat, nisi ut sudorem pro ratione ætatis & uirium patientis moderetur: quarum robur conseruare Medicus studebit. Vale. Hoc tamē pro coronide huius Epistolæ adiicere libuit, Hippocratem morbum ex phrenitide & letargo mixtum, τυφομανίην quoque appellare.

## DE COACTA ET IRRITA SItis in febre tolerantia.

### Epistola XX.

GAudeo, mi Collega, te Epistolam meam de sudore Britannico approbare. Multo uerò magis lætor, quòd libellum primum de Cura huius, nescio à quo pseudomedico, aut ardelione potius, primò editum, Vulcano consecraueris. cuius autor, dignior Vulcano fuisset uictima: qui utinam cū suo libello, quo plures quàm morbus ipse interemit, ad extrema Arabiæ infelicis deserta & Syrtes proscriptus, ad illiúsque feras dilacerandus condemnatus fuisset. Similis sanè illi Medico, qui (teste Galeno) adolescentem sudore syncopali aut diaphoretico languentem, in balneum hypocausti ablegauit: & cum sudoris copia largè proflueret, gauisus Medicus ac si commodum sudoris tempus designasset, paulo pòst mortuo adolescēte, ab eius necessariis ut homicida accusatus fuit.

*Historiā hanc scribit Gal. in uestibulo li. 1. Prognosti.*

Qua accusatiōe digni forent nostrates Medici, qui ægros febricitantes inopportuna siti macerant. Nam ut illi resolutis sudoris profluuio uiribus, multos suffocarunt: sic hi nō paucos inani sitis tolerantia perdunt, adeò ut nō iniuria Erasistratus grauiter ob id Apollonium & Dexippum Hippocratis discipulos incessuerit, quòd de hectimoritis cotylæ cyathis, quorum singulæ uix duas uncias continebant, unum aut alterum tantum febricitantibus concessissent. In quo certè ab Hippocratis præceptoris dogmate, teste Galeno, longè desciuerūt: qui ait, Hippocratem hæc redarguere, ne quis tanta siti affligat ægros, ut illis febricitantibus, aquæ tātum uigesimam cotylæ partem præbeat.

*Gale. lib. 1. & 2. de Reg. acutorum.*

Nam & Hippocrates lib. 4. de Victus in morbis acutis ratiōne: Causone laboranti, ait, aquæ uel melicrati aquosi, & exactè cocti, bibere dato quantum uolet. Proinde Galenus gloriatur, se frigida potione ubertim & tempestiuè data, omnes causone affectos, morti eripuisse. Intempestiuè autem datur plethoricis, ante corporis euacuationem, & si uiscera humorū uiscedine obstructa, uel phlegmone obsessa fuerint, aut humoris crudi copia obstiterit. Aliàs abundans frigidæ potio, præcipuè in acutis febribus opportunè data, inter alia illarum remedia primas meretur: quæ si causonis ardore laborantibus subducta fuerit, eas febre hectica tabescere cogit.

*De opportunæ frigidæ exhibitione Gal. lib. 1. ad Glauc. & 8. Methodi.*

*Causonis in hecticam permutatio. Gale. li. 1. de Diff. feb.*

Vnde coactam in febribus continuis sitim ob cordis & præcordiorū æstum, sanguinis adustionem, spirituúmque resolutionem, plurimum obesse nemo mentis compos inficiabitur. An uerò potus, in paroxysmis febris interpolatæ competat, non parua est altercatio. Sunt qui Aphorismo Hippocratis edocti (quo ait, In accessionibus abstinere oportet: nā cibum dare nociuum est. & quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet) in quouis paroxysmi tempore, non inediam modò edicunt, sed potum quoque uetant, etiam picrocholis: cùm tamen Hippocrates potius de cibo quàm potu id statuerit. quo fit, ut ægros siti intolerabili, qua nec maiori Tantalus apud inferos excruciatur, miseros conficiāt.

*Hippo. libr. 1. Aphor. 11.*

His Medicis nempe δοξοσόφοις, Iulius uiator Romanus eques, opportunus fuisset patiens: qui cum in pupillari ætate, aquæ subter cutem effusæ morbo laboraret, & humorum usu à Medicis illi interdictum foret, assuetudine naturam superauit, ac reliquum uitæ tēpus abstemius uixit, ac in senecta nihil bibit: cum tamen uetus parœmia, senes, ut aquilas seniles cadauerum suctu, tantum potu uiuere testetur.

*De Iulio uiatore hæc Plin. lib. 7. ca. 18.*

*Senectus aquilæ suctu seruatur.*

At certè Hippocrates in paroxysmorum declinatione adeò potum ægris non uetuisse, sed ob illius commoda in libro de Acutorum diæta primo, ferè præcepisse uidetur, dum ait: Pedibus frigore affectis, non solum à sorbitione, sed etiam à potione, maximè abstinendum est: sed cum sorbitionem & potum dabimus, cum calor ad pedes usque peruenerit. Nam hoc tempus maximè opportunū est cum in omnibus morbis, tum præcipuè acutis, ubi febris & ingēs periculū subest.

*Et idem Hip. li. 1. Reg. acut. ca. de Ptisa. uberius.*

Hoc obseruans Gal. in lib. de Crisi, & tertianæ febris puræ cura, rectè his uerbis Medicos monet: Cum in uigore febris consistit, calórque æqualiter quaqua uersus extenditur, nihilóque thorax plus extremitatibus calet, tum iam bibendi tempus ægrotanti adest, & statim à potu plurimus uapor calens per cutem exhalabit, sudoris nuncius: bilis quoque superueniet uomitus, uenter soluetur, biliosum

*Hæc Gal. li. 2. de Crisi.*

quoque

quoque emingent. His, Collega mi, perſuaſus, nil temerarium uulgi iudicium ueritus, ſi patiens corpulentus, eiúſque epatis ac ſplenis ſubſtantia inoffenſa fuerit, cùm tota corporis moles æqualiter incaluerit, tum uel in ipſa febre Britannorum ſudorifera, uires ægroti potu refocillato, eo ſudorem elicies: quo cauſa illius paroxyſmi coniuncta facilius ſudore diſflari, & digeri per cutem poterit. Vale, meiq; memor eſto. Et ne de ſiti amplius mihi conquereris, en poculum amicitiæ (uelut apud Brachmanes Indorũ philoſophi facere ſolebant) ex Tantali phiala tibi propino. Iterum uale.

*De Brachmanibus Philoſtrat. hæc in uita Apollonii.*

## DE MORBO VIRGINEO.
### *Epiſtola* XXI.

CONquereris mihi, ut tuo fido Achati, filiã tuam Annam primogenitam, & iam nubilem, à multis procis, uirtutũ integritate ac ſtemmatis claritate, opúmque facultatibus, auito tuorum maiorum generi non imparibus, in cõiugem deſiderari: quos tu, ob filiæ imbecillitatem, abdicare cogaris. Nec id adeò tibi eſſe moleſtum, quàm quòd hactenus nullus medicorum internã morbi cauſam & eſſentiam explicare, ſimúlque curam præſcribere potuerit. Nam unus eſſe cardialgiã ait, alius cordis palmum, hic uerò diſpnœã, ille matricis ſuffocationem: nec defuiſſe, qui ex uitio epatis eſſe uentriculi faſtidium ſuſpicarentur: quorum diſcors de filiæ tuæ morbo iudicium, effeciſſe ais, ut totus animi pendeas, nec quid facto opus ſit diſcernere poſsis. Ob id à me de morbo filiæ iudicium, ac de nuptiis conſilium fidele, pro ueteri amicitia efflagitas: ſimúlq; quibus morbi ſymptomatis affligitur, rectè primùm declaras: cuius nempe faciei indoles, quum anno præterito roſeo genarum labiorúmque rubore floruiſſet, ea modò uelut exãguia palleſcere, triſte cor ad quẽuis corporis motum contremiſcere, arteriáſque temporum ſenſibiliter pulſare, & in choreis aſcenſiue ſcalarum diſpnœa corripi, ſtomachum cibum, ac præcipuè carnem faſtidire, & crura præcipuè iuxta talos, ad noctem œdemate intumeſcere. Ex his ſanè accidentibus, & ſignis morbi pathognomonicis, quæ morbi cauſam & ſubſtantiam produnt, eiúſque curam deſignant, miror ueſtrates medicos morbi cauſas & naturam non agnouiſſe. Quod uerò nomen illius non dixerint, id quum ad morbi curam nihil conferat, nihil quoque refert. Multæ ſunt in morborum catalogo ægritudines, nomine & non cura carentes. Nec hic morbus propriam habet nomenclaturã, quàm cùm ſit uirginibus peculiaris, uirgineus quoque indigitari poterit: quem Brabantinorum matronæ, febrem albam, ob faciei pallorem, & amatoriam appellare ſolent: quum palleat omnis amans, & color hic ſit aptus amanti: quamuis febris admodum raro coincidat. Sed hic morbus uirgines frequẽter infeſtat, quum uiro iam maturę, ex ephebis exceſſerint. Nam id temporis, natura duce, ſanguis menſtruus ad matricis loculos, & uenas ab epate defluit: qui quũ ob illarum anguſta oſcula, quæ nondum patuerunt, uiſcoſis quoque & crudis humoribus obſtructa, & denique ob ſanguinis groſsitiem, erumpere non poſsit: tum rurſum per uenæ cauę maioriſque arteriæ propagines, ad cor, epar, diaphragma, & præcordiorum uenas regurgitat: capiti quoq; bona pars impartitur, & circa uiſcera accidentia grauia parit, diſpnœã, tremulum cordis palmum, epatis inflationem, ſtomachi faſtidium, cardialgiam: nec raro cum amentia epilepſiam, & delirium. Quod Hippocrates in libello de Virginum morbis, his teſtatur uerbis: Virgines, inquit, quibus nuptiarum tempus aduenit, maturæq; iam uiro ſunt, ſpectrorum imaginariis terroribus affliguntur, præſertim quum menſes deſcendunt: nam ante hoc, non admodum malè afficiuntur. Poſtea uerò ſanguis in matricis locellos, tanquam effluxurus deſtillat & deſcendit: quum autẽ oſcula exitus obſtructa fuerint, ſanguiſq; ob cibaria & corporis incrementum auctus, illic collectus ſubſiſtit plurimus, nec unde effluat exitus uenarum pateant, præ copia cor, ſeptum tranſuerſum, præcordiáq; petit. quibus repletis, cor ſibi nõ conſtat, & torpet, ex torpore uerò deſipit & delirat.

*Caſus & accidentia morbi uirginei.*

*De nomine morbi uirginei.*

*Amantes pallent, teſte Ouidio.*

*De cauſa morbi uirginei.*

*Id quoq; Gal. lib. 4. de Cauſis ſympto. & li. 4. Reg. acut. affirmat.*

*Quo tempore menſes ad matricem deſcendunt.*

Nil certè mirũ, quum epar à fæculento menſium ſanguine non expurgetur, & eo præcordiorũ uenæ infarctæ fuerint, hypochõdriorũ uiſcera intumeſcere, & his diaphragma (ut in hydrope) coarctari, quod difficilem parit anhelitum, teſte Gal. in fine tertij de Diſpnœa libri, ubi uniuerſaliter inquit: Si internus tumor aut dolor circa hypochondria cõſtiterit, tum parua & crebra fit ſpiratio. Deinde quum cor, ſtomachus & epar, utriuſq; uenæ chylis & arteriæ ramis, uelut cõmuni uinculo cõnectantur, his ſanè ſanguine groſſo, flatuoſóque ſpiritu & uapore refertis & obſtructis, ut hos cor extrudat, & deoppilet, ne ſuffocetur frequenti arteriarũ & ſyſtoles motu eluctatur, & palmo cõtremiſcit: quo defatigato, quid obſtat ἀσφυξίας, καὶ πνευμάτων ἀπολήψεις, καὶ ἀπνοίας, id eſt, pulſus, & ſpirituũ ac anhelitus interceptiones coincidere? quibus æger obmuteſcat, & ut deploratus iaceat. Vnde mehercle Gal. in Acutorum diæta ſcitè ait: δύναται δὲ καὶ πλῆθος τι καὶ πάχος αἵματος, οὐ μόνον τὰς ἀρτηρίας πνευματῶσαι ποτὲ, καὶ διέξοδον οὐκ ἔχειν, ἀλλὰ καὶ αὐτὰς ἰδίως ὀνομαζομένας φλέβας. id eſt, Poteſt autem & multitudo & denſitas ſanguinis non modò arterias inflare, & exitum obſtruere, ſed & ipſas propriè nominatas uenas. Poſtremò, an filia tua hac affecta ægritudine, nubere debeat, & quæ ſit huius curatio, en fidum ex Hippocratis diuite medicinarum penu conſilium communicabo, qui in libello de morbis uirginum ait: Huius morbi liberatio eſt, uenæ ſectio, ſi nihil obſtiterit. Ego uerò, inquit, præcipio, uirgines hoc morbo afflictas, ut quãprimum uiris cohabitent, & copulentur: ſi conceperint, cõualeſcent: ſi uerò in pubertate hoc morbo nõ corripientur, tum paulò pòſt eas inuadet, niſi uiro nupſerint. At uerò ex maritatis, ſteriles magis id patiũtur. Hoc ſaluberrimo diuini Hippocratis cõſilio, ſi medicamenta menſes prouocantia, & obſtructionum aperitiua, ſanguinis groſsi ſubtiliatiua adiunxeris, nihil his præſentius reperire & excogitare poteris: quibus ego in huius uirginei morbi cura nunquam falſus, aut ſpe fui fruſtratus. Quare bono ſis animo, filiam tuam elocato: nuptiis quoque ego libens interero. Vale.

*Cauſæ difficilis anhelitus in hydrope, et menſium retẽtione.*

*Hæc eadẽ Gale. li. 4. de Cauſis ſympto. & li. 4. Reg. acut.*

*Venus uirgineo morbo medetur.*

*De uenæ ſectione eadem quoque ſuadet Hippocra. li. 4. Reg. acut.*

## DE PASSIONE CARDIACA:
### *Epiſtola* XXII.

QVandoquidẽ Hippocrates cor, ob ſolidã eius ſubſtantiam, nullo ab humoribus morbo corripi, ipſúmque eſſe impatibile teſtetur, audio pleroſque mirari, eſſe aliquem morbum, qui à cordis dolore Cardialgia appelletur. Proinde ſcias, cardialgiam non cordis, ſed mordacem ab acutis aut uenenoſis humoribus eſſe oris uentriculi affectum, quod ueteres Græci, Hippocrates, Nicander, ac Thucidides etiam, tempore belli Peloponneſiaci, quo Hippocrates opere & ſcriptis medicinam eſt profeſſus, cardiam, id eſt, cor, ob ſympathiam & affinem loci ſitum, ac colligantiam appellarunt. Affligitur autem uentriculi orificium humorum acrimonia, quum ob diuturnam inediam, uel triſtitiam, aut exercitij laſsitudinem, flaua & putrida bilis in uentriculum defluit, & ſua acredine bilis uomitum, & alui profluuium, cum animi deliquio & ſudore diaphoretico proritat: aut ob aſſumptum eſculẽtorum aut pharmaciæ uirus, qualia ſunt quædam fungorum genera, rana bupreſtis, ceruſa, gipſus, lac coagulatum: & ob matricis ſtrangulationes, & ſuppreſſa in uiduis, uirginibus & mulieribus menſtrua: unde nõnulli morbum uirgineum eſſe quoq; cardialgiam contendebãt, quum uerius aliquanto illius accidens dici poſsit. Sic uerò, ob ſenſus acuitatem orficio uentriculi affecto, cerebrum ob neruorum, cor ob arteriarum colligantiam compatitur. Nam arteriarum maxima à corde exorta, poſtquam ſpinam dorſi perreptat, primùm ſtomacho, deinde eius oſculo inſerta, ac tandem deorſum progreſſa, uentriculi fundo ſubtenditur: tũ ſanè in hoc cardialgiæ affectu longè ſæuiora accidentia ægrũ infeſtabunt: nempe morbus Herculeus, ægrè expergiſcibilis ſopor, & ueternus, catalepſis, deliriũ, ac melancholia, & cũ copioſo ſudoris profluuio ſyncopis. Vnde Corn. Celſus: Cardiaca, inquit, nihil aliud eſt, quàm nimia imbecillitas corporis, quod ſtomacho languente, immodico ſudore digeritur, ubi uenarum exigui & imbecilli pulſus, ſudor autem ſupra conſuetudinem & modo & tempore ex thorace, ceruicibus, ac capite prorumpit, pedibus tantummodo & cruribus ſiccioribus atq; frigentibus, quæ citra febris æſtum & animi deliquium raro fieri ſolent: cuius, præcipuè ſi à ueneno acciderit, theriacam præſens eſſe remedium, Galenus Piſonẽ docuit. Accipiſne modò, cardialgiam à morbo uirgineo plurimum differre? Hic nempe ut plurimum ſine febre,

ex

*Hip. in lib. de Morbis.*

*Os uentriculi ueteres cardiã. i. cor appellarunt, & uel hodie Germani quoque ita nominant.*

*Gal. lib. 2. de Dogma. Hippocr. & Plat. & libro 4. de Cauſ. ſympt.*

*Oris uentriculi cũ cerebro & corde colligãtia, & ob id ſympathia. Gal. lib. 4. de Cauſ. ſympt.*

*Cor. Celſ. libr. 3. cap. 19. Galen. in diff. Alex. lib. 7. ca. 11. Aët. libr. 9. cap. 1.*

*Theriaca ſudoris cardiaci remedium.*

ex mensium constipatione, & uenarum circa præcordia oppilatione: ille uerò cum febre, sudore thoracis, pulsu exili, ac syncopa, et stomachi rosione ingrauescit, quæ si citra hæc præfata accidẽtia inciderit, qualis quoque esse solet stomachi ardor, tum nõ cardialgia ab antiquis, sed cardiogmus appellabatur. Inuidia quoque, cum cor ipsum macerat, cardialgia dici potest: quam illis precor & opto, qui honorem & incrementum liberalibus studiis inuident. Vale.

*Cardiogmus.*

## DE MATRICIS PRAEFOCAtione. Epistola XXIII.

ACcepta ex proximis literis occasione, nõ frustra miraris, cardialgiam, morbum uirgineũ, ac matricis suffocationem: morbos nõ minus graues quàm periculosos, cum eisdem ferè symptomatibus dispnœa, epilepsia, ueterno, syncope, delirio, suppressa uoce, & pulsu latente ingrauescere. Atqui amicorum optime, si tu matricis & stomachi cum cerebro & diaphragmate, cuius præfata accidentia sunt peculiares morbi, per communes neruos & uenas ac arterias colligantiam obseruaueris, eisdem quoque lege consortii infestari accidentibus mirari desines. Est sanè matricis præfocatio nil aliud, quàm uteri ob siccitatem, uel ex retento menstruo, aut humorũ affluxu aut flatu, sine exaceruata putridi spermatis uirulenta exhalatione, ob repletionem uersus diaphragma, aut ad alterũ latus conuulsio. Cui non rarò ex retento menstruo uenarum obstructio coincidit. Quippe si nerui, uenæ, musculi, adde & cornua matricis, mensium affluxu aut uiri coitu non humectentur, tum exiccata facilè uersus diaphragma & ad neruorum principium reuelluntur. Pariter si mensium repletione distenduntur, facilè ad septum transuersum contrahuntur. Si denique sperma in uteri concauitate & uasis coaceruatum computruit, ineffabile est, quanto neruorum musculorúmque nixu matrix conuellitur, ut eius uirulentiam expellere posit. Quæ si ad cerebrum exhalauerit, exhorresco dicere, quàm sæua accidentia ac deliria proritet, quibus uiduas, uirgines uestales, ac obœsos quoque monachos corripi, cùm in Germania tum Bononiæ quoque uidi. Cum igitur diaphragma, præcipuũ spirationis organũ, & præcordia, uteri ad superiora conuulsione coarctata fuerint, nihil mirum, mulieres sic affectas, quas Græci hystericas dicunt, suppresso arteriarum pulsu & anhelitu, uelut exanimes in terrã cõcidere. Quæ Hippocrates, aut (ut Athenæus suspicatur) Polybus eius discipulus, in quarto de Ratione uictus in morbis acutis, his uerbis cuncta scitè cõplexus est: Si quis, ait, repentè obmutuerit, is uenarũ obstructione molestatur. Id si sano absque euidenti occasione acciderit, uenam brachii dextri internam secare oportet, & sanguinẽ pro corporis habitu ac ætate detrahere. His sic affectis, accidit faciei rubor, defixus oculorum intuitus, digitorum in manibus tremor, dentiũ stridor, maxillarum uellicatio, extremitatum refrigeratio, spirituum in uenis & arteriis conclusio. Si uerò ab atræ bilis affluxu, internę corporis partes corroduntur, aut uenæ aridiores factę distendũtur, tum inflammatæ, ad se humoris affluxũ alliciũt: unde corrupto sanguine, & ita ob eius cõsistentiam concreto, ut spiritus per naturales meatus transire non posint, corpus & uiscera infrigidari necesse est. Hinc morbos comitiales, uertiginem, capitis grauedinem, loquelæ priuationẽ, spasmos, & siderationem euenire oportet: præcipuè si talis sanguis & oppilatio, iam uel ad cor, epar, & cauã eius uenam peruenerit. Quum uerò Galenus horum Hippocratis uerborum sensum genuinũ rectè intellexerit, qui dictorum symptomatum & morborũ internas causas ferè omnes complectitur: cur non ad uteri præfocationem & morbum uirgineum accõmodauerit, certè admiratione non caret. Ex his dictis quilibet facilè coniicere potest, per uirgineum morbum, ac matricis suffocationẽ, ob spiritus à sanguine grosso in uenis præcordiorum coarctationẽ, calorem naturalẽ suffocari, corporis habitum infrigidari, & ob id inter morbos frigidos iure optimo reputari ab Auicenna & Constantino Medicis, & Gal. ipso lib. 4. Reg. acut. dum ait: ὅταν αἱ φλέβες ὑπερπληρωθῶσι, βαρυνθῆναι τὴν δύναμιν ἀνάγκη, καὶ εἰς κίνδυνον ἀφικέσθαι τὴν ἔμφυτον θερμασίαν, τὸ ἀποσβεσθῆναι, πνιγμῷ τι παραπλήσιον πάσχουσαν. id est, Quando uenæ superimplẽtur, uirtutem corporis gubernatricem aggrauari necesse est, & periculum est, calorem congenitum extingui, & propè suffocari, uelut ignis nimia lignorũ congerie suffocatur. Sed quæ tandẽ (obsecro) est anilis illa amentia, quum experimur, uterũ odorifera, muscum, algaliam, gariophilos, ac galliæ muscatæ & cyphi suffitum adsectari: grauiter uerò olentia, ut castoreum & fœtẽtem ex Syria assam, adusti corii & pennæ nidorem auersari & fugere, ut ob id uterum esse animal sensus & motus particeps suspicemur? & quamuis ualidis suis cornibus & ligamentis sit coxis & sacro ossi astrictus, in corpore tamẽ liberè oberrare, medicorũ & obstetricũ uulgus credat? etsi Plato in Timæo id asserere uidetur, non tamẽ ea ratione, ꝙ matrix anima rationali aut sensitiua prædita esset, sed quia rebus à natura productis omnibus inesse animã appetitiuã docuit: unde & plantas ob id animalia esse, ac appetitu congenito ad sibi conferentia moueri censet. Eadẽ quoque ratione epar dulcia affectare, heliotropiũ ad solis accessum, magnetẽ septentrionẽ uersus se inclinare uidemus: qua uterum odorifera cõsectari, grauiter olentia abhorrere experimur. Et cùm in hac matricis affectione cor quoque langueat, nolim ea naribus admouenda, ita grauiter fœtere, ut uires cordis ac cerebri offenderẽt. Quare grauiter olentis assæ uirus, ac adusti corii & pennæ nidorem non probo: perinde ac castorii, rutæ, ac scillę odorẽ non repudio. Vnde Hippocrates lib. 1. de mulierũ natura: Si uteri, inquit, ad epar accesserint, muta de repentè fit mulier, & dentes conserit: tum manibus subtus depelle, ac infra epar & hypochondria, fascia mulierem cõstringito, ac ore aperto uinũ odoriferum infunde, naribus graueolentia offer, subtus uerò aromatibus bene redolentibus suffito. Non desunt Medici, qui hoc Hippocratis testimonio freti, Auicennã erroris accusent, quòd uino mulieribus hystericis interdixerit, his uerbis: Caue ne des eis in potu uinũ, quoniã aqua est ei conuenietior: nec carnes grossas, & ea quæ addũt in carne & spermate. At si quis utriusque autoris scripta æqua expendat trutina, nullum reperiet dissidium. Nam quia in huius morbi paroxysmo, ob uirtutis languorẽ, spiritúsq; coarctationẽ, syncopis crebrò coincidere solet: Hippocrates accepta à uirtute defecta indicatione, quæ cæteris præpollet indicationibus, pro reficiẽdo uirtutis robore, aperto ægrotãtis ore uinũ odoriferũ instillare iubet: Auicenna uerò, cùm ex sanguinis redundantia, & coaceruati in utero spermatis copia, matricis præfocatio oborta fuerit, tum ea quæ sanguinem & sperma in uiduis & uirginibus adaugẽt, rectè uetat: qualia sunt præcipuè, caro & uinũ. Cæterùm cum uteri præfocatio ex obstructione uenarũ eius à sanguine grosso facta, prouenerit: tum ego aquæ potum penitus dissuaderem, uinúmq; album tenue (quod Græci ὀλιγοφόρον appellant) magis usui esse arbitrarer: præcipuè si in eo, quæ mẽses promouent, ut libanotis, schinantũ, pulegium, aut grana iuniperi, Græcis ἀρκευθίδας dicta prius macerata fuissent. Vt uerò tandem ad ea quæ petis, tibi de morborum differentia respondeam, scito cardialgiam esse primariam oris uentriculi affectionẽ: matricis suffocationem, citra uteri ad septum transuersum conuulsionem: morbum uerò uirgineũ, citra uenarũ in præcordiis, ob sanguinis grossi obstructionem & consistentiam, accidere non posse. Hæc, ut sorori ac coniugi tuæ mederi posis, te celare nolui. Vale, ex Musæo nostro.

*Matricis præfocatio quid.*

*Gal. lib. 3. de Artic. & lib. 6. de Locis affect.*

*Libro 1. Diposoph.*

*Suffocatio matricis, & morbus uirgineus, ægritudines frigidæ.*

*Auicenna Fen. 21. tertij canonis.*

*Vterus, an ut animal motu locali moueatur.*

*Hipp. lib. 1. de Na. mu. & Galen. de Comp. medi. secũdum loca. lib. 9.*

*An fœtor hystericis cõpetat.*

*Vinum an hystericis competat.*

*Differẽtia cardialgiæ, suffocationis matricis, & morbi uirginei.*

## DE EROTICO AMORIS AFFEctu. Epistola XXIIII.

MAGNAS mihi, nomine totius muliebris sexus, egisti gratias, quòd proximis duabus Epistolis morbi uirginei & suffocationis uteri causas & constitutionẽ explicuerim: ut iam tam uirginum quàm puerperarum ualetudini facilius prospici posit. Ais quoq;, eo beneficio me illarum fauorẽ mihi deuinxisse penitus. Ad hæc suades subinde, ut simili ratione fauorẽ adolescentulorum, qui amoris philtro inescati, perditè amant, quoque demerear: & quid sit eros, siue eroticus amoris affectus, ab Arabibus illisi dictus, doceã: ac quibus tandem remediis demẽs illius affectio aboleri posit, aperiam. Quum igitur Cadmus Milesius (autore Suida) de hoc 14. libros conscribere non erubuerit, ut tuũ quoque & adolescentulorum fauorem mihi cõciliem, me nõ pigebit, de hoc amoris œstro, paruã conscribere epistolam. Et est sanè hic amens amoris affectus, animæ concupiscibilis passio, in epate ac corde residens, à desiderio & rei amatæ simulacro, per oculos intra mẽtem

*De hoc Auicẽna Fen. 1. tertij canonis.*

*Cadmus Milesius erotici affectus scriptor.*

*Desinitio erotici affectus.*

tem concepta: cuius ægrè ſaturabilis concupiſcentia, per imaginationem, per communes quoq; ſpiritus in epate & corde exardeſcit. Vnde Plotinus amorem ἀπὸ τ̃ ὁράσεως, id eſt, à uiſione heroa dici: at Plato à Græcis ἔρωτα nominari aſſerit, quia per oculos ἀσρεῖ, id eſt, animo & epati influat: id quod idem Plato in Timæo clarius his uerbis teſtatur: Videbat, inquit, Deus partem animæ concupiſcibilem talem fore, quæ rationem non exaudiret, & ſi quo ſenſu pulſaretur, nec rationi obtemperaturam, ſed ſimulacris & uiſis nocte diéque maximè rapi, idcirco naturam iecoris procreauit, longè à cerebro rationis domicilio diſsitam, & eius habitationẽ in eo diſpoſuit. Et ideo Lactantius rerum uenerearum libidines in epate contineri arbitratur. Et Homerus omnifariæ eruditionis parens & origo, ſcitè finxit, Titij amatoris iecur, qui Latonã deam deperierat, à duobus non ſaturandis uulturibus apud inferos nocte diéque diſcerpi, ac illius tamen fibras renaſci. Similem certè carnificinam inexplebilis amor ille eroticus in uiſceribus adoleſcentulorum exercet, qui nunquam, etiã re deſiderata potitus, ita ſaturari poteſt, quin non illius imaginatione rurſum fameſcat, & cõfeſtim in præcordia noſtra, citra rationis iudicium, effrænis irruat, & intimam oſsium medullam exedat. Vnde corpus adeò tabeſcit, ut Ouidius rectè de eo conqueratur:

*Græca ἔρωτος etymologia.*
*Epar animæ concupiſcibilis ſedes, Gale. lib. 3. 4. & 5. de Doct. Hip. & Plat.*
*Lactã. de Op. Dei, cap. 4.*
*De iecore Titii hæc Homer. Odyſ. λ. Gale. de Doctr. Hip. & Plat. lib. 3. Virgil. 6. Aeneid.*
*Erotici affectus accidẽtia pathognomonica.*

Fecit amor maciem, & longa internodia crurum.

Exhauſtis nempe amore uiribus, corpus exãgue pallet, oculi intra ſupercilia conduntur, cibum ſtomachus faſtidit, lõgo ſuſpirio ex imo pectore pulmo ingemiſcit, mẽs uacillat, cor languet, ex rei deſideratæ aſpectu, motu pulſus tremulo fluctuat: quin ſolo nomine amicæ pellicis audito, harmonia pulſus uariatur. Ex hac ſignorum ſyndrome Eraſiſtratus medicus deprehendit Antiochum Seleuci regis filium, amore Stratonices nouercæ adeò tabeſcere, ut niſi indulgẽtia patris, compos uoti factus fuiſſet, uitam cum amore expiraſſet. Galenus quoque eiſdem indiciis agnouit Iuſtam Boëtij, uiri Romæ conſularis, uxorẽ, Pyladis in theatro ſaltantis amore flagrare, & languere. Ah amor ſeuere, tygride quauis ferocior, non tandem diſpendio corporis noſtri ſatiaberis? ſed uis etiam eſſe paterni noſtri fundi calamitas? Nam quid miſer amator, ut iratam pellicem ſibi conciliet, non erogat? donec tandem inops factus, ab amica non agnoſcitur: id quod feſtiuo carmine poëta Græcanicus indicat, quo Socicratẽ ex amore mẽdicum, cuius nomẽ amica eius non agnoſcere uoluit, ita alloquitur:

*De Antiochi amore hæc Gal. lib. 1. Progno. & Val. lib. 5.*
*De uxore Boëtii hæc Gal. in lib. de Prænot.*
*Amor paterni fundi calamitas.*

ἠράσθης πλουτῶν Σωσίκρατες, ἀλλὰ πένης ὢν
  οὐκ ἔτ' ἐρᾷς, λιμὸς φάρμακον οἷον ἔχει;
ἡ δὲ πάρος σε καλοῦσα μύρον, καὶ τέρπνον Ἄδωνιν
  Μηνοφίλα, νῦν τοι τ' οὔνομα πυνθάνεται.
τίς; πόθεν εἶς ἀνδρῶν, πόθι τοι πόλις; ἦ μόλις ἔγνως.
  τοῦτ' ἔπος, ὡς οὐδεὶς οὐδὲν ἔχοντι φίλος.

Hos uerſiculos miro lepôre Baptiſta Pius Bononienſis ſic Latine reddidit:

Diues amas? Veneris ſolita non lampade ferues
  Pauper: habet tenuis pharmaca quanta fames?
Te uocat ante roſam, charum te dicit Adonim,
  Panthea nunc nomen uix tenet illa tuum.
Vnde? quis es hominum? quænam tibi patria? noſtin
  Verba miſer? tenues nullus amicus amat.

*Amoris remedia ſcribit Auicen. Fen. 1. can. 3, Aeg. li. 3. cap. 17.*

Huius clandeſtini & atrocis morbi pharmaca diuerſi diuerſa docent. Plerique nec eum ita ſeuerè coërcendum putant, quin amore languens, deſiderio aliquãdo fruatur. Nam (ut Suidas refert) quum Diogenis filius amore deſiperet, niſi pater oraculo Apollinis Delphici perſuaſus, amorem filio indulſiſſet, patris ſeueritas filium perdidiſſet. Alij otium, ut Veneris fomitem, diſſuadent: ac mẽtem negotiis onerare, & nouis amoribus, ac honeſtis aliò traducere curis, & aſpectum amicę declinare præcipiunt: id quod Lucretius quoque monet, dum ait:

*In fine libri 4.*

Sed fugitare decet ſimulacra & pabula amoris,
Abſterrere ſibi, atque aliò conuertere mentem.

Qui licet plura amoris remedia ſcripſit, alióſque docuit, ipſe tamen ex amatorio poculo furore correptus, mortem ſibi conſciuit. Alij tempus & famem hunc cõpeſcere morbum tradunt. Hinc inter Græca Epigrammata legitur:

*Lucretius poëta amore periit.*

ἔρωτα παύει λιμός, εἰ δὲ μή, χρόνος.

Raſis uerò in libro diuiſionum, remedia amoris, ut naturæ infeſta, non probat, dum ait: Cura amoris eſt, aſsiduatio coitus, ieiunium, & deambulatio, & ebrietas plurima aſsiduè. Nec ex humano ſanguine magicæ uanitatis contra amorem remedium laudo: quamuis Iulius Capitolinus referat, Fauſtinam illuſtrem Antonini Pij imperatoris filiam, ac tãdem Marci Antonini philoſophi uxorem, tali cruento remedio ab amoris affectione uindicatam. Nam cùm ea gladiatoris amore flagrans ferè cõtabuiſſet, Marcus imperator ad Chaldæos & mathematicos, qui ſuis nugis medicinam conſpurcarunt, id retulit: qui ſuaſerunt, ut occiſo gladiatore, Fauſtina partem tepidi cruoris abſorberet, uiróq; ſuo mox concumberet: ex quo cõcubitu Antonius Commodus, homo crudelis (qui pugnis gladiatoriis ac cruentis cædibus, rempublicam Romanam ferè attriuit) fertur natus. Ex eiſdem magorum deliramẽtis Plinius & Cor. Celſ. epoto iugulati gladiatoris calido ſanguine, comitiales curari morbos tradũt. Quidam (ait Celſus) iugulati gladiatoris calido ſanguine epoto, morbo comitiali ſe liberauit: apud quos miſerum auxilium, tolerabile miſerius malum fecit. Hæc certè, ut Tertullianus in Apologetico piè docet, ſunt dæmonũ præſtigia, quos Magi, eorum antiſtites, cæde humana & ſanguinis effuſione delectari nouerũt: qui ob id ex hominum ſanguine pharmaca & ſacrificia inſtituerunt & finxerunt. At nos has dæmonum præſtigias, quum per Chriſtum nobis illuxerit ueritas, cõtemnimus & irridemus: in quẽ, ut illius amore rapiaris, confide. Vale.

*In uita Antonini.*
*Sãguis gladiatorũ medetur amori & epilepſiæ. Pli. lib. 28. cap. 1. Cor. Celſ. lib. 3. c. 23. Cap. 14.*

## DE APOPLEXIA, EPILEPSIA, CAro, comate, catocho, catalepſia, letargo, & phrenitide, morborum cerebri differentia. Epiſt. XXV.

*Sacri ſignificationes ex Varrone, Feſto, & Marcello.*
*Liu. li. 1. Cic. li. 2. de Nat. deorum. Plutarchus in Problem.*
** Sacer . der preiſz, oder in der acht iſt.*
*Os ſacrũ Gal. lib. 4. de Vtili. part. Pollux libro 2.*
** De hac ſacerdotum fraude Hippocrat. in libro de Sacro morbo, & de Virgi. morbis. Galenus libro Prognoſt.*
** Machometis epileptici dolus.*
** Caput quare ſacrũ, Athenæus lib. 2. Dipnoſ.*
** Conſuetudo ſalutandi ſternutantes ante tẽpora Gregorii oleuit. Pli. lib. 28. ca. 2. Ariſto. libr. 1. de Na. animal. c. 11. Athen. quoque libr. 2.*
*Ab eſu capitis et cerebri ueteres, ut hodie Leodiẽſes quoque, abſtinebãt. Ath. lib. 2.*
*Epilepſiæ definitio.*
*Menecratis medici faſtus. Athenæus lib. 7. Dipnoſop.*

CVm nemo mortalium capitis morbos non execretur, miraris epilepſiam tamen ſacrũ dici morbum. Mirari certè deſines, ſi quàm πολυσήμαντος, id eſt, plura ſignificans dictio ſit Sacrum, obſeruaueris. Nam ſacra olim erant urbis mœnia, quæ tranſilire piaculum erat. Sacra erant, quę diis, ut olores Veneri, caper Baccho, dicata aut deuota erant. * Sacer quoq; is fuit, quem ob facinus cõmiſſum occidere impunè licebat. Vnde Horatius inquit, Inteſtabilis & ſacer eſto. Ac quicquid deteſtatione dignum, ut Auri ſacra fames, ſacrũ quoque dicebatur: & ita eriſipela ſacer quoq; ignis uocabatur. Adde quòd ea quæ magnitudinem antecellerent, ueteres (autore Plutarcho) ſacra: ut Homerus piſces marinos, & medici poſtremum uertebrarum ſpinæ os, in uolatilibus oropygium, in homine os ſacrum appellant. Pręterea quicquid diuinitus accidere olim ſuſpicabantur, id ſacrũ quoq; nominabãt. Vnde ueteris religionis * ſacerdotes, dæmonum antiſtites, ut prætextu religionis diteſcerent, deos homines morbis excruciare fingebant: de quorũ numero epilepſia, ob id ſacer morbus dicta, cenſebatur. Qua fraude Machometes * morbum ſuum comitialem celauit, & fidem ſuæ ſuperſtitionis cõſecrauit: nam hic impius Turcarum religionis autor, quũ morbo comitiali correptus, pronus in terrã caderet, id religionis ergò fieri cauſatus eſt: nempe ꝙ choruſcã angeli faciem, qui de inſtaurãda religione cũ eo cõmunicaret, ferre nõ poſſet, quin auerſo uultu caderet. His credula nugis uxor, faciẽ eius uelo cooperuit: & moritura eũ ex aſſe hæredẽ conſtituit. Sacrũ quoq;, ut adytus tẽpli, id dicitur, in quo ſacra ſunt recõdita. Sic * caput, ſacram Palladis arcẽ, quã mens diuinitatis particeps, unà cũ ſenſibus incolit, ueteres ut rẽ ſacram obſeruabant: nã per caput iurabant: illius nutu pacta cõfirmabant, & * ſternutantibus ſalutẽ precabãtur: & ab eſu non modò ſuilli cerebri, ſed aliorũ quoq; animaliũ, tanquã à fabis, abſtinuerunt. Vnde meritò epilepſia magnus & ſacer rei ſacræ, id eſt, cerebri morbus dicitur, qui eſt neruorũ totius corporis conuulſio, ob uentriculorũ cerebri, à uiſcoſis humoribus, aut groſsis atrę bilis uaporibus factam obſtructionẽ: cuius conuulſionis, præcipuè circa neruorũ principia, tantus eſt impetus, ut nõ oculi modò diſtorqueantur, & nullus ſenſuũ ſuo fungatur officio, ſed ſpuma ex ore, & non raró urina, citra uoluntatis arbitriũ, egeratur. Qui hunc morbũ Herculeũ profligare nouit, huic meritò (ut olim Hippocrati, ob depulſum ex Illyria peſtẽ) diuini honores decernerentur. Quos Menecrates, celebris huius morbi medicus, ſibi ademptos noluit, dum nunquam ſanè in publicum, niſi ſuis, quos curauerat, habitu deorũ ueſtitis ſtipatus, & ipſe uerò purpura ueſtitus, aurea corona decoratus, crepidatus, ſceptrum deniq; in manibus

uelut

uelut alter Iupiter geſtans, prodire ſolitus eſt. Hic ſi etiã apoplexiam fortem curare ſciuiſſet, periculum fuiſſet, ne Iouem cœlo deturbaſſet, & ſe in illius ſubſelliũ conſtituiſſet.

*Apoplexiæ definitio.*

Eſt nanque Apoplexia Latinis ſideratio dicta, morbus epilepſiæ affinis, totius corporis ſtupor attonitus, ob neruorum cerebri obſtructionem à uiſcoſis humoribus, medullari cerebri ſubſtantiæ impactis, factus: per quos cum ſpiritus animalis ad inferna organa perfluere nõ poſsit, ea ſenſu, motu, & ſpiratione manifeſta priuãtur, donec neruorum cerebri oppilatio, uirtute illius aut pharmaci, uel cauterij reſerata fuerit: tum in quamcũq; corporis partem humores à cerebro defluxerint, illius neruos obſtruunt ac relaxant: quorum

*Paralyſis, pareſis, & paraplegia, idem.*

reſolutio Græcis ἀπὸ τ͂ λύω, id eſt reſoluo, paralyſis, pareſis & paraplegia quoque dicitur. Eſt quoque alius cerebri morbus, dictis ualde germanus, Græcis Cataphora, id eſt, procliuis in grauem ſomnum impetus: cuius,

*Cataphora, coma, catalepſis, & catochus, quid.*

carus, letargus, coma, catalepſis ac catochus, germanæ ſunt ſorores: quarum primogenita carus, Latinè ueternus & ſopor dicta, eſt frigida & humida anterioris cerebri ſoporifera affectio, ſpiratione tamen illæſa, ex pituita uel uini uapore illic coaceruata. Vnde Suidas:

*Cari definitio.*

κάρ☉, inquit, ὅξι ἡ ἐξ οἰνοποσίας ἐγγινομένη μέθη, καὶ καταφορὰ. id eſt, Carus eſt ex uino ebrietas, ſiue crapula, & grauis cum mentis impotentia ſopor, ægrè expergiſcibilis, qui in comitialis morbi & febrium exacerbationibus, & craneo, trepano uel ictu depreſſo, aut iugularibus temporum uenis aut muſculis coarctatis, coincidere quoque ſolet.

*Letargi definitio.*

Letargus uerò, illius conſobrina, eſt inexpugnabilis & obliuioſa ex frigido cerebri humore uel œdemate ſomnolentia, cuius febris lenta, & obliuio, ſunt inſeparabiles pediſſequæ: quæ ex diametro phrenitidi repugnat. Has eſſe genuinos ſaporis liberos, inexpergiſcibilis dormiendi affectio teſtatur. Reliquum eſt, ut ſpuriam illius ſtirpis ſobolẽ quoq; cẽſeamus, in cuius catalogo utrumq;

*Comatis ſpecies & definitio. Gal. lib. 1. Prænot. et lib. 2. prædic. Hip. & li. 3. quoq;.*

Coma, Catalepſis ac Catochus, non tam ratione quàm nomine diuerſa numerantur: quæ cum uigilia ſomni imaginem referunt. Etſi generaliter quæuis præceps in grauem ſaporem propenſio, Coma uel Cataphora dicitur: ſpecialiter tamen duæ Comatis ſpecies apud Hippocratem reperiuntur: quarum prima κῶμα ἄγρυπνον, id

*Cataphora. Sopor uigilãs, catochus et catalepſia, idem.*

eſt uigilans ſopor dicitur, quem Archigenes & Philippus medici propriè Catochũ & Catalepſiam appellauerunt, qui medius eſt inter phreneſim & letargũ morbus, utriuſque particeps: qui ex pituita bili permixta,

*Leporis ſomnus Pli. lib. 11. cap. 37.*

eſt ſoporifera cerebri affectio, in qua æger inſtar leporis apertis oculis dormit: nec oculis conniuet: ſed ἀσκαρδαμύκτως, id eſt, indefeſſe & toruè quemq; intueri uidetur. Altera uerò Comatis ſpecies ὑπνῶδης καὶ βαθὺ, id eſt, profunda & ferè narcotica, cum ſtupore corporis, mentis ſomnolentia & ſtupor, adeò ægrè expergiſcibilis, ut capillorum in barba euulſione aut acuũ punctura uix

*De Dionyſij obœſitate & ſomno Athen. lib. 1. Dipnoſoph.*

excitentur, quali ſopore Dionyſius ille Heraclæotarum tyrannus præpinguis laboraſſe fertur, à quo niſi acubus punctus excitari non poterat, quas conſilio Medicorum pro corporis obœſitate, longitudine diuerſas parauerat ſibi. Nec mirum. Conſtat enim ſanè, omnia

*Gliris, urſi, uituli marini ſopor.*

animalia obœſa, ut urſos, glires, uitulos marinos, ob cerebri humiditatem eſſe ſomnolenta.

Dormitis (inquit Martia.) nimiũ glires, uitulíq; marini:
Nil mirum, ſi uos craſſa Minerua premit.

Hanc Comatis ſpeciem Hippocrates & Galenus ſub Cari nomine crebrò comprehẽdunt, quæ ſingula, ipſiſſima illorum ſimia Paulus Aegineta, paucis uerbis ita

*Paul. Aeg. li. 3. cap. 9. & 10.*

conſcripſit: Si autem, inquit, pituita bilioſo humori in cerebro commixta fuerit, quemadmodum hic ſopor cauſam mixtam, ita quoque appellationem compoſitam ſortitur. ἄγρυπνον γὰ κῶμα, uigilans ſopor appellatur. Si autem in uniuerſum cholera præpollet, omni inſania uigil phrenitis fit. Si uerò pituita exuperat, tum patiens ſopore ægrè expergiſcibili corripitur, quem Medici Galeno antiquiores Catochon & Catalepſiam quoque nominarunt. Et ut res tibi clarius innoteſcat, horum

*Differentiæ morborũ capitis, Gal. lib. 4. de Locis affec. cap. 2.*

differentias Galen. de Locis affectis, mira breuitate docet. Atqui, ait, ſolutæ apoplexiæ creberrimè ſuccedere ſolet paralyſis. Sopore uerò finito, bona ualetudo magna ex parte ſubſequi conſueuit. Fit autem ſopor, autore Hippocrate, muſculis temporum affectis: præterea in acutis quoque morbis. Inter ſoporem uerò & apoplexiam morbus comitialis eſt medius, conuulſionem afferens uniuerſo corpori, ſed in paralyſim non finitur. horum trium morborum frigidus ac craſſus, aut omnino uiſcidus humor cauſa eſt: uerùm & in ſopore & morbo comitiali, uentres cerebri magis, corpus uerò cerebri minus: in apoplexia uerò utraque affici ſolent. in Catalepſi uerò, & uigilanti ſopore, poſteriora cerebri magis moleſtantur. Quum uerò oſſe terebra perforato medius uentriculus fuerit attritus, ſopor hominem occupat: ſed neque conuulſione, neque difficili facta ſpiratione, hæc apoplexiæ, illa morbo comitiali eſt peculiaris, in Catalepſi quoq; & uigilanti ſopore ſeruato ſecundum naturam ſpiratio: uerùm in ſopore palpebræ clauduntur, in Catalepſi manent apertæ. hæc ille.

*Phrenitidos & letargi differentia, Gal. lib. 4. de cauſis pulſ.*

Si uerò ex eodem Galeno differentiam phrenitidos ac lethargiæ addidero, tum nihil te in explicatione horum capitis morborum amplius deſideraturum arbitror. Ait nanque in libro de Cauſis pulſuum: Vt phrenitis fit ex humore cholerico, ſic ex phlegmatico letargus, qui intra ſubſtantiam cerebri naſcitur: phrenitis uerò ſubtilem cerebri pãniculum, & eius diaphragma occupat. Cæterùm confido iam, hæc perplexa finitimorum cerebri morborum nomina, quæ non parum Galenum quoque in enarratione Hippocratis ſollicitarunt, tibi ſatis fore cognita. Vale.

## DE SENVM VIGILIA.
### Epiſtola XXVI.

QVàm uellem, uos, ut honoris Medicorum rationem haberetis, aliquando altercationis finem facere: non certè illius, quæ ſcrutandæ ueritatis ergò, aut exercẽdi ingenij cauſa, in literarũ palæſtris fit: ſed illius obſtinatæ contentionis, quæ de re omnibus perſpecta, aut nullius põderis, ad oſtentationem fit. An neſcis, altercando ueritatem crebrò amitti?

*Medicorũ concordiæ præconium. Lib. 1. de Acut. diæta.*

Medicorum (inquit Galenus) διαφωνία, id eſt diſſentio, iure ignorantiæ ſuſpicionem arguit: συμφωνία uerò, id eſt, concordia, iuſtam & magnã eruditionis ſpem pollicetur. Talem de uigilia ſenũ controuerſiam inter ueſtros ortam, ex his rationibus accipio ſcilicet.

*Cauſæ, quæ ſenes ſomnolentiæ arguunt.*

*Somni definitio ex lib. 2. de Temp. & li. 2. Gal. de Locis affectis.*

Quum ſomnus accidat ex uenarũ cerebri, à frigidis & humidis cibi, potus, aut pharmaci uaporibus: repletione, circa mirabilem arteriarũ plexum, panniculos cerebri, aut temporũ uenas, facta: ac præcipuè ex ſpirituũ circa cor & ſenſuũ organa infrigidatione oriatur: tũ omnes ſenſus torpent: ſola uerò mens nullo obſtricta organo, ex ſomniis quæ fingit futurorũ pręſaga, ſatagit.

*Mẽs in ſomno nõ quieſcit.*

*Pedum lotio allicit ſomnũ, teſte Alex. Aphrod. libr. 2. proble. 42.*

Vnde Medici rebus frigidis & humidis, lactuca, papauere, tepido dulcis aquæ lauacro, pedum capitisq; fomẽtatione ſomnũ conciliant. Hinc, quum totũ ſenile corpus humidis ſuperfluitatibus abũdet: horúmq; caput, ſomni domicilium, & pulmonẽ præcipuè pituita abundare, lippoſi ſenũ oculi, ſtillans ex naribus coryſa, tuſsis, effluẽs ex ore ſaliua teſtentur: ſenes ideo iuuenib. natura calidiorib. eſſe ſomnolentiores contendũt.

*Senes pituitoſi.*

*Ex meri uini potu uigilia.*

Nam calorem, & quæ calorifica ſunt, uigilias párere affirmãt: quale eſt uetus uinum ἄκρατον, id eſt merum, quo cũ Grammatici œconomus ſeſe ingurgitaſſet, reliquũ uitæ tempus inſomnis tranſegit.

*Ob quas cauſas ſenes ſint uigiles.*

Atqui hi toto errant cœlo. Primùm, quòd ſenilis corporis cõſtitutio, in qua uterq; calor humidum radicale depauit, nõ eſt naturaliter humida, ſed ſicca: id quod atrophia corporis, rugæ, macies, tabes ſiue maraſmus, neruorũ quoq; durities indicat.

*Salſedinis cauſa.*

Deinde, quòd ſenum ſanguis & cerebrũ non dulci phlegmate, ſed ſalſis humoribus ſcateat, quod ſcabies ſicca, alopecia, uitiligo ac cutis prurigo, peculiares ſenũ morbi atteſtantur.

*De coctione leguminum et carnis hæc clare docet Gal. lib. 3. de Naturis alimẽtorũ.*

Salſi nẽpe & ſeroſi humores in ſenibus, nõ tantum ob cutis denſitatem coaceruantur, ſed etiã ob diuturnam concoctionem humorũ: quæ, teſte Galeno, nõ ſanguinis ἰχὼρ, id eſt ſerum modò, ſed iura quoq; carniũ & leguminum, quãto diutius coquũtur, tanto ſalſiora reddit.

*De ſudoris & urinæ ſalſed. hæc Ariſt. Proble. ſectione 2.*

Accedit ad hoc, quòd uirtus nutritiua benigniores humores in corporis alimoniã inſumit: fęculẽtiores uerò & terreſtres ab his ſequeſtrat, qui tandẽ ex caloris aduſtione ſalem reſipiunt. Hinc ſudor, & urina, & ipſum mare ſalſa fiũt:

*De ſalſedine maris Ariſ. ſecti. 23. et lib. 2. Mete. cap. 2. Macrob. li. 7. Satur. Lucretius lib. 2.*

quòd ob terreſtres exhalationes, & thermarũ, ac ſalſi liquoris ex eius littoribus & fundo ſcaturigines, illi permixtas, cæteris aquis & denſius ac ponderoſius ob id exiſtit: præcipuè cũ ſol, ſub cuius circulo fluctuat, dulciores illius liquores exſuxerit: quo ita dẽſius fit, ut oua & nauigia onuſta in eo natẽt, quæ in fluminib. peſſum irent. Hinc & põtus Euxinus, quoniam ob influxũ Phaſidis & aliorũ fluminum dul-

cescit, congelatur, & potabilis fit. Si quis tamen in profundum eius, ut Arrianus ait (εἰ δέ τις εἰς βάθος καθήκειεν τὴν κάλπην, ἅλμυρον ἀρύεται) urnam demiserit, salsum humorē hauriet. Ex his liquet, salsos humores ex terreno humore, à solis æstu & nostri caloris diuturna coctione genitos, esse siccos & calorificos, ac somni naturalis impedimenta. Quum uerò his senum corpus, ac præcipuè caput refertum sit, senes esse adolescentibus somnolentiores, nullus rei medicæ cōsultus affirmabit. Sed illud fateri cogetur, phlegma salsum in senibus, uelut acetum sua acredine, somnū turbare. Ac ne id tibi accidat, uino aquæ momento diluto, ac lactucæ ex acetarijs esu, & dulcis aquæ temperato lauacro tibi mederi poteris. Veteres quoq; somni causa in cœna lactuca postremò uescebantur, quæ nunc appetitus excitandi gratia, ex acetarijs in principio estur. Vnde Martialis,

*Arrian. li. 1. de Euxini ponti nauigatione. Strabo & Pli. eadem.*

*De lactuca hæc Athen. li. 2. Dipnosoph.*

Claudere quæ cœnas lactuca solebat auorum,
Dic mihi, cur nostras inchoat illa dapes?

Itaq; si talem mihi senescenti cœnam condixeris, libentur adero. Vale.

## DE VINI CVM SALE ET *aqua maris mistura.* Epistola XXVII.

NVper quum ab Illustrissimis principibus Palatinis (qui semper non modò Martis celebre, sed & paciferæ Palladis decus fuerunt) in eorum Symposium, unà cum fidis illorum à consilijs ministris accersitus fuissem, & nobis iam uino ciboq; saturatis secundæ mensæ bellaria offerrētur: tum ego de more antiquorum conuiuij, griphum Theognidis poëtæ dissoluendum proposui: ἤδη γάρ με κίκλησκε θαλάσσιος οἴκαδε νεκρὸς, ζωῷ φθεγγόμενος στόματι. Quod de conchis, instar umbilici orbicularibus, marinæ cochleæ aut limacis testa, qua ueteres pro salpinge utebantur, Theognis ænigmate protulit. Et cùm Ioannes Carocalla griphum explicare non posset, tum ego in illius cyathum uini, salem inieci. id quum cæteri conuiuę uidissent, me ut hominem temulētum, qui parū salis haberet, ac inter tantos principes ista auderet, toruè aspiciebant. Tum ego: Boni cōsulite quæso, inquam. Nil certè à me temerè factum est.

Primùm, quòd apud ueterum conuiuas non illaudata olim inoleuerit consuetudo, ut qui griphum propositum dissoluere non posset, is poculum salsuginis humore mixtum uno exhaurire spiritu cogeretur, ut ex Antiphane comico Athenæus his uerbis testatur: καί τινα κόλασιν ὑπέκειντο οἱ μὴ λύσαντες τὸν προτεθέντα γρῖφον. ἔπινον ἤτοι ἅλμην παραμισγομένην τῷ αὑτῶν ποτῷ, καὶ ἔδει προσενέγκασθαι τὸ ποτήριον ἀπνευστί. Quod & ego illi quoq; in pœnam statui.

*De pœna griphum non soluentis, Athen. libr. 10. Hesychius in dictione Griphi.*

Deinde salem ideo poculo eius insperſi, quòd uinum in eius cyatho mihi uidebatur esse fæculentū, ut sal id depuraret: qui non modò sua grauitate uini fæculentiam in fundū trahit, & à corruptione ac nimia æstus ebullitione preseruat, sed longè quoq; salubrius quàm sulphur efficit. Vnde Constantinus in Geoponico inquit, ἅλες φρυκτοὶ ἐμβαλλόμενοι, τὸν οἶνον τρέπεσθαι ἐπέχουσι, καὶ λύουσι δὲ καὶ πάχος τοῦ ὄντος ζέσαι, καὶ ἀχρὸν πλείονα ἐπιγίνεσθαι. Imò torcularia quoq;, marina aqua eluere & irrigare suadet. Proinde Græci ac Romani olim, ut uinum defæcatius, ac etiam delicatius redderent, mustū aqua maris aut muria ad tertias decocta, certa mensura miscebant, quam Columella lib. 12. his uerbis docet: Adijciuntur, inquit, in aquæ dulcis sextarios quinquaginta, salis sextarius, & mellis optimi sextarius unus. hæc pariter decoqui, & omnem spurcitiam expurgari oportet. deinde cū refrixerit, tum quantumcunq; humoris est, tantam in amphora portionem humoris adijci. Quòd si uerò ager maritimus est, silētibus uētis, de alto quàm quietissimo sumenda est aqua, & in tertiam partē decoquenda: tandem musto in cadis aromatibus suffitis admiscenda. Ob hanc uini cum aquæ maris temperaturam, uetus erat adagium, Dionysium æquore mergendum: & Poëtę, Delphinos maris beluas Libero patri sacros esse fingebant. Verùm Galenus uina generosa in Lesbo & Chio insulis nata, hanc æquoris cum musto mixturam non ferre, libro Methodi duodecimo testatur. Et uina quæ hac mixtura carebant, ἀπαράχυτα Græci nominabant. At si 50. sextarijs musti, unus aquæ maris sextarius admiscebatur, uinū illud ἀνθοσμίαν appellabant. Hæc uina, maris temperatura rectè curata, caput crapala non offendunt, uentrem laxant: stomachū tamen uellicant, inflationes commouent, cibi uerò concoctionem promouent. At uinū dulce, quod spōte uel prima & leni præli pondere ex uuis in torculari prælo substratis, in lacum defluit, Mitylenæi & Græci Prodromon, & Protropon, id est, ut Hesychius exponit, πρὸ τοῦ γλεύκους τὸ πρόρρυμα, primū ante mustum uini uuarum profluuium, appellant: quale delicatissimum in Noua Palatinatus ciuitate conficitur, quod Columella mustū lixiuium nominat, apta scilicet similitudinis ratione. Nam ut lixiuium per madidū in colo cinerem destillat: sic pariter liquorem uuarum in torculari de botris prelo subiectis sponte aut leni pressura primò effluentem, quòd reliquum mustū anteuertat, πρόδρομον, id est præcursorem, & πρότροπον dixerunt: & non id generis dulce uinum, quod tertia tantū parte, uel dimidia uini per decoctionem derelicta constat, à Latinis sapa, siue defrutum dicta: nō protropion, ut Montegnana medicus in consilio de Dysuria ineptè sentit, dixerunt. Hæc tu uina, si corporis maciem curare uoles, liberius quàm salsilagine macerata potare poteris: & abstinere à deuterijs uinis, quæ de secundaria ex acinis uuarum aqua maceratis colatura conficiebantur, à Romanis lora, à Græcis uulgo thamna dicebantur, quæ autore Dioscoride fiebant ex uinaceis. unde triginta uini cadi expressi fuerant, aquæ cadis tribus mixtis, simul calcatis: quódq; expressum erat, ad tertias decoquebatur, & singulis decocti eius uini congijs salis sextarij duo admiscebantur, & post hyemē in dolia diffundebantur, ac potimum fiebat, & dicebatur: id quod Galenus lib. de Alimentis secundo, Cōstantinus in Geoponico, sine salis additione cōficere docent. Hoc uino ęstate cholerę ebullitionem, & sitim, sedare poteris: quod te latēre nolui. Vale.

*Muriæ decoctio.*

*Eadem M. Cato de re Rust. cap. 104. & 105.*

*Dionysium æquore mergēdum. prouerb.*

*Delphini Baccho dicati.*

*Vina aparachyta. Galen. lib. 4. de cōpos. medic. genera liū. & 12. Methodi.*

*De anthosmia uino, Athen. lib. 1. Dipnosoph.*

*De uino protropo & dulci, Columella lib. 12. cap. 28. lixiuium appellat Athen. quoque lib. 1. Dipnosoph.*

*Vinum prodromon, beerwein zu der Neustath.*

*De sapa & defruto Columella li. 12. & Dioscor. lib. 5.*

*Barth. Mōtegnanæ error.*

*Vina dulcia corpus impinguant.*

*De uino deuterio, id est lora, thāna, hæc Dioscor. lib. 5. ca. 6. Gale. de alim. lib. 2. Cōst. lib. 6. copiose.*

## DE MARIS SALSEDINE, *& salis pinguedine.* Epistola XXVIII.

LIteris tuis affirmasti, me pleraq; obscura, de maris & salis cum uino mixtura, medicorum loca, proxima epistola illustrasse. Verùm quam ob causam sale mustum fiat defæcatius, nempe quòd salis liquor uini fæculentiam ei implicitam sua terrestri grauitate in fundum cadi uelut hypostasim trahat, id non omnibus probari: quum sal ob suam pinguedinem potius enatare, quàm subsidere debeat. Eius pinguedinē aqua marina clarè docet, quæ flammæ insperſa, nō tam eam extinguit, quàm pariter incenditur: pinguedine eius alimoniam igni suppeditante, ob quam nec sordes uestium aut corporū abluit. Vnde Nausicaa, Alcinoi regis Phæacum filia quāuis mare paterna urbis mœnia allueret, uestes tamen suas, & Vlyssem naufragum spuma æquoris madentem, non æquoris aqua, sed flumine abluere iussit ancillas. Proinde Homerus, uates arcanorum naturæ conscius, ita cecinit Odysseæ ζ.

*Rationis, ob quam sal uinum depurat, confutatio.*

*Pinguedo salis probatur Aristot. in proble. secti. 23.*

*Idem testantur Aristot. li. 2. Meteor. Macrob. li. 7. Sat. Plin. lib. 2.*

αὐτὰρ ὁ ἐκ ποταμοῦ χρόα νίζετο δῖος Ὀδυσσεὺς
ἅλμην, ἥ οἱ νῶτα καὶ εὐρέας ἄμπεχεν ὤμους,
ἐκ κεφαλῆς δ' ἔσμηχεν ἁλὸς χνόον ἀτρυγέτοιο.

Vlysses, inquit, naufragus, & nudus, in littora Phæacum eiectus, ex flumine maris salsilaginem de corpore abluit, quæ dorsum & latos eius exasperauit humeros, & à capite maris abstersit spumam. Cæterùm hi quàm parum naturas rerum exploratas habeant, uel ex hoc conijcere potes, quòd ignorant, corpora non ratione ponderis, aut leuitatis, natare uel subsidere: sed pro elementorum, ex quibus constant, proportione, & dominio, locum inter elementa petere. Vnde paruus scrupulus ob terream & compactam lapidis substantiam in flumine subsidet: in quo ingens trabs lignea, ob aëream eius & porosam substantiam supernatat. Sic paruulus salis grumus, quia plus terræ quàm aëris participat, in uino uel aqua subsidet: quum uter oleo plenus emergat. Nec sal tantum, ut Aristoteles refert, frigore & humore dissoluitur, & calido ac sicco cogitur: imò calido & humido quoq; eliquescit. Nam si salem raphano insperseris: aut raphani, qui natura calidus & humidus est, frusta, salis aceruo indideris, sal totus liquescet. Quare ne sal tuum (ut illorum qui illud ob pinguedinem supernatare credunt) infatuetur, salis naturam diligenter explorato: quo melius omnibus

*Aduersæ opinionis confutatio.*

*Corpora nō ob grauitatē, sed terrestreitatem submergi.*

*Ligna cur in aqua supereminent.*

*Error Aristotelis in secūdo Meteor.*

*Sal raphano liquescit.*

*Sal faſtidium ſtomachi tollit, quod colũbæ quoq; nouerunt.*

bus aromatibus tua cibaria condies, & uentriculo cibum faſtidienti ſubuenies, quod & columbæ natura duce nouerunt, quæ ut languentem pipionum ſtomachum excitent, ſalem, aut terram quæ ſalem ſapiat, illis in os ingerunt. Vale.

## DE SALVBRIORE POCVLOrum materia. Epiſtola XXIX.

NVper dum Saturnalia de more ueterum accerſitis amicis celebrares, ut conuiuæ Baccho libarẽt, uariis poculis mẽſam adornabas: in quibus ſpectandis, non tam fabrorũ induſtria, quàm materiæ uarietas, ex qua cõfecta erant, omnibus admirationi fuit. Tum quærebatur, quæ poculorum materia eſſet ſalubrior? Tunc ego, ne aſymbolus conuiuio interfuiſſe uiderer: id me ex ueterum ſcriptis, paucis declaraturum pollicebar: antiquiſsimáque ueterum pocula ῥυτὰ dicta, fuiſſe boum cornua. hinc ἀπὸ τοῦ κέρατος, id eſt cornu, crater, & uinum aqua miſcere κεράσαι ueteres dicebant. Vnde Theopompus, apud Pæonas boues tam magna geſtare cornua ait, quæ tribus aut quatuor uini ſextariis uix adimplerentur, quorum reges & proceres ex his pocula conficerent, eorúmque labra argento & auro obducerent. Regum nanque pocula olim fuiſſe cornua, etiam Philoſtratus in libro de uita Apollonij Tyanæi teſtatur. Eſſe autem in uicinis Phaſidos fluuij aſinos, qui unum in fronte cornu haberent, quo cum elephantis ferociter pugnant: ex illorum cornibus Indi pocula conficiunt: aſſerúntque, quicunque ex tali poculo biberit, eo die nullo morbo, nec uulneris dolore, aut ignis flamma offendi, nec ueneno intoxicari poſſe. Hoc uerò animal non rhinocerota, cui unum ex naribus prominet cornu, ſed monocerota Plinius appellat, unicornes Indiæ boues: quales duos uiuos Sultano ex Aethiopia muneri miſſos, ac circa templum Mechæ ſeptis incluſos, Ludouicus Ro. patricius uel noſtra adhuc ętate ſe uidiſſe gloriatur. At nõ ſolum monocerotis cornua, ſed ceruorum quoque, contra uirus eſſe efficacia, experimento conſtat, quorum nidore fugantur ſerpentes: & ſcobe eorum, uermes infantium enecantur. Non temerè igitur ueterum Medicorum inſtrumenta cornea erant: cornibus liquores menſurabant, cornibus in ſcarificatione pro cucurbitulis, modò ex aurichalco uel uitro conflatis utebantur: cornibus clyſteria, teſte Galeno, adminiſtrabant. Et ſi ex læuigatis ceruorum cornibus, quum monocerotis deſunt, pocula conficerentur, ea non improbarem. At uaſis & ſimulachris quoque fictilibus, quæ plaſtes ex terra Samia finxerat, uſque ad Macedonum tempora tam in ſacris quàm in conuiuiis Græci & Romani utebantur: nec aliis uaſis Numa Pompilius diis litabat, quàm (ut Cicero refert) fictilibus urnulis capedunculis ac ſypullis, quæ erant uaſa fictilia, quibus in ſacrificiis ſacerdotes diis prælibabãt. Ex fictilibus quoque tam Romani conſules, quàm aliarum gentium reges & cœnabant & bibebant. Fama eſt (inquit Auſonius) fictilibus cœnaſſe Agathoclea regem: qui ex plaſte Syracuſanorum rex deſignatus, noluit pocula quæ ipſe olim ex luto finxerat, aſpernari. Plin. quoque refert, Catum Elicium, cum Aetolorum legati ei ex fictilibus prandenti uaſa argentea obtuliſſent, ea non acceptaſſe. Et tantus conſul & uictor, uſque ad ſupremum uitæ diem nec plura quàm duo habuit argenti pocula, quæ L. Paulus ſocer ei ob uirtutem, deuicto Perſeo rege, donauerat. Nec uſum fictilium, ut inſalubrem repudio: modò non ſint ex terra paluſtri quæ putrilaginẽ oleat, aut mineris participet, ſed ex terra pingui & ſpiſſa, quæ ignis in fornace coctura lapideſcit, cõfecta: qualia ſunt in Hiſpaniis Valentiana, in Germaniis Colonienſia, ualde opportuna pharmacopolis (ad ſeruandos liquores, electuaria & eclegmata) uaſa. Verùm in his eligendis id tibi maximè proderit, quòd, ut diuus Hieronymus ait, calix & urceolus fictilis probantur prius, quàm emuntur: ſola uxor non oſtenditur, ne antea diſpliceat, quàm ducatur: quare empturus fictilia, ſi uinum infuſum, ſaporem aut colorem mutauerit, uel terram reſipit, illa quoque facilius quàm uxorem ſemel ductam repudiare poteris. Quod ſi ita exactè concocta & præparata fuerint, tum minus admirabor Victruuiũ, uaſa fictilia melius ſaporis integritatem quàm argentea retinere & conſeruare affirmantem. At dum ſobrietas & frugalitas ab antiquorum conuictu non exulabant, tum catinus & ſcyphus ac ciſſybium, ex ligno confecta pocula, in cenſu uaſorum nobilium quoque erant. Cuius frugalitatis præclarum ſpecimen de ſe M. Curius Samnitibus præbuit, qui in agreſti ſedẽs ſcamno, dum ex ligneo catino ſuis toſtis ueſceretur rapis, Samnitium legatis ingens auri pondus offerentibus: Narrate (inquit) ueſtris, M. Curium malle locupletibus imperare, quàm diteſcere, atque iſtud ut pretioſum, ita malo hominum excogitatum munus refertote: & mementote, me nec acie uinci, nec pecunia corrumpi poſſe. Erat ſanè catinus uulgare uas eſcarium, quo etiam Romani tempore Numæ Pompilij utebantur. Vnde Iuuenalis ait: Aut quis

Sympullum ridere Numæ, nigrúmque catinum,
Et Vaticano fragiles de monte patellas
Auſus erat? Certè nemo.

In Vaticano autem Romanæ urbis colle optima conficiebantur fictilia. Erat quoque Ciſſybium Græcorum ex ligno hederæ poculum, cuius meminit Homerus Odyſſeæ I.

κισσύβιον μετὰ χερσὶν ἔχων μέλανος οἴνοιο.

Tale ex hedera poculum, gemina ratione conuiuia decere arbitror. Primùm, quòd hedera uini temulentiã ſuo frigore arcere creditur: & ob id Corybantes cornigeri Bacchi ſacerdotes, hedera coronabantur. Deinde, quòd cauponum fraudes, qui uinum aqua miſcent, eo poculo deprehenduntur. Nam teſte Catone, ſi uinum lymphatum in uas hederaceum effunditur, tum uinum per poros reſudat & effluit, aqua uerò ob groſsiorem uino ſubſtantiam remanet. Certè præclaras medendi uires pleriſq; lignis ineſſe, ut thamariſco & fraxino, nouerunt Medici omnes: quorum hoc uenenis & calculo, illud uerò ſpleni obſtructo præclarè medetur. Quare ligneos ex his compactos calices nõ improbo. Ex ligno quoq; Guaiaco pocula torno excauata libens admitto. Sed quum Aſia & Alexandria deuicta Romanorum opes creuiſſent, molliſque Græcorum luxus Romanorum grauitatem eneruaſſet, tum quoq; repudiatis fictilibus & ex ligno poculis, ueſtium & poculorum, ex ære Corinthio cryſtallis & murrha, luxuria Romæ inualuit: ſunt enim myrrhina pocula, ex murra gemma ſculpta, quæ præcipuè in Carmania, ex humore ſub terra ſolis æſtu concreto, uelut lyncurium, coaleſcit: quæ non ſplendet, ſed purpureis & choruſcis in candore maculis uerſicolor uelut murena piſcis nitet, quam ob id Caſsius iuriſconſultus inter gemmas non computat. At ex ea celata pocula, uini ſaporem fouere, Martialis tradit:

Si calidum potas, ardenti murrha phalerno
Conuenit, & melior fit ſapor inde mero.

Laudatur Auguſtus Cæſar, quòd capta Alexãdria, ex regia ſupellectile nil, præter unum myrrhinum calicem, retinuerit. Cryſtallina quoq; uaſa, ex cryſtalli glacie, hyberno frigore ſub niuibus intra rupes cõcreta, ſculpta, in deliciis habebantur: quibus noſtra ex uitro conflata pocula, in cẽſu proxima ſunt: quæ eo nomine ſunt metallicis ſalubriora, quòd nulla ſulphuris aut argẽti, plũbi, ac ceruſæ uirulentia participent: & ſuo cõgenito frigore, ſaporem uini quauis niue & glacie melius conſeruant. At quando cum diuitiis amor quoque argenti & auri creuit, & auri ſacra fames pectora hominum obſederat, tum primum, quamuis ſerò, ſalubriora ex figulari terra lignis & uitro pocula, metallicis ceſſerunt. Nam uaſa Corinthiaca, χαλκώματα dicta, tum primùm ex ære fieri cœperunt, cum Corintho à L. Memmio deuaſtata incendio, ſimulachra ex omnifariis æris, argenti & auri metallis conflata, in unam maſſam confluxiſſent. Gigas uerò primus Lydorum rex, templum Apollinis Delphici ex argento & auro donariis decorauit: Gorgias Leontinus orator, primus hominum auream ſtatuam, & ſolidam, ſibi Delphis in templo collocauit. Ac tam rarus erat tum auri & argenteæ ſupellectilis quoque uſus, ut Fabricius Romanus, imperatores plus quàm unam ex argento pateram & ſalinum habere uetuerit. Vnde Duris ille Samius refert, Philippum magni regis Alexandri patrem, unicã tantùm ex auro phialam habuiſſe, quam noctu ſub puluinari celare ſolitus eſſet. At poſt tempora Crœſi & Maſſaniſſæ, tantus in tota Europa argẽti & auri inoleuit uſus, ut nihil in conuiuiis magnificentius haberetur, quàm pleno ſeſe auro proluere: & Poppea Neronis coniux ſoleas iumentis ſuis aureas indueret: templa, triclinia, ac mulierũ colla, & hoſtiarũ cornua, auro fulgerẽt. Ante hæc tẽpora, &

*De corneis ueterum ac regũ poculis, Athe. lib. 11. Dipnoſoph.*

*Regum Indiæ ex cornu monocerotis pocula. Philoſtr. li. 3. de uita Apollonij.*

*De uirib. eyngehorns.*

*Cornu monocerotis ueneno mederi.*

*Ceruini cornu uires. Pli. li. 8. cap. 32. Virgil. in Georg.*

*Varius cornuũ in medic. uſus. Gal. li. 1. & 2. de Compoſit. medica. & li. 13. Method.*

*Athen. lib. 6. Dipno. Pli. 35. cap. 12.*

*Cicer. in Paradox. & li. 2. de Nat. deor. Iuuenal. Sat. 6. Liu. lib. 1.*

*Pli. li. 33. ca. 11.*

*Victru. lib. Archit. 8. c. 7.*

*Plutarch. in eius uita. Valer. lib. 4. cap. 389.*

*Catinus quid.*

*Satyr. 6.*

*Athen. li. 11. copioſe.*

*M. Cato de Re ruſ. ca. 110.*

*Ex fraxino & thamariſco pocula.*

*Pli. lib. 33. c. 1.*

*Murrha eſt lapis Chalcedonius, inde Myrrhina fiebant pocula.*

*Pli. li. 34. ca. 2.*

*Hæc Athenæus 6. Dipno.*

*Pli. li. 33. ca. 4.*

*Pli. li. 33. ca. 11.*

*Poculorum ex ære usus. Lib. 1.*

auri usum, ex æreis poculis dijs libabant, & bibebant: eorum quoq; repositoria χαλκωθήκας appellabant. Herodotus, Aegyptiorum sacerdotes ex æreis tantum poculis bibisse, autor est. At quum æs æruginem, stomacho infestum uirus, facilè (præcipuè si uino uel aceto irrigatum fuerit) contrahat, aurea pocula mihi magis cordi forent, quũ id corroborare & exhilarare tradatur. At poculum ex electro naturali, quod auro & quinta eius argenti parte constat, conflatum, quia stridore, & maculoso in superficie interna arcu, quo nitor eius obsolescit, uirus infusum prodit: cæteris etiam ex auro obrizo metallicis poculis præferrem, & fictilia quoq; Aeginetis relinquerem, quos Herodotus tantum ἐκ χυτρίων ἐπιχωρίων πίνειν, id est, ex urceolis aut ollis in Aegina factis bibere tradit. Est & aliud aurei poculi genus, ictericis ualde salubre, erythrodani radicis, quam rubeam uocant, decoctum: quod potum, aureum regij morbi colorem emendat. aureum ab antiquis medicis poculum dicebatur. Quod cum non magni cõstet, Petro Cyglerio meo nomine donare poteris. Vale.

*Pollux lib. 6. cap. 16. Pli. li. 24. ca. 2.*

## DE CRAEPALA, SIVE EX *mero Cephalalgia.* Epistola XXX.

PRæclaras mihi egisti gratias, mi Cygleri, quòd aureo erythrodani poculo te donauerim: quod quãtum sanitas diuitias antecellit, tantum tibi omni tua supellectile charius esse affirmas. Quòd si mihi quoq; aliud esset poculum, quod æquè ex mero cræpalæ, ac illud ictericiæ, mederi posset: id multis sestertijs in aula principum pluris uenire posse, rectè mones. At certè non est mihi huiusmodi poculum, quo & ipse aliquando egeo, uenale: sed quale sit, te pro ueteri nostra amicitia rectè docebo. Erat Cothon fictile Laconibus poculum: unde κωθωνίσαι, id est, inebriari, Lacones dicebant. Qua ratione uerò id citra animi & corporis offensam commodè fieret, Mnesitheus Atheniensis medicus, in epistola sua de Cothonismo, docet. Et ne illius consilium Græcæ linguæ imperitis pariat fastidium, id Latinè explicabo. Accidit autem (inquit) ut illorum qui se plurimo mero ingurgitant, corpus & anima grauiter offendatur. Verùm quodam dierum interuallo inebriari, uidetur mihi corpus expurgare, & animum recreare. Coaceruantur enim in nobis ex quotidiana potatione quædam humorũ acredines, quarum opportunissimus est per urinã exitus, & purgatio per compotationem maximè competit. abluitur enim uino corpus, quod est calidum & humidũ. & urina, quæ de nobis colatur, acuta est: nam & fullones cum ea uestimenta abluunt. Tria uerò tibi compotanti erunt cauenda: Ne malum uinum pendulíue bibas, neq; merum non mixtum: neq; te in compotatione bellarijs secundæ mensæ repleas: ac cum satis te uino impleueris, ne dormias priusquam euomueris: post uomitum uerò parum lotus, quiesce. Quòd si te nõ sufficienter euacuare poteris, tum plurimo calidę aquæ utaris lauacro.

*De cræpala uide Gal. lib. 5. Aphor. 5. Suidam & Hesychium. Athen. lib. 11. Dipnosoph.*

*Cothonismũ copiose describit Iul. Pollux li. 6. ca. 18.*

*Compotationis commoda. Athenæus li. 2.*

*Fullones urina uestes purgant.*

*De curandæ ebrietatis ratione Gale. de cõpos. med. in gener. li. 2. & de facilè parabilibus. & li. 2. de Med. sec. loca. & Rasis ad Almans. li. 5. cap. 74. & Macrob. li. 7. Saturna.*

Accipis ne iam ex antiquissimo medico Mnesitheo, quo moderamine Lacones Cothone poculo utebantur: & quòd cothonismo corpus per urinam & uomitũ expurgatur: animus quoq; φιλοτησίας poculo exhilaretur. Deinde siquis dulcedine uini inescatus, plus ęquo biberit, qua ratione temulẽtia & crępala curetur: nempe cùm uigilia uapores uini dissipat, somnus uerò his caput replet, ne temulentus dormiat, priusquam euomuerit. Nec stomachus humorum corporis saburram commodius, quàm repletus, exonerare potest. Vnde præter Galenum & Auicennam ueteres medici inter salubria conseruandæ sanitatis præcepta, quouis mense alij semel tantũ, alij bis uomere constituerunt. Nec stomachus bellarijs, quæ sua dulcedine & uiscositate epar infarciunt, est onerandus: nisi amygdala amara, aut poma cotonea uel cestiana, aut oua tosta coriãdro aspersa fuerint. Galenus quoque ad concoquendam calidæ aquæ fotu cruditatem, temulentos altero die lauare, & à balneo capessere somnũ iubet. ad quod Lacones speciale lauacrum sudatorium tepidario, ut Vitruuius refert, coniunctũ, ac Laconicum dictum, constructum habebant, cuius Columella in prologo his uerbis meminit: Mox deinde ut apti ueniamus ad ganeas, quotidianam cruditatem Laconicis excoquimus, & exusto sudore sitim quærimus. Non tamen in quauis Cephalæa lauacris uti Galenus suadet: sed quando caput citra febrim incalescit, tum lauare, & à balneo uesci lactucis, ac sorbere ptisanam præcipit. Quando uerò à putridis in uentriculo humoribus, flatulenti uapores ad caput exhalant, ac uertiginem commouent, tum balnei usum penitus dissuadet. Frons quoq; hederæ succo irrigata, & folia brassicæ aqua rosarum madida, capiti applicata, ex uino cephalalgiæ medentur. Tantũ enim est brassicæ cum uino dissidium, ut uites iuxtà consitæ non coalescant: unde eius comestio ebrietatem arcere creditur. & ideo Aegyptij, inquit Suidas, ante alia fercula brassicam coctam edebant, & primũ in Symposijs ex eius olere ferculum fiebat. Meritò autem eandem uim quoq; raphano tribuunt, qui brassicam Græcè κράμβην & raphanum dici: nostram uerò radiculam, qua uescimur, ab Atheniensibus ῥαφανίδα nominari ignorãt. Tu igitur ne abstemius uiuas, hac ratione uini incommodis obuiam ire poteris. Vale.

*Quouis mẽse semel uomendum, Gale. li. 4. de Vtil. par. & Auicen. 4. fen, primi capitis.*

*Lib. 5. cap. 2. & 10.*

*Suidas in dic. κράμβη, & Athenæus lib. 1. Dip. Gale. lib. 2. de comp. medic. sec. loca. Gale. lib. 2. de Alimentis, capite de brassica.*

## DE FRIGIDAE POTV. *Epist.* XXXI.

*Qui medici frigidæ potum docuerint. Pli. lib. 26. cap. 3.*

QVàm efficaces sint gulæ uoluptates, uel ex hoc conijcere potes, quòd pleræque gentes & hydropotæ plus ob frigus aquam & niuem, quàm uinum, deorũ nectar, affectarunt: sed non pari ratione. nã hi uoluptatis gratia ob frigus arte paratum, aquam uino prætulerunt. alij religionis ergò abstemij uixerunt: ut perfida Iudęorum gens, ex lege Mosaica: & Thraces, illius ex Machometis constitutione æmuli, uino abstinent. & Herodotus reges Persarũ tantũ aquam Choaspis fluuij potare tradit, quam peregrè profecturi, prius probè decoctam ac uasis argenteis exceptam, in aurigis etiam ad uenationẽ secũ deferebant. Aquam quoq; Nili inter regia munera adeò in delicijs habuerunt, ut Philadelphus eam ex Aegypto Berenici filiæ, quæ Antiocho nupserat, in Syriam dono miserit. Et ne præcordia mero nimis incalescerent, caput aggrauaretur, aut frigus aquæ interna uiscera oblæderet, Melampos primũ aquam uino æquali miscere pondere docuit. unde Hermes Aristophanis in Pluto exclamat: οἴμοι δὲ κύλικος, ἴσον ἴσῳ κεκραμένης. & Hippocrates: Halyce, inquit, anxietudo, oscitatio & horror, uinum æquale æquali potum soluit ægritudinem. Quid multis? ne ulla potandi illecebra deesset, Alexandrini à Protagoride edocti, aquam singulari industria infrigidabant, qui aquam in testaceis uasis, interdiu sub aprico solis æstu calefacientes, aut eius terrestrem cruditatem ignis calore cõcoquentes, noctu in malo nauis aut fenestris ædiũ altioribus, ætheris frigori exponebant: manè uerò, antequam sol illuxerat, subducta eius fæculenta hypostasi, puriorem aquæ partem ut salubriorem, in fictilibus hydrijs, aqua aspersis, & pampini folijs aut lactucę coopertis, sub paleas reponebant. Et nequid ad gelida ganeæ pocula deesset, niues ad æstatem usq; in subterraneis fossis, quernis frondibus aut palea coopertas: Græcorum & Romanorum luxuria cõseruare docuit. Vnde diuus Augustinus libro de Ciuitate Dei primo: Quis dedit, inquit, paleæ tam frigidam uim, ut obrutas niues seruet? uel tam feruidam, ut poma immatura maturet?

*Iudæi & Turcæ abstemij. De rege Persarum, & hydropotis, hæc Athen. libr. 2. Dipnosoph.*

*Li. 7. apho. 56.*

*Gal. in 4. sexti libri Epid. commentario. Athenæus li. 3. Dipnosoph.*

Hinc Alexander ille magnus, dum præclaram Indorum ciuitatem Petram obsideret, triginta subterraneas scrobes effodit, quas niue ad infrigidanda militum pocula adimpleuerat. ita luxuria potus, commenta est reponẽdæ niuis officinas. Nam seruatur, ait Plinius, algor æstibus, excogitatúrq; ut alienis mensibus nix algeat.

Heliogabalus quoq; Romanorum imperator, in uiridario domus suæ montem excauit, in quem hybernas niues & glaciem ad æstus refrigerium reconderet.

*Ael. Lampridius in eius uita.*

Sed ante eum Nero, crudelis Romanæ urbis pernicies, excogitauit decoquere aquam, uitróq; demissam in niuem refrigerare, & in piscinis niue refrigeratis sub Caniculæ æstu lauare. Nec niuis algore tum cõtentabantur: sed eius aquam, per uas ex lapide uelut pumice porosum bibere, ingeniosa sitis illecebra Romanos & Græcos docuit, quod colum niuarium appellabant. Vnde Martialis inquit:

*Pli. lib. 30. ca. 3. & Sueton. in eius uita.*

*Epigrã. li. 14.*

Non potare niuem, sed aquam potare rigentem
De niue, commenta est ingeniosa sitis.

Has niuis delicias & refrigeria diu ante Romanorum reges & imperatores Græci usurparunt, quorum ueteris

teris comœdiæ autor Stratis inquit: οἶνον γὰρ πίνειν ψυχόμενον ἐν τῷ φρέατι, χιόνι μεμιγμένον. id est, Bibere uinum in puteo fontis refrigeratum, niue mixtum. Et quamuis ad curandos æstuantis uentriculi affectus, hanc plurimùm conferre, Galenus in Methodo sua prędicet (dum,

*Obscurus Galeni ex 7. Methodi locus illustratur.*

Vidisti, inquit, tu quosdam uno die, aut potius hora, eos frigida potione leuatos, quorum aliis non modò recentem fontis aquam, sed etiam quæ esset niue refrigerata, dedi, ueluti Romæ præparare solent, præcalefacientes primùm, quam aquæ præparationem biscoctam appellant) hanc tamen frigidæ potionem idem Galenus in libello de Boni & mali succi alimentis, & de

*Aquæ niuis incommoda.*

Renum affectibus, eisdem uerbis testatur, adolescentibus primùm insensilem, sed morbidam tamen, in præcordiis alterationem párere: & inde ingrauescente ætate, affectus in articulis, neruis, uisceribus, incurabiles afferre. Quare ut ab hac tibi temperes, fideliter tibi suadeo: ac quicquid ueteres de niue scripserunt, id de crystallo & glacie, & sale nitro uerè quoque dici putato:

*Glacie in æstate potus refrigeratio.*

quam niuem etiam nostris temporibus, ad uini refrigerium, Schlesitæ, Bohemi, Hũgari, & Moraui in subterraneis scrobibus recondunt. Verùm quia hanc stomacho obesse, ac illius uillos relaxare, ex uitiata deglutitione uidi & sensi: illius usum fastidiui, & dissuasi. Et data optione, mallem cũ Nomadibus galactopotis, &

*Athe. li. 2. de Nomadibus. Strabo et Pli. eadem.*

Philino, lac bibere, quem Aristoteles & Thephrastus in tota uita, nec alio potu aut cibo quàm lacte saturatum uixisse perhibent. Proinde quoniam uiscera tua facilè flatu intumescant, ab aquæ potu tibi caueto. Vale.

## DE FALSA ERYSIPELATIS *cura*. Epistola XXXII.

GAuisus eras, non tam meo, quàm ægrorum nomine, quòd meam curandi ægros operam generosis Rheni Comitibus Palatinis, illustrissimis Bauariæ principibus locassem. Primùm, quòd terram incultam, cum ea quæ esset uino salubri & frumento fœcunda ac populosa, cõmutassem: deinde, quòd mea opera & recta curandi ægros methodo, accolas Rheni

*Empiricos latronibus peiores, Galenus in libello de prænotione, et lib. 2. prognos. testatur.*

ab empiricorum tyrãnide, quos Galenus rectè latronibus comparat, & à Iudæorum impostura me uindicaturum sperasses. At mi Germane frater, quàm ægrè id fieri possit, rationes inexpugnabiles in prima epistola accepisti. Nam ut terra lætis fœcunda segetibus, tribulos, urticas, lolium & carduos parit, quæ etiam si eruncaueris repullulant: ita Rhenus inter præclara medicorum ingenia, nullis secunda, fraudulenta quoque parturit, quæ magistratus indulgentia alit & tuetur. hæc ut cardui lætas segetes, ita illa fraudibus, adulatione, optima quæque ingenia opprimunt. Quæ enim ciuitas, quis denique pagus, imperitissimum in re medica empiricum, λογίατρον garrulum, perfidum Iudæum, aut parrochianum, totius Philosophiæ ignarum apostatam, non alit? quibus, ut feli cum muribus captis, ita illis cum uita ægrotantium colludere impunè licet: non sanguinem tantum cum uita, sed pecuniam quoque, qua paupercula unà cum liberis uxor alenda erat, emungere his permittitur. Hoc certè est præter boni pastoris officium, non tondere & pascere, sed deglubere pecus: cuius sanguinem innocentem Deus, iustus scelerum uindex, ab auaris illorum manibus aliquando eripiet. Verùm ne tu omnino spe frustreris, quàm falsam curandæ erysipelatis methodum Iudæi, & illorum asseclæ empirici, in locis Rheno finitimis instituerint, paucis indicabo. Nam si qua etiam citra febrem, uel sanguinis ebullitionem cholerici, pustula uel macula rubea in aliquo corporis membro, præcipuè in capite, temporibus, crure, eruperit, id erysipelam esse exclamant: ac miseris ægris omni humectationi & lotioni interdicunt: quo fit, ut magni nominis proceres neque caput aut barbam in uiginti annis lauerint, nec ægri sordes manuum abluere audeant. Vide quæso, quomodo falsa opinio rationem captiuam ducit. Quare ut illorum temeritatem agnoscere possis, scito erysipelas latinis sacrum ignem dici: qua diuum Antonium, qui incendiis præesse creditur, eos qui eius numen non reuerentur, affligere arbitrantur: & quia eius imago, & quicquid donariorum uel porcorum illi consecratum fuerit, campanulis insignitur, accidit, ut hic quoque morbus à Germanis glogkfeuer, & ob rubeum affecti loci colorem, das rothlauff

*Glokfeuer und rothlauff Germanicè.*

appelletur. Hic sanè morbus erysipelas est feruens, ra-

*Erysipelata definit Gal. li. 14. Methodi. et lib. 2. ad Glauco. Paulus lib. 4. cap. 21.*

rò citra febrem ephemeram sanguinis cholerici in epate & uisceribus ebullitio: in qua cholera flaua, naturæ uiribus à sanguine bono sequestrata, per inguina, epatis emunctoria, ad crura defluit, & protruditur: uel ad collum, caput, faciem & pectus, sed cum maiori periculo, regurgitat: & non raró uulnera quoque obsidere solet. Quare ut phlegmon sanguineæ, sic erysipelas biliosæ fluxionis sololes: quæ inter utranque cutem citra subiectæ carnis offensam diffusa, erysipelas purum appellatur. Si uerò bilis flauæ crassior & acrior substantia, supremam corporis cuticulam, quam Gręci epidermida uocant, & subiectam illi carnem exulcerauerit: tum erysipelas quoque, sed nothum, aut herpes illi affinis dici potest. Ex his, ô Germane frater, te satis intelligere arbitror, utrumque phlegmonis & erysipelatis

*De cura erysipelatis Gal. lib. 13. & 14. meth. ad Glauco. li. 2. de cõ. Med. general. li. 1. et de sim. medic. libr. 3. Paulus libr. 4. cap. 21.*

morbum, esse, præter solutionem continui, ex repletione abscessus calidos. Quare utrunque per uenæ sectionem, aut pharmaca cholagoga euacuationem causæ antecedentis exigere, ac causæ coniunctæ, per eum qui sensum fugit halitum, digestionem, ac loci affecti & feruentis choleræ cum resolutione refrigerationem postulare. At quoniam, ut Galenus ait, erysipelas non quantitate modò affligit, sed etiam ex uehementi inflammatione ac qualitate sicca excruciat: quare ipsum ampliorem refrigerationem et humectationem, quàm phlegmonem, requirere. proinde Hippocrates, Galenus, Auicenna, Paulus, & Aëtius, medicorum coryphæi, erysipelas curaturi, post uacuationes ritè factas, fomentationes ex succis uel decocto solatri, lactucæ, semperuiui, umbilico Veneris, aut emplastra ex psyllij mucilagine ac lente palustri cum oleo Omphacino confecta applicuerunt, donec rubeus erysipelatis color liuescere, uel obfuscari uideretur: postea emplastra quæ temperato calore materiam impactam discuterent, ex aqua marina uel muria, & ὠμηλύσει, id est, farina ordei aut polentæ composita, applicabant: in principio tamen exacerbationis, ne bilis efferuescentis fluxus sisteretur, & ad aliquod uiscus internum principale regereretur, à frigidis, humectantibus, apocrusticis, penitus abstinuerunt, præcipuè circa emunctoria, applicare. Id quum nequissimi pauperum & ægrorum expilatores Iudæi, agyrtæ, & aliptæ non intelligant, qua ratione id ueteres medici statuerint, & cauerint: omnibus uel semel erysipelate affectis, per omnem ętatem humectationi, lauacris, capitis quoque lotioni interdicunt: quo fit, ut à sordibus corporum poris obstructis, corpus per insensilem exhalationem non expurgetur, sanguinem putrescere, corpus psora, uitiligine ac omnifariis scabie pustulis conspurcari contingat. Sed hos nebulones λογιάτρους, qui ob turpe & uile lucrum animam prostituunt, missum faciamus. Valeant igitur εἰς κόρακας: & ad alteram erysipelatis speciem, prædictis longè perniciosiorem, Galeno & aliis Arabum medicis uel non uisam, uel non cognitam, accedamus: de qua Plinius ille Polyhistor lib. uicesimosexto: ignis, inquit, sacri plura sunt genera: inter quæ medium hominem ambiens, qui zoster appellatur, & enecat, si cinxerit, & certè meritò à cingulo ζωστήρ appellatur: quoniam ob nimiam febre continua efferuescentis choleræ copiam, inflammatione à lumbis umbilico & testiculorum osseo usque ad genua hominem cingit, sepit, & circundat. Hoc illustris Princeps & Marchio

*Sic Scribonius ca. 106. [illegible] inquit [illegible] ad sacrũ ignẽ, quẽ zona u[illegible]cat, bene facit, ex aqua mulsa, detracto prius sanguine.*

Brandẽburgensis Georgius in Onelspachio correptus, ex ulcere cruris intempestiuè à chirurgo quodam consolidato, quod idem chirurgus, ne quid ad ulcus efflueret, fascia arctissimè strinxerat, interiit. deinde post biennium, eodem erysipelatis zostere, illustris princeps & comes Palatinus Otthenricus, dux utriusque Bauariæ, à lumbis ad genua usque circundatus, ac febre continua, ad delirium usque æstuabat: quem ego Heidelbergæ, incisa utriusque pedis saphena, adhibitis quoque quæ febrem restinguerent, Deo auspice, à morte uindicaui: qui te ab hoc sacri ignis æstu, sui spiritus refrigerio, sospitem nobis conseruare uelit, oro. Vale: & qui in amore nostri frigent, hoc sacro igne incalescant uelim.

## DE MAGIA ET RERVM NATVralium Sympathia. Epistola XXXIII.

MIraris, amicorũ optime, postquàm lux ueritatis nobis per Christum affulserit, astus & dæmonum præstigias nondum exoleuisse, & re-

ligionem ac medicinam adhuc esse adeò magicis uanitatibus refertam. Sed mirari desines scio, si reminiscaris, cacodæmonem, illum humanæ salutis hostem, ob superbiæ fastum, cum sua cohorte cœlo deiectum, se suósque simulacris idolorum insinuasse, ac suis oraculis, diuinationibus, & sceleratis sacrificiis non modò hominum mentes perstrinxisse, sed & religionem ac medicinam Magorum nugis contaminasse. quibus ut maior autoritas accresceret, Magorum solertia in occultandis fraudibus sagax, medicinam, sacrosanctum Dei donum, sibi arrogauit. Ob id Aegyptiorum sacerdotes, à quibus Pythagoras, Empedocles, Democritus & Plato Magiam didicerunt, quo quisq; remedio sanitatem recuperauerat, id conscriptum, Memphis in Hephestio, Vulcani & Isidis sacrario, deponebant: & pariter Græcorum sacerdotes, Magiæ antistites, ea in adytis templorum Apollinis & Aesculapij in Pergamo etiam recondita seruabant: quæ sacerdotes uelut oraculo Aesculapij edocti, ægrotis communicabant. quæ illi tanta fiducia acceptare solebant, ut pleriq; sacerdotum consilio persuasi, quindecim dies à potu abstinuerint. Accipísne iam, quomodo medicina ad sacerdotes, magos, dęmonúmq; cultores sit deuoluta? Vnde Nicomedes in Euangelio suo, Magos Pharaonis, qui Aegyptiacis incantationibus in conspectu Mosis & Aaronis uirgas in colubros conuerterant, non temerè Medicos appellauit: & Dioscorides noster, à sacratiore uaticiniorum professione, prophetas non rarò nominat. Ac ut rem totã exactius posis dignoscere, quid sit Magia, paucis edisseram. Non erant olim Magi plebeiæ sortis homines, sed apud Persas, Aethiopes, Chaldæos ac Indos, ex regia stirpe proceres, qui in secretioribus Philosophiæ & artis Mathematicæ arcanis educati, sagacissimi sympathiæ rerum naturalium & diuinarum exploratores: ex quarum sympathia & antipathia admiranda, & uulgo incredibilia opera producebant.

*De præcipitio dæmonum, Esa. 14.*
*Lact. li. 2. c. 7. Euse. li. 7. c. 6. August. de ciu. Dei passim. Plin. li. 25. c. 1. & li. 30. ca. 1.*
*De sacerdotibus Aegyptiorum & Græcorũ hæc Gal. lib. 5. de cõp. medic. gen. & li. 6. Epidemi. Herodotus libri 1.*
*Sacerdotes olim medici & magi.*
*De Magis Pharaonis, Exo. 7.*
*Sympathia rerũ natur. & cœl.*

Inest sanè cunctis uniuersi rebus congenita inter se consortij aut disidij proprietas, qua etiam citra uisibilem contactum mutuò afficiuntur, & alterantur. ut aurum hydrargyrum, succinum paleas, magnes ferrum libens amplectuntur: at illud oleum, hic uerò allium & adamantem respuit & fugit: qui cum ab omnibus alijs inuictus maneat, anguine tamen hircino dissoluitur. Anne & hoc est præclarum naturalis disidij specimen, quòd tympana lupino obducta corio, alia, pelle cooperta agnina, sonitu suo disrumpunt: & leo, qui nec tygrim, nec elephantem aut ursam timet, gallum tamẽ, his longè imbecilliorem, expauescit. ut pleriq; homines, qui muris aut felis conspectum ferre non possunt: alij caseum, qui inter delicatiora secundæ mensæ bellaria offertur, ad nauseam usq; fastidiunt. At brasicam & hederam naturali odio disidere, & cucumeres subiecto, dum crescunt, oleo intorqueri, agricolæ etiam norunt. Nec minus præclara sunt naturalis sympathiæ & rerum consensus exempla: cuius insigne exemplum in fidibus citharæ aut testudinis apparet, quarum si unã digito contrectaueris, confestim unisona alterius testudinis chorda, illi correspondens, sua sponte mouetur, & festucam sibi impositam abijcit. Et herbas quoq; cum astris eundem habere consensum, quotidie experimur, quum heliotropij & molochi flores motui solis obsequi, & pulegium ipso brumali die Pleiadibus occiduis in coronarijs florere uidemus. At Orpheo, Theophrasto, & Proclo iudice, lapidibus longè efficacior est cum astris ac spiritibus consensus, quàm herbis: qui non astrorum nominibus modò, sed animis quoq; hominum imperare uidentur. Iaspis nempe nõ modò sacrificia dijs accepta reddit, sed Achates quoq; animos coniugum conciliat, & supplices uoti quoq; compotes reddit. Vnde Orpheus cecinit, uates magiæ peritus:

*Adamãtis & magnetis antipathiam experientia negat.*
*Lupinæ & ouillæ pellis dißidiũ. Oppianus li. 2. Cynegeticon.*
*Leo gallum timet.*
*Braßicæ & hederæ cũ uitibus dißidiũ. Cucumer oleo supposito incuruatur. Pallad. lib. 4. ti. 9.*
*Chordarũ in diuersis citharis sympathia, ex Boëtio.*
*Heliotropij & maluæ cũ sole sympathia.*
*De pulegio id Plin. & Cic. in li. Diuinat.*

ἱμερτόν τι γυναιξὶ διωήσεται ἀνέρα θεῖναι,
καὶ θέλξει μύθοισι βροτοὺς, καὶ πάντα κομίζων
ἅσσα κεν αἰτήσειας, ἀφίξεται οἴκαδε χαίρων.

Lapides uerò uirtutis astrorum consortio frui, inficiabitur nemo, qui ferreum compasti perpendiculum, magnete confricatum, semper poli septentrionalis stellam spectare obseruauit: & qui Selenitem, candidum ex Arabia lapidem, pro lunæ incremẽto crescere & decrescere uidit. Ex his constat, plantas, radices, lapides, & astra, ac spiritus quadam diuina lege consortij conspirare. Quod non aliunde accidit, quàm, ut Plato in Timæo docet, quòd cuilibet rerum speciei peculiare astrum, ut polus magneti: & cuilibet astro peculiaris intelligentiæ dæmon, ut proprius cuilibet homini genius, à diuina mente dicatus sit. Quicunq; horum sympathiæ consensum, & antipathiæ disidium nouerit: hic admiranda per herbas, lapides & spiritus producet magiæ opera: & horum illecebra, spiritus in sui colloquium allicere poterit. Ideo Druides Gallorum magi, nulla sacrificia absq; uisco, aut eius roboris uel quercus fronde Ioui sacra celebrabant. Et quia horum omnium oportet magum esse gnarum, ethnicorum magi philosophiam naturalẽ, astrologiam, & reliquas artes mathematicas, ac medicinam in suæ artis consortium traxerũt. quod Plinius his uerbis testatur: Magia, inquit, fraudulentissima artium, sola tres alias imperiosissimas humanæ mentis complexa, in se unam redegit. Natam primũ è medicina, nemo dubitat: ac specie salutari irrepsisse, uelut sanctiorem altiorémq; quàm medicinam: ita blãdissimis desideratissimisq; promissis addidisse uires religionis, ad quas etiamnum maximè caligat humanum genus: atq; ut hoc quoq; suggesserit, miscuisse artes Mathematicas, nullo non auido futura de se sciendi, atq; ea è cœlo peti uerissimè credente. ita possesis hominum sensibus triplici uinculo, in tantũ fastigij adoleuit, ut etiam hodie in magna gentium parte præualeat, & in Oriente regum regibus imperet. Quod uel hodie uerum esse, Nouæ insulæ, auspicio regum Portugalliæ repertæ, testantur: quorum reges magorũ iussis, & nepharijs illorum sacrificijs obtemperant, & dæmonum cultui parent. à quo CHRISTVS nos redemit: quo ex Deipara uirgine nato, repentè omnia dæmonum oracula conticuerunt. unde Druidum religionem, inquit Suetonius, apud Gallos diræ immanitatis, ab Augusto, sub quo CHRISTVS natus est, ciuibus interdictam, Tiberius Claudius Cæsar penitus aboleuit. Et ne magiæ arcana diuulgata uilescerent, primùm ea non monumentis literarũ concrediderant: sed, uelut Iudæi secretiorem diuinæ legis interpretationem, Cabala dictam, nephandis magiæ nugis quoq; defœdatam, alter alteri usq; ad Esdræ sacerdotis tempora, ueluti hæreditarijs reuelationũ successionibus cõmunicabat: sic quoq; Persarum & Aegyptiorum magi, ac Gallorum Druides, non fas esse censebant, ea literis mandare, ne in uulgum sacra efferrentur, usq; ad tempora Numæ Pompilij regis & pontificis Romani, qui Pythagorica sacra duodecim libris cõscripsisse fertur, quos etiam in monumento suo recondere uoluit: exemplo Dardani Aegyptiorum magi peritissimi, qui libros de Magia conscriptos in sepulchro suo absconderat: quos erutos Democritus, uir in perscrutandis naturæ uiribus sagax, tum commentarijs à se editis illustrauit. Cæterùm quum illorum magia mentes hominum præstigijs dęmonum perstringeret, & à uero sacrosancti Dei conditoris cultu auerteret, factum est CHRISTI, pro nostra à dæmonibus redemptione pasi, benignitate, ut ea artium perniciosissima, fraudibus plena, tandem exoleuerit: cuius auspicio, & doctorum uirorum labore, breui futurum spero, ut ea quoq; è Medicina (quam suis physicis ligaturis & περιάπτοις ac ἐπῳδοῖς & incantationibus, ad perniciem uitæ & salutis hominum conspurcauit) extirpetur. Nec aliquem modò uiuere arbitror, qui exactam illius cognitionem habeat: nisi perditos quosdam ardeliones, qui mentiri non erubescunt, & ob pecuniæ aucupium animas dæmonibus prostituunt, & deuouent: quos nec primis quidem labris magiam naturalem, quæ rerum naturalium ac cœlestium sympathiæ innititur, degustasse certum est. quæ tandem in uarias diuinationis species degenerauit: quarum prima est à luctu dicta Goëtia, quæ autore Suida est ἐπίκλησις δαιμόνων κακοποιῶν περὶ τὰς τάφους γινομένη, id est, inuocatio dæmonum maleficiorum iuxta sepulchra facta: quæ ob id aspergine lustralis aquæ & tædarum igne expiabantur, ne uel dæmones ea obsiderent, uel obessent: quem ritum ad nos emanasse, quispiam suspicari posset. Huius Goëtiæ germana soror est ipsa Necromantia, quæ ad euocandos defunctorũ manes, præter supplices cõiurationis precationes, sanguinẽ humanũ, quo dæmones effuso delectantur, uel saltẽ nigri pecoris aut agnorum cruorẽ requirit. unde Vlysses consilio Circes, diffuso in

*De selenite, hæc Proclus in libr. de Mag. & Diosc. li. 5. ca. 100.*
*Magiam ex sympathia rerum cõstare, docet Proclus in libello de Magia & sacrificio: Psellus de dæmonibus clarè.*
*Cæsar lib. 6. Plin. lib. 16.*
*Lib. 30. cap. 1.*
*Nouæ insulæ dæmonum magia gubernãtur.*
*Sueton. in uita Claudij. Pli. li. 30. ca. 1.*
*Cabala Iudæorum, magorum nugis referta.*
*Numa Pomp. & Dardanus, magi. Liui. lib. 10. Dec. quartæ.*
*Christus à dæmonum potestate nos liberauit.*
*Magia hodie ignoratur.*
*Goëtia quid, ex Suida.*
*De aquæ asper gine, & igne, hæc Athen. ex Clidamo, li. 9.*
*Necromãtia.*
*Sanguine in sacrificijs dæmones delectari.*
*Hom. Odyß. λ. Horat. libr. 1. Sat. 8. Lucan. lib. 6. Philost. lib. 4.*

ſo in ſcrobem cubitalē pecorum cruore, & melicrato, heroum Troiani belli animas, & ipſius Achillis umbrā & ſpiritū, ab inferis accerſiuit: quem Apollonius Tyaneus ſolis ſacerdotū Indiæ deprecationibus, quas Græci λιτανείας uocāt: ſicut Appion grāmaticus Homeri manes, ut illius natale ſolum exploraret, ab inferis in colloquium accerſiuiſſe, gloriantur. Sic quoque uatidicam anum in Endor, Pythone dæmone obſeſſam, ad Sauli regis colloquium Samuelis prophetæ umbram uerius quàm animam, euocaſſe, ſacræ teſtantur literæ. Erat certè Pytho dæmon, qui Delphis & alibi, ſub ſpecie ſerpentis uenerabatur: à quo D. Paul. uirginem uatidicam, in Philippis obſeſſam, uindicauit. At certè has non fuiſſe defunctorum animas, ſed dæmonum ſpectra, præter Auguſtinum, & Iſydorum, diuus etiam Chryſoſtomus rectè ſentit. quę theologis diſcutienda relinquamus, & alias Goëtiæ ſpecies, quæ in medicinam irrepſerūt, perçenſeamus: inter quas altera eſt ἐπῳδή, epode, id eſt incantatio. Vnde Sophocles ait: οὐ πρὸς ἰατροῦ σοφοῦ, θρηνεῖν ἐπῳδὰς πρὸς τομῶντι πήματι. id eſt, Non eſt ſapientis medici, damnum affectanti incantatione obſtrepere. Epodos quoque, teſte Galeno, hymnus, quo heroum & deorum præconia ante altaria in ſacrificiis decantabantur: ac lyricorum poëtarum στροφὴ & ἀντιστροφὴ dicebantur. & Epodium carmen, quo dimidiĳ uerſus integris iambicis ſubiiciebantur. Epodos quoque, ut Heſychius & Suidas, ἡ ἐπαείδουσα τοῖς νοσοῦσι παισί: id eſt, Mulier dicebatur, quæ pueris, à laniis aut ſtrigibus faſcinatis, nocturniſque lemuribus laceſsitis, carmine medebatur: quibus allium quoque appenſum auxiliabatur. Vnde Q. Serenus poëta medicus ita cecinit:

*De Appione hæc Plin. libro 30. cap. 1.*
*1. Reg. 28. & in decret. cau. 26. qu. 5. can. nec mirum.*
*Act. 16.*
*Incantatio.*
*Triplicē Epodi ſignificatio nē exponit Gale. in fine operis ſui de Vtilitate partiū.*
*De ſtrigibus hæc Auſonius. Lucan. lib. 6. Oui. li. 6. Faſt. Pli. li. 11. c. 38.*

Præterea ſi fortè premit ſtrix atra puellos,
Viroſa immulgens exertis ubera labris,
Allia præcepit Titini ſententia necti.

Eſt igitur Epode incantatio, quæ ſolis ᾠδαῖς, id eſt carminibus & uerbis, ut plurimum barbaris, dæmonibus conſecratis, conſtabat. Ob id Lucanus:

Mens, ait, hauſti nulla ſanie polluta ueneni
Incantata perit.

Habuit & hoc maleficiĳ genus in Græcia, ac non adeò ante multos annos adhuc in Germania, ſuæ artis, ſub medicinæ prætextu ſuos profeſſores. quos Plato libro de Republica ſecundo agyrtas, ariolos & uates nominat: qui ante ianuas diuitum, ſtipem petituri, oppidatim quæſtus cauſa oberrabāt, & diuina quadam uirtute, carminibus & ſacrificiorum myſteriis ſe morbos infligere, inflictos quoque curare: & ſi quid ſceleris à diuitibus, aut eorum proauis eſſet commiſſum, id magica ſacrificiorum celebritate, ſuffimentorúmque odore expiare, eorúmque inimicos tam ſontes quàm innocentes ἐπῳδαῖς, id eſt, carminibus oblædere poſſe gloriabantur. Quos non tantum argutè, ſed piè & ſanctè diuinus Hippocrates, in libello de Sacro morbo ita redarguit, & impietatis accuſat: Qui, inquit, luſtrationibus & magicis incantamentis morborum affectiones depellere ſe iactitant, hi uictus indigi, uerba eorum ad dæmonium referunt, ut quidam ſe amplius ſcire uulgo oſtentent, & homines decipiant. Expiant enim morbo correptos, ſanguine & ſceleribus inquinatos, iniuſtos & intoxicatos: ac expiamenta alia ſub terram defodiunt, alia in mare proiiciunt: alia ad montes deſertos, ne quis ea contrectet, aſportant. At Deus (inquit) qui maxima ac ſceleratiſs. peccata purgat, noſtra eſt liberatio. Qui certè ſui filiĳ natiuitate & immolatione, nos à cruento dæmonum cultu & poteſtate liberauit. Si enim, ut idem aſſerit Hippocrates, homo carminibus lunam deducere cœlo poſſet, tum certè Deus & mens diuina, aſtrorum conditor ac rector, hominum poteſtati magorúmque incantamentis (quod dicere nefas eſt) eſſet obnoxius. Sed, ut Plutarchus tradit, Aganice, Hegetoris Theſſali filia, ſiderum in pleniluniis defectus perita, ac temporis, quo luna obiectu terræ umbra obſcuraretur, gnara, quum hæc mulierculis credulis præſagiret, lunam ſubducere cœlo uiſa eſt. Quare rectè Socrates dixiſſe fertur, incantationes eſſe uerba animas decipientia humanas: quæ ne quidem aſsis facio, quum nullum effectum realem naturaliter producere, nec ob id ſanitatem in ægritudinem commutare poſsint, niſi diuinæ cenſuræ maieſtas annuat: aut niſi quis forſan, ut ex confidentia in medicum, pharmacis plus energiæ, ſic ex fide uerbis incantationum aliquid uirium accreſcere, non temerè ſuſpicetur. Eſt etiam tertia alia Goëtiæ ſpecies, quę Medicinam quoque ſuis ueneficiis polluit, Pharmacia dicta, amatoriĳ poculi aut pharmaci (à Græcis philtrum dicti) præparatio: cuius Iuuenalis ſatyra ſexta meminit:

*Agyrtæ, germa. Die farēde ſchuler.*
*Sancta cōtra Goëtiam diui Hippo. uerba.*
*Plutarc. de præcept. connub.*
*Fraus Theſſalorum incantandi ſidera.*
*Fidei & fiduciæ efficacia.*

Hic magicos affert cantus, hic Theſſala uendit
Philtra, quibus ualeant mentem uexare mariti.

Nam inter hæc amatoria ueneficia, hippomanes, equi, & in extrema lupi cauda pilus, & os de rana uiridi, in formicarum aceruo exeſa, reputātur. ſiniſtri enim oſsis contactu amorem, dextri uerò diſsidium excitari, tradunt. Sunt & huius Goëtiæ plures ſpecies: nempe epatoſcopia, hydromantia, geomantia, haruſpicina, & reliqua id genus diuinationum artificia, quibus cum medicis nihil commune eſt. Ea igitur dæmonum cultoribus condonamus: & unà cum Eccleſia Chriſtiana gratias Deo agimus, qui ſua natiuitate nos liberauit de diabolica poteſtate.

*De hippom. & lupo, Plin. lib. 8. ca. 22. & 42. de rana li. 32. cap. 4.*

## DE PHYSICIS MEDICORUM ligaturis, & periaptis, & annulis. Epiſtola XXXIIII.

QVandoquidem ex magia, Phyſicæ ligaturæ, characteres, periapta, ſigilla, & annuli in Medicinam irrepſerint, petis, an hæc in curandis & præcauendis morbis, uſui eſſe arbitrer, tibi ut reſcribere uelim. Itaque quum hactenus nihil æquè ex animo deſiderauerim, quàm Medicinam ab impoſtorum fraude expurgari, & à ſuperſtitione uindicari: ut tuæ honeſtæ petitioni paream, æquum eſſe cenſeo. Quare primum omnium ſcire debes, phyſicas ligaturas ab occulta rerum proprietate dependere: nempe ex cœleſti ſiderum conſtellatione, & impreſsione, pro uniuſcuiuſque ſpeciei conſtitutione, omnibus indiuiduis, aut pro ſingulari complexionis gradu aliquibus tantum illius ſpeciei indiuiduis congenita. Vnde cum ſapphirus oculos non oblædat, repertus eſt tamen unus, qui prima applicatione aciem uiſus obtudit: & in Auſtria gemelli, qui obiectis ſolis ad ianuas corporis lateribus, feras aperiebant. Sic conſtat, animalia, mineralia, & uegetabilia, ratione ſpecificæ aut indiuidualis cōſtitutionis, in generatione illorum cœlitus aliqua imbui uirtute, aliis rebus adeò contraria & internecina, ut illarum operationes ſiſtat, & liget. unde phyſica ligatura originem & nomen habet. Sic præſentia adamantis, & alliĳ, magnetis actiones, ne ferrum attrahat: & oleum, nec ſuccinum paleas alliciat, obſiſtit, & ligat. Alyſo, hypericoni, & moly herbis tantam ineſſe contra malignos ſpiritus antipathiam, ut quemadmodum luporum capita ianuis affixa, ſic has herbas in ædibus ſuſpenſas, ab hominibus & pecore ueneficia, ne faſcinentur, arcere & amoliri, grauiſsimi authores tradant. Vnde Homerus, magiæ peritiſsimus uates, Mercurium moly contra ueneficia Circes Vlyſſem muniuiſſe, cecinit. Proinde de his periaptis & amuletis, quæ ratione nituntur naturali, fidem non derogamus: de quarum ſubſtantia, uaporum defluuia inſpirata, uires corporis reficere, internámque morbi cauſam alterare poſſunt. nam contacta tridente torpedine marina piſcatoris manus obſtupeſcere: & echeneida piſciculum quamuis uelocem, nauis procella uentorum agitatæ curſum ſiſtere uidemus. Sic quoque melanthiĳ ſemen, catarrho: radicem pæoniæ albæ, quæ altera eſt noſtri dyptami ſpecies, epilepſiæ: & ſtercus lupi alligatum, colicis mederi experimur. non, ut Pamphilus medicus ſentit, incantationis uiribus: ſed quòd ab illorum ſubſtantia uapores quidam, uelut atomi, defluerent, qui inſpirati cerebrum ſiccarent, morbíque cauſam ſuis uiribus alterarent. Vnde Galenus experientia horum edoctus: Periaptis (inquit) ſic confidere oportet, ut ſubſtantia illorum, & non incantationis magorum uerba, iuuet. Cui Theophraſtus libro de Plantarum hiſtoria nono ita ſubſcribit: Potius, inquit, abſurda illa putentur, quæ alligata, & ueneficiorum aduerſantia uocantur, & tum corporibus, tum domibus unicè opitulari creduntur: quæ commenta ho-

*De phyſica ligatura, Arnoldus in libel. de parte operat.*
*Ligaturas et decreta pōtif. cau. 26. q. 5. c. ꝫ no. nec mirū. deteſtantur.*
*Gemellorum Auſtriæ admirāda proprietas.*
*Adamātis, alliĳ et magnetis antipathia.*
*Succini et olei antipathia.*
*Dioſc. li. 3. c. 37. Plin. li. 28. cap. 10.*
*Odyſſ. 10, & 11.*
*Gale. de util. reſpirationis. Plin. lib. 9. & paſſim.*
*Pli. li. 32. c. 1.*
*Gal. lib. 6. et 10. de ſimplic. medic.*

minum esse planè uidentur, qui suas artes magnificare celebraréque cuperent. Vnde non temerè Antoninus

*Lucianus in Dial. Philos. periapta lepide irridet.*

Caracalla imperator, teste Aelio Spartiano, eos condemnare statuit, qui contra tertianas & quartanas febres periapta gestarent. Quare meritò aniles illos uersiculos, ex sacræ scripturæ uerbis, aut barbaris dæmonum nominibus concinnatos, unà cum diuo Augustino despuimus, qui in Euangelio Ioannis, tractatu se-

*Augustini de Periaptis sententia.*

ptimo ait: Illi qui homines seducunt per ligaturas, per precationes, & per machinamenta inimici, suis precationibus miscent nomen CHRISTI, ut lateat ipsa seductio. Et quamuis Costa ben Luca apud Hebræos, quorum Cabala his ligaturis scatet, de his librum conscripsit: ac Alexander Trallianus, Iater à Mesue dictus: & Gordonius quidam, ac alij medici, non paruam illis fidem adhibent: ego tamen eas, præcipuè quæ uerbis constant, non assis facio. Simili uanitate, præter annulos & sigilla, eos quoque characteres nectere ui-

*De characterum potestate & generibus.*

demus. Affirmant enim, quaslibet res naturales à stellarum radiis, illis propriè dicatis, peculiari charactere uirtutis illarum participe insigniri, quam in res quibus applicatur diffundit. Ob id omnibus tā erraticis quàm fixis suos effingunt characteres, quibus se morbos & infortunia depellere posse gloriantur: adeò nullum tam est impudens mendacium, quod teste uel prætextu aliquo careat. Sed esto, quòd ita se res habeat: attamen ut stellarum nomina & numerus soli Deo co-

*Plinij secūdi dictū li. 2. c. 26. Vis & nomina stellarū soli Deo cognita. Psal. 146.*

gnitus, sic illarum circa hæc inferiora effectus & signacula soli Deo sunt explorata. Proinde rectè regius ille propheta Dauid de Deo cecinit: Qui in numerato habet, innumeras alioqui, stellas, & singulas illarum suis appellat nominibus: quæ nullus humanus intellectus assequi potest, & sine quibus magi suos producere effectus non possunt. Fuerunt & alij Aegyptiorum Magis characteres, quibus sacra deorum nomina, & religionis arcana, uulgò celabant: quos D. Hieronymus, & Orus illarum scriptor & interpres,

*Hieroglyphicæ Aegyptiorū literæ. Olla ardēs & calix.*

literas Hieroglyphicas appellant: inter quas, ollæ ardentis effigies Aegypti caliditatem, calix uerò passionem significabant: quem Christus tamen, pro sui patris arbitrio, à se auferri petiit. Sed his ad morborum curas non abutebantur. Erat & aliud characterum

*Tertiū characterum genus. Antiochi character pro signo bellico.*

genus, quod cœlitùs plerisque ex diuina reuelatione datur: qualis per somnium Antiocho regi, cognomento Soteri, sub figura triplicis pentagoni, qui in Græcas ὑγίεια, id est sanitatis literas resolueretur, contigit: quo signaculo quum pro bellica tessera in uestibus militum intexta uteretur, de Galatis insperatam adeptus est uictoriam. Et Iudas quoq;, cognomine Machabęus,

*Machabæi character.*

accepto ab angelo sacri tetragrammatis signaculo, Antiochum Eupatorem primùm cum quatuordecim millibus hominum & plerisque elephantibus, postremò cum triginta hominum millibus feliciter prostrauit. Et quis nescit, Constantinum Magnum, uiso in æthere cru-

*Constantini character. Euseb. li. 9. Eccle. historiæ.*

cis charactere, iussúmque in hoc signo uincere, Maxentium tyrannum apud Miluium pontem debellasse: cuius præclarum uictoriæ monumentū, uel hodie adhuc arcus triumphalis Romę, è regione Amphitheatri conspicitur. quare non temerè olim crucis character, futu-

*Character crucis apud Aegyptios. Capnion de arte cabalistica idem sentit. Act. 8.*

ram significans salutem, inter sacras Aegyptiorum literas, quo & Serapidis dei pectus decorabant, reputatus fuit. Sed has admirandas characterum & uerborum operationes, à solo Deo, & hominum fide dependere, ueræ pietatis cultores rectè affirmant. Nam & Philippus apostolus Eunuchum, nisi prius fide bene instructum, sacro baptismate initiari noluit. tanta etiam uis sacramentorū uerbis, ex fide accrescit. Rectè igitur Rabi Moyses ille Aegyptius, libro primo Perplexorum, capite septuagesimo secundo: mendaces & stultos esse illos pronunciat, qui soli figuræ, soli scripturæ, solis lineamentis, solis denīq; uocibus, aëre fracto natis, tantam miraculorum uim & potestatem tribuant.

At certè superstitiones Magicæ, resectis hydræ capitibus, & ex eadem ceruice renascentibus, similes uidentur. En uix una & altera è Medicina superstitione li-

*Annulorū & sigillorum cōfectione Albertus quoq; lib. 2. Mineralium docet, tract. 3. cap. 1. & 3.*

gaturarum ac characterū extirpata, mox altera ex eadem Magiæ & astrologiæ radice, superstitio annulorū & sigillorum suboritur: quos hac ratione confici, Thebit philosophus, & Magiæ antistes, ad conciliandā alicuius stellæ uirtutem tradit: dum luna eandem stellam in medio cœli aut ascendente constitutā trino uel sextili aspectu feliciter intuetur, tum ex auro siue argento, aurichalco, aut quouis metallo stellæ huic dedicato, annulum conflare præcipit, in cuius σφενδόνην, cauitatē, lapidem, subiecta herba, huic stellæ appropriata, defigere iubet. His annulis animū exhilarari: hostes, cacodæmones, & morbos profligari, miraculáq; fieri perhibent. Sic Gyges Lydorum rex annulo suo, in cuius

*Plato lib. 2. de Rep.*

σφενδόνη lapidem, draconis capite exemptū, incluserat, sese (regem, & obstantes occisurus, ut impunè cum re-

*Philost. lib. 3.*

gina concumberet.) inuisibilem reddidit. Et Alexander Trallianus medicus Herculis imaginem, leonem suffo-

*Tral. lib. 10. cap. 1.*

cantis, annulo inclusam, cholicis mederi asserit. Tradunt quoq; Eudemum philosophum, annulos contra serpentum morsus, fascinationes, dæmonia, & morbos confecisse. Vnde Iosephus gloriatur, se, præsen-

*De Salomone & Eleazaro hæc Ioseph. li. 8. antiquit. cap. 2. Crinit. lib. 9. ca. 5.*

te Vespasiano imperatore, uidisse quendam de gente Hebraica Eleazarum, naribus cuiusdam à dęmone obsessi, annulū, cuius signaculo radix à Salomone reperta erat subdita, applicuisse, & dæmonem de naribus odorantis extraxisse: qui cum repentè in terram concidisset, Eleazar coniurationis Salomonis cantico, dæmonium proscripsit. Hinc idem Iosephus, Salomonem magicæ artis peritissimum fuisse, & Mosen Hebræorum legislatorem in Aegypto magia initiatum, annulos amoris & obliuionis confecisse tradit. Sed qua magia instructi fuerint, non docent. Erat enim quædam

*De duplici Magia hæc Suidas, et Psellus ac Iamblicus.*

magia, quæ inuocatione malorum dæmonum, eorum præstigijs & spectris mentes hominum perstringebat, & cruentis sacrificijs, uerbis coniuratorijs, additis quibusdam suffumigiis lapidum, & herbarum (ut

*De Cnebisio carduo, quem Aegyptij appellant Cnus, Proclus de Magia & sacrificio. Dioscorid. lib. 3. cap. 15.*

de Cnebisii cardui uiribus) dæmones in colloquiū alliciebat, quam Goëtiam appellarunt. Hanc Mosen & Salomonem non arbitror ignorasse: sed eo nomine didicisse, ut illius impietatem redarguere possent. Erat altera sacratior magiæ species, à Græcis Theurgia dicta, quæ erat per sacrosancta nomina & precationes, angelorum & bonorum spirituum (qui ueri unius Dei Israël operum sunt nuncij & executores) imploratio.

*De Mose hæc Pli. lib. 2. ca. 1. Euseb. de præpar. Euang. li. 8. ca. 2. Ioseph. li. 2. contra Apionem. in Actis Apost. c. 7. Ioseph. lib. 8. antiquit. ca. 2.*

Huius Salomonem & Mosen, ut unius ueri Dei cultores, peritos fuisse, in confesso est. Ideo Plinius Mosen & Lotopeum Iudæos aliam Magices factionem instituisse scribit: nec eum unquam fallaci dæmonum Magiæ addictum fuisse, Iosephus contra Apollonium & Lysimachum, qui illius impietatis Mosen accusarunt, argutissimè probat. Salomonem uerò, diuinum sapientię antistitem, tantum à superstitiosa dæmonum Magia abfuisse constat, ut authore Iosepho, Deus ei præstiterit uirtutem & artem contra dæmones, ad utilitatem hominum, qua eorum morbos mitigaret. Vnde dæmoniorum, qui humana obsidebant, & morbis affligebant, exorcismi inuentio Salomoni accepta refertur.

Quare qui tam sanctos uiros Goëtiæ insimulat, iste eos iniuria afficit maxima: quæ artium nugacissima, falsis promissis mentes hominum adeò inescauit, ut de morborum cura consilium petituri, tamē neglecto medico, nec implorato Dei auxilio, qui Plutonis tartara ac magicam illam annulorum cathenam confregit, ad sagas dæmonúmque cultores confugiunt. à quibus Iere-

*Iere. ca. 8. diuus Hierony. parte 3. tract. 14. epist. 76.*

mias propheta iure sciscitari posset: Nunquid resina nō est in Galaad? aut medicus nō est ibi? Verùm hæc dæmonum pręstigia & ludibria olim aliquid pōderis habuisse, non inficior: uerùm quum Christo ex illibata uirgine nato, omnis illis potestas, de qua nos captiuos in libertatem asseruit, adempta sit, hæc magorum incantamenta esse nugas cōstat: quas ut Christi blasphemias & decreta pontificum 26. quæst. 5. canone, nec mirum, seuerè detestantur. At nos in Deum & medicum, quem creauit altissimus, confisi, eius uerbo & medicinæ subsidio sanabimur.

## AN DIVINATRICIS ASTROlogiæ obseruationis & Mathematicæ Ephemerides medico conducant. Epistola XXXV.

ADeras tu quoq;, amice multis nominibus obseruande, dum in Lipsensi academia, frequenti discipulorum consessu Procli sphæram, & reliqua Cosmographiæ rudimenta interpretabar: tum

*Astronomiæ præconium.*

te audiuisse arbitror, quantis præconiis Astronomiam diuinitus ab Aegyptiis repertam cōmendaueram. Hæc enim sanè siderum cœlestium uarios, sed certa tamen lege,

lege,progreſſus,ſitus,motus,& coitus docet:quę ſummum ſummi Dei opificium illuſtrant,Deúmque tanti operis opificem teſtantur,ac cuncta ſublunaria lumine & motu ſuo fœcundant, alterant, & conſeruant: ex horum obſeruatione totius orbis climata, regionū ac urbium ſitus,locorúmque interualla metimur:anni mēſes,dierum horas et tempora,cum diuerſis horologiis,

*Verba Horatij lib.1.Ode 3.*

ſyderum ortu & occaſu menſuramus.Et horum políq; obſeruatione Phœnices freti,primùm fragilem truci pelago commiſerunt ratem: ac ſolis lunæque eclipſes ad temporis momentum certè præſagire poſſumus.quæ quum Chriſto pro nobis paſſo intempeſtiuè incidiſſet, Deum mundi autorem pati, Dionyſius Areopagita agnouit. Quas ſolis obſcurationes, ſed ſtato motus cœli tempore factas,niſi Gallus Sulpitius,cum Macedonibus conflicturus, militibus prædixiſſet, exercitus eius ſubito ſolis defectu perculſus, turpiter fugam arripuiſſet. Hæc eadem reliquorum etiam ſiderum ortus & occaſus agricolas & medicos docuit: penes quos,temporum anni qualitates ac aëris conſtitutiones, plurimum uariantur:quod ſcire, & diligenter obſeruare, præcipuè ad morborū uulgarium prænotionem, medicorum maximè intereſt.

*Hippo. lib.1. apho.& Gal. in tertio commen.li. 1. Epidem.*

Vnde ſcitè Hippocrates in libello de Aëre & aqua: Oportet,inquit,aſtrorū exortus & occaſus conſiderare,præcipuè canis, arcturi,et pleiadum.morbi enim in his diebus maximè iudicantur:alij ſanè perimunt,alij deſinunt, aut in aliam ſpeciem ſtatímq; mutantur.

*Aëtius lib.1. cap.164.*

Quod & Aëtium medicū dedita opera obſeruaſſe,præceptum eius teſtatur,dum inquit: Vigeſima quinta Septembris æquinoctium fit autumnale, quod triduum maxima aëris præcedit intempeſtas.quare cauere iubet,ne à 15.die Septembris, uſq; ad 24 diem,uenam incidamus,aut pharmacis,aut quouis alio uehementi motu corpus tentemus.

*Cauſæ mutationis temporum anni.*

Has certè temporum & partiū anni mutationes,ad morborū cognitionem & curā,ac de his prognoſtica,operæpretium eſt medicū obſeruare, quas ſol & luna ac reliqua ſidera,nō ob diuerſos illos lunæ imaginarios angulos, aſpectus & configurationes,ſed ob ſigniferi circuli obliquitatem,qua ratione nobis appropinquant,uel à nobis ſecedunt,& radiorum diuerſas in ſublunaribus rebus & locis refractiões,ſuo illo cœleſti & uiuifico uniformis ſubſtātiæ calore producunt,qui omnis qualitatum contrarietatis expers,elementorum tamē qualitates ſuo lumine & motu excitat,fœcundat,fouet,& conſeruat:ac ſub concauo orbis lunæ,pro infinita materiæ ſubiectæ uarietate,diuerſos ac infinitos, & ob id nulla arte comprehenſibiles,effectus producit.

*Cœleſtis caloris ſubſtantia.*

*Materia uariat aſtrorum effectus. Gale. li.2.de diebus Criticis.*

*Contra aſtrologos diuinatores.*

Nil igitur mirum,noſtros aſtrologos,ne dicam planetarios illos circulatores,dum ex aſtris futura præſagire uolunt,toties à ſcopo ueritatis aberrare. Rectè igitur Ptolemæus in libro qui Aliarba inſcribitur, effectus ſtellarum ait eſſe uarios & incertos:quoniā incertū eſt,qua ratione materia ſubiecta cœleſtem fluxum recipiat.

*Albertus li.2. de mineralib. tract.3.ca.3.*

Hoc ignorantes,inquit Albertus,multi qui ex aſtris diuināt,ſępe mētiuntur,& abominabilē faciunt ſuis mendaciis ſcientiam,quū tamē ſit alioqui bona & utilis.Sic & medici, qui ex ſolo urinæ indicio de morbis decernunt,ſtatuūt, & diuinãt,ſuis nugis medicinam defœdant,& exoſam reddunt. Ptolemæo ſuccinit Auerrois in Auicennæ Canticis,dum ait:Ars aſtronomiæ eſt debilis,& falſum eſt plurimum quod in ea exiſtit.

*De his Auguſti.lib.2.ſupra Geneſ.& li.2. de doctr.Chriſtiana, et li.5. de ciuitat.Dei copioſe.*

At hæc de ſola aſtrologia diuinatrice dici putato,cuius aſſertores plus illi attribuunt, quàm præſtare ars poſsit: cuius perfectam cognitionem,ut magiæ,nec habent,nec unquam aſſequentur. Vnde Philoſtratus: Sed ego, inquit,aſtronomię ſcientiam,atque adeò omnem diuinandi artem,humanę naturæ metas excedere puto:& an quiſpiam uerè ipſam nouerit, neſcio.

*Contra aſtrologos Genethliacos.*

Diuus tamen Auguſtinus, eos interdum aſſequi ueritatem,occulta dęmonum afflatione tradit, qua neſcientes afficiuntur. Ob id Ptolemæus in primo Centiloquiorum libro,ſolos numine afflatos particularia pręducere poſſe affirmat.

*Ephemerides aſtrologorum*

*Decreta cau. 26.q.7.ca.quis exiſtimaret. damnant, ob quas & Paulus Galatas.c. 4.grauiter inceſsit.*

De hoc genere hominū ſunt olim à Chaldæis plus ſeducti quàm edocti aſtrologi,quos Genethliacos uocamus: qui ex planetarū coitu aſpectibus ac dignitatib.quas ex cœleſti natiuitatis figura,quam cœli thema appellant,nati uitam,necem,fata,morbos,coniugia,& utrãq; fortunam prædicere audent.Vnde Phauorinus refert,id præſtigiarū offuciarúmq; genus homines ęruſcatores eſſe commentos,qui cibum & quæſtum ex mendaciis captarent.in quos & Gellius illud Accianum detorquet:

*Gel.li.14.c.1.*

Nihil credo auguribus,qui aures uerbis diuitant
Alienas,ſuas ut auro locupletent domus,& loculos.

Nec adeò nuper hæc fatidica,ne dicam uaniloqua aſtrologorum hæreſis fuit oppugnata:ſed & olim Porphyrius,teſte Iamblico, totius eorū artificij fundamētum his uerbis euertit,& abnegauit,dum ait:Si quis cognoſceret figuram natiuitatis,dominúmq; figuræ,inueniret quoque dęmonem ſuum,& ſolueretur per ipſum à fato natiuitatis.

*Hæc Iamblicus de Myſterijs ex Porphyrio adducit.*

Sed ſubdit,illā ſcire,& hunc inuenire, eſſe impoſsibile:& regulas aſtrologię eſſe incertas & incomprehenſibiles,authore Chęremone. Nam certè, quis in tam præcipiti ſyderū nocturna & diurna uertigine,quum minima momenta ingentes parturiant mutationes,quæ uix quiſpiam cogitatione aſſequi poſsit, quis inqua exactè natiuitatis thema cōſtituere poſsit, non uideo. Adde,quòd obſeruationes aſtrorum motus organa,rarò ſunt ad amuſsim facta, ſed plurimum manca. At his longè inſolentiores ſunt,qui faſtos dierum,aut Mathematicas ephemerides, quas Calendarū tabulas appellant,quotannis edunt:in quibus quo die nouas induere ueſtes,pecuniam numerare,emere & uēdere,peregrè proficiſci,pueros ablactare,(uix riſum cōtinere poſſum)quando unguium præſegmina abſcindere,adde & caput aut barbam radere,fauſtum felíxq; ſit,ex lunæ cum reliquis aſtris aſpectu præſcribunt. Sed in his citra damnum ludere & nugari poſſunt.Nec tantum id refert,quantum hoc,quòd nullo habito tēporū periodi,concoctionis morborum & criſis diſcrimine, quo die pharmacis aut uenarū ſectione, cucurbitularū applicatione corpus euacuare cōpetat,ſtatuere audēt. O flagris dignum facinus,quo innumeros perdunt ægros.Nam eſto quis plethoricus,luna leonem ſubeūte, uel combuſta pleuritide corripiatur,huícne uenam incides?at aſtrologi,quia luna ſubintrat leonem, domū Soli planetarū principi & illuſtratori dicatam, hoc uetant.At ſi biduum uel triduum,donec luna ſolis domū exiuerit,diſtuleris, ex affluxu humorum apoſtema ita augmētabitur,ut nec reſolui nec maturari poſsit.Vnde miſerum ęgrum auxilio deſtitutum,mori uel peripneumonia,aut phthiſi cōtabeſcere oportet.Si quis angina uel febre ſynocha laborauerit,& luna fuerit infortunijs obnoxia,differéſne uenæ ſectionē, donec luna ſuis infortuniis fuerit exuta?tū certè,niſi morbi principiis obſtiteris,ęgrum perdes,& nimis ſerò fruſtra medicinam parabis. Has lunæ obſeruationes,adeò Galenus nihili fecit,ut etiam magnopere laudet medicum, qui quinquagenarius in Cephalalgia nocte ſibi uenā inciderit.

*Gale. lib.11. Therapeutica.*

At longè magis deſipiunt,dum opportuna exhibendis pharmacis tempora deſignant. En Hermes propoſitione 74.pharmacum purgatorium, quum luna ſubit ſigna Zodiaci ruminantia,dare uetat:ut arietem, taurum, capricornum. Ridiculum certè. Veretur enim, quum hæc animalia cibum ruminent, ne pharmacum quoque ad os regeratur, & ex deiectorio alui fiat uomitorium. Non minus ridiculum eſt, quòd Ptolemæus in Centiloquio ait,pharmaca exhibita dum luna fuerit Ioui coniuncta,hebetari.Si uerò maleficis Saturni uel Martis aſpectibus configurabitur, ea periculoſa fore aſſerit: quoniam uita noſtra in calido & humido ſubſiſtit,quibus qualitatibus Iupiter præeſt.Quare ſi luna huic acceſſerit,tum uires et robur corporis adeò inualeſcere tradunt,ut uigorē pharmaci ſuperent,adeóq; eneruent, ut humores noxios expurgare non poſsit. At longè rectius ſentiunt medici, qui corpora effœtis uiribus languida,pharmaco aut uenę ſectione uacuare diſſuadent:quibus tum rectè utimur, quum uires corporis probè conſtiterint. Norunt certè, uirium naturalium robore & calore operationes medicinæ promoueri. Nec adeò ſenile Saturni frigus,aut Martis calorem uerentur,ut quū luna his coniuncta fuerit, opportuno auxilio deſtituant ægros. Nam neque hic adeò inflammat corporis humores, ut non ſub eo exiſtente luna, etiam frigidi inualeſcant morbi:nec ille adeò infrigidat,aut eos congelat,ut non,in quouis eius ad lunam proſpectu, etiam calidi morbi incrudeſcant.

Fruſtra igitur illius calorem, & huius frigus uerentur aſtrologi. At, bone Deus, tum ſibi maximè ſapere uidentur, dum membrum ferire ferro aut phlebotomo uetant: & cauent, ſi luna ſignum huic membro dicatum peragrauerit. Aiunt enim quum luna corpus maximè humectet,tum membrum id humoribus præcipuè redundare: quo nominę, euacuatione tum

potius

potius egeret. At huic Ptolemæi & Almansoris dogmati, Messahalæ doctrina ex diametro repugnat: qui curam morborum auspicari iubet, quum luna signa loco affecto appropriata subintrauerit. Ergo si quis phrenitide aut angina correptus fuerit, quamuis luna arietem, taurum uel geminos pererrat, Messahala, & quiuis peritus medicus, curam à uenæ humeralis sectione inchoabit: quod tamen Almansor, Ptolemæus, & omnes alij Astrologi prohibent. At illorum successores astrologi, & medici planetarij, hoc tenaci contradictionis uisco impliciti, Dædaleas suæ uanitatis pennas non aliter extricare possunt, quàm quòd ea præcepta in morbis, quorum cura ad tempus differri possit, sint obseruanda: ubi uerò morbus non fert inducias, ea nihili esse curanda. Ergo isti siderum aspectus in morbis acutis nihil ponderis habebunt? id quod tamen in uestris mathematicis ephemeridibus uulgus non admonetis, aut fateri erubescitis. At prudenter Galliarum, Angliæ, Hispanorum & Italiæ astrologi ab hac infamia sibi cauent, qui nullas huiusmodi præsagiorum, aspectuum, & ne dicam mendaciorum tabulas, in uulgus edunt: quas populo & ægris esse perniciosas, hoc proprio eorum præcepto eos facilè conuincam. Tradunt, si quis pharmacum sumpserit, aut uenam inciderit, dum luna natalitia signa sextæ aut octauæ domus obsederit: hunc mortem ægrè euasurum. Quum igitur cuilibet homini propria sint sui natalis signa, necessariò infertur, quosdam dies ad medicinæ usum aliis esse salubres, aliis uerò hominibus lethiferos. Quæ igitur est illa uestra dementia, qua dies phlebotomiæ & pharmacorum, tanquam æquè omnibus profuturas, in uestris ephemeridibus ita indiscriminatim assignatis? At obiicies mihi Galenum, qui tempora partus, ac dies & motus criticos, lunæ acceptos refert, pro ratione sedecim angulorum, quos luna quouis mense peragrat: & Marsilium Ficinum, qui integro libro de uita cœlitùs conseruanda conscripto, hanc astrologorum curandi morbos methodum docuit, & approbauit. Hæc Marsilium Ficinum scripsisse, etiam si reuiuisceret, inficiari non posset: qui agnita ueritate, tandem palinodiam Angelo Politiano & Pico Mirandulano canens, ingenuè fatetur, has astrologorum obseruationes, ut quomodolibet ad uitæ conseruationem profuturas, se congessisse, non ut eas probaret, sed potius cum Plotino grauissimo Platonis interprete derideret, ac ambobus congratulatur, quòd astrologica uanitatum & superstitionum portenta tam argutè quàm sanctè confutauerint: & quòd contra astrologos, qui Ioui eripere cœlum frustra more gigantum molirentur, hic ut Palladis alumnus, ille uerò ut alter Hercules, egregiè decertauerint.

*Gale.li.2.& 3. de diebus criticis.*

*Hæc Marsil. Ficin.libr. 12. Epistolarum.*

Quantum uerò ad Galeni Mathematicam de diebus criticis rationem attinet, nos medici unà cum philosophis concordi suffragio quoque fatemur, partus, animalium fœtus, arborum fructus, pro ratione lunaris motus & luminis augmento coalescere, maturari, & eniti: ac dies morborū criticos, siue præliatorios dicere mauis promoueri, nisi materiæ illius actioni subiectæ indispositio obstiterit, quæ hos lunæ solis & astrorum omnium actiones euariat: quod & Galenus lib. de diebus criticis secundo his uerbis fatetur: ὡς τεταγμένον τι χρῆμα ἐστὶν ἡ φύσις, κἀπειδὰν κρατῇ τῆς ὕλης ἀναλογίαις τισὶν ὡρισμέναις, καὶ περιόδοις τεταγμέναις, αἱ κινήσεις αὐτῆς γίνονται, τὰ δὲ ἀλόγως παρεμπίπτοντά ποτε, καὶ συγχέοντα τὴν τάξιν, ἐπειδὰν μὴ κρατῇ τῆς ὕλης, ἀλλὰ ἐμποδίζοιτο: tū citra omnē ordinē, astrorū natura, nō euicta materia, effectus producit. Constat igitur, has dierū indiciariorū, prouocatoriorū & criticorū obseruationes, & effectus, magis ex causę morbi materialis, pręcipuè febrilis & acuti dispositione, cōcoctione, statis morbi temporibus, & symptomatibus dignosci, & dependere, quàm ex astris: ut rectè Hippocrates in Aphorismis, Prognosticis & Epidemijs passim docet. qui quare diebus imparibus coincidat crisis, lib. 4. de Morbis, scitè causam reddit, dum inquit: Diebus paribus corpus de uentriculo & uasis humores attrahit, quos diebus imparibus propellit, & protrudit, cuius certum hoc est signum. Quicunque enim febre continua correpti, pharmaco in diebus paribus usi sunt, hi nunquam nimium sunt purgati: qui uerò diebus imparibus forte medicamentum sumpserunt, hi crebrò nimiū purgati interierunt. humor enim (inquit) ægroti magis diebus imparibus turbatur, nimirum corpore humorem ad uentriculum transmittente. Hinc quoque uidemus, tertiana febre correptos, ut plurimum in principio uel augmento paroxysmi, morbi humorē, qui ad stomachum regurgitauit, euomere. At nostri astrologi, nulla habita diei morborum paris uel imparis ratione, dies purgationum & phlebotomiæ præscribunt. Quas tamen dierum obseruationes, in uictus ratione & tempore constituendo: Asclepiades iure, ut uanum, repudiauit: neque in ullo die, quia par uel impar esset, maius uel minus periculum subesse dixit. Proinde rectè Cor. Celsus, ipsas morborum accessiones intueri, ex hisque quando cibus dandus sit coniectare iubet. Sed quando uena incidenda, aut æger purgandus, rectius causa & morbi cōcoctio, uires corporis, ac accessionum tempora, quàm astra indicabunt. Et ne sub hoc ardēti caniculæ æstu astrologis stomachum uel bilem moueam, néue mihi succensere possint, uerbis doctissimi philosophi & astronomi, Augustini Niphi Suessani, hanc epistolam concludam. Currāt, inquit, huc in nostrum libellum Mathematici nostrorum temporū, qui uanitatibus Arabum, maximè Albumasaris innixi, multa, uti circulatores, aut fabulatores, in eorum annuis emissionibus scribunt: & hoc, quia Ptolemæi præcepta negligunt, quem non minoris facimus Aristotele: hunc Physicorum deū, illum Mathematicorum monarcham, edam (inquit) nunc nunc. O utinam morte nō præreptus fuisset. ubi uanitates horum legere poteris. Interim tamen hæc mea & Augustini Niphi scripta et dicta, ut à Cynicis maleuolorum oblatrationibus defendas, oro.

*De materia sublunariū ea dē tradit Auicen. lib. 4. fen. 2. tract. 2. ca. 1.*

*Gale. in prin. 2. libri de diebus criticis.*

*De natura siderum hæc Gal. loquitur.*

*Diuina Hippocr. ex lib. 4. de morbis uerba.*

*Cor. Celsus lib. 4. ca. 4.*

*Hæc Augustinus Niphus lib. 4. de Diebus criticis.*

## DE EPHEMERIDVM ASTROlogorum origine. *Epistola* XXXVI.

QVàm perniciosæ sint astrologorum nostri temporis ephemerides, ex intempestiua Petri Lēbergij, adolescentis ad præclaram literarū frugem nati, morte facilè coniicere potes. qui quum nō ferendo pleuritidis dolore ad spatulas usque cōflictaretur, & medicus secare uenam præcepisset, aduenit subitò malè feriatus monachus apostata, qui medicinæ imposturis quęstum parabat: in quum in ephemeride nescio cuiúsnam astrologi hunc diem nullo auspicato phlebotomiæ signo crucis signatam uideret, exclamauit subitò: Medicum longè aberrasse, & hunc diem esse sectioni uenæ infestam: quam triduum differre, donec luna subiret pisces, dissuasit. At miser adolescens, altero die ad uesperam, uitam cum morte commutauit. At bone Deus, quātum præstaret, ut principes & urbium rectores, has astrologorum ephemerides in uniuersum abdicarēt, & more ueterum tantum dierum fastos instituerent, quorum pontifex & rex sacrorum, quibus diebus pro mensium ratione sacra deorum mysteria celebrari deberent, & ius dici populo, indicabat. Nam primum mensem, & dies impares, diis cœlestibus consecrabant: alterum uerò mensem & dies pares diis inferis, in quibus lustrabant fontes, & mortuis parentabant, quos dies inauspicatos, Græci ἀποφράδας, Romani uerò nefastos appellabant: quales erant dies mensium postridie Calendas, Nonas, & Idus, in quibus do dico & addico, hæc tria uerba dicere, Prætori religio & nefas erat. At alios tres mensium dies primarios, Calendarū, Nonas & Iduum, diis superis consecrarunt: quos fastos quoque appellabant, in quibus sacris operari, & ius dicere fas erat. Hos Numa Pompilius ex Hetruscorum magia Romanos pontifices concipere & statuere docuit. quos, ne sacra uilescerent, populo non diuulgabant: sed horum obseruationem pontifex minor, sacrificiorum regulus, plebi in capitoliū calatæ, id est conuocatæ, iuxta Calabram Romuli casam indicebat. Sed tandem Cn. Flauius, libertino patre natus, nempe qui cornicum oculos confixerit, ut à populo Aedilis curulis designaretur, ius ciuile repositum in penetralibus pontificum, euulgauit, fastósque circa forum in albo proposuit, & populo sagaci quidem ingenio promulgauit: ut quando lege agi liceret, populus sciret, quos dies antea à pontificibus tanquam à Chaldæis petere oportebat. At

*De his diebus Macrob. lib. 1. Satur. capi. 19. Suidas & Hesychius. Oui. li. 1. Fast. Gel. lib. 4. c. 9.*

*De Cn. Flauio hæc Cice. in orat. pro Mure. Pli. li. 33. ca. 1. Liu. lib. 9. decad. 1.*

postea

*Vide Auicennã in Canticis propoſ. 103. & ſequen.*

poſtea his ex annalibus pontificum inuulgatis, & in ephemerides relatis, aſtrorum periti, ſiderum ortus atque occaſus, penes quos partium & temporum anni tempeſtates, & aëris nos ambientis cõſtitutiones mutarentur, quas medicum, nautas, & agricolas ſcire operæprecium eſt, aſcribebant. unde Columella: Nec me fallit, inquit, Hipparchi ratio, quæ docet, ſolſtitia & æquinoctia non octauis, ſed primis ſignorum cancri, capricorni & arietis ac libræ partibus confici: uerùm in hac ruris diſciplina, ſequor nunc Eudoxi & Metonis traditionem, antiquorúmque faſtos aſtrologorum, qui ſunt aptati publicis ſacrificiis. Huiuſmodi duodecim Romanorum menſium faſtos, in antiquis monumentis Romæ repertos, ipſe domi habeo: unà cum Cl. Ptolomæi de inerrantium ſtellarum ephemeridibus & ſignificationib. quas Nicolaus Leonicenus, olim meus præceptor, latinitate donauit. Huiuſmodi ſanè ephemerides, quę ſiderum ortus & occaſus ac tempeſtates, diésque myſteriorum faſtos & nefaſtos indicarent, nobis ſatis forent: quas nugigerulum aſtrologorum uulgus ſuis ex imaginariis lunæ & planetarum aliorúmque aſpectibus, infortuniis, exaltationibus atque triplicationibus, dierum electionibus defœdauit: qui, ut imperitus Scitotomus ex uno calopodio omnibus ſotularia conficit: ſic illi aſtrologi ex eadem anni conſtellatione hominibus, etiã ſub diuerſiſsimo cœli themate natis, qua die ſecare uenam, corpus pharmaco purgare, cucurbitulis aut hirudinibus ſanguinem emungere, pueros ablactare, mercari, peregrè proficiſci, nouas induere ueſtes, caput & barbam radere, reſecare ungues fauſtũ ſit, indiſcriminatim omnibus præſcribunt. Taceo, quòd bella, principum mortes, annonæ charitatem, perfricta fronte prędicere non erubeſcunt. Quorum nugis urbiũ moderatores confiſi, nec eorum prudentia & ratione habenas reipublicæ moderari, nec medici ægros rectè curare poſſunt. At id Reipublicæ parum intereſſe cenſes? Nequaquam. Digniores certè eſſent, in quos omnes anus ſcommata iacerent, quàm Thales fuerit Mileſius, qui primus ſolis eclipſim prædixit, ſtellas urſæ minoris nautis monſtrauit. Hic enim egreſſus domum, ut aſtra contemplaretur, inque ſubiectam decidens ſcrobem, irriſus ab anu fertur: quòd ea quæ in cœlis eſſent, ſcrutari uellet, quum quæ pedibus eſſent ſubiecta, non uideret. Si hęc anus noſtri ſeculi aſtrologorum deliramenta uidiſſet, quid eam dicturam arbitraris? an non exclamaret: O uanitas uanitatũ, & ſuper omnia aſtrologorum uanitas.

*Columella libro 10. cap. 14. hæc ſcribit.*

*De Thalete hæc Diogenes Laer. lib. 1. Euſeb. de Præpa. euang. lib. 12. cap. 20.*

DE CRISIS ETYMOlogia. *Epiſtola* XXXVII.

*Ignorãtia nihil doctius, & natura indocta.*

*De naturæ inſcitia Gale. de doctr. Pla. & Hippo. & de Vtilit. partium copioſe.*

NVper in ſympoſio Andręas noſter Dipnoſophiſta, ut eleganter, ita quoque acutè, Nihil eſſe ignorantia doctius & audacius, natura uerò nihil indoctius & iniuſtius eſſe aſſeuerabat. Nam quanto quis imperitior, tanto eum plus in rebus arduis ſibi confidere & arrogare audere: naturã uerò nullo pręceptore doctã, in totius uniuerſi & humani corporis fabrica ad Polycleti ferè (ut aiunt) regulã, cuncta adeò peritè & iuſtè diſpenſaſſe, ut eius opificio nihil rectius & doctius excogitari poſsit: & tandem medicos non temerè, ſubitã illam naturę cum morbo pugnam & mutationem, criſim quoque, id eſt iudicium appellaſſe. Tum ego ſubridens: Fateor inquam, mi Andręa ſummam diuinæ naturæ ſapientiam, iuſtitiam & ęquitatem, in mundi totius, & præcipuè humani fœtus opificio eluceſcere: ſed duram, ne dicam ineptam, eſſe iudicij ad naturæ cũ morbo pugnã, analogiam: quum criſis non ſit iudiciũ morbi, ſed præceps & ſubita morbi, præcipuè febrilis uel acuti, in ſtatu eius ad ſalutẽ uel perniciem permutatio, & humoris peccantis excretio. Fit autem, inquit Galen. præcipuè in ſtatu & diebus decretoriis, dum prius in diebus indiciariis aut prouocatoriis ſęuiora morbi accidentia incruduerint: natura tamẽ prius per cõcoctionẽ ſeparante à bonis mala, & ad excretionem preparãte. Siquidẽ, ait, oportet concoctionem præire, ſubſequi uerò diſcretionem, & poſtea euacuationem, ut ſalubris fiat criſis. Cruda quidem & indigeſta humorum mole, aliquid arte uel natura rectè euacuari & excerni, eſt impoſsibile. Proinde Hippocra. Archigenes, atque alij his antiquiores medici, hanc naturæ cum morbo pugnã, & humorum ſequeſtrationem & excretionem, utrũque uno uerbo rectè κρίσιν appellarunt, ἀπὸ τοῦ κρίνειν, quod autore Heſychio & Suida, numerare, ſequeſtrare, & ueluti per cribrũ aliquid excernere, & pugnare quoque ſignificat. Vnde Homerus κρίνασθαι ἄρηι, id eſt prælio decernere inquit. Et Hippocrates libro quarto de artic. ubi de tẽpore quo in ſphacelo fit oſsis corrupti ſequeſtratio, inquit: ὅτι ἐστὶν ἐν ὀνόματι ἀριθμοῦ τῷ χρόνῳ διαθεῖν, ἐν ὁκόσῳ ἕκαστα τούτων κρίνεται. id eſt, quo dierum numero oſſa putrida excernantur. Et mox ſubdit: αὐτὰ γὰρ ἑωυτὰ κρίνει μόνον. Et quamuis κρίνειν iudicare quoque ſignificet, nulla tamen iudicij cum naturæ & morbi decertatione analogia, niſi dura & inſolens, excogitari poteſt. Nam ſi lis inter naturam & morbum conteſtari deberet, quem obſecro iudicẽ ſtatues? non quidem medicum, quum ipſe ſit naturę miniſter, & eo nomine ſuſpectus: nec ipſe, ſed natura morbum curet & corrigat. Naturámne iudicem cõſtitues? at eandem eſſe actricem, quæ morbum reũ agat, & iudicem, ius nõ fert. Ob id Gale. libro de criſi tertio, criſim ait non primùm à medico aliquo iudicium dici cœptũ, ſed ab homine aliquo uulgari & idiota inoleuiſſe, qui quum ægrum ſæuiſsimis accidentibus criſis affligi uideret, & excruciari ueluti ſupplicio, territus, de ægro iudicium fieri proclamauerit, quare cùm iudicium nõ ſit genuina & primaria criſis morborum etymologia: miror uenerandum ſpectatæ eruditionis ſenem Nicolaũ Leonicenum, ac reliquos ut eruditos medicorum Græciæ interpretes, ita de re medica optimè meritos, potius pro criſi nomen iudicij, quàm morborum reſolutionis, excretionis, aut cum natura pugnæ nomen affectaſſe: quum Hippocr. dicat in medicorum præceptis, νόσου ἀταραξίη μῆκος συμφαίνει, κρίσις δὲ ἀπόλυσις νόσου. id eſt, Morbi tranquillitas, ſiue imperturbatio, eius longitudinem ſignificat: pugna uerò, eſt morbi reſolutio. At illis iure hoc condonamus: quandoquidem Galenus in Prognoſticis, hanc iudicij cum morborum & naturæ pugna comparationem, non penitus repudiaſſe uidetur, dum ait: Criſis, morborum iudicatio, de foro translatitia appellatione, dicta eſt, ſignificans præcipitem in morbo mutationem. At quum de rerum natura & ſubſtantia conſtat, non magni refert, quibus nominibus medicus utatur. Non enim ſanè uerborum facundia, ut Celſus ait, ſed ars medici, ægrum curat. Quamobrem, mi Andręa, an hanc morborum criſim, rectius naturæ cum morbo pugnam, an ſequeſtrati excretionem nominare uelis, penes te ſit arbitrium. Vale.

*Criſis deſcriptio, & quæ ſit uera in morbis digeſtio.*

*Gale. lib. 2. Aphoriſ. 13. & lib. 4. Aphoriſ. 22. & libr. 1. Epidem.*

*Morborũ criſis cum iudicij analogia non quadrat.*

*Vocabuli criſis in medicinis pro iudicio origo.*

*Contra Leonicenũ Ferrarienſem.*

*Hipp. in fine libri præceptorum. & lib. 1. ac. 2. Aphor.*

*Galen. lib. 3. prognoſticorũ.*

*Verba ægrotũ nõ curant.*

DE PRODIGIIS ET DAEMOnum *in morbis præſtigijs. Epiſt.* XXXVIII.

PLurima ſanè, mi Petre, admiratione digna quotidie in morbis & animalium generatione, quorũ cauſas uix ratione ulla aſſequi poſſumus, præſtigiis ſimillima, uel dæmonum aſtu etiam, non rarò naturæ uiribus accidere uidemus: adeò etiã natura Syneſio & Plotino plerũque uidetur eſſe maga. Nam ludit, & crebrò, in humanis diuina ſapientia reb. Latet enim in toto ſenſibili & æthereo mundi corpore, ſpiritus, & cœleſtis ille ſyderum calor uiuificus, omnes alias elemẽtorum qualitates ſimplici eminẽtia uirtualiter continens: & in ſpiritu uiget anima, in anima uerò effulget mens & intelligentia, quæ admirandos cùm in morbis tũ in animalium fœtura parturiũt effectus, etiã ſine ſemine. Sic ex ocymo herba, ſcorpio, ex boue mortua naſcũtur apes: & ex ſaluia ſub fimo putrefacta, dum ſol & luna ſecundam leonis faciem occupant, Perſarũ Magi auem merulæ ſimilem procreabãt: cuius aduſti cinere, lampadi inſperſo, domus ſerpẽtib. referta uidebatur. Nihil igitur mirum, et ſteatomatum, & atheromatũ, aliorúmque apoſtematũ concauitatib. carne exeſa, de uiſcoſis & putridis humoribus ac fibris calore putredinali ſiccatis, res lapidib. tophis, harenis, urceolorũ teſtis, lignis, carbonib. capillis, & amurcę ſimiles naſci, quę uulgus incãtationi & pręſtigiis dæmonũ accepta refert, cũ ſimillima aſtu demonũ in corporib. ęgrorum, pręcipuè maligno obſeſsis ſpiritu, plerũque accidere, etiã noſtra ætate uiderimus. Bononiæ dũ rei medicę operã nauarem, mulier quædam circa pudenda ulcere fauoſo, meliceride laborabat: & quum ſpem cõſolidationis maximè læto

*Admirandæ naturæ operæ ex ocymo, boue, & ſaluia.*

*De his uariis apoſtematum cõtentis, Gale. li. 2. ad Glau. & lib. 14. Metheo. Celſus li. 7. cap. 6.*

*Dæmonũ in morbis præſtigiæ.*

*Mulier Bononiæ meliceride laborãs.*

chirur

chirurgo oſtentaret, tum repentè nouus ἰχώρ, humor melli ſimillimus ubertim erumpebat: donec dæmone, quo obſidebatur, diuinis exorciſmi deprecationibus expulſo, tum eadem nocte, nullo relicto cicatricis ueſtigio, ulcus ſua ſponte conſolidabatur. At Florentiæ mulier quoque ſpiritu obſeſſa maligno, dum intolerabilibus uentriculi torminibus diuelleretur, nec medici ullam opem ferre poſſent, en repentè oblongos & recuruos clauos æneáſque acus, unà cum cera & capillis cõglomeratas, euomuit: & poſtremò ingens carneum ientaculi fruſtum, quale nec gigãtis fauces deglutirent, eructauit. Non minus certè illud horrendum dictu, uiſúque eſt, quod in Theuren, Iuliacenſis ducatus oppidido, crebrò accidit: ubi ægroti in templo ante diuæ Annæ altare & uenerandum caput eius ſupplices proſtrati, fruſta & fragmenta uitrorum, urceolorum, & oſsium de piſcibus, quæ humana gula & ſtomachus deglutire non poſſet, ac loculos quoſdam cũ nummis euomuerunt. Sed illud quod à Chriſto ex Deipara uirgine nato anno 1539. in quodam Eiſtettenſis Epiſcopatus ditionis pago, Fugenſtal, accidit, omnem ſuperaret fidem, niſi oculati ſpectatæ fidei teſtes adhuc ſupereſſent: in quo pago Vlricus Neuſeſſer agricola, cũ crudelibus dolorum tormentis, in altero hypochõdriorum latere conficeretur, ſubitò clauum ferreum ſub illęſa cute manu apprehendit, quem chirurgus illic balneator nouacula exciderat. nec tamen dolores ceſſarũt, ſed in dies magis incrudeſcebant. Quare quum nec aliud doloris fore remedium miſer quàm mortem ſuſpicaretur, arrepto cultello ſibi guttur abſcidit. Itaque dum tertio die mortuus ad ſepulchrum efferretur, aderant tum Eucharius Roſenbader ex Vueiſſenburg Noricorum oppido, ac Ioannes ab Ettenſtet balneator, qui aſtante magna hominum frequentia demortui agricolæ uentriculum inciderũt: in quo lignum teres & oblongum, quatuor ex chalybe cultros, partim acutos, partim inſtar ſerræ dentatos, ac duo ferramenta aſpera reperta fuerunt, quorum ſingula ſpithami longitudinem excedebant. aderat & capillorum inſtar globi inuolucrum. Sed quid potiſsimum hic admiraberis? an, quomodo tot & tanta ferramenta in uentriculi cauitate contineri potuerint: an, qua arte ſint ingeſta? Certè nõ alia, quàm dæmonis aſtu & dolo: à quo Chriſtus, qui in eum confidunt, tueri poteſt: qui Salomonem diuinis carminibus hos curare morbos, & fugare dæmones docuit. id quod & Eleazarus, Iudaicæ factionis ſacerdos, uidente Veſpaſiano, & eius filiis ac tribunis, palàm feciſſe in exercitu traditur. Vale.

*De muliere Florẽtina hæc Beniuenius, de admirandis morborũ cauſis.*

*Miracula in oppido Theuren.*

*Cultelli, ferramẽta, claui, capilli in ſtomacho ruſtici reperta.*

*De Salomone & Eleazaro hæc Ioſephus li. 8. Antiqut.*

## AN IN VNIVERSALI FEBRIVM *principio competat euacuatio.* Epiſt. XXXIX.

LAetabar ex animo, Nicolae mi cõpater, dum intellexeram te ex Florentina Etruſcorum academia, ad celebre Sueuorum gymnaſium Tubingam, incolumem rediiſſe: quorum medicos ſaltem aliquos audio euacuationes lenitiuas, quas ueteres ſyrneſmos, uel apozemata, iuniores minoratiuas appellarunt, in principio febriũ uniuerſali materia morbi indigeſta, concordi ſuffragio abdicaſſe, & Galeni teſtimonio penitus cõdemnaſſe: nempe quòd harũ frequẽtia ægri tabeſcerent, & fruſtra ideo macerarentur, cũ in morbi principio nulla per concoctionem ſit humoris noxij facta ſequeſtratio, medicus fruſtra illius excretionem pharmacis moliri: cum Hippocrates concocta, nõ cruda, medicari oportere edixerit, niſi turgeãt. Sed longè præſtare, in principio alterãtibus inciſiuis & aperitiuis, quàm pharmacis purgatorijs uti. & ob id Hippocratem, pręcipuè in febribus fortibus medicamẽta alui deiectoria uetuiſſe aiunt. Sed horum dogma à uera curandi febres Galeni methodo longè diſcrepare, paucis docebo: & quid eos in hoc ambiguitatis præcipitium compulerit, breuiter manifeſtabo. Noſti ſanè, ea corpora febribus maximè eſſe obnoxia, quæ praui, uiſcoſi, crudi, aut putridi humoris redundantia onerãtur. hæc enim in uiſceribus uenarũ & meatuũ obſtructiones, obſtructio uerò putredinem, hæc autem febres ut genuinam ſobolẽ parit. Si igitur obſtructionibus detergendis, nondũ euacuata conſtipationis cauſa incubueris, periculum erit, ne commota humorũ redundantia, meatus magis infarcias, & impingas. Si uerò alterantibus frigoriferis calorem febrilem extinguere uoles, periculum ingẽs erit, ne humoris putridi copia ingroſſata, intra uiſcera detineatur, maioréſq; obſtructiones aut abſceſſus pariat. In hanc, inquit Galenus, conſilij ambigui inopiam deueniũt medici Eraſiſtratij, qui nõ ſtatim à principio corpora uacuarunt. Et ne arbitreris Galenum hæc contra Eraſiſtratum tantum de euacuatione, quæ per uenæ ſectionem fit, ſtatuiſſe, & eam quæ pharmacis fit diſſuaſiſſe: en utranq; euacuationẽ in principio morborum competere, teſtimonio Hippocratis probat, qui in Aphoriſmis: Dum morbi inchoant, inquit, ſi quid mouendũ uidetur, moue: cũ uerò conſiſtunt, ac uigent, melius eſt quietem habere. In expoſitione huius Aphoriſmi, inquit: Circa initia morborum curabilium maiora oportet afferre remedia: qualia ſunt, uenæ ſectio, nonnunquam uerò & purgatio, quæ in morbi ſtatu non competunt, in quo concoctiones maximè fiunt. Vt igitur hæc citius eueniãt, melius eſt circa principia euacuare: quo minore iam facta materia, facilius natura eam poſsit concoquere. Nam ut ignis ſub nimia congeſta lignorum ſtrue: ſic calor naturalis, digeſtionis opifex, ſub nimia humorum copia ſuffocabitur: quam ſi in principio pharmaco aut phlebotomia diminueris, tum natura reliquum facilius cõcoquet, & concoctũ in fuliginoſas digeret exhalationes, per ſudorem, urinã, ſeceſſum: & emunctoriorum abſceſſus κρίνει, id eſt excernet. At Hippocrates medicamenta purgatoria tantũ in febribus continuis & uehementioribus, ut ſynochis, uetuit: in quarum principio & nos uenæ ſectionem pharmacis longè præferimus: quæ tamen per clyſterẽ, quoties opus fuerit, iniici non diſſuadet. & in cura pleuritidis, ſi dolor uel grauitas ad iugulum uſq;, uel brachium, uel mamillam extẽditur, aut partes quę ſupra ſeptum tranſuerſum ſunt infeſtat, internam cubiti uenam ſecare iubet. At ſi partes infra ſeptum tranſuerſum dolor affecerit, & ad iugulũ non aſcendit, tum uel nigro ueratro, aut peplio, aluum ducere admonet. Nemo igitur inficiabitur, pharmaca redundantis & noxij humoris deiectoria, in principio febrium uniuerſali magnopere conferre: quibus niſi putridi humoris copiam ademeris, tum non modò tantã crudi humoris copiam calor naturalis concoquere nõ poterit, ſed præcipuè in ſtatu & morbi declinatione, reſoluta per calorem febrilem & ſudorem ſubtiliori humorum ſubſtantia, fæculentior pars derelicta, fungoſam & raram hepatis ac lienis ſubſtãtiam ita infarciet, & obſtruet, ut tãdem utroq; uiſcere uel altero ſcyrrhis obſeſſo & indurato, hydrops, aut crurum œdema, febrem excipiat. Quod tum maximè accidet, ſi alterantibus frigidis citra euacuationem lenitiuam aut euacuatiuam uſus fueris, quæ materiam plus ingroſſant quã reſoluunt. Quare, ne in febribus interpolatis nimis diu frigidæ potu utaris, diligenter caueto.

*De Syrneſmo Gale. in lib. 1. Hippoc. de Articulis.*

*Hippoc. lib. 1. Apho.*

*Hæc eadẽ Gale. lib. 8. & 9. Metho.*

*Galen. libr. 9. Methodi.*

*Hippoc. lib. 1. Aphor. 29.*

*Hippo. lib. de Medicament. purgat.*

*Hippo. lib. 2. regim. acut.*

*Epar & ſplẽ ſcyrrhis obnoxium.*

*Galenus lib. 13. Methodi.*

*Deutſch der fiber kuche.*

*Gal. in expo. Aphor. 32. lib. quarti.*

## DE SANGVINIS SPVTO, VOMItu, & ex mortuis profluuio. Epiſt. XL.

TAbellarius tuus, mi Lẽbergi, nudiuſtertius lugubres de obitu fratris tui nęnias mihi obtulit: quibus, quum per noctem tuſsiret, & ſpumoſum ac rubicundum de pulmone eructaſſet ſanguinem, eũ antelucano tempore animam ſubitò efflaſſe, lamentaris: & admiraris, quando pleroſq; alios uideris cruenta tuſsicula diu infeſtatos, priuſquam morerentur, phthiſi contabuiſſe. At mi conterranee, hominibus id obœſis, uaſorum pulmonis repletione oneratis accidere nil mirũ: quippe eroſione, ſalſo catarrhi defluxu, tuſsi, uomitu, aut caſu præcipiti, uel ictu, rupta ſub pectore uena, aut arteria, ob continuum pulmonis motum, ſanguinem ita repentè & confertim in pulmonis concauitatem defluere, ut æger ſuffocetur, non rarò contigit. Quare & ego uiciſsim tibi Georgiũ Vuirth, ſpectatum rei medicæ doctorem, conſobrinum meum, ante aliquot annos Gerlicij eodem morbo obiiſſe, cogitandum propono. At ſanguinis ex uentriculo uomitum, cum nulla uenarum oſcula in eum apertè pateant, crebrò iuuenibus & ſenibus eſſe, & crebrò quoque fuiſſe ſalutarem, quiſpiam potius admiraretur. Hippocrates quidem uirgines nobiles, retentis menſtruis, non rarò ſanguinem affatim euomere, & à morbis uteri liberari, his uerbis teſtatur: Mulieri ſanguinem uomenti, erumpentibus menſtruis, ſolutio. Vnde mulier Florentina, cum intolerabili capitis dolore ex retentione

*Hipp. lib. 5. Aphor. 32. & contra Iulianum.*

*De muliere Florẽtina hæc Beneuenius de morb. cauſis.*

menſium

menſium affligeretur, his uomitu eiectis conualuit: & ne morbus iterũ incrudeſceret, ſaphenæ ſectione ſibi cauit. Huius euentus hęc eſt certa ratio: per quas uenas & meatus epar chylum ſugit & attrahit, per eaſdẽ ſponte, aut uirtute pharmaci, humores ad uentriculũ quoque regurgitant. quando uerò ſanguis in matricis locellos effluxurus, deſcẽdit, & uenarũ oſcula obſtructa fuerint, tũ ſanguis ibi collectus, per uenas matricis ad epar, cor & uenæ chylis ramos regurgitat, & in uentriculum per uenas quæ eius orificiũ & fundũ ambiunt, deſtillat, & uomitu expurgatur. Ob id Hippocr. in Prænotionib. ait: Qui ſanguinem ſpuunt, dextrũ dolẽtes hypochondriũ, de epate ſpuunt, & ſterilib. ad conceptionem prodeſt. Atque in Aphoriſmis: Quicunq; ait, ſanguinẽ euomunt ſine febre, ſalutare: cũ febre uerò, malũ. curare uerò eos refrigerãtibus & ſtypticis oportet.

*Teſtis eſt Gal. libr. 3. de uirt. naturalib.*
*Hippoc. in li. de morb. uirg. & Gal. lib. 4. de cauſ. ſymp. ratio. ac Aui. fen. 21. tertij, tract. 3. cap. 1.*
*Hippoc. lib. 7. Aphor. 37.*

At hoc in ſucci plenis iuuenum utriuſq; ſexus corporibus, in quib. ob uenarũ obſtructiones hæmorrhoidarũ aut menſiũ effluxus coërcentur, aut mutilis accidere, nihil mirũ: in quibus natura cæteris occluſis meatibus, ſeſe à copia aggregati ſanguinis per nares, ſeceſſum, & uomitum crebrò exonerat. Nam Galeni teſtimonio conſtat, uaſis gulæ aut ob ſolam ſanguinis plenitudinem, uel caſu ex alto diſruptis, aut pręcedente ulcere, uitio humorum eroſis, ſanguinem per os, æquè ac in aliis uenis omnibus, ubertim effluere. At in his dolor ſedem affectã indicat: aperto autem alicuius uaſis oſculo ſponte, tum ſine dolore profluit.

*De mutilis hæc Gal. li. 3. de uirib. naturali. & li. 4. de art.*
*Galen. li. 5. de locis aff. ca. 4.*

Sed quòd idem accidat in corporibus ſenũ utriuſque ſexus, profectò admiratione non caret. Nam in monaſterio Noricorum, prope oppidum Nouũforũ, cui nomẽ Seligepfort, quum Abbatiſſa, quæ 58. annũ exceſſerat, tuſsiret, & circa hypochõdria quotãnis dolore citra febrem corriperetur, ſpontaneo copioſi ſanguinis uomitu à morbo liberabatur. Ciuis quoque Heydelbergenſis, pyrobolorum magiſter, ferè ſeptuagenarius, quũ magnis circa præcordia torminibus diuelleretur, en repentè noctu ſanguinis plus quàm librã euomuit, & conualuit. Niſi cauſam ſanguinis in corporibus ſenũ redundãtis, in crapulam & ocium referre licebit, cuius copiam cum natura uiribus effœta in alimoniam corporis, cuius augmentum naturaliter deſiit, tranſmutare non poſsit, neceſſe eſt, ut eam uomitu, aut quauis alia ratione expellat.

*Vomitus ſanguinis ſenibus ſalutaris aliquando.*
*Abbatiſſa in Seligepfort, & Bernhardus Bõbardarum magiſter.*

Sed quam obſecro afferes cauſam, cur occiſorum corpora præſente ſicario cruentent, quũ mors ſit caloris naturalis extinctio, cuius frigore ſanguis congelatur & torpet? an aliquas ſenſilis animæ, cupiditatis ſcilicet & uindictæ, uires, etiam poſt mortẽ adhuc in ſanguine, donec putreſcat, ſubſiſtere, cũ philoſophis quibuſdã affirmabimus? quod certè Lucretius, poëta & philoſophus Epicureus, his carminibus utrũque fateri uidetur, dum ita cecinit: ——libido

*Quare occiſorum corpora præſenti homicida cruentẽt.*
*Lucret. lib. 4.*

Incitat, irritans loca turgida ſemine multo,
Idque petit corpus mens, unde eſt ſaucia, amore.
Namque homines plerunq; cadũt in uulnus, & illam
Emicat in partem ſanguis, unde icimur ictu:
Et ſi cominus eſt, hoſtem ruber occupat humor.

Ac ſi diceret: perinde ac ſalax mentis libido affectat ſemen effundere in amicam, cuius amore irritata & ſauciata fuit mẽs: ſic quoque caro uulnerata, rubro ſanguine aſpergere hoſtem præſentem deſiderat. Sed quam mihi reddes rationem, de hæmorrhagia uxoris nobilis uiri Bertholdi à Flerſcheym, de nobili Helmſtetterorum ſtemmate natæ? cui grauiter ægrotanti, quum in ſcapulis cutem, adhibitis cucurbitulis, inciderent ſcalpello, nemo ſanguinis fluxum ulla arte uel carmine ſiſtere potuit. altero die mortua, etiam cruentauit, donec ad ſepulchrum efferretur.

*Corpus mulieris mortuæ cruentauit.*
*De admirãda ſcarificationis hæmorrhagia.*

An chirurgus ea fuerit uſus arte, quam quidam balneator in Monacho, ducum Bauariæ metropoli, noſſe fertur: qui cucurbitulis tantũ ſanguinis, quantum uoles, uel ad ſyncopim uſque elicit? at illius hæmorrhagiam, quando libuerit, ſiſtere poteſt. Hunc uerò aiunt ſuum ſcarificationis ſcalprum, puluere quodam quibuſdã ſpeciebus ſalis mixto, expolire, qui ſanguinem concreſcere non ſinit. nam & ideo in cãcrenæ ſcarificatione, inciſiones aqua ſalſa calente, ne ſanguis ingroſſetur, irrigamus: quem ſi ſpongia recẽti marina, aqua ſalis aut maris humectata, abſterſeris & fomentaueris, etiam liquidior fluet. At tu, mi Lembergi, quæ uera ſit iſtorum hæmorrhagiæ ratio, ut ingenium tuum exerceas, meditare: malo enim ſanè officio cotis fungi, quàm temerè quicquam effutire. Vale.

*Scarificatio balneatoris Bauariæ.*
*Aqua ſalis & ſpongia hæmorrhagiam proritant.*
*Cancrenæ fomentatio.*
*Theoremata ingeniorũ cos.*

## DE PRIMARIIS DOLORVM *cauſis. Epiſtola* XLI.

NAturà ingenia multorum ita comparata eſſe uideo, ut malint uideri quàm eſſe docti: qui quum aliis eruditionis honorẽ, qui calcar uirtutis eſt, inuideant, aliorum obtrectatione eruditionis famam aucupantur. quos nempe maleuolos priſcorum uitilitigatores, ut laruas cum mortuis luctari, Plancus non illepidè dixit. De quorum cenſu fuit olim Zoilus Homeromaſtix, qui editis aliquot libris Homerum, omnifariæ doctrinæ fontem, apud Ptolemæum Aegypti regem calumniatus eſt. Quid tibi Leontinũ, triobolare illud ſcortum, commemorem? quòd Theophaſtrum, diuinæ ſapientiæ & eloquentiæ uirum, ſcriptis inceſſere nõ erubuit: unde nata eſt adagij occaſio, arborem ſuſpendio eligendam potius, quàm tam indigna ferre opprobria. qualibus & Galenum, medicorum coryphæum, Auerrois & Auicenna traducere audent: nempe qui ſolum continuitatis diuortium, & non loci affecti intemperiem, primariam doloris cauſam ſtatuiſſe ipſum inſimulent.

*Plin. in prol. lib. 1.*
*Laruas cum mortuis luctari, in uitilitigatoresueterũ adagium.*
*Cic. lib. 1. de nat. deor. Quĩtil. li. 8. Pli. in prolo.*
*Arbor ſuſpendio eligenda, in mulieres maledicas adagium.*

Deinde uiciſsim Auerrois in tertio ſuorum Collectaneorum libro, Auicennam redarguit, quòd præcipuam doloris cauſam, utrumque ſimul, eſſe cenſuerit: quum ſolam loci paſsi intemperiem, à qualitate contraria, uel repentino diſſolutionis continui motu introductam, unicam & primam eſſe doloris cauſam, idem Auerrois contendat. Sed ut hanc controuerſiam exactius, quàm Petrus de Appano conciliator, dirimere poſsis: primum quid ſit dolor, deinde quæ fuerit uera de cauſa doloris Galeni ſententia, ut breuiter, ita quoque clarè docebo.

*Auicenna li. 1. fen. 2. tract. 2. ca. 19. & 6. Naturalium.*
*Conciliator differẽtia 76.*

Eſt itaque dolor, triſtis in ſenſu tactus affectio, à membri intemperie & continuitatis diuortio ſubitò facta. Proinde Plato in Timæo inquit: Pathos præter naturam uiolenter & affatim incidens, dolorem excitat: dum uerò ad naturalem habitum affatim & derepentè redit, delectationem parit. quod enim ſenſim paulatímque fit, ſenſu non percipitur. Sed has repẽtinas & dolorificas corporis mutationes, ob duas incidere cauſas, nempe propter ſubitam temperamenti ſimilarium alterationem, aut compaginis illorũ diſſolutionem, Socrates in Philebo Platonis teſtatur, dũ inquit: Harmonia in animantibus ſoluta, unà naturæ ſolutionem, generationémque dolorum, in eo mutationis tempore, fieri conſentaneum eſt. Rurſus harmonia contemperata, & in ſui naturam protinus reſtituta, uoluptatem fieri dicendum erit. at corporis humani harmoniam, in primarum ſimilarium qualitatum proportione, & illorum compaginis unitate conſiſtere, in cõfeſſo eſt. Ergo illorum intemperiem & diuortium eſſe doloris cauſas, inficiabitur nemo.

*Doloris definitio ex Platone.*

Vnde & Hippocrates Platone uetuſtior: Quæ naturam (inquit) mutant ac corrumpunt, dolores excitant. Id uerò faciunt diſproportionata ſingulorum ſenſuum obiecta, quæ non tantum eorum qualitatibus ſenſuum organa alterant, ſed etiam illorum unitatem diuellunt & corrumpunt. adeò ut rectè Ariſtoteles dixerit, excellens ſenſibile corrumpit ſenſum. nam pleroſque terrifico tonitrui ſono ſurdos fuiſſe factos conſtat. Ea quoque ratione Carthaginenſes M. Regulum Romanum, prius in atra carceris caligine detentum, & ne conniuere poſſet, aſſutis utrinque palpebris, obiectum choruſco ſolis ſplendori excæcarunt.

*De ſingulorũ ſenſuũ dolore, Plato in Tim. & Gal. li. 4. de cauſis ſympt.*
*De M. Attilio Regulo Gel. li. 6. ca. 4. Oroſ. li. 4. cap. 8.*

Quis igitur æquo feret animo, Auicennæ & Auerrois calumnias, qui perfricta fronte aſſerere audent, Galenum ſolum continuitatis diuortium doloris cauſam ſtatuiſſe: & diſproportionata ſenſuum obiecta ac qualitates intemperaturarũ, non alio quàm ſolutæ continuitatis nomine, excitare dolorem? id quod Galenus nunquam ſomniauerit, qui cùm in omnibus ſuis uoluminibus intemperaturam inæqualem eſſe quoque cauſam doloris, tum maximè in libello de ea conſcripto docuit, dum ait: Neque enim abſque alteratione ſenſus doloris eſt: neque ubi iam perfecta eſt alteratio, dolor exiſtit. ut in his qui ethica aut elephantiaſi exquiſita, aut phacelo correpti ſunt, quorum iam totius corporis habitus æquali intemperatura contabuit, unde nec hic puncturam acus, nec ille calorem febrilem, niſi ſtupidè ſentit. At quantum energiæ intemperaturarum qualitates ad inferendum dolorem habeãt, exemplis quoq; in libro de Locis affectis probat, dũ manus hyberno frigore torpentes, igni derepentè admotas, intolerabili circa radi-

*Galeni à calũnia Auicennæ & Auerrois defenſio.*
*Senſus in ethica & elephãtiaſi quare torpet.*
*Galen. li. 2. de locis affectis.*
*Alexã. Aphro. li. 1. problẽ. 41.*

ces unguium dolore, ob ſubitam caloris cum frigore alterationem, affici tradit: qui ſolum uitrei flegmatis frigus, non minoris doloris tormina in uiſceribus excitare, ſuo periculo edoctus fuit. nam dum in eo ſpacio corporis, per quod ureteres à renibus ad ueſicam protenduntur, ueluti terebro inteſtina perforarentur, & dolorem ſentiret, iniecto per clyſterē oleo rutaceo, magnam frigidiſsimæ pituitæ copiam, quam ob ſimilitudinem uitri liquidi Praxagoras humorem appellat uitreum, excreuiſſet, à dolore conualuit: hunc humorem uitreū, non ſua acrimonia, ſed ſolo intēſo frigore, colicum excitaſſe dolorem fatetur. Illud tamen paſsim Galenus teſtatur, dolores intemperaturarum eo magis exacerbari, quòd cum illarum qualitates quædam rarefaciant, diuaricent, aliæ extendant, aut infarciant doloris membra: quòd continuitatis ſolutio, altera quoque doloris cauſa, intemperaturæ accedat. & ob id Hippocratem omnes morbos eſſe ulcera affirmaſſe, dum in libro περὶ ἀγμῶν tradiderit: ὡς μή τις φύσει τἄλλα νοσήματα ἕλκεα εἶναι. ἔχει γὰρ τινα καὶ οὗτος ὁ λόγος ἐπιείκειαν. Hic Galenus, fidus Hippocratis interpres, ait: Quod enim continuitatis ſolutio ἕλκος, id eſt ulcus ſit, omnibus notum eſt: & quòd ualida facta per diſcraſiam mutatio, continui diuortium quoque faciat, in libris de Natura pharmacorum, & alibi ſatis demonſtratum eſſe. Ex his patet, non intemperaturam tantum, ſed continui quoque ſolutionem eſſe primarias & uniuerſales (autore Hippocrate, Platone & Galeno) doloris cauſas. quibus quoq; in uaſto ſuo canone Auicenna ſuffragatur, quem Auerrois Hiſpanus in ſuo Colliget, his uerbis perſtrinxit: Solutio, inquit, cōtinuitatis non eſt cauſa doloris, ſicut dicit Galenus: ſed eſt cauſa complexionis, quæ facit dolorem: nec ſunt ambæ duæ ſimul doloris cauſa, ſicut dicit errans Auicenna. At obſecro te Hiſpane, ſi quis acu aut uenabulo te pungeret, aut crabro aculeo te figeret, nunquid in momento temporis eodem ſentires dolorem, priuſquam mēbrum læſum alteraretur, aut intumeſceret? Atqui non enim ſpiritus & ſanguis tam repentè ad membrum deflueret, niſi prius dolorem ob ſolutam continuitatē ſenſerit: qui uelut cucurbitula, humores ad locum affectum allicit. Quare utraſque doloris cauſas, aliquādo ſimul, & non raro alterna ſucceſsione incidere, cum Galeno fatemur, qui in Microtechna ait: Dolores ſecundum quem incumbunt locum, aut continuitatis ſolutionē, aut alterationes ſubitas oſtendunt. Soluitur enim continuitas, inciſione, corroſione, fractura, & tenſione. Alteratur uerò ſubſtātia, caliditate, frigiditate, ſiccitate, & humiditate. Ex his facilè conicere potes, Auicēnam & Auerroim, forſan ob deprauatā Galeni in Arabicam linguam uerſionem, adde quoque & ipſum Meſue, non ob id ſemper ueram Galeni ſententiam aſſequi potuiſſe: quēadmodum nec nos illorum. Quare illorū in Galenum calumnias æquiori animo ferimus. Vale.

*Gal. 11. Meth. hæc uberius.*

*Galeni ex flegmate uitreo colica. lib. 2. de locis affectis.*

*Gal. li. 3. Hippoc. de fracturis oßium.*

*Auerrois in Auicēnam calumnia, lib. 3. Colliget. c. 31.*

*Gal. li. 1. Microtec. et Druſianus ibidem, Commēto 88.*

## DE CAVSA DOLORIS, ET APOſtematione oßium in morbo Gallico.

### Epiſtola XLII.

NVdiusquartus tabellarius Ducum Bauariæ tuas mihi obtulit literas, quibus ſignificas, poſt Auſtralē anni præteriti conſtitutionē, in qua tanta fuiſſet imbriū facta inūdatio, ut pleriq; tēpora Deucalionis diluuij reditura ſint ueriti: morbum quoq; Gallicum longè diſpari puſtularum ratione, & doloris ſæuitia, quàm poſt Deiparæ uirginis partum anno nonageſimo ſupra mille & quadringentos, inter aulæ ueſtræ proceres incruduiſſe. Petis igitur, ut mutationis morbi, & tantę dolorum tyrannidis, qui noctu plus quàm interdiu ingraueſceret, cauſas tibi explicarem. Itaq; præter officium ueteris noſtræ neceſsitudinis fore arbitrarer, ſi ueteri amico honeſta petenti quicquā denegarē. Quare tibi gratificaturus, cauſas & naturam morbi, ac eius ſymptomata ab ouo (ut aiunt) repetam. Eſt ſanè huius Neapolitanæ luis morbus epidemialis, omnigenis, ex uaria, humorúmq; utriuſque bilis putredine, ulceribus, ac præcipuè ex lenta & marcida pituita, circa oſſa & lacertos ac panniculos, apoſtematibus coaceruatus, & tandem Veneris contagione ad pleraſque orbis nationes propagatus. Nempe dum anno à Chriſti natali prius commemorato, aër, alterum ſpiritus & cordis noſtri fomentum, ex morbiferis infortunatorū ſiderum, erraticorum pręcipuè, configurationibus, imbribus, & tepido auſtri flatu maderet, non per anhelitum tantum, ſed per inſenſilem arteriarum per poros inſpirationem imbibitus, totam corporis humani compagem & humores ſuo humido tepore alterauit, corrupit, & putredine obnoxios reddidit. Ad id quoque acceſsit, Veneris cum mulieribus hac lue uel elephantiaſi infectis commercium, in quo cum ſpiritus & ſanguis, pudendorum affrictu, efferuerent, huius contagionis uirus per uerēdorum uenas, arterias, & neruos, uelut animalium iobolorum uenenū per anguſti orificij uulnera, ad epar, ſanguinis officinam, & cerebrum præcipuè irrepſit: & totam humorum corporis colluuiem, in uiſceribus, & extra, ſuæ contagionis uirulentia conſpurcauit: quorum pars ſubtilior, & ſua putredinis acrimonia edacior, primùm per emiſſarium epatis ad inguina, mentum ac frontem diffuſa, reliquam quoque corporis ſuperficiem uarijs puſtularum & ulcerū generibus, nempe phlyctænis, pſydraciis, meliceridibus, achoris, herpetibus, ſerpiginibus, & id generis exanthematum, polluit. Nec etiam defuerūt anthraces, & in barba & capite ſycoſes, theriomata, ulcera phagedænica, telephia, & chironia, quæ ſanè Chironis centauri medici, & Achillis præceptoris, opem poſcebant: quæ cum mucoris uiſcidi ſordibus plus quàm ſanie maderent, malè olebant ferè omnia. His quoq; non raro ſe intermiſcebant lichen, & Græcorum lepra: & quū hac Hiſpanicæ luis contagione, præter epar, præcipuè cerebrum, illorū etiam qui cinnabaris ſuffitu aut hydrargyri unguine curati fuerant, inficeretur: ab illo ad oſſa crurum & brachiorum & lacertos rheumate excedētia, præſertim ad faucium tonſillas, & gargareonem, & pulmonem deſtillabant. His aphthis & ulceribus purulentis arroſos pleroſque, tabe perire uidimus: plerique uerò & naribus polypo & malè olente ozæna exeſis, palatóque diſtillationum acrimonia exulcerato, potum per nares regerebant: & facie Satyris deformibus ſimillimi, miſeram traducebant uitam, quam præſtaſſet mehercule cum morte commutaſſe. At poſtquam Deo auſpice (iuſto quidem peccatorum noſtrorum, ſed benigno, uindice) hæc morbida ſiderum conſtellatio ſæuire deſiit, & talis annorum auſtralis conſtitutio humida, putredinum fomes, exoleuit, tum modò ſola huius tetri morbi ſeminaria ſunt in corporibus noſtris derelicta, tam fœda atrocis huius morbi ulcera rariora, & pauciores puſtulæ conſpiciuntur: quibus in principio, cum ſeminaria eſſent, & temporum conſtitutio ſucculentior, tota corporis moles ſcatebat, & materia doloris in puſtulas inſumebatur, & ideo nec tam ſæuis doloribus ægrotos affligebat. At modò conſtat, quòd omnis ſanè contagio, quanto plus à prima origine diſtat, tanto illius ſeminaria ex aduſtione fieri ſicciora, & illorum materiam & fomitem magis tenaci uiſcoſitate lēteſcere. quo fit, ut non adeò confertim morbi huius materia ad ambitum corporis expellatur: ſed ob groſsitiē, qua iuncturas, ut in arthritide, penetrare nō poteſt, circa lacertos, illorum tendines, pericranium, & oſsium panniculos reſideat: & illorum præcipuè panniculorū, quibus circumſepta & quaſi incarcerata eſt: frigore ingroſſata, in apoſtemata ſcherotica, aut ſteatomata, ſiue atheromata, & quaſi in tophos coaleſcit: unde circa oſſa, & ex gypſeo lentæ pituitæ mucore, fungi tam tenaces innaſcuntur, quos nouacula exciſos unguibus diſcerpere non potui. Hæc ſanè calloſa oſsium apoſtemata, recta nominis analogia quiſpiam tubera appellabit. Nam ut tellus intra ſe tubera, Gerania dicta, ſolo undique circumſepta, nullis fibris nixa, cortice denique tenui incluſa, in ſiccis & ſabuloſis locis, dū autumnus tonitru & crebris madet imbribus, parit, quæ tandem uere edendo ſunt, ut Iuuenalis ait:

Poſt hunc raduntur tubera, ſi uer
Tunc erit, & facient optata tonitrua cœnas.

Pluuias nanque, coruſcante fulgetro, cœlo demiſſas, non frugum modò, ſed fungorum quoque & tuberum eſſe altrices, agricolæ prædicant. Sic in humida & tepida auſtralis anni conſtitutione, ex pituitoſo ſanguinis mucore intra lacertorum uelamenta & oſsium panniculos, quemadmodum etiam in arboribus, & præcipuè in oleis, ex earū pituita fungi ac nodi, Græcis γόγγροι, ἢ κροτῶναι dicti, adnaſci ſolent. Nam ut Hippocrates teſtatur, circa oſſa contuſa, fracta, aut quouis modo læſa, mucilaginoſa accreſcit pituita, qua (ut ipſe ait, τό, τε ὀστέον νοσηλότερον γίνεται) os fit morboſius: quæ adeò tenax eſt, & uiſcoſa,

*Morbi Gallici definitio & cauſa.*

*Morbi Gallici ſymptomata.*

*Capitis rheumata in morbo Gallico.*

*Pulmonis & faucium exulceratio, & phthiſis ex rheumate cinnabari & hydrargyro.*

*Perſona aut facies Satyrorū in morbo Gallico.*

*Mutationis morbi Gallici cauſæ.*

*Seminaria cōtagionis.*

*Dolor Gallicus ab Arthritide differt.*

*Plin. li. 19. ca. 2. Plutarch. in Sympoſio.*

*Iuuenalis Satyra quinta.*

*Hippoc. lib. 3. de Artic. Gal. li. Hipp. de Artic. 3. hæc copioſius.*

& uiſcoſa,ut nec ullis malagmatis aut pharmacis maturari,aut ullis fomẽtationib.in halitũ digeri poſsit.Hęc ſi ſub oſsis panniculo computruerit, & in oſsiũ poros penetrauerit,oſſa ſideratione aut ſphacelo,quę illorum caries eſt,diuturna putreſcere, & non ferẽdo dolore ægrotos excruciari oportet: quæ nullis emplaſtris, niſi ſublata carne,oſſa putrida celte aut ſerra exciſa,aut illorum caries cauterio aduſta fuerit,curari poterunt.Vnde qui curam reſpuunt,gangręna uel herpete eſthiomeno tandem pereunt. Meritò igitur quiſpiã ſciſcitari poſſet,quum Hippocrates, & poſt eum Plato in Timæo, cenſuerint,tunc dolorem fieri, cum præter naturã corpus ſenſile,ſubitò & confertim alteratur, aut continuitas eius ſoluitur:at quum oſſa ſint ſenſus expertia, & tã ſolida,ut ferro uix findi poſsint: qui igitur fiat, ut hoc morbo laborantes, tãto, præcipuè ad ueſperam & noctu,dolore excruciati,lamententur, ac ſi quis oſſa adacto cuneo finderet,aut ad medullã uſq; terebello perforaret. Fateor quidẽ,eos id cõqueri:ſed pleroſq; medicorũ quoq; ignorare,oſſa quãtumuis ſolida, quaſi phlegmone & apoſtemate quoq; corripi poſſe. Quicquid ſanè nutritur,creſcit,augmentatur, aut influxus recipit: id quoque putreſcere, & apoſtemate aliquando turgere fatemur.At oſſa, & præcipuè dentes, qui quotidiana eſculentorum maſticatione atteruntur, per omne ætatis tempus quoque nutriri & refici certum eſt. Proinde Auicenna, & Galenus ſuo periculo edoctus, dentes proprio dolore affici,apoſtemate quoque diſtendi aſſerunt.& Hippocrates,os ſacrum empyemate quoque computreſcere nouit:cuius putredine,& incredibili doloris tyrannide, duos ſpectatæ probitatis uiros, N. Vuurmhauſer in Neoburgo,& alterum Ioannem Caſtnerum,efflictim & diu emaceratos,tãdem contabeſcere & mori hiſce oculis uidi. Sed oſſa quoque influxus recipere,& abſceſsibus turgere, Galenus Hippocratis teſtimonio fretus, his uerbis in ſeptimo Aphoriſmorũ commentario perbellè probat:Solers,inquit, natura,ſi robuſta fuerit,excernendis ſuperfluitatibus,etiãſi craſſę fuerint, per anguſta foramina meatus parat, quando etiam per oſſa abſceſſus fieri Hippocrates docuerit. Hi certè purulenti & acres rheumatum ichores, in oſsium poris coaceruati,quemadmodum teredo uermis lignũ exeſt,arrodit,& perforat:ſic hi eorũ acredine oſſa corrodunt.unde hic uitiati oſsis morbus,Græcis τερηδὼν dicitur,ὅτιπερ ὀστοῦ κατάτρησις ἀπὸ φθορᾶς τὸ ὄνομα τῷ πάθει,ἀπὸ τῶν συμβεβηκότων,οἱονεί τις τερηδὼν οὖσα. id eſt,teredo eſt à corruptione putrida,oſsium perforatio, ab accidente roſionum quaſi terebra uel trepanum dicta. Hanc ulceroſam oſsium affectionem, ſiue mauis dicere putrilaginem,Auicenna uentoſitatem ſpinæ appellat:cuius cauſam ait eſſe humores acutos,os penetrantes,& ipſum corrodentes,doloréſque dolori iuncturarum ſimiles efficere: & hoc ſolo differre, quòd huius materia in carne & neruis,illius uerò in oſſe conſiſtit. At ſi huius putrilaginis ichores,in oſsium cauernis coaceruati, confertim intra oſsium panniculos eruperint, uel etiam aliunde, ut à cerebro defluxerint, illorum uiſcoſitatis pars groſsior intra oſsium membranas in tubera & gypſeos quaſi tophos concreſcet:altera uerò ſubtilior,ſua acrimonia oſſa & panniculos arrodet & diſtendet, quorum panniculorum ratione oſſa dolere, ac ueluti terebra perforari uidentur.unde ſcitè Argines:Dolores, inquit, à membranis oſſa circumdantibus, Græcis περιόστεα dictis, dependentes,perinde affligere uidentur,ac ſi in oſsib.ipſis conſiſterent: quos Græci ὀστοκόπους, ob penitiorem in lacertis,tendinibus & panniculis, qui oſsibus adhærent, doloris ſenſum,dixerunt. Quòd uerò noctu atrocius huius morbi dolores oſtocopi ingraueſcunt, id ea ratione fieri arbitror, quòd pituita atra bili commixta, præcipua apoſtematum & ſeminariorum huius morbi fomes,ad ueſperam ſole occiduo intra & circa lacertos & oſſa magis commouetur,& motu dolorem exacerbat:deinde quòd nocturnum frigus oſsibus & neruis infeſtum, doloris membra laceſsit, nec illius materiam obſtructis poris per inſenſilem euaporationem in halitum digeri ſinit. Ad hæc accedit,quòd calor naturalis, uerum ſolis heliotropium, lumine ipſius excitus,manè & interdiu unà cum ſpiritibus, uirtutis motiuę uehiculis,ad externa motus & diurni laboris organa diſperſus,ea ſuo tepore fouet, ac doloris materiam, quæ lacertos, neruos, tendines,& oſsium membranulas uellicabat, & flatu uaporoſo diſtendebat, concoquit,& in uaporem diſsipat:noctu uerò ad interna pręcordia,& concoctionis opera retractus,membra calore deſtituta magis algent.Itaque dolores extremitatum frigore exacerbari, calore uerò & motù miteſcere, uel hoc maximè approbat, quòd qui his noctu affligũtur, ut dolor miteſcat,deambulare, & doloris membra fricare,donec incaluerint, ſolent. Cæterum quum nullũ ſit tam atrox,in hac Hiſpanica contagionis lue puſtularum,apoſtematum,phlegmonis & ulcerũ genus,quod olim nõ fuiſſet:& Hippocrates hæc eadem huius morbi ſymptomata, in ſimili auſtrali temporum conſtitutione ſua ætate accidiſſe,in Epidemiis ſuis teſtetur:quis obſecro hunc morbum eſſe ueterem, & rurſus noſtris temporib.incruduiſſe denuò negabit?Nemo mehercule,nemo. Nil quippe mirum, quoſdam morbos uulgares, ſub certa ſiderum & tempeſtatum cõſtitutione, in certis quoque regionib. graſſari: & tandem cum tẽpeſtas illa exoleuerit, ac morbi ſeminaria contagionis deferbuerint,eoſdẽ morbos deſinere & latêre: & poſt aliquot annorum interualla, redeunte ſimili annorum intemperie,repullulare:aut ſaltem per huius contagionis ſeminaria,ad exteras nationes propagari.Sic horrẽda illa plus quàm ſcabies elephantiaſis, olim peculiare Aegypti malũ:ob quod Iudæos ſuillæ carnis eſu ſibi tẽperaſſe, ac Aegyptum exceſsiſſe Iuſtinus aſſerit: ante Pompeij Magni tempora morbus Italiæ incognitus,ſed celeriter reſtinctus:cuius ſeminaria paſsim in terrarum orbe repullulare uidemus.Nunquid & carbũculus primũ Narbonẽſis prouinciæ incolas aduſsit? qui tandẽ L. Paulo & Q.Martio cenſorib.Italiã irrepſit.Sic lichen popularis Aſiæ morbus, quia mentũ occupabat, Mẽtagra latinè dictus, qui totũ uultũ,illæſis tamen oculis, collũ, pectus,manúſq; fœdo impetiginis furfure & tabo infecerat,primũ ſub Tib.Claudij principatu Italiã inuaſit:cuius tetra contagij ſeminaria Petruſius eques Ro.ex Aſia Romam attulerat. Nũquid febris illa ſudorulẽta Anglis uernacula,proximis annis coloniã ſuam in ciſmarinas & trãſrenanas regiones duxit? quæ poſt bienniũ ſæuire deſiit:quã,faxit Deus, ne noſtri nepotes reducẽ uideãt. Tanta namq;,& toties explorata eſt ortus & occaſus morborũ uiciſsitudo.En dum hæc meditaremur, morbũ expaueſcẽdæ turpitudinis in Dania & Noruegia, ac Lituania, & aliis locis maritimis ex confinio, arcturo ſubiectis,quẽ uulgus Scherbock appellat, graſſari accepimus:cuius peſtifera lue dentes exciderent, gargareon & fauces uirulentis ulceribus tabeſcerẽt. Hic illis ſeptẽtrionalem plagam incolẽtibus nouus uidetur morbus, quem Plinius olim ſub Cæſare Germanico in Germania ſæuiiſſe, his uerbis teſtatur: In Germania, inquit, trans Rhenum caſtris à Germanico Cæſ.promotis,maritimo tractu,fons aquæ dulcis ſolus erat,qua pota, dentes intra bienniũ deciderẽt,cõpagéſq; genuũ ſoluerẽtur.Medici hoc σκελοτύρβην, id eſt,crurum eneruationẽ, illud uerò στομακάκην, quod hoc malũ in ore conſiſteret,dentéſq; labefactaret,appellarũt.Huic malo in ſubſidiũ reperta eſt herba Britannica dicta,nõ neruis modò,ſed oris quoq; ulceribus ſalutaris,& cõtra anginas & ſerpẽtes efficax, quã Friſii,prope quos caſtra erãt Romanis, mõſtrarũt: & Britannicã dixerũt,quoniã in Oceani Britanniæ cõfinio erãt.Nec tũ hæc duo mala in Germania primùm uiſa,ſed Strabo quoq; antè in Arabia, ex eſu illius regionis fructuũ,exercitũ Gallorum infeſtaſſe ſcribit. Hæc de natura & ſymptomatib.morbi Gallici ad te referre uolui:in quo nihil,præter nomẽ,noui reperies. Vale.

*An oſſa doleant & apoſtementur.*
*Doloris duæ cauſæ ex Platone.*
*Dentes ſentire & apoſtemari, Auicen,fen. 2.primi.doctr. 2.Sum.2.cap. 28.& Gale. copioſius li.5. de medic.loc. affect.appropriatis.*
*Os ſacrũ empyemate putreſcere, Gal.de introductione medic.*
*Oſsiũ ex defluxu apoſtematio.*
*Galen.libr.7. Aphor.54.Auicenna 14. tertij tract.4.c.5.*
*Oſsiũ teredo, Gal.in libello diffinit.*
*De uẽtoſitate ſpinæ hæc Auicen.fen quarti tract.3.c. 9.*
*En oſſa ratione tendinũ & mẽbranularũ quibus ueſtiũtur,ſentire uidentur.*
*De oſtocopo hæc Gal.libro 2.de locis affe. & li.3.de ſalub.*
*Quare dolores noctu ingraueſcant, Alexan. Aphrodiſ.li.1. problem.116.*
*Morbũ Gallicum eſſe non nouum,ſed ueterem morbũ.*
*Hippocr.li.3. Epidemiarũ.*
*Lucret. idẽ docet libro 6.*
*Plin.li.26.c.1.*
*Lucret.lib.6.*
*Libro penult. Oroſ.li.1.c.8. Tacit.21.*
*Sudor Anglicus.*
*Occaſus & ortus, morborũ uiciſsitudo.*
*Morbum Daniæ Scherbock nõ eſſe in Germania nouũ.*
*Plin.li.25. c.3.*
*Stomacacia quid.*

HYDRARGYRI VIRVLENTIA DENtes uacillare,oſſa putreſcere,ſtrumas naſci, cerebrum & epar & neruos debilitari,apoplexiam aut paralyſim quoque,ſolo eius uapore excitari. *Epiſt.* XLIII.

QVæris,mi Michael, omnibus meis Mecœnatibus,ex metallorũ ſcaptenſulis locupletatis, liberalior,quidnã cauſæ ſubſit, q̃ argẽti uiui illitu,uel ſolo uapore,aut ex cinnabaris,eius ſobolis,ſuffitu,dẽtes,alioqui ignibus inuicti,qui nec in rogo cũ reliquis mortuorum oſsibus cõcrementur,ita uacillent & marceſcãt:& his qui quaſdã aquas ex alpibus ſcaturiẽtes potarũt,excidant:tumórq; ex gutture & collo pendulus,Græcis βρογχοκήλη dictus innaſcatur.& cur deniq; metallorũ foſſores in ſcaptẽſulis uapore minerali afflati,extinctis lucernis cõcidãt, & moriãtur:& aurifabrorũ,dũ pocula argẽtea inaurãt, quos hydrargyri uapor corripuerit,colla manúſque tremant,crura uacillent,&

*Plin.li.7.c.16.*

*Pli.lib.2.c.65.*

ſcelotyrbo laborent. Credideram certè, quandoquidem inter metallicos, illos auaritiæ cuniculos, qui montes eruũt, & ſcrobibus ad Plutonis ferè tartara effoſsis, & in terræ deorũ hominúmq; matris uiſcera ſæuiunt, ita crebrò uerſaris: ab his te metallorũ naturas, & ineffabiles hydrargyri uires dudum exploraſſe. At quia illi potius metalla quàm illorũ naturas ſcrutantur, facilè adducor ut credam, eos harũ eſſe imperitos. Verùm quũ nuper mihi aliquot argenti & auri obryzi fruſtula, ex tua argentifodina eruta, dono miſeris, ne ingratus uidear, ſi hæc ſplendida munera tantillo labore compenſare potero, libens faciam.

*Ob quas cauſas dentes uacillent.*

Primùm igitur ſcias, dentes mandibulæ cauernis, ac genarum oſsi, uelut clauos infixos: illorum radices neruo ſubſtrato, & agnata gingiua arctiſsimè conſtrictas, ob uarias quidem cauſas labaſcere. Primùm quidem ex atrophia: quippe quum quotidiana ciborum maſticatione atterantur, operæ precium erit eos quoque quotidiana alimonia refici.

*De dentiũ nutritione & reparatione Ariſtot. hæc lib.2. de gener. animalium, ca.4. Galen.li.5. de medicam. loco addictis. Lib.7. cap.12.*

Niſi enim (inquit Ariſt.) dentes per omne ętatis tempus nutrirentur & accreſcerent, breui tempore attritu conſumerentur. Ob idque Galen. etiam inquit: ὅσον δ᾽ αὔξωνται, τοσοῦτον ἐν τῇ σιτίων λειώσει τριβομένων. Quòd ſi ingraueſcente ſenio, aut ob quamuis uenarum obſtructionem, alimentum illis defuerit, illorum ſubſtantiam & in oſsib. malarum & mandibulæ ergaſtula, quæ Græci φάτνια appellant, marceſcere, & radices dentium extenuari neceſſe eſt. unde Celſus dentes nonnunquam moueri ait, modò propter radicum imbecillitatẽ, modò propter gingiuarum areſcentium uitium. Hic uerò agyrtarum & empiricorum inſcitiã deprehendes, flagris dignam, qui hunc ex atrophia dẽtium maraſmum, aluminis decocto curare ſatagunt, quod ſanè dentes gingiuásque ſiccat, & depaſcit: quum huic malo nullum eſſe remedium Galenus apertè doceat. Vacillant quoque dentes, quum ex defluxu catarrhali, aut quouis pituitę affluxu, neruus radicibus dentium implicitus, gingiuæ ac reliqua dentium retinacula relaxentur. At genuina eſt hydrargyri proprietas, pituitam ab ulcerib. & membris extremis arcere, & ad caput, fauciũ adenes, pariſthmia, & per oris poros & gingiuas expurgare. Quid igitur obſtare poterit, quin corporibus, unguine ex hydrargyro illitis, aut quouis modo eius uirulentia infectis, tanta marceſcentis pituitæ copia ad dentes affluat, qua illorum uincula & compages relaxentur, dentes quoque liueſcant, faucéſque exulcerentur? Eſt ſanè hydrargyrum epati, cerebro, neruis, oſsibus, dentibúsque non tantum ſuo frigore, ſed à tota ſubſtãtiæ eius forma ſpecifica, adeò noxium: epatis uerò temperaturam adeò uitiat, ut ſi qua corpora paulò imbecillioris conſtitutionis eo inuncta fuerint, ea tandem hydrope turgere uideamus. Sic quoque cerebrum eius uirulentia infectum, grauiſsimis morbis, uertigini, apoplexiæ, & ſoporifero catocho fit obnoxium: à quo tãdem catarrhi edaces per fauces & arteriam aſperam in pulmonem deſtillantes, exeſis tonſillis & gargareone, eum pituita putrida infarciũt: unde miſeros purulẽta tabe marceſcere, aut aſthmate ſuffocari oportet. Oſsibus uerò adeò eſt infeſtum, ut eo inunctos, noctu tamen pluſquàm interdiu, intolerabili oſtocopo, aut oſsiũ teredine excruciari, inueteraſcẽte morbo, experiamur: ſub quib. ferro exciſis, ipſe guttulas argenti uiui tremulas non ſemel reperi. Sed quid ego tibi tanta, de eius ſubſtãtia, mala cõmemoro? cũ uiroſus illius uapor, æquè ac cinnabaris, eius prolis, ſuffitus, qui ut peſtilens uirus derepentè ſeſe internis inſinuat uiſceribus, ea ſit multò nocentior. Dic amabò, nunquid crebrò uidiſti aurifabros, ærea aut argentea uaſa hydrargyri illitu inaurantes, hauſto, uel tantum uapore illius afflatos, ſubitò reſolutos, aut attonitos, in terram cadere: quoſdã & aſthmate anhelos, aut paralyticos, collo, manibus, pedibúſq; tremulis uacillãtes, miſeram traducere uitam? Hæc eadem & plura alia mala foſſoribus metallorum, quorum ſulphur & argẽtum uiuum ſunt principia, ex uirulento mineralium uapore, in ſcaptenſulis intra uenas deliteſcente, crebrò accidere, Lucretius quoq; poëta uetus his uetuſtæ dictionis uerſiculis teſtatur:

*Lucreti.lib.6. Hæc peſtilens in argentifodinis aura uulgò Schuuaden appellatur. De hoc lethifero in puteis ac quarum et ſcaptẽſulis metallorum uapore, Victruuius in fine lib. 8. doctè ſcribit, & copioſe.*

Nónne uides etiam, terra quoque ſulphur in ipſa
Gignier? & tetro concreſcere odore bitumen?
Denique ubi argenti uenas aurique ſequuntur,
Terrai penitus ſcrutantes abdita ferro,
Quales expiret ſcaptenſula ſubter odores?
Quidue mali ſit, ut exhalent aurata metalla?
Quas hominum reddant facies? qualéſque colores?
Nónne uides, audiſue, perire in tempore paruo
Quàm ſoleant, ac quàm uitai copia deſit?

Probè igitur Plin. monet, pernicioſum hũc & lethalẽ in metallicis flatũ, ex argenti uiui ac minij, mineraliũ exhalatione præcipuè coaceruatũ, omni ſolertia euitãdum. Quare nõ temerè, qui miniũ effodiebant, uel ex eo hydrargyrũ, & huic addito ſulſure cinnabarim decoquebant, ne exitialẽ hunc uaporẽ aut puluerem inſpirarẽt, laxis ueſicis faciẽ obligabant. Nec eſt quod mireris, peculiares hydrargyro ineſſe uires, quib. præcipuè cerebrũ ac dentes oblædat. Natiua namq;, & cõgenita pharmacis quibuſdã, inſitáq; facultas eſt, qua certa mẽbra, uelut ipſis dicata, lædant, aut iuuent. Sic eupatoriũ epati affecto, myrobalanos & aſpleniũ lieni, betonicã & ſaxifragã renibus mederi experimur. At leporẽ marinũ, Indici æquoris animalculũ, ſolum pulmonẽ: & cantharides ſolam ueſicam, cæteris interaneis illæſis, exulcerare uidemus. Et perinde ac rha barbaricum choleram ab epate, agaricus pituitam à pulmone, cõgenita proprietate, per inferna alui uiſcera expurgat: ſic pariter hydrargyrum inunctũ externè, à membris & ulceribus pituitoſos ichores ad collum, fauces, adenes ſaliuales, ac dentes & gingiuas regerit, pérq; illorũ poros ſupernè expurgat, & ad dentes ac pulmonem protrudit.

*Gale. lib.1. de compoſ. med. gẽ. & de ther. ad Piſ. ac Nic. in alex. Dioſc. li.2. et 6. Auic. ſexta quarti trac.2.cap.4.*

Vnde aliptæ Hiſpanorum & Italorum, ex hydrargyro, ceruſa & minio unà maceratis, fucum præparant: qua cum mulieres earum genas quacunque inunxerint, his dentes breui marceſcunt, anhelitus malè olet, frontéque corrugata, oculi caligant, & ſeneſcentes aſthmate pereunt.

*Noxius mulierib. ex hydrargyro fumus.*

Nil igitur mirum, quorundam fontium hauſtu, qui ex metallorum montibus ſcaturiunt, dentes excidere: quippe, teſte Victruuio, ex his montibus, in quibus argentum, aurum, & horum parens hydrargyrum latet, uberrimi ſcaturiunt fontes, & herboſo ceſpite uirent.

*Victr.li.8.c.3.*

Nam qui ſolerti induſtria horum uenas ſcrutantur, manè menſis Maii ſereno nebulas in uertice montiũ emergentes, ac inſtar lanæ uel cotti goſſypij, ſupra ceſpitem pendulas, uelut fontium ac metallorum indices, dedita opera obſeruant, ibique argẽti uiui uenas ſubeſſe cõiiciunt: quandoquidem aquarum ſcaturigines per metallorum uenas, ac præcipuè in alpibus erumpunt. Has uiroſa metallorum qualitate dentib. noxia, imbui, credere par eſt. Vnde Plin. ſcribit, in Germania trans Rhenum, caſtris à Cæſare Germanico promotis, maritimo tractu fontẽ fuiſſe, cuius potatoribus dentes intra biennium deciderent, compagéſque in genibus ſoluerẽtur.

*Plin.li.25.c.3.*

Et Victruuius: Suſis, inquit, quę erat Perſarum metropolis, fonticulus erat, ex quo qui bibebant, dentes amittebant.

*Victr.li.8.c.5.*

Diximus paulo antè, hydrargyrum non modò pituitam ab infernis partib. ad colli glandulas & caput regerere: ſed etiam congeſtam in capite, ad partes capiti ſubiectas, ceruicem guttur præcipitare. Hinc, qui has hydrargyro medicatas bibunt aquas, iis chœradib. & bronchocele, tumore à gutture ad pectoris furculã ferè pendulo, collum turget. ob idque Victruuius eruditè mehercule, ex membratura & habitu corporis incolarum pulchro uel deformi, naturas aquarum illius regionis explorare præcipit.

*Victr.li.8.c.4.*

Vnde in Senenſi comitatu, ac Lucani, celebrem Italiæ ciuitatẽ, uitio aquarum incolis in collo ſcyrrhos, ſcrophulas, & ſtrumas naſci tradunt. Et Victruuius autor eſt, Equicolis, olim bellicoſis Italiæ, de natione Medullorum prope alpes, populis, guttura brõchocelis turgere. Nil certè mirum, quum Alpes metallorum uenis, per quas aquarũ ſcaturigines emanant, abundent: earum accolas gutturoſos fieri, præcipuè Noricos, ultra Saltzpurgium, Oenoſpontem, & Curiam Rhœtiæ oppidum, ac eos qui Styriam & Carinthiam incolunt, quondam Carni & Tauriſci à Tauro monte appellati: quorum mõtes etiam noſtro æuo ferri, auri, argenti quoque mineris, & olim quoque fuiſſe locupletes, Aeneas Syluius tradit.

*Plin.li.3.c.20. Noricos, Carnos, & Rhetos, contermi nos alpiũ accolas tradit eſſe.*

Nec id tantum illic natis incolis uernaculum eſt uitium, ſed etiam aduenis: qui ſi collo etiam anſerino graciliore aduenerint & aliquot annos de his fontibus potauerint, guttura eos, ueluti taurorum colla, quibus palearia dependent, referre uidebis. Et quod omnem ſuperat admirationem, nec hoc corporis uitium tantum homines, ſed ligna etiam ſiue uirgulta in fontes quoſdam proiecta afficit: quibus, uiribus aquarum, intortis, tubera uelut in oleis arboribus, adnaſcuntur. Cæterùm id tumoris genus quondam in collo tantum concreuerat. At noſtro

*Incredibile aurifabri & Florētinæ mulieris ſtrumæ pondus.*

ſtro æuo Florentinæ mulieri, cui nomen erat Oline, ſtruma pondo ſexaginta librarum, coxæ innaſcebatur, cuius pondus quū progreſſum defatigaret, mulier totum quinquennium in lecto decumbens, tandem induſtria Antonij Beneuenij medici, arctiſsimis ligaturis, & ferro candenti, curata fuit. Struma quoque haud multo minoris ponderis, Ambergæ, ſuperioris Palatinatus metropoli, circa genu Michaëlis aurifabri (qui cum auro argenteam ſupellectilem obduceret, non ſemel hydrargyri uapore fuerat læſus) concreuerat: ſed is mortē ſubire potius, quàm cum cauteriis & ſectione curam ferre, maluit. Poſtremò illud quoque tanquam parergon, in Epiſtolæ huius colophone addere libuit: bronchocelem, id eſt gutturis herniā, longè diuerſum à ſtruma fuiſſe ueteribus tumoris genus. eſt namque Cornelio Celſo ſtruma, tumor, in quo ſubter concreta quædā ex pure & ſanguine, quaſi glandulæ oriuntur, quæ præcipuè medicos fatigare ſolent: quoniam & febres mouent, nec unquam facilè matureſcūt, ſiue ferro ſiue medicamentis curentur. nam plerunque circa cicatrices ipſas iterum reſurgunt. Naſcuntur maximè in ceruice, ſed etiam in alis, inguinibus, & in lateribus. In mām̄is quoque fœminarū ſe reperiſſe, chirurgus Meges autor eſt. Has Græci χοιράδων, petris è mari prominentibus, & porcis natantibus, dum capite eminent, ſimilibus, aut ἀπὸ τῶν χοίρων, id eſt ſcrophis & porcis, qui hoc malo, circa adenes colli frequenter affliguntur, Chœrades: Latini uerò ab eodem animali multipari, Scrofulas dicunt. At bronchocele, pendulus circa guttur tumor, à bocij uētroſi poculi ſimilitudine, bocium appellatus, inter cutem & aſperā arteriam, autore Celſo, increſcit: in quo modò caro pituitoſa, modò humor aliquis melli, adipi, aut pulti ſimilis membranula includitur: interdum etiā pili minutulis oſsibus mixti reperiuntur. At quū præſtet uiuere moribus præteritis, ac uti uerbis præſentib. conſuetudóque dicendi magiſtra ita inoleuerit, bronchocelen & chœrades, ſtrumas quoque appellari, parum refert: modò de ſubſtantia rei nobis bene conſtiterit. Vale.

*Struma quid, Cor. Celſus li. 5. cap. 28.*

*Quid brōchocele, Cor. Celſus li. 7. ca. 13.*

## DE PLVMBEIS AQVAEDVCTVS *canalibus, & aquæ ſalubris indiciis.* Epiſt. XLIIII.

Laetor ex animo, commilito fidiſsime, quouis Achate mihi charior: Principem tuum, de quo uniuerſa Chriſtianorum reſpublica ſpem maximam cōcepit, nō deſidia & cōpotationibus uires corporis eneruare: ſed opportunis, pro tēporis ac negotiorum ratione, uenationis & aucupij exercitiis & oblectamētis, animū, corporiſq; robur reficere. id quod erat olim peculiare Perſarum regibus inſtitutum. Accepi namque à tabellario tuo, Principem tuum, omni uirtutis ſplendore illuſtrem, generoſis aulæ ſuæ proceribus cōcomitatum, ſub hoc Caniculæ æſtu, mane ſereno intra montes, qui ſtadiis uix tribus à caſtro ſuo diſtant, in ualle quadam, arboribus uariis, riuulis piſculentis, concentúque auium amœna, deambulare ſolitum: in qua alios turturum ſcrutari nidos, alios ſciuros de arbore in arborem deſultorios iaculari: hos mira canum ſagacitate lepores circa uineta inueſtigare, alios infixis hamo lumbricis piſciculos ineſcare: defeſſos tandem, ſuóque defunctos officio, non adeò procul à Principe ſub umbroſa quercu conſidere: & tandem ſingulos ſuam uenationis prædam, ut milites bellorum imperatori ſpolia, principi offerre: quarum partem archimagirus cocum opiparè præparare iubet, alteram uerò in penu frigidum & ſiccum refert. Et quod reliqua oblectamenta longè ſuperat, aiebat, circa hanc quercum, non ex loco paluſtri, muſco & iuncis obſito, ſed ex petra uerſus orientē, fonticulum leni ſuſurro ubertim ſcaturire: cuius aqua limpida, pondere leuis, & omnis qualitatis guſtu uel olfactu perceptibilis, expers, adeò defæcata, ut in uerſicoloribus lapillis, per quos ebulliret, nihil limi relinqueret: & quæ hauſta, nec circa præcordia moraretur, nec ea inflaret. Affuiſſe quoque tum cocum dicebat, qui ſitulam ex ære Corinthio conflatam, ea aqua plenam in culinam detulerit, eámque celeriter calefactam, ocyus ob tenuitatem deferbuiſſe, & legumina quæque, præcipuè piſa, citius (ut aiunt) aſparagis decoxiſſe: nullámque in uaſis ærei fundo uel maculam uel limum apparuiſſe, & cum ſingula ſalutaris aquæ indicia in ea apparerent, tum principem, ſolertem in rebus naturalibus cauſarū exploratorē, accerſitis ſuis architectis ſeuerè edixiſſe, ut hanc per elices ac euripos, quos Græci σωλῆνας appellant, ex ſalubri materia præparatos, & firmiter ſibiipſis inſertos, in culinam deriuarent. Tum, aiebat tabellarius, ingentem inter architectos fuiſſe obortam contentionem. alios, canales ex ære aut plumbo conflatos: alios, ex pini arboris trunco, torno excauatos: plures uerò, fictiles tubulos, à plaſte bene uitreatos, prętuliſſe. Addebat poſtremò, me hac in re clementiam & beneuolentiam tanti principis maximè demereri poſſe, ſi meam ſententiam illi explicarem: quam ob id te non celabo. Conſtat ſanè, ſulphur & hydrargyrum eſſe primogenia metallorum omnium principia: quare ſingula eorum uirus pro gradu perfectionis reſipiunt. aurum namque calore naturali exactius concoctum, & à ſulphure depuratū, magna tamē eius cum hydrargyro ſympathia in deaurandis poculis uidetur. Proinde Albertus: Verum eſt, inquit, de omni metallo, quod propter ſulphuream ſubſtantiā, aliquid habeat acuitatis: quamuis ſapor in plumbo & ſtāno id minimè indicat. probatur tamē per illud, quòd aqua quæ diu currit uel ſtat in fiſtulis plumbeis, aut ſtanneis, efficitur inteſtinorum ſiue uiſcerum excoriatiua. unde Galē. lib. de Medic. general. ſeptimo, τὸ ὕδωρ διὰ τῶν μολυβδίνων σωλήνων ὀχετευόμενον, φευκτέον. λύματα γάρ τινα τοῦ μολύβδου κατὰ τοῦτο περιέχεται. διὸ καὶ οἱ πίνοντες ὑποστάθμην τοῦ τοιούτου ὕδατος δυσεντερικοὶ γίνονται. id eſt: Aqua quę per plumbeas ſolenas deducitur, fugiēda. ſordes nanque & limus plumbi, his adhærēt. ob id, qui illius ſubſiſtētiam bibūt, dyſenterici fiunt. Vnde Victruuius ait: Aqua per plumbum ducta, ideo uidetur eſſe uitioſa, quòd ex ceruſa fit, & naſcitur. Ceruſa nanque, Græcis ψιμμύθιον dicta, autore Nicandro, pota, ac dentib. & gingiuis, quas albo colore inficit, impacta, linguam & pariſthmia aſpredine exulcerat, tuſsim ſiccam & ſingultum commouet, & ex uentriculo nauſeabundo pernicioſum halitum eructat. ea caligine oculos ſuffundit, corpus ueterno algere, membráque & crura torpere ac uacillare cogit: & quum ſoboles parentis referat uitia, & plumbum ceruſam, dum aceto infunditur, euaporet, aut cum ſulphure decoquitur parturiat, quis plūbum eadem ceruſæ uirulentia participare negabit? cuius ſolo uiroſo uapore, dum funditur, artifices plumbarios pallere, artus & ſanguinem exuri, Victruuius aſſerit. Proinde Plin. Dum plumbum, inquit, coquitur, munienda ſunt ſpiritus foramina. alioquin plūbi è fornacibus halitus noxius ſentitur, & peſtilēs, ac canibus ocyſſimè. Quare tā præclaris teſtimoniis & ratione fretus, fiſtulas aut ſiphones ex plumbo, ad aquæductus non probo: ſed fictiles tubos, à plaſte diligenter uitreatos, ne aquarum limus illis adhæreat, longè præfero. At ij ſi defuerint, aut ſuperingeſtam terræ molem ferre nō potuerint, tum præcipuè, ſi ſub terra defodiendi erunt, canales ex pini arboris trunco torno oblongo excauatos ob inſitam illis reſinam, qua ipſorum & aquarum putrefactioni reſiſtunt, non improbarem. Hæc ut ad principem tuum diligenter referas, obſecro: cui omnē meā operam animúmque ſpondeo. Vale.

*Salubris aquæ indicia hæc Gale. li. 1. de Salubrib. li. 5. aphor. 26. & 3. regi. acut. Auicen. fen. 2. primi. doctri. 2. ca. 16. & 17. Hæc de aquæ bonitate experimenta ponit Victru. li. 8. c. 5. in principio.*

*Albert. li. 3. de Metallis, trac. 1. cap. 4.*

*Gal. libr. 7. de Medi. loco affecto appropriatis.*

*Victru. hæc in fine lib. 8. Pallad. lib. 9. c. 12. De ceruſa hæc Nicāder in Alexiph. Dioſc. li. 6. c. 22. Aët. li. 13. ca. 77. Raſis ad Almanſ. lib. 8. cap. 43.*

*Pli. li. 34. c. 17.*

## DE VENTRICVLI IN NEPHRITIDE *anatropa, & crurum ſtupore.* Epiſt. XLV.

AEſtate pręterita, dum Sirius flagraret æſtu, ac Cęſar Carolus, eius appellationis quintus, uiſurus comitia Auguſtæ imperij procerib. indicta, Spiram appuliſſet, ac illuſtrē principem Fridericum, Comitem Palatinum, ſacri Ro. Imperij electorem, uariis conflictari morbis intellexiſſet: tandémque ſacræ Cæſareæ maieſtatis iuſſu, de tanti Principis morbis conſulturi, in templo Deiparæ uirginis conueniſſemus: benignè rogabas, ob quámnam colligātiam uentriculus renibus, calculo, arena, phlegmate uiſcoſo, aut ſanguine groſſo obſtructis, tanta ἀνατροπῇ, id eſt ſubuerſione ſtomachi compateretur, ut omnem faſtidiret cibum, & ingeſtum eructaret. Deinde, qua nā lege conſortij, in omni diuturna nephritide pes aut crus reni affecto κατὰ ἴξιν, id eſt è directo ſubiectum, ſtupore torperet. Verùm in hoc de uariis morbis colloquio, tantam eſſe tuam in re medica eruditionem, ſingulari experientiæ, ſed non citra rationem & prudens iudicium, coniunctam, cognoui, ut hæc te latēre ſuſpicari non poſsim. Sed cum præclara doctorum hominum ingenia, pleraque ita comparata eſſe uideam, ut quæ ipſi probè nouerint, aliorū ſuffragio approbari uelint: & quum has renum cum uentriculo & cruribus colligantias & ſympathias uul-

*Stomachi anatropa, Gal. de Cōp. medi. locis affect. app. lib. 8.*

go medicorum ignotas animaduertam, ut illorum studio subueniam, paucis explicabo. Primùm operæprecium est scire, uentriculum duab. tunicis uario fibrarum

*De tribus uentriculi tunicis Gal. lib. 5. de Vtil. par.*

plexu contexis cōstare: ac tertia, omnibus à peritoneo, interiori epigastrij membrana natis, crassiore, & ab eodem in cōfinio diaphragmatis qua id stomachus penetrat, prognata, ueluti operculo, ab elatiori uentriculi

*Tertia uentriculi tunica à peritoneo orta.*

ostiolo, ad piloron usque uestiri, in quam omnes à uena portæ, & à magna arteria, uentriculi uenæ & arteriæ, ac à sexto neruorum cerebri pare, neruí eius primū propagantur: quibus uentriculus fouetur & incalescit. Deinde uerò renes serosum ac biliosum sanguinis humorem, lotium per uenæ chilis ramos illis insertos emulgentes, quem colatum per οὐρητῆρας, neruosas urinæ elices illis agnatas, in uesicā præcipitant, ultra ilia proximè sub iecore & liene, alter altero tamē paulò altius, infra septum transuersum uertebris spinæ accūbentes,

*De duabus renū tunicis.*

duab. quoq; uelari tunicis, quarum interna tenuis, illis cognata, nullis uenis, nulla denique pinguedine obsita, sexti paris neruorum ramulis, sub costarum radicibus enascentibus intexitur.

*Externa renū tunica à peritoneo orta.*

Externa uerò tunica multis uenis & arteriis instar omēti referta, à peritoneo, qua infernam diaphragmatis circa extremas costas partem ambit, nata, ueluti pingui inuolucro renes circunuallat:

*Renum & uentriculi colligantia.*

unde non ineptè renum fascia uulgo dicitur. Accipis nemodò, excellens mi domine doctor, uentriculū ob mutuam per peritoneum colligantiam, renum affectibus compati oportere? Vtrūque enim uiscus, panniculis ab eadem ferè peritonei parte productis uestitur, qui ab eodem sexto pari neruorum ramulis implicantur. Quare renibus aut horum ureteris, his neruosioribus, arena, calculis, aut quouis lento & grosso humore infarctis, necesse est humorum alluuione panniculos renum distendi: quo dolore nō ferēdo, quo & uentriculū uelut

*Gal. commēta rio 1. in sextū Hippoc. Epid. librum.*

in coli cruciatu uellicari, ac ad uomitum prouocari, Hippocrates & Galenus in Epidemiis, his uerbis testantur: ἡ διὰ δὲ ἄνω γαστρὸς ἔκκρισις, ἢ γίνεται κοινόν τι σύμπτωμα τοῖς κῶλον πάσχουσι καὶ νεφρὸν. καὶ γὰρ τοι καὶ συνεχῶς οἱ νεφροὶ τῷ κώλῳ, καὶ τὸ κῶλον τοῖς νεφροῖς συνάπτονται αὐτὰ τῷ περιτοναίῳ. id est. Per uentrem superiorem excretio aut uomitus, commune colicis ac nephriticis symptoma. nam renes colo intestino, & colon renibus continuè, mediante peritonæo, adaptantur.

*Quare stupor pedes et crura nephriticorū infestet: Aëtius lib. 2. ca. 4. & Montegnana cōsilio 181. Constant. Viatici lib. 5. c. 12.*

Cur autem nephriticis pedes aut crura ac coxæ narcotico dolore torpeant (νάρκη τοῦ μήρου καὶ ἰξίων, inquit Hippocrates) in prōptu causa est. id enim fieri Gal. tradit, ob magna uenæ chilis descendentis, ac arteriæ magnæ uasa, spinæ dorsi substrata. à quib. insignes rami primum in renes ac lumbos, tandem in coxas & crura multifariam diuaricantur: quorum repletione, quæ obstructis renibus ureteris, uenis emulgentibus accidit, neruos & musculos, spirituum sensitiuorum meatus quoque obstrui, uel saltem coarctari necesse est.

*Renū cum coxis & crurib. colligantia: Gal. in 6. Epi. Hippoc. libel.*

Atqui, cùm renum dolores, podagricis longè atrociores, ex sanguine grosso in uenis renūmque panniculis coaceruato, cum phlegmone & urinæ difficultate crebrò coincidant, ad detergendas illorum oppilationes, ac exhauriendas uasorum repletiones, sectionē

*Hip. 6. Epid. & Apho. li. 6. ac 7. Apho. 48.*

uenarum poplitis, aut iuxta talos, multis nominib. utilem Hippocrates censuit: excrementorum quoque cibi euacuationem dolores renum compescere, & calculos

*Clysteria in calculo competere.*

ad exitum promouere, docuit. Proinde non satis admirari possum quosdam nostri seculi medicos, in curanda renum obstructione ennematum usum damnare. Sed

*De uesicæ cum stomacho colligantia, hæc Cor. Celsus li. 7. ca. 27.*

de his oblata occasione uberius agemus. Modò uerò uicissim te, ob tuum erga me amorem, obtestor, ut quæ sit uesicæ cum uentriculo colligantia mihi declares. Nā aliquam esse non dubito, cum Cor. Celsus, medicorum alter Cicero, orto in uesica cancro sępe affici stomachū, cui cum uesica quoddam consortium sit, scripserit: ex

*Vesicæ tunicas à periton. nasci, Gal. quoq; lib. 5. de Vtili. part. fatetur.*

quo fieri, ut neque retineatur cibus, neque si qui retentus est concoquatur, neque corpus alatur, ideóque nec uulnus purgari aut ali posse: quæ necessariò mortem maturare ait. Sit sanè iste qualiscunque stomachi cum uesica consensus, maius tamen & arctius illi cum reni-

*Ex nephritide diuturnum cibi fastidium & atrophia.*

bus affectis esse consortium experimur: quippe uesica lithiasi laborante, nec stomachus adeò subuertitur, & cibum nauseat: ac cum calculus in sinu renum, qui sensum obtusum habent, delitescit. Sic affectos plures, plus quàm annuo ciborum fastidio tabescere uidi, nec unquam esuriisse: in quorum cura, cum alij medici uentriculi imbecillitatem, alij uenarum mesenterij & epatis, siue splenis, nihil acoris in stomachi orificium effundētis, obstructiones causarentur: nihil aliud assecuti sunt, quàm quòd quotidiano medicaminum insipidorum usu & fastidio nauseam stomachi adauxerint, & ægros

*Aquam acidi fontis calculos dissipare, Vitruuius lib. 8. capi. 3. docet.*

ex atrophia corporis marasmo penè cōfecissent. Quos ego pharmacis lithotropis, aut frequenti haustu aquæ fontis natura acidi, calculis dissipatis, ac tandē à renib. expurgatis, pristinæ sanitati, Deo auspice (qui te à crudeli hoc calculorum tormento liberum, diu Cæsari nostro semper Augusto incolumem conseruet) feliciter restitui. Vale.

## DE ARDORIS IN VRINAE *stillicidio causis. Episto.* XLVI.

SCribis Antoni philiatrorum amantiss. nuper tibi epistolæ meæ de uentriculi in nephritide nausea, & eius cum renib. colligantia, factam fuisse legēdi copiam: quam omnes docti, qui tum aderāt, cōcordi suffragio approbassent: tibique datum negotium, ut ob quam causam præcipuè senes à Pleiadum occasu, dum hybernum ingrauescit frigus, ardore & stillicidio urinę discoquerentur: aliorúmque uesicæ symptomatum & affectionum causas perscrutareris, de quorū catalogo est Stranguria, latinis urinę stillicidium dicta, quam hac hyeme uterum ferentibus, & puerperis, ob recti intestini & uteri phlegmonem crebrò accidere uidi. unde rectè Hippocrates lib. 5. Aphor. 58. inquit, recto intestino aut utero inflammationem patiente, & renibus purulentis, urinæ aduenit stillicidium. quod etiam fit, dum ob uesicæ ex frigida discrasia imbecillitatem, urina guttatim defluit, aut ob eius acrimoniam, & in collo uesicæ ardorem sensim destillat, quæ ob uarias causas, &

*Primā ardoris urinæ causā docet Gal. lib. 5. de utili. partic.*

humorū affluxū, exardescit. Primùm quādo, teste Galeno, ob mēbrorum concoctionis discrasiam, sanguis nimium serosis ac uitrosis humoribus permixtus cōficitur, quos cū renes per uenas emulgentes attraxerint, & per ureteras in uesicam manauerint, fit ut lotium his exacerbatum, uesica ad maturū excretionis tēpus ferre non possit, sed continuè guttatim etiam sese excernere

*Secunda ardoris urinæ causa, Gal. li. 6. de causis sympto. Aetius li. 11. & Paulus.*

satagit. Accidit id quoque ob acredinem puris, quòd à suppuratis renibus per poros uretides, aut à rupto iecoris abscessu per uenas emulgentes à renibus attractum: etiā ab empyemate, purulenta pulmonis uomica, per lenem arteriam in sinistrū cordis sinum, & inde in magnæ arterię descendētis ramos, qui renibus inserūtur, in

*Hos saniei ex epate & pulmone meatus declarat Gal. li. 6. de locis affect. c. 4. & li. 2. prog. cap. 6. Gal. de introductiōe Medi. Hippocr. li. 7. Aphor. 54.*

ipsos & uesicam destillās, sua mordacitate eā adeò uellicet, ut ad lotij, cum hac sanie exactè commixti, excretionē intempestiuam proritet: quod Diocles medicorū paucis secūdus, his uerbis testatur: καὶ τὰ ἐν θώρακι ἐμπυήματά ἐστιν, ὅτι συῤῥηγνύμενα εἰς τὴν ἐπὶ νέφρους καὶ κύστιν φέρουσαν ἀρτηρίαν, ταύτῃ ἀποκρίνεται σὺν τοῖς οὔροις. Vnde non temerè inquit Hippocrates, quibus intra uentriculum & septum pituita reposita est, his per uenas pituita in uesicam uersa, morbus soluitur. Natura enim siquidem robusta fuerit, per meatus sensui reconditos, ac non rarò per ipsa ossa expurgationem molitur. Quis obsecro crederet, nisi uenæ in temporibus sectæ sterilitatem facerent genitale sperma per tantos arteriarum & uenarum anfractus, à cerebro ad testiculorum uariciformes chremastiras deriuari posse? Nunquid pariter à cerebro, præcipuè senum, serosos pituitæ humores per uarios uenarum meatus ad uesicam defluere, eámque ad urinæ stillicidium, pituitæ salsedine lacessere, in hyeme præcipuè

*Tertia ardoris & stillicidij urinæ causa, ex Hippoc. li. 2. de Morb.*

experimur? nam tum frigore hyberno caput incalescit, pituitáque calore dissoluta facile ad uertebras spinę, lūbos & pectus diffluit. Vnde Hippocrates: Vrinæ, inquit, multum emingitur, ubi caput nimium incaluerit, liquescit enim in ipso pituita, & liquefacta secedit partim ad

*Cerebrum hyberno frigore incalescere.*

nares, & coryzam facit: partim ad guttur, & brōchum, ac tussim, ac raucedinem efficit: partim per uenas ad pudendum defertur, ac stillicidium urinæ cum ardore cōmouet, incalescit autem, inquit Hippocrates, caput à cibis, & sole, & frigore, & laboribus & febrili calore. Hic certè meritò quispiam inertem quorundam de schola

*Falsa de catarrhis Arabū ratio, ex cōmēt. 2. Gale. in tertiū li. Aphor. Hippocratis accepta.*

medicorum ignorantiam detestetur, qui catarrhos à cerebro ideo hyeme frequentius & affatim in subiectas capiti partes destillare nugantur, quòd tum coarctatis externo frigore cerebri membranis, pituita uelut per manus complicatas à cerebro exprimatur: quum tanto ad cerebri panniculos penetrante frigore, pituitam potius condensari quàm liquescere par esset. Sed quid multis? nec hanc panniculorum cerebri coarctationem

citra

citra conuulsionem fieri posse, in confesso est. Proinde longè uerò similius est, id quod Hippocrates tradit, ꝙ obstructis pericranij à frigore poris, nec calor exhalare possit: ut uentres hyeme calidiores fieri, ita quoque cerebrum incalescere credamus, & pituitam cerebri calore eliquari. Vnde homines in hyeme frequētius tussire, ac catarrho laborare, frigidisque & pituitam fluxilem ingrossantibus curari experimur. Horum quoque omnium, aut etiam singulorum acrimonia uesicam exulcerari, ac purulēti lotij acredine, in quo sanies cruēta non exactè commixta est, ad stillicidiū irritari, nihil mirum, unde Hippocrates: Si, inquit, sanguinem aut pus mingat, aut renum aut uesicæ ulcerationem significat. Verùm cum senes nitrosa humorum acredine natura abūdent, eos quoque stranguria citius quàm iuuenes corripi: sed etiam ægrius curari uidemus. Proinde mi Philiater, quū iam tacito pede tibi obrepat senectus, ab omnibus quæ humorum salsedinem adaugēt, tibi cauebis. Habes hic igitur magis reconditas ardoris & stillicidij urinæ causas. Alias uerò uulgares, quæ ob arenularum asperitatem, & lapidis qui in uesica concreuit, confricationem incidunt, ut tibi notas, libens prætereo. Vale.

*Quarta ardoris urinæ causa.*

*Hippoc. lib. 4. Aphor. 75.*

*Senū stranguriam ægrè curari.*

## EX CANTHARIDVM POTV *stranguria, & earum uirulentia & usus.* Epist. XLVII.

Petis mi Philiater, ut tibi historiam de Galli amatoris stranguria conscribā: quam ut ueram, ita quoque non illepidam, ut acciderit, ita paucis accipe. Erat Bononiæ ex Gallia adolescens diuitiis & stemmate nobilis, gallo quouis gallinaceo salacior: qui puellam non adeò longè ab æde diui Dominici habitantem deperibat. quæ quum illi noctem condixisset, illius amore inescatus, cōsilio sui commilitonis, ne in Veneris conflictu succumberet, ad coitus illecebram cantharidum puluerem in iusculo quodam absorpsit. postea quum ad primam noctis facem pruritum circa pudenda sentiret, lætus, ac ratus esse libidinis ex pharmaco tentiginē, amicam adiit. in concubia uerò nocte, quum punctionibus corpus uellicaretur, & in ore cedrini picis saporem perciperet, nec mente sibi probè constaret, ac animæ defectu & uertigine penè concideret, tristis, auxilij & consilij inops, domum redijt. ubi cum cruento urinæ stillicidio ac ardore continuo distorqueretur, deûm hominúmque, & præcipuè Ludouici de Leonib. mei in re medica præceptoris, opem implorauit. quem quum eius ex Gallia conterranei noctu consultum accessissent, (nempe cui noctu egredi, ob quorundam Boboniæ factionum insidias, tutum non foret) mihi accersito negotium uisendi ægrum dedit: iussitque, ut dato ad sorbendum oleo, uomitum prolicerem: uentrem clysteri ex mercuriali, maluarum, radicis altheæ decocto, in quo cassia addito liliorum ac uiolarum oleo, dissoluta esset, eluerem: & ut singulis horis plenum lactis caprini aut bubuli cyathum patiēs ebiberet. Quod si hoc deesset, lac ex nucleis pinearum ac melonum & cucurbitæ ac papaueris seminibus contusis, cum stillaticio maluarū ac halicacabi liquore, aromatariū per colum emungere iuberem, ac id loco ueri lactis patienti, etiāsi in solio aquæ calidæ desideret, affatim potandum præberem. Postquam istis remediis Gallus sanitatem recuperasset, & tam temerarij cōsilij autor, supplex culpam deprecatus, medicinę administrationem in perpetuum abiurasset: tum omnes qui tum aderant, uno ore quærebant, quę nam esset tam atrocis & sæui cantharidum uirus causa, ut cæteris interaneis corporum uisceribus non adeò multum oblæsis, solum uesicam exulceraret, & cruentæ urinæ ardore emaceraret? Quibus tum respondi, congenitam esse quibusdam pharmacis à forma specifica proprietatem, qua ut ferrum in compasto pendulum, magnete confucatum, poli arctici sidus: sic illorum uirus, certa corporis uiscera, quasi illis per sympathiam naturalem ex cœlesti influxu dicata, peteret: idque non solum intra corpus assumpta, sed etiam foris applicata. Nam & Barthol. Montegnana, non uulgaris Italorum olim medicus, refert, quēdam Franciscum Braccam, ciuem Paduanum cum genui cantharides applicuisset, plus pondo quinque librarū sanguinis eminxisse. Idem quoque accidisse, qui eas ad unguium leprosarum ψώραν uel scabriciem tollendam, pollici pedum applicuissent. Sic pariter crebrò expertus sum, quum sordidis in genu ac iuxta talos ulceribus, Mercurij præcipitati puluerem paulo frequentius inspargerem, illius uirus, cæteris membris illæsis, ad dentes penetrasse, & os ac pharyngas, diurno nocturnóꝗ saliuæ effluxu maduisse. Ex his certè constat, cantharidibus non temerè, ut uulgus medicorum assolet, esse utendum. Tradit nempe Plinius, Cossinum Romanum equitem, singulari amicitia Neroni principi deuinctum, lichene, peculiari olim Aegypto morbo, correptum, à medico ex Aegypto per Neronem Cæsarem accersito, potu cantharidum interemptum. Ego uerò potius Cossinum externa cantharidum applicatione, quæ sua uirtute caustica lichenas, psoras, lepras, & duros atque callosos in plantis pedum & digitorū clauos extirpare solent, interiisse, quàm interna cantharidum potione, quæ nihil ad lichenis curam prodest, suspicarer. *Cæterùm in qua corporis earum parte uirus illud uesicæ noxium lateret, teste Plinio, nec inter antiquissimos medicos conueniebat olim. Hippocrates quippe in libro de mulierum morbis, ad proritandum menstruorum effluuium, ex solo cantharidum corpore, addito thure & myrrha, pessaria conficere docet: & ad excutiendos fœtus in utero emortuos, ac contra sterilitatem & hydropa, ex solo cantharidum uentre, ablatis capite, cruribus & alis, ac tribulis marinis, potionem conficere docet. Non defuerunt medici, qui abiecto illarum uentriculo, solis pedib. & alis utebantur: quas esse illarum malefici uirus alexipharmacum crediderāt, unà cum Dioscoride. At Galenus noster integras pharmacis miscuit, quę illarum uirus obtunderent: sicque eas innoxiè tradi posse, passim docet. Ego uerò illarum ex adustione puluerē, addito cerasorum gummi, ut magis salutarem, ita minus noxium in electuariis diureticis, cum apozemate morbo conuenienti dissolutum, crebrò expertus sum. Verùm nusquam illarum usum commodiorem comperi, quàm si crudum illarum puluisculum pomis, aut prunis, ficubus, persicis quoque uenustiorib. ab ima arbore pendulis inserueris, fissurámque reducto putamine celaueris: quæ si pomorū fures decerpta degustauerint, intolerabilis urinę ardor & stillicidium, furtum illorum redarguit, & grauitate supplicij compēsat: ut hoc remedio, melius Lamspacenorum deo, fures pomorum ab amœnissimo horto tuo in suburbio arcere & deprehēdere possis. Id te celare nolui. Vale.

*De amatore Gallo, historia uera.*

*Hæc ex potu cantharidum accidētia tradit Diosc. li. 6. Rasis lib. 8. ad Almāſ. Auicē. lib. 4. fen 6. tract. 2. c. 4.*

*Cātharidum alexipharmaca Diosco. lib. 6. ca. 1. Hippo. libr. 1. & 2. de Morbis mulie. Auic. li. 4. fen 6. tract. 2. c. 4. Rasis ad Alm. li. 8. et Aëtius lib. 13. c. 49.*

*Deleteria quare certis uisceribus plus sint noxia. Gal. li. 1. de comp. medic. gen. & de theriaca ad Pisonem.*

*Cantharides genu applicatæ sanguinis per urinā profluuium excitarunt. Montegnana. consi. 182. c. 10.*

*Mercu. præcipitatus ulceribus inspersus, dentes lædit, & pituitam per os expurgat.*

*De Cossino equite, hæc Plinius li. 29. c. 4.*

**Rectus cātharidarū usus ueterib. ignotus. Gal. li. de sim. med. 11. & li. 4. de uictu acut. utrobique in fine.*

*Hipp. alas cātharidum, & Rasis quoque li. 9. c. 73. abiecit.*

*Alæ ueneni cātharidū alexiphar. Pli. lib. 29. c. 4. Diosco. lib. 2. c. 53. Gal. lib. 3. de Tempe. & de sim. med. li. 3. 4. & 11.*

*Puluere cātharidū fures pomorum deprehendi.*

## DE HYDROPE ET QVARTAna *febre, & huius encomium.* Epist. XLVIII.

Miraris Nicolaum fabrum ferrariū, uicinū tuum ut fidū, ita quoque officiosum, hydrope à quartana laborantem, ita breui tempore humanis excessisse: quum Phauorinus febrem quarto quouis die reducem, ut salutarem, argutæ orationis lepôre collaudauerit: eiúsꝗ declamationis thema, Platonis testimonio, qui à quartana conualescentes, recuperatis uiribus constātiori ualetudine dixerat uicturos, corroborauit. & deinde non illepido Grecorum adagio approbauit,

ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρη, ἄλλοτε μήτηρ. id est:

Ipsa dies quandoque parens, quādoque nouerca est.

Ita hanc quartanā febrem biduo sanitatis medio interuallatā, eò ait esse fortunatiorē, quòd in ea esset μία μητρυιά, δύο δὲ μητέρες. id est, una nouerca, duę uerò matres. At mi Patrocle, non ita facilè Gellius, tuus amasius, excercēdi ingenij gratia hac ἀδοξοτάτῳ de febre quartana ὑποθέσει, Phauorinum lusisse, mihi persuadebit, quin seriò id eum censuisse credam: quum multis ante Phauorinum & Platonē annis, Hippocrates, alter medicorum Apollo, statuerit, hanc febrem natura sua esse securissimam, & ob exacerbationis intercapedinem toleratu leuissimam, quæ noxios depascerer humores, ac plerosque à magnis, Herculi etiā ineuincibilibus morbis liberaret. quod in sexto Epidemiarum libro, his uerbis luculēter quoꝗ affirmat: οἱ ὑπὸ τεταρταίου ἁλισκόμενοι, ὑπὸ δὲ μεγάλης νόσου οὐχ ἁλίσκονται. ἢν δὲ ἁλίσκονται πρότερον, καὶ ἐπιγίνεται τεταρταῖος, παύονται. id est, Qui quartana corripiuntur, à magno epilepsiæ morbo non infestantur: si autem hoc primùm corripiūtur, si quartana superuenerit, tum cessat. Vterque enim morbus ex atra bile, aut lento & frigido humore, in cerebro aut splene coaceruatis, frequenter oritur: quare, quòd alter in alterum degeneret, & alterius materiam insumat, nihil mirum. Proinde scitè Galenus inquit: Melancholici magna ex parte comitiali

*De febre quartana, hæc Gel. lib. 15. c. 12.*

*Dies quandoque parens, quandoque nouerca.*

*De quartana hæc Hip. lib. 1. & 6. Epidem.*

*Melancholici fiunt epileptici, & uicissim. Gale. lib. 3. de loc. affect. c. 6.*

morbo afficiuntur, & contrà epileptici fiunt melancholici. Cęterùm si quartanæ malè curatæ hydrops accesserit, ægros ea commoueri, Gal. crebrò uidit: quod & uicinò tuo cõtigit. & tum maximè accidere solet, si ęgrotus in uictu aberrauerit, & intempestiuo frigidæ potu caloris lenimen quęsiuerit: quo humores ingrossati obstructiones & scirrhũ in epate ac liene pariunt: & tum pręcipuè, si deiecti in paroxysmo particulari, caloris putridi exhalationem externo quæsito frigore cohibuerint, qui impulsus utrumq; hypochõdriorum uiscus adurit & indurat: & quandoquidem splen sit quartanæ febris, & ex ea hydropis, domicilium, & altera sanguinis perficiendi ac depurandi officina: ideo animalia exanguia splene quoq; carent: & uitiato à quartana splene etiã, primogenia affectione subnasci aquam intercutem, & in omentũ defluere, Hip. lib. de Mul. mor. attestatur. Si, inquit, mulier, splene ipsius aqua turgente, aqua intercute laborauerit (quod tum accidit, cùm febris hominem detinuerit, & patiens aquam affatim ingurgitauerit, & eam non reuomuerit, nec per uesicam aut sudorem excolatur) tum splen rarus & spungiformis, à tergo uẽtriculi situs, eam attraxerit, quo repletus & intumescens per uenas in omẽtum effundit. At si epar primaria affectione, ex aquę niuis aut glaciei liquore uitiatæ potu: aut per cõsensum ex uentriculi, renum, pulmonis, lactium meseraicarum, habituali intemperatura frigida uitiatum, uel obstructũ fuerit, tum aqua intercus ex epate non in omentum, sed intra peritoneum in lumborum & iliũ caua prorumpit & distillat. quod Gal. in septimo Aphoris. Hippo. commentario, apertè his uerbis declarat: Si, inquit, aliquando contingit hydatidas, uesicas epatis aqua plenas, disrumpi, effunditur aqua ad locum membranæ abdominis interioris epigastrio respondentem, in quo etiam hydropicorum aqua congregatur. ad omentum enim, quod est instar marsupij, solidum & firmum undiquaque, nisi uersus epar arrosum fuerit, effluere ab epate non potest: nisi ex uentriculo, colo, ac liene, à quibus partibus enascitur. Ex hoc humorum & uaporum flatulentorum ab utroque uiscere intra peritoneum & omẽtum defluxu, duas hydropis species nasci uidemus: alteram ab utris similitudine ascíten, alteram uerò à tympani tympaniten dictam. hæc flatulenta, illa uerò humidura. Sed ascitis à splene uitiato eadem esse accidentia cum illo quæ ex epate affecto enascitur, Hippocra. lib. de Morbis quarto fatetur, dum inquit: Manat potus ex gula in uentriculum, quo expletus splen de ipso sugit: clauiculæ, collum, pectus ac brachia, quibus, obstructis uenis, alimentum irrogari non possit, extenuãtur: ac humor aqueus per uenas in omẽtum & in decliue ad crura, tibias, pedes uergit: quibus morbo inueterato ruptis, aqua instar roris destillat, qua scrotum adimpletum, fit instar uesicæ aqua refertæ perlucidum. unde herniæ species Græcis, & Cor. Celso hydrocœle, ab aqua dicta, enascitur, pueris & senibus cachesticis communis morbus. Vnde Hippocrates: Pueris hydropes in testiculis & ostheo fiunt, quamdiu parui fuerint, deinde in ætatis progressu euanescũt. id quod pueris nuper genitis etiam in bimatu atq; trimatu crebrò accidere uidi. Sed horum causæ symptomatũ sunt omnibus obuiæ. At istæ non æquè, ob quas nempe hydropici sicca tussi & anhelitus difficultate, pulmone illæso, torqueantur, & maiori siti quàm apud inferos Tantalus ille excrucientur: adeò ut quo plus sunt potę, plus sitiantur aquæ, quibus totus uenter tumet prius. Tussis quidem, aridæ & difficilis spirationis in hydrope causam, rectè in pulmonis & diaphragmatis à substrata tumidi iecoris splenisque mole, coarctationem rectè referimus: quæ cum, uentriculo flatibus pleno, præcordiis incubuerint, tum æquè ac in saturis & obœsis, pulmonem, spirationis follem, à thoracis musculis & diaphragmate ad aërem hauriendum distendi non posse, quiuis coniicere potest. Quare plerique sedẽtes, non nisi recta ceruice spirare coguntur. dorso enim incubantes, facilè suffocarentur. Hanc præcordiorum & septi angustiam, pulmo uoluntario & naturali motu percitus, tussi excutere laborans, dum nihil promouet, aut ex pulmonis cauernulis excreare potest, tussire quoque cunctatur. Vnde Hippocrates: Quibus, ait, à iecore aqua intercutem oboritur, tussire quidem desiderant, sed nihil effatu dignum excreant. Verùm quum sitis sit appetitus frigidi & humidi, & in hydrope uniuersi corporis habitus, ac præcipuè epar intemperatura frigida & humida laboret & langueat, ipséque uenter tanquam uter, humore frigido distentus, ueluti aqualiculus sesquipede prostet: quæ sit intolerabilis hydropicorũ sitis causa, exactori scrutinio eget. Primùm, quàm sitibunda insit sali siccitas, uel ex hoc coniicere potes, quòd plerique nautarum æquoris salsi aquam bibentes, inexplebili siti interierint. Modò constat, omnes secundę digestionis in epate, splene ac uenis humores, & illorum excrementa, ut sudorem & urinam, salem resipere, ac indigestos facile putrescere. Atqui cum in hoc morbo uenæ peritonei, omenti, & quæ à porta in splenem uergunt, ac fundum uentriculi, eiúsque orificium, sitis subiectum, multifariam amplectantur & nutriant, his humoribus refertissimæ sint, necessariò illorum salsedo in uentriculum resudabit: quorum etiam uapores putridi, interna uiscera ac uentriculi osculum, æquè ac uini ueteris, uel in quo dipsas serpens submersa fuit, siccabunt, & lethali siti excruciabunt. Accedit ad hoc, q cum aëris inspirati refrigerium, sitim quoque alleuiet, ut ob impeditam & coarctatam in hoc morbo inspirationem, cor & pulmonem siti quoque æstuare oporteat. Ex his quoq; haud obscurè causam elicere possis, quare mulieribus, ut Hippocrates ait, ὑδαταινούσῃσιν, id est hyposcarca, aut cachexia laborantibus, mensium effluxus cunctetur, uel sistatur: quippe cum sanguinis conficiendi officium in epate infrigidato uel obstructo langueat, nec nisi sanguis aquosus, crudus & uiscidus generetur, qui suo lentore uenas uteri potius obstruere, q̃ erumpere possit. Atqui quum hæc omnia tam sæua accidentia in hydrope ex quartana coincidere possint, nil certè mirum, ægrum in tam uiolenta huius morbi spiratione, animam quoq; efflare. Sed magis quispiam fabri uicini tui socordiam mirabitur, qui cum præsentissimum indurati splenis remedium, quotidie in officina sua ferro ignito conficeret: quòd eo in morbi principio uti neglexerit, quod Cor. Celsus in lienis morbi cura his uerbis summopere laudat: Potui, inquit, ieiuno dari debet absinthium incoctum, & post cibum aqua à fabro ferrario, in qua candens ferrum subinde tinctũ sit. Hæc enim uel præcipuè lienem coërcet. Quod animaduersum est in his animalibus, quę apud hos fabros educata, exiguos lienes habent. Hac sola aqua, & capparorum esu, Anton. Beneuenius Florentinorum ciuem septennio splenis scirrho laborantem, se curasse gloriatur. Qua si dextrè usus fuisset, forsan auxiliares fidelis uicinus manus adhuc tibi porrigeret. Sed fata nos súsque déque ferre oportet, uale.

*De scirrho epatis & splenis hæc Gale. 13. Methodi.*

*Hydrops ex splene.*

*Hipp. lib. 2. de Mul. morb.*

*Locus aquæ hydropicorum intra peritoneum, & in omento.*

*Gale. hæc lib. 5. de locis affe. ca. 6. & 7. Aphor. 55. & li. 4. Aphor. 11. De omẽto, hæc Auicen. 13. tertij, et 14. tertij tract. 4. cap. 5.*

*Ascitis à splene et epate, eadẽ accidentia.*

*Cels. li. 7. c, 18. Hippoc. in lib. de Aëre et aq.*

*Difficilis spirationis et tussis in hydrope causa. Hip. et Gal. in prin. li. 2. Prognosti. & fine libri 2. de locis affect. Hippoc. lib. 2. Prognostic. Sitis hydropicorũ causa: ad Alex. li. 1. Proble. 79. explicatur.*

*Causas corruptæ sitis Galẽ. lib. 4. de caus. symptomatũ. & lib. 2. Microtech.*

*De dipsade hæc Alexã. Aphro. in fine li. 1. probl. Dios. li. 6. c. 49. Gal. de theriac. & Nicãd. in Ale.*

*Menses hydropicis sisti, Hippoc. lib. 6. Epidem. tradit.*

*Aquã in qua candens ferrũ extinctũ, spleneticis mederi, Cor. Cel. li. 4. capi. 19. docet.*

## DE STERILITATIS SCRVtinio, *& ueteri obstetricum officio.*

### *Episto.* XLIX.

Conquereris mihi duabus epistolis, nõ certè perfunctoriè scriptis, quæ acre tuum ostendunt ingenium, te ob uxoris sterilitatem, sine liberis uitam degere: qui tibi silicernio, ut ciconiæ parentibus eorum senio eneruatis, sustentaculum pręberent, & ἀντιπελαργοῦσιν, gratam beneficiorum remunerationem referrent, aut alimoniæ θρεπτήρια redderent. Deinde quòd uetus obstetricum officium in republica uestra exoleuerit, ársque illarum unà perierit, quæ non modo ægrè parturientibus opem ferebant, sed ut peritus agrorum colonus, qualem agrum quoduis semen poscit, optimè nouit: sic illæ tanquàm pronubæ in cõficiendis nuptiis, in confœderandis coniugiis, quam cuique ad generosæ prolis procreationem iugare oporteret, optimè callebant: quarum officium eo nomine institutum fuit, quũ crebrò in aliquo stemmate, ad quod sacerdotij uel regni dignitas spectabat, hæres desideraretur ob uxorum sterilitatẽ, ne tanta dignitate stẽma illud priuaretur, facto diuortio, aliam coniugem fœcundam in sterilis locum sufficiebant. Verùm quòd liberis te carere conquereris, temerè id quidem illorum hominum more facis, qui nunquam sua sorte contenti uiuunt. Nam si ex uxore tua liberos sustulisses, nescis, ut inexpertus, quanta sollicitudinum mole obrutus fuisses. primùm, ut enutritos rectè educares. educatos honesta dote elocares: deinde, ne ab auita stemmatis tui uirtute degenerarent, & lenocinio congerronum seducti, paterna bona multo sudore parta abligurirent. & mille alia incõmoda, quæ prudens prætereo: ut Euripidem rectè dixisse fatear, carere liberis bonum esse incognitum. quod Automedon hoc lepidissimo epigrammate approbauit:

ὀυδάμων

*De ciconiarũ pietate et gratitudine, Aelianus de Var. histo. Ambros. in hexam. Petrõ. Arb. in Satyr.*

*De ueteri obstetricum officio, hæc Plato in Theæteto. Gale. lib. 5. Aphor. 59.*

*Ex liberis solicitudo & ærumnæ.*

*Εὐδαίμων πρῶτον μὲν, ὁ μηδενὶ μηδὲν ὀφείλων.*
*ἔπειτα δ' ὁ μὴ γήμας, τὸ τρίτον ὅστις ἄπαις.*
*ἂν δὲ μανεὶς γήμῃ τις, ἔχει χάριν, ἢν κατορύξῃ*
*εὐθὺς τὴν γαμετὴν, προῖκα λαβὼν μεγάλην.*

Felix quidem primum, qui nihil debet: deinde, qui uxoris expers: tertiò, qui sine liberis est. Quòd si quis insaniens uxorem duxerit, gratia illi contingit ingens, si statim uxorem humauerit, & dotem acceperit uberē. Deinde scias, alteram obstetricum officij partē exoleuisse: artem uerò nondum nobis subductam, sed eruditis Hippocratis ac Arist. monumentis concreditā extare. Nam quæ uteri muliebris uitio steriles sunt, has diuinus Hippoc. suo oraculo ita perstringit: Quæcunque frigidos & spissos uteros habent, & quæcunque præhumidos uteros habent, non concipiunt: extinguitur enim in eis genitura. & quæcūque siccos, & magis adurentes. nam ex defectu alimenti corrumpitur semen. quæcunque uerò ex utrisque mediocrem habēt temperaturam, hæ fœcūdæ sunt. Vidésne Hippocratem eisdem rationib. matricis fœcūditatem, quib. agricola sui agri fertilitatem, metiri? Nam ut seminis fœcunditatem frigiditas, & agri spissitudo, ut emergere nō possit, coërcet: sic per angusta frigore inspissati uteri uasa, ad incremētum embryonis non nisi sanguis serosus perlabi potest, quibus nec secundæ aut cotyledones cum umbilico fœtus firmiter adnasci possunt: & perinde in uteris humidis genitura, ut in palustri solo cerealia semina extinguuntur & suffocantur. Et ut in agro sicco & calido defectu alimenti sementa marcescunt, sic arida matricis caliditate prolifici seminis humorē insumi & aduri par est. Necessaria igitur est ad fœcunditatem commensurata materni uteri & uirilis seminis temperatura. Nec tamē inficiamur, dispares in qualitatibus utriusque cōiugis intemperaturas, mutua actione corrigi, & fœcunditati non obstare. Vnde crebrò uiduas in primo coniugio steriles, aliis uerò maritis nuptas, leporibus (ut aiunt) fœcundiores uidimus. At quibus signis hæ sterilitatis causæ in mulieribus explorentur, Aristoteles, & ante eum Hippocrates, ea non celauit: qui mulierē pannis undiquaque circumseptam thuris, storacis, silphij aut cyphei, delicatissimo deorum in templis Aegyptiorum suffumigio, desubter suffire, in Aphorismis suis iussit: & si odor tum uideatur per corporis meatus internos, ad nares & os penetrare, tum mulierem id ex se ipsa, non sterilem esse, approbare. Et in lib. de Sterilibus, netopum unguētum, lana exceptum, obstetricem uti pessum utero imponere iubet: ac si subditi odorem per os manè olfecerit, mulierem fœcundam fore, & concipere posse affirmat. Aut (inquit) caput allij derasum & depurgatum, integrum ad uterum apponat: & si per os postridie olfecerit, concipere poterit. Atqui cum oculi spermaticis à cerebro poris affines, qui adeò coitu alterantur, afficiunturq́, ut geniturā emissuri plerique coniuere uel nictari cogantur: quid obstare poterit, ut illitis eorum cum unguento ex croco angulis, fœcunditatem, & an seminales pori obstructi sint, experiri non possimus? id quod certò fieri posse, Plin. naturalis historiæ autor testatur, dum ait: Fœcūditatis in fœminis prærogatiuam accepimus, inunctis medicamine oculis saliuam infici. At Aristoteles hæc de oculis, in libro de Animalium generatione, cùm uberius ac apertius declaret, ac in latina Theodori uersione, uerbū Extremum, pro Excremento, falso uel interpretis, aut potius chalcographi errore scriptum sit, libuit uerba Aristotelis græca adscribere: *τὰς δὲ γυναῖκας βασανίζουσι τοῖς δὲ προσθέτοις, ἐὰν διικνῶνται αἱ ὀσμαὶ πρὸς τὸ πνεῦμα θύραθεν κάτωθεν ἄνω, καὶ τοῖς ἐγχρίστοις εἰς τοὺς ὀφθαλμοὺς χρώμασιν, ἐὰν χρωματίζωσι τὸ ἐν τῷ στόματι πτύελον. ταῦτα γὰρ οὐ συμβαίνοντα, δηλοῖ τὸ σῶμα τοὺς πόρους, δι' ὧν ἀποκρίνεται τὸ περίττωμα, συγκεχυμένους ἔχειν, καὶ συμπεφυκότας. ὅ, τε γὰρ περὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς τόπος, σπερματικώτατος τῶν περὶ τὴν κεφαλήν ἐστι. δηλοῖ δὲ ἐν μὲν ταῖς ὁμιλίαις μετασχηματιζόμενος ἐπίδηλος μόνος. καὶ τοῖς χρωμένοις πλείοσι ἀφροδισίοις, ἐνδιδόασι τὰ ὄμματα φανερῶς. αἴτιον δ' ὅτι ἡ τῆς γονῆς φύσις ὁμοίως ἔχει τῇ τοῦ ἐγκεφάλου.* Id est, ut Theodorus uertit: Mulierum fœcunditatis probatio suffitu fit, ut odores subeuntes uterū, efferantur ad locum spirandi, & afficiant halitum atq; etiam illitu: ut colores oculis impositi, saliuam oris inficiant: nam nisi hæc ita fiant, meatus corporis, per quos* excremētum decedit, cōclusos, obseptos & obcæcatos esse significatur. sedes enim oculorum maximè omnium capitis locorum seminalis est: quod patet, cùm sola ipsa per coitum uenereum manifestè immutetur, & immodico rei ueneræ usu oculi apertè langueant & subsideant. Causa est, quòd natura genituræ similis cerebro est: aquosa enim materia eius est, & calor aduentitius. Et ne tibi molestus sim, multa utriusq; sexus sterilitatis signa consultò prætereo. unum tamen adhuc de galbano, pro colophone huic epistolæ adiiciam: quē si igni emollitum, sericóque inclusum, muliebris uteri stomacho nocte indideris, & caput mulieris purè lotum, linteolo & reticulo, inodoratis tamē, obligaueris, manè si uertex mulieris galbanum redolet, mulierem probè purgatam, & esse fœcundam ne dubites. Sed iurè dubitare posses, per quos nam meatus odor illorum ex utero ad olfactus organa & capitis uerticē spiraret. Et mehercule, nisi axungia porci genibus illata, uel alligata sapore, eius os ita imburet, ut exspui uideretur, & hydrargyri uirus etiam per se, & cuius axūgia potest esse uehiculum, cruribus aut plantis pedū inunctum, ad os & cerebrum regurgitaret: odorem aromatum à uirtute specifica, quæ in rebus dubiis est commune medicorum asylum, petere caput asseuerarem. Sed hos meatus, ueluti in Dædali labyrintho, imperscrutabiles, anatomiæ peritis explorandos relinquamus. Illud tamen plus quàm cēties expertus sum, in hystericarum & quauis uteri affectione, uerticem capitis, prope futuram coronalem, qua glaciei frigus & pondus se sentire fatentur, utero affecto, lege quadam consortij condolere. Quod si obseruaueris, ad discernendum, quando caput per matricis consensum doleat, tibi plurimum proderit. Vale: & de his omnibus securè periculum facere ipse poteris, & obstetricum opera in considerandis coniugiis melius carere potes: quarum officium quòd desierit, partim culpam in mulierum pudorem, partim in sordidam magistratuum stipendiorum parcitatem refero. iterum uale.

*Vteri qui steriles sint. Hippoc. lib. 5. Aphor. 62.*

*Vterus agro assimilatur. Hippoc. in lib. de sper. & fœt.*

*Hæc fœcunditatis signa Hippoc. lib. 5. Aph. 59. de morbis mul. li. 1. & in lib. de sterilib.*

*Ex oculis inunctis fœcunditatis examē. Pli. li. 7. c. 16. Hippocr. lib. de superfœt.*

*Obscurus Plinij locus illustratus.*

*Aristo. lib. 2. de gen. anim. c. 5. quæ Gentilis fen. tertia tertij Auic. canonis, tract. 1. c. 1. repetit.*

*De oculis hæc uberius Arist. sect. 4. probl. 2.*

*Sperma utile tertiæ digestionis excremētum, & maior pars eius à cerebro.*

**Aldi litera habet Extremū, sed malè, pro excremēto.*

*Ex galbano fœcunditatis signum. Hippoc. de superfœtatione & sterilibus.*

*De axūgia hæc Pli. lib. 28. c. 19.*

*Axūgia hydrargyri uehiculum in unguentis.*

*Vertex capitis matrici affectæ condolet.*

## DE VETERI BALNEARVM *fabrica & usu.* Epist. L.

Dispeream, si Romanorum luxus & deliciæ ullo in opere magis & clarius spectentur, quàm in magnificis balnearum fabricis: ob quas olim consules, ædiles, & Cæsares quoque, totos & solidos excauarunt montes, ut tam feruentem quàm gelidam aquam, per tubulos & eurypos in balnea deriuarent: quorum pauimenta uitreatis tesserulis, uersicoloribus lapidum crustis, cemento aut maltha compactis radiabant, quæ Græci à uariegato lapillorū colore lithostrata, & quòd cœnæ analecta non scopis con[...]ri, sed manu colligere, ac spōgia detergi oporteret, [...] mundiciē asarota appellarunt. Parietes sectili & o[...]misario marmorum genere, Phrygio, Carystio, & Porphyrite incrustati, ac statuis ex ære Corinthio conflatis, insertis quoque gemmis adornati fulgebant. Hęc pauimentorū pigmēta (ut prona sunt luxuriæ uitia) M. Agrippa ædilis, quāuis uir ingenio subrusticus, ut uulgi gratiā demereretur, in cameras suarum thermarū trāstulit: Vitreas dubio procul (inquit Plinius) facturus, si uitri usus tum repertus fuisset, ut ne in amœna prospiciendi locus deesset, porticus triplices miliarias, marmoreis suffultas colūnis, & ad pilę ludos trigona quoque balneis astruebāt. Quid uerò tibi argentea balneorum uasa & epistomia commemorem? quibus Ethruscum ciuem Romanum sua adornasse balnea, Papinius ita scribit:

Effulgent cameræ, uario fastigia uitro.
Nil ibi plebeium: nusquam Temesæa notabis
Aera, sed argento felix propellitur unda:
Argentóque cadit, labris nitentibus instat.

Qua uerò industria balneorum fabrica, pilis, columnis, cameris, apodyteriis, hypocaustis, præfurnio, miliariis, uaporariisque caldariis, & additis ad natandum piscinis, olim construebatur, Victru. in sua Architectura, & Palladius in sua Agricultura, ita obscurè uerbis depingunt, ut ne Dædalus, quamuis Vulcano adiutus, aut quantūuis nostræ ætatis ingeniosus faber, quamuis balneorum in Galliis & Romæ fragmenta, & uetus etiam illud in Hispaniis Granati, regum Mauritaniæ balneum, in arce Alhambræ uiderit, ad illorum normam construere possit. Taceo, quòd ægrè uel architectū aut grammaticum reperies, qui Suetonium intelligat, dum scribit, Neronem Cæsarem nouam ædificasse domum, tanta laxitate, ut porticus triplices miliarias haberet. Et quāuis iniuria tēporū & bellorū hæ balnearū ædes cōciderint,

*De lithostratis Nōnus poeta in Euangelio Ioannis.*

*Hæc Pli. li. 36. cap. 15. & 25.*

*Statius Papin. lib. primo Syluarum.*

*Victru. lib. 5. c. 10. Pallad. li. 1. tit. 39.*

*Balneū Maurorum in Alhābra Granati.*

ciderint, ita ut de illarũ fabrica potius diuinare, quàm exactè tradere aliquid quispiam possit: ut tamen præcepta ueterum medicorũ de balneis & gymnasiis melius assequi possimus, illorum partes & uasa tibi utcũque describã. Fuerant olim nõ in balneis modò, sed etiã in porticibus ac diuitum areis columnæ positę, nõ tantum ut ædificium sustentarent, sed etiam decoris & necessarii usus ergò constructæ: qualis erat aurea in capite Romani fori sub æde Saturni columna, miliarium aureum dicta, cui omnes Italiæ & Romanæ urbis ad singulas portas, numero 34. uiæ erant insculptæ. Et C. Gracchus postquã uias incussis lapidibus, & sabuli aggeribus inspersis strauisset, teste Plutarcho, dimenso uiarum spacio singulis miliariis, quæ octo ferè stadiis constabant, columnas lapideas, spacij signa præferentes, constituit: unde columnas nihil sustentantes, miliarias dictas arbitror. quales etiam olim in balneis prope solia, insertis ex ære aut plumbo tubulis, ut in horum anfractu, aqua substratæ fornacis feruore incalesceret, construebantur. Vnde Palladius: Miliarium plumbeum, cui ærea patina subesset, inter soliorum spacia forinsecus in balneis statuere iussit, fornace tamen subiecta. In quem usum, facere (inquit Seneca) solemus dracones & miliaria, & complures formas, in quibus ære tenui fistulas struimus, per decliue circundatas, ut sæpe eundem ignem ambiens aqua, per tantũ fluat spacij, quantum efficiendo calori sat est. Frigida igitur intrat, effluit calida. Ita quoque Empedocles, thermas igne sub terra cooperto incalescere credebat. In quib. uerò balnearia sine igne calefiunt, spiritus in illa feruens loco æstuanti infunditur: hic per riuos lapsus, non aliter quàm igne subdito parietes & uasa balnei calefacit. omnis enim frigida transitu mutatur in calidam: nec trahit uaporem euaporatio, quia clausa perlabitur. Veteres enim nec ignem, nec ad exitum fumi spiracula in cubiculis, sed conclauia zetas à ζέω, id est ferueo, dicta habebant: quib. hypocaustum suberat, in cuius pauimentum calida aut frigida pro temporis ratione aqua diffusa, illius uapor per meatus & tubulos parieti inclusos zetas calefaciebat. Vnde Paulus iurisconsultus, tubulos esse definit, per quos paries torretur. Habebant enim in domibus iuxta columnas balnearia, & præcipuè Lacones, ad sudandum hypocausta, ἀπὸ τοῦ ὑποκαίειν, id est, succendere dicta. Habebat enim hypocaustum sub pauimento locum uacuum, in quo ignis succensus, calidis uaporibus sudorem eliciebat: cui ex uno latere præfurnium, parua fornax adstructa erat: in quo ignis inclusus, partim hypocaustum calefaciebat, partim aquas. supra quam tria ænea uasa diuersis graduum fastigiis, ut aqua ex uno in alterum defluere posset, collocata erant. In superiori fastigio erat frigidarium, ex quo frigida: in medio tepidarium, ex quo tepida: postremò caldarium, ex quo aqua calida * hauriebatur. quantum enim aquæ calidæ à caldario exibat, tantum ex tepidario in caldarium, & ex frigidario in tepidarium influebat. Vnde Cicero: In balneariis inquit, hypocausta, in alterum apodyterij angulũ promoui: propterea quòd ita erant posita, ut eorum uaporarium, ex quo ignis erumpit, esset subiectum cubiculo. Erat apodyterium conclaue, ante balnei aut hypocausti ingressum, situm, ἀπὸ τοῦ ἀποδύειν, id est, exuere dictum, quòd balneaturi in eo uestes exuerent. Erat & aliud in balneis hypocaustũ temperati caloris, unctuarium dictum: quòd in ea homines ante & post sudorem & lotionem, pro diuersa corporis habitus ratione, inungebantur. Erat in publicis quoque balneis locus, à triquetra uel triangula figura Trigon, qui hyeme temperato calore tepebat, ne homines ad trigonalis pilæ ludum exuti rigerent, aut ludẽdo exerciti minus æstuarent. Pilæ uerò mentio, me quoque admonet pilarum, quas Victruuius & Palladius in balnearum structura describunt, quas alij esse sphæras ex stupa, pice, sulphure illita cõpactas contendunt, quibus in hypocausti præfurnium coniectis, ignis succenderetur, uel extinctus repararetur: quum tamen uterq; autor pilas balneorum laterculis argilla cum capillo subacta construi, non ex pice, iubeat. Proinde ego pilas fuisse puto, in superna uaporarij parte casulas, aut uasa concaua, in qua flamma à succensis piceis pilis, unde nomen obtinuerunt, reflecteretur. Quare uel utrumq; significare, non negauerim. unde Statius de Ethrusci balneis inquit:

Quid nunc strata solo referam tabulata? crepantes
Auditura pilas, ubi languidus ignis inerrat,
Aedibus, & tenuem uoluunt hypocausta uaporem?

Cameræ enim siue testudines alueolorum ex communi hypocausto calefiebant: nouo quodam inuento, ut Seneca ad Lucilium testatur: Quædam, ait, etiam nostra demum prodiisse memoria scimus: ut suspensuras balneorum, & impressos parietibus tubos, per quos circunfunderetur calor, quo simul ima & summa fouerentur æqualiter. Sed maior certè luxus in conficiendis piscinis à Romanis impendebatur, quas balneis ęstiuis ad septentrionem spectantibus astruebant. has Græci à natando κολυμβῆθρα appellauerunt, qualis piscina fuit Hierosolymis illa probatica, sed diuiniore usu ad curam ægrorum quinque porticibus uallata. At in istis inenarrabili impendio, marmore Thasio ac porphyrite constructis, & circunseptis, corpora natando exercebant, ac multa sudatione languida reficiebant, & corroborabant, quæ Paulus Aegineta ψυχρολοῦτρα, Sidonius à mergendo Baptisteria appellat. Vnde Plinius ad Apollinarem inquit: Apodyterium balnei laxum & hilare excipit cella frigidaria, in qua baptisterium amplum & opacum ingredior. In has piscinarias cellulas, ex fontibus, riuis, ac lacubus, per uarios euriporum anfractus & ductus, ueluti per męandros, aquam per fistulas unguenta & crocum redolentes deriuabant. Vnde Seneca ad Lucilium inquit: Vtrum sapientiorem putas? qui inuenit, quemadmodum in immensam altitudinem crocum latentibus fistulis exprimat, & qui euripos subito aquarum impetu implet, aut siccat? & Aelius Lampridius refert, Heliogabalum in euripis uino plenis nauales ludos Circẽses exhibuisse, nec unquam nisi unguento nobili aut croco piscinis infectis natasse. & Orosius Neronem tam effrænatæ luxuriæ fuisse prodidit, ut frigidis & calidis unguentis lauaretur. Et ut paulo clarius intelligatur, miliarium fuisse uas instar columnæ rotundum, altum, & angustum, ad quod fistula frigidaria dirigebatur, & ab hoc ad solium similis magnitudinis fistula procedebat, quæ tantum calidæ duceret interius, quantum fistula illi frigidi liquoris intulerat: in fine hic, de balneorum apparatu, corolarij loco uerba Palladij de enecandis aut capiendis inter aluearia papilionibus asscribam: Vas æneum, inquit, miliario simile, id est altum & angustum uespere inter aluearia collocemus, & in fundo eius ponamus lumen accensum. illic papiliones conuenient, & circa lumen uolitabunt, & angustia uasculi ab igne proximo interire cogentur. Et ne quid balnearum deliciis deesset, Sergius Orata primus pensiles excogitauit balineas: quarum illecebra, & lectulis pensilibus, quorum leni succussione uel morbos alleuiarent, aut somnum allicerent, Asclepiades medicus ęgros sibi deuinxit. at olim Troiani belli heroes & Romani consules, dum habenas totius terrarum orbis moderarentur, non in tam magnifico balnearum apparatu, sed in pyelis & asaminthis, id est labris & scaphis ex lapide aut ligno excauato factis, corpora labore fessa lauarunt. unde Homerus inquit:

ἐς δ' ἀσαμίνθους βάντες ἐΰξέστας, λούσαντο.
τοὺς δ' ἐπεὶ οὖν δμωαὶ λοῦσαν, καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ.

Vnde & Scipio, terrificum illud Aphricæ fulmen, fertur corpus suum rusticis & militarib. laboribus squalidum, in Linterno, sua in Campaniæ uilla, in exili balnei ergastulo abluisse. Et quum olim in ergasteriis Tyrrheni uniuersas corporis partes pilis obsitas raderent, ac Abantes, gens bellicosa, Euboiæ incola, ne capiendi ansam hostibus crine præberent, primi sinciput abradere instituissent, unde Curetes dicti: Romani tamen, quum primum psilothris, unguentis depilatoriis, pro nouaculis uterentur, serò tamen, nempe ab Vrbe condita anno 454. tonsores admiserunt, quos tum P. Ticinius Mena ex Sicilia primùm Romam adduxit. Cogitarunt sanè, barbam uiros decere, hirtásque in pectore setas. Tandem uerò auctis Romanorum opib. balneorum quoque luxus & deliciæ unà creuerunt, quibus uirile animorum robur eneruabant: sed corporis habitum pedotribæ, gymnastæ, his & palæstræ exercitiis, adhibitis frictionib. apotherapiæ inunctionib. olei & unguentorum in bona ualetudine cõseruare, & per insensilem pororũ euaporationẽ expurgare, & quaslibet corporis lassitudines curare apotherapia studebãt. Est namq; Apotherapia, & erat olim, omnis exercitationis probe peractæ pars postrema, quæ frictione & olei inunctione ante & post balnei ingressum fiebat: cuius

duo

*De hac miliari colũna Pli. li. 3. ca. 5. Sueton. ĩ uita Othonis, Plutarchus in Galbæ uita.*

*Miliares colũnæ unde dictæ.*

*Calefaciendi aquã & balnea modus. Seneca lib. 3 Quæst. natur.*

*Antiquorũ uaporaria, zetæ: de quib. Lãpridius in Heliogabalo.*

*Victru. hæc li. 5. c. 10. & Cornel. Cel. lib. 2. cap. 16. de Laconico sudoris balneo sicco.*

*Hypocausti structura, & præfurnij uasa, uide Pli. li. 5. in episto. ad Apollinarem.*

** In cellarum alueolos desiuebat.*

*Apodyterium in balneariis.*

*Hypocaustum unctuarium.*

*Trigon in balneis ad pilæ ludum.*

*Pilarũ in balneis descriptio.*

*Sen. li. 14. epistola 90.*

*De piscinis bal. et psychrolutia. Pli. lib. 5. ad Apollinar. & lib. 2. ad Gal.*

*Paulus Aegineta lib. 1. ca. 51. Pollux lib. 7. & Gal. lib. 3. salub. de psychrolutris.*

*Seneca lib. 14. epist. 90.*

*De unguẽ. & croci balneis usu.*

*Clarior miliarij notificatio.*

*Pallad. ca. 10. lib. 1. & lib. 5. ad fin.*

*Plin. lib. 9. ca. 54. & lib. 26. ca. 3. Macrob. 3. Satur.*

*Odyss. g.*

*Athen. lib. 12. Plutarchus in Theseo.*

*Plin. lib. 7. ca. 59.*

*Vetus balneorum usus.*

*Gal. lib. 2. & 3. salub.*

duo erant ſcopi, nempe excrementa corporis per halitum expurgare, & corpus à laſsitudine leuare, præcipuè quæ exercitiis ſucceſsiſſet. cuius pręcipua pars erat balneum, quo rectè adminiſtrato ab exercitio, frictione ſudorem & puluerem gymnaſiorum eluebāt, artus corroborabāt, induratos laxabāt. Vnde Homerus ſpeculatores à Troia redeuntes, laborèq; feſſos, ſudorem aqua marina abluiſſe, corpúſque oleo unxiſſe ait:

*Iliad.κ. & Athen.li.1.Dipnoſ.*

αὐτὰρ ἐπεί σφιν κῦμα θαλάσσης ἱδρῶ πολλὸν
νίψεν ἀπὸ χρωτὸς, καὶ ἀνέψυχθεν φίλον ἦτορ
ἐς ῥ' ἀσαμίνθους βάντες ἐΰξεστας, λούσαντο.
τὼ δὲ λοεσσαμένω, καὶ ἀλειψαμένω λίπ' ἐλαίῳ
δείπνῳ ἐφιζανέτην. Vnde nouerūt, inquit Athenæus, Troiani belli heroës λουτρὰ εἶναι ἄκη πόνων παντοῖα: id eſt, lauacra eſſe omnifaria laſsitudinum pharmaca: quas aqua marina, quę neruis maximè eſt accommoda, ſoluebāt, ac muſculorum diſtenſiones ἐμβάσεσι, lauacri inceſsione laxabāt. poſtea ne aquarum aſpergine corpora rigerēt, oleis & unguentis acopis inungebant: in quorum catalogo unguentum gleucinum, irinum, amaracinum, & abietinum cenſentur, & nobile illud ex nardi ſpicis unguentum, cuius libram diua Maria Magdalena in ſacroſanctos Christi pedes lotos effudit. Eadem ratione frigida loturi, ante balnei ingreſſum frictione, & olei inunctione (oleum enim corpus à frigore munit) & poſt exitum balnei curabantur. Sed annis uiginti quatuor natu minoribus pſychroluſia uti, id eſt frigida lauari, non licebat. Ob id meritò Galenus grauiter Germanos & Celtas increpat, qui (teſte Strabone) matris pudicitiam exploraturi, infantes nuper editos in Rhenū frigidum, uelut adulterij uindicē mergebāt, cuius uorticibus ſpurij ſuffocabātur: legitimo uerò thoro cōceptos Rhenus, intemeratæ pudicitiæ teſtis, trāquillo ſuſpendēs alueo, in tremulas genetricis manus ſubuehebat. Vnde apud diuū Gregoriū, Naziāzi epiſcopum, Nicobulus cecinit:

*Gal. lib.3. & 4.ſalub. & li. 2. ſim. medic. Cel.lib.1.c. 2. & 3. Dioſcor. lib.1.*

*Galenus lib.1. ſalub. Strabo lib.5.*

*Legitimi partus Rheno probati.*

ὡς νόθον ἐυγένεος ῥόος κριθέντα ῥέεθροις. id eſt,

Vt ſpurium generoſi Rheni iudicatum fluentis. Nec hi tantū, ſed & Lacedęmones quoque aqua frigida, quod Lacedæmonicum ceroma appellabant, puerorum corpora ad tolerandos æſtus atque algores obdurabant. Vnde Virgilius cecinit, ——Natos ad flumina primùm
Deferimus, ſæuóque gelu duramus, & undis.

*Lacedæmonicū ceroma.*

Id quod Lacones, id eſt Lacedæmonios feciſſe, Seruius tradit: qui & balneum ſudatorium ab eis Laconicum dictum aſſerit, quòd erat teſtudo ſiue fornacula ad hemiſphærij rotunditatem ex tegulis mammatis, argilla tomentóque cōpactis conſtructa, quæ incluſo igne per ſpiracula parua calefiebat, in qua (ut Celſus ait) ſicco calore ſudor eliciebatur, & in qua clypeus æneus catenis pendebat, cuius reductione & demiſsione (ut Victruuius refert) ſudationis tēperatura perficiebatur. At poſt Aſclepiadem mutata medendi ratione, ſub Antoninis imperatorib. dum Galenus medicinam profitetur, hæc balnearum publica ædificia, excepto apodyterio, quatuor caſulis conſtabāt: in prima non frigido, ut Auicenna tradit, ſed ingredientes calido aëri temperato obuerſabantur: qualis erat Cypri in metallorum ſcaptēſulis, ubi (inquit Galenus) ἐν ἁπάσῃ δὲ τῇ καταβάσει θερμασία χλιαρὰ παραπλησία τῇ κατὰ τοὺς πρώτους οἴκους τῶν βαλανείων, οὓς οἴονται προμαλακτήρια καλεῖν, id eſt, Erat in uniuerſo deſcenſu caliditas tepida, ſimilis calori primis in domibus balneorum, quas Promalacteria appellant. Primæ calore domus, corporis humores calefacti liqueſcebant: at adæquati, ut ſub cute rarafacta euaporare poſſent: deinde uncti & deterſi, in calidam ſecundę domus aquam deſcendebant, qua corporib. macilentis utilem madorem ingerebant. Ab hac in frigidam tertiæ caſulæ aquam ingrediebantur, qua totum corpus refrigerare, & cutim denſare, uiréſque firmare ſtudebant. In quarta domo corpus per ſudores expurgabant, & eos citra refrigerationis noxam, frictione & oleis detergebant. Habes mi fide Achates, ea quæ de ueteri balneorum fabrica, ex ueterum lectione & uſu, cōiectura aſſequi uerius, quàm demonſtrare potui. Quę uerò in maraſmo, & febribus tam putridis quàm ephemeris, curandis uſum præſtare poſsit, in aliud tempus differemus: quando & medicatas thermarum uires, & à mineris ſcaturigines conſcribere, nobis animus eſt. Vale.

*Victru. lib. 5. c.10. Cel. li.1. c.16.*

*Quatuor balneorum caſæ.*

*Gal.lib.10. Meth. Pli.lib. 5. epiſt. ad Apoll.*

*Error Auicennæ lib.1.fen.2. doct.2.c.19. de bal.*

*Prima Gal. lib.9. de ſimp. Med. & 3.ſalubr.*

*Secunda.*

*Tertia.*

*Quarta.*

## DE VETERI PALAESTRAE, ET *in ea balnearum ſtructura, ac olei & ſtrigmentorum uſu.* Epiſt. L I.

ID quod omnibus architectis, mi compater, accidere ſolet, qui ædificiorum amœnitate capti, uel ea inſtaurare, aut noua illis annectere non ceſſant: aut dum unum inſtaurant, alterum collapſum præter ſpem reficere coguntur: id quoque mihi accidit, qui dum ueterem balnearū fabricam meditor, en mox hac nedum abſoluta, altera ueterum palæſtrarum ſtructura, medico certè ſcitu æquè neceſſaria, ſeſe offert: quā tibi, quantum calamo aſſequi poſſum, libēs depingam. Scis nempe, principium omnium artium eſſe rude: at temporis ſucceſſu & experientia adaugeri, & excoli. quòd certè Medicina, omnium mortalium uoto expetita, ac toties immutata, indicat. Hanc antè & ſub Troiani belli temporibus Aeſculapius, & tandem eius liberi Machaon & Podalirius, ac celebris ille Achillis pręceptor Chiron, uulnerum medelis & pharmacia exercebant: ſolíſque his duabus partibus, nempe Chirurgia & pharmacia, tum medicina conſtabat: quarum alteram, nēpe pharmaciam, ſapientes Indorum medici, ut maleficam deſpuebant: ac tertiam eius partem διαιτητικὴν dictam, quę ſalubri uictus ratione abſoluebat morbos, impensè obſeruabant, quam ætate Homeri & apud ueteres Aſclepiadas non fuiſſe adeò excultam, Plato & Hippocrates teſtantur. Nam, inquit, de diæta ueteres medici nihil memoratu dignum ſcripſerunt, & tam magnam medicinæ partem prætererunt. At Hippocrates ex Coo inſula natus, ſuccenſo in Epidauro Aeſculapij templo, in quo pharmaca morborum longo uſu comperta, inſcripta erāt, ſibique cognita, hæc uelut è tenebris eruta, & ab igne uindicata inuulgauit, & his diæteticen, reliquáſque medicinæ partes locupletauit: ac lecto decumbētium medicinam, Clinicen dictam, inſtaurauit. Gymnaſticen quoque ſalutaribus præceptis breuiter, primus uerè cōſcripſit: quamuis Plutarchus Homerum in ſua rhapſodia omnes medicinæ partes inſinuaſſe cōtendat, Galenus tamen gymnaſticæ artis nomen Homeri ætate non extitiſſe, Thraſybulo indicat. Hæc exercitiis omnifariis, frictionib. apotherapia, balneis, inunctionibus, inculpatum corporis ſani habitum, quem Græci εὐεξίαν appellant, conſeruare, aut defectum inſtaurare, laſsitudines curare, & corpus ab excrementis ſubtercutaneis & muſculorū expurgare docuit: non certè poſtrema ſalubrioris medicinæ prophylacticæ, id eſt ſanitatis conſeruatricis parte. Nam ut medicus coco ſalutaria præſcribit fercula, ſic gymnaſtes pædotribis & athletis exercitij, frictionis balneorúmque modū dictabat olim. Hāc poſt Hippocratem ætate Pompeij Magni, blandiori balnearum penſilium frictionum ac geſtationum lenocinio, Aſclepiades adauxit, mutata ueteri medendi ratione. Et ne quid ad ſanitatis conſeruationem reliqui fieret, primum Gręci, deinde Romani, illorum in delitiis æmuli, incredibili impendio palęſtras conſtruxerunt: intra quarum duplices porticus, in medio Ephebeum, id eſt exedra ampliſsima erat, in qua rhetores philoſophi, & alij liberalib. ſtudiis addicti, ſedentes diſputabant. Huic à dextro Coriceum, deinde Conſterium, ab exuendis ueſtib. apodyterium dictum. ab eo in uerſura porticus erat, frigidarij cella, λουτρὸν Græcis dicta. Proximè uerò ad ſiniſtram Ephebei erat Eleotheſium, & alipterium Græcis, unctuariū Latinis dictum, in quo aliptæ athletas ungebāt, conſtructum. Hoc continuo ordine excipiebat frigidarium alterum, à quo erat iter in propnigeum hypocauſtum, & eius præfurnium, in quo carbones accenſi hypocauſtum calefaciebant. At è regione frigidarij introrſum erat concameratum ſudatorium collocatum, duplo ſua latitudine longius, quod habebat in uerſuris ex una parte Laconicū balneum, & ex aduerſo Laconici calidum lauacrum. Præterea erat in palæſtra porticus ampliſsima Xyſtus dicta, in qua athletæ hyberno tēpore ſub tectis ſtadiis exercebantur. & ne aliquid amœnitatis luxui deeſſet, erāt quoque intra duas porticus uiridaria ex platanis, lauro, buxo, acantho, roremarino, hedera & aliis arbuſculis, opere topiario in uarias animaliū ac nauigiorū effigies graphicè detortis, cōſita: quæ quoque xyſta dicebantur. Vnde Pli. ad Apollinarem: Ante porticum, inquit, xyſtus uiolis odoratus: & conciſus in plurimas ſpecies, diſtinctúſque buxo erat. At propè xyſtū & porticum duplicē, erant hypæthræ, id eſt ſub dio deambulationis loca deſignata, quæ Græci περιδρομίδας appellarunt: in quæ per hyemem ſereno cœlo ex xyſto athletæ prodeuntes exercebantur: quos prius frictione præ-

*Medicinæ principium, incrementum, ac partes. Cor. Celſ.lib. 1.in proœ. Pli. li.29.c.1. Gal. ad Eraſiſt.*

*Strab. lib.15. Hippo.li.1. de uictu acut. & de Diæt.lib.1.*

*Plutarc.in uita Home.*

*De gymnaſtæ officio Gal.ad Thraſyb. & li.2.& 3.ſalu.*

*Cel.lib.2.c.13. & Pli.lib.26. cap.3.*

*Palæſtrarū ſtructura, ex Victru. lib. 5. cap.11.*

*Ephebeum.*

*Coriceum. Conſterium. Apodyterium. Frigidarium. Eleotheſium. Alipterium.*

*Victru. li.6.c. 9.Pli.li.2.et 5. epiſt. ad Gallum & Apol.*

*Viridaria palæſtræ xyſta quoque dicta, in neutro & maſc. genere.*

*Peridromides deambulationis Hypæthræ loca ſub dio.*

paratoria, quæ modicè calefaciendo, tenues corporis meatus recluderet, excrementáq; intercutanea fluxilia redderet, solidásq; corporis partes olei unguine emolliret, ad colluctandum aliptæ pręparabant. Exercitatos uerò in balnearũ cellulas demittebant, egressos in alipterio frictione apotherapia curabant, quæ pluscula olei pinguitudine administrata, corpora humectabat: distenta relaxabat, & frictione uapores in habitu corporis detentos in halitum digerebat: & postremò, ne corporis robur nimium difflaretur, corpora athletarũ psychrolusia in frigidario, aut baptisteriis, uel piscinis astringebant. Et non athletas modò, sed quosuis labore, uenatione, peregrinatione fessos, ideo ea ratione curabant: quoniam exercitiis membra similaria exiccarentur, & colliquescerent: & ne uapores intra cutem & musculos coaceruati, lassitudinem aut musculorum distensiones parerent, aquæ dulcis lauacro & lubrica olei frictione corpora humectabãt, & subtercutaneas excrementorum reliquias euaporabant. His remediis gymnastes nõ macilentos modò habitiores reddebãt, sed paulo obœsiores, pro sanitatis ratione, macilentiores facere nouerant. Ad id Græcia solers, & omnis luxuriæ autor, magna industria ex oleo & terrarum puluere ceromata conficere docuit, & unguenta acopa, lassitudinum expultricia excogitauit. At non ex quauis terra, sed ut plurimum ex alba illa fullonũ cymolia dicta, aut illa pertenui ex Albano agro allata, aut Baiano puluere, qui iuxta ardentem montem Vesuuium colligebatur, constabat: his enim corpora fieri ad tolerandos æstus & algores firmiora, arbitrabãtur. Profectò nõ uulgarem esse unguinis ex oleo uirtutem, id celebre Romuli Pollionis responsum testatur, qui à diuo Augusto Cæsare rogatus, qua ratione uictus, illum corporis decrepiti ac animi uigorem centum annos illæsum cõseruasset? respondisse fertur, intus mulso, foris oleo. Et Democritus consultus, qua ratione quis sanus perseuraret? respõdit quoq;, si interno uiscera melle, externa uerò oleo irrigaueris, autor Pli. li. 22. ca. 24. Athenæus lib. 2. Dipnos. Oleo enim utebãtur, ꝙ natura mẽbra tepore foueret, & contra algores muniret, & ad agilitatem artus redderet lubricos. oleo uerò terrarum puluis, teste Hippocrate, admiscebatur, ut suo frigore & siccitate olei æstum & humiditatẽ temperaret. Vnde erat & Græcorum corporis exercitium, ἀλίνδησις dictum, quo oleo delibuti in puluere se uolutarent. Proinde nõ temerè Patrobius, Neronis libertus, magnis impensis tenuissimã Nili arenulã ex Aegypto, ad cõficiẽda athletarũ ceromata, Romã asportari curauit. Ob hũc luxũ Plinius excãdescens: De terræ usu in ceromatis, inquit, nõ Hercules magis dicturus sum, quibus corpora nostra inuẽtus exercẽdo, uires animorũ perdidit. Sagina quidem corporis, athletarũ ingenij acumẽ obtũdit. unde Gal. Thrasybulo scripsit, γαστὴρ ἡ παχεῖα τῶν νοῦν οὐ τίκτει λεπτόν: id est, Venter crassus ingeniũ nõ parit subtile: nisi, inquit, puluis solus sapientiã athletis donasset: aut quis suspicetur, lutum in quo uolutãtur, sapiẽtiæ esse opificẽ? uidẽs & sues in luto diuersari. Peractis itaq; in palæstra exercitiorũ ludis, ceroma de corporib. athletarũ oleo illitis, unà cũ sudore & cœno concretum, in balneis sudoriferis, strigili destringebatur. Vnde hę balnearũ sordes strigmẽti appellationẽ obtinuerũt. est enim destringere, lacinia, aut incuruata fricãtis manu, uel strigili, sudorulẽtas corporis sordes detergere. Et quãuis Hippocrates mauult spongia quàm strigili sudores in balneis abstergi, Menelaus tamẽ, aliíq; Græcorũ heroës, & Romanorũ proceres, cõuiuia ingressuri, corpus prius inunctũ & lotũ strigili ex auro uel argento facta, expurgabant. Nam & Arist. ait: ἀπρεπὲς γὰρ ἦν, ἥκειν εἰς τὸ συμπόσιον, σὺν ἱδρῶτι πολλῷ καὶ κονιόρτῳ. id est, indecorum erat sudorulentos & puluere conspersos conuiuium ingredi. Vnde Persius ait:

I puer, & strigiles Crispini ad balnea defer.

Et Strabo refert, Indos, & eorũ reges, corpora strigili ex ebeno facta abstersisse. Veteres quoque medici, solliciti morborũ exploratores, sudorẽ in balneis cõcauitate strigilis excipiebãt: ex cuius colore & sapore, qualis esset humorũ, in uenenoso uasorũ genere miscella, facilè dignoscebant. Nec adeò mirum, hęc olei in balneis, gymnasiorũ parietibus & statuis coaceruata strigmẽta, magistratus ludorũ octingentis sestertiis uendidisse, quum illorũ usus in depellendis morbis nõ esset uulgaris. Calefaciũt enim (inquit Dioscor.) quæ in balneis colliguntur olei strigmenta: molliũt, discutiũt, ani ragadiæ & cõdylomata his utiliter inũguntur. quæ uerò ex palæstris cõcretũ puluerẽ habẽt, cõcretis in digitorũ articulis nodis, coxẽdicísq; dolori, malagmatis uice imposita, prosunt. At quæ in gymnasiorũ parietibus, & illic statuis, unguinis sordes adhæserũt, panos ægrè suppurabiles disiiciunt, desquãmatis & inueteratis ulceribus quoq; accommodãtur. Erat præterea in palæstris terra athletarũ & deambulantiũ pedib. cõculcata, sudoréq; illorum uel olei aspergine irrigata, κονίσαλος dicta, quæ ferè eundẽ cũ strigmẽtis usum in molliẽdis & discutiendis bubonũ & lactantiũ uberũ, & aliis tumoribus præstabat. Cæterũ quũ rarò aliquod ædificiũ sine podij ad prospiciendũ appendice absoluatur, libuit & nostrę de balneis fabricæ, & hypocaustis, ex Plinio iuniore appẽdicẽ addere: unde clarius reliqua balnearũ ædificia prospici possint. Erat nempe hypocaustũ in thermis locus cõcameratus, cui præfurniũ (Gręcis propnigeon dictũ) annexũ erat, in quo succẽso igne hypocaustũ incalescebat: per cuius spiracula, ueluti per fenestras, calor pro tẽporis ratione etiã per tubulos & intra parietes fornaceos in cubicula, sudatoriũ, uaporariũ, & balnei cellas, subibat. Vnde Pli. ad Apollinarẽ: Cohæret, inquit, cubiculo hypocaustũ, & si dies nubilus est, immisso per angustas fenestras calore, uicẽ solis supplet, & suppositũ calorẽ, ut ratio tẽporis exigit, aut effundit, aut retinet. Erãt autẽ parietes fornacei, ex terra, & fornacũ modo intra duas tabulas infarcti lateribus crudis, ex albicante & cretoso solo in uere cõpactis circũsepti, imbribus, uentis ignéq; incorrupti, omníque cemento firmiores, per quorũ tubulos illis insertos ex hypocausto in ædificiorum cõclauia calor penetrabat. Erant in balneis tres, ut accepisti, cellæ, frigidaria, tepidaria, & caldaria: qua sola olim utebãtur, donec Ant. Musa, Cæsaris Augusti medicus, & eius frater Euphorbius, instituerunt, à balneis calidis, quas thermas appellabãt, corpora in baptisteriis, piscinis, frigidíq; lauacro rursum adstringi & corroborari. Vnde Plin. Thusculi, & Laurentinæ uillæ delicias Gallo suo prædicans: Inde, inquit, à cubiculo, balnei cella frigidaria, spaciosa, & effusa: cuius in cõtrariis parietibus duo baptisteria, uelut eiecta, sinuãtur, abundè capacia, si nare in proximo cogites: adiacet unctuarium, imò hypocaustum: adiacet & propnigeum: mox duæ cellæ magis elegantes, quàm sumptuosæ: cohæret & calida piscina mirifica, ex qua natantes mare aspiciũt. nec procul abest sphæristerion, in quo pila trigonali ludebant. His, mi compater, arbitror singula ueterum balneorum ędificia, & ueluti membra, absoluta: in quibus si ueterum more in hyeme hora planetarum inæquali & diurna, nona, in æstate uerò octaua laueris, postea ad uesperam mihi conuiua lautus eris: ubi tandem lactuca ex acetariis, & ouis sorbilibus, uinóq; saturum te mollis excipiet lectus. Vale.

*De duplici frictione Gal. li. 2. Salubrium. Cel. li. 1. ca. 23. & Paul.*

*Cur exercitati ungebantur oleo, docet Gale. prope finem li. 1. de simpli. medi. & li. 4. de loc. affect. ac Plutarc. in uita Homeri.*

*De gymnastis officio, Plato in 7. dialog. de repub. & Gale. de bono corporis habitu.*

*De olei et pulueris mixtura, hæc Hipp. li. 1. de diæta. Pli. li. 15. ca. 4.*

*Hippoc. li. 3. de diæta.*

*Alindesis in puluere.*

*Pli. li. 35. c. 13.*

*Crapula pinguẽ parit mineruam.*

*De strigmẽtis balnearum.*

*Strigilis in balneo usus.*

*Hippoc. lib. 3. Reg. acut.*

*Ante cõuiuia lauabant, & sordes destringebãt: Athen. li. 4. Dip. Home. Odyss. δ. Strab. li. 15.*

*Ex sudoris sapore et colore morbi cognitio: Gal. lib. 5. de locis affec. & li. 3. de causis sympt. et li. 10. de sal. med.*

*De pretio strigmentorũ, & usu, Pli. li. 35. ca. 13. Dioscor. lib. 1. cap. 28.*

*De terra Conisalo Gal. li. 10. de simplic. medic.*

*Podium, eyn außlade, erker.*

*De hypocaustis appendix, ex Pli. ad Gallum & Apol.*

*De parietibus fornaceis, Pli. li. 34. cap. 14.*

*Ordo ædificiorũ in balneis.*

*Sphæristeriũ.*

*Quibus horis diei ueteres balneũ indixerint. Pli. lib. 3. Epist. 1.*

## QVIBVS TRIA ILLA APVD HIPpocratem exercitia, acrochirismus, chironomia, & corycomachia, & alindesis constabant. Epist. LII.

FRustra quidẽ miraris, mi Nicobole, tam salutaria cõseruandæ & reparandæ sanitatis exercitia desiisse, cũ in horum usum magnis impendiis parata ædificia etiam corruerint, ut horũ uix nobis relicta uestigia, illorũ uerò nomina nõ facilè agnoscamus: quotus enim quisq;, obsecro te, medicorũ est, qui hæc Hippocratis de diæta uentriculi plus æquo calidi & humidi exercitiorum nomina ex integro intelligat? dum ait: ἀλλὰ τρῖψις μὴ πολλὴ προσαγέσθω. ἀλλὰ ὀλίγη, μηδὲ πάλη, ἀκροχείρησις, καὶ χειρονομίη, καὶ κωρυκομαχίη, καὶ ἀλίνδησις ἐπιτήδεια, ἀλλὰ μὴ πολλή. id est, Sed ne frictio multa applicetur, sed modica: acrochirisis, & chironomia, & corycomachia, & alindesis sunt accõmodata, sed nõ multa. De horũ nominibus quid mihi perspectum sit, te nõ celabo. Erant enim acrochiristæ, athletæ, qui citra corporis cõplexũ, summis tantũ apprehensis manibus, concertabant. Veteres Græci & Hippocrates, à scapulis ad extremos digitorũ ungues, brachiũ, cubitũ. et ipsam manũ, χεῖρα simpliciter appellabãt. & id quod à cubito ad extremã digitorũ apicẽ protẽditur, ἀκροχεῖρα, id est extremã manũ dicebant. inde ἀκροχειρίζεσθαι, est consertis tantum manibus certare. Vnde Posidonius libro Historiarũ 23. κελτοί, inquit, ἐνίοτε παρὰ τὸ δεῖπνον μονομαχοῦσι. ἐν γὰρ τοῖς ὅπλοις ἀγερθέντες σκιαμαχοῦσι, καὶ πρὸς ἀλλήλους ἀκροχειρίζονται. id est, Celtæ Galli aliquando à cœna singulare certamẽ committunt,

*Hippoc. lib. 3. de Diæta.*

*Gal. li. 1. Ana. & Hippoc. de Fracturis.*

*Verba Posidonii repetit Athenæus lib. 4. Dipnosoph. Celtarũ monomachia & acrochirismus.*

mittunt, aut inarmati umbratili pugna congrediuntur, & inuicem ſummis tantum manibus concertant. Erat & alia corporis exercitatio, à Cicerone palæſtra,

*Chironomia.*
*Quintil.li. 9. ac 11.*

ſed Gręcis à manuum geſtu chironomia dicta, qua pręceptores & Pędotribę ingenuos pueros motus geſtúſque corporis docebant, ne ſtatus corporis indecorus, aut manus & brachia ineptè proferrentur, & ne caput & oculi ab aliis corporis partib. diſsiderent, & pedes appoſitè proferrentur. Horum ignaros apalęſtritas nominabãt. Hac geſtuum induſtria Perſas, generoſæ indolis pueros exercuiſſe plurimum, & eorũ corpora quaſi

*Xenoph. in Cycropæd. & rep. Perſ.*
*Macrob. lib. 3. Satur. cap. 9.*

formaſſe, Xenophon autor eſt. Nec Cicero hanc geſtuũ & pronunciationis ſolertiam ab Aeſopo & ſuo Roſcio tragœdis diſcere erubuit, quem adeò attentè in theatro agentem ſpectabat, ut etiam in oratione ſua populum Ro. obiurget, quòd Roſcio geſtum agente tumultuarit. Hunc L. Sylla dictator aureo annulo donauit, cuius tãta apud ędiles fuit gratia, ut mercedem diurnam de publico mille denarios, ſine gregalibus ſolus acceperit. & Aeſopus ex pari arte ducenties ſeſtertiûm filio reliquiſſe traditur. Verùm cum hæc potius oratorũ quàm me-

*Altera chironomiæ ſpecies ſaltatio.*

dicorum interſint, alteram chironomiæ ſpeciem percẽſeamus, quæ læda ſaltationis ſpecies, à uaria & uerſatili manuum geſticulatione, chironomus quoque dicebatur. quam Hiſpanorum mulieres, in earum chorea, dũ digitorum ad pollicem alliſione obſtrepunt, referre ui-

*Corycomachia.*

dentur. Sed qualis lucta Hippocrati fuerit corycomachia, non ſatis liquet. Si Heſychio creditur, tum corycidium fuit olim concauum ex pellib. ſcutum uel inuolucrum, quod ſagittantes ſiniſtro cubito apponebãt. Erat

*Corycus.*

& corycos ciſtula pannaria, aut uaſculum, utri uel folli ſimillimum, ex pellib. conſutum. Fuiſſe quoque nauiculam, & lãceam, pleriq; teſtantur. Verùm ut credam fuiſſe follem grandem, qua in corycino balnei ædificio colluderent, ueluti pila, uerbis Galeni adducor. Supereſt, inquit, ut de exercitiis dicamus, quæ celeritate peraguntur, citráq; robur & uiolentiam. id genus ſunt, curſus, & umbratilis armorum meditatio, & cũ duo ſummis manib. concertant, ἀκροχειρισμὸς Græci uocant, tũ quæ per corycum & pilam exercitatio fit, utique cum à diſtãtibus & currentib. adminiſtratur. Alindeſin uerò fuiſſe in puluere uolutationẽ, prius diximus. Vnde & loca puluerulenta, in quib. equi ſe uolutabãt, ἀλινδῆθρα Græci nominabant. Si plura exercitiorum palæſtræ genera, & illorum nomenclaturas ac commoda ſcire deſideras, Iuriſconſultorum de his in Pandectis conſcriptas leges, & Galeni de ſalubri uictus ratione, & Plutarchi aliorúmque hiſtorias legito: quibus ſi te exercueris, ea corporis excrementa per inſenſilem ex poris halitum digeri, robur membris accreſcere, calorémq; naturalem, omnis concoctionis opificem, adaugeri percipies. Vale.

## DE ORIGINE ALCHIMIAE, DISTILlationis aquarum, & olei modis, ac illorum uſu. Epiſtola LIII.

Qvas tuus tabellarius nudiuſtertius attulit literas, fronte hilari excepi: quę impendiò probabant, quòd omne bonarum artium principiũ

*Ob quas cauſas artes incrementa non ſuſcipiant.*

eſſe rude dixerim. Sed cur nõ in noſtro hoc tam præclaris omnifarię eruditionis ingeniis fœcũdo ſeculo expolirentur, quærere uidebantur. Quibus facilè reſpondere poſſum, eſſe quoſdã uentricoſos lurcones, neſcio quib. Bacchi ſacris initiati, qui ueluti ignaui fuci mella api-

*Aegyptij aſtrologiæ & alchimiæ inuentores.*

bus, ſic iſti ſtipendia eruditis præripiunt, & cũ ſuis meretriculis abliguriunt: de malis quidem loquor, bonos omni honore dignor. Deinde cum contraria in eodem conſiſtere ſubiecto nõ poſsint, nil mirum, quoſdam in-

*Aegyptiorum aurea uaſa. Exod. 2. Hiero. in Epiſt. & Euſeb. de Præpa. euang.*

ertes aulę proceres, doctos ferre nõ poſſe. Deinde quòd uulgus, ſollicitus futurorum explorator, & percunctator, ac auidus lucri auceps, eas acceptat artes, quæ tam infirmis fulciuntur fundamẽtis, ut nihil duraturum diu, ſuperſtrui poſsit: quales ſunt uatidica illa aſtrologia, &

*Bellum Diocletiani.*

ſpe diues alchimia. quorum prima rudimẽta, Aegyptii primi omnium artium autores excogitarunt: ad quos

*Diocletianus libros alchimiæ cõbuſſit. auctor Suidas.*

ob id Pythagoras & Plato nauigarunt. & quib. nõ inepto ænigmate Moſes Aegyptum egreſſurus, populũ Iſraël aurea & argentea uaſa, id eſt reconditos ſcientiarũ theſauros ſurripere iuſsit. Magnas nempe arte chymica

*Oroſ. li. 7. ca. 16. & Paul. Diacon. in eius uita.*

opes ſibi parauerant. Vnde Diocletianus Cęſar, poſtquã Achillem Aegyptiorum ducem octo menſes in Alexandria Aegypti obſeſſum profligaſſet, omnes chymicæ artis libros, diligenti ſtudio requiſitos conflagrauit: ne reparatis opib. Romanis repugnarẽt. Nec ſanè chimia, χημεία, quæ metalla cruda in meliora transformat, adeò noua ars eſt: nec temerè poëtæ finxerunt, Iaſonem à Pelia patruo ex Theſſalia cum argonautis ablegatum in

*Aureum Colchorũ uellus, alchimiæ liber δέρας dictus. Suidas.*

Colchos, ad afferendum δέρας, id eſt aureum uellus, ab igniuomis draconibus cuſtoditũ, nauigaſſe: quod Medeæ aſtu acquiſitum, in Theſſaliam attulit. non erat ſanè δέρας uellus aureum, ſed liber, ut olim fieri ſolebat, δέρασι, id eſt pellibus cõpactus: in quibus ars conficiendi aurum cõſcripta fuit. Huius artis beneficio, metallorum formas ſubſtantiales, chymeutica quadam admiranda metamorphoſi tranſmutare ſatagebant. Ad id, illis aquis cauſticis, ex calcãtho & ſulphure oleis, ex metallorum mineris, ſalibus & pleriſque aliis empyreumatis, ſicco calore eliquatis, opus erat; quibus metalla diſſoluerent, & fluxilem Mercurii ſubſtãtiam fixam ſiſterent, ac elixir ſuum ab omni fæculentia expurgarent. Cogita, obſecro, quanto uel hodie ſublimatiõis ſtudio & impendio, ex optimo uino & omnibus terræ naſcẽ-

*De quinta eſſentia, Ra. Lullius.*

tibus, quintam eſſentiam, quam ſuum appellant cœlũ, Mercuriúmque uegetabilem, elicere per alembicum laborant. quam tandem, ut lento putredinis calore defæcatior reddatur, intorto uitrei uaſis inuolucro, aut pellicano Hermetis uaſe exceptum, in acinorum aceruos, uel olearũ recrementa, aut ſi diis placet, in fimo diutius quàm menſem recondunt. Tali quidem chymiſtarum

*Ex alchimia pleraq; pharmaca utilia.*
*Mercurij præcipitati puluis noxius.*

artificio pleraque pharmaca, aquas ſalutares & cauſticas ex aromatibus olea odorifera, leniterque edaces ex hydrargyro pulueres, putridi ulceris ſordes abſtergentes, quibus momento auri addito, temerè peſtis uirus expiare audent, & pleraq; alia magni in cura morborũ

*Serus diſtillationis aquarum uſus, & eius cauſa.*

uſus, cõfici poſſe non abnego. Sed cur ſtillaticii per alẽbicum aquarum liquoris uſus, tam ſerò à Græcorum & Arabum medicis acceptus ſit, admiratione non caret:

*Meſue & Actuarius primi aquæ roſarum & abſinthij meminerunt.*

quippe quòd ego ſciam, primus, ſed ferè etiam poſtremus Græcorum medicus Actuarius, aquę roſarum meminit, dum ait: Stillaticii roſarum liquoris, quem Rhodoſtagma nominant, libra una, cũ ſaccharo ferueat, donec euaneſcat. At inter Arabes Meſue, ſublimationis aquarum abſinthii & roſarum meminit primus: Aqua, inquit, ſublimationis abſinthii, fit ſicut aqua roſata, & ſimilia, quæ fiunt in uaſis ſublimationum. At poſtquam

*Raſis li. 7. ad Almanſ. cap. 5. & Auenzoar arg. uiui ſublimationẽ docent.*

Raſis, Serapio, & Auicenna, alchimiæ animum adiecerunt, tum illarum uſus ſero quidem, ſed propè nimis citò dixiſſem, in medicinã ideo irrepſit, quòd ſtillaticius ille ex herbis, ſtirpibus, radicibus, & aliis terræ naſcen-

*In diuerſis unius ſubiecti partibus uirtutes contrariæ.*

tib. liquor, longè à ſuorum parentum uirtutibus ideo degenerat. Certum enim eſt, terrę naſcentia cũcta ex diuerſis & ferè inſectilibus elementorum fruſtulis, uelut atomis, eſſe coadunata: ac in illis diuerſas & cõtrarias, ſub una tamẽ totius compoſiti forma reſidere uirtutes. Vnde illa decantata rheibarbarici radix aluum laxat, eandem aſtringit, & epatis obſtructiones tamen aperit. En roſarum ſuccus uentrem à cholera expurgat, quẽ illarum aqua & ſicca ſubſtãtia aſtringit. ſed uiciſsim illarum in unguibus amaritudo reſerat, pulmoniſq; ulcera conſolidat. Nunquid externa urticæ ſuperficies prurit, & urit: internus uerò eius ſuccus arteriis applicitus, febrilem cordis æſtum infrigidat? nũquid & quotidie uidemus, ex eadem uenæ ſubterraneæ minera in

*De mixtura compoſitorũ, lege Ariſto. li. 4. Meteoror. & Alexand. Aphrod. in lib. de mixt.*

furnibulo diuerſa plumbi, argenti, uel cupri & auri ſimul eliquari metalla? quorum tamen nõ parua pars in fumum reſoluitur. Quum igitur fæculentiores partes in fundo alembici ſubſideant, aëreæ uerò in ſpiritus fathiſcant, ac humidiores cooperculi frigore ingroſſati, ex illius alueolo in ſubiectum uaſculum guttatim deſtillẽt: nihil certè mirum erit, in ſtillaticio aquarum liquore aliarum partium uirtutes, odores quoque, & ſapores,

*Hæc Meſue de ſimplicib. cap. 11.*

paucis exceptis, deſiderari, ac immutari. unde Meſue: Aqua, inquit, roſarum, per ſublimationem facta, multũ roborat: nec tamen ut illarum ſuccus, uel per infuſionẽ recentium dilutum purgat, quia ſubtilis earum caliditas eſt igne diſſoluta: adde quòd recondita formæ ſpecificæ uirtus, ut in magnete, colocynthide, & ſcammonea, & aliis, per totam æqualiter ſui ſubiecti ſubſtantiã diffuſa, diſperditis aliarum ſubiecti partium uiribus, ſuum robur retinere non poteſt, quin illius actio quo-

*Quare aqua laxatiuorum diſtillata non purgat.*

que diſpereat. unde aqua per alembicum de colocynthide aut rheobarbaro extracta, aluum ſubducere nequit: quum tamen illarum dilutum, in quo ſaltem aliquot horas macerantur, id facilè præſtabit. Non certè quælibet forma, ſua uirtute illæſa, in quouis mixto &

*Vitiato subiecto, & eius formæ uirtutes uitiantur.*

ἰχῶσι, aut temperatura subsistere potest. Nil igitur mirum, aquas, præcipuè sicco empyreumatis calore destillatas, à suorum parentum uirtutibus degenerare. Quod certè plus doctos quàm imperitos terruit medicos, effecitque ut illarum usum serius acceptauerint. alii uerò, ut illarum defectum resarcirent, uarios per uaria organa distillandi modos excogitarint.

*Distillationis definitio.*

Est enim distillatio, humoris per calorem in uaporem resoluti, ac frigore rursum inspissati eliquatio. Si enim absque calore solis, ignis, aut putrefactionis fit, nempe per licium, penicillum, spongiam, uas figulinum crudum, humoris expressio, aut per cyssimbium, uasculum ex hedera factum, relicta intus aqua, uini per poros resudatio, non propriè distillatio appellatur:

*Cyssium uas hederaceũ, per quod uinũ desudat: autor Cato.*

*Florum calore solis distillationis prima species.*

sed dum ex uase uitreo super arenam posito, ac floribus referto, aprico solis calore in aliud oblongum humor elicitur, hunc tum distillare rectè dicimus. Si uerò de uase fictili, stanneo, aut uitreo, supra furnibulum posito, ac fundo eius arena uel cinere ita circumsepto, ut collum eius instar cucurbitæ oblongum, capitello rostri oblongi simili naso resimo coopertum promineat, ignis succensi calore uaporulentus humor extenuatus, & rursus frigore capitelli & aëris ambientis ingrossatus, in ampullam rostro capitelli appensam guttatim defluxerit, id quoque distillationem appellamus.

*Secunda per ignis calorem distillatio.*

*Caloris ignei differẽtias Macrob. in fine li. 7. Satur. recẽset.*

Sed habenda est ratio uel maxima, ne ignis de lignis semiputridis graueolentibus, aut prunis in scrobe suffocatis, aut carbonibus de terra erutis, quos λιθάνθρακας appellant, succensus, suo uirulento uapore uasa distillationis inficiat, & liquores coinquinet.

*Carbones fossiles Misnæ & in Aquisgrano habentur.*

Quàm noxius enim horum uapor sit, cubicula, & hypocausta, & balnea his calefacta testantur: quæ in his diuersantes, non ferendo capitis dolore affligunt, uomitúque & lipothymia prosternunt: id quod in balneis Oenosponti ipse cum illustrissimo principe Palatino grauiter expertus sum. Vnde Galenus meritò redarguit Erasistratum, qui ob aëris densitatem aut subtilitatem perire arbitrabatur inhabitantes, τοὺς ἐν χαρωνίοις βαράθροις, καὶ τοὺς ἐν τῇ νεωστὶ κεχρισμένους οἰκίας τιτάνῳ, καὶ τινὸς ἐξ ἀνθράκων ὀσμῆς. id est, pestiferos in Charone barathros, aut domos nuper calce oblitas, aut carbonum odores: quum potius noxia horum qualitate uaporis interirent.

*Gal. libro 7. de util. particularum hæc.*

Verùm in hoc distillationis genere, etiamsi ea quæ natura sunt frigida, solatrum, intybus, lactuca, & id genus, distillentur: empyreuma tamen, id est calorem siccum accidentarium, uelut adusta concipiunt. de quibus Galenus ait, τελέως δὲ ψυχρὸν οὐδὲν καυθέντων ἐστίν. ἐγκαταλείπεται γὰρ αὐτοῖς, οἷον ἐμπύρευμά τι καὶ γὰρ οὕτως προσηγόρευσε Ἀριστοτέλης. id est, Adustorum nullum perfectè est frigidum: relinquitur enim in eis igneitas quædam, quam Aristoteles empyreuma appellauit.

*Empyreuma aquis stillatitiis relinqui.*

*Gale. libro 9 de simpl. med.*

*Aristot. libro 2. de partib. animal. cap. 2. circa finem.*

Sic atra bilis quoque, quamuis terrestris & natura frigida, quæ ex sanguine adusto gignitur, caloris non est expers: æquè ac cinis, & acetum.

*Atra bilis, cinis & acetũ, calore participant. Gal. li. 6. de caus. sym.*

quare peritiores chymistæ, ut ille caloris feruor mitescat, & quasi mulcebrior fiat, minúsque uires euaporent, uasis in aquam feruentem suspensis, quam balneum Mariæ uocant, distillationem hanc moliuntur, quam à priscis Græcorum myropolis didicerunt, qui ob easdem causas olea, unguenta, ex nardo, spica, lasere, aut folio odorifera, in diplomate, etiam sub dio sereno, lignis ἀκάπνοις, id est non fumantibus, & carbonib. prius incendio purgatis, leniter decoquebant.

*Balneũ Mariæ, & decoctio in diplomate.*

*De coctione in duplici uase, hæc Gal. li. 7. de cõ. phar. part. & lib. 4. salubr.*

Qua ratione etiam medicamenta arteriaca, & stomatica, quæ uulgus Arabicè Loch appellant, quoque olim decoquebant. quod Galenus scitè his uerbis, quæ ob Atticismi lepôrem adscribam, inquit: διὰ διπλώματος ἕψων, ὅπερ ἐστὶν ὑδὶ ἀγγείου διπλοῦ, καθάπερ μυρεψοὶ τὰ μύρα σκευάζουσιν, εἰς μέγαν τινὰ λέβητα θερμὸν ὕδωρ ἐγχέοντες, δεύτερον ἐνιστάντες ἔχοντα ἐν αὐτῷ τὸ ἑψόμενον φάρμακον, εἶτα προδιακεκαυμένοις ἄνθραξιν ἢ ξύλοις ἀκάπνοις ὑποκαίοντες.

*Loch in diplomate coquenda.*

*Tertia distillationis species calore putred.*

Est & tertia quoque distillationis species, quæ fit uasis distillatoriis medicamento refertis, & in acinorum aceruo aut olearum recrementis, uel fimo obrutis. Horum enim calore putredinali, de medicamentis diu in uase aliquo olei uel uini ardentis liquore maceratis, chymistæ suam quintam depurgãt essentiam, ac salutares instaurandæ iuuentutis & prorogandæ uitæ aquas, & nescio quæ non depultricia pestis ac ueneni pharmaca alexiteria elicere promittunt: quib. ut ab auro nomen imponunt, ita auro quoque compensari ea uolunt. Hanc uerò distillationis rationem plerique medici eruditione & rerum peritia clari, ob caloris putredinem & fœtidam fimi euaporationem, qua pharmaca infici uerentur, abhorrent: quippe ἀεὶ γὰρ ὀλέθρια τὰ δυσώδη, id est, fœtida esse semper perniciosa.

*Adagiũ Galeni, ex secundo in tertium Epid. Hippoc. librum commentario.*

Verùm hi non perpendunt, ea de uasis putrefactionis exempta, dum tandem per alembicum destillantur, ab hac putredinis contagione expiari, cùm ignis calor ueneno resistat, & id corrigat. Nam & Hera ex Cappadocia medicus, medicamẽti sui stypticitatem correcturus, id tres menses sub terram defodit, & quasi computrescere sinebat: eo ingenio medicamenti substantiam fieri λεπτομερεστέραν, id est, subtiliorum partium, credebat.

*Distillationis per calorẽ putredinis correctio.*

*De medicamento Heræ, Gal. de comp. med. part. & gener.*

Hæc uerò destillationum genera, ob uaporum in sublime ascensum, Sublimationes rectè dicuntur. At est alia apud chymistas, per descensum Alberto dicta destillatio, qua olla uitreata, in scrobem terræ defossa, huícque alia medicamentis referta, in fundo foraminib. pertusa, inseritur, terráque obruuntur: supra quam lignis siccis (ἀκάπνοις) accensis, medicamenti liquor per ollæ fundi foramina in ollam inferiorem destillat & descendit: qua ratione plerique oleum ex assulis lignorum iuniperi, & aliorum, conficiunt.

*De distillatione per descẽsum, Alber. in lib. de recta alchy. semita.*

Ferè iam colophonem huic epistolæ addidissem, nisi prius hoc problema explicandum occurreret: nempe ob quam causam iura caponum, & alia pinguia, quum sint fluxilis & aëreæ substantiæ, ægrè sublimentur? An quòd pinguedo supernatans, humori subiecto pelliculam inducit, per quam subditus humor uix euaporare potest? sic oleum uino aut aquis odoratis affusum, ea exhalare non sinit: & raphanus quoque oleo comestus, de uentriculo eructationes, quas solet, ciere non potest.

*Quare pinguia ægrè sublimantur.*

*Raphanus cũ oleo non eructuat.*

Ita tibi, quàm breuissimè potui, uetustam distillationis & alchymiæ originem recensui: cuius artis perfectionem si quæsiueris, eius ministri ut plurimum fugitiui, pro carbonibus cineres, pro metallis & auro cinerum fauillas micantes, tibi in furno relinquent. Vale, & caue.

*Alchymia imperfecta.*

## DE SIRIASI, FEBRILI CAPItis infantium ardore, & cordis à cerebro æstu & refrigerio. Epistola LIIII.

GAudeo certè ex animo, optime Patrocle, patronorum meorum uerè gloria & decus præcipuum, & gratulor, ex eleganti uxore tua elegantiorem tibi natum esse puerum Theodorulum, id est Dei donum: quem tamen siriasi contabescere. conquereris. Itaque ne inscitia empiricorum, & obstetricum temeritate, tam præclarum coniugii pignus pereat, quid sit, & unde nascatur siriasis, & quibus remediis extirpetur, paucis declarabo. Hic morbus, etsi non rarò post pleiadum occasum, cum capita destillationib. pituitæ exercentur, præcipuè tamen Sirio ardentis leonis astro effulgente, & (ut Statius ait) dum calido latrauit Sirius astro, infantium corpora infestat, inflammatione circa cerebri membranulas, ex putrescente illic coaceruato pituitoso sanguine oborta, cui subest leuis febriculæ feruor, quem Plin. ob id capitis infantium ardorem rectè appellat, græcè uerò σειρίασις ἀπὸ τοῦ σειριάομαι, id est, inflammor & exiccor) dicta, cuius symptomata ob eius feruoris siccitatem, sunt, sincipitis & oculorum cauitas, pallor, & totius corporis ariditas, & cum insomniis, uigilia, ac ex choleræ impetu per feruorem ex acerbitate diarrhœa.

*Stat. li. 1. syl.*

*Pli. li. 20. c. 3.*

*Paul. Aeg. li. 1. cap. 13.*

Nosti sanè, in capitib. puerorum largiorem coaceruari pituitam, quæ æstu recalescens, membranas cerebri feruefacit, somniferósque dissipat uapores. Vnde Alex. Aphrod. uerus ille à philosophia medicus ait: ἡ πύρωσις δὲ διὰ τῶν ἀρτηριῶν κατιοῦσα πρὸς καρδίαν, καὶ ἐκπυροῦσα τὸ ζωτικὸν πνεῦμα, πυρετὸν ἐξάπτει, τὸν χωρὶς σήψεως. καὶ ἐκχολούμενα δὲ ὑπὸ τοῦ πυρετοῦ διαῤῥίζεται λόγῳ φθορᾶς, id est, ut Theod. Gaza uertit: Feruor deinde per arterias descẽdens ad sedem cordis, & spiritum uitalem feruefaciens, febrem sine putredine accendit. At uerò bilis per febrem adaugeri solita, aluum mordens, profluuium uentris mouere potest.

*Alex. Aphro. li. 1. probl. 96.*

Causam enim & originem mali esse in cerebro, inde accipimus, quòd omnia infrigidantia, ut oxyrhodinum, succus solatri hortensis, cucumeris, sincipiti, fronti, temporúmque arteriis, cum otthoniis applicati, hunc siriasis feruorem extinguunt: id quod & cucurbitæ ramenta, domesticæ præcipuè præstant. Vnde Diosc. κολοκύνθης, τὸ δὲ ξέσμα αὐτῆς παιδίοις σειριῶσιν ὠφελίμως κατὰ τοῦ βρέγματος καταπλάσσεται. id est, Ramenta cucurbitæ contra capitis infantium ardores, quos siriasim

*Diosco. lib. 2. cap. 120. & libro 4. cap. 65.*

uocant,

uocant, utiliter emplastri modo syncipiti imponuntur. Hunc uerò feruorem à capite per arterias ad cor defluere, id certiss. argumento est.

*Vrticæ succus siriasim puerorum curat.*

Nutrici prius diæta frigida & humectante indicta, postquam urticas in mortario contusas, addito momento unguenti διὰ αἰγείρυ, quod populeon uocant, arteriis temporum ac metacarpii applicueram: singulis uerò quaternis horis innouaram, ille siriasis feruor plus minus biduo extinguebatur citius. Quandoquidem his argumentis, & Alexandri testimonio, Galenus conuinci potest, cor ipsum cerebri feruore incalescere, uidemus quoque, cum pituita aduentitio cerebri calore liquefacta, supra corporis molem destillat, febrem ephemeram in spiritib. cordis succendi.

*Gal. lib. 8. de usu part. reprehēdit Aristot. dicentem, cerebrum ob cordis refrigerium esse factum.*

*Aristotelis à Galeni calūnia defensio.*

Proinde dic quæso Galene, quid obstare possit, quamuis cerebrum ut sacra Palladis arx ingenii & sensuum domicilium, in sublimiori corporis loco, uelut in specula, ob sensuum organa collocatum, longo interuallo à corde distet, ut non congenito eius frigore, etiam natiuum cordis calorem temperare possit? Quippe quum calor naturalis, cuius cor est infurnibulum, opera naturæ promouere non possit, nisi pro formæ specificæ ratione contemperatus fuerit: Natura, inquit Aristoteles, idcirco aduersus cordis sedem & calorem cerebrum molita est, quod calorem feruorémque cordis moderatur, & temperiem affert.

*Hæc Arist. li. 2. de partib. animal. cap. 7.*

Non quidem hæc scribo, ut tanti medicorum principis autoritatem eleuare uelim, sed ut ueritati patrociner: simúlque ostendam, neminem in omnibus, nec horis omnibus, sapere. Galenus certè mihi non persuadebit, aërem per pulmonem inspiratum, aut per arterias pulsatiles cordis diastole attractum, quouis tempore & in quauis regione suo refrigerio, nisi & cerebri tepor conspirauerit, cordis æstum satis contemperare posse.

*Scita lunæ & mediæ aëris regionis in macrocosmo, cū cerebro in microcosmo cōparatio.*

*Aristot. lib. 2. Meteor.*

Ideo cum in macrocosmo terra quoque solis calore siccata & calefacta, solo ex aëre uentorum flatu refrigerari non posset: à natura in sublimi constituta est media aëris regio gelida, quæ uapores de terra & undis in altum sublatos, suo frigore in pruinam aut imbres congelaret, & harum aspergine terram irrigaret, & nocturno lunæ frigore refrigeraret: ita quoque natura, sapiens omnium, & præcipuè in humani corporis fabrica, architectrix, in capite cerebrum frigidum, ueluti lunam, in sublimi collocauit, ut alteratis suo frigore spiritibus per arterias cordis, ueluti luna & media aëris regio, solis æstum: sic quoque cordis feruorem in microcosmo temperaret. Sed de his satis, superque.

*Mortuis non maledicendū, Plin. uterque: hic in prologo, ille in 1. epistola libri 2.*

*Plutarch. in uita Solonis.*

Noui quidem, quàm indecorum sit mortuis conuiciari. Græcorum enim adagium est, οὐχ ὅσιον φθιμένοισι λοιδορεῖν. & Plancum tradunt Pollioni respondisse, cum mortuis non nisi laruas luctari. Solon quoque lege cauit, ne quis in defunctos maledicta coniiceret. Ego quoque, quantum fert ueritas, nec uiuis nisi coactus, uel lacessitus, obtrectare soleo. Noui tamen quoque esse sanctum & pium, pro iustitia, pietate & ueritate, ac salute proximi, tanquam pro aris & focis depugnare. Proinde miseret me puerorum, & tui Theoduli, qui solo uagitu & lacrymis supplices medicorum & matris opem implorant: quos medicorum auxilio destitui, uel eorum ignorantia perire, esset quidem facinus flagris dignum. Ne id accidat, Auicennæ de puerorum siriasi errorem detegere cogor.

*Ga. li. 8. anatom.*

*Auicenna salutaria cū lethiferis confundit.*

Vtinam uerò (quod & Galenus noster optat) ne quis nisi propria inuenta, & à se experta, conscribere auderet: tum profectò Auicenna nec uastum illum canonem aliorum inuentis, nec quidem ab eo, nedum ab eius interpretib. intellectis, ex Rase, Galeno & Aegineta locupletasset: nec salutarium herbarum descriptiones, cum lethalium miscuisset, & permutasset: aut omnia apostematum genera pestifera, cum minus noxiis, illorúmque curas & nomina, magno mortalium periculo confudisset.

*De erysipela cerebri, Auic. li. 5. fen. 1. ca. 5. ubi siriasim esse cerebri erysipelam falsè docet.*

qui omnia à Rase & Paulo Aegineta de infantium siriasi conscripta, in capitulum de Erysipelate cerebri ad uerbū congessit, ac erysipelas in cerebro esse definiuit. Sed quis nescit, Siriasim capitis ardorem cum erysipelate ex diametro pugnare? Siquidem est erysipelas ex flaua bile circa ceruicem, uterum, crura, & alias quoque corporis partes, cum inflammatione abscessus, aut ut Græci dicunt, ἔρευθος διάπυρον μετὰ φλογώσεως. qui si partem affectam exulcerauerit, tum & nomen naturámque herpetis esthiomeni sibi uendicat, & cum febre ephemera non rarò coincidit.

*Gale. lib. 14. Metho. & ad Glauc.*

*Hipp. lib. 7. Aph. 51.*

Verùm si cerebrum, ut Auicenna arbitratur, obsederit, febre ardentissima corpus affliget: & ut cerebri sphacelus, id est morticinium, tertio ægrotum die perimet ut plurimùm. quorum singula siriasi non competunt. Nam siriasis longè est erysipelate mitior capitis morbus & ardor, qui sanguine pituitoso uel ipsa pituita circa panniculos cerebri putrescente, ac spiritus in arteriis inflammante, cum leui febricula, ut plurimum in æstatis feruore, infantibus accidit: adultis uerò his, quibus, ut Alexander Aphrodisæus ait, ἐν κεφαλῇ φλέγμα ἢ ξανθὴ χολὴ βραχὺ σωρευθῇ, ἢ διασαπείη, καὶ διὰ τὸ εἰσπνοῆς δὲ καὶ τὸ πυρώδης ἀὴρ τὰ πνευματικὰ ἐκπυροῦται. id est, Accidit etiam firmæ ætati siriasis, cum pituita redundat in capite, aut flaua bilis parumper colligitur, uel etiam putrescit, & per inspirationē aërei feruoris, spiritualia calore febrili incenduntur.

*Alex. Aphro. li. 1. probl. 96.*

*An eadē sint Erysipelæ & Siriasis remedia.*

Sed uideo quid tibi obstet, quo minus mihi assentiaris: nempe quòd ea remedia, quibus Dioscorides & Paulus Aegineta siriasis feruorem extinguunt, cum frigida sint & humida, erysipelati morbo calido & sicco, æquè censes profutura: ob idque eundem quoque esse morbum suspicaris. Sed falleris, certè falleris. Ratione enim concoctionis morbi, quæ (ut Galen. ait) est alteratio faciens cessare putredinem, remanente substantia, eadem exigunt medicamenta: si sanè frigida prædicta sincipiti, arteriis temporum, & metacarpii ac frontis, in quarum conceptaculis calor siriasis delitescit & feruet, tum extincto uel alterato in panniculis cerebri & arteriis calore externo, qui putredinem incendere potuisset, certè eam iam prohibuisti, & morbum concoxisti.

*Gal. li. 3. artis paruæ.*

Hoc idem eisdem remediis in erysipelatis cura præstare poteris. Sed quantum ad causam & morbi substantiam spectant, longè diuersis opus est remediis: quæ morbi substantia, & interna illius causa, tibi indicabunt. Atque utinam hæc neoterici nostri seculi medici, qui de puerorum morbis scripserunt, quos Auicenna suis errorib. implicuit, perpendissent: tum fortasse puerorum saluti, & tuo Theodorulo melius consultum foret: quem Deus tibi, ut spero, breui sospitem reddet. Vale.

## AN PRANDIVM COENA *frugalius esse expediat.* Epist. LV.

QVid Romani imperii proceres in Augustanis comitiis, de Magdeburgensium expugnatione decreuerint, nondum diuulgatum est. Verùm illud te latêre nolo, plerosque ducum ac Cæsareæ maiestatis archiatros illic apud pharmacopolam Schelleberger conuenisse, & cum datis dexteris alter alterum plurima salute impertiisset, tum unus illorum infit: Dextræ iunctæ amicitiam spondent. & quandoquidem conuiuium esse amicitiæ philtrum, à teneris audiui, expedire ad amicitiæ confirmationem, ut collatis symbolis, unà apud pharmacopolam cœnaremus. Tum alius, ut unà potius pranderemus, suadebat. nam tolerare, inquit Auicenna, famem, stomachum malis replet humoribus. Tum ego: Prandendum quidem sobriè, cœnandum uerò esse liberalius, aiebam. Tum omnes, Auicennam & Conciliatorem Petrum de Appano aliter statuisse, uno ore testabantur.

*Auicen. fen. 3. li. 1. Conciliator differ. 111.*

*Athen. lib. 1. & Suid.*

*Quatuor Græcorum comedēdi tempora.*

At ego id eos contra Hippocratis & Galeni decreta, & uetustissimam nec minus salubrem heroum Troiani belli uictus rationem, præcipere aiebam. Verùm quibus testibus & rationibus id asseruerim, paucis accipe. Nempe si Philemoni creditur, Troiani belli temporibus Græci experrecti utebantur manè ἀκρατίσματι, id est ientaculo, frugi quidem, quod à surgendo διανίστημον appellarunt. Deinde uerò ab ortu solis hora diei tertia ἀρίστῳ, id est prādio. ad uesperam uerò ἑσπερίσματι, id est merenda. deinde post solis occasum δείπνῳ, cœna utebantur: quam etiam ἐπιδορπίδα nominabant, quoniam δόρπῳ, prandio succederet. Hæc ueteres.

*Acratisma, ientaculum.*

*Aristos, prādium.*

*Hesperisma, merenda.*

*Dipnos, cœna.*

*Victus athletarum.*

*De coliphio pane athletarum qui dicebantur βαρεῖς, Gal. li. 3. & 5. Salubr. & li. 1. de alimēt. ac Iuuenal. sa. 1.*

*Varia fercula obsunt. Macro. lib. 7. Satur.*

Præterea cœnam ita frugi instituerunt, ut in acratismate solo pane in mero macerato uescerentur. Nam teste Athenæo, acratisma dicitur, διὰ τὸ ἐν ἀκράτῳ βρέχειν ψωμούς. Athletæ quoque, palæstritæ, pancratiastes & pugiles, à Græcis βαρεῖς dicti, quamuis omnifariis palestræ exercitiis, & ualentioris alimenti uictu, obœsiorem corporis habitum & robur sibi comparare studerent, interdiu tamen à uariis ferculis, quorum natura & concoctio dissideret, sibi cauebant: & in prandio solum panem coliphium edebant. At in cœna liberius Genio indulgebant: & præcipuè carne suilla, quia copiose nutriret, uescebantur. Horum panis

*De panis speciebus, Athen. lib. 3. Dipn.*

ex flore tritici ſiligineo addito fermenti momento, modicè piſtus, habebat panis colibi teretem & inſtar paſſali oblongam formam. Sic ientaculum & prandium quoque antiquorum ſolo pane & modico uini conſtabat. Proinde Cor. Celſ. ait: Hyeme plus eſſe conuenit, ſed minus & meracius bibere. Si prandet aliquis, utilius eſt exiguum aliquid, & ipſum ſiccum ſine carne, ſine potione ſumere.

*Cor. Celſ. li. 1. cap. 3.*

Et Iulius Capitolinus refert, Antoninum Pium Cæſarem, ſenem iam & ſilicernium, manè antequam ſalutatores uenirent, ſolo pane ſicco robur uirium ſuſtentaſſe.

*Antonin. Cæſar pane ſicco ueſcebatur manè.*

Eſt certè tam præſens panis alimentum, ut ſolo eius recentis ex furno odore Demetrius Cydonius multorum dierum famem facilè tolerauerit: & eius, ac mellis odore cocti, Democritus iam moriturus uitam, donec theſmophoria Cereris ſacra finirentur, prorogarit.

*Demetrius & Democritus odore panis & mellis uiuebãt. Athẽ. li. 2. Arſenius, & Laertius in uita eius.*

& Ariſtoxenus perhibet, Pythagoricos non aliud quàm panem cum melle Attico prandere ſolitos. Erat nempe placentæ genus, quod ex butyro, ſemidale, & melle conficiebatur: gratum palatui obſonium.

*Pythagoricorum prandium, panis.*

*De hac placẽta Gale. li. 5. Salubrium.*

At apud Homerum Eumæus, quamuis ſubulcus, Vlyſsi aduenienti, & nondum cognito, duos mactat porcos, & carne ſuilla in ueru toſta illi cœnam, addito optimo uino, inſtruit: ex quibus conſtat, ueteres longè maiori ferculorum apparatu, & magis opiparè cœnam quàm prandium inſtruxiſſe.

*De Eumæo ſubulco, Home. Odyſſ. 3.*

Nouerant ſanè æthereo Apollinis & Veneris, ſolis pediſſequæ, ac Mercurii ſpiritu & radiis, qui manè noſtrum obſident hemiſphærium, noſtras quoque ingenii uires illuſtrari: quapropter antelucana ſolis & diluculi tempora ingeniorum exercitiis, & ſapientiæ ſtudiis dicata, ſobria eſſe uoluerunt, ne crapula ingenii acies obtunderetur.

*Mane ingenium uiget.*

*Præclara tẽperantiæ, & ſobrij uictus laus.*

Eſt nanque σωφροσύνη πάντων τῶν καλῶν χορηγός, id eſt, ſobria uictus ratio eſt omnium uirtutis bonorum diſpenſatrix. Animus quippe adipe & ſanguine ſuffocatus, inquit Galen. nihil cœleſti meditari poteſt. Vnde ſacer ille uates, & omnipotentis Dei tuba Dauid, nunquam ueſperi, ſed ſemper manè & in diluculo Deum in cithara ac pſalmis collaudare præcipit.

*Quare noctu cibus melius digeratur.*

Nam ut mens ingeniíque acumen manè eſt longè expeditius, ita nocturna ferculorum cœnæ concoctio eſt diurna longè uegetior, & multis nominibus magis exacta. Primùm, ratione nocturni & humidi lunæ ſplendoris, quod his uerbis Daphnus apud Athenæum medicus ſcitè declarat: ὠφελιμώτερά ἐστι, φίλτατε, τῷ παντὶ σώματι τὰ νυκτερινὰ δεῖπνα. τὸ γὰρ σελήνης ἄστρον πρὸς τὰς τῆς τροφῆς ἁρμόττει πέψεις, σηπτικὸν ὑπάρχον· κατὰ σῆψιν δὲ, ἡ πέψις, εὐσηπτότερα γοῦν τὰ νύκτωρ θυόμενα, τῶν ἱερείων, καὶ τῶν ξύλων τὰ πρὸς τὸ σελήνιον κοπτόμενα, καὶ τῶν καρπῶν δὲ πλεῖστοι πρὸς σελήνιον πεπαίνονται. id eſt: Cõducibiliores ſunt, ô amice, omni corpori nocturnæ epulę. nã lunæ aſtrum ad cibariorũ concoctiones multũ confert: eſt enim putrefactiuũ. cõcoctio enim quędam putrefactio eſt. Victimæ ſanè noctu in ſacrificiis mactatæ, ſunt digeſtibiliores. nã & ligna ad lunæ ſplendorem cæſa, citius putreſcunt: & fructus quidã matureſcunt.

*Luna concoctionem promouet. Athe. li. 7.*

Deinde plura & ualentiora alimenta in cœna, quàm in prãdio, ratione caloris naturalis, qui cõcoctionis opifex, nocturno frigore & ſomno augmentatur, eſſe offerenda, aduerſariũ hac ratione conuincemus.

*Quid ſit ualens alimentũ, Cor. Celſus li. 2. ca. 17. declarat.*

Nam perinde ut integer annus proprio ſolis per duodecim zodiaci ſigna motu dimenſus, quatuor qualitatibus diſcreta habet tempora: ſic pariter naturalis dies, motu ſolis per duodecim animalium circuli ſigna commenſuratus, quatuor quoque diſparia habet tempora. Aurora quidem leni tepore uernat, meridies ſolis æſtu incaleſcit, crepuſculum inſtar autumni qualitates aëris euariat: deinde nox, altera hyems, frigore torpet, quo pori corporis, ne calor naturalis diffletur, conſtringuntur: qui diurnis uigiliis, corporis, ingenii, ſenſuúmque laboribus diſsipatus, à ſolis occaſu, ingraueſcente frigore, interna præcordia & uentriculum, primariam concoctionis officinam, ſubit.

*Tẽporũ anni cum diei partibus collatio.*

*Hippo. lib. 1. Apho. 15. & Gale. de doct. Hip. & Plat. li. 8. Ariſt. ſect. 24. Probl. 13.*

Quare rectè Hippocrates inquit: Ventres hyeme & uere natura calidiſsimi ſunt, & ſomni longiſsimi. quare per ea tempora alimenta copioſiora ſunt exhibenda. Etenim tum calor innatus plurimus eſt: unde & pluribus egent alimentis. Atqui cum nox, ſomno dicata, frigore hyemi correſpondeat, quis ad noctem copioſius cœnandum eſſe, quàm prandendum, inficiabitur? Nemo. Accedit ad hæc ſomnus, quo ut interna omnia magis calent, uirtutes quoque & ſpiritus naturales plus uigent: quæ etſi nullas habent ferias, tamen cum uirtutes & ſpiritus animales, ex his nati, ſuo funguntur officio, in uigiliis magis diſsipantur. Ad exactam quoque cœnæ digeſtionem, temporis longitudo ab ea ad prandium uſque plurimum confert: quippe quæ duplo prandii ad cœnam uſque interuallum ſuperat. Vnde Galenus de conualeſcentium uictu: Semper, inquit, ſtudebimus, ut ualentius alimentum ueſperi exhibeamus: quoniam non ſolum quies & ſomnus, ſed etiam longius tempus, naturalem huius concoctionem excipit. rationabile eſt igitur, ut ualentiores ciborum hoc tempore offerantur.

*Hæc Gal. li. Meth. 7. copioſe docet.*

Quod athletæ omnes, ratione & experientia edocti comprobarunt. Ex his clarè perſpicis, hanc prandendi, uberiúſque cœnandi uictus rationem, ut ſanis & à morbo conualeſcentibus ſalutarem, ueteres medicos, pædotribas, ac gymnaſtas ſummopere approbaſſe: niſi à teneris alia edendi conſuetudo, quæ ualidas & nullo modo negligendas indicationis diætæ uires habet, obſtitiſſet.

*Conſuetudinis in diætando uires, Hip. li. 1. Regimin. acu. declarat.*

Qualis uerò ægrotis uictus ratio competat, patientis uires, natura & tempora morbi apertè indicabunt. Quorum diæta, in hoc uno cum ſanorum conſpirat, quòd hi dum corpus quieſcere poſsit, illi dum morbus quieſcit, remittitur, uel dat aliquas inducias, commodè cibari ac uires reficere poſſunt.

*Hipp. lib. 1. Apho. copioſe docet.*

At in ualetudinariis longè diuerſa eſt uictus ratio, quàm in ſanis. Sunt namque ualetudinarii quidam, quorum uentriculus ob imbecillitatem, aut ſenſus neruoſi eius orificii acuitatem, ἀσιτίαν, id eſt inediam non fert.

*Alia prandendi cœnandiq; ualetudinariorũ quàm ſanorũ ratio.*

*Qui inædiã ferre non poſſunt.*

Poſtquam enim epar & ſplen per uenas portæ & meſenterii ex eo chylum ſuxerint, tũ ipſe alimenti indigus, ieiuniíque impatiens conuellitur: aut per eaſdem uenas de præcordiis rurſum noxios in ſinum ſuum humores allicit, quorum ad cerebrum exhalatione uertigo, ſcotomia, aut niſi tempeſtiuè paſtus fuerit, ob ſtomachi cum cerebro conſenſum, epilepſia accerſitur. Sic Diodorus grammaticus, ſi iraſceretur, aut ludi literarii negotiis aut forenſi actione occupatus, paulo diutius inediam ſuſtineret, morbo comitiali corripiebatur: donec Galenus illi ſuaſerat, ut ad roborandum ſtomachum quouis mane ἀκρατίσματι, ientaculo, ſcilicet pane in uino ſubacerbo macerato, uteretur: quo ſtomachi ſubſidio, uir ille uiginti annis integra inculpatáque ualetudine uitam tranſegit.

*De Diodoro grammatico, hæc Galen. de cura per uenæ ſectio. & li. 5. De lo. affect. ca. 5.*

*Cruditate laborantiũ diæta.*

Et quib. uenter imbecillis & frigidus copiam ciborum concoquere noctu non poterit, ſi poſtero die uentriculus cibariorum odorem eructauerit, & hypochondria flatu ſuſpenſa turgent, Hippocrates his diu ob humorum cruditatem dormire, ac corpus ſtraguli tepore fouere ac exerceri, & plus meri bibere, parciúſque iſto die cœnare ſuadet.

*Hipp. in fine libelli de ſalub. diæta.*

Et quib. ob uenarum in uiſcerib. obſtructiones alimentum non diſtribuitur, ac cibi recrementa in ſtomacho relicta, humida & cruda per aluum deiiciuntur, hos panem bene in furno toſtum, ac uino intritum comedere, & uinum bene temperatum bibere, ac μονοσιτεῖν, ſemel tãtum comedere, uel uno tantum cibariorum genere ueſci, & à cibo quieſcere iubet. Quibus uerò ſemel, bis, aut crebrius in die parum uel plus cibi offerendum, id ualetudinis natura, anni tempus, edendi conſuetudo, ætas, ac naturales hominis uires, medico perito facilè indicant.

*Has diætæ indicationes, Hippoc. lib. 1. Aph. 17. & li. 2. reg. acut.*

nam ſi hæ imbecilles, ut in ſenio effœtis, & conualeſcentibus extiterint, illis quidem crebrius, ſed pro una uice parum cibi offeretur: quoniam in his calor naturalis exilis, congeſta alimentorum copia, ut ignis coaceruata lignorum ſtrue, ſuffocaretur, nec eam uentriculi uires conficere poſſent.

*De ſenũ diæta Gale. lib. 5. Salu. Paulus lib. 1. cap. 33.*

Proinde Galenus à morbo conualeſcentes, ad recuperandas uires ter in die cibare conſueuit.

*Galen. lib. 7. Meth.*

Sic Antiochus medicus, plus quàm octuagenarius, ter in die comedebat, nec tamen deſidem uitam domi egit, ſed quotidie in forum ad ciuium concilium, & ad uiſendos ægros, ad trium ſtadiorum iter pedes conficiebat. ſi quò longius progrediendum erat, tum in ſella deferebatur, aut in uehiculo uehebatur. poſtea, deiecta prius aluo, in aliquo fori loco, remotis arbitris, circa horam diei tertiam uel quartam, panem cum melle Attico edebat. Deinde aliquid legens ipſe, aut cum aliis de rebus grauioribus communicans, uſque ad horam ſextam diei in foro perſeuerabat: deinde in balneo publico, frictione & exercitiis ſenili ætati opportunis curatus, domi mediocriter prandebat. primùm his acceptis quæ aluum laxant: poſt hæc piſcib. maximè quos ſaxatiles uocant, uel qui in alto mari degunt, ueſcebatur. at in cœna à piſcib. abſtinuit, & aliquid boni ſucci, quod non facilè putreſceret, ut alicam ex mulſo, & auem iure ſimplici incoctam edebat, merúmque bibebat. Hac ratione uictus

*De Antiocho & Telepho ſenibus, hæc Gale. li. 5. Salub.*

ctus Antiochus in senio usus, sensibus illæsis, membrisque omnibus integris, ad extremum uitæ durauit. At Telephus grammaticus, Antiocho ætate prouectior, centum annos natus, diebus quibus non lauabatur, circa tertiam diei horam, cum exigua fricatione oleo inunctus, mox mel optimum crudum, alicæ in aqua coctæ permixtum, edebat: eóque solo pro ientaculo contentus fuit. prandebat hora septima, aut pauló citius primùm oleribus, deinde piscibus, aut auibus comestis. Vesperi tantum panem uino diluto madidum edebat, uinúmque senilis ætatis nectar bibebat. Quamuis uterque senex ferè magis sobriè cœnauerit, quàm pransus sit: non tamen id euertit, quòd sanis liberalius cœnare quàm prandere, salubrius esse dixerim. Non enim hæc sunt sanorum, sed ualetudinariorum uictus paradigmata. Nam, ùt Aristoteles ait, senectus ipsa morbus est: & Græcorum parœmia τοὺς γέροντας δὶς παῖδας, senes bis pueros asserit. Decrepitos igitur, ut pueros quoque, pauco alimento, sed crebrius reficere, instar ellychnii in lampade oportet, quod frequentem exigit olei suffectionem: quàm si confertim affuderis, ellychnium extingues. Sunt & in hac ualetudinariorum uictus classe, qui cerebrum infirmum, frigidius & humidius, quàm temperamentum exigit, habent. Cum enim, ut Aristoteles inquit, alimentum per uenas sursum respirat, excrementum eius, ob loci uim refrigeratum, fluxiones pituitæ mouet, quæ illic instar imbrium in aëre generantur. Cum enim ex terra uapor exhalat, à caloréque effertur in sublime, ubi supernum aërem subierit, frigidum consistit: denuóque in aquam, propter refrigerationem, & in terram defluit. Aut si magna paruis conferre licet, quemadmodum in Chymica mineralium, aromatum & herbarum destillatione, illorum uapor ui ignis in sublime cooperculum effertur, & eius ac aëris ambientis frigore in liquorem condensatus, in subiectum receptaculum defluit: sic de uberiori cœna uapor per uenas in cerebrum sublatus, quem cùm naturales cerebri uires ob copiam eius cõcoquere non possunt, illius excrementa frigiditate cerebri in liquorem condensatæ, ad oculos, aures, & in subiectas capiti partes destillant: unde ophthalmia, tabes, & mille ex catarrho morbi nascuntur: in quibus parcius cœnare quàm prandere, non dissuaderem. Habes modò, quæ obiter de ueteri prandii & cœnæ usu illis recensui. Illud tamen uelut corollarium cœnæ adiicere, & te admonere uolui, ut ab amicis in conuiuium accersitus, omni ab animo excusso mœrore, alacris intersis. Nosti sanè, uentriculi orificium, quadam lege consortii, per consensum cordis affectib. quoque affligi: quod & ueteres, & nostrates quoque uel hodie ob id cor appellant. cum quibus & cerebrum, tertius huius fœderis collega, quoque conspirat. Vnde Diodorus grammaticus ira percitus, epilepsia corripiebatur: & tristes non fastidire modò cibum, sed acceptum quoque rursus euomere, uidi. Vale.

*De senili uictus ratione, hæc Hippo. & Gal. li. 1. Aph. 13. & 14.*

*De catarrhi & pituitæ generatione, hæc Aristo. libro 2. de par. anim. cap. 7.*

*Vnde Cor. Celsus li. 1. ca. 4. caput infirmum habenti modicum uictum præscribit.*

*De Diod. hoc Gal. lib. 5. de locis affect. cap. 5.*

## DE SILIGINE, ET EX EO *pane, & azymo.* Epistola LVI.

TAbellarius tuus mihi retulit, te non tam quib. ferculis cœna illa à pharmacopola medicis condicta, opiparè instructa sit, quàm quo ænigmatum ac problematum sale & lepôre à tam raræ eruditionis uiris fuerit condita, scire magnoperè desiderare. non enim eos in tacita Pythagoreorum schola, aut cum Areopagitis (qui Athenis in templo Martis tacentes iudicabant) cœnasse. Et quidem rectè arbitraris. nam silentium cubiculum, non conuiuium decet. quum enim animus mœstus cibum abhorreat, conuiuas esse alacres, ad cibi concoctionem non parum expedit. At uerba, inquit Macrobius, non minus quàm uini dulcedo exhilarare conuiuium. unde nobile illud uinum Nepenthes, quod Helena propinauit Telemacho, præclarum mœroris pharmacum, non erat radice Oenopiæ ex Aegypto allatæ, uel aliquo aromatũ ex India succo, sed lepida de heroum Troiani belli stratagematibus confabulatione conditum, qua mœrorem ex animo Telemachi sustulit omnem. Sic cœna nostra non tantũ ferculorum apparatu, & aromatũ illecebra, pollucibilis: sed eruditorum uirorum colloquio iucunda. Quum igitur primùm esu nasturtii ex acetario stomachum languentem incitassent, & ferculis primæ mensæ penè saturi, animúmque mero exhilarassent: his sublatis, symposiarcha noster mala cottonea, citria, arãtia, illorúmque cortices, pyra, mespila, condîta quidem, & uaria quoq; ex saccharo & melle cõfecta τραγήματα ac πέμματα, quæ Latini secundæ mensæ bellaria appellant, in phialis uitreis & argenteis apposuit. & ne illorum dulcedine lingua imbuta, uinum insipidum appareret, Critobulus ex Thuringia medicus, panẽ ex purissima siligine confectum poposcit. Tum Grimaldus, ex Austria medicus: Nequaquam, inquit, ex siligine, sed panem ex optimo tritico, quem robum appellant, in clibano pistum, artopœus nobis afferat. Ignoras, inquit, Critobule, clarissimos ex Hispaniis medicos nobiscum discumbere, in quorum terris siligo non seritur, & qui ob id non atro ex siligine pane, sed ex tritico tantum uescuntur? Tum Critobulus: Sanè, inquit, ô Grimalde, intelligo quid ueterib. sit siligo, te planè ignorare. Veteres enim siliginem non modò alteram tritici speciem, in quam triticum in uliginoso loco satum, tertio anno degenerat, sed esse quoque à furfuribus depuratissimam ex tritico συγγενεῖ, id est generoso farinam putarunt, quam Plin. tritici delicias appellat. unde Cornelius Celsus: Ex tritico, inquit, firmissima siligo. & idem Plin. ait, Ex siligine lautissimus panis, pistrinarum opera laudatissima. Summa enim laus panis, siliginis bonitate, & cribri tenuitate constat. Similago, inquit, ex tritico fit laudatissima, quæ Græcis σεμίδαλις dicitur. unde Galen. ad Glauconem ait, ἔνιοι τῶν πυρῶν πλείστην ἔχουσι σεμίδαλιν, οὓς συγγενεῖς προσαγορεύουσιν: Quoddam triticum plurimam semidalim habet, quod generosum appellant. ex hac exquisitè à furfure depurata, panis pistus silignitis: qui uerò parum ab illius puritate defecerat, semidalitis dicebatur, id est simila. Vnde uel hodie adhuc Lembergi, in meo natali Schlesię oppido, panis triticius Semel appellatur. atque hic inter genera panis primas obtinet. Vnde Psellus inquit, panis ex polline tritici siliginaceus recens, odore omnes capitis sensus recreat, spiritus confirmat, & uires reficit infirmas. Conficiebatur & panis ex tota tritici mollis exactius fracta substantia, non discretis cribro furfuribus, αὐτόπυρος à Celso & Galeno dictus, ἐπειδὰν ὅλος αὐτὸς ὁ πυρὸς, ἀδιακρίτως ἀρτοποιῆται. Iste quoque panis, ob farinæ cum furfuribus commixtionem, Dioscoridi syncomistus dicitur: Ex tritici, ait, similagine panis ualentius eo nutrit, à quo nihil furfuris cribro excussum fuerat, quẽ syncomistõ appellant. Sed panis qui ex trimestri tritico fit, leuior erit, & facilimè digeritur. Trimestre namque triticum Martio mense seritur, rusticis pergratum: & tertio mense metitur. Hinc apud Phillilium comicum seruus inquit, αὐτὸς φέρων πάρειμι πυρῶν ἐκγόνους τριμήνων. id est, Ipse adsum, afferens trimestris tritici soboles: id est, panes. Concors certè est medicorum sententia, panem ex pura tritici siligine, silignitim, plus alere, sed meatus quoque obstruere: syncomistum uerò ut Triphon Alexãdrinus ait, εἶναι διαχωρητικώτερον τοῦ καθαροῦ, id est, melius subducere aluum. Accipis ne igitur Grimalde, ait, classicos utriusque linguæ autores exquisitè puram tritici farinam, & ex ea panem, siliginem, similaginem, & semidalim dicere, unde panis σιλιγνίτης, id est siligineus conficiebatur? Tum Grimaldus respondit: Si erraui, ignosce. seductus à Platina, autore non proletario, erraui. is enim, Siliginem (inquit) Aphricanam, cuius panem ueteres laudabant, nequaquam similem huic crediderim, qua nostra ætas uescitur, cum nullum genus panificii hoc sit insuauius, & quod auiditatem edendi minus utiliter comprimat. Tum Critobulus: Non errat, inquit, Platina. ex Aphricana enim tritici siligine panis longè, quàm ex nostra illa uulgari Germanorum siligine, Italis & Hispanis ferè incognita, delicatior conficiebatur: quam alii esse antiquorum typham, alii olyram contendunt. Theodorus Gaza, fidus Aristotelis ac Theophrasti interpres, pro olyra substituit siliginem. At esse diuersa, uel hac ratione constat. Triticum quidem, & siligo, ac hordeum, teste Plinio, in area exteruntur: zea uerò, cuius species est olyra, mola exteritur, & cum suis folliculis seritur. nostra uerò siligo à gluma, ut triticum, depurata seritur. At olyram Aphricanam esse siliginẽ, Plinius his uerbis affirmat: Ex ea dulcissimus, inquit, panis fiebat. ipsa spissior est quàm far, & maior spica eadem, & ponderosior. raró modius granorum eius non sexdecim libras

*Colloquium exhilarat cõuiuium.*

*Macrob. li. 7. Satur. Gellius li. 13. ca. 11.*

*De Nepenthe Hom. Odyss. δ.*

*Macrob. lib. 7. Saturn.*

*De bellariis, hæc A. Gell. li. 13. cap. 11.*

*Siligo ueterũ, purior tritici farina: Plin. li. 18. ca. 8. & 10. ac 11. Cels. li. 2. c. 17.*

*De tritico hæc Columell. li. 2. ca. 6. & 9.*

*Gal. libro 2. ad Glau. cap. de abscessibus.*

*Panis silignitis & semidalitis.*

*Psellus libro 1. de uictus rat.*

*De his ex tritico panis speciebus, Gale. lib. 1. de facult. alim. & li. 2. ad Glauc. Celsus li. 2. capite 17. Athen. lib. 3. Dipnosoph.*

*Trimestre triticum Sitanium quoque dicitur. Diosc. li. 2. cap. 76. & Colum. ut suprà. Pli. lib. 1. cap. 8.*

*De trimestri tritico Pollux libro 6. ex quo fiebant panes sitanij.*

*Epilogus.*

*Platina de honest. uolup. li. 1.*

*Germanorum siligo.*

*Pli. li. 18. c. 7.*

*Olyra species zeæ, id est speltæ. Diosc. lib. 2. cap. 81. Gal. li. 1. de facult. alimentorum.*

*Pli. li. 18. c. 10 Aphricanam siliginem appellat olyram.*

farinæ adimplet. exteritur in Græcia difficulter, ob id iumentis dari Homerus tradidit. Hæc enim est, inquit, quam uocant olyram. Olyra uerò Italiæ copiosa, à Gallis arinca dicta, ipsis & Aegypto peculiaris. Vnde Herodotus lib. 2. ait: αἰγύπτιοι ἀπ' ὀλυρῶν ποιεῦνται τὰ σιτία, ἅς ζειὰς ἕτεροι καλέουσι. Olyrinis uerò panibus, ex olyra ponderosa factis, post triticeos, deinde ex typha typhinis, dum adhuc calerent, præcipuam laudem ueterum palatus tribuebat. Est nanque typha, teste Galeno, & ut Ruellius Parisiensis medicus uertit, cereale frumentum: cuius granum gluma uelut triticum & hordeum uestitur, pinsitúmque totum in panes densatur. color illi tritico flauior: corpus eius strigosum, tritico exilius, unde & paruum triticum Græci appellarunt. Grana typhæ cum sapa aut defruto cocta, adiecto salis momento, ut triticum mandũtur: adeóq; esse uesca constat, ut Homerus typhã Hectora suis equis obtulisse tradiderit, cum reliquum triticum equis ualde noceat. Sunt enim, ait Theophrastus, illa duo, semen & typha, tritico perquàm similia. His persuasus, nostram uulgarem siliginem potius esse typham, quàm olyram suspicor. Tu uerò Grimalde, si quid rectius docere poteris, libenter tibi lampada tradam. Tum Grimaldus aiebat, hanc de frumentorum speciebus disceptationem ideo esse ualde ambiguam, quòd (ut Plinius refert) non eadem ubique sint frumenti genera: & si eadem, neque tamen ubique iisdem nominib. appellentur. & ideo se deliberaturum: ac si quid rectius inuenerit, id in proximo conuiuio se quoque dicturum promittebat. Aderat tum quoque Philotheus, Augustanæ urbis parrochianus, satis eruditus, qui: Appropinquat, inquit, solenne non Iudæis tantum, sed etiam Christicolis uenerabile azymorum festum, ob angeli & Iudæorum ex Aegypto pertransitum. quum enim angelus afflictionis uniuersa Aegypti primogenita cæde lustraret, ac domos Israëlitarum in superliminaribus sanguine agni immolati tinctas solùm præteriret, Paesah, id est transitus, uulgo Pascha dictum est. Quod Moises & Aaron moniti Dei oraculo instituerunt, ut quotannis decimaquarta die mensis Martii, quem Nisan appellarunt, initiúmque anni statuerant, & qua die populus Israël duce Moise Aegyptii Pharaonis seruitutem egressus erat: ut ad uesperam singulæ domus, cuius incolæ ad esum agni sufficerent, agnum immaculatum & anniculum, illæsis ossibus, mactarent: & tostum stantes calceati & baculis innixi hac nocte totum celeriter ederent: & si quid relictum foret, manè adurerent: ac unà cum lactucis amaris, nec alio pane usque ad uigesimumprimum Martii diem quàm azymo uescerentur. his enim diebus septem, fermentum habere in ædib. nephas erat. Et addidit parrochianus: Quamuis pascha nostrum immolatus est Christus (ipse enim uerè est agnus, qui abstulit peccata mundi) uerùm quum Paulus iubeat Corinthios, uetus expurgare fermentum, ut sint noua cõspersio, & azymi sinceritatis: & nullus Theologorũ hactenus, quod ego sciã, docuerit, qua panificii industria panes azymi conficerentur, id (ait) à uobis medicis scire magnopere desidero, qui tam doctè de aliis panis speciebus disseruistis. Tum Critobulus: Panes, inquit, illos infermentatos, quos Hebræi septem diebus in festo azymorum edebant, de placentarum censu fuisse bellaria, quæ Græci πέμματα uocant, suspicor. Verùm cum in Germania nusquam locorum, quantum ego comperi, ex melle, semidale, ouis, butyro, & casei detrimentis, placentæ, itria, lagana, rhyemata delicatius, ac panes quoque in ueru tosti obeliti conficiantur, quàm in Schlesia: præcipuè omne ex melle, siligine, addito pipere & zinzibere liborum genus: æquum esse arbitror, ut Langius noster, ex Schlesia medicus, de his disserat. Tum ego, ne asymbolus cœnasse iudicarer: Longè inquam, ô parrochiane, illa Hebræorum agni paschalis cœna, hac nostra adiiciali fuit sacratior, in qua lege Mosaica cautum erat (teste Suida) ut omnes panis fermentati reliquiæ, hora sexta, diei mensis Martii decimæquartæ, qua festum azymorum auspicabantur, quàmprimum clangor tubæ obstrepuisset, comburerentur, & solis panib. infermentatis uescerentur. Et rectè, inquam, sentis Critobule: panis nempe ille absque fermento dulciarius, de genere placentorum ex farina tritici, caseo & melle in clibano, sub testaceo coopercu lo coctus, inter Græcorum pemmata censebatur. unde Galenus libro primo Alimentorum: quæcunque, inquit, azymorum pemmata in clibano coxerint, exempta statim in mel calidum coniiciunt, ut penitus melle imbuantur. & hæc, inquit, de placentorum genere sunt. & libro de Alimentis boni & mali succi: πᾶν (ait) ἄζυμον ἐκ πυροῦ πέμμα, καὶ μᾶλλον ὅταν καὶ τυροῦ τι προσλάβῃ, παχύχυμον ἱκανῶς ἐστίν. id est, omne ex tritico pistorium sine fermento opus, pemma dictum, præcipuè addito caseo, lentos crassósq; humores generat. Illud quoque pemmatum genus ueteres rei agrariæ scriptores libum appellabant, cuius compositionis exemplar M. Cato nobis tale præscribit. Libum, ait, hoc modo facito: Casei pondo ij. in mortario bene distereat. ubi bene distriuerit, farinæ siligineæ libram, aut si uoles tenerius esse, selibram similaginis solum eòdem indito, & permisceto cum caseo bene. ouum unum addito, & unà bene permisceto. inde panem facito, folia subdito, in foco calido sub testa decoquito leniter. Nec Hebræi tantum pascha celebraturi, sed etiam in pagis Græcorum agricolæ sacris operaturi, pane azymo uescebantur. unde Galenus libro 1. de Alimẽtorum uiribus: ἐγὼ μὲν τελέως ἄζυμος, οὐδενὶ χρήσιμος, εἰ καὶ τυροῦ προσλάβοι, καθάπερ ἐν τοῖς παρ' ἡμῖν εἰώθασι σκευάζειν ἑορτάζοντες. id est, Panis exquisitè azymus, nec uni utilis, præcipuè si caseo participauerit: quemadmodum circa Pergamum agricolæ festa celebrantes, præparare solent. Fermẽtum enim suo feruore mazam panis friabilem, insumpta eius uiscositate, efficit: illiúsque dum turget flatus, discutit, faciliúsque digeritur. Quare saluberrimus est panis, qui plurimum salis & fermenti participat: cuius maza primùm manibus bene subacta, ac depsita, tandem probè in clibano aut furno decocta fuerit. at panis infermentatus, quamuis corpus impinguat, si bene digestus fuerit, quo & athletæ ob id saginabantur: uiscidos tamen humores generat, aluúmque & uiscera obstruit. Omnes tamen panes azymi, ut in Geoponico Didymus ait, οἱ ἄρτοι ἄνευ ζύμης γινόμενοι, ἐνεργητικώτατοί εἰσι πρὸς τὰ ἀφροδίσια. uenerem torpentẽ excitãt. Sed quia iam, inquam, hesperus nostrũ conscendit hemisphærium, his ferculis & panibus saturi, quisq; domum concedat, & symposiarches uelim, ut à parrochiano nullum symbolum conuiuii, hac cõditione exigeret, ut in proxima concione de panibus primitiarum ac propositionis, azymis quoque (quibus Abimelech sacerdos Dauidem fugitiuum cibauit, quos sacerdotes edere tantum fas erat) nos certiores reddat. Ad hęc omnes, iam somnolenti, capite oculisque annuebãt: & accẽsis tædis, quilibet lætus domum redibat. Cæterùm de his conuiuii problematibus, quid tu quoque sentias, proximè rescribere poteris. Vale.

*De typha hæc Galen. li. 2. de alimentis, & Theophr. li. 7. ca. 4. & 9.*

*Pli. li. 18. c. 8.*

*De festo azymorum, Exodi 12. Leuitici 23. Paul. 1 Cor. 5.*

*Macrob. li. 1. Saturn. cap. 8. de mẽse Mart.*

*Placentarũ genera.*

*Athen. libro 3. & 14.*

*Schlesia libis abundat.*

*Suidas in dict. ζύμη.*

*De uaria panis azymi præparatione, Leuit. 2. Ga. li. 1. de aliment. uirib. & li. de bon. & mal. suc. alim.*

*M. Cato de re rust. cap. 75.*

*Græci & ruricolæ in celebrib. festis azymis uescebantur.*

*De fermenti uiribus, Didym. in Constãt. Cæs. geopon. li. 2. Plin. li. 18. ca. 11. Galen. ut suprà.*

*Panis azymus ueneris incitabulum.*

*De panib. propositionis, Exodi 25. & 1. Reg. 21. Mat. 12. Iosephus libro 3. Antiqu. cap. 9.*

## DE PTISSANA, OMELYSI, & polenta. Epistola LVII.

Qvum saluberrimus ptissanæ cremor ab omnibus medicis in salubri uictus picrocholorum ratione, & acutorum morborum febriúmque cura decantetur, adeò ut nulla sit in libris medicorum ptissanæ sorbitio magis protrita, & cuius præparatio sit magis ignota, & usus penè exoleuerit: quæris, qua causa id acciderit. quod breuiter docebo. Olim enim, ut Plinius tradit, uulgata erat ptissanæ conficiendæ ratio, & omnibus ita uel cocis obuia, ut illius confectionem conscribere nulla necessitas urgeret. Quum uerò obliuio, uetusti temporis filia, inuenta antiquorum, nisi monumentis concredita fuerint, facile obliteret: euenit quoque, ut ptissanæ præparatio, à nullo exactè cõscripta, memoria & usu hominum exciderit. Quare operæpretium me facturum arbitror, si tergeminæ hordei sobolis, ptissanæ, omelyseos, ac polentæ progeniem descripsero. Est sanè ptissana ex hordeo in pila contuso & decorticato pulmentarium, sorbitio, uel cremor: id est, lac uel succus ex grano in aqua macerato elicitus. Vnde in conuiuio Dipnosophistarum, de ptissana griphus spargebatur, κριθῆς ἀφλοίσ χυλὸν ὀργάσας πίε: id est, succum hordei decorticati manibus depsitum bibe. πτισάνη δὲ, inquit Athenæus, ἀπὸ τοῦ πτισσομένης τοὔνομα ἀπὸ τοῦ πτίσσειν, id est tundere, καὶ ἀνεῖν: id est, ut Hesychius interpretatur, hordeum aqua maceratum à gluma purgare & eluere. Genuina enim

*Pli. li. 18. c. 7.*

*De ptissanæ etymologia hæc Athen. li. 10. dipnos. Pollux li. 6. ca. 10. & 11.*

enim olim erat confectionis ptissanę ratio, ut hordeum maturum, medulla plenum, non strigosum, sed adhuc crudum, aqua irrigatum, manibus chirotheca ex cannabi uel sparti tela (ex quo & iumentis, ne ungulæ attererentur, calcei nectebantur) uescitis fricarentur fortiter: donec exterior cortex, relicto tamē adhuc interno eius acere, quo farina continetur, bene abstergeretur. Hoc tandem sic, ut Didymus docet, bis subactum manibus, ac sole siccatum, in pilam coniectum, uelut in mola trusatili pinsebatur: & sic contusum cum suo polline, ad necessarios usus in uase fictili condebatur: ex quo ptissanę sorbitiones, pultem, & cremorem decoquebant, quæ singula medicorum Arabiæ interpretes aquam hordei appellant. Apud quos erat gemina ptissanæ decoctio. unam nempe, hordei sic præparati libram in olla uitreata cum aquæ salubrioris libris xx. donec huius pars dimidia, uel partes duæ insumerentur, decoquebant: & hanc aquam hordei lenitiuam, & ob interioris corticis acredinem abstersiuam, & medicinalem potum appellabant. Alteram uerò tali artificio cōcinnabant. accipiebant hordei decorticati, ac cum panni rigidi frictione depurati lib. I. quam in olla quoque uitreata lento ignis calore, prius tamen aqua calida pluries lotam, in x. lib. aquæ unica ebullitione decoquebant: qua diffusa, alias xx. aquæ lib. affundebant: & donec dimidia pars aquæ euaporasset, deferuere sinebant. Hanc non, ut priorem, abstersiuam, sed quia asperitatem pectoris demulceret, uentrem lubricaret, pręcordia humectaret, sitimque leuaret, Græci ἄδιψον, Arabes cibū medicinalem & hordei apozema, id est elixationē appellarūt. Primò uerò hordei simplex decoctio per colum traiecta, à Græcis χυλὸς πτισάνης, succus ptissanæ colatus, à Latinis uerò cremor ptissanæ rectè dicitur. altera uerò, in qua grana hordei colo uel cribro ab eorum succo discreta non sunt, Gale. & Hippoc. κριθώδην καὶ ὅλην, id est hordeaceam & integrā dicunt: Latini uerò differentiæ causa, rectè sorbitionem appellarent. Erant quoque alię operosiores & lautiores ptissanæ cum aceti & olei, porri anethíque conditura decoctiones, quas Apitius (qui arte culinaria paterna abligurierat bona) ac Galen. passim docent. qualem & Paul. Aegineta lib. I. conficere ita docet: Ptissana, inquit, sic coquitur. uni eius parti, aquę partes xv. adiicito, paululúmque olei, & post ebullitionem acetum quoque adde. & cum exactè cocta fuerit, parum salis friabilis inspergatur: Sunt quoque, qui porrum & anethum addunt. At Oribasius in Euporistis, minus aquæ accipit: unam nempe hordei pręparati heminam in decē tantū aquæ heminis decoquit, donec medullaris hordei uisce do eliquata fuerit. tum mel acetum ac salem iniicit: & postquam in ebullitione hordeum detumuit, porrum & anethum quoque addere solet. Nec ex hordeo tantum, uerùm ex tritico & oryza quoq; pari ratione ptissana fiebat. Cæterùm uulgarem nostrā aquæ ex hordeo integro decoctionem, qua in cura febrium utimur, Galeno fuisse ignotā, inde suspicor. Nam dum Hippocrates in quarto reg. acut. libro, febre correptos, ut sitim sedarent, potum τοῦ κριθείου ὕδατος, id est, aquæ hordeacei bibere iuberet: id Gale. declaraturus inquit, Quòd hordei poculum ἄδιψον id est sitis extinctiuum sit, manifestum est. at debuisset quoq; docere Hippocrates, qua ratione hordeū præpararetur, an id simpliciter aqua macerari, an ut hi qui ex hordeo ζυθὸν decoquūt, pręparare oporteat. At Oribasius, Iuliani Cæsaris medicus, id docere uidetur. Febrientibus inquit, non oportet hordeum in pila tundere, sed grana compressa dilatare, & coquere in aqua, & hordeum in aqua tepida prius bis abluere: deinde illius hordei hemina in decem aquę heminis usque ad hordei crepaturam coquatur, inde coletur: & id bibant, in quibus humor cholericus dominatur. Succedit & alia hordei proles Omelysis dicta, quæ nihil aliud Dioscoridi & Galeno significat, quàm puram hordei crudi farinam, à furfuribus castratam, & ex ea in hydreleo cum butyro dissoluta cataplasma, phlegmonum & synanchiæ suppuratiuū. Vnde Galen. de Compositione medicamentorum ait, καὶ ὠμὴν λύσιν ἐπίθετον, τὴν διὰ κριθινοῦ ἀλεύρου. Hæc quidem non ex hordeo, ut polenta immaturo, nec cocto aut manibus ad ptissanam depsito, sed ex hordeo crudo excernebatur, ob id cataplasma ex hordei crudi farina in hydreleo dissoluta præparatum, ὠμηλύσεως nomenclaturam retinuit. Et quia ad phlegmonum maturationem accommodabatur, farinam hanç

*Didymus in Geopon. Constātini Cæs. li. 2. & Gal. li. 1. de Aliment.*

*Ptißanæ secundū Arabes decoctionem docet Mesue in cap. de pleuritide. & Arcu-lan. li. 9. ad Almāsc. c. de phrenitide id repetit.*

*Ptißanæ uires Galen. li. 8. Metho. declarat.*

*Ptißana sitim sedat.*

*Ptißana colata & integra. Hippocra. & Gal. lib. 1. reg. acutor.*

*Varia ptißanæ composita artificia, Apitius libro 4. cap. 4. Gale. lib. 1. Alimen. & li. 8. ac. 10. Methodi.*

*Ptißana ex oryza. Plin. lib. 18. cap. 7.*

*Gal. aquæ hordei præparationem uidetur ignoraße.*

*Veterū aquæ hordei decoctio.*

*Quid sit omelysis Græcorū.*

*Gale. li. 6. de compos. medi. de angina.*

uirtutis abstersoriæ esse expertem oportuit: quæ tam efficax inest hordei furfuribus, ut ἀνδραποδοκάπηλοι, māciporum uenditores, næuos in uultu mancipiorum crudi hordei cum furfuribus, farinæ illitu absterserint. Succedit huic postrema quidem & pręcox hordei immaturi soboles, polenta Latinis, Græcis uerò ἄλφιτον nominata. unde Hesych. ἄλφιτον, inquit, τὸ ἀπὸ νέας κριθῆς ἢ σίτου ἄλευρον, πεφρυγμένον. Vnde Pallad. hordeum (ait) semimaturum, cui adhuc aliquid superest de uirore, per manipulos ligabis, & torrebis in furno, ut facilè mola possit infringi: & in modio uno salis aliquantulum, dum molitur, miscere curabis. Certè qui id diutius seruare uolebāt, sirço, id est sapa & uino mulso conspersum, & siccatum, cum suo polline & furfuribus in nouis fictilibus condebant, & ad uarios, ac præcipuè sacrificiorum quoque usus: quando nulla sacra non modò ethnicorum, sed etiam Hebræorum, sine mola salsa conficiebantur. Itaque Dominus Mosi edixit, ut quicquid sacrificij offerret, sale condiret: In omni, inquit, oblatione sal offeres. si autem obtuleris, munus primitiarum frugum tuarum Domino de spicis adhuc uirentibus, torrebis eas igni, & confringes in modum farris. Sic Græci quoque, teste Theophrasto, quia antequam cerealia frumenta sale condire didicissent, integris hordeis uescebantur. In huius rei monumentum, sacerdotes in frontem uictimæ οὐλοχύτας, id est, hordeum sale commixtum, effundebant. Vnde Homerus de Græcorum sacrificio inquit:

*De Andrapodocapelis. Gal. li. 1. Hippocratis regi. acu. ca. de ptißana.*

*Quid sit polenta, Pli. lib. 18. cap. 7. Pallad. lib. 7. cap. ulti. Gal. lib. 1. alimentorum.*

*Mola salsa litabant. Plin. lib. 3. ca. 7. & Moses Leui. 2.*

*Homer. li. 1. Iliad. & Suid. in dict. οὐλοθυτεῖν.*

χερνίψαντο δ' ἔπειτα, καὶ οὐλοχύτας ἀνέλοντο.
αὐτὰρ ἐπεί ῥ' εὔξαντο, καὶ οὐλοχύτας προβάλοντο.

Itaque si ueteres irata deorum numina mola salsa litando placarunt: spero me quoque illius enarratione tuam beneuolentiam demeruisse. Vale, & boni consule.

## QVID SIT CYCEON, ET IVS *album, ac de cerebro nonnulla.* Epi*stola* LVIII I.

IN uere anni præteriti, mi Geralde, à senatoribus reipublicæ Nurbergensis, prudentia singulari ac uirtutum integritate præditis, accersitus fueram, ut optimo eorum ciui Christophoro Kress ciuitatis in comitiis imperialibus, & ad Cæsarem Carolum oratori, grauiter renum lithiasi affecto, mederer. Aderant tum quoque Doctores Ioannes Schucz, & Magebuchius, uiri eruditione, multarúmque artium, & in re medica in primis peritia præstantes: qui, postquam communicato consilio, pleraque morbi pharmaca conscripsissemus, me solatij causa ante cœnam extra mœnia, in pratum Hallerense, quod ab uno latere flumē Pegnicium alluit, ab altero uaria hortorū amœnitate est circumseptum, deducebant. Et cum sub umbra arborum deambularemus, en cœtum iuuenum illic conspeximus, qui cursu decertabant, ita ut uictus lampada uictori traderet, captiuúsque reduceretur. Tum Magebuchius à me sciscitabatur, An ego unquam, pro conseruando sanitatis & uirium robore, tale currendi exercitium à medicis ueterum institutum legissem. Tum ego respondi, me apud Philochorum & Aristodemum legisse, Athenis in festo Scirados Palladis, Atheniensium ephebos palmites uitium botris onustas deferentes, quas Græci ὄσχας appellant, ex Dionysij sacrario usque ad Palladis templum, quod currendi scopus erat, cucurrisse: ac uictori, qui alios anteuerterat, datā calicem pentaploa dictā, quam ipse petulans, cum iuuenum choro saltans circunferret. Ideo autem pētaploa dictam, quòd potum ex quinque rerum mixtura, uino, melle, caseo, polenta, & olei momento concinnatum contineret: quem Cicero cinnum, Græci uerò κυκεῶ appellant. Vnde Galenus in sextum Epidemiarum Hippocratis librum: Vinum, inquit, absque cibo ieiunis obesse, experientia comprobat. ob id κυκεὼν ex cibo & uino potus, ieiunos non offendit. Erat enim hoc poculum, ut Didymus ait, ob polentam δίψους ἴαμα, sitis remedium, quale Circem sociis Vlyssis præparasse Homerus refert:

*Pratum Nurimberg. Hallerense.*

*De pentaploe Atheniensium certaminis cursu, Athen. lib. 11. Dipnos.*

*Cyceonis compositionē, Hesych. & Athe. lib. 11. Dipnos. docet.*

*Odyß. κ. & Iliad. λ.*

ἐν δέ σφιν τυρόν τε, καὶ ἄλφιτα, καὶ μέλι χλωρὸν,
οἴνῳ πραμνείῳ ἐκύκα, ἀνέμισγε δὲ σίτῳ φάρμακα.

Vnde Galenus de notha ptissanæ decoctione: Quidam, ait, ciminū & mel iniiciunt, cyceona potius quàm ptissanam præparantes. Quum hæc dixissem, uterque inquit: Nullas tibi, ô Lāgi, pro cyceonis poculo & potu, quem nobis reddidisti, gratias modò referre possumus:

nisi nobis ad cœnam conuiua adsis: tum enim poculis musto, aut uino ex Creta uel Candia plenis, cyceona tuum compensabimus. Tum ego: Libens, inquam, uobis morem gererem, nisi à Florentinis mercatoribus, qui libros mihi ex Italia attulerunt, dudum cœna esset condicta: qui cerebrum suillum bene tostum, & elixos in albo iure asellos, quos secum attulerunt, rara Germanis fercula pararunt. Ad hæc Magebuchius: Non insuetæ, ait, modò, sed etiam incognitæ sunt hæ nobis dapes. Quare si nos illarum præparationem docueris, perinde erit, ac si uobiscum cœnassemus. Tandem ego respondi, Hippocratem & Galenum marasmo tabescentes, aut ex spirituum defectu syncope lãguentes, harum alimonia reficere solitos. Vnde Galenus: Dabis, inquit, his & oua, præcipuè eorũ uitellos (albumen enim eorum ægrè concoquitur) præterea gallinaceorum, qui lacte alti sunt, testiculos: itémque suillum cerebrum, sed uel diligenter assum (quando, si detur crudum, summopere lædit) uel in albo iure legitimè elixum, porro & anetho iniectis.

*Cerebri porcini esus.*

Albi autem iuris præparationem facilè elicies ex secundo de Comp. medicam. libro, ubi ex mero crapala affectis, iubet testiculos & alas gallinaceorum ac pullos columbarum, in albo iure decoquere: Elixentur, inquit, hæc omnia sine garo & uino in albo iure, simplici in aqua, solum cum oleo, anetho, & modico porri: salem uerò non ebullitionis principio, sed quum hæc fuerint decoctione facta friabilia, postremò iniicias.

*Quid sit ius album, Gal. libro 11. Meth. & lib. 5. Salu.*

Nec in eo tantum carnem & uolatilia, sed etiam pisces, ueteres decoxerunt. Vnde Galenus, de laborantibus phlegmonode, tertia lassitudinis specie: His, inquit, saxatiles quoque pisces, uel ὀνίσκους id est, asellos, in albo iure bene elixos dabis. Voco autem ius album, cum sine garo, magisque etiam cum sine superuacua conditura, quam Græci καρυκείαν appellant, præparatur, anetho saléque, cum oleo & porri exiguo, in aquam coniectis. Erat autem carycia, ius Lydorum, ex sanguine ferarum, aut uolucrum, sumptuosis tragematis, & aromatum deliciis conditum. Aselli uerò pisces, quos Romani scarmos & merlusos dicunt: Græci uerò ob minutulas squamas & colorẽ subcinericium, quibus asellis uermibus multipedibus, sub ollis & saxis in penu latẽtibus, assimilãtur, ὀνίσκους, id est asellos appellant: qui sub canicula latẽt, aliis uerò tẽporibus ore dẽticulato & patulo, ac capite compresso, sine compare uagantur: de quorum capite lapis exemptus, & adalligatus, febrem arcet. Erat quoque antiquorum medicis in frequẽti usu ius nigrum, Græcis ζωμὸς μέλας dictum, quod ex sanguine & σιραίῳ, id est sapa uel defruto conficiebatur. Verùm si uobis cordi sunt diuersa conficiendi iuris albi artificia, quibus uel hodie Romæ præparantur: ea uos Platina in libro sexto de Honesta uoluptate, perbellè docebit. His uerbis eos saturos dimisi: & quoniam aduesperabat, ne cocus meam absentiam causaretur, ad cœnam acceleraui, in qua & te quoque affuturum confido. Vale.

*De coctione piscium saxatilium in albo iure, Dioscori. lib. 2. ca. 32.*

*Quid sit καρυκεία, docet Hesychius & Suidas, ac dictionũ Hippocratis interpres.*

*De asellis piscib. Pli. lib. 9. ca. 17. & li. 32. cap. 6.*

*De uermibus asellis, Gal. li. 3. de Cõp. med. sec. loca. Porcelli quoque dicuntur.*

*Ius nigrũ, Suidas, & Gale. libro 1. Præno. Hippocratis.*

## DE GARO, MVRIA, ET ALECE. *Epistola* LIX.

DEdimus satis strenuè, in Bononiensi gymnasio, Theobalde, celebri Musarum Lyceo, medicinæ operã. Quũ uerò omnia ueris amœnitate uernarent, conuenerat inter nos, ex Germania medicinæ commilitones, nocturnis (ut aiunt) ad Cleanthis lucernam lucubrationibus, & interdiu uisendi ægros labore defessos, quo aliquando ingenij neruos remitteremus, ut Paduam proficisceremur. Et postquam illic, quę ægros curandi methodus obseruaretur, explorassemus: inde per mare Adriaticum, in quod Padus se exonerat, Venetias appelleremus. Vbi cum in forum piscarium uenissemus, en piscator scombros retib. implicitos, oblongos exilésque pisciculos, colore sulphureo sub aquis conspicuos, afferebat, ex quibus Veneti in uere, quo tempore obœsiores sunt, delicatiora præparãt obsonia, opiparè condita. Ob id Heliogabalus imperator (inquit Aelius Lampridius) pisces semper quasi in marina aqua cum colore suo coctos, conditura Veneta, comedit. Tum ego inquam: Si uos, ô commilitones, expensarum non pœniteret, ex scombris uos garum, celebre Græcorum Romanorúmque luxus obsonium, cõficere gratis docebo. Annuebant ergo omnes. Itaque pisces emptos cũ reliquis ὀψαριδίοις, id est, paruis pisciculis, ad gari lenocinium aptis, in xenodochiũ ad Fistulã dictum diuertentes deferebamus. & piscibus exenteratis: O socij, Garus (inquam) associorum fuit olim præcipuè ex piscibus, & aliquando ex carnibus sale maceratorum, putrilaginis liquamen. Nam teste Suida, ὁ δὲ γάρος ἐστὶν οὐδὲν ἄλλο, ἢ σηπεδών. id est, sale conditorum putredo. Quamuis enim sal reliqua à putredine conseruat, ingeniosa tamen gula ipsum ad gari, alecis & muriæ liquorem tabescere multifariam coëgit. Ob id scitè Plinius tradit, esse etiamnum aliud exquisiti liquoris genus, quod garum uocauere, ex intestinis piscium, cæterisque quæ abiicienda essent, sale maceratis: ut sit illa putrescentium sanies. Hoc olim conficiebatur ex pisce, quem Græci garon uocabant. Vnde Martialis:

*Scombrorum descriptio, & gari.*

*Veneta piscium in uere conditura.*

*Garus associorum quid, Pli. lib. 31. ca. 7. & 8. Dioscor. lib. 2. cap. 31.*

Expirantis adhuc scombri de sanguine primo
Accipe fæcosum, munera chara, garum.

*Martialis in xenijs distich.*

Nam nec ullus liquor, præter unguẽta, maiori precio constiterat, singulis millibus nummûm permutantibus congios gari penè binos. Et hic de piscibus liquor ita conficiebatur. Viscera scombri, aut scari, ac unà teneriores pisculi, ὀψάρια dicti, triglia, mænidia, lycostomi, in uas coniecta, sale affatim conspergebantur: ac in uere in apricum solis cooperta, & crebrò rude agitata, exponebãtur. deinde in æstate, quum solis calore, sal pisciúmq; pinguedo eliquesceret, in medium opsaridiorum uas, canistrum aut cophinus, ut promineret, oblongus, lentísque de salice uiminibus arctissimè plexus, statuebatur: in quem salsus piscium liquor sensim destillabat. quem sic colatum Græci quoque λυκούλμεν appellabãt. Vitium huius, inquit Plinius, est alex, gari imperfecta, nec colata fæx. Vnde Apitius, maximus ille nepotum gurges: Sumen (ait) elixum, uel in furno aut craticula assum, cum alece aut sinapi manducatur. Est & alec longitudinis pedalis aut spithami obœsus pisciculus, qui ex Cymbricis ac Daciæ & Noruuegiæ Borussięque littoribus, uasis inclusus, & sale conditus, haringa quoque dictus: aut sale fumóq; inueteratus, tũ haringa passa appellatus, cratibus aut sportulis impositus ad nos perfertur. In Bithynia uerò taliter garum præparant. Coniiciunt menidas paruas aut magnas, siue lycostomos, aut sauros, siue scombros, aut horum piscium omnium miscellam, in mactram, uas excauatum pistorium, in quo farina in massam subagitur, quod Græci μαγίδα dicunt. & in modium horum piscium, salis sextarios duos Italicos inspargunt: & quum noctem unam ita sale macerati fuerint, tandem eos in uas fictile cõiectos, & bene coopertos, per duos aut tres menses soli exponunt: eósque crebrò, sed tamen ex interuallo, rude uel baculo agitant. Quidam & uini ueteris sextarios duos in singulos piscium sextarios affundunt: & sic, ut οἰνόγαρον præparatum in uarios usus reponunt, ne uires eius difflentur, bene coopertum. De garo ex locustis id quoque memorabile fertur: quemadmodum pulices ad sanguinem caprinum assiliunt, sic locustas ad garum in fouea sepositũ, sturmatim aduolare aiunt. Qui uerò garum celeriter citra insolationem, sola decoctione conficere student, hi in muriam γαντλὼ, in qua iniecta stagnent, uel supernatent, piscem coniiciunt: & olla noua cum origano, donec aliquantulum muriæ euaporauerit, decoquunt. Et quemadmodum nostri gulæ nepotes lampretam piscem, uino Cretico ebriam & submersam, inserta eius ori nuce myristica, obduratis externè cum gariophyllis infixis, ex utroque latere colli septenis fistulis, ne uinum absorptum regerant, enecare solent: sic Apitius, artis culinariæ ad omnem luxum archimagirus, mullos pisces in garo enecatos, sapidiores fieri docuit. Vnde & Plato comicus inquit, ἐν σαπρῷ γάρῳ βάπτοντές ἀποπνίξουσί με. id est, In putrido garo submergentes suffocant me. His gari speciebus longè celebrior erat garus ex piscium cruore compositus, ob id Hęmaticus dictus. Accipiebant enim uiscera thynni aut scombri, cum embrochiis: eorúmq; liquore & sanguine ac sale conspersa, in uase fictili menses ut plurimum duos tabescere sinebant: deinde fundo uasis pertuso, liquorem in aliud uas substratum illi destillare sinebant. Vnde Martialis in Xeniis:

*Ex Geop. Cõstantini Cæs. lib. ult. ca. ult. gari præparatio.*

*Lyculmen. Pli. li. 31. ca. 8.*

*In lingua Germanica Bockslingen.*

*Altera gari apud Bithynos præparatio.*

*De magide & mactra, Pollux li. 7. cap. 5. & Hesychius.*

*Oinogarus. Tertia gari præparatio.*

*De Apitio hæc Pli. li. 9. ca. 17. De garo Athẽ. li. 1. Dipnosop.*

*Gari nigri hæmatici præparatio.*

Expirantis adhuc scombri de sanguine primo
Accipe fæcosum, munera chara, garum.

Hunc fuisse ob sanguinis admixtionem coloris nigri, quilibet coniicere potest, quo Gal. lib. 3. de Medicamen-

tis

tis locorum affectorum compoſitis, ad malè olentia & depaſcentia aurium ulcera utitur, γάρον μέλαν ῥωμαϊστὶ λεγόμενον ὀπιτέρου. Garus certè non ſociorũ, ſed aſſociorũ crapulæ lenocinium. Aſoti enim dicebantur prodigi helluones, qui cibariorum & potus luxuria paterna decoxerant bona, quorum catalogũ Vlpianus apud Athenęum recenſet. Quare gari cognomen apud Apitium, Plinium ac Martialem, abiecta litera, a, mutilaſſe credo librarios. Quod uerò ad muriam attinet, ut uarios eius ad ſalgamorum uini & ſalſamentorum uſus, ita tres ipſius ſpecies reperio. Prima ex aqua cœleſti uel fontana, ſale & melle unà maceratis, cõſtabat: qua ſolum in uindemiis uina, ut fierent defæcatiora, condiebant. cuius præparationem in epiſtola De uini cum ſale miſtura, ex ueterum Commentariis abundè docuimus. Altera uerò muriæ ſpecies, qua ueteres ad olerum, radicum, pomorum, ſalgamorúmque omnium condituras utebantur, Græci ἄλμην στακτικήν, muriam uel ſalſilaginem colatam, & à fæcibus depuratam, Columella uerò aridã appellat, quam hac methodo conficere docet: Dolium patentiſsimi orificij in aprica parte uillæ, qua plurimum ſol feruet, locato, & id aqua cœleſti repleto, aut fontana: tum indito ſportam iunceam, uel ex ſparto plicatam, ſale candido, quo muria candidior fiat, repletam. Cum ſalem per aliquot dies uideris liqueſcere, necdum muriam eſſe maturam intellexeris, tum ſubinde aliũ ſalem ingeres, donec integer in ſporta permaneat, nec diminuatur amplius, quod muriæ maturitatem indicat. & ſi meliorem habere uolueris, hanc in uaſa picata diffundes, & opertam ſoli exponito: omnem enim mucorem uis ſolis auferet, & odorem bonum præbebit. Eſt & aliud, inquit, maturitatis muriæ experimentum: ubi dulcem caſeũ in eam dimiſeris, ſi peſſum ibit, immaturã: ſi uerò emerget, maturam eſſe ſcito. Et quoniã ex ſale candido fiebat, illius præparationem ut ex M. Catonis lib. de Re ruſtica adſcribam, eſſe operæprecium arbitror. Salem, inquit, candidum ſic facito: amphoram defracto collo puram impleto aquæ purę, in ſole ponito: ibi fiſcellam cũ ſale populari ſuſpẽdito, quaſſato, & identidem ſuppleto. id aliquoties in die facito, uſque adeo, donec ſal deſierit tabeſcere biduum. id ſigni erit: mænam aridam uel ouum demittito: ſi natabit ea, muries erit, quo carnem uel caſeos uel ſalſamenta condias. Porrò, ait, muriam in labella uel patina ponito in ſole: & uſque adeò in ſole habeto, donec cõcreuerit: inde flos ſalis fiet. ubi nubilabitur, ſub tecto ponito. quotidie cum ſol erit, in ſolem reponito. Eadem quoque ratione Conſtantinus Cæſar in Gęoponico ſibi dicato, muriæ maturitatem explorare docet: ἅλμης, ait, στακτῆς διαλυομένης οὕτως ὅσον ἐμβληθὲν ἐπιπλεῖν· ἐὰν δὲ βυθίζηται, οὔπω ἔχει ἅλας τὸ ἀρκοῦν. id eſt, Ad gari decoctionem accipe muriam ſtactem collatam, ſic probatam, ut ſi quod in eam coiectum fuerit, ſupernatet: ſi uerò ſubſederit, muria nõ ſatis ſalis habebit. Eadem ratione oua, & alia in aqua marina ſalſa, non facilè ſubſident. Dicitur quoque poſtremò muria, quum de ſalgamis, carnibus ac piſcibus ſale ſicco maceratis, illorum madore ſal tabeſcit, liquamen. Vnde Heſychius inquit, ἅλμη τῶν ἰχθύων ζωμός, & muria in Xeniis Martialis ait:

*De aſotis popinonibus Athẽ. li. 4. Dipn. & Pſellus de uict. rat.*
*Scribendũ & dicendum garum aſſociorũ, & nõ ſociorũ.*
*De muria, qua uina curabãtur, Colum. lib. 13. cap. 26. M. Cato cap. 104.*
*Muriæ ſtactis & duræ præparatio, Col. lib. 13. cap. 6.*
*Maturitatis, id eſt, imperfectionis muriæ ſigna.*
*Salis candidi & muriæ præparatio, Cato de Re ruſti. cap. 88.*
*De flore ſalis, Dioſcor. lib. 5. cap. 83.*
*Tertia muria ſalſamẽtorum præcipuè piſciũ liquamen.*

Antipolitani fateor ſum filia thynni:
Eſſem ſi ſcombri, non tibi miſſa forem.

Hæc tibi, Theobalde, de gari, alecis, ac muriæ præparatione ex Gæoponico Conſtantini Cæſaris, ac ueterum rei agrariæ ſcriptorum monumentis, referre libuit. Quę uerò commoda ægris hæc afferant, ac præcipuè muria ſalſorum piſcium ac oliuarum ſalſilagine conditarum, quas Græci κολυμβάδας dicunt, in curandis aurium ac gingiuarum ulceribus, nomis, & contra exulcerata inteſtinorum tormina, uetuſtóſque coxendicum dolores, clyſteri infuſa: id quidem præter Dioſcoridem, & eius interpretem C. Plinium, Galenus quoque, & ingenioſa ipſius ſimia Paulus Aegineta, te docebunt. Vale.

*De oliuis muria cõditis Dioſcor. lib. 1. cap. 129. Athẽ. li. 2.*
*De gari & muriæ medic. Dioſcor. li. 5. cap. 82. Gal. de ſimpli. medi. in fi. Pau. li. 7. ca. 3.*

## DE PISCIBVS SAXAtilibus, Epiſtola. L X.

Accepi, crede mihi, Georgi cõſobrine, non abſque mœrore, comitia ab inuictiſsimo Cæſare Carolo Auguſtæ indicta, non prius ſolutũ iri, quàm Parthenopolis ciuitas duorum Saxoniæ & Marchionatus ducũ obſidiõe aut liberata, aut expugnata fuerit. Quum igitur euentus belli dubius ſit, aduentum tuum quoque fore dubiũ uereor. Scribit Andreas frater tuus, uos longitudinem temporis comitiorum pertæſos, illius faſtidium amica tamen & ſobria conuiuiorum philotheſia deuorare: ac nuper ueſtrum ſympoſiarcham, Anonymũ uobis ex Moſella piſcem appoſuiſſe,

Purpureis ſalarem ſtellatum tergora guttis,

quem Carpionem appellant: ac ex arenoſo flumine inter ſaxa captos fundulos, percas, ſalmulos & labracas, piſces ſaxatiles, in albo iure, cum modico porri, anethi, olei, & ſale (ut Galenus præcipit) decoctos præbuiſſe edendos. Verùm carpiones, trottis ſimiles, & ſapidiores, oleo ſuffrixos, & modico ſale ne marceſcãt conſperſos, aſſulis abiegnis incluſos, ex Benaco Myncij fluminis lacu captos, à Tridentinis per Oenoſpontum ad uos perferri Auguſtam, facile credo. frixa enim diutius, quàm elixa, conſeruantur. At uos piſces comediſſe ſaxatiles, frater tuus mihi non perſuadebit. Auguſta enim Vindelicorum metropolis, à maritimis ſcopulis, inter quos piſces alti & capti, Gręcis πετραῖοι, Latinis uerò ſaxatiles dicti, nimium diſtat. Si nãque piſces in flumine per ſaburram & ſaxa delabente capti, à ueteribus Medicis πετραῖοι dicti fuiſſent, tum certè rectius muſtela piſcis, à labendis petris lamprera dictus, ac murenulæ, oſculis ſaxis ut ægrè diuelli poſsint adhęrentes, in cenſum ſaxatilium referrentur. Sed, ut Columella ait, optimè ſaxoſum mare nominis ſui piſces nutrit, qui quòd in petris ſtabulentur, ſaxatiles dicti ſunt, ut merulæ, turdi, nec minus melanuria: quos Galenus in libro de Alimẽtis recenſet, et perſpicuè ita definit: Scaros, cottyphos, cichlas, iulidas, phycidas, percas, petræos nominant piſces, à locis in quibus inueniuntur, & diuerſantur. non enim in lubricis, arenoſis, aut terreſtribus æquoris littorib. ſed ubi petræ & ſaxoſa ſunt litora, ſeſe illa tebrant, & parturiunt. Alimonia ex ipſis non modò concoctu facilis, ſed humanis quoque corporibus ſaluberrima. ſanguinem enim conſtitutione ſubſtantiæ mediocrem generãt. ob id Athenæus ex Diphili medici Commentariis inquit: τῶν θαλασσίων ἰχθύων οἱ μὲν πετραῖοι εἰσὶν εὔφθαρτοι, εὔχυλοι, σμηκτικοί, κοῦφοι, ὀλιγότροφοι· οἱ δὲ πελάγιοι εἰσὶ δύσφθαρτοι. & paulò pòſt inquit: τὰ δὲ καλούμενα πετραῖα τοῖς τε σώμασιν ἡμῶν ξηράν τε διαδῶσι τροφὴν· εὔογκα δ' ὄψιν, καὶ τρόφιμα, καὶ πέπτεται ταχέως, καὶ οὐκ ἐγκαταλείπει περιττώματα πολλά. Hos ob id Galenus in eſculento piſcium iure albo elixatos, maraſmo aut ſyncope ex ſpirituum inopia languentibus, & laſsitudine ulceroſa defeſsis, ſalutares eſſe ſtatuit: quibus uires effœtas reficere nouit, nec illorum eſum febre uel pleuritide laborantibus à morbi ſtatu denegauit. Adde, hos & alios quoque maritimos piſces fluuiatilibus eſſe calculoſis longè innocentiores. ſalſus enim æquoris liquor, & fluxus inter ſaxa colliſio, illorum uiſcidum mucorem & attenuat & digerit. Proinde Cornelius Celſus: Leuior, inquit, piſcis eſt inter ſaxa editus, quàm in arena: leuior in arena, quàm in limo. quo fit, ut ex ſtagno uel lacu eadẽ piſciũ genera grauiora ſint, leuiórque qui in alto quàm qui in uado uixit. quod Galenus paulò uberius his uerbis teſtatur: Volucres, inquit, & piſces, paucis exceptis, omnes boni ſucci ſunt, præter eos qui in ſtagnis ac paludibus & fluuiis, limoſis ac turbidis uiuunt. nam minus natant, aëréque & uictu deteriori utuntur: ac maximè ſi in eorum lacum, aqua ex magnis ciuitatibus, latrinas, balnea, macellum, ac culinas, & fullonum, qui ueſtes & lintea eluunt, ſordes expurgans effluit. peſsima enim, in tam fæculenta aqua degentibus, caro naſcitur: quæ comeſta, & corporis noſtri alimoniam conſpurcare poſſet. & quemadmodum piſces marini ſaxatiles, in alto æquore degentibus ſunt ſalubriores: ſic quoque fluuiatiles, qui aduerſo torrentium impetu exercentur, & fatigantur, atque occurrẽtibus abruptis uadorum petris illiduntur, his qui in ſtagnis & limoſis lacubus tranquillè degunt & torpent, caſtigatiora habere ſumina, & in ſalubri uictus ratione præferendos cenſeo. Eſſe uerò priſcorum piſces ſaxatiles, aut in illorum cenſu habendos: pernegabo: donec tu pro ſingulari tua eruditione meliora docueris. Faxit Deus, ut te propediẽ bonis auibus reducem uideamus. Vale.

*φιλοθεσία poſt cœnam amica compotatio.*
*Salar, ex Moſella uel Benaco lacu, carpio.*
*Saxatilium piſcium coctu ram docet Dioſco. lib. 2. cap. 32. Paul, lib. 7. Auſon. in Moſella.*
*Gal. lib. 1. reg. acut.*
*Carpiones ex lacu Benaco, Garden ſehe.*
*Murenulæ, id eſt, brigken.*
*Qui ueri piſces ueterum ſaxatiles.*
*Columel. libro 9. cap. 16. Gale. libro 3. de alimen. facult.*
*De petræis piſcib. Athen. li. 8. Dipn. Gale. quoque lib. 8. Meth.*
*Cor. Cel. lib. 2 cap. 17. Gal. de ci. bo. & mal. ſuc. Paul. li. 1. cap. 90. Gal. in lib. de alimẽ. bon. & mal. ſuc.*
*Qui piſces fluuiatiles.*

## DE CARNE SVILLA, Hippocratis ſententia. Epiſtola L X I.

VIr prudens, Geralde, fatis cedere, & tempori se accommodare nouit: cuius te plurimam rationem habere, ex xeniolis mihi missis conijcio, quæ puer tuus Euangelus decimoquarto Calendas Ianuarij, tuo mihi nomine obtulit: quo die Romani & Cyrenenses togis exuti, ac curta synthesi ueste induti, ficulneisque ramis coronati, unà cū seruis pileo coopertis, Saturnalia celebrantes, epulabātur: amicus quoque amico grata munera mittebat, tum uaria ex frugibus obsonia & bellaria, tum præcipuè ex melle placentas, quorum inuenta Saturno accepta referunt. Hic certè solennis mos, nec apud Christianos omnino exoleuit. nam his Calendis Ianuarij, quibus CHRISTI ex Deipara uirgine natalis celebratur, in quibus plurimùm sues obœsas sagina, mactamus: amicus amico strenam, uicinus uicino, de carne suilla offam, aut farcimina, pro felici noui anni auspicio mittere solet. Et ut ego quoque tibi pro tuis xenijs aliquam uicem rependere uidear, en mitto de meo pridiè mactato porco, ex carne eius minutatim dissecta, addito pipere, isicia, & tomacla, ac de suillo latere, tergóque sale macerato, & suffito, succidias, quorum esum perfida gens Iudaica temerè infamauit. Nam, si modò ea quæ Iustinus & Cor. Tacitus memoriæ prodiderunt, uera sunt, quum hæc gens in Aegypto dijs hominibúsque inuisa, fœda scabiei porrigine, & tabe laboraret, eiusque contagio totam Aegyptum inficeret, Iupiter Hammonius de remedio per Bochorim, tum Aegypti regem, consultus, Iudæos Aegypto arcendos respondit. horum exulum Moses dux designatus, memor quàm fœda scabies & uitiligo illorum corpora deturpasset: simúlque quòd porci grandine, reconditis in carne uiuentium iunctis, & scabie eadem infestarentur (unde porci grandinosi, chalari dicuntur) Iudæis suillæ carnis esui interdixit. Verùm hæc sunt Ethnicorum, qui arcana diuinæ legis non intelligunt, deliramenta. Rectius hæc Mosis decreta Eusebius intellexit, qui tradit Moisen sub hoc de esculentis legum ænigmate, populum Israel, tum duræ ceruicis, & effrenem, ea docere uoluisse, quę ad iustitiam & pietatem pertinerent. Nam animalia & uolucres raptu & morticinio uiuentes, non alio nomine edere uetuit, quàm quòd huius legis symbolo eos à spolijs & cæde deterreret. Suilla uerò carne uesci prohibuit, quo Iudęos admonuit, quum sus sit amica luto, & locis uliginosis, in quibus se uolutat, & oblectat, ut ea quæ externè corpus, intus uerò animam coinquinarent, sedulò cauerent: & sobriè, non ut sues, in crapula & sagina uiuerēt. Nec ex nullo animali numerosiores ganeæ dapes præparantur. unde Cicero: Sus, inquit, quid habet præter escam? cuius quidem caro, ne uiuenti putresceret, animam ipsi pro sale datam dicit esse Chrysippus. qua pecude, quòd erat ad uescendum hominibus apta, nihil genuit natura fœcundius. & M. Varro: Suillum, ait, pecus donatum à natura dicunt ad epulandum: itaque huic animam datam pro sale, qui seruaret carnem. Non igitur eius esum ut insalubrem Moises uetuit. nam Galenus exquisita febre tertiana affectis, præter testiculos & alas gallorum, & uitella ouorum sorbilia, porcorum pedes & cerebra, ac porcellorum carnes τακερὰς, in iure albo liquefactas, præbet, & effœtas à morbo cōualescentium uires illius esu reficere, his uerbis præcipit: Tum, ait, suillas carnes esse à pedibus in ptissana elixis incipiet: pòst uerò etiam imum crus rectè sument. ab hoc etiam reliquas partes, primùm quidem iuuenis porcelli: qui si hyems sit etiam pridiè mactetur: nam hesternum quàm recens necatum facilius concoquitur. æstate sat fuerit, si manè immolatus porcellus sit, ac circa solis occasum comedatur. Nec ab re hoc præcipit: quippe omnium esculentorum, quæ nouimus, caro porcina ualentissimè nutrit, si modò concocta fuerit: adeóque magnam habet cum hominis carne affinitatem, ut non modò nostro Parisijs, sed etiam tempore Galeni Romæ, scelerati quidam pandochei & caupones, carnem humanam cum aromatibus in pastillis coctam, pro suilla, magni uendiderint. nec comestores alteram ab altera odore, sapore, aut colore discernere poterant: donec humanus digitus, per negligentiam cum sua ungue coctus, & repertus, atrox coci facinus prodidit: qui & meritas supplicio in furca pependit pœnas. Cæterùm hæc tibi de carnis suillæ alimonia dudum perspecta esse arbitror. Verùm illud Hippocratis, in libro quarto de Ptissana, de suillæ carnis differentia, multorum ingenia torsit, ubi τὰ χοίρεα, carnes porcinas uituperat: τὰ ὕεια uerò, suillas commēdat. χοίρεα δὲ, ait, πονηρὰ, ὁκόταν ᾖ ἐνωμότερα ἢ περικαῆ. χολώδεα δ' ἂν εἴη, καὶ ἐκταρακτικά. ὕεια δὲ βέλτιστα τῶν κρεῶν ἁπάντων. κράτιστα δὲ, τὰ μήτ' ἰσχυρῶς πίονα, μήτε λεπτὰ, μήτε ἡλικίην φέροντα ἱερείου παλαιοῦ. ἐσθίειν δὲ ἄνευ τῆς φορίνης, ἢ καὶ ὑπόψυχρα. id est (ut Copus Basiliēsis, ex Germania Francisci regis Galliarum medicus uertit) Porcinæ carnes, siue subcrudæ, siue ambustæ, malæ sunt: nam & bilem pariunt, & turbationem. Suillis nullæ aliæ meliores sunt: idque, si non admodum pingues, neque etiam pertenues sunt. ac neque ueteris uictimæ ætatem sint assecutæ. at uerò reiecta pelle, & subfrigidæ edendæ sunt. Verùm nisi quispiam Græcorum de suibus nominum, & ætatis uictimarum, ex ueteri pontificum iure peritus fuerit, hæc explicare non poterit. Quare ea tibi paucis perstringam. Epicharmus enim suem masculum, quem Latini uerrem dicunt, delphaca uocat. at scrophas cæteri Græci genere fœminino, propriè delphaces nominarunt: quòd delphyas, id est, matrices, procellorum (quæ delphacia dicunt) conceptacula haberent. inde ex eodem utero fratres, adelphos nominarunt. At ὗς, utriusque porcorum sexus genus, precipuè qui adoleuerant, sus dicebatur: & addito σ, σῦς quoque rectè proferri, Vlpianus tradidit, παρὰ τὸ σεύεσθαι, καὶ ὁρμητικῶς ἔχειν: quia, dum è terra radices scirporum, arundinum, & aquatilis syluę, ac lumbricos rostro eruunt, aut inter se colluctentur, tumultuariè collum capútque conquassant: unde & apros Græci syagros appellant. Sues igitur Aristophanes grammaticus in delphaces ac choiros ita diuidit: τῶν δὲ συῶν τὰ μὲν ἤδη συμπεπηγότα, δέλφακες: τὰ δὲ ἁπαλὰ καὶ ἔνικμα, χοῖροι. id est, De genere suum qui corpus robore compactum habent, & adoleuerunt, delphaces: qui uerò adhuc porcelli, corpus tenerum, molle, & humidum habent, choiri dicuntur. Quam differentiam apud Homerum Eumæus subulcus Vlyssis, quem ex bello Troiano & naufragio sibi tum ignotum, reducem hospitio excepit obseruat dicens:

ἔσθιε νῦν ὦ ξεῖνε, τά τε δμώεσσι πάρεστι
χοίρε', ἀτὰρ σιάλους δὲ σύας μνηστῆρες ἔδουσι.

Ac si diceret: Ede ô hospes, nam hæc chœrea, porcellorum carnes, debentur & supersunt famulis: proci uerò Penelopes obœsos & spumantes sues adultos edūt. Constat igitur, ueteres Græcos, porcellos lactentes & adhuc subrumes, χοίρους quoque appellasse, quorū esum ob uiscidos ac crudos carnis humores, Hippocrates improbat. & Galenus de Alimentis: εἰκότως, ait, οἱ χοῖροι περιττωματικωτέραν ἡμῖν εἰς τοσοῦτον παρέχουσι τὴν τροφὴν, εἰς ὅσον τῶν μεγάλων ὑῶν εἰσιν ὑγρότεροι, εἰκότως καὶ ἧττον τρέφουσι. id est: Meritò porcelli tanto magis excrementiciā præbēt nobis alimoniam, quanto sunt magni suibus humidiores, & minus quoque nutriunt. Nuper enim editi, quouis animali terrestri, quo homo uescitur, carnem humidiorem habent, sanguinis à phlegmate uiscosi fomitem. Teterrima uerò antiqui porci caro, quæ ægrè concoquitur, & concocta sanguinem atra bile conspurcat: optima uerò ad gulæ illecebras & corporis alimoniam est, porcorum mediæ ætatis, qui ueteris uictimæ uel non excesserint, uel nondum assecuti sint annos: caro non nimis obœsa, nec macra. hæc enim facilè concoquitur, & optimum generat sanguinem. Sed ut paulò exactius intelligamus, quæ fuerit olim in pontificio sacrificiorum iure iuuenilis aut ueteris uictimæ porcorum ætas, historia eorum paulò altius erit repetenda. Sus enim sacrum olim erat Praisiis & Cretensibus animal, quod Iouem infantem à Rhea matre, ne à Saturno parente deuoraretur, absconditum in Creta, sus lactauerat: & ne pueri uagitus à patre audiretur, grunnitu suo obstiterat. A suillo certè pecore immolationes in sacris prima duxerunt initia. Nam & Argiui in festo, à sue Hysteria dicto, porcum Veneri mactabant: & in mense Maio mercatores Maiæ, Mercurij parenti, porcam imprægnatam immolabant. Legimus quoque, prima omnium Cereris mysteria sue, quòd rostro repando segetes eruerat, cæsa, fuisse celebrata. Vnde Pelignus ille olor Ouidius cecinit:

Prima Ceres auidæ gauisa est sanguine porcæ,
Vlta suas merita cæde nocentis opes.

Adde quòd fœdera pacis & nuptiarū in Ethruria, Latio &

*Xenia & apophoreta in Saturnalibus missa, Martial. in Distich. recenset.*

*Saturnalia describit Macro. lib. 1. Satur. et Ouid. 1. Fast.*

*De isicijs Ath. li. 9. Dipnos. et Apitius lib. 2. ca. 1. Macrob. lib. Satur. 7.*

*Quare Iudæi ab esu carnis porcinæ abstineant, Iusti. li. 36. Cor. Tacit. li. 1. Oros. lib. 3. cap. 9.*

*De grādine porcorū Arist. lib. 8. de natu. auscu. cap. 21. Pli. li. 8. ca. 51.*

*De carne suilla lex Mosaica Deuter. 14.*

*Legum Moisis tropologiā tradit Euseb. de præpar. Euan. lib. 8. cap. 3.*

*Animā porcis datam pro sale, Cicero libro 2. de Nat. Deo. M. Varr. libro. 2. cap. 4. Pli. li. 8. ca. 51.*

*Gal. lib. 1. ad Glauconem de febre ter.*

*Gale. libro 7. Methodi.*

*De pandocheis carnem humanā uendentib. hæc Gal. lib. 3. Aliment.*

*Hipp. li. 4. reg. acut.*

*Athen. lib. 9. & Suidas.*

*De pabulo porcorum, hæc Col. li. 8. ca. 9.*

*Interpres Aristoph. in comœdia Acharnes.*

*Odyß. 1. Athe. lib. 9. Dipnos.*

*Galen. lib. 4. regi. acut.*

*Galen. lib. 1. de Alimen. & lib. 2. de tēper.*

*De differentia suillæ carnis, Gal. lib. 4. regim. acut.*

*De suillo sacrificio, Athenæus libro. 9. Macr. 1. Sat. Oui. 1. Fastor.*

*De Ioue in Ida mōte Cretensi educatione, Ouid. li. 4. Fast. Athen. li. 9. Dipnosop.*

*[Catchword:]* tio &

*M. Varro li. 2. de re Rustic. cap. 4.*

tio & Græcia, sue mactata cōfirmabantur. Vnde M. Varro: Sus, inquit, Græcè dicitur ὗς, olim θύτης, à uerbo θύειν, quod est immolare. à suillo enim genere immolationis initium cœpit. Ob id etiam Hippocrates & Galenus, à uerbo ἱερεύω, sacrifico, suem ἱερεῖον, id est uictimā, passim uocant, ac præcipuè Galenus in Methodo, & de Temperatura. ubi ait: ἀλλὰ καὶ εἰ νέον ἱερεῖον, ἔτι ἐσθίειν ἐθέλεις, ἔτ' ἀνατεμῶν σκοπεῖσθαι, μυξώδη μὲν καὶ πλαδαρὰν εὑρήσεις τὴν σάρκα, τὸ δὲ ὀστῶδες ἅπαν ἄρτι πεπηγυιμένῳ τυρῷ ἐμφερῆς. ὥστε μηδὲ φαγεῖν ἡδέα, διὰ ὑπερβάλλουσαν ὑγρότητα. id est, Si iuuenilis porcelli carnē

*Porcelli & sues appellantur ἱερεῖα, a Gale. lib. 7. Met. & lib. 2. de Tem.*

*Porcellorum anatomia & usus.*

edere uoles, aut dissecans cōtemplari, mucosam & flaccidam eius carnem inuenies, & uniuersum ossiū genus caseo iam primùm coagulato simile, ita ut nec edendo nuper genitorū animaliū corpora, propter superfluam humiditatē sint gustui grata. Quare rectè Hippocrates, τὰ χοίρεα, carnes porcelli iam editi ac subrumi, quas in deliciis cibariorum olim habebāt (ut modò Hispani hinnulos, ex ceruarum utero cæsos) ut insalubres damnat.

*Victimarum ætates refert Plin. lib. 8. ca. 51. Varro li. 2. cap. 4.*

Quæ uerò iuuenilis uictimæ erat ætas, ex Plinij uerbis facilè coniicere poteris: si modò perpenderis, hostiam mutilam, aut morbidam, aut quouis modo defectam, uelut impuram, offerre, ingens fuisse piaculum. Ob id ait: Suis fœtus, à partu, sacrificio die quinto purus est, pecoris die septimo, bouis trigesimo. M. Varro tamen iuuenilem suilli pecoris uictimæ maturitatem ad decimum usque diem à partu prorogarat: Cum, inquit, porci depulsi sunt à mamma, à quibusdam delphacia appellantur. neque enim iam lactentes dicuntur, qui à partu decimo die habētur puri: & ab eo appellantur ab antiquis Sacres, quòd tum ad sacrificia idonei primùm dicūtur.

*Sues sacres & nefrendes.*

Amisso autem nomine lactentis, appellantur nefrendes: quoniam necdum fabam frendere, id est dentibus frāgere aut atterere possint. Coruncanus uerò ruminalis hostias, donec bidenes, id est biennes (inserta inter duas uocales litera d, ut in uerbo redire, redamare, redarguere fit) fierent, puras esse negauit: id pontifices de ueteris uictimæ ætate statuisse par est. P. autem Nigidius, in libro quem de extis composuit, bidentes appellari ait, nō solas oues, sed omnes bestias bimas. Vnde Pomponius, festiuus Attellanarum fabularum poëta, in Galliis transalpinis ita scripsit: Mars tibi uoueo facturum, si unquam rediero, bidente uerre. Hippocrates igitur sues bidētes, qui ad bimatum, ueteris uictimæ ætatem, non excessissent, porcellis & uetustioribus esse salubriores docet.

*Bidentes hostiæ quæ sint, Gell. lib. 16. c. 6. Macro. lib. Sat. 6.*

Erant & alia quoque de hostiis præcidaneis sacrificia, quas ante sacrificia sólennia pridiè cędebant. Vnde porca etiam præcidanea appellata, quam piaculi gratia ante fruges nouas immolari Cereri mos fuit. Cæterùm non arbitror fore absurdum, si in huius epistolæ coronide, auctarij loco addidero, quale Romani gulæ proceres ex suilla uulua conficiebant ferculum, ab Apicio & Horatio laudatum: Cum sit obœso

*Porca præcidanea. Gel. li. 4. cap. 6.*

*De suilla uulua tripl[ici], Pli. lib. 11. cap. 36.*

Nil melius turdo, uulua nil dulcius ampla.

*Cel. li. 2. ca. 23.*

Et Cor. Celsus de sue ait: Stomacho prosunt ungulæ, rostra, aures, uuluæ, sterilésque. Vulua enim in animalibus est interior fœtus conceptaculi cauitas, quam in homine uterum & locos appellant, ac matricem. cuius tres erant apud culinæ antistites differentiæ, quarum delectum Plin. his uerbis indicat: Vulua suis eiecto partu melior, quàm edito. Eiecticia uocatur illa, hæc porcaria. Primiparæ suis optima: contrà effœtis, à partu, præterquàm eodem die suis accisæ, liuida & macra. Nec nouellarum suum, præterquàm primiperarum, probatur: potiúsque ueterum, dum ne effœtarum, nec biduo ante partum, aut post partum, aut quo eiecerint die. proxima eiecticiæ est, occisæ uno die post partum. huius & & sumen optimum, si modò fœtus non hauserit: eiecticiæ deterrimum.

*Aristot. li. 3. de hist. ani. cap. 1.*

*Suillæ uuluæ conditura, ex Apitij libro 7. cap. 1. Athen. libro 3.*

Vulua uerò de uirgine, porca sterilis dicta, lasere cyrenaico, pipere, mentæ siccæ foliis, addito liquamine, melle, & aceti modico, condita, in muria tamen prius cocta, cæteris pręferebatur, de qua Martialis ait:

*Martial. in Distic.*

Te fortasse magis capiet de uirgine porca,
Me materna graui de sue uulua capit.

Si stomachus tuus hæc tibi de suilla carne missa Apophoreta, botellos, isicia, pernas ac petasones fastidierit, poteris Apitij conditura, sterilem tibi præparare uuluā, quæ languentis stomachi uires reficiet. Vale.

## DE LASERPITIO, BELZOIN, & Myrrha. Epistola. L X I I.

Significasti literis tuis, non tantum dictionis, sed & officiosæ humanitatis lepôre ornatis, apud uos quoque in Calēdarum Ianuarij Saturnalibus, sues quidē obœsas plures mactari. Proinde perlecta mea de suilla carne, & conditura uuluæ, epistola, & cum Antiphanes scripserit, μήτραν τινὲς πωλοῦσιν ἥδιστον κρέας. id est, Vuluam quidā uēdunt carnē suauissimam: coquos uestros omnē impendisse operā, ut ea rectè elixata uel fricta in sartagine, rectè quoque laserpitio, id est, silphij succo, pipere & cymino, & reliquis aromatibus, condiretur: quemadmodum & Apitius docuit, & Archestratus opsodædalus, dum ait:

*Athe. li. Dip. 3.*

ἐμπίνοντι δέ σοι, φερέτω τοιόνδε τράγημα,
γαστέρα καὶ μήτρα ἑφθὴν ὕες, ἐν δὲ κυμίνῳ,
ἔντ' ὄξει δριμεῖ, καὶ σιλφίῳ ἐμβεβαῶσαν.

At pharmacopolam uobis pro lasere, quod Græci silphiū appellant, geminas assæ species misisse: quarum altera fœtida, quum graue uirus redoleret, ac putrilaginem resiperet, uiroso odore, qui stomachum facilè subuerteret, uuluam infecisse: alteram uerò odoriferam, quum præstantiori myrrhæ esset simillima, ueritos ne in ea opocalpasum, homini lethale uenenum, subesset, uos quoque abiecisse.

*Duplex assa, fœtida & dulcis.*

*Opocalpasi uirus in myrrha latêre, testis Gale. lib. 1. de Antidotis.*

At Geralde mi, pharmacopola à mercatoribus falsus, uos quoque (ut arbitror) inscius fefellit. Laser quippe planta est quotannis crescens, quæ radices nigras, caulem ferulæ similem, sed succi plenam, folia apij, semen uerò latum & foliaceum profert: cuius natales loci olim fuerunt, Syria, Armenia, Media, & Lybia. Sed omnium præstantissimum Cyrenis, in Pentapolitana regionis Africę ciuitate nascebatur. Vnde Victruuius: Si inquit, terra non esset generibus humorum dispar, nec Cyrenis in ferulis laser tantum nasceretur: quod ob eandem causam Hippocrates nec in Ionia, nec in Peloponneso crescere, sed in Libya prope Cyrenas absque cultura sua sponte nasci, ac quatuor stadiorum quoque rura occupasse tradit.

*De lasere Cyrenaico hæc Victru. li. 8. ca. 3. Hippoc. lib. 1. de morb.*

Liquor uerò ille preciosus, suaui fragrans odore, ex radice silphij incisa collectus, rhizias, ex caule scarificata resudans, Caulias dicebatur: & aëre ueluti Olibanus aut mastix concretus, ὀπὸς λιγυναϊκὸς nominabatur, cuius uarias in re medica uires Theophrastus & Dioscorides & Galenus commemorant. & Nicander poëta medicus in Alexipharmacis asserit, silphij radices & succum his qui cū coagulo lac biberint, & eo in uentriculo in grumos cōcreto ægrè spirent, præsens ferre auxiliū, si quis radices poculo suo intriuerit, aut dissolutū biberit succum.

*Silphium grumos lactis coagulo in stomacho cōcreti dissoluit.*

ἤτι καὶ λιβύηθε ποτῷ ἐγκνήθεο ῥίζας
σιλφίου, ἄλλοτ' ὀποῖο, νόμοις δ' ἐν βάμματι τήξας.

Nec silphio ad medicamenta tantum utebantur, & ad intinctus, quos Græci ἐμβάμματα dicunt: sed eo esculenta & salgama condiebant. Vnde Columella docet, supra olus atrum, ferulam, & fœniculum, duas partes, & unam duræ muriæ, usque ad summum fideliæ labrum affundere: dein paucas radiculas laseris, quod Græci silphium dicunt, adiicere iubet.

*Columel. lib. 13. cap. 7.*

Non certè uulgaris erat usus eius. adeò enim magni constabat, ut singulæ laserpitii libræ pondo argenti rependerentur. nec id Cyrenis, nisi clàm, impunè efferre licebat. Vnde Carthaginēses, & aliarum regionum mercatores, ad Caraxem portum, non longè à Syrtibus & Cyrenis distantem, uina deferebant, ut inde silphium clàm referrent. Et Plinius C. Valerio & M. Herennio Coss. à Cyrenis aduecta Romam publicè laserpitij pondo triginta, maximi facit: & adhuc pluris, quòd C. Cæsar dictator initio belli ciuilis inter aurum & argentum laserpitij pondo C X I. ex ærario, uelut Romanę reipublicæ thesaurum, protulerit.

*Silphij pretiū & æstimatio ac raritas.*

*Silphiū Romani ærarij thesaurus, Pli. lib. 19. cap. 3.*

*De mercatoribus laserpitij, hæc Strabo libro ultimo.*

Erat quippe adeò magnificum, & diis hominibúsque gratū munus, ut Græci olim, & sycophanta Aristophanis, rem magnæ æstimationis significaturi, Batti Silphium dixerint, οὐδ' ἂν εἰ δοίης γέ μοι τὸν πλοῦτον, καὶ τὸ βάττου σίλφιον. negat sycophanta se facturum, etiam si Plutonem diuitiarum Deum, aut ipsum Batti silphium ei daret. Erat enim Battus rex, qui Cyrenas anno urbis Romanæ 143. in Libya condidit.

*Batti silphiū prouer. Aristo. in Plut. interpres explicat, & Suidas copiose.*

Municipes igitur eorum conditori gratificaturi, alterum numismatis latus Ammonis facie, alterum silphij figura insculpebant. Batti quoque effigiem annulo, quo publicè literas obsignarunt, his characteribus insculpere solebant, qui ciuitatem Batto silphium offerre indicarent. Adde quòd Ampeliotæ, gens Libyca, quotannis ex agri sui opibus aliquot silphij ferulas Delphis Apollini offerebant. Accipisne modò, quàm preciosum, rarum,

*Ampeliotæ silphio sacrificāt.*

acca

ac carum fuerit ueteribus laſerpitium? At noſtrum in officinis aromatariorum, laſeris gummi, quòd belczoin appellant, nec ita rarũ inuẽtu eſt, nec adeò magni à pharmacopolis uęnit: & cortices ſatis lati & denſi in eo agglutinati, nõ plantæ, aut oleris (quale ſilphiũ eſt) ſed arboris eſſe lachrymã produnt. Nec tanta laſerpitij copia, quãta benzoini in officinis reperitur, noſtro ſeculo ſuppeditari poteſt: quum ante mille annos in Cyrenis & Libya creſcere deſierit. Quum enim Nomades, gens ex Aethiopia fera, pecorũ paſtu uiuẽs, in Cyrenas (ut Strabo refert) irruiſſent, ſilphium radicitùs in pecoris ſui pabulum extirparũt. eſt enim omne pecus huius pabuli tam auidũ, ut niſi ab eo (teſte Arriano) in Africa arceantur, eius paſtu ob dulcedinẽ, donec diſrumpantur, facile impleantur. nã & ſerpentes uini auidas, admiſtum ſi ſorbuerint, flatu diſrumpi aiunt: & pecora ſanè quæ eo ueſcuntur, carne admodum iucunda pingueſcunt. Ob id publicani, uectigalium publicorũ conductores maius ex pecorum paſtu lucrũ quæſituri, ſilphiũ pecorum pabulo depopulabãtur: adeò ut unus tantũ caulis, inquit Plin. noſtra repertus memoria, Neroni principi miſſus ſit. Quàm uellẽ autem, ut noſtri pharmacopolæ unum nobis proferrent ſilphij ſurculum: unde ſaltem eius inenarrabilem odoris iucunditatem, uel unicam eorũ benzoini lachrymulam emungere poſſemus. At dices, Ludouicum Romanum patricium, qui uitam mille periculis expoſuit, ut ea quæ in nouis Inſulis, liberalitate regũ Portugalliæ à Veſputio & aliis naucleris repertis, continerentur, aut adoleſcerent, mercimonia metalla, gemmas, ac aromata exploraret, uerum xiloaloën & laſerpitium uidiſſe. Nam Tharnaſari, inquit, dũ defunctorum comburũt corpora, omnifariam odores in rogũ coniiciunt, aloën uidelicet, & id genus arboris gummi, quod elegantiſsimum illud unguentum gignit, quod uulgò Belzoi nuncupatur, eruditiores uerò laſerpitium ab arbore laſari appellant. At laſer non eſſe arborem, ſed βοτάνην, ἢ λάχανον, id eſt, herbam, plantam aut olus, Hippocrates, Ariſtoteles, Theophraſtus, & ueteres medici (pręter unicum Serapionem, malè uerſum) fatentur omnes. At quum Ludouicus naſcentem ſilphium non uiderit, facilè ei id erroris condonamus, quemadmodum & facilè ei credimus, quod ait, in Sumatra inſula, apud mercatores, Chriſtianos, duas uncias aloës, & aliquãtulum laſerpitij ſe reperiiſſe, quorum aloës fruſtulum cum in pugno incaluiſſet, laſerpitij uerò ad quantitatem nucis iuglandis incenſum, utrunque ſeorſum adeò ineffabilem ſuauitatis odorem ſpiraſſe, ut nuſquam locorum fragantiora ſenſerit ſuffimenta. quibus quum reges & ſacerdotes, illic dæmonum cultores, in ſacrificiis & rogo defunctorum, ac in uitæ deliciis plurimùm utantur, ac una libra aloës decem aureis ueneat, ea ob id ad nos perferri negat. Cui ego libens aſſentior. nam utrunque in aromatariorum totius Europæ officinis deſiderari uideo. Sed quid ſit illud officinarum belzoin, ab aliis ben iudęum dictum, ſcire haud dubiè malles: quam eſſe ex Troglodytide præſtantiorem myrrham electam, arbitror, quæ item ex arboris in Arabia, Aegyptiæ ſpinæ ſimilitudine naſcentis, lachryma, cuius cortice inciſo, in ſubſtratas palmeas tegetes liquor eius defluit, aut in trunco arboris adeò tenaciter concreſcit, ut unà cum cortice auellatur, quem in benzoi crebrò quoque conſpicimus. Habet ſanè omnes myrrhæ electæ proprietates. eſt namque friabile: & fractum, in eo cãdidæ humanis unguibus ſimiles maculæ effulgent, ac (ut Eccleſiaſtes ait) fragrãtiſsimum ſuauitatis odorem ſpirat. unde fragrantiſsimum deorum in templis ſuffumigium Aegyptij ex tali myrrha & bedellio, humani unguis colorem referente, componebant: quod Damocrates τὸ χῦφι appellat. At noſtra uulgaris myrrha incenſa planè uiroſo odore fœtet: quã adeò ab optima myrrha degenerem, à Dioſcoride Ergaſimẽ dici arbitror. Sed enim haud ignoro te amaritudinem myrrhæ in benzoi requirere, quod maſticatum plus dulceſsit quàm amareſcit. Verùm ſcias amaritudinem illam non omnibus myrrhæ ſpeciebus ineſſe. nam troglodytica leniter in ore lenteſcit, & (ut Dioſcorides ait) eroſione quadam linguam pungit. Nec ob id quòd amaritudinis expers ſit, inferre poteris, belzoin eſſe aſſam dulcem: quum hæc apud Serapionem & Auicẽnam à Græcorum laſerpitio nihil differat: quod non amplius extare, ſatis ſupérque probauimus. Quod ſi officinarum belzoin myrrham dulcem appellare uoles, nil moror. ſolet enim natura ſæpe in rebus eiuſdem ſpeciei, ad uoluptatem, cõtrariis ſaporum qualitatibus ludere. Nam ſi poma & mala Punica, atque arantia tam dulcia quàm acetoſa, amygdala item tam dulcia quàm amara procreat: quid obſecro obſtare poterit, quin etiã myrrham tam dulcem quàm amaram procreet? Nihil certè. proinde obſecro, ut meam de ſilphio, aſſa dulci, myrrha & belzoin cenſuram, ad commilitones tuos referas: illorúmque iudicium quàm primum ad nos reſcribas. Vale.

*Officinarum benzoin non eſſe laſerpitiũ.*

*Ob quas cauſas ſilphium creſcere deſiit, Strab. lib. 17. Pli. li. 19. ca. 3.*

*Silphium pecori gratũ pabulum.*

*Theophraſt. lib. 6. cap. 3.*

*Ludouici patricij de ligno aloës & laſerpitio experientia, libro ſuæ nauigationis 6. cap. 9. 10. & 11.*

*Belzoi eſſe laſerpitium, Ludo. lib. 6. ca. 9.*

*Silphium non eſt arbor, ſed planta.*

*Quare ſilphiũ & aloë ad nos non perfertur.*

*Belzoin officinarum eſſe myrrham electam.*

*Myrrhæ ex Dioſcor. lib. 1. cap. 75. deſcriptio.*

*De Cyphi ſacerdotum Aegypti ſuffimento. Gal. li. 1. de Antid. Dioſco. lib. 1. cap. 24.*

*Eccleſiaſtes de myrrha, cap. 24. ubi ungula pro ungue bedellij malè legitur.*

*Belzoin officinarum poſſe dici myrrham dulcem.*

*Belzoi non eſt aſa dulcis.*

## DE NOVIS AMERICI ORBIS *inſulis, antea ab* Hannone Carthaginen*ſe repertis, & Geographiæ utilitate. Epiſtola* LXIII.

NVper dum pleiades cum ueris amœnitate prodirent, atque ego ut mœrorem ex fratris mei obitu concœptum animo excuterem, propè amnes intra montes deambularem, en repentè grues ex Thacia per pontum Euxinum aduenas, clangore ſuo obſtrepere audiui: ac literato, ad Palamedis uel Pythagorę characteris Y effigiem, ordine, ſenſim à tergo ſe dilatante cuneo, ut aëris flatu promouerentur, & obuias uentorum procellas agminis roſtro facile infringerent, in ſublimi aëra ſulcare conſpexi. Tum hominum deſidię pertæſus, tacitè mecum cogitaui: En grues, anſeres, olores, ciconiæ, & inter minores uolucres conturnices, per mare, per terras, ex Europa in Aphricam, & ad extremos Gangis fluuij accolas Pygmæos, peregrinantur: proh dolor inquam, quum homo ſit animal diuinæ mentis capax, natus ut erecto ad ſidera uultu, ineffabilem huius orbis fabricam & arcanam cõtemplaretur, & inde diuinam illius opificis ſapientiam, qua ſyluas, æquora, terras, pecora campi, ac uolucres cœli cõdidit, agnoſceret, & piè collaudaret: quæ (cogitaui) eſt iſta ignaua hominum deſidia? quum hæc animalia rationis expertia terrarum orbem perluſtrent, hominũ uerò uix centeſimus quiſque ultra ſuum natale ſolum, pedẽ proferre audet, ut in alienis terris uarias naturæ diuitias, urbium ſitus, & regionum mores cognoſceret? quod olim erat præcipuum præſtantis uiri præconium, qualem ſibi oſtendere Homerus Calliopen ſuam orat:

*De gruibus & anſeribus hæc Plin. lib. 10. cap. 23.*

*De homine hæc Lactant. lib. 3. cap. 9. Ariſtot. de part. animal. lib. 4. cap. 10. & lib. 1. ca. 10. Ouid. libro 1. Metamorph. & Cicero libro 2. de nat. deor.*

ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ
πλάγχθη, ἐπεὶ τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσε,
πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.

*Odyß. α.*

Quod Virgilius feliciter imitatus, à ſua Muſa quoque petit:

Dic mihi (ait) Muſa uirum captæ poſt tẽpora Troię,
Qui mores hominum multorum uidit, & urbes.

Nam & hęc ſcire Medicos, & bellorum duces, magni refert. Etenim ſi dux belli, regionum ſitus, oppida, nemora, fluminum uada & ſemitas ignorauerit, qua ſolertia ſua expediet ſtratagemata? aut unde exercitui commeatum afferet, aut copias ſuas per fluenta ſecurè traiicere poterit, ne hoſtium inſidias incidat? planè ignoro. Xerxes Perſarum rex, & totius Græciæ fulmen, quamuis tam numeroſum aleret exercitum, ut equi & milites flumina exhaurirent, ſpiculis emiſsis ſolem obumbrarent: dum tamen propè Thermopylas, totius Græciæ propugnaculũ, à Græcis occupatum, exercitũ traiicere crebrò fruſtra tentaſſet, ac bis térque obſiſtẽte Leonida, dubio marte pugnatũ fuiſſet, Xerxes ab incepto bello turpiter deſiſtere coactus fuiſſet, non ſine ingenti clade exercitus, niſi Epialtes Trachynius regem, iam conſilij inopem, occultum tramitem, qui per iuga & anfractus montiũ Thermopylas duceret, docuiſſet: quæ res Leonidi & Gręcis omnẽ uictoriæ ſpem ademit. Quis res ducum regúmque ſtrenuè geſtas, ſine regionũ & urbium ſitus peritia rectè conſcribere, aut conſcriptas recte intelligere poterit? Nemo. Medicum quoque oportere omnium horum eſſe gnarum, integro libello Hippocrates docuit. Nam quum corporum conſtitutiones, & affectus animorum, ſecundum climata orbis, ac pro ſitus regionum, urbium & aquarum natura uariantur, uictus & remediorũ rationẽ quoque uariare neceſſe eſt. Vt cuique loco peculiaris eſt Genius, ita quoque proprij ſunt locorũ morbi, & ſua cuique medicamenta: uerùm quum nõ tantũ remediis domi in pomœrio natis morbi curentur, ſed crebrò exoticis opus ſit: præſtat medicorum horum natale ſolũ ſcrutari, quàm domi in ſcholis (ut Medicos Alexandriæ) conſeneſcere, quàm Seplaſiariis iſta concredere, qui horum defectũ ſuccida-

*Geographia Imperatori & medico ſcitu neceßaria.*

*De Xerxe & Thermopylis Strabo lib. 1. Herodot. & Iuſtinus.*

*De medicorum Alexandriæ deſidia, Galenus de diſpnœa libro 2. & in ſextum Epidem. Hip.*

neis

*Galenus suas peregrinationes scribit lib. 10. de simpli. med.*

neis resarciunt, quum ueris præstaret uti. Nec Galenũ, ut chalcitidem amisi & sory aliáque metalla dignosceret, in Cyprum nauigare tæduit: qui deinde ob asphaltum, Iudaici lacus bitumen, in Syriam Palæstinam profectus, & in Lemnum insulam quoque appulit, Vulcano sacram, ut quantum hircini sanguinis Lemniæ terræ sacerdos admisceret, ipse præsens uideret, & capræ signo obsignari: & ut plura alibi remedia nata exploraret, ex Asia pedes per Thraciam & Macedoniam rediit. Euphorbus, Iubæ regis Mauritaniæ medicus, herbam sui nominis (cuius lacteo succo oculorum caligo illustratur, & uirus serpentum obtunditur) non in suburbio quæsiuit, sed impiger per abruptos scopulos, altissimi montis Atlantis cœliteri cacumen conscendit, ut euphorbium inter saxa natum erueret.

*De euphorbio hæc Plin. lib. 5. cap. 1.*

*De herbarũ autoribus Pli. lib. 25. cap. 2.*

Lysimachus uerò & Gentius reges, hic gẽtianæ radices, ille lysimachiã herbam, non minori studio quæsiuerunt. Pulchrũ enim & immortale decus censebant, si eorum nomina, regia herbarũ nomenclatura ad posteros propagaret. Summos quoq; philosophos, Democritũ & Pythagoram, ob herbarum cognitionem ad Persarum, Arabum, Aegyptique magos profectos constat. Vnde Homerus,

*De Nepenthes & herbis Aegypti, hæc Homer. Odys. d. Macrob. li. 7. Satur. Philost. lib. 7.*

nobile illud Nepenthes, œnotheræ radicem, mœroris pharmacum, aliásque herbas, quibus Polydãna, Theonis regis Aegypti uxor, Helenam donat, non inter extrema xenia recenset, quæ Menelaus ex Aegypto domum detulit. Nec sua laude fraudandi sunt, illustris Fernãdus Castiliæ, ac Ioannes & Henricus ac Emanuel inclyti Portugalliæ reges, quorum opera & expensis saluberrimũ

*Ligni Guaiaci utilitas.*

illud lignum Guaiacũ, quod nuper ab Australis Oceani insulis nobis allatum est: quo uno plus commodi miseris mortalibus attulerunt, quàm omnes illi auaritiæ cuniculi, metallorum argenti & auri fossores: qui dum in uiscera terræ omnium parentis sæuiunt, plus expendũt & insumunt, quàm eruunt. Tanti est, uel uno morborũ remedio medicinam locupletare. Quare Geralde mi, tuum nauigationis propositum summopere laudare cogor, qui cum iis sacris Apollineæ artis dogmatibus pręclarè initiatus, ne tamen pharmacopolis nostris credere cogaris, instituisti hoc ueris initio proficisci in

*Calechut emporium Indiæ quibus abundet.*

Calechut, celeberrimum totius Asiæ & orientis emporium, ad quod ex Aethiopia, Aegypto, Arabia felice, & Niliaca urbe Cayro, olim Babylon dicta, ac Indici Oceani insulis, præcipuè ex Zello, pręter gemmas & uniuersa aromata, & ex serico pãnos, auro netili intertextos, ac Tyrio murice uel cocco infectos, mercatores etiam ea quæ in censu pharmacorum habentur, saccharum, ebur, ambram, muscum, utrunque aloës, masticen, cassiam, mirobalanos, ac caphuram, & id genus pharmacorum, deferunt: quæ nummis ex auro obryzo, quos

*Taprobanæ situs, et merces. Plin. lib. 6. ca. 22. Ptole. li. 7. cap. 4.*

zaraffi appellant, uendunt. Deinde statuisti ad Taprobanam insulam Gangetici æquoris, nunc Summatra dictam, sub æquatore sitam, appellere, gemmis, ebore ac xiloaloës & laserpitij odoramẽtis locupletissimam, olim alterum orbem terrarum, Antichthonum appellatione, existimatam: cuius incolas longissimam, sine ullo corporis languore, traducere uitam, Artemidorus refert. Petis igitur, ut te certiorem reddere uelim, unde commodius ad has & nouas illas ante 50. annos à Lusitanis repertas insulas, an ex Venetiis per mare Adriaticum, an à Lysibona & Herculis columnis, per mare Hyperboreum aut Athlanticum, oram soluere posis. id quod te non celabo: simúlque docebo, & ratione testibúsque conuincam, Phœnices & Carthaginenses

*Phœnicũ ad nouas insulas ante Vespntiũ nauigatio.*

plus minus duobus millibus annorum ante Vespuntium, & alios regum Portugalliæ naucleros, per mare Athlanticum, etiam ultra Fortunatas insulas, meridiem uersus, ad has nauigasse, ac ob occidente orientem uersus totam plagam illam intra tropicum capricorni brumalem, ac circulum poli antarctici sitam, Ptolemæo

*Plagã intra tropicum capricorni et circulum antarcticum esse habitabilem.*

tamen incognitam, perlustrasse: quam tamen, æquè ac nostram illam, intra tropicum cancri æstiuum & circulum poli arcticum sitam esse temperatam, ac uersus austrum ad 48. aut 50. gradus latitudinis habitabilem, philosophi ac astrologi multa ante secula, hac ratione docuerunt.

*Auerrois li. 4. de cœlo, Albert. de nat. locor. ca. 7. Pto. lib. 2. Georg. cap. 8.*

Conuenit enim inter omnes, inter extrema contrariæ qualitatis loca, ut circulos polorum frigidos & solis tropicos incalescentes, medium necessariò esse temperatum, ac sub oppositis parallelis & climatibus, ab æquatore pari interuallo dissitis, eandem esse aëris temperiem ac dierum quantitatem. Vnde Pomponius Mela: Terra, inquit, zonis quinque distinguitur, mediam torridam æstus infestat, frigus ultimas: reliquæ duæ habitabiles, paria agunt anni tempora, uerùm non pariter. Antichthones alteram, nos uerò alteram incolimus: illius situs ob ardorem plagæ intercedentis incognitus, sed tamen non incultus.

*Auerr. lib. 4. de cœl. et mũd. Alber. de nat. locor. cap. 7.*

His rationibus Auerroës in libris Aristotelis de cœlo & mundo, ac Albertus de naturis locorum, freti, tantum terræ à tropico capricorni uersus polum antarcticum esse habitabile, quantum ab altero ad arctum, nempe ad 50. ab æquatore latitudinis gradũ, rectè asseruerunt.

*Hannonis et Polybij nauigatio, de qua Pli. lib. 5. ca. 1. Mart. Capella lib. 6. philologiæ.*

Quod uerum esse, Hanno ille Carthaginiensium dux expertus est: qui cum per continentem Aphricæ, ob torridæ zonæ æstum, syrtes & cautes, deserta & ferarum lustra, ad externam Aphricæ oram & meridionalis Oceani insulas, penetrare non posset: cum sexagintaquinque remibus quas Græci πεντηκοντόρους appellant, annona & tribus hominum utriusque sexus millibus onustis, à Carthagine mare mediterraneum emensus, ad columnas Herculis appulit, ut inde insulas in Athlantico æquore & Oceano olim à Phœnicibus conditas exploraret, aut nouas conderet, & à Gaditano Herculis freto per Aphricæ ambitum & meridionalis oceani flexum, in Arabicum sinum enauigauit: quam nauigationem τῆς Λιβύης περίπλουν dictam, à sèque conscriptam, Carthagine, ut esset posteris suæ nauigationis monumentum, in templo Saturno consecrauit. Cuius uestigia sequutus Polybius, annalium conditor, accepta à Scipione Aemiliano classe, bella tum in Aphrica gerente, scrutandi orbis gratia, totius Aphricæ ambitum in Oceano circunuectus est. Vnde Martianus Capella: Ab ipsis, inquit, columnis

*Columnæ Herculis, & Gades.*

Herculis, quæ in Gaditano sunt littore consecratæ, usque in Arabicum sinum, meridianus omnis permeatur Oceanus: quod plurimis asseueratur exemplis. nam eius magnam partem Alexandri sulcauerunt uictoriæ: & in eodem Arabico sinu constituto Caio Cæsare Augusti filio, Hispanarum nauium eiectæ naufragio fragmentorum reliquiæ apparuerũt. ut Hanno, dum Punicum floreret imperium, Mauritaniæ circuitu, ac dehinc meridiani flexus Oceani excursu, in Arabiæ terminos, prolixa admodum nauigatione peruenit. Cornelius autor quoq; affirmat, Eudoxum quendam, fugientem regis insidias, ex Arabia in Gaditana peruenisse refugia. Celius quoque Antipater affirmat, se hominem uidisse, qui negotiationis gratia, ex Hispania in Aethiopiam nauigasset. Harum quoque nauigationum plures, Aristoteles in libro περὶ θαυμαστῶν ἀκουσμάτων commemorat. Ferunt, inquit, in pelago ultra columnas Herculis, repertam à Carthaginiẽsibus insulam

*De Phœnicũ à Gadibus in Oceano nauigatione, Aristot. in libr. de Mirabil. aud.*

desertam, à Gadibus multorum dierum nauigatione distantem, fluminibus nauigabilibus irriguam, omnifariis arborũ fructibus frugiferam, & amœnam: cúmq; in ea Carthaginienses, eius fœcunditatis frugum illecebra capti, cunctarentur, illius accessum mortis supplicio uetuerunt. Et cur Carthaginenses à Phœnicibus orti, hæc extra Gades æquora, & Oceanum ipsum ita longè dissiti sulcauerint, ac insulas in eo Libyphœnicas dictas condiderint, ita paucis causam accipe. Phœnices olim maritimã Syriæ oram incoluerũt: gens in obeundis pacis ac bellorum naualium muniis solers, præclara inuentionis literarum, siderum, naualium ac bellicarum artium gloria celebris. Hi in Aphricano littore Vticam, Thebas in Bœotia, à Rubro quoque mari profecti Sidonem ac Tyrum urbes in Syria opulentissimas

*Tyrus, Sidon, Carthago, Gades, à Phœnicib. conditæ, Plin. li. 5. c. 19. & Strabo.*

condiderunt: ex quibus aurum & purpura ad templi Salomonis cultũ, regi suppeditabatur. Tyrij uerò Carthaginem condiderunt, de qua Plinius inquit: Tyrus quondam insula prealto mari septingentis passibus à continente diuisa: nunc uerò Alexandri oppugnantis operibus, coaceruatis arenarum aggeribus, continens facta: olim partu urbium clara, genitis ex ea ciuitatibus, Lepti, Vtica, & illa Romani imperij æmula, terrarum orbis auida, Carthagine, etiam à se Gadibus extra urbem conditis. Mos enim erat Phœnicibus, non tantum mercandi gratia, sed etiam propagandæ ditionis eorum causa, à domo, magno subditorum comitatu, per mare, per terras, in peregrinas regiones & loca proficisci. & cùm incolarum animos ignotis ipsis muneribus conciliassent, tum illorum loca armorum uiribus occupare, aut illic noua condere, ut Gades, Tartessum, & plures alias in Athlantico æquore & Oceano insulas, Libyphœnicas ab Hannone dictas. Vnde

*Libyphœnices. Hanno in sua nauigatione describit.*

Aristoteles: Aiunt, inquit, Phœnices Gadira incolentes, extra columnas Herculis diebus quatuor ἀπηλιώτῃ uento orientali nauigantes, in locos palustres, ulua, iuncis & alica refertos, deuenisse, quæ maris defluxu subsidebāt, affluxu uerò emergebāt: in quibus thunnos pisces captos, saléq; maceratos, & uasis inclusos, Carthaginēsibus uelut eorum cognatis misisse. Verùm in his, quas Hanno Carthaginensis & Phœnices explorarunt insulis, non tantū psittacos, simias caudatas, ac catoblecta animalia odorifero zcibeti unguine turgida, & elephātos, ac admiranda in genere humano naturæ ludibria, homines caninis capitibus, oblatrantes canibalos, anthropophagos etiā, humana parentum carne saturos, Nomades sine domibus, pecorū pastu diuites, Aethiopes ἀξένους inhospitales, troglodytas equis ueliciores, homines ferarum pellibus aut cōnexis uolucrum pennis coloris uarij uestitos: mulieres toto corpore hirtas & efferas, Gorillas dictas, de quibus Hāno pelles duas abstractas, cum uiuas domare nō posset, Carthaginem misit. sed etiam præter aromata & gemmas, Phœnices magnā auri & argēti copiā secum efferebant, teste Aristotele: qui dicit, τὰς πρώτους τῶν φοινίκων ἀδὶ ταρτησὸν πλεύσαντας, τοσοῦτον ἀργύριον ἀντιφορτίσασθαι, ἔλαιον, ναυτικὸν ῥῦπον, εἰσαγαγόντας, ὥστε μηκέτι ἔχειν δύνασθαι, μήτε ὑποδέξασθαι τὸν ἀργύριον, ἀλλ' ἀναγκασθῆναι ἀποπλέοντας ἐκ τῶν τόπων. τά τε ἄλλα πάντα οἷς ἐχρῶντο ἀργυρᾶ κατασκευάσασθαι, καὶ δὴ καὶ τὰς ἀγκύρας πάσας. Quin & illud uetustatē insularum occidui & meridiani oceani ualde approbat, quod Aelianus ex Theopompo historiographo refert: Olim Silenū semideū Midę regi Phrygum dixisse, Europā, Asiā ac Libyam esse insulas Oceano circumseptas, extra quas esse terrā continentem, magnitudinis immensæ, quæ homines nostris duplo maiores & uiuaciores aleret. in ea esse duas amplissimas urbes, alteram εὐσεβῆ, id est piā dictam: cuius incolis, eximijs deorū Pacis & Iustitiæ cultoribus, esse ob id cum dijs cōmercium, & tellus sponte sua cuncta produceret, nec uitam morbis defecti, sed lętitia & uoluptate trāsigerent. alteram uerò Machimum dictā, ducētas hominum myriades incolere, pugnaces, auro argentóq; abundātes: qui quum in bellis ferro uulnerari non possint, lapidibus aut fuste trucidātur. Proxima illis loca Meropes obtinent uolucres, qui genitores suos senescentes, in cauernis terræ reconditos, ut ciconia quoq; suos, studiosè alunt. Illic quoq; ingens patet uorago terræ ἀνόστους dicta, quia nemini inde reditus patet. Ac dixit, duobus fluminibus irrigari: altero, cui Tristitiæ nomē, in cuius ripa arbores proceræ crescunt. quarum fructus quicūq; ediderint, horū corpora mœrore & luctu diffluere, ac perpetuis lachrymis tabescere dixit. in alterius uerò fluminis ripa, cui Lætitiæ nomē est, arbores frugiferas adolescere, quarum fructus comestores exhilarāt, ac iuuenescere cogunt. Accedit ad hoc, quod Plato insulā Atlanticam, extra Gades sitā, Asia Libyáq; maiorem fuisse tradiderit: uerum ex terræ concussione subuersam, ibi relictū esse cœnum etiā nautis inuium. At fortasse hæc à Sileno relata, quispiā portarū esse mystica, de inferis & campo Elysio, figmenta suspicaretur: nisi Americus Vesputius, anno à Christo ex deipara uirgine nato 1497. ex Gallicij portu, ad Fortunatas Atlantici æquoris insulas à Lissibona 280. leucas distantes, quas uulgus Canarias uocat, & ab his ad terrā firmam immēsæ magnitudinis, nōdum penitus exploratæ, his 75. gradibus occidentaliorē, appulisset: & postea impensis Emanuelis inclyti Portugalliæ regis, innumeras meridiani ac orientalis oceani insulas, austrum uersus, ab æquatore 50. gradus: ad orientem uerò uersus à Gadibus oceanum ultra Taprobanā, & aureā Chersonesum, ad extremos usq; Indos, explorasset: quæ iure illustrissimis Portugalliæ regibus accepta referimus, quorum nauigationibus effectum est, ut nō modò Europa gemmis auróq; splēdeat, aromatibus cibos suos opiparè cōdiat, odoribus peregrinis fragret, unguenta & noua morborū medicamēta redoleat: sed quod longè pluris æstimo, quòd atroces in nouis insulis dæmonū cultores, suaui Christi iugo colla submittere coegerint, & quòd sacrosancti uerbi sonus in toto terrarum orbe increbuerit. quod certè festiuis carminibus Picus, non ille Martius, sed Musarum cœtu comitatus, doctissimus Mirandulæ comes, ita nobis decantauit:

*Thunnorum copia.*

*Catoblecta, Pisemthier.*

*Gorillæ mulieres hirsutæ, Hanno in sua nauigat.*

*De Tartesso, à Tyrijs Phœnicibus cōdita, Pli. lib. 4. cap. 22. & libr. 3. cap. 1.*

*De continente extra orbē, hæc Aelian. de uaria histor. lib. 3.*

*Atlanticā insulam copiose describit Plato in Critia.*

*Vesputij nauigatio.*

*Regum Portugalliæ laus.*

*Sonus uerbi diuini in omnem terram sparsus: Matthæ. 28. Luca 24. Lactā. li. 4. cap. 11.*

*Picus Mirandulanus, hymno 1. de Christo.*

Quin & Vlysseo nuper de littore soluens
Nauta, per infidum pelagus, per Atlantica regna
Discurrens, uiridiq; iugo post terga relicto,
Arctoi relegens contraria sidera currus,
Pertulit Eoos tua rex uexilla sub Indos:
Et mox, insani qui bruta animalia diuos
Credebant, tetris oculis nunc luce chorusca
Purgatis, spectant rubro pendentia ligno
Membra, Deum censent, hominem regémq; fatētur.

Accepisti sanè Geralde, ante multa secula Phœnices, Carthaginenses quoq;, à Gadibus ad extremas Arabici & Indici Oceani insulas traiecisse, quod Americus Vesputius ac Aloysius Cadamustus, auspicijs & subsidijs regum Castiliæ & Portugalliæ ante quinquaginta annos quoq; fecerunt. Si igitur inde in Calechut opulentissimum Indici sinus emporiū oram soluere cupis, horum Commentarij ac Hispanorum Pilottæ & Lixitæ iter te docebunt. Est & alia ex Venetijs in Calechut longè compendiosior nauigatio, unde soli Veneti ante triginta annos Europæ occidentali exoticas merces & aromata, minori quoq; precio, suppeditabant: qui primùm ex sinu Adriatico per mare mediterraneū in Alexandriam, iuxta Nili ostia sitam appulerūt. deinde ubi Nilus se in mare exonerat, Cayrum, ueteris Babyloniæ reliquias, cōscenderunt. Postea emenso aliquo in Syria per Damascū, in qua sanctus Paulus & Mesue medicinam professi sunt, & alias quoq; præclaras Phœniciæ urbes, Aegypti Arabiæque loca peragrantes, per mare Rubrum (à Gręcis Erythræum, ob rubeā arenam dictū) in sinum Indicum, in cuius littore Calechut sitū est, uela uentis dabāt. Tu uerò, si me audis, ex Lissibona cum Hispanis in Calechut traijcies. Inde uerò per mare rubrum, & Felicis Arabiæ aut Aegypti loca, ac Syriæ urbes, Damascum, uel Tripolim, ad Alexandriā proficiscere: quæ loca omnifarijs fructibus aromatum, & uarijs medicamētorum generibus abundāt. Alexādriæ enim optima conficitur theriaca, à qua per maris mediterranei insulas in sinū Adriaticum, qui Venetias alluit, facilè traijcies. Et nauigaturus caue, ne à tergo ad natale solum respicas: sed illud Ouidianū crebrò in animo tuo repetas,

*Venetorum in Calechut nauigatio.*

*Paulus medicinam professus.*

Omne solum forti patria est, ut piscibus æquor.

Eia age igitur, aude aliquid, uiro magnanimo dignū: & oram soluenti Neptunum, qui siccis pedibus mare sulcauit, fore propitium tibi precabor. Vale.

## DE EXOTICIS MEDICAMENTIS *Arabum, serò à Græcis cognitis. Epist.* LXIIII.

GAude quidē mi Critobole, & plurimum quidē: ego quoq; gaudeo, Geraldum nostrū spectatæ indolis & eruditionis adolescentē, per maritimam exterioris Africæ orā, ad Orientalis Oceani insulas transfretasse: quem in decemmestri spatio, nisi maris æstus obstiterit, Deo auspice per mare Erythræum, aut (si illi placuerit) etiā sinum Arabicū ac Damascū, & alia amœna Syriæ & felicis Arabiæ oppida, ac ueterem Aegypti Babylonē, & tandē ad Alexandriam uēturum spero: quem deinde per maris mediterranei insulas & Adriaticum sinū Venetias appulsurum cōfido. Et quum non sit medicamentorum imperitus, spero eum nobis allaturum, uerū xiloaloēs, quod alij agallochum Dioscoridis esse credūt: ueram myrrham, stacten, cassiam, schinantum, ambrā, moschum: uerū turbit, senam Alexandrinam, antiquorum rheum barbaricum, recentes myrobalanos, & zizipha: ac uerū draconis sanguinē, & sandaracam nobis allaturū. Verū quum hæc in barbarorum regionibus & insulis nascantur, nihil mirum est, Græcorum medicos hæc serò, æquè ac saccharū & mannam Arabum cognouisse. nec tam serò, ut ipsi arbitrantur: quippe qui tria mellis genera, à Græcorum ac Latinorū philosophis & medicis descripta, nouimus. Primum illud uulgare passim in toto terrarum orbe, in Europa præcipuè, Polonis, Ruthenis, ac alijs Sarmatiæ incolis notum, quod apum mellificio ex floribus myricæ, thymi, ac arborum tiliæ succo in aluearibus elaboratur: quale bonitatis censu optimum ac dulcissimum Hymettus Atticę regionis mons, Sardinia ex apum absinthij pabulo amarum, Heraclea Ponti ob herbas noxias uirulentum profert. Alterum uerò mellis genus, Plin. ac Galen. saccharum uocant, Dioscoridem imitati, quod Indiam & felicem Arabiā ferre tradunt, nempe mel in arundinibus concretum, gummi aut salis

*Tria mellis genera.*

*De melle apū, hæc Dioscor. libr. 2. cap. 73. Gale. lib. 7. de simp. med.*

*Mel in Sardinia amarū.*

*Saccharū Indi quid sit, Pli. li. 12. ca. 8. Dioscor. lib. 2. cap. 73.*

modo

modo candidum, dentibus friabile, arundinibus nucis auellanæ magnitudine accreſcens, ad medicinæ uſum tantum. Vnde Megaſthenes Græcus, Indiam in arundinibus, mel ſine apum opificio gignere tradit: & id mellis τὸ καλάμινον τὸ λεγόμενον σάκχαρι in emporijs Erythræi maris eſſe uenale, Arrianus refert. quod & Alexander Aphrodiſæus agnouiſſe uidetur, dum in Problematibus ait: Quod ſacchar Indi appellant, mellis in arundinibus coagulum eſt, ſole cogente rores ad mellis dulcedinem. quod idem in monte Libano quoque fieri certum eſt. Fit ſacchar id proximum ſalis glebulis candidum, fragile, uim tergendi purgandique melli ſimilem habet: hoc ob cannas, quibus innaſcitur, aut ſalis cãdorem, Paulus Aegineta medicus ſalem Indum, alij ſacchar candi appellant: quod ad nos ex India non amplius affertur, ſed Veneti decoctionis artificio, eius ſuccidaneum præparant. Illius naturalis cognitionem & uſum probè Galenum nouiſſe, nemo dubitabit, dum in Methodo inter melicratum & oxymel opportuna ex obſtructione febricitantium pocula recenſet: apomeli, quod à melle elutis aqua fauis conficiebatur, præcipuè in Peloponneſo, medium habere locum, & ſaccharũ inter hæc meritò numerari arbitratur: ex cuius parte una, additis aquæ partibus duabus hydroſachar decoquebant: ſicut ex ſucco uel ſtillaticio roſarum aut uiolarum liquore, & ſaccharo, zulapia conficere Actuarius docet: Simpliciſsimum, inquit, in potionibus febricitantium medicamen eſt, quod ex ſacchare & aqua coquentes temperamus. Secundum locum tenet, quod ex uiolarum ſucco & ſacchare ſacimus, à uiolis ἰοσαχχαρ nominatum, quod lentos de pectore humores expurgat, ac bilis acrimoniam obtundit. Quod uerò ex nymphеæ floribus & ſacchare paratur, uehementioribus febribus multo magis ſubuenit, cruciatus à bile ortos, ac capitis dolores ſopit. Nec hæc & alia medicamenta tantum ex ſaccharo Indo, puriore arundinum lachryma, conficiebantur: quippe cum illis nucis auellanæ magnitudine tantum, inſtar ſalis grumi accreſcant, unde illis ad tot medicamenta ſacchari copia ſuffeciſſet? quum nunquã, nec hodie, eius tanta fuerit copia, ut mercatores ex opulentiſsimis Arabiæ & Indiæ emporiis aliquot ſaltem fragmenta ad nos pertuliſſent. Quare facilè credo, non Arabum tantum, ſed etiam Græcorum medicos, & ipſum Galenum etiam, uulgari ſaccharo uſos: qui olim quoque, ut nunc in Medera & Syria, ac Indiæ inſulis, ex ſucco radicum cannarúmque medulla, inſtar ſambuci, molli & ſucci plena, in ſubiectam peluim expreſſo, in æneis caldariis donec concreſcat, aut inſtar cryſtalli coaleſcat, decoquitur. Quum igitur in regionibus orbis, quæ ſacchar ferunt, arundines ſacchari ſint eiuſdem ſpeciei, natura ſoli differentes, nemo mihi perſuadebit, ſaccharum, quo modo utimur, ab antiquorũ per decoctionem facto eſſe diuerſum. Hanc ſacchari decoctionem, M. Varro Narbonenſis, cum Cæſar Iulius ante Chriſti aduentum habenas Reipub. Romanæ adminiſtraret, fuiſſe conſuetam, ita lepidè indicat:

De melle in arũdinib. Stra. lib. 15. Arrianus de nauig. maris rubri. Alexãder hæc li. 1. Probl. 74.

Sal Indus ſaccharũ naturale.

Saccharũ cãdi artificiale.

De ſaccharo hæc Gal. li. 8. Meth.

Apomeli qualis potus, Dioſ. lib. 5. cap. 9.

Hydroſachar, & rhodoſachar, ac ioſachar: Actuarius de Comp. med.

Ex florib. nymphеæ & ſacchare potus.

Noſtrum ſacchar ab antiquorum artificiali non eſſe diuerſum.

Sacchari decoctio ex arundinibus.

Stat. li. 1. Syl.

Indica non magna nimis arbore creſcit arundo,
Illius & lentis premitur radicibus humor,
Dulcia cui nequeant ſucco contendere mella.

Sed præter Strabonem & Solinum, Statius Papinius, qui ſub Nerua imperatore uixit, Arabes & Syrios in Eboſia ex cannis coxiſſe ſaccharum, hoc hendecaſyllabo teſtatur: Et quas præcoquit Eboſia cannas. Eadem igitur apud ueteres, quæ nunc, & ex eiſdẽ arundinib. erat ſacchari conficiẽdi ratio. Antiquorum igitur ſaccharũ modò deſiderari, uel à noſtro eſſe diuerſum, niſi meliorib. rationib. conuictus, non credã. Vidi quoque ex Medera in Hiſpaniã allatas arundines, quib. ſaccharum purum accreuerat: quod ſeparatum, ne reliqui decoctio uileſcat, non niſi magni ueneũt. Tertia mellis ſpecies Græcis ab aëris rore δροσόμελι καὶ ἀερόμελι, id eſt, mel roſcidum, aut aëreum, ab Hebræis manna, & Arabibus thereniabin, & Latinis ros Syriacus dicta: quoniam interdiu ſublato æſtiui ſolis uapore in aëra, qui tandẽ ſerenæ noctis frigore concretus, in Syria & monte Libano, Neapolis, in Oenotria campo, ac Calabria, antelucano tempore ſupra ſaxa, aut laricis arboris, aut thymi, aliarúmq; plantarum folia deſtillat. quod Ioan. Franc. Picus Mirandulæ Comes, his eruditione plenis, uerſibus expreſsit: Nubes, inquit,

Tertia mellis ſpecies, Mãna.

Picus hymno primo.

Sed placidum rorem uerno liquefacta tepore
Gignit, ſi pulſis nebulis nox ipſa refulſit.
Hæc etiam ſemen coriandri imitata rotundum,
Cogitur, & ramis frondoſæ ſtirpis adhæret:
Flauam corporibus bilem eductura. ſed olim
Dum Iudæa cohors ſitientibus exul arenis
Degeret, in paſtum cecidit diuinitùs. inde
Attoniti patres, Manhu, dixere uetuſti.

De manna & melle de petra quib. Deus Iudæos in deſerto Arabiæ ſaturauit, Exo. 16. Ioſeph. lib. 3. Antiq. ca. 1. Lacta. libr. 4. cap. 10.

Auerrois hanc Galenum, & alios ante eum Græcorum medicos ignoraſſe, nugari nõ erubuit: quum is totam aërij mellis hiſtoriam, abundè depingat: & longo ante Galenum temporis interuallo, Amyntas, Græcus autor, in primo de Aſiæ ponderibus libro, mannam ſub aërij mellis nomine exactè deſcribat. inquit enim: σὺν τοῖς φύλλοις δρέποντες συνθλίβουσιν, εἰς παλάθης συριακῆς τρόπον πλάττοντες. οἱ δὲ σφαίρας ποιοῦντες. καὶ ἐπειδὰν μέλλωσι προσφέρεσθαι, ἀποκλάσαντες ἀπ' αὐτῶν ἐν τοῖς ξυλινοῖς ποτηρίοις, οὓς καλοῦσι ταβαίτας, προβρέχουσι, καὶ διηθήσαντες πίνουσι. καὶ ἔστιν ὅμοιον, ὡς ἄν τις μέλι πίνοι δίεφθον, τοῦτο δὲ πολὺ ἥδιον. id eſt, Mel aërium cum foliis decerpentes, inque maſſas Syriacas, aut in globulos effingentes, ſeponunt: quúmque eo uti uoluerint, fracta de globulis fragmenta in uaſis ligneis diſſoluunt, & colatum ebibunt, melle ipſo ſuauius. Ac nullo iure ipſum Meſue calumniatur, qui Galenum ſcammoneæ miſcuiſſe mannam, & ex ea pharmacum cholagogum compoſuiſſe aſſerit: quum ſine dubio pleraque Galeni opera, quæ modò deſiderantur, in Arabicam linguam fuiſſe translata, in quibus Galenus de manna hæc docuerit, à ueritate non abhorreat. Decidua quoque eliſi cum corticibus thuris fragmenta, Plinius & Galenus paſsim mannam appellant. Veruntamen quamuis Ioachus Martyropolitus Græcus, Galeno ſenior, gari ſui confectionem ſacchare (ut ipſe ait) καυτῷ, & moſcho, ac ampare orthonio illigatis, condiat: & autor ἀπορίστων, moſcho ureteri inſerto, dyſuriæ medeatur: & Actuarius quoque caſsia & aliis Arabum medicamentis crebro utatur: Arabes tamen medicamentis ſemper Græcis fuiſſe opulentiores, fateri cogor, quæ non ab Arabibus & Phœnicibus tantum, ſed etiam ab Aegyptijs, Democritus, Orpheus, & Pythagoras conquiſiuerunt. Proinde ego ærumnoſi curandi in Germania ægros laboris pertæſus, non ero Galeno noſtro pigrior: qui ut uerum carpeſium, cubebas agnoſceret, in Pamphiliam profectus, & multas Orientis regiones ob medicamentorum cognitionem, perluſtrauit. Primo igitur uere Bononiam proficiſcar, deinde Ferrariam: & ſciſcitabor, an illa erudita Leoniceni medicorum progenies, Manardus & Braſauolus, aliquid noui medicamentorum à ſuis acceperint mercatoribus. Deinde Venetias adibo, & à pharmacopolis percontabor, an eis ex Alexandria, Damaſco, & aliis Syriæ locis, ac felici Arabia, prius nobis incognita, medicamenta allata ſint. Præterea ſpero Geraldum noſtrum, interim Venetias quoque uenturum: & quicquid aromatum, medicamentorúmque, thymiamatum, & pigmentorum, ex Indici auſtraliſque Oceani emporiis, ac Fortunatis olim Athlantici æquoris inſulis attulerit, de his te certiorem reddam. Vale amice, & ualeant omnes qui inter nos diſsidium quærunt.

De melle aërio Amyntas, et Athen. li. 11. Galen. li. 3. de Alimentis.

Mannã thuris deſcribit Gal. lib. 4. de Cõp. medi. κατὰ τόπους.

Moſchus, ampar & ſacchar cantion Græcis cognitum.

Gal. de carpeſio & ſua peregrinatione hæc lib. 1. Antidot.

Ferrarienſes medici olim Leoniceni diſcipuli.

## DE SANGVINE DRACOnis, ac cinnabaris ſpeciebus. Epiſtola LXV.

INgens tibi, ô Critobole, gaudium, quod mihi ſubitò accidit, enarrabo. Quum à Ferraria Venetias appuliſſem, & iſtic nauicula lyburnica intra canales oppidi uectus, unà cum eruditis Venetorum medicis ægrotos inuiſerem, egreſſus nauiculam, ut ab agyrtis quæſtum medicina parantibus, aliquid nugarum audirem, in foro iuxta ædem diui Marci deambulabam: ibi tum nauem grandem πεντηκοντόρον eminus, ut omnes ex nauigij ſignis diuinabant, ex Alexandria aduenientem conſpeximus. Animus certè tum mihi in pectore geſtiebat, & in ea Geraldum noſtrum aduehi præſagiuit. Nec ſanè ſpe fruſtrabar. Nam iacta anchora, & naue continenti alligata, en egreditur nauem Geraldus, pronus capite obſtipo littus aſpiciens, ac pedibus uelut primum è compede ſolutus uacillans, ſarcinulam in ſcapulis deferebat. Quem quum dextris iunctis fronte hilari excepiſſem, ipſe quoque gauiſus, genas lachrymis rigabat: quippe qui maritimis uentorum procellis iactatus, olentiſque in fundo nauis

De agyrtis Plato lib. 2. de Repub.

sentinæ odore languidus,gaudebat se portum attigisse.quē ita defessum,ablata de humeris à ministro meo sarcinula,cum in xenodochium deduxi.ubi postquàm quiete & somno aliqualiter uires recuperasset, eius

*De philothesia amicitiæ a cœna poculo, Hesychius & Suidas copiosè.*

monitu à cœna ad φιλοθησίας poculum cōuenimus,quo Græci olim quoq; ueterem instaurabant amicitiam. Quum igitur unum aut alterū philothesiæ poculum libassemus,Geraldus disligata sarcinula, ex ea gummata purpurei coloris, nucis auellanæ magnitudine,deprompsit:En inquit,amici,hoc gummi,uerus est prope Erythreum mare,ex regione thurifera & Athlantici ma

*Verus sanguis draconis.*

ris Sanctæ portus insula,sanguis draconis: cuius usus in antidotis & collirijs salutaris,& inspersus uulneribus hæmorrhagiam sistit.cinnabaris quoq; dictus Indica:sed non illa mineralis,minium dicta,quæ nascitur in argentarijs metallis,uena siue gleba,arena coccinei

*Minium, cinnabaris mineralis dicitur, Victru.libr.7.cap.8. Diosco.lib.5.ca.63.*

coloris circunsepta,ac ob carbunculi fulgorem ἄνθραξ dicta:quę ferreis malleis aut cuneis fissa,& elisa,argenti uiui lachrymas destillat:& halitum tam exitialē spirat,qui metallorum fossores,nisi faciem uesicis perspicuis obducerent,in ipsis scaptensulis suffocaret.Ex hac, præcipuè in Cilbianis agris,supràq; Ephesum reperta, ustionis & lotionis artificio,hydrargyrum ac purpurei coloris minium cōficiebatur,quod in picturis propriè sanguinis colorem reddebat. Nascitur quoq; in-

*Hæc omnia Pli.li.33.ca.7. ex Theophra. de lapidib. li. transcripsit.*

quit Theophr.minium αὐτοφυὴς naturale,& sua sponte natum circa Hiberiam.& in Colchis,quod incolæ rupe de inaccessa iaculis decutiunt.Hoc Græci Milton,quidā cinnabarim uocant.Artificialis quoq; cinnabaris arte chymeutica,una sulphuris parte,cum duabus argenti

*Cinnabaris artificialis,cinaprium & zinsiphur dictum.*

uiui adusta,Venetijs pręparatur.Tradit quoq; Plin.sanguinem siue saniem draconis,pondere elephantorum, cum quibus luctantur,succumbētium elisi,& oppressi,Indicam appellari cinnabarim quoq;.pro qua nominis homonymia decepti medici,minio,quod ob argēti uiui uirus uenenum esse constat,temerè utebantur.

*Pliniana cinnabaris Indica draconum sang. Plin.lib.8.cap.11.& Aristo.libr.3.Meteor.ca.ulti.Philost.li.3.*

quod idem Plinius medicis exprobrat his uerbis:Comperi uulgò pro cinnabari Indica in medicamenta minium addi,inscitia nominis,quod esse uenenum inter pigmenta docebimus. Quanto rectius quispiam nostros redargueret medicos,qui in antidotis ac catapotijs contra pestem & coxendicum dolores,puluerē ex hydrargyro aqua chrysulca in alembico emacerato,

*Plin.lib.29.cap.1.minium esse uenenum.*

per sublimationē præparatum,ægrotis prębent,quem ob causticam aquæ chrysulcæ uim minio esse uirulentiorem,nemo mineraliū peritus negabit:quemadmodum has prædictas omnes cinnabaris species,hydrargyri,& pestiferæ draconum saniei germina.Atqui cum

*Exitialis Mercurij præcipitati usus.*

sanguis draconis sit salutaris Indorum cinnabaris,nullam prædictarum esse arbitror,sed instar sanguinis rubentem arborum Indię & insularum Athlantici æquoris lachrymam,quam nec Dioscoridem,Theophrastū, aut ipsum Plinium exactè cognouisse certum est:cum

*Plin. Theoph. Dioscor. Indicam cinabarim ignorarunt.*

nullus eorū cinnabarim Indicam esse arboris lachrymam uel gummi tradiderit.Sed Arrianus de maris rubri nauigatione inquit: ἐν κόλπῳ ἐρυθρᾶς θαλάσσης ἐστὶ χώρα λιβανοφόρος, σαχαλίτις λεγομένη. γίνεται δ᾽ ἐν αὐτῇ κιννάβαρι τὸ λεγόμενον ἰνδικόν, ἀπὸ τῶν δένδρων ὡς δάκρυ συναγόμενον. id est:In sinu

*Vera & salutaris cinabaris Indica.*

Erythrei maris est regio thurifera,Sachalitis nominata.nascitur in ea cinabaris Indica,ab arboribus ut lachryma stillans congregata.Quod & Aloysius Lusita-

*Aloysius in sua nauigatione ca.4.*

norum nauclerus uerum esse cōperit,qui tradit,incolas insulæ Sanctæ portus,stato anni tempore,cortices arborum ferro incidere:de quibus anno futuro gummi ubertim destillat,quod in ahenis ad sanguinis concreti colorem & spissitudinem decoctum,sanguinem draconis ob similitudinem appellant. At uereor plurimū,ne noster sanguis draconis,qui in officinis phar-

*Pharmacopolarum sanguis dracon. adult.*

macopolarum uenalis est,sit sanguis caprinus,cū minio uel sorbis contritis decoctione inspissatus,quibus etiam olim adulterabatur, quem pictoribus magis quàm medicis usui esse suaderē. Hæc quum dixisset, ut nobis non modò auditu iucunda,sed etiam grata fuisse testaremur,illi philothesiæ poculum, uino Trebiano semiplenum,propinaui. Poculo exhausto, Geraldus ait:Vt plenam uino phialam ô Langi demerear,

*De uera lacca obœsitatis remedio, hæc Dioscor.lib.1.cap.22. Paul. Aegi,lib.7.*

en tibi obœso,& æstate nimia pinguedinis sarcina grauato,laccam gummi,à Græcis canchamus dictum,non illam quam uestræ officinæ sordibus plenam & inodoram habent,affero:sed gummi illud fulgore,ut uides, rutilum & syncerum, quod in Nabathæis Arabiæ & Taprobanæ insulæ arboribus, nostris quæ iuglandes ferunt simillimis decerpsi,myrrhæ non dissimile,uiroso gustu:odore tamē placido,quo ad suffitus uestium, & earum ac lanæ tincturam,olim infectores utebantur:cuius in medicina usus Arabibus & Græcis nō erat uulgaris.

*Ludouicus Romanus lib.6. suæ nauigationis cap.21.*

Nam hoc triobolari pondere ex aceto mulso aliquot diebus potum,obœsum adipe nimia corpus onere leuat:pingues eius usu emacescunt:lienem,fel,& epar aqua intercutem aut ictericia affectum & obstructum,deoppilat: menses retentos aqua mulsa potum cit,oculorum caliginem illustrat, gingiuas destillatione erosas reficit.Vt igitur synceram laccam ab adultera & eius sordibus discernere possitis,hæc laccæ legitimæ frustula uobis dono.

*Laccæ uires, Auerrois li.5. colliget c.564. Serapio c.181.*

Attuli quoq; mecum quosdā de Nilo terrestres crocodilos,quos Græci & Romani scincos appellant,quibus iratas uobis uxores conciliare,& in Veneris conflictu uictoriam obtinere poteritis:quos si cras mecū pranderitis,libenter uobis ostendam.

*De scincis Nili in Aegypto.*

Quos etsi libenter modò uidissemus,noluimus tamen Geraldo longæ nauigationis tædio defesso,diutius esse molesti. Tum ego:O Geralde, respondi,cras, quandoquidem hospes nobis deest,tecum ea cōditione prandebimus,ut unusquisq; symbolum suum conferat,te uno excepto,qui nobis ueros scincos pro symbolo tuo ostendes,quibus & nostrum & coniugū nostrarum fauorem demereberis.quoniam & primū cratera sitis & sanitatis ergò,& secūdum quoq; amori & uoluptati dicatum,ebibimus singuli:& quia tempus somni appetit,reliquum est,ut tertium quoq; cratera Somno & Mercurio,somniorum autori,consecratum libemus:quartum uerò ad ebrietatis insaniam,amentiæ poculum,quod medicorum philothesiam dedecet, non gustabimus. Quare ut suauiter hac nocte quiescas, bono tuo Mercurio,id est Genio tuo defensus,in illius honorem, tertium quoq; cratera, quem Græci ob id ἑρμοῦ appellabant,unà ebibemus. Hæc sunt Critobole,quæ Venetijs in prima aduentus Geraldi philothesia tractauimus. Quæcunq; uerò cras in prandio de exoticis Arabum aut Græcorum pharmacis nobiscum communicauerit,te non celabo. Vale.

*De quatuor uini crateribus, & Mercurij poculo, hæc Athen. in Dipnosoph.*

*Somniferum Mercurij poculum.*

## DE SCINCO, SALAMANdra, mirobalanis, iuiubis, & sebesten, ac sericis. Epist. LXVI.

Reliquum est,Critobole amicorum integerrime, ut quod proximis recepi literis,ea de quibus in prandio,mihi & Veneto medicis,à Geraldo condicto, communicauerimus,tibi significem. Conuenimus igitur in xenodochio, antequàm hospes fercula instruxerat,cum Gerardo pransuri.qui tum ait:Ne igitur dum prandij apparatum expectamus, huius diei tempus(ut fertur)sine linea elabatur frustra,antequàm discumbamus,scincos, salaces Nili quadrupedes, uobis pro meo spectandos symbolo,ut petijstis,apponā:

*Nulla dies sine linea.*

non quidem illas exitialis ueneni lacertas,quas in hortis prope scaturigines fontium in riuulis captas, uestri seplasiarij pro scincis uendunt:sed quos Mauritania, & mare rubrum ac Nilus, fœcundissimus Aegypti fluuius,dum alueum suum effluit,producit.quos, ob similitudinem,terrestres crocodilos appellant, sed cute crocodilis longè tenuiore & molliore,& squammulis albicantibus candidiore:maculis tamen nigris modico interuallo dissitis, per transuersum conspersa:corpore crocodilis longè minore & contractiore, spithami nō excedente magnitudinem.à crocodilo tamen aquatico,qui etiam est animal amphibium,squamarum seta,à cauda ad caput uersa,dignoscūtur:lacertis uentricosiores,sed cauda breuiori,& ad natandum anguillis ampliori. Horum de lateribus propinquæ renibus carnes,drachmæ pondere cum uino sumptæ, uirorum uenerem, cum magno libidinis pruritu accendunt. Ex his quoq; præsens contra sagittas toxico infectas antidotum,Appelles tradidit:ac horū carnibus pocula imbuta uires ueneni extinguere,Albertus ex Solino docuit.pro quibus pharmacopolæ, de censu & genere lacertarum, salamandras uirulentas, & paruas illarum soboles, has in dorso nigras, illas uersicoloribus maculis uariegatas,utrasque uerò emicantibus à temporibus oculis,in uentre imo fuluo colore flauescentes,& sine squammis lubricas(heu faci-

*De scincis hæc Dioscor. lib.2. ca.58. Plinius li.8. ca.25. & lib.28.ca.8.*

*Solinus ca.41. Albe. de Nat. animal. li.24.*

nus fla

nus flagris dignum) noxia pro ſalubribus, uirus lethale pro antidoto nobis offerunt, ſimilitudine quam ſalamandra cum ſcincis ueris habet decepti.

*Salamandra terreſtri crocodilo ſimilis.*

Eſt enim ſalamandra, , ut refert Nicandri in Alexipharmacis interpres, animal quadrupes, paruum ut σαύρα, id eſt, lacerta, terreſtri crocodilo ſimilis, natura frigidum, qua ignem extinguit, nec cutē nec ſquammas habet. unde Nicander eam λιπόῤῥινον appellauit, quòd cute deficiat, aut quòd per tenuem eius corporis pelliculam lentus ac uiſcoſus humor reſudat, cuius frigore ignem extinguat.

*Error medicorum, qui lacertis uirulentis pro ſcincis utuntur.*

Vnde eam in igne uiuere, & ſi magnus fuerit, eius ardore non concremari, falsò ſuſpicati ſunt. paruum quidem ignem, frigidi eius ſanguinis uiribus imparē, extingui conſtat. Vnde Andreas Græcus autor inquit, εἰ τῷ αἵματι αὐτῆς ἢ χεῖρα, ἢ ἐσθῆτα χρίσης, ἀβλαβὴς ἐκ πυρὸς ἔσται. id eſt, Si ſanguine uel mucore ſalamandræ manum aut ueſtem illeueris, ab igne non offendentur.

*An ſalamandra in igne uiuat, et de eius ueneno, Pli. li. 10. c. 67. & li. 29. c. 4. Nicander in Alexiphar. Dioſc. li. 6. ca. 4. Alber. lib. 25.*

At ſi in arboribus poma & plantarum fructus perreptans, ſua humoris lubrici uiſcedine infecerit, homini fient lethale uenenum. Hæc, ut uobis à falſis pharmacopolarū ſcincis cauere poſsitis, uos ientaculi loco admonere uolui. & quoniam (inquit Geraldus) prandium apparatum uideo, reliquum eſt ut diſcumbamus: & poſtquàm iratum ieiuni ſtomachi geniū his ferculis placauerimus, ſi quis plura de ſcincis aut ſalamandris ſcrutari uoluerit, penes illum ſit arbitrium. Non enim in Prytaneo cum Areopagitis, qui tacendo iudicabant: aut in ſchola Pythagoræ prandemus, ut totum prandij tempus tacendo nos tranſigere oporteat.

*Colloquiū decere conuiuiū, Macrob. li. 7. Saturnal.*

Tum ego reſpondi: Rectè ô Geralde ſentis: Verba, ſi aliquid eruditionis aut ſalis habuerint, plus uini dulcedine conuiuium exhilarare certè ſolent. Proinde poſtquam iuſculum hoc piſorum ſorbuero, libenter à te de netili ex ſalamandra lanugine, aut pennis perconctarer: an uerum ſit, ex hac linthea contexta, & ad eluendas ſordes in ignem proiecta, non comburi, ſed illæſa, niuéque candidiora euadere.

*Linthea incōbuſtibilia ex ſalamandra.*

Tum quidem Geraldus humaniter reſpondit: Langi mi, de huiuſmodi ex ſalamandræ plumis tela incōbuſtibili, nihil in Auſtralibus aut orientalibus noui orbis inſulis comperi: uerùm dum Romæ agerem, aiebant Tartarorum regem ſummo pontifici lintheum ex ſalamandra miſiſſe, in quo ſudarium ſacroſancti Saluatoris uultus effigie inſignitum, ab omni incēdio tutum conſeruaretur inuolutum. Præterea fama eſt, Carolum Cæſarem ſemper Auguſtum, eiúſque fidelem à conſiliis de Naſſa Comitem, habere χειρόμακτρα, quę in ignem coniecta, tandem à ſordibus purgata, illæſa eximerentur.

*χειρόμακτρα. id eſt, mātilia incombuſtibilia.*

Verùm hæc ex ſalamandræ pennis, uel lanugine, quum utriſque careat, contexi non credo. Sed illud quidem probè noui, olim in Aegypto, & Arcadiæ montibus, ac prope Charyſtum Euboiæ oppidum, lapidem naſci, quem (ut Strabo ait) pectunt, nent, & texunt, ac inde mantilia conficiunt, quæ ſordida in flammam proiecta non ſecus emundantur, quàm ſi lauacro maculas elueris.

*De lapide charyſtio, Strab. libr. 10. Geograph.*

Sic quoque noſtra ætate, in Noricorum & Saxonū metallis, ac in quodam monte regionis Chynchyntale, quæ ab aquilone deſerto cōfinis eſt, magno Cham ſubdita, erui amianthum lapidem, & mineram quam incolæ ſalamādram appellant, in capillamenta inſtar aluminis ſchiſti caneſcentia, unà cum terra quam amplectitur concretum, quem Græci ob id Gæoden appellarunt.

*De ſalamandræ minera Paulus Venetus li. 1. ſuæ nauigatio. ca. 47.*

huius mineram ſole ſiccatam, in mortario æneo contuſam, à terra eluunt, & carminatam in fila tenuia pectunt, & nent, ex quibus linthea incombuſtibilia texunt, quæ Plin. ob id linum Asbeſtinum quoque appellat: Inuentum eſt, inquit, linum, quod ignibus non abſumitur: uiuum id uocant, ardentéſque in focis conuiuiorum ex eo uidimus mappas, ſordibus exuſtis ſplendeſcentes, igni magis quàm poſſent aquis: regum inde funebres tunicæ, quæ corporis fauillam à reliquo ſeparant cinere.

*De lino incōbuſtibili, hæc Pli. li. 19. ca. 1.*

Naſcitur in deſertis & ſole aduſtis Indiæ locis, ex quo Brachmanes, Indorum philoſophi, autore Hierocle, ſibi conficiebant ueſtes. Asbeſtus quoque inextinguibile linum dicitur, quoniam ab eo etiam in lampadibus accenſo, ignis nihil depaſcit. Ex eo quoque factæ thryallides, aut ellychnia, non niſi oleo defecto extinguuntur. Hinc Pauſanias refert, Athenis in aurea Palladis lucerna, quam Callimachus conſecrauerat, ex lino charyſtio thryallidem perpetuò arſiſſe. aſſueſcit enim uiuere ardendo. Huius amianthi capillamenta & lanuginem, etiam in noſtra uernacula lingua Salamandræ capillos appellamus.

*Albertus de naturis animalium li. 25.*

Albertus uerò Magnus ille philoſophus tradit, quòd magnis ferri, dum fabricatur aut eruitur, maſsis diſruptis, uaporem fuſci aut albi cinereiue coloris erumpere incombuſtibilem: qui manibus obuiis exceptus, pānis, aut tecto fabricæ, inſtar lanuginis adhæreat. & hanc ſalamandræ lanam dici teſtatur. Accedit ad hoc, quòd de monte regionis aquilonaris Chynchyntale, ſalamādræ minera etiā cum chalybe & ferro eruitur. Conſtat igitur, ne tilis amianthi lapidis capillamenta, fuiſſe quoque ſalamandræ, nō illius animalis uirulenti, ſed ſalamandræ foſsilis, pennas dicta. Hæc à Geraldo nobis explicata, omnes uno ore approbant: ſimúlque in quàm pernicioſos errores nomina æquiuoca medicos præcipitarent, cognoſcebamus. Præter unū Georgium Lembergiū, meum conſobrinum, qui ſcincos ueneris tentiginem coërcere, Seſtio autore probabat, qui eorum decoctum cum melle uenerem cohibere tradiderit.

*De Seſtio hæc Pli. lib. 28. c. 8.*

Ad hęc inquit Geraldus: Ne mireris amice, eadem medicamina diuerſa ratione præparata, diuerſos quoque producere effectus. primùm ſanè, braſsicæ, lentium, ac cicerum decoctum, aluum lubricare: quo diffuſo, alterum decoctionis eorū iuſculum aluum lubricam ſiſtere uidemus.

*Gal. lib. 2. de alimentis.*

Sic rutam & mentham uirides, flatus & ueneris pruritum excitare: ſiccatas uerò uel frictas, præcipuè eorum ſemina, flatus diſcutere, & ueneris impetum compeſcere, ac profluuium ſeminis (quod Gonorrhœam uocant) ſiſtere experimur.

*De ruta & mentha hæc Gale. li. 4. ſtalub. & 7. ac 8. lib. de ſimpli. med. Hippoc. li. 2. de diæta.*

Vnde eruditus uir ille Nicādri interpres: Ruta, inquit, græcè dicitur πήγανον, παρὰ τὸ πήγνυσθαι τὴν γονήν. ἔστι δὲ καὶ ἰσχνωτικὸν τῆς συνουσίας, διὸ καὶ οἱ μυούμενοι αὐτῷ χρῶνται. id eſt, Ruta, quia ſperma fluxile cōdenſat, peganon græcè dicitur: ideo & ea ad caſtitatem ſeruandam myſtæ ſacris initiati utuntur.

*Ruta gonorrhœam & ſacerdotū libidinem ſiſtit.*

Nec impoſsibile uidetur, cū ſcincorum in lateribus carnes circa renes, uenerē incendere, Dioſc. & Gal. aſſeruerint: cū aliarum partium decoctum, eadē (ut Seſtius uult) coërcere poſsit.

*De ſcincorum renib. hæc Galenus lib. 11. de ſimpl. medic.*

Ad hæc conſobrinus meus Georgius paulò ſeuerius reſpondit: Has Geralde de medicamentorū facultatibus contradictiones, earúmq; conciliatores, Petrum de Appano, ac Gentilem, ſemper exoſos habui, qui nimium arguti, plus pro uerſatilis ingenij oſtentatione, quàm pro ueritate, depugnāt. quos (ut Plin. ait) præ dignitate indagare uera pigeat, ignorantiæ uerò pudore mentiri non piget: nullo proniore fidei & ueritatis lapſu, quàm ubi falſæ rei grauis autor extiterit.

*Celebre Plin. ex lib. 5. cap. 1. dictū in oſtentatores inexpertos.*

Sic quum medicinæ herbariæ ſcriptor nulli ſecundus Dioſcorides, internam illam, & ferè corneam gallinaceorum uētriculi membranam elixam, aut aridam cōtritam, cúmq; uino potatā, uires uentriculi, & eius orificij nauſeabūdi corroborare (ex aliis forſan autoribus edoctus) ſcripſit: mox nullo facto periculo, Auerrois id de omnib. ferè uolucrū ſtomachis, perdicū & mergorū, aſſeruit: & Galenū id teſtificari (falſa forſan Althabarith Arabis, Galeni interpretatione, deceptus) nugatur Auicēna: cū id falſum eſſe, Galenus (ut ipſe ingenuè fatetur) comperiit.

*An mēbrana uētriculi uolucrum eum corroboret, Dioſ. libr. 2. cap. 41. Auicen. lib. 3. cap. 3. fen. 13. tract. 2. & tractat. 1. cap. 35. Auerr. 2. col. cap. 9.*

*Auicen. falsò Galenū in teſtem producit.*

Plinius tamen membranam uētriculi gallinaceorū inueteratā, aut recens toſtā, ac potioni inſperſam, deſtillationes pectoris & tuſsim humidam lenire, ſicut Dioſcorides ueteris galli uentriculum ſale inueteratū, & in umbra ſiccatū, uentris à pharmaco profluuiū ſiſtere tradidit.

*Galen. li. 2. de ſimpli. medic. Serap. c. 469.*

Nec medicorum de apio controuerſiam tacere poſſum. aiunt enim, ſi apium puerpera ediderit, fœtum, qui ubera ſuxerit, comitiali morbo fore obnoxium. ideóq; apium fœminam inter nefaſtos frutices damnari. unde Meſue eo audacius ſcribere audet, Dioſcoridem tradidiſſe, rutam prodeſſe epilepticis, apium uerò epilepſiam excitare: cum Dioſcorides nuſquam hoc nos admonuerit. An igitur fortaſſe rectius Sereno poëtæ medico crederemus, qui apium epilepticis mederi docuit? Quis, inquit, ueſtrùm hoc definiet?

*De apio, an epilepticis obſit, Pli. li. 20. c. 11. Meſue in cap. de epilepſia.*

Tum Anonymus, medicus Venetorum: Medicamentorum, ait, uires non ratione tantum, ſed experientia ſcrutari oportet. Nam, ut Plin. tradit, uera cuiuſq; ſimplicis medicamenti natura non niſi medico effectu pręnoſci poteſt. eſt enim ingens, occultúmque diuinitatis opus, quo nullum poſsit reperiri maius.

*Pli. in fine lib. 19. hæc.*

Nec temerè ueteres medicamentorum repertores in album deorum retulerunt. Proinde qui uxores aut pellices habent, quid terreſtres crocodili in ueneris conflictu poſsint præſtare, periculum faciant: de apio ueritatem caſus fortuiti experientia indicabit. Quid uerò interna uentriculi gallinaceorum, & aliarum uolucrum membranula, ramentis cornu ſimilis, roboris ſtomacho conferre poſsit, Galenus dudum expertus

*Gal. lib. 11. de ſimpl. med.*

eſt:cuius experientiæ ſubſcribo,ac interim pro ea gallinaceorum pulpa ueſcar.Exacta enim horum contemplatio potius Medicorum ſcholas,quàm conuiuiũ decet. Quare uelim,ut ſublatis primæ mẽſæ ferculis,hoſpes nobis ſecundæ menſæ obſonia & bellaria,ſi qua ſecum Geraldus attuliſſet,apponeret. Confeſtim itaq; hoſpes iuſſa capeſſens,appoſuit nobis pręter uaria generis itriorum pemmata,lagana,rhymmata & tortellas de ſeni,panẽ nauticum biſcoctum,quem Græci δύσφιδον dicunt.etiam myrobalanos emblicos ac cepulos conditos, etiam zizipha,ſerica,ac mixas,quæ ex Aegypto,Syria,Damaſco,& id genus prunorum Geraldus ſecum attulit, quibus Græcos carere dixit.Atqui hos, inquam ego,arborum fructus ut Aegyptijs,Arabibus,Indis ac Syris uernaculos,Græcos, qui longius ab eorum natali ſolo abeſſent,ſerius quàm Arabũ medicos cognouiſſe fatemur:ita eoſdem,unà cum omnibus myrobalanorum generibus,inter Græcos Ariſtotelem,Theophraſtum,& Galenum ac Dioſcoridem,& inter Latinos ipſum Plinium(locupletiſsimã,uelut alterum Copiæ cornu, ueterum autorum bibliothecam) ignoraſſe,nec Auerrois,nec Geraldus noſter mihi perſuadebit.En tibi myrobalanos Phœnicis,palmæ in Aegypto & Palæſtina Syria arboris fructus, palmulas, quas à prælonga gracilitate articulis digitorum ſimilima dactylos: à caro, grauedine, qua comeſti caput onerant,Cariotides:has quoque ab arbore, aut poſtquam maturuerint à colore phœniceo,Phœnicobalanos,id eſt,puniceas aut uermiculas glandes dicunt:& à ſucci ubertate,qua ſitim ſedat,& ut glandes fagi inebriant, πόμα ἄδιψον appellantur.Nam Thebaicarum decoctum,etiam in cauſone,febre ardenti,ſitim arcet:& Orientis incolæ ex his uinum in deſtillationum morbis,cruenta eructantibus,cœliacis,& cibum euomentibus ſaluberrimum, φοινίκιτην dictum,infuſione dactylorum præparant, quæ multis ſeculis ante Auerroim Theophraſtus, Dioſcorides, Galenus,ac inter Latinos Plinius memoriæ prodiderunt,& Leontinus græcus in Geoponico ſuo.Quid uerò tibi illam,de cenſu myrobalanorum quoq;,glandem unguentariam,Græcis βάλανον μυρεψικὴν dictam, referam? quæ ex Troglodytis, Thebaide,& de Petra oppido,quod Arabiam à Iudæa diſterminat, ac ex ipſa denique Aethiopia in Europam quoque defertur. ex cuius glande triangulari, ponticæ nucis magnitudinem non excedentis,medulla cum cortice contuſa,oleum balaninum,clarum,inodorum ac inſipidum emungebãt,quo myropolij inſtitores ad pretioſa ex malobathro,amaracino & ſpica, unguenta conficienda utebantur. Quod uerò de oleo,unà cum cortice contuſo,expreſſo, magma reliquum erat, μυροβαλανίνα πίεσμα dicebant: quo medici,ac præcipuè Galen.in cataplaſmatis ad ſcyrrhos lienis & epatis diſcutiendos,& ad uulnera conglutinanda utebantur: cuius hiſtoriam ac uires Theophraſtus inter plantas,Dioſcorides & Galenus inter ſimplicia medicamenta, ac ipſe Plinius perbellè conſcripſerunt: quam Meſue ſub nomine been,in ſuis de ſimpl.medicina canonibus,à Græcis acceptam, reddidit. At hæc Galeno & alijs Græcis Latiniſq; rei medicæ ſcriptoribus non ignota fuiſſe,ſponte cõcedunt.At has de numero quinquenario myrobalanorum, cum cortice careant, uerius pruna quàm glandes, quo nomine olim omnes eſculentos arborum fructus ſignificabant,Citrinos,Indos,belliricos,emblicos,ac his omnibus maiores chepulas,Galeno,& ante eum Græcis antiquioribus fuiſſe cognita pernegant:obliti ſcilicet,Dioſcoridem chepulas ex Arabia myrobalanos,cum phœnicobalanis cõparare,dum ait:Naſcitur in Aegypto palma phœnix,ex qua in autumno,antequàm maturuerint,colliguntur palmulæ,naſcentibus in Arabia myrobalanis ſimiles. Atqui conſtat,phœnicobalanos,quos dactylos quoq; dicimus,cortice,ut pruna,carentes,oblonga gracilitate rotundos,in guſtu leni ſtypticitate dulces,cũ triquetris glandis unguentarij nucibus,auellanis non maioribus,nullo pacto conferri poſſe:quum ex his oleum ad alia unguenta inodorum & inſipidum,ex illis uerò aqua maceratis non oleum,ſed uinum ægrotis & ſanis ſalutare conficiatur.Reliquum igitur eſt,ut Dioſcorides alicui de quinq; ſpeciebus myrobalanorum ſibi noto, quòd ex Aegypto,uel Syria,aut Arabia ad nos perfertur,contulerit:nempe emblicis,uel chepulis,quæ figura & magnitudine,ac ferè nucleo dactylis reſpondent:quos ſecum ex Damaſco conditos Geraldum Venetias attuliſſe credo, non ut nobis uel Græcis ignotos,ſed ut,quantum recentium conditura à ſiccorũ differret,ſimúlq; quàm placida ſint myrobalani aſtrictæ alui lenimina, ac cerebri neruorum uiriúmq; ingenij robora, cognoſceremus. Quinam enim, obſecro te, fieri poteſt,ut hæc tam præclara medicamina Græcos latuerint,cum Ariſtoteles,alter Græcorum ſcholæ coryphęus,myrobalanorum arborem,& eorum fructuũ temperaturas in libro de Plantis tam ſcitè deſcripſerit, ut nemo Arabum cauſam ſtyptici & amari,à principio tamen dulcis,myrobalanorum ſaporis exactius reddiderit: τῶν μυροβαλάνων δὲ δένδρων ἐν τῇ ἀρχῇ, ὅταν φανῶσιν οἱ καρποί εἰσι γλυκεῖς. κοινῶς δὲ εἰσι στρυφνοί, καὶ ἐν τῇ κράσει αὐτῶν πικροί. αἰτία δὲ ἐστιν, ὅτι τὸ δένδρον αὐτῶν ἐστιν ἀραιὸν τοῖς κλάδοις. & reliqua,quæ latinè ita redduntur:Myrobalanorum arborum fructus,quando principiò apparent, ſunt dulces: communiter tamen acerbi,uel ſtyptici,& pro ratione temperaturæ eorum amari. Cauſam autem horũ eſſe, poroſam & ratam raboris armorúmq; ſubſtantiam. Principiò enim,quando calor frigidam & humidã myrobalanorum cruditatem maturare pergit,ipſi dulceſcunt:quæ cum per arboris poros tempore concoctionis unà cum calore difflatur,ex derelicta cum frigore ſiccitate,myrobalani ſtypticitatem acquirunt:qui tandem, accedente per latos arboris poros calore ſolis, interno,& congenito eorum calori,plus æquo concocti,amareſcunt quoq;,& quadam fuſcedine uel nigredine inficiuntur.qualis fructuum temperaturæ conſtitutio,& ſaporis principio quidem dulcis,tandem uerò inſigniter ſtyptici & amari qualitas ac color,quum nec phœnicobalanis,nec glandinis unguentariæ nucibus communis ſit,neceſſariò Ariſtoteles hic de tertio myrobalanorum genere loquutus uidetur. Quòd uerò illis non tam frequenter ut Arabes uſi ſint,id eo nomine factum arbitror,quòd exotica non niſi diu perſpecta,cum uernaculis commutare uoluerint:quorum uſum poſtea Actuarius & Aëtius non quidem neglexerunt.nam & Alexãder Trallianus græcus,ἰατὴρ à Meſue dictus,myrobalanos ſpleni affecto prodeſſe teſtatur, Meſue multis annis ſenior. Tum Georgius Schleſita medicus meum interpellans colloquium:Langi,inquit,cõſobrine, quæ obſecro eſt dementia & inurbanitas,ut repertis frugibus,adhuc glandibus ueſcamur? quin potius rogemus Anonymum Venetorum medicũ,ut mixaria,ſerica ac zizipha à Geraldo allata,quæ dulci ſaporis lenocinio glandes ſtypticas & acerbas longè ſuperant,deguſtet:& quibus Arabicis ac Græcis Latiniſq; nominibus in officinis aromatariorum inſcribantur, nobis ſignificare uelit:& quam ægrotis opẽ ferre poſſint oſtendat.nam pleriq; hos ſanis & ægrotis noxios eſſe contendunt.Tum Anonymus:uiri Germani,ait,ne aſymbolus conuiuio intereſſe uidear,quicquid de iſtis Arabum fructibus ac prunis,quorũ magna copia quotannis ex Damaſco & Alexandria Venetias perfertur, exploratum habeo,libẽter uobis communicabo.Iuiubas certè Arabum,eſſe Græcorum Latinorúmq; zizipha,& Plinij tuberes,quæ S.Papinius cõſul nouiſsimis diui Auguſti Cæſ.temporibus ex Syria Romam attulit, quæ ob id à natali ſolo Galenus ſerica appellat,quæ in caſtrorum aggeribus ſata,baccis quàm malis,mucilaginoſo ſucco plena,fuerunt ſimiliora:quæ ægrè concoquuntur,& exiguam corporibus alimoniam ſufficiũt: quorum uſus an in ſalubri uictus ratione,aut quibus morbis arcendis ſit ſalutaris,Galenus teſtificari nõ poteſt:ſed ea ſolum inſidentibus & effręnatis compeſcendis pueris,ac ab imprægnatis,quos pica infeſtat,in muliebri malacia ea deſiderari & expeti refert.Seruntur hæc,& auulſis quoq; ex media arbore ſurculis,ſorbis implantantur,& tum zizipha teneriora naſcũtur:quę, ut Didymus in Georgicis refert, εἰς οἰνόμελι φυλάττεται ἐμβεβλημένα, ὑποστορνυμένων αὐτοῖς καὶ ἐπικειμένων καλαμοφύλλων. id eſt,zizipha uino mulſo iniecta,diu ſeruantur,aut ipſis ſubſtratis uel coopertis arundinum folijs.En quæ his adhuc adhærere uidetis:reliqua in hac patella,condita uino mulſo,fuerunt.At mixa ſunt arboris in Syria fructus,prunis damaſcenis populares,ſed corpore exiliores:ex quibus in Aegypto uina fiebant,uiribus damaſcenis proxima,& æqua.Creſcebant olim circa Sebaſtam Samariæ metropolim,unde patriũ nomen Sebeſten habẽt.Creſcunt quoq; in Aegypto,ubi Nilus ſeptẽ oſtijs circa Alexandriam,Memphim,& Cayrum,nouæ

Baby

*De iſtis bellariorũ generib. Gale.lib.2. de alimentis.*

*Plinius ueterum autorum bibliotheca.*

*De dactylis & carotidibus ac phœnicobalanis,hæc Dioſcor. lib.1. cap.135.*

*De uino ex dactylis, Philoſt.lib.2. Dioſco.li.5.ca.30.*

*Plin. lib. 12.c. 23.& libr.23. cap.5. Galen. lib.2.de alimẽtis.Cõſtant.in Geoponico libro 10.*

*De glãde unguẽtaria Dioſco.li.4.c.150. Theophr. li.4. ca.2.Pli.li. 12. cap.22.Galen. lib.6.de ſimp. med.Meſue in cap.de been.*

*De myrobalanorum pieſmate.li.11.& 18. Method.& libro 9.compoſ. medic. particul.*

*Glans unguẽtaria,been Arabum.*

*De quinque myrobalanorum generibus.*

*Dioſcor. hæc lib.1.cap.135.*

*Oleum balaninũ, de quo Dioſcor.lib.1. cap.32.*

*Myrobalanorum receutiũ conditura, & uires.*

*De myrobalanis hæc Ariſt. in fine libr.2. de plantis.*

*Gale.de theriaca ad Piſonem,myrobalanos ait ſplenem iuuare, ut eupatoriũ epar.*

*Myrobálanis Alexander iatros utitur li. 3. de poculis ad lienem.*

*De iuiubis Arabũ Plin. lib.15. cap.14. & Conſtantin.lib. 10.ca. proprio.*

*De Syriacis prunis & malis, hæc Gale. li.2.de alimẽt. Columel. li.6. cap.8.*

*De mixis hæc Serapio ca.8. Auerr.ca. 56. Pallad.libr.2. cap.24.*

*De uiribus mixariorum, Aegineta hæc lib.7.*

*Mixis tragematū loco ueteres usi.*
*Diodo.lib.1.*

Babyloniæ portum & emporium, sese in mare mediterraneum exonerat. unde Diodorus Siculus: Aegyptij, inquit, uattà mixaria dicunt: circa Nili ostia nascũtur, quæ quia suauia sunt gustu, pro tragematibus præbentur. Quod & Geraldus in hoc prandio, ex composito fecisse uidetur, urbium quas uidit mores imitatus. Hos fructus conuiuiorum lauticiis adhibere ueteres non erubuerunt: quos quidam de medicorum nostri seculi collegio, quia uentrem constipent, parum alant, ęgrè cōcoquantur, ex medicamentorum albo proscribunt: cũ tamen ratio formalis medicamentorum non alimoniam exigat, sed alteratione͂, & humorũ quibus natura oneratur, adiuuamine caloris naturalis cōcoctione͂, & expurgationem, ac naturæ robur requirat. Quum igitur hęc Arabum mixaria, & Aegyptiorum zizipha, sua cōgenita mucoris dulcedine, tussim & gutturis asperitatem, ac pulmonis & pectoris ex distillationibus uitia leniant, ac illorum decoctum suo frigido & dulci lētore urinæ in uesica & ureteris ardorem & stillicidiũ extinguat, renum uesicæq; scabriciem sanet: quũmq; Gale. de his nō fecerit periculum, etiam (ut ipse ingenue͂ fatetur) an sanis aut ægris prosint, testificari non potest. Sed horum uires commemoratas, præter Auicennam, Rasim, ac Serapionem, esse efficaces, ipse crebrò sum expertus. Tam præclaros igitur fructus in morbis pectoris, ac urinæ uel ureterum morbis curandis, nullius esse frugi, quis nisi inexpertus credet? Vale.

*Iuiubas & sebestē pectoris ac uesicæ morbis prodesse, Serapio & Arabes testantur.*
*Gal. de sericis non habuit experiētiā, ut ipse li. 2. de Alimē. testatur.*

## DE MALOBATHRO ET VNGVENto foliatho, netopo, & oleo spano, malis Persicis & citrijs. Epistola LXVII.

QVæ in prandio tractauimus, Critobole, hæc, ut acta sunt, tibi significaui. uerùm ne seiuncti iucundo Geraldi colloquio priuaremur, quũ Geraldus ob aquę dulcis penuriam, diu non lauisset (aqua enim maris, ob congenitam illi pinguedinem, nec uestium nec corporis sordes eluit) omnibus placuit, ut Paduam ad dulcis aquę lauacra proficisceremur, ut etiam marinis flatibus & balnearum tepore prandij crapulā cōcoqueremus. unde nec temerè, quamuis contra medicorum decreta, ille, quem Satyrographus incessit, turgidus & crudum pauonem in balnea portabat. Manè uerò loti, quũ exemplo Pollionis Romuli, aut ut Athenæus uult, Democriti, corpus intus uino, foris oleo curassemus, Venetias ad cœnam, à me Geraldo & aliis dę medicorum sorte conuiuis condictam, reuertimur. De naue igitur in xenodochium egressi, quum hospes omnia lautè adornasset, tum ego: ô hospes, inquam, tu ut bonus & frugi paterfamiliâs probè nosti, quę extra domum sunt officia, mercari, pro patria pugnare, agrum colere, uiris esse alacriter obeunda: & negocia, quæ intra domus septa fieri oportet, ut pecora mulgere, pensa de colo ducere, nere, lanam & linum pectere, caseos ex collustris coadunare, penu ac culinam curare, ad matremfamiliâs & eius ancillas spectare. Iube igitur has, ut quæ sunt earum munia, expediant, de Gręcorum more. En itaque ad nutum hospitis confestim uenustæ indolis & spectati pudoris ancillæ aderant, calamistratis circa tempora capillis, & in uertice coronis ęx rosis uersicoloribus consertis redimitæ. quarum altera, ut Homerus ait,

χέρνιβα δ' ἀμφίπολος προχόῳ ἐπέχευε φέρουσα,
νίψασθαι δὲ παρά, ξεστὴν δ' ἐτάνυσσε τράπεζαν.

Vna igitur afferebat in gutturnio aquā stillaticiā rosarum, & florum lauendulæ liquoris, quam, ne illotis manibus discumberemus, illis in subiectam peluim inspargebat: altera uerò lintheo succincta candido, chiromactrā & coronas porrigebat: & ut de more Gręcorum à balneo inũgeremur, unguentũ pholiatum ex malobathro, & netopum quoq; fragrantissimi odoris, offerebant. Tum ego: Quid, inquam, ancilla nobis muliebre hoc unguentum, quod galbani uirus, unde metopij nomen habet, redolet: quod Hesychius nescio quàm rectè νετώπου & νετώπιον appellat, quo Hippocrates passim in uteri affectibus, ad induratas matricis cotylidonas emolliendas, & obstructas aperiendas, & ad secũdas eijciendas, pessariorum loco potius, quàm ad cōuiuiorum delicias utitur. id matrifamiliâs tuę seruabis: nobis unguētum ex malobathri folio, inuentu rarissimo, sufficit: de quo libenter Anonymum Venetorum medi-

*Virtus netopi unguenti.*
*Diosc. lib. 1, cap. 68. appellat metopium.*

cum audirem. Qui respondit: Præterita hebdomada cũ ex Alexandria nauis aromatibus onusta Venetias appulisset, accurrebam: & dum nauis à mercatoribus exoneraretur, numeratos in manu marcellos proferebam, pro quibus malobathri folia petij. At illi quædam glabra, non tamen inodora garyophyllorum arboris folia offerebant, fibris uelut arnoglossæ latioris folia, neruosa: nec aliud in tota India reperiri affirmabant. At huic Plinij descriptionem non competere aiebam, qui: Dat (inquit) & malobathron Syria, arborem folio couoluto, arido colore, ex quo oleum ad unguenta exprimitur, fertiliore eiusdem Aegypto: laudatius ex India uenit. in paludibus ibi gigni tradũt, lentis modo fluctuās folium, nulla radice nixum, odoratius croco, nigricans, scabrúmque, quodam salis gustu. minus probatur candidum, celerrimè situm in uetustate sentit. Sapor eius nardo similis esse debet sub lingua, odor uerò in uino sufferuefacti antecedit alios. Hęc uerò singula in nostro officinarũ malobathro desiderari quisq; nouit. At uerò utrunq; tam arboreum quàm palustre malobathrum, non tantum in mediterraneis Indiæ locis, unde folium Indi appellatur, sed etiam circa maritima Erythrei ęquoris, quod syluis abũdat, littora & stagna nasci, salis eius sapor indicat, qui herbis maritimis est peculiaris. Sic brassica marina, quam soldanellam uocant, cretanus marinus, & ipsa corallina, muscus marinus dicta, salem resipiunt. Vnde Androsthenes uerè de Tylo insula Rubri maris narrauit, aquas salsas fluentes plus quàm cœlestes iuuare, tam arbores, quàm reliquũ omne genus plantarum: quia ob raritatem imbrium, pluuiali aqua non assueuerunt plantæ. Proinde ego mercatoribus fideliter suasi, ut deinceps non in India, nisi in Gangis fluuij emporio, sed potius in Thina & Tylo, aliisq; Erythrei maris insulis quærerent: in quibus Arrianus historiographus, dũ rubri maris littora & oras legeret, magnam malobathri copiā se reperisse gloriatur. ait nāq;, in fine Erythrei maris, in extrema ora, esse ciuitatē mediterraneam, quam Thina appellant, uelleribus & ex serico aulæis diues, ad quam quotānis gens ex Arabia uicina, unà cum uxoribus & liberis proficiscitur, quam Setas, homines latiori uultu, loripedes, attamen robustos, & crudeles, appellāt: qui in uicinis Thinorũ recessibus delitescũt, nocte sarcinulis odoratis, quas secũ attulerunt, incubant: postquam raptu ditati discesserũt, ciuitatis Thinæ incolę sarcinulas, quas Gesatę liberis substrauerunt, malobathro plenas colligunt: & auulsis dę calamis, quos πίτρους appellāt, & de foliis fibris, ea in globulos cōplicant, quos ex maioribus foliis ἁδρόσφαιρον, ex mediocrib. foliis μεσόσφαιρον, ex minorib. uerò foliis cōpactos μικρόσφαιρον malobathron dicunt, quæ sic cōpacta in Indiam deferunt, & magno uendũt. Vnde Plin. malobathrũ esse folio cōuoluto dixit: & Diosc. probat id, quòd ob fibras frāgēti cōtumax est, nec facilè discerpitur, dũ ad globulos cōpingendos, ne succus & odor exhalet, præparatur. Quum hæc à me dicta omnes approbarēt, tum ego hospitem admonui, ut cōuiuas iam lotos & unctos discũbere iuberet: & primùm omnium, quo alacriores forent & stomachi appetitũ excitarēt, illis in acetario cardamũ, siue nasturtium in aceto passularũ, & oleo ex Italia Sabino maceratũ, offerret. & ne uteretur oleo spano, quòd ex Hispania & Iberia affertur, ob stypticitatē ulcerosę lassitudini noxiũ, indixi. Tũ Georgius meus cōsobrinus: ô Langi, inquit, quoniā frequēs fit apud Galenũ & chirurgos, olei spani mentio, per cōmunes utriusq; nostrûm auos & atauos te obsecro, ut illius præparationē nos edoceas. Tum ego: Nimis seriò Georgi à me precibus efflagitas, quod ad incremētum studij sponte mea facturus eram. Id certè Damogeron in Georgicis suis ita conficere iubet: nempe ut oleo ab amurca defæcato, & feruenti, triplum aquæ tepidæ unà cum sale contuso iniiciatur, ut exactè commisceantur, diúque agitata stent, tanto temporis interuallo, donec aqua unà cum sale in amurcæ locum subsederit: tādem oleum supernatans, lebete uel cochleari excipito. quo exhausto, iterũ affusa aqua tepida bene commisceto. & quicquid olei puri, postquā aqua pessum iuerit, supernatat, uasculo excipito. Postea succũ de foliis, aut tenerioribus olearũ surculis (quos Gręci θάλλους uocāt) expressum, ut oleũ acuitatē & amaritudinē acquirat, quibus stypticitas interna subire poterit, illi addas: et si hoc tibi paratũ defuerit, & in oleo ueteri uirescentes olearũ thallos decoxeris, iis expressis oleum spano uel etiam om-

*Pli. hæc li. 12. ca. 27. & Dioscor. li. 1. ca. 11.*
*De salsedine plātarũ rubri maris Theophrastus li. 2. de causis plāt. cap. 7.*
*De olei spani præparatione hæc Constant. in Geop. lib. 9.*
*De oleo spano & eius succidaneo, Gal. libro 11. Metho. & libro 2. de compos. medi. gener.*

phacino ſuccidaneum habebis. unde Galen. ἢ μὴν τ' ἀπὸ τῆς ἰβηρίας ἀπορεῖς, ὃ πάντες καλοῦσιν σπανὸν, θαλλοὺς ἐλαιῶν ἀπαλῶν θλάσας, ἐμβαλεὶς ἑτέρῳ τινὶ τῶν ἐντυχόντων ἐλαίων. Et ſi unà decoxeris, oleum ſpano uel omphacino ſuccidaneum habebis. Poſtea unà cum aliis opiparè inſtructis ferculis, ancilla maior natu roſeo genarum rubore decora, leporem toſtum appoſuit, quam Euangelus adoleſcens ita affatus eſt: O ancilla mi, per tui chari amaſij nomen te obteſtor, dic amabò, ſi intra ſeptem dies de lepore comediſti? At illa pudoris rubore ſuffuſa: Non uides, inquit, Euangele, leporem, ita ut de ueru auulſus eſt, eſſe integrum? Ego enim, & perchara meorum laborum conſors Vrſula, non mures ſumus, qui inſcio domino eſcas arrodamus. Tum Anonymus: Geralde, inquit, quamuis naturà mures & felium aſpectum abhorreas, dic quæſo, ſi in lecto tuo huiuſmodi mures inuenires, expaueſceréſne? & ad quem proripere uelles? Certè, reſpondit, quantumuis benignum eſſet noctis frigus, lecto non cederem. Vrgebat Euangelus, ut ancilla ueritatem cõfiteretur. Tum illa inquit: Veritatem nos fateri non pudet, ſi modò cauſam cur hæc ſciſcitaris, nobis quoque dixeris. Nudiuſtertius domina noſtra hic præſens, ut clemens, ita erga ſuam familiam quoque liberalis, aliquot leporis fruſta in nigro iure & ſiræo & leporis cruore elixa nobis impartiuit, quæ ſatis auidè comedimus. Tum Euangelus: Iam æquum eſſe arbitror, ut cauſam ſcrutinij mei explicem. Video uos lepido ingenui pudoris rubore & uultu decoras, nec ut quaſdam, quæ præcordia contra naturam faſciis coarctant, nimis graciles, nec plus æquo habitiores: uerùm ille tam elegans corporis habitus, & color, uobiſne à natura, an comoticæ artis fuco, aut eſu leporis comparatus ſit, diſpicere non potui. Tum ambæ: Satis, aiunt, ſcommatum & ludibrij ob inopiam, quæ nos miſeras uobis ludibrio exponit, & ridiculas facit, audiuimus. Tum Euangelus: Certè, inquit, non ludo. nam grauiſsimi autores, qui rerum naturalium hiſtoriam conſcripſerunt, & poëtæ quoque tradunt, eſu leporis uenuſtatis decorem in ſeptimum aut nonum uſque diem prorogari. Vnde facetè Martialis Gelliæ anui deformitatem ita exprobrat:

Cum leporem mittis, ſemper mihi Gellia mandas,
Septem formoſus, Marce, diebus eris.
Si uerum dicis, ſi uerum Gellia mandas:
Ediſti nunquam, Gellia, tu leporem.

Tum materfamiliâs unà in primo tabulæ ſubſellio diſcumbens: Nolite, inquit, uos omnes per deos immortales obſecro, has leporum uires publicare. eſt nanque mihi anus uicina, quę nuper adoleſcenti nupſit, zelotypa, quæ omnẽ muliebrem mũdum pro tali lepore expenderet. quanti uerò arbitramini in his Auguſtanis comitiis uenundari poſſe leporem? Aedepol, quamuis leporibus, quia ſuperfœtat uterque ſexus, uix ullum animal, & ipſis cuniculis eſt fœcundius, tamen tota Bauaria, & ipſa Aſtypalæa inſula, in qua uno anno ſex leporum millia capta feruntur, ſatis leporũ nobis ſuppeditare non poſſet. Tum Euangelus: O mulier, inquit, uenuſtate nulli ſecunda, tu lepore non eges. Tum hoſpes: Et tute lepus es, & tamen pulmentarium à puella quæris? Deinde Euangelus: Iſta ſobrius nõ quæro. Sed ne fabulam me dixiſſe arbitremini, hiſtoria, & nõ illepidum de Alexandro Seuero imperatore (qui quotidiano leporum eſu corporis uenuſtatem aucupari diceba tur) hendecaſyllabum, uulgò notum & frequens, id uerum eſſe teſtatur:

*De multitudine leporum in Aſtypalæa, hæc Athe. li. 9. Dipnoſoph.*

Pulchrum quòd uides eſſe noſtrum regem,
Quem Syrum ſua detulit propago,
Venatus facit, & lepus comeſus.
Ex quo continuum capit leporem.

*Carnem leporis ad pulchritudinem conferre.*

Sed Alexander Seuerus Imperator, ut non erat amuſus, ita ſcomma illud lepido hendecaſyllabo reprehendit. inquit enim:

Pulchrum quòd putas eſſe ueſtrum regem,
Vulgari miſerande de fabella,
Si uerum putas eſſe, non iraſcor.
Tantum, tu uelim comedas lepuſculos,
Vt fias, animi malis repulſis,
Pulcher, ne inuideas liuore mentis.

Nam C. quoque Plinius cerebro leporis perunctis gingiuis pueros, facilè dentire: & leporum cibo ſomnolentos fieri, Cato arbitratur. Vulgus uerò & gratiã corpori in nouem dies, ſed ioco friuolo, conciliari cenſet. Cui tamen, ut Plinius ait, in tãta perſuaſione aliqua ſubeſſe debeat cauſa, quam nobis Langius, qui crebrò uenationibus Palatinorum interfuit, explicabit. Tum ego: Euãgele, inter omnes medicos cõuenit, colorem à ſanguinis bonitate, cuius index eſt, depẽdere. Videmus enim quotidie in hypoſarca, retẽtione menſium, febribus, & ſpleneticis, quib. lien uel epar, alterũ uel utrũq; procreãdi aut depurãdi ſanguinis organũ, induratum uel obſtructũ, aut quouis modo affectũ eſt, liuore uultus palleſcere: qui melancholicis peculiaris, in corpore hirſuto, eſt color. Atqui cũ caro leporũ, omniúmq; animalium oblongas habẽtiũ auriculas, ſanguinẽ melancholicum (ut Gale. refert) gignat: qua ratione igitur fiat, ut ex leporũ eſu puellarum genæ rubore roſarũ effloreant, aſſequi nõ poſſum. Hoc uerò Geraldus hac ratione cõfutabat: Quæcunq;, inquit, animalia dulcẽ ac delicatiſsimum ſanguinẽ habẽt, qui potius eſt, ut horũ eſus in alienis corporibus ſanguinẽ groſſum & obſcurũ gignat? At talis eſt leporũ ſanguis, quẽ alijs omnibus bonitatis alimonia præſtare, Gale. his uerbis fatetur: τὸ δὲ τῶν λαγωῶν αἷμα, ὡς ἥδιστον τετίμηται, καὶ πολλοῖς δι' ἔθους ἐστὶν, ἕψειν αὐτὸ σὺν τῷ ἥπατι, τισὶ δὲ καὶ μετὰ τῶν ἄλλων σπλαγχνῶν. id eſt, Leporũ ſanguis, omnibus alijs, ut ſuauiſsimus præfertur: quare pleriſq; cõſuetudo eſt, hunc cũ epate & alijs leporũ uiſceribus decoquere. Tũ Georgius ex Schleſia medicus: Viri, inquit, coepulones, non recto examine hunc purpureũ in ancillarũ uultu colorem expenditis. Iubeat hoſpes illas paleſcẽtis grana cymini, aut allium edere: tũ ſi color hic natiuus eſt, durabit. ſi uerò ex fuco aliquo cæruſæ, hydrargyri, aut unguẽti citrini unguine acquiſititius: tũ ille rubens in cãdido uultu nitor ſtatim obſoleſcet. Tum ancilla ſubirata: Vos temulẽti, ait, quid noſtræ naturæ dotes, quas Deo acceptas referimus, ueſtra interſunt? quin potius de ueſtrarũ in Schleſia mulierum pulchritudine, de qua cũ Venere ipſa contẽdere audent, his periculũ facite: quãdoquidem eſu aſinorũ ſunt famigeræ, lacténe aſinino rugas frontis explicuerint: an ut uultus niteſceret, eo faciei næuos eluerint. Sicut & Poppea Domitij Neronis uxor, quingentas ſecum duxit & aluit aſinas fœtas, ut illarum lacte in pleno balnearum ſolio corpus erugaret, cutiſq; lactis candore niteſceret. Tum materfamiliâs his lœdoriis offenſa: Tace, inquit, moroſa: non hic de pulchritudine Paris ille Phrygius paſtor iudicat. iſtæ ſanè contentiones magis forum, quàm cõuiuia decent. Quin potius nobis ad ſecundam menſam bellaria afferas. quid ocioſa cunctaris? niſi hoſpites reuererer, teſtudineum illum tuum gradum uerberibus accelerarem. Tum Vrſula: Quæſo te domina, inquit, ubi ſunt repoſita? Tum illa: En, garrula, tibi claues, ſublata aulæa in rhiſco reperies: an hæc ignoras? quæ uerò ad choræam ſpectant, probè noſti ubi ſint ſepoſita. Ibi illa accelerãs, nobis in phialis appoſuit perſica diuerſa, Aegyptiaca, Romana, Duracina, Armenia, ac odorifera illa Medorũ mala citria, partim melle deſpumato condita, partim ſolis uel leni furni tepore paſſa. At Anonymos: Quid perſica, inquit, modò, quæ principium ferculorum plus quàm ſecundas menſas decent, nobis, contra Galeni & omniũ medicorum præceptum catholicon, ancilla offert? inter quos omnes conuenit, ea fercula, & præcipuè obſonia mali ſucci, cacochyma, humida & lubrica, ut alia per aluum unà deducant, qualia ſunt perſica, ante alia eſſe edenda. Vltimò enim comeſta ſupernatant, aliáq; computreſcere cogunt. Atqui cũ ex Perſia ad nos translata ſint, cur Aegyptiaca appelles, rationem nobis reddito. Tum ego: Libens id certè faciam, inquam. quid ni enim hoſpiti meo chariſsimo morem gererem? Rholus quidem Democritus, ut Nicandri interpres teſtatur, in libro de Sympathia & antipathia rerum, tradit, Perſas lethiferæ arboris perſeæ ſurculos, ex ueteris ſimultatis & uindictæ affectu, in Aegyptum miſiſſe, ſperãtes plures noxiis perſeę arboris pomis interituros. at deorum & fertilis ſoli, Nilo irrigati, benignitate factum eſſe, ut huius uirulentia, in ſalutarem fructum ſit commutata. id quod Columella etiam teſtatur:

*Pli. lib. 28. ca. 19. circa finẽ.*

*Gale. lib. 3. de Alimentis.*

*De lœdoriis Macrob. li. 7. Satur.*

*Gal. lib. 2. de Alimentis.*

*Nicandri interpres hæc in Theriacis.*

Stipantur calathi pomis quæ barbara Perſis
Miſerat, ut fama eſt, patriis armata uenenis.
At nunc expoſiti paruo diſcrimine læti,
Ambroſios præbent ſuccos, oblita nocendi.

Verùm id ſi de noſtri orbis aut Romanis perſicis intelligatur, falſum eſſe Plinius ita conuincit: Perſicæ arbores, inquit, ſerò & cum difficultate in alias terras

*De perſea hæc Pli. lib. 15. ca. 13. Theophra. de Hiſtoria plantar. lib. 1. cap. 5. & lib. 3. cap. 5.*

transſe

transferuntur, ut quæ in Rhodo nihil ferant, quod primùm ab Aegypto erat earum hospitium. Atque hoc Theophrastus ita clarius explicat: Discrimen, inquit, ad fœcunditatem sterilitatémque summum, uel locorum natura facere potest: ceu in perseis palmisque patescit. Persea enim in Aegypto & locis ei finitimis tantum fructificat, & in Rhodo tantum floret: sicut palma apud Babylonem fœcunda, translata in Græciam sterilescit. Et subiungit idem Plinius, falsum esse, uenenata cum cruciatu in Persis gigni, & pœnarum causa à regibus translata, & in Aegyptum terra mitigata. id enim de persea diligentiores tradunt, quæ in totũ alia est, & myxis rubescentibus similis, nec extra orientem nasci uoluit. eámque peritiores negauerunt ex Perside ad supplicia translatam, sed à Perseo Memphi satam. Semper autem folia habet, & poma, subnascentibus aliis. nouus enim fructus anniculi maturitatem semper præoccupat. materies eius robusta, ad mensas & lectos, ac nauigia compingenda, peraccommoda: colore atra, & contorta, cætera uerò pyro simillima. Quum igitur persea sit Aegypto, in qua solùm fructificat, peculiaris, quis non meritò eius poma Aegyptiaca appellauerit? & quia toto anno uiret, fructibus semper aliis subnascentibus fœcunda, nec folia ei decidant, quis mentis compos perseam Aegypti à nostra persicorum arbore non plurimum distare negabit? Nemo arbitror. Aristoteles tamen in libro de Plantis, id persicorum genus βελίνιον appellat. inquit enim: βελίνιον δὲ δηλητηριῶδες, τὸ γεννώμενον ἐν τῇ περσίδι, μεταφυτευόμενον ἐν αἰγύπτῳ, ἢ ἐν παλαιστίνῃ, γίνεται βρώσιμος. Belenium in Perside deleterion, transplantatum in Aegypto aut Syria Palæstina, fit salutaris cibus. Nostra quoque persica uulgaria, olim Græciæ & Italiæ peregrina, ex Persia, unde nomen habent, Romam aduecta, in Aprili unà cum amygdalis, sed flore rubicundiore, in uineis florent: aqua in qua persicę flores amarulenti septies macerati sunt, cum sachare ad spissitudinem zulapii decocta uermes unà cum astrictæ alui excrementis protrudit. Hæc si uariis insculpta characteribus nasci uelis, tum ossa eius septem diebus terra obruta, postquam dehiscent, nucleos exemptos cinabari exarato, & rursum intra testas diligenter compactos sub terra reconde, & persica suis inscripta characteribus nascentur. De horum genere sunt duracina, à quorum nucleis, dentibus aut cultro caro eorum ægrè auellitur: quæ detractis ossibus solis: uel furni tepore siccata, uel melle condita, aut oxymelle uel muria, etiam si umbilicum pomi gutta picis calentis oppleueris, ut sic in uase concluso innatare sæpe cogantur, diu ea saporis iucundi conseruabis. Sunt quoque de persicorum classe ex Armenia poma, prædictis minora, stomacho tamen salubriora: & quia illa serò in autumno, hæc uerò in æstate maturescunt, præcocia quoque dicuntur. Sunt & alia plura persicorum genera, quorum quædam in censu prunorum numerantur, ut Galeno κοκίμηλα: de quibus Aristophanes grammaticus ait, κοκίμηλα τοὺς λάκωνας καλεῖν ὀξύμηλα περσικὰ, ἅ τινα ἄδρια. Sunt quoque rei agrariæ scriptores, qui nuces à malis ita discernunt, ut nuces dicant omne pomum, quod foris duro cooperitur cortice, & intus latet quod edendo est: malum uerò, id quod esui est foris habeat, durum intus includat. Secundum hanc definitionem, persicum, quod Sueuius poëta in suo Moreto inter nuces molluscas, id est molles recenset, Cloacius libro 4. rectius inter mala enumerat: quæ tamen quia uobis omnibus digitis uestris notiora arbitror, satis erit Græca Latináque illorum nomina & natale solum significasse. Tum Geraldus: Langi, inquit, quandoquidem Cloacius citreum pomum, & Oppius, inter mala persica enumerant, de his & Virgilium hæc dixisse uerisimile est:

*De perseæ arbore Theoph. lib. 4. cap. 2.*

*De persicis ista scribit Palladi. li. 10. ti. 7.*

*De persicis hæc Macrob. lib. 3. Sat. cap. 25. Diosco. li. 1. cap. 142.*

*Virgil. lib. 2. Georg.*

Media fert tristes succos, tardúmque saporem
Felicis mali, quo non præsentius ullum,
Pocula si quando sæuæ infecere nouercæ, &c.

Quare ut totam persicorum historiã nobis explices, æquum censeo, ut de citriis & arantiis quid tibi compertum sit, enarres. Tum ego: O Geralde, inquam, non tantum Cloacius & Oppius, sed ipse quoque Dioscorides, citria inter mala Persica enumerat, dum ait: Postremò, quæ Medica Persicáue aut citromala, à Romanis uerò citria uocantur. Generantur enim, inquit Oppius, in Perside, omni tempore, mala citria. alia enim præcarpuntur, alia maturescunt. quod Pontanus uester in Hortis Hesperidum eleganti carmine ita testatur:

*Pontanus li. 1. de Hortis Hesperid.*

Mala nitent uirides primùm referentia frondes,
Hinc rutilant, fuluóque micant matura metallo,
Flore nouo semper, semper quoque fœtibus aucta.

Vnde Theophrastus: Media, inquit, regio & Persis tam alia plura mala fecit, quàm malum persicum, ab aliis medicum quoque uocatum. habet arbor eius folia similia & ferè æqualia lauro, portulacæ, ac iuglandi: aculeos quales pirus syluestris, aut oxyachanta, sed leues, acutósque uehementer, & ualidos. pomum eius non manditur, sed odore præcellit. eiúsque arboris folium odoratissimum est: & si in scriniis pomum eius intra uestes ponatur, à tinearum rosione inoffensas cõseruat. Anhelitus graueolentiam arcet, si decocto pomorum eius os colluitur. Comeduntur & poma eius, in prægnãtium malacia, quam Græci cissam uocant. Præsens quoque remedium, si quis deleterium pharmacum biberit, & semina cum pomorum succo contusa cum uino biberit: per uentrem enim pharmacum extrudit. unde Oppius inquit: Citreum est odoratissimum, quod uesti interiectum tineas necat. Vnde Homerus, & Neuius poëta, uestes citrosas cognominant. Refert & uenenis esse ita contrarium, ut tritum cum uino, purgatione uirium suarum bibẽtes seruet. Tempore Theophrasti ac Plinii pomum non edebant, sed uelut thesaurum (Athenęo teste) in scriniis cum uestimentis reponebant. Quàm uerò efficax sit contra omne uirus remediũ, uel ex hac Athenæi de duobus latronibus sicariis historia, coniici potest, quos ad uirulentas bestias cõdemnatos in Aegypto refert: uerùm cum ad supplicii theatrum, bestiis uirulenti atrocitate efferatis plenum deducerentur, mulier cauponaria illis obuia, ac horum miserta, citrium quod manu habebat illis edẽdum præbuit. quo comesto, cum illæsi & citra noxam cum draconibus colluctarentur, accersito à præside carceris præfecto, Ecquid alexipharmaci præbibissent, uel edissent, percontatus. nihil præter citrium respondit. Præses igitur de uiribus citrii certius periculum facturus, alteri tantum de citro præbuit, cui item bestiarum uirus nihil obfuit: alter uerò ab aspide morsus, quamprimum in theatro concidit, & expirauit. Nec dissimiles uel impares contra toxica uires Theopompus ruthæ attribuit, qui refert, Clearchum Heracleoti tyrannum multos aconito interemisse, ueneno quod in Aconis iuxta Heracleam locis nascitur. Hoc cum subditi resciuissent, nullus antè quàm rutham comedisset, domo egrediebatur: quo ab aconiti uirulentia sospites euadebant. Martialis asserit, citrum arborem in Assyria, nunquam pomis carere. Vnde Plinius, eius poma mala assyria appellat. quod uerum esse, Palladius in Sardinia, & in suis Neapolitanis fundis quoque comperit. Ea uerò dum matura sunt, colore aureo fulgent. Vnde Chrysomela dicuntur, & Arantia, & ab Athenęo mala Hesperica, quæ Hercules, subacto dracone, qui ea in hortis Hesperidum custodierat, fertur in Græciam & ad Eurysteum regem asportasse. His dictis accurrebat hospes anhelus, & sibi cras ex Alexandria affuturos hospites annunciabat, qui quouis biennio totam Aegyptũ perlustrarent, secúmque ex ea tã salubria quàm noxia pharmaca afferrent. Quare ut de illis possemus singula perscrutari, & nõ temerè quicquam statuere, suasit ut tempestiuè somnum capesseremus, & illis cras in prandio adessemus. Placuit id omnibus summoperè. quare inceptam de uenenis Aegyptiorum, & illorum antidotis, disputationem, in crastinum distulimus. Quicquid ergo ab illis explorauero, eius te Critobole participem quoque reddam.

*De fœcunditate citri, Pli. li. 12. ca. 3. Pallad. li. 4. ca. 10.*

*Ex Theophrasti de historia plãt. li. 4. ca. 4. Athen. lib. 3. hæc repetit.*

*Efficacia citri contra uirus, Athen. libro 3.*

*Fabulam de aureis hesperidũ malis expomt Solin. c. 32. Diodo. Sic. lib. 5.*

## OBSCVRA DE VENATORIIS *Gallorum & Aegyptiorum problemata, & nomina.* Epistola LXVIII.

ALtero uerò die, mane in diluculo, in ęde diuo Marco consecrata, à Deo peccatorum ueniam supplices deprecati, ut hesternæ cœnæ cræpalam dissiparemus, in littore maris, prope forũ piscariũ deãbulauimus, donec fessis iam tẽpus prãdii appeteret. Cúmque

inxeno

in xenodochio pransuri conuenissemus, ibi ad focũ, Philiatrũ, Crateiã, ac Botanophilũ, medicos herbarios, cõsidere uidimus. Tum in amicitiæ symbolum iunctis, capite prius detecto, dextris: Saluete, inquam, uiri, ut hospes nobis refert, multarum rerum peritia nobiles: nobis tamen ob natalis soli forsan interualla ignobiles, nisi quòd sermo uester uos esse Ethruscos, uestitus uerò ex Aegypto aduenas prodit. Quum igitur Ethruria & Latinus ager, quem Circe uenefica incoluit, copia medicamentorum tam salubrium quàm uirulentorum adeò abundet, ut Aeschylus isto elegiaco testatur,

Gens Thyrrena suis clara ueneficiis.

Dicite uos obsecro, quid uos compulerit, per loca deserta, serpentibus, crocodilis, draconibus infesta, Aegyptum adire ac perlustrare? Tum Crateias: Vir optime, boni consule, inquit: nescio enim quo alio quàm amici nomine te digner. nos quidem non ut mercatores auri sacra fames adegit, sed quia & ueterum monumenta testantur, Democritum & Pythagoram ad Persarum Aethiopiæ & Aegypti magos, primos astronomiæ & Magicæ artis medicamentorum autores, profectos, ut ab illis magicas herbarum uires explorarẽt, de quibus Democritus & Pythagoras omnium primi uolumina Apollini & Aesculapio dicata condiderunt: & Theophrastus Aegyptum Nili effluuio fœcũdam, salubrium ac delibutoriorum medicamentorum copia, Ethruriã longè superare, Homeri testimonio probat, qui Menelaum & Helenam, nobile illud Nepenthes, omnis luctus & mœroris pharmacum, multáque alia quæ Polydamnas Thonis Aegypti regis uxor ei dono dederat, ex Aegypto in Græciam attulisse tradit:

*De herbarũ scriptorib. hæc Plin. li. 25. c. 2.*

*Aegyptus uenenis fœcũda, Theophrastus lib. 9. cap. 15.*

τοῖα Διὸς θυγάτηρ ἔχε φάρμακα μητιόεντα,
ἐσθλά, τά οἱ Πολύδαμνα πόρεν, Θῶνος παράκοιτις,
Αἰγυπτίη, τῇ πλεῖστα φέρει ζείδωρος ἄρουρα
φάρμακα, πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Vidisse uos (subiunxit) arbitror, & legisse mea & Metrodori uolumina, in quibus herbarum effigies, subscriptis effectibus depinximus, plerasque nobis inexpertas. Atqui, ut Galenus refert, temerarium sit facinus, tantum lecta, & non experta conscribere. decreui itaque & Aegyptum, deleteriis fœcundam, peragrare: unde nos, Dei auspicio, tot pericula emensos reduces uidetis. Tum ego: Nos inquam faustum ac fœlicem, uobis ad patrios natalis soli limites reditũ precamur, & congratulamur: cuius nos quoque fore participes confido. poteritis enim nobis magnum eximere scrupulum, qui nos diu torsit. Nostis haud dubiè, ferocem illum Turcarum imperatorem, truculentissimarum gentium, Parthorum, Scytharum, Arabum, Aegyptiorum, Dalmatarum ac Dacorum subsidio, nos Christicolas oppugnare: qui non modò, ut Galli & Hispani ad occidendas feras, sed ut nostros milites quoque lethali ueneno perdant, tela eorum toxico inficiunt. quæ quum ex composito hactenus nos celarunt, quis obsecro iustis alexipharmacis, nostris militibus sauciis medicam ferre opem potest? Quoniam igitur, ut hospes nobis significauit, & nomen ipsum indicat, Philiater Polyclas, ut hæc exploraret, multa per mare per terras, iactatus & alto, passus, sudauit deniq; & alsit: eum omnes uno ore supplices obtestamur, ut ob salutem Christianorum, quid in hac peregrinatione de illis compererit, nobis communicet: ac hisne gentibus omnibus unum commune toxicum, an unicuiq; sit proprium: quódq; huius sit deniq; antidotum. Tum Polyclas: ô Langi, inquit, quamuis ardua, & quæ ingenij mei superant uires, ob Christianorũ tamen salutem magno atq; præclaro quidem nomine exigis, tibi ea conditione gratificabor, qua olim Orpheus theologus, Orus Mendesius, Aratus, & Heliodorus, poëtæ Græci, toxica conscripserunt, non ut scelerati his impias manus coinquinarẽt: sed ut innocẽtes, suis antidotis tueri se, horúmq; uires obtundere possent. Hęc enim omnia generali nomine toxica appellabant: quia barbari sagittas teláque sua, quæ toxeumata dicunt, his inficiebant. proprium tamen Parthorum & Scytharum toxicum, quo sagittarum aciem inungebant, humano sanguine & uiperina sanie constabat, irremediabile scelus, quod mortem leui tactu, ea qua sagittæ celeritate accelerat: quod poëtę ideo finxerunt ex Lerneæ hydræ ab Herculis sagitta occisæ cruore enatum, unde & toxicum appellarũt. quod Scythicum etiam ideo dicitur, quoniam (ut Aristoteles refert) Scythæ uiperas iam enixas uenantur: quas captas, dies aliquot donec in saniem computruissent, contabescere sinebant: deinde toto unius hominis sanguine in ollam effuso, eã exquisitè coopertam, fimóq; obrutam computrescere sinebant: cuius tandem supernatans sanguini ichor, uel serum, cum uiperina sanie permixtum, lethale Scytharum toxicum erat. Qui hoc potarunt, his lingua labiáq; intumescunt, nec mente sibi constant, sed rabie efferati, instar luporum uociferãtur. His autem passum cum óleo rosaceo potum, raporúmq; semen ex uino haustum, ac crebra uomitione redditum auxiliatur. Cottonea quoq; mala concisa, ac cum pulegio comesta, eos ita iuuant, ut reliquum tamen uitæ attoniti degere cogantur. At Aegyptij cum suis toxicis, & Arabes, cautius egerunt: ac ne illorum confectiones temerè inuulgarẽtur, eas saltem per manus posteris tradiderunt, ut olim Gallorum Druides sacra sua ex uisco pharmaca. Quis enim modò nouit, an Pharicum Aegyptiorum uenenum simplici medicamine, an composito cõstabat: nisi Hesychius, φαρικόν, dixisset, ἐστὶ φάρμακον σύνθετον θανάσιμον? cuius quidem nomen & noxias uires Dioscorides & Nicander posteris prodiderunt, sed compositionem uterque penitus obticuit. Nicander quidem ita nos in Alexipharmacis admonet:

*quo nomine de venenis tractandi*

*De herbarum pictorib. hæc Pli. li. 25. ca. 2.*

*De toxico Parthorũ. Plin. li. 11. c. 53. Ouid. li. 1. de Ponto. Lucan. libr. 3. Aristot. de Mirabil. aud. Nicandri interpres in Alexiphar.*

*Cottonei mali contra toxica uirtus.*

*Hæc toxicũ alexiphar. Nicãder & Dioscor. lib. 6. ca. 20. tradunt.*

μὴ δέ σέ γ' ἐχθομένη λήθη πόσις, ἣ γὰρ ἄιδρις
φαρικὴ, ἢ γναθμοῖσιν ἄδει βαρὺν ὤπασε μόχθον.

Poculum certè eius uno die homines mente attonitos, conuulsos, ac furore percitos interemit. huic malo exitiali medetur uinum absinthites, cum momẽto cinnamomi, & ex Cilicia nardo, potum. at efficacissima eius antidotus fertur esse malum cottoneum, Struthiõ appellatum: cuius etiam uires solus odor cottonij, etiam rhisco inclusi obtundit, eneruat, & ab eius uirulentia præseruat. Vnde Philarchus in sexto Historiarum libro ait, Cottonia mala suo odore omnium deleteriorũ uires obtundere. Nam & pharicum, inquit pharmacũ rhisco, quod cottonea olet, impositũ, emacescit, eiúsq; uires omnino dispereunt, manifesta quadam ἀντιπαθείᾳ. Hoc quidem uenenum Praxagoras, à pharmacopola quodam eius inuentore, pharicum: alij quòd in φάροις Arcadiæ reperiatur, dictum esse contendunt. alij in Pheris Thessaliæ, alij circa Pharim Laconiæ oppidum repertum asserunt. Nec defuerunt, qui medicum ex Colchide Medeæ ueneficij poculum, Pharicum quoque appellarunt: nec nomen à Pharo excelsa illa in portu Alexandriæ turri deducerent, quę nocturnis chorusca facibus, nautis, ne scopulis illiderent, tria, sed angusta, quasi alueos, Alexandrini portus uada indicabat, ut Statius in Syluis ait:

*De pharici ueneno, & cottoneis, hæc Athen. lib. 3. ex Philarcho.*

*De Pharo turri Alexandrina Solin. cap. 41. Egesipp. li. 4. ca. 2. Statius lib. 3. Sylu. Lucan. lib. 9.*

Sed trepidis ubi dulcia nautis
Lumina noctiuagæ tollit Pharus æmula lunæ. Id

quod & Lucanus testatur:

Ostendit Phariis Aegyptia littora flammis.

Sed qui exactius pharici uirus nomenclaturam scrutantur, à Pharo insula nomen obtinuisse contendunt, quæ olim tantum unius diei & noctis uelifico nauigiorum cursu, à terra aberat, modò Alexandriæ ponte coniuncta, diuersis iobolis & aspidibus infesta, quibus Canopus intoxicatus, Menelai nauclerus, ibi interiit. Sed ut natura horum perniciem certis remediis compensaret, pharmacis fœcundam effecit, quæ Menelaus unà cum Helena uiginti dies in ea detentus, plurima secum in Græciam detulit, partim noxia, partim salutaria. Sic Asclepiades ex uino & porri succo ad mellis spissitudinem decoctis, electuarium sanguinem excreantibus salubre conficere docuit, quod pharos quoque nominabat. Verumenimuero nimis prona ad ueneficia uidetur animalium natura. Bruta quidem intra se uirus habent, quibus sese tueantur: at homo plura reperit, maleuola quadam solertia, toxica, quibus hostes suos in bello oblæderet, quale est dorichnij agrestis plantæ, candore, sapore, & odore lacti similis uirus, quod quia eo δόρατα, cuspides in bello inungebantur, δορύχνιον Romani ac pariter Græci appellarunt: Crateias halicacabum solani furiosi succum dicit, qui intoxicatos continuo stomachi singultu, & tremulo ceruicis motu conuulsos, sanguinis eructatione concussos interimit: nisi quis Asclepiadis consilio fretus, illos lac bubulum, dulce ac esculẽtum, conchularúmq;, ac maritimorum crustaceorũ, nempe carabi & astaci ius,

*De Pharo insula Homer. Odyß. Δ. Plin. li. 13. cap. 11. & lib. 5. cap. 31.*

*De Pharo Asclepiadis. Gal. lib. 8. de compos. med.*

*De dor[ycnio] hæc [Ni]cander in Alex. Dioscor. lib. 6. ca. 6. Gal. li. 2. de Antidotis.*

affatim

affatim ingurgitare coëgerit. Ac olim quidem certè quouis modo uel armis uel ueneficio interimere hostē fas erat. sic Mithridates rex Ponti, ut hostes prosequentes necaret, aquas ueneno infecit. Iugurtha quoque fontes & pabula ueneno corrupit in Aphrica: quo strata gemate quamuis scelerato, & Iuba rex fertur usus. at Aquilio Romano magno crimini est adscriptum: quòd impuris medicaminibus in Asia Romana polluisset arma. Præclarius est autē fortitudinis specimen, hostē armis & robore corporis, quā ueneno prosternere. Quare Galli & Hispani maiori præconio sunt digni, qui uel hodie toxico nō ad interimendos homines, sed ad occidendas in uenatione feras, utūtur. Sic uenatores in Gallia Narbonensi aconito, quod thoram appellant, lupos & capreolas capiunt: cuius radix glires & pantheras quoq; enecat, ob id Myoctonum & pardalianches dicta. Habent & Galli herbam limeum dictam, qua sagittas in uenatione tingūt, quod uenenum ceruarium uocāt. Vnde Aristoteles refert, Celtas Gallos habere pharmacum, quod ξυνικὸν uocant, tam præsentis ueneni, subitóq; putrefaciētis, ut quāprimùm animal aut ceruus eo læsus conciderit, confestim accurrant uenatores, antequā uirus penitus dispergatur, aut putrescat, carnémq; sauciatam telo uirulento excidāt, ad spithami circa uulnus latitudinem. Huius antipharmacum esse tradit folium quercus, & fagi: aut aliud folium, quod à coruis, qui eo sibi medentur, coracinū appellāt. & quia folia quercus Nicāder & Dioscorides asserunt esse ephemeri ueneni, à Medea in Colchis reperti, antidotum, pleriq; hoc Celtarum toxicum esse ephemerū suspicantur. Alij uerò syluestre elleborum, aut Columellæ cōsiliginem: quòd A. Gellius tradat, Gallos in uenatibus tingere elleboro sagittas, quòd iis ictæ & exanimatæ feræ, teneriores ad epulas fiant, sed propter ellebori cōtagium, uulnera ex sagittis facta circūcidere latius dicuntur. Et Plinius: Galli, inquit, sagittas in uenatu tingunt elleboro, circūcisóq; uulnere teneriorem fieri carnem affirmant. Nec solum Galli, uerùm & Hispanorum agricolæ in regno Nauari & Portugalliç, ex elleboro, quem pedigambrā aut ysiambram appellāt toxicum cōficiunt, quo ceruū, uix quarto, à Granato oppido amplissimo, lapide inter emptū, citra noxam comedimus. Non desunt, qui coniectura haud dubia affirmant, hanc ellebori speciē esse, nō illud aromaticum helenium, sed Aegyptiacum, & Græcorum quoq; helenium uirulentum: quod quia optimum in Helicone nasceretur, Dioscorides ueratrū heliconium appellauit. de quo Paulus Aegineta ex Galeno ita scribit: φασὶ δὲ τοὺς Δάκας καὶ Δάλματας περιπλάσειν ταῖς ἀκίσι τὸ ἑλένειόν τι, καὶ νῖνον καλούμενον, καὶ οὕτως ὁμιλῆσαν μὲν τῷ αἵματι τῶν τιτρωσκομένων ἀναιρεῖν, ἐσθιόμενον δὲ καὶ ὑπὸ αὐτῶν ἀβλαβὲς εἶναι, καὶ μηδὲν ἀδικεῖν. id est, Ferūt Dacas & Dalmatas, spicula helenio, quod Ninū uocant, illinire, quæ cū sanguine in uulnere commixta uirulēta sunt, atque interimūt: gustatum uerò ab illæsis, est innoxium: nec quicquam mali, nisi cruori cōmixtum, affert. Vnde Cornelius Celsus: Neq; hercule, inquit, scientiam præcipuam habent hi qui Psilli nominantur, sed audaciam, usu confirmatā. Nam uenenum serpentis, ut etiam quædam uenatoria uenena, quibus Galli præcipuè utuntur, nō in gestu, sed in uulnere tantum nocent. ideo colubra ipsa tutò estur, ictus eius occidit. ergo quisquis, modò in ore palato & gingiuis sit illęsus, exemplum Psilli sequutus, uulnus exsuxerit, & ipse tutus erit, & tutum hominem pręstabit. Ego tamen ob affluxum cruoris insperatum, helenio non libēter ulcus humidum & sordidum purgarem, ut Galen. suadet, qui passim hoc helenium inter herbas acuti uigoris enumerat. Vnde Nicandri interpres refert, Arabes Gerræ ciuitatis incolas, intoxicatos curaturos, eorum alexipharmaca ita probare: aliquam pedis eorum partem scalpro incisam, & cruētam toxico illinūt, & quamprimùm per sanguinem discurrit, aut dispergitur, ne uirus cor subeat, ocyus antidotis toxicū detergere. Nec ullum huius toxici remedium, cottonei mali succo præsentius, Hispani nouerunt, quo etiam scammoneæ uirus & corrigitur, & obtunditur. Tum his dictis, omnes gratias Philiatro egimus, quòd uirulentum Galeni helenium, omnibus medicis modò ignotum, ac reliqua uenatoria Gallorū toxica nos docuisset. Verùm cur ea non gustata, sed cruentis illita uulneribus tātum occidant, à Botanologo, herbarum peritissimo, sciscitabamur. Tum Botanologus: uiri, inquit, multarum rerum peritia clari, uereor uos dudum explorata percōctari: tamen, quid sentiam, uos non celabo. Ex Theophrasto probè nostis, Thrasiam quēdam, historię radicum consultissimū, ac quosdam pastores, integros ellebori fasciculos citra noxam deuorasse: & tamē eo Gallorū Hispanorúmq; uenatores occidere feras, ceruos, & homines quoque saucios, uel solo eius contactu, & experientia, & præter Gellium Plinius quoque & Celsus testatur. Sed id de Galeno, altero rei medicæ Aesculapio, non satis admirari possum: qui de theriaca ad Pisonem, empiricos grauiter incessit, quòd hos admirandos pharmacorum effectus cognoscere gaudeant, causas uerò scrutari cunctentur: quas tamen nec ipse nobis satis clarè reddidit, nisi quòd ęquè admirāda nobis obtrudit: nempe morsus, ictus, ac uirulenta iobolorū uulnera, eiidem à quibus inflicta sunt curari: crocodilorū morsus, eorum sæuo aut pinguedine inunctos, sanare Aegyptios: & murem araneum, quem Græci μυγαλῆν appellant, ac scorpionem, lethales eorū ictus, inspersos, & oleis quoq; in quibus macerati sunt, rectè curari asserit. sicut cacoëthes Telephi uulnus etiā, non nisi autore uulneris Achille ipso curari potuit: quod rubigine ab hasta sua detersa sanauit Achilles. Sed horum omnium causam uel spōtè obticuit, uel saltem dissimulauit. quā tamen in libro de Temperamentis multis ambagibus scrutatur, dum ait: Vt summatim dicam, nullū pharmacum intus assumptum, & externè applicitum, pariter operatur: neq; uiperę uirus, neque rabidi canis spuma, nec aspidis uenenū, intus quidē sumptū, sicut sinapi, cępe, & allium, ac alia quæ exedendi acrimoniam habēt, dū intra corpus concoctricis facultatis uires sustinere coguntur, alterantur quidem, discernuntur, & purgantur, aliisq; multis commiscentur humoribus: sic dispartita, passímq; per corpus dispersa, in nulla particula ita continuè morantur, sicut foris cuti applicita, uel uulneribus infixa. Sed hanc causam plus ponderis habere arbitror, qua traditur, quorundam deleteriorum uires quibusdam rebus & succis obtundi: ut pharici ueneni, helenij, ac colchici uirus, pulegij, nepete, ac citoniorum succo eneruari, & uicissim aliis succis uegetari & exacerbari. Sic certè ex putrida uiperarum sanie toxici uires, admixto humani cruoris ichore, redduntur uegetiores. Quid enim quæso obstare poterit: quin humanus cruor helenio commixtus, in uulneribus non idem præstare queat? ut eo citius sanguinis ac spirituum infectorum uehiculo, cordis aut aliorum membrorū, quæ hoc uenenum respicit, penetralia irruere possit? Non enim certè quoduis uenenum primùm cor petit: sed habent sua, ex congenita & cœlesti uirtute membra sibi dicata, quæ etiam foris applicata primario affectu infestant. Sic cantharides manu detentos, aut genui impositos, cruentum urinæ profluuiū proritare: leporem marinū, pulmonem oblædere: hydrargyrium inunctum, dētes, gingiuas, cerebrū, neruos, & epar offendere experimur: quorum uires tādem cor quoque perreptare, nemo inficiabitur. Cū hæc à Botanologo dicta omnes approbassent: Tandem, inquit Crateias, ô Anonyme, dic quæso, si famelicus esses, auderésne carnem ceruorū, qui toxico interierūt, edere: aut & pisces, quos Campani aristolochiæ rotundæ puluere, admixta calce, pacato æquori insperso capiunt, ad quem pisces agminatim confluunt? quem cum degustarint, exanimati supernatantes manu piscatorum comprehenduntur. Pari autem ratione audio Germanos & Italos, pastillis ex cocculis de leuantho, id est oriente allatis, baccis lauri similibus, cymino, casei tetrimate, farina tritici cum uino sublimato coadunatis, ac amnibus pacatis inspersis inescatos, & horum uirulēto illicio stupefactos, manu capere. Dic quęso, an his uesci auderes? & an edēdo arbitraris esse noxia? Tum Anonymus respondit: O Crateia, hęc dum cruda sunt, uenenosa qualitate participare, uel ex hoc conijcere potestis, quòd pardi crudis carnibus, aconito delibutis, capiuntur, unde Pardalianches appellatur: & pellibus uulpium atque luporum aconito captorum, quantauis industria præparatis, pili excidunt, unde Lycoctonum uocant: raphanus infixis ueratri albi radiculis, illarum uiribus imbuitur: & si crudus comeditur, eadem quæ elleborus operatur. Quare uenenum per totam corporis intoxicatorum molem crudā dispergi, nemo dubitat: quòd, dum in ueru ignis calore, qui omnia lustrat, torrentur, uel

elixan

*De ueneno ceruario Plin. lib. 27. cap. 11.*

*De ueneno Celtarum toxico, hæc Aristot. de mirabil. aud.*

*De ellebori hæc Gell. lib. 17. cap. 15. & Pli. li. 25. ca. 5.*

*Hispanorum ex elleboro toxicum.*

*De helenio toxico Dacorū Gal. li. de theriaca ad Pisonem, Paul. lib. 6. cap. 88.*

*Cor. Cel. lib. 5. cap. 27.*

*Gal. li. 5. de compo. medic. general.*

*Nicandri interpres in Alexipharmacis.*

*Cottoneū malum toxico resistit.*

*De elleboro hæc Theophr. lib. 9. cap. 18.*

*Toxicum Hispanorū quare sauciatis tātum lethale.*

*Gal. causam effectus helenii obticuit.*

*De iobolorū ictus cura hæc Gale. ad Pisonem, & li. 10. de simpl. med. Columel. li. 7. cap. 15.*

*Telephi uulnus rubigine ferri curatū, testis Pli.*

*Gal. li. 3. de temperatura, hæc copiosè.*

*Venena non primū cor, sed mēbra appropriata petūt.*

*Cātharidū, leporis marini, ac hydrargyri proprietas.*

*An toxico capta edēdo sint innoxia.*

*Captura piscíū cū aristolochia, Pli. lib. 25. cap. 8.*

*Captura pisciū cum cocculis de Leuantho.*

*Ignis calor uenenis resistit.*

elixantur, dissipatur & euanescit. Nam uulnera à uenenatis animalibus illata, si candenti ferro uruntur, calore eius uirus insumitur. Sic & Hippocrates pestiferā aëris in Græcia luem ignis incendio expiauit. quo aduenticias ueneni, in rebus ab hoc alienis, qualitates, facilius cognatis corrigi posse, nemo rerum causarúmq; naturalium peritus negabit. His dictis, consobrinus meus Georgius: Certè, ait, quicquid sit, nescio: hoc scio, ex uino Cretico, uel piscibus soporiferis, cocculorum orientalium baccis capitis, grauem mihi somnum obrepere. Porrò quum & tempus iam, & ratio, ne aduenis molesti essemus exigeret, quisque domum concessit, alteram inuitationem expectaturus. Atque ut tu quoque nostri conuiuij esses particeps, hæc ut acta sunt, tibi per literas communicare uolui, ut spopondi. Vale.

## AN VENENO ALTA EDENDO *sint innoxia.* Epistola LXIX.

ADeras nuper Pamphile, quando comitis Palatinij uenatores & aucupes, quos quædam contra iobolorum uirulētos ictus antidota docueram, mihi anates, palumbos, hyoscyami pastillis inescatos, præterea coturnices & sturnos ex ellebori ac cicutæ pastu obœsos: ac pisces cogolis delephanto, uel nuce uomica captos, offerebant: ubi territus, quia uenenis alerentur: non minus fideliter, ut ab illorum esu mihi temperarem admonuisti, quàm Aristoteles Alexandrum regem hortatus fuit, sibi ut à coitu puellæ, omni puellari ueneris decore uenustæ, sed napello nutritæ, caueret: quam rex Indorum, ut illius contagione inficeretur, Alexandro dono miserat. Nec enim falsò ista ex scintillantibus, & serpentium more nictabundis puellæ oculis, Aristoteles præuidit: nec omnino euentus defuit. nam quicunque cum puella, ab Alexandro repudiata, cōcubuerant, eius contagione infecti perierunt. At ego Pamphile mi, fidum tuum consilium grato quidem animo amplector: uerùm de anatibus, coturnicibus, ac sturnis, nihil tale uereor. quamuis Aristoteles scripserit καρπός τινας ἡμῖν μὲν ἀβρώτους, ἄλλοις δὲ βρωσίμους, ὥσπερ ὁ ὑοσκύαμος, καὶ ὁ ἐλλέβορος, ἀνθρώποις μὲν δηλητήριον, τροφὴ δὲ ταῖς ὄρτυξι. Idem asserit Lucretius, de secta Epicuri poëta dicens:

*De puella napello nutrita, Aristot. in lib. de reg. princi. Auerr. in proœm. 3. Phys. & Auicenna.*

*De coturnicibus ac sturnis Lucre. li. 4. & 5. Aristot. lib. 1. de Plantis. & Gal. li. 3. de simp. medic. & libr. 2. de Alim.*

> Præterea nobis ueratrum est acre uenenum,
> At capris adipes & coturnicibus auget:
> Quippe uidere licet, pinguescere sæpe cicuta
> Barbigeras pecudes, homini quæ est acre uenenum.

*Napellū Arabū nō esse aconitū, sed cicutam Græcorū. Auerr. 5. colliget cap. 24.*

Fateor equidem Pamphile, has uolucres, coturnices elleboro, sturnos cicuta, quam Arabes ac Auerrois napellum dicunt, uesci. At hæc nec ipsis, nec aliis animalibus aut hominibus, qui horum esui sensim assueuerūt, aut quorum tota congeniti caloris substātia, qua structio etiam ferrum digerit, fortis est, esse uenenum. Nam ut Theophrastus ait, omnium pharmacorū uires debiliores in assuetis deprehenduntur, in nonnullis etiā omnino inertes. Porro fit, ut quædā ex medicamentis, propter hominis assuetudinem, uim suā amittant, nec amplius medicamina esse possint. Cum enim à natura acceptantur, deuincuntur, cōficiuntur, non amplius inter medicamenta censeri possunt: & ut Thrasias, Mantinensis medicus, radicū peritissimus, naturas singulatim discernens, dicere solebat: Idē medicamē aliis, aliis uerò non esse medicamen. Quicquid enim calore, aut congenita, uel ex consuetudine acquisita corporis proprietate alteratum, in corporis alimoniā digeritur, id alito uenenum esse non potest. Sic porrò puella illa Indica, & anus illa Attica, à momento cicutæ, quod natura euincere & concoquere posset, assueuere integros cicutæ manipulos innoxiè deuorare. Sic modica cicutæ sorbitione Aegyptiorum sacerdotes, ut Hieronymus in Epistolis refert, se impunè castrabant, assueti πλεῖστον (inquit Galenus) δύναται τὰ ἔθη, καὶ φύσεις ἐπικτήτους. id est, plurimum pollere cōsuetudinem & naturas acquisititias. Sic uenena quotidie, præsumptis tamen remediis, hausta, Mithridati à consuetudine innoxia fuerunt: adeò ut captus à Pompeio Magno, in carceribus ueneno se interimere non potuerit. Sed cicutæ succum nō assuetis, & puluerem quoq;, esse lethale & soporiferum uenenum, Atheniensium supplicia indicant, qui morte condemnatos sorbitione cicutæ interemerūt: quam & Socrates, impietatis condemnatus, in carcere hausit. Sed qua ratione celeriter & sine cruciatu inferret mortem, Thrasias Mantinensis, & Alexias eius discipulus, ingenij acrimonia præceptore præstantior, ac Chij cōficere nouerant. Deinde illud te obseruare oportet, uenenosæ contagionis seminaria, calore concitata, in uiuorum corporibus energia esse longè uegetiora, in defunctorum corporibus, calore extincto, ferè consopita. Vnde in Veneris cum muliere, morbo Gallico infecta, conflictu, quo corpus & spiritus, ueneni uehicula, incalescūt, contagionis seminaria fiunt nocentiora: quæ in feris ac uolucribus toxico interemptis, præcipuè si ignis feruore in ueru torrentur, uel in lebete elixantur, ignis calore dissipata, difflantur & euanescunt. His mi Pamphile persuasus, si uolucres aut feras ueneno pastas uel captas, nihil abominaris, precor ut cras cœnæ, ad horam quintā in ædibus meis intersis: ubi hæc cum optimis carbonibus tosta, partim quoq; elixata, apponentur: unà cum mero & cotoneis melle conditis, præsentia omnium deleteriorum alexipharmaca. Vale: & da operam, ne tua persona in amicorū symposio desideretur. Iterum uale: & quo minus ista fercula abhorreas, cogita gallinas uiperis saginatas, & tandem elixas, labe elephantiasis infectis fuisse salutares.

*Qua ratione uenena digerūtur, alūt, & nō obsunt, Theophras. li. 9. c. 18. Gal. li. 3. de tēperat. & libr. 3. de simpl. medic.*

*Consuetudinis in cibis efficacia, quæ est natura acquisititia.*

*Gal. & Theophrast. Hipp. in reg. acut. lib. 3.*

*Gale. lib. 3. de tēperatura, de anu Attica.*

*De Mithridate hec Plin. lib. 25. cap. 2.*

*Socrates cicuta obijt.*

*Cicutæ uires, Theoph. lib. 9. cap. 17. Diosc.*

*Gallinæ uiperis saginatæ medentur elephantiasi.*

## DE VARIA STIRPIUM, FRUgum, animalium, & humani sexus metamorphosi. Epistola. LXX.

VAleant tui, Bergkmāne, chymistæ, spe Crœso ditiores, inopia uero Codro & Iro pauperiores: qui, quamuis natura stirpium & animalium sit ad omnes metamorphoses, ob temporis anni ex terra & stipitibus alimēti, cœli, natalis soli, ac culturę uarietatē, prona, substantiales tamen rerū formas, nec ipsi, nec natura, nisi in proximas & cōgeneres species, transmutare possunt. Nam cùm terra imbrium frequentia largiorem alimenti copiam pręstat, tunc degenerandi occasio fit, quę uirtutem generandi non penitus tollit, sed in aliā alterat. Semper, inquit Theophrastus, ad proximum, & quod congener sit, mutatio prouenit. sic triticum in lolium degenerat. nam omne triticum solo uliginoso, inquit Columella, post tertiam sationem conuertitur quoque in siliginem. at quod ad culturam spectat, mille sunt, quæ certa cultura saporem ac colorem, uirésq; culta uel neglecta alterant. Mala enim punica acida: radicibus arboris suillo fimo obrutis dulcescunt. Sisymbrium hortense, cultura neglectum, in mentham degenerare, Theophrastus tradidit, sisymbrio ferè congenerē. Porrò eiusmodi mutationes ita Theophrastus accidere putat, ut aliquid similitudinis uelut tui chymistæ faciant, non ut omnino speciem exprimant alienā. Sic quoq; natura soli, ut matrix suos fœtus, transmutare stirpes quoq; potest. Nam ocymum in aprico loco satum, in serpillum abit: & teste Galeno περσαῖον φυτὸν εἰς αἴγυπτον μετακομισθὲν, ἐξηλλάγη τὴν ἰδέαν· ἀλλὰ χρηστῆς ἐπιλαβόμενον τροφῆς, τὸν καρπὸν ἐδώδιμον ἔσχεν. id est, Persea plāta trāslata in Aegyptum, ex bona fœcundi soli alimonia, fructū innoxiè esculentū profert: translata in Rhodū, sine fructu tātū floruit. Populus alba deposito ob senium & alimenti inopiam corticis læuore, succo effœta in nigram degenerat. Similes quoque permutationes in animalibus & præcipuè eorū generatione accidere, Theophrastus testatur. Ex eruca sanè nascitur aurelia, quæ mox in papilionem alatum conuertitur. Diomedis quoque de bello Troiano redeuntis socios, multis periculis attritos, uindice sauciatæ Veneris ira, in uolucres erodios aut ardeas transmutatos, Troiani belli historia refert: eásque Diomedis templum in Apulia, prope Garganum montem, incolere, ac admirabili obsequio rostro aqua pleno, templi arcam aspergere, Græcos aduenas blando alarū remigio applaudentes excipere: Barbaris uerò infesti, eorum capita pertundere rostro. Diuus tamen Augustinus, inclytus Christianæ fidei & ueritatis antistes, sublatis à latronibus Diomedis sociis, alites hos, incolas substituisse, ut his figmentis Diomedis nomē accresceret, suspicatur. Qui tamē dum in Italia diuersaretur, sese audiuisse perhibet, quasdam mulieres stabularias, degustato casei ueneficio, uiatores

*Causam trāsmutationis plan. Theoph. lib. 4. ca. 6. & lib. 5. ca. 8. Arist. libr. 1. de Plantis.*

*Chymistæ species rerū trāsmutare nō possunt substantiales.*

*Columella li. 2. cap. 9. Theophra. lib. 2. ca. 5. de Tritici permutatione in lolium & silig.*

*De ocymo & populo Theophrast. li. 5. de causis planta. cap. 8.*

*De Persea hæc Gale. li. 1. de Spermate, & lib. 6. de Causis sympt.*

*De sociorum Diomedis metamorph. Augu. lib. 18. de ciuit. Dei. c. 16. Ouid. lib. 14. metamorpho. Pli. li. 10. Aristo. de Mirab. auditu.*

*De ueneficio mulierum cū caseo, August. lib. 18. cap. 18.*

*Hominũ metamorph.in iumenta, August. lib.18.cap.18.* *De hominũ in lupos metamorphosi Plin. lib.8.ca.22.Solin.cap.9.Arist. li.9.ca.36.et 8. capi.5. August. de Ciuita.Dei. lib.18.capi.17.* *Sacra Augustini uerba ex lib.18.ca.18.*

uiatores,ut earũ onera deferrent,in iumẽta cõuertisse: & Præstantij pater delibato casei ueneno consopitus, diu exanimis iacuit,experrectúsq; tandẽ sese caballum fuisse,ac onerarias clitellas & annonã militib. gestasse dixit.quod uerũ fuisse cõpererũt.At hos mẽte quidẽ,ratione uerò nunquã destitutos,laborib.autẽ defunctos, pristinã hominis effigiẽ recuperasse tradit.Sic Apuleius Magiæ discipulus,& affectati eloquij obseruator,accepto ueneficio,humano tamen permanente animo,sese asinũ factũ indicauit,aut finxit. Nec enim,ait Augustin. dæmones aliquid,præcipuè in animã,operari possunt, nisi is permiserit,cuius iudicia occulta sunt multa,iniusta uerò nulla. Nec enim dæmones naturas creant,sed specietenus quæ à uerò Deo creata sunt commutant:& præstigiator ille phantasmatib.homines,obseratis sensibus illudit. Has terribiles hominum metamorphoses Virg.quibusdam herbis ponticis,& carminibus Circes Homerus acceptas referunt.inquit enim Virgil.

*Quãta sit dæmonũ potestas.*

His ego sæpe lupum fieri,& se condere syluis
Moerim,sæpe animas imis exire sepulchris,
Atque satas alio uidi traducere messes.

*Græcia mendax.*

Euantes uerò tradit,Arcadas quẽdam ex familia Anthei selectum, postquam stagnum suspenso in quercu uestitu tranauerit,in lupum transfigurari:qui cum citra hominum commercium nouem annos cum lupis diuersatus fuisset:reuersum per stagnum,ac recepto habitu, pristinam recuperasse effigiẽ, addito IX. annorum senio.Mirum est,inquit Plinius,quò procedat Gręca credulitas: nullum tam impudens est mendacium, quod teste careat. Ego uerò non carminum aut herbarum ueneficio, sed ferinis animi uitiis, ac atræ bilis lupinæ morbo,quem Græci à λυκῶ,id est lupo, lycaonem & lycanthropiã appellant,in lupos mutari arbitror. De qua Paulus ait:Qui lycanthropia correpti sunt,nocte domũ egressi,lupos, donec illuxerit,per omnia imitantur,ac circa defunctorum monumenta oberrant.cuius morbi signa pathognomica sunt, faciei pallor, oculi obtusi & sicci,lingua aridissima,nulla saliua madida, nec quicq; expuunt.quin & ulcera ex melancholia tali enata,uulgus chirurgicorum quoque lupum appellat. Equites Comitis Palatini ex proxima contra Turcam, nomine Romani imperij suscepta expeditione, redeũtes,narrabant mihi,se uidisse in Austria hominem, qui latratu ac cursus pernicitate cum canibus contenderet,ac cum illis illæsus in syluis uenaretur. Eruditam curandi hunc morbum methodum Paulus ibidem te docebit. Vt uerò Varro hãc Diomedis sociorum & Arcadum in lupos metamorphosim,pluribus astrueret exemplis, narrat, Demęnetum,quem Copas in Olympicis,& Plinius,Demarchium Parrhasium appellant,in sacrificio,quod Arcades Ioui Lyceo humana cum hostia faciebãt,immolati pueri exta degustasse,& in lupum confestim transmutatum.Hac certè sacrificij fabula, Plato refert Arcades tyrannorum mores designasse:qui degustato semel puerorum,id est,innocentium sanguine,quadam luporum rabie cõcitati in subditos,quos timẽt, grassantur: quos tueri deberent.de quo Socrates apud Platonem, in dialogo de iusto,cũ Adimanto ita scitè differit.Quærit enim Socrates, quænam sit origo mutationis tutoris in tyrannum:an uidelicet qui præest,cœpit id agere, quod circa templum Iouis Lycei in Arcadia fieri fabula refert,quòd qui humana uiscera,cum aliarum uictimarum incisa uisceribus fortè gustarit, lupus fieri cogitur. Nonne fabulam audiuisti?Respondit Adimantus:Equidem.Cui Socrates:Eodem modo & hic,cuius imperio uulgus ualde obtemperat,cognato nõ abstinet sanguine,sed falsis(ut solent)confictis criminibus,in iudicium trahit eos quos timet,& iniusta cæde se cruẽtat:uiri uitam extinguens,gustánsque lingua impura & prophano ore generis proximi sanguinem:ac nonnullos expellit,enecat alios. causatus scilicet æris alieni reserationes,partitionésque agrorum. Quare necesse est huiusmodi hominem uel ab inimicis interfici,uel tyrannidẽ exercere,lupúmque ex homine fieri. Vitia quidem non tam corpus quàm animã,uerũ hominẽ, immutãt.sunt enim uitia animorum ueneficia,quibus auari & raptores in harpyias, libidinosi in Satyros, obscœni in porcos transfigurantur.At illa utriusq; sexus in quibusdam animalibus & hominibus metamorphosis, plurib.nititur testimoniis.de prima quidem classe autores tradunt,hyænam animal ferox & astutum, quod humanos sermones assimilare nouit, alternis annis sexum commutare,ac sine mare gignere: quod Aristoteles negat,Ouidius ait:

*Ex morbo melancholiæ lupi.* *De lycãthropia Pau.lib.3. cap.16.* *Cancer lupus quare dicatur.* *Mysticũ Iouis lycei sacrificium. Plin.li.8.c.22. & Augu.li.18. cap.17.* *Plato circa finẽ octaui dialogi, De iusto.* *Vitia animorum ueneficia, quæ homines in lupos & bestias transformant.* *De hyæna Pli. lib.8.ca.30. & li.28.ca.8. Aristo.li.6.de Nat. animal.cap.32. & lib 8.cap.5. Ouid lib. Metamorph.ulti.*

Alternare uices,& quæ modò femina tergo
Passa marem,nunc esse marem miremur hyænam.

& Oppianus lib.3.de Venatione canum,inquit:

θαῦμα δὲ καὶ τόδ᾽ ἄκουσα περὶ στικτῇσιν ὑαίναις,
ἄρσενα καὶ θήλειαν ἀμείβεσθαι λυκάβαντι.

*Sexus humani & animalium metamorphosis.*

Sic lepores utriusq; sexus naturã habere experimur, masculum æquè ac fœminam, sine mare etiam gignere, Bigus & Plinius affirmant. At illud maiori admiratione dignum, in utero cerui, quem illustriss. princeps Henricus Comes Palatinus prope Oelvvangh ceperat,cornigeri,dũ euisceraretur, repertum fuisse hinnulum,membranulis circunseptum.Ceruos quosdam naturam sexus uariare,cornua, uirilia ceruorum arma,attestantur, quæ ceruas quandoq; gestare obseruatũ est: quali marchio quidam Badẽsis olim capta,eius cornua regi Gallorũ dono miserat, quæ Ambasi in regio horto prope ianuam interiorem parieti affixa, subscriptis in tabella testibus qui uenationi interfuerant, cernuntur. Sic fœminas mutari in mares, & uicissim, non esse fabulam Plinius asserit. & Empedocles Agrigentinus, Pythagoricæ philosophiæ assecla, inquit:

*De Empedocle hæc Philostrat.lib.1.*

Et puer ipse fui, necnon quandoq; puella.

*Hæc mutati sexus exempla Plin.lib.7. cap. 4. Gell. lib.9. cap.4.tradunt.*

Licinius Mutianus prodidit,uisum à se Argis Arescõtem, cui muliebre nomen Arescusæ,nupsisse, & confestim à nuptiis barbã & uirilitatem ei creuisse,uxorémque duxisse.Plinius quoq; ipse uidit,L. Cossitiũ nuptiarum die mutatum in marem.quod eleganti epigrammate Ausonius Burdegalẽsis Gallus,uir consularis poẽta & medicus,ita expressit:

Valle bane res nota,& uix credenda poëtis,
Sed quæ de uera promitur historia.
Fœmineam in speciem conuertit masculus ales,
Pauáq; de pauo constitit ante oculos.
Cuncti admirantur monstrum:sed mollior agna
Astitit in tenerum de grege uersa marem.
Quid stolidi ad speciem notæ nouitatis habetis,
An uos Nasonis carmina non legitis?
Cænea conuertit proles Saturnia Consus,
Ambiguóq; fuit corpore Tiresias.
Vidit semiuirum fons Salmacis Hermaphroditum.
Vidit nubentem Plinius Androgynum.
Nec satis antiquum quòd Campana in Beneuento
Vnus epheborum uirgo repentè fuit.
Nolo tamen ueteris documenta arcessere famæ,
Ecce ego sum factus fœmina de puero.

*De Cœneo Ouid.12.metamorph.*

*De his uirginum portentis Volater. lib.24. de Genitalib.*

Et rectè quidẽ Ausonius ait,nil opus esse ueterũ testimonia arcessere, quũ ab hinc annos paulo minus LX. Volaterranus cardinalis sub Alexandro, Romano eius appellationis pontifice sexto,Romę duarum uirginum prodigia accidisse commemoret,quarum altera ex canis concubitu semicanem enixa, alteri uerò in nuptiarum die subitò mentula erupisset:& utrunq; casum expiationis gratia à Mario Volaterrani fratre reconciliante,ad eundem pontificem fuisse relatũ,tradidit. Sed ueterum pontificum decreta, has sexus & animaliũ metamorphoses,ut falsas refellunt.

## AN IVDAEI SANGVINE HVMAno utantur. Episto. LXXI.

Accepisti,ut arbitror,Critobole,problemata,quę Venetiis scrutandæ ueritatis ergò, ad medicinæ incremẽtum,seriò quidem tractauimus: quibus cum triduũ in cõuiuiis, & sub diui Marci porticu transegissemus, Geraldus cõgenito natalis soli amore compulsus,cum iam uires peregrinatione fessas, quiete refecisset,in patriam redire cõstituit. Nos uerò cum amicum nobis uernaculũ deserere,præter fidelis amici officium esse arbitraremur:manè collectis in sarcinulas impedimẽtis, antelucano tempore antequã ingrauesceret calor,itineri accincti,per Mantuam,Veronam,Brixiam, ac Tyrolenses alpes argenti & auri metallis locupletes, quæ lapide quoq; Cyaneo & Armenio uero abũdant, tridui iter emensi,Tridentum,Simonis pueri martyrio ac Arno flumine celebre,deuenimus. Tum Geraldus ab hospite sciscitabaẽ,ob quã causam Iudæi,scelerati Christianorum sicarij, in puerũ innocẽtem tanta atrocitate grassati fuissent?Cui hospes respondit:Aiũt Iudæos,nisi Christiano sanguine quotannis corpus abluerint, fœda contagionis labe & scabiei fœtore pollui. At enim,ait,

*Verus lapis Armenius in Tyrolensiũ metallis reperitur.*

Langius uetus meus etiã olim conuiua & hospes, Mantuæ, Bononiæ, Venetiis, Iudæis, ut illorũ uel in cæremoniis, aut medicamentis, si qua haberent, arcana, exploraret, diu familiariter conuersatus est. is ergo uerã uos causam edocere poterit. Tum ego inquam: Quæ mihi hac de re uel auditu uel lectione comperta sunt, uobis amicis bona fide referam. Viginti enim prætererunt anni, quum ego adolescens Bononiam per Mirandulam proficiscerer. Aderat ibi tum comitate morũ & omnifariæ eruditionis splendore clariss. princeps, Ioãnes Frãciscus Picus, Mirandulę comes, & Concordiæ dominus illustris: qui quum ab hospite accepisset, nos esse ex Germania aduenas: mox à nobis per nunciũ accersitis, primùm omnium de uita & conditione Ioannis Capnionis sciscitabatur: & an cõtrouersia eius cum monachis studiorum osoribus, per iudicem aut Cæsarem transacta esset. Cui respondi: intempestiuam Capnionis mortem contentionem illam diremisse. Tum ingemiscens Mirandulæ comes: Ah quid audio? interiit certè, inquit, triplicis linguæ culmen, & Germaniæ decus: cuius opera factum, ut Tyberis defluxerit in Rhenum: & sancta illa ac uetustate uenerabilis lingua Hebraica, olim uaga & incondita, nunc autore Capnione certis cõstricta legibus, certa dicendi scribendique norma facile omnibus facta est obuia. mehercle obitu huius uiri hebraismus multum detrimenti accepit. Tandem ego: Probè, ô comes, hunc uirum depinxisti, inquã. Siquidem omnes docti & boni uiri, præter monachos, quibus cum literis uel Musis nihil commune est, huius mortem deplorant: quos tamen & tua, et eius affinis Melanchthonis eruditio non uulgaris, unicè consolatur, qua iacturam illam facilè resarciri posse sperant. Sed ô comes, si fas esset, aduenas tantum territorij huius Principem interrogare, qui eruditionis capessendæ gratia dulce natale solum deseruimus, libenter à tua eruditionis omnifariæ excellentia percunctaremur, quænam sint præcipua Iudæorum de re medica & secretiori philosophia uolumina. Ibi tum Picus, pro sua ingenua humanitate, quæ sedula ueræ eruditionis est pedissequa: Libẽter, inquit, uobis aduenis, quantum quidem in præsentia licet, gratificabor. Scitote igitur præter legem Mosaicam, pauca, & ferè nulla Hebræis fuisse uolumina: cuius sacratiorem interpretationem, quam Cabalam dixerũt, Moisi cœlitùs reuelatam, non per literarũ monumenta, sed alter alteri, nõ minus quadraginta annis nato, quasi hæreditario successionis ordine reuelabat. Sed postquã Iudæi à captiuitate Babylonica per Cyrũ uindicati sunt, instaurato sub Zorobabele templo, ad legem quoque restituendam animum appulerunt. Cui negocio tum Esdras, singulari eruditione & pietate sacerdos, præfectus est: qui sacra diuinæ legis uolumina expoliuit, in eúmque ordinem digessit, quo tãdem sub Philadelpho à LXX. interpretib. in Græcam linguam translata sunt. Sed cum Esdras uideret, Iudæos exilio, fugáque assidua fluctuare, & cædibus affligi, ueritus quoq; secretiorem diuinæ legis interpretationem interituram, cuius arcana, ueluti thesaurus, saltem in memoria seniorum erant recondita: iccirco septuaginta uiros, sapientia & sacrosanctæ legis eruditione de gente Israëlitica præstantiores, in synedrium conuocauit, ut unusquisq; quæ de legis mysteriis arcana memoria teneret, palàm referret: quæ adhibitis notariis, fideli calamo excepta, Esdras in LXX. uolumina digessit, quã Cabalam dixerunt: quæ ineffabilẽ de diuinitate, & angelicis intelligẽtiis sapientiam, & de rebus naturalibus exactam traditionẽ continebant. Quam postea iuniores, præter artẽ reuelationis literarum, mille magicè artis, quam in Aegypto didicerant, deliramentis, & goëtiæ uanitatibus conspurcarunt. fingebant enim sibi explorata esse secreta Dei, & spirituum nomina (quale est illud impudens Schenham phoras) perfricta fronte nugaces affirmabant, quibus dæmones cogerent, & miracula operarẽtur: ac CHRISTVM ipsum etiam illorum nominum energia miracula fecisse mentiuntur. Nec impia goëtiæ mysteria, quæ à magis in Aegypto didicerant, quibus spiritus defunctorum ab inferis elicere, & futura prædicere cogerent, celarunt. Nec fuit medius fidius in toto terrarũ orbe gens ulla, ut Pli. ait, contumelia numinum insignior, & in magiæ superstitionibus obstinacior: quæ quãprimum Aegyptum duce Moise egressa est, à ueri numinis cultu, quem Moises & Aaron eorum legislatores instituerant, desciscens, ut canis ad uomitũ, sic ad Aegyptiorum idololatriã rediit: omnium beneficiorum, quæ in deserto à Deo acceperat immemor. Nam ex collatis argenteis & aureis uasis & annulis, simulachra & uitulũ Iudæi conflarunt: quos Deus per prophetam Amos, & Stephanus protomartyr in Apostolorum Actis his uerbis ob id seuerè obiurgat: Num, inquit, uictimas & hostias in deserto annis XL. obtulisti mihi domus Israël? Suscepisti tabernaculũ Moloch, & sidus dei uestri Rempham, & figuras quas fecisti ad adorandũ eas. Nec uulgus Iudæorum tantum magicis idololatriæ artibus addictum erat, sed eorũ duces, reges & proceres, has optimè callebant. Erat enim Moises, ut Stephanus refert in Apostol. Actis, eruditus in omni sapiẽtia Aegyptiorũ, & erat potẽs in factis & dictis, quorũ lenocinio eius obtrectatores aiebant, sibi populum Israël, alioqui σκληροτράχηλον, duræ ceruicis, subiugasse: quem & Plin. tradit, unà cum Lotopeo Iudæo, aliam magicis factionẽ instituisse: sed (ut Philo Iudæus in lib. 1. quẽ de Hypothecis inscripsit, docet) à uera religionis pietate non alienam, quã nec Salomon, sapientiæ antistes, ignorauit, autore Iosepho: cui Deus singularem præstiterat potestatẽ, qua dæmones malignos profligaret, & morborum tormẽta leniret. Refert & idem Iosephus, quendam de gente Hebraica Eleazarum, præsente se & Vespasiano Cæsare, magicis annuli uiribus, sub cuius gẽma radix Salomonis suberat, dæmonem de naribus obsessi elicuisse. Annõ quæso Manaemus, de secta Essenorum Iudæus, ob magiam Herodi regi percharus fuit? qui Herodi, adhuc sub pædotriba puero, qui manũ ferulæ nondum subduxisset, prædixerat, eum regio diademate insignitum iri, & quot denique annos regnare deberet? At hoc forsan æquiori animo ferendum, quã illud, quod Saul rex uitę suæ periodũ percõctaturus, fatidicam in Endor anum, quæ Pythonẽ dæmonẽ subditum fouebat, cõpulit, per goëtiæ fascinationes, Samuelis prophetę umbrã uerius quã animam, ab inferis ad eius colloquiũ euocare, ut ab eo sciscitaretur, an hoc morbo, quo decubuerat tũ, interiturus esset. At proh dolor, hęc perniciosa goëtiæ species à mortuorum spectris & uaticinio, Necromãtia dicta, præter carmina, lapidũ uires, aromatúmq; suffumigia ac herbas, suis dæmonibus cõsecratas, præcipuè cruentis hominũ & pecorũ sacrificiis constabat, quæ dæmones cõsulti, per suarũ sacerdotũ oracula in perniciẽ humani generis suadebant & imperabãt. Perhibent sanè Aegyptiorũ philosophi, & Indorũ Brachmanes, dęmones nulla re magis oblectari, & in cõmerciũ hominum allici, & irata spiritus maligni numina litari, quam sanguine humano: & ob id eos circa sepulchra, nisi lustralis aqua aspergine arceantur, oberrare. Vnde uidemus quoq;, in nuper repertis insulis dæmonũ cultores, suos mactare parẽtes, & liberos immolare, ac cõiuges uiuas omni muliebri mundo adornatas, in rogum coniectas cum maritis mortuis comburi, quo se dæmoni obsequium præstare arbitrantur. Sic quoque Vlysses à Circe uenefica & saga instructus, diffuso in scrobẽ cubitalem pecorũ & agnellorum cruore, & melicrato, Achillis & Troiani belli heroũ animas, in colloquium accersiuisse tradit. Vnde Hom. omnis magiæ peritissimus uates, ait,

τὰ δὲ μῆλα λαβὼν ἀπεδειροτόμησα
ἐς βόθρον. ῥέε δ' αἷμα κελαινεφὲς, αἱ δ' ἀγέροντο
ψυχαὶ ὑπ' ἐξ ἐρέβευς νεκύων κατατεθνειώτων.

Quod Horatius quoq; de ueneficis & Canidia saga tradit, dum ait:

——Scalpere terram
Vnguibus, & pullam diuellere mordicus agnam
Cœperunt, cruor in fossam confusus, ut inde
Maneis elicerent, animas responsa daturas.

Sed pecorũ cruore humanus erat dæmonibus longè gratior: adeò ut Hostanes magus, hominem in sacrificiis occidere, esse religiosissimũ, mandere uerò saluberrimum, tradiderit. Nec Calchas augur, à dæmonibus ex Aulide Græcorũ ducibus felicẽ nauigationis abitum ad Troiam impetrare potuit, nisi consultis extis Iphigeniã Agamẽnonis filiã, Dianæ immolandã suasisset, ut uirginis cruore iratum Dianæ numen litarent. Irrepserunt & hæc cruẽta sacrificia ultra mare ad extremos orbis Britannos, & inde ad Gallorũ Druidas, quos Tiberius Cæsar ob id ex Gallia sustulit, memor fortasse ueteris senatusconsulti, quo anno ab Vrbe cõdita DCLVII. sub Cn. Cornelio Lentulo & Licinio Crasso consulibus cautum erat, ne homo immolaretur. Palámq; in tẽpus conticuit prodigiosi sacri celebratio. Sed hæc de Iphigenia, forsitã poëtarum dices esse figmẽta: quæ tamen uerissima esse

magiæ

*Quare Iudæi pueros Christianorũ occidant.*

*De Capnione hæc Picus in Epistolis prædicat.*

*Melanchthon Capnionis affinis.*

*De Iudæorum Cabala, Crinitus lib. 11. ca. 3.*

*De restitutione Iudæorum Hierosolymã per Cyrum, et Esdræ operib. Ioseph. lib. 11. cap. 4. & 5.*

*Cabala magicis uanitatibus referta.*

*Goëtiæ dæmonum cultus, & necromantia.*

*De Iudæis Pli. lib. 13. cap. 4.*

*De Iudæorum idololatria, Amos c. 5. Exod. 32. in Act. apostol. cap. 7.*

*Moises Aegyptiorũ magiæ peritus in Act. apostol. Lucas ca. 7. Euseb. li. 8. ca. 2. Plin. li. 30. cap. 1.*

*Salomon & Eleazarus dæmones cogebant.*

*Iosephus lib. 8. Antiquit. ca. 1. & Crini. li. 9. cap. 15.*

*De Manaemo mago Essenio, Ioseph. lib. 15. cap. 10.*

*De Pythonissa hæc 1. Reg. ca. 28. & in Actis apost. ca. 16. in Decretis cau. 6. q. 5. capi. nec mirum.*

*Dæmones homines sacrificare suaserũt.*

*Deorum cultores in Nouis insulis homines sacrificant.*

*Dæmones humano & pecorum sanguine delectantur et alliciũtur. Homerus Odyss. λ. Horat. sat. 8. libro 1.*

*Humano cruore dæmones delectari.*

*Pli. li. 30. ca. 1. Macrob. lib. 1. Satur. ca. 6. et lib. 3. Lactan. lib. 1. cap. 21.*

*De Iphigeniæ immolatione, Euripides totã scripsit tragœdiam.*

*De humanis hostiis prohibitis, hæc Plin. lib. 30. cap. 1. et lib. 16. ca. ulti. Suet. in Clau.*

magiæ ueterum inuolucra, fateri cogêris. Age igitur ex Philoſophis & ueterum annalibus uerißimas adducamus hiſtorias, de nefario ſanguinis humani abuſu. Scribit enim Pſellus de magorum ſecta fuiſſe Euchetas, qui deprecationibus faſcinabant: & Gnoſtos, quos circunferentes Zoroaſtris libros, Plotinus editis cõtra eos libris, hæreſeos & mendacij conuicit. hi ut dæmonia toto conciperent pectore, nefanda ſacrificia perpetrarũt. conueniebant enim die quo paſſus eſt Saluator ueſpere, ad locum deſtinatũ, unà cum puellis ſibi notis: & ſacris peractis, ac cãdelis extinctis, indiſcriminatim cum ſororibus, aut filiabus, ut fors eas obtulerat, coibãt. ex hoc nefario & inceſto cõcubitu infantes aut pueros à maternis uberibus auulſos iugulabant, ac omnib. corporis puerorũ uenis inciſis ſanguinis effluuium phialis excipiebant, corpora exanguia cremabãt, cinerem ſanguini admiſcebant, quo epulas & pocula condiebant, tum ſua tum aliorum: quo ueneficio exiſtimabant characterem diuinum nobis impreſſum, dæmonia procul arcentem, penitus aboleri, & dæmonum furorem fatidicum, & audaciam ad quæuis ſcelera obeunda, concipi.

*De Euchetis hæc Pſellus de Dæmonib. & Tripar. hiſtor. lib. 7. cap. 11.*

*De Gnoſtis hæc Porphyr. in uita Plotin.*

*Latrones cruoris humani guſtu audaciores fieri.*

Homicidia quippe ſpiritib. malignis iter ad animũ patefaciunt: quod homicidarũ atrox oculorũ (qui mentis ſunt indices) intuitus, apertè prodit. Quod uerũ eſſe, nuper in ſupplicio cuiuſdam paſtoris ſicarij & homicidæ cõperimus, qui duos habebat filios, quos ſibi in ſui facinoris & latrocinij ſubſidiũ aſciuit. at cum pater iuniorem, ad tam ſæua obeunda facinora puſillanimum agnouiſſet, occiſo in ſylua Otthonis tabellario, qui ab recto itinere deuiauerat, pater panẽ ſanguine occiſi madidum, filio eſurienti edendum præbuerat. quo deguſtato, tanquam dæmonis œſtro percitus, ſeſe ad quęuis perpetrãda flagitia longè audaciorẽ factum, dum de eo & patre in Beynſem ſumeretur ſuppliciũ, & frater etiã unà meritas penderet pœnas, ingenuè confeſſus eſt.

*Iudæi quare pueros Chriſtianos occidant.*

*Iudæi Pariſiis combuſti.*

His quoq; ſceleratis puerorũ homicidiis, Iudæos ſe crebrò polluiſſe, Gallorũ & Germanorũ annales teſtãtur: quos ob id Philippus rex Galliæ, cũ cõperiſſet eos quotannis die quo CHRISTVS peccata noſtra in cruce luit, puerum Chriſtianũ in ſpecu ſubterraneo occidere, tam nefarij ſceleris autores octuaginta Pariſiis uiuos cõbuſſit: alios uerò flagitij cõſcios Iudæos, ad unũ omnes cõfiſcatis bonis, è Gallia proſcripſit. qui poſtea leproſorũ miniſterio, cruore capilliſq; hominum, additis in faſciculum quibuſdã herbis, fontes infecerũt, unde uirulenta contagionis lues in Gallos deſæuiit.

*Iudæi in Heluetia cõbuſti.*

Tradũt quoque Heluetiorũ annales, Iudæos Veronæ puerũ cognomento Ruffum occidiſſe, cuius execrãdi flagitij autorũ corpora rotis confracta, in eſcam feris & uolucribus expoſuerunt: reliquos uerò proſcripſerunt, qui collatis opib. Rudolphum regem Romanũ in eorũ uindictam contra Veronenſes ſollicitarunt: quos Rudolphus triginta millibus peditum & equitum, bis fruſtra obſedit, & oppugnauit.

*Iudæi Vberlingæ combuſti.*

At quæſo uos, annõ Vberlingenſis oppidi magiſtratus, ut iuſtus, ita quoque ſeuerus fuit humani ſanguinis uindex? qui trecẽtos Iudæos, qui puerũ ciuis cognomẽto Frhei, occiderãt, unà cũ liberis & uxoribus in unam domũ, muro circumſeptã, uelut in ergaſtulum coniectos, cõflagrauit. Sed hęc uetuſta, & ferè obliterata, illis cõdonemus.

*De Simone puero Tridẽti à Iudæis occiſo, Euſebius in Chronicis, Sabellicus lib. 7. Eneadis decimæ.*

At illud quod à CHRISTO nato ſupra milleſimũ ac quadringenteſimũ anno ſeptuageſimoquinto (ut Euſebius refert) in Tridento accidit, longè deteſtabilius: in quo Iudæi furtim quẽdam cerdonis puerũ bimatẽ, cui nomẽ Simõ erat, ſubtractũ, et octauo Calendas Aprilis, quo die CHRISTVS paſſus fuit, perfidæ huius gentis ritu & more ſtrangulatũ, ut ſanguinẽ innocentẽ emũgerẽt, ita multifariã perfoderunt, ut corpus pueruli totũ Dominicę paßionis ſchema ſtigmatibus referret. Nec tam deteſtabile Iudæorum flagitium (ſiquidẽ uox innocentis ſanguinis, mirabili facti manifeſtatione, uindictã Dei implorat inultũ mãſit. Nã cum Ioãnes Sala iurecõſultus Brixianus in huius atrocis ſceleris reos, decreto pontificis inquiſiuiſſet, cõperti meritas ſupplicij pœnas in rogo pependerunt: puero uerò in martyrũ catalogũ relato, tẽplũ ſatis auguſtũ, ob miracula Tridenti cõſecratũ fuit: in quo pueri corpus exoletũ, & nigrũ, cras æditu us uobis ſpectandũ exhibebit. Nec tamẽ his & tantis ſuppliciis Iudæorũ pertinax, dæmonis inſtinctu, in homicidiis obſtinacia, mitigari potuit.

*Iudæi Venetiis combuſti.*

Nam quinquẽnio pòſt eiuſdẽ impietatis & crudelitatis ſcelus Venetiis uindicatum fuit. ex Motta oppido Foriiulij, quod Liquẽtia amnis alluit, occiſo à Iudæis in die Paraſceues puero: tres de Hębraica gente ſontes, Venetias ad ſupplicium deportati, meritas luerũt pœnas. At, ut audio, nõ deſunt qui Iudæorũ impietati patrocinentur, & hæc de Iudæis conficta fuiſſe crimina affirment, ut eorũ bona cõfiſcerentur, & iudices diteſcerẽt. Iamdudũ enim ſublatis eorũ holocauſtis & hoſtiis, nec ulla amplius eſſe ſacrificia, quæ uel humano uel ferarũ ſanguine ab eis peragantur: nec legem Moſaicam ullum ſanguinis humani uſum præcipere, uel docere. Sed ô impiorum patrone, tuorum Cabala, magico Aegyptiorum incantationis ac diuinationis artificio, literarúmq; ſacræ ſcripturæ ſortilegio, & mẽdaci diuinorum nominũ ſchẽhãphoras & aliorũ ſuperſtitioſa interpretatione referta, dæmonũ culturam & præſtigias necromãtiæ uos docuit, quæ ſine ſanguinis effuſione fieri nõ poſſunt, ut uotis ueſtris dæmones adſint. Vnde decreta pontificũ aiunt: Ad ſuſcitandos mortuos cadaueri ſanguis adiicitur. Nam amare ſanguinẽ dæmones dicũtur.

*In Decr. cauſ. 26. q. 5. can. nec mirum.*

Quum uerò hæc magica Aegyptiorũ & auita Hebræorum dogmata, olim ſucceſſoribus eorũ tantũ uelut per manus tradita, & adhuc proculdubio ſint quorũdã alta mẽte repoſta: de his periculũ facturi, ſanguine humano egẽt. Quare nõ immeritò quiſpiam Iudæos per hæc execranda puerorũ homicidia, in die quo Chriſtus ſuũ pro noſtra ſalute effudit ſanguinẽ, quo nos de poteſtate dæmonum redemit, Iudæos quoque, ut Euchetas & Gnoſtos, magos, cõquirere ſanguinẽ, ſuſpicari poterit. His uel credere, uel fidẽ derogare, penes te ſit arbitrium. Tum Geral. Hæc quæ nobis de Iudæorũ magica impietate, & eorũ goẽtiæ pręſtigiis, quę ſanguinẽ, dæmoniorũ philtrũ, requirũt diſſeruiſti, nõ multũ diuerſa à Capnione noſtro, ex lib. de Verbo mirif. accepimus. Verum quid ſtẽmate auorũ generoſus, & rara eruditione uerè admirãdus comes Picus Mirãdulanus, de Iudæorũ in re medica libris et peritia ſtatuerit, uel tu diuturno (ut hoſpes refert) eorũ uſus cõmercio cõperiſti, nõdum nobis ſignificaſti: quũ tamẽ hæc ſcire Germanorũ max. interſit, quorũ ut marſupia Iudæi fœnore, ita facultates corporis uitales medicamẽtis exhauriunt, ac experimenta per mortes agũt (diſcunt. n. periculis noſtris) Iudæóque Chriſtianũ medicamẽtis occidere ſumma impunitas ſit. quippe cũ nulla lex ſit, quæ in hac arte puniat inſcitiam capitalẽ.

*Magiſtratus auaritia ſinit ſubditos fœnore & medicina Iudæos perdere.*

Accedit ad hoc auaritia pręfectorũ & præſidũ, qui accepto paruo tributo, data illis, qui Chriſtũ & illibatã eius matrẽ uirginẽ Deiparam blaſphemãt, maiore quã Chriſtianis immunitate, hos ut mali paſtores non tondere, ſed Hębraicos hos lupos, ſubditos ut oues deglubere permittũt. Pudet fateri, ſolos in toto terrarũ orbe Germanos cuilibet apoſtatæ, ſacrificulo, agyrtæ, carnifici, perfidóq; Iudæo, profitenti ſe medicũ, corpus & uitã cõcredere. Quare, mi Langi, ſi quid de illorum medicina cõperiſti, aut quid tandem ſentias, ob communem patriæ ſalutem in lucẽ proferas, te omnes obſecramus. Cui ego reſpõdi: O Geralde, equo certè ſponte ſua currẽti fruſtra impingis calcaria. A teneris quippe didici, neminẽ ſibi ſoli natum: ſed potiorem noſtri ortus & uitæ partẽ ſibi partim amicos, partim patriã uendicare. proinde quicquid de Iudæorum in medicinis ſciẽtia exploratũ habeo, ut ab illorũ tyrannide & fraude ægroti ſemel uindicari poſsint, ut ingenuè, ita quoque uerè ac citra omne odium uobis referam. Primùm gloriantur Iudæi, ſe quoſdam de re medica habere libros reconditos, ac Chriſtianis medicis inuiſos: quorũ nec Picus Mirandulanus, nec Capnio, Hębraicæ linguæ anteſignani, ulla ſaltem fragmenta extare perhibebant. Nam Iudæi æquè ac Gallorum Druides, ante tempora Eſdræ ſacerdotis, cũ Cyrus eos ex captiuitate Babylonica in Syriã Palæſtinam Hieroſolymamq; reſtituiſſet, nec ſecretiorem diuinæ legis interpretationem, nec ullam aliam artem literarum monumẽtis cõcrediderant, ſed eorum ſucceſſoribus hæreditario reuelationis iure ueluti per manus tradiderunt. Quare neq; ulla de philoſophiæ encyclopædia monumento habent, nec proferre poſſunt, præter Cabalam & Thalmud, nugarum ſuperſtitionibus plena. Illud tamẽ fateri cogimur, in Syria, præcipuè Palæſtina, ante & poſt CHRISTVM natũ, quã Iudæi incoluerũt, ſtudiũ medicinæ plurimùm floruiſſe. Nam in Antiochia diuus Lucas medicus, & Damaſco, præclaris Syriæ ciuitatibus, ſanctus Paulus ac Meſue, medicinam profeſsi ſunt: uerùm eam, quã Græcis, quos Meſue in teſtes adducit, acceptam referre iure deberẽt: quemadmodum Raſis & Auicenna, ac reliqui Arabes,

Hippocrati & Galeno, quos in re medica ut duces obseruant, & sequuntur. aliam uerò medicinam magicis Aegyptiorum uanitatibus defœdatam, Aegyptiis debent. Nam cum in terra Chanaã magna annonæ caritas & fames incidisset, Abraham cũ Loth & Sara, eius uenustæ indolis uxore, & uniuersa prole in Aegyptũ profectus est, ubi pecoribus plurimùm ditescebant. Siue, ut sanctus Stephanus in Actis apostolorum refert, quum terra Chanaan magna frumentorum inopia affligeretur, Iosephique autoritas olim à fratribus per inuidiam Aegyptiorum mercatoribus uenditi, apud Pharaonem magni fieret, Ioseph misso nuntio patrem suum Iacob, omnémq; cognationem eius cum L X X V. animalibus in Aegyptum accersiuit: in qua præter idololatriæ cultum, ex magia pharmaca & incantamenta didicerunt, quibus morborum curã temerario ausu professi sunt: quibus quoque sacrosanctum Dei donum medicinam prophanassent, si monumentis literarum ab Aegyptiis excepta posteris tradidissent. Sed ne synceræ medicinæ puritas, eorum nugis contaminaretur, diuina prouidentia obstitit: cuius nutu accidit, ut Iudæi Iesu duce in Syriam Palæstinam reduces, ac ex captiuitate Babylonica, per Cyrum Persarum regem asserti, ut iterum gens illa effrenis Artaxeris bellorum cladibus ac Ptolemæi insidiis afflicta, propriis quoq; seditionibus pessum iret. Nam imperante adhuc Claudio Tyberio Cæsare, oborta Hierosolymis in solẽnitate Paschæ seditiõe, intra portas templi triginta Iudæorum millia oppressa traduntur. Nam à CHRISTO passo hæc gens Deo hominibúsq; exosa, cõtinuis bellorum ac seditionum calamitatibus fuit attrita. Quippe cũ in ciuitate triplici discordiæ intestinæ factione dissideret, illius proceres crebrò ante templi portas cruenta intestini belli clade cõflixerunt, in qua optimi quiq;, qui aliquid ex Aegyptiorum doctrina, uel auita maiorum reuelatione didicerãt, uel armis, uel obsessa ciuitate, fame interierunt: qua mures, liberos, scutorum coria, & calceorum alutas, ac fœnum edere coacti, tam confertim perierunt, ut per unam tantum portam centum ac quindecim cadauerum millia fuerint elata, ut Egesippus refert. Fęx igitur tantum, & indocti uulgi colluuies, mansit superstes: quæ, postquã Titus Vespasianus ciuitatem triplici muro uallatam ac dirutam solo adæquasset, dispersa, sine pastore & duce, pasim per Europam & Indiam, & per aliquam Africæ partem oberrauit, nulla illis certa uel trãquilla sede derelicta, in qua literis uacare possent, à CHRISTO nato, uero Messia, semper alieno obnoxiј dominio. Id quod illorum dux & propheta Moises, futurũ illis, tali ueridico uaticinatus est oraculo: Non auferetur sceptrũ de Iuda, & dux de fœmore eius, donec ueniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. quẽ ex Deipara uirgine natum, obuiis( ut aiunt) ulnis excepimus: quem Iudęi adhuc, sed serò nimis, expectant. De hac uaga gente Israëlitica, hæc nostra Iudæorum propago repullulat, omnium bonarum artium, & pręcipuè philosophiæ ignara, quæ se illicito fœnore, quo æraria diuitũ & principum exhauriunt, & medicinæ impostura, qua impunè Christianos perdunt, alit, & ditescit. non enim sibiipsis, suæ in medicina ignorantiæ sibi consciј, medentur: sed Christianorũ (quod Bononiæ & Venetiis crebrò uidi) consilium et auxiliũ implorant. Quî enim obsecro medicinã scire possunt? cũ prima illius elemẽta, nempè humani corporis fabricam, nõ plus quã laniј nouerint? philosophiã ne à limine quidẽ salutauerint? cuius tamẽ pauca quædã seminaria, nunquã fructum productura, Cabala eorũ inspersa habet. Prudenter igitur & sanctè Pontificum decreta, sub pœna exauthorationis, aut excommunicationis cauerunt, ne quis Christianus sacris initiatus, uel laicus, cum Iudęis cõuiuetur, lauet, aut eos ad infirmos accersat, aut medicinam ab eis accipiat.

*De Iudæorũ strage hæc Cornelius Taci. li. 21. Ioseph. lib. 11. cap. 6. & li. 12. cap. 1.*

*De Iudæis seditiõe oppressis historia Tripartita lib. 2. cap. 19.*

*Egesippus de excidio Hierosol.*

*Sceptrũ Iudæ aufertur. Gen. 49.*

*Medicina Iudæorum prohibita, causa 28. q. 1. can. nullus eorum.*

VETERES EX AEGYPTO PHILOSO= *phos diuina herbarum medicamenta, magica & anili superstitione infamaße turpiter.* Episto. L X X I I.

SOlet quidẽ, sed non immeritò, fraudulenta iniquitas omnibus bonis & probè doctis uiris mouere stomachũ. Quare omnes boni te facilè uenia, imò laude potius dignantur, quòd omnibus theologis & logiatris ac Iudæis malam crucem imprecaris, qui sacrosanctam religionem ac medicinam, execrandis magicæ artis uanitatibus defœdarunt: quas dũ herbas aut radices, certis prius decantatis ἐπῳδαῖς, & nõ sine lustralis aquæ cæremoniis eruũt, expiãt, & consecrãt, audire & uidere licet: quorum ludibrio cacodæmon mentes mortalium ita perstrinxit, ut graues eruditione et fama totius ueteris Latiј & Græciæ philosophos, ea docere aut scribere olim non puduerit. Quare ut scias, quibus iustè succensere debeas, paulò altius in re medica & religione magicæ uanitatis autores tibi, & originem repetam. Non adeò magni referret, Hebræos magię arcana ab Aegyptiis dæmonum cultoribus, & idololatris, olim didicisse: quoniam illius arcana usque ad Esdræ sacerdotis tempora, non literis inuulgarunt: sed ut Gallorum Druides, illius sacra alter alteri, ueluti hæreditariј iuris successu, per manus tradebãt. Et postquam Esdras diuinæ legis interpretationem, quam Cabala dicunt, communicato cum L X X. uiris Iudæis, ex omni eorum tribu doctoribus selectis, consilio, cõscripsisset, cui illorum successores multa nephãda magica de schemhamphoras, & literarum sacræ scripturæ calculatione, & quasi sortilegia inseruissent, ne tamen hæc inerti uulgo patêrent, lege cauerunt, ne cuiquam fas esset ante suæ ætatis X L. annũ, quãdo iudiciũ, quo sacra à prophanis discernere posset, assequutus esset, Cabalam legere. At quum Hostanes Proconnesius, secundus post Zoroastrem magiæ autor, in bellum quod Xerxes Græciæ intulerat, comitatus, magicę artis ostentatione ab omnibus ueluti numen ueneraretur, Græcorum populos nõ ad illius auiditatẽ modò, sed ad rabiem ferè illexit. Vnde Græcorũ philosophi, ut magicæ quoq; artis peritia barbaris nõ inferiores essent, sibíque famam, eruditionísque honorem aucuparentur, Pythagoras, Empedocles, Democritus ac Plato, ad hanc discendam exiliis uerius quàm peregrinationibus susceptis, in Aegyptum nauigarunt. Vnde reduces, hanc illustri præconio celebrarunt, & docuerũt. Ante quos tamen Numa Pompilius, Romanorũ rex & pontifex, ex magia quatuordecim libris partim Græcis, partim Latinis, Romana iura & pontificia sacra conscripsit: cuius libri, ne diuulgata arte, pontificũ autoritas uilesceret, arca plumbeis coopercul is deuincta, intus uerò cedri resina oblita, inclusi, inq; eius monumento reconditi, post Numæ obitum anno quingẽtesimotrigesimoquinto (qui annus, quum cœlum sex menses nulla pluuia terrã irrigasset, siccitate & frugum inopia insignis fuit) rursum sunt eruti: eo enim anno in agro L. Petiliј scribæ sub Ianiculo, dũ cultores altius moliuntur terram, duæ (ut ait Liuius) arcæ lapideæ, octonos fermè pedes longæ, quaternos latæ, inuentæ sunt, literis Latinis Græcisq; utraq; arca inscripta: in quarum altera Numæ Pompiliј corpus sepultum esse, in altera eiusdem libros inesse, titulus indicabat. quas cum ex amicorũ sententia Petilius reserasset, quæ titulum sepulti regis præ se ferebat, inanis reperta fuit, sine ullo humani corporis uestigio, per tabẽ tot annorum ossibus absumptis: in altera, duo fasces candelis inuoluti, septenos habuere libros, non integros modò, sed recentissima specie à tineis & blattis illæsos. septem libri de iure pontificio Latini erant, septem Græci de disciplina sapientiæ: quæ, ut Liuius ait, illius ætatis esse potuit, quam Numam à Pythagora non didicisse, Cicero ac Liuius rectè asserunt. & hinc, Eusebius, Ouidius, ac Plinius, qui Numam Pythagoræ auditorẽ fuisse asserunt, erroris conuincuntur. Siquidem peragratis Arabiæ, Persidis, Aethiopiæ Aegyptíque finibus, Democritus, erutis ex sepulchro Dardani, ex Phœnicia magi, uoluminibus circa belli Peloponnesiaci tempora (quod gestum est à trecentesimo urbis Romanæ anno, qui orbis conditi 4770. fuit) magiam in Græcia docuit: Pythagoras uerò, regnante Seruio Tullio, & plus centũ post Numam defunctum annos, in ultima Italiæ ora: quæ tũ uetus Gręcia dicebatur, circa Metapontum, Heracleam, & Crotonam, frequenti discipulorum concione magiã professus est: quam & uariis symbolis obscurauit, & ne quispiam discipulorum ante assequutam magiæ sapientiam de ea quippiam temerè effutiret, aut eliminaret, silentium triennale discipulis indixit. Cæterùm si annalibus credimus, in eadem belli Peleponnesiaci tempora Hippocrates & Democritus inciderunt: quorum ille salubribus præceptis medicinam auxit & illustrauit, hic uerò eam & religionem ethnicorum arte magica miscuit & polluit. Nam illud magis persuasum erat, neminem, quamuis corpus nullis conspersum næuis haberet, nec unquã in mare expuisset, sacris magiæ

initiari:

*De Esdra Iudæo Suidas & Iosephus.*

*De Hostane hæc Pli. lib. 30. cap. 1.*

*De Pythagoræ, Platonis et Democriti profectione in Aegyptũ, Euseb. li. 10. ca. 2. Cic. li. 5. de Fin. bo. & mal.*

*De libris Numæ Liu. Deca. 4. lib. 10. Plin. lib. 13. cap. 13.*

*Pythagorã nõ fuiße Numæ præceptorem, Cic. libro 2. de Orat. et lib. 4. Tuscul. quæst. Dionys. lib. 2. Plutar. in eius uita, Plin. li. 2. cap. 8.*

*Eusebius li. 9. ca. 3. Ouid. lib. 15. Metamorp. Plin. lib. 13. ca. 13. aßerũt Numam fuiße Pythagoræ discipulum.*

*De Dardano Aegyptio Ioseph. lib. 8. ca. 2. Pli. li. 30. c. 1.*

*De Hippocrate & Democrito hæc Pli. lib. 30. cap. 1.*

*Magiæ opera, quæ ex sympathia dæmonũ cum rebus naturalib. & astris.*

initiari, aut ritè dæmonũ sacris operari posse: nec ἐπῳδαῖς ἢ γοητείαις, carminibus, uel lugubri incantamento mortuorum manes aut dęmones in colloquiũ aut subsidium, uel ad uindictam arcessere, aut ueneficiis, spectris, ac præstigiis mentes mortalium perstringere posse: nisi prius magicas, ac naturales quoq;, sed occultas, herbarũ, aromatum, lapidũ, radicúmq; uires & suffitus, ac præcipuè reconditã rerum naturaliũ cum dæmonibus & astris sympathiã, probè didicisset: sine quorũ peritia, nec dęmones ad magorum sacrificia & officia cogi posse crediderant. Quare his philosophis magis omnibus uetustior Orpheus (id quod eius hymni, qui adhuc extant, testãtur) aliqua de his curiosus scripsit, & post eum eius discipulus Musæus, & Hesiodus, magicas polij herbæ uires & suffitus commendarunt: & Homerus quoque suum Moly, agrestis rutæ speciem, Mercuriique contra Circes ex mãdragora ueneficia, pharmacum ita collaudat:

*Veteres poëtæ omnes magiæ periti.*

*De polio herba Plin.li.21. ca.7. & li.25. cap.2.*

*De moly Homer.li. Odyß. 10. Dioscor.li. 3.c.50. Arsen. in Apophtheg.*

ὣς ἄρα φωνήσας, πόρε φάρμακον ἀργειφόντης,
ἐκ γαίης ἐρύσας, καί μοι φύσιν αὐτοῦ ἔδειξε.
ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε, γάλακτι δὲ εἴκελον ἄνθος.
μῶλυ δέ μιν καλέουσι θεοί, χαλεπὸν δέ τ' ὀρύσσειν
ἀνδράσι γε θνητοῖσι. θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται.

*Mandragorã esse amoris philtrum, testatur Theophil.li.9.cap. 10.de Hist. plant.*

*Quòd Andreas & Pamphilus medicinã magicis uanitatib. defœdarint, Gal. li.6. de Simpl.med.*

Post hos longa annorum serie, Andreas & Pamphilus non erubuerunt ἐπῳδὰς καὶ μεταμορφώσεις τῶν βοτάνων, καὶ δεκανῶν καὶ δαιμόνων ἱερὰς βοτάνας γράφειν. id est, incantamenta, transformationes, & decanorũ ac dæmonum sacras herbas conscribere. Idẽ Pamphilus gloriatur, herbam aquilæ, Græcis omnibus ignotam, ac triginta sex horoscoporum sacras herbas, ex libro Hermetis Trismegisti magi Aegyptiaci didicisse. Erant autem Decana sacrificia, in quibus ex uoto decima pars prædæ, Pythio Apollini consecrabatur. Horoscopi erant, qui ex herbarũ indicio, quis dæmonum quauis hora præsideret, & quid eius auspicio feliciter fieri uel auspicari posset, indicabant. At esse de heliotropiorum genere herbas, quæ se motui solis accommodant, herbásque indicent, inficiari non possumus. Nam quotidie uidemus molochi & cicoreæ flores ad solis ortũ dehiscere, ad eius occasum cõniuere. En lupinus cũ sole quotidie circumagitur, horásque agricolis, etiã nubilo die, demonstrat. At esse herbas, quæ dæmones horarum præsides indicent, puerilia esse deliramenta Galenus rectè monet. At illud longè impudentius, quòd idẽ Pamphilus herbarũ descriptioni aniles fabulas inseruerit: fascinationes, carmina, ac magicas cæremonias in herbarum & radicũ euulsione obseruandas, ne dæmonis astus, cui herba dicata, euulsori fraudi sit, docet. At illud omnem superat admirationem, etiam graues eruditione testes his magorũ nugis non deesse. Euulsori radicum moly imminere mortem Homeri interpres asserit. Appion grammaticus, Plinio adolescenti uisus, prodidit, cynocephalæã herbã, quę in Aegypto uocaretur Osirites, diuinã, & cõtra omnia ueneficia pollere: sed si ea erueretur, euulsorẽ statim moriturũ. At his periculis, aut potius uulgi terriculamentis, quo herbæ pluris uenirent, certis precationib. aut obseruationibus obuiam iri, magi docuerant. Sic Druides Gallorũ magi, præceperunt selaginẽ herbã, sabinæ similem, cõtra omnem perniciẽ & oculorum uitia efficacẽ, sine ferro legi: dextra manu per tunicã qua sinistra exeritur, uelut furãte, candida ueste uestito, purę que lotis nudis pedib. sacro (priusquã legitur) uino & pane facto, & ut lecta in mappa noua deferatur. Alias uerò plures, æquè superstitiosas, magicas in eruendis ellebori, mandragoræ ac panaceæ Asclepiadeæ radicib. obseruationes, Theophrastus in nono de Historia herbarũ refert, & ut nugacia radicidũ additamẽta floccipẽdit. Attamẽ nõ negamus quarundã, æquè ac hydrargyri, esse ita noxium uirus, ut si nõ flatu auerso eruantur, uirulẽto earũ uapore caput, faciẽ, oculos, ac non rarò totum corpus oblædatur. Sic nemo innoxiè thapsiã euulsurus est, nisi faciẽ uesica obduxerit, manúsque & corpus oleo inunxerit. Atqui nòn tantũ hac magica obseruatione in eruẽdis simplicib. sed etiã in medicamentorũ compositione ueteres usi sunt. Sic Andromachus, in cõficienda sua cõtra calculũ antidoto, semẽta diuretica in pila lignea pistillo ligneo contundere præcipit: illiúsque opificẽ, annulum ferreum, aut calciamenta ferreis trãsfixa clauis, ut Thraces & Pannones solent, gestare uetat. At parum uisum est cacodęmoni, his nugis irretire animos hominum, & sacrosanctã medicinam defœdare: nisi, ut plus autoritatis magię accederet, in eius fraudulentũ consortium medicinã & astrologiam asciuisset. Rectè medius fidius, inquit Plinius ille polyhistor, natam è medicina magicen nemo dubitat, ac specie salutari irrepsisse, uelut altiorem sanctiorémque quàm medicinam: ita blandissimis desideratissimísque promissis addidisse uires religionis, ad quas etiamnum maximè caligat humanum genus. atque ut hoc quoque suggesserit, miscuisse artes mathematicas, nullo nõ auido futura de se sciendi: atque ea uerissimè è cœlo peti credebant. & ita obsessis triplici uinculo humanis sensibus, in tantũ magia adoleuit, ut etiam hodie in maiori totius Europę & Oriẽtis parte regum regibus imperet. Quod uerissimũ esse, etiã nostro æuo Nouarum insularum exploratores Lusitani cõpererunt: in quibus rex nulla bella, sacrificia, aut quæuis reipublicæ munia, sacerdotibus magis, dæmonúmque cultoribus inconsultis, suscipere audet. Verùm hęc magorum documenta, aut si mauis, potius deliramenta, meras esse nugas, Nero etiã Cæsar didicit, qui nullis ad hanc artem discendam pepercit opibus, nihil quod hæc exigeret reliqui fecit: hanc tamen falsam expertus, postremò repudiauit. Quod si hæc aliquo ueritatis fundamento niteretur, certè libri Numæ Pompilij non fuissent publico prudentissimi senatus Romani decreto in foro combusti. Quare sacra pontificum decreta his uerbis præcipiunt & mandant: Vt sacerdotes admoneant populos suos, ut nouerint, magicas artes incantationésque quibuslibet infirmitatibus hominũ nil remedij posse conferre, non animalibus languentibus aut claudicantibus, uel etiam moribundis quicquã mederi: sed hæc esse laqueos & insidias antiqui hostis, quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur. Quare qui in collectionibus herbarum carmina dicũt, aut pictaciolas pro quauis infirmitate scriptas, super homines aut animalia ponunt: si hoc clericus exercuerit, degradetur: laicus uerò, anathematisetur. Quare age mi Critobole, quum tua eruditio ac fidei integritas magistratui tuo sit dudũ perspecta, effice, ut sagæ, anus ueneficæ, Iudæi ac sacerdotes medicinam professi (quã quidem ne à limine salutarunt, cuius prætextu uita & pecunia miseros ægros impunè spoliant) à uobis eliminentur. quos Galenus prædonibus longè nocentiores esse rectè affirmat: qui pecuniam tantũ uiatoribus, sed tamen non impunè adimunt. at his, cum uitam & pecuniam ægris ademerint, mercede gratia refertur. Quòd si effeceris ut hæc reipub. uestræ monstra, pernicies, calamitas ac lues ciuium, proscribatur: nemo erit, qui te nõ ciuica corona dignabitur, qui hoc unico consilio uitam ægrorum à tyrannide imperitorum, medicorúmq; carnificina uindicaueris. Vale.

*Decana sacrificia, Suid.in uer. Δεκαζώειν.*

*Herbæ horoscoporum. Gale.lib. 6.de Simpli.medic.*

*De lupinis hæc Plin.li.18.ca. 14. de molocho Columel.li.11.*

*De Appione hæc Plin.li.30 cap.2.*

*De selagine Pli.li.24.c.11.*

*De superstitiosa herbarũ collectione Pli. & Theophra. li.9.cap.9.*

*De Thapsia hæc Theophr. li.9.ca.9. Dioscorid.libro 4. cap.147.*

*De Antiochi antidoto hæc Aëtius serm. 11.cap.13.*

*Magia medicinam & astrologiã sibi coniunxit, Pli.li. 30.cap.1.hæc.*

*In Nouis insulis magi dæmonum cultores.*

*De Nerone hæc Pli.li.30. ca.1.& Suet.*

*Libri Numæ combusti, Liu. Dec.4.lib.10. Pli.li.13.ca.13.*

*Verba ex Decretis pontificum 26.quæst. 7.can.admoneant.*

## DE NECESSARIA ET ERRONEA *simplicium medicamentorum ratione,* Epistola LXXIII.

QVàm frugifera, quàm deniq; necessaria sit medico, simpliciũ medicamẽtorum, suæ artis organorum, cognitio: nemo est mortalium tam pinguis Mineruæ, qui id ignoret. quàm uerò præclara & honorifica, uel ex hoc Demophile coniicere poteris, quòd orbis terrarum reges Lysimachum, Gentium, Eupatorem, ac Iubam Mauritaniæ regem, nõ piguit indefesso herbas scrutari studio, & repertas suis nominibus indigitare. Vnde iam adhuc post tot annorũ secula non in pharmacopoliis tantum, & circa ægros in nosocomiis, sed in toto terrarum orbe, regalia & illustria Lysimachi, Eupatoris, & Gentij regũ nomina, sub eiusdem herbarũ & radicum nomenclatura, decantantur. Adde quòd Euax rex Arabum, de simpliciũ medicamentorũ uirib. præclara conscripsit uolumina, quæ Neroni Cæsari dedicauit: & sub Ser. Tullio Hostilio Pythagoras suos de herbarũ efficacia libros, tãquam solis diis digna donaria, Apollini & Aesculapio consecrauit. Hoc præclarũ dignoscendi herbas studium, partim linguarum imperitia ita periit, ut corruptis Arabiæ medicorum trãslationibus confisi, lethalia pharmaca pro salutaribus miscuerint: partim uerò ignaua medicorum desidia neglectum iacuit, qui id uesanis mulierculis & indoctis seplasiariis concrediderunt: ipsi uerò, ut Erasistratij Alexandrinorum medici, domi desides, ex sola librorum lectione (ut nostrates ex sola lotij obseruatione morbos, & ex pictura herbas exactè dinoscere temerè confidunt) medicorum se officium asse

*Quas reges inuenerint herbas, Plin. li.25 cap.2.docet.*

*Pythagoras primus herbarum scriptor.*

*Desidiam medicorũ Alexãdriæ grauiter carpit Galen. passim, & in fine lib. Hipp. de natu.hom.*

*Hæc ſingula Galen.in principio lib. 6.de ſimplic.med.*

cutos putarũt. quos,ita me Deus amet,Galenus noſter ſcitè, ἐκ τοῦ βιβλίου κυβερνήτας, id eſt, ex libro nautas appellat,qui ex ſolis Geographię chartis nauigationis docti, ſcopulis, prius non exploratis, nauem illidunt. Vnde Heraclides Tarentinus huiuſmodi medicos rectè publicis prætoris præconibus comparauit, qui pro concione in foro ſeruum fugitiuum,ſuo ueſtitu,facie,corporis habitu, capillorum colore graphicè depingunt & deſignant,quem ſibiipſis aſsiſtētem non agnoſcunt.Sic noſtrates medici & myropolæ, depictas herbarum radices,flores,& ſemina,ex libro referre,uel etiam tranſcribere norunt:quas in proprio horto,uel ciuitatis pomœrio creſcentes,digito demonſtrare non poſſunt. Verùm quàm fallax ſit herbarum ex lectione & pictura dignotio,Plinius,ueterum ſcriptorum bibliotheca,his uerbis teſtatur: Crateuas, inquit, Dionyſius & Methrodorus pinxere effigies herbarum, & effectus illarum ſubſcripſerũt:uerùm pictura fallax eſt,ex coloribus numeroſis in æmulationem naturæ depictis. multum enim degenerat ſors deſcribentium uaria. Præterea difficile eſt, ſingulas earum ætates pingi: cum quadripartitis anni uarietatibus faciem mutent. certè alia corporis facie pullulant,alia floribus decora pubeſcunt, & alia ſeminibus fœcunda ſeneſcunt. Oportet ſanè medicum herbarum peritum,non eſſe lectorem tantum,ſed αὐτόπτην, id eſt,oculata fide herbarum in quauis earum ętate ſpectatorem, ut copioſe & fideliter Dioſco.in Prologo admonet. Prudenter igitur Antonius Caſtor Roma.feciſſe traditur,qui ut exactè herbarũ hiſtoriam dignoſceret, plurimas herbas in hortulo ſuo ſeuiſſe fertur, quarum ſubſidio,illæſo ſanitatis robore, centeſimum tranſegit annum.Non tamen picturam herbarum hiſtoriam illuſtrare inficior:ſed exactã illarum ad amuſsim cognitionem inde comprehēdi poſſe,unà cum Dionyſio & Methrodoro pernego.Hac medicorũ deſidia,linguarũmq; imperitia, & perplexa nominum miſcellanea accidit, ut non modò uiruleta pro alexipharmacis offerantur, ſed ut uix dimidia medicamētorũ ſimpliciũ,aut herbarũ, radicũ, metallorũmq; pars rectè dignoſcatur. Qua ignorantia artifici,qui ſua ignorat inſtrumenta artis,ut nulla eſt impudētior,ita nec ulla periculoſior. Dic mihi obſecro,quis medicorum poſt Dioſcoridem & Galen. ſaluberrimæ alyſi herbæ hiſtoriã & eius germen probè nouit?quæ non ſolũ guſtata,ſed uiſa etiã,uel tacta,ſine febre ſingultus,uirulentóſque rabidi canis morſus confeſtim curat:melle contuſa,& faciei illita, lentigines detergit: tam præclarum contra faſcinationes hominum, pecoriſque morbos amuletum, ut hac domi ſuſpenſa, aut circa caules ſeptáque conſita, aut collo alligata,pecoris morbos amoliatur. ideóque & ouillo & caprino pecori ſalutaris eſſe creditur. Eius tam præclaræ uires fruſtra traduntur,quum nemo probè herbam hanc hodie,nec ante multos annos, nouerit. Plinius ſuſpicatur eſſe rubeam minorem, Aegineta & Aëtius ſideritim Achilleam. At noſtræ ætatis medici herbarij,qui in herbarum pictura, & illuſtranda earum notitia, nec impēſis, nec ingenij corporiſque uiribus pepercerunt, alyſum eſſe hepaticã,quã uulgus chirurgicorũ Vualdtmenlein appellant,falſo arbitrantur:à qua tota alyſi hiſtoria diſſidet.Nam Actuarius in libro de Medicamentorum cōpoſitione, ex Galeni Antidotis ita eam deſcribit: Alyſum herba marrubio ſimilis eſt,aſperior tantum, ſpinoſioribúſque pilulis, aut ſphærulis cauli agnatis, flore cæruleo. hanc legere oportet, flagrante caniculæ æſtu, ac ſiccam tundere:in cerniculóque cretam,ita recondere,ne quid uirium expiret. In tua uerò hepatica, uel galatio, quam in caule ſingulari aſpredinem, quos uerticillos, quos denique flores cæruleos uides? Certè nullos. Verùm cum ſideritidis hiſtoria alyſo ſunt ferè omnia communia,pariterque huic quam Gallorum herbarij ruſticam uel ſylueſtrem canabim appellant. Quare non obſtante, quòd Dioſcorides alyſo proprium, & à ſideritide diuerſum dicauerit capitulum (in tanta enim medicæ materiæ ſylua, rem eandem etiam ſub diuerſis nominib. bis deſcribere, nil mirum) tuum quoque expectabo iudicium,utram illarum uelis eſſe alyſum. Vale, & quàmprimum reſcribe:aut ſi nil reſcripſeris, attamen ipſe ueni.

*Incerta ex pictura herbarum cognitio. Plin.li. 25.c.2.*

*Hortulus herbarum Antonij Caſtoris, Plin.ut ſupra.*

*Ex quib. cauſis herbarũ cognitio periit.*

*Alyſum herba ueteribus & noſtris medicis ignota.*

*Alyſi contra faſcinationis uires.*

*De alyſo hæc Dioſc. li.3. ca. 97. & Gal.li. 2.de Antidotis. & li.6.de ſimpli.medi.*

*Alyſum an ſit ſideritis,aut canabis ſylueſtris.*

## DE PAEONIA, SCOLOPENdria, & Seſamoide. Epiſtola LXXIIII.

ACcepi literas tuas, Demophile, in quibus prudenti iuriſconſultorum ſolertia uteris, qui reo aut creditori ſuadere ſolent, ut duplũ eius quod debeat,uicíſsim ab actore exigat:ut ſi cauſa per arbitrũ ante litis conteſtationem tranſigi debeat,aliquid (ut arbitro obſecundet) citra ſortis diſpendium remittere poſsit. Hac tu uideris induſtria uti: quum ego à te uerum alyſum peterem, tu uerò antequam me uoti compotem reddas,confeſtim à me ueram pæoniam maſculam,ſcolopendriam,ſeſamoidem, aut illius comparem elleborum nigrum, deſideraſti. Quamuis Demophile iniqua ſit, trium præſtantiſsimorum medicaminum pro uno compenſatio:ingens tamen cognoſcendi alyſi deſiderium, & ſalutares eius, quas de eo Plutarchus in Sympoſio commemorat, uires, me huic auctioni corollarium addere cogunt. Pæoniæ herbæ utrumq; ſexũ, Pæona deorum apud Homerum medicum reperiſſe, nomen eius teſtatur: quam Theophraſtus Glyciſidem, ob ſimilem in malis punicis dulcorem, & Romani Caſtam herbam appellarunt. Fœmina foliis in margine, inſtar ſmyrnij ferratis decora,radice uerò nigra adnata, ut in aſphodelo, ſingulis annis inſtar glandis oblongæ, ſobole & ſtolone fœcunda. ſplendeſcit calice floris roſeo,in lata coloris purpurei folia dehiſcente: quib.deciduis, ſubnaſcuntur in ſumma caule, quini folliculi oblongi,lanugine pubeſcentes,amygdalis ſimiles: in quibus maturitate dehiſcentibus,grana punici mali acinis ſimilia, partim nigro, partim coccineo colore rutila emicant: quorum 15.in melicrato ſumpta,uires cerebri roborant,uertiginoſóſque uapores digerunt:potantur autem,uel cum paſſo deglutiuntur totidem,contra Faunorum in ſomnio ludibria, & nocturnas incuborum ſuffocationes: propter quod pæoniam etiam uocarunt ephialtion. Hæc paſsim hortos & topiaria decorat. At pæonia maſcula promontoriorum & montiũ potius quàm hortorum incola, folia nuci iuglandi in principio ſimilia habet:radicem digitali craſsitudine, longitudine dodrantali, colore candido, guſtúque ſtyptico:in ſummo pediculo, flores inſtar maluæ purpureos, candicantibus tamen intus maculis conſperſos, gratum naribus ſpirantes odorem: quibus tabeſcentibus, ſubnaſcuntur quinque folliculi, ſuis diſcreti ſeptis, & granis nigerrimis referti. Et quoniam natale ſuum ſolum,ſupra montium uertices, & intra ſcopulos (quos ignauos conſcendere medicos tædet) ſibi collocauit, medicis diu ignota fuit: donec ſtudio & opera medicorum Germaniæ, hanc uulgare eſſe noſtrum dyctamum comperimus.& quemadmodum à radicis colore elleborum album aut nigrum dicimus, ſic & pæoniam illam nigram, hanc uerò albam appellare poteris.cuius radices collo appenſas, Galenus, & poſt eum Thadæus, crebrò repetito experimento, epilepticis mederi compererunt. Proinde rectè Iacobus Syluius Pariſienſis inquit:Pæoniæ maris radix oblonga, altheæ æmula,contra epilepſiam & melancholiam recēs collo appenſa, potius quàm fœminæ radix iuuat. Tradunt, eruentes eam interdiu, uiſo pico marcio excæcari, radicis uerò euulſorib. procidere ſedem: quare noctu, etiam ſilente luna, pæoniam eruere, anilia magorum deliramenta ſuadent. Cæterum,quod ad ueram antiquorum ſcolopendriæ hiſtoriam & cognitionem attinet,quam noſtræ ætatis medici ambitioſa altercatione magis obſcurarunt quàm illuſtrarunt, ueteres ſanè ob ſcolopendri inſecti multipedis(qui,teſte Nicandro, pedibus ſuis æquoris ſtagna,ut nauis remigio, perreptat) aſplenon herbam,& hemionitiden, ſcolopēdrium appellarunt.unde Aſclepiades, ad pharmaci,tumorē ſplenis digerentis, compoſitionem, accipere iubet καππάρεως φλοιοῦ < .δ. μυρίκης καρποῦ, βοτάνης ἀσπλήνου λεγομένης σκολοπενδρίου ἢ ἡμιονίτιδος ἀνὰ < .β. & Andromachus, non illaudatus uetuſtate & eruditione ſingulari medicus, ad ſimilis effectus pharmaci compoſitionem accipere præcepit, μυροβαλάνου σαρκὸς < .γ. ἡμιονίτιδος βοτάνης, ἣν οἱ μὲν ἄσπληνον, οἱ δὲ σκολοπένδριον λέγουσι. Accipis ne modò, ueteres Græcorum medicos hemionitida & aſplenon herbas, natura non adeò diuerſas, ſcolopendrium appellaſſe? quas Arabes, & eorum æmuli, Ceterah nominarunt. Noſtram uerò uulgarem officinarũ ſcolopendram, uerius eſſe Dioſcoridis phyllitin, quàm hemionitida, hiſtoria eius teſtatur, quam uides Andromachum quoq; & aſplenũ ac ſcolopendrã, tanquã unam eādémque herbam,appellaſſe.nec obſtat, quòd Dioſcorides,

*Iuriſconſultorum ſolertia.*

*Theophraſtus de hiſt. plant. libro 9.capi.9.*

*Hiſtoria pæoniæ fœminæ.*

*Hiſtoria pæoniæ maſculæ.*

*De pæonia alba hæc Galen. lib.6.de ſimp. medicina. Theophraſtus li.9.c.9.Dioſc. lib.3. cap.149.*

*De ſcolopendro animali Nicander in theriac. Dioſc. li.2.cap.14.*

*Ex Andromacho & Aſclepiade hæc repetit Gal.li.8. de cōpoſ. med. cap.de ſplene.*

*Vulgaris noſtra ſcolopendria eſt phyllitis.*

*Dioſcorides idem ſimplex bis deſcribit.*

Dioſcorides,ut herbas diuerſas,in diuerſis capitulis deſcribit. Nam qui præclarum illud Dioſc.opus conſarcinarunt,crebrò capitula,ob nominum diuerſitatem,diuulſerunt. Et ipſe quoque Dioſc.idem ſimplex medicamentum,ut id magis illuſtraret,in diuerſis capitulis ſub diuerſis quoque nominib. non rarò deſcripſit. Quàm uellem quoq;,ut Gerardus,qui ſemeſtri præterito Noui orbis inſulas perluſtrauit,in Anticyram quoque,elleboro ſalubriori fœcũdam, nauigaſſet. aut Appionẽ grammaticum Pythagorica palingeneſi reuiuiſcere(qui umbras Homeri, ad percunctandum qua patria quibúsue parentib.natus , fertur euocaſſe)ut nobis quoque manes paſtoris & uatis Melampodis ab inferis accerſeret,quo nos certiores redderet,quali elleboro aut ſeſamoide , an horum fructu uel radice furentes Præti filias in Arcadia apud fontem Clitorium curaſſet : & an noſtrum uulgare elleborum,conſiligini ſimilimũ,etiam in cenſum ueratri referret,cui Dioſcoridis deſcriptio certè parum competit.nam nec caulis illi ſcaber,nec flores in candido purpuraſcentes,figuráue racemoſi ſunt:nec ſemen cnico ſimile, quod aluum , cerebrum & ſplenem ab utraque bile mirabiliter expurgaret. quæ minori Anticyrenſium elleboro potius competunt , quod iuxta Creutzenach , Palatinatus oppido,ac intra Ingelheym, Cęſareã olim Caroli imp.ſedem,& Maguntiam,paſsim creſcit.Hoc effoſſum agyrtæ Italorum Venetias pro uero(ut quoque eſt)elleboro deferunt,quo ueterinarij pecora,& Melampus capras ſe purgare obſeruauit , quarum lacte mentem multis ademptam reſtituit. Eſt ſanè ſeſamoides minus herba,dodrãtales caulicos ac foliola nigellæ aut coronopodis ſimilima habẽs:& radices nigras graciles,mutuo amplexu implicitas, ex baſi caulis uelut ex cepoſo aliquo capite erumpentes. habétque flores racemoſos figura,quorum medium in flauo albicat, ſemen uerò cnicu aut ſeſamo non admodum diſsimile : unde ſeſamoides appellatur,& ui alui deiectoria pollet. Proinde Theophraſtus:Elleborum,inquit,non ſolum radice,ſed etiam fructu eſt utile.ſiquidem in Anticyra,ut fertur , fructu eius purgantur.fert autem hunc ſeſamoides.Et Dioſcorid.in capite de Elleboro nigro, in quo hiſtoriã ſeſamoidis & ueratri nigri confundit:Fert ſemẽ,ait,cnico ſimile,quod in Anticyra ſeſamoides uocatur.utuntur eo ad purgationes. Et in ſequenti capite, de Seſamoide:Quia(inquit)in purgationibus candido ueratro miſcetur , elleborũ Anticyreni ſeſamoides hoc uocarũt. Rectè igitur Theophraſtus,ſeſamoides minus elleborinam appellat: Miſcetur , ait, in potione ueratri albi,ut uomitio bene ſuccedat,ellebori ue ſemen. Hæc, ait,herbula quædam eſt,eius ſanè ſemine , uirus ueratri albi ſuffocans miteſcit. Proinde Strabo:In Phocidis,inquit,Anticyra melius quàm in Oeta præparatur,admiſtione ſeſamoidis. quare ualetudinarij elleborum potaturi,in Anticyram ſecedebãt. in qua Druſus Romanus, plebis tribunus , ellebori potu à morbo comitiali liberatus fuit. Erat,& eſt,igitur ſeſamoides genuinus Anticyrenorum elleborus , quod Paulus Aeg. his uerbis teſtatur : σησαμοειδὲς τὸ μέγα , ὅπερ καὶ ἀντικυρὺς ἐλλέβορος ὀνόμασαι , διὰ τὸ ὁμοίως ἐλλεβόρῳ καθαίρειν τὸ αὐτοῦ σπέρμα.Et Hippc. ad Democr.Seſamoides,inquit,per ſuperna purgat. Potio eius eſt,drachma dimidia,in aceto mulſo trita:admiſcetur ei tertia ueratri pars:tum minus ſuffocat,aut ſtrãgulat.Semen autẽ ſeſamoidis minoris , purgat ( inquit Dioſc.)ſuperiorem uentriculum,pituitã,bilémque,põdere quantum quis tritum tribus digitis capere poſsit . bibitur in aqua mulſa,cum ueratri albi obolo & ſemiſſe. At ſeſamoidis minoris ſemẽ purgat bilem,pituitámque , acetabuli ſemiſſe cum aqua mulſa potum: curátq; ea potio quartanas diuturnas , ut perhibet Hippocrates,& diuturna febre lipyria , mania , melancholia , ac morbo comitali diuexatos. Ex his,grauiſsimorum autorum locupleti teſtimonio clarè conſtat , ueterum nigrum elleborum fuiſſe utrumque ſeſamoides:quorum non radicibus,ut modò aſſolent medici , quas Dioſcodes inefficaces aſſerit, ſed feminib.( grato coturnicibus cibo)in potionib. colagogis & flegmagogis utebantur : quæ contrita etiam puluiſculo & potionibus ex ellebori albi radicibus,ut lenimen,addebant.Poſtremò noſtra etiam ætate comperimus,ſeſamoides minus nõ tantum in Anticyra , ſed etiam in præfatis locis Rheno finitimis,affatim creſcere, illiúsque radiculas nigras inſigni pollere uirtute purgatoria. Prætérque medicos, etiam ueterinarij noſtri exploratum habent, quod Dioſcorides ignorauit:qui ellebori ſui nigri hiſtoriam, cum ſeſamoidis minoris , adeò miſcuit , & cõfudit,ut nemo quæ nã herba eius uel Meſuæ,fuerit elleborus niger,facile diuinare poſsit:niſi quis eſſe conſiliginis ſpeciem,aſſerere uelit,penes hunc ſit arbitrium. Mihi uerò interim eius uicem , ſeſamoidis minoris radices & ſemina ſuppeditabunt.Habes Demophile mi, ea quę pro alyſio tibi offerri deſideraſti.Reliquum eſt,ut nobis cum Alyſio reſpondeas. Vale.

*De Appione hæc Pli. li.30. c.2.Gell.lib.3. cap.2.*

*De ueratro nigro Dioſc. lib. 4.c.141.*

*Seſamoides minus Anticyrenorum elleborus.*

*De ſeſamoide minori hæc Dioſcor.lib.4. c.144.*

*De elleboro et ſeſamoide hæc Theophraſtus lib. 9.cap.10. & 11.*

*Elleborina eſt ſeſamoides.*

*De elleboro Anticyrenſi, Strabo li. Geograph. 9.*

*Druſus Ro. trib. elleboro curatus.*

*Plin.li.25.c.5. & Gell.li.17. c.15.*

*De ſeſamoide elleboro Paulus lib.6.& 7.*

*Seſamoidis utriuſq; uires, & doſis , ac potio.*

*An elleborus niger Dioſcoridis & Meſuæ ſit conſiligo.*

## DE GAGATIS ET SVCCINI *ſuffitu.* Epiſtola LXXV.

QVòd tam ſerò , Philadelphe literis tuis reſponderim,id certè ęrumnoſa ſeruorũ in aula equeſtrium curatio efficit:qua ita diſtringor , ut ferè nihil temporis ſuffurari poſsim , quod uel literarum ſtudio,uel amicitiæ officiis impartiri poſsim. Idque ſanè procerum aulę culpa accidit,qui equum empturi,caput,oculos,dentes,crura,& ipſas denique ungulas adhibito hippocomo contemplantur:at ſeruum conducturi,nec cuias ſit,ulceroſus ne,an aliquo per temporis interualla morbo ſontico laboret,perconctantur : quo fit,ut alter alterũ ſua contagione & lectiſternia & ſtragula coinquinet. Non certè temerè Romanorum ædiles curules edicto cauerunt,ut mangones, andrapodocapeli, qui pueros,puellas & mancipia fuco & inani ſagina,uerum corporis robur mentiente,adornabant:titulos ſingulis ſeruis uenalib.adſcriberent, quo emptor rectè intelligere poſſet , quid morbi uitiíue cuique ſeruo ineſſet.Vnde præter Labeonem, Trebatium,ueteres iuriſconſultos, etiam Maſſurius Sabinus libro iuris ciuilis ſecundo,ſeruos uitioſos aut morboſos poſſe andrapodocapelo uenditori redhiberi,rectè ſtatuit.Certè ueteres Græci & Romani in emendis ſeruis adeò ſoliciti erant , in quibus conducendis noſtrates nihil penſi habent,ut ſi uenditor uel ſeruus morbum celaſſet epilepticum,non deeſſent illis experimenta & ſuffitus, quibus morbum explorarent:Accenſis enim,inquit Plinius , utrislibet ceruorum cornibus , odore fugantur ſerpẽtes, & comitales deprehenduntur morbi.Vnde præter Dioſcoridem & Pli.L.Apuleius in prima defenſione,mirum id refert,incenſum lapidem gagatem morbum comitialem facilè explorare:Cuius,inquit, odore etiam uenalitiarij uulgò ſanitatẽ , aut morbum uenalium experiuntur.Galenus quoque , aut quiſquis remediorum euporiſton , id eſt , facilè parabilium , autor extitit , ſcribit: ἐπιθυμίαμα ἐφ᾽ ᾧ γνῶναι εἰ ἐστὶν ἐπιληπτικός. λίθον ἐπιθυμίασον τὸν γαγάτην , αὐτῷ συμπεριβαλὼν, ὡς μὴ διασκίδνασθαι τὴν ὀσμήν. καὶ καταπεσεῖται, ἅπερ ἑάλω τῷ πάθει. Id eſt : Suffitus , quo cognoſcitur ſi quis eſt epilepticus : Lapidẽ incende agaten,& hominem ne odor diſpergatur, ſtragulis circundato:tum,ſi morbo huic eſt obnoxius, cader. Verùm quum antiquiſsimus poëtarum Orpheus hũc lapidem & morbum ſcitè deſcribat , operæprecium duxi , eius adſcribere carmina:

φεύγει καὶ κνίσῃσι γαγάτην ὀρνυμένῃσι,
τείροντα θνητοὺς ἐχεπευκεῖ ἀϋτμῇ,
χροιῇ δ᾽ αἰθαλόεις , πλατὺς , οὐ μέγας , ἔλπετ᾽ ἰδέσθαι,
καρφαλέῃ δ᾽ ἴκελον πεύκῃ φλόγα δίαν ὀρίνει.
ἀλλ᾽ ὀλοὸν ποτὶ ῥῖνας ἄγει μένος , οὐδ᾽ ἔγε φῶτας
λήσεται , ὧν καθέλοις ἱερὴν ἀπὸ νοῦσον ἐρύξαι.
γνάμψει γὰρ σφέας αἶψα χαμαὶ προπρηνέας ἕλκων.

Eſt namque gagates lapis niger,ex ſulphureo bitumine in oſtiis Gatis fluuij Lyciæ, ubi ſeſe in mare exonerat,concretus : cruſtaceus,incenſus nidorem bituminis ſpirat,nullius ferè ponderis:foſsilis tamen, carbonibus ex terra ampelitide concretis ſimilimus : qui ob id indurati & politi , in eius cenſu habentur. cuius ergò Galenus Lyciam peragrauit:quem in ea nõ repertum, tandem in orientali Cœleſyriæ collicis uertice , qui mare mortuum circundat,& ubi aſphaltus naſcitur, copioſe reperit, qui accenſus aſphaltum redolebat. Quare nil mirum , eius malè olenti odore & ſuffitu epilepticos deprehendi :quum etiam aromatum odor & exhalatio caput repleat,& cephalalgiam excitet. Sed illud longè magis dignum admiratione , quod quidam logiatri ac Iudæi,& agyrtæ,quo pluris ſuccinum uendant candidum, audent , illius per nares attractum fumum homines ab epilepſia & apoplexia præſeruare , profiteri : quarum paroxyſmus,quum ex glutinoſo in terræ uiſceribus detento bitumine , in Oceano ſeptentriona-

*In conducẽdis ſeruis aulicorũ incuria.*

*Quid morbus ſonticus, Gell. libr.20. cap.1.*

*Edictũ de ſeruorum uenditione,Gel.lib. 4.c. 2. repetit.*

*Qui fuerint andrapodocapeli Gal.li.14. Methodi , & Suidas docẽt.*

*Morboſi mancipij redhibitio.Cic. lib.4. Tuſc.quæſt.*

*Suffitu cornu cerui & gagatis epilepticos deprehẽdi, Plini.li.8.c.32.& li.36.ca.19.& 15.Dioſc. li.5. Galen.de fac. parabil.ca.de epilepſia.*

*Orpheus in libello de lapid.*

*De gagate hæc omnia Gale. qui Lyciam et Syriã peragrauit,libr. 9. de ſimp.med.*

*De ſuccini ſuffitu.*

li ſtatis temporibus ſcaturiente, naſcatur, potius accelerent. nam bitumen quidem uſtum, ut Plinius ait, comitiales morbos deprehendit. Id quod longè uero ſimilius arbitror, quàm quod tradiderunt, ex reſina populi nigræ in ſubiectum mare deſtillante coagulari. Quòd enim formicas, muſcas, foliorum aut corticum detrimenta in electro concreta conſpicimus, ea æquori aut eridano innatantia, undarum maris illiſu electro impinguntur. Sed hunc pernicioſum errorem inde in medicinam irrepſiſſe arbitror, quòd gagates & ſuccinum utrumque facilè accendatur, attritúque ueſtium calefactum paleas attrahat, idémque in uernacula Germanorum lingua nomen ab agathe deflexum, Aidſteyn obtineat: cum, ut olim erant herbarij cultioris latinæ linguę imperiti, legiſſent gagatem ſuffitu epilepticos deprehendere, id procurare intellexiſſent, eaſdem quoque uires ſuccino attribuerunt: neſcij, huiuſmodi medicamentorum effectus plus à ſubſtantia, quæ partim bituminis, partim ſulphurea eſt, quàm à manifeſtis qualitatibus dependere. Neque te mitior ſuccini, quàm eſt gagatis, odor & ſuffitus decipiat: quoniam etiam fragrantiſsimus aromatum odor, ut Meſue ex Hippocrate docet, quantumuis mulcebris, caput, niſi prius bene expurgatum fuerit, calidi flatus repletione offendit. Quare Germanis, qui quotidiana gula, uiníque meri cræpala, capita onerata habent, hunc nidorulentum electri ſuffumigium periculoſiſsimum cenſeo. à quo ſi tibi plethorico conſultum uoles, cauero. Vale: nec temerè credas Meſuæ, oleum gagatis epilepticis prodeſſe, cum nullius autoritate uel ratione id aſſerat. Sed potius credas Alexandro Aphrodiſeo, qui libro Problematum ſecundo inquit: Quanquam malè olida uuluis proſunt, tamen comitialibus auertenda omnino ſunt. faciunt enim, ut qui eo morbo capi ſolitus eſt, collabatur & æſtuet. ergo uitent pennas igni iniectas, lapidem gagatem, bitumen, cornu omne, lucernas, lapidem thraciū, qui aqua uritur, oleo extinguitur. de quib. Auicen. lib. 2. tract. 2. capi. 117.

*Bituminis nidor epilepſiam redarguit. Plini. li. 35. ca. 15.*

*Aromatum odores capita repleta offendere.*

*Gal. lib. 5. aphor. 28. Meſue in fine cap. de ſoda frigida. de loc. affec. lib. 3. ca. 9. Problem. 60.*

## DE ABSVRDA ET AFFECTATA MEDICAMENTORUM CITRA METHODUM COMPOSITIONE. *Epiſto.* LXXXVI.

INoleuit, Chriſtophore, noſtris temporibus pernicioſa quidem apud indoctos pharmacopæos, & ignarum empiricorum uulgus, opinio, ut illi ob lucri aucupium, hi uerò ob ambitioſam & uanam pluralitatis remediorum oſtentationem, ea credant pręſtantiora eſſe pharmaca, quæ ex uniuerſa ſuccidaneorum, radicum, lapidum, metallorum, herbarum, ac florum ſylua, nulla certè methodo congeſta ſunt: præcipuè ſi exotica, & iam ferè euanida, ab extremis Indis allata fuerint, quum non rarò domi in pomœrio meliora naſcantur: quòd ut ſemper ſumptuoſum, ita ægris crebrò noxium eſt, & periculoſum, præcipuè ſi unicus indicationum ſcopus fuerit. Vbi uerò contrariæ diuerſorum affectuum indicationes coinciderint, tum miſcenda ſunt ſimplicia medicamenta, uiribus diuerſa, non quæ eadem uirtute pollent: quæ noſtri logiatri omnia ad inanem pluralitatis ἀντιβαλλομένων oſtentationem, in unū pharmacum numeroſum, ueluti in confuſum chaos, conglomerare ſolent: quibus magis pharmacopolas locupletant, quàm ægros alleuiant. qualia, ut ipſis uidentur, magnifica pharmaca, ex numeroſis medicamētorum ſimplicium, ac non rarò compoſitorum fragmētis, ſcrupulatim conſarcinata, Plutarchus in Sympoſiis irridet, ac Eraſiſtratum quoque in teſtem accerſit: ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον ὅτ' ἂν μιγνύντες τὰς βασιλικὰς καὶ ἀλεξιφαρμάκους ἐκείνας δυνάμεις, ἃς θεῶν χεῖρας ὠνόμαζον. Ἐρασίστρατος δ' ἐλέγχει τὴν ἀτοπίαν καὶ περιεργίαν, ὁμοῦ μεταλλικὰ, καὶ βοτανικὰ, καὶ θηριακὰ, καὶ τὰ ἀπὸ γῆς καὶ θαλάττης, εἰς τὸ αὐτὸ συγκεραννύντας. καλὸν γὰρ ταῦτα ἐάσαντας, ἐν πτισάνῃ καὶ σικύᾳ καὶ ὑδρελαίῳ, τὴν ἰατρικὴν ἀπολιπεῖν, ἀλλὰ νὴ Δία τὸ ποικίλον ἐξάγει, καὶ γοητεύει τὴν ὄρεξιν. Cui Plinius ille polyhiſtor, his uerbis perbellè ſuffragatur: Hinc ex terrænaſcentibus nata medicina. hæc ſola naturæ placuerat eſſe remedia, parata uulgò, inuentu facilia, ac ſine impendio, ex quibus uiuimus. Poſtea fraudes hominum, & ingeniorum capturæ, officinas inuenere iſtas, in quibus ſua cuique homini uenalis promittitur uita. Statim compoſitiones & mixturæ inexplicabiles decantantur. Arabia atque India in medio ęſtimantur, ulcerique paruo medicina à rubro mari importatur: cum remedia uera pauperrimus quiſque cœnet. Ita eſt profectò, magnitudo populi Roma. perdidit ritus, uincendóque uicti ſumus. paremus externis, & unà artium medicina imperatoribus quoq; imperat. Hæc eadem Plinius alibi clarius explicat: quæ, niſi te obtunderem, libens quoque aſcriberem. Veruntamē quia proximè ad ſcopum collimant, addam ea quoq;: Scrupulatim quidem, ait, colligere & miſcere medicamentorum uires, non coniecturæ humanæ opus, ſed impudentiæ eſt. nos nec Indicarum Arabicarúmque mercium, aut externi orbis attingimus medicinas: non placent remedia tam longè naſcentia: non nobis gignuntur, imò ne illis quidem: alioqui non uenderent. Odorum cauſa, unguentorúmque & deliciarum, ſi placet, etiam ſuperſtitionis gratia emantur, quoniam thure ſupplicamus & coſto. & reliqua ibidem plura leges. At ego aromata, gummi, radices, & alia Arabum Indorúmque medicamenta exotica, ſi modò mercatores citra impoſturam ea ſyncera ad nos perferrent, nō auerſarer. Nec medicamentorum compoſitiones recta methodo concinnatas deſpuo, quas cum contrarietatis proportione oporteat morbo eſſe analogas. Remediorum igitur & medicamentorum compoſitionis eſſe eaſdem indicationes, Galenus aſſerit: & recta curandi morbos ratio quæ contrariis conſtat, exigit. Nam ut primus & præcipuus curationis & remediorum ſcopus, ex morborum διαθέσει, affectus diſpoſitione (quæ remedium morbo contrarium, ſuíque oblationem & correctionem indicat: cui & natura corporum, ac ſitus loci affecti, ætas & aër coindicant) ſic eadem morbida affectus diſpoſitio, pharmaci compoſitionem indicat, & talem poſtulat, quæ cum contrarietatis æquilibrio, morbum quaſi ex diametro oppugnat, ſuíſque uiribus membra principalia & locum affectum corroboret, & ſua congenita proprietate uires pharmaci ad eum deferat, eáque contineat, quæ pharmaci ſaporem grata ſuauitate ſaporis & odoris, naturæ corporis concilient. Et propterea Alexander Aphrodiſeus theriacam ſummopere laudat, quia ex pluribus herbis conſtet, quæ ſingulæ membris principalibus ſubueniunt ſingulis. Dyctamus enim cordi accommodatur: quippe qui mirificè cor firmet, atque conſeruet. Eupatorium epar adiuuat, ſcolopendrium lienem, petrapium os uentriculi, hyſſopus ſeptum tranſuerſum atque pulmonem, inula campana renes, ruta inteſtinum laxum, gentiana cerebrum, ſeſeli ueſicam. Quod ſi nullum ſimplex medicamen ex tanta ſimplicium medicamentorum ſylua habere poteris, quod uniuerſas remedij uires & proprietates, quas compoſitionis pharmaci & curæ morbi indicationes requirunt, contineat: tum Medicus, ut ſedulus naturæ miniſter, ita fidus eius ęmulus, tale pharmacum non ex homogeneis, ſed ex ſimplicibus uiribus, & natura diuerſis, ut natura facit, conficere debet: quæ etiam ſimplicia medicamenta, ac corporis alimenta, ex diuerſis elementorum ſubſtātiis & uiribus, ac qualitatibus certa mixtionis temperatura refractis, producit. Sic Medicus ſeligat ſimplex medicamentum, quale cum rationis indicationes poſtulant, tanquam baſim, & aliorum fundamentum. huius uires ſi defecerint, additis aliis roborabis, & defectas compenſabis: ſi uerò exceſſerint, aliorum additione franges: addiſque his quæ locum affectum reſpiciant, & eundem ac membra principalia roborent, ſimúlque medicamentum palatui gratum reddant, pharmacum conficies, quo in complicatis affectibus ac indicationibus contrariis defectum ſimplicium compenſabis. Tali methodo Andromachus, Aſclepiades, & alij nonnulli compoſuerunt emplaſtra, antidota, & alexipharmaca, quibus exitiales depulerunt morbos. At noſtri doctorculi pharmacopœi nulla ratione, nulla denique indicationum methodo, coaceruatis ſcrupulatim omnium electuariorum, quę obſcurum illud Luminare maius continet, puluiſculis, ad oſtentationem pharmaca cuiuſuis generis componunt: unde remediorum bonitas & præſtantia, non ab artificio compoſitionis & medicatorum uiribus, ſed ſaltem à numero ſimplicium æſtimatur: & quo quis plura, ut arena ſine calce cohærentia, in unum pharmacum uel decoctum congeſſerit, tanto ſibiipſi doctior eſſe uidetur. quum protritum illud teſtetur adagium, eos grauiter delinquere, ego uerò dico deſipere, qui pluribus aliquid expediunt, quod paucioribus tranſigi poſſet.

*Hæc Plutarc. in 4. decad. Sympoſ.*

*Plin. hæc li. 24. cap. 1. & Blōdus ea repetit.*

*Plin. lib. 22. capite 24.*

*Methodum cōponēdi pharmaca tradit Gal. lib. 1. cōpoſ. phar. generał. et li. 6. cōpoſ. medicam. part. in principio, & lib. 2. eiuſdem.*

*Alex. Aphrodiſ. lib. 1. problem. ult.*

DE EM

## DE EMPLASTRIS BARBAris Enæmis. Epiſtola LXXVII.

ITerum enixè deſideras Chriſtophore, ut quæ ueteribus dicta ſint emplaſtra barbara, enæma nigra, tibi explicem: quamuis Galenus paſsim apertè illorum meminit, & compoſitionis ſcopum oſtendit. Vt tamen mea compendiaria compoſitionis remediorum methodus unico illuſtretur exemplo, ſcito, ex emplaſtris conglutinantibus, ut Celſus ait, nulla maiorem uſum præſtare, quàm quæ cruentis protinus uulneribus, deterſo ſpongia ſanguine, & labris prius ſutura aut fibulis (quas Græci ἀγκτῆρας dicunt) coarctatis iniiciuntur, ἔναιμα Græci uocant. Hæc enim reprimunt inflammationem, niſi magna uis eam cogit: atque illius quoque impetum minuunt: tum glutinant uulnera, quæ id patiuntur, cicatricémque eiſdem inducunt. ideo paracolletica dicebantur, & rectè quidem. Conſtant autem ex medicamentis non pinguibus, ideóque Alipene nominantur: quia pinguia relaxant & humectant. Atqui huiuſmodi uulnerum diatheſis, id eſt præternaturalis diſpoſitio, eſt continui, nulla deperdita parte, ſolutio, ex humorum affluxu humida per accidens, quæ indicat & requirit medicamenta exiccantia, & quæ citra abſterſionem aſtringant: ſed tamen pro ætatis & ſexus ratione, & loci affecti natura, diuerſa: ut quæ ex lithargyrio, oleo & aceto ac myrrha præparantur, imbecillem mollémque puerorum, mulierum, eunuchorúmque carnem agglutinant, & illorum qui muliebriter degunt. at ualidioribus indigent uirorum corpora, qui ex uirilibus uel agriculturæ muniis, & ſolis æſtu, duriorem corporis habitum contraxerunt: qualia ſunt ærugo, pix arida, aloës, reſinæ, & bitumen: non artificiale illud gluten, ſed naturale: qualis eſt ex Iudaico lacu aſphaltus, & quæ ex eo concreta ſunt, ut electrum, & gagates lapis: quem emplaſtro barbaro additum, Galenus ait, τὰ ἔναιμα τραύματα κολλᾶν: id eſt, recens cruenta uulnera agglutinare. & quod clarius Glauconi his uerbis indicat: Si recens, inquit cruentum uulnus medicaris, impones emplaſtra conglutinatiua ex aſphalto facta. uocant autem ea, ait, neſcio quo pacto emplaſtra barbara. Ego uerò barbara dici ideo arbitror, quia aſphaltus, aloës, myrrha, ex Cœloſyria, barbarorum terra, afferrētur. Dum Ambergę, Palatinatus metropoli, Medicinam profitebar, quidam aulicus ex Heluetiorum thermis glebas nigras, inſtar pumicis leues ac lapideſcentes ſecum attulit, quæ in aqua calida inſtar bituminis lenteſcebant: quas ab arena elutas, ac inſtar ceroti diſtentas, ulceribus uulneribúsque applicabat, quæ ea facile conſolidabant. hæc nobis argumento ſunt, thermarum aquas ex ſulphureo bitumine, in uiſcerib. terræ ab undarum fluctu calce & halitu accenſo, feruere. Nec mirum, quum & lapis Thracius bituminoſus, ut gagates, aſpergine aquarum accendatur, oleo uerò extinguatur. unde Nicander in Theriacis ait:

*Corne. Celſ. li. 5. ca. 18. Galo. in 5. Metho.*

*Hæc uberius Galen. li. 1. de compoſ. med. gener. & lib. 3. de fract. oſſium.*

*Galen. libro 9. ſimpl. med. de gagate.*

*Galen. libro 1. ad Glauconē.*

*Feruoris thermarum cauſa ueriſsima.*

*De Thracio lapide Dioſco. lib. 5. cap. 100. Gal. li. 9. ſimplic. med.*

ἢ σύ γε θρήϊσσαν ἐνὶ φλέξας πυρὶ λᾶαν,
ἥθ' ὕδατι βρεχθεῖσα σελάσσεται, ἔσβεσε δ' αὐγὴν
τυτθὸν, ὅτ' ὀδμήσηται ἐπιρρανθέντος ἐλαίου,

Hos uerſus eo libētius adduxi in teſtimonium, quoniam apud Galenum à chalcographo uitiati leguntur. Tali methodo Andromachus emplaſtrum barbarum cōglutinatiuum ex aſphalto bitumine cōpoſuit, quod Aphrodas medicus admiratus eſt. Accepit picis aridæ pondo libras duas: bituminis, id eſt aſphalti, ceræ, ſingulorum pondo libram: guttæ ammoniaci, mannæ, ſingulorum pondo uncias ſex: ceruſæ pondo uncias tres, olei heminæ dimidium, aceti heminas quatuor. At ſi uelis emplaſtrum conglutinatorium cephalicum conficere, tum accepta indicatione à loco affecto, qui ſui roboris, temperamenti, ac plaſmatis conſeruationem indicat, & requirit: tum certè nec gagates, nec aſphaltus bitumen competeret: quoniam omnia quæ bitumen redolent, cerebro & capiti ſunt infeſta. Quare commodius pro bitumine aſphalti reſinam aliquam odoriferam ſubſtitueres. nec acetum, quamuis exiccat, ualde cōpetit: quoniam ſua mordacitate pericraniū, & alia capitis ac cerebri oſsiúmque uelamenta offendit: ſed ut in eo & oleo aſphaltus & gummi liqueſcant. aliis uerò emplaſtris barbaris, quæ ex lithargyro, ærugine, & calchante, id eſt atramento ſutorio conſtant, oleum additur, ut eius lenimine aliorum acuitas miteſcat: & lithargyrium, ſi cera deſideretur, uel non competat, in oleo ad lētam & nigram uſque uiſcedinem decoquatur, qua reliqua coadunentur. Accipisne iam, mi Chriſtophore, ad medicamentorum compoſitionem non ſufficere tantum ea ſimplicia, quæ morbi indicationes efflagitant: ſed opus quoque eſſe hæc admiſcere, quæ illorum uires & qualitates defectas roborent, & adaugeant: excedentes uerò obtundant, & corrigant. Quare exacta compoſitionis medicamentorum methodus requirit, ut non emplaſtra & unguenta modò, ſed etiā alia pharmaca quæuis compoſita, ex contrariis coadunentur: quibus ſimul in aliquo liquore maceratis, uel decoctis, aut fermentatis, tertia quædam ſingularis uirtus ex horum mixtura prodeat, quā nulli ſimplicium acceptam referre poteris. Quare præcipuè illa magnifica, nuper adeò compoſita medicamenta, non rarò nos ſuo effectu fruſtrantur, ſi non ſatis macerata, & (ut aiunt) fermētata fuerint. uides quoque, quāta ſit compoſitorum medicamētorum ſimul neceſsitas & utilitas: & quātū delirent noſtri pharmacopœi, qui ex multis medicamentis homogeniis, ad oſtentationem in unum pharmacum congeſtis, ſibi ſecretioris medicamentorū eruditionis famam arrogare ſtudent: quod certè rectius chaos confuſum, quàm medicamentū appellabis. Vale.

*Enæma loco affecto accommodare docet Gal. in ſi. li. 1. de Artic.*

*De compoſitionis medicamentorum methodo declaratio.*

## QVID SIT APVD GALENVM LEX Adraſtia, & equi Praſiani ac Venetiani. Epiſtola LXXVIII.

PRudēter, Didaſcale mi, mediusfidius ſuaſiſti: quandoquidē caniculæ æſtus ſtudioſis noxius (quem & orygem Aegypti ferā, lacrymis ferè ſupplicem deprecari tradunt) ingraueſcit, ut ſeueriores de re medica hypotheſes in aliud tempus transferamus, & modò iucundiora Epiſtolarum medicinalium lemmata, quæ non egeant philoſophicis argutiis, ſed ex ueterum hiſtoriis aut legibus declarari poſsint, modò tractentur: quale illud eſt: Cum nullus reperiatur equus natura Venetus, id eſt cęruleus, aut Praſinus, id eſt uiridis, quósnam equos ita indigitauerit Galenus in Therapeuticis, dum de bonitate lactis & diæta aſinæ ita diſſerit: Curandum ut quam optimè animal concoquat, contemptis uidelicet iis, qui, ſi aſinorum quoque uictus rationi conſulemus, ridebūt. Si enim, qui ueneti uel praſini ſtudio tenentur ueterinarij, equorū ſtercora, quo intelligant quemadmodum alimenta concoxerint, odorant, tāquam ex eo omnem eorum bonam habitudinē cognituri: multo profectò magis noſtrum fuerit, pro hominis ſalute nihil tale nō proſpicere. Quare ueteres medici etiā ſudorē in balneis ſtrigili exceptū, deguſtare nō erubuerūt. Vt hæc ſanè intelligas, obſeruabis (ut Dion in Nerone, & Chriſtophorus poëta Thebanus, tradiderunt) Romæ quatuor fuiſſe aurigarum, qui in Circenſibus ludis per uarios uiarum anfractus, ad metas olim enſibus deſignatas, in curru decertabant, factiones, colore ueſtitus & pannorum, quibus ut phaleris equos uelabant, diſtinctas. Caſsiodorus colores explicat: Ludi, ait, theatrales & Circenſes in urbe adhuc fiebāt, in quibus factionum ueſtitus colores, quadripartitis anni temporibus accōmodabātur. Praſinus, uiridis praſij color uireſcēti ueri: ruber, ſiue roſeus, rubeſcēti calore æſtati: albus, autūno pruinis albeſcenti: uenetus autē color, hyemi nebuloſę. hic autē color nubilus, & quia marinis fluctibus ſimilis, cæruleus & thalaſsicus appellatur quoq;. unde Vegetius lib. 4. de Re militari: Nautas (ait) ueſte ueneta eſſe inducēdos, & uela nauiū exploratoriarū colore ueneto tingenda. & Aelius Lāpridius perhibet, Heliogabalū piſces comediſſe, quaſi in marina aqua cū colore ſuo cōditura ueneta coctos. Ab harū factionū coloribus, non aurigę modò, ſed equi quoq;, populus, proceres, ac ipſi deniq; Cæſares, prout quiſque ſtudio ſuo factioni affectus erat, aut in Circēſibus applaudebat, nomen quoq; ueneti, uel praſini, aut aliorum obtinuit. Nam harum factionū ſtudio Cæſares quidā, Domitianus, Nero, Vitellius, & Antoninus Verus, ac ipſe Caligula, ad amentiam ferè inſanierunt. Vnde Sueton. Caligula, inquit, praſinæ factioni ita addictus & deditus erat, ut cœnaret in ſtabulo, maneret aſsiduè in eo, agitatori Cythico, comeſſatione quadam in apophoretis uicies ſeſtertiū cōtulit. incitato uerò aurigæ, ob equū, cuius cauſa pridie Circenſes,

*De oryge hæc Plin. li. 2. cap. 40. Ariſt. lib. 3. de partic. animal. cap. 2.*

*Locus Galeni ex 7. Method. declaratus.*

*Ludi Circēſes. Quatuor aurigarum factiones colore ueſtiū diſtinctæ.*

*Color praſinus.*

*Quis ſit uenetus & cæruleus color.*

*De pāno & populari aurigarū fauore, Plin. ſecundus lib. 8. Epiſto. 3. ad Caluiſium.*

*Piſces cōditura Veneta, id eſt, in aqua maris cærulea elixati. bloë abgeſotten.*

*Caligula factionis praſinæ ſtudioſus.*

*Auriga Cythicus, id eſt, ex Cypro natus, ut Ioſephus li. antiqui. ca. 11. habet.*

*De incitato Circēsium auriga, Martialis passim in Epigrammat.*

*Vitellius Venetæ factionis: Sueton.*

Circenses, ne inquietaretur, uiciniæ silentium per milites indicere solebat, præter equile marmoreum, & præsepe eburneum, prætérque purpurea tegumenta ac monile è gemmis, domum etiam, & familiam, & supellectilem dedit. Idem autor tradit, Vitellium Cæsarem quosdam interemisse ciues, quia palàm Venetæ factioni maledixissent. Vnde Martialis purpuratos ita admonet:

Si Veneto prasinóue faues, qui coccina sumis,
Ne fias ista transfuga sorte, uide.

*De Antonino Vero hæc omnia Iul. Capitolin. in eius uita.*

*Equus Antonini prasinus.*

Vnde Antoninus Verus etiam, ut refert Iulius Capitolinus, assidente M. Antonino (sub quib. Galenus Romæ professus est Medicinam) magnas passus est iniurias à Venetianis, quòd prasinæ factioni contra eos faueret. nam & equo suo prasino, quem Volucrem appellabat, aureum simulacrum fecerat, quod secum portabat: cui quidem passas uuas & nucleos hordei, inuicem in præsepe ponebat. quem sagis fuco tinctis coopertum, in Tiberianam ad se duci iubebat: cui mortuo, sepulchrum in Vaticano fecerat. In huius equi gratiam primum cœperunt aurei equi & brauia postulari. In tanto autem equus ille honore fuit, ut ei à populo prasinianorum sæpe modius aureorum postularetur. Hæc Capitolinus. Quo minus mirum, ueterinarios aut mulomedicos ueneti & prasini equorum stercora olfecisse. odoris enim qualitas aut rei putrefactionem; si malè olet: aut si bene, concoctionem quoque significare potest. Alterum uerò tuæ quæstionis de Adrastiæ lege lemma, quia ab ea nemo se subducere potest (ei nāque diuina & fatali constitutione omnes sumus obnoxii) præter nostrum institutum, tuúmque fidele consilium, his diebus canicularibus (qui meritò feriis Palladis dedicarentur) arcana Platonis sapientiæ sacraria adire & introspicere cogor, ut quæ sit apud Platonem Adrastiæ lex & regula, exactius cognoscamus. Adrastus enim ille, non erat Argiuorum rex, Polynicis Thebani socer, qui in Cadmæo prælio solus superstes mansit: sed ille ex Mysia, qui Adrasteam urbem in Hellesponto, prope Aesepum amnem, non longè ab Abydo condidit, quam Lampsacum fuisse alii contendunt. Hic ex demoliti Parii oppidi saxis fertur templum Nemesi deæ, scelerum ultrici, bonorúmque retributrici, ædificasse: quam deam Nemesim Antimachus, ob id Adrastiam uocat his uersibus:

*De Adrasti oppido & tēplo hæc Plin. li.5. ca.32. Strabo lib.13. Suidas in dictione ἀδραστίας.*

ἔστι δέ τις νέμεσις μεγάλη θεὸς, ἣ τάδε πάντα
πρὸς μακάρων ἔλαχεν. βωμὸν δέ οἱ εἵσατο πρῶτος
ἄδρηστος. ποταμοῖο παρὰ ῥόον αἰσήποιο.
ἔνθά τε τιμᾶταί τε, καὶ ἀδρήστεια καλεῖται.

*Adrastia est diuinæ mentis prædestinatio, & fatalis causarum ordo. Hæc Orpheus copiose in hymno νεμέσεως, in est, Adrastiæ.*

*Plato in dial. de Repub. 5.*

Est enim Adrastia apud Orpheum, & alios ueteres ethnicorum philosophos & theologos, potentissima ineuitabilium ac diuinarum legum (tam Saturniarum, pertinentium ad mentes, quàm Iouialium, concernentium rerum naturas) regina: quas fatali causarum ordinis successione instar catenæ annulos agglutinatas, diuinæ mentis prouidentia condidit: cuius manus oculósque effugere potest nihil, ut Orpheus cecinit. & Aristot. in fine libri de Mundo: Deum, inquit, uocant Adrastiam, ἀναπόδραστον αἰτίαν οὖσαν κατὰ φύσιν. Proinde Plato perpetuas de Repub. cōditurus leges, quas neque obliuio deleat, neque defraudet astutia, neque uiolētia frangat, Adrastiam supplex adorat, & implorat, fatalémque per gradus dignitatis descensus animarum in corpora, ac Pythagoricæ palingeneseos seriem. Idem in Phædro, Adrastiæ regulā his uerbis appellat: Dum regula, inquit, Adrastię deæ, id est, ineuitabilis numinis, hæc est, ut quæcunque anima Deū comitata, aliquid uerorum inspexerit, ea usque ad alium circuitum regenerationis sit indemnis: & si semper hoc facere queat, sit semper illæsa: & reliqua, quæ apud Platonem in Phæd. Socrates refert, & Plotinus in lib. de uniuscuiusque dæmone uberius repetit. Est & alia apud philosophos necessaria ex hypothesi ueritatis consecutio & demonstratio, fatali Adrastiæ legum & causarum successui similis, de qua Philoponus in 1. Poster. Analyt. libro tale dat exēplum: Si quis, ait, concesserit, in rebus humanis subsistere prouidentiam, tamen animam esse immortalem probabo.

*Fatalis animarum secūdum Adrastiæ legē, id est, prouidentiā, in corpora descensus & ordo. Plato in Phædro.*

*De Adrastiæ lege mecū sentit Budæus in commentariis græcæ linguæ.*

si postremū id quoq; mihi dederis, tū ex necessaria huius hypotheseos cōsecutione animam esse à corpore separabilem demonstrabo. Has ex hypothesi necessarias consecutiones Plutarchus de fato, Adrastiæ legi & fato assimilat: κατὰ δὴ ταῦτα, εἴη μὲν ἐστὶν ἐξ ὑποθέσεως: ὅτι δὲ τούτων καὶ ἡ εἱμαρμένη, οἴεσθω. ἐξ ὑποθέσεως δὴ ἔφαμεν, τὸ μὴ καθ' ἑαυτὸ τιθέμενον, ἀλλὰ πρὸς ἑτέρῳ τινὶ ὡς ἀληθῶς ὑποτεθὲν, ὁπόσα ἀκολουθίαν σημαίνει, θεσμὸς δ' ἀδραστείας ἐστί. id est: Verùm, inquit, quale est tandē quod ex hypotheseos diximus: nam huiusmodi esse fatum existimetur oportet. ex suppositione quidem id dicimus, quod non ex sua natura ita constitutum est, ut fatum: sed ex alio quodā, ut uerè suppositū, & quæcūq; consequentiam indicant: quæ etiam lex Adrastiæ dicitur, propter consecutionis necessitatem: & συνειμαρμένα, quasi affata, uel fatum comitantia, dicuntur. Ex his elicere potes, apud ueteres Theologos & philosophos duplex fuisse Adrastiæ legis fatum, aut constitutionem: Primum diuinum & naturale, quod diuinæ mētis prouidentia, ex indissolubili causarum cœlestium coherentia, ut naturæ legem inexpugnabilem, constituit: cuius uiribus & uirtutis informatiuæ subsidio, naturę opifex fabricam organorum humani corporis effinxit, in qua ineffabilis opificis sapiētia elucescit. Huius organorum compositionis quinque causarum genera, & præcipuè finalem, quæ opificis prouidentiæ accepta sunt referenda, quoniam Asclepiadi ignota, Galenus declarare studuit. Aliud uerò conditionale, necessaria ex hypothesi scilicet ueritatis aut quæsiti consequutio, quam nullo orationis fuco euertere poteris, quin recta ratione iudice subsistat. Galenus igitur ex hypothesi in aliis locis probata, contra Asclepiadem disputaturus, eum Adrastiæ legis ignarum & immemorem esse asserit, Constitui sanè (inquit) eorū in quibus Asclepiades lapsus est, de uasis pulmonis mentionem facere, ostenderéq;, neminem Adrastiæ legem posse effugere, etiā si quis astutus admodum, & dicendi peritus fuerit, quin fateatur tandem & ipse suam uafriciem, ferátq; ueritati testimonium.

*Obscurißimi loci Galeni de lege Adrastiæ declaratio, in sexto de Vsu particul.*

*Erasmi in declaratione Galeni, error.*

Erasmus in Adagiis, expositurus hunc Galeni locum: Minatur (inquit) Galenus medicis, qui falsa pro ueris docent, ultricis scilicet Nemesis pœnas. At rectius dixisset, Galenum ex necessaria hypothesium ueritatis consecutione ostensurum, neminē in naturæ operibus, prȩcipuè in corporis humani fabrica, diuinȩ legis Adrastię uel prouidētię cōstitutionē falso interpretari posse, quin illius error facile deprehendatur. At sacra Adrastiæ regula mihi in mentem quoq; Polycleti statuarij regulā & normam reuocat. Et quia frequens fit passim eius in operibus Galeni mentio, eius historiā paulo altius repetitam, his duobus lemmatibus pro corollario addam.

*Regulæ Polycleti meminit Gal. lib.17. de utilit. parti. de optima corporis constitutione. & lib.2. de salub. et libro 1. Microtech.*

*Historiā Polycleti statuarij describit Aelianus de Varia historia lib.14. Pli. lib. 34. cap.8. Gal. lib.5. de doctr. Platonis & Hippocrat.*

Plato ac Hippocrates sanitatem corporis in elementorum iusta proportione & temperie, pulchritudinē uerò in recta membrorum proportione, plasmate, & συμμετρίᾳ consistere affirmant, quam Polycletus integro libro, quē Canona appellauit, descripsit: & ut suā doctrinam opere approbaret, duo fertur sculpsisse simulacra: alterum ad plebis arbitrium, & temerarium uulgi iudicium effinxit, & uariauit pro uniuscuiusq; spectatoris arbitrio: alterum uerò secundum artis normam & peritiæ rationem sculpsit, quod ut librum, Canona, id est regulam nominat, ut aliorum artificum statuæ, ad perfectam illius sculpturam & effigiem, ueluti ad Critolai libram, expenderentur. Quumq; utrūq; in prospectum populi, in officinæ exedram collocasset: alterum secundum artis canonem affabrè sculptum, omnibus admirationi fuit: alterum uerò iudicio uulgi accommodatū, omnibus ludibrium fuit. Sic Galenus exactam corporis optimè sani temperaturā, & in mēbris symmetriā, Polycleti regulam passim appellat, ad quam ueluti canonem & regulam, aliarum defectus uel excessus expendi posset: ut Aelianus de Varia historia copiose refert. An igitur, Didascale, de uenetis & prasinis equis, ac de Adrastiæ regula, & polycleti norma rectè senserim, cum tu uelut alter Aristarchus, grauis sis ueterum scriptorum interpres & censor, penes te & quemuis sincerè doctum, sit iudicium. Si quis autem ueriora adducere potest, non modò libenter cedam: sed ô Didascale, ferulæ tuæ manum, ut olim, subdere non uerebor. Vale.

## DE NATVRALI VITAE PEriodo, & an prolongari poßit. Epistola LXXIX.

QVandoquidem M. Varro, ille togatorum literatissimus, hominem ob uitæ breuitatem scitè bullæ confert, quæ in undis labrocera uel imbre largo subitò decidente, incluso flatu turget, & derepentè

*Breuitas hominis uitæ.*

pentè rursum difflatur & detumescit: & cum singulæ horæ, imò temporis momenta, aliquid de nobis deprædentur, adeò ut dum loquimur, immutemur: ut non ineptus uitæ nostræ typus uideatur esse, candidus ligustri flosculus, qui manè ad solis ortum expansus floret, ad uesperam uerò marcescit: proinde admiraris longæua ueterum, qui septingentos & plures excesserint annos, uitæ tempora: & quæris, quænam sit naturalis hominis uitæ periodus.

*Lõgæua Noe ætas, Ioseph. li. 1. Aut. cap. 5. & 8. Euse. lib. 9. cap. 4. Lact. lib. 2. ca. 13. & 14. Aug. li. 5. de Ciu. Dei. ca. 9.*

Primùm itaque nosti, præter sacras literas, Iosephum ac Eusebium testari, Noe post diluuium trecentos & quinquaginta adhuc uixisse annos, ob religionis pietatem, sobriam uictus rationem: & ut genus humanum, quod cataclysmo pessum iuerat, repararet, simúlque exactius astronomiam & geometriam scrutaretur: quæ explorare non potuisset, nisi sexcentos & plures uixisset annos. tot enim annis magni illius anni circuitus constat. ob hæc Deus Israël, omnium bonorum & uitæ largitor, illi uitam in noningentesimum & quinquagesimum annum prorogauit.

*Dispares antiquorum annos Xenoph. in Aequiuocis. Soli. ca. 2. Censorin. de die Nat. cap. 14. Pli. li. 7. ca. 48. Macro. lib. 1. Saturn. cap. 8.*

Sed quales fuerint anni, inter chronographos non satis constat: qui dispares fuisse antiquorum annos tradunt. Siquidem Arcadum annus tribus mensibus, Acarnanum sex, at Romanorum decem mensibus, quorum Martius primus erat, constabat. Aegyptii uerò, ut Plinius ait, annum lunæ senio terminabant: itaque apud eos aliqui singula annorum milia uixisse traduntur. Nec apud Aegyptios modò, uerùm apud Græcos Nestorem trecentos uixisse annos, autores non proletarii asserunt.

*Aegyptios fuisse lõgæuos ob cæli serenitatem, Plato in Epimenide. & Euseb. lib. 10. ca. 1. testãtur.*

Anacreon poëta Argantonio Tartesiorum regi centum quinquaginta attribuit annos, Cyniræ Cypriorum regi centum sexaginta uitæ annos Theopompus annumerat. Aegyptiorum uerò annos non fuisse solares, qui proprio solis per duodecim signiferi orbis animalia motu dimetiuntur: sed lunares, qui motu lunæ per duodecim zodiaci circuli signa mensurantur, uel ex hoc conicere potes, quòd Martianus Capella perhibet, Aegyptios astrologiam, ne temerarium uulgi iudicium eam profanaret, quadraginta millia annorum occultasse.

*Quid sit annus solaris, aut lunaris.*

Cum uerò mundus nondum tot annos solares substiterit, quis alios Aegyptiorum annos quàm lunares fuisse suspicari poterit? At idem tradit Iosephus, cum homines & gigantes lõgæuo uitæ tempori confidentes, in nefanda scelera & impietatis flagitia proruerent: tum Deum illorum facinorum pertæsum, id genus hominum pessundedisse, ac tantum centum & uiginti annos humanæ uitæ naturalem periodum constituisse.

*De anni secũdum Palæstinos, Macedones & Romanos diuisione, Gal. li. 1. Epid. Hippo. Com. 1.*

*Martianus Capella hæc lib. 8. Philog.*

Vnde Trebellius Pollio ad Constantinum Imperatorem: Doctissimi, inquit, mathematicorum centum uiginti annos homini ad uiuendum datos iudicant, nec amplius cuiquam concessum aiunt: addúntque, Mosem ipsum Dei familiarem uigintiquinque ac centum annos uixisse: qui cum interitum hunc ueluti immaturum conquereretur, ferunt illi ab incerto numine responsum, neminem deinceps plures annos uicturum.

*Quare Deus uitam hominũ abbreuiarit.*

*Periodus uitæ secũdũ mathematicos, & Plinium lib. 7. ca. 49.*

*Mosis ætas.*

At quo scrutinio ex cordis incremento & decremento, ut Varro & Dioscorides astrologus tradunt, Aegyptij & Alexandrini naturalem uitæ periodum esse centum annorum explorarint, dicere non cunctabor. Hi enim sanè corpora defunctorum, qui sine tabe perierãt, cedrino liquore delibuta, à putredine incorrupta custodiebant: in quibus obseruarunt, cor hominis singulis annis usque ad 50. annum binas drachmas crescere: deinde uerò totidem annis, sed singulis, binas quoque drachmas decrescere. & ideo hominem defectu cordis centesimum annum solarem, id est lunares mille & ducentos excedere non posse, Aegyptij affirmabant.

*Ex cordis pondere ætatis & uitæ periodi mensura, Plin. lib. 11. cap. 36. Censorinus de die Natali, cap. 14.*

At Aristoteles & Galenus, totáque Peripateticorum schola rationibus efficacioribus demonstrarunt, id quod nemo philosophorum negauit unquam, uitam in calore naturali, & humido radicali congenito ex primis spermatibus & ob id irreparabili, consistere: horúmque temperatura uitæ periodum metiri. quibus nanque humidum primogenitum inest pingue, imputribile, uiscidum calori, naturali proportionatum, ne eius copia suffocetur, hæc esse longæua quis non uidet?

*De uitæ periodo Peripat. & medicorum sententiæ. Aristote. lib. 2. de Ge. & cor. ca. 9. & de Lon. & breuitate. uitæ cap. 3.*

*Coitus abbreuiat uitam.*

Nam experimur, quæcunque illud exiccant, & quouis modo insumunt, ut uigiliam, tristitiam, & coitum, uitam quoque abbreuiare. Vnde mulos equabus & asinis esse uiuaciores, Aristoteles tradit: & animalia quoque, quę semel in anno stato tẽpore, ut cerui, coeunt: aut uirgines Vestales & monachos, qui uoto castitatis cupidinis arcum eneruarunt, cęteris obæsiora longæuioráque uidemus. Ea uerò quæ intempestiua salacitate in Venerem prona quouis tempore proruunt, ut Satyros, passeres, & puelas, quibus nec lasciuior uernus est passerculus, ad immaturæ mortis scopum accelerare comperimus. adeò uoraciter intempestiua & coacta Venus humidum radicale, caloris cõgeniti & uitæ pabulum depascit.

*De coitu & passeribus hæc Arist. lib. 9. de Nat. anim. ca. 7. Sẽ. li. 1. quæstion. Nat. Pli lib. 10. ca. 36 & Auer. in Cant. Auicennæ.*

Sed & calorem humido proportionatum esse, ad uitæ conseruationem, citra omnem acrimoniam, oportet. Nam si febre, ira, aut putredine efferbuerit, humidum radicale & suum subiectum genuinum insumet, uitámque abbreuiabit: quæ humido isto, ut ellychnium lampadis oleo, fouetur, & conseruatur.

*Quæ uitã abbreuiant.*

Ex his liquet, naturalem uitæ periodum, longitudinem & breuitatem, à caloris naturalis ac humidi congeniti temperatura ac proportione, & à temperata elementorum mixtura dependere: ad quæ conseruanda, recta salubris uictus ratio plurimum confert.

*Periodum prolongari nõ posse, Plato in Timæo docet.*

Quod Auicenna in primo Canone ita testatur: Hæc est mors naturalis, inquit, cuique indiuiduo destinata, secundum suam primam complexionem, usque ad terminum quem in sua potentia habet, ad suam humiditatem conseruandam. unumquodque enim eorum, terminum præfixum habet: qui in indiuiduis diuersificatur, propter complexionum diuersitatem. & hi quidem sunt termini naturales. Sunt uerò & alij termini abbreuiati: totum tamen diuino prouenit præcepto.

*De fonte in Bonica Noui orbis insula, cuius aqua senes iuuentuti restituit, Pet. Martyr, & Cardanus libro 2.*

*Periodus uitæ diuinitùs prolongari potest.*

Sic Deus Ezechiæ regi, graui morbo decumbenti, & cui Esaias propheta mortẽ indixerat, petenti tamen, quia Dei mandata obseruauerat, uitam quindecim annos prorogauit.

*De Ezechia, hæc 4. Reg. ca. 2. item 2. Para. 32. Esaiæ 38.*

An non & parentum ueneratoribus, qui illis ciconiarum exemplo gratam antipelargisim rependunt, Deus uitã prolongare promittit? quare uitæ naturalis scopus non est adeò fatalis & ineuincibilis, ut per diuinam potentiam non possit prolongari, aut per prauam uictus rationem abbreuiari, ui gladij uel canabis decurtari: cuius scopum, ob crapulam centesimus aut millesimus quisque uix assequitur.

*Naturalis uitæ periodus potest abbreuiari.*

Cæterum quum omnibus rebus creatis, pro naturalium uirium facultate, finita sit potẽtia, & determinata roboris mensura, ultra quam nullum creatum suas expandere alas aut brachia potest: ac nullius calor naturalis sit adeò mulcebris, quin quotidie humidum congeniti momentum depascat, idq; irrecuperabile: reliquum erit, ut nullus medicorum suis medicamentis naturalẽ uitę periodum ultra suæ latitudinis limites prorogare possit: nisi quis mox à statu ætatis humidum irreparabile reficeret, & primogeniam indiuidui temperaturam, ueteri abolita, à nouo instauraret: quod nulla ars, quantũuis naturæ sit æmula, præstare potest.

*Naturalẽ uitæ periodum naturaliter posse prolõgari, Plato in Timæo negat.*

Verùm iuuare, ut calor & humidum illud, uitæ elementa, usque ad naturalem uitæ periodum perdurẽt, licebit: quod ea pars medicinæ quæ senum ualetudini prouidet, γηροκομικὸν dicta, præstare poterit.

*Gerocomicon qualis medicinæ pars.*

Proinde Galenus noster in libris de Salu. & marasmo, philosophum sophistam, aut uerius magum Aegyptium, qui de immortalitate comparanda commentarium ediderat, his uerbis scitè irridet: Si, inquit, naturæ, ubi ad summum uigorem animal plantámue prouexerit, totidẽ rursus æquis uiribus elementa à nouo inserere possibile foret: sic eius opificium, perito tamen adhibito moderatore uel præfecto, senium & marasmum effugere posset: neque, si id potis esset, & praua uictus ratio accesserit, incorruptum & insenescibile fiet, si naturæ uires id præstare possent: tum, inquit, Aegyptius ille artem suam possibilẽ ostendisset.

*Verba sunt Galeni ex libel. de maras. ubi, & in lib. 1. ac 6. de Salu. illius philosophi meminit.*

At quando inseri & transmutari prima animaliũ & plantarũ fœturæ elemẽta nequeãt, necessum est, post ætatis uigorem corpus siccari & marcescere, quãdo caloris quidem actiones nullas habent ferias.

*Periodus uitæ ut sanitas, latitudinẽ habet. Gentilis 1. fen. 3. doctr. 3. quæstio. 16. & Petrus de Appano in differ.*

Ex dictis elicere poteris, ut unicuiq; indiuiduo est specials cõgenitáq; caloris & humiditatis proportio et mensura: ita peculiarem esse singulis uitæ periodum: nec illius limites citra omnem latitudinẽ esse coarctatos arbitreris, quippe qui ultra sanitatis latitudinem expandantur. Quare nil mirum, quosdam sobrios & abstemios centesimum excessisse annum. Si quidem & auia mea, ætatis ratione silicernium, post centesimũ decimũ annum humanis excessit: & Sipontinus, ille grãmaticorum alterum copiæ cornu & pontifex, tradit, Galenum, quem febribus crebrò tamen afflictum nouimus, centum & quadraginta uixisse annos: tãta in cibo potúq; abstinẽtia usum, ut nunquam ad satietatem comederit aut biberit, nec suadente etiam patre suo, geometra & archi-

*De longæua Galeni uita, Perottus in dictione Nestoris. & Suid. in dict. Galeni.*

*Galẽ. in libel. de tremor. & rigo. se quater laborasse tertiana, & semel causone, fatetur.*

tecto,

tecto, crudum quippiam unquam degustarit, odorificum semper anhelitum spirans, ac sine aliquo morbo, solo tamen senectutis marasmo, defecit. At illud longè memorabilius & solitarium reperitur exemplum, quòd Plinius scribit, Xenophilum musicum centum & quinque annos, sine ullo corporis incōmodo uixisse. Nam uita ualere quidem uiuere est. & si cui ullum cordatum pectus est, præstaret sexcenties mori, quàm uita morbis incurabilibus obnoxia, quibus diu noctúque ut ab intercutaneo carnifice distorqueretur, diu uiuere. Quare non, ut plerique in epistolarum coronide assolent, Nestoris, cerui aut cornicis longæuos annos, sed bene te ualere, inculpatáque sanitate frui (id quod bene & uerè uiuere est) precor, & opto, simúlque te fideliter admoneo, ne agyrtis illis medicis confidas, qui suo auro potabili & elixire indefectam iuuentutem, & (ut ille Aegyptiorum philosophus) immortalitatem promittunt. iterum bene uale.

*De ægrotantium uita, hæc Gal. in uestibulo lib. 5. de Salu. De Xenophilo hæc Pli. li. 7. ca. 50.*

## DE CLYSTERIVM VSV. Epist. LXXX.

*De errore legislatoris, hæc Plato lib. 5. de Republica.*

*Falsa sciendi persuasio est duplex ignoratia, qua nihil arrogantius. Plato lib. 9. de Legib.*

*Exitialis medicorū in præscribenda curatiōis methodo error.*

*Medicorum imperitia, quā periculosa. Pli. li. 29. cap. 1.*

*Remedia in templis deorū cōseruata, Hippocrates publicauit. Plin. lib. 29. cap. 1. Galen. de Cōpos. medi. gen. li. 5. Stra. li. 7.*

*Aegyptiorum in re medica industria. Strab. lib. 16. & libro 3. geograph.*

*De hippopotamo, & ibide, hæc Pli. li. 8. cap. 26. & 27. Cic. li. 2. de nat deor. Plutar. in dialog. de ratiōne brutorū. & Herodot. li. 2. Diod. libro 2.*

*Purgamina Aegyptiorum. Herodotus in Euterpe.*

*Sacrosanctam Aegyptiorum medendi legē, describit Diodor. Sic. lib. 2.*

*Ab Aegyptiis uidetur Auicēna suum de uomitu mēstruo consilium didicisse.*

*Publici Aegyptiorū medici.*

Rectè quidem, me iudice, mi Pandolphe, Socrates apud Platonem Glauconis sententiam approbat, qui censuit legum conditorem, qui in constitutione legum de honestis bonis iustisque aberraret, plus delinquere, quàm eum qui non spontè hominem perimeret. Quare Socrates de his legem laturus, supplex Adrastiam diuinæ mentis legem & sapientiam, ne in legum constitutione aberret, implorat. At longè deterius peccant, qui falsa sciendi persuasione (qua nihil est ambitiosius) seducti, abrogata ueteri ac recta morbos curandi lege & methodo, ac spretis uel sublatis antiquorum remediis, ratione & diuturno usu spectatis, nouam curandi morbos methodum & legem, noua denique, sed inexperta remedia, temerario ausu præscribunt: parúmque pensi habent, in quàm multorum hominum capita inexpiabilis eorum error redundet. Non mehercule improbè ageretur, si in illorum caput solum faba cuderetur, ut malum consilium foret consultori pessimum: & non tam multis innocentibus, qui uitam suam logiatris illis concredunt, exitio esset. quippe cum sit periculum in nullo mendacio maius. At quanto prudentius ueteres egerunt Græci, qui omnia remedia, quibus quisque sanitatem recuperasset, ut inuiolata manerent, & ex similitudine remedia accrescerent, in templum Aesculapii, aut alterius dei, qui opem attulisset, conscribebant: quæ diligenter exscripta tandem cremato Aesculapii templo, post bellum Peloponnesiacum Hippocrates natus in Coo insula Aesculapio consecrata, publicasse fertur, ac medicinam clinicem instituisse. Ob eandem causam Aegyptii quoque, omnium bonarum artium Mathematices ac præcipuè medicinæ autores, Græcis longè uetustiores, emplastra & alia uetusta morborum remedia, in Hephestio Vulcani sacrario recondita seruabant: qui natura duce ab animalibus Nili incolis, plurima medicamentorum genera & organa didicerunt. Ab hippopotamo nēpe uenæ sectionem: qui assidua satietate obæsus in littus exit, ac uenam cruris spinæ affigens sauciat: & cum corpus sanguinis profluuio exonerauit, plagam limo obducit. Nec minori industria ibis Aegypto peculiaris uolucris, ciconiæ simillima, clysteri ab excremētis exonerare aluum eos docuit: quæ aquam marinam pleno & adūco rostro absorptam, collo procero ad anum retorto, in eam eructat: pérque eam partē uiscera perluit, qua reddi ciborum detrimēta maximè salubre est. Clysterium nēpe usus apud Aegyptios erat adeò (teste, Herodoto) frequens, ut singulis mensibus triduo purgarent se uomendo, atque intestina diluendo gratia sanitatis conseruandæ: existimantes, omnes languores hominibus creari ex cibis. quod Diodorus Siculus copiosius his uerbis tradit: Morbos, inquit, Aegyptii uel ieiunio curant, uel uomitu: idque aut tribus diebus, aut quatuor interiectis. asserunt enim ex ciborum superfluitate omnes creari morbos. eam ergo ad ualetudinem recuperandam curam esse optimam, quæ morborum principia auferat. In militiam aut peregrinationē profecti, nulla impensa mercede curantur. Medici enim ex publico uictum sumunt, ægros secundum legem curant, ab antiquis medicis comprobatisque scriptoribus traditam. Si quis normam sacri libri sequutus, infirmum sanare nequiuerit, omni caret crimine. Si præter ea quæ libris continentur, curauerit illum, morte punitur. Quid si Pandolphe hæc salutaris Aegyptiorum lex, ut æquum esset, in Germania rogaretur? quis, obsecro te, nobis tot sufficeret prætores & lictores, qui agyrtas & ardeliones, medicos impostores, meritas pendere pœnas cogerent? qui quum de sacro medicinæ ac philosophiæ fonte uix tantum, quantum canis crocodilos expauescens, summis labris de Nilo, degustarint, tamen perfricta fronte contra omnem ueterū approbatorum medicorum curandi morbos methodum, & canones siue leges, miseros curare, ne dicam occidere audent. Hic certè nulla lex est, quæ puniat inscitiam capitalem. His enim medicis, sycophantis, ac Iudæis solum ignaris, hominem occidere summa impunitas est. Esto quòd Plato medicos curantes, qui non spontè occiderint, mundos statuerit. At quæso hi perditi nebulones quum sibi ipsis malè conscii, nec morbi substantiam, causas, aut remediorum naturam nouerint, eósque curare ob turpe lucrum professi temerè occiderint, qua lege hi mundi, aut criminis homicidii expertes esse poterunt? Certè præstaret incidere in coruos, aut prædones, quàm his subditorum committere curam pseudomedicis: qui remedia non morbis, sed uoluntati ægrorum accommodant, adulatores perniciosissimi. Rectè enim ait Galenus libro 12. Therap. Qui cubantis deliciis subscribit, eiúsque uoluptatem pro meta gerendorum habet, adulatoris officium facit. Quod si medicus peritus ad lenienda alui ex obstructione aut intestinorum ulceratiōe tormina, aut calculi cruciatus, aluum clysteri eluendam suaserit, & æger id genus subsidii ob pudorem detrectauerit: tum audires, quibus blanditiis medicus ille sycophanta ęgro subscribat, ut se illi insinuet, & saluberrimum enematum usum, uelut paralyseos, quæ iliorum torminū est pedissequa, causam infamet. Quorum usus nō apud Aegyptios modò, sed Gręcos & Arabes, certè in grauissimis morbis, fuit frequentissimus: & unicum non rarò subsidium, ad quod tanquam ad sacram anchoram confugerent, non tantum ad aluum & simas epatis partes ac renes obstructos expurganda, sed etiam ad aures ex suppuratione uermibus scatentes, otenchytis, & ad uteros metrenchitis eluendos, ac ad uires corporis nutriendas, magnopere prodesse ueteres medici agnouerunt. Si enim neruus aut uilli ipsius gulæ ex defluxu catharri, aut frigidæ potu, aut epidemiali putrefactione, aut narcoticis deglutitis, ita relaxati fuerint, ut æger cibum, iuscula, uel potum deglutire nō potuerit, dic mihi quæso, qua ratione illi alimētum sufficies? At si ignoras, Auezoar, ex Arabia medicus, nulli Arabū secūdus, his uerbis te docet: Rectus, inquit, & certus atque uerax est ex præfatis causis gulæ paralysi affectos nutriendi modus, ut prius intestina cū clysteribus abstersiuis expurges, & uesicā capræ lacte, aut decocta ex tritico sorbitione refertam, per cannulam argenteam eius collo alligatam, anúique insertam, manu coarctatam, totam exprimas: quod mutua successione per intestina uis uētriculi & intestinorum alimenti auida attractrix, ad stomachi fundum usque alliciet. quippe si odor panis in furno tosti Democritū, donec thesmophorica Cereris festa peracta essent, superstitem conseruauit: & Demetrius Cydonius solius panis recentis à furno olfactu, multorum dierum famem tolerauit: quis per clysterem iniecti lactis, uel ex tritico aut ptisano cremoris, si non substantiam, uel saltem uaporem, nutrire negabit? Atqui longè à ueritatis scopo aberrant, qui alimēti cremorem per clysterem iniectū, ad stomachi fundum deferri, deriuari, aut attrahi posse negant: cum in epatis phlegmone, obstructiōe, aut scyrrho, clysteribus epatis etiam sima & caua expurgētur. Vnde Galenus Archigenis cephalica medicamenta declaraturus, summopere laudat euacuationem, quæ per clysterē fit, non eo nomine tantum, quòd excrementa, intestinis contenta efferat: sed etiam reuulsionis gratia, quod ea quæ ad caput efferrentur, subtus alui deiectione diuertat. Quòd si tale enema paulò uigorosius fuerit (πολὺ γὰρ ἐν τοιούτῳ κλυστῆρι, τὸ τῆς ἀντισπάσεως ἐστὶ, πρὸς τὸ μὴ μόνα τὰ κατὰ τὴν γαστέρα, καὶ τὸ μεσεντέριον κενοῦν, ἀλλὰ καὶ τὰ σιμὰ τοῦ ἥπατος. id est, In tali clysteri plurimum reuulsiōis est, ad hoc, quòd non solum uentriculum & meseræon euacuat, sed etiam sima epatis expurgat, si uires pharmaci iniecti, quas natura abhorret, epar subeunt) quis dubitabit

*Medicus qui non sponte occidit, criminis expers.*

*Plato lib. 9. de Legibus.*

*Præstat incidere in prædones, quam in medicos indoctos.*

*Auriū & matricis clysteres, Gal. li. 5. Met. & li. 1. de locis affectis.*

*An alimentū corpori per clysteria suppeditari possit: Auēzoar li. 1. tract. 10. ca. 18.*

*De laryngis in peste putrefactione, Gal. li. 5. Methodi.*

*Odore panis Democritus et Demetrius uixerunt: autor Diog. Laērt. et Arsenius Græcus. in Apoph.*

*Clysteria uētriculū meseræon, & epar alere, & purgare.*

*Gal. hæc li. 2. de Cōp. medi. approp. et lib. 13. Methodi.*

tabit alimentorum facultates per aluum receptas, non æquè, uel potius epar & ſtomachum ſubire? quum natura, famelica præcordiorum uiſcera, eas maximè affectēt. Vnumquodque alimentū etiam diſiunctū attrahere, agricolarum induſtria probat: qui ex agro plauſtra frumento plena uecturi, ne quicquā furtim ſubduxiſſe deprehendantur, uaſa fictilia aquis plena propè, uel in ipſum frumenti aceruum ſtatuunt, ex quibus attracto uel hauſto humore, grana de aceruo ſubducti frumēti tumorem & pondus recompenſant: qua ſolertia agricolæ furtum ſuum celant. Quum igitur inanimata à radicibus ſuis auulſa, & de folliculis excuſſa, tam ſingulari uirtute attractiua prædita ſint: quis niſi demens uiſcera animatorum ea carere credet? ut non de lactis aut ptiſſanæ cremore per clyſterem iniecto, de his ſuam attrahere, uel quaſi alimoniam ſugere poſsit? Vnde Cornelius Celſus in cardiaca paſsione, ſi uentriculus nullis medicamentorum ſubſidijs cibum retinere poterit: Vltimum, inquit, auxilium eſt, in aluum ptiſſanæ uel alicæ cremorem ex inferioribus partibus indere: ſiquidem id quoq; uires tuetur. Neque alienū eſt, naribus quoq; æſtuātis admouere quod reficiat, id eſt, roſam & uinum. Etſi Hippocrates in pleuritide, poſt phebotomiam tertio die locum affectum clyſteri expurgare iubeat, ſumpta tamen à loco affecto indicatione, præcipuè uerò in omnib. morbis & dolorib. qui infimi uētris uiſcera, uētriculum, epar, ſplenē, renes, ueſicam, matricem & inteſtina affligunt, enemata cōpetere uidentur. Vnde Galenus ait, cum partes ſuperius poſitæ laborant, per ea quæ edūtur ac bibūtur: cū inferiores, per id quod clyſteri infuſum eſt, curātur: quandoquidē eorū quę bibūtur ac edūtur, uis, anteq; ad inferna defertur uiſcera, fatiſcit: quæ uerò infuſa ſunt, eorum ſubſtantia omninò ad ieiuniū uſque aſcēdere nō poteſt: imò ſi admodū nitaris, fortaſſe tenue tm̄ inteſtinū contingēt. Attamen cū uentriculus præter naturā affectus eſt, coarctatis dolore infernè inteſtinis, uel lūbricorū glomere obſtructis, etiam ab infernis partibus aliquid aſſumere cogitur. Quippe, ut Galenus refert, nōnullis clyſteres adeò aſcenderunt, ut uomitione redderētur: quemadmodum & ſtercus per letales uoluulos, quos ab inteſtinorum inuolucro, Græci εἰλεοὺς dicunt, & cholera ad inteſtinum rectū expulſa, cū uel in cōuiuio uel in foro uentrem exonerare dedecori ſit, inteſtini muſculo coarctato crebrò ad ſuperna regurgitat, uētriculum rodit, & caput replet. Has ſtomachi inteſtinorúmque à cholera roſiones, chlyſteri lubrico, quod eā per aluū eijciat, curare, rectè Gal. docet. Quòd uerò clyſteres abſterſiui, ac reſtrictiui, ſiue conſolidatiui, ac ex ſeuo hircino defenſiui, dyſentericis multum opis afferant, clarius eſt q̃; ſcribi oporteat. At ſi colon flatu groſſo aut phlegmatis uitrei frigore cruciatu intolerabili, quē crebrò extremorū paralyſis excipit, diuellitur: ſi olea ſubtilioris ſubſtātiæ, quale ſabinū eſt, in quo ruta aut ſemina cymini, dauci, aniſi, quæ flatus groſſos diſsipāt, decocta fuerint, additis quæ phlegma illud uitreū educere poſſunt, cū clyſteri infuderis, patiētem confeſtim ab huius doloris colici carnificina uindicabis. At eſt alius huic non diſsimilis renum à calculo intolerabilis dolor, qui ob cōmunia ſymptomata, ægrè ab illo diſcernitur: niſi quòd coli cruciatus ob eius ſitum, dextrum latus potius quàm ſiniſtrum, ac diuerſa epigaſtrio ſubiecta loca, non rarò ad uentriculū uſque uagus, infeſtare ſolet. At renalis à calculo, uel arenulis, uiſcoſo phlegmate uelut calce agglutinatis, dolor, circa lumbos fixus perſeuerat: à quibus, moto per ureteres poros lapillo, decliuis obliquè ad pubē uergit. Eadem quippe utriuſque affectus ſunt accidentia, & communia quoque remediorum ſubſidia: niſi quòd in nephritide uenæ ſectio plus, quàm in coli dolore conferat, obſtructis quidem à phlegmate groſſo, tophis, calculo, aut arenularum ſaburra, renibus, cum per uenas emulgentes à uena chili, ſerum ſanguinis attrahere, & eam exonerare non poſſunt, eam eiúſque ramos, qui renes ſepiunt, & ad crura uſque uergunt, & uelut rami à ſtipite uenæ chilis, uelut à caudice arboris propagantur, repletione diſtendi, & unà cum arterijs ita coarctari, unde & uis ſenſilis in crure ex affecti renis directo obtorpeat, ut ex doloris uehementia ac humorum affluxu ad minus alter renum phlegmone corripiatur. In qua diſpoſitione, præcipuè ſi plethora aut laſsitudine corpus oneratum fuerit, uenæ iuxta poplitem aut talum ſectione, nihil poteſt eſſe ſalubrius. Vnde Hippocrates: Vrinæ, inquit, ſtillicidium & mingēdi difficultatem, uenæ ſectio ſoluit. Incidere autem interiores oportet: uerùm nec has tātum, ſed etiam in cubito, ſi inſignis affuerit repletio, internam incidere uenam prodeſt. Proinde author libelli de Renum affectib. Sed, ait, neque ſanguinē, aut alium ſuccū plus æquo redundantem in corpore relinquere par eſt, ne inde multa renum uaſa diſtēta, plus doloris cōcilient: Vena igitur, inquit Aetius, cubiti propinquè manus in corpore ex repletione affecto ſecanda eſt, ſi uirtus imbecillis fuerit: ſi ualida, ea quæ in poplite eſt, aut iuxta malleolos, aperiatur. Ab hac etiam curā auſpicari ſuadet Galenus, etiam ante purgationem: uerùm quum excretioni calculorū nihilæquè obſtet, quàm uenenoſi generis uaſorū, quæ corpori & cauernis renū inſeruntur, ac inteſtinorum à flatibus & cibariorū excrementis repletio, quibus & renes poríque ureteres ita coarctātur, ut per eos lapis in ueſicam protrudi non poſsit: nihil certè melius, quū locus affectus ſit diaphragmati ſubiectus, quàm inteſtina, quæ renes ambiunt, poríſque ureteribus ſubſternuntur, clyſteri lubrico, admixto diureticorū decocto, & horum quæ flatus diſsipāt, eluere. ob id author libelli de Renum affectib. ipſiſsima Aëtij in curatione calculi, ſimia: Quippe, ait manifeſtū eſt, ſtercoris obſeptione renes plerunque exaſperari, ut cōpertum ſit, enematis iniectione renalem dolorem eſſe mitigatum: uel quòd ab ea euacuatione, ren aliquis nō ſit amplius compreſſus, uel quòd ex ſtercore nulli poſtea flatus prodierint, qui in renes potuerint impingere, quibus ren diſtenderetur. & Aëtius: Aegrotantis, inquit, aluo per clyſterem infundere oportet furfurum decoctum, caricarúmque ac fœnigræci, & ariſtolochiæ: & ſi quidē decenter euacuentur, ſinere: ſi uerò nō, etiam bis aut tertiùm infundere. atq; id maximè, ſi uenæ ſectæ uel purgationis auxilium ſit relictum. Et diuinus ille Hippocrates, excrementorum cibi euacuationem calculi dolorem ſedare fatetur. & quoniam admirando compendio calculi ſigna pathognomica, ac utriuſq; curæ, etiam præſeruatiuæ, capitula complexus eſt, eius uerba adſcribere operæprecium eſſe duxi. ait enim in libris Epidemiarū: ὃν νεφρὸν ὀδύνη βαρεῖα, ὅταν πληρῶνται σίτου, ἐμέουσί τι φλέγμα. ὅταν δὲ πλεονάζωσιν αἱ ὀδῦναι, ἰώδεα. καὶ ῥᾴους μὲν γίνονται. λύονται δὲ, ὅταν σίτων κενωθῶσιν, ψάμμιά τε πυῤῥὰ ὑφίσταται, αἱματώδεά τε οὐρέουσι, νάρκη μηροῦ κατὰ ἴξιν. ἐλινύειν οὐ ξυμφέρει, ἀλλὰ γυμνάζεσθαι, μὴ ἐμπίμπλασθαι τοὺς νέους. ἐλλεβορίζειν, ἰγνύην τάμνειν, οὐρητικοῖς καθῆραι λεπτῦναι, καὶ ἀπαλῦναι id eſt, Si in renem dolor grauis, qn̄ replentur ciborū excrementis, inciderit, uomunt pituitam: quando autem ingraueſcunt dolores, æruginoſa: & alleuiantur quidem. ſoluuntur autem, quando à cibariorum excremētis euacuantur, arenulæq; fuluæ ſubſidēt, & cruenta mingunt: fœmoris è directo torpor: pergræcari, id eſt, deſidem in crapula uitam agere, non prodeſt: ſed exercitari, nec repleri ſagina: iuuenes ueratro purgare, uenam poplitis incidere, ac diureticis purgare, extenuare, & emollire, confert. En diuinus Hippocrates, non modò iuuenes aut robuſtos, calculo renali affectos, elleboro purgare, humores uiſcoſos, calculorū gluten incidere & extenuare, diætáque attenuante uti, aluúmque lūbricis anodynis emollire præcipit: ſed etiā eam à ciborum excrementis, ne his meatus urinales & renes coarctentur, exonerare ſuadet. σιτὸς apud Græcos, teſte Galeno & Heſychio, non modo ex frumento & carne cibum, ſed etiam horum in prima digeſtione congeſta περιττώματα ſignificat: quæ etiam in dolore coli per clyſterem eiecta, dolorem alleuiant: etiam non rarò ſimul excreto uitreo phlegmate radicitùs, ut Galeno contigit, radicitùs extirpatur. Vnde Galenus: Quinetiam, inquit, colicorum cruciatus multo magis quàm nephriticorum, lenientibus mitigantur clyſteribus. Quibus uerbis nō negat, clyſteres nephriticis prodeſſe: ſed colicos plus iuuare. utriuſq; affectus quoq; eadem ferè eſſe remedia, affirmat. Quare temeritatem illorum non ſatis admirari poſſum, qui rectam curandi calculum legem & methodum, ueteribus probatam, abrogāt, & nouā errore plenam ſubſtituunt: quos certè ex lege & decreto Platonis, eorum qui iuſtas ueterum leges euertunt, luere pœnas, æquum & fas eſſet: qui tamen præter antiquorum exemplum, iuniores medicos in curādo re-

*De agricolarū celandi frumētorum furtū induſtria, et uirtute uētriculi attractiua, hæc Gal. libr. 1. de uirtutib. nat. cap. 14.*

*Cor. Celſus li. 3. cap. 19.*

*Hip. hæc lib. 3. Reg. acut.*

*Quib. morbis competat clyſter, Gal. lib. 5. & 13. Met. docet.*

*Iliacam paſsionem ex uermium complexu ortam Bononiæ uidi.*

*Galen. libr. 6. de cau. Symp. teſtatur, clyſteres uomitu reiectos.*

*De roſione uētriculi & inteſtinorum à cholera, Gal. libr. 8. Therapeu.*

*Colici doloris cū clyſtere curatio.*

*Gal. li. 12. Th. & libr. 2. ad Glauco. lib. 1. de loc. affec. et li. 6. cap. 2.*

*Cura calculi cum clyſteribus.*

*Signa colici & renalis doloris diſiuncti ua, declarat Gal. libr. 6. de loc. affec. ca. 2. & 3.*

*Gale. lib. 6. de lo. affec. cap. 2.*

*De uenæ ſectione in nephritide, Hip. lib. 6. Aph. 36. & lib. 7. Aph. 46.*

*Aetius Serm. 2. cap. 5.*

*Methodus Hippocratis curādi & cognoſcēdi calculū renalem ex lib. 6. Epidemiarum.*

*Purior & ſyncerior uerborum Hippocratis uerſio.*

*Quid apud Hippocratē σῖτος.*

*Verba Galeni ex lib. 6. de Locis affect. cap. 2.*

*In eos qui clyſteres in calculi renalis cura auerſantur.*

*Decretū Platonis hoc habes in lib. 5. de Repub. & li. 9. de Legib.*

num calculo aſsidua clyſteriũ iniectione ægros excarnificare, impudẽter aſſerunt: quũ Aëtius eos non ſemel, ſed bis atq; iterum, etiam efficaciſsimos infundere iubeat. quos tamen, quãuis aluũ deijciant, lubricent, ureterásq; emolliant, & obſtructiones detergant: tamen eo nomine noxios teſtãtur, quòd inteſtina repleant, & urinales meatus coarctent, quominus calculus excerni poſsit. At quandoquidem inanitio & euacuatio, & repletio, ex diametro pugnãt: dic quæſo mihi, qua ratione noxia, enemata quæ inteſtina à fæcibus expurgant, flatus diſsipãt, detergũt, & ureteras ipſis incũbentes colis, mulcebri ſuo uapore emolliãt, urinámq; prouitent, ea replere, coarctari, & calculi exitum remorari poſſunt? & eris mihi magnus Apollo. At quòd ea intra aluum iniecta, triduũ ſubſtitiſſe cauſaris, neſcio quàm uerè, huius culpã non uſui clyſterium, ſed medicorum imperitiæ te impingere oportet, qui ea ſatis efficacia non cõpoſuerint. Atqui quũ ingenui ſit, & docti uiri, errorem ſuũ fateri, quod nec Hippocratem facere puduit: ſi palinodiam cecineris, hæc & plura, ut noſtro & ueritatis amico, tibi cõdonabimus. Itaq; illud quoq;, uelut huius epiſtolæ auctarium, addere placuit, de ſaluberrimo clyſteriũ uſu: Oborto in ſede interna, uel inteſtino recto, tumore phlegmonode, Galenũ medicamẽti diachalcitheos Phœnicei põdo, ſelibra olei rhodini liquefactum, cum ueſica ſuilla, cui cornea fiſtula alligata fuerat, inieciſſe. Qua te quoque, ſi opus fuerit, malim uti, quàm illis ex ære cõflatis tubulis, quibus cum flatus copia plus ingeritur, & quàm ex bubulo corio ſacco, qui manibus non æquè, ac ueſica porci aut bouis, eſt contrectabilis. Adde quòd exactius exprimitur, & flatum conceptum, ſi ſubter arctè conſtrinxeris, emittere poteris: id quod in ſyringa ænea commodè fieri non poteſt. Vale.

*Veteres ueſica cornui alligata ad clyſteris uſum utebantur. Gal. lib. 5. Metho. & lib. 2. Compoſ. medi. gen.*

## DE PITYOCAMPIS, PICEARVM *crucis.* *Epiſt.* LXXXI.

NOn temerè quidem, optime Lyſander, fœda illa crucarum, quas Græci κάμπας uocant, copia, uos Palatinos, Hercyniæ Bohemorum ſiluæ accolas, terruit: quæ non olera, ſed uniuerſas picei generis arbores, ita depaſcunt, ſuáque uirulentia inficiunt, ut amœniſsima abietum pinorúmque nemora, quæ fabris ueſtris præcipuam ad ædificia & carbones materiem ſuppeditabant, penitùs marceſcant: non temerè inquã animos incolarum perculit. Nam huiuſmodi uirulenta inſectorum reptilium ac uolucrium genera, uel ob peſtiferi aëris putrilaginem, aut ob irati noſtríſque peccatis offenſi Numinis uindictam ingraueſcere ſolẽt. Sic enim cum Aegyptij ac Pharao obſtinacia contumax, mandata Dei Iſrael per Moſen illis denunciata, capeſſere nollent, fœda horum colluuie & tabe contumaces afflixit, & protriuit, quippe poſt aquas Nili, uirga Aaronis in cruorem uerſas, ſiti ardentibus, grauiora afferentes pœnarum remedia, quàm pœnas: poſt horridos ranarum, domos & cubilia penúſq; eſculẽtorum polluẽtiũ ſqualores, quarũ interitu teter peſtilénſque odor omnẽ cœli tractum, contagioſa tabis lue infecerat: poſt pthiriaſim pediculorum, poſt ueſicas efferueſcentes, ulceráque tabe manantia, & ut ipſi dicere maluerũt, ſcabiem ac uitiliginem totis corporibus erumpentẽ: ſubſequuti ſunt, de culicũ genere igniti κνῖπες, quos corruptè Siniphes appellant, unà cum muſcis caninis, toto ſeſe aëre uibrãtes: ineuitabili ictu & morſu tã grauia tormenta, quàm turpia inferentes. ἔςι γὰρ ὁ σκνὶψ, ait Suidas, ζῶον μικρὸν ξυλοφάγον. id eſt: Eſt enim ſcnips uolucre animalculum, ligna arrodens. Deiecta quoque cum his grãdo de cœlo eſt, ad id tẽporis agricolis inexperta, quæ ſata, ſegetes, arbores, omne pecus miſerabili ſtrage protriuit. Cæterùm quicquid illa cœleſtis clades in agris reliqui fecerat ſubſecuta locuſtarũ nubes, præter fidẽ ingens, totum id quod uirebat depauit. Atqui hæc nefanda mala & prodigia, anno ante urbem cõditam octingenteſimo quinto, Aegyptijs acciderunt. Verùm præſtat recentiora in memoriam reuocare, Ab eo, quo iſta meditamur, anno ſeptuageſimo tertio, locuſtæ ſturnatim in Italiam aduolantes, circa Brixiam & Mantuam omnia terræ germina, ſua inexplebili uoracitate radicitus deuaſtarunt: quas ingens & immanis ſubſecuta peſtis, plus quàm quinquaginta hominum millia interemit. Quin neq; illud te latebit, me natu longè maiorem, Lyſander, quòd elapſis iam uigintiquatuor annis, ex Thracia immenſa locuſtrarum nubes in Poloniam, Vngariam, & Germaniæ ultra limites, aduolauit: quæ non fruges tãtum, ſed & olera, & quicquid in pratis uirebat, & agris, præter uites, depaſcebat: ob idque crudelis (ut pleriq; diuinabant) futuri Turcarum exercitus prodigia, & portenta. Nec eos fefellit præſagiũ. nam altero anno ſtatim Viennæ obſidio, Vngariæ deuaſtatio, & ex Anglia ac Britannia febris illa ſudore exitialis, ad nos deuoluta eſt: non tantum arborum, ſed etiam peſtifera hominum pernicies, ex aëris putredine & intemperie concepta. Nam, ut Theophraſtus refert, ſummatim morbi omnib. ſeminib. ob alimenti cœlique intemperiem eueniunt: uidelicet, cum plus minúſue alimenti præbetur, aut aër immodicè humidus ſiccúſue eſt, uel etiam non tempeſtiuè humeſcit: cum prius quàm ſiccata fuerint, dies ferui di acceſſerint. tum nõ humor ſiccitate aëris ambientis concluſus, effundi nequit, putreſcitque, ac uermes procreat. quippe natura ubique animal gignit, modò calor cum humiditate ratione debita coëat. In Mileto (idem Theophraſtus ait) oleas, cum florent, erucæ erodunt, aliæ frondem, aliæ florem, genere diuerſæ. itaq; arbores diſpoliant. Naſcuntur tempore auſtrino, & uento. Si uerò acrior æſtus inſecutus fuerit, diſrumpuntur omnes, & intereunt. Sed enim alibi quoq; idem refert, pinum plus quàm abietem, corrodi à teredine poſſe. hanc enim eſſe amaram, pinum uerò nonnihil dulcedinis participare: eóq; magis, quo fuerit tæda refertior. Vnde erucæ, quæ in pinis aut piceis intra corticem naſcuntur, quarum uirulenta roſione arbores marceſcunt, Græcis πιτυοκάμπαι dicuntur. de quibus Plin. Eadem, inquit, quæ cantharidibus, uis pityocampis quoq;, in picea naſcentib. eadémque bupreſti. ſimilitérque in olla linteolo obducta, ne excidant, & ſuper aceti euaporationẽ ſuſpenſæ præparantur, efficaciſsimæ ad lepras lichenáſque dicuntur: mẽſes urinámque cient. quas ideo Hippoc. etiã hydropicis dabat. & Gal. πιτυοκάμπαι, ait, πιτύος εἰσὶ κανθάριδες, βουπρήστου δυνάμεως. quarum exitiale uirus Aetius ex Diſcoride ita deſcribit: Picearum eruca pota, ſtatim dolor circa os & palatum oboritur, & uehemens linguæ inflammatio, ſtomachi, alui ac inteſtinorũ afflictio fortis, cum ſenſili circa interna uiſcera pruritu, corpus uniuerſum æſtuat, & ſtomachus cibum faſtidit: quib. eiſdẽ auxilijs, quibus cantharidib. deuoratis, opem ferimus. Propriè autem illis ſubuenit oleũ ex cottoneis, melinũ, pro ſimplici oleo exhibitum, & uomitu reiectum. Quibus etiam, authore Plinio, ſapa ac lac bubulum hauſtũ magnopere confert. Verùm, ô Lyſander, non alexipharmaca quæris forſan: ſed quibus hæc peſtifera lues, ueſtri fundi ac nemorum calamitas arceatur, & intereat. Itaque cum his Palatinatus terris, in quibus primùm medicinam profeſſus ſum, exanimo bene conſultum uelim, & quum hæc noſtro ſeculo ſit non uiſa uel experta prius pityocamparum pernicies, quicquid remediorum ex Græcorum Latinorúmq; primæ claſsis authorum lectione exploratum habeo, ea qua acceperim fide, libens communicabo. Quumq; ratione naturali non careat, de his periculum facere poteris, non modò ſi olera, uerùm & arbores infeſtauerint. Campas, inquit Palladius, fertur euincere, qui faſciculos allij, ſine capitibus, per horti omne ſpacium comburens, nidorem locis pluribus excitarit: Si uerò uitibus uoluerimus conſulere, allio trito falces putatoriæ iungãtur. Naſci quoque prohibentur, inquit, ſi circum arborum uel uitium crura bitumen, aſphaltum, & ſulphur incendas. & Conſtantinus Cæſar ex Aphricano in ſuo Geopanico inquit: διαφθαρήσονται σκώληκες, οἱ ταῖς ἀμπέλοις ἐνοχλοῦντες, ἢ ἐνοθηνοῦντες τοῦ μέρους τοῦ ἀμπελῶνος, βολβίτων καπνισθέντων κατὰ ἄνεμον. οἱ δὲ χαλβάνην, ἢ κέρας ἐλάφειον, ἢ ὄνυχας αἰγείους, ἢ ἐλέφαντος πρίσμα, ἢ κρίνου ῥίζαν ἐν τῷ ἀμπελῶνι θυμιάσαντες, ἀπήλασαν αὐτόθεν τὰ θηρία. id eſt, Deſtruuntur uermes, uites infeſtantes, aut in aliqua parte uineæ ad fœtum incubantes, ſi qui ſtercora boum aduerſus uentum ſuffumigant, aut galbanum, uel cornu ceruinum, aut caprarum ungulas, aut eboris limaturam, uel lilij radicem, bulbum, in uinea ſufficiunt: inde nanque uenenatas expellunt beſtias. Didymus in Georgicis ait: Si nudatas arboris radices, columbarum ſtercore illeueris, arbor uermib. non infeſtabitur: pariter ſi truncus uel caudex ſtercore ſuillo in aſinæ urina macerato, illita fuerit, caudex à uermibus & erucis illibatus durabit. Eſt & aliud contra olerum erucas im

*Plagæ Aegyptiorum decẽ, habẽtur Exodi 79. & ultra. Ioſeph. li. 2. ca. 10. Oroſ. lib. 1. cap. 10.*

*De Scnipſeſi, hæc Suidas, ac Gre. Nazãz. in ſuis carminibus.*

*De fœda locuſtarum calamitate Euſeb. in Chronicis, & Plin. li. 9. & paſsim toto opere.*

*Theophra. de cau. plãt. li. 2. ca. 27. et de hiſtor. plant. li. 4. cap. 17.*

*De erucis in Mileto, Theophraſt. de hiſt. plãt. li. 4. cap. 16. & de cauſis li. 5. ca. 14.*

*Pytiocãpæ in pinis & piceis naſcuntur, Pl. li. 29. cap. 4. & li. 23. cap. 2. & 4. ac libr. 28. cap. 9.*

*De picearũ erucis, hæc Aëtius li. 13. cap. 51. Gale. li. 10. de Sim. me. Dioſ. lib. 2. ca. 53. & libr. 6. cap. 2. Pau. li. 5. cap. 34.*

*De cãpis et allio, hæc Palla. de re ru. lib. 1. tit. 35. ex Africano & Democrito Cõſt. li. 5. Geopa. et li. 10. ac 12. ca. & plura.*

cas impudicum & obſcœnum Democriti præſtigium potius, quàm remedium: cuius ueritatem, niſi in Noricorum terris experientia approbaſſet, certè id referre puderet, quod grauis rei agrariæ ſcriptor Columella carmine celebrauit. Iubet Democritus, mulierē, dum menſtruis purgatur, unica tantum ueſte indutam, ac diſcinctam, paſsis capitis diſcooperti capillis, ac nudis pedibus ter areolas, & ſepem horti perluſtrare: quo facto, tandem per medium horti ſi egrediatur, tum inſtar imbris de oleribus de repentè erucas decidere, & emori. Vnde Columella ait.

*Mulieris menſtruatæ luſtratione campas enecari, Colu. in fine libri 11. & 12. Pallad. lib. 1. ca. 35. Cōſtantinus prope finem li. 12.*

*At ſi nulla ualet medicina repellere peſtem,*
*Dardaniæ ueniunt artes, nudatáque plantas*
*Fœmina, quæ iuſtis tum demum operata iuuentæ*
*Legibus, obſcœno manat pudibunda cruore,*
*Sed reſoluta ſinus, reſoluto mœſta capillo*
*Ter circum areolas, & ſepem ducitur horti:*
*Quæ cum luſtrauit gradiens (mirabile uiſu)*
*Non aliter quàm decuſſa pluit arbore nimbus,*
*Vel teretis mali, uel tectæ cortice glandis,*
*Voluitur ad terram diſtorto corpore campe.*

Si hoc terribilis mulieris uelut Erinnys habitu, erucarum fœda in hortis, oleribus ac arboribus impuritas expiari poſſet, tum certè res ſalua eſſet. Sed cum nulla credibilis & naturalis ſubſit ratio, mihi ex galbano aſphalti bitumine, ſulphure, & ceruino cornu, ac allio ſuffumigia magis approbantur: quæ etiam tutò, à uenti flatu auerſus, experiri poteris. Adde, quòd graues non uulgaris experientiæ authores tradūt, culices, cimices, formicas, pulices, locuſtas, pediculos, blattas, & erucas, ac unū quodq; id generis inſectorū, fumo ac nidore ignis quo cremantur, expelli. Squillæ quoq; phyluræ combuſtæ, aut iuxta uites aut arbores ſquilla conſita, ſui odoris acredine noxia plantis & arboribus inſecta fugat. Vale: Deúmque ſupplex precare, ut hanc quam erucæ portendunt, irati ob delicta noſtra ſui numinis uindictam, miſericors & benignus nobis condonare, & à ueſtra regione amoliri uelit.

## DE RECTA, LVXATA INSTAVrandi methodo. Epiſt. LXXXII.

*Thermarū Badenſiū origo.*

DE Heidelberga, mi Pandulphe, ad thermas Badenſes, quas olim Marcus Aurelius Antonius condidit, & poſtea Carolus quartus ſuæ nomenclaturæ Imperator inſtaurauit, profecturus, cum parum à recto itinere uerſus pagum Kyrloch diuertiſſes: omnes tibi obuios, quos de recto itineris compendio percontatus fuiſſes, uel luxata coxendice, uel diſtortis talis loripedes claudicaſſe, ſcribis. Quum uerò chirurgos etiā, inſtaurandi luxata peritos (quos Græci ἐμβολεῖς appellant) hunc pagum incolere accepiſſes: admiratus quoque è proximis uillis claudicātium multitudinem, quid cauſæ ſubeſſe arbitrer, à me ſciſcitaris. Non enim illic eſſe Lemnum, Aegei maris inſulam, in quam Iuno Vulcanum (qui inde claudus eſſe factus traditur) præcipitaſſet: quum pagus hic multis milib. paſſuum ſit Rheno quàm Aegeo mari uicinior. Cauſam itaq; tibi eius rei petenti, reddere haud pigebit. Noſti quidem ex Hippocratis aſſertione, quoſdā claudos naſci: alios uerò ex morbo arthritide, aut alio morbi dolore, caſu à præcipiti loco, aut ex palæſtræ lucta, aut quauis alia uiolenta concuſsione luxatos: plures uerò, ut Galenus refert, ob chirurgicorum imperitiam claudicare, qui rectam ueterū inſtaurandi luxata methodum penitus ignorant. De quorum ſecta, huius pagi euembolos paucis tibi oſtendam. Recta quippe luxata reducendi methodus quatuor habet ſcopos. Primus, ut membra de ſuo ſinu elapſa, ante inflammationem, quantum natura neruorum ac tendinū fert, modò ſolis manibus, aut loris, uel chiromactris iniectis, aut glocoſſomio, ſiue alijs machinis leniter diſtenta, in ſuum priſtinū acetabulum reponantur cum minori quātum fieri poteſt dolore. Enimuero ſi pars luxata, dolore intenſo afflicta, phlegmone occupetur, aut congenita neruorum tendinúmque duricies obſtiterit, ſi membrum ſic affectum diſtenſione laceſſiueris temerè, incrudeſcente dolore (ut Galen. ait) tali diſtenſione, φλεγμονὰς δὲ ὕστερον καὶ πυρετοὺς καὶ σπασμοὺς ἐνίοτε καὶ παραλύσεις ἐπιφέρεις, καὶ παραφροσύνας. Proinde Hippocrates, & poſt eū Cor. Celſus: Quicquid, inquit, loco ſuo motū eſt,

*Vulcanus claudus natus.*

*Claudicantiū uariæ cauſæ.*

*Gal. & Hipp. li. de Articulis.*

*Recta luxata inſtaurādi Methodi tres ſcopi.*

*Pericula prauæ inſtaurādi oſſa methodi: Gal. li. 3. de medic. uulnerum officio.*

*Hippo. de Articulis, & Cor. Cel. lib. 8. cap. 11. & 10.*

ante imflammationē reponendū eſt, ſi illa iam præoccupauit, dū conquieſcat, haud quaquā laceſſendū eſt. ubi finita, tentandum eſt, in his membris, quæ id patiuntur. Oportet autem inflammationem ipſam, atq; dolorem leuare lana ſuccida ex hydroleo, id eſt aqua & oleo moderatè calido, acetiq; momēto ſuperimpoſita, febriſq; rationē in uictu habere quàm maximam. At iſti, ſi dijs placet, chirurgi, nec quid ſit phlegmon, aut febris, nec ullum reponendi luxata organum norunt, quo leni tenſionis moderamine elocata, ſine doloris exacerbatione reponerent. Alter uerò & ordine ſecundus ſcopus exigit, ut membrum inſtauratum in ſinu articuli quieſcere ſinas, donec firmatum in eo probè coaluerit. id uerò effeceris, ſi roſaceo Meſuæ perfecto, aut quod primas certè obtinet, unguento noſtro de alabaſtro illeueris, & pannum lineum, uſu emollitum, lenem, rhodino quoq; delibutum, applicueris. Deinde ſi ſplenia ex ſtupa ab acerib. purgata, aut multiplici panno conſarcinata, ouorum candido imbuta, appoſueris. Poſtremò faſcijs poſca uel uino madidis, primùm circa articulum, aut etiam oſsis fracturam iniectis, pro membri habitu latis aut oblongis, non nimis arctè, nec plus æquo laxè deligaueris. Quin etiā ſi neceſsitas poſtulat, poſt quartum uel quintū diem, ferulas ex corio bubulo uel ſuillo, aut tenuiorib. aſſulis faginis, quib. pannifices impoſitis pannos ſub prælo applanāt, rectè applicato. Sic igitur mēbro deligato, & ad quietē ſchemate, figura naturali, doloris maximè experte, ſecundū uillorum & muſculorum rectitudinem ſituato, quieſcere ſinas: nec ante ſeptimum, aut decimum diem religabis, niſi prauum aliquod ſymptoma pruritus intolerabilis, aut phlegmō ex dolore, aut quauis alia occaſione inciderit. Vnde Hippoc. inquit, χρὴ τὸν ἰητρὸν τῶν ἐκπτωσίων τε καὶ κατηγμάτων, ὡς ἰθυτάτας καταστάσιας ποιέεσθαι. αὕτη γὰρ ἡ δικαιοτάτη φύσις. id eſt, Oportet medicum luxatorum ac fractorum ſitus ac ſtatus quàm directiſsimos facere, ſecundum naturalem membri ſtatum: ipſa enim natura iuſtiſsima eſt. Vnde Gal. ibidem ait: Duo ſunt ſcopi, quib. naturalis membri læſi figura, χῆμα Gręcis, aut ſitus, exploratur: indolentia, quæ experiētia exploratur (naturalis enim mēbris ſitus, doloris eſt præcipuè expers) alter, rectitudo ſitus partiū membri. hanc ex Anatomia addiſcimus: quam nec norunt, nec aliter uiderunt, quàm dum lanius porcum mactat, aut Iudæus ſuum exenterat uitulum. Scitè mehercule Hippocrates ait: Circa omnes articulorum repoſitiones attenuare oportet, ac fame macerare, uſq; ad ſeptimum diem. & ſi inflammatio inciderit, frequētius ſoluere: ſin minus, rarius. quietem uerò ſemper habere oportet afflictum articulum, & quàm optimè figuratū poſitum eſſe. At noſtri de genere paganorum chirurgici, membra inſtaurata nec unum diem quieſcere ſinūt: ſed quotidianis concuſsionibus ea diuellūt, ac ita diſtorquēt, ut de ſuis acetabulis non rarò iterū excidant, nouúſque incrudeſcat dolor. unde mēbrum ex humorum alluuio phlegmone, patiens uerò cōuulſione corripiatur, tam crebra quidem diſtentione & uiolēta uulſione: præcipuè in macilentis & duris ſiccíſq; corporibus, ut Galen. ait, σπῶνται καὶ ἀπορρηγνῦνται μυῶν καὶ νεύρων ἶνες: id eſt, Diuelluntur & franguntur muſculorū & neruorū uilli, aut fibræ: unde cū febre inflāmationes, deliria, ſpaſmi, & paralyſes coincidūt: quæ patiētem interimunt. Rectè igitur Hippocrates, ut alia omnia, de fracturis oſſium, hāc per uectes cōmotionem & extenſionem eadem die aut ſecūda fieri ſuadet, non aūt tertia: minimè uerò quarta, aut quinta. Nam ſi etiam his dieb. nō reponas, ſed alia moleſtia luxata laceſſas, inflāmationes induces. Qui uerò, ait Hippocrates, tertia aut quarta die deligātes premūt artus, aut fracturas extēdunt: hi in re adeò multi ac magni momēti imprudēter agūt: minimè enim ijs dieb. omnia uulnera mouere oportet. Et ut uno uerbo dicā, etiam omnia cum ſpecillis ſcrutinia euitare conuenit, & ſingula quibus uulnera laceſſuntur. In uniuerſum enim tertia & quarta dies incrudeſcētias pariūt quæ ad inflāmationes, ſordiciem & febres deueniunt. Hæc ſanè, inquit, res adeò magni momēti, ut ſi qua alia, eſt, ut nō ſolum obſeruetur in uulnerum, ſed etiam aliorum morborū cura, quos etiā ulcera eſſe forſan quiſpiā dixerit. At finita inflāmatione, ſedatóq; dolore, frictionem adhibere mēbro affecto, Cor. Cel. non diſſuadet: ac tum uti cibis bonis, ac uino modicè, iámq; ad uſus ſuos membrum promouere. motus enim ut dolore peſtifer

*Alter inſtaurationis ſcopus.*

*Quis rectus oſſis fracti aut reducti ſitus. Hippo. li. 1. de Fracturis.*

*Duo ſcopi ſitus membrorum.*

*Iudæorum anatomia.*

*Victus luxatorum ex li. Hippocrat. de Articulis.*

*Gal. li. 3. de Medici uulnerar. officio.*

*Violētæ inſtaurationis pericula.*

*Dies & tēpus inſtaurandi luxata.*

*Hippo. li. 3. de fracturis.*

*Morbi ſunt ulcera, Gale. de inæquali temper.*

*Verba Corn. Celſ. ex lib. 8. cap. 11.*

est, sic aliâs saluberrimus corpori & membro existit. Nā ut Hippocrates li. de Medici uulnerarij officio ait, χρῆσις κρατύνει, ἀργίη δὲ τήκει: id est, Vsus roborat, ocium extenuat. Proinde uenerādus ille medicorū parens, in libro de Articulis primo, Articulū, ait, cōmouere oportet, non ui, sed in tātum ut dolore uacet. cōsistunt enim quædam in plurimo, alia in minore tempore. Vbi Galen. fidus eius interpres, Hac, ait, doloris experte cōmotione in declinatione phlegmonis nihil est utilius. resoluit em̄ humoris affluxi reliquias, & articuli mucores liquefacit, quib. articulis inuiscatus, immobilis consisteret, quod Græci ἀγχυλοῦσθαι dicunt. Meritò igitur id Hippocratis pręceptū, tertius & ultimus curandæ luxata methodi scopus constituitur, ut membro luxato in suam sedem reducto, cōfirmatóq; & conuenienti schemate locato, id ab humorum affluxu & dolore ac inflāmatione uindices. quod facilè assequeris, si quæ roborant & repellūt stiptica applicueris, ac sobriam & tenuem uictus rationem principiò indixeris, uenámq; reuulsionis gratia secueris, & aluum leni pharmaco subduxeris, ac aromata, & id genus quæ sanguinē inflammant, prohibueris: tum fluxiones à particula affecta facilè depelles. Et cum hæc expediueris singula, postremò reliquū erit, & præter hoc nil aliud, quàm ut mēbrum opportunis exercitijs accommodes, illíq; pristinū robur restituas. At illi plus æquo audaces, scelerati de gente rusticorū euemboli, temerario uulgi applausu, ꝑcerúmq; quorūdam suffragio, qui doctis eruditionis honorem inuident, elati: totum rationalis diuini Hippocratis methodi ordinem euertūt. Nam membra fortè fortuna reposita, nōdum confirmata, necdum sedato dolore aut phlegmone resoluta, miseris carnificum modis, & quotidianis distorsionib. ne dicam torturis, exercent: nec ægrotorū (quam unicam laudem nobiles illis tribuūt) miserentur: uerùm si quis natura delicatior sæuas illorum manus inciderit, qui hęc chirurgicorū tormēta expauescit, cū illo obiter luctātur, prostratū in terram, mēbrorúmq; torsionib. exanimatum ferè, pudet dicere quàm obscœnis scōmatibus ægro illudant. Certè Deo naturáq; nil iustius, qui tales euembolos, ne dicam tyrānos, literarū osorib. reliquit. Nec Nemesis iustè in illorū patruo uindictæ oblita fuit, quem claudicantem perpetuò, omnibus ludibrio exposuit: ut eius exemplo quisq; admonitus, hæc sibijpsis artis subsidia præstare nō posse agnosceret, quæ in alienorum corpore temerè experiri auderēt. Vale, mi Pandulphe: ac saxit Deus, ne quisquam illorum manus incidat, nisi qui doctis medicis malè affecti sunt, & honorem ipsis inuident.

*Exercitiū roborat: Hippo. li. 3. de Medici uulnerarij officio.*

*Laudatur articuli instaur. exercitium.*

*Tertius instaurationis scopus. Epilogus dictorum.*

*A phlegmone & affluxu humoris præseruatio.*

*Chirurgicorū audacia, fastus & tyrannis.*

## DE DIFFERENTIIS SIGNORVM, *quibus medici morbos discernunt, & futura præsagiunt.* Epist. LXXXIII.

MVsitant, & ut audio obmurmurant quocq;, barbari & scelerati illi in re medica impostores, ꝙ delirum ac planè temerarium eorum in discernendis morbis ex urina iudicium damnauerim. quorū, mi Andrea, calumnias ne gry quidem fecerim. Nam qui prodesse nō queunt, quomodo obesse possint, non uideo. Perinde ac ignorata morbi cōstitutione, quid medicus in cura morborū præstare poterit, non intelligo. Ob id ueteres nō ex lotio tantum, sed ex signis ac indicijs pathognomicis, uniuersáq; symptomatum morbi syndrome, causam & substantiam morbi, à quibus remediorum indicationes acciperent, summo studio & obseruatione scrutati sunt: ipsámq; medicinam primariò diuiserunt in Therapeuticam, cuius cōmunissimus scopus est, τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἰάματα, Contraria contrariorum medicamenta: & in Diagnosticam, cuius primarius scopus est, Sana à similib. ægra à dissimilibus sanis discernere. quæ medicinæ præstātior pars, longo interuallo Therapeuticā præcedit, quæ sine Diagnostica nullius frugi est, aut usus. Et quia morborum exactam per signa pathognomica, cuilibet morbo peculiaria, & symptomatum coincidentias, quas empirici συνδρομὰς uocabant (αἱ δέ τινές εἰσι συμπτωμάτων ἀθροίσματα, quæ erant accidentium aut casuum morbi per obseruationem collectiones) cognitionem tradebat, eam tandem iuniores σημειωτικὴν appellarunt. Ob id meritò quispiam admirabitur Galenum illum polyhistorem, qui præter ducentos & quinguaginta libros, quos de uarijs disciplinis condidit, de alijs uerò singulis medicinæ partibus supra quadringentos ediderit, eásq; ad unum omnes rationali methodo expediuerit: quòd hanc solā præstantiorem medicinæ partem διαγνωστικὴν, nulla exacta methodo excolueri: sed tantum passim, præcipuè in libello de Artis cōstitutione, eius semina sparserit. Attamen Auicēna, Rasis, & alij de Arabum schola medici, & posteriores de classe Græcorū, Paulus Aeginas, Aëtius, Actuarius, & Alexander Trallianus (quem Mesue iatron appellat) ueteres empericos imitati, signorum & accidentiū syndromen in sigula morborum capitula congesserunt: sed adeò indistinctè, ut quod illorum sit pathognomicum, aut epiphænomenum, aut synedreuomenū, alterum ab altero discernere non possis: ut illorum medicinam diagnosticam rectè quispiam cōfusum Democriti chaos dixerit. Adde quòd nec doceant, quod morbi signum uel indicium uiribus alteri præponderet. Verum his longè ineptiores nostri seculi in Germania quidam logiatri, qui, ac si omnia morborum signa in urina elucescerent, ex solius lotij inspectiōe de morbi substātia, patiētis salute uel interitu, ob triobolaris scorti salarium temerè pronunciare (nugari rectius dixissem) non erubescunt. Vt igitur illorū impudētia omnibus innotescat, pauca de signorum differentijs huic epistolæ inserere cōstitui: ut ijs me doctioribus, quib. hæc absoluta tractare methodo uacet, ansam præbeā: quam & ego, si plus ocij nactus fuero, ob ægrorum salutē, libens apprehendam: ut tādem semel hoc flagitium ex temerario de morbis urinæ iudicio, facinus certè flagris dignū, ex medicorū palæstra eliminetur, & recta curādi iudicandíq; morbos methodus instituatur. Atqui cum apud philosophos, tū medicos oēs in confesso est, effectus & accidētia suam prodere & indicare causam. Constat quocq; symptomata esse morborum διαθέσεως, effectus. Nemò igitur inficiari poterit, symptomata (de quorum numero sunt actiones læsæ, quædam essentialiter inhærentia inseparabilia) morbos, & locum affectum quoque, uelut eorum domicilium & nosocomiū, cui applicari & accōmodari debent remedia, indicare. Symptomatum uerò quædam Græcis dicūtur epiphænomena, siue συνεδρεύοντα: alia uerò pathognomica, quæ ex essentialiter inhærentib. ac simul cum morbi constitutione orta, cum ea quocq; dispereunt. Hæc sunt inseparabilia & certa morborū indicia, quorū syndrome morbi speciem rectius ac uerius omni lotio indicat. Sic febris, continua cū dolore lateris pungitiuo, ac tussi anhela, cū simul & quasi unà irruūt, pleuritida morbum indicant. Alia uerò quæ deinceps succedūt accidentia, epiphænomena aut synedreuonta dicta, quasi morbi assessores, cui nécq; necessariò aut inseparabiliter cohærēt, nec unà oriūtur, sed utplurimum aut raro uel ἀμφιδόξως, id est ancipiti ratione morbo assident, nec substātiam illius constituunt, sed proprias morborum differētias faciunt: ut in pleuritide sputum cruentum uel citrinum, dolor ad furculam, uel ad diaphragmatis inferna protēsus, uigilia, deliriū, somniorum spectra. Hæc sanè accidentia epiphænomena dicta, uel morbi differētiam, aut illius ἐπιείκειαν, id est, mansuetudinem, aut κακοήθειαν, id est, prauitatem indicant. Oportet certè in tali symptomatum syndrome medicū singulorū symptomatum uires æqua lāce ponderare, & lethalia cū salubribus acri iudicio expendere. Si enim perniciosa uel uiribus aut copia, salutaria & naturæ uires superauerint, tum periculum mortis nō longè aberit: & uicissim, si salutaria perniciosis potētiora extiterint, tum æger iā ferè Scyllā & Charybdim eluctatus, in crisis impetu saluus, in portu nauigabit: idq; eo certius, si inter hæc perfecta concoctionis signa affuerint. De numero uerò talium signorū, aliqua sunt decretoria aut iudiciaria, alia cōcoctionis aut cruditatis indicia, alia salutis aut mortis indicatiua. Signa uerò cōcoctionis, finito morbi principio, & eius humore per calorē naturalem probè concocto, & à putridis sequestrato, in augmēto uel morbi uigore in urina sputo, & apostematum suppuratione quoque, digestioni, quæ in uenenoso uasorum genere fit, simillima, & alijs excrementis apparent: nempe cuiusq; partis in corpore & humorum excremēta, quæ sunt cōcoctionis perittomata, & reliquiæ, eam quæ illis inest dispositionem ostendunt: si quidem cocta fuerint, sanam: si cruda, ægrā arguunt. Vnde in ægritudinibus pectoris, & spirationis instrumentis, sputum album, lene, æquali cōsistentia concretum, semper est salubre cōcoctionis signum. Si uero nihil expuitur, integram ostendit cruditatem: si uerò sincerum, aquosum, tenue, liuidum, ærugini simile sputum

*Grysordes sub unguibus contentæ.*

*Signorū & indiciorū different. Gal. prope finem 3. lib. Prognostic.*

*Primaria medic. diuisio. Gale. lib. 1. de officio chirurgi.*

*Medicina diagnostica.*

*De syndrome empiricorum libr. de officio chirur. de constitut. artis. & paßim alibi. Galen.*

*Medicina symeotica.*

*Galen. polyhistor.*

*Galenum diagnosticen method. nō absoluiße.*

*Arabes & Græci symptomatū syndromen indistinctè conscribūt in suis practicis.*

*Medicorū urinariorum impudentia.*

*Effectus suas indicare causas.*

*Morbi diathesis symptomatum causa.*

*Signorū diuisionē Gale. de artis cōst. li. 1. Aphor. 11. & li. 4. reg. acut.*

*Epiphænomena, ut in locis hic allegatis.*

*Symptomata synedreuonta, aßidētia morbo.*

*Medici docti officium in discernendis symptomatis.*

*Signorum diuisio, Gal. li. 1. Aphor. 11. li. 3. Prognost.*

*Signorum cōcoctionis descriptio.*

*Excrementa suarū partiū dispositionē indicāt. Gal. li. 1. de crisi.*

*Signa concoctionis in morbis pectoralib.*

*In morbis mēbrorum naturalium & febrium concoctionis signa. Vrinæ digestæ & crudæ descriptio.*

*In quibus morbis urina indicet morbū, & concoctionem morbi.*

*Gal. super secūdū lib. prædict. Hippocr.*

putum eructatur, non cruditatem modò morbi, sed etiam perniciem minatur. At urina, secundæ digestionis excrementum, quæ in uenoso genere uasorum, uisceribus, epate & præcordijs fit, dum hæc febre, phlegmone, scirrho, aut intemperatura quauis oblæsa fuerint, certus est cruditatis aut concoctionis index. Quippe si hæc colore & substantia sanorum urinis fuerit simillima, hypostasim albam, lenem, puri exactè concocto similem habuerit, hæc non modò concoctionem morbi præcipuè in febribus, sed etiam uirtutes naturales esse uirib. morbi longè potentiores, eásque in crisis conflictu uictoriam obtenturas, uerè testatur. At ea ratione non est urina signum pathognomonicum: sed cō coctionis uel cruditatis in febribus, & morbis uiscerū, præcordiorum, signum obseruatione penitus necessarium. Proinde Galen. in Prædictionibus Hippocratis cō cedit, urinam, diathesim, id est morbum partium epatis, ac renum, et uesicæ, ac sanguinem continentium uasorum, ac uirtutis naturalis humores generantis robur & imbecillitatem indicare: at cerebri, pulmonis, matricis & neruorum, affectuum alia esse signa pathognomonica affirmat. Nec tamen quispiam temere assereret, urinam esse quorundam morborū, membrorum per quæ labitur, indicem, non primaria ratione, sed per accidens, ratione contentorum, quæ sunt mē brorum diureticorum excrementa. Proinde Hippocrates testatur, si quis arenulas, surfures, aut squamulas furfuribus similes, carunculas, sanguinis grummos, pus, aut capillamenta quædam alba, cōglomeratis sub cauda cancrorum uenulis simillima, eminxerit, hæc uesicā scabie, ac renes lithiasi, suppuratione aut quauis alia nephritide, uel uenæ ruptura laborare. At ne quis temere hæc urinæ indicia ad alios q̄ prædictorum membrorum affectus referat, uenerād⁹ ille medicorū parēs in fine subiungit: Ne igitur decipiaris, inquit, caue, ne uesica quouis modo affecta, si huiusmodi reddiderit urinas, te decipiant. tales enim non ad uniuersum corpus, sed ad ipsam dūtaxat uesicam referri debent. Est & satis uerendus renū morbus, hydrops ad matulam, aut diabetes, siue urinæ profluuium, ob inexplebile bibendi desiderium dipsac⁹ à Græcis dictus. hic renū uesicæque affectus, intestinorum leuitati, quam lienteriā uocant, similis est: ob idq; subinde bibere coguntur. q tandē, ob uirtutis renū retētricis & alteratricis imbecillitatē, nihil in colore substantia & odore immutatū, quale biberunt, exuberanter quoq; reddunt. Tale uerò lotium, diabetes esse proprium & cognobile morbi accidens, quod Græci pathognomonicum appellant, nemo inficiabitur. Reliquum est tertium signorum concoctionis & excrementorum genus, nempe alui ex prima digestione excrementa, quæ mollia & leniter pro coli cauitate figurata & concreta, si consueto tempore egeruntur, & excreta cibo ingesto proportione correspōdeāt: tum hæc, ut Hippocrates ait, naturalium uētriculi facultatum & concoctionis robur rectè indicāt. Tria igitur, hæc excrementorum genera, propriam cuiusq; mēbri, per quod deferuntur, dispositionem, & uirium naturalium robur indicant, uentriculi uires, cibi excrementa

*De istis urinæ in morbis uesicæ & renū significatiōib. Hippoc. lib. 4. prognos. & li. 2. de Crisi. Verba Hippo li. 2. Prognost.*

*De diabete hæc Gal. lib. 1. de crisi. & de loc. affec. li. 6. ca. 3.*

*Tertium excrementorū genus, & digestionis signū, li. 1. de crisi. Hippo. 2. prognost.*

*Epilogus dictorum.*

*De stercore equi prasini hæc Gal. lib. 7. Methodi. & Iul. Capitolinus ī Antonini uita.*

Ob id Antonini stabularij, equi ei⁹ prasini stercora quotidie olfaciebant, ac etiam degustabant, an probè pabulum concoxisset exploraturi. At uenosi uasorum generis, & epatis, quod ardens humorum cōcoctionis foc⁹ est, urinæ, morborum & humorum pectoralium, sputa, sunt concoctionis aut cruditatis signa & indicia. hæc ut plurimum mala, nec rarò etiā perniciosa, illa uerò semper salutaria, ac salutiferæ crisis internuncia. Vnde Hippocrates ait, πέπασμοι ταχυτῆτα κρίσιος, ἀσφάλειαν ὑγιεινὴν σημαίνουσιν. ὠμὰ δὲ, καὶ ἄπεπτα, ἐς κακὰς ἀποστασίας τρεπόμενα, ἢ πόνους, ἢ θανάτους, ἢ τῶν αὐτῶν ὑποστροφάς. Sunt ad hæc alia plurima, ut futuræ crisis signa decretoria, mortisque & salutis signa prognostica, quorum declaratio non epistolam, sed iustū exigeret uolumē, prius ab Hippocrate adamussim descripta, præcipuè ex pulsib. prædictionis ac præsentis morbi & loci affecti signa admodum perplexa, q̄ libēs ideo prætereo, q horum uis, energia, & significatio à signis concoctionis dependat, nec ulla sint concoctionis ex signis pathognomonicis scitu medico magis necessaria. Dic enim obsecro, qui medicus potis est ignotos curare morbos, nisi signa pathognomonica illi hos manifestarint? in quorum cognitione adeò ueteres medici desudarunt, ut non modò signorum pathognomonicorū syndromen diligenter obseruarint, sed ad exactā mobri cognitionem, etiam sudores in balneis strigili exceptos, ac aurium sordes degustauerint. Verum cum nō medicus, sed natura concoquat & curet morbos, maximè intererit medici, scire naturalium uirium robur, an morbum euincere posśint, aut eas sub morborum tyrānide succūbere oporteat, unde certiora salutis ac mortis accipiuntur signa, quàm uel augures & uates, quos ob ægros Romani alebāt, unquam statuere potuerint. quorum uera esse uaticina,

*Signa pathognomonica & concoctionis, medico scitu necessariora.*

*Medicos etiā sudores & aurium sordes degustaße, Gal. prope finē tertij lib. de symptomat. differentijs.*

*Ramanos de ægrorum salute augures consuluiße, Cic. li. 1. diuin. Gal. li 1. Epidem. cō. 3. & lib. 1. ac 3. reg. acut.*

*Iuuenal. Sat. 2*

*Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lauantur.* —

At ea quæ à signis concoctionis prognostica accipiuntur, tam firma sunt, ut illis nunquam se falsum Galenus glorietur. At nostrates medici, ex urina hydromantes, uel hæc ignorant penitus, aut non intellecta, flocci pendunt, qui domi desides, ex solo lotio de omnibus morbis uaticinari non erubescunt, quique alterā præstantissimam medicinæ partem, diagnosticam, sine qua Therapeutica subsistere non potest, nec à limine salutasse uidentur, tamē nec ignotis mederi morbis, nec se profiteri medicos pudet. Vale, & quanam methodo compendiaria, medicina diagnostica conscribi docerique possit, aliquando mihi rescribe.

F I N I S.

# RERVM AC VERBORVM TOTO HOC OPERE MEMORABILIVM ELENCHVS.

*Primo semper numero paginam, secundo columnam, tertio uersum denotantibus.*



Αγκυ

Aromaticæ

B



Baln

C



Camp

Cinnab

D



Dæmo

F

G



Glacie

I



Intelli-

Lazuli

M

Phle=

Qual

Scnips

Subet

Tormen

V



Veſicæ

Vocem

FINIS.

